CALLIOPE. CLIO.

ÆNEAS

P. VIRGILII MARONIS PRIORES SEX LIBRI AENEIDOS ARGVMENTIS, EXPLICATIONIBVS NOTIS ILLVSTRATI,

Auctore Ioanne Ludouico de la Cerda Toletano Societatis IESV, in curia Philippi Regis Hispaniæ Primario Eloquentiæ Professore,

Editio quæ non antè lucem vidit Cum indicibus necessariis.

LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.
M.DC.XII.

P. VIRGILIVS MARO. OCTAV. AVGVSTVS.

Cum privilegio Regis.
Leonardus Gaultier sculp.



ILLVSTRISSIMO D. D. DIDACO SYLVÆ AC MENDOSSÆ, DVCI FRANCAVILLÆ, COMITI SALINARVM ET RIBADEI,

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA S. P.

DICO.

TVO nomini opus Tuum consecro, COMES MAXIME. hoc enim Tuum potiùs, quàm meum est, in quo Syluarum initia prima, gentis ad immortalitatem satæ: illam enim Æneas procreauit, celebrauit Maronis tuba, singulorum virtus propagauit. Itaque si dicarem alteri, posses, quod Tuum est, vindicare, & me cogere ad caussam dicendam. Opus suum Virgilius Augusto consecrauit, principi tum temporis terrarum orbis potentissimo, sciens videlicet duci ab Ænea originem Augusti, imo ideo suæ ἐποποιΐᾳ Æneam præfecit, virum rei ciuilis & militaris scientia conspicuum, quòd sciret Augusti genus per SYLVIOS ad eundem referri: hoc (inquam) Maro sciens fecit, sed nescius tamen quid tum faceret, eadem opera, qua Augustum, SYLVARVM Tuorum gentem cecinit versibus in omnem æternitatem duraturis. Quin te potiùs, quàm illum: cùm illius gloriam, & maiorum claritatem, deformi vitę exitu, ac pestifera vitiorum sentina, breuissimo annorum spatio terminauerit Nero, postremus ex stirpe Cæsarum imperator. Tui verò generis splendorem per tot Reges & Consules ductum nulla hactenus tantorum annorum series deleuit. Itaque potiore iure in te Æneas, quàm in Augusto viuit, qui, illo abolito, atque eius posteris, retines tanti seminis dignitatem, non modò pari, qua accepisti, gloria conseruatam, sed maiore auctam. Cùm ergo celebratissimum hoc Maronis opus, cui cedunt Homerus & Græcia, maximo SYLVIORVM fauore flante inceptũ & perfectum fuerit, & SYLVIORVM claritas in claritate SYLVARVM persistat integra, nihil extra rem fecero, si SYLVARVM elogia persequar: quo & meis in Virgilium lucubrationibus lux maxima accedet, & testabor quid meus in te amor possit, nihil tamen à veritate recedens, quæ prima omnium versari ante oculos debet. Intende itaque animum ad sequentem operam, quã operi meo præfigo, in qua SYLVIORVM, ac perinde SYLVARVM ortus, auctus, incrementa, virtutes, atque elogia in gratiam Tui PRINCEPS CLARISSIME.

QVEM autem maiorem tanti ortus præconem vis, ILLVSTRISSIME COMES, quàm Virgilium ipsum, Vatem non tam Augusti, quàm Tuum? Audi tubam illam, quæ Homerum obruit: *De initio, progressu, honoribus Syluiorum.*

ac Syluarũ, qui ab Aenea ortum ducunt.

Syluiorum ac Syluarũ nomẽ vnde.

Ille, vides, pura iuuenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis luca, primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget
SYLVIVS, *Albanum nomen, tua posthuma proles,*
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet SYLVIS *Regem, Regúmque parentem,*
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Itaque primus Rex Albæ filius Æneæ ex Lauinia dictus est SYLVIVS, quia in syluis natus. Regnauit hic annos. 29. teste Cassiodoro in Chronico. Ab eo posteri omnes Albæ Reges vsque ad conditam Romam dicti sunt SYLVII. Casum, quo is natus in syluis fuerit, referunt Romanæ historiæ scriptores, ad Lauiniæ metum, quo illa post Æneæ aut obitum, aut raptum, in syluam profugit, vbi infantem edidit. Scio has historias multorum sæculorum spatiis ita esse deformatas, vt nihil certi appareat, natús ne SYLVIVS fuerit ante obitum Æneæ, an partu posthumo. Sed hoc nihil pertinet ad SYLVIORVM claritudinem, quam persequor. Imò quod de exordiis Romani imperij ait Liuius, fuisse illa *Poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis*, idem fatendum de origine Regum Albę. Sed quamuis multa sint dubię fidei in natalibus Syluij, illud est certissimum, illum & natum in syluis, vnde nomen accepit, & deinde dedisse primam Albano Regno claritatem felicissimo SYLVIORVM nomine, quo postea lætati Romani Reges, & deinde propagatũ in omnem æternitatẽ. Sed iam COMES ad SYLVAS tuos, qui nõ minùs à Syluis, quàm Syluij ipsi. Quod sic efficio. Græcis ὕλη sylua est: & Latini quidem Græcis vocibus, quæ ab aspirata incipiunt, addunt aspirationis loco sibilantem litteram. Firmant exempla. Græci ἕρπω, Latini serpo: illi ἕρπυλλον, ὗς, ὑπὲρ, ὕπνος: nos, serpyllum, sus, super, somnus. Idipsum in nominibus propriis seruatum, & in multis etiam absque aspiratione. Sic quæ Stephano ἐλμαντικη, & Polybio ἐλμάντικα, Latinis est *Salmantica*, arx litterarum. Qui Dionysio, Amnitæ, Straboni dicuntur Samnitæ: sic Ἀρδιαῖοι, Σαρδιαῖοι: Alamina, Salamina: Helli, & Selli: ita etiam viri doctissimi putãt Hispalin Hispaniæ Vrbem, quam vulgo Seuillam dicimus, esse eam, quam Stephanus vocat Ἴβυλλαν. Ergo ὕλη Græcorum, idest, sylua, nomen dedit puero ibi nato, à quo Syluii & Syluæ, tantùm seruato discrimine: Latini enim gentis nomina nominum propriorum loco habent: Hispani loco cognominum. Itaque Romanis Tullii, Cornelii, Iulii, Vipsanii, Cilnii, Roscii, Valerii, propria sunt nomina, cùm gentilitia sint: Hispani verò sua gentilitia numerant inter cognomina: sic Gusmani, Mendosæ, Cerdæ, Castri, Figueroæ, Castillæ, Bobadillæ. Ergo Syluios Romani inter nomina propria constituunt: Hispani SYLVAS inter cognomina. sed tam SYLVII quàm SYLVÆ gentilitia sunt. Habes iam COMES gentilitatis tuæ clarissimum auctorem SYLVIVM, qui primus Albæ regnauit, à quo ceteri Albani Reges: à quo Romani: nam conditor æternæ vrbis Romulus, ab auo Numitore SYLVIO, à matre Rhea SYLVIA, dictus quoque est SYLVIVS: à quo Cæsares. nam Iulii ad Aeneam originem suam referebant, qui pater fuit Syluii, quod clamant Romani omnes scriptores: à quo demum tot Imperatores, Reges, Principes, Consules, quorum aliquos debito loco numerabo.

Syluæ Lusitani à Syluijs Albanis.

HOC NEMO ambigat, nisi parum, aut nihil in Romana historia versatus, in qua similia multa. Quid cognatum magis, quàm Syluij & Syluę? Si gens Iuliorum gentilitatem suam referebat ad Iulum, ac perinde ad Aenean, & Venerem (quod scribit Suetonius in Iulio c. 6.) tantùm ducto argumento ab litterarum affinitate, quæ est inter Iulium & Iulum; cur non Syluæ ad Syluios suam referant? Magis distant, si litteras intuearis, Memmij à Mnestheo, Sergij à Sergesto, Cluentij à Cloantho,

quàm

quàm Syluæ à Syluiis: & tamen Memmij ortum ſuæ gentis ad Mneſtheum referebant, ſicuti Sergij ad Sergeſtum, Cluentij ad Cloanthum. Audi Vatem lib. 5. Aen.

Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi:
Sergeſtuſque, domus tenet à quo Sergia nomen.
——Scylláque Cloanthus
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.

Ab Gya Troiano ortos Geganios, nobilem Romanorum familiam, in confeſſo eſt Romanis ſcriptoribus, vbi exigua eſt litterarum affinitas. His omnibus affine illud lib. 5. Aen.

Alter Atis, genus vnde Atij dixere Latini.

Diſtant certè Clodii à Clauſo: & tamen illi ab iſto, nam primum à Clauſo facti Claudij. habes quippe lib. 7. Aen.

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine, magnum
Agmen agens Clauſus: magnique ipſe agminis inſtar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens,
Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.

Deinde à Claudiis Claudii: Sue. Tiber. cap. 2. *Notiſſimum eſt Claudios omnes, excepto dumtaxat P. Clodio, optimates aſſertoréſque vnicos dignitatis & potentiæ Patriciorum ſemper fuiſſe.* Vides, vt à Clauſo Claudii, à Claudiis Clodii, ac perinde Clodii à Clauſo. Quin, quod mirere (vt in eodem hæream nomine) Appij Claudij facti ſunt, litterarum mutatione, ab Atta Clauſo, ſicuti & Lucumo mutatus eſt in Lucium, maiore adhuc litterarum diſtantia. Vide Læuinum Epiſcopum Antuerpienſem in Suet. cap. 1. Tiberij. Taceo Scæuolas à Scæo, Plautios à Plotis, Plancos à Panſis, Torquatos à Torque, Coruinos à Coruo, Calpurnios à Calpho, Corculos à Corde, & infinitos alios. Hæc nominum commutatio facilè cuiuſcunque iudicium peruincet, vt intelligat ortos à SYLVIIS SYLVAS. Qui hoc negant, quid dicent de commutatione aliâ, qua ſeruatur tantùm ſententia, nulla littera retinetur? Sic, qui ſcripſit vitas Cæſarum, dictus eſt Tranquillus, quia pater eius Lenis, quod ipſe in Othone ſcribit: ſic Vitruuius ille nobiliſſimus architectus, dictus Pellio, quia priùs Cerdo (ſi Alciato credimus, non vt vulgo legitur, Pollio) retinuit videlicet rationem nominis à lucro pellium, & ita ἀπὸ τοῦ κέρδους pellium, dici Pellio, non Cerdo, voluit, retenta ſententia, mutatis litteris. Iſta commutandorum nominum ratio cogit me, vt putem, non ſolùm Syluas ortos à Syluiis, ſed etiã Saluios omnes, Syluanos, Syluanios, Syluinios, eandẽ eſſe gentẽ, ſiue in illis nomina ſiue cognomina agnoſcas; nomina in Syluiis, Saluiis, Syluaniis, Syluiniis: cognomina in Syluis & Syluanis: ac propterea ſequentia elogia ab iſtis coniungã, vt qui omnes ad vnum idémque genus referẽdi ſint. Obiiciet aliquis, nemo dubitat Syluas oriri à Syluiis potuiſſe, ſed an verè oriantur, hoc ſcilicet in dubio eſt. Hoc facilè lector ex hiſtoria aſtruo. Syluæ illi, qui nunc in Hiſpania, æterna nominis gloria florent, domicilium in Luſitania habent, beatiſſima orbis parte, & quam iure appellare optimo poſſis Terrarum oculum. Ab Luſitania exuberante gente diſſipati in reliquam Hiſpaniam ſunt, & tanquam in colonias deducti. Atqui perpetua eſt & conſtans fama Luſitanorum, Syluas eius prouinciæ ortum habuiſſe ab antiquiſſimis Syluiis. Quid dices de Horatio, qui Mæcenatem Regum Hetruſcorum ſobolem non ſemel facit, vt & Propertius? Nihil ſanè pro iſtis, niſi vigens id æui fama, qua id auſi ſunt dicere. Nam ſcriptores tantùm faciunt equitem, & ſplendidum quidem, de Regibus autem ſilent. Fama itaque Horatium & Propertium defendit. Cur non ergo hæc fama Syluas defendet, præſertim conſeruata à Luſitanis, hominibus quidem cetera mitibus, acerrimis verò iudicibus nobilitatis? Non enim illi

paterentur rem hanc crebro sermone iactari, si vel diuinando intelligerent aliter esse. Sunt enim promptissimi ad similes morsus. Cùm itaque illi nihil momorderint in Syluis, quid tu quicunque es, extra Lusitaniam natus, & rerum insciens? Neque enim aliud multarum familiarum gloriam quàm similis fama aluit. Hanc famam si adimas, obrues plurima monumenta multorum, qui clarissimi inter Hispanos, vt sunt Pacheci, Aiances, Chirini. Primi, parentem agnoscunt antiquissimum L. Iunium Paciecum (cuius meminit vel Hirtius, vel Oppius in libello de bello Hispaniensi) iam tum æuo Cæsaris nobilissimum. Alteri, Aiacem Telamonium, cuius memoriam Teucer in Hispaniam delatus, patrem fugiens, excitauit. Postremi, ab ipsis Quirinis, ide st, Romanis, se prædicant oriundos. Fauent his iam libri, iam inscriptiones, iam fama, & hæc quidē perpetua quadam ætatū omnium serie tradita & cōmendata mortalibus. Roges, sunt ne alia præter famā argumenta? multa quidem & grauia, Lector. Sed quamuis alia adducam, ne putes tamen leue esse, famam, qua adempta pereant necesse est infinita hominum monumēta, eáque splendidissima, quæ per infinitas sæculorum myriadas vni tantùm famæ innituntur. Sed iam ad argumenta alia. Imprimis hoc de vnis Syluis examinatum iam & probatum aliis. Marineus enim Siculus lib. 4. Hist. loquens de nobilitate Hispanorum, clarè ait, Syluas ortum ducere à gente Romanorum Syluia, adducítque in argumentum epitaphium in Lusitania inuentum hoc: HIC IACET L. SYLVIVS IVLII CÆSARIS CENTVRIO. Deinde efficax est argumentum, inveniri in Lusitania plures inscriptiones, quæ verè Syluarum sunt, vt constat ex historiis, in quibus tamen inscriptionibus non nominantur Syluæ, sed Syluij, vt hinc appareat, Latino planè idiomate viros huius gentis nuncupatos olim non Syluas, sed Syluios. Vnde clarius liquidum Syluas ortum ducere ab Syluiis. Etenim Syluij Elpidii Herculani inscriptio in Lusitania est ad oppidum Chaues, & Eluij Syluij ad Robadelam. Virginiæ etiam Syluiæ inscriptio habetur in Monarchia Lusitanica parte secunda. Tertium quod efficacissimum: Syluiorum nomen durauit ad vastationem Hispaniæ factam à Mauris, & hoc certum est ex infinitis inscriptionibus: atqui cùm cœpit recuperari Hispania ab diuino homine Pelayo, statim inuenimus Gutierrium Syluium operam suam pio bello nauantem sub ipso Pelayo vsque ad æuum Alphonsi, qui gener fuit Pelayo. Quis ergo neget hūc Gutierrium non eiusdem esse gentis cum illis, qui eum exiguo annorum interuallo præcesserunt? Hæc certè res maiorem habet firmitatem, quàm vt cadere sub probabilitate debeat. Inde continuati magni Principes omni æuo. Nam Sisnandus Syluius floruit æuo Ramirii primi, noménque suum adscripsit in donatione Regia per annos Christi 848. & statim Comes Syluius in donatione alia eiusdem Regis anno. 850. Tellus quoque Syluius vixit anno. 919. sub Alfonso Magno, & eius filio Garsia, & Ordonio secundo, multáque oppida expugnauit, quæ sita inter Durium & Minium. Post Tellum floruit eius filius Gutierrius Syluius, de quo (vt multi putant) capiendus Ambrosius Morales lib. 15. hist. cap. 20. & 53. quem iam tum facit Comitem Bragansæ. Taceo Gutierrium, Pelayum Syluium Amayæ dominum, & Pelayum alium Gutierrium, cui Alderetæ cognomentum ab victo Gallo homine præferoce, cui id nominis. Taceo etiam Gutierrium Syluium Alderetem, cui pater cognomentum reliquit: hic certè præfectus Lusitaniæ & Galliæ fuit: primúsque institutor domicilii ad Minium, cui domicilio nomen suum attribuit, vocauítque Syluam. Præstitítque egregiam operam in expugnatione Conimbricensi, & oppidi Montemayor el Viejo, fuítque pater Paii Gutierrij Syluæ. Hic mihi catalogus adductus breuiter est ad indicandam nobilitatem horum Principum continuata semper serie ab Pelayo primo diræ cladis reparatore, vt videas, hos Syluios, vt ego puto, necessariò; vt tu, probabiliter,

ter, annectendos cum his Syluiis, qui floruerunt ante ipsam cladem. Dixi necessariò, si hæreas luci Historiæ, à qua desumtæ fortissimæ coniecturæ scriptoribus afferunt vim necessitatis. Cùm ergo, vt argumentum conficiam, Syluii ante cladem Hispaniæ ortum duxerint ab Syluiis Romanis, vt iam satis indicatum, quis dubitet eiusdem esse gentis illos, qui statim sub Pelayo vixerunt? His positis fundamentis pergo ad elogia eius gentis quam mihi in gratiam Mæcenatis mei prædicandam assumpsi. Memineris verò ILLVSTRISIME COMES, me iam præmisisse, Syluios, Syluas, Saluios, Syluanos, Syluanios, Syluinios, idem esse genus, ac propterea ab his omnibus vnius gentis elogia nobilitabo. Et quidem Tacitus in exitu lib. 1. Historiæ Othonis Syluii fratrem Titianum *Saluium* vocat, Cocceianum etiam filium Titiani *Saluium*. 2. Histor. In inscriptione etiam fratrum Arualium, quam exhibet Gruterus: L. SALVIVS OTHO TITIANVS. Quin Othonem ipsum imperatorem Aurelius Victor *Saluium* nominat, ídque in Breuiario semel, & iterum in epitome. Vt Xiphilinus quoque in Nerone, & Galba: vbi apertè Μάρκος Σάλβιος Ὄθων, quod interpres retinuit, *Saluium* nominans Othonem. Incipio verò ab honore illo, qui præ aliis in oculis mortalium conspicuus.

Otho Syluius Imperator, & Syluanus. HABET gens Syluia Imperatorem M. Syluium Othonem, qui *post Iulios, Claudios, Seruios, se primum in familiam nouam* (videlicet Syluiam) *imperium intulisse* apud Tacitum gloriatur lib. 2. Histor. Eius ego natales, imperium, & imperii exitum breuiter expedio, si prius de eius maioribus loquar. Suetonius: *Maiores Othonis sunt orti oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex Principibus Hetruriæ.* Aurelius Victo, *Saluius Otho splendidis ortus maioribus.* Hic splendor proculdubio à Principe Syluior, Æneæ Filio, vt videas gentem hanc semper retinuisse splendorem. Pergo. Othonis auus fuit *M. Syluius Otho, patre equite Romano, matre humili*: verba sunt Suetonii. Auum hunc prætorium facit Tacitus lib. 2. Hist. Pater verò, ait Suetonius, *L. Otho materno genere præclaro.* Tacitus hunc Lucium Consularem fuisse scribit lib. 2. Hist. inde lib. 13. Annal. *Otho familia Consulari.* Ab Suetonio credo Eutropius lib. 7. *Otho materno genere nobilior quàm paterno.* Redeo ad patrem. Fuit L. Otho multarum & magnarum propinquitatum clarus. Vrbanos honores, Proconsulatum Africę, & extraordinaria imperia seuerissimè administrauit. Allectus est à Claudio inter Patricios, eius statua posita est in Palacio, qui honor rarissimus, iubente Claudio, à quo ita laudatus est: *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Habuit Lucius ex Albia Terentia splendidissima fœmina duos liberos; maiorem, L. Saluium Titianum; minorem, M. Syluium Othonem; filiam etiam Syluiam aut Saluiam, quam Druso Germanici filio despondit. Splendidissimam, vt vides, Othonis matrem vocat Suetonius. discrepat non nihil Tacitus, qui ita de Othone: *Pater Consularis, auus Prætorius, maternum genus impar non tamen indecorum.* Dixi de Maioribus, de Auo, de Patre, iam de ipso, hærens, vt in superioribus, ita etiam in sequentibus, Suetonio. Natus est Otho Imperator. 4. Cal. Maij, Camillo Arútio, Domitio Ænobarbo COSS. summũ inter amicos Neronis locum tenuit, omniũ illius consiliorũ secretorúmq; particeps, inuitatus ab eo est ad cœnã exquisitissimæ comitatis. Prouinciã Lusitaniam administrauit Quæstorius per decẽ annos moderatione atque abstinentia singulari. Nerone mortuo, ac viuo adhuc Galba, qui Neroni successerat, ipse Imperator consalutatus est, exquisito honore, nam succollatus à militibus. Demum Vitellio aspirante ad dominatum, Otho detestatus bella ciuilia, ictu se traiecit, ætatis anno 38. (adimunt vnum Tacitus, Xiphilinus, Plutarchus) Imperij die nonagesimo & quinto. Milites cum magno fletu manus ac pedes iacentis exosculati sunt, illúmque fortissimum virum, Vnicum Imperatorem, prædicantes, ibidem statim, nec procul à rogo vim suæ vitæ attulerunt. Multi absentium, accepto nuncio, præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt.

Sic fermè Suetonius. Hanc partem honoris post fata, ita Tacitus: *Tulere corpus prætoriæ cohortes cum laudibus & lacrymis, vulnus manúsque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogum interfecère se, non noxa neque ob metum, sed æmulatione decoris & caritate Principis. Ac postea promiscuè Bedriaci, Placentiæ, aliisque in castris celebratum id genus mortis.* Paria cum vtroque Xiphilinus, & Plutarchus. Postremus ita; *Ceteri vulnus exanimi in genua procumbentes exosculati sunt, partim manus attigerunt, alii procul adorauerunt, alij subditis rogo facibus se ipsi confoderunt.* Constantiam, qua se interfecit, Martialis prædicat; antefert etiam Catonianæ. Tacitus affert eius orationes quatuor; primam, ante imperium; alteram, ante expeditionem in Vitellium; extremas duas, ante exitium. Hæc sunt Othonis præconia, si non omnia, certè plurima. Vitia enim, quæ non pauca, omisi, vt qui hanc operam ad laudem destinem Syluiorum, & ad indicandum splendorem, quo semper habiti. Ab Tacito lib. 1. Hist. Othonis laudes collegi has, *Lusitaniam prouinciam comiter administrauit, fuitque splendidissimus. Non erat Othoni mollis, & corpori similis animus. Otho, ne vulgi largitione Centurionum animos auerteret, ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum promisit: rem haud dubiè vtilem, & à bonis postea Principibus perpetuitate disciplinæ firmatam. Decernitur Othoni Tribunitia potestas, & nomen Augusti, & omnes Principum honores. Concedi occisorum corpora sepulturæ, cremarique permisit.* lib. verò. 2. *Non Othoni segne aut corruptum luxuria iter: sed lorica ferrea vsus est; & ante signa pedester, horridus, incomtus, famæque dissimilis.*

Habes, COMES MAXIME, Othonem vnum è tuis maioribus, à quo petere potuisti plurima & maxima virtutum exempla. Sed ego hìc aliqua sepošui, quæ tibi ante oculos obuersentur. Ergo Tacitus de Othone administrante Lusitaniam lib. 13. Annalium: *integre sanctéque egit.* De eodem versante in labore belli lib. 2. Hist. *inter aduersa melior.* Ac demum, vbi illum iam morti proximum inducit, ita ad comites loquentem facit: *Plura de extremis loqui pars ignauiæ est, præcipuum destinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror. Nam incusare Deos vel homines, eius est, qui viuere velit.* Hæc quis non laudet? vt etiam quæ loquitur apud Xiphilinum iam moriturus: *Faciam* (inquit) *vt omnes intelligant, qualem vos Imperatorem elegeritis,* ὅτις οὐχ ὑμᾶς ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ὑπὲρ ὑμῶν δέδωκε: *Qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* Multa quoque de illo Plutarchus eximia, sed imprimis tria, quæ te volo discere. Moriturus ita loquitur ad filium fratris: *Ne memineris te habuisse patruum Cæsarem.* Ne videlicet insolesceret adolescens fortuna patrui. Alterum est, seruis ante mortem benignè pecuniam diuisisse, ita tamen (quod admiror) vt non pecuniam tanquam alienam profunderet, sed, pro merito cuiusque, modum in diuidendo seruaret. Tertium est grande quidem scriptoris de Othone elogium hoc: *Nullus meo iudicio omnis ætatis tyrannorum vel Regum tam ardenti & insano imperandi amore flagrauit; quantum milites parere & obtemperare gestierunt Othoni.* Libentissimè maioris tui dicta & facta in memoriam Tibi reuocaui. Othoni Syluio imperium consecuto adiungatur Syluani spiritus, supra vires audax, dignúsque qui ascribatur in numerum fortissimorum. Is *cultu purpureo, draconum & vexillorum insignibus, ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit.* Attuli verba Ammiani lib. 15. Eiusdem meminit Eutropius lib. 10. atque Aurelius Victor de Cæsaribus, atque etiam in epitome, vbi ait: *Syluanus Imperator effectus.* Quo etiam loci hoc de Syluano elogium extat: *Fuit ingenio blandissimus, & quamquam barbaro patre genitus, tamē institutione Romana satis cultus & patiens.* Ab Ammiano vocatur *fortissimus,* & *Dux haud exilium meritorum.* Et quidem nisi Agrippinæ, à suis tribunis interfectus esset, corruptis pecunia ab Vrsicino, cui Constantius id negotii mandauerat, foret vt splendidissimum imperium habuisset, nemini superiorum Principum inferior.

Reges Getis Syluiæ.

IMPERIO summo proximum regnum est, & tanta veneratione, vt ipsi adhuc Imperatores apud Græcos sæpissime se βασιλεῖς potiùs quàm αὐτοκράτορας nominari

nari voluerint. Tentauit sæpius hæc ambitio Augusti animum. Inter omnes autem Reges, nulli maiore veneratione digni quàm Albani, qui Patres Romani Imperii. Fuere verò omnes gentis Syluiæ. Cassiodorus in Chron. hos numerat, Syluium Aeneæ filium in syluis natum, auctorem & parentem generis, Aenean Syluium, Latinum Syluium, Albam Syluium, Aegyptum Syluium, Capyn Syluium, Carpentum Syluium, Tiberium Syluium, Agrippam Syluium, Aremulum Syluium, Auentinum Syluium, Procam Syluium, Amulium Syluium, Numitorem Syluium, Rheam Syluiam, à qua, & Marte (vt creditur) Romulus Syluius Aeternæ vrbis Parês. Auctores aliqui mutant hæc nomina, demúntque nonnullos ab hoc numero. Liuius sic indigetat. Syluius, Aeneas Syluius, Latinus Syluius, Alba, Atys, Capys, Capetus, Tiberinus, Agrippa, Romulus, Auentinus, Procas, Amulius, Numitor. In libris Pontificalibus multò pauciores numerantur, videlicet Syluius, Tiberius, Aremulus, Auentinus, Procas, Amulius, Numitor. Mirandum fuisset non hæc dissidia in tanta antiquitate fuisse, imò ipse error venerabiliores reddit Reges Syluios, vt qui profectus ab antiquitate, quæ res facit augustiores.

SEQVITVR amplissimus honos huius populi, apud quem extant eximia decora gentilitatis tuæ & pleni Fasti Syluiorum. Nec enim aliter esse potuit quin ab tot regibus hinc inde disseminatæ propagines amplissimam segetem relinquerent futuris in eo populo honoribus. Non enim ita est angusta generandi ratio, vt ab vno patre vnicus tantum filius, sed sæpe multi, crescente ita vniuersi mole. Hinc factum, vt locus detur nouis semper familiis, atque adeò, quamuis in Romulo Vrbis conditore terminatus sit catalogus Regum gentis Syluiæ, vocato in idem regnum Numa alterius gentis, sed tamen ex superioribus Albæ Regibus multi extitêre, à quibus magnæ & amplissimæ familiæ Syluarum, Syluiorum, Syluanorum, Saluiorum, & talium huiusmodi: quorum multi Consulares, quos hîc recensere in animo est. Principe loco numero M. Plautium Syluanum, qui Consul fuit vnà cum Augusto Anno vrbis. 752. in. 12. Consulatu Augusti. Fuit deinde Tiberii legatus. Huic Syluano Senatus concessit ornamenta triumphalia ob res in Illyrico bene gestas. Cuius rei Sigonius hanc profert inscriptionem: M. PLAVTIVS M. F. A. N. SYLVANVS. COS. VII. VIR. EPVLONVM. HVIC. SENATVS. TRIVMPHALIA. ORNAMENTA. DECREVIT. OB. RES. IN ILLIRICO. BENE. GESTAS. Inde illum Suetonius in Claud. cap. 26. Triumphalem vocat. Habuit filiam Plautiam Herculanillam vxorem Claudii Imperatoris, sed ante imperium. Quæ dixi, collecta sunt ex Dione, Suetonio, Paterculo, Sigonio. In reliquis recensendis sequar tantùm Aurelii Cassiodori Chronicon, vt qui tantùm in hoc labore gloriam huius gentis quæram, non anxias & sollicitas quæstiones scriptorum. Sed iam ad rem. Claudio Imperatore, COSS. fuere SYLVANVS & SYLVIVS, clari cognomine & nomine huius gentis. Sub Nerone SYLVANVS & PAVLINVS quibus COSS. Nero magnam partem Vrbis incendit, ardentis Troiæ similitudine delectatus. Sub eodem Nerone SYLVANVS & OTHO. his COSS. Romæ sanctissima Ecclesiæ capita Petrus & Paullus Martyrium subiere. Pergo ad alios. Vespasiano Principe, fuere Consules SYLVANVS & VERVS. sub Domitiano SYLVANVS & PRISCVS: quibus COSS. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam & salarium è fisco accepit, & claruit. Redeo. Sub Adriano SEVERVS & SYLVANVS: his COSS. condita est ab Adriano, siue restituta, ciuitas Ælia, idest, Hierusalem. Demum sub Antonino Pio fuere COSS. SYLVANVS. & AVGVRINVS. Tot Consulibus adiungatur proconsul vnus & Africæ L. SYLVIVS OTHO, pater Othonis Imperatoris, & alter, Asiæ, PLAVTIVS SYLVANVS. Vide quot viri gentilitii tui Romanos fastos exornent.

Consules gentis Syluiæ.

IN

Honores alij huius gentis.

IN TANTO gentilitii splendore deesse non poterant, qui reliquos honores obirent. Incipio à Prætura, & Plautio Syluano. Vixit is prætor Tiberii æuo, & insimulatus cædis Aproniæ coniugis, ipse dissectis venis, mortem sibi attulit. Adducam verba Taciti lib. Annal. nam Plautii splendor inde pendet. *Per id temporis Plautius SYLVANVS Prætor, incertis causis Aproniam coniugem in præceps iecit, tractúsque ad Cæsarem ab L. Apronio socero, turbata mente respondit, tanquam ipse somno grauis, atque eo ignarus, & Vxor sponte mortem sumsisset. Non cuntanter Tiberius pergit in domum. visit cubiculum, in quo reluctantis & impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datísque iudicibus, Vrgulania Syluani auia pugionem nepoti misit, quod perinde creditum quasi Principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Vrgulania. Reus frustra tentato ferro, venas præbuit exsoluendas.* Quātus ergo Plautius Syluanus, qui prætor, & cuius domū ipse adiit Imperator rē examinaturus? qui non publicè, & in foro percussus, sed tātùm insinuata Principis volūtate, vt caueretur ab dedecore: Cuius auię nota amicitia cū Augusta. Fuit etiā Prætor M. Syluius Otho, Othonis Imperatoris auus, quod scribit Suetonius. Atque etiam L. Syluinus Helpidianus, quod indicat inscriptio hæc, Romæ inuenta:

CASTR. PRÆT.
L. SYLVINI
HELPIDIANI.

TRANSEO ad quæsturam. Otho ipse imperator, Quæstorius administrauit Lusitaniam per decem annos: auctor Suetonius. Plautius etiam Syluanus (alius hic à superiore) Quæstor fuit, legatus etiam legionis Quintæ in Germania, Claudii Imperatoris comes in expeditione Britannica, Proconsul Asiæ, Proprætor Mœsiæ. Caium quoque Saluium Bubulum quæstorem fuisse, satis apparet ex fragmento Lapidis, quod à Petro Apiano petitum Gruterus affert. Pergo ad Tribunos. COSS. CN. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone, fuit Tribunus pleb. M. Plautius Syluanus. sed & COSS. C. Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo, Tribunus pl. fuit A. Plautius Syluanus. Legatos porro huius gentis, qui honor eximius, tres inuenio: Primum, Flauium Syllam, aut Syluiū, aut Syluam (hoc enim discrimine vocari video ab scriptoribus) Vespasiani in Palęstina, qui gloriosus expugnata Massada. Alterum, Plautium Syluanū, de quo iam in quæstoribus. Tertium, Plautium alium Syluanū Legatum Tiberij, de quo iam in Consulibus. Seuiros verò (vocant etiam sexuiros) duos scio. Vtrumque indicat duplex inscriptio prima Lugduni hæc

C. SALVI MERCVRI
IIIIIIVIRI. AVG. LVGVD.
IN. SVO. SIBI. POSITVS
LIBERI. SVPERSTITES. P. C.

Altera Romæ, quæ plena pietatis, vt quæ affirmet Syluium Seuirum nesciuisse quid esset maledicere. quo elogio quod maius?

D. MANIBVS
VARIA. MYRINA. SIBI. ET. C.
SILVIO VARIANO. VIVIR. FI-
LIO. PIIS. Q. V. A. XXI. QVI
QVID ESSET. MALEDICERE
NESCIT. NON TA. N. QVAM.
MATER. HOC. TESTIMONIVM.
REDDATVR. SOLA. HOC. TE.
ST. MIHI. CVM. QVANDO Q.
REDDENT. INFERI. H. P. FLA-
VIO. IVNIO. ET. MEIS MEO
RVMVE.

Porrò

Porrò qui essent seuiri, aut sexuiri, quódque illorum munus, lege (quando hoc ad me hoc loco nihil pertinet) Vvolfangum libr. 3. Comment. c. 6. sed quando sum in inscriptionibus, adducam tres alias honestatis plenas, in quibus elucet Triplex honor gentis huius. Prima enim prædicat M. Saluium præfectum ærario vnà cum Pisone: Altera, L. Saluium Vexillarium: Tertia, Syluanum Augustalem. Erant Augustales qui primos in bello ordines ducebant. Prima inuẽta est Romæ; altera Boarni, in agro Brixiensi; tertia, Castuli, in templo maiore. Ergo Romana.

L. CALPVRNIVS PISO
M. SALVIVS
PR. AER.
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PVBLICA. PECVNIA. REDEMTAM.
TERMINAVERER.

Notat Gruterus, inuentam hanc ad ædiculam Sancti Saluatoris in Statera, priùs Sancti Saturnini, vbi olim fuit ærarium Populi Romani. sed iam ad Brixiensem.

L. SARVIVS. C. F.
FAB. VEXILLARIVS.
VETER. LEG. IIII. SIBI.
ET. POPILIAI. T. L.
HISPANI. ET. CAPITON.
NI. F. ET. PRISCAI. ET.
FIRMO. F.

Tertia, non solùm Syluanum prædicat Augustalem, sed etiam Duumvirum, qui honos etiam in Romano populo eximius. Ea sic habet:

MARTI. AVG.
Q. LVCRETI. Q. L. F.
SYLVANVS.
AVGVSTALIS.
OB. HONOREM.
DVVMV.
IDEMQ. DEDI.
CAVIT.

Hi sunt honores, quos gentis tuæ, in antiquissimo æuo, in quo Romana disciplina vigebat, reperi, Comes Clarissime: videlicet Prætores III. Quæstores III. Tribunos. II. Legatos. III. Seuiros. II. Præfectum ærario. I. Vexillarium I. Augustalem vnum eundémque Duumvirum. Erunt, qui plura in gratiam tui reperiant.

Exhibet Vrsinus lapidem sculptum Romæ, Claudij Imper. æuo. vbi continetur catalogus virorum armigerorum, inter quos fit mentio L. Salvii adivtoris. Affert Gruterus ex Appiano & Velsero lapidem Augustæ vtrinque inscriptum. Ab vno latere effigies viri & fœminæ, cum inscriptione quapiam: Ab altero, hæc inscriptio.

D. M.
PERPETVÆ
SECVRITATI. AVL.
SYLVANO. VETERANO.
MILIT. AL. MVL. V. F.
IVL. PACON. V. CL. CAT.
N. STA. CL. CA. CLEMENS.
POSVIT.

Hos

Hos, quia intactos, huc contuli. Nam ex suprà adductis Imperatoribus, Regibus, Consulibus, Legatis, Prætoribus, Quæstoribus, innumera peti possunt argumenta virtutis. Quæ enim maiora fortitudinis documenta speres, quàm quæ edita aq Albanis Regibus, & postea ab successore illorum Romulo Conditore Vrbis, cùm imperium illud tenue initio auxerint incredibili virtutis ardore? Taceo hîc: nam suprà commodiori loco attuli, gesta Syluarum Tuorum, qui in recuperatione Hispaniæ multa contra Mauros fortiter & strenuè gesserunt, adeo vt plurimam partem Mahometicæ gentis intra fines Lusitanicos profligatæ, Syluis tuis debeat Lusitania: grata quidem erga te, & tuos, cùm semper illa Syluas omnes venerabundè fuerit prosecuta. Plinius lib. 7. cap. 20. adducit Fusium Syluium inter exempla prodigiosæ fortitudinis. Ait enim de illo: *Duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & decenaria duo humeris contra scalas ferebat.*

Agnomina & Cognomina gentis Syluiæ.

NVLLVM fuit illustre agnomen, quod hæc gens non assumserit. Itaque non desunt Lucij, Sexti, Marci, Cnei, Caij. Sed præcipua generis amplitudo posita in cognominibus. Accidebat sæpissimè vt vna gens in plures familias diuideretur ascito cognomine. Itaque Syluij omnes, aut Saluij, cùm esset gens vna, è diuersis familiis constabat propter diuersa cognomina. Quæ reperi, in vnum coniungam, ratus pertinere (vt verè pertinet) ad gentis huius præconia. Inuenio itaque, Syluios, aut Saluios Othones apud Suetonium, Tacitum, Dionem, Plinium. Saluios Titianos, apud eosdem. Saluios Cocceianos, apud Suetonium, Aurelium Victorem, Cassiodorum. Sed in hac re præcipua lux ab inscriptionibus. Abstinebo ab integris, tantùm indicabo in vnoquoque cognomine Gruteri loca. Ad rem. Pagina. 953. numero 9. est inscriptio, in qua Saluius ASTER. Pagina. 941. num. 3. Saluius BATHILVS. pag. 729. n. 5. Saluius DOVICCVS. pag. 705. n. 3. Saluia VALERIANA. pag. 459. n. 2. Saluius IVLIANVS. pag. 764. n. 3. Saluius NIGELLVS. & Saluia IVCVNDA. pag. 475. n. 5. Saluius VICTOR. pag. 887. n. 7. C. Saluius AVCTVS. pag. 465. n. 7. C. Saluius MERCVRVS. pag. 1023. n. 6. C. Saluius VITELLIANVS. pag. 851. n. 10. L. Saluius ANTHIOCHVS. pag. 705. L. Saluius MEMOR. pag. 956. n. 4. L. Saluius SYMPHORVS. pag. 1866. n. 8. M. Saluius GLYPTVS. pag. 824. 9. P. Saluius GEMINVS. pag. 705. n. 4. Q. Saluius NOTVS. pag. 661. n. 2. Saluia TERTVLLA. pag. 705. n. 2. Saluia PRIMILLA. pag. 464. n. 1. Saluia POSTHVMA. pag. 828. n. 8. Syluania FLORA. Ibidem n. 10. Syluius PATERNVS. pag. 569. n. 4. Syluanius ADIVTOR. pag. 1125. n. 7. Syluania VALLEYA. pag. 847. n. 11. Syluinius BALBINVS. pag. 561. Syluinus EMPROMVS. pag. 707. n. 1. Syluius STATVTVS. pag. 470. n. 4. Syluius VARIANVS. Omisi multos partim libauius in superioribus, partim relictos, videlicet Syluios. HELPIDIANOS, PROTOS, LEVRETOS, VICTORINOS, PARIANOS, SENILIOS, RVFOS, BVBVLCOS, CERRONIOS, FORTVNATOS, & plures alios. In nulla credo gente dominantis Populi tot cognomina. Quid si adiungas hos lapides sparsos in omnem pene terrarum orbem? Itaque nulla pene vrbium princeps est, in qua non inscriptio aliqua: in multis multæ ad æternam memoriam Syluiorum, videlicet, Romæ, Lugduni, Brixiæ, Patauij, Mutinæ, Boarni, Augustæ, Clauenæ, Tiburc, Nemausi, Polæ, Tarraconæ, Charinthiæ, Mediolani, Neapoli, Saliz burgi. In Hispania, Gallia, Illyrico, Belgio aliisque prouinciis non sunt paucæ.

Monumenta aliqua Syluiorum.

EX INSCRIPTIONIBVS huius gentis, quas multas in orbem sparsas fuisse discis ex superiore capite, placitum hîc nonnullas adiungere, nam omnes, labor esset infinitus, ex quibus appareat quò in pretio fuerit hæc gens apud mortales omnes. Non enim vulgare est, neque hominibus è media plebe contingit erigere lapides, sepulcra ædificare, monumenta struere, relinquere posteris memoriam sui. Quæ ergo gens illa, cuius tot ac tantæ in omnem posteritatem relictæ memoriæ?

Incipio

Incipio ab ea inscriptione quæ legitur Salizburgi, in pariete ædis Diui Petri. ea est talis:

SYLVIO. STATVTO.
FILIO. DVLCISS.
Θ AN. XXI.
ALBI. LEONAS. ET
STATVTA.
CONIVG. CARISS.
ET. SIBI.
POSTERIS Q. SVIS.
FECERVNT.

Neapoli inscriptio visitur, digna quæ legatur in multis locis, vt quæ contineat indignos obitus iuuentutis, vota parentum cassa, vitæ inconstantiam, mortis potentiam, humana omnia tanquam per ludibrium vastantis. Ergo illa:

SYLVINIÆ. VALLEIAE.
FILIOLE. DVLCISS.
PARENTES. MESTISS.
DECIPIMVR. VOTIS.
ET. TEMPORE.
FALLIMVR. ET. MORS.
DERIDET. CVRAS.
ANXIA VITA. NIHIL.

Mediolani ad Xenotrophium Sancti Ambrosij legitur inscriptio pietatis plena in memoriam Syluini alumni innocentissimi. itaque,

B. M.
SYLVINO. NEOFITO.
QVI VIXIT. IN SÆCVLO. ANN
XI. MENS. V. DIES. X.
VIRILIANVS. ET. LAMPADIVS
ALVMNO SVO. INNOCENTI.
MEMORIAM. POSVERVNT.

Romæ visitur inscriptio; qua etiam vitæ fragilitas cernitur, arrepto Syluano infante anni vnius, mensium octo, dierum trium supra decem.

D. M.
SYLVANI. VIXIT
AN. I. M. VIII.
D. XIII. CHRESIM.
VS. ET. CLEOPAT.
RA. FILIO. DVLCISSI.
MO. FECERVNT.

In Gallia inscriptio est continens nuptias exempli plenas, vt videas hos viros excelluisse omni virtutum genere. Ea sic habet.

D. M.
L. SYLVIVS. PA
TERNVS. VXORI
RARISS. EXEM
PLI: CVM. QVA. VI
XIT. ANN. XXXII.
SINE. VLLA. ANIMI
LAESVRA ET. S. V. P.

Brixiæ hæc reperitur, qua Nonius Syluaniā Floram coniugem defunctā ornauit,

† † D.

D. M.
SYLVANIÆ. FLORÆ
NONIVS. LIBERALIS
CONIVGI. QVÆ
VIXIT ...... MECVM.
AN .... X.
B. M. P.

Lugduni in puteo Theobaldi Graueonis,è fide Scaligeri,ista duobus fratribus Saluiis raptis in vitæ limine.

D ET. MEMORIÆ. SALVIÆ. VALERI.
ANAE. QVÆ. VIXIT ANN. II. M. I. D. II. ET.
SALVI. FELICIS FRATRIS. EIVS. QVI
VIXIT. M. I. D. XXV. IN SVO SIBI PO.
SITI. SALVIVS. VICTOR PATER. ET M
VALERIA. AGATHEMERIS. MATER.
FILIS CARISSIMIS. PONENDVM. CV
RAVER. ET.SVB. ASCIA. DEDICAVERVNT.

Lugduni etiá ad Sancti Clari ad Rhodanũ inscriptio est, qua æterna esse Saluiorũ memoria prædicatur, & lapis ponitur ab liberto Douioco patronis suis grato: & quidem libertum habuisse, & qui posset magnificum sepulcrum statuere, non fuit vulgarium hominum.

D. M.
ET. MEMORIÆ.
ÆTERVÆ
SALVIORVM. ASTE
RIS. ET. VICTORI
NÆ. CONIVGI
EIIVS ET. VICTORIN
FILIÆ. EORVM. DOVIO
CVS. LIB. PON. CVRAV.
ET. SVB. ASCIA. DEDIC.

Nolo plures,cùm possem. Istæ enim satis indicãt æternã esse Saluiorũ memoriam, & vbique ita magnos virtute, atque opibus, vt nunquam à prima illa florentissima Syluiorum origine exciderint,quin perpetuã seriem nobilitatis seruauerint.

Præconia [illegible] quæ in Inscriptionibus reperiuntur.

SALVIVS BATHYLLVS pius fuit in libertã, cui bene mereti aram posuit,vt liquidũ ex inscriptione.Tarraconis ex fide Scothi Nostri Doctissimi hominis,& in antiquitatibus perquirẽdis accuratissimi.In inscriptione Lugdunẽsi Saluius quidã tutor esse dicitur,curátq; sepulturã cũ aliis tutoribus.In altera eiusdẽ Vrbis Saluius quidã *Felicissimus* prædicatur, & tã ipse quàm soror *carissimi filij* dicuntur. In altera adhuc,eiusdẽ Vrbis,memoria Saluiorũ vt *æterna*,laudatur,quibus libertus sepulcrũ ponit.Romæ in cliuo Quirinali *Saluiæ filiæ carissimæ*. In Gallia extat sepulcrũ,quod Syluius Paternus coniugi suæ struxit,in cuius epitaphio vxorẽ celebrat vt *rarissimi exẽpli*,& addit se vixisse cum illa *annos triginta duos sine vlla animi læsurã.* quo cõiugio quid beatius? In epitaphio quod Romæ visitur,Syluanus dicitur *Dulcissimus filius*.vt in epitaphio Neapolitano Syluinia *filiola dulcissima*:& in Salizburgẽsi Syluius quoque *Dulcissimus*. in altero Mediolani, Syluinio *Innocẽti* memoria ponitur.Romæ via Carpẽsi L. Saluius, qui sepulcrũ à fratre, dicitur *pietissimus & bene merẽs*.In eadem vrbe est inscriptio alia, in qua M. Saluius Gliptus sepulturam curat Thallò amico optimo eius hæres. Nemausi Saluius Secundini Filius, *Aug. Marti Britouio ex voto* dedicat, credibile ex magna causa, & quidem huiusmodi ex voto dedicationes

Deorum

semper fuêre Nobilissimorum & Principum. In via Nomentana Saluia Tertulla memoriam ponit *libertæ benemerenti.* Pollæ in Illyrico plena est honoris inscriptio, vbi Saluia Posthuma memoriam ponit, & de sua pecunia viris nobilissimis, videlicet L. Sergio Ædili. II VIRO, & Cn. Sergio Ædili II VIRO. quinquies, & Lepido Aedili. II VIRO. ac Tribuno militum legionis. XXIX. In oppido Charinthiæ est inscriptio T. Vlpii, quam faciendam curauit Syluanius Adiutor, eaque supra portam oppidi, quo loci (vt in commentariis obseruo) non nisi nobilissimi tumulabantur, ac perinde is quoque honos in curatorem redundabat. Lugduni Syluinius Balbinius dedicat sepulcrum Vxori Decmiæ, *fœminæ sanctissimæ.* Hi omnes tituli gloriosi sunt, siue affectus consideres dulcedinis, caritatis, amoris: siue caussas, quibus positi, vt sunt, innocentia vitæ, exemplum morum rarissimum, bene merita, felicitas, pietas, sanctitas, & eiusmodi aliæ virtutes. Quid quòd ex eisdem elucent alia, quæ nata ad præconium, vt habuisse libertos, fuisse patronos, vota ex magnis causis, pecunia propria ad ædificium, memoria æterna, obtentæ hæreditates à magnis viris. Ad hæc mentio Duum viratuum, Sex viratuum, Vexillariorum, Tribunorum, Quæstorum, Prætorum, Consulum. Hæc omnia gloriosissima præconia sunt, ac pene triumphi.

NEQVE VERO vt ad res tuas propiùs accedam, COMES MAXIME, desunt viri nobilissimi, & magni Principes ex tua gente, posteriore hoc æuo, qui familiam tuam illustrauerint eximia rerum claritudine. Incipio ab Oeconomorum officio, quod semper apud omnes Reges magnum, apud nostros maximũ. Comites de Portalegre fuêre maximi œconomi Regum Lusitaniæ, perpetua semper virtute & constantia noti. Hîc ego eos numerabo; alios etiã qui huius gentis eodem titulo gloriantur. Fuêre itaque œconomi maximi variorũ Regũ viri isti, quos subiiciam: Comes Didacus Sylua Regis Emanuelis. Comes Ioannes Sylua, Regis Ioannis III. Comes Aluarus Sylua, eiusdem Ioannis III. & Sebastiani. Ioannes Sylua vtriusque, Philippi II. ac III. Duxit hic Ioannes Philippam neptem Aluari, ad quam Aui hæreditas deuoluta. Pergo. Comes Didacus Sylua Ioannis & Philippæ filius nunc est œconomus maximus Philippi III. Ferdinandus Tellez Meneses, filius Ayræ Gomesii Syluæ, fuit quoque œconomus maximus Reginæ Leonoris Vxoris Ioannis II. Rodericus Tellez Meneses superioris Ferdinandi filius, Mariæ vxoris secundæ Emanuelis, ac postea Elisabethæ Augustæ vxoris Imperatoris Caroli Quinti. Andreas Tellez Menesses Roderici Filius, Infantis Ludouici. Demum Petrus Sylua Elisabethæ Infantis, quæ fuit vxor Duarti, Infantis quoque. Vide quot maximos Oeconomos habuerit gẽs tua sata ad immortalitatem. An verò soli Oeconomi proferendi? Absit vt hoc solùm munere glorientur qui fuere suis Regibus noti virtute, grauitate, fide. Produco itaque Præfectos maximos regiis cubiculis. Fuere hi quatuor, videlicet Princeps Rodericus Gomesius Sylua (de quo postea vberior sermo) Ayres Sylua, Blassius Tellez Menesses, Rodericus Tellez Menesses. Primum Cubiculis suis præfecit Philippus II. Hispaniæ Rex: alterum Ioannes II. Lusitaniæ: tertium & quartum Infans Lusitanorum Ludouicus. Est etiam in Regiis domibus munus, quod œconomis & cubiculariis non cedit, & quo viri Principes maximè gloriantur, quod neque defuit in familia tua, VIR MAXIME: nam Fernandus Sylua, filius Gonzali Gomesii Syluæ, præpositus fuit cum titulo principali stabulo atque equis duorum Regum Lusitaniæ, Duartis, atque Alfonsi Quinti. Quæ ergo familia cõferenda cum tua, cui tot Principes commisêre domum suam, cubicula, Equos? Sunt enim in Hispania nobilissimæ familiæ, quibus semel tantum horum aliquid contigit, & tamen ita gloriantur, vt in omnem posteritatem permaneant honoris huius impressa vestigia. Sed ego sermonem hîc coerceo, dicturus alia, vnde non minor gloria in Syluas Tuos redundet.

Viri Principes huius gẽtis posteriore æuo.

Viri alij cũ gloriosis titulis.

SED ECCE ingẽs alia tuorum seges cum glori[illegible] nominibus, quorũ splendore perstringor, & multitudine obruor. In quemcunque enim honoris gradum oculos coniicio, video extare plurimá monumenta virtutum, eáque omnia splendidissima, num res domi, num belli præclarè gestas considerem. Sed pacem nunc persequor. Legatorum munus apud omnes gentes eximium nõn modò, sed etiam sanctum fuit. In hoc munere spectata satis est virtus & fides Syluarum. Inuenio itaque ex gente hac Oratores quatuor, videlicet Ferdinandum, Ludouicum, Ioannem, & Ioannem alterum Comitem de Portalegre, Syluas omnes. Primum & alterum Sebastianus Lusitaniæ Rex Legatos misit ad Philippum II. magnis de rebus. Vterque munus suum obiit magna virtute, integritate, fide. Tertium ideo Sebastianus Oratorem ad Gallos misit. Quartum Philippus II. ad Sebastianum. Hi duo pari cum superioribus prudentia, honore suo functi sunt. His quatuor quintus & sextus accedant, quos ab illis separaui, vt qui de maiori re legati. Ioannes enim III. Lusitaniæ Rex Oratorem ad Concilium Tridentinũ assumpsit Didacum Syluam, virum incredibili prudentia, & morum grauitate insignem. Quibus virtutibus mirum est, quantum demeruerit viros omnes, qui Synhodo interfuêre. Multo ante illũ Ioannes Tenorius Sylua oratoris munere interfuit Concilio Basileæ. Sed transeo à Legatis ad res alias pari splendore conspicuas. Sunt Regibus Castellæ & Lusitaniæ Consiliarii viri per classes quasdam distributi, quibus præficiuntur magni semper Principes. Consiliarios nominamus (Conseiero:) Præfectos (Præsidentes:) & certè Præsidentiæ istæ apud nostros prope accedunt ad Prætores Romanos, Quæstores, & ad reliquos illius populi, domini olim gentium, honores. Si qua enim res, hæc maximè illos advmbrat. An verò Præsidentiæ istæ abfuere ab Syluis? minimè gentium. Fieri enim non poterat, vt ad munus hoc obeundum non assumerentur viri summa virtute & integritate præditi. Inuenio autem, patres, filios, nepotes perpetua quadam & constanti serie assumptos ad Præsidentias caussarum (Lusitani nominant *Præsidentes de la Iustitia*) qui nisi se principibus suis probauissent, illorum series intermitteretur. Quantum est enim penè cõiunctim honorem datum Ayræ Gomesio Syluæ, mox eiusdem nepoti Ayræ quoque Syluæ, iterũ pronepoti Ioanni Syluæ, statim Laurentio Syluæ Ioannis huius nepoti, & pari protinus consecutione Didaco Syluæ Laurentii filio? Quæ ista perpetua honorum series? Videbant scilicet Lusitani Reges ab vna hac gente integerrimè virtutem coli, æquitatem seruari, leges & iura omnia administrari. Iccirco non contenti patribus, honorem ipsum ad filios, nepotes, pronepotes & posteros alios devoluebant, vt in quibus stabilem fidem iura inuenissent. Mitto hîc (ne omnes persequar) Ferdinandũ Syluam, quem missum legatum à Sebastiano ad Philippum II. dixi. Hic enim tum Iustitiam, tum Regias opes Præsidentis nomine administrauit: Ludouicum Syluam, & Ferdinandum Tellez Menessem, qui eidẽ quoque Iustitiæ gloriosissimè præfuerunt: & Ioannem Gomesium Syluam fratrem prædicti Ferdinandi, qui Regiis opibus. Ludouicum etiã Syluam qui nunc præest Regio conuentui Oporti. Hispani huiuscemodi conuentus nominant *Chancillerias*, credo ab his, quos in re iudiciaria Romani *cancellos* nominabant. Hos, inquam, mitto, vt ad te veniam, COMES CLARISSIME, in cuius gratiã opus hoc. Tu enim, cùm hæc scribo, Lusitano Senatui præes, Regis tui vice, æquali cum tuis maioribus dignitate & splendore. Nemo facilè explicet quàm faciles omnium ad te aditus, quàm felices à te exitus: cùm facilè à te petant, cùm feliciter à te impetrent. Amant te non tui solùm Lusitani, sed reliqui omnes, qui, vt sunt connexæ inter se & coniunctæ rerum caussæ, te indigent, & indigent multi, ac perinde latissimè ad omnes patet humanitas tua. Sed abrumpo hîc laudes tuas inuitus, vt persequar ceteros viros gentis tuæ, quibus gloriosi tituli. Coniungam enim cum Legatis & Præsidẽtibus nonnulla alia quæ ad Syluarũ gloriam pertinent.

pertinent. Didacus Sylua Comes de Portalegre, fuit Regis Manuelis ſcriba, dictus ab ea gente SCRIBA à PVRITATE, qui honos nonniſi magnis & ſpectata fide Viris contingit. Sunt in officio Regum apud noſtros viri quidam qui dicuntur Conſiliarij Regii STATVS. Hic honor magnorum eſt Principum & Dynaſtarum, neque enim facilè Reges noſtri illum largiuntur, niſi viris ſpectatiſſimæ fidei, & grauitatis maximæ. Hic honor datus eſt Patri tuo Principi Roderico Gomeſio Syluæ, ac tibi etiam: patri à Philippo II. tibi à Philippo III. Datus quoque ab vtroque Philippo, Ferdinando Syluæ filio Roderici Pereiræ Syluæ. Abſoluant hoc caput Dechomeni maximi (noſtri vocant *Apoſſentadores maiores*) qui è tuis fuere, primus Manuel Sylua filius Gonzali Gomeſii Syluæ, à Rege item Manuele factus: Fuêre etiam Rodericus Soüſa, eiúſque filius Laurentius Soüſa, & nepos Manuel Soüſa, & nunc pronepos Laurentius Soüſa, Syluæ omnes. Hoc enim habuit gens hæc, vt ſemel in re aliqua probata, ipſa ſpectabili quadam fide viam ſibi ad reliquos honores obeundos aperiret, relinquẽs ſuis, veluti hæreditario quodam iure, fidem, grauitatem, modeſtiam.

Munera à Syluis in bello obita.

SED IAM gradum à pace ad militiam facio, vbi pugnæ, certamina, cõflictus, ſpectantur. Eſſet verò longiſſimum recenſere catalogum illorum, qui è Syluis belli munera obierunt, ſed aliquos neceſſarium ad argumenti mei inſtitutionem. Comites Ciſuenti (id nomen oppido ab centum fontibus, quibus ſcatet, certè millenos numeres) Vexilliferi maximi ſunt Regum Caſtellæ (id nominis *Alferez* vocat Hiſpania) à Mauris (heu dolor) peſſumdata, qui nobis in monumentũ dedecoris, & acceptæ cladis, nomina etiam reliquerunt ad ſempiternam ignominiam, vt negare nunquam poſſimus occupata à barbaris florentiſſima hæc regna, cùm ab illis plurima nomina in nos manauerint. Sed abſint nunc lacrymæ à felici Syluarum ſucceſſu, quem perſequor. Ergo Alphonſus Tenorius Sylua, is quẽ legatum interfuiſſe Concilio Baſileæ dixi, primus Comes Ciſuẽti, idémque Vexillifer poſt Ioannem Syluam. Hic enim Ioannes, cui id muneris contigit, Comes non fuit, ſed filius viri Principis, quem Toletanus Archiepiſcopus Cazorlæ præfecit cum titulo glorioſo, (noſtri nominant *Adelantado.*) Sed redeo ad Tenorium, cuius poſteri idẽ in militia munus cum laude retinuerunt, videlicet Alphonſus filius, Ioannes nepos, Ferdinandus pronepos, Ioannes abnepos, Ferdinandus quartus nepos, qui obiit nullis liberis. Hi omnes & Syluæ fuere, & Comites Ciſuẽti, & Principes Regii Vexilli. Quæ dixi hactenus, pertinent ad Reges Caſtellæ: apud Regem autẽ Luſitaniæ parem in militia honorẽ tenuerũt viri Syluæ. Nam Didacus Gomeſius Sylua filius Gonzali Gomeſii Syluæ, fuit maximus Vexillifer Ioannis I. vt etiã Ioannes Sylua frater Didaci. Hactenus de hoc munere. Pergo ad alios militiæ gradus. Ioannẽ Sylua, filius prædicti nuper Didaci, fuit Clauicularius militũ Chriſti, quẽ ordinem non minùs Luſitani Reges in pretio, quàm Caſtellani ſuos habuêre. Sed age iam ad conflictus militiæ accedã: Virtus enim Syluarum inter nudos gladios ſpectata eſt, intérque haſtarum fulgentes cuſpides. Alphonſus Tellez Meneſſes miſſus in Africã eſt, vbi copiis præfuit, quæ erãt in Oppido Alcacer Seguer. Franciſcus Sylua filius Ludouici Syluæ, Malacæ in India præfuit cum exercitu, ſicut & Ioannes Gomeſius Sylua Ormuſio. Hi omnes vix dici poteſt, qua prudentia copias adminiſtrarunt, quo ardore in acie pugnarunt, qua felicitate victorem militẽ reportarũt. Separaui à reliquis fratres duos Ludouicum & Franciſcum Syluã, filios Triſtanis Syluæ, quorum primus præfuit copiis Oppidi Tanger in Africa, alter Cochini in India, & vterque glorioſam mortẽ dimicans oppetijt. Quid hîc narrẽ plures alios Principes huius familiæ, qui copias ſæpe ductarunt, qui cum exercitu miſſi in varias orbis partes, Africam, Aſiam, Indiam: qui Caſtella, Vrbes, oppida, propugnacula cum præſidio tenuerunt, qui glorioſè mori in acie maluerunt pro Rege, ac

lege patria, acceptis honestissimis vulneribus, quàm viuere inter priuatos turpiter & cum dedecore?

Ecclesiastici honores huius familiæ. DEESSE non poterant viri maximi, qui in sanctiore dignitate constituti, splendorē quoque huius gentis augerent. Inuenio Michaëlē Syluā purpureo Cardinalatus honore conspicuū. Fuit hic vir filius Didaci Syluæ primi Comitis Portalegre, Episcopus Visæi, supremúsque Emanuēlis Regis Consiliarius, quem ea gens nominat *scribā à Puritate*: neque hic honos nisi magnis Principibus vnquā in eo regno contigit. Intercessēre inter Michaëlem & Regē dissidia quædā, quæ hominem vertere solum coëgerunt, & Romā contendere: quam Vrbē statim ille ita mira claritate virtutū & litterarum splendore demeruit, vt à Paulo III. in Cardinalitiam dignitatem assumtus fuerit, magno plausu Romani Populi. Quantum est, exulem hominem, & sui Principis fauore destitutum, ad hunc honoris gradum ascendisse? Vidisti Cardinalem vnum; iam ad duos gentis tuæ Archiepiscopos oculos dirige. Sunt hi, primus Didacus Gomesius Sylua ordinis minorum Sancti Francisci, confessarius Ioannis III. mox ad Episcopatum Zeutæ, & inde ad Bracharensem Archiepiscopatum gloriosè euectus: alter Petrus Gonzalius Mendoza frater tuus, filiúsque Principis Roderici Gomesii Syluæ, Commissarius Franciscanorum generalis: cuius virtutes ita magnæ sunt, cuius litterarū ornamenta ita conspicua, vt tantis & virtutibus & literis inuitatus, tanquā dulcedine quadam, Philippus III. Hispaniæ Rex, illum Archiepiscopatui Granatensi præfecerit, cum maximi amoris notis atque omnium Principum gratulatione. Post Cardinalem vnum, Archiepiscopos duōs, ecce, COMES, tres Episcopos eiusdem tuæ gentis. Primus est Ferdinandus Coütinus Sylua Filius Ioannis Syluæ domini Vagos; secundus Ayres Sylua filius Roderici Pereiræ Syluæ; tertius Antonius Tellez Menesses filius Blassii Tellez, cuius suprà facta mentio. Præfuit itaque Ferdinādus primùm Ecclesiæ Lamegi, mox Sili: quē posteriorem Episcopatum illustrauit magnis vbique excitatis cœnobiis; videlicet Sili, Tauilæ, Lagi, & in capite Sancti Vincentii: eo enim pietatis & propagandæ Christianæ rei ardore flagrabat, vt non, nisi multo magnarum rerum molimine conquiesceret. Ayres post administratam Conimbricensem Academiam, præfuit Ecclesiæ Oporti: Antonius Lamegi, vbi Cœnobium Virginum excitauit, sacrum diuæ Claræ.

Nobilitas Syluarum. OCIOSVM est hanc persequi præmissis superioribus: sed ne videar præcipuam argumenti mei partem reliquisse, aliquid de Syluarum nobilitate dicam, excursu potiùs quodā, quàm mora. Est apud Hispanos positus eximius honor in titulis Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Possis hos Principes iure optimo Regulos appellare, vt qui post Regem habeant proximum dignitatis honorē. His viris committuntur regna administranda, Neapolitanum, Siculum, Indicum, Aragonium, & reliqua alia summi honoris, vt Mediolanensis Ducatus. Hi, vt plurimùm, Regiā frequentant, atque Oeconomicā, Cubiculariā, Equestrem curāt, vt qui spectatæ semper & probatæ fidei. Hi sæpissime exercitus ducūt, tuētúrque regnū ab incursibus barbarorū. Eo verò nobilior familia quæuis, quo pluribus abundat titulis. Meritò ergo Syluarū gens inter Principes numerari familias potest, cui tot tituli contigerunt, Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Sparsi enim Syluæ vbique sunt. Duces quippe Pastranæ, & Francauillæ: Marchiones Almenaræ, Mōtis maioris, Fabaræ: Comites Salinarū, Riuadei, Meliti, Galues, Portalegre, Cifuenti, Syluæ sunt omnes. His accedit gloriosior titulus: Principes enim Euoli Syluæ sunt quoque. Inter quos primo loco numero patrē tuum Rodericū Gomesium Syluam, virum maximum. De quo hîc vberior sermo; id enim petit meus erga te amor, imo id petit illius virtus, quam ego hîc latere non patiar, ad aliorum Principū exemplum. Primum aditum ad Regiam huic viro præbuit Augusta Caroli V. vxor, quam ille à Lusitania

secutus

ſecutus eſt, atque educatus, poſtea cum Philippo puero inter reliquos æquales, vix dici poteſt, quantum iam ab illo æuo, & primis veluti rudimentis virtutis, ſeſe in animum Principis inſinuauerit. Aderat ille Principi puero in rebus omnibus. Nullus enim ſermo Principi gratus niſi cum Roderico, non ipſe ludus, non ipſe cibus. Partiri cum illo Philippus pueriles curas ſolebat, ac ſe ſe totum puer ipſe adoleſcentiori Roderico dare, quantúmque ferret illa ætatula cum illo res omnes communicare. Acceſſit Iudicium Caroli probantis cõſilium Philippi, quippe iam tum pater coniectare quàm vtilis futurus eſſet Rodericus filio in adminiſtrando regno. Fuere hæc tanti viri initia. Creuit Philippus, creuit Rodericus: ille paternis opibus & ampliſſimo regno ſucceſſit, hic maioribus in dies virtutum incrementis auctus dici nequit quantum demeruerit Regem ſuum. Omitto quæ fortiter in bello & ſtrenuè geſſit. Ille enim primus omnium intra muros ſancti Quintini pedem fixit, & priùs cum valida militum manu Gallorum equitatum fuderat. Hæc (inquam) mitto, & tanti viri prudentiá in rebus omnibus prædico, fidémque erga ſuum Regem. Nulla fortaſſe res magis Philippo auctoritatem erga omnes cõciliauit, quàm hic vir: quippe qui res omnes bene cõſtitutas & ex animi moderatione profectas, Philippo attribuẽdas enixè curaret: ſi quid verò in adminiſtrãdo regno minùs rectè cõtigiſſet, ſibi: vt ita in omnibus ſalua Regis auctoritate ipſe culpæ illius auctor cenſeretur. Qua ſanè re neſcio an quicquã maius dici queat? Magna apud Regem auctoritate valuit. Pax publica inter Hiſpanos & Gallos ſuadente illo conſtituta eſt, factæ nuptiæ Philippi cum Eliſabetha Gallorum Regis filia, quas nuptias feliciſſimas vidit Hiſpania poſt diras bellorum clades, & atrociſſimam tempeſtatem, qua nullã maiorem ætas vidit toto terrarũ orbe cõcuſſo, ac terribiles tubas inflante ad ſtrepitũ armorũ Caroli & Franciſci. Sed redeo ad Rodericũ, cuius ea in rebus aliis fuit auctoritas, vt eo ſuadẽte Melitæ oppreſſæ à barbaris mitterẽtur auxilia, & naualis cõflictus haberetur in Turcas. Quo bello quid glorioſius vidiſti Hiſpania? Hæc ego de Ebulenſi Principe patre tuo ſtrictiſſima, omiſſis multis, quibus plures paginæ impleri poſſent. Id tantùm dicam, nobilitati Syluarum incrementum maximum acceſſiſſe ab hoc Principe, & à nullo ſuorum maius. Sed progredior ad alia nobilitatis Syluarum argumenta. Tria hæc erunt. Primum, nullam penè familiam nobilitate conſpicuam eſſe inter Hiſpanos, quæ non Syluas ad conſortium affinitatis adiunxerint, variis in omni æuo nuptiis. Alterum, Hiſpanicas omnes familias nomen accepiſſe ab domicilijs ſuis, vnos tantùm Syluas dediſſe ſuis domiciliis. Priùs enim Syluæ bello præſtantes fuerunt, ſub Pelayo Principe, Ramirio primo, Alfonſo magno, quàm Gutierrius Sylua Alderete domicilium cõſtitueret, quod Syluã nuncupauit, ad Fluuium Miniũ. Tertium, Hiſpanis Regibus ſanguine ineſſe Syluarũ ab auia vna: quod ſic indico. Alphonſus legionis Rex, paterque Ferdinandi, ſanctitatis nomine conſpicui, habuit ex Aldonſa Sylua (fuit hæc filia Martini Gomeſij Syluæ, & neptis Gomeſii Paez Syluæ, qui tibi octauus, COMES MAXIME, auus eſt) filium Rodericum Alfonſum, qui filiam procreauit Aldonſam vxorem Stephani Fernandii Caſtri. Ab his natus eſt Petrus Fernandius Caſtrus pater Ineſiæ Caſtri, quam in vxorẽ duxit Petrus Rex Luſitaniæ. His regibus nata eſt Beatriſia, quæ fuit vxor Sanctij Infantis Caſtellæ, & Comitis Alburquetii. Horum filia fuit Leonora, quæ nupſit Ferdinando Regi Aragonii. Ferdinando ſucceſſit Ioannes II. filius, huic Ferdinandus Catholicus, cuius filia Ioanna fuit Caroli mater, à quo Philippus II. & ab hoc Philippus III. ac perinde à Syluis tuis. Dic, an aliud ad nobilitatem tuam argumentum ſplendidius, illuſtrius, excellentius?

IN TANTO gentilitatis ſplendore deeſſe non potuit viri pietate præſtãtes, & ſanctitate cõſpicui. Omitto Syluanũ Epiſcopũ in Paleſtina qui paſſus ſub Diocletiano: & Syluanũ aliũ Troadis Epiſcopum, de quo Socrates lib. 7. ca. 36. & Syluanũ, *Vita Amadei & Beatriſiæ.*

†† 4 Con

Confessorem in Gallia: Syluinium quoque Episcopum, cuius nomen περιβόητον in Campania Neapoli: Syluium qui pari celebritate colitur apud Tholosanos Galliæ: Syluanum, discipulum Sancti Bernardi, relatum in diuos ab Celestino: Syluium Martyrem, & Episcopum Angulonæ æuo Caroli Magni: Syluiũ Episcopum Albigensem sub Chilperico: Saluium Africanũ ætate magni Augustini, quémque idem Doctor concione decorauit in die obitus. Hos omnes omitto, qui in cælestibus numerantur, atque etiam Pium II. qui primùm dictus Aeneas Syluius, cuius viri ornamenta nemo facilè queat numerádo assequi. Multis itaque prætermissis, duorum tantùm fratrum vitam, Amadei & Beatrisiæ, proponam ad multorum Principum exemplum, vt sciant non ipsos minùs sanctitatem decere, quàm alia generis ornaméta, imo illud maximè, atque, vt meliùs dicam, solum. Amadeus, priùs Ioannes Menesses Sylua, frater fuit Didaci Syluæ primi Comitis de Portalegre, quarto & felici partu editus honestissimis parentibus, Roderico Gomesio Sylua Præfecto arcis Capimaioris, & Oüguelæ; atque Isabella Menesse filia Comitis Bianæ, primíque institutoris domus Villæ regiæ. Ioannes itaque, priusquã à sęculi vanitate conuerteretur ad Deum, ita se gessit, vt quã posset, comis vrbanúsque erga omnes esset, cultor imprimis nobilissimæ cuiusdam fœminæ, (ponũt enim Aulici in nobilitate, si se fœminis gratiosos exhibeãt.) Ita tamen eam fœminã coluit, vt nemini, quæ ea esset, indicaret, præferẽs insigne, cuius animus, ignoto Deo. Sed res ista (ea est diuini numinis bonitas) saluti fuit Ioanni; nam amoris huius occasione Regno Lusitaniæ cessit, contendítque ad Italiã in Comitatu Leonoræ filiæ Duartis Regis Lusitaniæ, pactæ in matrimoniũ Imperatori Frederico IV. Celebratæ sunt nuptiæ Sennę, mox itũ Neapolim, vbi splendidissimè accepti ab Alfonso Rege: tãdem Augustus cum Leonora profectus est in Germaniam, ac tum Ioannes in Italia remansit, vbi diuinis flatibus impulsus, vix dici potest quo ardore virtutem coluerit, quibus flammis arserit, donec ordinem Obseruantiæ Sancti Francisci adiit, ascito nomine fratris Amatoris, & abolito Ioannis Syluæ. Vbi ita se Deo dicauit, orationi, ieiuniis, vt iam à fratribus non Amator, sed Amadeus diceretur, ab feruentissimo in Deum amore: quo impulsus, impetrata ab superioribus licentia, monachi, idest, solitarii, vitã cœpit profiteri in cella quapiam Sancti Petri Montorii, assignata sibi à summo Pontifice. Vixit in hac cella annos plures cum maxima opinione sanctitatis, & admirratione mortaliũ, præsertim summi Pontificis, & Cardinalium. Accidit id temporis, vt Romã veniret Episcopus Euorensis Garsias Menesses, quem Alphonsus V. Lusitaniæ Rex maritimæ expeditioni præfecerat, miserátque cum auxiliaribus copiis ad Sixtum Papam IV. pro recuperanda Otranto non multo antè ab Turcis occupata. Audiuit Episcopus ab summo Pontifice Amadeum Lusitanum ibi agere: quem cùm adiret, sermone, vt fit, hinc inde commutato, suum esse patruelem cognouit, erant quippe duorum fratrum liberi. Admiratus Episcopus victus parsimoniam, & tenuitatem, durámque in florente adhuc æuo instituti rationem, cum lacrymis ab eo discessit, perpetuus Amadei prædicator. Non multos post annos Elisabetha Regina Catholica cellam illã, in qua vir sanctus agebat, in cœnobiũ commutauit Obseruantiæ Sancti Francisci, vnde tanquam Coloniæ, deducta cœnobia alia, quorum institutor Amadeus fuit, & fundator ordinis, quem Sixtus IV. confirmauit, & multis auxit priuilegiis, fratrésque huius ordinis dicti sunt Amadei ab institutore. Induebantur panno pullo, eóque saturati coloris. In pedibus erant perones. Numerantur hodie in Italia ordinis huius cœnobia plus viginti. Illos postea Zocolantibus adiunxit Pius V. Pontifex. Obiit Amadeus Mediolani in sui ordinis cœnobio, cui nomen Sancta Maria de la Paz, anno domini millesimo quadringẽtesimo octogesimo secũdo, cũ incredibili opinione sanctitatis, quã ille quotidie auget magnis sæpe patratis miraculis. Nouit Amadeus proculdubio futura

multa

multa cùm viuit,eáq; prophetico ſpiritu reliquit Latino ſermone ſcripta. Prædixit
direptionem,quam paſſa eſt Roma ſub Clemente VII. atque vnionem Luſitanici
& Caſtellani Regni, pluráque alia quæ veriſſima eſſe exitus comprobauit. Habe-
tur hic liber in Regia Bibliotheca ſancti Laurentij, non tamen (quod dolendum)
ſincera fide,quippe multa addita ſunt ab otioſo aliquo,quæ fidem veris detrahere
poſſunt.Sed iam ad ſororem Amadei.

BEATRISIA SYLVA Amadei ſoror germana,minimè fratri ſanctitate ceſſit,
ſuperior adhuc in laboribus perferẽdis,quæ res nullo nõ æuo probauit viros virtute
præſtãtes:ſunt enim labores pro Chriſto perpeſſi, veluti trutina quædã & examen
virtutũ.Sed iã ad rẽ. Beatriſia è Luſitania Caſtellam vſque in comitatu Eliſabethæ
Reginæ peruenit,forma adeo conſpicua,& oris pulchritudine ita ſupra alias aulæ
virgines admirãda, vt nulla ſui culpa plurimos Regiæ Principes in certamẽ conie-
cerit,imo in iras & furores.Accidit enim ſæpe, vt multi inter ſe in apertum Martẽ
ruerent vanitate quadam, qua alij, præ aliis illius eſſe cultores & videri & haberi
enixè conabantur.Illa ad Chriſti imaginem conuerſa ſuppliciter precabatur de-
formiſſima fœminarum exiſtimari:ac nullo vtens cultu oris,ſæpe fulgorem vultus
iniecta manu deturpabat,ſi poſſet ita auertere adoleſcẽtium oculos. Illi vehemen-
tiùs in illius amorem exardeſcere, illa vberiùs flere: Regina quidpiam ſiniſtrum
ſuſpicari;donec victa quorundam inuidia in Beatriſiam ita grauiter commota eſt,
vt illam integro triduo in arcam concluſerit,nullo cibo & potu. Quid illa faceret
in anguſtiſſimum ergaſtulum collecta,nulla ſui culpa,maximo certè merito? Conclu-
ſa ibi virginitatẽ ſuam Deo conſecrauit,voto ſe alligans, addens etiam eodem vo-
to ſe cœnobium aliquod Sanctarum Virginum ingreſſuram,vbi meliùs Deo ſe &
ſua omnia dedicaret. En ſubitò inter complorabundæ lacrymas & arculæ illius
tenebras diuinus fulgor viſus eſt:inque fulgore illo Deipara apparuit Virgo,indu-
ta veſte & ſcapulario,vtroque niueo, pallio tamen cæruleo. Quo ſpectaculo Bea-
triſia quas lacrymas non exſiccaret? quem mœrorem non depelleret? Soluta inde,
ad ſoluenda vota Toletum ſtatim profecta eſt ad Cœnobium Sancti Dominici
Regij,vbi triginta integros annos ſæculari habitu vitam plenam ieiuniis & ſancti-
tate habuit,donec anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimoquarto, bien-
nio (inquam) poſtquam frater Amadeus Mediolani vita exceſſerat, ad cœnobium
Sanctæ Fidei,quod Toleti magna ſanctitatis opinione florebat, permiſſu Iſabellæ
Catholicæ iã tũ regnantis commigrauit,quam duodecim virgines ſequutæ ſunt.Ibi
nouum ordinem conſtituit puriſſimæ Conceptionis Beatæ Mariæ,ac ſuas virgines
geſtare voluit habitũ coloris duplicis,niuei ac cærulei, quem videlicet vtrunque
viderat in Virgine viſa ſibi incluſæ intra latibulum arcæ. Durauit vitæ huius
vſque ad annum milleſimum quadringenteſimum octogeſimũ nonũ, in quo an-
no Innocentius Papa VIII. petente hoc Iſabella Catholica,Conceptionis ordinem
confirmauit ſub nomine Cirtercienſis familiæ. Ac ſtatim ſequenti anno Beatriſia
iã votis ſuis perfuncta obdormiuit in Domino,ætatis ſuæ anno ſexageſimo ſexto.
Eius poſtea ordo mutatus eſt, & fieri cœpta profeſſio ſub regula Sanctæ Claræ.
Quod tamen deinde paſſus non eſt Iulius Papa II. atque in memoriam tantæ fœ-
minæ poſt aliquot annorum curſum ordinem Conceptionis confirmauit iiſdem
legibus,atque inſtitutis,quæ Beatriſia ſanxerat.Florent nunc in Hiſpania plurima
cœnobia multa cum gloria, intérque illa maximum habet locum,quod Paſtranæ
viſitur,extructum ſumptibus Principis Roderici Gomeſij Syluæ, viri tum ad cul-
tum ſacrorum, tum ad generis ſui amplificationem nati. Tu iam vale, COMES
CLARISSIME, vera tanti parentis ſoboles.Dat.Matriti. ANN. DOMINI.
M. DC. X. CAL. Maij.

Facultas R. Patris Prouincialis.

ARGVMENTA, *Explicationes, Notas in Publ. Virgilij Maronis sex priores libros Æneidos, Auctore* IOANNE LVDOVICO *de la* CERDA, *Societatis nostræ, Matriti, in Regia Curia, Rhetoricæ, Poëseos, & Græcarum litterarum multos iam annos professore,* Visa à tribus Societatis nostræ Patribus huius litteraturæ peritis, atque approbata, Ego BARTHOLOMÆVS PEREZ de NVEROS, Toletanæ Societatis IESV Prouinciæ Præpositus Prouincialis, potestate mihi ab admodum R.P. N.Generali P. Claudio Aquauiua, facta, lubens typis mandari concedo. Oropesæ. IX. Kalendas Iunij. Anno M. DC. X.

BARTH. PEREZ de NVEROS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunensi.*

LVDOVICVS MICHAELIS Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur IOANNIS LVDOVICI *de la* CERDA, *Societatis* IESV *in Regia Curia Rhetoricæ, Poëseos, & Græcarum literarum professoris, in sex priores Libros Æneidos, Commentarij,* ad sex proximos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Lugduni, 5. Octobris. 1611.

MICHAELIS.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. *Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum est, ne quis in suo regno, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos, excudat vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum qui inscribitur,* IOANNIS LVDOVICI de la CERDA, Societatis IESV, in Regia Curia Rhetoricæ, Poëseos, & Græcarum literarum Professoris, in sex priores libros Æneidos, Commentarij, *præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 18. die mensis Februarij 1611.*

De mandato Regis.

Signatum PERREAV.

Εἰς εὐσεβέστατον ϗ γνωριμώτατον τὸν Λουδοβῖκον δε λα Σέρδα παντοδαέστατόν τε,

Ἐπίγραμμα.

Ἐκ μουσῶν ἀγαθὸν κλέ☉ ἔρχεται ἀνθρώποισι
Τῶν μὲν καὶ γέγονας δόξα τε πᾶσα μόνος.
Καὶ πινυτοῖς ἐπέπεμψας δ᾽ ὄφελος μέγα πᾶσιν ἀρίστοις,
Κόλπον ἐς εὐώδη κείμεν☉ ἐσθλὶ κορῶν.
Ἦ μὴν ἀντιφιλεῖτο πολὺ πλέον; αὗται ἔδωκαν
Πᾶν γνώρισμα φέρειν, τῆς δὲ φά☉ σοφίας.
Αἳ μὲν σοὶ μεμέληντο, σέθεν δ᾽ ἕνεκεν θαλέθουσι
Τοῖς καλὰ πολλὰ διδοὺς, τῶν δὲ θέμεθλον ἐών·
Βιργιλίου στίχε᾽ ἐδείκνυς μὲν τ᾽ οὐκ ἀπόβλητα·
Θαυμάσι☉ πᾶσιν εἰς χαρίτεσσιν ἅμα.
Τ᾽ οὔνομα Λουδοβῖκ☉, ἔχεις Μουσῶν λοετρόντε,
Παρνάσσοιο χέεις πᾶσι γλύκιστον ὕδωρ.

Οὐϊγκέντι☉ Μαριnέρι☉.

AD R. P. IOANNEM LVDOVICVM DE LA C[illegible]

Qui carmen tibi, Ludouice Cerda,
Exculto vndique litterisque pleno
Et Musæ genio Maronianæ
Offerre audet, idem facit ferenti
Vel ligna in syluas, vel in mare vndas.
Vt dicam melius, facit perinde
Ac si non hebetis viro palati
Pro perdicibus, ostreis & apro,
Porrum sectile rancidúmque lardum
Cum fricto cicere atque farre ponat:
Pro vini cyathis suauioris,
[illegible]que, Bacchi
Quæ bellaria iure dixerimus,
Humorem Grudiæ propinet vuæ,
Poscámue aut fatuo sapore vappam:
Cum ergo fatio placere versu
Vt possim atque aliquis tibi videri,
Nec spes consiliúmque; magna spirent
Queis natura, parens; nouerca non est.
Quâ possum obsequio placere mens est,
Et factis mage quàm probare verbis,
Præ tuo mihi nil amore pensi,
Nil desiderio tuo negare,
Nostri posthabitâ potesse curâ.

In eiusdem Commentar. In Virgil.

Cui dedit ingeniŭ venam natura benignam,
Ac parili nimiùm rara coire iugo.
Iudicium memori sociatum pectore rectum,
Et quæcunque tibi non potes ipse dare:
Omnia qui veterum voluit monumenta virorum,
Quósque duplex Latium, Græcia quósq; tulit,
Et tanquam digitos auctores noscitat omneis,
Docturus quicquid discere quemq; iuuet.

Huius erant partes, diuini arcana Poetæ
Scrutari, & magnæ pandere mentis opes:
Huius erat, docto, faculam lucere Maroni,
Et creperis illum detenebrare locis.
Exulta Latiæ decus immortale Camœnæ:
Eueniunt dignis, digna, fauente Deo.
En tibi, cùm cineres iam longa absumserit ætas,
Ipsæ relliquiæ cùm periere tuæ,
Contigit assertor, tua qui scripta aurea, Phœbus
Quæ canit atque omnis Castalis ora sonat,
Vindicet à mendis, quibus & cariosa senectus
(Hac placitum Diuis tale vacare nihil)
Et vulgi contactus inertis turpiter illam,
Ceu maculis, faciem sparserat ingenuam,
Cui modò deterso squallore & puluere, prorsus
Cum primo species prima colore redit.

PHILIPPVS RVBENIVS S. P. Q. A. A SECRETIS.

DE VIRGILIO MANTVANO AB IOANNE LVDOVICO de LA CERDA Mantuæ Carpetanæ, illustrato, Ioannes Baptista Benites.

Docte Maro, geminã duplex tibi Mantua lucem
Attulit: euentu dispare, sorte pari.
Mantua te quondam sub luminis edidit oras:
Mantua te nuper luminis instar agit.
Prima fuit mater, mater fuit altera: nempe
Illa tibi vitam contulit, ista decus.
Illa dedit, primos pueri dum suscipit ortus,
Quam subitò lucem conderet atra dies:
Altera dat stabilem, quam nulla obliteret ætas;
Exerit è tenebris dum Ludouicus opus.
Tu videsis, vtram potiùs venerere parentem.
Nominis hæc lucem, corporis illa dedit.
Si sapis, Antiquo præsens mihi profuit, inque,
Lumine plus lumen, plusq; parente parens.

Ad eosdem Illustres commentarios,

P. S.

Te leget, & Latio non ampliùs æmula, cedet
Græcia, ad Aeneam Virgiliúmque tuum.
Italiæ proceres redeunt, viuúmque Maronem
Tu facis, & propria bella sonare tuba.
Hinc Hellas parto cedit tibi victa triumpho:
Nec sua prostratus miles ad arma redit.
Laudem Operi Ludouice tuo fert conscia Roma,
Et partum Latio nobile seruat opus.
Quod Maro, quod nequeŭt manes vmbræque sepulti,
Pro nato grates fert Cytherea suo.
Aut si quæ manes i[illegible]peruia fama sub imos,
Amborum per[illegible] molliter ossa cubant.

Τοῦ [illegible] εἰς τὸ αὐτό.

Εἰς σ᾽ ἐσιδὼν, ὡς πάντα καλῶς ὀρθῶστε χαράσσεις,
Εἶπε Μάρων, Στόματι φθέγγεται ἡμετέρῳ.

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA HORATIO CARDONIO CONSVLI LVGDVNENSIVM CLARISSIMO, Typographo Galliarum nobilissimo S. P.

HAS meas in Virgilium lucubrationes ad te mitto, Consul clarissime, vt subditæ prælo tuo lucem videant. Ad quem possem aptiùs, cùm tu vnus de Societate nostra egregiè benemeritus sis? Te enim Typographo Galliarum nobilissimo vitam habente (habeas vtinam tot annos, quos precari tibi tu ipse voles, quos tibi æternum Numen potest concedere) infinita prope Sociorum volumina vitam quoque per te habuere, quæ sine te fortassis carerent. Dedisti rebus nostris æternam lucem, ac tua pariter cum illis fama in totum terrarum orbem volauit. Quò enim locorum labores Sociorum ac libri peruaserunt, Cardonij quoque nomen penetrauit. Vnà cum Scriptoribus auditur Typographus, cum Typographo Scriptores. Vitam pariter dedisti, & habes. Vnusquisque nostrûm pars est gloriæ tuæ, tu omnium gloria. Hæc me ratio (Scire, inquam, quantum tibi debeamus) plurimùm mouit, vt à Germanicis Typographis opus meum assererem (ipsi enim primi labores meos in Bucolica ac Georgica euulgarunt) & ad Te transmitterem; quippe sciens plurimum laudis scriptis meis accessurum ex officina tua, in qua omnia sunt spectatissima: videlicet cartha optima, non bibula; correctores diligentissimi, non oscitantes; characteres pulcerrimi, non detriti; præla integra, non cariosa; typus totus florida quadam amœnitate spectandus, quique Lectorem inuitet, non auertat. Spectabis verò, vir Optime, nostras in sex posteriores Libros Æneidos lucubrationes, quibus, dû hæc cuduntur, quæ ad Te nunc mitto, formam suam reddemus, colligentes in vnum corpus, quæ sparsa sunt in multis cartharum nostrarum locis: vt ita tandem Virgilius in tres tomos distinctus legatur: Argumentis, Explicationibus, & Notis nostris illustratus. Separaui verò posteriores sex libros à prioribus, videns multorum Interpretum iniustam operam, qui, cùm effusi sint in prioribus Sex libris enarrandis, oscitanter admodum percurrunt, quæ pertinent ad sex posteriores. Scio me olim promisisse Lectori meo breuiores in Aeneidem labores, sed ab hac promissione minimè abeo. Si enim æstimentur rerum pondera, & mores, quibus Æneis spectanda præ Bucolicis & Georgicis est, non dubito, quin hæc pars bono æstimatori multo breuior quàm illa, appareat. Si quis notet, Notas nostras, quæ vel sui nominis ratione breues esse deberent, in longum sæpissime produci, videat à nobis operis distinctionem quæsitam, non nomen: veros enim Commentarios edimus ex Argumentis, Explicationibus, Notis coniunctos. Vale iam, Vir Clarissime. Dat. Matriti. V. Calend. Iunij. Ann. M. D C. X.

P. VIRGI

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER I.

ARGVMENTVM.

LIBER hic continet argumentum diuinæ Æneidos; ac deinde, inuocata Calliope, est vates in aditu narrationis; qui aditus continet res Carthaginis, videlicet eius vrbis antiquitatem, originem, situm, opes, studia militaria, fauorem Iunonis; vbi annectuntur causæ irarũ Iunonis in Troianos. His præmissis, incipit plenam narrationem ab nauigatione Æneæ ex Sicilia in Ionium; quem in ipso cursu Iuno, fœdissima tempestate, medio Æolo, afflixit: quem tamen inde, numen alterum, Neptunus eripuit, sed laceratis partim nauibus, partim submersis. Post hoc malum appellit Æneas ad Africam, ac post descriptionem portus, póstque epulas, fit inclamatio sociorum, qui perierant tempestate abrepti. Abrumpitur hîc cursus historiæ, & paratur digressio de Ioue, quem Venus adiit, supplicabunda pro nato: quæ digressio mirè conducit toti operi Æneidos, vt in qua multa sunt de successione Romani Imperij, omnia in gratiam Augusti, cui opus Æneidos sacrum. Hoc peracto, redit Poëta ad cursum, inducta Venere, quæ se nato offert in sylua, vultu & habitu virginis venatricis: ab ea docetur de rebus Carthaginis, Sichæi, Pygmalionis, Didonis: nuntium etiam felicissimum accipit recuperandæ classis, quam ille amissam putabat. Contendit Carthaginem ea iubente, ac docente viam. Contemplatur ædificium vrbis, quod Poëta latè describit: deinde, vt erat, opera Veneris, tectus nebula, videt, à nemine ipse visus, Troiana bella depicta in templo Iunonis. In hac rerum admiratione, potiùs stupore, videt venientem Reginam, ac perinde socios, quos periisse vndis putauerat, auditque Ilioneum orantẽ pro se & sociis coram Regina, ac deprecantem Afrorum vim, à quibus pedem ponere in Africa vetabantur: audit etiam actionem Didonis, plenam humanitatis erga Ilioneum, & reliquos Troianos: Dido quippe Mercurij opera, benignissimè in illos affecta erat. Hoc puncto temporis, nubes, qua abditus latebat Æneas, scinditur; apparet ille pulchritudine vltra mortalem, suos amplectitur, agit gratias Reginæ, illa obstupescit, adducit virum ad vrbem secum, mittit perhumaniter munera Troianis, qui erant in portu; apparatur conuiuium permagnificè; iubet Æneas, vt Achates perducat Ascanium è portu ad vrbem, cum donis ad Reginam; sed moliente Venere, accedit pro Ascanio Cupido, qui Reginam incendat, Ascanio interim occultato inter amœnos lucos Idaliæ. Itaque Cupido inter epulas & vina rem gerit, cupidus ostentandæ suæ potentiæ, demerendæ matris Veneris, placendi fratri Æneæ: Iubetur Æneas narrare Troianum excidium, & errores suos.

[a] ILLE ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus syluis vicina coëgi
Vt quamuis auido parerent arua colono,
Gratum opus agricolis: [b] at nunc horrentia Martis
Arma virúmque cano, Troiæ qui primus ab oris

Italiam fato profugus, La[illegible]que ve[illegible]
Littora: MVLTVM ILLE & terris iactatus & alto
Vi superûm, sæuæ memorem Iunonis ob iram.
[c] Multa quoque & bello passus dum conderet vrbem,
Inferrétque Deos Latio: genus vnde Latinum,
Albaníque patres, atque altæ mœnia Romæ.

ARGVMENTVM.

Præmittit, quæ in re syluestri atque agresti adolescens luserit; mox proponit argumentum diuinæ Æneidos: ea continet Æneam, Æneæ arma, cursus, labores, Deorum in eum sæuitiam, eius in perferendo constantiam, qua Deos attulit intulitque in Latium: à quo viro originem habuêre Latini, Albani, Romani.

EXPLICATIO.

[a] SERVO in Æneide eundem tenorem, quem tenui in Eclogis, & Georgicis: vna enim & eadem opera Poëtam & explico, & expendo. Notæ deinde suum habebunt locum. Ergo ait, se *quondam* iuuenem modulatum fuisse *carmen* Bucolicum, idque *auena gracili*, vt decebat scribenrem res pastoritias. Deinde egressum se è syluis, in quibus sunt pastores, fecisse vti arua, quæ habent vicinitatem quandam cum syluis, coacta præceptis rusticis *parerent colono* quamtumuis *auido* atque auaro. Quod *opus* necessariò *agricolis gratum*. Expende. Dicit *modulatus* verbo pastoritio, & rustico; cui mox opponit, ex nota Iul. Scaligeri, verbum *cano*. Vna sanè Calliope Musarum Regina canit, cæteræ modulantur: cum hoc verbo propriè auenam cōiungit, quæ pastoritia item est, & huic dat commodè gracilitatem. Sed quàm optimè illud *syluis vicina*, quæ collocatio obseruata Corrado, vt admirabilis & ex studio: exprimit enim affinitas vocum, affinitatem syluarum, & pastorum cum agris & agricolis. Deinde quid conferas cùm verbo *coëgi*? Etenim tellus veluti in vita leges accipit, teritur, domatur, sauciatur, patitur vomeres & rastros. Inde statim *arua parerent*; nam agricola *imperat aruis*, quod est in Georgicis. Sed quare *gratum opus agricolis*? Hoc me tacente scis ipse. Nemini suus prouentus gratior est, quàm agricolæ, non militi, non mercatori. Nam lucro suo impensè delectatur: deinde simplicitas, qua lucrū quæritur, gaudiū cumulat.

[b] Post syluas, & pastores: post agros, & agricolas, adest Æneidos initium, *at nunc horrentia Martis Arma virúmque cano*. cum hac tuba quam conferas? Totum opus Æneidos continetur his duobus verbis, *Arma virúmque*, æqua librorum portione. De viro enim, idest, Ænea, agit sex prioribus; de armis, sex posterioribus: Nihil dici συντομώτερως potuit. Ergo, *cano arma*, & hæc, *horrentia*, & hæc, *Martis*: & cum illis vnà *virum* bello acrem, fortē, Mauortium. Quid non his concipis? quid non spectas? Nam cùm *virum* audis, virtute, bello, armis præstantem intellige: quæ vox, non dubium quin hîc ponatur antonomasticῶs. Sequitur, *Troiæ qui primus ab oris*, &c. Tota hæc oratio ita Æneam signat, vt nemini præterea conueniat, Nam tametsi vnum aut alterum Antenori conueniat, aut aliis: sed non omnia simul. Nam quis alius fuit præter Æneam, qui *ab oris Troiæ*, qui *in Italiam*, & signatè ad *Lauina littora*, qui *profugus fato*, qui *iactatus terris, & alto*, qui *vi superûm* & inprimis *Iunonis*, venerit? neminem dabis.

A [c] Dixerat, *Cano arma*, *cano virum*. De viro iam audisti, fuisse illum profugum, iactatum, &c. restabant arma; ideo, *Multa quoque & bello passus*. Intelligit Latina arma, quibus implicatus cum Turno Æneas. Inquibus quid nō passus? Passus verò ista est *dum conderet vrbem*, scilicet Lauiniū: dum *inferret Latio Deos*, id est, patrios & Troianos. *vnde*, id est, à quo Ænea ductum *genus Latinū*: orti sunt *patres*, id est, Reges, *Albani*: tandem constituta sunt *Romæ mœnia*. Illud *dum* accipit Diomedes pro *dummodo*. vt dicat, Passus est multa, dummodo vrbem conderet.

NOTÆ.

1. ILLE EGO &c.] Initium heroïci huius operis sumitur ab hoc versu. neq; enim primi quatuor ampu- *Initiū Æneidos.*
B tandi à reliquo opere: Sciendum, Tuccam (addunt aliqui & Varum) Maronis studiosissimum, cui, Poëta defuncto, tradiri sunt hi libri, principiū hoc ampurauisse. Iudicauit enim, [illegible] vestibulo oportere esse conspectiora carmina, qualia sunt, *Arma virúmque cano*, &c. Deinde, illum potuit mouere similitudo huius carminis cum Homerica Iliados propositione, Μῆνιν ἄειδε θεά. Itaque voluit, vt primum carmen Æneidos responderet primo Iliados. Postremò vt prima auis ad augurium obseruari solet, ita primum verbum in poëmate pro omine haberi: sic cùm audis initio ipso *Arma*, putabis nihil nisi bella expectanda. Sic fermè Richardus Brandisbeus apud Nan. 6. Miscell. & alij non pauci. sed iidem ipsi meritò iudicant, plus iudicio Maronis, quàm Tuccæ tribuen-
C dum, dicúntque initium istud, *Ille ego*, &c. dignissimū Virgilio. scio, vnum Scaligerum obseruasse in Propertium, videri initium primi Æneidos fuisse illud, *Arma virúmque*, &c. sed, quod statui, certum est. Primo, nam Virgilius imitatus est Orpheum, qui initio Argonautic[illegible] complexus est opera sua compendiosa quadam [illegible]umeratione. Quod eo magis Vates præstitit, ne plagiarij, quales iam olim habuerat, diuinos versus sacrilegio sublegerent. [illegible] professus sua est carmina initio isto, *Ille ego*, &c. Deinde, hoc initio triplicem stilum, tenuem, medium, copiosum (Græci appellant ἰσχνόν, μέσον, ἁδρόν) magno quodam artificio expressit. Quid gracilius istis, *Stilus triplex.*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, vbi verba

D ipsa tenuitatem indicant? Sed vide, vti sensim ad medium assurgat,

—& egressus syluis vicina coëgi
Vt quamuis auido parerent arua colono,
Gratum opus agricolis.

hi versus primum illum longè superant, neque tamen conferendi sunt cum sequentibus,

—At nunc horrentia Martis
Arma virúmque cano.

Altiora hæc sunt, grandiora, consonantiora: vt quæ à primis longè dissideant, vt quæ habeant cognationem cum mediis. Et notabis has formas characterum (sic Græci stilos vocant) quamque earum suum opus repræsentare. Bucolica scripta sunt, tenui stilo, vt primus versus: Georgica eodem filo ducuntur, quo *Character stilus est.*

quo media: porrò Æneis capit poëmata illa, *Arma virúmque* &c. Ad eandem rem spectat Corradi sequens obseruatio. Canina littera orationem facit terribilem, grandem, horridam. Ergo ea in primo versu tantùm est semel, ac tum liquida, quo minorem habeat vim; in secundo bis; in tertio ter; in quarto non quater solùm, sed quinquies. Demum cùm multa obseruari in hoc initio possent, illud eiusdem non tacebo; in primo versu repræsentatam pastoritiam simplicitatem; in mediis, rusticam sedulitatem agricolarũ propriam; in extremis, dignitatem ciuilem, armorúmque maiestatē. Hæc mihi dicta pro cõplexu huius exordij. Neque velim prætermittas simplicitatem candorémque se laudantis, atque diuinũ opus asserentis, nullo fastu aut arrogantia. Sed de hac re iam in fine Georgicorum. Auctoribus quos ibi dedi, adiunge orationem Aristidis περὶ τοῦ παραφθέγματος. ibi multa colligi in eam rem possent, præsertim vbi reprehendit fastum quo multi sua vendicant.

Canina littera.

2 QVONDAM] Adhuc iuuenis, nec dum aptus heroicæ maiestati, grauitati, splendori. Audi hoc adolescens, neque aude id ætatis, quod non ausus ingeniorum apex Maro. Ludendum tibi epigrammatis, odis, eclogis, elegiacis: heroica dignitas non attingenda nisi maturo iam & vegeto ingenio.

3. GRACILI] ita Propertius lib. 2.

Hic me tam graciles vetuit contemnere musas,

& Nemesianus Ecl.

Incipe si quod habes gracili sub arundine carmen.

Gracile carmen de syluestri.

4 AVIDO] Aristoteles lib. 6. Politic. c. 4. loquens de agricolis, μᾶλλον ὀρέγονται τοῦ κέρδους, ἢ τῆς τιμῆς: *lucrum potiùs quàm honorem appetunt*: subiicit deinde rationem.

Agricolæ auidi.

5. PARERENT] ita Plinius lib. 2. cap. 63. terram vocat *ancillam*, & *famulam*. Et Cyprianus contra Demetrianũ, eidem dat *obsequium* & *seruitutem*. Senec. de Tranq. c. 15. *Fertilibus agris non est imperandum.* & epist. 49. *vester villicus regnet.* & post pauca: *Fundus, quod aliquando imperium vocabatur.*

Tellus serua.

6 HORRENTIA] Horror quoque ad arma, ad bella pertinet: imò ad nullam rem aliam signatiùs. Inde Horat. 1. sat. lib. 2. —*horrentia agmina.* &. 3. Carm. od. 3. Romam ipsam *horrendam* vocat, quia videlicet bello dat iura Medis. Ennius. 8. Annal.

—*Horrentia tela virorum.*

Calaber lib. 1. —πόλεμον, τὸν φρίσσουσιν ἄνδρες: *Bellum quod viri horrent.*

Horror de armis.

7 ARMA VIRVMQVE.] Sunt qui Poetam reprehendant, quòd *virum* postposuerit, ad quem pertinent sex priores libri: *arma* præposuerit, ad quæ sex posteriores. Sed sciant hi, non constringi oratores aut historicos hac lege, adeo nec Poëtas. Vide, quibus Nascimb. Poëtam defendat, & adiice à me testimonium Flacci, qui cùm à naui Argo narrationem incipiat, & mox delabatur ad nautarum nauigationem, tamen in primo vestibulo nautas præponit rati: ait enim:

Prima Deûm magnis canimus freta peruia nautis,
Fatidicámque ratem.

Virgilius defenditur.

Sed quid si adhuc alia defensio Poëtæ? Sunt enim non pauci, qui dicunt, nihil curandam distinctionem de æqua illa portione librorum, cum respectu ad duas voces *arma*, *virum*. Nam liber secundus Æneidos, quo nullus magis bellicosus, continet, graphicè admodum, prudentissimum imperatorem, fortissimum militem, varias insidias, & conflictus, oppugnationem, propugnationémque, quales neque Liuius, neque scriptorum alius potuisset exprimere: è contra in sex posterioribus multa sunt, quæ pertinent ad virum politicum. Cæterùm initium hoc, *Arma virúmque*, adeo auspicatum est, vt qui velint Æneidem Maronis signare, signēt illam per duo hæc verba. Hi sunt Martialis lib. 8. 46. & lib. 14. 185. Ouidius. 3. Tristi. Persius. 1. sat. demum Ausonius παρῳδίαις. Qui non tam auidè arripuissent initium hoc, si quid in illo minùs probè dictum adnotassent.

8 CANO] verbum hoc quadam prærogatiua datum heroicis Vatibus. Homerus: Μῆνιν ἄειδε θεά. Hesiod. Theog. ἀρχώμεθ' ἀείδειν. Dionys. Afer. ἀρχόμενος ἀείδειν. Orpheus Arg. ἄειδε. vsurparunt tamen aliqui non heroici. Anacreon Lyricus: ᾆδον ἄθλους Ἡρακλέους. Menander Comicus citante Plutarcho de audiendis Poëtis, ἄειδε τοιαύτην θεά. Ouidius Elegiacus: *signa canam.* Bucolici sæpè.

Cano, verbũ heroicum. Et aliorum.

9 PRIMVS] vide vt explicui. Sed non video cur Seruius reiiciatur, vt vel *primus* sit princeps: nã tametsi alij ante illum venerint in Italiam, sed nemo, neque Antenor ipse, conferendus est cum Ænea dignitate, & rebus gestis: vel, vt loquatur Poëta ex antiquo Italiæ limite, qui cùm ad illam Æneas appulit, tunc erat ad Rubiconē. Quod liquidum ex Plinio, & Lucano. Prior: *Rubico quondam finis Italiæ.* Posterior:

—*Et Gallica certus*
Limes ab Ausoniis disterminat arua colonis.

Italiæ antiquus limes.

Sic fermè Seruius. Sidonius lib. 1. epist. 5. loquens de Rubicone: *qui olim Gallis Cisalpinis Italisque veteribus terminus erat.* & Appianus. 2. ἐμφυλ. loquens de hoc fluuio, ὃς ὁρίζει τὴν Ἰταλίαν: *qui Italiam definit.* Sed præfero tamen quæ dixi in explicatione.

10 FATO PROFVGVS] Fama erat, Ænean patria prodita fugisse, quem vt suspicione hac liberet, culpam fugæ in fata coniicit, atque adeò *fato* fuit *profugus*, non suo meritò. Etenim nisi *fato* adderet, videretur Æneas fugisse, aut causa criminis, prodita patria, aut cupiditate noui imperij: Sic fermè Iul. Scal. & Seruius. Homerus apertè lib. 20. Il. μόριμον δέ οἱ ἐστ' ἀλέασθαι: *fatale est illum seruari.* Loquitur de Ænea. Æneas ipse. 3. Æn.

Diuersa exilia, & desertas quærere terras
Auguriis agimur Diuûm,

& in 4. arua Italiæ vocat *fatalia*. Habetur id millies in Æneide. Horatius etiam excusans Ænean in Carmine Sæculari. *Cui per ardentē sine fraude Troiam Castus Æneas patriæ superstes,* &c. De proditione porrò, quæ Æneæ adfingitur, vide quæ adducit Dionysius. 1. Antiq. ex Menocrate Xanthio.

Æneæ factũ.

11 LAVINA LITTORA] Agnosco anticipationem (Græci vocant, πρόληψιν) cùm videlicet, quod posterius accidit, ante tempus scribitur. Nondum littora aut ab Lauino Latini fratre, aut ab Lauinia Latini filia nomen acceperant, sed post aduentum Æneæ in ea loca (quod Iuno apud Silium conqueritur his versibus,

Intulerit Latio, spreta me, Troius, inquit,
Exul Dardaniam, & bis numina capta Penates,
Sceptráque fundarit victor Lauinia Teucris?)

Lauina tora.

Et tamen Æneas dicitur venisse in Lauina littora. Multa sunt apud Poëtas, & apud Virgilium non pauca, quæ, nisi hac figura, salua esse nequeant. Apud Plaut. Amph. iuratur per Herculem nõdum natum, sed ne conceptũ quidem. Adi Agellium lib. 10. c. 16. Erythræum in indice, Delrium in Senecæ Medeam. Sed cur *littora*? Posuit figuratè, vel pro vniuerso tractu Lauinio: vel propriè accipe, dicente Fanio Maximo. 1. Ann. (citat Seruius) *tum Æneas ægrè patiebatur in eum deuenisse agrum macerrimum littoriosissimúmque.* Ita alij defendi possunt. Ego aliter puto. Amat Poëta consonantiam in rebus miram, & artificiosam.

ficiosam. Ergò, qui dixerat Æneam discessisse ab oris Troiæ, addit, venisse ad Lauina littora, quæsita oppositione verborum inter *oras* & *littora*.

12 MVLTVM ILLE ET TERRIS IACTATVS ET ALTO.] En semen magnæ partis Æneidos. *Iactatus* est *terris*, qui passus patriæ ruinam in Phrygia, monstrū sanguinis in Thracia, pestilentiam in Creta, Harpyias in Strophadibus, patris mortem in Sicilia: *alto*, qui tempestatem inter Cretam & Strophadas, timorem Cyclopum, periculū Scyllæ & Charybdis, tempestatem fœdam in mari Tyrrheno, iacturam Palinuri prope Italiam. Et quis neget multa illum pericula adiisse & terra & mari, qui tot terras & maria emensus est longis itineribus, tædiosis nauigationibus? præsertim si addas spatium septem annorum, quod consumptum his cursibus. Ad perfectam versus huius cognitionem, obserua notulas duas, vnam Corradi, Nascimbæni alteram. Dicimur (ait prior) iactari non solùm in mari, sed etiam in terra. nam Cicero dixit *iactari forensi labore*. probè ergò, *iactatus terris*. Ait posterior, ipsomet versu notari itineris impedimenta, atque ipsas nauigationis difficultates ac molestias. Visus mihi est Poëta allusisse ad Aristophanem, qui in Vespis,

Πολλὰ μὲν ἐν γῇ, πολλὰ δ' ἐφ' ὑγρᾷ:
Multa in terra, multa in mari.

Ad saporem Virgilij Liuius lib. 40. *sæua tempestate iactatus*. & lib. 44. *iactari tempestate*.

13 SÆVÆ.] Nihil redundat in hoc vate. Iactat Ænean vis superûm, hos Iuno commouet; Iunonem sæuities. Notat Seruius, *sæuum* veteribus positum pro magno. Nam Ennius, *induta fuit sæua stola*, id est, magna: & Virgilius de Ænea, *maternis sæuus in armis*, id est, magnus. Est ergo *Iunonis sæuæ*, magnæ, sed præfero commune significatum. — Sæuum pro magno.

14 MEMOREM.] Inuenit P. Victorius Æschyli in Agamemnone imitationem, qui ante Nostrum *μνάμων μῆνις*. Liuius quoque lib. 9. dixit, Appium luminibus captum fuisse, *memori Deorum ira*. Notat Iul. Scal. non vacare epitheta *sæuæ*, & *memorē*. Nisi enim meminisset, non irasceretur: & nisi fuisset sæua, tametsi memor, non irasceretur. Videtur mihi Poëta respexisse ad vocem *μνησικακεῖν*, qua exprimitur memoria acceptæ iniuriæ.

15 IRAM.] Continet hanc tota Æneis, tota Ilias. In 1. tempestas excitatur Iunonis ira. in 2. ea diruit portas Troiæ. in 4. vult Ænean continere Carthagine auertens ab Italia. in 5. incenduntur naues. in 7. educitur Furia. in 9. Turno fauet absente Ænea. in 10. disceptat contra Venerem. in 12. Turnum eripit Æneæ. Quid Ilias? alia opus Iliade, ad numerandos labores, quos vna Iuno Troianis immisit.

16 VRBEM.] Aliqui Albam capiunt, malè, nam hanc Ascanius condidit, non Æneas. Sunt qui Romam, pessimè. Intelligit certè Lauinium. Hanc enim Æneas condidit, vt auctores sunt Liuius, & Dionysius, & Æneas ipse in 12.

—Mihi mœnia Teucri
Constituent, vrbique dabit Lauinia nomen.

& Drances. 11.

Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxáque subuectare humeris Troiana iuuabit.

17 DEOS.] Patriæ intelligo. Nam his Æneas sedes quæsiuit, hos habuit comites, hos Latio intulit. Quin, cùm Deos generaliter nominat, patrios

A semper videtur intelligere. Quod liquidum ex adiunctis in 6.

Errantésque Deos, agitatáque numina Troiæ. in 9.
Non infœlicis patriæ, veterúmque Deorum.

18 VNDE.] Ab Ænea, non Latio. Donatum & Terentianum sequor. Terentius Eunucho, *è prædonibus, vnde emerat*: vel *vnde*, id est, qua ex parte, quod placet Corrado, sic enim plura dicas. Nam ex eo, quòd Æneas in Latium venit, & Deos intulit; genus Latinum, & quæ sequuntur, profecta sunt.

19 GENVS LATINVM.] Latini sic dicebantur ante aduentum Æneæ in Italiam: quod mihi certissimum cum Seruio, quem malè reprehendit Beroaldus: sed eadem opera oportet reprehendat doctos alios, qui idem sentiunt; & veritatem ipsam, quam B iam firmo. *Latij* nomen antiquissimum fuit ab latente ibi Saturno, vt vult Ouidius, Virgilius, alij: vel à ciuibus ibi latentibus, in cauis montium, cùm nondum essent vrbes, & tecta, quod ex Sanfeio Seruius adducit. Si ergo nomen Latij ante Æneam, cur non nomē Latinorū? Deinde reges qui in Italia regnarunt ante aduentum Æneæ, dicti videtur Latini perpetua serie, sicut Ægyptij Pharaones, quod indicat Maro in 12. — Latiū vnde dictum. — Latini Reges antiquissimi.

Murranum hîc atauos, & auorum antiqua sonantē
Nomina, per Regésque actum genus omne Latinos.

Tertiò scribit Orpheus, Argo nauem appulsam Latinorum finibus: Latini ergo ante Ænean: vnde Isacius, αὐτοὶ Ἀβορίγενες ἀπὸ Λατίνου τοῦ Φαύνου ἢ Ἡρακλέους υἱοῦ, Λατῖνοι ἐκλήθησαν: *Aborigenes dicti Latini sunt à Latino Fauni aut Herculis filio*. Quarto demum id certissimè C tradit Virgilius lib. extremo. Vbi sic Iuno cum Ioue loquitur, — Vnde dicti.

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrósque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per sæcula Reges.

Qui ergo Maro dixit, genus Latinū extitisse ab Ænea? explico. Confirmauit illis nomē, quod priùs habuerant; insuper, hoc idem dedit suis Troianis. sic explico illud Liuij, *Æneas Latinos vtrâque gentem appellauit*. Et Iustini lib. 30. *Quid Latinos populos qui ab Ænea conditi videtur?* Quos pro se malè adducit Beroaldus. Accedit ratio Seruij non contemnēda: quam & Corradus tuetur. Certum est victos bello solitos accipere nomen eorum, qui victores fuerunt. Quæ res abundè D patet historiarum luce. Potuisset ergo Aeneas iure belli Latinis nomen auferre, ac facere vti Troiani vocarentur. Ab hoc abstinuit, & vetus nomen illis confirmauit, & inde dici potest nomen illis dedisse. Sallust. Iugurth. *Victi omnes in gentem nomēnque imperantium concessere*. Vides vti ius victoribus nomen imponere. Sic Longobardi prouinciæ à se domitæ nomen dederunt; sic Vandali parti Hispaniæ. Sic Lybius victis Lybicis, nomen dedit à se, cùm antea vocaretur Pyritæi, id est, Phaëthōtæi, quod scribit in Genes. sanctus Hieronymus. Sed qui non victores ita fecerunt? In historiis simile quiddā est. Marcus Imperator legionem Christianorum Fulminatricem vocauit. Et quidem ante illum fuerat fulminatrix legio, sed tamen, quia id nominis iussu Marci renouatum E est, dictus est ille simpliciter nomen dedisse. — Victores victis dāt nomen.

20 ALTÆ.] Vel propter colles, in quibus sita est Roma: vel est vrbium epithetū. Sic Homerus Troiam αἰπεινήν, & αἰπύ vocat. Horat. 4. Od. 6. *Troiæ altæ*. & Od. 16. *altis vrbibus*. — Roma cur alta.

a Musa mihi causas memora, quo numine læso,
Quidve dolens Regina Deûm, tot voluere casus

Insignem

Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit, TANTÆNE animis cœlestibus iræ?
[b] Vrbs antiqua fuit (Tyrij tenuere coloni)
Carthago: Italiam contra, Tyberináque longè
Ostia, diues opum, studiisque asperrima belli.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabita coluisse Samo. hîc illius arma,
Hîc currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse
(SI QVA fata sinant) iam tum tendítque fouétque.
[c] Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces:
Hinc populum latè Regem, bellóque superbum
Venturum excidio Libyæ: sic voluere Parcas.
[d] Id metuens veterísque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.
[e] Necdum etiam causæ irarum sæuíque dolores
Exciderant animo: MANET ALTA mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super iactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaûm, atque immitis Achilli,
Arcebat longè Latio, multósque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
[g] TANTÆ MOLIS erat Romanam condere gentem.

ARGVMENTVM.

Post propositionem inuocat Calliopem quæ præest heroicis vatibus. Præmissa propositione & inuocatione, est iam in aditu Narrationis, vbi describitur Carthaginis antiquitas, origo, situs, diuitiæ, studia militaria: supráque omnia fauor Iunonis, & fauoris huius argumenta. Deinde adhibet causas, quibus Iuno irata in Troianos: prima ducitur ex futura Romanorum potentia; altera ex præterita Troianorum; quatuor ex propria Iunonis ipsius persona.

EXPLICATIO.

[a] SEQVITVR inuocatio, quam separat à propositione, atque in excursu Æneæ constantiam attingit, & iras Iunonis. Sed cur Musam inuocat? Nam nescit ipse causas, cur irata Iuno ita pertinax in Æneã fuerit. Quis enim credat tanto dolore, Deorum Reginam percitam, vt *impulerit adire tot labores, tot casus voluere virum pietate insignem?* Cùr ergo in tanta innocentia tam infanda patitur? cui fauent superi, si pietati non fauent? Inde nata admiratio illa coniuncta cum exclamatione, *tantæne animis cælestibus iræ?* quam qui satis capit, Vatem istum censebit esse summum.

[b] Præmissa propositione & inuocatione est iam in aditu atque in vestibulo (sic dicam) Narrationis. *Carthago* (inquit) *Vrbs fuit antiqua.* en tecta & ingeniosa adulatio. Si *fuit* non iam est, vt quæ euersa Romanis viribus. Pergit. *Tenuere illam coloni Tyrij,* qui vnà cum Didone profecti sunt è Tyro in ea loca Africæ. Porro verbo isto *teneo* sæpe scriptores explicant illos, qui nouas sedes occupant. Sed vbi sita Carthago? *Contra Italiam,* id est, è regione Italiæ. Vbi signatius ? *Lon-*A *gè contra ostia Tyberina.* id est, sita est in Africa contra eam partem Italiæ, qua Tyberis in mare influit. Quæ verò est ista vrbs ? Inclyta opibus, armorum studio, Iunonis numine. Extremum dilatat. Nam *vnam* Carthaginem *Iuno fertur coluisse magis terris omnibus.* Quin (quod mirere) illam prætulit Samo, vbi hæc Dea nata, nutrita, impensè culta. Amoris huius & pretij signa sunt arma & currus huius Deæ, quæ posita in Carthagine: sed præcipuè fauor, quo illam prosequitur. Nam, si per fata liceat, eò destinat studia sua Iuno, eò tendit, vt Carthago imperet omnibus gentibus, non Roma: ídque conatur ex quo constituta primùm Carthago est, nam hoc est, *iam tum.* Notat prudenter Iul. Scal. datam à poëta eminentissimo normam laudandæ vrbis ab antiquitate, conditoribus, B situ, opibus, studiis, fauore numinum, demum à cælestibus monumentis.

[c] Sequuntur sex argumenta quæ animum Iunonis inflammabant. Primum ducitur à futura Romanorum potentia, qui ducturi essent originem à Troianis, qua potentia oppressuri essent Carthaginem, atque euersuri vrbem illam totius Africæ arcem. Nam parcæ iam destinauerant vt Romanus populus ortus à Troianis latissimè imperaret, bello esset superbus, ac maximus, atque id in perniciem Libyæ. en primus stimulus, sequitur alter.

[d] Metuebat Iuno superiora, deinde stimulabatur, postquam occurrebant præteritæ Troianorum opes, C quibus contra Græcos pugnauerant, in quo bello illa principem operam pro Græcis nauauerat. Nam hîc *prima* princeps est: Cùm ait *metuens,* vide laudem tacitam. Metuit quippe Dea homines, Iuno Romanos.

[e] Restant reliqua quatuor argumenta ducta ex propria Iunonis ipsius persona, quibus omnino indicatur Æneas culpa omni vacare. Sunt illa *iudicium*

Paridis, quo Venus in pulchritudine Iunoni & Palladi prælata est (fabulam pomi aurei sciunt omnes) inde seges irarum in vtraque Dea, quas tamen efficaciùs retinuit Iuno. Deinde *iniuria spretæ formæ*, est hæc secunda dolorum causa. Adiicit quippe Poëta animum ad res Antigonæ. Fuit hæc filia Laomedontis, & eximia forma, quâ freta, ausa est contendere cum Iunone de pulchritudine, quam ideo Iuno vertit in ciconiam. De qua re in promptu sunt versus Ouidij. 6. Metam. Sed quæ tertia causa? *Et genus inuisum.* Dictum hoc propter Dardanum, à quo Troiani, filium Iouis ex Electra pellice, vnde consequens Troianos omnes inuisos esse Iunoni. Habent enim nouercæ in summo odio filios natos ex pellice. Extrema causa, *& rapti Ganymedis honores:* Trita est fabula. Sed cur Iuno pungebatur? quia in honore ministrandi Ioui prælatus est Ganymedes Hebæ, quæ erat Iunonis filia. Neque vtcunque prælatus, imò amota illa, ille substitutus.

f Ex præcedentibus argumentis concludit quo odio aduersum Troianos Iuno flagraret. Constituit etiam notas huius odij pares tantæ indignationi, videlicet à fortuna, quam passi, nam iactabantur, arcebantur, errabant: à loco vbi passi, nam iactabantur toto æquore, arcebantur à Latio, errabant circùm omnia maria: demum à tempore quo passi; nam calamitates istæ durauerunt per annos multos. Maluit ita dicere, quàm signare annorum numerum, ad incrementum orationis. Notet adolescens superiorem orationem pendere vsque ad verbum *arcebat*, & sic coniungat: Iuno id metuens, & accensa acceptarũ iniuriarum dolore, arcebat Troianos longè à Latio.

g Post tot odia Iunonis, post tot errores Troianorum, sequitur aureum epiphonema ad Romanæ gentis gloriam. Quæ futura sunt magna, necesse est vt per magnas difficultates ad incrementum perueniant. Quantam putas Romam fore, ante cuius ortum subeunda fuit irarum machina, toleranda laborum series, cædium tragœdia quædam peragenda? Armatur quippe Iuno, ne nascatur, & tamen nascitur inuitâ Deâ: quanta ergo illa futura est, ergo *tantæ erat molis condere Romanam gentem*, quia illa futura erat magna.

NOTAE.

1. MVSA] Separat inuocationem à Propositione, nihil curans Homerum qui confundit, vt fere alij Græci. Disputant multi, an separandæ sint istæ duæ partes ex præscripto Virgilij, an confundendæ, ex Homeri atque in id abeunt, vt primum illud seruent Latini, alterum Græci. Mihi videntur Poëtæ non multum id curasse, cùm videam & Græcos interdum separauisse, & Latinos coniunxisse. Itaque neque illi Homero, neque hi Virgilio semper institerunt. Sæpe enim Pindarus proponit nulla facta inuocatione. Oppianus, de Venatione, post longam propositionem, subdit, ἵλαθι πότνια θεά: *faue veneranda Diua.* Auctor etiam hymnorum sæpe separat has partes. Contrà Latini interdum confundunt. Nam Statius in Achilleide, (Inuocatio Poëtar. Propositio Poëtar.)

Magnanimum Aeaciden, formidatámque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam succedere cælo
Diua refer.

Transeo ad aliud. Roges, Musam cùm inuocat, quam intelligat: Calliopem, Lector. Nam hæc Musarum Regina, dux & princeps heroici carminis. Ausonius: (huius est enim, si Scaligero, & doctis aliis credimus) (Calliopè præest Heroicis vatib. Est Regina Musarum.)

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Cælius Bassus lib. 2. Lyricorum:

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Horatius quoque Od. 4. lib. 3. *Regina Calliope* dixit. Præterea alij apertè nominant. Stesichorus, δεῦρ' ἄγε Καλλιόπεια. Oppian. 1. Venat. Τοῦτό με Καλλιόπη κέλεται. Homeri enarrator. 1. Il. οὐ προέθηκε δὲ οὐδὲ ὄνομα Μούσης, πάσας διὰ τῆς μιᾶς καλῶν· λέγει δὲ τὴν Καλλιόπην: *Nullius musæ nomen constituit, sed omnes in vna inuocat: Calliopem autem intelligit.* Philostratus in Heroicis loquens de poëtis, ait, τὴν Καλλιόπην παραλυχεῖν αἰτούμενοι τῷ λόγῳ: *Calliopem, vt orationi adsit, inuocant.* Placuit autem Poëtæ in nominanda Calliope, Odysseam potiùs imitari, quàm Iliada. Nã ibi, ἔννεπε Μοῦσα. in Iliade generaliùs, θεά. & Pindarum, qui Musam inuocat, non Deam. Statius Homero hæsit in Achilleide, ait enim, *Diua refer*, & in Theb. B

— Vnde iubetis
Ire Deæ.

Silius Virgilio,

—da musa decus memorare laborum
Antiquæ Hesperiæ.

2. MIHI.] Homericum est,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

3. MEMORA] Præclarè Homerus Il. ἄειδε. In Odyss. ἔννεπε. Stesichorus, ἄγε. Pindarus, μαντεύεο. Oppianus, ἵλαθι. Auctor hymni in Mercurium ὕμνει: *cane, dic, age, vaticinare, faue, laud*[illegible] supe[illegible] Græcos Virgilius; nam aptius *memora.* sunt enim Musæ filiæ Memoriæ, Μνημοσύνης. Ex eadem obseruatione in 9.

Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.

C Poëtæ animum Silius aduertit, dixit enim

—da Musa decus memorare.

In Græcis etiam reperi. Nam auctor hymni in Bacchum μνήσομαι, quo etiam verbo vsus Apollonius, & Pindarus Od. 1. Nem. *Vult Musa meminisse*, Μοῖσα μεμνᾶσθαι φιλεῖ.

4. QVO NVMINE LAESO] Animaduerte hoc verbum vsurpari, cùm sermo est de offensa Deorum. Tibullus lib. 3. eleg. 4. (Lædo, de offensa Deorum.)

Nec læsit magnos impia lingua Deos.

Ouidius:

Si de tot læsis sua numina quisque Deorum
Vindicet.

& in Tristibus, cum Diis loquens: *quos certè nullo puto crimine læsi.* Non abludit Homerum dixisse 4. Il. ὅρκια δηλήσασθαι. nam iuramenta ad sacra pertinent. Liuius lib. 45. *fides lædatur.* In voce *numine* refer Poëtam tantùm ad Iunonem. Est enim numen Deorum potestas. Itaque vnus Deus plura habet numina, id est, plures potestates. Iuno certè octo, vt minimùm, quæ Lilius commemorat. Id etiam satis indicat versiculus Ouidij in Ibim in hac nota iam adductus, & verba Arnobij lib. 2. *Vt enim Dij certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates: neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiæ, postulatis.* Ergo *quod numen læsit?* erit, quam Iunonis potestatem læsit. De opinione porro veterum, qui suis Diis mala accepta attribuebant, lege notam Turnebi lib. 18. cap. 32. Dionysius. 1. Antiq. locutus est pene vt noster, sic scribens τίνα θεῶν, ἢ δαιμόνων παραβάντες. Quæ proculdubio ab Herodoto accepit, qui lib. 6. τίνα δαιμόνων παραβάντες, τὰ δὲ ἀναπίμπλαμεν; *Quo Deorum offenso ista patimur?* (D) (Numen quid sit.) (E)

5. VOLVERE CASVS.] *Veluti molem quandam* ait H. Steph. Neque verò est ταυτολογία. nullam enim in Virgilio agnosco. nam *voluere casus* ad corpus pertinet, vel à prouerbio, ad quod allusit: vsurpauit enim Terentius *hoc saxum voluo* cum respectu ad Sisyphũ: *adire* autem *labores* ad animum spectat. (Voluo.)

6 TAN

6. Tantæne animis cælestibus iræ] Agnosce emphasim. Quasi dicat, Cælestésne etiã irascuntur? non decet. Euripides in Bacchis, ὀργὰς πρέπειν θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς: *Non decet irasci Deos instar mortalium.* Aduertit verò præclarè Germ. *iras* plurali numero significanter dici cùm sermo est de Diis. Ouid. 1.Met.

—dignas Ioue concipit iras.

In 4.Geor. de Nymphis

—irasque remittent.

Et alibi.

Es germana Iouis Saturnique altera proles:
Irarum tantos voluis sub pectore fluctus?

Æsopus in fabella mulieris veneficæ, θείων μηνιμάτων. Liuius lib.8. *preces, quæ Deorum iras placant.* & lib.3. *veniam irarum cælestium exposcunt.*

Iræ Deorũ.

7. Vrbs antiqua] Nam condita ante Romam. adi Iustinum. scio aliquos dissentire (ad rem Virgilij nihil) imò conditam ante captiuitatem Ilij annis quinquaginta, si credas Appiano in Libycis. Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ Φοίνικες ᾤκισαν ἔτεσι πεντήκοντα πρὸ ἁλώσεως Ἰλίου. Ideo de eadem vrbe ibidem, πόλεως ἀρχαίας: *vrbis antiquæ.* Corradus acumen in Poëta inuenit. Lingua Pœnorum Carthago est vrbs noua; ergo, κατ' ὀξύμωρον antiqua, tale illud sexti *non comptæ comæ;* & suprà *sæuæ Iunonis.* nam etiamsi à iuuando, sæua tamen.

Carthago quando cõdita.

8. Coloni] Non tam cultores terrarum intellige quàm ἀποίκους, id est, deductos in colonias, vtique ἀποικίας. Tale illud, *Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis.* Arist.2.Polit. ἄποικοι γὰρ οἱ Λύκτιοι τῶν Λακώνων ἦσαν: *Lyctij Laconum coloni erant.* Sic ergo Carthaginienses coloni Tyriorum. Isocrates Paneg. ita extulit, πάσας τὰς νήσους κατῴκισαν. Itaque *coloni* tam Græcis quã Latinis explicandi sæpe pro his, qui ex propriis domiciliis exeuntes, mutant sedes, quas alibi figunt. Causam coloniarum hanc adhibet Plutarchus de Stoicorum repugnantiis. αἱ πόλεις πλεονάζουσαι εἰς ἀποικίας ἀπαίρουσι τὸ πλῆθος: *vrbes abundante multitudine colonias deducunt, vt se exonerent.*

Coloni ἄποικοι.

Coloniæ cur deductæ.

9. Tiberinaque longe Ostia] Non temere vsus plurali, nam & Plinius *ostia Tiberina* dixit, quia plura. Particula *longè*, nec *valde* nec *præcipuè* explicanda: primum cum Seruio, alterum cum Charisio. tantum dicit respectum ad interuallum illud, quod est à Carthagine ad ostia Tiberis. monuerunt interpretes.

Tiberis multa ostia.

10. Studiisque asperrima belli] Non tam à peritia bellandi laudat: (nam hoc si faceret, offenderet Romanorum animos, qui inimicam vrbem ita laudaret:) quàm à bellandi cupiditate: ideò tantùm *asperrima studijs belli.* Erat enim Carthago auida tractandi armorum, & tractauit sæpè contra Populum Romanum, à quo non semel defecit, id enim videtur Poëta insinuare. Ad locum Virgilij spectauit Tertul. de Pal. *Arietem nemini vnquam adhuc libratum illa dicitur Carthago, studijs asperrima belli, prima omnium armasse.* Hoc de ariete explicatius attingit Vitruuius lib. 10. cap. 19. nam ad Hispaniæ Gades oppugnandas inuentum primò à Carthaginiensibus scribit. Plinius hanc fabricam Epeo dat lib. 17. cap. 56. Lege in hunc locum Seruium, quem nescio cur Robertellus ineptiæ damnet.

Carthago bellicosa.

Aries militaris vbi inuentus.

11. Coluisse] Ab hoc fauore & cultu quo amplexa est Iuno Carthaginem, dicta est vrbs ipsa Iunonia, quod ex Solino, & Plutarcho aliqui colligunt. Lege Abrahamum.

Carthago vrbs Iunonis.

12. Samo] Cur ad comparationem Samus adducitur? Nam illa, ait Apuleius lib.6. *querulo partu vagitúque & alimonia Iunonis gloriatur.* Nam ibi Iunonis, ait idem.2.Flor. *donariũ perquam opulentum*, & tamen illi Carthago præfertur. Ab hoc cultu Samij in Iunonem, (ait Athen. lib.14.) ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν Σαμίων ταὼς ἐστιν, *Samiorum nummis imprimitur pauo*, quæ auis Iunoni sacra. Lactantius lib. 1. cap. 15. *Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.* Minutius de elogiis Iunonis: *Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna.* Quæ verba sunt etiam in Cypriano de Idolorũ vanitate. Cùm hæc ita sint, mirantur Erythræus, & Germanus, cur Iuno apud Homerum. 4. Il. Sami mentionem non fecerit, recensens loca sibi sacra. Sed certè Iuno Vrbes voluit numerare, abstinuit ab insulis: ideo ibi mentio tantùm Argorum, Spartæ, Mycenarum.

Samus. Iuno Samnata.

Pauo Iunonius.

B

13. Hic illius arma] Hastam intellige. nam hæc Dea veteribus Hastam ferre dicebatur. Inde illam *hastatã*, vel *Curitim* dixere. Festus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutela sunt, quæ ita appellatur à ferenda hasta, quæ lingua Sabinorum Curis dicitur.* Plutarchus ἐν Ῥωμ. Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασται: *Iunoni sacra esse habetur hasta, & multa eius statuæ hastæ innituntur, ipsáque dicitur Dea Quiritis.* Ad arma etiam Iunonis multum conducit illud Poëtæ in 2. qui de hac Dea *ferro accincta*, quo sanè gladius innuitur. Græcis dici illã ὁπλοσμίαν, ab armis Corradus notat. In Pausan. lib.5. inuenias mentionem aræ Ἥρας ἱππίας, *Iunonis equestris*, quem habitum sequi videntur Arma. His apparet Iunoni non hastam solùm, sed alia quoque arma attributa. Quin Valerius Flaccus illi dat Ægida; Seruius, clypeum: testimonia adducam in sequenti nota. Quin ad hastam Iunonis pertinet mos ille, quo caput nouæ nuptæ comebatur hasta celibari, quæ in corpore gladiatoris abiecti occisique stetisset. Cuius moris causæ multæ, tum illa, quæ ad rem, vt scilicet matronæ essent in tutela Iunonis. Hunc morem præter Plutarchum in Romulo, & de Caussis, attigit quoque Arnobius lib.2. *Maritorum genios aduocatis, nubentium crimen celibari hasta mulcetis.* Inde lux Ouidio qui 2. Fast. admonens vnà cum parentationibus non admiscendas nuptias, vtitur hac verborum periphrasi:

Iuno Hastata & Curitis.

Iuno ὁπλοσμία. & Equestris.

C

Ægis Iunonis.

Hasta Celibaris.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.

D

14. Hic currus fuit] Quis hic? Non thensa, vt volunt aliqui, nam hæc communis Diis aliis, & hìc speciale quiddam insinuatur. de militari apparatu, verè militarem currum intelligo, quo vsam [illegible] bello Iunonem Homerus scribit. Hic currus seruabatur Carthagine, quod Poëta hìc scribit, & Ouid. 6. Fast. apud quem hæc Dea ita loquitur,

Iunonis c[illegible]

Pœniteat quòd non foui Carthaginis arces,
Cùm mea sint illo currus & arma loco.

Indicat Apuleius lib. 6. vbi in oratione Psyches ad Iunonem dicit, hanc Deam cœlo solitam commeare leonis vectura, idque iuxta Carthaginem. Vnde elici potest, eam cùm ab ea concursatione quiesceret, currum ad eandem vrbem solitam remittere, iuxta quam vehebatur. De studio etiam Iunonis erga currus & bella Valerius Flaccus lib.5. ita ait,

E

Cui Iuno, dimitte metus, ne prælia forte
Hinc tibi grata negem: iamiam manet ægida sudor
Et nostros iam sudor equos.

Qui hi equi, nisi currus? Allucet multùm ex Seruio, qui in sacris Tiburtibus hanc precationem fieri solitam scribit: *Iuno Curulis tuo curru clypeóque tuere meos curiæ vernulos sanè.* Hæc omnia satis indicant bellicum apparatum. Sed quid opus multis, vbi extant lucu-

lenta Homeri de curru huius Deæ, déque aurigatione Hebes. lib. 5. Il. ídque versibus decem & tribus, quos ita Latinos reddidi pari numero, non vt operam meam cum Oeobani comparem.

Lucentes auro velox Saturnia Iuno
Aptat equos: Hebe currúsque rotásque volucres
Aeratas circumferrato subligat axi
Octonis radiis, est aureus ambitus illis
Incorruptus adhuc, canthi curuamine circum
Ex ære aptati supra, mirabile visu.
Modioli argento pulchro circundati vtrinque.
Sella intus loris argento auróque venustis
Tenditur. ast orbes excurrunt ordine bino.
Fulgidus argento temo deducitur inde.
Illa iugum in summo religat, mox lorea vincla
Aurea composuit: post quæ Regina citatos
Sub iuga cogit equos, belli studiosa furentis.

Quærebam diu cur Homerus aliíque Iunonem describant curruum perstudiosam: & inueniebam hàc fortasse posse esse causam. Nam qui primus currum fabricauit, Iunoni id opus dicauit, & in Argis, quæ vrbs Iunoni sacra. Tertullianus de spectaculis: *Trochilus Argiuus auctor est currus, primò Iunoni ad opus suum dicauit*. Iisdem ferè verbis Isidorus. Sed de loco Tertulliani, & aliis, qui eadem, alibi à me dictum. Hæc ita multis, consulens inopiæ interpretum.

Currus cur facet Iunoni.

Currus inuentor.

15. Hoc regnvm, &c.] Propriè admodum datur Iunoni cupiditas regni erigendi, vt quæ regnis atque opibus præsit, vt Pallas bello, Venus amori. Eius tamen in Carthagine conatus fuit irritus, ideo *tendit*. Sed in irrito conatu non cessat, ideo *fouet* non tanquam *imbecillam*, vt vult Seruius. Nam quî imbecilla, quæ armis potens, quæ diues opum? Sed *fouet* illam blandè ac tenere, vt mater filium. Sententiæ Virgilij ita insistit Silius lib. 1.

Iuno præest regnis.

Hic Iuno ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenem,
Optauit profugis æternam condere gentem.

16. Si qva fata sinant.] Quod tamen non sinebant. Nam Iuppiter ad Venerem infrà:

—manent immota tuorum
Fata tibi.

Est *quá*, qua via, qua ratione, id est, si fata aliqua ratione sinant. Integrum versum arripuit Prudentius. 2. in Symm.

17. Progeniem sed enim, &c.] Superiori orationi sequentem opponit. quasi dicat: Volebat illa Carthaginiense regnũ orbi imperare, sed audierat tamen fore populum, qui illud euerteret. in verbo *audierat* notatur studium Iunonis in perquirendo scrutandóque, quid futurum Carthagine. Illud *progeniem duci* non est, progeniem ducendam, vt malè quidam. Sed iam tum duci progeniem à Troiano sanguine. Nam Anchises in Ænea viuebat, & Æneas in Ascanio, atque ita fatale illud genus ducebatur iam tum in perniciem Carthaginis. Qua enim lege illi præsens explicant per futurum? Cùm dicit *progeniem*, notat Onuphr. Panuinus in libello de nominibus Roman. posse accipi Scipiones, qui deleuerunt Carthaginem: ij enim erant Æmiliæ gentis, gens autem Æmilia deducta est, vt scribit Festus, ab Æmilio filio Ascanij, filij Æneæ. Itaque audierat Iuno à fatis, à Ioue, iam tum duci progeniem à Troiano sanguine, quæ aliquando euerteret arces Carthaginis. In verbis *Troiano à sanguine* multi enallagem capiunt, vt dixerit *sanguine* pro genere, defendi potest. Sed vide an propriè loquatur, & *sanguine* dixerit pro semine. nam purissimus sanguis in semen influit. Faciunt verba hæc Clementis. lib. 1. Pædag. cap. 6. *Iam verò nonnulli quoque anima-*

Æmiliorum origo.

Sanguis pro semine.

A *Hi semen statuunt esse spumam sanguinis in essentia, qui innato masculi calore, in coniunctione turbatus, ventilatus spumescit, & deponitur in venis seminariis. Hinc Diogenes Apolloniates vult Venerem Græcè esse dictam Ἀφροδίσιαν. Ex his omnibus est euidens, sanguinem esse humani corporis essentiam.* Homerus etiam dixit,

Venus cur Aphroditis.

Πατρὸς δ' ἐξ ἀγαθοῖο, καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι·
Patre bono, & sanguine me glorior esse.

18. Popvlvm late regem] Nomen est pro participio, id est, latè regnantem. Ita vicissim participium pro nomine. Lucretius, lib. 2.

—& corpora cuncta volantum,

pro, volucrum. De magnitudine Romani populi nihil hîc dico, reseruans ad lib. 6. Æneidos. Tantum B nummum Commodi, qui adhuc visitur, in quo Italia supra mundi orbem sedet, dextra sceptrum gerens, supra caput sunt turres & propugnacula in morem coronæ. Ex versu Virgilij Prudentius in Symmachum,

Italiæ nummus.

Nónne pudet Regem populum, sceptrísque potentem.

19. Ventvrvm excidio] Lege notam Iul. Scaligeri lib. 4. Poët. c. 16.

20. Volvere] Propriè, nam Parcæ voluunt, & nent fila. Græci νήθειν, καὶ κλώθειν. Philostratus, κεκλωσμένα: *fato destinata*, ad verbum, *voluta, glomerata, neta*. Pari indole Poëtæ alij. Ouidius in epist. Sapphus:

Voluo verbum fatorũ.

Et data sunt vitæ fila seuera mihi.

Statius. 7. Theb. de Parcis *reuoluere stamina*, Claudianus. 1. Rap. de iisdem:

C *Longáque ferratis euoluunt secula pensis.*

Quin Κλωθὼ vna Parcarum nomen inde sumsit. Cui Plutarchus de sorte lunæ attribuit verbum συνώθει ab stamine, quod colligit. Nonnus lib. 3. μοιρίδιος κλωστῆρος, *fatalis fusi*. Plautus à Parcis etiam sermonem in Menæchm. *Quem ego hominem, siquidem viuo, vita deoluam sua*. Nam, vt vita conuolutione, & glomeratione staminis producitur, & fit longior, ita, fit breuior, cùm stamen iam conuolutum deuoluitur, vt præcidatur. Ita explicat Plautum Simon Blosius. Ad Parcas quoque allusit Paulinus epist. 36. *Fata simulantur vitas nere de calathis*. De illarum potestate, ita statim: *In gremio anus* (Plato) *pensum Necessitatis exponit, & tres ei filias addit concinnantes & versantes fusum, & per fila ludentes. Hoc scilicet lanificio autumans* D *eas conficere res hominum, & tempora cuique signata detexere.*

Clotho vnde dicta.

Necessitas mater Parcarum.

21. Parcas] Ridiculi sunt, qui *Parcas* dictas putant, quòd parcant nemini. Hanc Grammaticorum antiphrasim alibi explodam. Verè dictæ sunt *Parcæ*, quòd Parcæ sint, id est, perparcæ, atque auaræ, & parum liberales. Nam cùm vitæ finis approximat, statim filum secant, neque minimum vitæ concedunt vltra destinata fata. Varro, quem citat Agellius, ducit à pariendo: credo, quòd statim à partu infantis vitam suscipiant.

Parcarum etymon.

22. Satvrnia] Bene in hunc locum Seruius, habétque laudatorem Iulium Scaligerum: *Saturnia autem nomen quasi ad crudelitatem aptum posuit. Virgilius enim vbicunque Ioui vel Iunoni Saturni nomen ad-* E *iungit, causas etiam crudelitatis adnectit, vt*

Saturnius quid signet.

Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis. & alibi,
Es germana Iouis, Saturníque altera proles;
Irarum tantos voluis sub pectore fluctus?

23. Charis argis] Iuno apud Homerum. 4. Il. inter vrbes sibi charissimas principe loco Argos numerat. Inde Iunonis Argiuæ honesta appellatio, cuius meminit Euripides, & Plutarchus de solertia animalium.

Argi Iunonij.

24. Ma

24. MANET ALTA MENTE REPOSTVM] Est hoc quod Poëta,

—aeternum seruans sub pectore vulnus.

Sallustius flexu isto. *Quod verbum in pectus Iugurthæ altiùs, quàm quisquam ratus erat, descendit.* Fabius declamat. 305. *odia altissimè sedent.* Tacitus lib. 16. *offensio altiùs penetrabat.* & 1. Annal. *iras retinebant.* Liuius lib. 45. *ingentes iam diu iras in pectore voluere.* Seneca quoque lib. 1. de Benef. cap. 1. ait, *comparatum esse natura vt altiùs iniuriæ, quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat.* Idem lib. 1. de ira. cap. 4. recensens irarum differentias, extremo loco ponit illas, quæ *altæ grauésque sunt, & introrsus versæ,* indicās has esse maiores, & difficiliores. Præclarè admodum Plautus Pœnul. *Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.* Huiuscemodi ira videtur referenda ad illam, quam Græci dicunt κότον. Nam Scholiastes Aristophanis in Ranis, discriminans iras, περὶ τοῦ κότου, ait, ὀργὴ ἐπιτηροῦσα, *ira reposita.* Hoc Poëta indicans ait *manet.* Possis cum Philostrato ita referre, βεβυθισμένον τῆς ὀργῆς, *iram profundam & submersam.* De iudicio Paridis, quid contra Macrobium scribat Iul. Scal. lib. 5. Poët. cap. 3. in promptu est. Auctoribus, quos de hoc iudicio alij aduocant, adiunge Dionem Chrysost. orat. 20. Philostratum Iuniorem in Iconibus. B

25. SPRETÆQVE INIVRIA FORMÆ] Causam hanc aliqui coniungunt cum superiore, nam spreta Iunonis pulchritudo ab Paride. Sed placuit relinquere iudicium Seruij, Donati, atque aliorum, & vni hærere Corrado, qui de Antigone accipit, quod iam aperui. Mouet me ratio, imò rationes. Prima, vult Iuno persequi causas iniuriarum, cur ergo hanc relinqueret, quæ grauissima, & contumeliosissima? & ipso adhuc iudicio Paridis grauior? Nam sperni se in comparatione Veneris, quæ formosissima, non ita indignum: atqui sperni à mortali fœmina indignissimum, acerbissimum. Deinde, cur Poëta amantissimus simplicitatis, bis dicat eandem rem? cur reperat nulla necessitate? Etenim quo tu iure confundis hæc duo, possem ego & quod sequitur de inuiso genere. C

Iuno spreta ab Antigone.

26. RAPTI GANYMEDIS HONORES] De loco, vbi raptus Ganymedes, dissentiunt Strabo, & Athenæus. Vterque lib. 13. Prior ait ostendi illius ἁρπαγεῖα in confinio Cyziceni & Priapeni agri: posterior, apud Chalcidenses. Suidas, raptum istum longè aliter narrat quàm habetur in fabulis, vt etiam Orosius lib. 1. c. 12. ex poëta Phanocle.

Ganymedis raptus.

27. ACHILLI] Pro Achillis, ad euitandum ὁμοιοτέλευτον, ait Seruius. Meliùs fortasse Corradus, vt sit *Achilli* à recto Achillus. Nam sicut Patroclus Patrocli, & Patrocles Patroclis inuenias: cur non Achillus Achilli, & Achilles Achillis. Præsertim cùm dicat Ouidius in epist.

Achilli, quo casu.

Qua merui culpa fieri tibi vilis Achille?

Qui casus necessariò ab, Achillus. Sed cur in Poëta mentio Achillis peculiaris, & non alterius Græcorum? An quia hic Græcorum fortissimus, ad cuius iras narrandas tota Ilias dirigitur? an quia Achilles congressus cum Ænea, ad cuius gloriam decantandam tota Æneis dirigitur? Congressum hunc habes in Homer. 5. Il.

28. TANTÆ MOLIS] Hac voce solent fieri acclamationes. Lucretius,

Tantus sermonis acclamationibus.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Ennius in Thyeste in summa quoque acclamatione:

Tanta vis sceleris in corpore hæret.

ita etiam acclamat Plinius lib. 2. cap. 17. & Cicero epist. 8. lib. 2. Homerus sæpe acclamat cum his, ὡς, οὕτως. Oppianus interdum cum ὧδε. exemplum habes lib. 1. Κυνηγ. Effecit autem Roma sua magnitudine, vt *molis* nomine explicaretur ab auctoribus Calpurnius lib. 1. Ecl.

—Romanæ pondera molis.

[a] Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:
Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus,
Hæc secum: [b] Méne incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?
Quippe vetor fatis. [c] Pallásne exurere classem
Argiuùm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?
[d] Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecítque rates, euertítque æquora ventis.
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit scopulóque infixit acuto.
[e] Ast ego, quæ Diuûm incedo Regina, Iouísque
Et soror, & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero. & quisquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

D

ARGVMENTVM.

Nauigant Troiani ex Sicilia in Italiam secundo vento: Iuno dolorum retinentissima seipsa ad nouas iras concitat exemplo Palladis, quæ inferius numen, vlta est acriter hostem suum.

EXPLICATIO.

[a] POST Propositionem, Inuocationem, Narrationis aditum, iam verè est in ipsa Narratione. In aditu Narrationis causas recensuit irarum Iunonis, quas vt Musa referret, in Inuocatione petiuerat, quibus absolutis iam narrat. Ducit narrationis initium

initium à septimo anno, postquam, diruta Troia, Æneas nauigabat, quo scilicet tempore è Sicilia in Italiam transmittebat. Iam ad rem: *vix vela dabant* Troiani, & quidem *læti*, vt qui iam fermè in manibus habebant Italiam; & *vix*, quia erant pene in ipso portu, nam in conspectu Siciliæ. Tuta erant omnia, & tranquilla, neque enim, nisi tranquillo mari, illi soluissent: cùm subitò Iuno illos speculata adest cum minis: omnia conturbat, vt quæ iniuriarum retinentissima, seruabat enim *æternum vulnus*, & hoc *sub pectore*, nam illud altissimè penetrauerat. Non potuerunt latere iræ. itaque erumpit, *Méne incepto*, &c. Sed priùs expende illud *hac secum*: quasi dicat, sine conscio, qui dolorem leniat: volebat quippe iras alere.

b Non æquum, non fas me (vide emphasim) victam ab Ænea desistere ab incepto. Considera orationis iratæ initium. Est sine procemio, nihil proponit, sed supponit, tum quia irata, tum quia secum. Mox tamen vt auditori satisfaciat, explicat causam, cùm subdit *Nec posse*, &c. Sic fermè Iulius Scal. oratio verò interrupta est, & idcirco apta indignationi. Versus iste,

Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?

mirus est, vt in quo magni affectus, & totidem argumenta, quot verba. Vult Iuno probare, victam se esse, quo maiores iras colligat. quî ergo probat? Non *possum auertere*, non dicit perdere, interficere, submergere, aut verbum aliud atrox, sed tantùm, non posse *auertere*, hoc scilicet doleo. en primus stimulus irarum. alter, *Italia*, si Troianum hominem voluissem Troia auertere, difficile erat: atqui Troianum Italia? quid infirmius. Tertiò, *Regem Teucrorum*, quippe eorum qui victi sunt. Regem cùm vocat, ironicè credo, quod ab animo Iunonis non alienum. Est verò Iuno artificiosa pro se. Pudorem, quem ex præcedenti versu contraxerat, tegit fatorum inuolucro & necessitate, cùm ait,

Quippe vetor fatis. Sic Seruius, & alij. Robortellus tamen ironicè capit totum hunc locum. Quasi dicat: Potero auertere, nec me vetabunt fata.

c Exemplum adducit per comparationem rei gestæ à minore Numine, minore in re, minore merito, maiorum tamen irarum (ait Scal.) & maioribus instrumentis. Ergo *potuit Pallas exurere classem Argiuûm*, ego nequeo Troianum *auertere*? Illa Argiuos ponto submersit, ego tandiu cum vno homine conflicto? Opportunè cogitans de naufragio Æneæ Aiacis naufragiũ in argumentum adducit. Pergit. Exegit illa atrox supplicium tantùm *ob noxam vnius*, veriùs *ob furias* (erat quippe Aiax amore insanus, ac propterea minùs debuisset Pallas pungi.) ego læsa à multis, videlicet à Paride in iudicio, ab Antigone in contentione pulchritudinis, ab Electra in pellicatu, ab Ganymede, in expulsa Hebe, nihil contra illos proficio.

d Quid præterea? *Ipsa* (vide emphasim) met Pallas *iaculata est fulmen*. Est enim dulcis vindicta quæsita manu propria. Vnde & hoc quoque dolet Iuno, alterius se viribus, Æoli, debere vti. Affingit enim Palladi, quæ, iuxta alios, vel Iuppiter, vel Neptunus fecit, tantùm ad vim argumenti. Quid verò iaculata est? *fulmen Iouis* & hoc *è nubibus*. Aduocat Iuno omnia adiumenta ad iras suas concitandas. quasi dicat: Omnia seruiunt Palladi, fulmen Iouis, nubes meæ. Sunt quippe nubes in potestate Iunonis. Et eadem opera attingit Poëta Physicam naturam fulminum, quæ expuuntur è nubium collisione. Procedit: Pallas illo fulmine

A *Disiecitque rates euertitque æquora ventis.*

Notat Scaliger, grandius dici *euertit*, quàm subuertit, quasi mare extra alueũ suum verterit. & Corradus, signatiùs dici *æquora*, quàm mare, & pelagus, vt indicet æqua priùs fuisse, tranquilla, & lenia maria; quæ deinde agitata, turbata, euersa ventis. Posuit malum in communi. Quid tandem de Aiace? *Illum exspirantem flammas & transfixo pectore*, quæ res debuisset Deam ad lenitatem adducere, tamen *corripuit turbine & infixit acuto scopulo*. Quæ hæc carnificina?

e Diuina hæc ad argumentum, quod intendit Iuno. Posuit Palladem exurentem, submergentem, disiicientem, euertentem, corripientem, infigentem: cum his tam magnis atque atrocibus nullum adhibuit epithetum, & posset: nam illa Iouis filia, & præses bellorum. De se autem cùm loquitur, diuersam tenet loquendi rationem, multa attribuens, vt maiorem indicet contemptum, cùm nihil proficiat, & sic excitet se in iras maiores. Ergo *Ast ego*, mira emphasis, & opposita illi, *ipsa* quæ sum *Diuûm Regina*, quæ *soror Iouis*, quæ *coniux Iouis*; ego (inquam) *bella tot annos gero cum vna gente*, cùm Pallas illico supplicium sumpserit? Pergit, *& quisquam præterea adoret numen Iunonis?* Quasi dicat: Nemo erit qui deinceps adoret numen meum, cùm videat me tot annos bella frustra gerentem. Nam hîc *præterea* est, postea, posthac, deinceps, explicatoribus Seruio, Manutio, aliis. Quintilianus lib. 9. ait particulam poni hîc cum indignatione. Demum *quisquam supplex imponat honorem aris* meis? id est, nemo imponet. Postrema ista signatissima sunt ad iras acerbandas. Nam quid magis Deos potest pungere, quàm sibi detrahi diuinos honores? imminui cultum? religionem labefactari?

Notæ.

1. Vixe conspectv, &c.] Aperiam cur Æneidem inceperit ab hac tempestate. Primò hoc ipso Iunonis sæuities indicatur, quæ non fracta tot annorum spatio tam immaniter sæuiit in Troianos. Deinde magnitudo periculi & tempestatis ea fuit, vt nescias an aliunde meliùs potuerit vates heroicum hoc opus exordiri: cùm nihil sit grandius ad apparatum. Tertiò vitauit sic Virgilius (ait Macrob.) historicorum similitudinem, quibus lex est incipere ab initio rerum, idque texuit Homeri filo, qui facit Vlyssem suum primò nauigantem ex insula Calypsus, & ex persona sua perducit ad Phæacas. Illic in conuiuio Alcinoi narrat Vlysses ipse, vti ex Troia ad Calypso peruenerit. Post Phæacas rursus Poëta Vlyssem suum resumit, perducítque ad Ithacam. Sic Virgilius Æneam ducit ex Sicilia, perducítque ad Libyam, vbi Æneas ipse narrat in conuiuio Didonis Troiam euersam, nauigata maria; inde illum Poëta resumit, perducítque ab Africa ad Italiam. Tempestas initium Virgiliani operis.

2. Vela dabant læti] Vt videlicet postea maiorem conquestionem excitet ab commota tempestate, cùm à summa lætitia omnia reciderint in summam calamitatem. Talis peripetia excitata Aratori, Poëtæ suo æuo non ignobili. Ille itaque lib. 2.

Soluerat Eoo classem de littore victor
Austri nactus opem: cuius spiramine læta
Crebrescente via, velique patentibus alis
Aequora findebat puppis: sed mite quid inquam
Ventorum tenuere doli? mox fratribus Euri
Rupta quies pelagi, tumidisque incanduit vndis
Cærulei pax ficta maris: furit vndique pontus, &c.

3. Spvmas salis] Pro salsas spumas, duo enim substantiua eleganter Poëtæ adhibent pro substantiuo Substantiua duo.

tiuo & adiectiuo, sic *ouis pecus* in 3. Ecl.pro ouinum A pecus. Est hoc etiam è Græca elegantia. Aristophanes in Pluto, ὦ χρυσὸν ἐπῶν, ô aurum verborum, pro, ô verba aurea. Et esse hoc præcipuæ Atticorum constructionis ibi notat Scholiastes. Cæterùm *sal* pro mari Poëtis vsitatissimum. Catul.

Sal pro mari.

—fluctus salis allidebant.

noster in 3. *salis Ausonij.*

Naues æratæ, Rostratæ.

4. ÆRE] Intelligit naues illas, quæ æreo rostro in prora armantur, quas idem vates *æratas* vocat lib. 10. *Quot priùs æratæ steterant ad littora puppes.* & Liuius *rostratas* lib. 4. cùm ait *quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris erant speculatoriæ.* Ita multi Poëtam capiunt. Nunc mihi ante oculos Turnebus lib. 12. cap. 12. & lib. 26. cap. 23. & Parrhasius in Claudianum, & Philander in Vitruu. lib. 10. cap. 21. Addit postremus sic B capiendam *trabem Cypriam* Horatij, nam Tamasum Cypri oppidum habuit metalla æris plurima, vt constat ex Strabone lib. 14. Sed certè Horatius non eget hac explicatione: nam ipse tantùm loquitur de naue oneraria, & quæ seruit mercaturæ, non bello. Redeo. Naues istæ *rostratæ* aut *æratæ*, dicuntur Græcis χαλκήρεις, & χαλκέμβολοι, nisi mauis *rostrum* ipsum *æreum* dici χαλκέμβολον. Vide Lilium de Nauigiis cap. 11. Aristides in Rhodiaca, ἐμβόλοις χαλκοστόμοις, vocat *ærata rostra.*

Trabs Cypria quid?

5. SVB PECTORE] Dissoluit Græcum, ὑποκάρδιον ἕλκος.

6. HOC SECVM] Est hoc quod Ennius dixit 4. Annal.

Tum cùm corde suo Diuûm pater atque hominum Rex C
Effatur.

Quod Terentius And. *Egomet continuo mecum.* & 2. Æn.

Et casum insontis mecum indignabar amici.

Quod Apuleius lib. 4. in magnis iris Veneris: *impatiens indignationis, capite quassanti, fremens altiùs, sic secum disserit.* Græci, παρ' ἑαυτῷ νοεῖν, παρ' ἑαυτῷ λογίζεσθαι, ex obseruatione H. Stephani. Homerus verò & Germani πρὸς ὃν μυθήσατο θυμόν. idem Homerus ex mea, ὁρμαίνοντα ἀνὰ θυμόν. & Euripides in Med. αὐτὴ πρὸς αὐτήν.

7. MENE INCEPTO DESISTERE VICTAM?] Similis locus Aristophan. in Pluto. τὸ γὰρ ἀντιλέγειν τολμᾶν ὑμᾶς; Itáne verò vos contradicere ut audeatis? Te- D rentij. *Adeóne hominem esse inuenustum?* & And. *Adeon' impotenti esse animo?* Videtur verò mihi Poëta alluisse ad prouerbialem formam, *Dimidium qui cœpit habet*, qua vsus Horatius lib. 1. epist.

Dimidium facti qui cœpit habet: sapere aude.

Quasi dicat Iuno secum loquens: Incepisti iam, quid cedis retro, res media tibi est facta.

8. QVIPPE VETOR FATIS] Ita Neptunus apud Eurip. non erubescit palam fateri se à Pallade, & Iunone superari.

Νικῶμαι γὰρ Ἀργείας θεοῦ
Ἥρας, Ἀθάνας θ', αἳ συνεξεῖλον Φρύγας.
Vincor ab Argiua Dea
Iunone & Pallade, quæ communi opera perdiderunt E
Phrygas.

9. PALLASNE, &c.] Simile huic argumentum Bacchus conficit apud Papin. lib. 7. Theb. his vtens ad Iouem:

Da sedem profugo: potuit Latonia frater
Saxa (nec inuideo) desigere Delon, & imis
Commendare fretis: chara summouit ab arce
Hostiles Tritonis aquas: vidi ipse potentem
Gentibus Eois Epaphum dare iura; nec vllas
Cyllene secreta tubas, Minoáve curat

Ida: quid, heu, tantum nostris offenderis eris?

10. CLASSEM] Dictam hanc ἀπὸ τῶν κάλων, *à lignis*, ait Seruius. Vnde & *calones*, milites, qui ligna portant, & καλοπόδιον, *pes ligneus.*

Classis etymon.

11. PONTO] Πονέω Græcis est *laboro: pontus* inde qui laborem affert. Vel ποντίζεσθαι, est *submergi: pontus* itaque locus, vbi homines submerguntur. hoc præfero, præsertim cùm faueat locus hic Poëtæ, vt *Plemmyrium vndosum, achantida dumi, capræ carpetis.* Nam illud videlicet *pontus quod ponte careat*, quis non exsibilet?

Pontus vnde dictus.

12. AIACIS] Fuit hic Locrensium dux, quod vel eius epitaphium indicat,

Aiax Locrus.

Ἐνθάδε τὸν Λοκρῶν ἡγήτορα γαῖα καλύπτει
Αἴαντ' Οἰλιάδην ἐν πελάγει φθίμενον.
Locrorum Aiacem ductorem hæc terra sepulchro
Condit Oiliadem, quem dedit vnda neci.

Porro liber circumfertur continens epitaphia Heroum Homericorum. Librum hunc esse Aristotelis magni illius philosophi Gulielmus Canterus conatur persuadere, sed video adhuc hærere doctos. Ego verò id te monitum volui, vt si quando librum hunc Aristotelis aduocem, scias loqui me ex sententia aliorum. De furore Palladis, contra eos qui ausi auellere à templo supplices, qui ad eam confugerant, extat locus in Strabone lib. 6.

13. IPSA IOVIS RAPIDVM IACVLATA E NVBIBVS IGNEM] Periphrasis est fulminis. Fulmen Iuppiter iaculabatur, alij interdum Dij, quibus peculiare erat ac distinctum fulmen à Iouis fulmine. Sed Pallas non contenta suo, alieno Iouis vtebatur, quod atrocius ac sæuius. Acron in illud Horat. *Iam satis terris*, &c. sic scribit: *omnes Manubiæ albæ & nigræ Palladis esse dicuntur; Iouis rubræ, & sanguineæ.* Sic legit verba Acronis Nannius. 3. Miscel. Est autem *manubia* Hetruscorum lingua, fulmen, seu iactus fulminis. Adi Senecam lib. 2. Nat. Quæst. cap. 41. Ergo Pallas aduersum Aiacem non suo est vsa, quod album, & nigrum, sed Iouis, quod rubrum, & sanguineum. Neque verò solus Maro alieno fulmine vsam Palladem scribit. nam ante illum Calaber lib. 14. inducit Iouem præbentem Palladi arma, quæ sibi Cyclopes fabricauerant, videlicet ὀλοὸν κεραυνόν, βροντὴν στονόεσσαν, *perniciosum fulmen, tonitruum mæstificum*, vt Pallas vtatur in Græcos armis istis. Euripides etiam in Troadib. sic infert Neptunum loquentem ad Palladem,

Manubiæ Deor.

Pallas vtitur Iouis fulmine.

Ἀλλ' εἰς Ὄλυμπον ἐλθοῦσα, καὶ κεραυνίους βολὰς
Λαβοῦσα πατρὸς ἐκ χερῶν.
Sed i ad Olympum, & cape fulminea iacula patris ex manibus. Ibidem Pallas glorians,
Ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον,
Βάλλειν Ἀχαιούς.
Mihi verò daturum se dixit ignem fulmineum
Ad feriendos Græcos.

Seneca Agamemn.

—fulmine irati Iouis
Armata Pallas.

Fuisse hoc singulare Palladis priuilegium, non aliorum numinum, elici potest ex Aristide, qui orat. 2. scribit de hac Dea, μόνη δὲ τοῖς τοῦ πατρὸς ὅπλοις κοσμεῖται. quod firmat testimonio Homeri, id est, *sola paternis armis ornatur.* Quod non de ægide tantùm intelligendum, sed de fulmine, cùm Æschylus ἐν Εὐμεν. Palladem inducat ita gloriantem,

Καὶ κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη θεῶν,
Ἐν ᾧ κεραυνός ἐστι.
Deorum sola ego claues domorum scio,
Vbi asseruatur fulmen.

& cùm dicat idem Aristides: ἔξεστι τὰ τοῦ Διὸς ἔργα κοινὰ τοῦ

νὰ τοῦ Διὸς ἐπ᾽ ἐπαρωγῇ τῆς Ἀθηνᾶς: *Debent Iouis opera Mineruæ simul, & Ioui tribui.* Quæ dixi, pertinent ad fulmen Iouis, quo tamen Pallas vtitur. Sed ipsam quidem suum habere fulmen, tum ex Acrone iam adducto, tum liquidum ex Flacco 4. Argon.

Palladis fulmen.

Prima coruscanti signum dedit ægide virgo,
Fulmineam iaculata facem.

quò spectat, in nummo Domitiani (vidi in Ant. August. lib. 5. Icon.) in auersa parte excudi Palladem tenentem fulmen. Sed habéntne fulmen numina alia, præter Iouem, & Palladem? Seruius Iunoni assignat, & firmat testimonio hoc Actij: *præferuido fulgore ardor iniectus Iunonis dextra ingenti incidit.* & ego Statij, apud quem Iuno ad Iouem,

Iunonis fulmen.

—mea fulmina torques.

Habuit quoque Vulcanus. Seruius. *In libris Hetruscorum lectum est, iactus fulminum manubias dici, & certa esse numina possidentia fulminum iactus, vt Iouem, Vulcanum, Mineruam.* Inueni etiam, Marti & Saturno dari, cum hoc discrimine, vt Iouis fulmina mitiora sint; Saturni, sæuiora, & execrabiliora; Martis, cremantia: atque ita Iouis fulmen afflare dicitur; Saturni, punire, ac perimere; Martis, accendere. Fortasse ad fulmen Martis allusum à Plutarcho ἐν ἐρωτ. vocante τὸν αἰχμάλαν κεραυνὸν, veluti *bellicosum fulmen.* Adi notas Dalecamp. in lib. 2. Plinij cap. 52. Demum Plutonis quoque fuerunt. Antonius Clarus lib. singul. in Leg. inter alia axiomata legum antiquorum adducit hoc: *Manubiæ sunt iactus fulminum, quarum diurnæ Iouis sunt; primæ & secundæ sunt albæ, quia sunt innoxiæ; tertia, rubræ, quia immittuntur in exitium hominis: nocturnæ solius sunt Ditis, quæ ex qualibet cæli regione demittuntur, æquè semper atræ & infaustæ. Inter diurnas tertia Palladi tribuuntur.* Nolui verba hæc diuellere. Ex adductis illustrabis Claudianum, qui 2. Rap.

Vulcani fulmen. Martis fulmen, & Saturni. Plutonis fulmen. Manubiæ quid sint.

—ni Iuppiter æthere summo
Pacificas rubri torsisset fulminis alas:

& Horatium, qui ait, Iouem iaculantem fulmina, *terruisse vrbem rubente dextera.* vterque enim dat Ioui & rubra fulmina, & quodammodo mitia, nam prior *pacificas alas*: posterior tantùm, *terruit.* Quamobrem Poëta ad aliud Iouis fulmen videtur aspirare, quod Græci vocant, σέλας πυρπάλαμον, & κεραυνὸν αἰθαλόεντα. Vt Virgilius autem *iaculor* de fulmine, ita Plinius lib. 2. c. 20. *Iouem fulmina iaculari.*

14. DISIECITQVE RATES] Adducit Seruius quadruplex genus fulminum, *Disiiciens, Transfigens, Corripiens, Infigens.* Itaque omnis carnificina exercetur à Pallade in illis, *Disiecit rates, transfixo pectore, corripuit turbine, infixit scopulo.*

Fulminum genus quadruplex.

15. TRANSFIXO PECTORE] Non posuit corpus, non corporis partem aliam à pectore. nam in pectore percussus Aiax. Accius in Clytæmnest. de Aiace Oilei: *In pectore fulmen inchoatum flammam ostentabat Iouis.* Simile quiddam Pindarus Od. 3. Pyth.

χερσὶ δ᾽ ἄρα Κρονίων
ῥίψαις δι᾽ ἀμφοῖν ἀμπνοὰν
στέρνων καθεῖλεν.

Iuppiter manibus iaculatus fulmen per amborum pectora ademit statim respirationem. vide etiam vti Iouianus in Actio expendat verbum Poëtæ, qui non *traiecto* sed *transfixo* voluit.

16. TVRBINE] Capiunt hîc aliqui ἄνεμον στρηστῆρα.

17. INFIXIT] Vides vt hîc Aiax pereat transfixus fulmine, transfixus scopulo, idque opera Palladis. Censent alij illum naufragio euasisse, in his Timæus Locrus, lib. 2. hist. Μετὰ τῆς Τροίας ἅλωσιν πολλοὶ τῶν Λοκρῶν περὶ τὰς Γυρέας ναυαγησάντων ἀνῃρέθησαν· οἱ δὲ λοιποὶ σὺν Αἴαντι μόλις εἰς Λοκρίδα διεσώθησαν. *Post Troiam captam multi Locrensium naufragio perierunt ad petras Gereas: reliqui vnà cum Aiace vix tandem in patriam cum salute redierunt.* Sed Virgilius suo argumento seruiens, & Homerum secutus, illum naufragio obruit. Adeundus Græcus Vates Odyss. 4. Seneca in Agam. sed omnes dissident. nam Homerus Aiacis interitum Neptuno tantùm attribuit; Virgilius tantùm Palladi, Seneca vtrique, Callimachus Homero hæsit. Tempestas ista describitur etiam à Basso in Antholog. & ab Calabro, & latissimè ab Philostrato lib. 2. Icon. Vnde multa peti possent ad loci huius illustrationem. In loco naufragij nominando dissident scriptores, alij petras illas γήρας vocan; talij, γύρας.

Aiacis Locri mors, quæ.

18. INCEDO] Illustrationem loci huius debes Turnebo. Hic Iunonis incessus non referendus ad generalem Deorum, de quo ad illud:

Et vera incessu patuit Dea.

Sed respexit Poëta ad maiestatem illam, qua veteres Iunonem putabant incedere. Nam Athenæus ἥραιον βαδίζει dixit *Iunonium incedit*, ad grauitatem incessus explicandam. & Propertius lib. 2. eleg. 2.

Iunonis incessus.

—incedit vel Ioue digna soror.

Addit Turnebus hinc lucem dari Horatio sat. 3. lib. 1. *Sæpe velut qui Iunonis sacra ferret.* Nam qui ferebant Iunonis sacra, eius quoque incessum imitabantur. Hactenus ille. Idem fermè scribit Lilius. 3. syntag. & inde ortū adagium, βαδίζειν ἥραιον ἐμπεπλεγμένον: *incedere Iunonium complicatum.* Vnde apparet, quis fuerit hic incessus, glomeratus videlicet & replicatilis. Ex dictis lux aliqua accedit Liuio lib. 27. qui in sacris Iunonis, ita ait: *Virgines sonum vocis pulsu pedum modulantum, incesserunt.* Itaque complicatio illa fuit cum quodam modulo. Hinc etiam poterit illustrari Horatij locus Sat. 8. lib. 2.

—vt Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes.

19. REGINA] Iunonis Reginæ multa est apud scriptores mentio, Plutarchum, Liuium, Pub. Victorem, Dionysium, Plinium, aliósque. & Pindarus de Iunone Od. 1. Nem. θεῶν βασίλεια. Plurimæ etiam sunt inscriptiones sub hoc titulo Iunonis Reginæ, vna Romæ, altera Moguntiæ reperta. Sed hoc obuium. Sed quî hîc Diuûm Regina? An simpliciter dictum, vt sicut Iuppiter dicitur Rex, sic Iuno Regina, quia eius vxor? fortasse. An verò allusum ad peculiare nomen huius Deæ? Credendum hoc ex Poëta in Romanis rebus versatissimo, quíque quauis oblata occasione ad res & mores illius populi contendit. Simulacrum Iouis Reginæ transuectum à Veliis Romam, locatúmque in Auentino, & Liuius, & Victor tradunt. quin Liuius lib. 27. sacrum huic Deæ peractum scribit. qui illum legat, videbit pompam, maiestatem, grauitatem Iunonis Reginæ: ac perinde intelliget meritò illam apud Virgilium conqueri de contemptu suo. Similiter cùm in Xenoph. 7. ἀναβ. legis, ἔθυε τῷ Διὶ τῷ βασιλεῖ, ne capias Iouem simpliciter, sed cultum eo nomine.

Iuno Regina.

20. IOVIS ET SOROR, ET CONIVX] Ita Homerus Il. 16. de Iunone κασιγνήτην, ἄλοχόν. Ideo Iuno. 4. Il. ἀμφότερον vsurpat de eadem re loquens. Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum, Ἥρα τοῦ μεγάλου Διὸς ἀδελφή, καὶ ὁμόζυγος: *Iuno magni Iouis soror & coniux.* Seneca Agam.

—ades ô magni
Soror & coniux consors sceptri
Regia Iuno.

Apule

Apuleius lib. 6. *Magni Iouis germana & coniuga.* Cicero etiam 2. Natur. loquens de Iunone, *soror & coniux Iouis.* Est hoc quod Minutius reprehendit: *Deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos.* A

20. AVT SVPPLEX ARIS IMPONAT HONOREM] Par locus Ouid. lib. 3. eleg.

Et quisquam pia thura focis imponere curet?

[a] Talia flammato secum Dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. [b] hîc vasto Rex Æeolus antro
Luctantes ventos tempestatésque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
[c] Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt, celsa sedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollítque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cælúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrántque per auras.
[d] Sed Pater Omnipotens speluncis abdidit atris
Hoc metuens, molémque, & montes insuper altos
Imposuit, Regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est:

ARGVMENTVM.

Irata Iuno tendit ad regiam Æoli, quæ ex occasione describitur: ex eadem huius Dei potestas in ventos, ventorúmque ipsorum impetus, quos Iuppiter compreßit, compulsos in carcerem, ac dato Rege cui parerent.

EXPLICATIO.

[a] EXSPIRANS flammas Iuno, & frequenter agitans corde sæpiúsque iterans easdem doloris causas, arripit excitandæ tempestatis consilium, & hoc subitum, vt decebat iratam. Nam, quæ alia ratio auertendæ Italiæ, quæ iam prope in manibus? Ergo irata venit ad Strongylem tertiam insulam Æoliarum, quæ insula patria est nimborum, vt in qua gignantur tempestates, & ex qua erumpant. Ideo verò patria nimborum, quia illa fœcunda sunt ventis, qui latent in abditis earum insularum. Quid symbolicè significet, Iunonem iratam iuisse ad ventos, vide apud Christoph. Landin. in Quæst. Camaldulens.

[b] Describit ex occasione regiam Æoli, & eiusdem in ventos potestatem. Dat illi pro regia antrum vastum, vbi ille *premit imperio, frænat vinclis & carcere ventos luctantes, tempestates sonoras.* Ita verò verba disponit Poëta, vt posterior versus opponatur priori, vt postquam audiueris *ventos*, & hos *luctantes*; *tempestates*, & has *sonoras*, audias deinde *imperium, vincla, carceres, premo*, & *fræno*.

[c] Quid verò venti, vt fugiant imperium, carceres, vincula? *indignantes fremunt circum claustra*, & obices portarum, vt erumpant, si detur exitus: atque ita indignantur, ita intus fremunt, vt id faciant *cum magno montis murmure.* Quid verò tunc Æolus? *sedet*, non vt otiosus, nam *sedet in celsa arce*, vt inde speculetur, quid venti cogitent, quid meditentur. Cúmque teneat sceptrum in manu, mollit illorum animos, iras temperat. Ni hoc Æolus *faciat*; *quippe* vt venti sunt *rapidi, ferant secum, verrántque per auras maria, terras, cælum profundum.* Opus Marone altero ad expendenda omnia.

B [d] Accessit potestas Iouis omnipotentis, nam summa opus potentia ad comprimendam procacitatem ventorum. Ergo Iuppiter verè *pater* (agnosce paternum animum, & prouidentem de rebus mortalium contra impetus vētorum) *metuens* hoc, id est, cauens, ac prouidens, *abdidit* illos in *atris speluncis* (intellige magnas & vastas.) Neque verò contentus speluncis *imposuit* illis *molem & montes altos*, id est, molem montium, *dedítque Regem* Æolum, *qui iussus* à Ioue *sciret & premere habenas*, cùm lubeat, *& dare* item *laxas*, idque *certo* quodam *fædere*, & pacto, quo Æolus subditus est Ioui. Ad hunc igitur Iuno accessit vocibus supplicabunda.

NOTÆ.

C 1. FLAMMATO] Flamma, ignis, & similia ad iram explicandam creberrima. Suprà, (Flamma iratis.)

His accensa super.

Cicero in Verr. *arderent oculi.* Seneca. 1. de Clement. *arsit ira.* Homerus. 1. Il. ait oculos irati Agamemnonis fuisse similes πυρὶ λαμπετόωντι, *igni lucenti.* Lucretius lib. 3.

Est etenim calor illi animo, quem sumit ab ira
Cùm feruescit, & ex oculis micat acribus ardor.

Verbo Virgiliano Tacitus lib. 18. *Omnes exercitus flammauerat arrogantia militum.*

2. CORDE] Præclarè: nam cor est sedes iræ, vbi sanguinis feruor residet. (Cor sedes iræ.) Cedrenus de quodam suprà modum irato περικαρδίῳ θέρμῃ ληφθείς. innuit certè D feruentem circa cor sanguinem. Homerus. ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ: *Sed mihi cor turgescit ira.* Seneca lib. 1. de ira. cap. 1. describens notas iracundi, *flagrant & micant oculi, multus ex ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine.* Attius Meleagro, *Heu, cor ira feruit cæcum*, Catullus de Nupt. Pelei:

—in corde gerens Ariadna furores.

Iterum: *Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem.* Vetus poëta apud Tullium. 2. Fin.

—meum cor cumulatur ira.

Sed notes, iram in corde gigni, tanquam in radice, ali verò illam & augeri in pectore. (Ira in corde gignitur, in pectore alitur.) Homerus 6. Il. loquens de hac peste, χόλον ipse nominat,

Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός:
Virorum in pectoribus augetur, veluti fumus.
Auctores pro *pectore* dixisse *stomachum* Læuinus in Horatium iam monuit. Inde forma Latij trita *mouere alicui stomachum.* Adductus Homeri versus Claudianum illustrat.
Iram sanguinei regis sub pectore cordis
Protegit, imbutam flammis, auidámque nocendi.

Fœtum quid sit.

3. FOETA] Dixi de hac vocula. 1. Ecl. addam hîc, quæ postea obseruaui. Cùm sermo est proprius, semper significat animal leuatum fœtu, & difficilè allucebit scriptor (nullus fortasse erit, si bene examinetur) qui accipiat de fœtu latente in vtero. Cùm verò sermo est metaphoricus, non dubium, quin contrario sensu capiatur. nam hîc Virgilius loca plena ventis, & veluti prægnantia *fœta* vocat. & 2. Æne. fatalis illa equi machina dicitur *fœta armis.* vbi necessariò latentia in vtero arma debes intelligere. ab Paulino epist. 24. Noë arca dicitur *fœta seminibus.*

4. FVRENTIBVS AVSTRIS] Ennius priùs dixit *furentibus ventis*, quod, quia durum, mutauit in *Austris*, genus videlicet in speciem: sic Seruius. vel (quod placet Corrado) quia Auster nimbos trahit: & in parte, vbi est Æolia, multùm potest. Vnde & Plinius lib. 3. cap. 5. mare Tyrrhenum à Græcis quoque Notium ait vocari, ab eo vento. vel (quod mihi visum) ideo Austri signatè ponuntur, ratione hac petita ex Aristotele in Meteorologicis. Scribit ille, apud insulas appellatas Æoli, fieri significationem quandam futuri Noti, edito videlicet in cauis illis locis quodam sonitu; cuius sonitus causa est mare, quod à vento longinquo impulsum intercludit egressum subterranei spiritus, eúmque repellit ad interiores specus. Ita fermè ille. Poëtæ itaque omnes (quod à quopiam animaduersum vidi) quod Aristoteles de Noto tantùm scripsit, extendunt ad reliquos ventos, & numen fingunt: & vnus Virgilius signatissimè Notum voluit, hærens & præceptori Aristoteli, & veritati. Notus enim idem qui Auster.

Æolus cur Rex ventorum.

5. ÆOLIAM] Antonomasticè; nam cùm septem sint Æoliæ insulæ (scio alios octo facere; alios nouem.) Strongylem earum tertiam intelligit. quod visum Turnebo. nam ibi erat domicilium Æoli, dicente Solino cap. 12. *Strongyle tertia, Æoli domus.* Addo Plinium lib. 3. cap. 9. *Tertia Strongyle in qua regnauit Æolus:* & Strabonem lib. 6. qui loquens de hac insula: ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαί φασιν: *vbi ferunt vixisse Æolum.* Seruianum fragmentum ita habet: *Æolus Lipari filiam Cyaneam in matrimonium sumpsit, & Strongulam insulam, in qua maneret, accepit.* Dicta sic est, ait Strabo, à forma, quam habet, ἀπὸ τοῦ σχήματος, videlicet turbinis. Thucydides tamen lib. 3. Hieram facit Vulcani regiam. Nam in Ἱερᾷ (ait) Ἥφαιστος χαλκεύει: *in Hiera Vulcanus ferrariam exercet*, & addit argumentum, ὅτι τὴν νύκτα φαίνεται πῦρ ἀναδιδοῦσα πολὺ, καὶ τὴν ἡμέραν καπνόν: *quòd ea noctibus cernitur permultum ignem, diebus fumum reddere.* An istæ insulæ sint plus septem, difficile est firmare. Maxima pars scriptorum in illum numerum inclinat, Strabo, Diodorus, Mela, Plinius, Solinus, Interpretes Homeri, & Apollonij. Sunt illæ Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Eriphusa, Phœnicusa, Euonymos. In his recensendis, neque eundem ordinem, quem tenui, neque eadem nomina seruari ab aliis scio. Dissident enim Mela, Strabo, Plinius. Dictæ sunt non solùm Æoliæ, sed etiam Lipareæ, ab earum prima, deinde Vulcaniæ, & Hephæstiades, vtrunque à Vulcano. Dionysius de situ orbis Πλωτὰς vocat.

Strongyle vna Æoliarum. Æoli regia. Strongyle vnde dicta. Cur Ieras. Æoliæ insulæ. Illarum nomina.

6. VENIT] Ideo in præsenti, ad rapidam Iunonis commotionem signandam, ait Iouianus.

A 7. REX ÆOLVS] Scribit Diodorus lib. 5. Æolum Vulcaniis insulis imperasse (quæ ab eodem postea Æoliæ sunt nominatæ) pium fuisse, ac iustum regem, & perhumanum erga hospites, ac nautas, docuisse velis vti; præterea ex diligenti ignis obseruatione prædicere solitum qui venti futuri essent, atque inde locum datum fabulæ, vt ventorum Rex fingeretur. Eadem fere Strabo lib. 1. Dionysius affert de illo βασιλῆος φιλοξένου, propter illam in hospites humanitatem. Homerus 10. Odyss. illum vocat ταμίην ἀνέμων, *promum condúmque ventorum.* Plutarchus de exsilio, τὸν θεοφιλέστατον Αἴολον, *Dijs charissimum Æolum.* Horatius, *ventorum pater.* Fuisse hunc Regem Thuscorum Sostratus scribit lib. 2. rerum Thuscanicarum, & Plutarchus in parallel. Ouidius. B lib. 14. Met.

Æolus. Cur Rex ventorum.

Æolon ille refert Thusco regnare profundo.
quod de ignis obseruatione dixit Diodorus; capiendum fortasse de fumo, ex mente Plinij, lib. 3. cap. 9. & Solini, qui scribunt, Æolum, cùm regnaret in Strongyle, ex eius insulæ fumo, quinam flaturi essent venti, in triduum prædicere solitum: inde existimatum ventos Æolo paruisse.

8. ANTRO] Antrum hoc & cauernam ventorum ita latè describit Valerius Flaccus. 1. Arg.

Ventorum antrum.

Continuo Æoliam Tyrrhenáque littora tendit.
Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera surgit
Molibus, infernas totidem demissa sub vndas.
Has Nymphæ, ventíque domos, & naufraga seruat
Tempestas.
C euulsa sunt hæc carmina, nec suo ordine. iterum
montémque calybs, iteratáque muris
Saxa domant Euros.
Calaber lib. 14. ita libat
Ἄντρα πέλει στυγερῇσιν ἀρηράμεν' ἀμφὶ πέτρῃσι
Κοῖλα, καὶ ἠχήεντα. δόμοι δ' ἐγγύσα πέλονται
Αἰόλου Ἱπποτάδαο.
Antra sunt rigidis munita petris
Caua & sonora: adésque proximè adhærent
Æoli Hippotadæ.
Cum allusione fortasse ad antrum ventorum. Philostratus dat Zephyro lib. 1. Icon. σκοπιὴν, *speculam.*

9. LVCTANTES VENTOS, &c.] Huic sermoni affinis sermo Aristophanis, qui in Vespis de Borea ἐπεστρατεῖτο. Potestatem Æoli in ventos atque imperium Virgilius expressit, poëtis omnibus grandiùs, D. sublimiùs, magnificentiùs. Quis conferendus cum duobus versibus, in quibus nunc sum? quis cum illis
—*celsa sedet Æolus arce,*
Sceptra tenens, mollítque animos, & temperat iras?
Quid cùm audies?
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.
Quid illa?
Æole námque tibi Diuûm pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.
Quid demum?
Nimborúmque facis tempestatúmque parentem.
Audisti Poëtam, veriùs poëtarum omnium magistrum. Iam tibi frigebunt reliqui, boni alioquin, si ille abesset. Dionysius Afer:

Virgilius magister Poëtarum.

E ἔλαχε — Κοιρανίην ἀνέμων κλονεόντων θ' ἱσταμένων τε:
Imperium accepit ventorum, siue cùm quieti sunt, siue cùm turbidi.
Apollon. 4.
Αἴολον ὅς τ' ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει:
Æolum, qui ventis imperat natis æthere.
Homerus Odyss. 10.
Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
Ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν' ὅν κ' ἐθέλῃσι:

Fecit

Fecit illum Iuppiter ventorum quæstorem,
Vt quem velit, aut sedet, aut concitet.

Statius.4.Sylu.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos,
Cui varij flatus, omnísque per æquora mundi
Spiritus ac Hyemes, nimbosáque nubila parent.

Ciuilis administratio vti tractanda. Possis hos duos versus *Luctantes ventos*, &c. referre ad ciuilem administrationem, adeo omnia attingit eminentissimus Poëta, ventos & tempestates imperio suo reprimit Aeolus; si non satis imperium, atque auctoritas, iam tūc accedunt vincula, & carceres. Sic bonus princeps conantes efficere mali aliquid cohibeat imperio, atque auctoritate: si hoc non satis, vi reuocet ad officium.

10 SONORAS] Nescio quæ maior dignitas in hac voce, quàm si diceret *sonantes*. Ita Val. 1. Arg.

Dij quibus vndarum, tempestatisq́; sonoræ
Imperium.

Ventorum carcer. 11 CARCERE] De ventis quoque *carcerem* dixit Lucan. lib. 5. *Æolij iacuisse Notum sub carcere saxi:* & Valer. 1. Arg.

—— Fundunt se carcere læti
Thraces equi:

& Ouidius. 14. Metam.

Æolon Hippotadem cohibentem carcere ventos.

Silius lib. 4.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos.

Ventorum indignatio. 12 ILLI INDIGNANTES, &c.] Hos impetus ventorum, hæc murmura indignantium in cauernis expressit Calaber, lib. 14.

Ε῎νθ᾽ ἄνεμοι κελάδεινοὶ δυσηχέες ἠλίζοντο
Ε᾽ν κενεῷ κευθμῶνι. στεῖαχε δ᾽ αἰὲν ἰωὴ,
Βρυχομένη ἀλεγεινά.

Vbi venti magno strepitantes murmure stationem habebant
In vacua spelunca: perpetuóque sonus circumfremit
Horrendum rugiens.

Sed & Lucretius lib. 6. ita:

Speluncásque velut saxis pendentibus structas
Cernere quot venti cum tempestate coorta
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caueisq́; ferarum more minantur.

Valerius Flaccus. 1. Arg.

—At cuncti fremere intus,

loquitur de ventis inclusis.

13 MAGNO CVM MVRMVRE MONTIS] Vidi vt explicui, non enim est sententia, indignantur circum claustra montis, sed indignantur circum claustra cum montis murmure. Dicit enim infremere totum illum montem. Est *murmur* propriè aquarum. Murmur de aquis. Hesych. Κυρίως λέγεται ἐπὶ ποταμοῦ ῥεῦμα ἔχοντος: *præcipuè dicitur de amne fluente.* & Pacuuius *maris murmur* dixit, itaque metaphora est ab aquis ad ventos.

Claustrum de ventis. 14 CLAVSTRA] Hac voce vsus quoq; Statius. 1. [Theb.

—Iam claustra rigentis
Æoliæ percussa sonant.

Inde eundem explicabis. 3. Theb.

Tum fragor hiberni subitus Iouis, omnia mundi
Claustra tonant.

Quæ hæc claustra, nisi vnde venti infremunt à quatuor orbis partibus? Ita & Claudianus. 1. Rap.

—Si fortè aduersus ahenos
Æolus obiecit postes, vanescit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in claustra procellæ.

15 SCEPTRA] Regem vocauerat, iam dat insigne.

Animus, de ventis. 16 ANIMOS] Propriè, nam Græci ventos dicunt ἀνέμους. Ita 2. G. *animosi Euri*, quem locum lege.

Venti cur Regem habeant. 17 NI FACIAT, MARIA, &c.] Assignat rationē, cur ventis fuerit Rex dadus. quippe omnia cōfunderent, nullaque esset maris terrarúmq; distinctio, quod factū esse, cùm carebāt Rege, Valerius scribit. 1. Argon.

—Hinc olim soliti miscere polúmque
Infelixque fretum, neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libya cùm rumperet aduena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus vndæ.
Intonuit donec pauidis ex æthere ventis
Omnipotens, Regémque dedit, quem iussa vereri
Sæua cohors.

18 CÆLVM] An aërē intelligit? forrassis. Lucretius, Cæli significata.

— In hoc cælo, qui dicitur aër.

An propriè cælum? Possis hoc quoque. nam in præmissis versibus Valerius,

——Soliti miscere polúmque.

An aërem, & ignem? Sustineri & hoc posset. Sic enim quatuor elementa enumerabit. *Cælum* quippe sumitur & pro aëre, & pro æthere, qui est ignis. Itaque elegit vocem mediam, qua duplex elementum signaret. Vide quæ ego ad illud. 6. Æn.

Principio cælum, ac terras, campósque liquentes.

Vbi *cælum* & pro igne & pro aëre sumi, Seruius ait. Notetur obiter cæli significatio alia. Oris partem ad palatum οὐρανὸν vocat Pollux lib. 2.

19 VERRANT] Ita Lucretius lib. 1. de ventis

Ventorum impetus.

—Nubila cæli
Verrunt. & 5.
Validi verrentes littora venti.

Græci hanc ventorum procacitatem amplificant à voratione. Sic Calaber lib. 14. ἀνέμων λάβρον, dixit, & Homerus. Il. 3. Ζέφυρος λάβρος. & Plutarchus in Sympos. λάβρον πνεῦμα. Poëtæ satis fuerunt ad rem Voracitas de ventis. præsentem *fero, verro*, & hæc cum rapiditate, & per *auras*. De ventorum impetu lege Appianum in Mithridatico, vbi ait, ventum contigisse, qualis numquam antea memoriæ proditus. qui tentoria Pompeij, & Mithridatis disiecit, perfregit currus, militares viros suspendit in aëre.

20 HOC METVENS] Explicui, prouidens, & cauens. *Metuere* enim, vt vulgo accipitur, non esset è dignitate Iouis, qui omnipotens. nequeo negare *timorem*, & *metum* ab auctoribus sæpe confundi, tamen Metuo quid sit. sæpe ita discriminantur, vt *timor* teste Tullio 4. Tusc. fit de malo iam appropinquante: sed *metus* de periculo remotiore. Inde est vt *metuo* sæpe capiatur pro Metus, & Timor distinguntur. prouideo, nam tum locus est prouidentiæ cùm remotiores à malo sumus, quod de verbo *timeo* dici nequit. Itaque apud Horatium *penna famæ metuens solui*, est, cauens solui. & apud Virg. 1. G.

Arctos metuentes æquore tingi

est φυλαττομένας. Ennius apud Festum:

Viuam an moriar: nulla in me est metus,

id est, cura. & nota olim fœmineo genere enuntiari: id enim agit Festus Enniana auctoritate. Et de loco, in quo sum, Seruius ex fragmento Danielis ita: [*Metuens, prouidens, cauens.*

21. MOLEMQVE ET MONTES] Locutiones istæ frequentes, ita *pateris libamus & auro* id est, aureis pateris. *in breuia, & syrtes*, id est, in breuia syrtium. Ita accipit Florens Christianus Aristophanem in Irena, καὶ φόρτον, καὶ βωμολοχεύματα. quia hoc nihil aliud, quā βωμολοχίαν φορτικὴν, *odiosam deceptionem*, aut *assentationem*. Ita eundem in Pluto Gerardus, τῷ βαδίσει, καὶ τῷ τάχει, pro τῷ βαδίσει ταχινῷ: *incessu propero.* sic, *—Chalybem frenósque momordit.*

Pro, Chalybeos frenos. Vt hic *montes imposuit*, ita Calaber li. 12. de re alia, & loquens de Ioue, πᾶσαν ὑπερθε καλύψει γαῖαν ἀπείρονα.

22 FOEDERE CERTO.] Inter Deos gentilium ita res erant constitutæ, ita distributa imperia, vt priùs Deorum fœdera. Iuppiter iussisset certo quodam pacto, quod cuique esset administrandum, quo facto, iam illo inconsul-

to, quiſque poterat munus ſuum adminiſtrare. Hinc A poſtea Iuno ad Æolum,

Æole, namque tibi Diuûm pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Ex huius fœderis violatione procedunt quæ apud Senecam queritur Iuno.

—Fœdus vmbrarum periit:
Vidi ipſa, vidi nocte Dis iuſſa inferûm
Et Dite domito, ſpolia iactantem patri
Fraterna.

Dolet quippe Iuno eductum Cerberum contra fœdus. Inde procedunt illa Claudiani lib. 1. Rap. ore Lacheſis ad Plutonem,

Ne pete firmatas pacis diſſoluere leges
Quas dedimus, neuítque colus: ne fœdera fratrum
Ciuili conuerte tuba. cur impia tollis
Signa? quid infeſtis aperis Titanibus auras?

Habenæ de ventis. Equitatio de ventis.

23. HABENAS] Ab equis ad ventos crebræ metaphoræ. Sic ſuprà de Æolo *frænat*. Horatius Od. 4. libr. 4.

—Eurus
Per Siculas equitauit vndas.

Valerius concitans tempeſtatem, Boream periphraſticè ita deſcribit,

—fundunt ſe carcere læti
Thraces equi.

Eurip. Phœniſſ. Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύοντος ἐν οὐρανῷ:

Zephyro flatibus equitante in cælo.

Oppianus. 5. Hal. de ventis,

Αἰεὶ δυσκελάδοισι συνιππεύοντες ἀέλλαις:
Semper grauiſonis coëquitantes procellis.

Vt verò Poëta *dare habenas*, ita Euripid. metaphora alia, δοῦναι χαλινοὺς γυναικί. vt & Liuius, *date frænos impotenti naturæ, indomitóque animali.* Hominem, qui aliquid iuſſus facit, Græci vocant ἐγκέλευστον.

24. SVPPLEX HIS VOCIBVS] Putant interpretes hîc corpus ſupplex exprimi. nequit credi. nō enim Iuno accederet ad Æolum inclinato & ſupplicabundo corpore, hoc non ex eius dignitate. B Sed ſupplex vocibus, id eſt, ſupplicans. Sic Venus infrà ad natum Cupidinem: *Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.* id eſt, ſupplicabunda voce. Non enim credibile Venerem accidiſſe ad natum. Clarè Tacitus. 1. Annal. *Neque victa in lacrymas, neque voce ſupplex.* Græci etiam dicunt ἱκέσιον λόγον: *ſupplicem ſermonem*, vel *ſupplicantem*. Virgilius. 8.

—Supplicibus ſupera votis.

[a] Æole (namque tibi Diuûm pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victóſque Penates.
Incute vim ventis, ſubmerſáſque obrue puppes,
Aut age diuerſas, & diſiice corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deïopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
[b] Æolus hæc contrà. Tuus, ô Regina, quid optes,
Explorare labor, MIHI IVSSA capeſſere fas eſt:
Tu mihi quodcunque hoc regni, tu ſceptra Iouémque
Concilias, tu das epulis accumbere Diuûm,
Nimborúmque facis tempeſtatúmque potentem.

ARGVMENTVM.

Petit Iuno ab Æolo vt Troianis nauigantibus in Italiam, tempeſtatem immittat: quod vt faciat allicit matrimonio Deiopeiæ Nympharum ſuarum pulcherrimæ, & ſpe magna honeſtiſſimæ prolis ſuſcipiendæ. Promptus eſt Æolus ad parendum Iunoni, operam ſuam pollicetur, narrátque beneficia quæ ab ea acceperit.

EXPLICATIO.

a ORATIONIS huius petitio hæc eſt: Concita Æole tempeſtatem, obrue Troianas naues, aut ſaltem diuerſas age, ac diſiice. Eſt verò duplex ratio; prior, cur ipſa petat, poſterior, cur ipſe debeat facere. Ipſa petit, nam gens inimica ſibi nauigat æquor Tyrrhenum, portat Ilium, & victos Penates in Italiam. Ipſe debet facere, nam poteſt, vt qui à Ioue præpoſitus ſit mulcendis tollendíſque fluctibus. Sed quia hæc ratio tyrannica eſt, *fac, nam potes,* ideo Iuno omnia tranſponit, non coniungens hæc *Æole, incute vim ventis,* &c. Sed primùm ait Æolum præſidem eſſe ventorum: deinde explicat inimicitias C ſuas cum Troianis, vt iam cauſa legitimæ vindictæ appareat, qua propoſita, ſequitur petitio non ita tyrannica hæc, *obrue, nam potes mihi in dolore iuſto conniuere.* Si quid autem adhuc ille hæſitet, ſequentes verſus de præmio & nuptiis Deiopeiæ omnino rem peruincunt. Ita enim hîc omnia communit Iuno, vt Æolus neceſſariò debeat concedere, niſi, aut impudens ſit, aut commodi ſui oblitus, aut vtrúnque: Impudens erga Reginam maximam, quæ petit, & pro ſe, & contra hoſtes, & voce ſupplici: oblitus cōmodi, ſi nuptias reiiciat ſibi vtiliſſimas; nam, ſe non poſſe facere, nequit dicere: habet enim poteſtatem ipſe ad mulcendos aut tollendos ventos; hácque firmatam à Ioue. Ergo ait Iuno. Cùm poſſis; cùm D meus dolor ſit iuſtus, vt qui contra meos inimicos; cùm tibi hoc ſit vtile propter tuas nuptias, *obrue,* aut, *diſiice.* Hæc pro tota oratione. Expendenda nunc aliqua. Ait in tertio verſu *gens inimica mihi*, & ſupprimit, Troiana, ſed ſatis indicat, quam velit intelligi ex voce Ilij. qua ſuppreſſione indicat notas eſſe has inimicitias, ea enim ſupprimimus, quæ nota. Ideo autem *gens* non Æneas: ne Æolus diceret, qui nomaſ-

ceam filio Veneris, nepoti Iouis, viro pio? & *inimica*, quia iustum esse probatur odisse hostes. Cùm ait *mihi*, emphasis est, non vulgaris. *Mihi*, quæ Iuno sum, quæ Diuûm Regina, quæ Iouis vxor, quæ Iouis soror, quæ Saturni filia: mihi verò aduersatur gens profuga, Troiana, victa. Ait *Tyrrhenum æquor*, id est, non tibi cunctandum Æole, nam in Tyrrheno iam sunt, atque adeo Italiæ proximi. Vel, in tuo sunt regno, vide quæ audacia. Nam, Æolum Regem fuisse Tyrrhenorum, iam suprà dixi. Progredior: Ait in quarto versu, *Ilium portans*, id est, res Ilienses. sed significantiùs multo Ilium. Addit *victósque Penates*, adimens timorem, dans audaciam: nam etiamsi Deos lædat, victos tamen, ac perinde nullius potestatis, neque aspiraturos ad vindictam. Ait in quinto, *Incute vim ventis*, vbi & summa est petitionis & modus petitionis. Ita verò petit, vt imperet, quia Iuno. Illud *submersas obrue puppes* est, submerge, & obrue. Pergit in sexto, *aut age diuersas*: magna quippe oratorio more pro posuerat, vt minora nunc consequatur. Itaque si nō vis obruere, saltem *age diuersas*, id est, in diuersum. Cū addit, *aut disiice corpora ponto*, intelligit vel hominum corpora, vel nauium. nam ipse in 5. loquens de nauibus, *toto descendit corpore pestis*. Quæ in septimo versu, & sequentibus proponit de nuptiis, vide quàm sint efficacia. E quatuordecim Nymphis, quæ omnes sunt *præstanti corpore*, promittit illi *pulcherrimam*, & hanc *stab[illegible]bio, & propriam*, idque cum augurio. auguratur enim fore, vt *annos omnes* permaneat in tam dulci connubio, ac demum pulchros liberos promittit. Non videbor longior fuisse studioso Maronis.

b Respondet Æolus summa cum breuitate; cùm vt Iunoni sollicitæ de responsione metum adimat; tum vt hac in respondendo breuitate intelligat Iuno, se nullas velle moras trahere; ac demum quia scit Troianos esse iam pene in Italia, ac propterea necessariam esse diligentiam. Quid verò ille? *tuus ô Regina quid optes Explorare labor, mihi iussa capessere fas est*, id est, quidquid optare explorando, etiam cum magno labore potes, id totum tibi opere complebo. Satis fuit te optare, vt ego exsequar, imperare non fuit necesse. Bene autem Victorius admonet, hanc orationem illis conuenire, qui, cùm rogantur à potentioribus, parati sunt ad facinus improbum exsequendum. Vt verò credat Iuno [illegible] hæc non esse, recenset beneficia, quæ ab ea ac[illegible]it, quibus indicat se aliter non posse facere, quando beneficij lege teneatur. Beneficia hæc tria sunt. Tu mihi regnum hoc concilias, sceptrum, Iouem: tu das, vt accumbam Diuorum epulis: demum tu facis, vt Rex sim, non tam nomine, quàm reipsa, nam potens sum nimborum tempestatúmque.

NOTÆ.

1. ÆOLE] Cur nominat? An, vt nominando conciliet, vt vult Donatus? est enim genus blandimenti appellare alium suo nomine. An, quia ipsa superius numen cum inferiore loquitur, quod obseruat Seruius? An quia præcessit *Iuno*, ideo sequitur *Æole*? est enim Poëta amantissimus huius harmoniæ.

2. MVLCERE, &c.] Confinia huic, *mollit animos, iras temperat*. & inf. *æquora placat*. Homerus de re eadem, παυέμεναι. Philostratus lib. 8. de vita Apollon. cap. 3. credo ex Virgilio, ἀνέμους θέλξαι ventos mulcere. Verbum etiam *tollere* in eadem re vsurpatum Horatio, Valerio, Lucano, Ennio. Primo, Od. 3. lib. 1. alteri, 1. Argon. tertio. 5. Pharsal. extremo, 17. Annal. vide etiam vti Poëta opponat duo hæc verba *mulcere fluctus, tollere fluctus*. Horatius dicto loco opponit *tollere, ponere freta*. Cicero sedatos fluctus, & tranquillos mari agitato, & turbato. Virgilius infrà, *moueri, componi*, cùm ait;

—*motos præstat componere fluctus*.

& tumorem placationi, in illis, *tumida æquora placat*. Alibi vocat, *pacata maria*, quæ sæpe agitata, & frementia. Valerius. 1. Argon. *turbo & repono*. ait enim,

—*turbata reponit Æquora*.

Lucillius lib. 23. sat. sæuitiem tranquillitati, cùm ait *quódque te in tranquillum ex sæuis transferat tempestatibus*. Arnobius lib. 1. ita opponit: *furibunda & insana explicabant se maria, procellarum turbines tempestatésque sidebant*. & lib. 2. *maris insanias, tempestates, furores prohibere, compescere*. Ammianus lib. 27. verba *attollo, & complano*, cùm ai[illegible] *maris attolli horrendis æstibus assueti, rursúsque in speciem complanari camporum*. Vt verò Ammianus, *complano*, ita Iuuenal. sat. 12.

Sed postquam iacuit planum mare.

Dionysius Afer opponit ἀνέμους κλονέοντας, ἱσταμένοις. Homerus παυέμεναι, καὶ ὀρνύμεν. Demosthenes orat. 17. loquens de mari, ἡσυχίαν τῇ ταραχῇ. Basilius hom. 8. Hexam. θαλάσσῃ φοβερᾷ κοιμιζομένους ἀνέμους: *horribili mari dormientes fluctus*. Dionysius Hal. lib. 3. opponit in re ciuili, sed arrepto sermone à mari τὰ καθεστηκότα, & τὰ ταραττόμενα: *sedata, turbata*. Nazianzenus orat. 18. opponit μειδιῶσαν γαλήνην, θάλασσαν πλεομένην, καὶ ταῖς ἀκταῖς προσπαίζουσαν πνευμάτων στάσει, καὶ κύμασιν ὠδίνουσι· *ridentem tranquillitatem, mare nauigabile, & alludens littoribus ventorum seditioni, & fluctibus tumentibus*.

Mulcere, & tollere fluctus opponuntur.

3. TYRRHENVM] Mare Tyrrhenum, Thuscum, Inferum, idem est: cui opponitur, Adrianum, Ionium, Superum. Sic arbores Apennini, quæ ad illud cæduntur, infernates: quæ ad istud, supernates. Adeundus Vitruu. lib. 2. cap. vltim. Plinius lib. 16. cap. 39. Nam Apennini pars vna ad mare inferum, pars altera ad superum protenditur. Do hic πάρεργον. Hispanus de re Hispana. Tyrrhenum mare sumptum olim quoque pro eo, quod Hispaniam alluit, præsertim qua se se Iberus in mare exonerat. Vetus inscriptio Romæ in ædib. Cardinal. Ces.

Tyrrhenum mare, Adrianum mare. Supernates arbores. Infernates.

Tyrrhenum mare pro Hispanico.

Illhic vnde Tagus, & nobile flumen Hiberus
Vorsum ortus, vorsum occasus fluit alter, & alter:
Stagna sub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Hiberus.

Et nota ibi *Hiberum*, scribi cum aspiratione. hoc idem firmat Paulini versus hic epist. 41.

Qua Betis Oceanum, Tyrrhenúmque auget Hiberus.

Videndus Anton. Aug. lib. de Iconibus.

4. ILIVM IN ITALIAM PORTANS] Imitationem inuenit Nascim. nam ita hic *Ilium*, vt Euripides *Græciam*, cùm ait, loquens de Paride

—ἄγαγ' Ἑλλάδ' εἰς Ἴλιον·
duxit Græciam in Ilium.

ita Silius lib. 1. loquens de Ænea. *intulerit Latio Dardaniam*. ita Ouidius 4. Fast. *Cùm Troiam Æneas Italos portaret in agros*.

5 VICTOSQVE PENATES] Ita Minutius, *Numina victa*.

6. DISIICE] Est hoc, quod Hesiod. Theog. loquens de ventis dixit, διασκιδνᾶσι τε νῆας: *dissipant naues*. Lege Isidorum lib. 18. etym. cap. 2. vbi versus huius affert explicationem quandam.

7. SVNT MIHI BIS SEPTEM, &c.] Hæ ne quatuordecim Nymphæ filiæ sunt Iunonis? Non puto. Sed tantùm Nymphæ, quæ hanc Deam comitarentur, esséntque in eius potestate. Sanè Diis omnibus veterum Nymphæ quædam erant attributæ ad ministerium. Habuit Iuppiter apud Ouid. 1. Met.

Nymphæ Deorum ad ministræ.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Syluani.
Habuit Neptunus, quem Νυμφαγέτην appellat Cornutus, & illi Hesiodus quinquaginta dat, sicuti Pindarus in Isthmijs. Habuit Phœbus Aganippidas suas, & Aonias. Habuit Bacchus ita multas, vt vix recenseas nomina Baccharũ, Bassaridum, Eleidum, Thyadum. Habuere etiam Deæ; vt Diana, venatrices; Thetis, Nereidas; Venus, Gratias. Sic ergo Iuno suas.

8 PRÆSTANTI CORPORE.] Innuit corporis magnitudinem, nam quæ præstant, magna sunt: parua enim præstare non dices. Est verò magna pars pulchritudinis posita in vegeto, magno, & præstanti corpore. Plato in 1. Alcibiade non solùm καλλιςος dixit, loquens de corporis forma, sed μέγιςος, quia proceritas multùm ad pulchritudinem conducit. Sumpsit à Platone Aristoteles, qui in libris Rhetoricor. σώματος μὲν κάλλος, καὶ μέγεθος. vt & Aristides: nam Orat. 3. sacror. serm. de Serapide, & Aesculapio, θαυμαςοὶ τὸ κάλλος, καὶ τὸ μέγεθος. Expressiùs hac de re idem Aristoteles lib. 4. Ethic. τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι, οἱ μικροὶ δ᾽, ἀςεῖοι, καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ᾽ οὔ. *pulchritudo posita est in magno corpore, parui autem venusti sunt, iidémque ob sibi respondentem mensuram membrorum commendati, pulchri autem nullo pacto sunt.* Inde Propertius inter notas pulchritudinis, eleg. 2. lib. 2.

Magna corpora, pulcra.

Fulua coma est, longæq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.
Eandem notam assignat Catullus Quintiæ, nisi abesset salis mica. Eodem fortasse pertinet locus Platonis lib. 7. Leg. σώματα κάλλιςα, οἶμαι, τόγε ἁπλῶς ἐστιν, ὡς ὀρθότατα δεῖ νέων ὄντων, εὐθὺς φύεσθαι τῶν παίδων: *Corpora pulcherrima simpliciter ea fore censeo, quæ rectissima in tenera ætate crescunt.* Etenim rectitudo, tota ad proceritatem tendit: quo enim quis minùs rectus, eo minùs præstans & procerus. Cum posteriore Aristotelis loco quadrant verba Sapphûs, quæ aduocat Scholiastes Pindari, μικρά μοι παῖς ἔμμεναι, κἄχαρις: *parua mihi videris esse puella & sine gratia.*

9. IVNGAM] Aptè, loquitur enim Iuno, *cui vincla iugalia curæ*, vt habetur 4. Æn. Adi.

Stabile matrimonium quod.

10. STABILI] Propriè, quod alij iam obseruarunt. Videtur enim hæc vox vsurpata in matrimoniis, quæ dirimi non poterant. Cicero in Anton. veluti rem explicans, dixit, *in matrimonio stabili & certo collocaui.* vbi vox posterior priorem explicat. Virgilianam sententiam Propertius ita extulit lib. 2. eleg. 6.

Semper amica mihi, semper & vxor eris.
& Plautus Aulul. *Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.*

Proprium pro perpetuo.

11. PROPRIAM] Ideo propriam, quia matrimonium stabile. Proprium enim idem est, quod perpetuum. Terentius Andr.

Ego Deorum vitam propterea sempiternam arbitror,
Quòd voluptates eorum propriæ sunt.
Hirtius de bello Africano. *Quod proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decreuit:* idest, perpetuum. Sed signatus est locus Artemidori, li. 1. c. 2. qui vxorem vocat, ἰδιότατον, *rem propriissimam.* Transfer in hunc locum, quæ adduco. 6. Æn. ad illud,

—Propria hæc si dona fuissent.
Sunt, qui sententiam Poëtæ referant ad nuptias quæ fiebant per coëmtionem, nam hæ nequibant dissolui: cùm tamen dissoluerentur, quæ fiebant per vsum & per confarreationem. De hoc triplici nuptiarum genere ego iam lib. 1. Georg. Non hîc omittam, vti Seruius versum hunc expendat. Cùm dicit *connubium*, legitimum indicat: cùm *stabili*, longam promittit concordiã, & quæ diuortio careat: cùm *propriam*, adulterij remouet suspicionem: cùm *dicabo*, obsequentem

A eam fore monstrat. Sic fermè ille.

Dico, dicas, pro Do.

12. DICABO] id est dabo, explicante Mureto. Nam veteribus verbum *dico, dicas*, vsurpatur pro, do, das, quod etiam Seruius admonet. Sic & Catullus,

Quos iunctos Cameri mihi dicaris,
id est, dederis. Quin *dico* vnum è tribus verbis Prætoris, Muretus à dicando ducit, non à dicẽdo. Quod ille fauente litterarum genio. Nam, cùm tria illa verba *Do, Dico, Addico*, darentur Prætori, quibus ille vteretur ad dandum cuique, quod suum esset, ad quem vsum verbum *dico, dicis*? Adiuuo explicationem Mureti verbis Liuij lib. 5. ex oratione Licinij Calui ad Quirites. *En vobis, iuuenem filium tenens, effigiem, atque imaginem eius, quem vos antea tribunum militum ex plebe primùm fecistis: hunc ego institutum disciplina mea vi-*
B *carium pro me Reip. do dicóque.* In quibus verbis cùm allusio fit ad sollemnia illa verba: tum nemo hîc agnoscet dico, dicis; potiùs, dico, dicas. vt sit sententia, *do, & consecro.*

Dico Pretoris verbum.

Filij pulcri.

13. PVLCHRA FACIAT TE, &c.] Optimè, hac enim re plurimùm delectantur parentes. Apud Plutarchum in Apophtheg. Lacæna quædam cùm mõstrasset quatuor filios, quos habebat κοσμιωτάτους, *elegantissimos*, subiunxit statim; τοιαῦτα δεῖν εἶναι τὰ τῆς καλῆς, καὶ ἀγαθῆς γυναικὸς ἔργα, καὶ ἐπὶ τούτοις ἐπαίρεσθαι, καὶ μεγαλαυχεῖν: *Huiusmodi esse debent honesta & bona mulieris opera: his gloriari, his se iactare.* Homerus quoque Odyss. 11. Neptuni ore, τέξεις ἀγλαὰ τέκνα: *paries pulchros filios.* Sed cur non comparo Virgilium cum Homero? vt scias ita Græcos imitari, vt cum victoria.
C Iuno. 14. Il. Somnum orat, vt Iouem sopitum reddat: quod si faciat, promittit illi se daturam Pasitheam vnam Gratiarum ad nuptias. Itaque vult Homerica Iuno, vt sopiatur Iuppiter, quod non aptè, nam quis dicat primum motorem (talem ipsi putabant Iouem) dormire? Deinde cùm somnus datus sit rebus materiatis ad virium reparationem, Dij Homerici si dormiunt, etiam pereunt. Consultior Maro, qui nihil petit in superius numen, quanto minùs in omnium supremum Iouem: Tantùm vult, vt obruantur Troiani. Orationem suam sic incipit Iuno Homeri, ὕπνε ἄναξ πάντων τε θεῶν. Vbi supra Iouem constituit Deum alium, quod absurdum: & Somnum, quod absurdissimum. Iuno Virgilij tantum captat commendans Æoli potestatem, & hanc à Ioue, quod cedit in glo-
D riam Iouis. Deinde Iuno Homerica promittit Somno καλὸν θρόνον, *pulchrum thronum*, quo dono nihil illectus somnus, tergiuersatur: quod non accidisset, si sciuisset illum Iuno captare. Inde vrgens promittit illi vnam Gratiarum. Primo malè datur Somno Gratia, vt cum illo dormiat, cùm Gratiæ non debeant dormire. Deinde, vni adiungi non debent, quæ sunt communes omnibus. Tertiò Gratiæ in comitatu sunt Veneris, non Iunonis. qui ergo dat Nympham non suam? Quarto in ore Iunonis est verbum ὀπυίω, quod turpe est, & signat rem coniugum, ac perinde Somno promittitur voluptas, quæ bestiarum est: multo meliùs Æolo proles, cuius gratia matrimoniũ est institutum: & hæc, pulchra, quod parentibus exoptatissimum. Progredior. Respondet Somnus
E Iunoni, vt iuret sibi per aquam Stygiam, quod sanè rusticum. Æolus contra nihil vult sibi per iuramentum firmari, tantum permodestè & grauiter, *tuus ô Regina quid optes*, &c. Vbi tantùm permotus reuerentia Iunonis vult illi obsequi, quod non facit Somnus, qui statim vt audit Pasitheam se ducturum χήρατο, *exhilaratur*, vt qui voluptatem suam quærat, non gustum Iunonis. Ac, ne cæletur eius animus, addit, se illam dies omnes desiderauisse. Nonnulla ex his Scaligeri sunt.

Virgilius superat Homerum.

Homeri Vitia.

14. O Regina] Iuno Æolum proprio nomine vocauerat, vt conciliaret: Æolus contra non proprio, sed dignitatis, quod est reuerentiæ, quam par est inferius numen præstare superiori. Ergo, Regina, sicut aliorum, sic mea.

15. Tvvs ô Regina qvid optes, &c.] Est hoc, quod Euripides in Supplicibus dixit

Σὸν τὸ μηκύνειν ἐμοὶ, ἡμῶν ϛ ἀκούειν:

Tuum est verba ad me prolixè facere, meum audire.

& in Ione.

Σὸν λέγειν, τολμᾷν δ' ἐμόν.

Tuum est dicere, meum audere.

Quod Venus loquens cum Iunone apud Homerum.14.Il.

Αὔδα ὅ, τι φρονέεις· τελέσαι δέ με θυμὸς ἄνωγεν:

Loquere quod cupis, perficere me animus iubet.

Quod Theodosius ad Ambrosium apud Cedrenum. σὸν ἔργον ἐστὶ, τὸ δεῖξαι μὲν ϛ κεράσαι τὰ φάρμακα· ἐμὸν ϛ τὸ δέξασθαι: *tuum est medicamentum mihi ostendere, & miscere; meum accipere.* Quod Phædra ad Hippolytum apud Senecam:

Te imperia regere, me decet iussa exequi.

Quod Philostratus in epist. dilatans præclarè sententiam. Πρόσταξον ὡς ἔοικε γε, πείθομαι: πλεῖν κελεύων, ἐμβαίνω· πληγὰς ὑπομεῖναι, καρτερῶ: ῥῖψαι τὴν ψυχὴν, οὐκ ὀκνῶ· δραμεῖν διὰ πυρὸς, οὐκ ἀναίνομαι: *impera vt libitum, dicto sum audiens: nauigare iube, conscendo: plagas accipere, patior: animam profundere, non recuso: per ignem cursu ferri, non abiicio.*

16 Tv mihi qvodcvmqve hoc regni est, &c.] Sunt qui sententiam Poëtæ referant ad physicam rationem, quòd tempestates conflentur è nubibus, quibus præest Iuno: hæque ventis agitentur, quibus præest Æolus. Apta ad hunc locum imago Æoli, quam ita describit Albricus lib. de imaginibus Deorum: *stabat in antro Æolus linea veste indutus, & præcinctus, tenens sub pedibus folles, in manu autem vtraque cornua: quæ ori admouens, ea sufflare, & ab vno quoque cornuum sex ventos emittere videbatur. Et, quia Iuno regnum ei dedisse fingitur, à dextris ei adstans, septa nube coronam ei imponebat: à sinistra verò eius Nympha vmbilico tenus nuda exstare è mari, quam ei coniugem Iuno pollicita est.* Est hæc Deiopeia. Æoli imago.

17. Sceptra] In Iunonis potestate credebant veteres esse regna, imperia, sceptra, coronas. Pausanias in Corinth. illius simulachrum exhibet cum corona in capite, cum sceptro in manibus. Hinc illi dedicat Nero auream coronam, pallam purpuream, quæ duo Regum insignia, scribit idem Pauſ. eodem loco. Iuno præest regnis.

[a] Hæc vbi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
[b] Incubuêre mari, totúmque à sedibus imis
Vnà Eurúsque Notúsque ruunt, creberque procellis
Africus: & vastos voluunt ad sidera fluctus.
[c] Insequitur clamórque virûm, stridórque rudentum.
Eripiunt subitò nubes cœlúmque diémque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,
Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentémque viris intentant omnia mortem.

ARGVMENTVM.

Æolus portam aperit ventis tribu[illegible]unt illi agminatim, & momento temporis omnia comm[illegible]t: clamant nautæ ad subitum malum, rudentes strident, adueniunt tenebræ, cæli intonant, micant fulgura, mors præsens omnes perterret.

EXPLICATIO.

a Aggreditvr Poeta tempestatem suam nũquam satis laudatam. Clara omnia sunt, perpendenda tantùm aliqua, & leui calamo, nam si omnia examinanda, quis tandem finis? In illo *Hæc vbi*, agnosce dactyli celeritatem, ad explicandam eam, qua opus in re præsenti. Ideo postea *dicta* sine verbo sunt, ne mora fiat. Cùm audis *montem impulsum in latus*, augurare atrocissimam fore tempestatem (hoc iam expendit Quintil. lib. 8.) non enim quæcumque porta ventis datur, sed totus mons in latus dimouetur. Erumpunt verò *venti* non ventus, iique *agminatim*. vt autem exeant vocalibus istis *ruunt*, porta aperitur, quod iam Iulius Scal. animaduertit. In versu isto *Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant*. vide quoties repetatur canina littera, quæ apta ad strepitus, fremitus.

b Quid iam venti post exitum? Primum *incubuêre mari*. Est hîc *incubuêre*, totis viribus inniti, ac mari inhærescere, ita vt vis quædam significetur, & grauitas molestissima. Exierant tres venti (adhuc enim in carceribus Aquilo) videlicet Eurus, Notus, Africus. Hi eruunt *mare totum ab imis sedibus*, ab imo fundo, euertúntque illud, & conturbant, *voluúntque ad littora vastos fluctus*. Reddit Græcum μεγάλα κύματα.

c Habes tempestatis causas, & quæ antecedunt iam effecta, & quæ sequuntur: videlicet *hominum clamor, rudentum stridor*. Tempestatis horror apparet in istis syllabis *cla, stri, ru*. Deinde littera (r) quinquies repetitur, quæ formata ad horrorē. Sequitur id quod in omni tempestate teterrima accidat necesse est, nimirum tenebræ, caligo aëris, obscuritas cæli, ac demum nox. Fiunt hæc omnia momento temporis, ideo *subitò*. In verbo *eripiunt* agnosco quiddam vltra vulgarem aleam poetarum. Quid illud? *cælúmque diémque*, vulgaris quispiam diceret *lucem*: Iam cum emphasi *Teucrorum ex oculis*. Nam quamuis Lycij Æneam sequebantur; sed Troianorum signatè causa tempestas excitatur. Quid illud *nox*? & *incubat*? Fuit enim hîc necessaria noctis mentio ad fulgura, quæ deinde sequuntur, nam hæc in nocte horribiliùs & clariùs micant. Quis iam ille horror? *Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther*. Ait *crebris*, quia in tempestatibus crebriùs micant fulgura, quàm

tonitrua audiuntur. In tanta rerum formidine, quid expectandum, nisi mors? hanc & *præsentem intentant omnia*. Quæ sunt hîc *omnia*? venti, fluctus, cælum, tenebræ, tonitrua, fulgura. Vide quot hostes? A

NOTÆ.

Virgilius superat omnes poëtas.

1 HÆC VBI DICTA, &c.] Iudicium summorum virorum est, neminem poetarum conferri posse cum Virgilio in hac tempestatis descriptione. Nam Homerus Odyss. 5. illam tantùm inchoauit, non perfecit, vbi multa sunt indigna Homeri ingenio. Lucanus lib. 5. furit, & multa interdùm ridicula. Ouidius. 1. Trist. & 11. Met. nugatur in re satis luctuosa. Papinius. 5. Theb. & Flaccus. 1. Arg. sui semper sunt similes. Seneca in Agamem. multis redundat. Apollonius plebeius est multorum iudicio. Sed cùm præsertim Maro in nonnullis hæserit Homerico loco ex lib. 5. Odyss. placuit ante omnia illius versus adducere ab eo loco, quo Neptunus nubes congregat, vsque ad eum, quo Vlysses ab vndis emersit. Sunt omnes triginta tres, quos ego in viginti octo contuli satis præpropere, non fidus quidem interpres. Ait itaque Homerus: B

Hæc vbi dicta, legens nubes, turbánsque tridente
Æquora, ventorum commisit prælia, terram
Et ponto noctem immittens. ruit imbrifer Eurus,
Atque Notus Zephyrusq; volant, fremituq; rotatur
Ingenti Boreas; soluuntur frigore membra
Magnanimo Heroi: tum secum talibus infit:
Me miserum, quid me fiet? verísne locuta
Diua malis, quæ me magnarum turbine aquarum C
Ventorúmque fera prædixit mole premendum,
Ante tuos nobis vultus quàm cernere detur
Patria? Iam cerno queîs Iuppiter astra coronat
Nubibus, & quales demittit ab æthere nimbos.
Insanit grauis ira maris, ventúsque remugit,
Miscetúrque fretis. ô térque quatérque beati
Queîs ante ora ducum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. ô frustra fortißima Troûm
Agmina, tum meliùs vitam mihi fata negassent,
Cùm præferratis torsere hastilia contis
Magnanimi circa defunctum corpus Achilli:
Nunc manet exitium pelagi, tum gloria facti.
Talia iactanti stridens à vertice fluctus
Irruit, inuertítque ratem: longè excidit ille, D
Et clauum amisit manibus, malúmque refregit
Tempestas ventorum ingens: pontóque pependit
Antenna, & velum: vasti ipse in gurgite ponti
Delituit, fluctu madidisq; trahentibus illum,
Quas dederat vestes abeunti dîa Calypso.
Emergit tandem, mox salsas euomit vndas.

2. CAVVM] Hoc physicè fortasse dictum. Nam caua loca ventis replentur, inde & terræ motus existunt.

3. CONVERSA CVSPIDE] Auersam sceptri partem intelligit, explicatore Hortensio, nam supra Æolo sceptrum dederat, non hastam. Sed is non firmat, cur extrema pars sceptri dicatur cuspis. videme ad illud 6. Æn.

Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta.

Interim scias, hastam sumi pro sceptro, vnde consequens, vt extrema hastæ cuspis accipiatur pro extremo sceptro. E

3. MONTEM] Statius 10. Theb. saxum dat, quod claudat portas Æoli,

Portam iterum saxo premat imperiosus, & omne
Claudat iter.

Virgilius ex Calabro, vt apparet, qui lib. 14 incipiens tempestatem, χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ, *validis manibus sceptro montem percußit.* Loquitur de Æolo. & postea. βίῃ δ' ἔρρηξε κολώνην, *vi dirupit collem.*

4. IMPVLIT IN LATVS] Corradus & Germanus referunt hoc ad ventos, qui obliquè aspirant & in latus. Græci dicunt πνεύματα πλάγια. hi sunt præsertim Notus & Boreas, quorum φορά ἐστι λοξὴ, ait Arist. 2. Meteor. Ex Virgilio Flaccus. 1. Argon.

—tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades.

5. AC VENTI VELVT AGMINE FACTO, QVA, &c. Exitum ventorum è carcere, & conatus primos ad pugnam ita expressit Homerus Odyss. 12.

—ἦλθε
Κεκληγὼς Ζέφυρος:

venit stridens Zephyrus. Languidum hoc, & nihil ad verba *agmen, turbinem, perflant, ruunt.* Æquè frigidè 9. Il. loquens de Borea & Zephyro inchoantibus tempestatem, ἐλθόντ' ἐξαπίνης· *venientes repentè.* Homerici interpretes, vt medeantur tanto languori, reddunt *ruentes.* Aliquanto digniùs Odyss. 4. — Homeri languor.

—λιγέων δ' ἀνέμων ἐπ' ἀϋτμένα χεῦε:
stridulorum ventorum flatum effudit.

Sed neque hîc caret reprehensione. Nam vox prima potiùs ad concentum pertinet, & canoros sonitus, quàm ad impetus, qui excitandi in tempestatibus. Ab Calabro lib. 14. ita educuntur venti, οἱ δ' ἄφαρ ἐξεχέοντο. Sumpsit ab Homero, qui ἐπίχευε. Addit Calaber duo alia verb[illegible]οντο, φέροντο. Aratus in Phænomen. sic inchoat exprimens impetum, ὄρωρε χειμὼν. Ouid. 11. Met. ita incipit:

Cùm mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus, & præceps spirare valentiùs Eurus.

In quibus *nulla efficacia*, ait Iul. Scaliger. Aliquanto digniùs Valerius,

—fundunt se carcere læti
Thraces equi.

Dignissimè Horatius, & cum maiestate, od. 10. Epod.

Insurgat aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Varro in Marcipore ita præclarè:

Ventíque frigido se ab axe eruperant
Phrenetici, septentrionum filij
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.

Reliquos nihil moror. Nam Statius non ventos educit, quod proprium fuisset, ad tempestatem, sed tantùm sistit nu[illegible]n imbre grauidam. Lucanus nescias vnde in[illegible]priùs enim quàm in mare educat,

Auulsit laceros percussa puppe rudentes
Turbo rapax.

Et cùm duplo plures versus impendat, quàm Virgilius, non se tamen ad rem tantam accingit: & post multam stragem Corum aduocat, deinde Boream, & credit, Eurum quoque & Notum eò venisse.

6. PORTA] Vasis genus describit Vitruuius lib. 1. cap. 6. ipse vocat *Æolypilam*, id est, portam Æoli. Qui legat, quæ ibi Vitruuius, facilè intelliget huic vasi nomen inditum à portis Æoli. Peritiam Maronis Turnebus colligit lib. 25. cap. 12. — Æolypila genus vasis.

7. ET TERRAS TVRBINE PERFLANT] Homerus γαῖαν dixit, Virgil. *terras* maluit: nam, sicut mare, totum est elementum, maria partes huius elementi; sic terra totum est elementum, terræ, partes huius elementi. Nullus est autem ventus, qui totam terram perflet, quod docet Plinius lib. 2. cap. 47. Monuit hoc Corr. qui etiam addit, Poëtam bene terras mari præposuisse, quod etiam Homerus fecit γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον. nam venti è terris nascuntur, & has priùs perflant, quàm mare. Firmat auctoritate Aristotelis. Seriò aduertit Modicius, vitiosã esse illam interpretationem *terras turbine perflant*, id est, flant per terras. — Virgilius superat Homerum.

ras. Nam hîc non flatus longè latéque vagans exprimitur; sed impetus & vehementia. A

8 INCVBVERE MARI. Homerus, de ventis singulis πέσε. Illum imitans Hesiodus in Theog. πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον ait, auras incidisse in nigrum pontum. Latini ex ductu Virgilij *incubuêre*. Nam Ouidius in epist. Laodam.

Incubuit Boreas, arreptáque vela tetendit.

Seneca in sua tempestate: *venti vndique incumbunt simul.* Dio Chrys. orat. 75. ita extulit, κατερείσαντος ἀνέμε. Cedrenus ita, λαίλαπος καὶ θυέλλης δίκην ἐπεισπεσών.

9 TOTVMQVE A SEDIBVS IMIS.] Est hæc prima maris agitatio. Nam hactenus tantùm impulsa in latus porta, datus exitus, perflatæ terræ. Hanc primam maris agitationem Calaber ita expressit,

——ἐπεστενάχιζε θάλασσα Ἄσχετον.

ingemuit mare vehementer. Homerus, ἐτάραξε πόντον, *turbauit mare.* Illi hærens Archilochus in Thracicis apud Heraclidem Ponticum, κύμασι ταράσσεται πόντος. Seneca tamen, & Horatius suo duci. Ille *pelagus infimo euersum solo*. hic od. 10. Epod. *inuerso mari.* Plinius quoque lib. 9. c. 16. loquens de tempestate excitata à canicula, *ab imo versa omnia.* Est enim hoc quod dixit Virgilius, *mare erutum ab imis sedibus.* Huic inchoandæ tempestatis rationi insistunt formæ quædam prouerbiales. Demosthenes de falsa legat. πάντ᾽ ἄνω καὶ κάτω ... πεποίηκε· *omnia sursum deorsúmque vertit.* Et Dinarchus contra Demosthenem, ἄνω καὶ κάτω μεταβαλλόμενος· *sursum deorsúmque commutans.* Et Aristides in Eleusinia, πάντων ἄνω καὶ κάτω γενομένων: *omnia sursum deorsúmque verterentur.* & in 2. Platonica. οὐ ταῦτα κυκλεῖς ἄνω καὶ κάτω; *Nonne hæc sursum ac deorsum voluis?* Cambyses apud Herodotum, lib. 3. Αἴγυπτε τὰ μὲν ἄνω, κάτω θήσω, τὰ δὲ κάτω, ἄνω· *summa Ægypti reddam ima, & ima summa.* Ammianus lib. 16. *agitabat autem, miscebátque omnia sine modo.* Seneca epist. 44. *Omnia ista sursum deorsum fortuna versauit.* Velleius lib. 2. loquens de Tib. Graccho *summa imis miscuit.* Plautus Rud. *à fundamento mihi mouisti mare.* Existimo enim has formas duci ab inchoante tempestate. Cæterùm, quod hîc Virgilius *sedes imæ*, in 2. Æn. dixit *imo fundo*: in 3. G. *ima vnda*: & Tibul. li. 4. *imo fluctu.* Quibus omnibus oppone *summum fluctum*, quo vsus Noster in hoc libro infrà.

Prouerbiales formæ sumtæ ab initio tempestatis.

10 VNA EVRVSQVE NOTVSQVE &c.] Versus pene Homericus, Odyss. 5. Σύν τ᾽ Εὖρός τε Νότος τ᾽ ἔπεσε, Ζέφυρός τε δυσαής: Nominat, Eurum, Notum, Zephyrum, qui simul irruerunt.

11 CREBERQVE PROCELLIS AFRICVS.] Putat Turnebus hîc verè intelligi Zephyrum, etiamsi Africum nominarit: tum quia credendus est contendisse ad Homeri imitationem, qui Ζέφυρός τε δυσαής, tum quia infrà ait, D

Ventus pro vento.

Eurum ad se Zephyrumque vocat.

Neque enim credibile est nominasse ventum non priùs nominatum. Itaque Poëtarum more Africum posuit pro Zephyro, videlicet ventum pro vento. Turnebum Germanus sequitur, quod par mihi pro multis. Rem firmo auctoritate Taciti. 2. Annal. vbi Austrum videtur ponere pro quouis vento imbrico; scribit enim: *Omne dehinc cælum & mare in Austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, ac rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitq; naues.* An Auster vicinus septentrioni, cui omnino oppositus? Generaliter itaque, & ex ritu Poëtarum (ait Lipsius) quemuis ventum intelligit. Pro hac re Homerum adduco, qui. 9. Il. dixit,

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον·

Boreas, & Zephyrus, qui è Thracia spirant.

Vbi ventum pro vento capias necesse est. Scio Didymum, & Eustathium, atque etiam Ammianum Marcel. lib. 27. scribere, Thraciam ita porrectam, vt in σ modum litteræ (ait Didymus) attingat occidentem. Sed Straboni hæreo, qui lib. 1. Vellicatorem quendam Homeri reprehendens, ait, Græcum non tam veritati hæsisse, quàm inclinasse ad mare finitimum, ac sibi notum, & inde dixisse, Zephyrum flare à Thracia. Quæ dixi, vera puto. Si quis tamen velit Africum verè capere, non pugnem. Nam hic ventus furiosus, Seneca lib. 5. Natur. Quæst. *Africus furibundus ac ruens ab Occidente hiberno.* Propriè accepit Horatius, od. 1. lib. 1.

Luctantem Icariis fluctibus Africum.

12 VASTOS VOLVVNT AD LITTORA FLVCTVS. Est hoc fermè quod Homerus dixit. 3. Odyss. B

Ἔνθα Νότος μέγα κῦμα ποτὶ σκαιὸν ῥίον ὠθεῖ·

Huc Auster ingentem fluctum ad sinistrum promontorium pellit.

Sed & verbum *voluo* in Homero est. 11. Il. πολλὸν κῦμα κυλίνδεται.

13 INSEQVITVR CLAMÓRQVE VIRVM.] Id quod necesse in re simili. Apud Aristidem orat. 2. Sacror. Serm. ad calamitatem vnius nauis, ἱδρὼς ἦν, καὶ θόρυβος αὐτῶν, καὶ βοαὶ πᾶσαι τῶν ἐμπλεόντων· *tum sudor ac tumultus nautarum, clamorésque vectorum cuncti.* Sed hoc quid persequar? Lege Appianum. 5. ciuil. in tempestate, quam passus Augustus, cùm vellet pugnare contra Sextum Pompeium.

14 STRIDÓRQVE RVDENTVM.] Funes sunt nautici ad nauium ministerium: pro his accipi à Plinio, quibus naues ad terram religantur, Bayfius admonet. His Poëta dat stridorem, vt Ouid. in sua tempestate: C

Rudentes funes nautici.

Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes.

Bonus versus, vt qui ad Maroniana vestigia. Pacuuius dat *sibilum*, citante Seruio *Armamentûm stridor, & rudentium sibilus.* Omnes ad etymon aspirant, quippe rudentes à rudendo.

15 ERIPIVNT SVBITÒ NVBES, &c.] Arripuit phrasin hanc Seneca in Hippol.

Subtexe noctem, sidera, & cælum eripe.

Necessaria penè est in tempestatibus describendis mentio tenebrarum, nam mali illius hoc malum semper est comes. Possis hîc multos poëtas ridere. vnde, dices, hic risus? Nam aliqui bis, ter, quater, quinquies etiam ad illas recurrunt, tanquam egentes orationis, & volentes loco communi tempestatem locupletare. Virgilius semel tantùm, apud quem erepto cælo, erepto die, nox ponto incubat. Sed abstineo à crisi, auctores do. Homerus,

——σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ᾽ οὐρανόθεν νύξ·

Nubibus terram simul pontúmque operuit, ruit autem è cælo nox.

Post aliqua iterum recurrit,

——νεφέεσσι περιστέφει οὐρανὸν εὐρὺν Ζεύς.

Sed abstineo, vt dixi, à crisi. Apollonius in sua tempestate lib. 2.

——κελαινὴ δ᾽ οὐρανὸν ἀχλὺς
Ἀμπέχεν.

——Occupauit cælum nigra caligo.

Calaber in sua, ἐρεμνὴ νύξ. Appianus in sua, lib. 5. Ciuil. τότε σκότος ἦν ὀχλεῖ νυκτός. Flaccus. 1. Arg.

Piceóque premit nox omnia cælo.

& in. 2.

——subitus cum luce fugata

Horruit

Horruit imbre dies.

Hoc Maronis est, qui in. 5. libans tantùm tempestatem, *& inhorruit vnda tenebris.* Qui fortasse à Pacuuio, nam hic in sua,

——in horrescit mare,

Tenebræ conduplicantur, noctisq́; & nimbûm occæcat
nigror.

Petronius Sat. hac vna re potissimùm tempestatem exaggerat: *inhorruit mare nubesq́; vndique adductæ obruere tenebris diem.* & inf. *tam spissæ repente tenebræ lucem suppresserant, vt ne proram quidem totam gubernator videret.* Achilles Alex. lib. 3. tempestatem, quam ducit latissimè, statim à tenebris inchoat. Ouidius in Met.

——caret ignibus æther,
Cæcaque nox premitur tenebris hyemisque suique.

Iterum:

Omne latet cælum, duplicatáque noctis imago est.

Statius,

——inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies miscet tenebras.

Seneca in Agam.

——cælum perit,
Nec vna nox est, densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subducta fretum
Cælúmque miscet.

Si quis hæc damnet, sciat multa hinc amputata, & hæc relicta ad imitationem adolescentium: ac multa huius tempestatis possem simili copia illustrare, me tamen continet suspectus tædij.

Dies pro sole.

16 DIEM] Id est solem (notatore Parrhas.) nam postea: *Collectásque fugat nubes, Solémque reducit.* Apertiùs Claudianus, & Lucretius. Hic, *lucida tela diei*, id est, solis; ille, in Raptu:

Merserat vnda diem, id est,

solem. hîc contrà *soles* pro diebus accipi, clarū. Quid si verè diem ad αὔξησιν; ita ego accipio Senecā Rhetorem cont. 16. *Emicabant densis vndique nubibus fulmina, & terribili fragore horridæ tempestates absconderant diem.*

Virgilius superat Homerum.

17 PONTO NOX INCVBAT ATRA] Meliùs quàm Homericum ὀρώρει νὺξ, *ruit nox.* Ab nostro Curtius lib. 9. *caliginem, ac tenebras, ac perpetuam noctem profundo incubantem.* Hoc enim verbo molestis-

A simum quiddam indicatur. Tale illud Horatij lib. 1. od. 3. *Macies, & noua febrium Terris incubuit cohors.*

18 INTONVERE POLI] Quis hoc tacuit in tempestatibus? vetus poëta apud Tullium in Diuinat. *Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit.* Homerus Odyss. 12.

Ζεὺς δ' ἄμυδις βρόντησε, ἐνέβαλε νηὶ κεραυνόν:

Iuppiter autem simul intonuit, & iniecit fulmen naui.

Calaber diuidit, nescio quam φύσιν sequutus, nam fulgura dat Palladi, tonitrua Ioui. Statius in sua tempestate iterum recurrit, quod vitiosum. nam cùm primò intulisset, *multa crinitum missile flamma*, deinde post aliqua,

——elisit nubes Ioue tortus ab alto
B *Ignis.*

Apud Valerium,

——Picei fulsêre poli, pauidámque coruscæ
Ante ratem cecidêre faces.

Furorem Lucani vide:

Tum superûm conuexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaq́; poli compage laborant.

Noluit tonitrua dicere, sed describere à tremore, à sonitu, à laborante cælo.

19 ET CREBRIS MICAT IGNIBVS ÆTHER] Nulla est in Poëta hysterologia, sed sequitur rectum ordinem, nam primū est tonitruū, deinde coruscatio fulgetrarum, tametsi velociùs oculi splendorem C suum, quàm aures suum sonitum accipiant. Sed cur *æther*, cùm tonitrua & fulmina exsistant in aëre? sicvt & Ouid. *tonitribus æther*, & multi alij. Satisfacit Corradus. Seruiuit Poeta maiestati carminis, nam grandius *æther*, quàm aër: vel loquutus hyperbolicè, quasi cælum ipsum flammas emiserit: vel ex opinione mortalium, qui aiunt cælum fulgurare, micare, strepere. Posset tamen vox torqueri ad elementum ignis.

Virgilius defenditur.

20. PRÆSENTEMQVE VIRIS INTENTANT OMNIA MORTEM.] Catullus dixerat: *ostentant omnia lethum.* Sed grandius fecit Maro. (*ait Scaliger*) commutans. Ouidius quoque in sua tempestate luculenter:

D *——totidémque videntur*
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere montes.

Scaliger Lucano attribuit memoria lapsus.

[a] Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra.
Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: [b] O TERQVE QVATERQVE BEATI,
Queîs ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. [c] ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuáque animam hanc effundere dextra?
Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens
Sarpedon, vbi tot Simois correpta sub vndis
Scuta virûm, galeásque, & fortia corpora voluit?

ARGVMENTVM.

Æneas ad subitum malum expauescit, ingemit, sublatisq́; ad cælum manibus, illos beatos putat, qui cum gloria ceciderunt ad Troiam sub diro hoste.

EXPLICATIO.

a EXPAVESCIT Æneas ad subitum malum. Pauoris huius duplex est nota, videlicet so-

E lutio membrorum, & gemitus. In persona Æneæ seruatur decorum, nam hic timet, tum post alios, præcessit enim *Præsentémque viris intentāt omnia mortem*, tum post emissos ventos, mare erutum, tenebras densissimas, tonitrua, fulgura. Alij, suos duces timentes inducunt in ipso aditu tempestatis, præter decorum. Tendit verò manus ad cælum, nihil precaturus, sed quia sequitur, *ô térque quatérque beati*, quasi ipsa manus sublatione ad sidera, indicet illos esse beatos, qui occubuerunt, cùm in sideribus iam sint.

b Sequitur

b Sequitur oratio affectibus magnis plena. Incipit ab exclamatione, felices indicans illos, qui ceciderunt in bello Troiano, tum quòd ciderint ante ora suorum parentum, rum quòd in conspectu Troiæ: nam quid felicius morienti, quàm habere testem suæ virtutis, quo carent, qui misere in mari pereunt?

c Apostrophe ad Diomedem, qui filius Tydei Optat verò cecidisse sub illo hoste, cum quo ad Troiam pugnauerat. Est verò in istis tacita Æneæ laus, tum quia cum fortissimo Græcorum pugnauerit, neque victus fuerit: tum quia ira pugnauerit vt voluerit occumbere, sed non potuerit. nam quantum in se fuit, ipse voluit mori. Versum illum *tuaque animam hanc effundere dextra*, nota, totum fere exprimi cum hiatu oris: vt declaret Poëta ipsum actum animæ volentis exire. Fugit enim vates consultò illas litteras, quæ compressis labiis efferuntur. Exaggerat ad finem calamitatem suam ab Hectore, Sarpedone, Troianis reliquis: quibus contigit tanta felicitas, vt ad Troiam caderent sub hoste nobili, Hector ab Achille interfectus, Sarpedon à Patroclo. Assumitur Simoëntis mentio cum emphasi. Quasi dicat. Si moriendum aquis erat, quanto meliùs oportuerat cadere Troianum hominem apud Troiam, & in Troiæ flumine, vbi alij fortissimi ciderunt. Multa subierant expendenda, quæ omisi tamen, nequis me nimium scrutatorem putet: non omittam dignissimum esse laude Virgilium, qui toties in hoc sermone laudet Ænean ore ipsius Æneæ, & tamen ita ingeniosè, & tectè, vt decebat laudantem se.

NOTÆ.

1. SOLVVNTVR FRIGORE MEMBRA] Oppianus 5. Hal.

Δείματι καὶ καμάτῳ θυμαλγέϊ γυῖα λέλυνται.

Timore, & dolorifico labore soluta sunt membra.

Homerus. *Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα*. *Vlyßis soluebantur genua.* Roges, frigus quod astringit, quî potest membra soluere? Adi Corradum, qui latè hunc nodum. Summa est, calore, quo alimur, deficiente, membra solui: inde est, vt fortissimi quoque abeunte calore à membris, & succedente frigore, contremiscant. Ideo Homerus Odyss. 12.

Frigus constringẽs cur dicatur soluere.

—λίπε δ' ὀστέα θυμὸς ἀγήνωρ:

deseruit ossa animus generosus.

Calabro in sua tempestate placuit ad animum confugere non ad corpus, *κατέκλασο* (ait) *Αχαιῶν θυμὸς ἐνὶ στέρνοισι: frangebatur Græcorum animus in pectoribus.*

2. INGEMIT] Viris fortibus datur ex decoro gemitus, nunquam lacrymæ, nisi ex misericordia. Ingemit autem (ait Seruius) non propter mortem, nam statim ait, beatos esse, qui obierunt, & ipse obiisse cupit, sed propter genus mortis; nam anima, quæ igneæ est naturæ, contrario perit elemento. Seruianum hoc plausibile est doctis, præsertim Nannio, Germano, Delrio, aliis. Itaque credebant veteres, mortem in aquis exitiabilem esse animæ, illique adducere interitum sempiternum. Nituntur hi testimonio Homeri Odyss. 4. qui de interitu Aiacis Oilei,

Gemitus virorum fortium.

Mors in aquis exitiabilis.

Ὥς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ:

Sic ille quidem perijt, postquam bibit salsam aquam.

Nam de aliis mortuis cùm loquitur Homerus, non ait illos periisse; sed vt quisque à corpore seiunctus est, ire ad domos Plutonis. Inde ait Synesius epist. 4. factum, vt cùm ab Homero mortui in infernis excitentur, minor Aiax nunquam introducatur, *ὡς τῆς ψυχῆς οὐκ οὔσης ἐν Ἅδου*, *vt cuius anima in inferno non sit,* quia omnino aquis perierit. Ad quam rem faciunt

A verba ista Heracliti citata ab nostris eruditis, *ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γίνεται*: *animis aqua est mors.* Aristoteles, 3. Ethic. de viris fortibus, qui moriuntur in mari, ait, *καὶ τὸν θάνατον τὸν τοιοῦτον δυσχεραίνουσιν*: *ferunt molestè tale genus mortis.* & addit postea, velle illos cadere in bello, quam mortem in bello vocat honestissimam, adhibita hac ratione, quia cadunt *ἐν μεγίστῳ καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ*: *in maximo & pulcherrimo periculo*: qua laude ait carere illos, qui obeunt in mari. Apto hîc verba Nazianzeni orat. 1. vbi inter ea quæ accidunt in tempestate, tum hoc subiicit: *καὶ τῆς ἀνδρείας καιρὸν οὐκ ἔχοντες*: *nullam habent occasionem ostendendæ virtutis.* Hæc res adeò vulgata fuit, vt milites quidam (narrat ibidem Synesius) statuerint sibi necem sua manu consciscere, ne naufragio perirent, quia mors aqua-

Mori in bello honestissimum.

B rum exitialis erat animæ. Verba Synesij, *πρὸς τὸν ἀέρα τὴν ψυχὴν ἐρυγεῖν, ἀλλὰ μὴ πρὸς κῦμα χανόντας.*

Volebant animam difflare in aërem, non exstingui in aquis.

Laceraui locum Synesij, quia longus. Ad hanc veterum persuasionem pertinere arbitror Plutarchi locum de primo frigido, vbi ait, Homerum non fabulosè, sed physicè opposuisse fluuium Vulcano, Neptunum Apollini: atque Æschylum dixisse *παῦε ὕδωρ, δίκην πυρός*: *compesce aquam, ignis pœnam.* itaque hoc naturali inuolucro aspirarunt illi ad explicandas inimicitias aquæ cum ignea anima. Additque, apud Persas fuisse supplicandi genus acerrimum, & securum repulsæ, si supplex cum igne in fluuium de-

Persarum supplicandi mos.

scendens, minaretur ignem se in eum abiecturum,

C nisi impetraret, quod petebat. Fiebat enim compos voti, sed puniebatur propter comminationem, vt pote iniustam, & naturæ contrariam. Quod tametsi conferri queat ad ignem Deum Persarum, non video cur non etiam ad rem, in qua sum. Huc trahit Delrius versus Albinouani:

Séque feris credunt per inertia fata marinis

Iam non felici laniandos sorte relinqui.

Item locum Senecæ, & Alexandri Ætoli. vide illum in Agamem. Huc spectat Ouidius lib. 1. Trist. eleg. 2.

Non mortem timeo, genus est miserabile lethi,

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Sed de hac re loquor infrà ad locum alium.

3. TALIA VOCE REFERT] Mutauit Homeri-

D cum,

εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.

secum locutus est ad generosum animum.

Nam tempestas Homeri ad vnum tantùm Vlyssem destinatur, neque alterius fit mentio; igitur secum loquatur necesse est: Maro in Troianos omnes tempestatem concitat, & ideo ab omnibus audiri Æneas debet, ideo *voce.* Nullus itaque est pleonasmus.

4. O TERQVE QVATERQVE BEATI] Ponit numerum finitum pro infinito. Commentatio Macrobij de septenario tantùm numero, quem & Beroaldus sequitur & Perr. Bongus, ad Virgilij locum inanis omnino est. Hîc tantùm monuisse sit satis, locum tracto 12. Æneid. ad illud,

Numerus finitus pro infinito.

E *Térque quatérque manu pectus percußit honestum.*

Transfer huc.

5. QVEIS] Seruius *quis* legit, & inflecti olim sic ait *ques, quium, quis.* Cato in orig. *si ques sunt populi.*

Ques, quium: pro qui, quorum.

6. ANTE ORA PATRVM TROIÆ SVB MOENIBVS] Hîc Virgilium cum Homero confero. Vlysses cùm est in tempestate, vocat fœlices, qui ciderunt ad Troiam *χάριν Ατρείδῃσι φέροντες.* id est, *Atridarum gratia.* Quid Æneas? felices vocat, qui obierunt & ante patriam, & ante patres. Quo innuit, pro patribus illos, & pro patria obiisse. An non hoc maius?

Virgilius superat Homerum.

ius? Patres quippe & patriā Atridis opponit: pietatem gratiæ. Est enim excellentius, addo & sanctius, militem pro patria & patribus occumbere, quàm suorum ducum gratia. Profero Liuij verba è lib. 28. vbi amplificans Scipio facinus militum, qui à se defecerant, & ad hostes transierant, sic ait: *De meipso taceo, temere potius quàm auidè credideritis: is denique ego sim, cuius imperij tædere exercitum minimè mirandum sit. Patria quid de vobis meruerat. Lapides pluere, & fulmina iaci de cælo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis? Hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine eorum qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit*, &c. Vides quàm tenuiter amplificauerit facinus in se admissum, quàm grauiter & luculenter facinus admissum in patriam. Contrario igitur argumento excellentius quiddam efficiunt, qui pro patria & patribus occumbunt, quàm qui solùm ducum gratia. Alludunt verba Isocratis in epist. ad Philippum, laudantis non eos qui in bello occumbunt, sed qui pro patria, pro parentibus, pro liberis. Quod Noster expressit illis *ante ora patrum & Troiæ sub mœnibus*. Sed profero verba magni Rhetoris: καὶ δὲ μὴ καλὰς ἁπάσας ὑπολαμβάνειν τὰς ἐν τοῖς πολέμοις τελευτάς· ἀλλὰ τὰς μὲν ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ τῶν γονέων, καὶ τῶν παίδων, ἐπαίνων ἀξίας. *Neque verò semper præclarum habendum est in bellis occumbere, sed quando id fit pro defensione patriæ, parentum, & liberorum, laudabile est.* & Horatij od. 2. lib. 3.

Mors pro patria laudabilis.

Dulce & decorum est pro patria mori.

& Tullij in Philipp. *O fortuna mors, quæ naturæ debita, pro patria est potiss. reddita.*

7. ALTIS] Pergama (sic dicti Troiani muri) dicuntur fuisse altissima. Propertius lib. 2. eleg. 8. *altáque Troia fuit.* Horat. lib. 3. od. 6.

—Troiæ prope victor altæ
Phthius Achilles.

& ex illis alta quæuis ædificia *pergama* appellari ex Æschylo adducit Seruius. Adeundus Corr. qui multa in hunc locum. Istis *Troiæ sub mœnibus altis*, videtur reddere verba Calabri, qui de Troia, ὑπαὶ μέγα τεῖχος. Quod Euripides ita, ὑπὸ Καδμείοις τείχεσι.

Pergama pro ædificiis altissim.

8. CONTIGIT OPPETERE] Signata verba: primum ad fortunam indicandam, quam attribuit illis, qui ceciderunt ad Troiam: alterum, quo alludit ad præclarum mortis genus, quo qui moriebantur, terram ore petebant, mordebántque: nam hæc est, terram oppetere. Sed de hoc. 11. Æn.

Terram oppetere, quid.

9. O DANAVM FORTISSIME GENTIS TYDIDE] Discessit cum victoria ab Homero, quod notat Corr. Nam Vlysses optat cecidisse manibus multitudinis, quæ non magna laus: Æneas prudentiùs illius manibus, quem Græcorum fortissimum iudicabat (alludit quippe ad Homerum, qui Diomedem vocat κράτιστον Ἀχαιῶν) memor eos laudari debere, qui sint à fortissimis interfecti.

V[illegible]superat Homerum.

10. MENE ILIACIS OCCVMBERE CAMPIS NON POTVISSE] Fortasse ab Eurip. in Androm.

Εἴθε σ' ὑπ' Ἰλίῳ ἤναρε δαίμων
Σιμοεντίδα παρ' ἀκτάν:
Vtinam te sub Ilio sustulisset dæmon
Simoentis ad ripam.

Attingit verò duos communes locos: quàm sit felicius mori in patria, quàm in exteris gentibus: quàm beatius in terra, quàm in aqua. Possem facilè vtrunque ornate, primum, ex Homero, Apuleio, Æschylo, Euripide, Nonno: alterum, ex Homero, Seneca Tragico, Alexandro Aetolo, Ouidio, Græcis epigrāmatis. Sed omitto consulens breuitati. Adduco tamen locum Apollonij lib. 2. Excidij Hierosolymorum, vbi Iosephum ducem Hebræorum inducit, cum his querelis.

Mori in patria, felix.

A

—tunc fundere vitam
Hanc ego non potui bello? & felicibus vmbris
Ire comes? cùm sublato mihi Flauius ense
Institit: ingrati cùm me rapuere sodales?
Tunc non vulneribus potui cecidisse pudendis.

Et Alcimi lib. 5. apud quem Israelitæ, cùm vident in fuga venientes contra se Ægyptios, ita inclamant ad imitationem Virgilij,

—ô térque quatérque beati
Quos morte absumptos calidis Ægyptus arenis
Condidit ante patrum morientes ora suorum:
Digni habiti, qui tam diros sentire dolores,
Nec stragem hanc possent nec pignora capta videre, &c.

B

Illud *méne* dictum cum magna emphasi. Ita suprà,

—Mene incepto desistere victam?

Et Terentius Eunuch. *Ego ne illam? quæ illum? quæ me?* &c.

11. HANC ANIMAM] Affectus non vulgaris, quem Ouidius arripuit. 1. Trist. eleg. 2. in tempestate quam passus: *Opprimet hanc animam fluctus*, & in Ibin:

—hanc animam nimiùm tibi sæpe petitam.

Statius quoque, in sua tempestate, *hanc animam* dixit pari emphasi, versus postea adducam. Donatus in verba Terentij *hanc ego vitam*, ait, interpretans, *quæ nos perturbat*. & addit ita hîc capiendum Virgilium. Pari emphasi. 3. Æneid.

Hanc animam.

Vos animam hanc potiùs quocunque absumite letho.
& 4. Æneid.
Accipite hanc animam.

C

Terentius Hecyr. *Hanccine hanc animam parsi perdere?* & Propertius lib. 1. eleg. 6.

Me sine quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

Omnia hæc cum contemptu efferenda.

12. DEXTRA] Dolet vehementer Æneas se non cecidisse sub hoste fortissimo, vt Hector, vt Sarpedon. Est enim gloriosum sic cadere. Virgilij sententiam dilatat Seneca in Agamemnone, vbi in tempestate, quam passi sunt Græci, ita de illis loquitur:

Mori sub hoste fortissimo gloriosum.

Quid fata possunt? inuidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlysses, Hectori Atrides minor,
Priamo Agamemnon. Quisquis ad Troiam iacet
Felix vocatur, cadere qui meruit manu,
D
Quem fam[illegible]at, victa quem tellus tegit.
Nil nob[illegible]ausos pontus, atque vndæ ferent?
Ignaua fortes fata consument viros?
Pudenda mors est.

Faciunt ad hæc, quæ Aristoteles scribit. 3. Ethic. nimirum viros fortes, mortem eo tempore molestè grauitérque ferre, cùm nullam suæ fortitudinis declarandæ occasionem habent: quod declarat exemplo eorum, qui pereunt ἐν θαλάττῃ, καὶ ἐν νόσοις: *in mari, & morbis.* Insigniter etiam facit Homeri locus Il. 12. vbi indignissimè fert Achilles obrui se vndis Scamandri. Sic reddebam totidem versibus.

Mors ignaua, quæ.

Iuppiter omnipotens nemo me ex fluminis ira
Diuorûm eripiet? patiar quæcunque deinde,
Dummodo ne rapidis me fluctibus auferat vnda.
E
Tu mihi culpanda es genitrix charissima, quæ me
Decipis, insignem mortem mihi sæpe profata
Diuinis Phœbi iaculis: nunc flumine mergor.
Quàm meliùs nostris fauissent numina fatis,
Si me magnanimi rapuissent Hectoris arma.
Hoste sub hoc meruit vitam profundere Achilles.
Pelidem nunc fata vocant puerilia, si me
Obruat insanis veniens à fluctibus vnda.

Hoc genus mortis Tacitus. 1. Annal. vocat *inglorium*. & Curtius lib. 3. *obscurum & ignobile*. Pedo Albinouanus

uanus apud Senecam 1. Suaſ. *fata inertia*. Ait enim:

Séque feris credunt per inertia fata marinis.

Ideo Theopompus (citat hunc grauis Auctor Clemens Alexand. lib. 6. Strom. per initia) dicebat, ὥστε τὸν ἐν ταῖς μάχαις θάνατον αἱρετώτερον εἶναι δοκεῖν: *mortem in prælio videri magis optandam*. Apud Lampridium lætatur Alexander Seuerus audiens ſe barbarico gladio periturum. Putabat quippe hanc eſſe imperatoriam mortem. Apud Iuſtinum lib. 19. Amilco Imperator Carthaginienſium vehementer dolet ſui exercitus ignauam mortem; vt qui non bello pereat, ſed peſte. Alcmena apud Senecam in Oct.

Obire forti meruit Alcmene manu,
Vel ſcelere pereat, antequam lethum mihi
Ignauus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet.

Adducit Herodotus lib. vlt. apophthegma Callicratis. Stabat iam hic in acie, ſed ictus ſagitta eſt, ante commiſſum prælium. Dixit tunc, ſibi moleſtum non eſſe mori inſpectante vniuerſa Græcia, ſed id tantùm, quòd vti ſibi manu non licuiſſet. Græca ſunt, ὡς μέλει οἱ, ὅτι πρὸ τῆς Ἑλλάδος ἀποθνήσκει, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐχρήσατο τῇ χειρί. Vlyſſes etiam apud Homerum, cùm optat cecidiſſe in Troia, hæc inter alia, καί μευ κλέος ἦγον Ἀχαιοί: *& meam gloriam celebraſſent Græci.* Scribit Plutarchus lib. 9. Sympoſ. in excidio Corinthi, Mummium, ingenuos pueros, qui litteras noſſent, iuſſiſſe ſe inſpectante aliquid ſcribere: ac tum puerum vnum ex captiuis, Homeri verſum illum ſcripſiſſe, τρὶς μάκαρες, &c. quo Vlyſſes felices vocat eos qui ad Troiam cum gloria ceciderunt. Porro ingenio pueri ita commotus eſt Mummius, vt & lacrymas funderet, & libertatem daret omnibus, qui puerum genere contingebant. Longus fui, ſed non ideo omittam verſus Statij 9. Theb. vbi Hippomedon videns ſe perire in aquis, ita exclamat:

—fluuióne (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? ſegnéſque lacus, & ſtagna ſubibo,
Ceu pecoris cuſtos ſubitò torrentis iniquis
Interceptus aquis? ideóne occumbere ferro
Non merui? Heſiod. in ἔργ. dixit. Δεινὸν δ' ἐστὶ θανεῖν μετὰ κύμασιν: *Graue eſt mori in fluctibus.*

13. SÆVVS] Vel magnus, de quo iam dictum: vel, fortis & acer.

14. IACET] Alluſum fortè ad Homeri verbum de obitu Hectoris, ἔκειτο (ait) ἐν κονίῃσιν, *iacuit in pulueribus.*

15. INGENS SARPEDON] Refer epithetum vel ad nobilitatem, erat enim hic Sarpedon (nam plures huius nominis fuiſſe ex multis diſces, præſertim ex Ritterſhuſio in lib. 3. Hal. Opp.) Iouis filius: vel ad virtutem bellicam, de qua fusè Homerus: vel ad proceritatem corporis; nam hanc magnam fuiſſe ſatis indicat Homerus. 16. Il. comparans illum cadentem cum quercu, aut populo, aut pinu alta.

16. VBI TOT SIMOIS CORREPTA, &c.] Horrorem iſtum fluminis vndantis multitudine armorum, galearum, ſcutorum, cuſpidum, ſanguinis, alij executi ſunt. Sed quis venire in contentionem cum Virgilio meretur? Audi lector, & iudica. Homerum vix capies. 12. Il.

Καὶ Σιμόεις, ὅθι πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι
Κάππεσον ἐν κονίῃσι:

Et Simois, vbi multa ſcuta & galeæ
Deciderunt in pulueres.

Nam ſi in vndas, qui in pulueres? Nulla ſolutio ad guſtum. Meliùs multò 21. Il.

Μορμύρων ἀφρῷ τε, καὶ αἵματι, καὶ νεκύεσσι:

Murmurans ſpumáque, & ſanguine, & cadaueribus.

& paulo antè induxerat fluuium impellentē cadauera, ὦσε δὲ νεκρούς. Quem videtur expreſſiſſe Stat. 1. Theb.

—propellens cadibus amnem.

Idem 2. ita: *—ſanguineiſque vadis Iſmene rotabis.*

& in 3. *Quantus equis, quantúſque viris in puluere craſſo*
Sudorlio quantum crudele rubebitis amnes!

Lege Gregorium Turonenſem lib. 4. cap. 30. vbi par clades Aruernorum in flumine Rhodano. Par etiam apud Ammianum lib. 16. *Spumans cruore barbarico decolor amnis inſueta ſtupebat argumenta.* Par in Romanis ſcriptoribus de Thraſymeno lacu; quibus adiunge Arnobium, lib. 4. in quo ſunt lacus huius torrentes ſanguinei. Sed Virgilius ab Catullo illuſtratur, apud quem Parcæ de naſcituri Achillis virtute, ſic:

Teſtis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto,
Cuius iter cæſis anguſtans corporum aceruis
Alta tepefaciet permiſta flumina cæde.

Itaque putandus eſt Virgilius loqui cum reſpectu ad virtutem Achillis.

17. ET FORTIA CORPORA VOLVIT] Hic eſt exitus ſermonis Æneæ. Cenſent viri iudicij limatiſſimi prudentiùs multo querelas iſtas iactatas ab Ænea, quàm ab Vlyſſe, tum quòd Græcus quatuordecim carmina inſumpſerit, Latinus ſeptem, neque enim eſt credibile, hominem tam diro malo oppreſſum, potuiſſe fundere tot verba: tum quòd Vlyſſes querelas ſuas finiuerit, cùm dixit fatum ſibi eſſe perire morte: quas Æneas procella impeditus non abſoluit. Itaque rupit illas miſerabiliter, plura relinquens cogitanda. Cæterùm qua ſententia Virgilius dixit, *Simois voluit corpora*, eadem dixit Propertius, lib. 2. eleg. 15.

Nec noſtra Actiacum verteret oſſa mare.

Pueri vnius ingenium.

Mors in aquis ignaua.

Sæuus.

Sarpedon.

Virgilius ſuperat omnes poëtas.

Virgilius ſuperat Homerum.

[a] Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctúſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora auertit, & vndis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
[b] Hi ſummo in fluctu pendent; his vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
[c] Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet;
[a] (Saxa vocant Itali, mediíſque in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo) tres Eurus ab alto
In breuia & ſyrtes vrget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
[d] Vnam quæ Lycios, fidúmque vehebat Orontem,

Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit. excutitur, pronúsque magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
^e APPARENT rari nantes in gurgite vasto,
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per vndas.
Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ,
Et quâ vectus Abas, & quâ grandæuus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimísque fatiscunt.

ARGVMENTVM.

Affligitur ab Aquilone nauis Æneæ; tres ab Noto, tres ab Euro. adiungitur naufragium Lyciorum, complent exitium aliæ quatuor naues. omnia varijs casibus discriminantur.

EXPLICATIO.

a DESCRIBITVR naufragium eius nauis, qua Æneas vehebatur. In hanc nauem, vt principem aliarum, educit Aquilonem ventorum principem. Ergo *procella stridens Aquilone ferit velum:* en prima eius nauis calamitas. Sed cur hæc procella *aduersa?* Nam Aquilo contra Notum spirabat, vt classis deferretur ad Africam contrariam Septentrioni. Sequitur, *fluctúsque ad sidera tollit.* Hoc hyperbolicè ad indicandam magnitudinem tempestatis. Quid præterea? *franguntur remi:* en secunda calamitas. Tertia, *auertit se prora*, inclinátque, ac perinde *dat latus vndis*, quo istæ irrumpant in nauim. Irrupêre verò ita multæ aquæ, vt posses appellare *præruptum aquarum montem.* Innuit quippe magnarum vndarum globum.

b Adhuc est in laceratione nauis Æneæ. Meministis inclinatam fuisse proram vi procellæ, & adhuc inclinatiorem fuisse pondere, & globo aquarum, quæ per eam partem irrupêre, inde necesse est, vt quantùm depressa esset prora, tantùm elata esset puppis. Ergo *hi*, id est, qui erant in puppi, *pendent in summo fluctu. his*, id est, qui erant in prora, *dehiscens vnda aperit terram inter fluctus.* Itaque hiante vnda, & apparente terra, vident in imo arenam æstuantem, ac feruentem.

c Hæsit hactenus in naue Æneæ, quam solam ex decoro Aquilo lacerauit. Nequeo satis laudare Poëtæ vigilantiam. Nam erat decens, vt ruina nauis Æneæ iungeretur vnà cum ruina aliarum nauium. Illa sola & seorsim affligitur à vento omnium validissimo: aliæ ternæ dissipantur, & à ventis minùs validis; tres sibi assumit Notus, tres Eurus. Ille tres suas abripit ac *torquet in saxa latentia.* hic flans *ab alto* mari *vrget* tres suas *in breuia & syrtes*, id est, in breuia syrtium, vel in syrtes breuissimas: ac perinde *illidit vadis, cingit aggere arenarum.* Quærit quippe Poëta varietatem suo carmini ex varietate calamitatum, ideò tres naues Notus in saxa adigit, tres Eurus in arenam impellit. Porro parenthesim, quæ intercedit, sic explico. Itali vocant aras saxa illa quæ sunt in fluctibus medijs: sunt verò hæc saxa, dorsa quædam immania in mari summo. De his aris dicam in Notis. Bene autem interpretes aduertunt adhibitam confusam verborum collocationem, tum ad nauium confusionem, tum ad ingentem difficultatem rerum indicandam.

A d Sequitur naufragium Lyciorum, & Orontis illorum ducis. Fuit in hac re vigilantissimus Maro, fluctibus Lycios absumens, vt soli Troiani imperium erigant in Italia. Ergo describitur maximus quidam fluctus, qui propter magnitudinem suam dici *pontus* meruit. Hic itaque *ingens fluctus* inspectante Ænea *ferit à vertice in puppim* nauim illam *quæ Lycios vehebat atque Orontem.* Hîc *à vertice* nihil est aliud quàm desuper. Discriminat autem Lyciorum cladem à duplici circumstantia, videlicet à successu gubernatoris, quem hîc vocat magistrum, & Leucaspim intelligit; & à successu nauis. Hæc itaque nauis ingruente aquarum cumulo per puppim, necessariò depressa est, qua erat puppis: ac perinde factum est, vt magister cuius locus est puppis, pendente & inclinata naue, ipse quoque penderet essetque inclinatus: ideo

B facilè excussus est, & facilè in caput præcipitatus. Quid de naui? *Illam fluctus ter ibidem circumagens torquet, vorátque æquore vortex rapidus.* Cùm ait *ter*, intellige sæpe nauem circumactam ac tortam, ex qua circumactione & tortione secuta est clades, videlicet deuoratio. Expende hîc varietatem calamitatum. Accidit quippe naui Lyciorum contra quàm naui Æneæ. Nauis Æneæ depressa est à prora, elata à puppi: nauis Lyciorum depressa est à puppi, elata à prora.

e Sequitur discriminatio variorum casuum. *Apparent* (en verbum gestuosum, ait Scalig.) *rari nantes*, & hi *in vasto gurgite.* Mira oppositio ex paucitate natantium, & vastitate maris. Cur etiam *rari*? quia pauci natando salutem assequuti sunt, nam plures demersi.

C Pergit. Apparent *arma virûm*, id est, armamenta & instrumenta nautica: thoraces quippe, & galeæ deprimerentur præ pondere. Corradus (occurrens credo obiectioni) hastas intelligit. Apparent *tabulæ* nauium, apparet *Troïa gaza.* Excitatur hîc ingens commiseratio à magnitudine iacturæ rerum pretiosissimarum, videlicet vestium, tapetium, supellectilium. Horum dignitas expressa est voce Persica. Complent miserandam tragœdiam naues quatuor amissæ, videlicet nauis Ilionei, Achatis, Abantis, Alethis. Nam hæ omnes victæ tempestate accepêre ingentem aquarum copiam, ac sic depressæ sunt. Illud *rimis fatiscunt*, est, dissoluuntur, aperiuntur, aquam admittunt per rimas, statim affatimque hiscunt solutis compagibus.

D

NOTÆ.

1. [IACTANTI] Viderunt iam alij superatum hîc Homerum, qui εἰπόντα dixit. Iactare propriè dicit querelas sine fructu; quod Æneæ accidit; nam loquentem illum sæuior adhuc procella inuasit. An in tanto tumultu exaudiri Vlysses posset? Transfer in hunc locum, quæ ego. 2. Ecl. ad illud, — *Virgilius superat Homerum. Iactare, quid.*

Montibus, & syluis studio iactabat inani.

Idem

Idem est enim iactare querelas suas ad montes, A quod ibi facit Corydon; atque ad ventos, quod hîc Æneas. Sed & Lucanus frustra anhelat (ait Scaliger) ad Virgilium, neque enim assequitur cùm ait:

—Non plura locuto
Auulsit laceros percussa puppe rudentes
Turbo rapax.

2. Stridens Aqvilone procella] *Est hoc quod Homerus dixit. 11. Il.* βαθείῃ λαίλαπι τύπτων. *vehementi procella verberans.* Vide verò, quo stridore, quibus minis educat Aquilonem, & languidus tibi Homerus videbitur. 12. Odyss. qui cessante Zephyro, volens Notum superadducere ad renouandam cladem, tantùm ait, ἦλθε δ᾽ ἐπὶ Νότος ὦκα· *superuenit celeriter Notus.* Quàm longè aliter Virgilius? B quàm longè eius discipuli? Nam Horatius Od. 10. Epodon.

Homeri languor.

Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

& Lucanus lib. 5. *Occurrit gelidus Boreas, pelagúsque retundit.* Sed & Virgilius dans stridorem Aquiloni, videtur institisse poëtæ veteri, qui,

Horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur niues.

Placitum hîc Lectoris venia Senecæ locum discutere è lib. 5. Natural. quæst. c. 16. vbi Virgilium carpit. Ait ille: *Si breuiùs ventos complecti mauis, in vnam tempestatem, quod fieri nullo modo potest, congregentur:*

Vna Eurúsque Notúsque ruunt creberque procellis
Africus,

& qui locum in illa rixa non habuit Aquilo. Duplex hîc calumnia; altera tecta, C clara altera. Tecta; nam eo ipso quod ait, non habuisse Aquilonem locum in ea rixa, videtur Virgilium reprehendere, qui cum tribus non eduxerit Aquilonem. Expedio hoc. Meliùs nunc Aquilo educitur, quàm cum tribus. Postquam debacchati sunt alij, is nunc exit, cuius impetu classis deferatur in Africam, quæ mens Poetæ. Deinde alij nubes attulerant, diem eripuerant, noctem induxerant: iam ille adest qui cuncta dispellit, abripit, lacerat: vt cælum feriat, remos frangat, auertat proram, globos aquarum in nauem immittat, quæ clades maior est cælo nigricante. Tertiò demum, violentissimus ventorum vires suas & conatus meliùs ostentat solus, quàm cum aliis tribus. Nam quæ laus Aquilonis, si cum reliquis iungeretur? Inde ventus hic D superbissimè apud Ouidium. 6. Met.

Virgilius defenditur.

Aquilo vehementissimus ventorum.

Idem ego, cùm fratres cælo sum nactus aperto
(Nam mihi campus is est) tantò molimine luctor,
Vt medius nostris concursibus insonet æther,
Exsiliantq; cauis elisi nubibus ignes.

Aristides quoque orat. 2. sacror. serm. solum Boream educit, καὶ Βορέας ὤθει πάντα τὸν οὐρανόν· *impulit Boreas cælum totum.* vt & Aristophanes Vespis,

Ὅτ᾽ ὁ Βορέας ὁ μέγας ἐπεστρατεύσατο·
Cùm magnus ille Boreas ingruit.

Est hæc comparatio quædam. Ergo, non defuit Aquilo in illa rixa, sed commodissimè exsiliit post alios ad occupandam Africam, ad augendam cladem, ad ostentandas vires. Transeo ad claram calumniam. E Ait Seneca fieri non posse, vt venti omnes congregentur in vnam tempestatem. Aut errat Seneca, aut errant omnes. Non dices alterum, fatere primum. Nam cur sequaris vnum, vbi multi doctissimi contra vnum pugnant? Pugnat Virgilius, qui omnes educit. Pugnat magnum Græcorum oraculum Homerus, qui Odyss. 5. simul educit Eurum, Notum, Zephyrum, Boream. Pugnat & Musæus, qui

Venti omnes simul in tempestate.

Μαρναμένων ἀνέμων, Ζεφύρῳ δ᾽ ἀντέπνεεν Εὖρος,
Καὶ Νότος ἐς Βορέην μεγάλας ἐφέηκεν ἀπειλάς.
Pugnabant venti, Eurus spirabat contra Zephyrum,
Notus contra Boream ostentabat minas.

Quid Latini? Vetus Poeta apud Tullium de Diuin. *vndique omnes venti erumpunt.* Pacuuius in incerta:

Omniuomo Oceano Hyperion fulgurat Euro,
Arrepto plaustro Boreas bacchatur aheno,
Hesperio Zephyro sed Orion voluitur Austro
Fuluo acrique, Noto vaga Cynthia proruit atro.

Seneca aspirans ad Musæum in Agamem.

Aduersus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.

Valerius. 1. Arg. educit simul equos Thraces, Zephyrum, Notum, Eurum. Omitto Lucanum, Ouidium, alios. Quin hoc mihi sæpè testati sunt, qui passi sunt tempestates. Neque verò pugnat contra Poetas Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 6. ita scribens: ἔτω δὲ τεταγμένων τῶν ἀνέμων, δῆλον ὅτι ἅμα πνεῖν τοὺς μὲν ἐναντίους οὐχ οἷόν τε, κατὰ διάμετρον γάρ. ἅτερος ἂν παύσαιτο ἀποβιασθείς. *Dispositis in hunc modum ventis, certum est, non posse simul contrarios flare, quia ex diametro: cessabit enim, qui minùs est fortis, quíque violentiam patitur.* Hæc (inquam) nihil contra Poëtas: nam Aristoteles tantùm negat pertinaces perseuerantésque diu flatus: certum enim est minùs fortem vincendum à fortiore. Primos autem occursus atque impetus negare non potest. Nam tempestas, nisi ex hac occursione, non excitabitur: naues enim hinc inde venti è contrario irruentes impetunt, & lacerant. Nemo enim negabit ventorum, in medio mari conflictionem, vnde & illorum gyri, & aquarum vortices, donec tandem vincat fortior. Dici etiam potest, Poetas, etiam si oppositos ventos inferant, non capiendos strictè ex diametro: quod non pugnat cum Aristotele, qui statim fatetur, posse illos ita flare; solùm enim negat diametralem rationem. Nota ad finem, Calabrum lib. 12. ventos ad rem aliam coniunxisse omnes,

Ventorum occursus diametralis esse nequit.

Εὖρος, καὶ Βορέης, Ζέφυρος δ᾽ ἐπὶ τοῖσι Νότος τε.

vehunt enim omnes Iouis currum, qui simul esse in tempestate si non possunt, neque ferre simul iugum possent.

3 Flvctvsqve ad sidera tollit.] Pari fermè verbo Homerus, 9. Il. κῦμα κορθύεται.

4 Frangvntvr remi.] Nauis Virgilianæ laceratio admiranda est. Coniunge omnia. Feritur velum, franguntur remi, inclinat prora. Homerus bis lacerat nauem. Odyss. 5. &. 12. satis frigidè Seneca ita.

Hæc lacera & omni decore populato leuis
Fluitat, nec illi vela, nec tonsæ manent,
Nec rectus altas malus antennas ferens,
Sed fracta toto puppis Ionio natat.

Ouidius. 11. Metam. in hunc modum.

Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor,
Frangitur & regimen, spoliisq; animosa superbit
Vnda, velut victrix sinuatáque despicit vndas,
Nec leuiùs, quàm si quis Athon Pindúmque reuulsos
Sede sua totos inapertum verteret æquor.
Præcipitata cadit, paritérque & pondere & ictu
Mergit in ima ratem.

Cassiodorus lib. 8. epist. 10. ita lacerat: *Cum ventis sæuientibus furentem pelagum spuma testaretur vndarum, diu iactatum nauigium tumens fluctus absorbuit, nullum relinquens forti viro solatium, nisi tantùm remigia brachiorum.*

5 Cvmvlo prærvptvs aqvæ mons.] Laudat Scaliger Poëtam, qui non palam profiteatur eruditionem, vt alij. Nam, cùm decumanum, aut decimum fluctum intelligat, *montem aquæ* maluit dicere.

Fluctus decumanus. Decumana pro maximis.

re. Est verò *decumanus fluctus*, maximus fluctus. Perfectio enim huius numeri facit, vt quæ sunt magna, efferantur per illum. Sic *oua decumana*, quæ maxima: *decumana scuta*, quæ amplissima: *pyxa decumana*, vel *decimiana*, apud Plinium lib. & cap. 15. *de porta decumana* castrorum lege Lipsium ad lib. 1. Ann. Taciti. Redeo. *Decumani fluctus* multi meminere. Ouidius. 11. Met. nominat *vndam decimam*. Silius lib. 14. *volumen decimum*, Valerius, *tumorem arduum vndæ decimæ*. Omitto Senecam, Lucanum, alios. Vide, vti Ouidius in Tristibus circumscribat hunc fluctum. Græci hunc fluctum appellant τρικυμίαν. Itaque, vt nos ad numerum decimum, ita illi ad ternarium confugerunt. Euripides quidem in Troad. ait mare fremere τρικυμίαις. Plato. 5. de Rep. τὸ μέγιστον, καὶ χαλεπώτατον τῆς τρικυμίας ἐπάγεις. *contrudis me in maximum ac difficilimum fluctum tertium.* Lege Hesychium. Sed illustro Virgilium, qui maluit *montem aquarum*. Homerus Odyss. 3. κύματα ἶσα ὄρεσσιν, *fluctus æquales montibus*. Calaber lib. 14. ἐοικότα κύματ᾽ ὄρεσσιν, *fluctus similes montibus*. Homeri locum repræsentat Dio Chrysost. orat. 75. Ouidius. 1. Tristium eleg. 2.

Mons aquæ.

—*montes voluuntur aquarum.*

& 15. Met.

—*Cumulúsque immanis aquarum*
In montis speciem.

Achilles Alexandrinus lib. 3. *è fluctibus, alij montibus, alij voraginibus similes erant.* Careo Græco exemplari Achillis. Paulinus natali. 9. Felicis:

Et tremula compage minax pendebat aqua mons.

Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum *montes gurgitum*. Aristides orat. 2. sacror. serm. & Græci alij simpliciter, κῦμα ὑψηλόν. Sed quoniam incidi in Aristidem, adde auctorem hunc reliquis aduocatis à Iunio Cent. 6. Adag. 77. Nam illo quoque firmabitur adagium illud, *Decumani malorum fluctus*. Verba Aristidis sunt in. 2. Platon. Θεμιστοκλέα δὲ τὰ δεύτερα ἀεὶ τῶν προτέρων μείζονα ἐξεδέχετο. καὶ τὸ τῆς παροιμίας αὐτῷ περιειστήκει. Τὸ μὲν γὰρ ἔλιπεν αὐτὸν κῦμα, τὸ δὲ ἐγκατελάμβανεν, ἕως διεξῆλθε διὰ τῶν τρικυμιῶν νικῶν· *Themistoclem verò posteriora semper prioribus excipiebant maiora, &, vt est in prouerbio, alius eum relinquebat fluctus, alius comprehendebat, donec per vndas decumanas victor euasit.*

Decumani malorum fluctus. adag.

6 Hi svmmo in flvctv pendent.] Vide explicationem meam, à qua non facilè cedam: Frustra hîc interpretes adducunt eruditionem de naui iam sublata ad cælos vi tempestatis, iam depressa ad imum. Nam Virgilius hîc nihil tale cogitat, describit enim nauem vno in loco hærentem, tantùm ad latus inuersam, & ideo sublatam à puppi, depressam à prora, vtique pendentem, qualem fermè descripsit Lucanus lib. 9.

Pars sedet vna ratis, pars altera pendet in vndis.

7 Terram inter flvctvs aperit] Est hoc quod dixit Tibullus lib. 4. *Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.*

8 Fvrit æstvs arenis.] Est hoc quod vetus Poeta apud Tullium de Diuin. *feruet æstu pelagus.* Ab hoc æstu & feruore dixit Nazianzenus in Apologetico loquens de tempestate, ῥοθίῳ ζέοντι.

9. Saxa latentia.] λίθους ὑφάλους. Ad hoc genus naufragij alludit Clemens lib. 2. Pædag. c. 2. loquens de ebrietate sub forma tempestatis: *gubernator autem, mens scilicet humana, supereminentis ebrietatis luctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in saxa mari latentia irruens, seipsum in voluptates impactum perdiderit.* Quod hîc *torquere in saxa* Homerus Odyss. 3.

Νῆάς γε ποτὶ σπιλάδεσσιν ἔαξαν
κύματα·
Fluctus fregerunt naues ad scopulos.

Noster infrà. *Torquet agens circum.* Seneca ad Marciam c. 16. *Contortus repentino impetu turbo.* Cyrillus Alexan. in Senecam, ita: τινὶ πέτρᾳ τοῖς κινήμασι περιτεθραυσμένον.

10 Aras.] Dupliciter inuenio explicari hunc locum & alios aliorum auctorum, in quibus mentio de *aris*. Vel fit allusio ad illos scopulos, qui inter Africam & Sardiniam eminent: ad quos Romani primo bello Punico fecerunt fœdus cum Carthaginiensib. & quia fœdera iniri in aris templorum solent, scopulos *Aras* vocari aiunt, religionis causa, quasi ad aras potiùs, quàm ad scopulos fœdus fuerit sancitum. Hi scopuli nouem fuisse dicuntur, mox *Aræ propitiæ* dicti. Meminit Lucanus lib. 8.

Aræ Africanæ.

—*augustius aris*
Victoris Libyco pulsatur in æquore saxum
Tarpeiis.

Sisenna citante Seruio, atque etiam Claudius Quadrigarius. 1. Annal. has aras *Neptunias* vocant. En prior explicandi ratio. posterior est Iosephi Scalig. in Ausonium, qui ait *aras* vocari in scriptoribus omnes crepidines & eminentias, atque adeo in horum explicatione non est necessarium recurrere ad scopulos illos fœderis. Sic Ausonius dixit:

Aræ pro crepidinibus.

Desertus vacuis solísque exerceor aris.

& Tertull. de Pallio, *soleo de qualibet margine vel ara, medicinas moribus dicere.* Iuuat Poëtam explicare has aras per dorsum, quæ vox communis aliis partibus maris. Plinius lib. 4. c. 12. *Mæotis lacus sinu petroso discluditur dorso.* & Minutius *dorsum maris* dixit, quod alij tergus. Sed hoc quis neget?

11 Brevia] Dicuntur Syrtes, Latinis *Breuia*, vt Græcis βραχέα, vadosa videlicet, & arenosa loca. oportet enim ibi breuius sit & contractius mare, vbi sunt ingentes cumuli arenarum: non latum, & spatiosum. Duæ sunt in sinu Africo Syrtes, ἡ μὲν μείζων, ἡ δὲ μικρά, Zetzes in Cass. Lycophron. Dicuntur ἀπὸ τοῦ σύρω, *traho*. vento enim in mare arena trahitur cogitúrque. Pomponius Sabinus Poetam accipit de maiore, nam hæc proxima Carthagini. Vide vti Modicius cap. 12. defendat Virgilium à nonnullorum calumnia. vti Sallustius describat syrtes in promptu est. Ego hîc afferam Dionis Chrysost. verba ex orat. 5. parcens Græcis. *Syrtis sinus maris plurimum in regionem incurrens, atque trium dierum nauigatione: illò (aiunt) absque impedimento nauigatur: Ingressis autem iam non patere egressum. Breuia enim & bimares loci, & tæniæ longæ, in longitudinem vsque magnam pertinentia, omnino difficile & inuium efficiunt pelagus. Neque enim alueus maris in illis locis purus est, sed locus concauus, & arenosus intro suscipit pelagus nihil habens solidum.* His exsistet plenior horum locorum cognitio.

Breuia

Syrtes duæ.

12 Fidvm Orontem.] Fortasse respectum ad Romanam militiam. Nam, cùm fides de multis diceretur, tum maximè de sociis, déque his, qui ad auxilia venirent: erant enim auxilia ex sociis. Hinc apud Tullium non semel leges *retinere in fide socios, socios in fidem capere*, & paria. Homerus etiam ἐπικούρους, id est, *auxiliatores*, vocat πιστοὺς, *fidos*. Ergo Orontes, qui erat in auxiliis Troianorum, fidus dicitur ratione societatis.

Sociorũ nota fides.

13. Vehebat] Vox signata in re maris. Inde vectores nautici, qua voce vsus Virgilius 4. Ecl. *cedit & ipse mari vector.*

Veho verbũ nauticum.

14. Ipsivs ante ocvlos.] Ad excitandum affectum, quæ enim hauriuntur oculis, mouent efficacissimè. Cicero dixit, *oculi augent dolorem*. Imperator

Oculorum sensus efficacissimus.

tor Marcus apud Herodianum, τὰ δεινὰ ὑπὸ ὄψιν πεσόντα αὐτὸν περικλεῖται μείζονα· *mala quæ sub oculos cadunt, maiorem commouent misericordiam.* Ante illum Arist. 2. Rhet. c. 8. ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη ἐλεεινά ἐστι· *dolores qui accidunt nobis præsentibus, misericordiam concitant.* Ex hoc affectu supra:

Præsentémque viris intentant omnia mortem.

Ex hoc capite Cicero amplificat Verris facinora, qui cogeret parentes interesse filiorum suppliciis: & Suetonius Caligulæ c. 27. & Cedrenus Phocæ, à quo προαναιρεῦνται οἱ τούτου (Μαυρικίου) πέντε ἄρρενες παῖδες, ἐπ' ὄψεσιν αὐτοῦ: *quinque filij masculi interfecti sunt intuente patre Mauritio.* & Appianus in Mithridatic. Cauniorum, qui, τὰ βρέφη ἔκτεινον ἐν ὄψει τῶν μητέρων· *infantes interficiebant in conspectu matrum.* Narratur videlicet crudelitas Cauniorum contra Romanos iussu Mithridatis. Apud eundem lib. 4. Ciuil. Κόϊντος δὲ ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀδελφὸς ἅμα τῷ παιδὶ καταληφθεὶς, ἐδεῖτο τῶν σφαγέων πρὸ τοῦ παιδὸς αὐτὸν ἀνελεῖν· *Quintus Ciceronis frater simul cum filio deprehensus, à percussoribus instare precibus cœpit, vt se, antequam filium, occiderent.* Et quidem cùm duæ sint potissimùm animorum fenestræ, oculi, & aures; fortiùs inuitant hausta oculis; segniùs, demissa per aures, dixit Horatius. & Seneca cap. 6. *Homines ampliùs oculis quàm animis credunt.* Inde visa solùm fœmina, ad amorem incendit; visi inimici, mouent dolorem: ferrum visum, trahit ad bellum. Extremum hoc Tertull. dixit Græco hemistichio, ἕλκει δέ τε ἄνδρα σίδηρος. & Homerus Odyss. 16. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Inde Herodotus lib. 1. dixit, ὦτα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν· *aures magis esse incredulas, quàm sint oculi.* Quod procul dubio sumpsit ab Herodoto Philo in lib. de Iudice, cùm dixit, ὦτα δ' ὡς ἔφη τις οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τῶν προτέρων, ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα. *Aures, sicut rectè dixit quidam è veteribus, magis sunt incredulæ, quàm oculi.* Hic, quem laudat Philo, Herodotus est. Inde illud tragicum, *Videns viuusq; pereo,* ad summam calamitatem amplificandam. Inde affectus illi apud Cedrenum. ὥσπερ ἀκούων καὶ βλέπων ὁ Τύραξ ἐδάκνετο τὴν ψυχήν. Morsus iste animi est ab auditu, & à visu. Sed adiicit Philo rationem, quæ vt audiatur operæ pretium est: *nam aures non cum rebus ipsis habent commercium, vt oculi, sed cum sermonibus rerum interpretibus non semper veritatem sectantibus.*

Oculi efficaciores auribus.

A vertice, quid sit.

15 A VERTICE] Qui hîc ἀπ' ἄκρης explicat, non placet. Est hoc, quod Homerus dixit, κῦμα κατ' ἄκρης. Quod Plutarchus de defectu oracul. ἄνωθεν ἐπιφαινόμενοι. Quod Aratus in Phænom.

——εἰ δέ κε νηΐ
ὑψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα.
——*sin autem naui*
Ex alto impegerit venti procella.

Quod enim hîc ὑψόθεν, Virgilius *à vertice.* Sed de hac voce ego iam. 2. G. In quem locum vide Germanum, & Victorium lib. 19. c. 8. Cicero caput signat, cùm dicit de procellis, *impendent.* 4. Catil. verba eius: *Circumspicite omnes procellas, quæ impendent nisi prouideatis.* Fortassis Seneca lib. 3. de Ir. c. 42. à mari & procellis traxit sermonem, cùm dixit, *Stat super caput fatum.*

16. IN PVPPIM FERIT.] Iam in hoc loco illustrando Nannius operam posuit. Depressa est puppis, ac perinde erecta prora, contra quàm accidit naui Æneæ. Itaque nauis pendebat, ac perinde magister, qui in puppi est, necessariò excussus in caput. Imago huius cladis repræsentata est in equo Mezentij, & in loco Liuij. Vide hæc duo in Nannio. Itaque magister excutitur, non nauis, quod malè voluit Nascimbænus. Quod efficio primùm imitatione Ho-

A meri, qui de Vlysse, τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης πέσε· *longè autem à naui cecidit.* Deinde Petronij, qui in Satyr. *illum quidem vociferantem in mare ventus excußit, repetitúmque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.* Inueni etiam locum Aristidis orat. 2. sacror. sermonum simillimum Virgiliano, sic enim de naue loquitur: καὶ τὸ πλοῖον ἐκ πρώρας ἀρθὲν, ἐπὶ πρύμναν ὤκλασε· *nauis in proram sublata in puppim incubuit.*

Voro de aquis.

17. VORAT] De aquis ita Aristot. in Problem. sect. 23. q. 5. interrogat, cur interdum nauigia, dum cursum agant in mari quieto, repentè καταπίνεται, *deuorantur.* H. Stephanus in illo Virgilij 11. Æn. *æstus resorbens,* dicit hoc verbum respondere Græco ἀναπίνων, quasi *rebibens.* Græci ferè omnes ἀμπωτιν, id est, *aquarum reciprocationem,* ducunt ab ἀναπίνω, *rebibo,*

B &, *resorbeo.* Ex Aristotele quoque adducitur, δῖνος καταπίνει, *gurges deuorat.* Plinius lib. 6. c. 1. dat aquis verba *deuoro, absorbeo, satietas, auiditas.* Horum alterum habet Cassiodorus lib. 8. epist. 10. *nauigium tumens fluctus absorbuit.* & vltimum Lucretius lib. 1. *auidum mare.* Seneca ad Marciam, c. 20. *mare deuorasset.*

Virgilius superat Homerum.

18. APPARENT RARI NANTES.] Habet hic versus formam epiphonematis, ad amplificandam luculenter calamitatem Lyciorum: nam de illis capiendi hi duo versus. Benè monet Scaliger grauem fuisse Poëtam in re luctuosa persequenda, nam festiuitas Homeri, qua fluctuantes cornicibus assimilat, ridicula est. Quo etiam vitio insigniter lapsus est Ouidius, in diluuio enim miserando admiscet facetias.

C 19. ARMA VIRVM] Similis est difficultas in hoc loco Liuij lib. 1. *Multíque mortales, cùm hostem effugissent, in flumine ipso periêre, quorum fluitantia arma ad vrbem cognita in Tiberi, priùs penè, quàm nuntiari posset, insignem victoriam fecêre.* Thoraces quippe & galeæ non fluitarét. Locus Appiani quem adducam quarta ab hinc nota Virgilium explicauit. Est verò in Virgilio sapor aliquis ad Lucretium lib. 2. qui in tempestate: *Antemnas, proram, malos, tonsásque natantes.*

Gaza.

20. GAZA] Hac voce significatur regia omnis supellex, atque (vt ait Hesychius) etiam tributa, & reditus. Suidas ait esse θησαυρὸν, id est, res omnes pretiosas, quas recondimus. Pomponius Mela ait illâ signari *ærarium:* inde est, vt Persarum Reges (nam Persica hæc fuit vox) beatissimi olim iudicarentur.

D Horat. 3. Carm.

Persarum vigui Rege beatior.

Hyems pro tempestate.

21. HYEMS] Ita Græci dicunt χειμῶνα, pro tempestate, & χειματίζεσθαι, pro tempestate agitari, quæ vox hyemem signat. Et Plinius lib. 9. c. 22. *hyemato lacu.* alij *Hyemante* legunt pro agitato procellis. Lucanus lib. 1.

Tum vires præbebat hyems, atque auxerat vndas.

22. LAXIS LATERVM COMPAGIBVS] Est hoc quod Lucanus lib. 5.

——*sonuit victis compagibus alnus.*

Quod Sen. 2. de ir. c. 10. *Nauigium multam vndique laxatis compagibus aquam trahit.* Quod Paulin. ep. 42.

laterúmque laxis soluitur compagibus
E *Vndásque rimis accipit.*

Et omnes de nauibus *compages.* Illis prior Pacuuius,

Nec vlla subscus cohibet compagem.

Vt & Seneca Rhetor. Cont. 16. *Resolutis compagibus infelix omen nauigationis.*

De subscude hac Pacuuij adi Scaligerũ in Poet. Ab affectu quem hîc explicans excitaui de magnitudine rerum pretiosissimarum, quæ amissæ; non abit ille affectus, qui excitatur 2. Æn. vbi Troiani deuoluunt

Auratásque trabes, veterum decora alta parentum.

Nec periodus Curtij lib. 3. plena μεγίστων παθῶν, & tota lacrymosa: *iacebant totis campis opes regiæ, illa pecunia stipendio ingenti militum præparata; Ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium fœminarum: aurea vasa, aurei freni; tabernacula regali magnificentia ornata.* Accedunt propiùs verba Appiani, qui in tempestate, quam passus est Augustus lib. 5. Ciuil. similem tragœdiam repræsentat. ἔγεμε γὰρ ἡ θάλασσα ἱστίων, καὶ ξύλων, καὶ ἀνδρῶν, καὶ νεκρῶν: *Erat plenum mare velis, remis, viris, cadaueribus.* Quin ex hoc loco habeo *arma* Virgilij, esse nautica armamenta, videlicet, vela, & similia.

Imber, pro quacumque aqua.

23. IMBREM] Quamuis *imber* sit agmen aquarum irruentium è cælo, hîc tamen necessariò sumitur pro aqua maris. Nam solutis compagibus, & rimis factis nauis imbrem sorbet: hîc ergo à mari. Nonnius etiam scribit, quamcunque aquam dici posse *imbrem*. Et Ennius pro aqua maris posuit citante Seruio:

—ratibúsque fremebat
Imber Neptuni.

Lucretius numerans quatuor elementa:

Ex igni, terra, atque anima nascuntur, & imbri.

Adde, sic Poëtam declarari ab his, qui illum imitantur, Valerius. 1. Arg.

—protinus alnus
Soluitur, & vasto puppis mare sorbet hiatu.

Ouidius. 11. Met.

Rima patet, prebétque viam lethalibus vndis.

Itaque prior, *mare*, posterior, *vndas* dixit, quod Virgilius *imbrem*. Adiunge Ouidium adhuc, qui Nostrum æmulans lib. 4. Trist. eleg. 5.

Fert bene præcipites nauis modò facta procellas,
Quamlibet exiguo soluitur imbre vetus.

Quid si sequaris lectionem Scaligeri, qui Catullianum versum ita legit,

Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre.

vt sit *imber Oceanus*, sicut *mare Oceanum*.

Fatiscor.

24. FATISCVNT] Obseruetur hoc verbum veteribus finiisse in, (or,) nam Actius *fatiscar* dixit, & Varro *fatiscuntur*. Notarunt alij.

[a] Interea magno misceri murmure pontum,
Emissámque hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis: grauiter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.
Disiectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cælique ruina.
NEC LATVERE doli fratrem Iunonis, & iræ.
[b] Eurum ad se, Zephyrúmque vocat, dehinc talia fatur:
TANTANE vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam cælum terrámque meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
[c] QVOS EGO. [d] sed motos præstat componere fluctus:
POST MIHI non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, Regíque hæc dicite vestro:
[e] NON ILLI imperium pelagi, sæuúmque tridentem,
Sed mihi sorte datum. tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se iactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

ARGVMENTVM.

Sentit Neptunus in imis sedibus atrocem tempestatem, grauiter commouetur, caput effert, rem esse videt vt senserat: Intelligit statim Iunonis dolos, ventos ad se aduocat, atque increpat verbo tantùm, illósque ad Æolum exterminat cum mandatis plenis contumeliarum.

EXPLICATIO.

a. SENSIT Neptunus in imis gurgitibus atrocem tempestatem, grauiter commouetur, caput effert, ita esse videt vt senserat, cognoscit auctorem mali. Explico hæc quinque. Sentit tempestatem emissam ex magno murmure & turbatione, qua permistum est mare: & quia vidit *stagna* (sunt hæc partes profundissimæ aquarum) *refusa*, id est, eruta & euulsa ex *imis vndis*, atque ipso è fundo. est enim hoc quod dixerat, mare erutum *ex imis sedibus*. Progredior. Commouetur grauiter, vt superius numen in inferius; sensit quippe statim audaciam Æoli, qui ipsammet regiam Neptuni turbasset: hæc enim in imo mari esse fingitur. Effert caput placidissimè, futuram indicans tranquillitatem. Video in Neptuno expressum munus Regum, qui esse debent iracundi in malos, mansueti in bonos. Sic Neptunus commouetur in ventos, placidus est Troianis. Est hoc difficile: vix enim reperias, qui se ex iracundia statim traducat ad lenitatem, quod tamen Neptunus fecit: vide enim quàm coniuncta hæc sint:

Grauiter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.

Vix commouetur, cùm statim placidus. Sequitur quartum. Ita esse videt vt senserat. *videt* enim *Æneæ classem disiectam toto æquore*, *videt Troas oppressos fluctibus, & ruina cæli*. Cælum enim ruerat in Troianos tonitribus, fulguribus, imbribus. Illud *toto æquore* mira est amplificatio; quantum enim æquor erat, tantum patebant cladis reliquiæ. Obserua etiam sententiã, hanc, & *disiecta classe toto æquore*, respondere illi,

aut age diuersas, & disiice corpora ponto. Ista verò *fluctibus oppressos Troas*, illi, *submersásque obrue puppes.* Restat vltimum. Cognoscit auctorem mali, videlicet Iunonem sororem, cuius doli & ira iam diu nota fratri Neptuno. A

b Vocat igitur Eurum & Zephyrum, vt illorum Dominus: nam tametsi venti sub potestate sint Æoli, cùm sunt in carcere; sed inde emissi in mare, iam pertinent ad imperium Neptuni. Incipit nullo exordio, vt iracundiam indicet, qua flagrat. Obiicit illis confidentiam generis, quo elati audent, inconsulto se, miscere cælum & terram, tempestatum moles attollere. Vocula *iam* efferenda cum emphasi, & nutu capitis. In voce *venti* conuitium agnoscit Seruius, hac, credo, sententia. Qui vos, qui sine meo numine audetis miscere omnia? nimirum venti. Obserua diligenter in tribus primis versibus latere quandam oppositionem contrariorum. Nam genus infame, fiducia, audacia pugnant in cælum, in terram, in numẽ Neptuni. Probè absoluit *tantas audetis tollere moles?* nam præcessit, *vastos voluunt ad littora fluctus*, &, *fluctúsque ad sidera tollunt.* B

c Est hæc celebratissima aposiopesis, & ab omnibus nunquam satis laudata. Integram facies sententiam, si dixeris: Quos ego constringam vinculis, rapiam, vlciscar. Sed omnia tamen inferiora sunt tanto furori, inde opportunè inducta figura. Si pœnam nominaret, frigesceret oratio; iam cùm supprimit, incertos nos relinquit.

d Non solùm sibi Neptunus temperat in æstu iracundiæ, propter decorem regium, sed habet rationem temporis; nisi enim supplicium differat, non poterit Troianis opportunè subuenire. Vnde particula *sed*, est reprimentis se, & rationis iudicio furorem remittentis, ac tantùm cogitantis de sedando mari. Traduci hæc ad Principem possunt, quem lentum in suo dolore debere esse, Tacitus scribit lib.3. Annal. Ergo ait Neptunus, placandum nunc mihi est mare, vos postmodo *luetis mihi commissa* in Troianos *pœna non simili.* Id est, non ea, qua Troianos affecistis, sed maiore, & sæuiore, ait Seruius. vel, *non itidem castigabimini verbis*, ait H. Stephanus: hoc præfero. Sequitur *Maturate fugam.* Non placet mihi subtilitas Macrobij, & Agellij. Vide illum (si placet) 6. Sat. c.8. hunc lib.10. Noct. c.11. Sequor explicationem Turneb. 12. Adu. ca. 12. Iosephi Scal. in Manilium, Florid. [illegible] suc. c.11. Mureti in suis variis, qui *maturate fugam* explicant, properanter & festinanter discedite. C D

e Est hæc altera pars orationis Neptuni continens querelas in Æolum, qui ausus fuerat infestare alieni regni fines. Comparat verò imperium suum cum potestate Æoli, illud extollit, hanc deprimit. Extollit, cùm ait, *datum* sibi *imperium pelagi*, *tridentem sæuum*, idque *sorte*. Deprimit Æolum, dans illi *regnum*, non, imperium, vt sibi, & regnum hoc inter *saxa immania*, potiùs in *carcere*. Quo quid abiectius? Inculcans contemptum ter repetit particulam irrisionis, videlicet, non *illi* imperium pelagi, tenet *ille* immania saxa, iactet se in *illa* aula. Quibus omnibus opponit semel pronomen *mihi*, quod habet hîc peculiarem emphasim. E

NOTÆ.

1. MISCERI MVRMVRE PONTVS] Fortè ex Lucretio, qui lib.1.

—sæuitque minaci Murmure pontus.

Maris murmur Græci vocant, μυκητὴν, ἀγάστονον, πολύφλοισβον.

2. EMISSAM QVE HYEMEM] Locutio traducta ab Circo: vt enim equi emissi à carceribus, sic venti è suo carcere. Horat. sat. 1. lib. 1. — *Emitto verbum Circi.*

Vt cùm carceribus missos rapit vngula currus.

Græci, ἀφίεσθαι εἰς δρόμους. Cedrenus ait, Apostolos missos in vniuersam terram, tanquam equi è carceribus. Vox Græca, ἐξεπέμφθησαν.

3. SENSIT NEPTVNVS] Totus hic locus adumbratur ab Homero. Sed quale discrimen? Placitum conferre loca. Opem affert Leucothea Odyss. 5. Vlyssi fluctuanti. In primis nullus ibi apparatus ad exitum Leucotheæ, maximus hic in exitu Neptuni. Res tantùm eget lectore. Deinde, vide celeritatem, qua opem fert Neptunus, & compara moras Leucotheæ, & quæ pòst longissima serie consequuntur. Sedet illa in naui Vlyssis, consolatur hunc longo sermone, offert vittam, docet quî debeat illa vti, mox mergitur, Vlysses solus relinquitur, fluctuat animo, tempestas nauem abripit, ipse vestes exuit, natat per mare, excitatur à Pallade Boreas, qui fluctus frangat. & sexcenta alia, quæ sequuntur. Tertio, nullum decorum est excitari tempestatem à Neptuno, & Deam mitti in auxilium contra superius Numen: quanto est decentius, vt illam Æolus excitat, sedet Neptunus, maior Deus? Meritò itaque Poëtæ, qui secuti deinde sunt, Latini vestigiis, non Græci in re simili hæserunt. Cum his coniunge, Neptunum optimè induci pugnantem pro suo iure, quòd videat Æolum in suo regno imperium vsurpare. Nusquam enim maiores contemptiones. Roges. Præter decorum ergo Poëta induxit Æolum in alieno regno ius vsurpantem. Respondeo, non hoc vitio dandum: fecit enim hoc Æolus, vt Iunoni gratificaretur maximæ Dearum Reginæ, quod animaduertens Poëta dixit: — *Virgilius superat Homerum.* — *Virgilius defenditur.*

Nec latuêre doli fratrem Iunonis, & iræ.

Itaque exercuit Iuno non solùm iras, sed dolos. Seduxit enim Æolum, cùm dixit ipsum posse maria vento attollere.

4. PROSPICIENS] Ab Philostrato in lib.2. Icon. vocatur Neptunus Πανόπτης, quòd omnia speculetur. — *Neptunus πανόπτης.*

5. CÆLIQVE RVINA] Illustraui 1. G. ad illud,

—ruit arduus æther.

6. EVRVM] Cur hunc principe loco nominat, non Aquilonem, qui dirior ventus? An quia Eurus spirat à principe mundi parte? an quia hic (est hæc ratio Seruij) primus egressus fuerat, & ideo dici potest princeps tempestatis? An quia respectus habetur ad calamitatem, quam quisque exercuerat? Explico. Aquilo ita grassatus fuerat in nauem Æneæ, vt omnia dilacerasset, nec iã vestigium esset tantæ cladis: atqui Euri maleficium exstabat integrum, hærebant in breuibus tres illæ naues cinctæ arenarum molibus, inde non frustra dictum suprà *mirabile visu.* Itaque clades obiecta oculis mouere potuit Neptunum, vt primùm omnium inueheretur in Eurum. Hinc est, vt postea mare cùm pacat, ipsemet tridente cladem hanc restauret,

—leuat ipse tridente

Et vastas aperit syrtes, & temperat æquor.

Cùm tamen Cymothoë & Triton clades alias leuent.

7. ZEPHYRVM] Hic est locus, quo adducti multi volunt suprà sub Africo intellectum Zephyrum: nam non est credibile nominasse nunc ventum non nominatum.

8. DEHINC] Sic omnes legunt. placeret potiùs *dein.*

9. TANTANE VOS, &c.] Nullum exordium, vt iratum decet. Habent istæ orationes, vt in summa iracun- — *Oratio abrupta.*

iracundia grauitatem. Ita suprà:

—méne incepto desistere victam?

Apud Lucanum.2.Pharſ.Cæſar nullo exordio,

Nam prior è campis vt conspicit amne soluto
Rumpi Cæsar iter, calida prolatus ab ira,
Non satis est muris latebras quæsisse pauori?
Obstruitis campos, &c.

Voltiani apud Liuium, *Quæ verecundia est, vos Romani, postulare, vti vestram Carthaginiensium præponamus amicitiæ?* &c. Celebratiſſimum eſt initium illud Tullij, *Quousque tandem*, &c. & Ouidij:

—Agimus proh Iuppiter, &c.

Tullianum arripuit Liuius lib.6. ore Manlij Capitolini: *Quousque tandem ignorabitis vires vestras?*

Ventorum genus duplex.

10. GENERIS FIDVCIA VESTRI] Cùm hîc exprobret infame genus ventorum, ad rem erit nota Nannij lib. 7. Miſcell. Vbi ex Heſiodo adducit duplex ventorum genus, terreſtre & cæleſte, & ait Neptunum inuehi in terreſtres, non in cæleſtes. Lege ibi latè, & adde à me pro terreſtribus, in quos hæc oratio, verba Senecæ lib.1. de ira cap.16. *Non aliter, quàm qui à terra venti surgunt, & fluminibus paludibúsque concepti.* Et Plinij lib.2. cap.45. *ventos generant iam quidam etiam specus, qualis in Dalmatiæ ora, vasto in præceps hiatu, in quem deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die, turbini similis emicat procella: nomen loco est Senta.* Conſentiunt verba iſta cum ſuperiore apparatu de cauernis ventorum, quas illis Poeta attribuit; cum regno Æoli, quod inter ſaxa, & carceres. & cap. 43. eiuſdem libri agnoſcit ventos, ſeu potiùs flatus genitos *ex arido siccóque halitu terræ.* & 48. repetens *de repentinis flatibus, qui exhalante terra coorti.* Ariſtoteles quoque lib. de Mundo duo genera ventorum conſtituit: eius verba ita reddidit Apul. *Ventorum binæ sunt species. Qui facti è telluris halitu constant, Terrigeni nuncupantur: at illi, qui excutiuntur è finibus, Encolpiæ Græcè nominati.* Apulei locum debeo Lipſio indicanti.

Venti ſub poteſtate etiam Neptuni.

11. CÆLVM TERRAMQVE, &c.] Sapit prouerbium. Cùm præſertim dicat Liuius lib. 4. *Quid tandem est, cur cælum ac terras misceant?* Cælum hic capio pro aëre. Lege Plinium lib.2. cap.38.

12. MEO SINE NVMINE] Nonne venti ſub numine, & poteſtate Æoli? cur ergo egebant facultate Neptuni ad commouendum mare? Quia incluſi in carcere ſub poteſtate ſunt Æoli, inde emiſſi in mare Neptuno debent parere. Allucet locus Statij 3. The.

Qualis vbi Æolio demissos carcere ventos
Dux præ se Neptunus agit, magnóque volantes
Inijcit Ægæo, tristis comitatus eunti
Circum lora fremunt, nimbíque hyemísque profundæ,
Nubiláque & vulso terrarum sordida fundo
Tempestas.

Apoſiopeſis.

13. QVOS EGO] Rectè Plutarchus in Platonic. Quæſtionibus, ἀποσιώπησις ἐμφατικώτερον ποιεῖ τὸν λόγον: *Dat aposiopesis orationi vim atque emphasin maiorem.* Exemplum ſimilis figuræ adduco nullum ex Plauto, Terentio, aliis: quia verè nullum inuenio pari cum Virgiliano efficacia. Et multo minùs placet exemplum, quod à Demoſthene aduocat, & cum Virgiliano hoc coniungit Aquila Romanus æuo ſuo excellens rhetor. Diſcrimen inter ἀποσιώπησιν, καὶ ὑποσιώπησιν lege apud Vlpianum ad primam Olynthiacam Demoſthen. Reticentia enim rem prætermittit; ſubticentia, cùm prætermittat, aliquid tamen indicat.

Iræ magnitudo.

14. POST MIHI NON SIMILI, &c.] Sapienter hoc: indicat enim iras altiùs inſediſſe in animo, cùm in tempus aliud punitionem differat. Nam implacabilis iræ eſſe proprium, vt verba omittat, tempus & occaſionem ſpectet grauiùs lædendi, Ariſtoteles ſcripſit.2.Rhet. Quam ſententiam firmant verba hæc Taciti.1. Annal. *In Haterium statim inuectus est; Scaurum, cui implacabiliùs irascebatur, silentio transmisit.* Non abeunt Homerici verſus.1.Il.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ,
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι·

Potentior enim Rex quando irascitur viro inferiori,
Quamuis enim iram & eodem die decoxerit,
Tamen & postea retinet iram: donec perfecerit
In pectoribus suis.

Maturo.

15. MATVRATE FVGAM] Exempla, quæ ſubiiciam, indicant feſtinantiam, properationem, celeritatem: non Macrobianam, & Agellianam ſubtilitatem. Cæſar.1.Gall. *Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimauit, ne, si noua manus Sueuorum cum veteribus copiis Ariouisti se coniunxisset, minùs facilè resisti posset. Itaque re frumentaria, quàm celerrimè potuit, comparata, magnis itineribus ad Ariouistum contendit.* Liuius lib.27. *cùm quantum accelerare poterat maturasset ad portum.* Salluſt. in Catil. *Priusquam incipias, consulto; & vbi consulueris, maturè facto est opus.* Plura alij congerunt: è multis hæc placita, in quibus vides miram celeritatem, cur non ergo in Vate?

16. REGIQVE HÆC DICITE VESTRO, NON ILLI IMPERIVM PELAGI] Neptunus ſibi imperium aſſumit, Æolo dat regnum. Contra in aliis Poëtis videas. De Æolo Ouidius in Canace,

Ille Noto, Zephyróque, & Sithonio Aquiloni
Imperat, & pennis Eure proterue tuis.

Et in Leand.

Parce precor, facilémque moue moderantiùs auram:
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

De Neptuno contrà idem Ouidius:

Mulcet aquas rector pelagi.

Et lib.6. epigram. dicitur hic Deus, πόντου βασιλεύς, *Rex ponti.* Sed Virgilius ſuo argumento ſeruit, & cum alluſione, credo, ad Romanos imperatores, cum quibus terrarum reges collati paruo habebantur. Inde toties hîc nomen regium ridiculè vſurpat.

Tridens Neptuni.

17. TRIDENTEM] Erit quippe Neptunus pari dignitate cum Ioue, & Plutone. Nam ſi illi triſulcum fulmen, huic triplex Cerberus, ita Neptuno tridens. Inde hic Deus dictus ab Ouidio. 11. Met. *tridentiger*, à Græcis, τριαινοῦχος. Pindarus illum vocat ἀγλαοτρίαιναν; alij, ὀρσοτρίαιναν, & τριαινοκράτορα. Pindarus item εὐτρίαιναν. Ariſtides in gratulatione Smyrnæ meminit Neptuni, τριαίνῃ κινήσαντος. Sympoſius poëta de tridente ita,

Tres mihi sunt dentes, vnus quos continet ordo,
Vnus præterea dens est, & solus in imo,
Méque tenet numen, ventus timet, æquora curant.

Fuſcina Neptuni.

Aliqua, quæ pertinent ad formam tridentis, elici poſſunt ex Platonis Sophiſta. Inſigne hoc Neptuni: alij *fuscinam* appellant. Arnobius lib. 6. irridens, *cum fuscina Rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorij obeunda certaminis.* De triorche Neptuni (hæc res alia) vide commentatores Ariſtophanis in Veſpis.

Deorum ſortes.

18. SED MIHI SORTE DATVM] Intelligi poteſt, vel de communi Deorum omnium ſorte, ſcribente Heſiodo in Theog. Deos omnes, quemque dignitatem ſuam ſorte quadam accepiſſe in prima rerum conditione, neque tum temporis aliquid per vim factum, ſed vt cuique ſors accidit, ita quiſque adeptus eſt honorem: vel etiam de peculiari ſorte inter Iouem, Neptunum, Plutonem. Sorte enim inter hos diuiſus eſt mundus, & Ioui cælum ceſſit, mare Neptunô,

ptuno, Plutoni infernus: quod Homerus scribit. 15. Il. & ex illo tum Plutarchus de Consolat. ad Apollonium; tum Plato in Gorgia, atque etiam Aristides oratione ad Neptunum. Inde de Neptuno Seneca in Furente: A

Et tu secundo maria qui sceptro regis.

& de Plutone, ac Diis infernis Tibullus lib. 3. eleg. 5.

Duráque sortiti tertia regna Dei.

Tellus cõmunis Deorum.

Hæc etiam si nulli non trita, omittenda hîc non fuerunt. Tellus porro communis fuit trium fratrum. Homerus ibi, γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων. Inde suprà conquestio de terra turbata ab Æolo, nam terra quoque ad Neptunum pertinuit. Ideo ille dictus Ἐνοσίχθων, & Ἐνοσίγαιος, *terræ quassator*. Auctor hymni in Neptunum, vtrunque coniungit: vocans hunc Deum, terræ & maris κινητῆρα, *motorem*. In lib. 6. epigram.

Νῆα σοὶ ὦ πόντε βασιλεῦ, καὶ κοίρανε γαίης,
Ἀντίθεμαι Κράντος μηκέτι τεγγομένην.

Dux maris, & solidæ dominator maxime terræ,
Hanc tibi ego Crantus dedico nauiculam.

Adduxi versionem Cornarij. Aristides adducto loco loquitur de amicitia inita inter terram & mare Neptuni opera, vt quæ ad eius quoque potestatem pertineret. Porro de Deorum omnium diuisione vide locum satis latum Artemidori lib. 6. Somn. cap. 35. & quæ de Diis cælestibus scribit Plato in Phædro, vbi ait quemque illorum administrare suum officium, & quæ Nazianzenus orat. 34. vbi de Deorum κληροδοσία. Porro ipsæ locutiones ductæ videntur ab hæreditatibus, in quibus per sortitiones fiebant diuisiones. Inde Græcis κληρονόμοι, & Latinis *consortes* in re agrorum.

19. ILLA SE IACTET] Tale quidpiam irrisoriè Agamemnon ad Achillem. 1. Il.

Οἴκαδ' ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς, καὶ σοῖς ἑτάροισι,
Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε.

Abiens tuam in domum cum nauibus ac sociis tuis Myrmidonibus impera.

20. AVLA] Propriè, nam vox ista ad flatum pertinet. Notationi Cælij lib. 12. Ant. lect. 15. & Iosephi Scaligeri in Festum, adde à me Athenæi verba lib. 5. ὁ γὰρ διαπνεόμενος τόπος αὐλὴ λέγεται, καὶ διαυλονίζειν φαμὲν τὸ δεχόμενον ἐξ ἑκατέρου πνεῦμα χωρίον: *Aula dicitur perflatus apertúsque locus, &* διαυλονίζειν *locum dicimus, qui ex vtraque parte ventum admittit*. Addit ex Menandro, & Diphilo, regias quoque *aulas* vocari, & rationem, quæ ad rem de qua agimus. quòd videlicet aulæ regum habeant ante ædificia ὑπαιθρίους τόπους, *subdiales locos*. Inde est, vt Homerus sæpe (ait idem Athen.) soleat vocare *aulam* locum omnem patentem, perflabilem, subdialem. Hæc ergo ratio cur regia Æoli ventorum præsidis dicatur *aula*. Non dubium tamen, quin de aliis quoque dicatur, nam Statius de domo Martis Aula quid propriè. B

Innumeris strepit aula minis.

Ex his flatibus, quos aperui, duci ratio potest regis huius, & regni fictitia potestas, idque ex Aristotele in Meteorologicis. Scribit enim, ille apud insulas Æoli esse quandam significationem futuri Noti, edito nimirum in locis istis (vbi flatus sub terra generari, & intercludi solent) sonitu quodam. vide ista in illo latiùs. Quod ergo hic de Noto tantùm in Æolia Aristoteles scripsit, extendunt Poëtæ ad ventos reliquos, & numen fingunt. Sed hoc, credo, suprà iam attigi. C

21. VENTORVM CARCERE REGNET] De hoc carcere locutus iam sum, vbi regnat Æolus. Plinius tamen lib. 2. cap. 38. de aëre loquens, *ventorum regnum* dixit, vt autem Virgilius amarè addit *carcere*, tanquam imminuens potestatem Æoli, ita Propertius lib. 2. eleg. 32. loquens cum Ione,

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?

[a] Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat,
Collectásque fugat nubes, solémque reducit.
[b] Cymothoë simul & Triton, adnixus acuto
Detrudunt naues scopulo: leuat ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtes, & temperat æquor,
Atque [illegible]s summas leuibus perlabitur vndas.
[c] AC VELVTI MAGNO IN POPVLO QVVM SÆPE COORTA EST
Seditio, sæuítque animis ignobile vulgus,
Iámque faces, & saxa volant, furor arma ministrat:
[d] Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectísque auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
[e] Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor: cæloque invectus aperto
Flectit equos, currúque volans dat lora secundo.

ARGVMENTVM.

Placat Neptunus maria, suâ & marinorum numinum opera. Res tota comparatione exornatur.

EXPLICATIO.

a BREVISSIME Neptunus habita temporis ratione orationem absoluit, nam decem tantùm versibus ea inclusit, quæ nemo alius multis. Increpauit enim ventos, inde expulit, pœnam distulit, misit mandata ad Æolum: hæc omnia cum magnis affectibus, cum gloria sui, cum contemptu Æoli, cum ventorum conuitio. His peractis placat citissimè tumorem maris, fugat nubes, solem reducit; Æolus quippe æquor turbauerat, nubes inuexerat, diem abstulerat. D

b Hærebant in scopulis tres illæ naues, quas in saxa

saxa torserat tyrannus Notus: hærebant in syrtibus A tres aliæ, quas Eurus cinxerat arenarum cumulis. Noti cladem, Cymothoë & Triton (his enim rem commisit Neptunus) sanant: *ipse* (hoc emphaticè) suo tridente *leuat vastas syrtes, easque aperit*, atque ita reddit restituítque æquor ad temperiem. Sed quid *leuat?* Aliqui explicant, leuat naues, & syrtes aperit. Non placent. Potiùs *leuat*, id est, laxat syrtes, quod valet, reddit syrtes leues ac nauigabiles, ac sic illas aperit. Quo facto ipse iam labitur curru suo per æquatas vndas.

c Rem exemplo aperit. Continent hi tres versus excellentem hypotyposin seditionis concitatæ. Solet sæpe magno in populo seditio vulgi existere, qua in seditione primùm animi dissident, deinde ad arma procurritur, vt cuique illa furor ministrat. Ex- B pende omnia, non vt merentur, sed vt possumus. *vulgus*, quid non hoc faciat? Adde *ignobilitatem*, quæ cùm non timeat honoris iacturam, præceps fertur. *Animus* furorem dicit, & impetum. Hic si cum *sæuitia* sit, quid sperandum boni? igitur *vulgus ignobile, effrænatum, sæuiens*, necessariò præcipitabitur in quáuis amentiam. Quæ verò arma vulgi? non hastæ, non gladij: sed *faces*, & *saxa*, vt est consuetudo multitudinis: Quæ arma non ratio dedit, sed furor subitus. Videas itaque populum ἀκροβολίζεσθαι, quia eminus volant arma.

d In ipsa incipientis furoris amentia obiicit vulgo *conspiciendum virum grauem meritis, & pietate*. Habet res vtraque vim maximam ad hominum animos flectendos. Nam vbi quis pius est, & religiosus; præ- C terea insignis magnis meritis, & beneficiis erga populares, quid non ab illis assequetur? Quid verò populares viso hoc viro? *silent*. verbum ad rem quæsitum, vt meliùs quadret comparationi: nam mare, venti, procellæ dicuntur silere, cùm sunt tranquilla. Neque verò vtcunque silent sed *astant arrectis auribus*. tum vir *ille* vt silentem videt populum, & attentum, *regit animos dictis, mulcet pectora*. Quia videlicet (est hæc perfecta eloquentia) & mentem rationibus, & voluntatem affectibus, commouet: ideo *regit* quod pertinet ad intellectum; & *mulcet*, quod ad voluntatem. Volo etiam consideres in versu illo:

Tum pietate grauem ac meritis si fortè virum quem, D

inesse ex studio grauitatem numerorum, quo illi viro grauitas concilietur. Et hoc magis placet, quàm quod vult Nannius, spirari hîc quiddam Ennianum: Poëtámque hoc dedisse non suis auribus, sed auribus populi, apud quem adhuc Ennius erat in deliciis. Falsum hoc, suis enim dedit auribus.

e Accommodat proposito comparationem. Clara omnia sunt. Maluit *cunctus* quàm omnis (ait Scaliger) tum, quia plenior sensus, tum quia dicit rem simul fieri, quod non dicit omnes. Itaque innuitur tempestas puncto temporis sedata ad nutum Neptuni.

Sequitur causa, cur sedata tempestas, *postquam genitor prospiciens æquora, inuectúsque cælo aperto* (id est E quod ipse aperuerat fugans nubes, & reducens solem) *flectit equos, volánsque curru secundo dat lora*. Sic compono verba sequutus Turnebum qui *curru secundo*, explicat, *curru perfacile sequente equos currentes*. Iuxta Hortensij mentem, verba componenda essent ita: *volánsque dat lora curru secundo*, pro, currui. Sed Turnebum præfero.

Notæ.

1. Dicto citius] Est hoc quod Græci, ἅμ᾽ ἔπος, ἅμ᾽ ἔργον. Quod iidem αὐτοβοεί. de qua voce vide Erasmum. item λεχθὲν, καὶ πραχθέν. Præterea illi, ἐμματέειν, & ἐμματέως, quasi ἅμα τῷ ἔπει, vel, ἅμα τῷ εἰπεῖν. Quod Hesychius explicat, ταχέως, ἐσπουδασμένως, προθύμως.

Homerus ita extulit:

> Αὐτίκ᾽ ἔπειθ᾽ ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δ᾽ ἔργον.

Ab Nostro Sedulius lib. 3.

> *Imperat, & dicto citiùs tumida æquora placat.*

Hunc tantùm volui: producere possem multos qui vsi eadem locutione.

2. Tumida æquora placat] Vides vt hîc Virgilius sedet turbatum pelagus, & circumstantias magni huius apparatus. Quî alij? Valerius Flaccus 1. Arg. ita sedat;

> *Hæc ait, & pontum pater, & turbata reponit*
> *Littora, depellítque Notos, quos cærulus horror*
> *Et madido grauis vnda sinu, longéque secutus*
> *Imber, ad Æoliæ tendunt simul æquora portæ,*
> *Emicuit reserata dies.*

Silius lib. 7. ita,

> *Vt cùm turbatis placidum caput extulit vndis*
> *Neptunus, totúmque videt, totóque videtur*
> *Regnator ponto, sæui fera murmura venti*
> *Dimittunt, nullásque mouent in frondibus alas:*
> *Tum sensim infusa tranquilla per æquora pace*
> *Languentes tacito lucent in littore fluctus.*

Omnia in his languent, neque mouent lectorem, sed hic exhilaratur audiens iterum suum Phœbum sic sedantem in 5.

> *Subsidunt vndæ, tumidúmque sub axe tonanti*
> *Sternitur æquor aquis, fugiunt vasto æthere nimbi.*

3. Collectas nubes] Est hoc quod Homerus 5. Odyss. σύναγεν νεφέλας. — Tritonis etymon.

4. Cymothoe] Vult Nannius Cymothoës & Tritonis numina adhibita huic operi, habita ratione nominis. Nam τριτὼν fluctus est maris, Cymothoë aquarum impetus. Accidit itaque, vt naues si quando hæreant, facilè explicentur vndis superuenientibus, & aquarum impetu. Cæterùm Poëta institit Apollonio lib. 4. Arg. fingenti Nereidas nauem Argo eripuisse à Scylla, & Charybdi. — Cymothoës etymon. Ciuilis res ornatur comparationibus maris.

5. Ac velvti magno in popvlo, &c.] Notam Seruij de reciproca inter populum & tempestatem comparatione, vide vt multis illustret noster Delrius in Senecam, ex Seneca ipso, Cicerone, Liuio, Herodoto. Adiungo Dionem Chrysost. orat. 75. vbi mare primò tranquillum, deinde sæuiens comparat cum hominibus primò beneuolis, deinde hostibus, & orat. 3. sic ait:

Varius est & omnigenus multitudinis impetus, nihil scientis simpliciter, sed tumultuantis semper, atque ferocientis immodestorum opera oratorum: vt fluctus ferus, & difficilis à ventis duris huc illuc impulsus. Signata Græca. ὥσπερ κλύδων ἄγριος, καὶ χαλεπὸς ὑπὸ ἀνέμων σκληρῶν μεταβαλλόμενος.

Hoc idem latè prosequitur orat. 32. adducítque plures Homeri versus, quibus Græcus vates commotam concionem cum fluctibus & tempestatibus

com

comparat. Plinius etiam lib.3.cap.3.dixit: *Vespasianus imperator Augustus iactatus procellis Reipubl.* Appianus libr.3. Ciuilium loquens de populo: ὥσπερ ἐν θαλάσσῃ κῦμα κινδυνῶδες, ὃ μὲν ἦλθεν, ὃ δὲ ἀπῆλθεν· *est instar maris fluctuum: hic aduenit, ille redit.* Huc pertinet, vrbes comparari cum nauibus, ab Æschylo, & Aristophane. Ait prior innuens principatum, in sept. Theb.

Vrbes comparantur cũ nauibus.

Φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ.

Est enim πρύμνη *puppis*, qui locus gubernatoris. Posterior in Vesp. ciuitatem Atheniensium vocat, σκάφος.

Vulgi mores.

6. SÆVITQVE ANIMIS IGNOBILE VVLGVS.] Vides in his omnibus vulgi mores notatos ex seditione, ex sæuitia, ex armis. Tacitus. 1. Annal. hos mores notat ex truculentis vocibus, ex strepitu, trepidatione, incerto murmure, atroce clamore, repentina quiete. Curtius lib. 4. illi dat impotentiam, sæuitiam, mutabilitatem. Herodotus in Thalia, insipientiam, insolentiam. Nazianzenus in dissensione, δρόμον, βοὴν, προθυμίαν, orat. 20. & addit irati populi esse θυμὸν, non tam ὁπλίτην, quàm στρατηγόν. itaque in plebe furor imperat, vt dux, non est miles. Dicitur vulgus à tyranno Agrigentino epist.77. ἄτακτος, ἄνους, ἄπρακτος, ἄπιστος, ἀβέβαιος, ὀξὺς, προδοτικὸς, ψευδόμενος, φωνὴν μόνον ἀνωφελὴς, καὶ πρὸς ὀργὴν, & πρὸς ἔπαινον ἀχρεῖος. Ademi aliqua. id est, *incompositum, demens, inexpertum, infidum, inconstans, acre, proditorium, mendax, vox sola, inutile, pronum ad iram laudémque.* Dio Chrysost. orat. 75. dat vulgo ζῆλον, χαλεπὸν, ζηλοτυπῆσαι, φθονῆσαι, ἐλπίσαι· *mores sæuos, difficiles, zelotypiam, inuidiam, spem.* & orat.32. dicit turbam esse, ἀπειθῆ, καὶ πρὸς ὕβριν ἕτοιμον· *imperswasibilem, & pronam ad iniurias.* attribuítque illi γέλωτα, ὀργὴν, συριγμοὺς, σκώμματα· *risum, iram, sibila, scommata.* Cyprianus epist. 58. *incursum & fremitum.* Thucydides lib.8. ἀθυμίαν, θόρυβον, *consternationem, tumultum.* Sed nemo meliùs vitia populi, Dionysio Halicarnasseo, aperuit, recurrente semper ad explicandas seditiones Romanæ plebis. Ex illo multa huc transcribi possent.

Vulgi arma.

7. IAMQVE FACES ET SAXA VOLANT.] Vides vt à seditione animorum vulgus veniat ad arma. Tacitus 3. Hist. *Vt crudescere seditio, & à conuitiis & probris ad tela & manus transitur,* &c. Sed signatissimè Poëta dat turbæ duo armorum genera *faces, & saxa.* Tacitus. 14. Annal. *multitudine saxa ac faces minitante.* Nazianzenus in epitaphio magni Basilij describens subitum ciuium furorem, αἱ δᾷδες ἐν χερσὶν, οἱ λίθοι προβεβλημένοι· *faces in manibus, lapides ad iactum.* Dio Chrysost. orat. 46. loquens de populari discordia inter alia, tum hæc infert, εὐθὺς λιθάζειν, καὶ κατακάειν τὰς οἰκίας· *confestim lapidare, & incendere domos.* Lucanus lib.7.

— inde sagitta,
Inde faces & saxa volant.

Philostratus in vita Lolliani λίθους nominat, loquens de tumultu Atheniensium. & lib. de vita Apollonii cap. 15. vt etiam Philo de specialibus legibus, loquens de dissensione, quæ est inter turbam, ἢ πὺξ ἔπαισεν τῇ χειρὶ, ἢ λίθον ἀράμενος ἔρριψε· *aut pugno ferit, aut eminus lapide.* & Appianus, lib. 2. ἐμφυλ. hoc genus teli dat adhuc ipsis magistratibus laborantibus seditione, & auaritia. Cedrenus quoque huiusmodi rixam indicit ξίφεσι, ξύλοις, καὶ λίθοις.

Vulgi furor.

8. FVROR ARMA MINISTRAT.] Hoc iam Victorius illustrauit lib. 8. cap. 15. Adde illi Ouidium:

Quamlibet infirmas adiuuat ira manus.

Auctoribus, quos dedi in Eclogis, de malo seditionis, adiunge Aristidem in oratione de concordia ad Rhodios. vt *furor* hic datur plebi, ita Nazianzenus orat. 32.

Δῆμοι δήμοις ἐπιμανέντες.

9. TVM PIETATE GRAVEM, &c.] Narrat Thucydides lib. 8. Thucydidem quendam Pharsalium hospitémque Atheniensium oratione sua continuisse ciues, τοὺς ἐν τῷ ἄστει διαθέοντας, καὶ ἐπὶ τὰ ὅπλα φερομένους, *Discurrentes per vrbem, atque ad arma corripienda præcipites.* Habet Dionysius lib. 9. Antiq. similem successum cum poëtico. hinc enim Consule Appio, atque Optimatibus, inde Lectorio tribuno, & plebeis, fœdè altercantibus vociferantibúsque, cum corporum protrusione, manuum rixa, & iactu lapidum, alter Consul Quintius impetum hunc & contentionem auctoritate sua repressit. Et similem quoque Cicero in Bruto de M. Popilio Consule, qui nuntiata plebis contra patres concitatione, vt erat læna ad sacrificium indutus, ita venit, ac seditionem plebis, cùm auctoritate, tum oratione sedauit. Et simillimum Liuius lib. 24. apud quem Apollonides seditionem salutari oratione repressit. Simillimum quoque de Pericle Aristides narrat in 2. Platonica; ait enim, tumultuantem concionem ad viri huius præsentiam se continuisse. Cùm dixerit Hippocrates in epistolis Cupiditates discedere, vbi primùm sapientia se in conspectum dat, adducit comparationem de ministris tumultuantibus, qui attoniti conquiescunt, vbi repetè hera adfuerit. Græca, si quis quærat, hæc sunt.

ὥσπερ γὰρ δμῶές τε, καὶ δμωΐδες, ἐν τῇσιν οἰκίῃσι θορυβέοντες, καὶ σατάζοντες, ὁκόταν ἐξαπιναίως αὐτοῖς ἡ δέσποινα ἐπιστῇ, πλανηθέντες ἐφησυχάζουσι. Sed & Persius Satyr.4. oratorem istum Virgilianum adumbrat, his versibus:

Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus.

Et Pindarus Od.8.Nem.

Κρέσσων δὲ καταπαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ·
Potentior vir sedat præcedentem litem.

Arrectæ aures.

10. ARRECTISQVE AVRIBVS] Est hoc quod Græci ὦτα ἱστᾶσι. quod Apollonius lib. 1. Argon. ὀρθοῖσιν οὔασιν. quod Philostratus in Heroicis, ὦτα ἵστημι. iterum, τὰ ὦτα ἵστασθαι. & lib. 2. Icon. loquens de lepore flexu alio, ὑπεγείρων τὸ οὖς. & Aristotel. lib. 9. de hist. animal. cap. 5. ὀρθὰ τὰ ὦτα. & Plinius libr. 8. cap. 32. *aures erigere.* & Terentius And. *Aures arrigere.* & Propertius lib. 3.

Suspensis auribus.

Sed de hac re ego iam antè dixi satis in Georgicorum libr. 3. Contraria sunt *aures arrigere* ex Plinio, καταβάλλειν, ex Aristotele, ex Horatio, *demittere.* Consentiunt omnes, Poëtam capiendum cum respectu ad feras, quæ statim, vbi quid accidit, solent aures arrigere.

Eloquentiæ vis.

11. ILLE REGIT DICTIS, &c.] Nusquam magis necessaria eloquentiæ vis, quàm in tractandis animis & moribus populi; hunc orat orem dignum esse laude, ita affirmat Dio Chrysost. orat. 34.

Ego verò bonum consiliarium, quiq; dignus sit præesse ciuitati, oportere aio ad omnia simpliciter esse instructum, quæ difficilia existimantur; maximè autem ad conuitia, & multitudinis iras. Subdit multa in hanc sententiam. Qualis verò hic esse orator debeat, aperit Plutarchus libr. de præceptis gerendæ Reip.

Quemadmodum musici neruos pulsari volunt leniter, non impetu quodam concuti: ita ratio Rempub. gerentis, consulentis, ac regentis, præferre non debet vim dicendi, aut malitiam, &c. Quadrant ista in Virgilianum hunc virum, qui non cum plebe violentus, sed regens, placans, mulcens.

Notes quoque illam eloquentiam optandam esse (auctor est Isocrates in Archidamo) quæ impen-

datur

datur in bonum multitudinis, quod hîc præstat Poëta. Lege Stobæum sermone. 44. vbi adducit in Euripide, qua ratione populus concitatus debeat sedari.

12. Cæloque invectus aperto.] Est hoc quod Claudianus flexu alio dixit. 2. Rap.

medióque patent conuexa sereno.

Cælum latens & apertum.

Nam latêre cælum in tempestate dicitur. Ouidius 11. Met.

Omne latet cœlum, duplicatáque noctis imago est.

Aperitur itaque cælum, cùm abit tempestas. Est hæc etiam phrasis Plinij libr. 2. cap. 47. *ver aperit nauigantibus maria*, quæ videlicet tempestatibus interclusa. Et Liuij libr. 26. *depulsa sole nebula aperuit diem.*

13. Flectit eqvos.] Hippocampos intelligit Turnebus, & alij viri docti. Dicuntur hi fuisse equi Neptuni. Habebant priores tantùm pedes, legebántque caudis pontum, & natabant. Probat hoc Turnebus testimonio Statij, 1. Achill. omitto, & produco eiusdem testimonium è 2. Thebaidos.

Neptuni equi. Hippocampi Neptuni.

Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos, prior haurit habenas
Vngula, postremi soluuntur in æquora pisces.

Credibile est itaque Neptunum his etiam nunc insedisse, præcipuè cùm in Poëta sit vox *flectit*, & illi dicatur hippocãpi à variis recursibus & flexibus. Apuleius tamen lib. 4. As. Neptunum inducit delphino maria persulcantem, non equis, cuius auriga esset Palæmon. Non solùm autem Neptunus, sed & alia marina numina finguntur vehi hippocãpis & delphinis. Plinius lib. 36. c. 5. *Nereides supra delphinos, & cete, & Hippocampos sedentes.* Næuius in Ægisto:

Neptunus delphino insidet. Hippocampi aliorum deorum.

Sirenes citis
Delphino iunctis vehiculis, hippocampísque asperis.

Virgilius dat Proteo lib. 4. Georg.

— Magnum qui piscibus æquor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.

Vbi hippocampos intelligit, quos à prioribus tantùm pedibus vocat bipedes. Propertius lib. 3. eleg. 1. dat Galateæ, cùm ait:

Quin etiam Galatea fera, Polypheme, sub Ætna
— Ad tua rorantes carmina flexit equos.

Tibullus versu isto Thetidi,

Vecta est frænato cærula pisce Thetis.

Hic enim explicandus est ad eum modum, quo reliqui loquuntur. Porrò descriptiones Neptuni equitantis per maria, aut curru vecti, reseruo ad 5. Æn. si quas inuenero. Hîc scias ab Aristide in Ægyptiaca negari ἵππους ποταμίους & poni inter deliramenta. An inde etiam θαλαττίους neget, mihi in dubio. sed quantum elici ex sententia potest, negat.

[a] Defessi Æneadæ, quæ proxima littora, cursu
Contendunt petere, & Libyæ vertuntur ad oras:
[b] Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit se se vnda reductos:
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminíque minantur
In cælum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent. [c] tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentíque atrum nemus imminet vmbra.
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, viuóque sedilia saxo,
Nympharum domus. [d] hîc fessas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.
[e] Huc septem Æneas collectis nauibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troës arena,
Et sale tabentes artus in littore ponunt.

ARGVMENTVM.

Troiani in proximam Africam concedunt, quò tempestas compulit. Ex occasione describitur portus. Descriptionis pars duplex, prior loci munimen ad naues, posterior delicias continet. Intrat portum Æneas cum septem nauibus, quas illi tempestas fecit reliquas.

EXPLICATIO.

[a] Redit ad iter post longam tempestatem. Ait *defessi*, ad excitandum affectum. Maluit *Æneadæ*, quàm Teucri, quàm Troiani, non absq; commiseratione ducis Æneæ. Dicit *proxima littora*, quia post periculum non eligitur locus (ait Seruius) sed quodcunq; occurrerit, occupatur. Illis *contendunt petere* indicatur studium arripientium terram. Signata illa *& Libyæ vertũtur ad oras.* quò Boreas classem impulit, quò Iuno voluit, atque adeò, *vertuntur* nimirum à cursu Italiæ, *ad oras*, i. ad fines Africæ.

[b] Diggreditur ad portus descriptionem. Descriptionis duplex est pars: prior continet firmitatem portus, posterior delicias. Ergo, *Est locus in longo secessu*, nã quo remotior secretiórque portus, eo tutior. Pergit, *insula efficit portum obiectu laterum.* Finge insulã aliquo spatio distantẽ à continente, quæ vtrinque duplex habeat latus porrectum. erit itaque portus, spacium illud inclusum inter continentem atque insulã, atque adeo verè insula efficit portum & se ipsâ, & suorum laterum porrectione. Sequitur, *quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese vnda reductos.* Dicit vndam venientem ab alto mari frangi in illis lateribus vtrinque porrectis, ac perinde tutum esse portum ab incursionibus fluctuum. Neque solùm vnda frangitur, sed scindit se in sinus reductos. Hoc non explico, nam ex topographia, quam dabo in Notis, hoc facilè apparebit.

apparebit. Progredior. *Hinc atq; hinc vastæ rupes*, &c. Locum hunc ita accipit Scaliger, vt tantũ sit amplificatio rei dictæ. Nihil enim sunt aliud hæ rupes atq; hi scopuli, quàm bina illa latera insulæ, quæ latera, quia prærupta, ideo *rupes*; & quia erecta in mirã altitudinẽ, ideo *scopuli*; & quia ita erecta, ideo *minantur in cœlum*. Eriguntur verò in tantã altitudinem, vt ventos arceãt, ideo sequitur, *quorũ sub vertice latè Æquora tuta silent*. Vocat *æquora* ipsum portum omnino æquabilẽ & tranquillum exquisito hoc naturæ opere. Sed certè in Topographia quã dabo statim, hi scopuli diuulsi sunt ab insula. itaque nõ est, cur in hoc assentiã Iulio.

c Transit ad delitias. Quæ iam nũc describit nõ sunt in insula; sed in continente. Erat (ait) in continente *scena desuper* portui *imminens* (his signat situm natura vmbrosum) erat verò hæc scena *syluis coruscis*, nam arbores ex varia ramorũ agitatione videntur coruscare, micare, vtique vibrari. Pergit, *ingentique atrum nemus imminet vmbra*. Est hæc declaratio superioris scenæ, quasi dicat: Erat nihil aliud scena illa arborũ, quàm nemus horrore & opacitate vmbrarum obtectum. Sequitur, *sub fronte aduersa* huius nemoris erat *antrum* formatum è *pendentibus scopulis*. Intra antrũ hoc erant *aquæ dulces, sedilidque è saxo viuo*: id est, sedilia natura, non arte, aut manu facta. Absoluit *Nympharum domus*. Cùm Nymphæ dicantur habitare in antris ac fontibus, noluit hoc Poëta relinquere ad plenã loci huius commendationem.


d Solent naues in portu vinculis atque anchoris illigari, ne fluctuent: his non egebant Æneæ naues, vt in portu admodum tranquillo.

e Redit ad narrationem post longam portus descriptionem. *Æneas* ergo colligens naufragij reliquias *huc subit*; idest, succedit, *collectis* tantùm ex *omni numero septem nauibus*: nimirũ, qua ipse vehebatur: tribus, quas Notus in saxa induerat, sed Triton & Cymothoë seruauerant: tribus aliis, quas Eurus in arenam impegerat, & ipsemet Neptunus inde eripuerat, leuans [illegible]aria. Procedit. *egressi Troes potiũtur arena optata, amore magno telluris*, vix explices, qua proprietate id dictum. Non vtcũque tenent terram, pedémque figunt in sicco, qui passi sunt tempestatem; sed arripiunt, amplectuntur, hærentque ore & pectore. Inde statim, *& ponunt artus in littore*, id est, proiiciunt se in littus, sedent, aut iacent, vt cuique commodum. *Artus tabentes sale* sunt, salsa aqua languentes, marcentésque, ac veluti tabidi, & exsiccati salsugine.

NOTÆ.

1. CONTENDVNT PETERE.] Est hoc quod Homerus dixit 13. Odyss. ἔνθ' οἵγ' εἰσέλασαν. Latini sæpe, *contentis itineribus, cursibus, nauigatione*.

2. EST IN SECESSV LONGO LOCVS.] Hæc nota modum excedet. Sunt qui putent descriptũ hîc Hispaniæ portum ad nouam Carthaginem, & penè fatendum hoc est: quadrant enim plurimùm Virgiliana cum eo portu. Hoc idem videntur efficere verba Liuij lib. 26. qui describens portum Hispanicæ Carthaginis, ita ait: *Sinus est maris media ferè Hispaniæ ora, maximè Africo vento oppositus, & quingentos passus introrsus retractus, paululò plus passuum in latitudinem patens. Huius in ostio sinus parua insula obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterquam Africum, tutum facit*. Habẽt ista magnam cognationem cum Virgilianis. Nam *longus secessus* Poëtæ, est *sinus introrsus retractus* scriptoris. Illud *insula portum efficit obiectu laterum*, est, quòd Liuius, *in ostio sinus parua insula obiecta portum facit*. Illud *quibus vnda ab alto frangitur*, satis dixit Liuius scribens, *insula obiecta ab alto*, nam eo ipso frangi fluctus necesse est. Sequuntur porro verba Liuij, pòst adducta, itaq; ille: *ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita vrbs est, ab ortu solis, & à meridie cincta mari, ab occasu stagnum claudit, paulum & ad septemtrionem fusum, incertæ altitudinis, vtcunque exæstuat, aut deficit mare*. Quibus vides magnum munimen non dissimile à Poëtico. Ioannes etiam Mariana lib. 1. de rebus Hispan. c. 8. portum hunc describit consentaneè ad Maronem. Ait enim, illum esse ab omni ventorum procella tutissimum, propter editos colles, quibus quasi circino circundatus angustum aditum habet insula obiecta ad maiorem securitatem. Sed omitto scriptores, & rem probo ipsissima descriptione: quæ fideliter expressa sic habet. Hispaniæ portus.



D Quæ

Quæ dixi magnam habent probabilitatem, sed ita tamen vt sua probabilitate inclinent, non cogant. Nam nemo dubitet, quin Virgilius contenderit ad exemplum Homeri. Itaque bene Turnebus scripsit lib. 18. Aduers. c. 32. descriptionem hanc accommodari portui Hispaniæ casu potiùs aliquo, quàm Poëtæ voluntate: & Iulius Scaliger ait, hanc esse topothesiam, non topographiam, id est, fictam, non veram loci descriptionem. Ab hac diligentia pergo ad Virgilij & Homeri comparationem. Noster, *Est in secessu longo locus.* Hinc iam incipit munitio portus, munitus enim, quia in secreto. Græcus tantùm, λιμὴν ἐν δήμῳ Ἰθάκης: *est portus in agro Ithacæ*: Noster, *insula portum Efficit obiectu laterum.* Caret hoc Græcus, cuius portum etiam si rupes circunstent, aditus tamen totus est vento expositus, & integros accipit fluctus. Vnde verè Noster *omnis vnda ab alto frangitur.* Ille non verè de suis rupibus ait, defendi illis magnos fluctus, nam quæ defensio, patente aditu? Noster,

Virgilius superat Homerum.

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminíque minantur
In cælum scopuli. Ab Græco, in vtroq; latere adhibentur ἀκταὶ ἀπορρῶγες, *rupes abruptæ.* Sed nō omnia abrupta, ideo excelsa (ait Scal.) Quare cum iudicio Maro, non contentus dixisse *rupes*, addit *scopulos. Illis,*

——quorum sub vertice latè Æquora tuta silent,
caret Græcus, nec debuisset: nam eò præterita machina destinata, vt portus in tuto sit. Quæ sequūtur in Nostro de scena, & sylua, & antro horrenti; nō solùm seruiūt voluptati, sed necessitati. Necessaria enim illa opacitas nemoris ad euitandos ardores solis, ad recreandos animos Troianorum, ad occultandas naues, quod oportebat in regione fera & barbara. Confer cum istis omnibus illud Homeri,

——ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη:
In vertice portus erat olea passis ramis.

Quid vnica olea ad miseros nautarum animos recreandos? Sed dicūt, ibi datam oleam, vt ea visa Vlysses benè speraret, nā ea arbor Mineruæ est sacra, quæ Dea Vlyssis fautrix. Hæc mihi non displicent, si tamen alium apparatum adderet, qui verè necessarius. Inde idem vates, videns fortasse hanc inopiam, infrà rem eandem commemorans, & iisdem versibus, iam addit oleæ, ——ὄρος καταειμένον ὕλῃ:

Montem indutum sylua.

Pergo. Noster,

Fronte sub aduersa, &c. Vbi duobus versibus, ac vix dimidio, inclusit, quæ Græcus vix decem. Nam videlicet reiecit, quæ parum apta, & sua exornauit. Multa omitto, quæ tantùm egent lectore. In illis *Nympharum domus*, nō egit Grammaticum (ait Scaliger) vt Homerus, qui sic, *Nympharum, quæ Naiades vocantur.* Quanquam potiùs Nereidas esse oportuit, ait Scal. Sed dissimulari potest, nam mox Homerus aquas constituit in hoc antro: sic Græcum defendit Spondanus. Vix autem diuines ad quem vsum sint tot vasa in antro Homeri. Fortassis ad apum thesauros? vt vult Scaliger. Vel ad vsum Nympharum, vt aquam haurirent, quod indicatum ab Eustathio arripit Spōdanus. Cuiuscunque sint vsus, meritò neglexit Poëta. Vide verò vt Noster opus suum absoluerit,

——Hic fessas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.

Cùm Homerus vulgariter admodum,

——ἄτερ δεσμοῖο μένουσι Νῆες:
Manent naues sine vinculo. Neque hoc epiphonematis loco posuit, vt noster. Vix scias Lector quantæ sint vtilitatis istæ comparationes, vt scias ipse ita Græcis plaudere, vt bona eligas, reiicias mala, electa exornes. Porro ad vtriusque vatis imitationē sic cecinit Silius;

Carthago impenso natura adiuta fauore
Excelsos tollit pelago circumflua muros,
Arctatas ponit fauces, modica insula claudit,
Quà Titan ortu terras aspergit Eoo.

Lucanus quoque eadem ratione Brundusij portum describit lib. 2. cùm ait:

Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor,
Portus erat, si non violentos insula Coros
Eriperet saxis, lapsásque refunderet vndas.
Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto
Opposuit natura mari, flatúsque remouit,
Vt tremulæ starent contentæ fune carinæ.

3. INSVLA PORTVM EFFICIT, &c.] Tale quiddam Cæsar. 3. Ciuil. *Hæc insula, obiecta Alexandriæ, portum efficit.* Liuium iam dedi Poëtæ simillimum, & adiicio alterum Plinium lib. 6. epist. adhuc similiorem: *in ore portus insula assurgit, quæ illatum vento mare adiacens frangat, tutúmque ab vtroque latere decursum nauibus præstet.*

4. INQVE SINVS.] Amata veteribus elegantia. Citat enim Seruius Caium Memmium in triūpho Luciliano 4. *Inque luxuriosissimis Asiæ oppidis consedisse,* & statim: *Inque Gallograciam redierunt.*

5. SILENT.] Ita in 8. de Tibri: *tacita vnda,* & Horatius de Liri, lib. 1. Od. 31. *taciturnus amnis.*

Silentium de aquis.

6. SCENA.] Comœdias dicunt natas in agris, educatas in vrbibus. Nam, cùm se rustici oblectabant, theatra tunc non habentes, ex frondibus arborum spatium locumq; adornabant, qui locus scena dictus, ab vmbra, ἀπὸ τῆς σκιᾶς. Mox illatis in vrbes comœdiis idem nomen remansit. Placuit itaque Poëtæ ad veterem morem respicere, & nemus illud horrore in vmbratum vocare *Scenam.*

Scenæ rusticorum.

7. HORRENTI VMBRA.] Volunt interpretes allusum ad religionem, vt in 6. *horrendæ sibyllæ*, id est, venerandæ. Huc traho Cedrenum, qui meminit tem[p]li Sancti Ioannis Baptistæ positi in Euxino ponto, cui templo erat cognomentum φοβερῷ: *terribilis.* Catul[lus] etiam: *Dij Magni, horribilem & sacrum libellum.* & [L]ucretius lib. 2. loquens de simulacro Cybeles, d[ici]t *horrificè.* Lucanus.

Horror arborū religiosus ethnicis.

Arboribus suus horror inest, id est, re[li]gio. vt verò hîc *nemus antro imminet*, ita Noster [e]cl. 9.

——hic candida populus
Imminet, & lentæ tex[unt] vmbracula vites.

Et Propertius lib. 3. eleg[...]

Cùm me Cast[...] ans ex arbore Phœbus,
Sic ait, a[ur]ata nixus ad antra lyra.

Arbor itaque ad antrum Propertij posita. Fuit enim hoc è religione veterum, vt antris, quæ sacra putabāt, imminerent arbores ad fores, quæ arbores erant religionis indicium. Inde ecl. 5. (quod hîc affero, quia ibi omisi) ait pastor Mopsus:

Antra apud ethnicos religiosa.

Siue antro potiùs succedimus, aspice vt antrum
Syluestris raris sparsit labrusca racemis.

Vbi labrusca non intùs in antro fuisse intelligenda est, sed extra ad fores antri.

8. SCOPVLIS PENDENTIBVS.] Tale quid Lucretius lib. 6.

Speluncásque velut saxis pendentibus structas.

9. AQVÆ DVLCES.] Scriberem hîc quæpiam, cur aquæ dicantur dulces, vt iam promiseram, sed multa postea vidi in Lambino, ideo omitto. Tantùm dico, dulcem dici aquam, quia caret marina salsedine. Ita enim video opponere auctores. Nam Cicero 2. Nat. *Astra aluntur aquis, partim dulcibus, partim marinis.* Vide quæ ego in Eclogis. Vide etiam quæ de dulcedine, candore, iucūditate aquæ Nili fluminis scribit Achilles Alexandrinus lib. 4. de Clitoph. ad finem, & quæ de dulcedine, leuitate, mansuetudine putei Æsculapij Aristides.

Aqua cur dulcis.

10. VIVO.]

Viuum pro natiuo. 10. VIVO] Eſt hoc quod Oppianus dixit.2. Ven. σκέπας αὐτοφόροιο μελάθρου, *tegmen naturæ domus.* Nam *viuum* in Poëta, natiuum eſt. Et quidem antrum (& hîc antrum deſcribit Poëta) Ammonius ita definit, vt naturale quiddam ſit, non manu factum, quale ſpelæum. Verba eius: ἄντρον τὸ αὐτοφυὲς κοίλωμα, σπήλαιον δὲ τὸ χειροποίητον. Signatiùs Pindarus, cui Ode. 4. Pyth. petræ dicuntur ζωαί, *viuæ.*

Sedile. 11. SEDILIA] Aduerti hanc vocem dari ſedibus factis natura, non arte. Sic hîc, ſic, 4. G. Vbi amnes locantur *vitreis ſedilibus.* Et Horatius in epiſt. ad Piſones:

Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.

Eſt enim ſermo de comœdiis veterum in pagis ruſticorum, nondum formatis theatris.

12. NYMPHARVM DOMVS] Huic ſimilem vide in Philoſtrato lib. 1. Icon. qui in Amoribus conſtituit antrum Veneris, vbi cauum ſaxum, vbi aquæ virides ac dulces, vbi arbor malus ſacra ipſi Veneri. Et omnia quidem ſapiunt religionem. Antra enim religioſa veteribus fuerunt. Seneca epiſt. 41. *Si quis ſpecus ſaxis penitùs exeſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet.* Inde ergo de hoc antro, *Nympharum domus.* De hac re ego iam. 3. Eclog.

13. VNCO NON ALLIGAT ANCHORA MORSV] Sic omnes legunt, ſed Iul. Scal. *vllo.* non, *vnco.* Notátque quæſitum ſplendorem ex geminatione *vlla, vllo.* vt hîc *morſu* de anchora, ita in 6. *dentem* conſentaneè. Et Sidonius *mordaces anchoras.* Nonnus

A quoque in re nautica lib. 3. ἀγκυλόδοντες, *curuitas dentium.* Sympoſius poëta,

Mucro mihi geminus ferro coniungitur vnco,
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo,
Scrutor aquas medias, ipſas quoque mordeo terras.

14. TELLVRIS] Hoc voluit, non terræ. Tellus enim dea eſt terræ. quo, credo, inſinuat affectum illum, quo, qui è mari egrediebantur, præcipuè tempeſtate iactati, ad terram ſe inclinabant, illámque vt Deam adorabant, amplectebantur, exoſculabantur. Vlyſſes tempeſtate ereptus Odyſſ. 5. Tellus Dea terræ.

——ὁ δ' ἄμφω γούνατ' ἔκαμψε,
Χεῖράς τε στιβαράς.

Ille verò vtrumque genu flexit, manúſque fortes.

B & ſtatim, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν: *oſculatus eſt almam tellurem.*

15. EGRESSI] Donatus in ea verba Hecyræ, *O fortunate, neſcis quid mali præterieris, qui nunquam es egreſſus mare,* notat, eos, qui iam nauigarunt, dici *egreſſos.* Egreſſi, qui.

16. OPTATA] Vegetius lib. 4. cap. 38. *optatos claſſis inuenit portus.*

17 POTIVNTVR TROES ARENA] Hinc Ouid. 12. Met.

——*Phrygia potiuntur arena.*

18. SALE TABENTES ARTVS] Artemid. lib. 1. cap. 73. ὑπὸ τῶν ἁλῶν τετῆχθαι: *tabefieri ſale.* Plutarchus 3. Nat. Quæſt. τήκουσιν οἱ ἅλες: *ſal tabefacit.*

C 19. ARTVS IN LITTORE PONVNT] Vide Odyſſ. 5. quæ de Vlyſſe.

[a] Ac primùm ſilicis ſcintillam excudit Achates,
Suſcepítque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuítque in fomite flammam.
[b] Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiáque arma,
Expediunt feſſi rerum: frugéſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.
[c] Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum latè pelago petit: Anthea ſiquà
Iactatum vento videat, Phrygiáſque biremes,
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.

ARGVMENTVM.

Achates ignem excitat, reliqui cibos parant, Æneas interim conſcendit ſcopulum, ſi videat pelago errantes aut viros, aut naues.

EXPLICATIO.

[a] NVLLA prior fuit cura, quàm de igne excitando. Achates id præſtitit. Damnant hîc aliqui Poëtam, alij defendunt per ὕστερον πρότερον. nam videlicet putant per iſta *rapuit flammam in fomite,* explicari actum illum primum excuſæ ſcintillæ. Alij aliter. Nemo placet. Poëta clarè ait, raptam flammã, non ſcintillam, non ignem. Dicamus ergo, excuſſam primùm ex ſilice ſcintillam, quã deinde *ignem* vocat. hic primùm ſuſceptus eſt folijs: poſt hæc appoſita ſunt arida nutrimenta, quæ vocat fomitem, vt flãma excitaretur. quę, quia ſtatim accenſa eſt, dicitur rapi. Quotidie id videmus in naphtha fieri, & (noſtro malo) in tormentario puluere.

[b] Poſterior cura fuit de comparando cibo. Illi itaque

D *defeſſi rerum,* id eſt, calamitatũ, quas paſſi in naufragio *expediunt* (nota ſtudium) *Cererem vndis corruptam,* intelligit frumẽta aquis madefacta, & vnà cum illis Cereris inſtrumenta, nam hæc ſunt *arma,* quibus fruges ad eſcam comparentur, frangantur, terantur. Ideo ſequitur *parant torrere flammis, & ſaxo frangere.* Quia videlicet oportuit priùs frumenta exſiccata eſſe, vt ſic frangerentur. Hîc enim nihil eſt aliud *torrere,* quàm areſacere, & ſiccare. Sequor Hortenſium, Seruium, Scaligerum. 3. Poët. cap. 19. Itaque non placent, qui agnoſcunt hyſterologiam, ſic explicantes. Frangunt, & mox torrent flammis. Non ſic eſt. ſed torrent, & frangunt. nam quî madida frangerentur?

[c] Adhibita eſt aliorũ cura. Quæ iam Æneæ principis?

E Sollicitus eſt de ſuis, *conſcendit ſcopulum, petit latè proſpectum omnem pelago,* id eſt, mittit oculos in pelagus quàm latè poteſt. Hîc enallagẽ agnoſco, pro, petit pelagus proſpectu ſuo. Qui verò eius animus? vt erat pietate imbutus, nihil de cibo curat, ſed pelagus luſtrat, ſi poſſit videre ſuos tempeſtate iactatos. Conſidera tecum principem virum ab Æolo, & Iunone exagitatum, viribus languidum: qui nihil tamen

men loquatur contra Æolum, nihil per iracundiam contra Iunonem: nihil de se curet, tantùm de suis sit sollicitus; & videbis Poetam hunc eminentissimè fuisse complexū curam patris familias; ad hanc enim rem interpretes sollicitudinem istam deriuanr. Quæ sint *arma in puppibus* postea explicabo. Puppes vocat *celsas*, quia hæc pars eminens in nauigio.

NOTÆ.

1. SILICIS] Turnebus gignendi casum probare non potest, cùm sententia sit, èxcusam scintillam è silice. Apparet procul dubio, Turnebum legisse *silici* in auferendo, pro silice, more veteri, vt *ruri* pro rure, *vesperi* pro vespere, *segeti* pro segete: de quo vsu ego iam alibi. Non displicet lectio hæc. Sed defendi potest communis. Nam cur non dicatur scintilla silicis, vt in 6. Æn. dicuntur *semina flammæ abstrusa in venis silicis*? Quē locū vide vt hunc illustres.

2. EXCVDIT] Gifanius explicat, eiecit, ad eum modum, quo Lucretius dixit lib. 3.

—semina vocis
Eiiciuntur, & ore foras glomerata feruntur.

Sed quiuis tamen in Virgilio ictus agnoscet.

3. ACHATES] Eruditionem Poëtæ Hortensius commendat ex Achatis etymo, tu illum, & Seruium, adi.

4. SVSCEPIT] Aliqui legunt *succepit*, in his Iul. Scal. 4. Poët. cap. 16.

5. RAPVITQVE IN FOMITE FLAMMAM] Paulinus Natali. 10.

Ingentem fragili rapuit de fomite flammam.

Apuleius lib. 7. *Iámque fomento tenus calescens & nutritus ignis surgebat in flammas.*

6. CEREREM CORRVPTAM VNDIS] Petro. satyr. *cibísque naufragio corruptis.*

7. CEREALIAQVE ARMA] Sic dictum, vt Apollon. ἔντεα δαιτὸς, *arma conuiuij*, idest, instrumenta. Quæ verba sumpsit ab Homero, Odyss. 7.

Arma pro instrumentis

8. FESSI RERVM] Ita inf. *sunt lacrymæ rerum.*

9. TORRERE] Non dubium, quin Poëta alluserit ea voce ad sacra veterum Fornacalia. Lege Festum. Respectū est à Poëta ad etymum, nam fruges dictæ ἀπὸ τοῦ φρύγειν, quod est, *torrere*. Tam enim fruges, quàm frumenta antiquitus torrebantur ad esum.

Frugum etymon.

10. FRANGERE SAXO] Vult Turnebus attingi à Poëta primum molendi modum ex duplici, quem Lucretius innuit lib. 1. Primus est, cùm suspensa mola fruges frangimus, ac tum res fit crassiusculè, & hunc Maro insinuauit. Alter, cùm non suspenduntur molæ, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, ac tum minutior fit farina. Versus itaque Lucretij contra Anaxagoram, hi sunt:

Molendi ratio duplex.

Conueniebat enim fruges quoque sæpe minutas,
Robore cùm saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid nostri, quo corpora aluntur:
Cùm lapidi lapidem terimus; manare cruorem.

Sententia est. Si, vt ait Anaxagoras, omnia sunt in omnibus, conueniebat, cùm in grandiusculam farinam franguntur fruges, signum aliquod dari expressi sanguinis: cùm autem in minutissimum pollinem comminuuntur, tum manare sanguinem, ac non ostendi tantùm. Cæterùm locutio Poëtæ sumpta est ab Accio in Troadib. *Saxo fruges frangas torridas.* Vide Hippocratem lib. de Prisca Medicina ab eo loco: ἐκ μὲν ἂν τῶν πυρῶν, &c. Et Pollucem li. 2. qui de hac mola, σιδηρὸς μύλη, cui dat λεαίνειν τροφήν.

11. ÆNEAS SCOPVLVM, &c.] Cùm socij reliqui occupentur aut excitandis ignibus, aut torrendis & frangēdis frugibus, Princeps Æneas lōgè aliter. Vide hîc curam & sollicitudinem (hanc iam perpendi) & statim venationem, quæ res dignior & grandior. Quantū hæc meliùs quàm Homerico Vlysse Odyss. 13. post latam illam portus Homerici descriptionem, hæc sequuntur.

Virgilius superat Homerum.

Πρῶτον Ὀδυσσῆα γλαφυρῆς ἐκ νηὸς ἄειραν,
Αὐτῷ σύν τε λίνῳ, καὶ ῥήγεϊ σιγαλόεντι,
Κὰδ δ' ἄρ' ἐπὶ ψαμάθῳ ἔθεσαν δεδμημένον ὕπνῳ.

Primum Vlyssem concaua ex naue sustulerunt,
Ipsoque cum lino, & culcitra splendida,
Atque in arena deposuerunt captum somno.

Hæc cùm video, & multa alia, satis mirari non possum, quæ tanta opinio Homeri hominum mentes inuaserit. Ratio ipsa clarè suadet, meliùs multo induci Æneam ab Latino, quàm ab Græco Vlyssem.

12. SCOPVLVM CONSCENDIT] Bene Iul. Scal. *vocabulum signatissimum* παρὰ τὸ σκοπεῖν. Etenim qui ibat ad speculandum, scopulum ascendit, qui dictus ab aspiciendo. Adnecto verba Hesychij: σκόπελός ἐστιν ὑψηλὸς τόπος, ἢ πέτρα, ἢ ἀκρώρεια, ἀφ' ἧς ἐστι σκοπεῖν τὰ κύκλῳ: *est scopulus locus altus, aut petra, aut vertex, vnde fit speculatio in loca omnia.* Est hoc quod dixit Philostratus. 2. Icon. de quapiam insula, ἀκρωνυχίαν ἐξαίρουσα πανόπτῃ Ποσειδῶνι: *verticem attollens speculanti omnia Neptuno.*

Scopuli etymon.

13. PROSPECTVM LATE PELAGO PETIT] Sumpsit phrasim à Catullo, qui de nuptiis:

At pater vt summa prospectum ex arce petebat.

Idem sic variat,

Vnde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.

Prospectum petere.

Pacuuius apud Nonium ita: *Incipio saxi tentans [illegible]dere verticem summi, inde in omnes partes prospect[illegible] aucupo.* Seneca ep. 89. *in vastū terrarū, marisque [illegible]ospectū.*

14. BIREMES.] Vult Seruius Poëtam [illegible]d suum tempus respexisse, cùm dicat Varro inu[illegible]ctas biremes post Troiana tempora. Dic[illegible]a duplice remorum ordine, vt etiam G[illegible]ecis δίηρες. qui tamen frequentiùs δίκροτα, appella[illegible] qua voce interdum Latini vsi. Cicero ad A[illegible] ἄφρακτα *Rhodiorum, & dicrotum Mitylen[illegible]m, & aliud catascopium.*

Biremes.

15. CAPYN.] Credibile est hunc ab Capy auo Æneæ, & nomen & genus traxisse: inde affectus: quærit enim, non solùm societate sed sanguine coniunctū.

δίκροτον.

16 CELSIS IN PVPPIBVS ARMA] Accipit hoc Seruius ex more militum, qui nauigantes arma in puppibus religabant. Nam alibi,

Arma in puppibus.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Qui locus indicat, tunc ibi figi solita, cùm omnia essent pacifica, neque hostis in mari timeretur. Alij in Poëta capiunt *arma Caici*, pro militari insigni Caici. Nam *arma* pro insignibus capi, non est inusitatum, vt 3. Æn.

—Cristásque comantes
Arma Neoptolemi.

Innuit, cristas fuisse insignia Neoptolemi.

[a] Nauim in conspectu nullam, tres littore ceruos
Prospicit errantes: hos tota arma sequuntur
A tergo, & longum post valles pascitur agmen.
[b] Constitit hîc, arcúmque manu, celerésque sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.

c Ducto

c Ductorésque ipsos primùm capita alta ferentes,
Cornibus arboreis, sternit: tum vulgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec priùs absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum nauibus æquet.
d Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.
Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes
Littore Trinacrio, dederátque abeuntibus heros,
Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet.

A

ARGVMENTVM.

Videt nauem nullam, tantùm in littore ceruos tres, quos reliquum agmen sequebatur: interficit septem pro nauium numero, inde ad portum ad socios redit.

EXPLICATIO.

a PIETAS, & labor in quærendis sociis dat Æneæ occasionem venationis, non curiositas & otium, vt Vlyssi. Itaque, cùm nauem nullam vidisset in pelago, in ipso littore tres vidit ceruos, quos à tergo reliqua ceruorum armenta longo agmine sequebantur. Optimè *agmen* de ceruis, nam ij gregatim pascuntur. Optimè item *longum*, nam errabant & pascebantur, itaque indicatur significatio incedentium. Nam agmen est exercitus non vno in loco stans, sed ambulans incedénsque.

B

b Verbo *constitit* satis indicat, prædam illam fuisse obiectam præter spem. Statim *corripuit arcum manu*, hoc verbo innuit studium celeritatis, vt cùm alibi ait, *corripit gladium à femore*. Sed cur sagittas vocat *celeres*? quia statim voluit mittere, experiríque earum celeritatem. Quasi dicat: Corripuit sagittas statim futuras celeres, statim mittendas. Non vt alij, qui illas inclusas in theca, ac pene situ obsitas, vocant tamen celeres. Vnde corripuit? Ab Achate, qui vt *fidus gerebat tela*. Prudens hîc Maro. Quia Æneas it absque armorum præsidio, dantur illa fido & obseruantissimo. Vt sciat princeps, cùm est inermis, cui debeat latus suum committere. Quoties acciderunt calamitosæ principum cædes propter hanc negligentiam!

C

c Dixerat *sequuntur*, ideo nunc *ductores*, quæsita oppositione. Hos itaque primùm *sternit ferentes capita alta*, vt quibus essent cornua ramosa, atque instar arboris. Quasi dicat alta ex cornibus arboreis. Stratis ductoribus *tum*, id est, deinde, *miscet vulgus, & turbam omnem, agens* illam *telis inter nemora frondea*. Quia videlicet interfectis ductoribus (agnosce tralationem à militia) vulgus facilè miscetur, agitur, conficitur. Vox *miscet*, est, perturbat. Vlteriùs. *Nec absistit priùs, quàm victor fundat humi septem corpora ingentia, & æquet numerum* ceruorum *cum nauibus*. Quædam hîc expendenda reseruo ad notas, & comparationem Homeri.

D

d Sequitur. *Hinc petit portum* à se relictum, *& partitur* prædam *in socios omnes*. Post cibos *deinde diuidit vina, quæ heros Acestes* Rex Siciliæ, vtpote *bonus*, id est, benignus, munificus, liberalis, *onerarat cadis* in *Troiano littore*, id est, Siculo, *dederátque abeuntibus*. Ex etymo Acestis sententiam Poëtæ Germanus expendit. Est enim ἀκεστὴς medicus, & doloris sanator. Ideo ergo ille beneuolus semper inducitur, & seruiens Troianis. Hoc facto, Æneas *mulcet dictis pectora mœrentia*. Post carnes quippe & vina, suus quoque cibus animis datur, bono exemplo principum, qui suos firmare non tam cibo debent, quàm doctrina.

NOTÆ.

1. TRES LITTORE CERVOS] Verè in Africa cerui sunt, errant qui secus putant. Virgilium defendo 4. Æn. vbi paria de Africa. Hîc considera, quæ dicebam de pietate, quæ occasionem præbuit venationi: cùm Vlysses tamen insulam admirabundus perambulet propter curiositatem, quod habetur Odyss. 9. Hinc optimè aduertit Seruius, septem tantùm ceruos interfectos pro necessitate nauium. Nam hæc venatio sumpta ad necessitatem, non ad voluptatem. Longè aliter fit venatio in 4. Æn. vbi voluptas quæritur. Et quamuis Homerus Odyss. 9. attribuat nauibus singulis capras nouem, naui autem Vlyssis decẽ: prudenter tamen ab illo recessit Maro. Scio ducẽ maiori interdũ præda ornandum. Sed hîc humanitus excogitatum est à Virgilio, vt naues, quæ in pari periculo fuerant cum naue Æneæ, pari præda fruerentur.

2. ARMENTA] Dicit aptiùs, quàm *greges*: quamuis & hoc potuisset. Itaque malè hîc à sciolis damnatur Virgilius. Verum est, frequentiùs *gregem* sumi pro minore pecore, vt sunt oues, capreæ, cerui: *armentum* pro maiore, vt sunt tauri, equi. Sed liceat interdum discedere ab oraculis grammaticorum (ait Michaël Brutus, hac de re loquens, in explicationibus Horatianis.) Nam Græci ἀγέλην, id est, *gregem*, dicunt de bobus. Apud Homerum sæpe ἀγέλη βοῶν, leges, & notum verbum taurorum ἀτιμαγελεῖν. Plinius lib. 8. cap. 8. bis aut ter dicit *gregem* de elephantis. & c. 15. *equorum greges*. Has voces, vt alij commutarũt, ita princeps carminum Maro. Nam de bobus 6. Ecl.

Virgilius defenditur.

Grex de maiori pecore.

Aut aliquam in magno sequitur grege. & 6. Æn. *grege de intacto septem iuuencos*, quem æmulans Horatius 2. od. epod. *greges mugientium* dixit. Et quidem Varro 2. Rust. ca. 5. hoc discrimen nihil curans scripsit *qui gregem armentorum emere vult, &c.* Sed adhuc in Virgilio quiddam cõsidero non illo indignum. *Gregem* capit de minore; *armentum* de maiore: cùm cõmutat, aliquid addit. Nam de bobus, non *gregem* simpliciter, sed *magnum gregem* dicit 6. Ecl. de ceruis hîc, vt illorum magnitudinem signaret, *armentum* maluit; dicturus enim de illis postea, *ingentia corpora*.

3. SEQVVNTVR A TERGO] Cicero 1. Tuscul. *Adolescentes in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus.* Qui reprehendunt Virgilium (dicunt enim otiosè addi *à tergo*, nam qui sequitur, necessariò à tergo) eadem operâ reprehendunt Tulliũ.

Virgilius defenditur.

4. ARCVM, SAGITTAS] Egregiè hoc: tela enim parata ferebantur in incertum, & quemuis casum, præsertim cùm nescirent, quò appulissent. Non ita prouidus Vlysses Homericus, lib. 9. tumultuariò enim petuntur arma è nauibus ad iaculandam prædam. Ait enim Vlysses, visis feris, capiamus arcus, capiamus hastas.

Virgilius superat Homerum.

5. CAPITA ALTA FERENTES CORNIBVS ARBOREIS] Maro alibi:

surgen

—*surgentem in cornua ceruum.*
Cerui etymon.
Græci ὑψικέρατον ab hac re vocant. & Homerus Odyss.10. ὑψίκερον ἔλαφον μέγαν, dixit. Imo, si Varroni credis, libr. 4. de ling. Latin. *Cerui, quòd magna cornua gerunt, mutato (g) in (c) vt in multis, quasi gerui.* Vt illustres illud de *arboreis cornibus*, recurre ad 7. Ecl. ad illud,

Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.

Ego hîc aliud. Cùm nominat Maro *cornua*, intellige interfectos ceruos mares. Clarè Arist. lib. 3. de part. animal. cap. 1. τῶν ἐλάφων οἱ μὲν ἄῤῥενες ἔχουσι κέρατα, αἱ δὲ θήλειαι οὐκ ἔχουσι: *in ceruorum genere maribus sunt cornua, desunt feminis.*
Cerui mares tantùm habēt cornua.
Consentaneè Pollux lib. 5. τῶν ἐλάφων ἄκερως ἡ θήλεια, ὁ δ' ἄρρην κεροφόρος: *in ceruis femina incornis est, mas corniger.* Hinc aliqui reprehendunt Pindarum, qui Od. 3. Olymp. dixit, χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν: *ceruam feminam aureis cornibus.* Item Sophoclem, Anacreontem, Callimachum hymno ad Dianam, qui paria. Sunt, qui defendant. Nam Poëtæ *ceruam* dicunt pro ceruo, per enallagem, more Attico, aptantes articulum fœmineum nomini masculo. Itaque sic aliquando τὴν ἔλαφον, vt sæpe, τὴν θεόν. Sed quî possunt ita defendere, cùm Scaliger lib. 3. Poët. cap. 4. ita scribat: *in Gallia cerua cum cornibus, nostris temporibus & visa & capta est, cuius etiam num seruatur caput?*
Cerua visa cum cornibus.
Hoc si verum (vt credi debet, ab hoc viro) satius est dicere, verè nasci aliquando ceruas cum cornibus. Sed est alia solutio, nam cerua illa Dianæ tota est fabulosa.

6. VVLGVS] Disce copiam. Gregem ceruorum vocat *vulgus, turbam, agmen.*

7. BONVS] Notant aliqui hîc datum attributum Acesti, secretiore, quàm vulgus putat, significato.
Bonitas pro elogio Regum.
Nam regibus olim magno elogio data bonitas, quò monerentur quid maximè ab his spectandum: præeunte Homero, qui complectens, quæ duò maximè inesse debeant regibus, ita scripsit,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Nam quid ampliùs requiras à Rege, qui in suos est bonus, in hostes fortis? Hæc non displicent. Sed possis etiam hoc attributum illis dare à particula cælestis potestatis, quæ est in rege. Qua de re vide, quæ ego 5. ecl. ad illud, *amat bonus otia Daphnis.*
Cadus vas vinarium.

8. CADIS] Inter vasa vinaria est cadus, vt videre est in Horat. od. 7. lib. 2. & lib. 3. od. 14. 15. 19. & lib. 4. od. 12. Columell. lib. 12. cap. 28. Martial. &c.

9. DEDERATQVE ABEVNTIBVS HEROS] Attingit Poëta morem veterum, heroicis adhuc illis temporibus in honore habitum, vt qui à se amicum dimitteret, illum viatico cibario adornaret; imo hoc propriè fuit viaticum, non pecuniæ.
Viaticum quid.
Nam Eusthatius Odyss. 2. ita definit viaticum, βρώματα εἰς ὁδὸν ἐπιτήδεια πρὸς τὸ ἰέναι: *cibaria idonea ad viam conficiendam.* Hoc more plenus Homerus. Nam Euryclea, 2. Odyss. Telemacho ad viam dat οἶνον, ἄλφιτα, *vinum & hordeaceam farinam,* & Vlysses lib. 7. accipit à Calypsone, σῖτον, καὶ μέθυ ἡδὺ, *panem, & suaue vinum,* & lib. 9. à Marone,

Αἴγειον ἀσκὸν ἔχον μέλανος οἴνοιο
Ἡδέος.
Caprinum vtrem plenum nigro vino
Suaui.

Apud Orpheum Cycicus soluentes Minyas ornat donis, dans οἶνον, & σῖτον ἄφθονον: *vinum, & copiam frumenti.* Herodotus quoque in Calliope: τούτους λυ-
A σάμενοι πάντας ἀποπέμπουσι ἐφοδιάσαντες εἰς τὰς Ἀθήνας: *Hos omnes dimittentes & cum honore prosecuti viatico exornarunt ad Athenas.* In Thucydid. lib. 3. ita leges, παρασκευασάντων δὲ τῶν Μιτυληναίων πρέσβεων τῇ νηῒ οἶνον, καὶ ἄλφιτα, *instructa est nauis, à legatis Mitylenæis, vino & farina bordeacea.* Xenoph. lib. 1. Ἑλλ. apertè discriminat pecunias à cibis, & de cibis ait, ἐφοδιασάμενος. verba eius: λαβὼν δὲ ταῦτα (χρήματα) ἐκεῖνος, καὶ ἐκ Χίου πεντεδραχμίαν ἑκάστῳ τῶν ναυτῶν ἐφοδιασάμενος: *acceptis pecuniis, & præterea quinque drachmarum viatico è Chio in singulos nautas coacto.* Alter Plinius lib. 3. epist. hac vna re studium suum aperit erga Martialem: *Prosecutus eram viatico secedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.* Ex hoc more lucem do Liuio 42. vbi ait: *Regulus, Cartha-*
B *giniensésque dimissi. Munera ex instituto data vtrisque, aliaque hospitalia comiter conseruata.* Vbi discriminans à muneribus hospitalia, omnino videtur signare hoc viaticum hospitum. Et post pauca legati Romani, qui è Macedonia redierunt, hoc argumento efficiunt, hostem esse Perseum. dicunt enim: *nec sibi aut venientibus quicquam hospitaliter, aut benignè factum.* Fortasse vinum hoc datum ad viaticum est, illud quod Cato de innocentia sua vocat *honorarium.* Catonis verba sunt: *Cùm essem in prouincia legatus, quamplures ad prætores & consules vinum honorarium datum: numquam accepi ne priuatus quidem.* Scio pugnare verba Isidori, qui nihil de viatico intelligit, cùm ait: *Honorarium vinum, quod regibus, & potentioribus honoris gratia offertur.* Viaticis opponeban-
C tur *Aduentitia*, de quibus capiendus locus alter Liuij, quem iam adduxi è lib. 42. itémque nobilis Horatij ode 36. lib. 1. vbi apparatur conuiuium ob reditum Numidæ amici. Apud Xenoph. quoque 4. ἀναβ. Trapezuntij largiuntur Græcis βοῦς, καὶ ἄλφιτα, καὶ οἶνον, *boues, farinam, vinum,* exceptis hospitio.

10. DIVIDIT] Hoc verbo, & superiore illo *partitur*, & cùm ait, septem ceruos stratos pro numero septem nauium, his (inquam) videtur attingere morem veterũ Romanorum, qui in suis olim epulis & conuiuiolis æquam cuique partem dabant, hanc æquitatem ita amarunt, vt inde ipsimet æquitati datum sit nomen. Æquitas in conuiuiis. Quæ dixi expli[illegible]. Erant veteres Romani continentiæ admodum attenti, de qua continentia Val. Max. lib. 2. Hanc continentiam in eo posuerunt,
D vt non pane, sed [illegible] viuerent. Plinius lib. 18. cap. 8. *Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos, manifestum, quoniam inde pulmentaria hodiéque dicuntur.* Inde Plautus in Mostell. Romanos vocat *pultiphagos*: & in Prologo Pœnuli, ita ait,

Carchedonius vocatur hæc comœdia:
Latinè, Plauti Pœnulus pultiphagonides.

id est, Plauti Pœnulus Romanus. Plauti versus variè ab aliis legitur. Harum itaque pultium cuique æquales partes dabant, & hoc propriè vocabant *ius*, & diminutione *iusculum.*
Iuris etymon.
Hinc igitur translatitiè vocatum ab Romanis ius, quod suum cuique tribuit, & æquitatis habet rationem. Dicebantur *duplicari* (ait Varro) quibus in conuiuiis duplicia dabantur ob virtutem. Morem hunc Romanorum à Græcis manasse
E Homerus videtur indicare, qui sæpe conuiuia vocat *æqualia.* Hanc igitur rem visus mihi Poëta attingere verbis *diuidit, partitur, numerum cum nauibus æquet.* Si non huc allusit, iuris originem aperuisse, ingratum non fuerit.

[a] O socij (NEQVE ENIM ignari sumus antè malorum)
[b] O PASSI grauiora, dabit Deus his quoque finem.
[c] Vos & Scyllæam rabiem, penitúsque sonantes

Accestis scopulos,[d] vos & Cyclopea saxa
Experti:[e] REVOCATE ANIMOS, mœstúmque timorem
Mittite: FORSAN ET hæc olim meminisse iuuabit.
[f] PER VARIOS casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
[g] DVRATE, & vosmet rebus seruate secundis.

ARGVMENTVM.

Firmat animos Troianorum, tum maximis laboribus, quos iam perpeßi sunt, vnde fit, vt præsentia mala mirum in modum extenuentur: tum spe futuræ felicitatis, vt in posterum accendantur ad omnem calamitatem perferendam.

EXPLICATIO.

[a] ORATIO hæc integra est, habet suum exordium, quo beneuolentiam colligit. Sequitur confirmatio, vbi duplex amplificatio, mala præterita, futura bona, tum demum oratio absoluitur epilogo exhortatorio. Affectus sunt maximi, sed graues, vt decet ducem. Cùm ait, *ô socij*, beneuolentiam colligit, vocans *socios* milites, quasi secum æquales in perferendis laboribus, ait Donatus. Parenthesin sic explica: *neque enim ignari sumus malorum*, quæ *antè* perpessi sumus. Græcus diceret, τῶν πρὶν κακῶν. Continet verò ætiologiam vel præteritorum, vel sequentium (ait Corradus.) Præteritorum ita: *ô socij*, scilicet malorum, quæ antea passi sumus. Sequentium ita, *ô paßi grauiora*, non enim ignari sumus præteritorum malorum. Esse verò hoc prouerbiale hemistichium satis apparet.

[b] Vult, vt recordatione grauiorum laborum, putent alia incommoda, quæ mox sequentur, exitum habitura, qui iam habuerunt grauiora illa mala.

[c] Incipit enumerare pericula, in quibus fuerant. Accessistis (inquit) ad Scyllam. Non peruenerunt (ait Manutius) sed prope fuerunt, hoc est enim accessistis. Roget aliquis. Accessisse ne ad Scyllam grauius est periculum, quàm malum tempestatis, quod nũc experti? Scribit, credo, Poëta animis mortalium, qui Scyllæ periculum magnum esse existimabant, itaque eò accessisse, & inde saluos rediisse, magnum. Cùm ait *rabiem*, alludit ad fabulam Scyllæ, quæ versa in canes. Quæ sequuntur

penitúsque sonantes Accestis scopulos,

capienda sunt non de Charybdi, quantumuis tibi videatur, sed de eadem Scylla: id liquidò aperiam 3. Æn. vbi locum Poëtæ explicabo, quo nullus fortasse difficilior. Nunc ad locum, in quo sum. Accessistis (inquit) ad Scyllam, & mox explicans, quæ sit Scylla, addit, *scopulos sonantes*, hósque *penitus*, indicans sonare saxa in Scyllæ, parte intima, ac recondita.

[d] Est hoc alterum periculum. Experti (inquit) estis Cyclopum saxa. Cùm autem hac oratione confirmet milites tempestatis malum expertos, egregiè exempla aduocat quàm simillima, non Troianorum incendium, vnde euaserant; non Græcorum impetum, quem vitauerunt; sed pericula maris, quæ iam superauerant. Errant vehementer, qui illa *ô paßi grauiora*, referunt ad Troiæ euersionem, & Græcorum incendium. Quæ hîc strictim dixi ad loci huius explicationem, in 7. exemplis firmabo.

[e] Est hæc conclusio superioris argumenti. Dicitur

A *timor mœstus*, vt *mors pallida*, *senectus tristis*, ab effectis. Illud *timorem mittite*, dictum, pro omittite. ita Terent. Adelph. *Hera lacrymas mitte*. Concludit rem hac sententia, *forsan & hæc olim meminisse iuuabit*, quæ potest habere vicem epiphonematis.

[f] Pars altera confirmationis à futuris bonis. Hic primus versus, & quæ dicta sunt suprà, opponuntur sequentibus. Vt postquam audieris *Scyllæ rabiem*, *sonantes scopulos*, *saxa Cyclopum*, *varios casus*, *rerum discrimina*, audias deinde quæ sunt iucundissima, videlicet *Latium*, *sedes quietas*, *Troia regna*, quæ surgent in Latio. Ait *fata ostendunt sedes quietas*, firmans non vulgari fide, neque humana, sed diuina, & *ostendunt* inquit quasi in proximo sit requies. Iam illa, *illic fas regna resurgere Troiæ*, quàm viuida ad excitandos animos!

B Est enim magnum, venturos illos in regnum, & Troiæ, quod sanè regnum illorum causa excitandum erat, vt illi tandem quietem haberent.

[g] Est hic epilogus orationis exhortatorius cum recordatione felicitatis futuræ. Inane quippe esset, si compararet illos ad perseuerantiam laborum verbo *durate*, nisi adderet affuturam tandem felicitatem, & res secundas.

NOTÆ.

1. O SOCII] Ita Cæsar apud Lucanum libro primo. Socij beneuolentis nomen.

C *Bellorum ô socij, qui mille pericula Martis*
Mecum (ait) experti, decimo iam vincitis anno.

Achilles Il. 223. loquens cum suis Myrmidonibus, & Vlysses 9. Odyss. cum suis sociis, vterque, ἐμοὶ ἐρίηρες ἑταῖροι: *amabiles mihi socij*. Cyrus sæpissime in Xenophonte, ἄνδρες φίλοι. Nicias apud Thucydidem, lib. 7. Ἀθηναῖοι σύμμαχοι: *Athenienses commilitones*. qua voce vsi frequentissimè Romani imperatores ad suos milites, vt apud Appianum lib. 2. ἐμφυλ. vbi in simili exhortatione dicuntur milites non solùm συστρατιῶται, *commilitones*, sed etiam magno honore, στρατηγεῖτε μᾶλλον, ἢ στρατεύεσθε: *duces potiùs estis, quàm milites*. Pari honore afficit suos milites Iulianus Cæsar apud Ammianum, lib. 21. Ab Heraclio milites nouo honore ἀδελφοὶ vocantur apud Cedrenum, pag. 339. Cæterùm Virgilium in hac oratione Homeri victorem fuisse iam censuit Macrobius. Virgilus superat Homerum.

D Homericos versus inuenies Odyss. 10. Macrobij censuram lib. 5. Saturn. cap. 11. Cui censuræ adde, Vlyssem ea sibi attribuisse, quæ Æneas dat suis militibus. Si Græcum legas, rem statim capies.

2. ANTEMALORVM] Coniunctim legendum admonet Passeratius, vt etiam Propertius: *Contactum nullis antecupidinibus*. Sic *antefixa*, & *anteurbana prædia*, in Festo, id est, vrbi vicina. Firmat hoc aliis exemplis. Ita Seneca epist. 118. *Inantecessum dabo* verbo fori. Antemalorum.

3. O PASSI GRAVIORA] Tale argumentum Horatij od. 7. lib. 1.

ô fortes peioráque paßi.

Octauiæ in eius tragœdia:

—Non hoc primum
Pectora vulnus meum senserunt,
Grauiora tuli. Dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.

Homeri Odyss. 20. Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλης: *Obdures anime, & quondam grauiora tulisti.* Ita Xenoph. lib. 3. ἀναβ. milites exhortatur, reuocans in memoriam maiorum pericula, vt ipsi sint bello acres, & prompti ad perferenda mala.

Adagium. 4. ACCESTIS SCOPVLOS] Prouerbialiter dixit Demosthenes orat. 3. in Philip. ἀλλ᾽ ἀνάγκη, τούτοις ὥσπερ προβόλοις, προσπταίειν ὑμᾶς: *sed necesse est, vos impingere in hos, tanquam in scopulos.*

Cyclopum scopuli. 5. CYCLOPEA] Nullus hic tropus. Malè enim explicatur hic locus ab his, qui dicunt Ætnam intelligi, & positum numerum multitudinis pro singulari, & vnico Ætnæ monte. Non sic est. Nam in ipso monte Ætnæ tres præcipuè fuerunt scopuli, in quibus viuebant Cyclopes. Plinius clarè lib. 3. cap. 8. de rebus Siciliæ loquens, *scopuli tres Cyclopum.* Sic etiam Ouidium explicans. 13. Metam. apud quem Polyphemus loquens cum Galatea, *His immobilior scopulis,* id est, his tribus scopulis. Cæterùm Græci sæpissime vocibus, quas scribunt per ει, adimunt subiunctiuam, vt corripiant. Hoc interdum imitantur Latini. Græci dicunt, πλατεῖαν. atqui Horatius 2. epist. *Plures sunt platea.* Iidem κωνώπειον. & idem in epod. od. 9. *sol aspicit conopeum,* corripiens, hoc enim postulat mensio carminis. Sic ergo, cùm illi Κυκλώπειος, Virgilius *Cyclopea.*

Iucundi acti labores. 6. FORSAN ET HÆC OLIM MEMINISSE IVVABIT] Locum istum Aristoteles tractat 1. Rhetor. & postquam nonnulla in hanc sententiam præmisit, sic absoluit. ὅθεν καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται, ἀλλ᾽ ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. καὶ, μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ μνήμενος, ὅστις πολλὰ πάθη, καὶ πολλὰ ἔοργῃ: *vnde & hoc dictum est: Iucundum est, postquam saluus fueris, recordari laborum. atque etiam: Lætatur vir post labores, cùm multa tulisse, & multa gessisse recordetur.* A duplici fonte duplicem Aristoteles hausit sententiam. Primam ab Euripide, cuius sententiam hanc citant Plutarchus lib. 2. sympos. & Macrobius 7. Satur. cap. 2. ὡς ἡδύ τι τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων: *quàm dulce est seruatum meminisse malorum.* Alteram ab Homero Odyss. 15. cuius hæc sunt:

Κήδεσιν ἀλλήλων τερπώμεθα λευγαλέοισι
Μνωομένω. μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ,
Ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ, καὶ πόλλ᾽ ἐπαληθῇ:
Doloribus ad inuicem delectemur tristibus
Recordantes: vir enim inter dolores delectatur,
Quicunq; iam valde multa passus est, & multa errauit.

Idem Odyss. 10. αἰεὶ ἄλης χαλεπῆς μεμνημένοι: *semper memores erroris duri.* & Odyss. 12. τῶν μνήσεσθαι ὀΐω: *horum meminisse puto.* Achilles Alexand. lib. 8. *Præteritorum malorum commemoratio tantùm abest, vt, qui euasit, mœrore afficiat, vt etiam vehementer oblectet.* Seneca in Furente:

—quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est, fare casus horridos.

& Philosophus epist. 79. *Quod acerbum fuit, retulisse iucundum est.* Omitto loca quæpiam Tullij de eadem re aliis obseruata. Roges, cur iucunda memoria præteritorum malorum? deinde cur Poëta, cùm ista sint vera, addat *forsan*? Primo satisfacit Aristoteles. 1. Rhetor. Vbi, post adducta verba, ita subiicit, τούτου δ᾽ αἴτιον, ὅτι ἡδὺ, καὶ τὸ μὴ ἔχειν κακόν: *Huius autem causa est, quia iucundum est malum iam non habere.* Nam qui commemorant, iam carent malo, aliter non commemorarent præterita, sed dolerent de præsentibus. Ab Aristotele sumpsit Seneca epist. 79. ibi enim, post

A sententiam iam adductam, ita statim: *naturale est mali sui fine gaudere.* Eandem rationem satis indicat Plutarchus lib. 1. sympos. nam postquam locum tractauit de malorum recordatione, ita absoluit, καὶ τρόπον τινὰ τοῦ λόγου τοῦ πράγματος ἀπολαύοντες, ἀπλήστως ἔχουσι τοῦ διηγεῖσθαι, καὶ μνημονεύειν: *ministerio sermonis quodammodo fruentes explere his narrandis, atque commemorationibus non possunt.* Vide etiam vt Virgilianam hanc sententiam expendat Orosius, lib. 4. cap. 1. Alterum facilem habet exitum. Præclarè addit *forsan.* non dubitat Æneas id verum esse, sed an aliquando nanciscantur Troiani occasionem, in qua lætentur, & in qua iam salui, possint παρεληλυθότων μνημονεύειν πόνων, vt loquitur Xenophon. 4. Anabas. id est: *meminisse præteritorum laborum.* Hoc enim ibi in volupta-

B te ponit Xenophon: nam cùm præmiserit, Græcos in diuersorio iucundissimè (μάλα ἡδέως) fuisse, subiicit iucunditatis huius rationem, quia videlicet τῶν παρεληλυθότων πόνων μνημονεύοντες.

7. PER VARIOS CASVS, &c.] Elegans sententia ad animum. Confligantur Troiani malis, ac dum venti obsistunt, dum sæuit mare, dum mille casus occurrunt, & mille discrimina; tunc tamen tendunt per tot aduersa in Latium, in regna, in sedes. Veritas ista mille symbolis hieroglyphicis indicatur. Pinge nauē (congruit hoc cum mente Poëtæ) cui tempestas ipsa salutem det, adducens illam ad portum: facem ceream inclinatam, tunc enim magis lucet, & ipsa virium amissione maiorem inuenit claritatem: lusoriam pilam fortiter ad solum adactam, altiùs e-

C nim surgit, quo maiori vi depressa in terram est: lyram pulsatam, quæ omnino sileret non percussa: calcatos flores, qui nisi iniuriam hanc passi, non spirarent gratum odorem: palmam, cui impositum pondus, nam tunc altiùs surgit. Hæc omnia nihil abeunt à mente Virgiliana. Ab Nostro Iustinus dixit lib. 3. *diúque per varios casus iactati.*

8. DISCRIMINA RERVM] Productio po[...]a. Nam hîc *rerum*, est, laborum, vt in hoc lib. *fessi [...]um.* Itaque, δὶς τὸ αὐτὸ, ait Passeratius, vt Cat[...]us epigram. 32. *casus periculorum.* vt Cicero, *cas[...] incommodorum, venia excusationis, culpa delicti.* [...] obseruatione pleni Poëtæ.

9. ILLIC FAS REGNA [...] SVRGERE TROIÆ] Est

D hoc quod Ennius d[...] Annal.

—in Roma[...] [...]ixit.

Quod Propertius lib. 4. eleg. 1.

Dicam, Troia cades, & Troia Roma resurges.

Non abeunt verba Senecæ, ep. 91. *Multa ceciderunt, vt altiùs surgerent, & in maius.*

10. DVRATE, ET VOSMET, &c.] Habuit ante oculos illud Homericum 2. Il.

Τλῆτε φίλοι, καὶ μείνατ᾽ ἐπὶ χρόνον:
Tolerate amici, & perseuerate in tempus.

Ad rem est Plautinum illud Asin. *fortiter malum qui patitur, idem postpotitur bonum.* & Captiu. *& in re mala, animo si bono vtare, adiuuat.* Suetonius in Caio: *Sicut erant, loricatos monuit, vt discumberent, illo notissimo versu Virgilij, vt durarent & secundis se*

E *seruarent rebus.* Non hinc abeunt verba hæc Cyrilli in Micheam, τλησιπαθὴς ἔσω πρὸς τὰς ὠδῖνας, διακαρτέρει πρὸς τὰς λύπας, &c. Nec quæ Teucer suis militibus apud Horatium od. 7. lib. 1. nec quæ Nazianzenus orat. 23. hunc in modum. γενναιότατον γὰρ ἐκ τοῦ παθεῖν τὸ φιλόσοφον, ὥσπερ ψυχρῷ σίδηρος ἔμπυρος, οὕτω τοῖς κινδύνοις στομούμενον: *generosior redditur animus philosophi ipsa laborum tolerantia, firmatúrque periculis, vti ferrum candens frigida aspersione.* & orat. 38. ad rem eandem adducit fabulosam arborem, quæ cùm cæditur, viret: & statim de illa, — Laborum tolerantia.

θανάτῳ

θανάτῳ ζῇ, καὶ τομῇ φύεται, καὶ αὔξεται δαπανώμενον·
Morte viuit, sectione pullulat, consumpta crescit. Est hoc quod extra fabulam de ilice dixit Horatius,

Ilicis firmitas.

Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animúmque ferro.

Sic duratio perduratióque in laboribus facit hominem tolerantiorem. Cæterùm de verbo *duro* notanda verba Donati. In illud Adelph. Scen. 2. Act. 4.

A *Non Hercule hic quisquam durare potest*, ita ait: *Plus est quàm permanere: & hoc verbum perferendis malis conuenit.* Ex hac notione Ouidius. 3. Amor. eleg. 10.

His, & quæ taceo, durabo sæpe ferendis. Vbi absolutè *durabo*: vt & Virgilius *durate*. Non abit nota Læuini in illud Horatij od. 14. lib. 1. *Vix durare carinæ Possint.* Lege illum. Seneca etiam Rhetor. Controu. 11. dixit. *Anime dura, heri fortior eras.*

[a] Talia voce refert, curísque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
[b] Illi se prædæ accingunt dapibúsque futuris:
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.
[c] Pars in frusta secant, verubúsque trementia figunt,
Littore ahena locant alij, flammásque ministrant.
Tum victu reuocant vires, fusíque per herbam
Implentur veteris Bacchi, pinguísque ferinæ.
[d] Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ,
Amissos longo socios sermone requirunt,
Spémque metúmque inter dubij, seu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
[e] Præcipuè pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci, fortémque Gyan fortémque Cloanthum.

ARGVMENTVM.

Post orationem Æneæ milites iam alacriores, accingunt se parandis ad escam cibis, quibus deinde reficiun[illegible], virésque recuperant. Post epulas studiosè omnes incla[illegible]nt socios, qui fuerant tempestate abrepti: Æneæ in pr[illegible]s pietas spectatur, auditur gemitus.

EXPLICATIO.

[a] HÆc *voce* [illegible] ferebat Æneas, sed aliud habebat *corde*, nim[illegible] *dolorem altū*, id est, profundum. Hunc itaque *pr[illegible]t*, & *æger curis ingentibus mulat vultu spem*, id est, hil[illegible] qua suos milites confirmat. Traduci h[illegible] possunt ad mores principum, qui sæpe debent vultu lætitiam præferre, etiam si animo mœrorem habeant. Quod cùm sæpe necessarium, nusquam magis quàm in bello. Accidit enim non semel, exercitum prope victum ad gloriam victoriæ peruenisse, sui solùm imperatoris vultu excitatum.

[b] Affectus diuersus poësin ornat. ergo post dolorem Æneæ, illiúsque animum exacerbatum, militum promptitudo inducitur in comparandis, quæ necessaria sunt ad cibos. Vide verò, vti mirificè studium illorum describat, promptámque operam viuidè ante oculos repræsentet. Itaque *Illi se prædæ accingunt*, qua voce alacritas indicatur; & *futuris dapibus* ceruorum *diripiunt costis tergora, nudant viscera.* D Quæ sint hîc *viscera* dicam in notis.

[c] Sequitur diuisio laboris in partem quadruplicem. *Pars secant* ceruos *in frusta, figúntque verubus.* frusta illa *trementia*, id est, adhuc palpitantia: *alij locant ahena* in *littore, ministrántque flammas.* Quo facto fruuntur labore suo, nam qui priùs *fessi rerum* iam nunc *victu vires reuocant*, atque ita *fusi per herbam* (vide hilaritatem) *implentur Bacchi* (signat meri copiam, ideo signatè *Bacchi* non vini) *implentur ferinæ*,

B id est, carnis ceruorum. Vtrunque cum elogio, nam vinum *vetus*, caro *pinguis*.

[d]. Omnia ex decoro, cuius hic vates semper retinentissimus. In conuiuio Didonis magnæ sunt moræ, vt quod sumptum ad indicandam magnificentiam. Longè aliter in hoc conuiuiolo, vt quod tantùm ad reparandas vires in summo rerum discrimine, ideo festinum & præproperum illud fuit. Ergo, *Postquam fames exempta est epulis*, postquam *mensæ remotæ* sunt, statim surgunt, statim *requirunt longo sermone amissos socios.* Non hoc obuiè, sed exquisitè dictum. Nam *longo* isto *sermone* innuit longas magnásque inclamationes, studij & anxietatis plenas. Sequitur, requirunt socios sermone *dubij inter spem, & metum.* quare inter spem? nam *dubij* sunt *seu* C *credant* illos *viuere.* quare inter metum? nam *dubij* sunt *seu credant* illos *pati extrema, nec vocatos iam exaudire.* Sententia integra est. Dubij sunt, an credant illos viuere, ideo spes; an credant mortuos, ac propterea illos vocatos, iam non posse exaudire, ideo metus. Itaque, cum spe timebant, cum timore sperabant.

[e]. Latet hîc ratio. Perinde ac si dicat, *Præcipuè Æneas gemit*, quia *pius*, & *gemit*, inquit, vt vir, vt heros, in quo non pueriles lacrymæ, sed virilis gemitus. Quid verò gemit? *casum Oronti*, pro Orontis, vt suprà, *immitis Achilli*, pro, Achillis. Cur verò hunc gemit? quia is bello *acer*, & strenuus. Pergit. Gemit etiam *casum Amyci.* Erat hic Bebrycius genere, quem (vt alios, qui Troiani non erant) summo consilio fingit tempestate abreptum, vt Troiani tantùm, ad quos fata pertinebant, regnum erigerent in Italia. Demum gemit *Lyci fata crudelia, Gyan, Cloanthum.* Apparéntque in medio gemitu elogia amicorum, quæ sint pro ratione.

NOTÆ.

1. SPEM VVLTV SIMVLAT, PREMIT ALTVM CORDE DOLOREM] Est hoc quod Tacitus dixit

dixit lib. 15. Annal. *metu abstruso, mitiora obtendens,* quod Noster alibi:

—spem fronte serenat. Quod Cæcilius,

Fronte hilaro (sic legendum) *corde tristi.* Quod sacræ litteræ, de Esther. cap. 15. *ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum,* quod Ammianus lib. 21. *ad serenitatis speciem fiduciæ vultu formato.* Quod Pindarus od. 6. Olymp. ἐν θυμῷ πιέσαις χόλον· *comprimens iram in animo.* Quod idem od. 4. Pyth.

Κλέπτων θυμῷ δεῖμα·
Occultans animo metum.

Quod Homerus de Iunone Il. 15.

—ἡ δ' ἐγέλασσε
Χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν
Ἰάνθη.
Illa quidem risit labiis, non tamen frons in superciliis nigris exhilarata est

Quod Theocritus εἰδ. 1. de Venere γελάοισα, *ridens,* βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα· *sed grauem habens, & mæstum animum.* Ad eundem affectum explicandum vtitur Cicero. 7. ad Attic. verbo φαινοπροσωπέω. quod est vultu ac fronte hilaritatem præfero, cùm aliud in animo habeam. Non abeunt versus plusculi Paulini ad Ausonium conantis semper tristitiam tegere, & vultu lætitiam ostentare. Sic illi habent.

—ipso te lædere vultu
Semper & incauta timui violare figura.
Cùmque tua accessi venerans, mea cautiùs ora
Composui, & læto formaui lumine frontem,
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctum suspicio falsa parentem.

Liuius quoque lib. 42. dixit: *in aduersis vultum secundæ fortunæ gerere.* Iustinus loquens de Didone reprimente iras conceptas in fratrem Pygmalionem *dissimulato odio, mitigatóque vultu.* Quintilian. declam. 268. *fictam frontem.* Nazianzenus epist. ad Basilium ait, qui exhibent in vultu affectum alium ab eo, quem habent, vti illos τινὶ προσωπείῳ, *larua quadam.* De hac affectuum simulatione ad permouendos aliorum animos præclarus est locus Senecæ lib. 2. de Ir. c. 17. *Histriones in pronuntiando non irati populum mouent, sed iratum bene agentes. Et apud iudices itaque, & in concione, & vbicumque alieni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt, modò iram, modò metum, modò misericordiam, vt aliis incutiamus, ipsi simulabimus. Et sæpe id, quod veri affectus non effecissent, effecit imitatio affectuum.*

Decipio.

2 DERIPIVNT] Sic legit Turneb. lib. 12. c. 12. & Gifanius in Lucret. probat auctoritate Tibullij, Statij, Lucretij. Adumbrat Poëta in hoc apparatu locum Homeri. 1. Il. Vide vti Scaliger expendat Poëtam, & comparet. Omitto, quia iam alij. Non abeunt descriptiones Plautinæ in Captiu.

Adueniens deturbauit totum cum carne carnarium,
Arripuit gladium, prætruncauit tribus tergoribus glandia,
Aulas calicésque omnes confregit.

Paulò antè parasitus loquens bellissimam descriptionem infert, ab eo loco, *Dij immortales,* &c. quam nemo dubitet præferre Homericæ. est in Euthydemo Platonis similis, etiamsi breuis, hypotyposis.

Viscera, quid.

3 VISCERA NVDANT] Sunt viscera, vel exta, vt iecur, lien, &c. vel potiùs quicquid carnium est inter cutem, & ossa. Extremum hoc Seruius accipit, cui hæreo. vt sententia sit, *viscera nudant,* id est, excoriant, & Græci, ἔδειραν. hoc enim vsus Homerus est. itaque Poëta exhibet κρεανομεῖν, & κρεανομίαν.

Veru ex Romana militia.

4 VERVBVS] Aptè Poëta, & ex militia Romana verua dat militibus Æneæ. In Romana enim militia *veruum* mentionem inueniri duplici testimonio Lipsius astruit lib. 5. de Milit. Romana Appiani, & Polyæni. Vterque enim loquens de Scipione, dat militibus ollam, veru, poculum. A Polluce lib. 1. in apparatu sacrorum numerantur ὀβελοί.

Ahena, ad quem vsum.

5 LITTORE AHENA LOCANT] Putant multi hæc fuisse ad elixandas carnes. Non probo. Assas tantùm dat Poëta in verubus. Sequor Seruium ita explicantem & Robortellum ita amplectentem. Parabantur tantùm ahena, vt se lauarent ante epulas, idque è more veterum, quem alibi firmo: non ad elixationem. Non ideo probo sententiam Seruij asserentis heroicis temporibus carnes non elixatas: nam in hoc falsus fortasse, de qua re vide Iosephum Castal. in variis lectionibus. Falsus quoque Robortellus, qui ait veteribus non elixatas carnes, sed quia Poëta semper ab elixis abstinuit, vt dicam alibi. Vnum excipio conuiuium Didonis, in quo etiam si nulla sit mentio elixorum, hæc tamen apposita crediderim. nam illud exhibitum est ad ostentandam hilaritatem, splendorémque regium. Aliàs semper Poëta abstinet ab his deliciis, hærens Homero, de quo Plato, & Athenæus obseruarunt, ille lib. 3. de Rep. hic lib. 1. Dipnos. dedisse semper suis heroibus assas carnes, non elixas. Ratio Platonis est, quia faciliùs assa quàm elixa parabantur: ratio Athenæi, vt ita reuocaremur ab inordinatis cupiditatibus, quæ inesse putabantur in elixis. Adiungo vtrique, assa illa heroici æui, quæ tantopere celebrata, fuisse, vt plurimùm, meros pisces, non carnes alias. Tum quia pisces tenui precio erant parabiles, nam illo æuo in nullo pene habebantur: tum quia assa Græci ὀπτὰ dicunt. inde ὀψωνεῖν, & Latini *opsonare* & *opsonium,* quæ voces primaria significatione dictæ de piscibus. quia isti heroicis temporibus vnicum condimentum. Hinc se aperiunt auctorum loca non pauca, vbi post vocem *opsonij* infertur mentio piscium, non esus alius. In Apuleio multa sunt loca quibus ab hac nota iam lucem dedit Florens Christianus in Notis ad Irenam Aristophanis.

Assa in conuiuiis heroum.

Opsonium de piscibus.

6 VICTV REVOCANT VIRES] Lucretius,

Præterea capitur cibus, vt [illegible] artus,
Et vires recreet.

& Homerus ἄλφιτα vocat μυελὸν ἀνδρῶν, *medullam hominum.* Inde etiam Græcis εὐωχία, [illegible] ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν. Habent enim se meliùs vires corporis post refectionem. Scio, Athenæum ducere ὀχίαν ἀπὸ τῆς ὀχῆς, id est, *à cibo.* Sed inclino in ea, quæ priùs dixi. nam ex Eustathio, Clemente, Xenophonte, aliísque εὐωχίαν referendam esse ad lætitiam, iam alij satis indicarunt, ducentes à vocibus εὖ, & ἔχειν, vt sit εὐωχία, quasi, εὐεχία.

Vinum vetus.

7 VETERIS BACCHI] Nam vinum à vetustate commendatur. Tertul. lib. de pœnit. *senectutem vini* dixit. Ouidius. 2. Art. *annosum,* & *auitum.* Noster, & Plautus, *vetus.* Extremus lepidè in Pœnul. *vetustate edentulum,* loquens de vino. Homerus, Eustathius, & Græci alij παλαιόν. Athenæus lib. 1. παλαιούμενον. Apud eundem lib. 2. Alex. superlatiuo gradu, παλαιότατον. Græci quoque καπνίαν dicunt pro vino optimo, quasi dicas *fumosum.* Quò proculdubio respexit Horatius, nam laudans vinum,

Amphoræ fumum bibere institutæ.

Scio καπνίαν esse etiam vinum euanidum. Vtranque vocis notionem suppeditat Scholiastes Aristophan. in Vespis, vbi καπνίαν explicat & οἶνον ὑπεκλυόμενον, & ἀπόθετον καὶ παλαιόν· Romani præter iã indicata, recurrũt sæpe ad Consules, explicantes vinum vetus per Consules veteres. In his sunt Tibul. lib. 2. Ouidius 2. Art. Horatius

ratius non semel. Seneca ad cuiusque ætatem recurrit de vit. Beat. c. 17. *Cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur?* Vtilitatē porro vini veteris reperies in Athen. lib. 1. vtilitatem cùm iucunditate in Eustathio lib. 2. Odyss. Laudes luculentas in Plauto, vt cùm ait Curculione:

—omnium vnguentorum odor præ tuo nausea est:
Tu mihi stacte, tu cinamomum, tu rosa,
Tu crocum, & cassia es, tu bdelium: nam vbi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.

Sunt qui per vini florem intelligant vinum vetus, vt cùm Philostratus in epist. ὁ οἶνος ὡς ἄνθος, sed hoc vulgare est.

8. Pingvisqve ferinæ.] Pertinet attributum ad commēdationem epularum. ita Catull. in Nuptial. *pingues mensas.* & Eubulus apud Ath. lib. 2. agnorum pinguia pectuscula, παχέα. idem Ath. lib. 9. ἄλλοι δὲ καὶ πολλὰ ζῶα ὄπτ' ἔχοιτες. Est hæc commendatio à succo.

Ferina. Ita verò dictum à Poëta *ferinæ*, vt ab aliis suilla, bubula, caprina, & subauditur, caro. & Sallust. in Iugurth. *ferina vescebantur.* In verbis speciem oppositionis inuenio. Vino enim *veteri* opponitur caro *pinguis*, ac perinde recēns mortua. Carnes enim iam diu asseruatæ, & sale paratæ, aut alio quouis condimento, pingues non sunt. B

9. Postqvam exempta fames, &c.] Adumbrat Homerum, Odyss. 12.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
Μνησάμενοι δὴ ἔπειτα φίλους ἔκλαιον ἑταίρους:
Sed postquam potus & cibi cupiditatem ademerunt,
Recordati deinde charos fleuerunt socios.

Famem eximi Plutarchus lib. Sympos. dixit, verbo παύεσθαι. vt & Hippocrates lib. de Flatib. παύει λιμὸν. & in Aphoris. flexu alio, λιμὸν θώρηξις λύει. *Potio vini soluit famem*, Pollux lib. 6. præpositionem addit, διαλύσαι τὸ συμπόσιον. Sed redeo ad primum. Eo etiam vtitur Antiphanes apud Athen. lib. 1. δεῖπνοις τὸ πεινῆν παύει: *cœna famem placat.* atque Aristophanes in Irena, ἐπέπαυλαι τῆς ᾠδῆς. Poëta lib. 8. *amor compressus edendi*, miro flexu. Lucanus 10. ita: C

Postquam epulis, Bacchóque modum lassata voluptas
Imposuit. Egesipp. Apollon. 3. Excid. Hieros. *epulæque famem vicere pa*[...]. Quo verbo vsus quoque Sedulius lib. 4.

Postquam victa fames, & [...] *exere relictis*
Rite toris. Nonnus lib. [...]

Εἰλαπίνης ἀπέθεντο πόθον κεκορηότι θυμῷ:
Conuiuij desiderium deponebant satiato animo.

Seneca ad Heluiam, *famem sedare.*

Mensam removere. 10. Mensæqve remotæ.] Virgilius bis dixit in hoc libro *mensas remouere.* Ouidio placuit *ponere*, Plinio *tollere*, Plauto *auferre*. Primus 3. Art. D

Nec somno tutum est posita succumbere mensa.

Alter lib. 28. *bibente conuiua, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum iudicatur.* Tertius in Trucul. *auferre mensam amabo.* & Amph. *mensa ablata est.* Pergo ad Græcos. Isti αἴρεσθαι, βαστάζεσθαι, αἴρεσθαι, ἀναιρεῖσθαι, ἀφαιρεῖσθαι. Primum vidi in Athen. lib. 1. αἴρεσθαι τὰς τραπέζας. Alterum in eodem lib. 5. τράπεζαι ἐβαστάζοντο. Quin Eustathius vtrunque coniunxit, vnum per alterum explicans, sic scribens: βαστάζεσθαι ἐλέγοντο αἱ τράπεζαι μετὰ τὴν δαῖτα, ὅ ἐστιν αἴρεσθαι: id est, *portari dicebantur mensæ post epulas, quod est tolli.* Tertium in interprete Aristophanis. ἔθος δ' ἦν ὁπότε μέλλοιεν τράπεζα αἱρεῖσθαι. Quartum in Plutarcho quæst. 64. διὰ τί τὴν τράπεζαν οὐκ εἴων ἀναιρεῖσθαι κενήν; Quintū sæpè in Atheneo, Plutarcho & aliis. His omnibus opponunt Græci παραθεῖναι. & Plutarchus in conuiuio sapientium, παρακειμένης τραπέζης, dixit. His respondebit *apponere*, quo vsi Cicero, & Plautus. Ille ad Atticum, *hac scripsi* A *apposita secūda mensa.* hic in Pers. & Asin. *apponite mensam.* Dixi, παραθεῖναι, dici de mensa apposita, & verè, neque in hoc quisquam potest dubitare, vel minimùm Græcis instructus. Sic τὰ παρατιθέμενα, sunt fercula mensarum. Itaque in Plutarchi conuiuio, vbi legitur, παρατιθεισῶν τραπεζῶν, turbata est sententia, & legendum ἀφαιρεθεισῶν. & quidem interpres Xylander ibi *mensis remotis*, quod esse nequit si legas παρατιθεισῶν.

11. Amissos longo socios sermone reqvirvnt.] Visus mihi Horatius lib. 4. Od. 5. dilatare Virgilianam sententiam, cùm ait:

Vt mater, iuuenem, quem Notus invido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci detinet à domo:
Votis omnibus & precibus vocat,
Curuo nec faciem littore mouet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæsarem.

12. Spemqve metvmqve inter dvbii.] Duo affectus validissimi animorum, & sæpe coniuncti, vt apparet ex Virgilio hîc, ex Val. 7. Argon. Spes & metus, affectus validissimi.

—attonitos in mœnia vultus
Spéque metúque tenens.

Statio 6. Theb.

spes audáxque metus.

Propertio lib. 3. eleg. 17.

Spésque timórque animos versat vtroque modo.

Ouidio 3. Fast.

Sollicitæ mentes spéque metúque pauent.

Ammiano lib. 20. *inter spem metúmque iactabantur.* Sed cur ita sæpè coniuncti hi duo affectus? Rationē reddit Arist. 2. Rhetor. quia timore homines inducuntur ad consulendum, quod pertinet ad spem. Inde Horatius illustratur 1. epist. *qui cupiet metuet quoque.* & Virg. lib. 8. de Caco,

—pedibus timor addidit alas.

Quas alas, nisi spei, qua sperabat se fugiendo fore incolumem? Sed profero iam verba Aristotelis, ἀλλὰ δεῖ τινα ὑπεῖναι ἐλπίδα σωτηρίας, περὶ οὗ ἀγωνιῶσι. σημεῖον δὲ, ὁ γὰρ φόβος βουλευτικοὺς ποιεῖ, καί τοι οὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀνελπίστων: *Necesse est salutis spem subesse illius rei, pro qua luctentur, cuius signum est, quòd timor ad consulendum inducit, nemo enim de re consulit, de qua nulla spes apparet.* Donatus mirè vocat hos duos affectus *carnifices futurarum rerum*, in Terentium.

13. Sive extrema pati.] Est huic loco simile Ouidij distichon in epistola Laodamiæ ad Protesilaum:

Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris,
Siue (quod heu timeo) siue superstes eris.

Vterque vitam clarè dixit, nihil reformidans: Virgilius, *seu viuere:* Ouidius, *siue superstes eris.* Vterque mortem circuitu involuit, Virgilius *siue extrema pati:* Ouidius, *siue, quod heu timeo.*

14. Nec iam exavdire vocatos.] Hac forma verborum innuit illos fuisse mortuos. Nam *vocare pro sepultura habebatur*, ait Turnebus lib. 18. c. 32. Inde Ausonius de Deiphobo, Vocatio habita pro sepultura.

Nec tumulum ipse habeo, nisi quem mihi voce vocantis,
Et pius Æneas, & Maro composuit.

Idē Turn. lib. 26. c. 32. sic ait: *nec iā exaudire vocatos, id est, nec iam viuere.* Nā viuis (ait) sensus audiendi est, non mortuis. Inde sequitur Æneæ gemitus, videlicet pro mortuis. Germanus quoque ait hîc adludi ad morem antiquū, quo supremis exsequiis mortui conclamabantur. Nolui Turnebum prætermittere, sed ego hunc Mortuorum conclamatio.

hunc morem aliunde. Notant Didymus & Eustathius lib. 9. Odyss. ad illud, τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι, solitum veteribus, vt qui in peregrinis regionibus socios morte amitterent, defunctos vocarent, postea discederent. Qua facta vocatione credebantur mortui quodammodo in patriam terram ad patrios manes reuocari. quod pietatis officium vocant ψυχαγωγίαν. Eundem morem attingũt interpretes Pindari od. 4. Pyth. ad ea verba,

Κέλεται γὰρ ἑὰν
Ψυχὰν κομίσαι Φρύξος.
Iubet enim suam animam referre Phryxus.

Ioannes etiam Zetzes in historiis scribit, mortuos in alio loco quàm in suo, ter solitos inclamari (signatum verbum est, ἀνεκάλουν) à sociis, cuius rei testem Homerum producit, atque ita absoluit: τοῦτο δ' ἔδρων ὡς μνήμονες τυγχάνοντες φιλίας, καὶ ὡς εἰ ἀπελείφθη τις, πρὸς τὴν φωνὴν συνδράμοι: *faciebant hoc amicitiæ ergo, vt si quis derelictus esset, ad vocem accurreret.* Attingit quoque in heroicis Philostratus loquens de Achille mortuo, A οἰμωγὴ τῆς Θέτιδος διεφοίτα τὸν στρατὸν ἀνευφημούσης τε, καὶ τὸν υἱὸν βοώσης: *Thetidis vlulatus laudantis ac vocantis filiũ transibat per exercitum.* Attingit eundem morem loquens de Aiace Locrensi, vbi ait, Græcos conuersos ad mare, ἀνακαλεῖν αὐτὸν, καὶ ὀλοφύρεσθαι: *inclamare illum, & lugere.* Sed quid, si purè capiendus Poëta. Nam Varro lib. 5. ling. Latin. eadem locutione vsus est, cum nullo respectu ad rem mortuorum. verba eius: *vox ad conuentionem vocantis exaudiri posit.* Cæterùm ex more, quem aperui, natus alius, vt videlicet sepulchra mortuorum sæpissime visantur & celebrentur iuxta maris littora. Sepulcra ad maris littora. Cùm enim inclamatio ista fieret, vt plurimum, ad illos, qui vndis peribant naufragi, & ipsa haberetur pro sepultura, natum vt ibidem extrueretur tumulus. Firmat hunc morem Philostratus in Heroicis, vbi Aiacis tumulum facit mari adiacentem, vt etiam Palamedis. B

15. PRÆCIPVE PIVS ÆNEAS.] Ex hoc loco lineas suas Val. 5. Arg.

Præcipuè Æsonidem varios incerta per æstus
Mens rapit, vndantem curis, ac multa nouantem.

[a] Et iam finis erat, cùm Iuppiter æthere summo
Despiciens mare veliuolum terrásque iacentes,
Littoraq́; , & latos populos, [b] sic vertice cæli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.

ARGVMENTVM.

Inducitur Iuppiter omnia ex cælo contuens, mare, terras, littora, populos, & inprimis Africam.

EXPLICATIO.

[a] Parat Poëta nouam digressionem, quæ toti operi Æneidos conducit, vt in qua multa sunt de futura Romani imperij amplitudine, & clarissima posteritate Æneæ, quæ omnia tendunt ad Augusti laudem. *Et iam finis erat.* Libentius hoc refero ad tempestatẽ, quàm ad diem, aut sermonem, aut cœnã, vt dicat: Iam finis erat tam sæui mali, iam quieuerant Troiani à dira maris iactatione, cùm *Iuppiter* humanarum rerum sollicitus, *despiciens* ex *summo æthere*, principe loco, *mare veliuolum,* hoc (inquam) principe loco, vt quod Troianorum iter impediuerat. deinde *terras iacentes*, id est, vel in longum latúmque porrectas, vel ad discrimen aliorum elementorum, quæ cùm mobilia sint, & agitentur, vna tellus firma est, stabilis, iacens: vel *terras iacentes*, id est, humiles, cum respectu ad sublimitatem cæli. vel denique cum Acrone *inertes*. est enim iacere ac desidere, inertis, terra quippe inter elementa nullo motu agitatur. ita Horatius, *terram inertem*, dixit od. 4. li. 3. Sequitur, *littoraq́; & latos populos.* est veluti explicatio præcedentis. cur *littora?* quia *mare.* cur *populos latos?* quia *terras iacentes.* Quasi dicat, despexit è summo æthere mare cum littoribus, terras cum populis.

[b] Dicit, *sic vertice cæli Constitit*, quasi noua quædam & altissima cogitatio Iouem inuaserit de rebus Africanis, ideo *defixit lumina regnis Libyæ.* nam *defigo* specialem quandam & exquisitam curam signat. Ideo postea cum relatione ad hoc *tales iactantem pectore curas.* Potest etiam particula *sic* simpliciùs capi. vt dicat: *sic despiciens constitit in cæli vertice.*

NOTÆ.

1. CVM IVPPITER ÆTHERE SVMMO] Locum hunc illustrabis his, quæ dicam libr. 10. ad illud,

—terras vnde arduus omnes, &c.

Iam, cum. Notanda consecutio verborum, *iam*, *cùm*. Sallust. C Iugurth. *Iámque paulum à fuga aberant, cùm*, &c. Cæsar. 6. Gall. *iamq́; —bidui via aberant, cùm,* &c.

2. DESPICIENS.] Nota, vt Iouem antiqui rerum [illegible]mnium spectatorẽ fecerint, nam ad hanc potestatem videtur Poëta aspirare. Iuppiter spectator. Ad quam rem pertinet ve[illegible]rum fictio, cuius in Corinthiacis Pausanias me[illegible]nit, nimirum Iouem tres oculos habuisse, quò [illegible]cerneret, quæ in cælo, terris, & mari gererentur. [illegible]luc spectat ab Homero dici εὐρύοπα Ζῆν: *latè vi[illegible]tem Iouem.* Vide & in hunc locum interpretes [illegible] Natalem. 2. Mythol. atque etiam Pie[illegible]rsu ipso imitatio clara est Ennij, qui in Ph[illegible]nice:

Ibi tum derepent[illegible] in altum despexit mare.

Veliuolum mare. 3. VELIVOLVM.] Liuiu[illegible]Andronicus, citante Ma- D crob.

Tu qui permensus ponti maria alta veliuola.

Lucretius lib. 5. *Tum mare veliuolum florebat nauibus pandis.*

Naues veliuolæ. Datur & nauibus hoc attributum. Ennius apud Macrob.

Rapit ex alto naues veliuolas.

Ouidius 4. de Pont.

Et freta veliuolas non habitura rates.

Vetus Poëta apud Cicer. de Orat. *veliuolantibus nauibus.* Oppian. lib. 4. Cyn. λινοπτερύγων νεῶν. Quòd videlicet naues velis, tanquam alis, videantur volare. Sic 3. Æn.

Velorum pandimus alas.

Sed quare illud mari datur? an quia ipsę quoque vndæ celeritate remorum, & nauium rostris impellantur, E videantúrque similiter conuolare cum nauibus? Quod verosimilius est in procellis, quæ auulsæ ab vndis celerrimè iactantur. vel potes agnoscere hypallagen, vt attributum nauis detur mari. quia enim naues veliuolæ, ideo etiam mare veliuolum. Ad eum modum quo Catull. de Nupt. Pelei, loquens de naui Argo:

Illa

Iſta rudem curſu prima imbuit Amphitritem.
Non certè vnda rudis, ſed nauis ipſa: tamen, quod naui conueniebat, datum mari per hypallagen. Aliquis poſſet putare, ſic dictum mare, non à volo, volas: ſed à volo, vis, ad eum modum, quo Virgilius

—*amantes littora myrtos*,

vt mare amet, velítque naues. Iuuat mare dictum à Lucretio *nauigerum*. & Caſſiod. 7. Var. *veligerum mare*. videntur enim magis affinia, velle & gerere, quàm, volare & gerere. Niſi quis velit æquè referre ad *volo*,

A *vis*; & ad *volo*, *volas*, propter affinitatem harum vocum, dicente Varrone lib. 5. de Ling. Lat. *volo à voluntate dictum, & à volatu. quia animus ita eſt, vt puncto temporis peruolet, quò vult.*

4. VERTICE CÆLI] Simpliciter videtur mihi capiendus Poëta, & ad Homerum contendiſſe, qui aliquoties, ἐν κορυφῇ Ὀλύμπου. & Ilia 13. ἀπὸ κρατὸς Οὐλύμποιο. Si placet tamen, vide Cælium lib. 1. c. 12.

5. ET LIBYÆ DEFIXIT LVMINA REGNIS] Arnobius li. 4. ſic extulit: *ſi iecero plagam in occiduam lumina.*

[a] Atque illum tales iactantem pectore curas,
Triſtior, & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes
Alloquitur Venus [b]: ô qui res hominúmque Deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
[c] Quid meus Æneas in te committere tantum
Quid Troës potuêre? quibus tot funera paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
[d] Certè hinc Romanos olim voluentibus annis
Hinc fore ductores, reuocato à ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent
Pollicitus, QVÆ TE genitor ſententia vertit?
[e] Hoc equidem occaſum Troiæ, triſtéſque ruinas
Solabar, FATIS contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot caſibus actos
Inſequitur. QVEM DAS finem Rex magne laborum?

ARGVMENTVM.

Iouem de humanis rebus cogitantem Venus cum lacrymis inuadit, beneuolentiam illius colligit, querelas proponit, [illegible]gétque argumento ducto à promiſſis ipſius Iouis, qui Romanos imperatores rerum omnium potituros prædixerat, quo[illegible]equit excluſis Troianis ab Italia, ex quibus illi originem eſſe[illegible] ducturi.

EXPLICATIO.

[a] IOVEM itaque ta[illegible] curas iactantem pectore, Venus aggreditur pro imperio Romano ſollicita. C Verbum *iactantem* ſignat molem quandam cogitationum, vt grande aliquid, quod Iuppiter verſaret animo. Deſcribit verò habitum complorantis Veneris mira breuitate, dans illi in vultu triſtitiam, in oculis lacrymas, & *alloquitur*, mater videlicet pro filio.

[b] Ait igitur exordij loco, *ô* Iuppiter *qui regis res hominum*, *res Deorum æternis imperiis*, *& terres fulmine.* Quo exordio quid aptius ad Iouis gloriam, ad beneuolentiam colligendam? His enim paucis verbis vniuerſam Iouis poteſtatem includit. Nam vbi illius imperio vniuerſa ſunt ſubdita, tam hominum, quàm Deorum, quid amplius exſpectes? Hîc eſt *rego*, hîc *imperium*, & hoc *æternum*. Ad hæc *fulmen*, quo Iuppiter ſuam religionem ſancit. Adiunge oppoſitionem elegantiſſimam inter homines & Deos. Quaſi dicat: Regis res Deorum æternis imperiis, hominum fulmine. Dij enim nutu tantùm aguntur, homines minis. Particula *ô* indicat affectum, quem ego ſatis nequeo explicare.

[c] *Quid tantum*, id eſt, quid tam magnum *Æneas meus*, tuus ergo nepos, *potuit committere in te*: eſt enim

B pius & cultor numinum. *Quid Troës potuere?* qui nimirum victi? eſt hoc argumentum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. *quibus tot funera* terra maríque *paſſis clauditur cunctus orbis terrarum ob Italiam*. Mirè exaggerat odium Iunonis. quaſi dicat: Pelluntur toto orbe, ne ad vnam Italiam perueniant. Eſt *ob Italiam*, propter Italiam. Non placent, qui explicant, circum.

[d] Non oportebat loquentem cum Ioue alicuius numinis iuſiurandum accipere, ideò permodeſtè affirmans, tantùm ait *certè*. Quid verò affirmat? *Pollicitus* es ô Iuppiter *voluentibus ſe olim annis, Romanos ductores, hinc hinc futuros*, qui ſanè ductores *tenerent mare, ac terras omni ditione*, idque *reuocato*, id eſt, inſtaurato *Teucri ſanguine*. Id ſi verum eſt ô *genitor*, *quæ te* C *vertit ſententia?* Vocat Romanos *ductores*, quia rerum omnium potituri. Emphaticè repetit *hinc*, *hinc*, vt iterans oſtendat ex Troiano ſanguine, non aliunde futuram hanc inſtaurationem. Verſu illo, *Qui mare qui terras*, &c. complexus eſt vniuerſum Auguſti imperium, qui terra maríque latè dominatus. Illa, *quæ te genitor ſententia vertit*, nemo ſatis laudet. Vult arguere Iouem inconſtantiæ. ſed lenit hanc acerbitatem, tum vocans genitorem, quo illum allicit; tum reiiciens hanc culpam in alium, & quia Iunonem intelligit, non audet nominare, vt quæ vxor, & ſoror. Quid iſta ad Homericam Iunonem, quæ expoſtulans cum Ioue vocat δολομῆτιν, *doloſum*, aliàs *perfidum*, aliàs *periurum*. Clariùs eadem Venus in 10. vbi D patefactis iã inimicitiis ita ait: *cur nunc tua quiſquam*
Flectere iuſſa poteſt, aut cur noua condere fata?

[e] Grauis eſt dolor, qui præter exſpectationem cõtingit, hinc Venus conqueſtionem mouet. Ego (inquit) fata fatis compenſans, hoc vno euentu ſolabar occaſum Troiæ, ac ruinas triſtes illius florentiſſimæ vrbis. Sed *nunc* (agnoſce hic emphaſin) cùm ſperabam fore, vt tranquilla omnia eſſent, *fortuna eadem*, id eſt aduerſa, & ſui ſemper ſimilis *inſequitur viros*

actos tot casibus. Ergo *Rex magne, quem das finem laborum?* Inest in blanda hac interrogatione vis precationis. A

NOTÆ.

Pectus sedes curarũ.

1. PECTORE] Bene,nam hic curarum locus. Ita de Didone,

—tacitum viuit sub pectore vulnus.

& de Iunone suprà,

—æternum seruans sub pectore vulnus:

Noti illi versus,

—curámve leuasso
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa.

Catullus: B

Spinosas Erycina serens in pectore curas.

Plautus Captiu.

Quantò in pectore hanc rem meo magis voluto.

Lucanus lib. 1.

Vtq; ducem varias voluentem pectore curas
Conspexit.

Iterum in eodem libro,

—& tacito multos voluunt in pectore questus.

Senecæ in Oedip. animus placuit,

Curas reuoluit animus, & repetit metus.

Iouem ita cogitantem Seneca describit epist. 9. loquens de ipso Ioue, *acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus*, vtpote sapiens, nam de hoc statim, *in se reconditur, secum est.*

2. TRISTIOR] Ne puta poni hîc nomen comparans pro positiuo, quod bene aduertunt Nase. Corr. & Iul. Scal. de caus. ling. Latin. sed indicat affectum Veneris, quæ tristior esset, quàm aliàs soleret. Obseruant quoque Corr. & Germ. illam Deam tristem induci, quæ passim ab Homero dicitur φιλομειδὴς, vt, quod vult impetret. Sic 5. Æn. C

Venus φιλομειδὴς.

Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decoræ.

hic enim habitus pulchritudinem conciliat. inde in 12. Lauinia inducitur,

flagrantes perfusa genas.

& à Maria Magdalena hoc disticho,

Magdalis has inter vultus sublata decoros,
Rore madens, tenues dilacerata comas.

3. ET LACRYMIS OCULOS SUFFUSA NITENTES] Hic locus versabitur in imitatione. Considera, ita hanc Deam tristem induci, ita complorantem, vt nihil vile agnoscas, nihil degenerans à Venere; quin potiùs in ipsis lacrymis summam pulchritudinem. Ad hæc lacrymas fundit pro nato mater, quod decorum est. Nesciunt alij seruare modum: nam vel lasciuiunt luxuriántque oculi in fletu, vel ad vilitatem vsque deflentem pertrahunt. Apparebit res facta comparatione. Statius lib. 7. Baccho implorantí Iouem pro Thebis hunc habitum dat: D

Virgilius superat alios poëtas.

Purpureum tristi turbatus pectore vultum,
Non crines, non serta loco; dextrámque reliquit
Thyrsus, & intactæ ceciderunt cornibus vuæ.
Ergo vt erat lacrymis, lapsóque inhonorus amictu
Ante Iouem—Constitit, &c.

Luxurians procul dubio oratio, & quæ Bacchum deiicit, & vilem facit. Roma ab Sidonio Paneg. Auit. hoc habitu inducitur:

Cùm procul erecta cæli de parte trahebat
Pigros Roma gradus, curuato cornua collo
Ora ferens, pendent crines de vertice, tecti
Puluere, non galea: Clypeúsque impingitur ægris
Greßibus; & pondus, non terror fertur in hasta.

à Claudiano de bel. Gildon. isto expostulans cũ Ioue,

Vox tenuis, tardíque gradus oculíque iacentes:
Interiùs fugêre genæ, ieiuna lacertos
Exedit macies, humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum, laxata caßide prodit
Canitiem, plenámque trahit rubiginis hastam.
Attigit vt tandem cælum, genibúsque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœsta querelas.

Africa ab eodem Claudiano ita describitur:

Et contusa genas medijs apparet in Astris
Africa, rescissæ vestes, & spicea paßim
Serta iacent, lacero crinales vertice dentes,
Et fractum pendebat ebur: talíque superbas
Irrrupit clamore fores.

Ab Sidonio verò Paneg. ita.

—subitò flens Africa nigras
Procubuit lacerata genas, & cornua frontem
Iam malè fœcundas in vertice fregit aristas:
Et sic orsa loqui est.

Delectant hæc, non dubium, sed non æquant Maronem. Nec felicior fuit Homerus, qui Thetin sæpe deflentem inducit, non satis grauiter, & quod mirum est, Il. 24. viuente adhuc filio Achille, vestem mutat, illum vt fleat. De Pallade etiam, pro Vlysse, quem amat. 1. Odyss. δαίεται ἦτορ, quæ cruciatio non satis grauis. Opportuniùs itaque fletus datur tenerrimæ amorum Deæ. Sed Homerum iam Plato reprehendit.

4. ALLOQVITVR VENVS] Imitatur vel Næuium, vel Homerum. Primum, ex iudicio Macrobij, ita scribentis 6. Satur. cap. 2. *Venus apud Iouem queritur de periculis filij, & Iuppiter eam de futurorum posteritate solatur. Hic locus totus sumptus à Næuio est ex 1. lib. bel. Punici. Illic enim æquè Venus, Troianis tempestate laborantibus, cum Ioue queritur: & sequuntur verba Iouis filiam consolantis spe futurorum.* Alterum, ex multorum. Nam Thetis 1. Il. Iouem anxiè pro filio precatur. Sunt etiam, qui putent repræsentatum locum ex Odyss. Vbi Pallas Iouem aggreditur de Græcorum rebus cogitantem. Virgilianæ orationi hæsit Pet. Apollonius lib. 1. Excidij, vbi Virgo sanctissima [illegible] orans pro Hierosolymis. Adducam, vt P[illegible] simili conatu adspirent ad Virgilium: [illegible]

Illa Dei pedibus, solióque affusa trem[illegible]
Flebilibus sic orsa modis: [illegible]
Vt tua me iubeat pat[illegible] metuenda potestas,
Fas mihi pauca loqui[illegible] tum peperisse Tonantis
Est aliquid, fu[illegible] bis, hic sarcina menses
Grata nouem, [illegible] humorem pectore suxit
Virgineum, quæ te genitor [illegible] tentia vertit,
Et Dauidi iurata fides, dum perdere semen
Illius atque vna certum est delere ruina?

Quis neget, multo feliciùs potuisse ista condi? Subeat, quod iam monui sæpe, Virgilium ita omnia præoccupasse, vt vix alteri locus sit ad similem gloriam.

5. FVLMINE TERRES] Dicam de hoc 8. Æn. ad illud, *fulgores nunc terrificos.*

6. QVID MEVS ÆNEAS, &c.] Similis locus Tullij pro Milone: *Quod nam concepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi iudices, cùm illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi?* Similis Fabij declamatione. 279. *Quid igitur hæc ætas committere potuit tanta animaduersione dignum?* E

7. VOLVENTIBVS ANNIS] Notant Scaliger, Turnebus, Budæus, Germanus, sumi hîc præsens pro futuro. Græci dicunt, ἐνιαυτῶν ἐπιτελλομένων, περιπλομένων, περερχομένων, ἀνυομένων. auctores pete à Germano. Lucretius *Voluentia lustra.*

Participium pro participio.

8. REVOCATO A SANGVINE TEVCRI] Locum hunc præclarè excussit Corradus. *Reuocatus sanguis est*, renouatus, instauratus, ad eum modum, quo Ci-

mm

cero diceret, à morte ad vitam, à desperatione ad spem reuocare. Pergit Corradus. (adduco enim quia necessaria) Poëta cum de Teucro, & Dardano loquitur, ita solet distinguere, vt Teucrum generis Troiani, Dardanum vrbis Troianæ auctorem nominet. In 8.

Teucrus cōditor Troiani generis, Dardanus Troianæ vrbis.

Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & auctor. In 6.
Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.

Mox subiicit, Ilum, Assaracum. & absoluit
—& Troiæ Dardanus auctor.

Ad hunc modum, & alij. Lycophronis interpres: ἐβασίλευσε Τεῦκρος, ἀφ' οὗ καὶ Τεῦκροι οἱ ἥρωες: *Regnauit Teucrus, à quo Teucri heroes.* De Dardano verò Homer. 20. Il. κτίσε Δαρδανίην: *ædificauit Dardaniam.* Hinc est vt toties Poëta dicat sanguinem Teucri, numquam Dardani. Priùs enim Teucrus in ea loca venit, vbi deinde fuit Troia: mox Dardanus, qui Teucri vel sororem, vel filiam (diuersè sentiunt auctores) duxit, & Troiam condidit: cùm ante illum Teucri habita- A rent vallibus imis. Quæ hîc dicimus, necessaria sunt ad librum 3. sed hîc omitti non debuerunt, nec cui imponat Seruius, qui ait positum hoc loco *Teucrum* pro Dardano.

Seruij error.

9. QVÆ TE GENITOR SENTENTIA VERTIT] Aliquid habet hæc oratio coniunctum cum oratione Agamemnonis, lib. 2. vbi hic dux Iouem inconstantiæ arguit. Adi.

10. REPENDENS] Tractum volunt à veteri sæculo, in quo cùm pecunia signata non esset, quæ numeraretur solueretúrque, rude aurum appendi solebat. Ouidius in epist. inde etiam traxit sermonem, Rependo.

Ingenio formæ damna rependo meæ.

11. QVEM DAS FINEM REX MAGNE LABO- B RVM] Expressus fortasse Euripides in Alcestid.

ἰὼ Ζεῦ, τίς ἂν πῶς πόρος κακῶν
γένοιτο, καὶ λύσις τύχας;
Io Iuppiter, quæ ratio erit auertendi mali,
Quæ repulsio fortunæ?

a Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua sonanti.
b Hîc tamen ille vrbem Pataui, sedésque locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armáque fixit
Troïa: nunc placida compostus pace quiescit:
c Nos, tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
Nauibus (infandum) amissis vnîus ob iram
Prodimur, atque Italis longè disiungimur oris.
d HIC PIETATIS honos? sic nos in sceptra reponis?

ARGVMENTVM.

Argumento Antenoris, qui Troia ad Italiam peruenit, magnis laboribus [illegible] conatur Venus Iouis animum peruincere, vt Æneas, qui pius est, & ipsius Iouis nepos, Italia ne excludatur iracundia Iunonis.

EXPLICATIO.

a REM iam efficit argumento Antenoris à minori, qui multis difficultatibus superatis vrbem in Italia condidit. Ait itaque, *Antenor elapsus Achiuis medijs potuit superare sinus Illyricos, atque tutus superare regna intima Liburnorum, & fontem Timaui.* Considera ex his nonnulla. Non dictum, dimissus (ait Seruius) sed ad inuidiam *elapsus,* quò notet fugitiuum. & *potuit,* non, meruit, vt audaciam. & *Achiuis medijs,* vt difficultatem. eandem cùm ait *sinus,* non, sinum. & *tutus,* quod indebitum proditori. *regna intima,* verè, & ex historia: ait enim Liuius, Antenorem *venisse in intimum maris Adriatici sinum.* Quorum verò regna superauit? *Liburnorum,* qui erant pugnacissimi. Lucanus enim lib. 2. *Pugnacésque mari Graiorum classe Liburnos.* Vide quot incrementa orationis? sed restant plura. Potuit (inquit) superare fontem Timaui, *vnde,* id est, ex quo fonte, *it* Timauus ipse, *per nouem ora vasto montis murmure,* tanquam *mare proruptum, & premit arua sonanti pelago.* Vides, vti orationem auxerit narrans difficultates, quas Antenor peruicit, factus compos suorum votorum, quod nunquam contigit Æneæ. Hæc enim procul- C dubio mens Poëtæ, præsertim si consideres, nullum esse, aut certè exiguum fluuiolum Timauum, cui tamen dedit *nouem ora.* dixítque ex sonante fluuio vicinum montem immurmurare. & vocauit, non fluuium, sed *mare, & proruptum,* quo magnitudo fluminis indicetur, quod nullas agnoscit oras, nullas ripas, quibus per latera constringatur, arctetúrque, sed vtique prorumpit, proruit, diruítque omnia. Ideò postea se explicans *premit arua,* id est, populatur, vexat. Deerat profunditas, ideo *pelago;* deerat rapiditas, ideo *sonanti.*

b Dixit vnde exierit Antenor, quas superauerit difficultates: iam, quò peruenit. *Hîc tamen ille locauit Vrbem Pataui, sedésque Teucrorum,* quæ magna est felicitas. *& dedit nomen genti,* vocans à se vrbem Antenoream, *fixítque arma Troïa,* qua hactenus felicitate D Æneas caret. *nunc quiescit compositus pace placida.* Quantum est, in propria vrbe sepultum, vbi eius nomen, & memoria?

c Accommodat argumentum, quod tu dilata, si lubet, hunc in modum. Æneas tua est progenies, non Antenor: illi cælum debetur te annuente, non huic: ille amisit naues, hic nullam: ille tempestate iactatus est, hic tranquillo semper vento nauigauit: ille vnius ira vexatus tenere sedes nunquam potest, hic Diis approbantibus sedes inuenit: ille proditur, hic nullas insidias passus est: ille excluditur Italia, hic in eam admissus. Ab hac dilatatione, expende alia. *Nos tua progenies,* participat filij causam, quò Iouem efficacius moueat. Ex decoro Iouis *annuis,* nam ille nutu magis, quàm verbis loquitur. verbo *prodimur,* vehementer vulnerat Iunonem, quæ omnia dolosè &

proditoriè. Indicat in quo prodantur, cùm ait, *Nauibus amissis*, quibus tenendus cursus per maria, & quia, *longè disiungimur ab oris Italiæ*. Parenthesis (*infandum*,) cùm plena est indignationis, tum Iunonem lacerat, quæ fas omne, & religionem contemnat. Græci ἀπόῤῥητον.

d Mirus versus, in quo virus omne querelarum, nam quale est Iouem audire, In hoc honore & pretio apud te est pietas? Sed ita callidè omnia, vt cùm maximè pungat Iouem, maximè alliciat blanda quadam interrogatione, & ingenerante affectum misericordiæ. Sed quale illud, *sic nos in sceptra reponis?* Quasi dicat. Ita per naufragia & ruinas restituis regnum Troiæ, quod amisimus, imò quod reliquimus tuo nutu? hoc profectò innuit verbo illo *reponis*.

NOTÆ.

Antenor, an proditor?

1 ANTENOR] Sunt qui Antenorem faciant proditorem Troianæ vrbis. In his Dictys lib. 5. qui ait, iussu Priami iuisse ad Græcos cum mandato belli deponendi, illum tamen de prodenda patria cum illis consilium iniisse: & enarrator Lycophronis: nam huic dat accensam lucernam ad vocandos Danaos, & reclusionem equi lignei. Enarratoris verba. Ἀντήνωρ δὲ φανὸν ἀνάψων τοῖς Ἕλλησι, καὶ τὰ ὑπογάστελα τοῦ ἵππου ἀνοίγει. Sunt qui illum liberent ab hoc crimine, dicántque fuisse virum vitæ sanctitate, & morum grauitate notum. Inclinat in hanc partem Virgilius, qui *elapsum* ait, quo fuga innuitur, non pactum. Liuius tantùm ait, fuisse illum vnà cum Ænea auctorem pacis & reddendæ Helenæ.

2 SINVS] Signatè in plurali. Numerant Nascimbænus & Corradus multos sinus maris huius.

Liburni.

3 LIBVRNORVM] Sunt hi inter Istriam & Dalmatiam. Vide Plinium lib. 3. c. 22. Strabonem lib. 7. alios.

4 SVPERARE] Nauticus sermo, dicente Lucilio:

Promontorium remis superamus Mineruæ.

Nota est Seruij.

Timauus fluuius.

5 TIMAVI] Hîc mihi moræ aliquæ. Tam multa de hoc flumine produntur, vt fabulosum possis existimare, non aliter quàm Hydaspem, Indum, alios. Aperiam breuiter, quæ necessaria ad cognitionem Poëtæ in hoc tractu. Quæ dicturus sum, ad quinque capita reducam. In qua terrarum parte sit Timauus: quæ eius ora: quæ nomina: an inania omnia: demum quod illi vulgare nomen respondeat: In primis Paduam non Timauus, sed Medoacus alluit, vulgo Brenta. Apertè hoc Plinius qui lib. 3. cap. 18. Timauum in Carnorum regione constituit, quæ regio nihil ad Paduam. & Strabo lib. 5. qui illum ad Aquileiam constituit, de qua vrbe ἔξω δ' ἐστὶ τῶν Ἐνετικῶν ὅρων: *est extra Venetiæ fines*. atqui Padua est vrbs Venetorum florentissima. Mitto alios. Ergo, qui nunc vulgo *Brenta* dicitur, & olim *Medoacus*, fluuius est Paduæ, non Timauus. Secus sensit Blondus, quem docti omnes reprehendunt. Dalecampius in Plinium, Corradus in Virgilium, acerrimè omnium Franciscus Luysinus lib. 2. Parerg. cap. 8. Sed his non opus. nam clarè Plinius lib. 3. cap. 17. *in Aquileiensi Timauus*. Martialis lib. 4.

Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo.

Demum habet contra se Blondus, Candidum, Sabellicum, volaterranum. Primum lib. 1. Comment. Aquileiensium, alterum lib. 2. de Vetustate Aquileiæ, tertium lib. 5. comment. Qui auctores legat clarè cognoscet Timauum pertinere ad Carnos, Tergestinos, Euganeos. Neque verò Virgilius Blondo fauet, nam tantùm dicit superatum Timauum, vt eatur ad locum, vbi nunc est Padua. vide Goropium lib. 9. Orig. Pergo ad id, quod secundo mihi loco proposui. In quo nihil certum. Maro dat Timauo *nouem ora*. Nouem item Pomponius Mela, ipse *capita* vocat. Verba Melæ *interfluit Timauus, nouem capitibus exsurgens*. Martialis septem, lib. 5.

Eius ora.

Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,

Hîc vbi septenas Cyllarus hausit aquas.

Strabo etiam lib. 5. septem fontes, πηγὰς ἑπτὰ, assignat. Non desunt qui octo. Inde indefinitè Martialis lib. 8. *multifidum Timauum*. In hac ergo varietate Poëtæ placuit numerus nouenarius, qui sæpe sumitur pro incerto, & multiplici. Goropius hæc nouem ora refert ad plurimas scaturigines huius fluuij. Tertium erat de nominibus. Multi, in his Plinius, lib. 3. cap. 18. fluuium nominant: fontem, Strabo, & Virgilius: lacum, Liuius lib. 41. *Profectus* (inquit) *ab Aquileia Consul, castra ad lacum Timaui posuit.* Vocatur *mare* à Varrone citante Seruio. Inde hîc Virgilius *mare proruptum, & pelago sonanti*. Quin Polybius apud Strabon. auctor est, vocari πηγὴν, καὶ μητέρα θαλάττης, *fontem & matrem maris*. Et quidem ex explicatione Corradi, cùm Poëta *fontem Timaui* dicit, non tam intelligit exortum fluminis, quàm verè flumen ipsum. quem tamen fontem appellat, quia Timauus, vt docet Plinius, iam mergitur, iam erumpit, & ita crebros facit fontes, vt potiùs fons esse, quàm fluuius videatur. Sed certum est in auctoribus hoc nomine signari exortum fluminum. Liuius lib. 38. *ad Lyci fluminis fontes*. Iterum *ad Mæandri fontes*. Myrsilus Lesbius de Orig. Ital. & Tyrrhen. *à fontibus vsque ad*, &c. loquitur de Tiberi. & Cato de Originib. *ab Istri ostiis ad eius fontes*. Quartum erat, an omnia ista inania, cùm hic tam magnus vastúsque fluuius nullibi sit terrarum: Veteres omnes illius meminerunt, nostri vix inueniunt. Et quidem in toto tractu Carnorum, Tergestinorum, Euganeorum, neque ad Aquileiam, imo nec vllibi terrarum talis est fluuius, præterquam fluuiolus quidam ignobilis, potiùs riuulus in regione Carnorum, qui adhuc retinet nomen Timaui, & peruius est pedibus, quod scribit Ioachimus Vadianus, diligens locorum perlustrator, & doctissimus cosmographus, qui præsentibus oculis totam illam oram lustrauit, & nihil reperit, nisi prædictum riuulum. Idem fermè scribit Barnandinus Scarbeonius Patauinus lib. 1. classe 1. de rebus Patauij. Dixi fermè: nam aliquid grandius illi dat, quàm Vadianus. Rem in dubium vocat And. Resendius his versibus, *Dulce foret*, &c. & post aliqua,

An sit vsquam.

Littoréque Euganeo peruestigare Timaui

Ostia num maneant, exstent num montibus illis

Fluminis ora nouem dio celebrata Maroni.

An magnum vsque adeo tellus absorserit amnem,

Vt ne parua quidem superent vestigia, quantas

Voluerit vndarum vasto cum murmure moles.

Hortensius ait, cùm fluuiis sint ortus, & interitus, Timauum iam interiisse. Quæ sententia astrui ex Plutarcho potest lib. de oracul. defectu, ita scribente. λιμνῶν τε γὰρ γεγόνασι, καὶ ποταμῶν, ἔτι δὲ πλείονες ναμάτων θερμῶν, ὅπου μὲν ἐκλείψεις καὶ φθοραὶ παντάπασιν, ὅπου δ' οἷον ἀποδράσεις, καὶ καταδύσεις: *Nam & lacus, & amnes ac frequentiùs thermæ quibusdam in locis defecerunt, ac omnino euanuerunt; in alijs quasi subterfugerunt, ac delituerunt*. Vadianum euerrunt illi, qui nostra fere memoria, certè patrum, aut auorum scripserunt, qui ita de Timauo loquuntur, tanquam hodie videatur, tranetúrque ea magnitudine, quantam veteres dederunt. In his Goropius lib. 9. Orig. Antuerp. Ex his

difficul

A difficultatibus oritur demum, vt parum constet, quod non vulgare nomen huic fluuio respondeat. Leander & Ortellius dicunt dici hodie Timauum. Niger eum *Larechia* nominat.alij satis ineptè dicunt esse eum,qui nunc *Taiamento* dicitur, aut *Taglimento*,Latinè *Tillauentum*. Vide Pauli Pintij de hoc fluuio peculiare opusculum. Ego puto esse eum, qui hodie vulgo dicitur *Timauo* in regione Carnorum, éstque paruus fluuius. Itaque hæreo Vadiano,Hortensio,Scarbeonio, & dico, Poëtam aut sequutum opinionem antiquorum in re minùs nota,aut de fabuloso fluuio fabulam quoque dedisse.Absolui quæ promiseram, si tantùm addam quidpiam de etymo. Putat Becanus Timauum patria lingua esse portum decorum. Certè Strabo loquens de hoc fluuio lib.5. ita ait, λιμένα γὰρ ἔχει, καὶ ἄλσος ἐκπρεπές: *habet portum & lucum perquam pulchrum.*

B 6 ORA] Martialis quoque: *ora Timaui.*

Fluuij dicũtur maria. 7 IT MARE PRORVPTVM] Turnebus vult hoc dictum Græcorum imitatione, qui fluuios solent mare appellare. Nam Nicander in Ther. ποταμοῖο-ὃν πόντον καλέουσι. Adiungo Herodianum qui li. 8. loquens de paludibus Eridani. ἔνθεν καὶ τῇ φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην· *Itaque indigenæ patria lingua paludem illam, septem maria appellant.* Est etiam lib. 4. epig. distichon. quo inducitur Strymon fluuius ita loquens,

Εἰμὶ μὲν ἐν ποταμοῖς, πελάγει δ' ἶσα μέτρα διώκω.
Στρυμών, Ἠμαθίης τὸ γλυκερὸν πέλαγος.

Ait se, cùm sit fluuius, parem esse mari, imò mari dulci Macedoniæ. & Nonn. qui lib. 5. Dionys. χεῦμα ὠκεανοῖο. Pollux lib. 3. ποταμοὶ ἰσομέτρητοι θαλάττῃ. Malè explicat locum Virgilij Nebrissensis. Scripsi *promptum* secutus Turnebum, Pomponium Sabinum, Henr. Stephanum, Germanum, Corradum, & Seruium. Sunt qui præferant *præruptum*. non placent.

C Pelagus. 8 PELAGO] Notatur profunditas fluminis. Suidæ πελαγίζειν est, *altum tenere.* Ad rem pertinet testimonium Herodiani adductum, nam πελάγη ait etiam de fluuio, & versus epigrammatis. nec non Herodotus lib. 2. qui etiam de Nilo πέλαγος. De eodem Nilo Basilius homil. 5. [illegible] πελαγίζῃ.

9 HIC TAMEN] Non vult Luysinus lib. 2. parer. c. 8. scribi *hîc* sed *hic*, vt sit pronomen, vt dicat *hic ille Antenor.* Vt Demosthenes [illegible] ἐκεῖνος. aduocat etiam verba quæpiam Quintiliani. Sed quidem ad tuendam sententiam, quam ille defendit contra Blondum, nihil nocet, legi etiam *hîc* aduerbialiter. iam suprà explicui.

Antenor an conditor Pataui. 10 VRBEM PATAVI] Græcorum hoc. qui *virtus Herculis*, pro Hercule. & infrà, *vrbem Lauini*, pro Lauinio. De hoc alibi. Roges Patauiúmne Antenor condidit? Hanc rem multis firmatam, & antiquitate creditam, & proditam à Seneca in lib. ad Heluiam,in dubium potest reuocare Goropij auctoritas, qui lib. 9. Origin. id negat, & Virgilium ait secutum vulgi opinionem. Certè Dictys,lib.5. aliam, quàm Paduam, conditam ait ab Antenore, ille nominat Corcyrem Melenam. Liuius quoque Patauij numquam meminit loquens de Antenore: Neque Antenoris Cato loquens de Patauio, tametsi non dubium, quin illum intelligat, cùm lib. de Orig. ait: *Mista his (Venetis) nobilis stirps Troiana, à quibus Patauium suo conditore inclytum.*

Patauium vnde dictũ. 11 GENTI NOMEN DEDIT] Vocans videlicet Antenoridas. Nam Patauium dictum postea à successu. Ferunt enim datum augurium Antenori, vt sedes figeret, vbi ipse sagitta auem peteret, inde *Patauium* dictum, quasi *Petauium*. Alij alias adducunt etymologias.

12 ARMAQVE FIXIT TROIA] Illustro hoc. 3. Æn.ad illud

Ære cauo clypeum magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.

Arma figere. Hîc tantùm obiter scias, *arma figere* non esse securum viuere, vt nonnulli: sed verè affixa & suspensa arma, in quibus Antenoris res gestæ aliquo carmine celebratæ essent, præeunte Virgilio ipso, qui in. 3. clypeum Abantis suspendit cum elogio. Messala etiam ad Valentinianum sic scripsit, citante Pomponio Sabino: *arma in templis fixit Antenor.*

13 COMPOSTVS PACE QVIESCIT] Sapor aliquis ad Lucretium lib. 6.

Sed quia tute tibi placida cum pace quietos.

Verbum *compono* ad defunctos pertinet alibi.

14 NAVIBVS AMISSIS] Verè. Nam non vna tantùm amissa,fidum quæ vehebat Orontem, quantumuis hoc alij dicant. sed aliæ. Vbi enim est nauis Amyci? vbi aliorum? scio aliquas alio cursu appulisse Carthaginem. Sed omnes, si numeres, viginti non fuerunt, quibus Æneas Troia soluerat. Quid quòd sententia Veneris potest accipi non solùm de hac tempestate, sed de aliis casibus, quos passi Troiani, longissimo nauigationis & cursu, & tempore? Nam septennio vnam tantùm desideratam, quis credat?

D 15 HIC PIETATIS HONOS,&c.] Similis conquestio apud Ouidium.2.Met.

—hunc fertilitatis honorem
Officijque refers.

& apud Plautum Rudent. *Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam.*

[a] Olli subridens hominum sator, atque Deorum,
Vultu, quo cælum tempestatésque serenat,
Oscula libauit natæ: dehinc talia fatur.
[b] Parce metu Cytherea: MANENT immota tuorum
Fata tibi: cernes vrbem, & promissa Lauini
Mœnia, sublimémque feres ad sidera cæli
Magnanimum Aenean. NEQVE me sententia vertit.

E

ARGVMENTVM.

Iuppiter placidum se Veneri præbet, illam osculatus, deinde sequentis orationis exordium constituit. quo fata immota fore, Lauini vrbem construendam, Æneæ apotheosin promittit.

EXPLICATIO.

[a] PRæbet se Iuppiter Veneri placidum, nam *subridens illi, vultu* illo, *quo cælum serenat, quo tempestates, libauit natæ oscula.* Vox *subridens* temperatum risum, non effusum indicat, ex decoro Iouis. & subridet

ſubridet illi, vt triſtitiam adimat, qua acceſſerat cum lacrymis. & ſubridet, quia ad Venerem φιλομειδὴς. Ac nequis in illo mollitiem arguat, qui Venerem deoſculetur, lenit mirè, cùm ait, *libauit*, vbi leuiſſimum oſculum, neque cum mora, ſignat. Si hoc non ſatis, *natæ*. etenim filiam accipi oſculo, quis reprehendat? Quin ait Seruius, oſculum religionis eſſe, ſicut ſuauium voluptatis. & Donat in Eunuchum, Terent. ait oſcula eſſe officiorum, ſuauia libidinum, baſia pudicorum affectuum. Vide quot excuſationes. Præmiſſa iam ſignificatione amoris, *dehinc talia fatur.* Fuit illa ſignificatio neceſſaria ad Veneris animum confirmandum. A

b Primò illi metum adimit. Eſt, *parce metu*, abiice metum. Dixerat Venus: *Certè hinc Romanos*, &c. Reſpondet Iuppiter, *manent tibi tuorum fata immota.* Expende, *manent*, & *immota*, & *tibi*. Verba ſignata ad infigendam certam ſpem in animum Veneris. Pergit. Quare fata hæc immota? quia, *cernes vrbem Lauini, & promiſſa mœnia.* diluit quippe illud, B

Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.

Quaſi dicat. Non ſolùm attinget Italiam, ſed condet ibi vrbem. Demum, quia illa dixerat, *cæli quibus annuis arces*, ait Iuppiter, *ſublimémque feres ad ſidera cæli, Magnanimum Ænean.* Et feres, nam gratius hoc eſſet, ſi per illam fieret, ait Seruius. Hæc ſi accident, vt verè accident, *non me vllius ſententia vertit.* C

NOTÆ.

Olli.

1 OLLI] Grauius, quàm *illi*. Cicero quoque *ollos ollis*. Adde aptiùs, *olli* ad ſignandum os deductum riſu.

2 HOMINVM SATOR, ATQVE DEORVM] Verſum hunc in 11. Illuſtrabo. Reſpondet verò hîc illi Veneris. *O qui res hominúmque Deûmque*, &c.

3 VVLTV QVO CÆLVM TEMPESTATESQVE SERENAT] Alluſum (monente Seruio) ad Ennium:

Iuppiter his riſit, tempeſtatéſque ſerenæ
Riſerunt omnes riſu Iouis omnipotentis. D

Simile quiddam de Ioue Homer. 17. Il.

Αὐτίκα δ᾽ ἠέρα μὲν σκέδασεν, καὶ ἀπεῦσεν ὀμίχλην·
Diſperſit ſtatim caliginem, & amouit nebulam.

Inde voces (monuit German.) εὐδία, id eſt, *ſerenitas*, ἀπὸ τοῦ Διὸς, & εὐδιαῖν. Apud Statium. 7. Theb. gloriatur ipſe Iuppiter de ſedatis tempeſtatibus, hunc in modum.

Nam cui tanta quies irarum? aut ſanguinis vſus
Parcior humani? Videt axis, & iſta per æuum
Mecum æterna domus, quoties iam torta reponam
Fulmina, quàm rarus terris hic imperet ignis.

Oſculum, pro paruo ore.

4 OSCVLA LIBAVIT NATÆ] Non muto explicationem, nam illa placet, ſed addo aliam Seruij, Danielis, & Corradi. Aiunt, hîc *oſculum* non ſumi pro ſuauio, ſed pro paruo ore, voce diminuente, vt dicat tantùm os Iouis admotum ori Veneris, non labiis impreſſum oſculum. Sic ſumptum oſculum ab Ouid. in Met.

—Videt igne micantes
Sideribus ſimiles oculos, videt oſcula, quæ non
Eſt vidiſſe ſatis.

Ac tum *natæ* erit in ſecundo caſu. Non placet. Nam vates ita hîc locutus, vt in. 12.

Summaque per galeam delibans oſcula fatur.

Vbi clarum oſculum. Cæterùm ad Vatem aptabis verba Ambroſij lib. 6. Hexam. cap. 9. *oris oſculum pietatis, & caritatis pignus.* & Cedrenus oſculum vocat amoris φίλτρον.

Venus cuius filia.

5 NATÆ] Variant fabulæ. Dicitur enim iam Saturni, iam Iouis, iam maris filia. Auctores multi ad vocant. Poëtæ hîc ad rem ſuam. Commodè Iouis inducitur.

6 PARCE METV] Locus Homeri. 8. Il. θάρσει Τριτογένεια φίλον τέκος. Virgiliana forma Fabius declamat 265. *manibus tuis parce, parce animo tuo.* Ex Noſtro Silius lib. 3. ore Iouis ad Venerem ſollicitam de Romano imperio:

Pelle metus, neu te Tyriæ conamina gentis
Turbarint Cytherea: tenet, longúmque tenebit
Tarpeias arces ſanguis tuus.

7 TVORVM] Latet hîc elegans imitatio Ennij lib. 1. Ann. vbi Venus quoque pro Romanis ſollicita Iouem orat:

Conſtitit inde loci propter ſos Dia Dearum.

Id eſt, propter ſuos Romanos. Itaque vt Ennius *ſos*, ita Noſter, *tuorum*. Et quidem Virgilium Ennio hæſiſſe ſatis liquidum ex ſequentibus. ita eſſe inue[illegible]t, qui partem illam Ennij perluſtrauerit.

Aeneas conditor Lauinij.

8 VRBEM LAVINI] Condidit hoc oppi[illegible] Æneas, vt auctor eſt Dionyſius. De illo ita V[illegible]o lib. 4. ling. Latin. *Oppidum, quod primum condi[illegible] in Latio, ſtirpis Romanæ, Lauinium: nam ibi Dij P[illegible]tes noſtri. Hoc & à Latini filia, quæ coniun[illegible] Lauiniâ, appellatum.* Et Dionyſius ait [illegible]atinum Regem Aborigenum conceſſiſſe Ænea[illegible]patium, in quo vrbem conderet, quam con[illegible]Æneas vocauit Lauinum, à Latini filia Lau[illegible]a.

9 SVBLIMEMQVE FERES, &c.] Ex Ennio 1. Ann.

Vnus erit, quem tu tolles in cærula cæli
Templa.

Verſum hunc Ennij imitatus eſt Ouidius. 2. Faſt.

a Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longiùs & voluens fatorum arcana mouebo)
Bellum ingens geret Italia, populóſque feroces
Contundet, moréſque viris, & mœnia ponet:
b Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas,
Ternáque tranſierint Rutulis hyberna ſubactis.
c At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur (Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta magnis voluendis menſibus orbes
Imperio explebit, regnúmque à ſede Lauini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.

d Hîc

[d] Hîc iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
[e] Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet
Mœnia, Romanósque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc, terrásque metu, cælúmque fatigat,
Consilia in melius referet, mecúmque fouebit
Romanos rerum dominos, gentémque togatam.
[f] SIC placitum: veniet lustris labentibus ætas,
Cùm domus Assaraci Phthiam, clarásque Mycenas
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.
[g] Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cælo spoliis Orientis onustum
Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.

ARGVMENTVM.

Diuidit Iuppiter sermonem suum in partes quinque. Prima continet Æneæ in Italia bellum, victoriam, leges quas daturus victis, vrbem quam structurus: tempus regni illius: secunda Ascanij imperium, vrbem Albam quam ædificaturus est, tempus quo regnum mansurum in ea vrbe: tertia Romuli & Remi natales, Romæ auspicia, & prima fundamenta, & inde Romanum Imperium, Iunonis reconciliationem, Romanorum dominatus in Græcos: quarta Iulij Cæsaris natales, imperium, famam, apotheosin.

EXPLICATIO.

[a] ORdo est. *Hic Æneas geret bellum ingens in Italia, contundétque populos feroces, ponétque viris mores, & mœnia*: Nota verbum vtrique rei commodè aptatum: nam Latinè eleganter, & *leges ponere*, & *mœnia ponere*. Inclusi parenthesi partem illam, quam vides, sic enim correctissimus Seruius, sic non pauci. Vt dicat, *fabor tibi*. Nam si *tibi* excludas à parenthesi, sententia illa, *tibi geret bellum*, & frigida est, & non vera. Contrà apta, *tibi fabor quando cura hæc remordet te*. Præterea *fabor tibi*, quæ non dicerem alteri. *fabor tibi*, quæ mea es filia. Verbum *fabor* aptè datur Ioui, qui fata constituit. Pergit *& voluens longiùs*, id est, longè repetito principio, *mouebo arcana fatorum*. Non fata, nam hæc immota, sed *fatorum arcana*. Nec voluit, referam, sed *mouebo*, ad rei magnitudinem indicandam, magna enim dicantur moueri.

[b] Sententia est. Ponet mores, & mœnia, *dum tertia æstas viderit regnantem*, id est, illo triennio, quo regnaturus est, leges dabit & ædificabit Lauinium. Admiror hîc prudentiam Virgilij. Dat breuem vitam Æneæ, tres nimirum annos. Si triennium diceret, quis dubitat offendi Venerem posse? ergo occultat longa paraphrasi ternæ æstatis, ternæ hyemis, & verbo *transierint*, quo moles quædam annorum innuitur. Deinde transit raptim ad Ascanium, dissimulata Æneæ morte, vt qui videatur triumphos tantùm, & glorias connumerare, non obitus.

A [c] Ait, Ascanium (qui stante Troia dicebatur Ilus, & illa euersa, Iulus, additione vnius litteræ) post expletos Lauinij triginta imperij annos, traducturum regnum ab Lauino in Albam longam, quam ipse ædificaturus est, & vi multa muniturus. Per *orbes magnos* intelligit annos solares, ad discrimen lunarium annorum, qui breuiores sunt, ac perinde non magni. Sic boni interpretes, Macrobius item, & Giphanius. Illud *voluendis mensibus* nihil est aliud quàm voluentibus se mensibus, aut volutis mensibus. Nam vox *voluenda*, & similes ad omnia tempora accõmodantur, si credimus (ego omnino) Turnebo, Scaligero, Budæo, Germano. Sed hoc ego alibi.

B [d] Durauit Albæ imperium annos trecentum vsque ad Romulum. Maluit *gentem Hectoream* dicere, quàm Troianos, ad signandam felicitatem. nam quales Reges Albani, qui virtute futuri instar Hectoris? Ait de Ilia *regina sacerdos*, quia & filia regis Numitoris, & Vestalis.

[e] Hactenus de Ænea, & regibus Albanis; sequitur narrationis pars tertia à Romulo vsque ad Iulium. Ergo, *inde Romulus*, qui vtetur *tegmine fuluo nutricis* capræ, *excipiet lætus gentem* Albanorum, *& condet mœnia Mauortia*, id est, Romam, quam vocauit Mauortiam, à patre Marte, *dicétque Romanos de suo nomine*. Nam, qui mœnia à patre, gentem à se voluit nominari. Roma enim & Romani à Romulo. Pergit Iuppiter. Ego his constituo nullas rerum metas, nulla tempora, nam *dedi imperium sine fine*. Quin Iuno, quæ nunc hostili est animo, ipsa tandem mecum consentiet, & Romanos fouebit. Verba illa, *fatigat mare, terras, cælum metu*, duplicem sententiam possunt habere. Vel Iuno minis suis omnia replet metu; vel, miscet omnia & perturbat, quia ipsa metuit à potentia Romana, sollicita de sua Carthagine.

C

D [f] Explicat hîc victorias, quas hic populus habiturus de Græcis hostibus Troianorum. *Domus* (inquit) *Assaraci* (fuit hic princeps familiæ Æneæ, à quo perinde Augustus) *premet seruitio*, verè hoc, nam ab Romanis, mitibus alioquin, *crudeliùs auariúsque in Græcia bellatum*: verba sunt Liuij lib. 3. *Phthiam*, Achillis,

Achillis patriam, *Mycenas*, Agamemnonis; *dominabitur Argis victis*, quia dixerat *seruitio*; opponuntur enim *seruus* & *dominus*. Dictum *lustris labentibus*, pro annis labentibus.

8 Est iam in æuo Iulij Cæsaris. *Nascetur Iulius Cæsar Troianus* propter Æneam, ex *pulchra origine*, propter Venerem, ad quam genus suum referebant Cæsares, auctor Suetonius in Iulio cap. *61. qui terminet imperium Oceano, famam astris.* Sequitur. Iulij *nomen demissum* est à *magno Iulo*. Attingit postea apotheosin. *Accipies hunc cælo olim*, id est, venturo æuo, & *accipies*, vt suprà, *feres Æneam*. Ait *secura* ab Iunonis dolis, *onustum spoliis Orientis*, alludit ad bellum Pharsalicum: *vocabitur hic quoque votis*, vt reliqui è Superis, quibus vota solent fieri.

NOTÆ.

Mordeo.

1 CVRA REMORDET] Hac forma Horatius od. 18. lib. 1. *mordaces sollicitudines.* Symmachus lib. *6.* epist. 52. *hoc mordet animum.* quam locutionem vsurpat etiam lib. 8. epistolis. *6.* & *69.* & lib. 10. ep. 47. Terentius Adelph. *si id te mordet.* Dio Chrysost. orat. 20. de animo affecto doloribus, dixit synonymicè, αἰσθέσθαι, καὶ δηχθῆναι· *sentire, & morderi* & statim λυπούμενοι, καὶ δακνόμενοι· *tristati, & morsi.* Cedrenus pag. 486. δακνόμενος ψυχήν. Aristides de concordia ad Rhodios: δακνόμενοι πρὸς τὸ ῥῆμα. Aristophanes, Acharnensib. ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν· *Quàm multa animum meum mordent.* Quæ verba Scholiastes explicat per ἠνίαμαι, & λελύπημαι. Homerus, μῦθος θυμοδακής, *verbum mordens animum.* Synesius epist. δέδηγμαι τὴν καρδίαν· *mordetur mihi cor.* Huc pertinet verba *edendi* traduci ad curas. Catul.

—exedit cura medullas.

Edo, de curis.

Lucretius lib. 3. *exest angor.* Valer. Flaccus lib. 2. Arg. *exesam curis.* Homerus etiam dixit, γυιοβόρους μελεδῶνας. Vide verò, vt alij hoc dixerint. Ennius *coquit.* Terent. Phorm. *absumit.* Seneca in Hipp. *sollicitat, populatur.* Lucret. lib. 3. *scindunt curæ.* Cicero de clar. orat. *angit.* Obuia sunt: *conficit, perstringit, lacerat, demolitur, enecat, pungit, stimulat.*

Moueo, de magno molimine.

2 MOVEBO] Dixi hoc verbo innui magna molimina. Firmat Cicero, qui ad Q. Fr. *magnæ mihi res moueri videbantur.* Liuius in Pun. synonimicè coniunxit *mouere, ac moliri.* Græci, pari vi. nam, στράτευμα κινεῖν. & apud Polybium κινητικὸς, est qui seditionibus magna commouet.

3 CVI NVNC COGNOMEN IVLO] Audiui quendam non malè de litteris meritum, qui Poëtam reprehenderet. Nam Æneæ filius (dicebat) dictus est *Iulus Ascanius. Iulus* ergo prænomen est, non cognomen. Hinc aliqui reprehendunt, & dicunt, dictum *cognomen* à vate, pro, prænomen. nam illud inflatius, hoc tenuius. Falsa omnia. Iulus non prænomen modò, sed etiam cognomen fuit: & in Ascanio, cognomen efficiunt primum verba hæc Panuini in lib. de nominib. Roman. *Quædam cùm antè cognomina essent, post longum temporis interuallum prænominis officio functa sunt, vt hæc. Cossus, Drusus, Iülus, Nero, Paullus, Volusus, & Potitus.* Sumpsit credo à Valer. Maximo, cuius hoc testimonio vtitur Sigonius ad idem probandum: *quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt, vt Posthumus, Agrippa, Proculus.* Aduoco exemplum aliquod, quo carent Panuinus, & Sigonius. Liuius lib. 27. sic scribit: *Consulatum inde ineunt, C. Claudius Nero, & M. Liuius.* Vbi *Nero* cognomen est. Atqui Suetonius in Claudio c. 1. *Patrem Claudij Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine.* Vides in Suetonio prænomen esse, quod cognomen in Liuio. Pergo ad alterum, & probo, *Iulum* fuisse cognomen in Ascanio, itaque dictus est *Ascanius Iulus*, non contra. In primis hoc efficit hîc Poëta. & quidem, cùm te Panuinus docuerit *Iulum* priùs fuisse cognomen, quàm prænomen, nihil est, quod dubites de *Ascanio*, qui antiquissimus: nam illo priorem dabis neminem. Deinde cùm cognomina à variis rebus ducerentur, præcipuè ducta sunt à partibus corporis, ita *Capitones, Frontones, Nasones, Scapulæ*: sed præsertim ducta hæc à capillitio: inde *Caluini, Cincinnati, Criniti, Crispi, Crispini, Ænobarbi, Flaui, Rufi, Rutili, Barbati, Barbuli.* in historia Hispanica leges *Stupæ* cognomentum à molli, densa, & flaua cæsarie. Lege Marianam lib. 9. Hist. cap. 1. Cum ergo *Iulus* (teste Plinio lib. 16. c. 29.) sit lanugo arborum, & Æneæ filius ita dictus fuerit, quòd imberbis adhuc & cum lanugine tantùm Mezentium vicerit (teste Seruio) quis dubitat illam vocem trahendam ad cognomina? Tertiò, cùm Sigonius diligentissimè cōmemoret antiqua prænomina, vt *Lar, Lucumo, Tullus, Turnus, Metius*, nusquam Iulum inuenias. Quartò demum, etiam si à prænominibus ducantur gentilitia, vt *Aulij, Lucij, Marcij*, ab Aulo, Lucio, Marco. sed frequentiùs in eo populo ducta sunt à cognominibus. sic *Flauij, Fuluij, Licinij, Plautij, Furij, Rutilij*, à Flauo, Fuluo, Licinio, Plauto, Furio, Rutilo. & sexcenta alia. Sic itaque *Iulij*, nomen gentilitium, à cognomine Iulo. His constat, filium Æneæ fuisse *Ascanium Iulum*, non contra: id ratio probat, id testimonia: tantum in nos est vulgus, quod sciamus.

Cognomina sumpta à partibus corporis.

Iülus, quid propriè.

Prænomina ducunt gentilitia.

Gentilitia Romanorū nomina.

4 TRIGINTA] Firmant hoc Liuius, Dionysius, Varro, Ausonius. Primus lib. 1. *Inter Lauinium, & Albam longam coloniam deductam triginta fermè interfuêre anni.* Alter lib. 1. *Trigesimo deinde anno post co[illegible]tutionem Lauinij, vrbem alteram secundùm or[illegible]lum Æneæ datum, condidit Ascanius Æneæ filius [illegible] Laurentiam, aliorúmque Latinorum quoscunque [illegible]ior habitatio delectauit, traducit in nouam vrbem [illegible]ito vrbi nomine Alba.* Tertius lib. 4. ling. Lat. [illegible]quam præmisit conditum Lauinium, ab [illegible]nea: *Hinc post triginta annos oppidum alterum [illegible]nditur Alba.* Quartus loquens de numero [illegible]ario:

Dardaniúsque [illegible] quot protulit annos.

Hinc habes, triginta illos ma[illegible]os orbes Virgilij, esse reuera, triginta annos, communes solis. Aliqui de magnis nescio quibus annis, merè somniant. Est enim magnus annus, quem Ouid. vocat longum. lib. 4. Met. Vbi sol ipse ita loquitur,

—ego sum, longum qui metior annum.

Annus magnus, quis.

Propertius lib. 3. eleg. 5. plenum, eo versu:

Plenus & in partes quattuor annus erit.

Apuleius ideo vtranque vocem coniunxit, scilicet *magnum*, & *compleo*, tum ait lib. 11. *Ecce transuerso signifero circulo Sol magnum annum compleuerat.* Sed cur communes anni Solis dicuntur magni anni? Fortasse ad discrimen lunarium, qui breuiores. Hoc iam alij. Sed quid si etiam cum respectu ad forum, & iudicia? Notat enim in vespas Aristophanis Flor. Christianus annum accipi interdum pro decem mēsibus, nam duo sunt anni menses, quibus nihil iure agi licet, silentúrque tria Prætoris verba: hisque non currebant iudicibus sua stipendia. Ex quo mirè ille Aristophanis locum enodat.

Cur ita dictus.

Annus forensis est mensium decem.

5 SEDES] Vt hîc per sedem, regnum intelligit, aut domicilium: ita Propertius lib. 3. eleg. 3.

Annibalémque lares Romana sede fugantes.

6 ALBAM LONGAM] Varro loco adducto: propter

Alba longa vnde dicta

propter colorem suis, & loci naturam Alba longa dicta. Liuius quoque ab situ porrectæ vrbis, ait dictam *longam.* Addit Dionysius ideo quoque dictam *longã*, ad discrimen alterius Albæ, quæ erat in Italia. Miraculum porro quod accidit in eius vrbis constructione, vide apud eundem lib. 1. Antiq.

Albanum regnum durauit annos trecentos.

7. TERCENTVM] Iustinus lib. 43. *Ascanius longam Albam condidit, quæ trecentis annis regni caput fuit.* Plures numerant Dionysius, & Liuius, & Arnobius, qui addit annos centum, scribit enim lib. 7. *quadringentis annis, quibus Albana res viguit.* & plures adhuc lib. 2. Vbi ait, *Quot apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis.*

Romuli pater.

8. MARTE GRAVIS] Inter varia & incerta hoc elegit, quod celebratissimum, quod maximum ad imperij amplitudinem. Opiniones de patre Romuli latè Dionys. lib. 1. Antiq. Vbi ait, apparuisse Iliæ spectrum Dei humana specie, maius, atque augustius. qui Deus vt daret diuinitatis indicia, solem obscurat, cælo tenebras intendit, persuadens puellæ, non tam stuprum, quàm veras nuptias admittat; quo facto, nube circundatus, sublatúsque à terra in cælum rapitur. Est verò *Marte grauis*, idem quod, *ex Marte grauis.* Nam Plautus Amphit. de Alcmena. *grauida est ex viro, ex Ioue.*

Iliæ tria nomina.

9. GEMINAM] Plutarchus in Romulo. ἔτεκε δὲ δύο παῖδας ὑπερφυεῖς μεγέθει καὶ κάλλει: *peperit duos pueros magnitudine & forma præstantes.*

Seruia mater Romuli.

10. ILIA] Plutarchus. ταύτην οἱ μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Συλβίαν ὀνομάζουσι. Ælianus tamen lib. 7. Var. hist. cap. 16. Seruiam vocat. Ῥώμην ἀπὸ Ῥώμου, καὶ Ῥωμύλου ἐκτίσθη, τῶν Ἄρεος, καὶ Σερβίας παίδων. ἦν δ᾽ αὕτη μία τῶν Αἰνείου ἀπογόνων: *Roma condita est à Remo, & Romulo filijs Martis, & Seruiæ, quæ vna erat ex prosapia Æneæ.*

Dare liberos.

Ait Poëta,

—dabit Ilia prolem, vt & Claudian.

Te Læda mallet, quàm dare Castorem.

Catullus quoque in Hymen. Iuliæ dixit *liberos dare.* Et Tibullus lib. 2. eleg. 6. *fœtus matrona dabit.*

Lupa Romuli.

11. L[illegible]Æ NVTRICIS] Plutarchus, τοῖς βρέφεσι κειμένοις, τήν τε [illegible]αιναν ἱστοροῦσι θηλαζομένην. Eadem Dionysius. Qui a[illegible], deportatos ad fluuium pueros ea lege, quæ iubeba[illegible], quæ stuprum admisisset, virgis cæsam necari, pr[illegible]em autem in fluuij profluentem proiici. Quæ de l[illegible]a fœmina, quæ de Larentia scriptores, ego hîc n[illegible]ia trita. Non ita trita, quæ Cedrenus. Ait [illegible]e, nutrices puerorum, qui in syluis expositi educabantur, solitas *lupas* appellari, quòd in montibus inter lupos agerent. & inde nutricem Romuli dictam *Lupam.*

Romuli habitus.

12. TEGMINE] Induebatur sic Romulus vel in memoriam miraculi, vt quòd nutritus à lupa: Vel quòd is, qui γυμνάσια, καὶ θήρας, καὶ δρόμους (verba sunt Plutarchi) *exercitationes, venationes, incursus* amaret, ex interfectis feris sibi aptasset tegmina. Morem hunc alibi latiùs firmo.

13. ROMVLVS] Tam hunc quàm fratrem dictos à fera lactante, Plutarchus scribit, nam θηλὴν, ῥοῦμαν ὠνόμαζον παλαιοί: *veteres mammam vocabant rumam*, ait idem.

Roma Martia.

14. MAVORTIA] Symmachus lib. 10. epist. 28. *ab exortu pene vrbis Martiæ.* Martial. lib. 5.

Pulchrior, & maior quo sub duce Martia Roma.

Theophylactus Sim. lib. 5. cap. 14. magno elogio, Ῥωμαϊκὴν ἀλκήν.

Romæ conditor.

15. CONDET] Iam fama euicit, vt Romulus Iliæ Vestalis filius dicatur, habeatúrque conditor Romæ; itaque pleno ore Tullius lib. 1. diuin. *vrbis parens Romulus*, & Velleius lib. 1. *Romulus Romam vrbem Parilibus in palatio condidit.* Sed rem hanc perplexam esse A satis indicant Dionysius, lib. 1. Antiq. & Seruius Danielis. Recitat vterque magnos catalogos aliorum, qui putati sunt conditores Romæ. Adi.

16. METAS RERVM] Ouid. 2. Fast.

Gentibus est alijs tellus data limite certo;
Romanæ spacium est vrbis, & orbis, idem.

Horat. od. 3. lib. 3. de Roma:

Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras.

Sed de hoc elogio vrbis ego latè in 6.

Roma vrbs æterna.

17. IMPERIVM SINE FINE DEDI] Ideo Tibul. lib. 2. eleg. 5. *æternæ vrbis.* quo attributo etiam ab Ammiano sæpe ornatur lib. 14, ab Frontino, ab Sancto Lino in historia Petri Apostoli, ab multis alijs. In epig. Græ. lib. 1. Ῥώμης ὅσον ἄσβεστον κλέος (?). Nonnus lib. 3. B Dionys. loquens de Romano imperio. κοιρανίης ἀλύτοιο: *imperij indissolubilis.* Claudianus de Bel. Get. it a de hac æternitate,

Vrbs æquæua polo, tum demum ferrea sumet
Ius in te Lachesis, cùm sic mutauerit axem
Fœderibus natura nouis, vt flumine verso
Irriget Ægyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis, &c.

Ammianus lib. 14. *Victura, dum erunt homines, Roma.*

Imperatores Romani æterni.

Huc pertinet attributum æternitatis dari solitum Romanis imperatoribus. Cuius rei mentio multa in Smetio, vbi seges exemplorum. Omitto, ne impleam paginam.

18. QVÆ MARE NVNC TERRASQVE, &c.] Imitatio Aristophanis in Equitib. C

ὁμοῦ ταράττων τε τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλατταν εἰκῆ.
Terram simul & mare frustra conturbans.

Connumerat tria Poëta, mare, terras, cælum: infernos nondum, has enim furias hactenus intentatas reseruat Poëta ad 7.

Iuno quando Romanis placata.

19. CONSILIA IN MELIVS REFERET] Vult ex Ennio Seruius hoc accidisse secundo bello Punico, quo tempore Romanis placata est Iuno. De hac reconciliatione Iunonis cum Romanis habes elegantem oden Horat. lib. 3. Carmin. & ea quoque est tertia.

Romani rerũ domini.

Roma vrbs Domina.

20. ROMANOS RERVM DOMINOS] Claudian. de bell. Gildon. *dominam plebem* dixit de Romana. Nemesian. ecl. 2. *dominam vrbem.* Horat. od. 4. lib. 4. D *dominaq; Romæ.* Martial. lib. 4.

Hinc septem dominos videre montes.

Orosius lib. 5. cap. 1. vocat etiam Romanos *rerum dominos.* Arnobius lib. 6. *Regnatoris populi*, loquitur de Romano. & lib. 4. *Romanos dominos rerum, ac principes.* Basilius hom. 8. Hexam. de Roma, βασιλίδα πόλιν: *vrbem regiam.* Eunapius in vita Proæresij. ἡ βασιλὶς ἡ Ῥώμη. Animaduertit Muretus in Notis ad Symm. duplici hac voce honestari sæpe, ac designari orbis terrarum principes. Nam Sidonius paneg. Maioriani:

—mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis.

Symmachus lib. 10. *sciui meliorem esse iudicum causam, quæ rerum dominis reseruatur.* Ammianus etiam aliquoties posuit *rerum dominos* pro principibus. Cæte- E rùm versum Virgilij plenum maiestatis vsurpasse Augustum, liquidum ex Sueton. cap. 49. Scribit Orosius lib. 6. cap. 22. ex censu illo facto ab Augusto, quo totus terrarum orbis, Christus etiam ipse census est, verè Augustum omnium principem, & Romanos rerum dominos extitisse.

21. GENTEMQVE TOGATAM] Laberius etiam *gentem togatam*, & *stirpem togatam* vocat Romanos, citante Macrobio. & Propertius lib. 4. eleg. 2. dixit, *turba togata*, de Romana. Scripsêre multi notas varias de Romana toga. De colore eius doctè Lipsius,

lib. 1

lib. 1. Elect. cap. 13. In Sigonio & Baysio non pauca sunt, multa in Tertulliano lib. de Pall. Ego hîc tractatiunculam assumam de forma, quæ non satis comperta. Est difficultas maxima, an toga Romana fuerit quadrata? an potiùs circularis, seu semicircularis. Primum coniicit doctissimus Petr. Victorius lib. 19. Var.cap. 7. ductus Athenæi loco hoc ex lib. 5. τῶν δὲ ἄλλων Ῥωμαίων οἱ μὲν θεῶν ἀγάλμασι προσπεπτώκασι· οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια, τὰς ἐξ ἀρχῆς πατρίδας πάλιν ὀνομάζουσιν: *Ex alijs Romanis, quidam ad Deorum simulacra confugientes procumbunt, alij mutata veste quadrata, patriam, quam principio gestabant, nunc rursum induunt.* Et quidem sic Romanos vitauisse iras Mithridatis Cicero quoque pro Rabir. Posthumo scripsit, cuius verba adducam, vt adductus Athenæi locus intelligatur: *Faciliùs certè P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet, qui cùm à Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatem regis in Togatos, vestitus mutatione vitauit.* Sed redeo. Pace Victorij, Romana toga rotunda fuit, non quadrata. Isidorus clarè lib. 19. cap. 24. *toga forma rotunda, & fusiore.* Tertull. illi dat *vmbonem*, & *ambitum*, quæ duo cum rotunditate consentiunt. Sed vis tota posita mihi in verbis Dionys. lib. 3. Antiq. qui ita de toga Romanorum. περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν, καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς· πλὴν οὐ τετραγώνων γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ' ἡμικύκλιον: *togam purpuream, & pictam, quales solent, & Lydorum, & Persarum Reges gestare, præterquam, quòd non figura quadrata, vt illæ, sed semicirculari.* Et loqui illum de toga Romana, certum. nam statim: *talia vestimenta togas Romani, Græci, Tibenon vocant.* Hinc facilis solutio ad Athenæum (quo Victorius nititur) si dicas, togam apud Lydos primos inuentores quadratam fuisse, vt ait Dionysius: atque adeo Romani, qui in Lydia apud Mithridatem versabantur, formam illam retinebant, sed non inde sequitur, Romæ, & in Italia eam esse formam. Itaque fecerunt togati in Lydia, quod Antonius in Ægypto, de quo Appianus lib. 5. ἐμφυλ. στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου: *stolam quadratam Græcorum more pro patria & domestica induit.* Et de eodem iterum, cum Octauia Athenis degente, σχῆμα τετράγωνον ἔχων, καὶ ὑπόδημα Ἀττικὸν: *habuit vestem quadrangulam, & Atticum calceamentum.* Itaque solutio est, Romanos vsos Romæ toga circulari, in Lydia tamen, quadrata, vt referrent primam togæ originem. Fuit enim toga Romana primùm aliarum gentium. Tertull. de Pall. *Toga vobis oblata est. proh quantum circumeauit à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos.* Artemidorus illam ducit à Timeno quodam Arcade. Lege illum lib. 2. cap. 3. de Somn. Scio apud Romanos vestes quasdam fuisse quadratas, vt sagus apud Afranium in Deditione, *Quadrati sunt sagi*, & Ricinium apud Sex. Pomp. & id quoque ex Plauto liquidum Epidic.

Togæ Romanæ forma.

Togæ Romanæ origo.

Quadratæ vestes. Sagus quadratus fuit.

Impluuiata vestis.

Impluuiatam, vt isthæc faciunt vestimentis nomina,
Vt in pluuium induta erat.

Quaternata vestis.

Quæ verba Turneb. lib. 14. cap. 19. explicat, (reiecta prius explicatione Nonij) de veste quæ *quaternata, id est, quatuor quadrata lateribus, vndique corpus ambiat, quæ forma est impluuiorum in cauædijs.* Sed hoc de toga quis affirmet, pugnante validè testimonio Dionysij? & Athenæo facilem habente exitum?

Lustrum continet annos quatuor.

22. LVSTRIS] Accepi, vt verè, annos simpliciter. Sed sit hîc breuis velitatio, nec difficilis. Quot annos continet lustrum? Certè annos quatuor, sicut Olympias apud Græcos, nam eadem ratio. Suidas, *Olympia, sic vocatur apud Græcos certamen quarto quoque anno celebrari solitum. Græca,* ὁ διὰ τεσσάρων ἐτῶν. Plutarchus in Apophthegm. *Cum Elei laudarentur, quòd Olympia*

A *iustè administrent, quod dignum inquit* (loquitur de Agide Rege Lacedæmoniorum) *admiratione faciunt,* εἰ δι' ἐτῶν τεσσάρων, μιᾷ ἡμέρᾳ χρῶνται τῇ δικαιοσύνῃ, *si in spatio annorum quatuor, vnum tantùm diem iustos se præbent.* Solinus, *Olympiadibus, quibus singulis anni quaterni.* Contra est Brodæus, qui in lib. 1. epig. Græcor. ait esse spacium annorum quinque. & in Glossario: *Lustrum* πεντετηρίς. Sed & Poëtæ canunt Troianum bellum durasse lustra duo, & intelligunt decennium. At hæc, quæ videntur pugnantia, facilè concilientur, si dicas, exacto quadriennio, & ineunte anno quinto, intelligi lustrum esse peractum. Si aliud ab hoc Brodæus, apertè est falsus.

23. SERVITIO PREMET] Quam hîc victoriam intelligit? Seruius accipit de Mummio, qui Achaiam B vicit. Turnebus lib. 10. cap. 11. de Paullo Æmilio, à quo victâ Macedoniâ, Thessalia patria Achillis, quæ Macedonum regno parebat, venit in ditionem Romanorum; ac tum Græcia concessit sub imperium Romanum. Quæ vult Nascimb. non satis firma sunt, nam Florus in epit. Liuiana lib. 13. tantùm ait: *Rhetia à Tiberio Nerone, & Druso Cæsaris priuigno, domita,* & sic legendum, non, Græcia. Itaque inclino in Turnebum. Firmabunt hæc, quæ dicam latè lib. 6. ad illud,

Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas.

Pulchrum pro forti.

24. PVLCHRA ORIGINE] Retuli ad Venerem, nec muto. Victorinus explicat *pulchra, id est, forti.* nam in distorta membra virtus non cadit. Ita Suetonius de Augusto: *forma eximia, & per omnes gradus venustissima, vultu tranquillo, oculis claris, & nitidis.* & Florus de Pseudophilippo *regiam formam, & regium no-* C *men animo regio impleuit.* Sed locum hunc communem ego alibi.

25. CÆSAR] De etymo Cæsarum vide Spartianum in Ælio Vero.

Acciæ somnium.

26. IMPERIVM OCEANO, &c.] Allusum fortasse in hoc versu ad somnium Acciæ matris Augusti, quæ dicebat, se, eum concepisse ex Apolline, mixtum serpente: somniasseque viscera sua in cælum tolli, & per omnem terram extendi. Sed cùm hic sit sermo de Iulio, non de Augusto, dubitari potest, quid intelligat per Oceanum. an Britanniam? an verò columnas Herculis? Priorem partem historia tuetur, & ipsa veritas. Nam Iulius, auctore Sueton. cap. 25. *aggressus est Britannos ignotos antea.* Tacitus in vita Agric. *Primus Romanorum Diuus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus.* Athen. lib. 6 ad finem ait, Iulium primum mortalium, traiecisse in Britanniam, & adiungit numerum mille nauium: quod quis credat? quibus facta D ea Iulij transmissio. Posteriorem, modus loquendi, & vsus auctorum. Nam ea erat mortalium opinio, vt putarent inaccessum esse, quicquid esset vltra columnas. Ita accipio Herodianum, apud quem sic Commodus, lib. 1. εἰ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν μέχρις Ὠκεανοῦ προαγάγοιτε: *Si Romani imperij terminos ad Oceanum vsque promoueritis.* Liuius lib. 46. *Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceani fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu fixit?* Aristides in Panathenaica, ἄχρι Γαδείρων, *ad Gades vsque.* Inde explicandus idem Aristides, qui in prima Platonica merè prouerbialiter dixit: ὥσπερ ὅρους, ἢ στήλας τοὺς προκατεσχηκότας προσβάλλειν: *priores venerari, quasi terminos aut colu-* E *mnas.* Adiicit credo animum ad columnas & terminos Herculeos. Nam quæ hîc tacet alibi exprimit, vt cùm Panathen. ait etiam prouerbialiter: οὔτε Ἡράκλεους στῆλαι: *nec Herculis columnæ, nec Libyci colles, nec Bosphorus vterlibet, aut Syriæ, Ciliciæve angustiæ terminum huic rei ponant.* Taceo loca duo eiusdem in Monodia, & in Palinodia Smyrnæ, & tertium eiusdem in

Iulius Cæs. Britanniam adiit.

Gades vsque prouerbiũ.

prima

prima Platonica, & quartum in Ægyptiaca. Pindarus laudans Theronem, illius laudes cum columnis terminat, od. 3. Olymp.

Νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θή-
ρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων, ἅπτεται
Οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν. τὸ πόρσω
Δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον,
Κἀσόφοις,
Nunc ad extremos limites
Theron perueniens virtutibus domesticis
Attigit Herculis columnas,
Vltra quas sapientibus & insipientibus
Inaccessum est.

Ad hunc locum adiecit animum Nazianzenus epistola ad Posthumianum. τὸ δὲ πρόσω Γαδείρων μὴ περατὸν εἶναι ἀνθρώποις, Πινδάρῳ φιλοσοφοῦντι πιστεύομεν *vltra Gades non esse iter peruium mortalibus, Pindaro astruenti credimus.* Idem in carmine Nicobuli ad filium merè prouerbialiter,

——Γαδείρων
Πρόσθε περᾶν.

vsus est eodem fermè prouerbio etiam orat. 20. quæ continet epitaphium magni Basilij. Ergo, Virgilius vel accipit ex veritate Britanniam, vel ex hoc prouerbio columnas Herculis. Nihil verò obfuit ex occasione prouerbium locupletasse.

27. FAMAM QVI TERMINET ASTRIS] Homerus 7. Il.

Τοῦ δ' ἤτοι κλέος ἔσται, ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.
Erit gloria huius, quantum aurora spargitur.

Ait Æschines contra Ctesiphon. de Rege Persarum, illum gloriari solitum, esse dominum omnium hominum, ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος μέχρι δυομένου, *ab oriente sole ad occidentem.* Quibus verbis hæsit Aristides, cùm de eodem Rege Persarum in. 2. Platonica. τὸν ἀφ' ἡλίου ἀνίσχοντος μέχρι ἡλίου δυομένου βασιλεύοντα. Fortassis verò Virgilius correxit sententiam Pindari, qui od. Nem. πέταται δ' ἐπί τε χθόνα, καὶ διὰ θαλάσσας τηλόθεν ὄνυμ' αὐτῶν. Et ode. 4. Isthm. ἐπὶ χθόνα, καὶ διὰ πόντον βέβακεν. In vtroque loco ait, iuisse nomen per terras & maria. Hæc (inquam) videtur Virgilius correxisse, non contentus mediis spatiis, sed extremis ipsis, videlicet Oceano, & cælo: nam his nihil vlterius potest concipi. in elogio de Roma Minutius *imperium suum vltra solis vias, & ipsius Oceani limites propagauit.*

Iulius Cæs. ab Iulo. 28. IVLIVS] Turnebus [illegible] ad Augustum, non ad Iulium Cæsarem. Firmari posset hæc pars his quæ ego adduco lib. 2. Georg. de Augusto, qui dictus est Iulius. Sed hîc tamen volo accipi Iulium Cæsarem, nullatenus Augustum. Cæterùm sententiam Poëtæ deriuantis ab Iulo Iulium illustrat locus Dionysij lib. 1. Antiq. iste: *Iulo pro regno sacra quadam potestas, & honor attributus est, qui regia dignitate præstantior est.* ——*Hoc honore vel ad meum vsque tempus ipsius progenies fruebatur, quæ ab illius nomine gens Iulia vocatur. Hæc familia omnium, quas scimus, maxima & illustrissima fuit. tulit enim duces longè præstantissimos,*

A *qui virtutibus nobilitatem suam omnibus probarunt.* Et Velleius libro altero, ita ait: Hic (præcessit Cæsar) *nobilissima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus.* Appianus quoque lib. 2. ἐμφυλ. loquens de Iulio Cæsare: θυόμενός τε νυκτὸς μέσης, τὸν Ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον Ἀφροδίτην. ἐκ γὰρ Αἰνείου καὶ Ἴλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος, ἡγεῖτο εἶναι. *nocte media sacrificans Martem & Venerem inuocauit. Ex Ænea quippe & Iulo eius filio Iuliorum genus, vt ex nomine intueri licet, videtur emanasse.* & ad finem eiusdem libri loquens de Iulio. ὁ δὲ ἀπὸ Ἀγχίσου τε καὶ Ἀφροδίτης.

29. IVLO] An hic sit Iulus ille, qui susceptus est Æneæ ex Creusa Troia incolumi, an ex Lauinia in
B Italia, multi dubitant. Titius lib. 6. locorum in posteriorem inclinat, adductis Liuij, & Clementis locis. Sed certè Poëta semper illum canit, qui ex Creusa, neque agnoscit alium.

30. HVNC TV OLIM CÆLO] De apotheosi Iulij ita Suetonius cap. 88. *Perijt sexto & quinquagesimo ætatis anno, atque in Deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primò consecrato ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam: creditúmque est, animam esse Cæsaris in cælum recepti: & hac de causa simulacro eius in vertice additur stella.* Sed de hac apotheosi alibi. Iulij Cæs. apotheosis.

31. SPOLIIS ORIENTIS] Retuli ad bellum Iulij Cæs. victoriæ.
C Pharsalium: possis æquè, fortasse commodiùs ad triumphum Ponticum, & Victoriam, quæ expressa est nummo hoc. Gradiebatur mulier tenens in sinistra clypeum, in dextra trophæum, ad latus draco surrecto capite, & magnis voluminibus. Reliqua huius nummi vide apud Æneam Vicum nummo. 16. Iulij Cæsaris. Hæc est victoria illa, quæ celerrimè confecta ab Iulio est, vnde verba illa, *Veni, vidi, vici.* Vide Sueton. cap. 39. Quæ verba Turcarum imperator Mahometes, is qui Christianis Byzantium eripuit, sibi ascripsit in nobili victoria, qua Patras cœpit. Veni, vidi, vici. Mahometes Imp. Turcar.

32. VOCABITVR HIC QVOQVE VOTIS] Suetonius in Iulio cap. 25. *Plebs Romana solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit,*
D *scripsitque, PARENTI PATRIÆ. Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam, interposito per Cæsarem iureiurando, distrahere perseuerauit.* Cicero quoque in Philipp. & Plutarchus, diuinitatis Cæsaris meminêre. Verba ipsa continent formam Latij. Nam *votis vocare* pro formula diuinitatis habitum in eo populo. Ita in Geor. Vocare votis.

& votis iam nunc assuesce vocari.

Huc allusum à Propertio, etiam si in re alia, lib. 1. eleg. 10.

ô quoties votis illa vocanda meis.

& ab Horatio lib. 4. od. 5.

Votis omnibus, & precibus vocat.

[a] Aspera tum positis mitescent sæcula bellis:
[b] Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

ARGVMEN

ARGVMENTVM.

Quinta felicitatem pacémque Augusti, Iani portas clausas, Furoris intus abditi, vinctique, ac frementis pulcherrimam descriptionem. Huic toti narrationi plurimum laudis accedit, cùm fiat ore Iouis, quod proculdubio vidit vigilantissimus Poëta, qui Cæsarum laudes summo numinum recensendas attribuit.

EXPLICATIO.

a SEquitur pars extrema narrationis Iouis continens felicitatem Augusti, pacémque illam Sibyllis olim & vatibus decantatam: ad quam rem gradum facit à diuinitate Iulij, eo enim relato in Superos, secuta est pax sub Augusto. *tum*, id est, deinde, *secula aspera mitescunt*, vide oppositionem, quia dixerat *aspera*, ideo *mitescent*. éstque translatio deducta à feris, quæ posita immanitate mansuescunt, ideo statim, *positis bellis*.

b Comitabuntur Augusti æuum virtutes maximæ. In primis *Fides*, & hæc *cana*, id est, antiqua, erat enim Augustus renouaturus aureum & priscum sæculum, vbi virtutes, Fides in primis, floruerunt. Quid præterea? *& Vesta*, intellige religionem. Deinde *Quirinus cum fratre Remo* (hoc in Notis) *dabunt iura*. Quasi dicat, quicquid sanciendum est in iure, erit profectum à Fide, à Religione, à Quirino, & Remo. Sequuntur effecta pacis. *Portæ belli*, quæ *diræ* sunt, *claudentur ferro, & arctis compagibus*. Templum Iani intelligit, quod clausum sub Augusto. Portæ sunt *diræ*, quia hęc vox sumpta in re abominanda, & mali ominis. diræ igitur, quæ reclusæ belli omen certissimum habebant. Denique (vide hypotyposin à nemine satis laudatam,) *furor impius sedens intus super arma sæua, & vinctus post terga centum nodis ahenis, fremet horridus ore cruento*. Non expendo, quia, quî possim, non satis suppetit. An maculem tam grandem Musam? Tantùm in extremis nota litterarum & asperitatem & sonum, quibus furoris sæuitia expressa, δυσφωνίαν Græci vocant. quod schema gratiam poëmati, & magnificentiam conciliat.

NOTÆ.

Fidei templum.

1. CANA FIDES] Fit fortè allusio ad illud Fidei simulacrum, quod erat in antiquissimo templo condito in Palatio ab Ænea: vel; vt alij, à Numa. Fit (inquam) hæc allusio: nam, vt in sequentibus patebit, attingit Poëta in his versibus peculiaria quędam Vrbis opera. & quidem Pierius lib. 35. vult Fidem, ideo *canam*, id est, antiquam dici, propter antiquissimum hoc templum, quod ipse non ab Ænea, sed à Roma Æneæ filia conditum scribit ex fragmẽtis Pompeij. Sed quare Fides *cana*? Imo, cur non? Primò, quia antiqua, & semper (sic visum semper hominibus) elapsi æui, nunquam præsentis. quo sensu. 6. Æn.

Fides cur cana.

Heu pietas, heu prisca fides, inuictáque bello
Dextera.

Cana dicuntur, quæ augusta, & veneranda.

Secundo, quia, quæ magna sunt, atque augusta, dici solent *cana*, epitheto dignitatis. Hoc sensu (credo) Cassiodorus lib. 3. ep. 11. vocat Romam *canam*. & epist. 33. *canam antiquitatem*, & lib. 4. ep. 4. *canam libertatem*. & lib. 5. ep. 22. *morum canam maturitatem*. Quibus locis capio, quid augustum, & venerandum: vt etiam in Ammian. lib. 26. *en cana Romanorum exercituum fides*. Alludit Cyrillus, qui in Ioëlem, explicans, quid sit πρεσβυτικὴ ἡλικία, *senilis ætas*, omnia refert ad venerationem. Vocat enim hanc ætatem, τὴν ποιότητι τῆς ἀρετῆς προὔχουσαν, καὶ ὑπερκειμένην, λαμπροῖς πεποικιλωμένην κατορθώμασι, φρονήσει τῇ τελεωτάτῃ διαπρέπουσαν, καὶ τεθαυμασμένην. Tertio, quia, quæ sancta sunt & casta (hoc Iunij est lib. de Coma. cap. 10.) hoc epitheto solent ornari. Sic à Varrone Veritas dicitur *cana*, & Vestales virgines apud Romanos, vt liquet ex Sext. Pomp. canis ornabantur, indicio sanctitatis. Thebæ Bœotiæ habebant Apollinem πολιὸν, *canum*, teste Pausania. & apud Cimbros sacerdotes & vates erant πολιότριχες. Quarto, nota hæc Seruij est, dicitur *cana*, quòd ei sacrificaretur, manu albo panno inuoluta. Horat. 1. car. od. 35.

Cana dicuntur, quæ sũt sancta.

Fidei alba conueniunt.

——albo rara fides colit,
Velata panno.

Quod tamen ad stolam integram candidam, qua Fides velata esset, refert Læuinus. Artemidorus dixit l. 2. c. 3. λευκὰ δ' ἱμάτια τοῖς ἱερεῦσι μόνοις συμφέρει· *alba vestimenta solis conferunt sacrificiis*. Quinto, quòd fide nihil sit purius, simplicius, candidius. Ideo antiqui veritatem, quæ virtus Fidem parit, nudam pinxerunt, ipso tantùm corporis & carnis candore conspicuam. quasi nihil magis Fidei, & Veritati repugnet, quàm obuolutio vestium, & implicatio. Alciatus quidem in Fidei symbolo (quod expressum ex antiquissimo marmore, si Iacobo Mazochio credimus) Veritatem Fidei matrem depingit ab hoc candore nudam.

Veritas Fidei mater.

2. VESTA] Mihi videtur facta allusio ad simulacrum illud, quod secum Æneas Troia eduxit. Ad hæc, Augustus auxit commoda virginum Vestalium, quod Sueton. scribit, & fuit Pontifex Maximus.

3. REMO CVM FRATRE QVIRINVS] Esse potest sententia multiplex. Fit allusio (vult hoc Hortens.) ad simulacra Remi, & Romuli, quæ erant vnà cum lupa in Romano foro, omnia ex ære, quorum & Sabellicus meminit. Vel potest capi locus de placatis Remi interfecti manibus. Quippe interfecto Remo secuta est pestis. Consulta oraculo respõdent placandã hac ratione, vt sella curulis cum sceptro, & corona, & ceteris regni insignibus semper iuxta sancientem aliquid Romulum poneretur, vt sic vnà cum fratre videretur Remus imperare. Cum his tamen ad res antiquas allusionibus fieri potest, vt hîc per Quirinum Augustus, per Remum Agrippa intelligantur, quæ explicatio non caret assertoribus. Et quidem. 3. Georg. Augustum vocat Quirinum, quo loco vide me. A qua adulatione non abit, vt potentissimus princeps Agrippa dicatur Remus. Scio ista coniecturis tantùm inniti.

Romuli & Remi simulacrum.

Remi curulis sella.

Augustus dictus Quirinus.

4. CLAVDENTVR BELLI PORTÆ] Clausit Augustus Iani portas magno pacis indicio. An verò semel tantùm clauserit, an ter, difficile est. Suetonius in Aug. cap. 22. ter ait ab hoc clausas. Liuius li. 1. & Plutarchus in Numa, semel indicant. Sed in hac lite standum à Suetonio. Glareanus ac Langius qui in eo *tertiò* legunt, clarè errant. Certè Beroaldus & Casaubonus *ter* retinent, & docti quique. Clausit primo, cùm rediit ab Oriente, post deuictos Antonium & Cleopatram. deinde profecturus in Hispaniam aduersus Cantabros, reclusit, in quorum mox victoria clausit: & hoc apertè tradit Dio lib. 53. demum clausit tertiò, cùm omnia pacasset ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem. Vide Orosium lib. 6. qui ea tradit, quæ hîc scripsi, capitibus 20. 21. 22. quibus apertè discriminat tempora huius occlusionis. Sed quid ad Liuium, & Plutarchum? Respondet Lipsius lib. 1. Elect. c. 20. Liuiu,

Iani portas Augustus clausit.

qui

qui historiam suam exorsus est viuente Augusto, & A res gerente, ea scripsisse eo tempore, quo semel tantùm Augustus Ianum clauserat, nondum Cantabris victis. Plutarcho autem Græco scriptori satis fuisse sequi Liuium, vt in aliis. Sed obiici potest contra Lipsium, Liuium superuixisse victoriæ Hispanicæ, vt clarè liquet ex epitome Flori. Ideo libentiùs dixerim, Liuium, & cum eo Plutarchum animum tantùm adiecisse ad Augusti ætatem totam, & triplicem illam occlusionem pro vna existimasse. Ideo Liuius loquens de Augusto non ait *semel*, sed *iterumque nostra ætati Dij dederunt*, nominans bellum Actiacum, quòd occlusio ab eo inceperit. Plutarchus quoque tantùm ait, ἐκλείσθη, nullam adiungens particulam, qua intelligatur id semel tantùm factum. Iuuat inscriptio, quæ Emeritæ Augustæ in Hispania extat de B Augusto, quam do ex fide Briss. lib. 1. Form. ORBE MARI, ET TERRA, PACATO, TEMPLO IANI CLAVSO. Vbi nulla facta mentione belli Actiaci quo primùm clausus Ianus, nec facto discrimine aliorum temporum, tantùm ait, clausum templum reputata triplici occlusione, pro vna.

Belli pictura.

5. FVROR IMPIVS INTVS] Vult Turnebus, & probat Germ. adumbratum hîc à Marone bellum pictum ab Apelle, forma humana, restrictis post tergum manibus: quam tabulam Augustus in suo foro dicauit, cuius rei auctor est Plinius lib. 35. cap. 10. Macrobius tamen locum explicat cum relatione ad cauernam ventorum, quasi non minùs reluctentur sæui affectus bellorum in hoc templo conclusi, ac venti ab Æolo, qui indignantes fremunt. Virgilij locum ita æmulatur Manilius lib. 1.

Iámque adamanteis Discordia vincta catenis
Æternos habeat frenos in carcere clausa.

Non abit à descriptione Furoris Virgiliani descriptio Iræ apud Prudentium:

Iræ descriptio.

Stat procul Ira tumens spumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle.

Ex dictis lucem dabis Propertio, lib. 2. eleg. 16. vbi ait:

Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est,
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Non enim dubium quin alludat ad bellum conditum, & occlusum in templo Iani. Et cur non etiam huc trahendus Lucanus ad Pisones?

Ignea quin etiam Superûm Pater arma recondit:

Clarè Ouid. 1. Fast.

Gratia Dijs domuíque tuæ, religata catenis
Iam pridem vestro sub pede bella iacent.

Alludit Nero, qui apud Senecam 1. de Clem. cap. 1.

Conditum, imò constrictum apud me ferrum est.

Hæc ait, & Maiâ genitum demittit ab alto,
Vt terræ, atque nouæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret: volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris.
ET IAM iussa facit, ponúntque ferocia Pœni
Corda volente Deo: in primis Regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentémque benignam.

C

ARGVMENTVM.

Iuppiter vt re confirmet, quæ [illegible]e dixerat, citißimè Mercurium mittit, vt Troianis ad[illegible]us pateat in Africa, & Carthagine: descendit ille vola[illegible]imo, iussa explet, furorem Afri deponunt, Dido tranquillo est animo.

EXPLICATIO.

OMNES hi versus continent incredibilem celeritatem rei gestæ, qua opus in re præsentissima: erant enim iam Troiani in portu. Ideo *hæc ait*, vbi adimitur Iuppiter, & pes est non solùm dactylicus, sed etiam adimuntur consonantes, quæ tardent, vt ita vocales conuolent. Pergit, *dimittit ab alto*, adimit, vel, *cælo*, vel *cæli vertice*, vbi constiterat. Iuppiter Mercurium non alloquitur. Posset enim longum sermonem exordiri ad illum. Tantum, *demittit vt pateant*, &c. Ille statim non audita voce, sed viso nutu *volat & remigio alarum*. Quæ hæc celeritas? Ad hæc, non vt in 4. nectit talaria. Ideo ab tanta celeritate *citus astitit*. Quæ sequuntur eandem habent præcipitantiam, *facit iussa, ponunt Pœni corda ferocia, Regina accipit animum quietum in Teucros*. Vides octo tantùm versibus data mandata ab grauissimo Deorum numine alteri Deorum numini, vides statim nuntium conuolantem, & rem statim perfectam, & cum ferocissimis hominibus. Nihil tu Maro moliris ineptè.

NOTÆ.

1. MAIA GENITVM] Volunt interpretes, significari oratoriam virtutem, & eloquentiam, cui præest Mercurius. cùm enim hic Deus ferocitatem Pœnorum ad mansuetudinem adducit, quid aliud præstat, quàm quæ olim Orpheus in saxa, feras, flumina? Sed cur periphrasticè *Maia genitum*, nō Mercuriū? Placet vehementer Corradus. Mittitur Deus, qui affinis Troianis. Nam quis eorum res diligentiùs curaret? Contracta hæc affinitas à duabus sororibus, Maia & Electra; illa Mercurium genuit, hæc Dardanum. Itaque in ipsa periphrasi indicatura affinitas. Quasi dicat Iupiter. Vide Venus, vti mittam Deum Aeneæ tuo affinem.

Eloquentiæ vis.

Mercurius pater eloquentiæ.

2. NOVÆ] Allusum ad etymon. Nam lingua D Phœnicum Carthago sonat *ciuitatem nouam*. auctor Solinus c. 40. idem obseruat ex Liuio Seruius. Stephanus etiam nouam ciuitatem interpretatur. etiamsi ducat à Carchedone Phœnice homine. Scias (ἐκ παρέργου) Carthaginem nouam Hispaniæ, quæ à copia sparti, dicta Græcis σπαρταγένη, non dictam nouam, cum respectu ad Africanam, vt aliqui etiam ex nostris Scriptoribus; sed respectu alterius Carthaginis, quæ etiam in Hispania, quam condiderat Asdrubal: nouam quippe Amilcar condidit. Vide Ioan. Marianam lib. 2. cap. 8. de Rebus Hispaniæ, & Abrahamum in Indice, vbi adiungit auctores. Nouam Vrbem καινὴν, νεόκτιστον, νεοποίητον, νεουργὸν, νεοκατάστατον vocant Græci. Vide Pollucem lib. 9. cap. 4. Vrbis huius

Carthaginis etymon.

Carthago noua Hispaniæ.

huius ciuem πολίτην.

3. Pateant arces] Propter illud,

Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.

Pateo, verbum Pacis. Bene Seruius admonet verbo *pateant* innui habitum & formam pacis: hac enim regnante omnia patent. Vide 2. Æn. ad illud *Panduntur portæ.* Vide verò (apparet quippe in minimis diligentia Poëtæ) vti voces contrarias coniunxerit *pateant arces.* Dictæ ſunt *arces* ab arcendo. Pateant ergo arces. neque arceant, inde poſtea, *finibus arceret.*

Arx ab arcēdo dicta.

4. Ne fati nescia] ἰσοδυναμίαν agnoſcit Hortenſius, vt gnara eſſet ſciénſque. Ait *fati*, id eſt, voluntatis Iouis. vt intelligat Dido, nullas eſſe inſidias. nam qui Italiam fato petebant, non occuparent alienum regnum Africæ. Sed alicui placebit altera explicatio, *fati*, id eſt calamitatis Troianorum, qui non ſponte in Africam veniebant, ſed malis fatiſque agitati, vt ſic miſericordia illorum teneret Didonem.

Mercurius planeta. 5. Volatile] Alluſum ad caduceatores, per quos pax firmari ſolita. In voce *citus*, habita ratio Planetæ Mercurij ex mēte Naſcimb. Sed & Seruius hunc citiùs ad ortum ſuum recurrere, quàm alios planetas, ſcribit.

6. Ferociā] Nam Afri, *genus intractabile bello.*

A 7. Volente deo] Eſt hoc quod Græci ſæpiſſimè dicunt, σὺν θεῷ. frigidi ſunt Grammatici in fingendis ablatiuis, quos & ipſi dicūt abſolutos. Euerterem hîc illos, niſi hoc iam alij antè feciſſent. Mutationem hanc Pœnorum ab Mercurio factam deriuant interpretes ad vim eloquentiæ, cuius præſes Mercurius.

8. Mentemque benignam] Eurip. εὐμενῆ γνώμην ἔχειν dixit, & Orpheus, εὐμενὲς ἦτορ. Quid ſi Poëta habuit ante oculos locum Ariſtophanis in Veſpis hunc,

Παῦσον τ' αὐτοῦ τουτὶ λίαν στρυφνὸν καὶ πρίνινον ἦθος,
Ἀντὶ σιραίου μέλιτος σμικρὸν τῷ θυμιδίῳ παραμίξας,
Ἤδη δ' εἶναι τοῖς ἀνθρώποις ἤπιον αὐτόν.

B

Fac deſinat iſtos iliceos mores, duros, & acerbos,
Melliſque parum vice defruti in huius miſcens inijce pectus,
Accipiátque erga homines mitem animum, atque benignum.

Adduxi interpretationem Floren. Chriſtiani. Robortellus lib. 1. Annotat. cap. 19. per *mentem benignam*, accipit, pronam propenſámque ad beneficia. nam *benignitas* ſæpe ad beneficia, & liberalitatem refertur.

[a] At pius Æneas per noctem plurima voluens,
Vt primùm lux alma data eſt, exire, locóſque
Explorare nouos, quas vento acceſſerit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominéſne feræne,
Quærere conſtituit, ſociíſque exacta referre.
[b] Claſſem in conuexo nemorum ſub rupe cauata
Arboribus clauſam circum, atque horrentibus vmbris
Occulit. ipſe vno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

ARGVMENTVM.

Redit Poëta ad narrationem Æneæ, qui primo diluculo conſtituit explorare, quæ eſſent ea loca, ad quæ appulerat, vt ſuis referret: claſſem interim ſub rupe occultat, intérque arbores denſiſſimas, ipſe cum Achate amiciſſimo proficiſcitur.

EXPLICATIO.

[a] Narrationem præcedentem, quam longa digreſſione intercepit, hunc in modum annectit. Dixerat, *gemit Æneas caſum Orontis, Amyci, Lyci fata, Gyan, Cloanthum*, ergo, *voluens plurima per noctem.* Sunt hæc *plurima*, illorum fata, caſus, exitus. verè ait *pius*, quia de ſe nihil curans, nihil de ſomno, ſuorum caſus deflebat, voluens illos animo. ſequitur: *Vt primùm lux alma data eſt*, præclarè: putabant enim veteres Solem obire, atque omnino cum die mori; inde ſequentem lucem ſolémque de nouo creari, & tanquam munus quoddam à Diis dari mortalibus. Quid verò data luce? *Conſtituit exire, exploraréque locos nouos*, & *oras* ad *quas acceſſerit*, perlatus *vento*, & *conſtituit quærere qui teneant* ea loca, *homines ne an feræ.* Vide fortem Æneæ animum. paratus eſt ad irruendum ſiue in homines, ſiue in feras. Vide etiam, quàm egregiè depingat hominem, ſui neſcium regioníſque ignarum, quos illi affectus det. Quid illud *exacta*? explica, diligenter inueſtigata, & explorata. Parentheſis (*nam inculta videt*,) continet rationem

C cur dubitauerit feræne an homines e[illegible]ſca habitarent. Nam vbi nulla ſunt boum ve[illegible]gia ducta aratro, vbi nulla ſata, quid tu [illegible]us?

[b] Abiturus conſulit [illegible]ni, occultans illam ſub nemoris, quod ſuprà deſ[illegible]ipſerat, conuexitate, & cauitate rupis. Sed quid [illegible]t *occulit claſſem clauſam arboribus?* Sic explica. claudens claſſem, occulit illam arboribus, iuxta notas Turnebi, & Gifanij, quas alibi do. In illis *horrentibus vmbris*, alludit ad ſuperiora, *horrentíque atrum nemus imminet vmbra.* Hoc facto, *ipſe graditur comitatus Achate, criſpans manu*, id eſt, vibrans ac torquens, *bina haſtilia lato ferro*, id eſt, binas haſtas, quibus præfixum latum ferramentum. Traducunt interpretes ſententiam hanc ad ſapientiam Æneæ, qui è naui egreditur, non ſolus neque inermis, ne ſibi confidere videretur, quod eſt temerita-

D tis: non multitudine ſtipatus, non armis onuſtus, quod eſſet timoris. Itaque habita eſt ratio & loci, & temporis: locus enim, vt qui incognitus, non permittebat ire ſine armis: tempus verò celerem maturúmque reditum ad ſocios poſtulabat. Viſum non iſta aliorum omittere, vt videas nihil ſine conſilio, & ratione fieri ab hoc vate.

NOTÆ.

1. Per noctem plurima voluens] Repræſentat in ſuo Ænea mores principum. Notus Homericus verſus 2. Il. Principes eſſe debent vigiles.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Non

Non decet virum principem dormire noctem totam. Est βουληφόρος, cuius consilio res administratur. Ab nobili hac sententia inchoat idem vates librum decimum Il. adducam integram: quia inde sumpta Virgiliana.

Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ,
Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
Ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Ceteri quidem apud naues principes omnium Achiuorum
Dormiebant per noctem molli domiti somno:
Verùm non Atriden Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.

Græci (in his Hesiodus, Euripides, Plutarchus, Clemens) noctem vocant εὐφρόνην, vt aptam capiendis consiliis. Pindarus od. 4. Nem. γνώμαν σκότῳ κυλίνδει: *consilium voluit in tenebris.* Dio Chrysost. orat. 1. loquens de principe: *Quantum fieri posit animum attendat ad suam, atque subditorum felicitatem, pastor, & opilio verè effectus populorum, non conuiuator, aut conuiua (vt ait quidam) ita vt ne somnum quidem per totam noctem capere se debere putet, vt cui nullum sit ocium ad socordiam.* Græca signata, οὐδὲ καθεύδειν αὐτὸν ἀξιοῖ δι' ὅλης τῆς νυκτός. Silius ita,

Turpe duci totam somno consumere noctem
O Rector Libyæ; vigili stant bella magistro.

Consilium in nocte. huc refer parœmiam, ἐν νυκτὶ βουλή. & sententiam Platonis lib. 7. Leg. ἐγρηγορότες δὲ ἄρχοντες ἐν πόλεσι νύκτωρ, φοβεροὶ μὲν κακοῖς πολεμίοις τε ἅμα, καὶ πολίταις: *Magistratus nocte in vrbibus vigilantes, terrori sunt tum hostibus, tum ciuibus.* Adducit Philostratus lib. 1. de vitis sophistarum hanc sententiam, & cuidam illorum attribuit, ὦ νὺξ σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν: *ô nox tu plurimum particeps es diuinæ sapientiæ.*

Nox particeps sapientiæ. Apud Cedrenum Leo Imperator, qui noctem vnam ἄγρυπνον duxit, dicitur σοφώτερα βουλευσάμενος. Adducam etiam locum Homeri, ad quem omnino Poëta, de Achille insomni propter obitum Patrocli. nam & hîc Æneas insomnis propter suorum obitus, vt explicui initio. Audi [illegible]

——αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
Κλαῖε, φίλου ἑτάρου μεμνημένος, οὐδέ μιν ὕπνος
Ἥρει πανδαμάτωρ, ἀλλ' ἐστρέφετ' ἔνθα καὶ ἔνθα
Πατρόκλου ποθέων ἀδροτῆτά τε καὶ μένος ἠΰ.

——*At Achilles*
Flebat, dilecti amici memor, neque ipsum somnus
Cepit omnia domans, sed vertebatur huc & illuc
Patrocli requirens vigorem, & robur ingens.

2. VT PRIMVM LVX, &c.] Est hoc quod Polyb. ἅμα τῷ φωτί. quod Plautus, *cum luce simul.* quod Apuleius lib. 2. *vt primum nocte discussa, sol nouus diem fecit, & somno simul emersus & lectulo.* & lib. 7. *vt primum tenebris abiectis dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat.* & lib. 9. *Sed cùm primùm rota solis lucida diem peperit.* In Xenoph. etiam vidi lib. 2. ἀναβ. ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι. & 7. ἅμα καὶ τῇ ἡμέρᾳ. In Cyrillo Alexand. Comment. in Oseam. ἐπειδὴ πρωῒ γέγονε. & ἅμα τε γὰρ ἄρχεται διαυγασμοῦ τῆς ἡμέρας τὸ φῶς.

Alma lux. 3. LVX ALMA] Epithetum ductum ab alendo. Congruunt quæ satis longè de Sole Philosophi à lente ac procreante sua luce. Aristot. lib. 2. περὶ γεν. καὶ φθορ. cap. 9. solem vt signet à voce ipsa abstinens, antonomasticè vocat τὸ γεννητικὸν, *generans, procreans.* & illi dat τὴν γένεσιν.

Generans pro Sole. Plato in Theæteto explicans catenam auream σειρὴν χρυσείην Homeri è lib. 8. Il. rem ad solem referens, ita ait: *Nihil aliud Homerus quàm solem dicit, & ostendit esse auream catenam, quia dum Sol mundum suo cursu ambit ac lustrat, omnia salua sunt, & con-*

Sol dictus catena aurea.

A *seruantur, tum quæ apud Deos sunt, tum quæ apud homines: si verò stet, & quiescat tanquam vinctus, res omnes interierint.* Sed quid hæc persequor?

4. RVPE CAVATA] Præclarè; nam loquitur de rupe naturaliter caua, non humano opere. atqui Ammonius ita discriminat: ἄντρον τὰ αὐτοφυῆ κοιλώματα: σπήλαιον δὲ τὸ χειροποίητον: *Antrum est cauitas naturalis: spelæum artificiata.*

Antrũ, quid. Spelæum, quid.

5. IPSE VNO GRADITVR COMITATVS ACHATE] Deriuo hoc ad regum familiares, qui esse debent sapientes, & veluti speculum principum, & lux illorum. Rem duco ex Achate lapide, & existimo similitudinem quæsitam Poëtæ inter hunc lapidem, & amicum Principis. Dabit nobis hanc veniam Seruius, qui ἀπὸ τοῦ ἄχους deducit, id est, sollicitudine, quæ semper est regum comes, nam in hac re cuique

Familiares Regum esse debent sapientes.

B liberum est arbitrari, quod volet. Nec mihi desunt assertores: nam Robortellus ait fieri allusionem à Poëta ad Achatem lapidem, & Achilles Bocchius, atque ex illo Antonius Ricciardus, ait dari Achatem comitem Æneæ ad significandum illum, qui est principi à consilio.

Iam ad rem. Est Achates gemma præcipuæ dignitatis, variis coloribus ita distincta, vt nemorum, fluuiorum, montium, iumentorum, curruum, ac pene rerum omnium species referat, auctore Plinio lib. 37. cap. 10. Hoc, quid est aliud, quàm principum amicos debere esse rerum omnium peritia instructos, vnde reges possint salubres præceptiones haurire ad publicum commodum? Atque adeo, qui mi-

Achates gemma.

C nùs aptè possunt in libris versari propter multiplices regias curas, in illis, cum quibus perpetuò fabulantur, obuiam habeant doctrinam. Isocrates in egregia institutione ad Nicoclem, consilium doctrinamque ait esse pulcherrimum, & vtilissimum munus, quod regibus ab amicis offeratur; non aurum, vestes, argentum, quibus illi abundant. Ac mox ait, curandum principi, vt sese sapientissimis adiungat. τῶν τε παρόντων τοῖς φρονιμωτάτοις πλησίαζε. Plutarchus graue opus edidit, in quo probat, oportere philosophum cum principibus sermocinari, dicitque in amicitiis regum non esse spectandas opes, gloriam, potentiam, πλοῦτον, καὶ δόξαν ἢ ἡγεμονικὴν, καὶ δύναμιν ἐν φιλίαις οὐ διώκειν. Deinde latè ostendit, doctrinam so-

D lùm vnius philosophi his omnibus longè præstare: enumeratque multos philosophos, qui cum principibus vixerunt; Anaxagoram cum Pericle, Platonem cum Dione, Pythagoram cum optimatibus Italiæ. Sed & Cato (inquit) ex castris ad Athenodorum nauigauit, Panætium acciuit Scipio. Isocrates Nicoclem in præcepto, quod extremo loco, vt potissimum adhibet, exhortatur, vti habeat pro consiliariis viros sapientes, quique plus aliis prospiciant: & absoluit, γινώσκων ὅτι σύμβουλος ἀγαθὸς χρησιμώτατον καὶ τυραννικώτατον ἁπάντων κτημάτων ἐστὶν. ηγοῦ δὲ τούτους οἱ μέγιστον ποιήσειν τὴν βασιλείαν, οἵτινες ἂν τὴν διάνοιαν τὴν σὴν πλεῖστα ὠφελῆσαι δυνηθῶσιν: *Intellige bonum consiliarium esse vtilissimum, ac dignissimam omnium possessionem: illos etiam tuum regnum maximè amplificaturos existima, qui tuam mentem plurimùm potuerint excolere.* Imperator

E Marcus moriturus, ita cum suis loquitur præsente filio, apud Herodianum lib. 1. γένεσθε δὴ ἐν αὐτῷ ὑμεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἐμοῦ πατέρες πολλοὶ περιέποντες τε, καὶ τὰ ἄριστα συμβουλεύοντες: *Este igitur vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet, atque optima suggerendo.* Celebratur Euripidis sententia hæc,

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ:
Princeps sapiens sapientum commercio.

Non ineptè ad hoc traduxeris veterem parœmiam, quam de exploratoribus Erasmus accipit, ὦτα καὶ ὀφ-

θαλμοὶ βασιλέων πολλοί: aures, *atque oculi regum multi.* Possunt enim hi oculi, atque aures esse docti amici, per quos videat audiátque, quæ assequi ipse nequit, scribente Tacito in Annalibus *principem sua scientia non posse cuncta complecti.* Redeo ad lapidem mihi initio propositum. Pyrrhus ille qui bellum gessit aduersum Romanos, *habuisse traditur* (verba sunt Plinij lib. 37.) *Achatem, in quo nouem Musæ, & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* De hoc eodem sic cecinit Marbodæus:

Musæ in Achate.

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena nouem signabat pagina Musas:
Et stans in medio citharam tangebat Apollo:
Naturæ, non artis opus, mirabile dictu.

Cerne iam perspicuè Achatem habentem Musas, & Apollinem; id est, scientiarum omnium doctrinam notitiámque. Talem comitem Maro suo principi Æneæ attribuit.

6. BINA HASTILIA] Apertè tangit Romanum morem, de quo dicam in 12. vbi hic versus repetitur. Sed potuit quoque ad Græcum. nam Homerus ita suos duces inducit. & Pindarus od. 4. Pyth.

Duæ hastæ, ex Romano & Græco more.

Ἧκετ' αἰχμαῖσι διδυμαίσιν:
Venit vir hastis geminis terribilis.

7. LATO FERRO] Allusum ait Hortens. ad tela Romana, quibus præfixa longa ferramenta. Mallem diceret, lata. nam hîc nihil de longitudine, tantùm de latitudine. De vtroque vide Lipsium lib. 3. Milit. Rom. dial. 4. Vbi ex Flori verbis mucronem pili satis latum fuisse docet.

Pila Romana lato ferro.

[a] Cui mater media sese obtulit in sylua
Virginis os habitúmque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalice, volucrémque fuga præuertitur Hebrum.
[b] Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederátque comas diffundere ventis,
Nuda genu, nodóque sinus collecta fluentes.
[c] Ac prior, heus (inquit) iuuenes monstrate mearum
Vidistis si quam hîc errantem fortè sororum,
Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.

ARGVMENTVM.

Offert-se Venus nato in media sylua vultu & habitu Virginis venatricis Spartanorum: illum prior ipsa rogat, quæsita ad loquendum occasione.

EXPLICATIO.

[a] OPPORTVNAM satis fictionem aggreditur, qua Æneas, qui Libyæ loca explorare destinauerat, de rebus regni illius doceretur à matre Venere, venatricis nymphæ habitúmque cultúmque assimulante. Itaque *mater* facta filio *obuia, obtulit se se* illi in *media sylua, gerens os habitúq; virginis & arma virginis Spartanæ.* Est Sparta & Lacedæmon vrbs eadem, & caput Laconiæ: vbi virgines ex instituto Lycurgi exercebantur venationibus, lucta, cursu. Notant nõnulli indicari hoc loco continentiam Æneæ, qui, visa in desertis agris pulcherrima fœmina, nullius cupiditatis indicium dederit. & aptè hoc notant. nam in suo Ænea repræsentat hic vates, quales esse debeant mores principum. Pergit. *Vel qualis Harpalice,* Turnebus mauult *Harpalyce* scribendum (de hac dicam postea) *Threissa,* ea forma, qua à Nostro *Phœnissa* & *Libyssa* à Catullo, *fatigat equos,* non suos (ait Corrad.) his enim si vteretur, non laudaretur à celeritate, neque quadraret comparatio cum Venere pedite. *præuertitúrque fuga,* id est, cursu, *Hebrum volucrem,* nam hic fluuius rapidissimus.

[b] Reddit rationem, cur esset similis Spartanæ virgini, & puellæ Harpalicæ, ideo incipit à particula *namque.* Ergo, *suspenderat* vt *venatrix* quam assimulabat, *arcum habilem,* & hunc *humeris,* idque *de more* venantium, *dederátque diffundere comas ventis.* erat præterea *nuda genu, collectáque nodo sinus fluentes.* Dat (vt vides) illi res quatuor, arcum ab humeris pendentem: comas, non astrictas, sed solutas: vestem vsque ad summum tantùm genu, ad summum (inquam) nam nudum erat: demum sinuosam vestem, illigatam, ac collectam nodo, ne flueret, essétq; impedimento ad venationem. Primi versus sententia perplexa est. Nam potest esse hæc; *suspenderat humeris arcum habilem,* id est, versatilem: insinuat hoc Germanus, qui ait *habilem* respondere Euripidis voci, qui pharetram vocat ἀγρέτην: vel hæc, *suspenderat arcum habilem humeris,* id est, aptum congruentémque humeris, bene se habentem in humeris.

[c] Interrogat ipsa prior, cùm ad fallaciam tegendam, tum maxime ad præbendam Æneæ occasionem fiduciámque loquendi. vt Charinus in Andria, *ô salue Pamphile*, vbi hoc Donatus aduertit. Quid verò interrogat? *heus iuuenes,* vel quia verè iuuenes, vel quia ætatis robore, vel adulans Augusto tunc iuueni: nec diuersa Horatius od. 2. lib. 1. *monstrate si vidistis hîc quam.* (aliquam) *sororum mearum.* Nequid perperam suspicentur de se, cùm sola in syluis vagetur, sorores se ait habere: & eo ipso habitum venatricis sibi induxit, non solùm vt diuinitatem occultaret. *fortè errantem,* facit rem verisimilem ex more venatorum, qui feras cùm persequuntur, errare in syluis solent. *succinctam pharetra.* Seruius sic concipit, in cingulo habentem pharetram. Ita quis dicetur succingi gladio, etiam si is pendeat ex baltheo. Aliqui hîc agnoscunt *pharetram,* sed nihil muto. *& tegmine lyncis maculosæ,* id est, pelle discoloris, & variantis maculis feræ. *aut prementem clamore cursum apri spumantis.* Nam feræ clamore solent premi adigíque ad loca retium & insidiarum.

NOTÆ.

1. CVI MATER MEDIA] Insistit duplici loco Homeri Odyss. 7. & 13. Vtrobique enim Miner

Minerua Vlyssi occurrit.in 7. habitu puellæ haben-tis vrnam. in.13.similis regio iuueni.confer κατ' λεπτόν, si vacat,& grandius videbitur,assumi habitum venatricis, quàm vrnulariæ puellæ: est hoc enim parum decēs vni cælestium. Quid quòd longè diuersus apparatus? cæci videbunt. Quid quòd absque decoro primus loquēdi locus Vlyssi datur? Nescio quid hoc dedeceat. Itane Vlysses cum Virgine loquitur, & pulcherrima, quam nunquā viderat? Meliùs Maro, qui priores loquendi partes dat Veneri: tum, quia is, qui alteri apparet, ab eo debet sermonem elicere: non contrà: tum, vt pudori consulat.

Virgilius se- pera: Homerum.

2. VIRGINIS ARMA SPARTANÆ] De hoc Lycurgi,& Lacænarū instituto, alibi à me. Hîc audiendus Euripides Androm. ore Pelei ad Menelaum,

—οὐδ' ἂν βούλοιτό τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
Αἳ σὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους
Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
Δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετὰς ἐμοὶ
Κοινὰς ἔχουσι.

— neque si velit aliqua
Puella Spartana, possit esse casta,
Quæ relinquentes domus, cum iuuenibus,
Nudis femoribus et tunicis laxatis
Cursus & palæstras non tolerandas mihi
Communes habent.

Spartanæ feminæ palæstras exercent.

3. HARPALICE] Aiunt patrem huius à Getis captum, filiæ opera liberatum, assequentis pedestri cursu pernicissimos equos Getarum, idque ad amnē Hebrum Thraciæ. Modò huic historiæ institerit Poëta, modò alteri, quam Hyginus narrat in Mithol. cap. 193. modò hæc Harpalice, sit illa, quæ Iphiclum deperiit ardentissimè: id certum esse debet, Poëtam aut veræ historiæ, aut fabulæ adhæsisse. Cùm autem plurima antiquorum monumenta perierint, nihil mirum, non posse semper historiam assignari. si verò alterum de fabulis; incertæ istæ sunt, & vagæ, quæque fingi ad gustum vniuscuiusque possūt.

Harpalice.

4. VOLUCREMQVE FVGA PRÆVERTITVR HEBRVM] C[...]antur verba hæc Plutarchi. Ἕβρος ποταμός ἐστι τῆς Θρᾴκης [...] ἀπὸ τῆς συστροφῆς καταφορᾶς τοῦ ὕδατος. H[...]s Thraciæ fluuius nomen habet à vertigine rapiditatis vndarum. Placuit aliquando, vt hîc *Eurum* legeretur, non *Hebrum*. Primo quia commodiùs videntur alæ dari vento, quàm flumini. Ouidius enim,

Hebri fluminis etymon.

—madidis Notus euolat alis.

& Philostratus lib. 1. Icon. de Zephyro, πτηνῷ τῷ κροτάφῳ. Deinde quia Poëta alibi, *præuertere ventos.* Atque etiam vetus Poëta:

—& peruolat ocyus Euro,

quod hemistichium arripuit Apollonius lib. 3. Excidij. Tertio, quia, quæ dicuntur de Harpalice currente ad Hebrum, non satis firma sunt, & adhuc auctoritas requiritur, cùm nihil tale Hyginus, aut alij narrent. tantùm enim illa adducuntur ab interpretibus. Idem fortasse error hæret in Horatio od. 25. lib. 1. versu extremo. Vbi *Euro* libentiùs legam, quàm *Hebro*. Quadrat enim meliùs, vt frondes Euro aut ventorum cuilibet dedicentur, quàm flumini. Phrasi Virgiliana locutus Statius. 4. Th.

Cornipedem trepidos suetum præuertere ceruos:

& vterque Pindarica, nam od. 2. Pyth. παραμείβεται δελφῖνα. *præuertitur delphinum.* Nota adiectiuū, volucrē vocat aut fluuium, aut ventum ad signandam celeritatem. Consimilis locutio Aristidis in. 2. Platonica, ὥσπερ ὀρνίθων τῶν ἵππων ἐχόμενος· *equis vectus tanquam auibus.* Scias demum hunc fluuium scribi ab Strabone, & Ptolemæo absque aspiratione.

Equi auibus comparantur.

A 5. NAMQVE HVMERIS, &c.] Nota venationis certissima. Valerius. 3. Arg. ita venantes Nymphas describit,

Venatricis habitus.

—pulchro venantes agmine Nymphas
Vndarum nemorúmque decus: leuis omnibus arcus,
Et manicæ virides, & stricta myrtus habena.

Non placet *vndarum Nymphas* induci in terrestri venatione. Redeo. Diana apud Callimachum petit à Ioue, δὸς δ' ἰούς, καὶ τόξα· *da sagittas, & arcus.* quod iterum repetit. De eadem Diana. 2. Rap. Claudianus,

—pendent post terga sagittæ.

Ab Heliodoro lib. 7. Hist. Æth. describitur Chariclia cum pharetra pendente ab humeris. Liuius Andronicus in Ione apud Terentianum,

B *Pressáque iam grauida crepitent tibi terga pharetra.*

Sed præter morem Venationis, quem Poëta attingit, potest alludere ad alium, quo Venus (non adeo solus Cupido) habere arcum dicebatur ad iaculandas sagittas amoris. Iulianus Ægyptius in epigr. Græc.

Venus cum arcu.

Αἰεὶ μὲν Κυθέρεια φέρειν δεδάηκε φαρέτρην,
Τόξα γε καὶ δολιχῆς ἔργον ἑκηβολίης.

Vsque Venus plenam didicit gestare pharetram,
Atque arcum, & longè spicula quæ feriunt.

Chorus quoque apud Eurip. in Medea ita loquitur ad Venerem.

Μή ποτ' ὦ δέσποιν', ἐπ' ἐμοὶ
Χρυσέων τόξων ἐφείης
Ἱμέρῳ χρίσασ' ἄφυκτον οἰστόν.

Numquam ô domina aduersum me
Emitte ex aureis arcubus
Ineuitabile telum perungens desiderio.

6. DEDERATQVE COMAS DIFFVNDERE VENTIS] Phrasis Græcorum, & hæc signatè Euripidis Troad. ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι. Non erant Veneri distinctæ comæ, aut compositæ. sed quod de Fotide ait Apul. lib. 2. capillorum *non operosus, sed inordinatus ornatus.* Quod de Daphne Ouidius. 1. Met.

Comę diffusæ.

—positos sine lege capillos.

Quod Horatius od. 2. lib. 3. *sparsum humeris capillum.* Quod de Chariclia Heliod. lib. 1. cui dat capillum Bacchico more sub corona iactatum, & occupan-

D tem partes tergi. Quod Valerius. 5. Arg. qui de Nymphis venantibus,

—tenui leuis innatat vmbra
Crinis ad obscura decurrens cingula mammæ.

Quod de Diana Claudianus. 2. Rap.

—leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas.

Contrariam sententiam Horatius, *nodo crinem coercere.* & *nodo crinem cohibere.* Ouidius, *in nodum colligere.* lib. 8. Met. hæc crinium collectio erat, vt plurimùm, arrecta in altum, dicebatúrque in viris crobylus, in fœminis corymbus, in pueris scorpius. Videbitur alicui Horatius contrarius Virgilio od. 11. lib. 2. Nam Noster Veneri, quæ se Spartanam assimulat, comas dat diffusas: & Horatius nodum adhibet,

Crobylus. Corymbus. Scorpius.

E cùm ait:

incomptum Lacænæ
More comam religata nodum.

Sed verè non est: nam Horatius, vt puto, comas à tergo solutas relinquit, tantùm à fronte illas dimouet nodo suo, quem signatè incomptum dicit, vt negligenter religatam intelligas comam. Nam Spartanis, vt pugnacibus, à fronte tantùm remouenda erat coma. Ita sentio de Horatio, ne sit contrarius Virgilio. Vti alij huic nodo satisfaciant in promptu est.

7. NVDA GENV] Ideo quia Spartanæ se assimulauit, & quia venatrici. Firmo hæc duo. Primum ex

Spartanæ Feminæ nudæ ad genu.

Ibicio Poëta, qui Lacænas vocat φαινομηρίδας, propter recta femora. ex Euripide, qui ait illas incedere γυμνοῖσι μηροῖς, *nudis femoribus*. ex Sophocle, qui illis dat θυραῖον μηρὸν, quasi clathratum, aut fenestratum femur. ex Clemente. 2. Pædag. vbi loquens de incessu & more Lacænæ virginis, ait, ὑπὲρ γόνυ ἐστολίσθαι *incedere reductis vestibus supra genu*. Alterum de Venatrice ex Callimachi hymno, vbi Diana petit à Ioue, vt det sibi, ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα, *tunicam tantùm vsque ad genu*. & reddit rationem, ἵν᾽ ἄγρια θηρία καίνω· *vt agrestes feras interficiam*. Eodem lib. 5. epigr. inducitur cum veste ἐπὶ γόνυ. ex Philostrato Iuniore, qui de Atalanta venante ἔσταλται δὲ ἐσθῆτι μὲν ὑπὲρ γόνυ· *accincta est veste super genu*. Ex Oppiano qui lib. 1. de venatione, dat venantibus vestem εἰς ἐπιγουνίδα, demissam vsque ad genua. & reddit rationem, quia si vestis sit prolixa, agitaur flatu ventorum, & feræ exterrentur. ex Valerio. 5. Arg. qui de Nymphis venantibus *summo palla genu*: ex Achille Alexandrino, qui Rhodopem venatricem inducit lib. 8. cum veste genu tenus. ex Arnobio qui lib. 6. *semitectis femoribus Diana*: ex Claudiano qui. 2. Rapt. de eadem Diana,

Venatrices nudæ ad genu.

Crispatur gemino vestis Cortynia cinctu
Poplite fusa tenus.

Ad hāc genu nudatiōnē refero Prudentiū, qui hymn. 10. περὶ στεφ. Dianam vocat *molle succinctam*, molle (inquit) ex nudato genu. Notabis ἐκ παρέργου ab Philostrato Iuniore induci Atalantam venantem nudam etiam brachiis ἐς ὦμον, *vsque ad humerum*. Ratio eius, διὰ τὸ ἐνεργὸν εἶναι (vt sit prompta ad agēdum.) Primum illud de Spartanis fœminis debeo Iunio, qui illud ad rem longè aliam Cent. 1. adag. 47. Sed possum à me addere Plutarchi locum, qui loquens de discrimine vestium, quibus vtebantur Lacænæ & Romanæ virgines, de Lacænis ait, συναναγυμνοῦν ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρὸν· *totum in incessu aperiebant femur*. & suprà dixerat, illas vocatas ab hac vna re ab Euripide, ἀνδρομανεῖς. & Pollucem, qui lib. 2. Λάκαινα φαινομηρίς. & eundem lib. 7. c. 13. qui idem latiùs.

8. Nodóque sinus collecta fluentes] Consequens hoc ex nota superiore, ideo enim collecta vestis, ne flueret ad imos pedes, & tantùm attingeret summum genu. Itaque, hoc est quod Callimachus de Diana, χιτῶνα ζώννυσθαι. & de eadem Artemidorus lib. 2. κατεσταλμένη τῷ σχήματι. & Minutius: *Diana interim est altè succincta venatrix*. & lib. 5. epig. ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα. Quod Oppianus lib. 1. de habitu venatoris, χιτῶνα σφίγγοιτο τελαμῶσιν· *coerceat vestem loris*. Sic succinctas inducunt Rhodopem Achilles; Charicliam, Heliodorus; Dianam, Ouidius, eleg. 2. lib. 3. Amor.

Talia pinguntur succincta crura Dianæ,
Cùm sequitur fortes fortior ipsa feras.

Ad hoc pertinent versus Liuij Andronici apud Terentianum,

Et iam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus,
Pressáque iam grauida crepitent tibi terga pharetra,
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Qui versus Poëtam explicant. Ita enim in Liuio fit reuocatio vestium ab baltheo, vt in Virgilio collectio ab nodo. Vbi per *nodum* intelligit cingulum, tanquam ex parte totum. Cingulum enim, quà illigatur, in nodum desinit. Pollux etiam inter Venatoria instrumenta lib. 5. χιτὼν εὐσταλὴς πρὸς τὴν ἰγνύαν καθήκων· *Tunica expedita demissa ad poplitem*.

Sinus de vestib.

9. Sinvs flventes] Vox vtraque apta. Sic & Græci κόλπους dicunt de vestibus, & χιτῶνα κολποῦσθαι, *vestem sinuari*. Liuius, *sinum ad ima crura deducere*. Et Virgilius de velis nauticis, *obliquatque sinus*. Est verò *sinus* in vestibus curuitas cauitásque illarum, explicatore Eustathio. Vocem alteram Ouidius quoque vsurpat. 3. Art.

Fluo de vestibus.

Hæc mouet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit.

& Propertius lib. 3.

Et feries nudos veste fluente pedes.

Virgilius inf. *vestis defluxit*. Tibullus lib. 1. eleg. 6. *effluit toga*. Sic Tacitus *fluitantem vestem*, & Catullus *fluitantem amictum*.

Iuuenes dicebantur Heroes.

10. Ivvenes] Explicationibus præmissis adiice aliam, quę fortasse verior. Magni illi Heroes, *Iuuenes* dicebantur elogij & laudis loco. Propertius lib. 2. eleg. 22. de Vlysse, *Sic à Dulichio iuuene est elusa Calypso*. De Argonautis Catullus:

Cùm lecti iuuenes.

Ouidius in epist.

Excipit hospitio iuuenes Æeta Pelasgos.

De Hercule Propertius lib. 1. eleg. 20.

At comes inuicti iuuenis:

id est Hylas comes Herculis. Ita Ouidius. 5. Fast. vt dicat Herculem susceptum hospitio à Chirone, ita concipit.

Excipit hospitio iuuenem Philyreïus heros.

Ita fortasse Augustus dictus Horatio od. 2. lib. 1. & Virgilio 1. Georg. *iuuenis* adulatione magna.

11. Svccinctam] Pertinent ad hoc superiores Notæ. Nihil est enim aliud hæc succinctio, quàm illa fluentium vestium collectio.

12 Macvlosæ tegmine lyncis] Dicit, succinctum fuisse lyncis tegmine. Nam illud quorundam, *prementem cursum lyncis tegmine maculosæ*, nondum concoxi. Itaque alludit proculdubio Poëta ad morem, quo venatores inducebantur spoliis victarum ferarum, vt Hercules Leonis. Ne[illegible]e aliter capi debet Callimachus, apud quem Diana vult, ζώννυσθαι χιτῶνα λεγνωτὸν. *cingi vestem variegatam*. & lib. 5. epig. eadem inducitur, λε[illegible] ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα· *recincta variegatam* [illegible]em.

Venatores spoliis ferarum induti.

13. Spvmantis apri] Lucretius suem vocat *spumigerum*. Claudianus 2. Rap. *Spumet aper*. Martialis lib. 11, in epitaphio canis venatoriæ:

Apri spumosi.

Fulmineo spumantis apri sum dente perempta.

Philostratus Iunior in Iconib. ita aprum describit in venatione. ὁρᾷς γὰρ ὡς ὕφαιμον μὲν αὐτῷ τὸ ὄμμα, λοφιά τε φρίττουσα, καὶ πολὺς ὁ κατὰ τῶν ὀδόντων ἀφρὸς ἐς πολὺ ἀνεστηκότων, καὶ τὴν αἰχμὴν ἀτρίπτων· *Cernis vt subsanguineus sit ipsi oculus, & crista exhorrescens, & multa per dentes spuma, qui altè erecti sunt, & cuspide non trita.* Pollux lib. 5. in descriptione apri, ἀφρὸς αὐτῷ τοῖς χαυλιόδουσι περιζεῖ· *spuma ipsi in dentibus adhæret*.

Clamor venatorum.

14. Clamore prementem] Vtrunque ex re venatorum: nam & clamor illorum est, cùm feras vel terrent, vel aliquò adigunt. ita 3. Georg.

Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Quem locum adi, satis à me illustratum. & adiice Philostratum lib. 1. & 2. Icon. Ibi inducit venatores βοῇ χρωμένους. hîc ξυναίρουσι βοῇ κύνες ἄνδρασι. Non minùs venatorum est *premo*, quod liquidum ex vtroque Virgilij versu, & ex Dione Chrysost. Orat. 7. apud quem quidam, vt probet se bonum esse venatorem, ducit hoc argumento, καὶ ἔλαφον καταπονῶ, καὶ συνεφίσταμαι: *ceruum opprimo, atque vrgeo*. Seneca de vit. Beat. cap. 14. *Qui bestiarum cubilia indagat, vt illarum vestigia premat*, &c. Pollux lib. 5. ὁ δὲ κυνηγέτης ἐκβοάτω κυσίν.

Premo venatorum est.

a Sic

[a] Sic Venus: at Veneris contrà ſic filius orſus:
[b] Nulla tuarum audita mihi, neque viſa ſororum.
[c] O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, NEC vox hominem ſonat. ô Dea certè:
An Phoebi ſoror, an Nympharum ſanguinis vna?
SIS FELIX, noſtrúmque leues quæcumque laborem.
[d] Et quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas. ignari hominúmque locorúmque
Erramus, vento huc & vaſtis fluctibus acti.
[e] MVLTA tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

ARGVMENTVM.

Viſa Veneris pulchritudine, in eius laudes ignarus filius erumpit: petit, doceat vbi gentium ſit, vbi terrarum, nam eò tempeſtate appulſus, ignarus eſt omnium: ad idut alliciat, hoſtiam promittit aliquid ſuſpicans de diuinitate.

EXPLICATIO.

[a] FESTIVA oratio in illis, *Venus, Veneris.*

[b] Non *audita*, quia Venus rogauerat de *clamore.* Non *viſa*, quia illa etiam, *Vidiſtis ſi quam.* Vide vt breuiſſimè Æneas reſponderit, tum quia illa breuiſſimè rogauerat: tum vt indicetur affectus Æneæ ſtupentis de pulchritudine Veneris. Hæc ita fuit magna, vt Æneam à breuiſſima reſponſione ſtatim reuocauerit ad erumpendum in illius laudes. B

[c] Incipit à particula *ô* plena admirationis. Ergo, *ô Virgo.* Afficit illam excellenti nomine. Primò, vt eius colligat beneuolentiam: Deinde, quia Ethnicis ſemper viſa eſt virginitas præclarum quidpiam, & honeſtatis plenum. Tertio, quia ipſa ſibi habitum virginis induxerat. Pergit, *quam te eſſe memorem?* Affectus ex dubitatione. neſcit enim quam eſſe putet feminam inuſitatæ pulchritudinis. Habeo hîc quod expendas. Nos ita ſolemus loqui. Quem te eſſe dicam? Maluit vates. Quam te eſſe memorem? Certè, vt primùm vidit Venerem, ſtatim animo deſtinauit prędicare aliis tam raram pulchritudinem, tanquam inſolitum prodigium naturæ. Rectè itaque. Quam te eſſe aliis memorem? quam te aliis prædicem? Sequitur duplex cauſa dubitationis, prima, à vultu; altera, à voce: *vultus non tibi eſt mortalis, vox non ſonat hominem.* Ab hac dubitatione inclinat clarè in diuinitatem, & id ſeriò affirmat, *ô Dea certè.* Sed quæ Dea? *an Phœbi ſoror? an vna ſanguinis Nympharum?* Nam quid aliud aptius potuit præſumere ex habitu? Ab hac alternantis animi dubitatione erumpit in illud, *ſis felix*, id eſt, propitia: *leueſque noſtrum laborem, quæcumque ſis*, ſiue mortalis ſiue immortalis. C

[d] Vult ſcire, ſub quo ſit cælo, in quibus terrarum partibus. Neque ait, ſimus, ſed *iactemur* ad maiorem affectum. Reddit rationem, cur velit hoc ſcire, *Quia ignari hominum, ignari locorum erramus, acti vento, acti fluctibus.* Laudo hîc Poëtam. Laſciuiret alius longa oratione, & latè connumeraret præteritam tempeſtatem, quod non ſemel facit Vlyſſes Homericus. Noſter breuiſſimè tria docet. Primum, non illum fuiſſe curſum, nam *erramus.* deinde, tempeſtatem, tertiò, tempeſtatis vim, nam *vaſtis fluctibus.* Expende vocem *erramus.* Dixerat illa, vidiſtis fortè errantem ſororem? Reſpondet hic: Neminem vidimus errantem, tu nos errantes aſpice. D

[e] Diuinitatem quam illi dederat, confirmat iudicans illam dignam, quæ habeat aras. Illi ergo hoſtiam pollicetur. & hanc non quamcumque, ſed multam. Deinde, non per alios miniſtros ſed per ſe. A

NOTÆ.

1. O QVAM TE MEMOREM, &c.] Totus hic locus Homericum adumbrat Odyſſ. 6. Vbi Vlyſſes ita ad filiam Alcinoi,

Γουνοῦμαί σε ἄνασσα· θεὸς νύ τις, ἢ βροτὸς ἐσσί.
Εἰ μέν τις θεὸς ἐσσὶ, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Ἀρτέμιδί σε ἔγωγε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ' ἄγχιστα ἐΐσκω.
Εἰ δέ τίς ἐσσὶ βροτῶν, τοὶ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσι·

Suppliciter te oro ô Regina, Deus ſiue quis, aut mortalis.
Siquidem Deus es, qui latum cælum incolunt,
Artemidi te ego Iouis filiæ magni
Et forma, & magnitudine, & indole quàm proximè aſſimulo.
Siue aliquis es hominum, qui in terra habitant.

Adducam comparationem Scaligeri, cui ego laciniam addam. Quanto cum maiore decore Noſter? cum ea primum dubitatione, deinde aſſertione. Eſt enim ἠθικὴ oratio: Etiam dubitationis cauſam affert, *namque haud tibi vultus Mortalis.* Hoc ex aſpectu. Illud efficacius, *nec vox hominem ſonat.* Tum aſſertio per repetitionem, *ô Dea certè.* Adiungit etiam religionem, ne offendat numina, & cum modeſtia diſtribuendo dubitationem, Virgilius ſuperat Homerum.

An Phœbi ſoror, an Nympharum ſanguinis vna.

Nefas enim erat, Deum Deámve alio, quàm ſuo nomine appellare, neque obtinebant vota. Itaq; euocata legas numina apud Liuium, & ea cauſa numinis illius, cuius in tutela Roma eſſet, nomen tacitum & arcanum. Poſtremo Dianæ ſimilem dixit Homerus, Virgilius expreſsè ſororem Phœbi. Hæc Scaliger, & his verbis. Adiungo, Noſtrum commodè à virgine ad Deam, à Dea ad Dianam, quaſi per gradus quoſdam perueniſſe, ſemper magis laudans: cùm Græcus contrà, non ita aptè à ſimilitudine Dianæ ad hominem deſcenderit, quaſi laudem reuocans, & faciens minorem. Deinde filia Alcinoi nihil magis Dianam, quàm aliam quampiam Dearum referebat; Venus omnino Dianam, non ſolùm pulchritudine, ſed etiam habitu venatricis, arcu, nudato genu, fluentibus crinibus, ſinu veſtium, & recinctione. Tertio, vide cumulatiſſimas gratias, *cadet tibi multa hoſtia.* Vides, vt Latinus in ſua imitatione corrigat, quæ Græcus peccat. Petro imitationem Ouidij lib. 14. Met. qui ad vtrumque vatem aſpirauit, debes Naſcimbæno, vide in illo.

2. NEC VOX HOMINEM SONAT] Vox *homo* de vtroque ſexu dicitur, itaque de fœmina *hominem* rectè dices. Clarum hoc tum ex Virgilio hoc loco, qui fœminam intelligens, dicit, *nec vox hominem ſo-* Homo pro femina.

nat. quàm ex verbis Clementis lib.1. Pædag. quæ nolui prætermittere. *viris itaque & mulieribus commune nomen homo est. Ea ratione mihi videntur Attici παιδάριον communiter, non solùm masculum, sed etiam fœminam vocasse, si cui fide dignus esse videbitur, Comicus Menander in Rapizomena, quasi dicat, filiola mea: admodum enim natura humanum ac benignum est παιδάριον.*

3. An Phoebi soror, &c.] Credebant veteres, inani quadam religione imbuti, propitios sibi Deos fore, si, quo quisque nomine gaudebat, eo afficeretur, non alio. Id nomen cùm sæpe ignorarent, loquebantur ad eum modum, quo hîc Poeta, ne numen offenderent. Ita Horat. in carmine sæculari loquens cum Ilithyia,

Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

B

Adrastus apud Statium. 1. Theb. ita loquitur cum Phœbo.

—seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mitram.

Citat Clemens lib.5. Strom. Euripidem, qui loquens cum Ioue, & offerens illi libamen, ait: Ζεὺς, εἴτ' Ἀΐδης ὀνομαζόμενος στέργεις: *ô Iuppiter siue mauis vocari Dis.* Verba Deuotionis hæc adducit Macrobius lib.3. Sa-

A

turn. cap.9. *Dis pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare.* Martianus: *Iuno pulchra, licèt aliud nomen tibi consortium cæleste tribuerit, & nos à iuuando Iunonem, vnde & Iouem dicimus, nominemus: seu te Lucinam, quòd lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam conuenit nuncupari.* Ex hoc quoque more Catullus ad Dianam, post plurima nomina, addit:

Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine.

Ex hoc Horat. sat.5. lib.2.

Matutine pater, seu Iane libentiùs audis.

Vetus Poëta apud Charisium:

Luna Deûm quæ sola vides periuria vulgi,
Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris,
Huc descende.

Lege Apuleium lib.2. non longè ab initio, vbi locus illustris huius moris.

4. Felix] Explicui, *propitia.* aliis placet, fausta, fortunata. Primum placet, vt & Seruio. Sic.5. ecl. *Sis bonus ô felixque tuis.* id est, propitius. sic 3. Æn. Felix id est, propitius.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

id est, propitiis.

5. Cadet] Vox sacrorum. Proper. lib. 4. el.6.

Et cadat ante meos icta iuuenca focos.

Seneca Rhetor. Cont. 25. lib.4. *Securi percutiatur, legi cadat.* Centena hæc.

a Tunc Venus, haud equidem tali me dignor honore.
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureóque altè suras vincire cothurno.
b Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbem:
c Sed fines Libyci, GENVS intractabile bello.
d Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens. longa est iniuria, longæ
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

C

ARGVMENTVM.

Respuit Venus honorem diuinitatis, & Æneæ suspicionem euertit, habitum conferens in morem patriæ: accingit se deinde ad narrationem de rebus Carthaginis, & breuiter complectitur, quæ multis deinde.

EXPLICATIO.

a Dixerat extremo loco Æneas, *cadet in tuũ honorẽ ante aras tuas multa hostia,* hoc respuens Venus ait, non *tali honore* sum digna, & signatè *honore:* nã sermo est de sacrificiis. Argumentum, quo Æneas suspicabatur, illam esse Dianam, ducebatur ab adiunctis, videlicet ab arcu, à pharetra, à genere indumenti, nam hic habitus Dianæ erat. Auertit hanc suspicionem, & habitum confert in morem patriæ. Quæ proprietas Poëtæ in rebus omnibus, indicabo in Notis.

D

b Incipit satisfacere Æneæ, & accingit se futuræ narrationi, complectens breuiter in hoc exordio, quæ multis dictura. Hic versus mirus est. Distinguit enim prouinciam, vrbem, genus illorum, qui condidere Carthaginem. Ergo, *vides regna Punica,* id est, regna, quæ ortum ducunt à Phœnicibus. en prouinciam. *Vides Tyrios,* en iam signatè, vrbem, nam Tyros vrbs est Phœniciæ, & ex ea vrbe profecti sunt conditores Carthaginis. Non contenta Venus prouincia, & vrbe, contractiùs loquitur. *Vrbem Agenoris.* Erãt enim qui aduenere ex Tyro, ex genere Agenoris.

E

c Subaudi, sed fines sunt Libyci regni. Vel, quod malim, sed hi sunt fines Libyci. Sequitur, *genus intractabile bello.* Agnosco quiddam nõn vulgare, tum ex hoc, tum ex particula *sed,* in qua est oppositio. Phœnices & Tyrij, sicuti plurimùm omnes Asiatici, habiti sunt mollissimi. Ergo post horum mentionem infert bella. Quasi dicat. Etiam si Carthaginienses ortum habeant à Phœnicibus, & Tyriis mollissimis: ne tamen virtute Phœnices, & Tyrios puta, non Agenoreos, sunt enim bello acres. Contingit enim mores mutari cum loco docet sæpe hoc natura ipsa in plantis.

d Tenet hîc Dido imperium, quæ Tyro profecta est. Dicit *imperium* ad maiorem admirationem. Regna obtinuisse feminas, crebrum: non ita crebrum, imperia. nam hæc vox signat etiam bella. Sequitur, *Germanum fugiens,* per prolepsin. Occupat enim, quod rogare posset, quare Dido relicta patria sedes verterit? In his *longa est iniuria, longæ ambages,* locus est attentionis. In illis autem, *sequar summa rerum fastigia,* id est, capita, locus est docilitatis.

NOTÆ.

1. Havd eqvidem tali me dignor honore] Respuens Venus hostiam, alludit obiter ad morem veterem, quo huic Deæ sacra fiebant, non sanguine & carnificina, sed thure ac floribus. Sic putat vir doctus Nannius, aduocátque Horatium, qui. 1. Carm. od. 19. destinans sacrum Veneri sacra fiebant floribus, & thure.

crum

crum Veneri, ita ait:

Hic viuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite thuráque
Bimi cum patera meri
Mactata veniet lenior hostia.

Et verba Acronis ex codice Blandinio hæc: *bene verbenas, cespitem, & thus Veneri promittit, quæ non placatur sanguine.*
Virgilius,

haud equidem tali me dignor honore.

Item:

centúmque Sabæo
Thure calent aræ, sertísque recentibus halant.

Suilia festa Veneris.

Obiicies quî vera hæc esse possunt? cùm Veneri sue quoque litaretur: quod Athenæus probat lib. 3. Callimachi testimonio. Inde festa Veneris ὑστήρια, id est, *suilia*, apud Zenodotum. Apud Plautum etiam quidam ait, placasse sibi Venerem agnis mactatis. Sic obiicit Nascimb. cui ideo non placent superiora Nannij. Quid igitur in hac rixa? Mihi vehementer probatur Seruius, qui, quæ dicta, contrahit ad Venerem Paphiam. Eius verba: *Paphiæ Veneri, quæ Cypri colitur, thure tantùm sacrificatur, & floribus.* Inde postea de Venere,

Illa Paphum sublimis abit, &c.

subdit enim ibi illam coli thure, & sertis. Quem ad locum, qui ad hanc rem potior, ego plura: hîc enim tantùm libuit vti opera Nannij. De toto hoc loco in communi scias respectum fieri ad Homerum od. 7. Vbi Vlysses adimit suspicionem Alcinoo, aliísque, qui putabant se Deum esse, verba eius:

—οὐ γὰρ ἔγωγε
Ἀθανάτοισιν ἔοικα, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
οὐ δέμας, οὐδὲ φυήν: ἀλλὰ θνητοῖσι βροτοῖσι:

—non enim ego
Immortalibus similis sum; qui latum cælum habitant,
Neque corpore, neque indole: sed mortalibus hominibus.

Cothurnus purpureus.

2. PVRPVREO] Nota colorem cothurni. sic 7. ecl. *puniceo cothurno*, quod arripuit Valerius loquens de Vate Mopso. Sic Persius sat. 5. *solea rubra*, quod de cothurno docti accipiunt. Laconum calceamenta esse ἐρυθρὰ, id est, *rubra*, Pollux scribit lib. 7. Quæ hæc alia, nisi cothurnus? vel interprete hîc Poëta, apud quem Venus cum purpureo cothurno Spartana, id est, Laconica, esse putatur. Nam & ex Pollucis loco obseruat Gifanius, Dianæ purpurea attribui calceamenta, quòd Laconico se cultu gereret.

Laconica calceamenta purpurea.

Cothurnus altè excurrebat.

3. ALTE] Ideo altè, quia cothurnus excurrebat per tibiam. Sed quid si hæc vocula rem etiam aliam respicit? Apparebant Deæ mortalibus formâ humanâ maiores, ex qua forma potuit coniicere Æneas venatricem istam esse Deam: hoc illa diluens, magnitudinem sui corporis coniicit in cothurnum, qui altus, augebat enim staturam. quæ hîc dixi aliqui autumant: sed non placent. Vide Notam quintam statim sequentem, vbi loquor de duplici cothurno.

Cothurnus vinculis illigabatur.

4. VINCIRE] Nam vinculis cothurni illigabantur. Ouid. 3. Amor. eleg. 1.

Lydius apta pedum vincla cothurnus habet.

Pollux lib. 7.

ὑποδήματα δεσμῷ διεσταλμένα:
calceamenta illigata vinculo.

Cothurnus venatorum.

5. COTHVRNO] Aptè, nam cothurnus est & venatorum & feminarum. Primum firmat Philostratus Iunior, qui venanti Atalantæ dat κρηπῖδα: neque dubium quin crepidæ huius respondeant cothurno Maroniano & venatorio. Et infrà de Meleagro venatore. ἐσθὴς δὲ λευκὴ ὑπὲρ γόνυ, καὶ κρηπὶς ὑπὲρ σφυρὸν,

A ἐρείσματα ἀσφαλὲς τῇ βάσει: *indutus veste alta supra genu, crepidam supra crus, quod fulcrum firmum est ad incessum.* Alterum firmat Suidas, *Cothurnus calcei genus vtrique & pedi & sexui aptum.* Sed scias duplicem fuisse cothurnum, alterum tragicum, qui adiiciebat staturam, de quo iam in Eclogis: alterum venatorium, qui non multùm excresceret; apage enim vt cum altissimis illis cothurnis dari posset commodè opera venationi. Hic dicitur *altè vincire*, non quia ipse altus, sed quia excurreret altè per tibiam, & alligaretur pene ad genua. Cui rei seruit testimonium Philostrati Iunioris iam adductum: & hoc Pollucis lib. 5. de instrumentis venatoriis. ὑποδήματα κοῖλα ἐς μέσην τὴν κνήμην ἀνήκοντα, δεσμῷ ἀκριβεῖ διεσταλμένα: *Calcei caui ad mediam tibiam ascendentes, firmo illigati*
B *vinculo.*

Cothurnus fœminarũ.

6. PVNICA REGNA VIDES] In primis scias, totum hunc locũ pendere ab Homerica imitatione. Odyss. 7. Vbi Pallas Virginem referens, Vlyssi, ante quam is ad Alcinoum perueniat, latè aperit regis huius originem. Deinde, si tibi otium, lege clarissimum elogium Modicij, vbi Virgilium attollit ducto argumento ab sequenti narratione. aítque, nec totam Græciam, nec principem Græcorum Homerum posse aspirare ad gloriam horum carminum. Insererem hîc Modicij verba, nisi ea obuia essent in Pontano nostro. Et quidem ab his meis commentariis multa passim amputo, quæ in illo video.

Didonis genus.

7. AGENORIS] Didonium genus integrum hoc est. Iuppiter Epaphum genuit, hic Belum Priscum,
C hic Agenorem, hic Phœnicem, hic alterum Belum patrem Didonis, Pygmalionis, Annæ. Hæc elici ex Chronologis possunt. Menander Ephesius sic digerit. Hiramo regi (is est qui amicitia coniunctissimus fuit cum Salomone) successit Balbazerus, huic Abdatarus, cui Metusastartes, inde Astarimus, mox Pelletes, deinde Tythoballus, mox Badzodus, demum Mettinus, huic Pygmalion. patrem certè Pygmalionis alij Metren vocant. Sed scias pleraque horum probari non posse, vt quæ fabulis innitantur, in quibus multa sunt fidei dubiæ. Theophilus patriarcha Antiochenus adducit longum catalogum Regum vsque ad Pygmalionem, & Didonem. Habetur hic catalogus tomo 1. Biblioth. Sanctorum pag. 932.

D 8. FINES LIBYCI] Quid si allusum à docto Poëta ad hanc partem Africæ, vbi erat Carthago, dictam veteribus *Eschatian*, Ἐσχατιὰν, & *Coryphen*, κορυφήν. quòd esset extrema, & veluti culmen. Vide Ortelium in indice Geographic. voce *Libya*.

Africa ἐσχατιὰ & κορυφή.

9. GENVS INTRACTABILE BELLO] Sunt qui putent allusum ad infidelitatem Carthaginensium, qui sæpe fidem & pacta fregerunt, dicente Tullio in Som. Scip. *Vidésne illam vrbem, quæ parere populo Romano coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere?*

Africani infideles.

Seruij error.

10. TYRIA REGIT VRBE PROFECTA] Ait Seruius, Didonem, non Tyro, sed Sidone profectam, locum tamen vicinum pro loco vsurpatum. Sed cur
E credam? Apertè Tacitus lib. 16. Ann. *Didonem Phœnissam Tyro profugam.* Iustinus etiam, cùm nihil de Sidone meminerit, in historia tantùm Tyrum assumit. Appianus ἐν Λιβυκ. hoc sæpe inculcat: ibi enim Dido dicitur γυνὴ Τυρία, *mulier Tyria.* & frater eius Pygmalion, Τύρου τυραννῶν, *Tyrannus Tyri.* In eodem libro Cato ita loquitur ad Carthaginienses: καὶ τὰ ἐν Τύρῳ καταλιπόντες ἠλλάξασθε Λιβύην: *Libyam venistis relinquentes quæ vobis erant in Tyro.* Inde signatè suprà

Dido profecta est Tyro ad Africam.

—Tyrij tenuêre coloni.

& Velleius lib. 1. *Elissa Tyria.* Quod hîc *imperium regit*,

git, Lucretius lib. 5 *rem imperio regere*, Maro suprà, *regere imperijs*.

11. AMBAGES] Vox vsurpata in sermone à Lucretio, Horatio, Ouidio. Loca alij coniungunt.

12. SED SVMMA SEQVAR FASTIGIA RERVM] Est hoc, quod dixit Orosius, lib. 3. cap. 11. *magna paruis* A *colligam*. quod Ammianus lib. 17. *propositum meum in pauca conferam*. Plautus multis variat, vt solet, lepidè. Asinar. *verba in pauca conferam*. Casin. *in pauca refer*. Menæch. *Loquere paucis, non longos logos*. Mostell. *orationis operam compendio face*. Milit. *verba confer maximè ad compendium*.

[a] Huic coniux Sichæus erat ditissimus agri
Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore,
Cui pater intactam dederat, primísque iugarat
Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, SCELERE ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor. [b] ille Sichæum
Impius ante aras, atque AVRI cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ: factúmque diu celauit, & ægram
(MVLTA malus simulans) VANA spe lusit amantem.
[c] Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris:
Crudeles aras, traiectáque pectora ferro
Nudauit, cœcúmque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriáque excedere suadet:
AVXILIVMQVE viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus, & auri.
His commota fugam Dido, sociósque parabat.
[d] Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat, naues quæ fortè paratæ,
Corripiunt, onerántque auro, PORTANTVR auari
Pygmalionis opes pelago. DVX fœmina facti.
[e] Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentémque nouæ Carthaginis arcem:
[f] Mercatíque solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.

ARGVMENTVM.

Confert Poëta in hos versus longißimam historiam: Sichæi opes, Elisæ amorem erga illum, nuptiasque: Pygmalionis auaritiam, furorem, scelus, simulationem: rursus Sichæi imaginem ad Didonem in nocturna quiete, scelus, thesaurósque aperientis, & suadentis fugam: Didonis demum profectionem, & initia Carthaginis. Considera, vt Poëta sibi respondeat, nam vt res Romanas Ioui narrandas commisit, ita res Carthaginis alteri numini.

EXPICATIO.

[a] INCIPIT narratio à nuptiis Didonis cum Sichæo, qui *agri ditißimus* inter Phœnices. Attingit videlicet genus illud diuitiarum, quod heroicis temporibus honestissimum in agro, in pecoribus. Pergit. Erat Sichæus *magno miseræ dilectus amore*. An, miseræ Didonis? an, miseræ Didoni? hæreo. Primum præfert Nebriss. alterum reliqui, cum his ego. Est hîc etiam alius nodus. An, misera, id est, infortunata? an quæ miserè & perditè amabat Sichæum? Quod malis. Procedit, *Dederat pater* Didonem Sichæo. Est forma Latij *dare nuptum*, Poëta amputauit, & *dederat* B *intactam*, signat virginitatem: *iugarátque primis ominibus*, en clarè coniugium, & hoc ex ritu veterum, qui tum reliqua, tum inprimis nuptias auspicato gerebant. Sed cur *primis ominibus*? explicat vocem *intactam*. Quasi dicat. Ideo intacta, quia illæ primæ erant nuptiæ. Sequitur, *sed habebat regna germanus Pygmalion*. Particula *sed* aduersans, mirè hîc posita. Quasi dicat. Quid profuit tam munitas fuisse has nuptias tum Beli, tum Deorum voluntate & auspiciis, vbi erat scelus, & audacia Pygmalionis? Sed quid illud? *scelere ante alios immanior omnes, Quos inter medius venit furor*. Sententia est. Fuit Pygmalion sceleratior omnibus, quos furor ad facinus impulit. Fuit scelere immanior ante alios omnes, inter quos C venit medius furor: furiosorum itaque furiosissimus. Nec te moueant verba ipsa, quibus videntur innui rixæ & dissidia præcessisse inter Sichæum, & Pygmalionem, nam repugnat hoc sequentibus. & Iustinus, qui latè hoc narrat, atque Eustathius, aliíque, nihil tale meminerunt.

[b] Narrat iam facinus Pygmalionis. Particula *ille* miram habet emphasin. Quasi dicat, interfecit Sichæum ille, qui rex, qui diues, qui frater. Debuisset abstinere rex ab omni iniuria; diues, ab opibus Sichæi; frater, ab lædenda sorore. Ille itaque, vt qui *impius*,

impius, vt qui *cæcus auri amore* (en duplex causa parricidij) *superat ferro*, potuisset dicere, interimit, sed iudicio exclusit, ait Iul. Scal. *Sichæum incautũ*, nihil vtique timentem, & securum, vides vt nihil diffidij præcesserit. idque facinus patrauit *ante aras & clam*, est hæc duplex circunstantia sceleris. Interficit verò illum *securus amorum germanæ*. idest, explicatore Iulio Scal. *contemptor, & solutus metu ne pro amore odium consequeretur*, quia videlicet putabat rem celandam, & inde non timebat odium Didonis in se. Non placet Scaliger. Imò sententia est, interfecit illum *securus amorum germanæ*, id est, nihil curans amores germanæ erga Sichæum. putauit videlicet se posse rem illam impunè facere, quia Dido nihil sciẽs, quî aspiraret ad vindictam? Ille peccat securus, qui nullo peccat metu. Pergit. *Diu factum celauit*, commento aliquo, & *lusit spe vana amantem*. Sed quî lusit? quia *malus*, & egregius *simulator*. nam aliter quî falleret amantem?

c Necessaria fictio. Cùm nihil irarum præcessisset inter Sichæum, & Pygmalionem; cùm rex ipse aditus omnes præmunisset, ne erumpere posset rumor cædis, nulla humanâ coniecturâ assequi Dido poterat nec scelus, nec auctorem sceleris. Ideo fingitur Sichæus rem in somnis aperuisse. *Venit* ergo *in somnis imago coniugis inhumati*, nam carebat & sepulchro, & iustis funeralibus, ij enim *in humati* dicebantur. venitque *attollens ora pallida miris modis*. Ingens affectus ad terrorem Didonis, ad misericordiam Sichæi. Quid verò ille in somnis? *Nudauit aras crudeles, pectora ferro traiecta*. Expende omnia. Quæsiuit verbum *nudauit* non obuiũ, vt quod referendũ nõ ad aras, solùm sed ad pectora. Vocat aras crudeles quæ piæ alioquin, est enim apud aras (ait Seruius) patratum scelus. Pari acumine Tibullus libr. 4. *sæuis mensis*. Cùm ait *pectora traiecta ferro*, olet rem tragicam, in qua ad perturbandos spectatores similia fieri solebant. Nudat ergo, & ostendit pectus hians vulnere. Quid præterea? *retexit omne scelus domus*. quod *cæcum* erat. Nam quid cæcius eo scelere, quod admissum ab auunculo, à fratre sororis, & fortasse in domo Didonis, & tamen ignorabatur? Quid verò *suadet* verus amator? *celerare fugam, excedere patria*. Non petit, vt sibi persoluat iusta funeralia, sed vt illa locetur in tuto. & *recludit tellure thesauros veteres*: indicans videlicet locum, vbi latebãt vt inde recluderentur. nam ipse quî reclusit? & hos in *auxilium viæ*. signat viaticũ, ἐφόδιον, τὰ πορεῖα. Quod sequitur, *pondus ignotum argẽti, & auri*, refero vel ad tenebras, in quibus latebãt opes: vel ad ingentẽ thesaurum, ita enim erat magnus, vt nõ facilè ipse sciret. *Dido his commota parabat fugã, sociósque*. quia, ait Iustinus, *Elissa dissimulato odio, mitigatóque interim vultu, fugã tacitè molitur*.

d Conueniunt, qui tyrannum oderant, qui metuebant. Est hæc duplex nota tyrannidis. *corripiunt naues, quæ fortè paratæ* erant, *onerántque* illas *auro*. Vox *fortè* necessaria ad narrationem, & occurrens obiectioni. Nam quî Dido posset clam fratre naues parare, & ingentem rem moliri? *portantur pelago opes auari Pygmalionis*, quas videlicet ipse suas esse putabat. Nota frequentiam dactylorum ad indicandam celeritatem fugæ. Absoluit viam, pulcherrimum epiphonema, *dux fœmina facti*.

e Finis nauigationis. Nam *deuenere in locos, vbi nunc cernes mœnia ingentia, surgentemq; arcẽ nouæ Carthaginis*. Laus magna Didonis, quæ breui spatio non modò vrbẽ cõdidit, sed cinxit mœnibus, & propugnaculis.

f Sententiam sic concipe. *Mercatíque* sunt *solum, quantum possent circumdare tergo taurino*, quod solum, *Byrsam* vocarunt *de facti nomine*. Commẽtum Didonis hoc fuit. Emit tantum soli, quantum posset tegere corio bubulo, quo mox desecto in partes tenues, tantum spacij occupauit, quantum satis erat condendæ arci (alij, non arci solùm, sed vrbi, non ita verè) quam arcem *Byrsam* à corio nuncupauit. Videndus Iustinus.

NOTÆ.

1. SICHÆVS] Admonent aliqui hunc *Sicarbam* dictum, & Poëtam commutasse in Sichæum leniore voce. Sed certè Iustinus non poëta Sichæum nominat, & Eustathius Σιγχαῖον. Cedrenus Συχαῖον. — Sichæus.

2. DITISSIMVS AGRI] Iustinus: *Sichæo magnæ, sed dissimulatæ, opes erant, aurúmque metu regis, non tectis, sed terræ crediderat: quam rem, etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.*

3. PATER] Belus. nam inf. *genitor tum Belus*. Eustathius tamen dubitans, Ἀγήνορος θυγάτηρ, ἢ Βήλου.

4. INTACTAM] Ita Græci ἄθικτον, & ἀκειδίαν, quæ nubit virgo. & nondum nuptam vocant, ἀλέκτορα, quasi μὴ πειραθεῖσαν λέκτρων: *thalamum non expertam*. *Intactam*, cum Virgilio vocarunt Horatius od. 7. l. 1. Ouidius in epist. ante omnes Catul. in carm. nupt. Est hic sapor in Plaut. Aulular. *cur id ausus facere, vt eam tangeres? Persuasit amor, vinum*. Et in Terent. cùm ait in Hecyr. *Nocte illa prima virginem non attigit*. Ergo, sicut in re sacrorum dicuntur *intacta* animalia, quæ nullum iugum passa, ita puellæ *intactæ* quæ adhuc integræ. — Intacta, de virgine. — Intacta in sacris.

5. IVGARAT] Fortasse ab Catullo:

Cùm Tethidi pater ipse iugandum Pelea sensit.

6. OMINIBVS] Ad omina nuptiarum pertinet locus Tullij lib. 1. de Diuin. *Cùm vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis captandi causa, quod fieri more veterum solebat*. Vide etiam Valer. Max. lib. 1. c. 5. de Cæcilia Metelli. vt Virg. *primis ominibus*, ita Propertius lib. 3. eleg. 20. — Omina nuptiarum.

Contineant nobis omina prima fidem.

7. ATQVE AVRI CÆCVS AMORE] Cæcitas de hoc malo, crebrum. Ouid. 3. Met. *prædæ tam cæca cupido est*. Cicero. 2. Philip. *at quàm cæca auaritia est*. & pro Quint. *cæcus cupiditate, & auaritia*. Diphilus apud Stob. serm. 8. de animo spirante ad lucrum ait, ἀλλ᾽ οὐχ ὁρᾷ *alia non videt*. Itaque Pygmalion cæcus auri amore iura omnia confregit, quia *nullum est officium tam sanctum atque solenne quod non auaritia comminuere atque violare soleat*. Verba Tullij agnoscis pro Quintio. & eiusdem in Vatinũ, quæ sequuntur: *nemo tam firmum habuit præsidium, quod auaritia non infregerit, atque debilitauerit*. Hanc pestem vitiorum Reginam vocat Cassiod. lib. 12. var. epist. 1. Bio μητρόπολιν πάσης κακίας. & Phocylides μητέρα κακότητος ἁπάσης, *metropolin, & matrem totius improbitatis*. Illi maleficia omni attribuit Auctor ad Heren. Lib. 2. & Cato apud Liuium lib. 44. euersa imperia. — Cæcitas de auaritia. — Auaritia pestis magna.

8. MALVS] Quia *simulans*. Eodem planè sensu Catullus in nuptiis Pelei: — Malus de simulatore.

Nec malus hic, quia, celans dulci crudelia forma
Consilia.

Itaque simulator & cælator malus. Inde etiã Plauto in Amphitr. astutus & callidus dicitur *malus*.

9. IPSA SED IN SOMNIS] Statius. ὁ δὲ διὰ ὀνείρων σημάνας τὸ πάθος τῇ γυναικί.

10. TRAIECTA QVE PECTORA FERRO NVDAVIT] Hoc tragicum esse apparet, quod oratoribus quoq; vsurpatũ. Talia sunt, Sanguinolenta toga Cæsaris, expectoratio Aquilij, expapillatio Phrynes, &c. Cedrenus in historia. Διδοῖ ἐφάνη ἀνὴρ αὐτῆς Συχαῖος ἐν ὁράματι, καὶ εἶπεν, ὅτι ἀδελφός σου ἐφόνευσέ με, δείξας αὐτῇ

αὐτῷ & τὸν τόπον τῆς πληγῆς. vides vt in somnis apparuerit, illique locum vulneris indicauerit. Pollux ex Xenoph. lib. 7. ἀξαφάνη τὰ σέρνα.

Cæcum, idest, incertū.

11. CÆCVM] Ita Lucretius l. 3. *cæcas causas* dixit, idest, incertas, incognitas. Cæterùm fictioni poëticæ adsimilis illa Apuleij lib. 9. *Et per quietem obtulit se se flebilis patris sui facies adhuc nodo deuincta ceruice, eique totum nouercæ scelus aperuit de adulterio, de maleficio*, &c.

12. TVM CELERARE FVGAM] Eustathius, Κελεύει φεύγειν. Cedrenus. καὶ εἶπεν αὐτῷ, φύγε· μὴ & σε φονεύσῃ.

Thesauri olim in sepulchris.

13. VETERES TELLVRE RECLVDIT THESAVROS] Attingit eruditionem non contemnendam. Seruabantur olim thesauri ad maiorem securitatem in sepulchris mortuorum. & quidem hos thesauros Sichæi conditos vnà cum ipso fama est. Sed iam ad firmamenta. Homeri Scholiastes. 3. Il. Κειμήλια, idest *monumenta*, explicat, ἀργά, καὶ ἀπόθετα χρήματα: *opes abditas & ociosas*. Suidas quoque, κειμήλια, ἀπόθετα χρήματα. Inde Græcis Κειμηλιάρχος, *qui præest thesauris*. Apud Quintilianū declamatione 368. quidam violati sepulchri reus, quod arma inde sustulisset, ita ait, *Sed quid sustuli? aurum credo, aut defossam pecuniam? arma. Ista virtutis instrumenta, non sceleris sunt pretia, quibus præmia merui*. Ab Philostrato lib. 7. de vita Apollon. cap. 11. Regum sepulchra τάφοι dicuntur, πολύχρυσοι, θησαυρώδεις, ab auro in illis condito. Id liquidum quoque ex verbis Sancti Ephrem in vita Iuliani monachi, vbi ait puerum quendam contrusum ab homine nefario *in subterraneum locum, vbi multum auri putabatur reconditum ab his, qui ἱεροτάφια, id est, sacra sepulcra, parabant*. & ex loco Ioannis Chrysostomi satis longo, quem ideo omitto. Summa est, diuites à suis opibus cruciari etiam in morte. nam eorum cadauera iniuria afficiuntur ab quærentibus aurum in sepulcris. Habentur hæc homil. de paupertate, & diuitiis. ex prologo Terentij in Eunucho, vbi hæc leguntur,

Atque in thesauro scripsit causam dicere
Priùs, vnde petitur aurum, quare sit suum,
Quàm illic, qui petit, vnde is sit thesaurus sibi,
Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.

Postea hoc abolitum fuit lege, & nunc extat titulus l. Basilic. οὐκ ἔξεσι συνθάπτειν τοῖς τεθνεῶσι χρήματα· *Ne liceat vnà cum mortuis pecuniam sepelire*. sed & vox *veteres* non otiosè posita. nam Paulus I. c. ita definit thesaurum: *Vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extet memoria*. Cassiodorus lib. 6. epist. 8. signans thesaurum, ita ait: *Depositiuæ pecuniæ, quæ longa potestate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicentur ærarijs*. Et de hoc ipso Didonis thesauro Tacitus. 16. Annal. *magna vi auri, non in formam pecuniæ, sed rudi, & antiquo pondere*. De hac ruditate Poëta, *infectum pondus*. & Græci ἀργόν. Porro Cæcilij Bassi commentum, quod eo loci Tacitus narrat, desumptum ex versibus Virgilianis, certissimum est. Notetur obiter locus Hippocrat. in epistol. reprehendentis insanos hominum mores inductione ferarum. Nulla enim harum aurum abscondit, solus homo præsentibus non est contentus. τίς γὰρ (ait) λέων ἐς γῆν κατέκρυψε χρυσόν; Tu reliqua.

Thesauri definitio.

14. SOCIOSQVE PARABAT] Iustinus, *Assumptis quibusdam principibus in societatē quibus par odium in regem esse, eandémque fugiendi cupiditatem arbitrabatur*.

Tyranni notæ duæ odium, & metus.

15. CONVENIVNT QVIBVS AVT ODIVM CRVDELE TYRANNI, AVT METVS ACER ERAT] Duæ istæ notæ tyrannidis certissimæ. Tyrannum, quem timemus, & quem odimus, tunc fugimus. Itaque præclarè ait Poëta Tyrios conuenisse ad fugam, tum propter odium, tum propter metum Pygmalionis. Dio Chrysost. orat. I. τοὺς μὲν γὰρ φοβουμένους ἀνάγκη μισεῖν, καὶ ἀποδιδράσκειν ἐθέλειν: *Necesse est enim, vt hi qui timent, oderint, & velint aufugere*. Aristoteles in Rhetor. οὐδεὶς γὰρ φιλεῖ, ὃν φοβεῖται: *nemo amat, quem metuit*. Pari nota Liuius lib. 24. *Brutios & oderant, & metuebant*. Pari Cicero in Catil. I. *Nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui non oderit*. Iterum: *Nunc te patria quæ communis est omnium nostrûm parens, odit ac metuit*. Accius apud Tullium in offic. *quem metuunt, oderunt*. Seneca lib. I. Clement. c. 12. discriminans Regem à tyranno, ita ait: *alter arma habet, quibus in monumentum pacis vtitur: alter vt magno timore magna odia compescat*. Inde tyrannicum illud satis celebre, *oderint, dum metuant*. quod Caius iactare de se consueuerat, auctore Suetonio cap. 30. Philo lib. de perfugis, cùm tres fugæ causas constituat, duas principe loco adhibet, μῖσος, φόβον, *odium, metum*. scribit Leslæus de gestis Scotorum lib. I. Ægyptios, qui Gathelum Græcum secuti sunt ad nouas sedes Scotorum condendas, impulsos ad fugam & comitatum Gatheli, metu Pharaonis Ægyptiorum regis, nulla re alia. Inter elogia tyranni *inuisum* reperies in Quintil. declam. 328. *Metum patrem odij* vocat Statius. I. Theb. *atque parens odij metus*. Quem illustro verbis Plurtarchi de inuidia, & odio. εἰκότως καὶ τῷ λέοντι πρὸς τὸν ἀλεκτρυόνα, & τῷ ἐλέφαντι πρὸς τὴν ὗν μῖσος ἰσχυρὸν γεγενηκέναι τὸν φόβον. ὃ γὰρ δεδίασι, καὶ μισεῖν πεφύκασιν. *Merito est etiam leoni aduersus gallum, elephanto aduersus suem atrox odium à metu natum. Quod enim timent, id oderunt*. Pessimè interpretes reddunt in Plutarcho ὗν *murem*: sciunt scilicet murem formidabilem esse elephanto. Sed sciant quoque suem huic bestiæ esse pauori. Seneca lib. 2. de ira, c. 12 *elephantes porcina vox terret*. Sed redeo ad diros natales, illos confundit Seneca. I. de Clemen. c. 11. *inuisus est quia timetur; & timeri vult, quia inuisus est*.

Oderint dū metuāt, vox tyrannica.

16. PARATÆ] ita etiam in re nautica Propertius lib. I. eleg. 17.

Ah pereat quicumque rates, & vela parauit
Primus.

Vterque à Plauto, qui in Milit.

Ego, quantum vnus possum, mihi nauem paro.

Porto, vox maritima.

17. PORTANTVR] Vox signatissima ad rem maris. Ita lib. 4.

—— en dextra fidésque,
Quem secum patrios aiunt portare Penates.

Propert. lib. 3. eleg. 7.

Portabat Sanctos alueus ille viros.

& lib. 2. eleg. 28.

Vna ratis fati nostros portabit amores.

Deportati, qui essent.

Inde *deportati* dicebātur exules illi, qui classe relegabantur. Terentij verba illa in Phorm. Act. scen. 3. *Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi*. explica de portatione per maria. Sicut & Tullium pro lege Manil. qui de Pompeio *victorem exercitum deportauit*. Loquitur enim de Pompeio redeunte ex Africa in Italiam. Inde signatissimè Charon dicitur Virgilo *portitor*. Et de eodem Propertius lib. 3. eleg. 18.

Portitor, vox nautica.

At tibi nauta pias hominum qui traiicis vmbras,
Hac anima portent corpus inane tuæ.

Hoc Græci negligunt, neque enim in religatis classe vsurpant κομίζειν, aut ἐκκομίζειν, sed obuium quoque. In Cedreno vidi, ἐξώρισεν. In eodem κατενεχθῆναι, & ἐν νήσῳ περιορισθῆναι. Et iterum post multa, αὐτοὺς πλοίοις διαβιβάσας.

18. DVX FOEMINA FACTI] Ita dictum (ait Erasm.) Vt à S. Luca Paulus dicitur *dux verbi*, & à Galeno Aristoteles πατὴρ λόγου, *Pater sermonis*.

19. DEVENERE LOCOS] Ex hoc loco Silius 1. Pun.

Pygmalioneis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum,
Fatali Dido Libyes appellitur oræ.

Hunc Phœnicum in Africam aduentum Tertullian. lib. de Pall. *eructandi* verbo expressit: *Scythæ exuberant in Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt.*

20. VBI] Peculiaris elegantiæ fuit apud veteres adiungere post nomina aduerbium aliquod loci, idque loco quis, vel qui. Vnde Poëta *locos, vbi:* non, *locos, in quibus.* Cæsar. 3. Gall. *collis, vbi castra posita.* Terent. Eunuch. *digna res, vbi neruos intendas.* Cicero 2. orat. *porticus, vbi inambulamus.* Plaut. Pseud. *occasionem reperisti, vbi perconteris.* Plura Godoscal.

Carthago magna duplex.

21. INGENTIA] Hanc Afrorum Carthaginem scriptores *ingentem* vocant, & Liuius non semel *magnam*, vt Orosius lib. 1. cap. 2. & Victor Vticensis lib. 1. de persecutione Vuandalica *maximam.* credo ad discrimen illius, quæ in Hispania. Sed videat Lector an nostra quoque Carthago *magna* dicatur, non tantùm Africana. Nam Plinius lib. 19. cap. 8. ita ait: *Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubámque præcipuè, &c.* Vbi ex adiuncto Cordubæ nostra videtur signari, non Libyca.

Carthago Hispanica, magna.

22. MERCATIQVE SOLVM, &c.] Silius lib. 1. de Didone,

Tum pretio mercata locum, noua mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum littora tauro.

Et Appianus in Λιβυκ. ἐδέοντο δὲ χωρίον ἐς συνοικισμὸν λαβεῖν, ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβῃ: *Tantū soli deprecati sunt ad habitandum, quantum circumdaret taurinum corium.*

Byrsa origine vox Hebræa.

23. BYRSAM] Doctè admonet Iosephus Scal. in notis ad Festum, *Byrsam* sic dici per metathesin, quasi *Bysram*, origine autem Hebræam esse vocem. nam Carthago colonia fuit Tyriorum, qui Hebræam linguam loquebantur. Est autem *Bysra* Hebraicè *locus munitus*, qui Latinis *arx*, & Græcis ἄκρα. Idem scribit diligentissimus Hispanicarum rerum scriptor Ioann. Mariana lib. 1. cap. 15. Græci itaque, cùm pro *Bysra*, quod eorum lingua non patiebatur, *Byrsam* dixissent, nomen pro suo publicarunt. Itaque Poëta secutus est Græcos, qui hanc vocem pro sua dederant, Phœnicum linguæ ignarus, quæ tunc apud Romanos in nullo pretio, ita verò vox ista apud Græcos increuit, vt vocem suam δέψαι, pene contempserint: huius enim vocis non ita frequens mentio. Sed mihi in mentem venit, an Poëta *Bysram* scripserit, non *Byrsam*, sciens linguæ Phœnicum. Nam, cùm originem Græcam agnoscit, clarè ponit. Vt cùm ait lib. 3. Æneid.

—Strophades Graio stant nomine dictæ.

& lib. 3. G.

—œstron Graij vertere vocantes.

& alibi. Hîc autem nihil de Græcis affirmans, tantùm ait, *facti de nomine.* Sed hoc aliorum sit iudicium. Ego enim æquè fero dici Virgilium inscientem linguæ Phœnicum. Acutè autem Nannius lib. 7. Miscell. ait, & approbat Germ. Poëtam coniunxisse duo hæc nomina *Carthaginem, & Byrsam*, vt res vicinas. Nam *Byrsa* corium est, & *Carthago* à cartha ducitur. His absoluitur Didonis historia, de qua, quæ scripsit Iustinus lib. 18. in promptu sunt. Eustathius in Dionysium Afrum nonnulla attigit, quæ non in ipso modò, sed in aliis obuia. quæ, quia nondum vidi Latinitate donata, placuit conuertere. Ait itaque Eustathius. *Dido soror Pygmalionis, Agenoris filia, aut Beli regis Tyriorum, quæ Elissa dicta est, & Anna, Tyri vixit, Sichæi viri Phœnicis coniux. Virum hunc Pygmalion vnà*

Carthaginis etymon.

Didonis historia.

A *secum domo euntem dolo interfecit, flagrans opum illius cupidine. Hic in somnis vxori rem aperit, iubet fugere, quòd fidendum non esset Pygmalioni, qui legem naturæ violasset, propter pecuniam. Illa itaque acceptis in societatem quibusdam è Tyrijs vnà cum opibus, in Libyam venit. Nomadum Rex, & Massylorum Iarbas in illam statim irruit, à quo petijt sibi tantùm spatij dari, quantum tegeret pellis bubula. Voti compos facta, parum id soli rata, pellem dissecat in partes tenues, ducitque in circulum, tantum longitudinis latitudinisque amplexa, quantum pellis complecteretur ducta in corrigiam. Hoc commento magnum circuitum vrbi attribuit. Sic Carthago, quæ nunc est in Africa, ortum à Phœnicibus ducit, qui vnà cum Didone venerant. Ipsam autem feminam vocarunt Dido, quod Patria lingua, homicidam sonat.* Commentum istud Didonis etiam attigit Herodian. lib. 5. loquens de quodam simulacro. φασὶ δ᾽ αὐτὸ Διδὼ τὴν Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε, βύρσαν κατατεμοῦσαν: *Dicunt illud positum à Phœnissa Didone, quo tempore antiquam vrbem Carthaginem dissecto corio ædificauit.* Rem eandem satis attigit Dionys. Afer, & post aliqua ita absoluit,

B

Καρχηδών, ἥν μῦθος ὑπαὶ βοὶ μετρηθῆναι:
Carthago, quam fama est sub tergore bouino esse metatam.

Sunt qui commentum hoc Didonis ad totam vrbem referant. Sed hoc & ratio abnuit, & Appianus, qui clarè ἐν Λιβυκ. οἱ δὲ τὸ δέρμα περιτεμόντες ἐς ἱμάντα ἕνα στενότατον, περιέθηκαν· ἔνθα νῦν ἐστὶν ἡ Καρχηδονίων ἀκρόπολις, καὶ ἀπὸ τοῦ δὲ βύρσα ὀνομάζεται: *Illi corium in corrigias tenuissimas secantes, circumdedere locum, vbi nunc est arx Carthaginis, quæ ideo Byrsa à corio appellatur.* Itaque non totum illud spacium, vbi vrbs condita, circumdatum est corio bubulo, sed vbi tantùm arx. Imò, teste eodem Appiano, tunc tantùm condita est arx, postea verò facti potentiores, arci vrbem addiderunt. Inde postea in expugnatione Carthaginis ait ciues deserta vrbe confugisse ad Byrsam. Contrà Liuius lib. 44. totam vrbē innuit circumdatam, ita scribens, *Aduenis, quantum secto bouis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad vrbem communiendam, precariò datum.* Verba etiam adducta Eustathij, Herodiani, Dionysij, ad vrbem nos ducunt. Sed non persuadeor, tum ex verbis Appiani, tum maximè quia Byrsa ἀκρόπολις est Carthaginis, quæ vox ducta à corio. Facile autem fuit auctoribus ab arce ad muros technam extendere. Hîc te admonitum lector velim, Didonis historiam, quam Poëta latè recensuit, non incidisse in Æneæ tempora: sed placitum hoc fingere summo Vati. Quæ res illum mouerit, dicent alij, nam ignorasse illum, ne crede. Didonem Æneas præcessit annis 228. & eo amplius, si Iustinum sequaris. Supputatio clara est. Ait ille lib. 43. *Ascanius longam Albam condidit, quæ trecentis annis regni caput fuit.* Atqui lib. 18. idem loquens de Carthagine: *Condita est vrbs hæc 72. annis antequam Roma.* Eadem scribit Orosius lib. 4. cap. 6. Deme hunc numerum ab annis 300. & supererunt anni 228. Adiice insuper Æneæ vitam. Ab extremo numero demit Velleius lib. 1. annos septem, ait enim conditam Carthaginem annos quinque & sexaginta ante vrbem Romam.

Byrsa propriè arx Carthaginis.

C

D

Dido Ænea non nouit.

E

24. TERGO] Pro tergore. Ita Tacitus lib. 15. loquens de cruciatibus Christianorum, *pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contriti, laniata carne interirent.* Ita contra 9. Æneid. tergus ponit pro tergo, cùm ait:

—raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus.

Est enim *tergum, dorsum; tergus, pellis.* Verba sunt Charisij. vel, vt ait Seruius: *tergum, dorsum; tergus, corium.*

Tergum pro tergore.

Tergus pro tergo.

[a] Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?
Quoue tenetis iter? quærenti talibus ille
Suspirans, imóque trahens à pectore vocem:
[b] O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet ANNALES nostrorum audire laborum,
ANTE diem clauso componet Vesper Olympo.
[c] Nos Troiâ antiquâ (si vestras fortè per aures
Troiæ nomen iit) diuersa per æquora vectos,
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
[d] Sum pius Æneas, RAPTOS qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, famâ super æthera notus.
Italiam quæro patriam: & genus ab Ioue summo.
[e] Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Matre Dea monstrante viam, data fata secutus:
Vix septem conuulsæ vndis, Euróque supersunt.
[f] IPSE IGNOTVS, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. nec plura querentem
Passa Venus, medio sic interfata dolore est.

ARGVMENTVM.

Tria rogat Troianos Venus, qui sint? vnde venerint? quò iter teneant? Cui filius profectum se Troia respondet, se esse Æneam notum satis fama, Italiam quærere. Obiter docet fortunam pristinam, deinde miseriam ad quam compulsus est.

EXPLICATIO.

TRIA rogat, qui sint? vnde veniant? quò eant? ait *tandem* quia præcesserat longa narratio. Sequitur. *Ille suspirans, trahénsque vocem ab imo pectore*, respondit Veneri *quærenti talibus*. Indicatur qualis esse oratio debeat, quam præcedunt magni affectus, nam suspirat, trahitque vocem ab imo pectore.

[b] *O Dea si repetens pergam*, id est, si repetam ab prima origine & inde loqui pergam, ac tibi vacet audire seriem nostrorum laborum, nec clauso tenebris cælo Vesper opprimet, me loquentem, te audientem. Seruius *à prima origine* explicat, à raptu Helenæ.

[c] Litteram ita euolue. *Tempestas forte sua*, id est, casu, quo solet, *appulit oris Libycis nos vectos ab antiqua Troia per diuersa æquora. si fortè nomen Troiæ iit*, iuit iam *per aures vestras*. Ait *vestras*, non tuas, signans regiones Africæ. Nota affectum in illis, *diuersa per æquora vectos*. Cùm ait, *Nos Troia antiqua*, respondet illis, *quibus aut venistis ab oris*. Geminat cum lepore *forte, forte*. cum eodem, *Troiâ, Troiæ*. quasi dicat: Si fortè vrbis illius nomen audistis, non solùm antiquitate sua celeberrimæ, sed ob recentem cladem toto terrarum orbe notissimæ.

[d] Quæsierat Venus, *sed vos qui tandem?* respondet, *Sum Æneas*: & *pius*, nam *veho classe Penates*, hósque per vim *raptos ex hoste*, à quo facto, *famâ super æthera notus*. Neque pugnat, postea dici *ipse ignotus*. Nam qui ignotus in Africa facie, & corpore, notus est fama super æthera. Pergit. Quæsierat, *quo ve tenetis iter?* Respondet. *Italiam quæro*, & addit *patriam* propter Dardanum, qui ab Italia duxit originem: ac demum propter eundem, *& genus ab Ioue summo*. His clariùs

A genus suum aperit, nam suprà, Troianos se esse dixerat, quia vnà cum Achate; sed de se hîc peculiariùs loquitur, reddens peculiarem sui rationem, vt qui dux reliquorum.

[e] Pertinent hæc ad amplificandam calamitatem. qui conscendi æquor cum nauibus viginti: nec temerè, nam *data fata secutus*: nec absque ope diuina, nam *matre Dea monstrante viam*. Qui itaque æquor conscendi cum classe valida, cum fatis, cum Dea; vix iam habeo septem superstites, & has vndis, atque Euro conuulsas, vexatas, laceratas: sic enim explicat Isidorus lib. 10. etym. Notat Nascimb. ambitiosè nauium numerum extulisse per illa *bis denis*, cùm potuisset, viginti, vt huic tantæ fortunæ, & numero opponat, *vix septem*, κατ' μείωσιν: vehementer extenuans.

[f] Est hæc extrema pars orationis, vbi fontes aperit eloquentiæ, maioresque affectus mouet; & talia hæc

B sunt, vt à quouis lacrymas possint excitare. Considera ipse virum nobilem Æneam, ortum ab regibus, ducentem originem ab Ioue, natum Dea & heroe, pium supra omnia, præstantem fortuna, nam ingressus est mare ductrice Venere, fatis monentibus, viginti nauium numero: ac mox cum hac tanta fortuna confer, eò appulisse, vbi ignotus sit, egens. vbi peragret deserta Libyæ, Asia pulsus, atque Europa, cui vix naues ad iter supersint, & illæ laceratæ; & videbis magnam his rebus commiserationem excitari ex incredibili rerum commutatione. Neque caret obseruatione, retulisse res suas prosperas per versus octo, ab illo, *Nos Troia antiqua*, &c. vt deinde ingentem fortunam & prolixè narratam hauriat tribus versibus nondum integris, ab eo, *vix septem*, &c. vt ipsa etiam verborum paucitate in nihilum omnia recidisse ostendat. Præclarè itaque grauissimam con-

C questionem, & acerbissimum excitatum dolorem consequitur materna pietas Veneris, quæ *non passa querentem*, quæ *interfata est medio* filij *dolore*.

NOTÆ.

I. SVSPIRANS, IMÓQVE TRAHENS, &c.] Sermonem Achillis præcedit I. Il. versus hic

Τὴν

Τὴν δὲ βαρυστενάχων προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. A
Hanc autem grauiter suspirans alloquutus est celer Achilles.

Calaber lib. I. μέγα στονάχησε, *altè duxit suspirium*. Prudentius in περὶ στεφάν.

Romanus alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, & sic orsus est.

Suspiritus.

Apuleius lib. I. *imo de pectore cruciabile suspirium ducens.* Plautus Cistell. *petiuit suspirium altè.* Seneca de ira lib. 2. cap. 3. *altum suspirium.* & Rhetor Controu. II. *repetitos altè gemitus.* Sed & affectum Poëtæ exprimes voce apprimè apta, sed quam malus vsus deleuerat, videlicet *suspiritus.* est enim plenior ad rem signandam, quàm suspirium. Vocem hanc reuocatam multis debes, sed inprimis Coluio in Notis ad Apul. vbi illam firmat locis quatuor Apulei; Plauti, vno; Ciceronis, altero. Bellè affectum hunc exprimit Aristophanes in Vespis. ὡς μοῦ τὸν θῖνα ταράττεις. vbi Scholiastes, ἐκ βύθου με κινεῖς: *turbas mihi penitus animum, cor mihi ex profundo moues.* Sumitur sermo à tempestatibus. Est enim θίς, vel θὶν, inter alia significata, etiam τὸ βάθος τῆς θαλάσσης, *maris profunditas.* Solet hæc moueri *à sedibus imis* initio tempestatum. Ergo sicut mare ab imis sedibus, sic affectus ab imo & profundo corde. Adiungo demum verba Philostrati in vita Æschinis, vnde docemur, tragicum quidpiam aspirari à poëtis in his locutionibus. Verba Philostrati sunt. καὶ γὰρ δὴ καὶ τοῖς βαρυστόνοις ὑποκριταῖς τὸν ἐν μειρακίῳ χρόνον ὑποτραγῳδῆσαι: *Apud grauiter suspirantes histriones adolescentiæ tempore tragicè declamauerat.*

B

Suspirium, tragicorum.

2. O DEA SI PRIMA, &c.] Locus clarus Homeri Odyss. 7. Ἀργαλέον βασίλεια, &c. Vide vt conferat Scaliger. C

3. ANNALES] Vult Macrobius (quod vidi aliis placuisse) lib. 3. Sat. cap. 2. Æneam ex hoc loco Pontificem declarari, vel ex isto nomine. Nam Pontificibus potestas erat conferendi in tabulas memoriam rerum gestarum, & hos vocabant annales maximos, vt à maximis Pontificibus factos. Sumpsisse hæc potuit Macrobius ab Tullio, cuius hæc sunt lib. 2. de orat. *Erat historia nihil aliud, quàm annalium confectio, cuius rei, memoriæq́; publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mutium Pontificem Max. res omnes singulorum annorum litteris mandabat Pontifex Maximus, referebátque in album.* Non omittam verba Seruij P. Danielis, quæ vnica & ad explicandum *album* Tullij, & *annales* Virgilij. Ait ille: *Ita autem annales conficiebantur. Tabulam dealbatam quotannis Pontifex Max. habuit, in qua præscriptis Consulum nominibus, & aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueuerat, domi militiæq́;, terra maríque gesta per singulos dies: cuius diligentiæ annuos Commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eósque à Pontificibus Max. à quibus fiebant, annales maximos appellarunt: vnde quidam dictos ab Ænea annales aiunt, quòd & ipse religiosus sit, & à Poëta tum Pontifex inducatur.*

Æneas pontifex.

Annales maximi.

Referre in album.

D

4. ANTE DIEM, &c.] Simillimus locus *Aristaneti*, lib. I. epist. 24. ἅπερ εἰ βουληθείην ἑξῆς ἀπαγγεῖλαι, καταδύσειν μοι δοκῶ τὸν ἥλιον ἐπὶ τῷ μήκει τοῦ λόγου: *quæ si referre singulatim velim, videar mihi solem condere longis sermonibus.* & Homeri Odyss. II. vbi Vlysses, postquam dixit se non posse numerare animas, quas viditin inferis, subiicit, E

Πρὶν γάρ κεν καὶ νὺξ φθῖτ' ἄμβροτος:
Priùs nox peribit immortalis.

Est hoc, quod idem Homerus alio flexu dixit Odyss. 14.

—εἰς ἐνιαυτὸν ἅπαντα
ὅτι διαπρήξαιμι λέγων

In annum omnia
Non percurrerem dicens.

& alio item Odyss. 3.

—τίς κεν ἐκεῖνα
Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων;
—Quis illa
Omnia enarraret mortalium hominum;

Non dubium quin Virgilius sibi duo extrema loca proposuerit: nam verba illa præcedunt magni labores, quos nequit numerare Vlysses, ad eum modum, quo in Virgilio præcedit, *annales nostrorum laborum.* Signata verba Græci sunt, κήδεα θυμῷ πολλὰ κακά. Cicero. 3. Nat. ita hoc: *Dies deficiat, si velim numerare.* Plautus Captiu.

Si ego item memorem, quæ me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat.

5. CLAVSO] Ita dicebant Veteres cælum noctu clausum, sicuti exorto die aperiri. Sidonius:

Clausum cælum. Apertum cælum.

Inde patefecit radijs rota candida cælum.

Dixit Græcos imitatus, qui eandem δύσιν vocant.

6. COMPONET] Ita dixit *diem componere*, vt Horat. od. 5. lib. 4. *Condit quisque diem.* quod arripuit à Lucretio, vt. & Noster 9. ecl. *soles condere*, quem locum vide. Sed cur placuerit Poëtæ *componere diem*, pro, condere, explicant Iulius Scal. lib. 4. Poët. cap. 16. & Turneb. lib. 10. cap. II. atque etiam lib. 18. cap. 14. nam veteres putabant diem solémque quotidie mori, quotidie nasci. Inde *dies componi* dicitur, id est, obire, & mori, nam *componi* mortuorum est. Vt apparet ex Horatio Sat. 9. lib. I. *Omnes composui.* ex Arbit. in Sat. *Aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut, quod vltimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.* ex Nostro sup. *compostus pace quiescit.* ex Plutarcho lib. 3. Symp. quæst. 4. συντίθεσθαι νεκρούς, *mortuos componi.* ex Fabio declamat. 298. *æterna quiete compositus sepulcro.* ex Lucano lib. 8. *composita in mortem iacuit.* ex Tibullo lib. 2.

Componere diem.

Componi mortuorum est.

Sic ego componi versus in ossa velim.

ex Seneca ep. 30. *Bassus noster videtur mihi prosequi se, & componere.* Cæterùm ad opinionem illam, quam dixi, de die quotidie moriente, alludit (præter Plautum in Men. & Statium. 4. Syluar. quos alij iam dederunt) Tertullian. in Apolog. *Lux quotidie interfecta resplendet: & tenebræ pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta viuescunt.* Idem scriptor in opere de Resurrect. carnis ita scribit: *Dies moritur in noctem, & vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: vbique iustitium est, quies rerum; ita lux amissa lugetur. Est tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole; eadem & integra, & tota vniuerso orbi reuiuiscit; interficiens mortem suam, noctem: rescindens sepulturam suam, tenebras: hæres sibimet existens, donec nox reuiuiscat cum suo & illa suggestu.* Prudent. hym. II. Peristep. *solis ad vsque obitum.* Hanc gentilium vanitatem repræsentat Iulius Firmicus cap. 8. libri illius, quem scripsit, de mysteriis profanarum religionum, vbi fingit solem ita loquentem cum hominibus: *Quis vos ad hoc tantum facinus impegit, vt profano nefariæ cupiditatis errore, & mori me dicatis vestro arbitrio & viuere?* Eódem pertinet, quod ait cap. 18. Solem dici Apollinem ἀπὸ τοῦ ἀπόλλειν, quod quotidie in occasu pereat, perdátque lumen.

Dies mori, & nasci quotidie dicebatur.

7. FORTE SVA] Est hîc fors, fortis. vsurparunt multi, quos congerit Lambinus lib. I. Sat. I.

Fors, fortis.

8. TEMPESTAS APPVLIT] Euripides in Orest. Μαλέας προσίσχων πρῴραν. Homerus 5. odyss. ita, δεῦρο κῦμα πέλασσεν. Totus verò hic locus compositus est ad vmbram eiusdem Homeri, atque Euripidis.

dis. Vlysses quidem Odyss.9. inducitur respondens Polyphemo paria Virgilianis ab eo versu, ἡμεῖς τοι Τροΐηθεν, &c. & paria idem Vlysses eidem Cyclopi apud Eurip. ab eo,

Ἰθακήσιοι μὲν τὸ γένος. indicasse sit satis.

Penates. 9. PENATES] De his alibi dicturus sum, nunc audi verba Arnobij, lib.3. loquentis ita ex Varrone: *Penates, qui sunt introrsus, atque ita intimis penetralibus, cæli Deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina sciri. Hos Consentes, & Complices Etrusci aiunt, & nominant, quod vnà oriantur, & occidant vnà: sex mares, & totidem fœminas nominibus ignotis, & ijs nationis barbarissimæ: sed eos summi Iouis consiliarios, ac principes existimari. Non defuerunt, qui scriberent, Iouem, Iunonem, ac Mineruam Deos Penates existere, sine quibus viuere, ac sapere nequeamus; sed qui penitus nos regant ratione, calore, ac spiritu.* Sententiam Arnobij de Ioue iuuat inscriptio vetus repetta Romæ in monte Cælio, quæ dicata Diis penatibus, Iouem quoque continet. Ea sic habet.

Iuppiter inter Deos Penates.

DIIS. DEABVS
PENATIBVS.
FAMILIARIBVS
ET. IOVI. CETERIS
VE. DIIBVS.

Penatium forma. Roget aliquis, quæ forma Penatium? Dionysius lib. 1. ex Timæi sententia, ita de forma, & habitu Penatium: *sacra, quæ in adyto templi Lauiniensis sunt recondita, sunt tantùm caducea quædam ferrea, & ærea; deinde Troianum vas fictile.* Ex sua ita: *sunt duo Iuuenes sedentes cum hastis, quas seorsum alter ab altero tenet.*

Virgilius defenditur. 10. FAMA SVPER ÆTHERA NOTVS] Malè hîc aliqui Poëtam repræhendunt, quòd Æneam inducat se commendantem. Errant hi. Sapientissimè ista Vates. Inprimis qui nostrum vellicant, reprehendant quoque Homerum apud quem Vlysses lib. 9. ita loquitur.

Εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν
Ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει:

Sum Vlysses Laërtiades, qui omnibus dolis
Hominibus curæ sum, & mea gloria cælum attingit.

Apud eundem in Il.1. Achilles,

Οὐχ ὁράας, οἷος μὲν ἐγὼ καλός τε, μεγάς τε:

Nónne vides, quàm pulcher ego, & quàm magnus!

Virgilius superat Homerum. Sed quidem Homerum iam Scaliger (& quis non?) reprehendit, nam parum aptè dictum, dolis ad cælum euehi posse. Æneam contrà præclarè faciunt notum super æthera multæ virtutes. Nam Penates rapuisse ex hoste, virtutis est: vehere, constantiæ: classe, prudentiæ militaris. Sed vt videas laudem sui reponi posse inter virtutes, lege Plutarchum in opere, quo docet, qua ratione se quis laudare possit citra inuidiam. vbi ait; posse interdum virum ciuilem se laudare, non gloriæ causa, sed quia occasio & res ita postulet. adducítque decem tempora & occasiones, quibus se quis possit laudare, inter quas ea, quam secundo loco adducit, ad rem pertinet. Illi (inquit) se possunt laudare, qui incidunt in aliquam calamitatem, non qui secundis rebus vtuntur. Nam hi ambitioni suæ indulgent; miseri autem, qui procul tunc sunt ab arrogantia, videntur sui laude emergere ita ex opprimente fortuna, contra quam hoc ipso sese fulciunt, ne desperatione abripiantur. Adducítque optimam comparationem. Eos (inquit) vanos putamus, ac stolidos, qui se erigunt, & ceruicem sublimem attollunt: eos verò laudamus, qui in pugilatu & pugna se se erigunt. Igitur Æneas destitutus ope, amissis sociis, lacerata classe, quid mirum si in sui laudes erumpat; tum, vt fortunam ipsam deprimentem hoc commento eludat; tum etiam, vt Venerem laudum commendatione ad misericordiam inclinet?

11. ITALIAM QVÆRO PATRIAM] Quæ hîc Seruius de Corytho vrbe Thusciæ, vbi natum ferunt Dardanum, necessaria non puto, præsertim dicente Sallustio: *Hispaniam sibi antiquam patriam esse*, quod etiam ipse adducit. Itaque prouincia dici potest patria.

12. PHRYGIVM ÆQVOR] Hellespontum vult Seruius, mare ad Antandrum Corradus.

Stella Veneris Æneam duxit. 13. MATRE DEA MONSTRANTE VIAM] Varro, lib. 2. Rerum diuin. ita scribit: *Ex quo de Troia est egressus Æneas, Veneris eum per diem quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit vlteriùs, qua re cognouit terras esse fatales.* Ad hanc historiam & verba allusisse hîc Poëtam scribunt Seruius, & Pomponius Sabinus. Eôdem aliqui putant pertinere illud, 2. Æneid. Veneris ad filium,

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Dicúntque legendum *lumine* cum respectu ad hanc stellam.

14. EVRÓQVE] Cur hunc potiùs quàm alium? Reuoca huc, quæ dicta ad illud: *Eurum ad se Zephyrúmque vocat.*

15. IPSE IGNOTVS, EGENS, &c.] Similem conquestionem ab florenti rerum statu ad infimam miseriam dolent Hecuba apud Euripidem, Aderbal apud Sallustium, Platæenses apud Isocratem, quæ loca omitto, quippe aliis libata. & aduoco Liuium, lib. 45. de Perseo iam victo: *Æmilius lacrymasse dicitur sorti humanæ, quòd qui paulo antè non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyriósque oppugnasset, Bastarnarum ciuisset auxilia; is tum amisso exercitu, extorris regno, in paruam insulam compulsus, supplex, fani religione non viribus suis tutus esset.*

Mundus in partes tantù duas diuisus olim. 16. EVROPA, ATQVE ASIA PVLSVS] Cùm Poëta meminerit Europæ, Asiæ, Libyæ, videtur esse eius sententiæ, quæ terrarum orbem diuidit in tres partes. Hoc monui, nam sunt qui orbem secent in partes duas, Europam atque Asiam. dicunt enim Africam in Europa contineri. Huius sententiæ extant verba clara in Sallust. Iugurth. Omitto, quippe aliis aduocatum. à me adiunge verba Isocratis, in Paneg. Τῆς γὰρ γῆς ἁπάσης, τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης δίχα τετμημένης: καὶ τῆς μὲν Ἀσίας, τῆς δὲ Εὐρώπης καλουμένης. Ait vniuersam terram, quæ cælo tegitur, duplicem in partem diuidi, in Asiam, in Europam. Eiusdem sententiæ est Philostratus in vita Isocratis, repetens ad verbum eiusdem Isocratis verba. Huic etiam opinioni videtur hærere Plinius, lib. 3. cap. 1. vbi dicit, orbem meritò diuidi in partem æquam. Notandi versus Lucani, lib. 9. qui ad hanc rem:

Tertia pars rerum Libyë, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cælúmque sequaris,
Pars erit Europæ.

Lege etiam Orosium, lib. 1. cap. 2. Varro, libr. 1. Rei Rust. cap. 2. *Cùm orbis terræ diuisus sit in duas partes ab Eratosthene.* Lege reliqua.

[a] Quisquis

[a] Quisquis es, haud, credo, inuiſus cœleſtibus, auras
Vitales carpis, Tyriam qui adueneris vrbem.
Perge modò, atque hinc te Reginæ ad limina perfer.
[b] Namque tibi reduces ſocios claſſémque relatam
Nuntio, & in tutum verſis Aquilonibus actam;
[c] NI FRVSTRA augurium vani docuêre parentes.
[d] ASPICE bis ſenos lætantes agmine cycnos,
Aetheria quos lapſa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam deſpectare videntur.
Vt reduces illi ludunt ſtridentibus alis,
Et cœtu cinxêre polum, cantúſque dedêre:
Haud aliter puppéſque tuæ, pubéſque tuorum,
Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.
Perge modò, & quâ te ducit via, dirige greſſum.

ARGVMENTVM.

Erigit Venus natum lætiſsimo nuncio claßis recuperandæ, quam ille amiſsam putabat; confirmat nuntium feliciſsimo augurio, docet viam ad Cartaginem.

EXPLICATIO.

[a] ALIQVI duos primos verſus à particula *haud* includunt parentheſi, hac ſententia. *quisquis es perge,* &c. Non placent. Imò, quiſquis es, felix es, & charus Superis, qui Catthaginem adueneris, tantummodo perge, & hinc te perfer ad Didonis limina. ſic enim videtur magis illius ſpem erigere. Illis, *Tyriam qui adueneris vrbem*, vnicè demit anxietatem, putabat quippe ipſe ſe deſerta Africę peragrare. ineſt præterea in his verbis ratio, cur charus ſit ſuperis. Dicit, *hinc te perfer*, quia fortaſſe ille cogitabat regredi ad naues. Cùm ait *ad limina*, propriè loquitur, non enim ſumit partem pro toto.

[b] Lætiſſimum ſupra humanam fidem reddit, nuncians eos eſſe incolumes, quos ipſe viderit vento turbari, fluctibus diſiici. Sententia pendet à ſuperiore verſu. Dixerat, *perge, perfer te hinc*: ait nunc: Nam ibi ſocios, & claſſem reperies. Itaque præoccupat Venus, quod ille fortaſſe diceret, velle ſe redire ad quærendos ſocios. Ait *Claſſem actam in tutum Aquilonibus*, quia Aquilo in Africam fert ſibi oppoſitam. Sed quare *verſis*? ideſt leniter iam flantibus, tantùm ad curſum, cùm priùs atrociter ſpiraſſent ad ruinam. Seruius ſic explicat: *Quia poſtquam ad Africam iter verterunt, aduerſus antè Aquilo cœpit eſſe proſpertior.*

[c] Superius vaticinium diuinitatem declarabat, quam vt tegat, rem conicit ad artem augurandi. Ne verò lege verſum hunc incogitanter. Docebat Veteres omnia genera doctrinarum ſuos libros, in primis arguuia. Erant illa falſa, & inania; ſed parentes tamen digni laude, qui non ſinebant otioſam eſſe iuuentutem.

[d] Firmat quod dixerat. Sententia eſt, Aſpice cycnos duodecim plaudentes & ludibundos, quos dudum aquila inſectabatur, turbabat, abigebat aliò: iã abeunte hoſte ludunt, canunt, redeunt in propria: haud aliter, &c. Hîc mihi aliqua neceſſariò expendenda ad plenam ſententiam capiendam. *Lætantes*

A tanquam victores. Significat Æneæ ſocios tempeſtatem viciſſe. *Agmine.* ſic Ariſtoteles, κύκνους vocat ἀγελαίους, quòd agminatim cõgregentur. *Turbabat*, quaſi iam non turbet, quia ſocij defuncti tempeſtare ſalui iam ſunt. *Aperto Cœlo.* Claro, ſereno. Sequitur: *nunc terras ordine longo, Aut capere aut captas iam deſpectare videntur.* Interpretes explicant verbum *capere*, deſignare, eligere, non prorſus prendere: in his Corradus, Henr. Stephanus, Scaliger. vt ſit hæc ſententia. Videntur iam deſignare, & deſtinare locum, ad quẽ perueniant: aut certè deſignatum deſtinatúmque deſpicere è ſuperiore loco. Nam ſi locum iam occupauiſſent, quî deſpicerent? Donatus quoq̃ue ait, *capere* eſſe diligere in Heaut. Terent. aduocans

B hunc locum Virgilij. Pergit. *Vt reduces*, &c. Signa felicitatis in duos verſus congerit, ludunt alis, polum cingunt in modum coronæ, dant cantus. *Haud aliter.* Rem accommodat. Putant aliqui interpretes, per aquilam intelligi aut Iunonem, aut Æolum. Seruius, tempeſtatem ipſam. *puppéſque tuæ pubéſque tuorum.* Duplex figura, annominatio ex verborum commutatione, vt amantium, amentiũ; arator, orator, ſic puppes, pubes. Altera, *tuæ, tuorum*, eſt hæc traductio. *Aut portum ſubit*, &c. Reſpondet hic verſus illi, *Aut capere* &c. Itaque vt cycni videntur aut terras capere aut captas deſpectare: ſic puppes tuæ aut iam ſunt in portu, aut ſubeunt ad portum plenis velis. Demum poſt lętum augurium redit exhortatio, *Perge*

C *modò, & greſſum dirige, quà te ducit Via*, credibile imò certum, viam iam manu commonſtraſſe.

NOTÆ.

1. QVISQVIS ES] Sic dicebant veteres, cùm ignorarent cum quo loquerentur. & vſurpat hîc Venus, quæ ſe Æneã ſcire diſſimulat. Exempla alij coniungunt. Quiſquis es.

2. INVISVS CÆLESTIBVS] Eſt hoc quod Horatius *iratis Dijs*: quod Plautus *genio aduerſo*. quod Homerus 3. Odyſſ.

—οὐ γὰρ ὀΐω
οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι, τετραφέμεν τε.
—non enim puto
D *Te Dijs inuitis natúmque nutritúmque.*

Agnoſcit hîc Seruius Pythagoræ & Platonis dogma, qui dicebant, viuos eſſe ſuperis charos, mortuos inferis. vnde illud de Pallante in 11. Viui Superis chari. Mortui Inferis.

 —nil

—nil iam cælestibus vllis Debentem.

Item illud,

Vos ô mihi manes
Este boni, quoniam superis auersa voluntas.

3. AVRAS VITALES CARPIS] Est hoc, quod inf. *vesci aura ætheria*: Vt hîc *auras Vitales*: Ita Plaut. Pœnul. *vitale æuum*. & Lucret. lib. 3. *ventus vitalis*. Ibidem *vitales auras*.

4. IN TVTVM] ἐς ἀσφαλές.

5. NI FRVSTRA AVGVRIVM VANI, &c. Est hoc quod Nazianzenus dixit orat. 32. εἴ τι προφητικὸς ἐγὼ καὶ βλέπων τὰ ἔμπροσθεν: *Si quid vaticinandi arte valeo, futuráque prospicio.* Hîc satis posset indicari, (nisi alia esset mens Poëtæ) diuinandi artem, cui dediti gentiles, fuisse inanem & vanam. possemus gentiles ipsos aduocare, qui hoc etiam senserunt. Hi sunt apud Plutarchum de placitis lib. 5. c. 1. Xenophanes, & Epicurus, qui ἀναιροῦσι τὴν μαντικὴν, *reiiciunt diuinationem*. & Plato in Timæo, qui ait vim hanc datam à Deo humanæ dementiæ, & probat, *nam nemo sanæ mentis diuinum & verum vaticinium vllum assequitur; sed cùm vel somno prudentiæ vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel diuino aliquo raptu è suo statu dimota.* Gentilibus addi potest Clemens in προτρεπτ. *Impia adyta ne inuestigetis, nec Barathrorum ora præstigiis plena aut lebetem Thesprotæum, aut tripodem Cirrhæum, aut æs Dodonæum.* Subdit multa in hanc rem. Multa hîc peti à Tullio possent, à Lactantio, à Plutarcho de defect. oracul. ab Eusebio contra Hieroclem; ab Nazianzeno contra Iulianum.

Diuinatio gentium vana.

B

6. BIS SENOS] Hic numerus ad augurium auspicatus creditur, ex quo Romulo duodecim vultures regnum dederunt, & credibile ad eam historiam animum adiecisse Poëtam. Ennius. 1. Annal. in historia Romuli:

Numerus duodecimus auspicatus auguriis.

Cernunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Auium, præpetibus sese, pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna, solúmque.

Dionysius lib. 1. *Romulo vultures duodecim fausti volantes apparuerunt; quibus conspectis animum confirmauit.* Dixi, Poëtam adiecisse animum ad hanc historiam: nam, vt hoc credā, præeunt, Suetonius in August. cap. 95. *Primo autem Consulatu ei augurium capienti duodecim se vultures, vt Romulo, ostenderunt.* Diò quoque lib. 46. postquam scribit Augusto loquenti ad milites apparuisse vultures duodecim, rem refert ad auguriū Romuli. Vt etiam Appianus lib. 3. ἐμφυλ. loquens enim de Augusto ait. δώδεκα οἱ γυπῶν φανέντων, ὅσους φασὶ τῷ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν οἰκίζοντι ὀφθῆναι. Sidonius paneg. ad Auitum:

Duodecim vultures Romuli.

D

Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus aruspex
Portendit?

Ab hac ergo historia alij, etiamsi non loquantur de vulturibus, hunc numerum vt auspicatum producunt. In his Poëta hoc loco loquens de cycnis. & Spartianus in vita Diadumeni, vbi ait in agro patris illius natas duodecim oues cum colore purpureo. Quod omen referri potest, non ad colorem tātùm, sed etiam ad numerum ouium. Persis auspicatus fuit numerus decimus quartus, vti apparet ex historia Herodoti, lib. 3. apud quem septem Persis apparuerunt septem accipitrum paria contra duo paria vulturum. Inde illis animus ad invadendos Magos.

E

7. CYCNOS] Ad indicandum prosperum augurium auem eligit commodissimam ratione quadruplici. Primò gratum esse potuit Æneæ, quia hæc auis aqua non mergitur. Seruius ex ὀρνιθογονίᾳ,

Cycni cur felices ad auguria.

Cycnus in auguriis nautis gratissimus ales,

A

Hunc optant semper, quia numquam mergitur vndis.

Quos versus Æmilio. Isidorus, aliique attribuunt Æmilio. Deinde hæc auis sacra Veneri matri, auspicata ergo filio Æneæ. Liquidū hoc ex Horatio 3. Carm. od. 28. & 4. od. 1. Tertio, quia cycni in vniuersum *diuinationem habere* dicuntur, ait Tullius libro 1. Tuscul. Quarto, quia cùm venus se Tyriæ virgini assimularit, congruum est, vt cycnum assumat, à qua aue in tota Arabia & Phœnicia diuinatio, vt ex oraculis colligebatur. quod scribit Eusebius contra Hieroclem.

8. IOVIS ALES] Idonea periphrasis pro aquila, quæ sacra est Ioui. Quid hoc firmem, cùm satis obuium? sed tibi tamen Plinium afferam non tam firmandi gratia, quàm vt gratum πάρεργον legas, ad euitandam molestiam commentarij. Sic itaque ille lib. 10. c. 5. *Est percelebris apud Seston vrbem aquilæ gloria: educatam à Virgine, retulisse gratiam; aues primò, mox deinde venatus aggerentem. Defunctā postremò in rogum accensum eius iniecisse sese, & simul conflagrasse. Quam ob causam incolæ, quod vocant Heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis, & Virginis, quoniam illi Deo auis ascribitur.* Dalecampius explicat, *Heroum* monumentum. Bene. Certè Cedrenus sæpe vsurpat. vt cùm ait de Iustino Imperatore. κατετέθη τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐν τῷ ἡρῴῳ Ἰουστινιανοῦ: *corpus eius positum est in heroo Iustiniani.* Et de Tiberio illo, qui Mauriciū præcessit. ἐτάφη ἐν τῷ ἡρῴῳ. & sæpè aliàs.

Aquilæ narratio celebris.

Heroum, id est, monumentum.

9. TVRBABAT] Explicui, abigebat. Nam in re simili Suetonius Vespas. ca. 5. *Duas aquilas in conspectu omnium conflixisse, victáque altera, superuenisse tertiam à solis ortu, ac victricem abegisse.* Inducitur autem ex doctrina aquila persequens cycnos: his enim auibus perpetuum est odium. Aristoteles lib. 9. de hist. Animal. c. 12. καὶ τὸν ἀετὸν, ἐὰν ἄρξηται, ἀμυνόμενοι (præcessit κύκνοι cycni) νικῶσιν, αὐτοὶ δ᾽ οὐκ ἄρχουσι μάχης: *aquilam, si pugnam ceperit, repellendo vincunt, ipsi nunquam pugnam incipiunt.* & cap. 1. eiusdem lib. μάχεται δὲ καὶ ἀετῷ κύκνος: *pugnat cycnus in aquilam.* Mutuatus est ex Aristotele Ælianus lib. 9. Var. hist. c. 14. λέγει δ᾽ αὐτὸς (præcessit, Aristoteles) καὶ μάχεσθαι τοὺς κύκνους τοῖς ἀετοῖς· ἀμύνεσθαί γε μὴν αὐτοὺς, ἀλλ᾽ οὐκ ἄρχειν ἀδίκων: *ait idem pugnare cum aquilis cycnos, ita, vt repellant tamen; non aggrediantur.* Plinius lib. 10. cap. 74. *dissident olores, & aquilæ.* Has quoque inimicitias Homerus attigit lib. 5. Il. Vbi comparat Hectorem inuadentem Græcos cum aquila irruente in gregem aut anserum, aut gruum, aut etiam κύκνων δουλιχοδείρων, *Cycnorum, quibus longum collum.* Est etiam de hac re testimonium lib. 12. Æn.

Aquilarum & Cycnorū dissidium.

C

D

10. STRIDENTIBVS ALIS] Signatè, nam in augurijs seruabatur maximè alarum sonitus.

11. ET COETV CINXERE POLVM.] Notat Iulius Scaliger, vtranque hanc vocem *cœtu cinxere*, dictam ex disciplina aruspicum. Nam *cœtum* cùm dicit, non dispersos intelligit. In *cinxere* est volandi modus, qui in primis obseruabatur. Sed quæres, qui *cœtum*, cùm priùs *longo ordine*? hæc quippe duo videntur contraria? Affert Seruius ex Plinio, aues longioris colli, aut recto ordine volare, vt pondus capitis præcedentis cauda sustineat: aut etiam in cœtu, vt se omnes inuicem adiuuent, portentque. Extremum hoc nondum reperi in Plinio, sed Seruio credo, & ratio adiuuat. quin ex Aristotele iā attuli, cycnos vocari ἀγελαίους, quæ vox *cœtum* signat. Primum illud scribit Plinius de cycnis lib. 10. c. 23. his verbis: *colla imponunt* (præcesserat, *olores*) *præcedentibus, fessos duces ad terga recipiunt.* Explica itaque Poëtam, cycnos initio conuolasse longo ordine, idest, capitibus sustentatis in caudis præcedentium: deinde mutatos in cœtum, & globum.

Cœtus, vox aruspicum.

E

Cycnorum volandi duplex modus.

globum. Et quid mirum, voluerit Poëta exprimere vtrunque modum volandi, tanquam huic aui familiarem?

Augurium confunditur cũ auspicio.

12. CANTVSQVE DEDERE] Monet præclarè idẽ Iulius Scal. ex hoc loco colligi apud veteres interdũ augurium & auspicium misceri confundíque. Nam hîc cum reliquis, quæ pertinent ad auspicium; cantus quoque obseruatur, qui pertinet ad augurium. Placet hîc commentatio Seruiana: *cantus dedere, allusit ad nautas*. Placet (inquam): nam vox cycni canora haud est, neque ad cantum referenda (nisi in obitu, ac tum dubites: nemo enim fortasse audiuit vnquam cycnum canentem, neque cùm vicinus est morti, aut ab ea remotus) sed ad crocitationem clangorémque absonum: igitur fit allusio ad cantus nautarum, iucundámque gratulationem, cùm ingrediuntur in portum. Et quidem quid sentiendum sit de cantu cycnorum iam ego, 9. ecl. ex Nazianzeno, & Dione Chrysostomo. Illam meam sententiam adiuuat hîc Poëta, qui cycnos inducit cantantes, cùm volant.

Pubes, συνεκδοχικῶς.

13. PVBESQVE TVORVM] Hîc *pubem* poni pro A iuuentute tantùm explicat Michael Brutus. sed præfero Iosephi Scal. explicationem; qui agnoscit synecdochem, vt nimirum ex iuuẽtute socij omnes intelligantur. Nam in verba hæc Festi, aut Pauli, *pube præsente, est, populo præsente,* συνεκδοχικῶς, *ab his qui puberes sunt omnem populum significans*, ita ait, *doctißimus Romanorum Virgilius inter alia reconditæ antiquitatis arcana, & hoc posuit, cùm ait, puppésque tuæ pubesq; tuorũ. ex ea enim consuetudine dixit, cùm exprimeret Homericum,* σὺν νηΐ τε σῇ, καὶ σοῖς ἑτάροισι, *cum naui tua & tuis sociis*. Seruius quoque eundem tropum agnoscit. Aperio ego, vnde verba sua Festus sumpserit. proculdubio à Plauto, qui in Pseud.

Nunc, ne quis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pubi præsenti, in concione, omni populo.

B 14. OSTIA] Propriè aditus fluuiorum, sed hîc pro portu. Vt & Tullius. 7. in Verrem, & alij non semel. Illud de *pleno velo* ad alia transit prouerbialiter. Philostratus lib. 1. de vitis Sophistar. πλήρεσιν ἱστίοις ἐς φιλοσοφίαν ἀφῆκεν, *contulit se ad philosophiam plenis velis*. Est *subit ostia*, ingreditur ostia. ita Catull. in epithal. Iuliæ: *subi forem* idest, ingredere.

Ostia.

Plenis velis. prouerb.

Subire pro ingredi.

[a] Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit,
Ambrosiæque comæ diuinum vertice odorem
Spirauêre: pedes vestis defluxit ad imos:
Et vera incessu patuit Dea [b]. ille, vbi matrem
Agnouit, tali fugientem est voce sequutus:
Quid natum toties CRVDELIS tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ iungere dextram
Non datur? & veras audire & reddere voces?
[c] Talibus incusat, gressúmque ad mœnia tendit.
[d] At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Moliriue moram, & veniendi poscere causas.
[e] Ipsa Paphum sublimis abit, sedésque reuisit
Læta suas: vbi templum illi, centúmque Sabæo
Thure calent aræ, sertísque recentibus halant.

ARGVMENTVM.

His dictis Venus abiit, multis indicans diuinitatem suam, illam natus incusat, tendit deinde Carthaginem septus nebula, vnà cum Achate. Venus Paphum abiit, vbi illi sacra fiunt, thure & floribus.

EXPLICATIO.

[a] SEQVVNTVR signa quatuor diuinitatis in Venere, videlicet, splendor ceruice auersa, ambrosiæ odor, vestis defluxus, incessus.

[b] Commouetur in matrem iam cognitam, quæ commotio non est contumeliosa, sed ex affectu cupientis cum ea colloqui ad solatium calamitatum. Est *vbi* hîc, postquam. Cùm ait *crudelis tu quoque*, fit nonnulla allusio ad Iunonem. quasi dicat, illa sæuissima est in me affligendo, tu nonnihil in illudendo.

[c] Ait Seruius, & sextò monet, *incusare*, propriè esse superiorem arguere. Vt in Terentio pater ad filium, *Quid me incusas?* alij dicunt; quorumcumque esse, tantùm in se querelam continere.

C [d] Per finitionem hanc *aëre obscuro*, intelligit nebulam. quam rem postea expoliens explicat per illa, *multo amictu nebulæ*: quasi dicat, ideo obscurus aër, quia densa nebula. Reddit postea causam quadruplicem, cur illos ἀοράτους reddiderit, videlicet, nequis posset eos cernere, ne quis contingere, nequis impedire, ne quis poscere causas aduentus.

[e] Redit ad Venerem, quæ Paphum abijt, vbi eius templum sedésque, vbi centum aræ, illæque halantes thure & sertis. Vtrumque cum elogio, thus est Sabæum, quod optimum: serta recentia, quæ magna laus Paphi. Est enim magnum semper terram fronde & flore superuestiri, vt coronæ recentes sint.

D

NOTÆ.

1 AVERTENS] Nota diligenter veterum doctrinam, qui suis Diis ἀορασίαν dabant. ita enim illos hominum oculis subiiciebant, vt posteriores tantùm illorum partes à mortalibus videri vellent, faciem nequaquam, nisi sub alterius viri forma. Ex hac ergo doctrina, Venus se præbet cognoscendam, cùm auertit corpus, non antea. Adumbrauit doctrinam

Dij gentiũ à tergo tantùm noscebantur.

nam hanc Homerus Il. 13. apud quem cùm Neptunus Calchanti similis vtrumque Aiacem Oilej & Telamonis ad bellum concitasset, móxque abiisset, Oilei filius abeuntem iam retro agnouit, his vsus ad Telamonium,

Οὐδ᾽ ὅγε Κάλχας ἐστὶ θεοπρόπος οἰωνιστής.
Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν, ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ᾽, ἔγνων ἀπιόντος. ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ:
Neque hic Calchas est vates augur.
Vestigia enim retro pedum, & tibiarum,
Facilè cognoui abeuntis. faciles autem cognitu Dij sunt.

Tractat hunc Homeri locum Heliodorus lib. 3. Hist. Æthiop. de quo ego lib. 5. Æn. Vide, vtrum ex Virgilio & Homero aliquid lucis capiat locus Exodi cap. 33. Vbi Deus ad Moysen, Οὐ δυνήσῃ ἰδεῖν τὸ πρόσωπόν μου. οὐ γὰρ μὴ ἴδῃ ἄνθρωπος τὸ πρόσωπόν μου, καὶ ζήσεται.

2. Rosea cervice] Hinc Horat. *ceruicem roseam.* Est rosa Veneri sacra. Vide. 2. Æn. ad illud *roseo ore,* de eadem Venere. Vt hîc ab ceruice Venus agnoscitur, ita eadem Dea ab Helena. 3. Il. à collo, à pectore, ab oculis.

Ambrosius, idest, diuinus. 3. Ambrosiæ] est adiectiuum numeri multitudinis, quod firmat Homeri imitatio, qui 1. Il. ἀμβρόσιαι χαῖται. & Philostratus, qui libr. 7. de vita Apollon. cap. 15. ἀμβροσίας χαίτας. Sunt in tribus *ambrosiæ comæ* diuinæ, & immortales comæ. nam ἀμβρόσιος est immortalis, & diuinus. Attributa ab ambrosia, & nectare creberrima sunt. De primo Martialis *ambrosias dapes.* Siliu *sambrosiis succis.* Homerus, ἀμβρόσιος ὕπνος. De altero Apuleius. 2. *linguæ illitu nectareo.* & lib. 5. *vini nectarei.* Il. 8. νεκταρέῳ χιτῶνι: *nectarea tunica.* Moschus de Helena, νεκταρέων παρειῶν: *genarum nectarearum.* Nonnus lib. 1. ὀδμῆς νεκταρέης.

Nectareus.

Odor nota diuinitatis. 4 Divinum vertice odorem] Dabant antiqui suis Diis hanc notam diuinitatis. Homerus. 14. Il. Iunonem inducit ambrosia se & oleo perungentem; quo sibi odorem conciliaret. Plutarchus dat Isidi θαυμαστὴν εὐωδίαν: *admirabilem odorem.* Apud eundem libro de vitando ære alieno, Calypso (quæ ab Homero dea dicitur) vestes habet diuinum quiddam atque immortale spirantes, & illis Vlyssem donat. εἵματα δ᾽ ὤδεα χρωτὸς ἀθανάτου πνέοντα. Apud Aristidem orat. 2. sacror. serm. ægis Palladis suauissimè spirat. Ab Apuleio lib. 6. Venus inducitur *flagrans balsamo.* Ab eodem Dea illa, quæ sibi apparuit lib. 11. *spirans Arabiæ felicis germina.* Ouidius. 4. Fast.

Omnia finierat, tenues secessit in auras.
Mansit odor, posses scire fuisse Deam.

De Baccho Propertius libr. 3. eleg. 17.

Læuis odorato ceruix manabit oliuo.

Ex hac nota diuinitatis Francisc. Petrar. in ecl. (quem cur non aduocem?) ita canit:

Daphne ego te solam deserto in littore primùm
Aspexi, dubius hominémne Deámne viderem,
Aurea sic Rutilo flagrabat murice palla,
Sic cælum latè insolito complebat odore.

5 Spiravere] Plutarch. in lib. de Isid. τοῦ χρωτὸς ἀμβροσίαν πνέοντος: *corpore ambrosiam spirante.*

6 Pedes vestis deflvxit ad imos] Hanc diuinitatis notam vt dissimularet, priùs fuerat,

Nuda genu, nodóque sinus collecta fluentes.

Fluxa vestis nota diuinitatis. Et quidem hanc fuisse notam diuinitatis satis indicant Statius, Tibullus, & Propertius, qui illam dant Baccho. Primus lib. 1. Achill.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Alter lib. 1. eleg. 7. loquens de hoc Deo:

Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Tertius lib. 3. eleg. 17. loquens cum eodem,

A

Et feries nudos veste fluente pedes.

Incessus Deorum. 7 Et vera incessv patvit dea] Quis fuerit Deorum incessus aperio ex Heliodoro, lib. 5. Æn. ad illud, *quis gressus eunti.* Pete inde. Lege etiam, quæ suprà in hoc libro ad illud,

Ast ego, quæ Diuûm incedo Regina.

Vbi Seruius notat, incedere esse nobilium, & Ouidius ait, lib. 3. de Arte:

Est & in incessu pars non temnenda decoris.

8 Ille vbi matrem, &c.] Locus translatus ab Homero. 3. Il. vbi Helena agnoscit Venerem secum loquentem.

9 Est voce seqvvtvs] Hinc fortasse Homerus vocat verba πτερόεντα, *alata.*

10 Qvid natvm toties, &c.] Est hoc quod

B

Helena ad eandem Venerem:

—τίπτε ταῦτα λιλαίεαι ἠπεροπεύειν;
—cur me his cupis decipere?

Quod Vlysses ad matrem Odyss. 11.

—τίπτε μ᾽ οὐ μίμνεις ἑλέειν μεμαῶτα;
—cur me non spectas amplecti cupidum?

Salutatio olim innexio manuũ. 11 Cvr dextræ ivngere dextram, &c.] Sic se veteres salutabant adinuicem, innexis manibus. erat hoc fidei & amicitiæ argumentũ. de quo 8. Æn.

12 Avdire, et reddere voces] Est hoc, quod Terentius, Plautus, Cicero, *vicissim loqui.* Catullus ante Nostrum,

—nec missas audire, & reddere voces.

13 At venvs obscvro, &c.] Imitatio Homerica. sic enim à Pallade Vlysses bis tegitur Odyss. 7. & 13. ἀμφὶ πολὺν ἠέρα χεῦε. Et, περὶ θεὸς ἠέρα χεῦεν. itaque & ἀμφὶ & περὶ, Noster per *circum.* Quod ille, πολὺν ἠέρα, Noster *multo nebulæ amictu.* Ab Homero Apollonius 3. Arg. mutans verbum, πολὺν ἠέρα ἐφῆκε. vbi videlicet Argonautæ teguntur ab Iunone simili cõmento. Calaber lib. 1. ita, ἀμφὶ δέμιν ζόφος ἔκρυψε: *circumtexit illam nebula.* Ad loca ista Poëtarum alludit Plutarchus de solertia animal. loquens ita de commento sepiæ ad captandam prædam, ἀπομιμουμένη τοὺς ὁμήρου θεοὺς, κυανέῃ νεφέλῃ πολλάκις οὓς ἂν σῶσαι θέλωσιν ὑφαιρουμένους, καὶ ἐξακλέπτοντας: *Imitans deos Homericos, qui quos saluos volunt, cærulea sæpe numero nube obiecta eripiunt, atque suffurantur.*

Sepiæ piscis commentũ.

Amictus de aëre. 14 Nebvlæ—amictv] Ab locutione ista, qua nubi datur amictus, non abit datus à Lucretio cælo, cùm ait lib. 6. *cæli mutemus amictum.* idem lib. 1. & 2. *cæli tegmine* dixit. Poëtæ quidem omnes, qui ita loquuntur, capiendi de aëre, quo tegente, velut veste quadam, ambimur. Pulcre itaque Ennius apud Varron. loquens de aëre *cortinam* dixit. Est *cortina* velamen illud, quo tripus tegebatur. Sed do versum Ennij:

D

Cortina de aëre.

Quaque freto caua cæruleo cortina receptat.

Mare pro aëre. Non dubites loqui de aëre, etiam si fretum dicat. Nam Lucretius aërem quoque vocauit *mare.* Quod alibi iexorno.

15 Cernere ne qvis eos] Hæc ratio est Odyss. 13.

E

—ὄφρα μιν αὐτὸν
Ἄγνωστον τεύξειεν:
Vt illum ipsum ignotum faceret.

Et in Apollonio lib. 3. ὄφρα λάθοιεν Κόλχων ἔθνος, *vt laterent turbam Colchorum.* Cæterùm sententiam istam, *faciam ne te aliquis cernat,* ita extulit Sophocl. in Aiace,

—ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους
Αὐγὰς ἀπείρξω σὴν πρόσοψιν εἰσιδεῖν:
—ego enim oculorum auersos
Radios repellam à tui vultus contemplatione.

Est hoc quod Poëta inf. *neque cernitur vlli.* & quod Aristides

Ariſtides orat.5.ſacror. ſerm. ὅτε ὀρώμενοι.

16. AVT VENIENDI POSCERE CAVSAS] Hæc ratio eſt in 7. Odyſſ. Vbi Vlyſſi obtenditur nebula, ne quis Phæacum factus illi obuiam ἐξερέοιθ', ὅστις εἴη : *interrogaret quis nam eſſet* : Hîc non omittam, Græcum vatem non ſibi conſtare:nam qui Vlyſſem tegit,vt à nemine adeatur, mox inducit Mineruam, quæ illum tectum nebula videt, adit, alloquitur,fit ſalutatio, & miſcentur longiſſimi ſermones. Dices, Dea erat, neque impediebatur nebula. Sed contra eſt,illam apparuiſſe ſpecie Virginis.

Homeri inconſtantia.

17. IPSA PAPHVM SVBLIMIS ABIT,&c.]Habuit ante oculos duo Homeri loca. Primum de Minerua, quæ vbi ſatis Vlyſſem docuit res Phæacenſium, ab eo diſceſſit ad loca ſibi ſacra : alterum de Venere,8. Odyſſ. vbi etiam venus Paphum petit.De Papho ſacra Veneri multa eſt mentio,nunc mihi ante oculos eſt Ammianus, qui lib. 14. *Cyprum vrbes duæ faciunt claram,Salamis, & Paphus:altera Iouis delubris,altera Veneris templo inſignis.*

Paphos ſacra Veneri.

18. CENTVMQVE]Statius 5.Theb.

Illa Paphum veterem,centúmque altaria linquens.

19. SABÆO]Quære in Georgicis.

20. THVRE CALENT ARÆ, SERTISQVE RECENTIBVS HALANT]Sacra Veneris Paphiæ thure tantùm & floribus fiebant, non ſanguine,ſaltem aræ ipſæ nunquam illo ſpargebantur, atque adeo conſultiſſimè Poëta tantùm dixit, *aras thure calere, ſertis halare.* Hoc fortaſsè non vidit Naſcimb. qui acriter in hanc rem pugnat. Non igitur ingratum erit,ſi,quæ ad hunc morem reperi,in vnum conferam. Vbi,quæ Nannius libauit tantùm, locupletabo. Chorum ducat Tacitus lib.2. Hiſt.nam ex eo pendet aliorum explicatio. Ille itaque de ſacris Paphiæ Veneris ita ſcribit: *Hoſtiæ, vt quiſque vouiſſet, mares deliguntur. Certiſſima fides hœdorum fibris.Sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur.* Iuxta hæc verba Taciti capiendi omnes, qui de his ſacris ſcripſerunt. Quis enim neget effundi ſanguinem, cùm audiat & mares deligi, & haberi fidem fibris? ſed in ara effundi, id ſcilicet nego, & hanc eſſe mentem Poëtæ contendo. Hoc habito pergo ad celebrem morem firmandum.Produco Empedoclem apud Athen.lib.12. qui ſic ex verſione Dalecamp.

Venus Paphia thure tantùm & floribus colebatur.

Nullum ex Dijs prorſus illi venerabantur,
Non Iouem Regem, non Saturnum, non Neptunum:
Sed Reginam Venerem; quam ſacris ſtatuis placabant,
Animalium picturis, vnguentis varia ſpirantibus,
Sinceræ myrrhæ ſuffitu, ac thuris ſuauiter olentis,
Effuſo in pauimentum melle flauo libantes.

Nulla hîc, vt vides, mentio ſanguinis inter tot ſacra. Pergo. Valerius 6.Arg.

—Veneris thalamos ſempérque recentia ſertis
Tecta.

Signatiſſimè Catullus de coma Berenic.

Tu verò Regina tuens cùm ſidera, Diuam
Placabis feſtis luminibus Venerem,
Sanguinis expertem.

A Intellige expertem ſanguinis tantùm in ara, iuxta verba Taciti iam adducta. Ideo Homerus 8. Odyſſ. tantùm dixit,

Ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομειδὴς Ἀφροδίτη
Ἐς Πάφον,ἔνθα δέ μὲν τέμενος, βωμός τε θυήεις:
Illa verò ad Cyprum peruenit ridens Venus
In Paphum,vbi lucus, vaporánſque ara.

Vides, vt tantùm ara dicatur, θυήεις. Eadem ratione loquitur Auctor hymni ad Venerem.

Ἐς Κύπρον δ' ἐλθοῦσα, θυώδεα νηὸν ἔδυνεν
Ἐς Πάφον,ἔνθα δέ οἱ τέμενος,βωμός τε θυώδης:
Cyprum autem cùm veniſſet, odoriferum templum ingreſſa eſt,
In Paphum,vbi illi templum eſt,& ara odorifera.

Ex dictis explico verba Horatij,od.30.lib.1.

B *O Venus Regina Cnidi, Paphíque,*
Sperne dilectam Cypron,& vocantis
Thure te multo Glycera decoram
Transfer in ædem.

Vbi Glycera, vt Venerem auertat à Papho & Cypro, multo thure illam inuitat, quia illo ſcit hanc Deam detineri in locis his. & Catullum de Coma:

Tu verò Regina,tuens cùm ſidera,Diuam
Placabis feſtis luminibus Venerem,
Sanguinis expertem.

Explico etiam Philoſtratum, lib.2.Icon. Vbi cùm ait loquens de Veneris ara, λιβανωτοῦ γὰρ ἱκανῶς ἔχει, καὶ κασίας, καὶ σμύρνης:*habet multum thuris, caſiæ,atque myrrhæ*,capiendus eſt de ara Paphi, etiamſi nō nominet. Demū in genere antiquiſſimum fuit, aras omnes & C templa floribus & roſis curare. Poſſem firmare ex Apuleio, lib. 3. vbi loquitur de ſimulacro Deæ Hipponæ, ex Pindaro od. 7. olymp. vbi loquens de oraculo Apollinis ait, εὐώδεος ἐξ ἀδύτου:*ex adyto odorato.* De Delio Apolline lege,quæ ego 3.Æneid.Sed redeo ad Venerem. Non ingratum ſit audire quód Paphiæ Veneris ſimulacrum fuerit,ídque verbis Taciti lib.2. *Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exſurgens, & ratio in obſcuro.* Et quidem non humana effigie ſimulacra à gentibus odorari ſolita plerunque, notius eſt, quàm vt egeat longa explicatione. Lucan.lib.3.

Florib. aras curari antiquiſſimum.

Veneris Paphiæ ſimulacrum.

—ſimulacráque mœſta Deorum
Arte carent, cæſiſq; extant informia truncis:

D Peſſinuntiam Deam informem fuiſſe lapidem è cælo lapſum,Herodianus memoriæ prodidit. Tertullian.in Apolog. *& tamen quanto diſtinguitur à crucis ſtipite Pallas Attica,& Ceres farrea? quæ ſine effigie rudi palo, & informi ligno proſtant.* Arnobius lib.6. ait, *coluiſſe informem Arabas lapidem.*

Peſſinuntia Dea forma lapidis culta.

21. HALANT] Subaudi, odorem. Apud Columellam, Plinium, alióſque ſcriptores rei ruſticæ hæc ſunt verba ad idem pertinentia:*flores halant,exhalant, ſpirant, reſpirant, emittunt, efflant,fundunt ſuauem ex ſe halitum, dulcem flatum,amœnum ſpiritum, gratum odorem.* Lucretius lib. 4. *odorem exſpirant.* Philo in lib. de Mundo ita extulit: τὰς ἀπὸ τῶν ἀνθῶν ἀναφερομένας εὐωδεστέρας αὔρας : *ſuaues è floribus auras relatas.*

[a] Corripuere viam interea, qua ſemita monſtrat.
[b] Iamque aſcendebant collem, qui plurimus vrbi
Imminet, aduerſáſque aſpectat deſuper arces.
[c] Miratur molem Æneas,magalia quondam:
Miratur portas,ſtrepitúmque,& ſtrata viarum.
[d] INSTANT ardentes Tyrij: pars ducere muros,

Moli

Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
IVRA magistratúsque legunt, sanctúmque Senatum.
e Hîc portus alij effodiunt: hîc alta theatris
Fundamenta locant alij: immanésque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
f QVALIS APES æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
g Feruet opus, redoléntque thymo fragrantia mella.
h O FORTVNATI, quorum iam mœnia surgunt,
Æneas ait, & fastigia suspicit vrbis:
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscétque viris, neque cernitur vlli.

A

ARGVMENTVM.

Post discessum Veneris illi pergunt Carthaginem, atque ex colle, qui contra vrbem erat, vident celeberrimæ vrbis ædificium, quod Poëta arrepta occasione pulcherrimè & latè describit. Deinde labor Carthaginiensium illustratur, comparatione apum operi suo perquam sedulò incumbentium. Tertio Æneas Pœnorum laude prædicata, illis se admiscet, non visus.

EXPLICATIO.

a INNVITVR auiditas. Turnebus *corripere viam: gradum raptim facere.* Ita Plinius epist. 67. *viam ipsam corripiemus.*

b Clara omnia, tantùm *plurimus collis* hîc est, longus, explicatore Seruio, & firmatore Corrado, qui ait ex Polybio & Appiano fuisse collem hunc longum tria millia passuum. Mihi placeret pro alto accipere, & quia altus, ideo *ascendebant*, ideo *imminet*, ideo *spectat desuper*. B

c Ipsa ducis admiratione collige maiestatem ædificiorum. Est in hoc versu oppositio elegans inter molem, quæ signat magnitudinem operis; & inter magalia, quæ sunt rustica & humilia Afrorum domicilia. Putant aliqui, fieri allusionem ad Romanam vrbem, quæ ex paruis initiis & casis pastorum excreuit in magnam molem. Redeo. Ex tanta illa mole signat præcipuè *portas*, quæ maximæ, *strepitum*, ædificantium, *stratas vias*. Ait hîc Seruius, Pœnos primos omnium lapidibus vias strauisse.

d Vide iam ardorem ædificantium, & omnia cum summa proprietate. Muri dicuntur *duci*, quia πρὸς ὀρθὸν κανόνα, *ad rectam regulam lineámque*. De arce *molior*, quo verbo exprimitur conatus, & labor. Saxa *subuoluuntur manibus*, quia manibus fit nisus ab inferiore parte, vt prouoluantur. Fit *optatio* loci ad domos singulas, ex vetere loquendi forma. Locus iam optatus *concluditur sulco* ex vetere instituto, *leguntur iura*, id est, loca dando iuri, & *magistratus*, qui præsint iuri dicundo, & *senatus*, & is *sanctus*, quia incorruptus, integer, augustus. Obserua verbum *legunt*, nam adducturus est comparationem apum, de quibus ipse 4. G. *natos ore legunt.* C

e Non contenta Dido portubus, quos dedit natura ad oras maritimas, in hanc rem ex arte incumbit. Sed vide prudentiam orationis. Præmisit vates, quæ salutis, & dignitatis sunt: quippe ad Salutem pertinent muri, domus, arces, portus; ad dignitatem iura, magistratus, senatus: hæc (inquam) præmisit: nam hæc prima esse debent, iam posteriore loco adhibet, quæ pertinent ad ciuium voluptates, hæc sunt theatra, quorum locant fundamenta, excidúntque columnas immanes, id est, ingentes, è rupibus, ad futuras scenas histrioniæ, quibus populus oblectatur.

f Prudentissima comparatio. Nam, qui vrbis nouæ ædificationem describit, Pœnorum sedulitatem, iura, leges, magistratus, quid potuit illustrius afferre, quàm apum Rempublicam vniuersam? in quibus imago splendet ciuilis administrationis. Vide verò vt dilatet, vt etiam exornet rem apum? *Exercet* (inquit) *illas labor*, signat agmina, exercitus, acies, duces, milites, quæ omnia apibus tribuuntur. Exercet verò illas *sub sole, æstate noua, per rura florea*: en triplex circunstantia. Exercentur rebus quinque, aut enim proli incumbunt, aut stipandis mellibus, aut distendendis cellis, aut accipiendis oneribus fatigatarum, aut arcendis fucis. Cur verò hæc studia eligit præ innumeris apicularum? quia hæc ad rem aptiora. Ideo Seruius admonet nihil in hac comparatione redundare. Nam Pœnorum operi apum labor comparatur: fit prolis mentio, & domorum; nam Pœni domos ad salutem construunt, in quibus nuptias celebrent, & indulgeant liberis: custodiæ littorum expulsio fucorum comparatur; & hi quidem arcentur à præsepibus, vt fures, non à labore, in cuius partem si venirent, non arcerentur. Ab vniuersa explicatione recurro ad voculas, si quæ difficiles. *Rura florea*, pro florida, vt frondea, pro, frondentia. *Educunt*, propriè (ait Seru.) quia non singulæ de singulis educuntur, sed omnes de omnibus: *stipant*, & *distendunt*, egregiè opponuntur. *Dulci nectare*, id est, melle nectareo. *Ignauum*, quia sine aculeo fuci. *Pecus*, quia quicquid pascitur, pecus dicitur. *Præsepibus*, sunt *præsepia* quæuis loca clausa, & quasi præsepta alendis statuendísque animalibus. *Arcent* vt ab arce hostes.

g Habet hic versus vicem epiphonematis. In *feruet* est accommodatio ad rem, nam dixerat, *Instant ardentes Tyrij.*

h Illos

h Illos verè felices putat, qui penè ad fastigium perduxerunt vrbem, cùm ipse suæ necdum fundamenta iecerit. Affectum adiuuat exclamatio: videbat enim egressos Tyro iam fatis sedes inuenisse, se Troia exclusum tandiu distineri. Similis ille affectus. *requies ea parta laborum.* & : *felices, quibus est fortuna peracta Iam sua.* In verbo *suspicit* est affectus admirationis, atque inuidentis tantæ fortunæ.

NOTÆ.

1. MIRATVR MOLEM ÆNEAS] Imitatio Homerica, θαύμαζεν δ' Ὀδυσσεὺς, &c. Lege reliqua Odyss. 7. & locum Lucani vtrique adsonum, lib. 3.

Excelsa de rupe procul iam suspicit vrbem, &c.

Porrò qui scire velit situm Carthaginis, quem ex hoc loco contemplatur Æneas, legat Appianum, Orosium, lib. 4. cap. 22. Adonem in Chronico ætate 5.

2. MAGALIA] De his iam 3. G.

Strata viarũ. 3. STRATA VIARVM] Figurata locutio, pro, stratas vias. Ita Horat. od. 12. lib. 4. *eluere amara curarum.* In Moreto, *singula capitum.* Fabius declam. 260. *incensa operum.* Iustinus, lib. 41. *profunda camporum, prærupta collium, montium ardua,* 2. Æneid. *opaca locorum.* & Cassiodorus 1. Var. epist. 4. *amœnissima Brutiorum.* Institit verò Virgilius Lucretio, lib. 1.

Strataque iam vulgi pedibus detrita viarum.

Idem *vera viai.* Græci delectati figura hac. Aristophanes Pluto, τούτων μῶρα: *horum stulta,* pro stultitias. Ibidē, τοὺς χρηστοὺς ἀνθρώπων: *bonos hominum.* Philostratus in Heroicis, πολλοὺς τῶν νέων. & lib. 2. de Vitis Sophist. ἡδίους τῶν ἀμπέλων: *multos iuuenum, suauiores vitium.* ita κακοδαιμονεστάτους ἀνθρώπων, *miserrimos hominum,* & sexcenta alia. Thucydides, στενόπορα τῶν χωρίων. imò Thucydideum hoc vertisse Virgilium, lib. sequenti in illis *angusta viarum,* Germanus notat.

4. INSTANT ARDENTES TYRII] Ex hoc loco Silius lib. 2.

Condebat primò Dido Carthaginis arces,
Instabatque operi subducta classe iuuentus:
Molibus hi claudunt portus, his tecta domusque
Partitur iusta Bitia venerande senecta.

5. DVCERE MVROS] Illustrabis locutionem istam ex Liuio, lib. 7. qui *vallum ducere.* ex Horatio, qui lib. 4. od. 6. *ductos muros.* ex Tibullo, lib. 4. qui *ducto vallo.* Sed hac locutione nihil frequentius.

Optare pro eligere. 6. OPTARE] Qui hîc *aptare,* id est, ἁρμόζειν, malè. Veteres *optare,* pro eligere, dixerunt. Ita 3. Æneid. *Optauitque locum regno,* id est, elegit, ab Græco ὄπτω, video, considero. Ab hoc significato *coopto, adopto.* Vide Nonium, Iosephum Scaligerum in Coniectaneis, & Iulium, lib. 4. Poët. cap. 16. & in Teren. An. Donatum. Hi omnes & in Virgilio agnoscunt *optare,* & firmant exemplis veterum, quæ ego hîc omitto, & à me addo Arbitrum, qui sic:

Hæc vbi calcauit Cæsar iuga milite læto,
Optauitque locum.

& Liuium, qui lib. 6. *Introductis in senatum Captiuis, cùm bello persequendos Tusculanos patres censuissent, Camilloque id bellum mandassent: adiutorem sibi ad eam rem vnum petit: permissoque, vt ex Collegis optaret, quem vellet, contra spem omnium Lucium Furium optauit.* id est, permisso, vt eligeret, quem vellet, eligit L. Furium. In Declamationibus Fabij ita frequens est hoc verbum in hac significatione, vt nesciam an aliud ibi frequentius.

7. CONCLVDERE SVLCO] Locus digito notandus. Non solùm ducebatur sulcus ad murum, sed ad domos.

8. IVRA] Hæreo Germano, qui hic non δίκας intelligit, sed δικαστήρια id est, loca, in quibus ius diceretur. Nam nunc quod tempus iuri dicundo? Sic accipit idem Poëta, 3. Æn.

Iura domosque dabam.

Nam Æneæ recèns aduecto quod tempus, aut ociũ condendis legibus? sic & Propertius, lib. 3.

Cùm tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro.

Ponere, dixit, quod locum notat, non, dicere.

Senatus Romani elogia. 9. SANCTVMQVE SENATVM] Pertinet ad sanctitatem Senatus insigniter eruditio Francisc. Iureti in Symmachum. Petronius Senatum vocat *recti bonique præceptorem*: Prudentius lib. 1. in Symm. *mundi lumina.* Cassiod. lib. 6. epist. 4. *opinione gloriosum, morum lumina.* Quintilian. Declam. 329. *sanctissimum ordinem.* Symmachus, lib. 1. epist. 46. *partem meliorem humani generis.* Nazarius Paneg. senatores vocat *optimates.* In 12. tabul. iubentur illi omni vitio carere, vt qui sancti, quod relatum à Tullio 3. Leg. Iam quis referat reliqua elogia, non solùm sanctitatis? Plutarchus in Pyrrho illum vocat βασιλέων πολλῶν συνέδριον: *multorum regum consessum.* Tullius de Aruspic. resp. *principem salutis.* Symmachus sæpè *reuerendum ordinem.* Cassiod. lib. 1. epist. 41. *reuerendum cœtum.* & epist. 13. *ornamentum ceterorum ordinum.* Ennodius Paneg. *coronam curiæ.* Epictetus, *ornamentum vrbis, splendorem ciuium.* Probus Imperator apud Vopiscum Senatores dixit, *mundi principes.*

Cothones. 10. PORTVS] Portus arte factos cothones, vel cothona appellari, ait Seruius, masculino & neutro genere. Festus quoque: *Cothones appellantur portus in mari interiores, arte & manu facti.* Signatiùs Appianus loquitur in Libyco, cùm ait: *appetente vere Scipio Byrsam aggredi, & portum, qui cothon dicitur, expugnare instituit.* Vbi cum Byrsa cothonis quoque mentionem facit, quæ omnia ad Carthaginem pertinent. De propugnaculis, foueis, turribus, claustris, quibus vrbes muniendæ, loquitur Plato lib. 6. Leg.

Theatrum M. Scauri. 11. THEATRIS] Fortasse alludit ad theatrum, quod Romæ struxit M. Scaurus ædilis. Id fiet probabile audienti verba hæc Plinij, lib. 36. cap. 15. *Hic fecit ædilitate sua opus maximum, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verumetiam æternitatis destinatione. Scena ei triplex in altitudinem CCCLX. columnarum, in ea ciuitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ.* In quibus verbis multa sunt affinia Virgilianæ sententiæ. Nam magnum numerum columnarum, Poëta exhibet per numerum multitudinis *columnas.* Illarum altitudinem per vocem *immanes.* Triplicem scenam per *scenis* in plurali. Decus & luxuriam operis per *decora alta.* Porro Hymettiæ (hoc obiter, vt Plinius capiatur tironi) columnæ sunt celebratissimæ ex Hymetto monte, quarum cùm sex haberet Crassus, dictus est M. Bruto cum ingenti probro, Venus Palatina.

Hymettiæ columnæ.

Virgilij prudentia. 12. SCENIS DECORA ALTA FVTVRIS] Indicanda hîc est prudentia Maronis in toto hoc opere describendo, qui cùm semper sit admirabilis, nusquam admirabilior, quàm cùm attingit rem ciuilem. Ad rem. Nihil prætermittit earum rerum, quæ necessariæ ad vnius ciuitatis conseruationem, & statum. Mentem Poëtæ mirè complexus est Iulius Scaliger. In primis tribus, *Instant ardentes Tyrij,* &c. est quasi corpus ciuitatis, cui corpori animum addit, cùm ait,

Ciuilis status.

Iura magistratusque legunt, sanctumque Senatum:

sunt

sunt enim leges, iura, magistratus, & religio, quasi animus vrbium. Tum addit ornamenta, columnas, theatrum, scenas. Itaque posuit Virgilius in excitanda hac vrbe, bonum vtile, necessarium, delectabile: vtile in muris, ac domibus: necessarium, in legibus: delectabile in ludis. Eundem pene ductum secutus est Vates in excitando Iunonis templo,

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat donis opulentum, & numine Diuæ.
Aurea cui gradibus surgebant limina, nexaq;
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Ad quos versus sic Scaliger: *Quo loco tria quoque illa complexus est: materia est as, cæmenta, marmor cum figura Iunonis, trabium, cardinum, valuarum, testudinis; hoc est corpus. Anima templi quid erit? numen ipsum, iccirco dixit, opulentum numine. Dona verò ad decorem. Vt hinc scias quàm leuiter Virgilium Grammatici excurrant.* B Quæ hîc dicta, de Vate confirmant testimonia. Inter res enim, quas habere vrbs debet, vt verè dici vrbs queat, nominat Pausanias lib. vltim. *prætorium, gymnasium, theatrum, forum, perennis aquæ conceptaculum.* Artemidorus lib.1.cap.2.numerat λιμένας, τείχη, ἀγοράς, γυμνάσια: *portus, muros, fora, gymnasia.* & addit, κοινὰ πόλεως ἀναθήματα: *communia vrbis donaria,* Ab eodem lib. 3. cap. 63. ponuntur communes vrbium partes, θέατρα, προάστεια, πλατεῖαι, τεμένη, περίπατοι: *theatra, suburbia, plateæ, delubra, deambulacra.* Hæc omnia ait, ita debere esse vrbibus communia, vt est forum. Plato lib.6.Leg. has partes communes assignat, λιμένων, ἀγορᾶς, κρηνῶν, τεμενῶν, ἱερῶν: *portus, forum, fontes, lucos, templa.* Aristides loquens de Roma, istas. γυμνασίων, κρηνῶν, προπυλαίων, νεῶν, δημιουργῶν, διδασκαλείων: *gymnasia, fontes, porticus, templa, officinas, scholas.* C Easdem ferè numerat loquens de Smyrna. Philo de opificio mundi istas, ἱερά, γυμνάσια, πρυτανεῖα, ἀγοράς, λιμένας, νεωσοίκους, στενωπούς, τειχῶν κατασκευάς. Consentiunt ista omnia cum partibus, quas suæ vrbi dat Virgilius. Plutarchus in comparatione ignis & aquæ laudat eam vrbem, quæ non egeat τῶν ἔξωθεν συμμάχων, *externis auxiliis.*

13. QVALIS APES] Omnia, quæ hîc de apibus, iam Poëta lib. 4. G. & ego ibi. Ideo hîc tantùm signabo loca. De studio illarum, quod hîc attingit, lege quæ ad illud, *Namque aliæ victu inuigilant.* Item quæ ad illud, *amor vrget habendi.* & adiice locum Plutarchi ἐν Ἐρωτικῷ, & Nazianzeni orat. 43. & Cyrilli in præfatione ad Ionam prophetam. & Nonni lib. 5. Dionysiac. loquentis de Aristæo. De tempore, quo exeunt ad pastum, nam etiam hoc hîc attingit, cùm ait, *æstate noua*, vide in illis, *vbi pulsam hyemem sol aureus egit,* &c. De fœtibus apum, vide ad illud,

folijs natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

De cellis illarum satis fusè, vbi in eo libro nominat *caueas.* Demum de oneribus, de punitione fucorum, & cur hi ignaui, de thymo quo delectantur, satis ibi multa.

14. RVRA] Aphæresis à voce Græca ἄρουρα. Ita Seruius, & alij. Pari cum Poëta modulo Claudian. 2. Rap. — *Rura, quæ vox.*

Huc elapsa cohors gaudet per florea rura.

15. GENTIS] Homerus sæpe ἔθνεα χηνῶν, γεράνων, κύκνων, μελισσῶν: *Gentes anserum, gruum, cycnorum, apum.* — *Gens de auibus.*

16. STIPANT] Nam quò densius & stipatius mel, eo laudabilius; imò hæc vltima mellis perfectio, ad quam veluti per gradus venit. Plinius lib. 11. cap. 13. *Est autem initio mel, vt aqua, dilutum, & primis diebus feruet, vt mustum, seque purgat. Vicesimo die crassescit, mox obducitur tenui membrana, quæ feruoris ipsius spuma concrescit.* Bene ergo, stipant & densant mella liquentia, id est, liquida. Alij *liquentia* accipiunt, id est, pura. Possunt, nam 4. G. — *Mellis perfectio vltima.*

—aliæ purissima mella
Stipant.

17. AGMINE FACTO] Plinius dicto loco hunc apium impetum explicat verbo *aggredi.*

18. IGNAVVM FVCOS PECVS] Sustinet fucus imaginem ignaui, quam rem attingit Pierius, sed nulla re exornat, præterquam loco isto Virgiliano. Adiunge quæ ego latè. 4. G. & præterea Platonem, lib. 8. Polit. atque Hesiodum in erg. vterque enim, ille consumptores facultatum, hic homines pigros, comparant cum fucis. — *Fucus pro ignauo.*

19. SVRGVNT] Creberrimum in ædificiis. Exempla in vno Virgilio multa. In quo sunt: *assurgunt turres, surgentem arcem Carthaginis, surgent mœnia.* Neque abit, *surgere regna.* Ita Propertius, *consurgit murus.* Et Tibullus, *Exsurgunt oppida muris.* Sed istæ notulæ in aliis obuiæ. — *Surgo de ædificiis.*

[a] Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,
Quo primùm iactati vndis & turbine Pœni
Effodêre loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi, sic nam fore bello
Egregiam & facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diuæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.
[b] Hoc primùm in luco noua res oblata timorem
Lenijt: hîc primùm Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis meliùs confidere rebus.

D

ARGVMENTVM.

Videt Æneas iam propius quod omen Pœni habuerint ad vrbem condendam. Aggreditur deinde Poëta fictionem, qua nulla aptior ad stuporē Æneæ, salutémque sperandā.

EXPLICATIO.

[a] SENTENTIA est, fuisse in media vrbe lucum, & in luco conditum ab Didone templum in honorem Iunonis. adhibétque rationem, cur eò loci

loci [illegible]lum conderetur, potiùs [illegible]quàm alio, quia videlicet Pœni, inuento ibi ab monstrante Iunone equino capite, hoc pro omine sumserunt: putarunt quippe non immerito prędici ab militari fera æternam fore & perpetuò vigentem illius populi virtutem. Hanc sententiam vide vt exornet. De luco, *vmbra latißimus*, quæ propria luci commendatio. Inuentũ caput vocat *signum*, ac ne dubios relinquat, mox explicat *caput acris equi*. Verbum *monstrarat* signatum est. Ait, gentem illam fore bello *egregiam*, quæ vox nemini expensa. Itaque non, præclaram, dixit, non obuium aliud, sed *egregiam*, vt quibus caput apparuit equini gregis. Cùm ait *facilem victu gentem* explica, facilem victoriis, sed de hoc postea. Ait *condebat*, quia cœptum templum, non perfectum. Iam vide, vt templum exornet à circunstantiis, à magnitudine; nam *ingens*: ab duplici opulentia, nam ibi & dona Deæ, & numen Deæ, ac præsentia: ab structura, nam ad templum aditus erat per gradus quosdam, & trabes nexæ erant: à materia, nam ærea erant limina, trabes nexæ ære, cardo stridebat ahenis foribus.

b Infert Poëta id, quod ad historiam poeticam festiuissimum est; & quod ad excitandos affectus vehementissimum. Quis enim non festiuissimè delectetur in historia, quæ sequitur? quî non Æneæ animus vehementissimè commoueatur, cùm videat res Troianas adeo per orbem celebrari, vt eas adhuc recentes coleret ciuitas posita in media barbaria, & tanto interuallo dissita ab Asia? Expende argumentum à contrariis, videlicet timore, & spe, & ab consequentibus, nam pulso timore, & spe affulgente, sequatur necesse est audacia, & confidentia. Ideo *ausus*, ideo *confidere*. Illud *afflictis rebus* est, non in tertio, sed in extremo casu: rectè enim hîc Seruius subaudit, *&c.*

NOTÆ.

Luci olim in vrbibus.

1. LVCVS IN VRBE, &c.] Ad morem, quo luci olim aut in ipsis vrbibus, aut iuxta illas, pertinet Plutarchi locus in Problem. hic: *Cur, quod impenditur in spectacula, lucar vocant? An quòd multæ sint syluæ circa vrbem dicatæ Diis, quas appellant lucos: &, qui ab eis capiebatur reditus, in spectacula insumebatur?* Porrò in vulgatis malè legitur, πολλά ἐστιν ἄλλα, cùm legendum sit, πολλά ἐστιν ἄλση. Lege Leopardum lib. 7. Emend. c. 17. Redeo. Ad eundem morem faciunt, quæ de vrbe Troia scribit Strabo, & ego alibi affero. De more, quo templa in mediis lucis, alibi loquor. Hîc rationem huius superstitionis accipe. Cùm tota illa gentilium religio mista esset mille impudicitiis, prætextu sacrorum itationísque ad templa, mille spurcitiis inquinabantur in nemoribus, præbentibus latebris occasionem. Hanc rationem satis indicat Philo lib. 2. de Monarchia, cùm dicat in ambitu templi Hierosolymitani nullum fuisse lucum, quia condensa syluarum maleficiis conueniunt. Subiicit alia in hanc sententiam.

Lucar, quid.

2. CAPVT ACRIS EQVI] De historia hac Iustinus lib. 18. *In primis fundamentis caput bubulum inuentum est, quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ, perpetuóque seruæ vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbs translata. ibi quoque caput equi repertum, bellicosum potentémque populum futurum significans, vrbi auspicatam sedem dedit.* Eadem scribunt Seruius, & Eustathius in Dionys. Ex hac historia monet Cælius lib. 18. c. 38. Carthaginem olim dictam Caccabem, Κακκάβην, quod lingua Punica si-

Carthago dicta olim Caccabe.

A gnificat equinum caput. Addit Eustathius in Dionys. Afrum, vnà cum equino capite repertam quoque palmam, quo omine firmati Punici ibi ciuitatem construxerunt. Cui consentit nota Vrsini asserentis, exstare apud se numisma argenteum Punicis litteris notatum, in cuius altera parte equi caput, & palma percussa esset.

3. SIC NAM FORE BELLO EGREGIAM] Nã videlicet θυμοειδὲς, καὶ πολεμικὸν, καὶ ἀρήϊον ὁ ἵππος ἐστι. Agnosce, verba Plutarchi ἐν ῥωμ. id est, *est equus animosum animal, bellicosum, Martium.* Sed de hac re in 3. Æn. Scias hîc tamen discrimen: nam si equi caput videretur in somnis, significabat δουλείαν; καὶ ταλαιπωρίαν, teste Artemid. lib. 1. c. 39. id est, *seruitutem, & miserias.* Addítque cap. 21. eiusdem libri eaB dem mala portendi homini somnianti habere se τρίχας ἱππείας, *pilos equinos.* Quia verò inuento equi capite egregia fore bello ciuitas putabatur, dixit Appianus ἐν Λιβυκ. vbi mentio est Carthaginis. πόλεως χρησμοῖς τῶν θεῶν συνῳκισμένης· *vrbis Deorum oraculis condita.*

Equi caput visum in somnis.

Carthago cõdita Deorum oraculis.

4. FACILEM VICTV] Locus difficilis, cuius triplex explicatio. Sunt qui ex historia Iustini, quam attuli, explicent, Carthaginem fore bello egregiam, sed tandem vincendam. & in primo aiunt allusum ad caput equi, in altero ad caput bouis. Nequit vera esse hæc explicatio. Nam quî egregia bello, si vincenda? Deinde, quî Iuno tutelaris Dea animos illis faceret? imo iniiceret desperationem. Tertiò, cùm Virgilius nihil de boue meminerit, tantùm de equo, C nonne iniustè traducitur ad bouis significata? Quartò, Silius lib. 2. Poëtam imitans nihil tale commeminit: ait enim:

Ostentant caput effossa tellure repertum
Bellatoris equi, atque omen clamore salutant.

Progredior ad alteram illorum explicationem, qui aiunt capiendum Poetam de victus ratione, vt dicat, Carthaginem fore bello egregiam, & frugum fertilitate abundantem, ad eum modum, quo Homerus dixit, Odyss. 4.

——ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
——*Facillimus victus est hominibus.*

Dij etiam eodem lib. elogio quodam dicuntur ῥεῖα ζώοντες, *facilè viuentes.* In hanc multi inclinant: Interque illos Donatus, & Seruius, cuius hæc sunt: D *Facilem autem, copiosam, diuitem: Terentius, quam vos facillimè agitis.* Erit ergo iuxta hos, facilis victu, id est, facilis alimoniâ, cibo, victitandi ratione. Displicet admodum ista explicatio, nam cum bello, victoriis, armis, quid cibus, alimonia, victus? Atque, vt ego puto, hæc explicatio tantùm suscepta est à videntibus non posse se hærere primæ. Nec me mouet, dici à Seneca epist. 90. *Sapiẽs facilis victu fuit.* id est, alimonia. Nam non ideo sequitur, sumi eam ita à Virgilio. Itaque his relictis hæreo tertiæ explicationi sequutus Hortensium, & Germanum, viros doctissimos, quorum prior ita ait: *victu ad vincendum, significato actiuo.* posterior, *Nescio, an cum interpretibus hîc* E *ad εὐπορίαν referri oporteat, viuendi, & commeatus commoditatem: nam si, victu, accipiamus actiuè, sententia præcedenti clausula defenditur, sic nam fore bello egregiam, vt Carthaginem victoriis insignem, & νικητικὴν, & νικηφόρον intelligamus.* Sed hæc explicatio præcipuè nititur his auctoribus (sunt hi non pauci, nec leuis auctoritatis) qui excludunt hæc, quæ vulgo dicuntur supina vltima. & qui admittunt, dant illis sæpissimè actionem. Sed de hac re, ne repetam, quæ alij, vide diligentem verè operam docti viri lib. 3. Minerua. cap. 9. vbi multa exemplorum varietate, & vi rationum efficit, has voces tantùm esse nomina,

Supina vltima nulla sunt.

non supina, & illarum plurimas habere veram actionem.

5. PER SÆCVLA] Pari forma Quintilian. declam. 268. *Pugnant inter se, atque dissentiunt, & perpetuam hanc per sæcula litem trahunt.*

6 OPVLENTVM] Tacitus de templo Hierosolymorum, *immensæ opulentiæ.*

Aes religioni seruit.

7. ÆREA] Seruius sic scribit: *ærea ideo limina vel quòd æs magis in vsu veteres habebant, vel quòd religioni magis apta est hæc materies. denique flamen Dialis æreis cultris tondebatur.* Seruianum hoc de religione iuuat.

Chalcidica ædificia Deorum.

Nota Florent. Christiani in Lysistratam Aristophaniam. Deorum aulæ & domicilia dicta sunt Chalcidica, ab ære. Ausonius, cæleste ædificium dixit Chalcidicum. Homerus, χαλκοβατὲς δῶ. Ait hanc vocem restituendam Arnobio & Vitruuio: in vtroque enim deformata vox, nam in Christiano chalciœcum legitur, in gentili lausidicam, & in vtroque legendum Chalcidicum. Sed pergo. Aliam causam colligas ex Cælio lib. 19. c. 10. videlicet propter æternitatem huius metalli. quoniam, vt inquit Porphyrio, *æris metallum rubigine non consumitur.* Inde Horatius exaggerans,

Diductósque iugo cogit aheneo.

& Demosthenes de falsa legat. Mineruæ statuam factam Atheniensibus in monumentum victoriæ ait fuisse χαλκῆν, æream. Limina ergo *ærea*, vt perdurent.

Aes habet vim medicam.

Et quidem, cùm æs habeat vim medicam contra vulnera, vt ex Aristotele probat Cælius lib. 29. c. 6. & ex attributo: nam ideo Homerus vocat εὐήνορα, quasi bene afficiens viros; cur non etiam contra rubiginé, & tempestatem? Certè Herodotus lib. 1. templum Beli χαλκόπυλον vocat, quòd portæ in illo æreæ. Idem Babylonis portas centum χαλκέας fuisse dicit. Sunt tamen, qui in Virgilio per *ærea limina* capiant ferrea. Id si est verum (quod tamen non cogit necessitas) defendi poterit his, quæ de etymo χαλκοῦ scribit Cælius lib. 19. c. 10. *Ærea limina gradibus* sunt, limina habentia gradus æreos.

Templa olim cum gradibus.

8. GRADIBVS SVRGEBANT LIMINA] Ex more vetere, quo magnificentissima templa gradus habuêre, quibus ad illa ascenderetur. Vitruuius lib. 3. c. 2. *Matres enim familiarum, cùm ad supplicationem gradibus ascendunt,* &c. Facit enim ad maiestatem templi, vt à cetero vrbis solo exstet. Lege Philandrum in adductum locum Vitruu. Apuleius lib. 11. *Ex osculatis vestigiis Deæ, quæ gradibus templi hærebat argento formata.* Idem mos seruatus in domibus priuatis. Virgilius lib. 3. Georg.

—grauidæ superant vix vbere limen.

Hunc morem agnoscit Passeratius ex illo Propertij lib. 1. eleg. 16. vbi loquens cum ianua:

At tibi sæpe nouo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.

& ex illo eiusdem eleg. 14.

Illa neque Arabium metuit conscendere limen.

9. TRABES] Vbi hæ? & quis illis locus, cùm hîc omnia esse ærea aheneáque dicatur? Refero ad portas templi, vel potiùs ad postes portarum, qui ex trabibus illigatis innexisque ære. Vel tu mihi indica, vbi essent hæ trabes? nam si ad reliquum opificium templi referas, vix credam, cùm Poeta tantùm occupatus sit in ornando limine. De attributo *nexæ*, admonet Seruius legi à multis *nixæ*. iuxta illud Varronis: *Trisulcæ fores pessulis libratæ dehiscunt, graues atque innixæ in cardinum tardos turbines.*

Cardines portarum ærei.

10 FORIBVS CARDO STRIDEBAT AHENIS] Ait Seruius, retulisse hoc Virgilium ad suum tempus, quo captum erat post proditum à Tarpeia Virgine Capitolium, vt ærei cardines fierent, quo stridor sonantiùs audiretur, neque esset locus insidiis. Firmari hæc possunt versibus Virgilij in Cir.

Quam simul Ogygij Phœnicis filia Charme
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo)
Corripit extemplo fessam languore puellam.

Proserpina quoque apud Claudianum. 1. Rap. hoc signo excitatur ab opere, cui incumbebat.

—sed cardine verso
Sensit adesse Deas, imperfectúmque laborem
Deserit.

Aerea vox.

Seruij quoque sententiam iuuant, quæ Eustathius, quæ ex illo Spondanus, inter metalla æs soni esse maximi. & ideo ab Homero. 5. Il. vocem æream dari Iunoni, quò longè latéque audiretur. Calpurnius declam. 4. dixit *ferrati postis stridor excitat.* Traduci isti omnes ad morem alium possunt.

Ianuæ domorum foras aperiri solitæ.

Obseruat enim Seruius, alij etiam, ianuas domorum foras, non intro aperiri solitas, & inde dictas fores. Tum itaque, qui foras prodibant, priùs crepitu quodam significabant se velle exire, ne, cùm fores aperirentur, læderentur ij, qui fortè viam præteribant. Inde itaque hic stridor Virgilij, & aliorum. & quidem in Terentio, cùm quis domo exit, aut ingreditur, fores crepant, in quibus non semper æs. Et Propertius lib. 4. eleg. 9. nulla facta æris mentione, tamen ait:

Cùm subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et leuia ad primos murmura facta lares.

Vbi videtur abesse æs. nam si illud, non certè esset murmur leue.

Luci iuxta tépla Deorum.

11. HOC PRIMVM IN LVCO] Quî in luco? nonne in templo? Morem attingit, quo veteres in ipsis adhuc vrbibus lucum formabant, circum Deorum templa, quo mortalibus maiorem religionem incuterent numinis in tenebris lucorum latentis. Hîc autem res ipsa opportunitatem dedit, nam pars luci excisa est ad templum, pars seruata, quæ templum ambiret. Igitur ab luco, quo templum cingebatur, templum ipsum vocat lucum. Ita in. 6.

Iam subeunt Triuiæ lucos, atque aurea tecta.

Strabo quoque scribit, nullum templum veteribus fuisse absque luco. & signatè lib. 6. vnius meminit. Vbi ait Polytæ Vlyssis socio dicatum sacellum prope Temessam, ἀγριελαίοις συνηρεφὲς, consitum oleastris: Philostratus in Heroicis loquens de templo quodam Hellespontiorum, τὰ δένδρα, οἷς κεκόσμηται κύκλῳ τὸ ἱερὸν arbores, quibus in vrbem templum exornatum. Cedrenus coniunctim ait ἱερὰ καὶ τεμένη sacrata à Numa Rege.

Dij in lucis.

Hinc ego credo natum, vt Dij esse in lucis frequenter dicantur, & ibi habitare. Plinius in Paneg. *Inter hæc pia mente adire lucos, & occursare numinibus.* Seneca epist. 41. *Illa proceritas syluæ, & secretum loci, & admiratio vmbræ, tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit.* Facile enim fuit Deos ex templis ad lucos proximos euagari. Lucum sacrum scribit Lucan. lib. 3. ab illis,

Lucus erat longo numquam violatus ab æuo, &c.

& Statius 4. Theb.

Sylua capax æui, validáque incurua senecta,

Tu reliqua.

Lenio pro minuo.

12. LENIIT] Pro minuit. Vt Horatius od. 77. lib. 1. *lenire clamorem.* & Terent. ἑαυτ. *lenire miseriam.* & Ouidius, *tempus lenit odium*, eo versu:

Leniat aut odium tempus & hora meum.

ita Mich. Brutus.

[a] Namque sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens: dum quæ fortuna sit vrbi,
Artificúmque manus inter se, operúmque laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Belláque iam fama totum vulgata per orbem:
Atridem, Priamúmque, & sæuum ambobus Achillem.
[b] Constitit, & lacrymans, Quis iam locus, inquit, Achate,
QVÆ REGIO in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: SVNT hîc etiam sua præmia laudi,
SVNT lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solue metus: FERET hæc aliquam tibi fama salutem.
[c] Sic ait, atque animum PICTVRA pascit inani,
Multa gemens, largóque humectat flumine vultum.

ARGVMENTVM.

Videt enim Æneas Troiana bella in templo Didonis affabre depicta, admiscentur varij affectus.

EXPLICATIO.

[a] AFfert causam spei, nam hæc affulsit visis Troianis pugnis. In verbo *lustrat*, agnosce virum attentissimum intentissimúmque ad omnia collustranda, vt esse peregrini solent. frigeret hic, videt, cernit, aspicit, & similis farrago. Ideo *lustrat singula*. Ait *ingenti templo* sibi consonus, nam suprà, *hic templum Iunoni ingens* &c. Illud *Reginam opperiens* est, exspectans, sed noluit hoc (ait Scal.) quia humile. Operiebatur verò Reginam, quia quærebat occasionem illius videndæ. Pergit. *Dum miratur, quæ sit fortuna vrbi.* Id est, dum miratur, quæ felicitas, quæ incrementa, quibus initiis peruenerit ad magnam amplitudinem: omnia quippe pictura ostendebat. dum miratur *manus artificum*, id est, quàm egregia esset pictura, manúsque artificium, & labor operum. Ecce autem dum picturas templi perlustrat, incidit in res Troianas, *videt pugnas Iliacas*, hásque *ex ordine*, fortasse à raptu Helenæ, vel ab aduentu nauium Græcorum cõtra Troiam. Videt *bella vulgata per totum orbem*, quia Europa (ait Seruius) bellum intulit, passa est Asia, Africa iam depingit. Videt *Atridem*, id est, Agamemnonem, & *Priamum*, atque etiam *Achillem sæuum* tam Agamemnoni, quàm Priamo, vtrique enim hostis fuit acerrimus, primo ex intestina discordia, alteri ex belli iure.

[b] Hæc Æneas vt vidit, *constitit* firmans gressum, vt in re subita. & fluxêre præ gaudio lacrymæ. & statim ad Achatem, Vides (*inquit*) Priamum, vides vt non desint præmia nostræ laudi, sunt quippe res nostræ venerationi ipsis etiam barbaris. *sunt lacrymæ rerum*, id est, nostræ calamitates ad lacrymas illos excitant, explicatoribus Iulio Scal. & Turnebo. & *mortalia* id est, summè aduersa; vtrique ἐναντιώτατα, *tangunt* afficiúntque *mentem* illorum etiam, qui sunt in extremo orbe. Inde colligit *solue metus*, quia vbi virtus præmium habet, vbi aduersa miserationem, deponi metus potest. Ab hac fama & notitia rerum nostrarum ne dubita de salute. Omnis quippe Æneæ metus, vt ex superioribus patet, pendebat à moribus Afrorum, quos immanes esse putabat: hunc metum illi adimit contemplatio picturæ. Nam qui bella depingunt, videntur eo ipso & virtutem diligere, & tangi miseratione. Itaque duo tangit in Pœnis, & virtutis studium, & pietatis affectum: illud in gestis ducum depictis, hunc in miseratione & lacrymis.

[c] Hæc vt dixit, statim se ad picturam conuertit, quam *inanem* vocat, vt carentem anima. Versus sequens, *multa gemens*, &c. habet ætiologiam. ad multos enim & crebros gemitus necesse est sequatur largum flumen lacrymarum. Præterea coniungit hæc duo, nam gemitus heroëm decet, lacrymæ pium. Est hæc *multa gemens* Græca constructio. Latinè dicas, gemens multis, aut, gemens ad multa quæ videbat, nam Græcè κατὰ subaudiunt.

NOTÆ.

1. DVM QVÆ FORTVNA SIT VRBI] Mihi persuasi sententiam esse referendam ad picturam, quæ erat in templo, non ad vrbem & machinam ædificiorum. Adiungam rationes, nam locus difficilis est. Primò vrbem iam longa narratione prosecutus fuerat Æneas, ab illis versibus, *Miratur molem Æneas*, &c. non est autem moris Virgiliani iterum ad eandem rem recurrere: hoc enim faceret Poëta è vulgo. Deinde, credibile est celebratas picturas non solùm peregrinas res Troianorum, sed etiam proprias Pœnorum, imò has potiore iure, videlicet fugam Didonis, repertum equi caput, sectum corium, & alia huiusmodi. Atque adeo, *miratur, quæ sit vrbi fortuna*, erit, miratur euentus, quibus ea vrbs excreuerit, quos euentus pictura repræsentabat. Tertio, nisi ita accipias ineptus erit Poëta, nam Æneas *sub ingenti templo*, quid de vrbis fortuna miraretur? Ad probandam rem eandem pertinent vnicè duæ sequentes Notæ.

2. ARTIFICVMQVE MANVS] Hîc *manus* pro pictura accipitur, ad eundem modum, quo laudantes imaginem aliquam factam penicillo, & bonis coloribus, solemus dicere, illam esse egregiam manum. Itaque apage, vt putes hîc *manus artificum* esse, manus illas, quibus saxa cæduntur, aptantur, poliuntur. Id senseram, priùs quàm vidissem notam Robertelli in verba hæc, *artificum manus*, qua ait: *Planè voluit significare Virgilius antiquitatem picturæ.* Nollem diceret, *antiquitatem*. Redeo. Propertius quoque li. 3. ita accepit hanc vocem cùm scripsit, — Manus pro pictura.

Me certè tabulæ capient mea lumina pictæ,
Siue ebore exactæ, seu magis ære manus.

Prome quoque est Germanus, adducens locum

hunc Propertij ad hunc locum, frustra facturus, nisi manus in Virgilio de pictura caperetur. Passeratius illud Propertij lib. 1. eleg. 15.

externos manibus componere crines,

explicat: *manibus, arte, & cura.* & ad id probandum subiicit versum Virgilij, in quo sum. Ausonius etiam *artificis manus* dixit eodem sensu, quo Virgilius. Antiquus ille Aristeas in historia de 72. interpretibus, describens mensam, ita ait: *Pedes in liliorum figuras expoliverat artificis manus.* ita ille picturam expressit.

Opus de pictura.

3. OPERUMQUE LABOREM] Opus de pictura dicitur. Plinius lib. 35. c. 10. de Apelle loquens, *inuidit mors peracta parte, nec qui succederet operi inuentus est.* & de Zeuxi, superiore capite: *donare opera sua instituit, quòd ea nullo satis digna precio permutari posse diceret.* Transiit & vox ad statuarios. Strabo lib. 6. Herculem ex ære Λυσίππυ ἔργον vocat.

Troianæ pugnæ celeberrimæ.

4. ILIACAS PUGNAS] Pausanias in Att. longam picturam, & vetustam exhibet in templo, vbi cùm multa alia, tum etiam res Troianæ celebrantur, videlicet Græci exscindentes Ilium, Aiax, Cassandra, agmen mulierum Troianarum. Vitruuius quoque lib. 7. c. 4. inter celeberrimas picturas, quæ olim solerent efformari, Troianas pugnas commemorat. Philostratus in Heroicis ait, τὰς Τρωϊκὰς μάχας μεγίςας. Troiana prælia fuisse omnium maxima, & adiicit digna esse, quæ omnium laudibus celebrentur.

5. ATRIDEM] Placuit hæc lectio, quam & agnouisse videtur Seneca epist. 104. & firmare verborum structio, demũ historia; nam & Agamemnoni & Priamo pariter perniciosus fuit Achilles, vt iam explicui. Si quis legat *Atridas*, placebit explicatio alia, quã iam propono. Positiua apud Latinos apertè comparant, si illis adiungatur præpositio aliqua significans excellentiam. verbi gratia. Formosus præ aliis. Ita Virgilius 3. Æn.

Positiua quomodo comparent.

O felix vna ante alias Priameïa virgo.

id est, felicior aliis. Faciunt hoc Latini imitatione Græcorum, qui dicunt, σοφὸς ὑπὲρ ἄλλυς, pro, σοφώτερ@ ἄλλων. Pergo. Huic positiuo solent Græci demere præpositionem, & illam subaudire. vt ἔξοχ@ πάντων, est, ἔξοχ@ ἐκ πάντων. Ergo Poëta Græcos imitatus dixit, *sæuum ambobus*, pro sæuum præ ambobus, vt intelligat Achillem sæuiorem fuisse in Troianos, Agamemnone & Menelao. Græcos imitatus est Lucretius, cùm dixit, δῖα θεάων, pro, δῖα ἐκ θεάων.

δῖα θεάων.

Lacrymæ ex gaudio.

6. LACRYMANS] Celebrant hîc interpretes lacrymas ex gaudio, nam ex hoc fonte ortæ Æneæ. Ex hoc affectu Homerus γόῳ τέρπομαι, *fletu exhilaror mente.* & vox Græca, δακρυγελᾶν. ex hoc Aristot. 1. Rhet. *in ipso luctu ac lacrymis inest quidam sensus voluptatis*, cuius rei rationem statim reddit. Adi locum. & Homerus,

Ὣς φάτο, τοῖς δ' ἄρ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γόοιο·
Sic ait, & flendi dulcedine perculit omnes.

Prudentius Apoth.

Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.

Liuius lib. 44. *manare omnibus gaudio lacrymæ.* Quæ verba habet idem scriptor etiam lib. 5. & lib. 27. *effusis gaudio lacrymis.* Sophocles in Elect. χαρᾷ δὲ πίμπλημ' εὐθὺς ὄμμα δακρύων· *Repleo statim oculos lacrymis præ lætitia.* Ibidẽ Electra viso Oreste fratre inducitur ἐκ χαρᾶς δακρυρρόοῦσα. & choro dat γεγηθὸς δάκρυον. Aristides Orat. 2. Sacro. serm. δάκρυα σὺν χαρᾷ. Heliodorus lib. 10. Hist. *excellentia gaudij, luctum interdum gignere solet.* Præclarè ergo Xenophon. lib. 7. rerum Græc. ὅτω κοινόν τι ἄρα χαρᾷ καὶ λύπῃ δάκρυά ἐςι· *ita lætitiæ ac mœrori commune quiddam sunt lacrymæ.* Lacrymas ex gaudio etiam agnoscit Philo lib. de animi migratione Abraham, & Homericum istud δακρυόεν γελάσασα, ita explicat: *Cùm enim incidit in animum ob insperatam aliquam felicitatem ingens lætitia, noua quadam mole auget eam, vt vix capiatur à corpore, ex qua compreßione manat liquor ille nominatus lacryma.* In hęc ego loca incidi, in alia etiam, quæ nolui hîc dare: nam apud Dionysium lib. 2. excitantur mulieribus lacrymæ præ lætitia. & lib. 4. post auditam orationem Bruti. Apud Pindarum quoque od. 4. Pyth. Æson flet præ lætitia agnito filio Iasone. Sicuti apud Homerum Penelope, & Vlysses Odyss. 23. & apud Cedrenum imperator Basilius, μεθ' ἡδονῆς δάκρυον. Cyrillus Comment. in Amos. φιλεῖ δέ πως καὶ ταῖς ἄγαν εὐθυμίαις ἐκχεῖσθαι τὸ δάκρυον. Omitto Terentium etiam, Catullum, Euripidem, quos alij indicarunt, atque etiam pugnam Spondani contra Gifanium de loco Homeri lib. 6. Il.

7. QUÆ REGIO IN TERRIS] Signatissima sunt ad hunc locum verba Dionis Chrysost. orat. 33. nam de calamitatibus, quas passi sunt Troiani, ita ait, ὐχ ἡ σύμπασα χθὼν ταῖς συμφοραῖς αὐτῶν διατεθρύλληται; *nonne per omnem terram illorum calamitates sunt diuulgatæ?* Aristides in Rhodiaca bellum hoc vocat θρυλλούμενον propter eius celebritatem. sed & argumento Virgiliano affinis locus Horatij od. 1. lib. 2. Carm.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus, sepulchris impia prælia
Testatur? auditúmque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges? aut quæ flumina lugubris
Ignara belli: quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?

Græca quædam carmina, quæ sciens prætereo, quæque continent Virgilianum argumentum, ita reddit H. Steph.

Quod mare? quæ tellus non prælia nouit Achiuûm?
Cimmerium populus, Solis qui cuncta tuentis
Nescius, audiuit nomen Troiæ: audiit Atlas,
Cuius grande humeris incumbit pondus Olympi.

8. LAUDI] Accipe hîc laudem pro rebus gestis & virtute bellica: vt in Propert. lib. 3. eleg. 14. Laus pro rebus gestis.

Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros.

& lib. 1. eleg. 6.

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.

9. SUNT LACRYMÆ RERUM] Locutiones istæ familiares sunt Latinis: *Lacrymæ rerum, miseriæ rerum, voluptates rerum.* id est, res, quæ afferunt lacrymas, miseriam, voluptates. Græci è contrario efferunt, & mutant locutionem. Aristophanes dixit, χρῆμα τῶν νυκτῶν, pro νύκτες· *res noctium* id est, *noctes.* Euripid. χρῆμα θηλειῶν, *res feminarum*, id est *feminæ.* Interdum & Latini ad horum imitationem. Plaut. Amph. *res voluptatum*, pro voluptatibus. & Phædrus, *res cibi* pro cibo. obseruauit Rittershusius. Lacrymæ rerum.

10. FERET HÆC ALIQUAM TIBI FAMA SALUTEM] Non dissimile ab hoc illud Aristippi Socratici, qui cùm, facto naufragio, eiectus esset in littus Rhodiensium, ibique figuras geometricas animaduertisset, exclamasse ad comites dicitur, Viri adeste animo, atque optimè sperate, nam hî hominum vestigia adesse video. Notauit Nascimb.

11. ANIMUM PICTURA PASCIT] Ab hac forma non abit Terent. Phorm. *oculos pascere.* qua vsi Cicer. 7. Verr. Symmachus lib. 2. epist. 72. & lib. 5. epist. 76. Ouid. 3. Am. eleg. 2. Lucretius lib. 1. His autoribus Pasco de animo & oculis.

& aliis

Epulæ oculorum.

& aliis paſco eſt delecto. Plautus forma alia in Pœn. *oculis epulas dare.* Ammianus Doctrinam & Philoſophiam vocat lib. 16. *pabula.* Hanc formam ad animum, vti etiam Virgilius, tranſtulit Cicero ad Trebat. *ſed quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam,* &c. & 1. Diuinat. de anima, *ſaturata bonarum cogitationum epulis.* Plautus Aulul. *libenter edi ſermonem tuum*: In hac forma plurimi ſunt Græci. Plato. 9. Reip. ἑστιάσας λόγων καλῶν, καὶ σκέψεων· *reficiens animum diſputationibus honeſtis commentationibúſque.* & in Phædro. τῶν λόγων ὑμᾶς Λυσίας εἱστία. Syneſius, ἑστία Κυρηναίους τῷ λόγῳ. Nazianzenus orat. 5. τοῖς ματαίοις πλασμοῖς ἑστιᾶν διάνοιαν. Nèque ſolùm ἑστιᾶν, ſed multa alia. Nam Eurip. Phæniſſ. ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας· *ſpes paſcunt exules.* ſic, εὐωχῶ σε, pro,

Epulæ cogitationum. Edere ſermonem.

A *delecto te.* Plato lib. 1. de Rep. εὐωχοῦ τοῦ λόγου· *ſatia te ſermonis epulo.* atqui εὐωχῶ vox eſt epularum. ſic καρποῦσθαι τὸ διανόημα. Hinc illuſtrabis locum. 2. Geor,

—*animum paſcat proſpectus.*

Non abit forma illa Martialis lib. 9. epig. 60. *oculiſque comedit.* nec illa Accij in Athamante: *Facinus oculi veſcuntur tui.*

Oculi comedunt, veſcuntur.

12. LARGÓQVE HVMECTAT FLVMINE VVLTVM] Neceſſariò tibi placebit Statius. 4. Theb. nam ab hac Muſa,

—*largiſque humectant imbribus ora.*

Eſt etiam tacita Catulli imitatio. Hic enim ad explicandum vultum madentem fletu, dixit *ore vdo.* Noſter mutauit, vt vides.

a Namque videbat, vti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graij: premeret Troiana iuuentus:
Hac Pryges: inſtaret curru criſtatus Achilles.
b Nec procul hinc Rheſi niueis tentoria velis
Agnoſcit lacrymans, primo quæ prodita ſomno
Tydides multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardentéſque auertit equos in caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthúmque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, currúque hæret reſupinus inani,
Lora tenens tamen: huic ceruixque comæque trahuntur
Per terram, & verſa puluis inſcribitur haſta.

ARGVMENTVM.

Sequitur diſcriminatim Troiani belli deſcriptio, ſignatè fuga mutua iam Græcorum, iam Troianorum, Rheſi, & Troili cædes cum magnis affectibus.

EXPLICATIO.

a TRanſit ad narrationem ſingularium, & tota oratio continet ætiologiam gemitus & lacrymarum Æneæ. Cùm ficta verò hæc ſint ad gratiam Troianorum, priùs Græcos fugientes inducit; quàm Troianos.

b Confert Poëta in verſus quinque maximam partem Il. 10. vbi hiſtoria hæc habetur, tragœdiam item Euripidis de Rheſo, quam nonnulli Sophocli attribuunt. Videtur autem rationem reddere. quaſi dicat. agnoſcit, quia vela erant niuea. hiſtoria breuiter hæc eſt. Rheſus Thracum Rex filius Eionei (Homerum ſequor, alij filium faciunt fluminis Strymonis. Seruius, Martis & Euterpes) Troianis ad auxilium venit, cum hoc oraculo, inuictum ſe fore, vrbem quoque inuictam, ſi equi ipſius herbam ederent intra vrbem, & aquam Xanthi biberent. Cùm ſerò acceſſiſſet, & Troianæ portæ eſſent clauſæ, ipſe prope vrbem caſtra conſtituit. Dictys lib. 2. Oën Inſulam nominat, ante quam caſtra poſuit) Reſciuerunt id ex Dolone Diomedes & Vlyſſes, ac per ſomnum aggreſſi Rheſum, atque occidentes, equos auerterunt ad Græcorum caſtra. In hac hiſtoria Virgilius cum Dicty & Homero conſentit. Euſtathius tamen ait, Pindarum ſcribere, Rheſum vna die pugnaſſe, atque detrimenti multum Græcis intuliſſe.

B Tu, ſi placet auctorum loca conferre, vide Spondanum. 10. Il. & Philoſtratum in Heroicis. Hæc eſt hiſtoria. Addam quæpiam ad plenam cognitionem. *Prodita*, ſubaudi à Dolone. In illis, *primo ſomno*, excitatur affectus. vix enim deguſtata ſomni dulcedine, hoſtis adfuit. vult Seruius notari, grauiorem tum ſomnum eſſe: ideo ergo prodi tunc potuerunt, quia primus ſomnus. Obiter diſce phraſim Virgilij, *ſomnum* pro nocte capit, nam *ſomnus primus* eſt, nox prima. Sic 1. G. *Libra die, ſomniſque.* &c. Tydides eſt Diomedes à patre Tydeo. In illis, *multa vaſtabat cæde cruentus*, alludit ad feras, cùm ſæuiunt vaſtántque ouilia. Genitiuus *Troiæ* eſſe poteſt vel poſſeſſionis, vt dicat *pabula Troiæ*: vel poteſt ſignati locus,

C vt dicat, *priuſquam guſtaſſent pabula in vrbe Troiæ*, & hoc malim. Et nota hanc hiſtoriam & cædem vni attribui Diomedi ex decoro, non facta mentione Vlyſſis, qui comes: nam prior ille, caput & princeps cædis.

c Cognoſce Poëtæ mentem, qui in gratiam Æneæ ea prædicat de Græcis, quæ illis inuidiam & infamiam concilient. Suprà inſidias in Rheſum, nam *caſtra prodita.* nunc pugnam Achillis cum puero, quæ plena dedecoris. Quid ſi expendas puero audaciam dari contra Achillem fortiſſimum? nam tametſi *impar* eſt, tamen *congreſſus.* Itaque hunc facit

D prouocatorem. Excitat lacrymas, cùm vult, Virgilius, nam quem habitus non moueat Troili? Pendebat ille ex curru, ſic enim caſus tulit, manibus tenebat lora, vna fortaſſe tantùm, nam altera erat vacua amiſſis armis: transfixus erat haſta Achillis, cuius haſtæ pars illa, quæ eſt ad σαυρωτῆρα, quæque reſtabat à tráſfixo puero, terram ſulcabat: caput circa ſolum trahebatur, illúdque verrebant comæ: ipſe totus erat reſupinus, atque extra currum, qui

iccirco inanis, tantùm inde pedes illigabantur. Puerum hoc habitu turbati equi per aciem raptabant. Vide quale esset istud spectaculum, præsertim in puero decoro, & agnosce magnum Poëtam.

NOTÆ.

1. HAC FVGERENT GRAII] infinita sunt Homeri loca, ad quæ potuit alludere in hac Græcorum fuga; duo tantùm adducam, vnum ex Il. 15. alterum ex Il. 18.

Στῆ δ᾽ ἀρ ἀναΐξας, ἴδε δὲ Τρῶας, καὶ Ἀχαιοὺς,
Τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν
Ἀργείους.
Stetit autem exsurgens, viditque Troianos & Achiuos,
Hos quidem turbatos, illos autem turbantes à tergo
Argiuos.
——αὐτὰρ Ἀχαιοὶ
θεσπεσίῳ ἀλαλητῷ ὑφ᾽ Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
φεύγοντες, νῆάς τε, καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο.
———Sed Achiui
Ingenti tumultu ab Hectore homicida
Fugientes, ad nauesque & Hellespontum venerunt.

Propertius etiam de hac fuga Græcorum l. 2. eleg. 8.

Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos,
Feruere & Hectorea Dorica castra face.

Virgilij prudentia. 2. PREMERET TROIANA IVVENTVS] Ego hîc miror Poëtam, & laudo. Superiùs Achillē in pictura intulit, *& sæuum ambobus Achillem.* & iterum statim, *Instaret curru cristatus Achilles.* Nonne ergo oportuisset illi aliquando Hectorem opponere? sicut enim in hac pictura Phrygas Achilles agit, cur non Hector Græcos? consuluit, credo, Virgil. Poëta honori & decori Æneæ picturam contemplantis. Si enim Hectorem adhiberet, indicaret hunc Ænea fortiorem, icirco facit iuuentutem Troianam in communi (nam Seruium non audio, qui ait iuuentute Troiana definiri Hectorem) prementem Græcos, fugantémque ad naues. Adde in fuga nobili, qua absoluitur lib. 17. Il. Illius victoriæ Duces Æneā, & Hectorem fuisse cum reliqua iuuentute Troiana. Cur ergo præferretur Æneæ Hector in pictura? Homericos versus ita reddebam.

Seruij error.

Aiaces pugnam, & fulgentes ære cateruas
Sustinuere diu. Troianus at ingruit horror,
Æneasque Anchisiades, & maximus Hector
Infestant, vertêre fugam tota agmina Graiûm, &c.

3. HAC PHRYGES] Potuit hîc item respicere ad multa Homeri loca, vbi inducuntur Troiani fugiētes ab Achille. Lege in primis fugam illam, qua absoluitur lib. 20. Il. & inchoatur lib. 21. Philostratus lib. 2. Icon. ait, solo Achillis clamore versos in fugam Troianos, ὁ κλίνας τοὺς Τρῶας ἐκ μόνου τοῦ βοῆσαι. Reprehendit Dio Chrysost. orat. 36. eos qui tam diu attenderent saltationibus Achillis, cùm ille ἔτρεψε τοὺς Τρῶας in fugam vertit Troianos.

Achillis cristæ. 4. CVRRV CRISTATVS ACHILLES] Tota Homeri Ilias docet, in bello Troiano præclatos duces in curru pugnasse. De cristis galearum alibi. Profert Seruius Homerum, qui ait, in Achillis cristis terribile quiddam fuisse.

Rhesi somnus. 5. PRODITA SOMNO] De hoc tempore insidiarum signatē Homerus 10. Il.

οἱ δ᾽ εὗδον καμάτῳ ἀδδηκότες.
Dormiebant illi defatigati labore.

Loquitur de Thracibus, & Tryphiodorus ait, Rhesum defletum à Thracibus, qui occisus fuerat κακῷ ὕπνῳ, *malo somno*, & δολίην ὑπὸ νύκτα. *dolosa in nocte.* Dictys etiam lib. 2. de hac historia loquens: *fatigatis ex itineribus custodibus, & ob id somno pressis,*

A *itque* (scilicet Diomedes, & Vlysses,) *interius* [...] *in ipsis tentoriis Regem interficiunt.* Poëta vt altissimum & arctissimum somnum signaret, *primo* dixit; nam primus somnus profundissimus. inde in 2. summam quietem signaturus ait:

Somnus primus altissimus.

Tempus erat quo prima quies mortalibus agris
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

Ita etiam Propertius lib. 1. eleg. 3.

Qualis & accubuit primo Cepheia somno.

6. TYDIDES] Lege Plutarchum in præceptis gerendæ Reip. vbi, vt doceat, qui deligendi sint ad id, quod quisque possit præstare, pro exemplo adducit Diomedem, qui ad speculandum non fortes sibi socios assumpsit: sed prudentissimum Vlyssem.

7. MVLTA VASTABAT CÆDE CRVENTVS] versus, quibus Homerus 10. Il. hanc cædem Diomedis extulit, hi sunt.

B

Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν
Αἴγεσιν, ἢ οἴεσσι κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ,
Ὣς μὲν Θρήϊκας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος υἱός.
Sicut autem leo pecudibus incustoditis superueniens,
Capris vel ouibus mala machinans irruit.
Sic quidem Thrâces viros aggrediebatur Tydei filius.

8. ARDENTES] Refert hoc Germanus ad generositatem & θυμὸν equorum, non ad candorem, & velocitatem, vt Seruius, suffragante eodem Vate. 3. G.

———aquè iuuenémque magistri
Exquirunt, calidúmque animis & cursibus acrem.

& in 8. de Camilla: *pernicibus ignea plantis.* Sed nescio, cur explodatur Seruius in eo, quod pertinet ad velocitatem, nam adducta exempla hanc quoque indicant. Itaque per odorem intelligitur & generositas, & velocitas, candor minimè.

Seruius defenditur.

C

9. AVERTIT EQVOS IN CASTRA] Contulit in hæc verba duos Homeri versus.

Καρπαλίμως δ᾽ ἵππων ἐπεβήσατο, κόπτε δ᾽ Ὀδυσσεὺς
Τόξῳ. τοὶ δ᾽ ἐπέτοντο θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.
Confestim autē equos ascendit; verberabat autē Vlysses
Arcu: hi verò volabant celeres ad naues Achiuorum.

Desideres hîc Homeri iudicium, qui volantes equos inducit ad castra hostilia, cùm reniti potiùs debuissent, & ire inuiti. Est enim hoc animal ita imperio dominorum assuetum, vt plerumque in historiis legimus, ægre illud diuelli à primis dominis: Quòd si aliquando, certè potuit contingere in his equis Rhesi, quibus inerat fatalis quædam virtus. Hoc præcauens Virg. tantùm dixit *auertit*, in quo vsu Catullum habuit ante oculos,

Virgilius superat Homerum.

Auratam optantes Colchis auertere pellem.

Ergo *auertit equos* est, intercepit.

D

10. PRIVSQVAM PABVLA GVSTASSENT TROIÆ, &c.] Huius rei Homerus non meminit, interpretes tamen eius adducit hanc historiæ partem. χρησμὸς γὰρ ἐδέδοτο αὐτῷ φασιν, ὅτι εἰ αὐτὸς γεύσεται τοῦ ὕδατος, καὶ οἱ ἵπποι αὐτοῦ τοῦ Σκαμάνδρου πίωσι, καὶ τῆς αὐτόθι νομῆς, ἀκαταμάχητος ἔσαι εἰς τὸ παντελές.

Aiunt illum accepisse oraculum, vti omnino inuictus foret, si & ipse aquam gustaret, & eius equi ex Scamandro biberent, & inibi pascerentur. Seruius, non ipsum Rhesum inuictum fore, sed Troiam perire non posse, ait, si equi & Troiæ pabulum, & Xanthi aquas gustassent: à qua re (ait) pendebant fata Troiana.

Rhesi oraculum.

E

11. TROILVS] De hoc satis multa Hortensius in hunc locum. Nonnulli impudicos quosdam amores cū Troilo celebrant. Adi Tsetzen in Lycophron. Gulielmum Cant. lib. 2. Nou. Lect. cap. 9. Seruium hîc, atque Hortensium, Cælium lib. 15. Lect. Anti: cap. 9. Sed hoc quidem Tzetzes ipse non credit, quod

Troilus

Troilus puer.

Tr[illegible] λίγχος esset, δασυγένει[illegible] καὶ Ἀχιλλέως ἐρώτων ἀνάξιος. Itaque Troilum multi iam grandem virum describunt, & barbitio plurimo horrentem, quin Cedrenus ducem facit exercitus, vnà cum Deiphobo, Paride, Lycaone. Alij iuuenem, ac pene puerum. In his est Dio Chrysost. orat. 11. loquens enim de Achille, ita ait, καὶ Τρωΐλος τε οὕτως ἀποθνήσκει παῖς ὢν ἔτι: *atque ita interfectus est Troilus adhuc puer.* & Horat. Od. 9. lib. 2. *impubem Troilon.* Maro quoque hîc, fortasse quia ad excitandos affectus ætas hæc visa est commodior. & hærere potuit verbis Dictyis lib. 4. de bel. Troiano, qui ait illius ætatem fuisse admodum immaturam, & in ipsis pueritiæ annis interceptam, cùm iam adolesceret. illud certum, Troili mortem, vnum fuisse ex fatis Troiæ, scribente sic Plauto Bacchid.

Troili mors fatũ Troiæ.

Troiana fata tria.

Ilio tria audiui fuisse fata, quæ illi exitio forent.
Signum ex arce, si periisset: alterum est etiam Troili mors:
Tertium cùm porta Scææ limen superum scinderetur.

Hinc nota mentem Maronis, qui vnà Troilum & Rhesum coniunxit: nam ex Rheso quoque pendere fata Troiana Seruius monuit.

12. ATQVE IMPAR CONGRESSVS ACHILLI] Signat pueri audaciam. Ad hunc locum respexit Seneca Agamen. vbi Cassandra,

——te sequar nimium citò
Congresse Achilli Troile.

Ausonius quoque,

Hectore prostato, nec Dijs, nec viribus æquis,
Congressus perij Troilus Æacidæ:
Raptatus bigis, fratris coniungor honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

Dio tamen Chrysostom. orat. 11. non ait Troilum congressum, imo factas illi insidias ab Achille, qui erat ad struendas insidias, nocturnásque incursiones callidissimus.

13. FERTVR EQVIS, CVRRVQVE HÆRET RESVPINVS INANI] Vide an cum hoc versu & affectibus compares, quæ de Adrasto Homer. 6. Il.

Virgilius superat Homerum.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο παρὰ τροχὸν ἐξεκυλίσθη,
Πρηνὴς ἐν κονίῃσιν ἐπὶ στόμα.
Ipse autem ex curru iuxta rotam deuolutus est
In pulueribus pronus in eos.

14. RESVPINVS] Videtur vox posita pro simplici *supinus.* Ita Attius Antigona: *Quid agis? perturbas rem omnem, ac resupinas soror.* & Propertius lib. 4. eleg. 9.

Nec mora cùm totas resupinat Cynthia valuas.

15. LORA TENENS TAMEN] Vide pueri virtutem indigni qui moreretur, nam post mortem præbet virtutis documenta, quæ potest. Non alienum ab hac Troili historia prouerbiale illud, μὴ θίγῃς ἡνίων

A

παιδίον ἄπειρος ὤν: *Ne frena tractes inscius cùm sis puer.* Cum quo quadrat historia Phaëthontis apud Ouidium, apud quem Sol daturus lora puero, *Magna petis Phaëthon,* &c. Monet Iunius cent. 5. prouerb. 49. Græcam parœmiam, quam attuli, sumptam è tragœdia aliqua, vbi pater deprecatur filium Phaëthontem abstineat ab curru Solis, adducítque quæpiam ex Clemente lib. 3. Pædag. ad hanc rem. Lege illum, & Heruetum in Collect. ad Clementem.

Ne frena tractes puer, prouerb.

16. CERVIXQVE COMÆQVE TRAHVNTVR PER TERRAM] Est hoc quod de gigantibus victis Pindarus od. 1. Nem. χαίτᾳ γαίᾳ πεφύρσεσθαι: *Illustrem comam puluere commiscentes.* Quod Homerus de Euphorbo occiso à Menelao, lib. 17. Il. αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι. Quod de Patroclo Propertius, lib. 2. eleg. 8.

B

Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas cæde iacere comas.

Est etiam in Philone, lib. de agricultura locus simillimus Virgiliano, πολλάκις δὲ καὶ τὰς βάσεις, &c. adducam tantùm Latina: *sæpe autem pedibus in curru hærens raptatur supinus, & tractum in orbita caput, ceruicémque & humeros sauciatur: Deinde huc illucque distractus, & illisus omnibus passim obiacentibus miserrimo genere mortis extinguitur.*

17. VERSA] Per *versam hastam* intelligo ζυρωτῆρα, & vocem deduco non à *verro* cum Seruio, sed ab, *auerto,* vt suprà de Æolo, *conuersa cuspide.* & Poëta quidem omnino videtur alludere ad prouerbium, *stylum vertere* iudicio Corradi. De hasta porro Achillis, qua hîc transfixus Troilus, multa veteres. Nunc mihi Philostratus ante oculos, qui in heroicis illam fusè describit. Lignum eius facit ἐκ τῆς μελίας, *ex fraxino.* Sed vestitum orichalco, atque, ὥστε τι ἐρρῶσθαι, μένον, ὡς μηδὲ ἂν κλασθῆναι: *Ita validum, vt minimè frangi posset.* Accedebat ex orichalco ita magnus nitor, vt ἅπαξ ἀστράπτειν ἐμπίπτῃ, *tota fulgurans incideret.* Innuit quiddam apparens instar fulguris. Hæc de ligno, quid de cuspide? τὸ δὲ στόμα τῆς αἰχμῆς ἀδάμαντός τε εἶναι, καὶ παντὸς διεκπαίειν: *cuspidis autem os ex adamante constare omniaq́ue dispescere, ac penetrare.*

Achillis hasta.

C

18. INSCRIBITVR] Explica, sulcatur. est hæc vera interpretatio, non alia, quamtumuis Robortellus Seruium sequatur explicantem, *inscribitur,* id est, *dilaceratur,* nam Plautus dixit, *corpus tuum virgis vlmeis inscribam.* & Catullus,

Inscribere, pro, sulcare.

D

Nec laneum latusculum, manúsque mollicellas
Iniusta turpiter tibi flagella conscribillent.

Nam tametsi in Plauto, & Catullo, ita accipias, sed puluerem lacerati quis vidit? Lege Scaligerum contra Seruium, lib. 4. Poët. cap. 16. Et cur obsecro Plautus, & Catullus non possunt trahi ad sulcos in illa laceratione?

[a] Interea ad templum non æquæ Palladis ibant,
Crinibus Iliades passis, peplúmque ferebant
SVPPLICITER tristes, & tunsæ pectora palmis.
[b] Diua solo fixos oculos auersa tenebat.
[c] Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,
EXANIMVMQVE auro corpus vendebat Achilles.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Vt spolia, vt currus, vtque ipsum corpus amici,
Tendentémque manus Priamum conspexit inermes.
[d] Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis,
Eoásque acies, & nigri Memnonis arma.

[e] Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, medijsque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, AVDETQVE viris concurrere Virgo.

ARGVMENTVM.

Eunt Troianæ fœminæ cum donis ad Palladem, quæ non ideo lenitur: Hector raptatur, venditur ab hoste patri supplici: agnoscit se in pictura Aeneas, Memnonem, & Penthesileam.

EXPLICATIO.

a AIT in summo discrimine (pergit porro pictura) Troianas fœminas confugisse ad templum Palladis, adhibétque notas fœminarum tres. Errant *passis crinibus*, *tristes*, *tunsæ palmis pectora*. Omnia ex more supplicum, nam vox *suppliciter* referenda est ad notas omnes: Poëta verò præclarè coniunxit cum tristitia, nam non omnis tristitia supplex est. Neque hoc tantùm, sed etiam *peplum ferebant*, quo diua esset lenior, nam proprium hoc eius donum. Vocat Palladem *iniquam*, nam quæ habita inter tutelaria Troiæ numina, Græcis fauit.

b Est hîc *auersa*, renuens, aspernans, indignánsque ad preces fœminarum: cuius rei nota sunt oculi, quos enim nolumus intueri, in illos malè animati sumus.

c Procedit pictura. Vidit in parietibus templi, vti Hectorem Achilles raptauisset, vti idem hostis venderet Priamo cadauer Hectoris, ídque auro. Excitatur verò hîc ingens gemitus Æneæ ad visa spolia Hectoris; ad visos currus, quibus raptatus; ad visum cadauer Hectoris, qui amicus illi fuerat; demum ad visum Priamum tendentem supplices manus inermésque coram Achille, cùm videlicet Priamus iuit ad castra Græcorum empturus cadauer Hectoris ab Achille. Verba illa *Iliacos muros* ita expendit Macrobius li. 4. Sat. *egregiè & breuiter Iliacos muros, id est, patriæ, quos ipse defenderat, pro quibus efficaciter per decem annorum spacia pugnauerat.* Vide etiam vti hîc expendat tractum istum Nanscimbænus. Repetitio particulæ *vt* seruit incremento doloris. Magnus enim dolor in illis; *vt spolia*, augetur *vt currus*, fit auctior *vtq. ipsum corpus amici*.

d Intelligit Maro (aiunt Turnebus, Hortensius, Germanus, Nannius, Nascimbænus, Corradus, aduocaui tot testes, vt Seruiana explicatio de proditione euertatur) intelligit (inquam) Æneam fortem fuisse, & strenuum, vt qui non solùm sese aduersario obiecerit in pugna, sed in illius quoque ordinibus versatus fuerit. Additque pari laude versatum inter hostes nigrum Memnonem Auroræ filium, eiúsque Eoas acies. hic quippe venerat ab oriēte in auxilium Troianorum contra Græcos.

e Inter reliquos, qui egregiam operam nauarunt pro Troianis contra Græcos, fuit Penthesilea, regina Amazonum, cuius, vt aliorum ducum, in hac pictura virtus enituit. Describit verò Poëta illius arma, ardorem in bello, rationem cinctus, audaciam. Arma, nam illi & reliquis Amazonibus lunatæ erant peltæ: ardorem, cùm ait, *medijs in millibus ardet*, quibus verbis ita graphicus est Poëta, vt putem me videre infinita hominum agmina, hastarum cuspides, gladiorum mucrones, virginem vnam circumstantes,

A à quibus illa se facilè expedit, vertítque ferociter in omnem partem cum ingenti multorum clade: rationem cinctus in illis *subnectens aurea cingula mammæ exertæ*: læuam papillam intelligit, quæ integra erat Amazonibus, neque adusta. Hanc autem ex more exertam habebant, id est, detectam, & nudam; fascia aut cingulum pergebat subtus illam, ideo *subnectens*. itaque mamma propendebat supra fasciam subtus decurrentem: audaciam demum, cùm ait,

audétque viris concurrere virgo.

NOTÆ.

1. INTEREA AD TEMPLVM, &c.] Illustrabitur hæc pars his quæ dicam, lib. 11. vbi par omnino locus.
B

2. NON ÆQVÆ PALLADIS] Ita hîc *non æquam* vocat Palladem, vt in 8. Iunonem *iniquam*. Sed cur ibant ad preces Deæ iniquæ & aduersantis? Attingo alibi morem gentium in placandis numinibus non modò propitiis, sed etiam infestis, ab omnibus enim metuebant. Colebant propitia numina, ne illa infensa redderentur: colebant infesta, tum vt placarentur, tum ne malum aggererent.

3. CRINIBVS ILIADES PASSIS] Attingit morem duplicem. Fœminæ passis erant crinibus & in luctu, & in precibus: hîc autem Iliadas & luctuosas, & precantes, vides. Morem primum firmat Plutarchus ἐν Ῥωμ. quærens, cur filij, cùm parentes efferunt, sint tectis capitibus, filiæ verò γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις, *nudis capitibus, & solutis comis*: Ennius apud Nonium; *Ægro corde, comis passis*. Propertius lib. 2. eleg. 14. *Crines passi in luctu.*
C

Diceris effusa tu Venus isse coma.

Alterum Ouid. 4. Fast. vbi de Claudia: *Et in precibus.*

—vultus in imagine Diuæ
Figit, & hos edit crine iacente sonos.

Poterat hic locus multis augeri, vt qui satis obuius in Græcis & Latinis. Tantùm adducam locum Platonis lib. 7. leg. reprehendentis hanc mulierum ignauiam. Nam tametsi malè reprehendat, est enim æquū & laudabile in extremis ad aras confugere: sed inde tamen allucet, cur Virgilius tam hîc quàm 12. Ænei. inducat fœminas confugientes ad sacra, nunquam viros: ait itaque: *Magno certè Reip. vitio dandum est, ignauè mulieres educari, vt mori ipsæ nolint, neque pericula subire, quod pro filiolis faciant auiculæ, contra feroces bestias ipsæ pugnantes: sed statim ad aras templáque confugiunt, atque opinionem dant de genere hominum, esse animalium omnium ignauissimum.* Locum hunc interpres fœdat. *Fœminarū luctus reprehenditur à Platone.*
D

4. PEPLVM] Erat vestis fœminarum, quam illæ simulacris Deorum offerebant, in primis Palladi. Tria dixi, esse vestem fœmineam; alterum, offerri solitam deabus; tertium, præcipuè Palladi. Primum firmant Græcorum commentarij, qui ita exponunt: πέπλος ἐστὶ κυρίως γυναικῶν: *peplus feminarum est præcipuè*, & πέπλος ἱμάτιον, καὶ ἔνδυμα γυναικεῖον: & Homerus, à quo Troianæ fœminæ dicuntur, τανύπεπλοι, βαθύπεπλοι, ἑλκεσίπεπλοι. vide Suidam, & Seruium hîc. Alterum interpres Æschyli, qui nulla facta Deorum distinctione, ita ait: παρετίθεσαν γὰρ καὶ πέπλους, καὶ ἐνέδυον τὰ ἀγάλματα: *peplos offerebant, & illis induebāt simulacra.* *Peplum fœminarum.* *Deatū multarum.*

Apud

Apud Pausaniam lib. 6. fœminæ πέπλον ὑφαίνουσι τῇ Ἥρᾳ: contexunt peplum Iunoni. Est etiam de eadem re locus signatissimus apud eundem, lib. 5. vbi ait, apud Scilluntios celebrari à matronis festa Iunonia magna celebritate, & quinto quoque anno huic Deæ peplum pertexi à sedecim fœminis. Claudianus in epithalamio Honorij Veneri dat peplum: eidem Iunior Philostratus. ait enim de Cupidine, ἐξήρτηται τοῦ τῆς μητρὸς πέπλου, pendet à peplo matris. Tertium multa, Virgilius hîc, Homerus. 6. Il. vbi Hecuba dedit peplum δῶρον Ἀθήνῃ, donum Mineruæ. In Pausan. lib. 8. offertur peplum Mineruæ ab Laodice filia Agapenoris, & adhibetur inscriptio, qua Laodice ipsa testatur dedisse donum hoc Mineruæ, Λαοδίκης ὅδε πέπλος, ἑᾷ δ' ἀνέθηκεν Ἀθηνᾷ. In Ceiri quoque Virgiliana leges versus istos.

Iunonis. Et Veneris. Palladis præcipuè.

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erichtheis olim portatur Athenis,
Debita cùm castæ soluuntur dona Mineruæ.

Plautus in prologo Mercat. ait, quinto quoque anno promi & ostendi peplum Mineruæ. Versus Comici sunt:

Nec nisi quinto quoque anno posse tum visere
Vrbem, atque extemplo inde vt spectauisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum à patre.

Ad hunc locum procul dubio allusit Seruius, sententiam Plauti aucupans, non verba, ita scribens: *Peplum propriè est palla picta fœminea, Mineruæ consecrata: vt Plautus, Nunquam ad ciuitatem venio, nisi cùm infertur peplum.* Si hæreas Polluci, capies Poëtam non tam de veste, quàm de stramento. Ait enim Græcus lib. 7. duplicem fuisse pepli vsum, & ἐνδύναι, & ἐπιβάλλεσθαι, ad induendum, ad insternendum. & de extremo ita adiicit, καὶ ὅτι μὲν ἐπίβλημά ἐστι, τεκμήραιτ' ἄν τις ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων: & quod instratum sit ex Mineruæ peplis coniici potest. Sed redeo ad Plautum, qui omnino indicat celebritatem Panathenaïcam, quæ, quinto quoque anno (post quatuor inquam annos) magno populi concursu Athenis fiebat in honorem Palladis. Aristides in oratione Panathenaica ad finem ita scribit, εἴργασται καὶ ἡμῖν ὁ λόγος ἀντὶ τοῦ πέπλου κόσμος, παναθηναίων τῇ θεωρίᾳ: hæc igitur à nobis oratio pepli instar ad ornatum pompæ Panathenææ confecta sit. Quin virorum fuisse etiam peplum satis notũ ex Callistrato in libro statuarum, vbi illum dat Narcisso, & Orpheo. Explicui pensum latiùs locutus de Minerua, quia rem hanc attingit Poëta. Sed placitum adiungere notas aliquas ad cognoscendam formam pepli. Erat peplo color purpureus: candidum fuisse vult Hortensius, nescio quo auctore, ego in Pausania lib. 2. scribente de donariis Iunonis, ita lego. στέφανος χρυσοῦς, καὶ πέπλος πορφυροῦς, Νέρωνος ταῦτα ἀναθήματα: *corona aurea, peplus purpureus, Neronis dona.* & Isidorus ita ait lib. 19. cap. 25. *peplum matronale pallium ex purpura signatum.* Pergo ad alia. Erat peplus ad pedes demissus. Ideo Homerus βαθυπέπλους vocat fœminas à profundo, id est, demisso, peplo. & ἑλκεσιπέπλους, quòd ita esset demissus, vt terram quoque attingeret, & traheretur: quas voces commentarij Græcorum explicantes ita: ὡς ἔχουσαι περιτεταμένους πέπλους καὶ καθειμένους ἕως ἄκρων ποδῶν: *quòd peplos haberent circum extensos, demissósque ad summos pedes.* Ideo fortasse Homerus de peplo, qui oblatus Palladi, μέγιστος, *maximus.* Quæ hæc magnitudo, nisi demissio ad pedes? Callistratus in statua Orphei. πέπλος κατὰ νώτου ἀφεῖτο εἰς σφυρὰ κατιών: *peplus per dorsum demissus ad talos pertinebat.* Hoc idem satis indicat Claudianus, qui de Venere iter parante, ita ait,

Demissio ad pedes. Peplum fuit etiam virorum. Pepli color purpureus. Panathenaica celebritas.

Et crines festina ligat, peplúmque fluentem
Alleuat.

A Accingens enim se ad viam, alleuauit peplum, qui priùs fluxerat. Quid verò habuit peplus in fimbria? Audi Isidorum: *Cuius fimbriæ aurei staminis summitate resplendent.* Hortensius nullo loci discrimine ait fuisse distinctum *clauis aureis.* sed præcipua pars formæ posita in varietate. Ab Homero 6. Il. pepli dicuntur παμποίκιλοι, *variè picti.* & de peplo Palladi oblato, κάλλιστος ποικίλμασιν, *pulcherrimus variegationibus.* Plato in Euthyphrone. καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν: *magnis panathenæis deportatur in arcem peplus talium varietatum plenus.* Seruius hîc: *peplum palla picta.* sed quæ istæ picturæ & varietates? Binæ, ô lector. Nam vel Palladis res gestæ, vel virorum fortium in peplo historiæ pingebantur. De Pallade Virgilius in Ceiri,

Pictura. Hæc duplex: prior, res Palladis.

B *Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,*
Magna Giganteis ornantur pepla tropheis,
Horrida sanguineo pinguntur prælia succo.

De viris fortibus auctores sunt Plutarchus, & Diodorus. Prior in Demetrio, posterior lib. 20. dicunt decreuisse Atheniens. vt Antigon. & Demetr. in peplo texerentur. Verba Plutarchi sunt, ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφίσατο. Verba Diodor. ἐνυφαινόντων αὐτοὺς εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλον κατ' ἐνιαυτόν. Colligo omnia, quæ pertinent ad formam. Fuit peplus colore purpureo, demissus ad pedes, habuit in fimbria stamen aureum, totus ipse distinctus aureis clauis, fuit pictus figuris Deorum, & hominum.

Posterior, viri fortes.

C 5. TVNSÆ PECTORA PALMIS] Habitus lugentium, quem ex Ouidio in epistolis, ex Seneca in Troadibus, possis latè illustrare, ex mille aliis. Constructio ipsa Græca est.

6. AVERSA] Explicui, renuens & aspernans, nam Horatius od. 10. Epod.

Et illa non virilis eiulatio,
Preces & auersum ad Iouem.

& Homerus de abnuente Pallade 6. Il. ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη. sed potest esse explicatio alia, vt dicat simulacrum Palladis sese in partem aliam conuertisse, quod signum iratæ Deæ. Nam Suetonius Vespasiani, cap. 5. *Comitia secundi consulatus ineunte Galba, statua Diui Iulij ad orientem sponte conuersa.* inde ostentum inauspicatum Galbæ, quòd quæ conuersa erat ad orientem statua, vbi erat Vespasianus, eo ipso auersa ab eodemmet Galba. sanè cùm auertimus ab aliquo vultum, eo ipso indignationem indicamus. In Psalm. 103. legas, *auertente autem te faciem turbabuntur.* De intuitu autem Palladis, cùm irata est, dicam lib. 8. ad illud, *turbatæ Palladis arma.* vnde hic locus illustrari potest. Cæterùm verbis istis *tenebat oculos fixos solo,* respondent illa Horatij od. 5. lib. 3.

D

Conuersio statuarum. Auersio oculorum indignationis nota.

Toruus humi posuisse vultum.

Et Plinius lib. 8. cap. 16. *oculorum aciem defigere in terram.* & Euripidis in Iphig. εἰς γῆν ἐρείσασ' ὄμμα. & Coluthi, ἐπὶ χθονὶ πῆξεν ὀπωπήν. Aristophanes in Vespis ad idem explicandum ἀτενὴς dixit. est enim ἀτενίζω immobili obtutu tenere fixos oculos: & Philostratus in Icon. ἐς γῆν ἀτενὲς ὁρᾷ. Quæ res locũ etiam habet in iracundia, ideo synonymικῶς Aristophanes addidit, ἀτεράμων, hoc est, σκληρός, interprete Scholiaste.

E

7. RAPTAVERAT] Quis hic Achilles Thessalus. Ad rem sunt ergo ista commentatoris Homeri ex Callimacho, in 22. Il. ὁ δὲ Καλλίμαχός φησιν, ὅτι πατριον ἐστι Θετταλοῖς τοὺς τῶν φιλτάτων φονέας σύρειν περὶ τοὺς τῶν φονευθέντων τάφους. Mox rem exemplo firmat Simonis cuiusdam Thessali, qui Eurydamantem fratris sui percussorem raptauit, & addit, ideo Achillem Thessalum patria consuetudine idem factitasse. Inde signatè

Thessalorũ ferocitas.

ſignatè Propertius lib.2. eleg. 8. loquens de ſucceſſu A
Hectoris,ita ait:

Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.

Nam Æmonia, Theſſalia eſt. Ouidius etiam lib. 2. Am.eleg.1.

Raptus & Æmonijs flebilis Hector equis.

Vide eundem lib.3.Triſt.eleg.11.Ceterùm Græca quæ adduxi,ita Latinè ſonant, *ait Callimachus, ſolere Theſſalos patrio more raptare interfectores contribulium circa ſepulchrum interfectorum.* Certè Theſſalorum ἀγερωχίας, ἄκρατον, καὶ τυραννικὰ, faſtus, intemperantiam, tyrannica omnia, etiam inter pocula, Philoſtratus meminit, in vita Critiæ. Achillem in hoc facto imitatus eſt Alexander apud Curtium lib.4.in ſimili ſupplicio ſumendo. Audiendus Scalig. lib.3. Poët.c.4. Poëtam explicans: *Ea, quæ oculis ſubijci nequeunt, arte quadã occupantur.* B *Hectoris enim raptationem non poterat pingere pictor in 1. Æn.nanque ter eum raptauit Achilles, itaque per tempus declarauit, raptauerat.* Seruius quoque ait, Poëtam vſum verbo frequentatiuo ad explicandam multiplicem raptationem. Quod autem Poëta *raptauerat.* Homerus,23.Il.ἑλκυστάζειν:*trahendo raptare.* & Euripides Androm. ——τὸν ϖερὶ τείχη

ἕλκυσε διφρεύων ϖαῖς ἁλίας Θέτιδος:

Hunc circum muros curru traxit filius marinæ Thetidos.

Dio Chryſoſt. orat. 11. τὸν νεκρὸν αὐτοῦ (Ἕκτορος) καὶ συρῆναι μέχρι τῶν τειχῶν:*cadauer ipſius* (Hectoris) *tractum vſque ad muros.* in Græco diuerſum eſt, vt vides, Dionis verbum ab Euripideo. Vetus Poëta apud Tullium lib.1. Tuſcul. cui omnino videtur hæſiſſe C Maro.

Vidi, videre quod me paſſa ægerrimè

Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Curule melos.

Ne abeat inobſeruatum ab Hectoris raptatione fluxiſſe Græcis ἁρμάτιον νόμον, id eſt, *curule melos*, quod contineret argumentum Hectoris bigis tracti. Scias hîc etiam Dionis Chryſoſt. ſententiam orat. 11.qui ait, non interfectum Hectorem ab Achille, ſed contra Achillem ab Hectore, ac perinde Homerum enormiter mentitum.

8. EXANIMVM CORPVS]deſcriptio cadaueris.

Hectoris cadauer precio redemptum.

9. AVRO VENDEBAT] Hiſtotia hæc nota ex 24. Il. Priamus enim magno precio redemit ab Achille cadauer Hectoris. Magno(inquam)nam ibi Homerus ἀπερείσι' ἄποινα: *infinita dona.* Cedrenus ait por- D tata ab Priamo ad redimendum Hectorem, χρυσόν τε, καὶ ἄργυρον, καὶ ἐσθῆτα πολυτελῆ: *aurum, argentum, pretioſam veſtem.* Inde Horatius od.10. lib.1. de hac re loquens, *diues Priamus*, iniquè ab Scaligero laceratus. Caſſiodor. *Priamus quanto precio ſepeliendum Hectorem redemit.* Diſſidet tamen Plutarchus, nam orat. 2.de fortuna Alexandri, ὁ μὲν γὰρ (loquitur de Achille) χρημάτων ὀλίγων τὸν Ἕκτορος νεκρὸν ἀπελύτρωσε: *hic autem paruo pretio cadauer Hectoris redemptum reddidit.* Sed vide æquitatem cæleſtis numinis. Scribit enim ex Lycophrone Euſtathius, Achillem ipſum confatalem noxam paſſum: eius enim cadauer auro quoque redemptum eſt, cùm cecidit percuſſus ab Alexandro. Græca, quæ ad hoc pertinent, ſunt. τὸ δὲ αὐτὸ φασὶ παθόντα ὕστερον καὶ αὐτὸν (Ἀχιλλέα) ἀποδοθῆναι τοῖς Ἕλλησιν, ὡς καὶ Λυκόφρων ἱστορεῖ, ὅτε τοξευθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου Ἀχιλλεὺς ἔπεσε. E Notat verò Hieronym. Columna, Virgilium hoc verſu alluſiſſe ad titulum tragœdiæ Ennianæ, quæ inſcribitur. *Hectoris luſtra*, aut, *Hectoris lytra.* Quæ ſic dicta à luendo, id eſt, ſoluendo pretio. Cuius rei argumentum tractaſſe adoleſcentem Lucanum ex Statio in ſyluis apparet,

Achillis cadauer pretio redẽptum.

Hectoris lytra.

Ac primum teneris adhuc in annis

Ludes Hectora, Theſſalóſque currus,

Et ſupplex Priami potentis aurum.

10. TVM VERÒ INGENTEM GEMITVM, &c.] Vide quem affectum excitet ad viſa ſpolia: ad quam rem facit inſigniter locus Dictyïs lib. 3.ita ſcribentis: *Achilles cùm cæde inimiciſſimi, tum memoria doloris ferox, ſpoliatum armis hoſtem, mox conſtrictis in vnum pedibus, vinculo curru poſtremo adnectit: dein, vbi aſcendit ipſe, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita concito curru per campum, quàm maximè videri poterat, peruolat, hoſtem mirandum in modum circumtrahens, genus pœnæ nouum miſerandúmque. At apud Troiam, vbi ſpolia Hectoris deſuper è muris animaduertere, quæ Græci præcepto Regis ante ora hoſtium prætulerant, tantus per totam ciuitatem luctus, atque clamor editus, vt aues etiam conſternatæ vocibus ex alto decidiſſe crederentur, noſtris cum inſultatione reclamantibus. Mox ex omni parte cunctis clamantibus vrbs clauditur. Fœdatur regni habitus, atque in modum lugubrem funeſtúmque obducta facies ciuitatis: cùm, ſicut in tali negotio aſſolet, repente concurſus trepidantium fieret in eundem locum. Ac ſtatim ſine vlla certa ratione per diuerſum fuga, nunc planctus crebri, modò tota vrbe ſilentium ex incerto.* Vide quàm atrox luctus depictus ſit à Dicty ad viſa Hectoris ſpolia. Meritò ergo Poëta inter reliqua monumenta lacrymarum digna, ſpolia quoque Hectoris intulit.

Spolia Hectoris.

11. CVRRVS] Pluralem pro ſingulari poſuit ad Homeri imitationem, qui ſæpe ἅρματα, non ἅρμα. Quod de Homero Euſtathius animaduertit, & ex Euſtathio Germanus.

12. AMICI] Hoc non tam refero ad amicitiam, quæ eſſet inter vtrumque heroëm, quàm ad eandem belli operam, & militarem ſocietatem, ac veluti contubernium. Aliquando enim in eodem periculo ſimul verſati ſunt, ſimul aggreſſi Græcos, ſimul in vrbem recepti. De quo latiùs in 11.

13. TENDENTESQVE, &c.] Caſſiodorus lib.2. Var.epiſt. 22. *Priamus quanto pretio ſepeliendum Hectorem redemit? rogauit furentem, ſupplicauit armato.* Ab Homero Priamus inducitur λισσόμενος, *ſupplicans* ad Achillem. & προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλλῆος ἐλυσθεὶς, *prouolutus ante pedes Achillis*, iterum,

Priamus ſupplex ad Achillem.

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας

Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας:

Manibus Achillis accepit genua, & oſculatus eſt manus

Graues, homicidas, quæ ei multos interfecerunt filios.

Horatius od.17.Epod.Homeri aura,

Luxere matres Iliæ addictum feris

Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem,

Poſtquam relictis mœnibus Rex procidit,

Heu peruicacis ad pedes Achillei.

Seneca,2.de Ir.cap.33. *Quid ille Priamus? non diſſimulauit iram, & regis genua complexus eſt: funeſtam perfuſámque cruore filij manum ad os ſuum retulit.*

14. INERMES] Attingit morem veterum, qui cùm ſupplicabant, arma abiiciebant, & nudas atque inermes dexteras offerebant victoribus. De quo lib. 11.ad illud,

Supplicum mos.

Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.

15. SE QVOQVE PRINCIPIBVS, &c.]Illuſtro hoc lib.2.Æn.vbi par fermè ſententia hæc, *vadimus immiſti Danais.*

16. EOASQVE ACIES]Nam Memnon Auroræ filius, quæ ἠὼς Græcè. Dictys lib. 4. *Memnon Tithonis atque Auroræ filius, ingentibus Indorum atque Æthiopum copijs, ſuperuenit magna fama.*

Memnon filius Auroræ.

17. NIGRI MEMNONIS] Seneca Agamemn. *non tela Paridis certa, non Memnon niger.* Ideo Næuius in Alceſtide, citante Agell. lib. 9. cap. 7. Memnonem

Memnon niger.

vocat

voc[...]lorem. Æthiopiam vo[...]t Calab. lib. 2. μελάμβροτον, quòd nigros ferat homines, quo in loco Calaber de Memnone loquitur. Dio Chrysostom. orat. 11. Αἰθιόπων βασιλεύειν Μέμνονα. scribit tamen Philostratus, lib. 1. Icon. hanc Memnonis nigredinem fuisse ita suauem & sinceram, vt præferret quiddam floreum, τὸ γὰρ ἀκράτως ἐν αὐτῷ μέλαν ἐμφαίνει τὸ ἄνθος. Notat verò Hartungus decuria 3. Græca fere dissyllaba in (ων) produci in obliquis, quia retinet (ω) atque ex magno numero excipi tantùm *Memnon*, & *Æson*, qui in obliquis vertunt (ω) in (ο) ideo hîc Virgilius *Memnonis*, pede dactylico, & Ouidius lib. 7. Met. *Æsone natus*, pari mensura. Cæterùm, an Memnon venerit ad Troiana arma, in dubium potest reuocare autoritas Philostrati, lib. 6. de vita Apollon. cap. 3.

B

Amazonides pro Amazones.

18. AMAZONIDUM] Pro, Amazonum, dictum vult Seruius, deriuatum videlicet pro principali, quod firmari potest versu Propertiano lib. 3. eleg. 14.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodoonteis turba lauatur aquis.

Græci tamen Poëtæ (ait Germ.) vtrunque enunciant principaliter, iam Amazonas, iam Amazonidas. Quid verò ego commentandi feruore digrediar ad Amazonum originem, auctum, exitum? Esset hoc otiosi, præsertim in tanta historiarum notitia, quæ peti potest, non solùm à Græcis, & Latinis litteris, sed etiam à vernaculis vnius cuiusque gentis: ad nullam enim non fama Amazonum penetrauit.

Peltæ scuta Amazonũ.

19. LUNATIS PELTIS] Peltas esse scuta Amazonum, docent Statius 5. Sylu.

—Amazonia latus intercludere pelta.

& Claudian. 2. Rap.

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Pulcra cohors.

& Plinius lib. 12. cap. 5. scribens de ficu Indica, *foliorum latitudo pelta effigiem Amazoniæ habet.* Inde Seneca tanquam proprio epitheto in Agamemn. act. 2. *peltata Amazon*, dixit, vt & Martialis lib. 9. epig. 104. *peltatam Amazona*, & Statius 5. Theb. ab scuto Amazonas intelligit, scribens:

Lunatum agmen de Amazonib.

—Lunatúmque putes agmen descendere.

Notauit tamen Aldus in libris quæsitorum, vsos pelta, præter Amazonas, etiam Macedonas, Afros, Hispanos, Cretenses. De Macedonibus testes affert Liuium, Plutarchum, Ælianum: de Afris, Seruium: de Hispanis, Cæsarem, Liuium: de Cretensibus, Plutarchum in Æmilio. Cùm autem Poëta attingat peltarum formam, vocans *lunatas*, teseruo hoc ad lib. 11. Æn. vbi repetitur hoc hemistichium.

Peltæ multarum gentium.

Pẽthesilea.

20. PENTHESILEA] Hanc venisse in auxilium Troianorum expressè scribunt, Thyphiod. ἐν ἁλ. & Dictys lib. 3. De illa lege Iustinum lib. 2. & Orosium lib. 1. cap. 15.

Amazonum sinistra mãma exerta.

21. EXERTÆ MAMMÆ] Sinistram intellige, quæ exerta, id est, nuda, ex ritu Amazonum. Curtius lib. 6. *Vestis non toti Amazonum corpori obducitur, nam læua pars ad pectus est nuda, cætera inde celantur.* Quæ verba explicant Callimachum in hymno Dianæ, vbi loquens de comitibus huius Deæ (fuerunt quippe Amazones in comitatu Dianæ) ait, γυμνὸς ἀεὶ παραφαίνετο μαζός, *nuda semper ostendebatur mamma.* & reli-

A

quos auctores, qui nullo facto discrimine exhibent hanc nuditatem, in his Virgilium hoc loco, & in 11. vbi ait,

Vnum exerta latus pugnæ pharetrata Camilla.

Dextra adusta.

Habes iam exertam fuisse mammam sinistram. Roges, quæ mammarum adusta? Dextra vtique. Hippocrat. lib. de Aëre, Locis, & Aquis, vbi sermo est de Amazonibus, ita ait, τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν οὐκ ἔχουσι: *dextram mammam non habent.* Diodorus de illis loquens, τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐπικαίειν. Curtius lib. 6. *aduritur dextra.* & addit rationem hanc, *vt arcus facilius intendant, & tela vibrent*: & de sinistra: *Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus filios alunt.* Hippocrates dicto loco hanc adhibet, ἐς δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον, καὶ βραχίονα πᾶσαν τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ πλῆθος ἐκδιδόναι: *vt ad dexterum humerum & brachium omnis virtus & copia transmittatur.* Non enim ita esset validum brachium dextrum, quo gerebant bella, si haberent mammam dexteram. Errorem Seruij hîc iam alij deprehenderunt. Vox *mammæ* à Græcis orta. Bisettus interpres Aristophanis ita scribit in Lysist. μαμμίαν, οὕτως οἱ Ἀττικοὶ τὴν μητέρα καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ τὰ παιδία μαμμᾶν τὸ φαγεῖν λέγειν: *Attici matrem vocant mammiam, quia infantes pro edere dicunt, mammare.* Sed cùm infantium esus sit lac, nullus alius, hinc procul dubiò vox transiit ad significandam papillam. Porrò, quæ dixit Curtius de muliebri sexu, alito ab Amazonibus, quod aliis quoque plausibile, etiam si non neget Philostratus, nihil tamen de illo, tantùm ait in heroicis, ali ab illis liberos γάλακτι ἵππων, καὶ δρόσῳ κηρίοις, *equorum lacte, & fauis roris.*

Seruij error.

Mãma vox Græca.

Amazones ἀντιάνειραι.

22. AUDETQUE VIRIS CONCURRERE VIRGO] Scias allusum hîc ad epithetum Amazonum, quas Homerus 3. Il. vocat ἀντιανείρας, quòd sint vel contrariæ viris, vel cum illis virtute conferendæ. Adnecto versum Aristophanis in Lysist. ἃς Μίκων ἔγραψεν ἐφ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσι: *Quas* (Amazonas) *Mycon depinxit in equis pugnantes contra viros.* Quæ hîc attingit Aristophanes, inuenies apud Pausaniam in Atticis. De virtute Amazonum audi verba Hippocratis dicto loco, ἱππάζονταί τε, καὶ τοξεύουσι, καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ὦσιν, οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι: *Equitant, arcu vtuntur, iaculantur ex equo, cum hostibus bellum gerunt, quoad virgines sunt: neque antè Virginitatem deponunt, quàm tres hostes interfecerint.* Philostratus quoque in Heroicis, cùm dixerit Mysas fœminas pugnare ex equis, τοῖς ἀνδράσι, adiicit explicans, ὥσπερ Ἀμαζόνες. Inde signatè Orosius lib. 1. cap. 19. loquens de Penthesilea, ait, dedisse illam *clarissima inter viros documenta virtutis*, in Troiano bello. De eadem Propertius lib. 3. eleg. 11.

C

D

Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates.

Non multùm abhorret sententia Xerxis apud Herodotum, lib. 8. qui audita virili virtute Artemisiæ, subiicit, οἱ μὲν ἄνδρες, γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες, ἄνδρες. *viri quidem extiterunt mihi feminæ, feminæ autem viri.* Dictam Andromachen πρὸς τῷ ἀνδρὶ μάχεσθαι, scribit in Andromacha Euripides. De Rossorum fœminis narrat Cedrenus, virili habitu armatas pugnasse contra hostes.

[a] Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum stupet, obtutúque hæret defixus in vno,
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna iuuenum stipante caterua.
[b] QVALIS in Europæ ripis, aut per iuga Cynthi

Exercet

Exercet Diana choros: quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiénſque Deas ſupereminet omnes.
[c] Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
[d] Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios, inſtans operi, regníſque futuris.

ARGVMENTVM.

In ipſa ſpectandi auiditate, & medio Æneæ ſtupore, Dido ad templum venit, comparatur egregiè cum Diana.

EXPLICATIO.

[a] POST longam digreſſionem picturæ, redit ad intermiſſam narrationem, vt perducat iam Æneam ad colloquium Didonis. Amplificat autem primò habitum Æneæ intuentis picturam. Primò *admiratur*; deinde *ſtupet*, quod maius; tertiò *hæret defixus in vno obtutu*, eſt hic effectus ſtuporis. Inter hanc admirationem, ſtuporem, obtutum, ecce Dido ſuperuenit, cui tria dat, videlicet pulchritudinem in forma, grauitatem in inceſſu, maieſtatem in comitatu. Ideo *forma pulcherrima*: ideo *inceſſit*, quod verbum, cùm ad Deorum motionem pertineat, illo grauitatem indicari, palam eſt: ideo denique *magna iuuenum ſtipante caterua*. Tria hæc egregiè firmat ſequenti comparatione. Diana enim pulcherrima eſt. incedit, vt quæ Dea: & magnum habet comitatum Nympharum.

[b] Omnia ſunt propriiſſima in hac comparatione. Scribit loca, vbi verſata Diana, occupationem, comitatum, habitum venatricis. Loca; nam *in Eurotæ ripis*, & *per iuga Cynthi*, vtrunque propriè: Fluuio enim ripas, monti dat iuga. Occupationem, cùm ait, *exercet choros*. Comitatum, nam *Oreades mille* (multas intellige) *ſecutæ glomerantur hinc atque hinc*. bene *Oreades*, Iſtæ enim montium ſunt Nymphæ, & Diana inducitur *per iuga Cynthi*. Habitum venatricis in illis, *illa pharetram fert humero*. Eôdem pertinent, vt exiſtimo, quæ ſequuntur, *gradiénſque Deas ſupereminet omnes*. Hanc enim eminentiam corporis ad cothurnos refero, qui in vſu venantium, vt ſuprà latè explicui.

[c] Abſoluitur comparatio cum epiphonemate Latonæ geſtientis ad viſam pulchritudinem Dianæ filiæ.

[d] In extremis verſibus accommodat comparationem, conuertens ſermonem ad Didonem, cui dat in ore lætitiam, laudátque reginam, vt quæ non rebus inanibus, vt plerunque aliæ fœminæ, ſed grauiſſimis vacaret, videlicet operi, & futuris regnis, inſtans illis, vtique ἐργοδιώκτης, & ἐπιστάτις.

NOTÆ.

Virgilij nō otioſa epitheta.

1. DARDANIO ÆNEÆ] Nullum epithetum otioſum in hoc vate. Nónne mirum, Dardanum ex Aſia hominem videre ſe pictum in Carthagine Libyæ, præſertim recente adhuc clade? Ergo, ideo hæc miranda, quia homini Dardano. Dardani mentio, à quo originem Æneas duxit, eſt in Homer. 20. Il. vbi Æneas ipſe cum Achille congreſſurus, & ſuam narrans ſtirpem, rem totam refert ad Dardanum. Verſus omitto, vt multos, & tædij plenos.

2. DEFIXVS] Ab hoc verſu Apuleius lib. 11. *Aſt*
A *ego ſtupore nimio defixus tacitus hærebam.* Noſter alibi, *oculos horrenda in Virgine fixus.* Propertius, libr. primo eleg. 3.

—intentis hærebam fixus ocellis.

Horatius in Epiſtolis,

Defixis oculis animoq; & corpore torpet.

Cicero, *in cogitatione defixum.* Videtur verò mihi hoc ſtupore, & hac vnum in locum defixione exprimi illud Xenoph. in Symp. ὥσπερ οἱ τὰς γοργόνας θεώμενοι, λιθίνως ἔβλεπε πρὸς αὐτὸν, καὶ λιθίνως οὐδαμοῦ ἀπῄει ἀπ' αὐτοῦ: *Quaſi qui Gorgonas ſpectant, ſaxeum in morem illum* (Cliniam) *inſpectabat, & quaſi eſſet ſaxeus nunquam ab illo diſcedebat.* Ita etiam Andromacha in 3.

Diriguit viſu in medio.

B 3. PVLCHERRIMA DIDO] Ita etiam appellatur in 4. & de ea Iuſtinus libr. 18. *inſignis forma.* Dido pulcherrima.

4. QVALIS, &c.] Adducam Homericam comparationem, & Virgilianam cum Græco Vate, explodam Probum, dabo victoriam Latino. Homerus itaque Odyſſ. 6. Nauſicaam vagantem per agros hunc in modum cum Diana comparat.

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι, καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι.
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
Ἀγρονόμαι παίζουσι, γέγηθε δὲ φρένα Λητώ.
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.
C Ὣς ἥ γ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Qualis autem Diana it per montes ſagittis gaudens,
Aut per Taygetum arduum, aut Erymanthum,
Seſe oblectans capris, aut velocibus ceruis.
Simul cum illa Nymphæ filiæ Iouis Ægiochi
Agreſtes ludunt, gaudet verò mente Latona.
Omnes verò ipſa capite ſuper eminet, atque fronte.
Facilis verò cognitu eſt, pulchræ verò omnes.
Sic illa inter ancillas excellebat virgo indomita.

huic comparationi inſtitit Maro hoc loco. Ait autem non probè Probus apud Agell. lib. 9. c. 9. amœniſſimos Homeri verſus improſpere à Virgilio verſos, & Homerum aptiùs Nauſicaam Dianæ comparaſſe, quàm Virgilium, Didonem. Primò, quia in locis ſolis Nauſicaa erat, Dido in vrbe, & ideo aptiùs
D (ait) cōparatio ſumpta ex Diana venatrice Nauſicaæ quadrat, quàm Didoni. Deinde, inceſſus ſerius & grauis Didonis nihil habet commune cum ludibunda Diana. Tertiò, Homerum ſtudia venationis expreſſiſſe, Virgilium pharetram tantùm tanquam onus ac ſarcinam nominaſſe. Quartò demum, Latonam genuinum gaudium gaudere, apud Maronem autem pectus tantùm gaudio pertentari, quaſi leni ac pigro, & in ſuperficie natanti. Probi iudicium hoc viri docti iam exploſerunt, ſed nemo meliùs quàm Naſcimbænus, & Corradus in hunc locum, & Scaliger in Critico, qui ait Virgilianos à magiſtro, Homericos à diſcipulo confectos. Horum

ru[illegible] sequutus, aliqua ipse addens, id ipsum hîc ostendam. Cùm enim aliorum interpretum industria in defendendo vate enituerit, cur mea conquiescat? Primum itaque nullam vim habet, nam cùm personæ comparantur; status, res, studia exprimuntur, non loca. Quam rem ab ipso Homero discimus. Idomeneum in acie comparat apro, qui est in montibus: leoni in stabulis, Diomedem in acie: pantheræ in syluis, Agenorem extra syluas: igni, qui accenditur in montis vertice, fulgorem armorum in acie: postremò Penelopem Dianæ, quam tametsi non statuat in venatione, nusquam tamen alibi intelligitur à Poetis. Hęc multis aliis firmat Scaliger. Præterea neque Nausicaa ipsa, etiam si est in agro, non tamen in montibus, non cum arcu, aut pharetra. De incessu quod aiunt secundo loco, nihil aiunt. Neque enim Homerus in Diana vllum cursum exprimit ludibundum, aut bacchantem; sed tantùm illam fingit incedentem per montes, sicuti Maro Didonem per vrbem: tantùm habitus quidam lætitiæ est in Diana Homeri, ait enim τερπομένη, & hanc expressit Virgilius in illis, *talem se læta ferebat.* Quod tertio dicebant, studium venationis expressum ab Homero in Diana, non sic est, tantùm choros ducentem inducit, ac sese oblectantem, captas cùm videt, & veloces ceruos. Nam si in venatione essent, quî nymphæ agrestes luderent? in venatu enim omnia sunt seria. tantùm igitur signa quędam venationis posuit Homerus, cuius mentem exprimens Maro pharetram dedit commodissimè. vbi pharetra est epitheti loco, pro, pharetrata, qualia multa sunt apud Homerum, nam etiam inter epulas Apollo ἀργυρότοξος dicitur, & Achilles vel dormiens, πόδας ὠκύς. Dicebant quarto loco, non benè expressum gaudium Latonæ verbo pertentandi, sed de hoc suo loco. His satisfactum est Probi difficultatibus. Igitur Poëta egregiè comparat Didonem cum Diana: Diana est in montibus, Dido in vrbe: illa inter Nymphas, hæc stipata magna caterua: illa, vt Dea saltatrix choros exercet; hæc, vt Regina, seriò incedit: in illa ex adiunctis pulchritudo indicatur, hæc est forma pulcerrima: illa per ripas Eurotæ, & iuga Cynthi, sibi sacra loca: hæc per vrbem, quam suo sibi labore peperit: illa ad Latonam vadit, hæc ad templum Iunonis: illa instat choris, hæc regnis futuris: illam sequuntur *mille Oreades*, ministræ Nymphæ, hanc magna caterua iuuenum: in illa vides glomerationem, in hac stipationem: illa ingressu supereminet: id ipsum de Didone indicatur, neque enim spectaretur ire per medios, nisi corpore ipso excelleret: illa demum pharetrata est, vt venatrix; hæc vt regina, cum apparatu planè regio. Nihil deest in comparatione hac, omnia quadrant. Sed, an Homerus rectè processerit, videndum. Nymphæ quî ludunt? si, vt ait Probus, in venatu sunt? quî exercent choros? Præterea, si Diana extat capite, quid frontem addidit Homerus? Postremò consultius multo gaudium illud Latonæ dilatum est, seruatúmque ad epiphonema, quod Maro fecit, non Homerus; est enim Latona extra totam materiam. Sed adhuc consilium Poetæ animaduerte. Sicuti hîc Didonem, quam Æneas videat, Dianæ comparat; ita in. 4. Æneam, quem Dido videat, Apollini, vicissitudine rerum obseruata.

Virgilius defenditur.

Homeri Vitia.

5. EVROTÆ] Per Eurotam vagari sæpe Apollo solebat, dat ergo Dianæ sorori easdem ripas Poeta. sed adhuc Eurotas sacer erat Dianæ, quod inde colligit Turneb. nam Taygetus mons Dianæ sacer ripis Eurotæ imminebat; totum ergo illum tractum ad Dianam pertinuisse credibile est; illud de Taygeto firmatur Callimachi loco, qui ait insularum Dolichen, ciuitatum Pergen, Ταΰγετον δ' ὀρέων, *montium autem Taygeton.* De Eurota iam ego ecl. 6.

Eurotas fluuius sacer Dianæ.

6. CYNTHI] Fraternus quoque mons, & ipsius etiam Dianæ, erat enim in Delo natali solo. Sed & in genere montes omnes sacri Dianæ, vt venatrici. Phornutus illam vocat ὀρεσιφοίτην, *monticolam.* Horatius. od. 22. lib. 3.

Cynthus sacer Apollini.

Montes omnes sacri Dianæ.

Montium custos, nemorúmque virgo.

Catullus quoque in hymno, ita ad illam.

Montium domina vt fores,
Syluarúmque virentium,
Saltuúmque reconditorum,
Amniúmque sonantium.

Hæc in genere: speciatim illi dat hic Poeta Cynthum: Ouidius. 2. Met. Mænalon, cùm ait:

—Dictynna per altum
Mænalon ingreditur.

& Pindarus od. 3. Olymp. illam inducit errabundam per iuga Arcadiæ.

7. EXERCET DIANA CHOROS.] Sequitur (admonente Turneb.) veterum religionem, qui putabant, Dianam, nisi venaretur, semper in montibus tripudiare, & saltare solitam. Argumento est prouerbium, πότε Ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; *Quandò Diana non saltauit?* apud Callimachum eadem Dea sexaginta comites saltatriculas ab Ioue poscit Oceanitidas, δός δέ μοι ἑξήκοντα χορῖτιδας ὠκεανίνας.

Diana saltatrix.

8. MILLE] Natalis. 5. Myth. c. 11. Strabonem citat, qui dixerit, quinque tantùm fuisse has Dianæ Oreadas.

9. OREADES] Sic dictæ Nymphæ montium, ἀπὸ τοῦ ὄρους. Calpur. 4. ecl.

Oreades.

Per iuga siccato velox pede currit Oreas.

Ab Homero dicuntur, Νύμφαι Ὀρεσιάδες, (monente Lilio) ab Hesychio ὀροδεμνιάδες, καὶ ἀγροσῖναι, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, καὶ δεμνίων, à cubilibus montium, in quibus quiescunt; vel ἀπὸ τῶν ὀροδάμνων, à ramis, & germinibus stirpium. Idem scribit Phauorinus. De his Homer. 6. Il. & Strabo lib. 10.

10. PHARETRAM FERT HVMERO] Homerus & Orpheus Dianam appellant *gaudentem pharetris*, ἰοχέαιραν. Eadem à Diphilo apud Athen. lib. 6. dicitur παρθένος τοξόδαμνος· *virgo domans arcu.* Neque verò temere, sed ex summa doctrina appendit Poeta pharetram humeris Dianæ. Soli enim huic Deæ, & Apollini id licebat, nymphæ ad latus gerebant. Notauit hoc Iul. Scaliger. Inde illud suprà, *succinctam pharetra.* Notam hanc Scaligeri firmo ex Liuio Andronico, qui apud Terentianum de Diana:

Diana, & Apollo tantù pharetrati in humeris.

Pressáque iam grauida crepitent tibi terga pharetra.

De eadem Claudianus. 2. Rap.

—pendent post terga sagittæ.

sed videndum, ô Scaliger, an perpetuum hoc sit, dicente eadem Diana. 11. Æn. de Camilla,

Nec tibi deserta in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.

de Atalanta etiam Ouidius. 8. Met.

Ex humero pendens resonabat eburnea læuo
Telorum custos.

Ab Heliodoro etiam lib. 1. Hist. Æth. inducitur Chariclia cum pharetra pendente ab humeris. Porro de habitu venatricis Dianæ, nam ad hunc respicit Poëta, vide quæ dicta sunt in libro hoc, vbi sermo est de Venere, & adiice Græcum epigramma hoc initio, Ἄρτεμι, ποῦ σοι τόξα, &c. cuius epigrammatis versio hæc apud Natalem lib. 3. Mythol. cap. 18.

Arcus vbi Diana iacet, vel plena pharetra?

Aut vbi Cretensis endromis Arbylidis?
Fibuláque ex auro, fucatáque murice vestis,
Quæ solita est summi poplitis ora tegi?
Arma ea sunt prædæ: sed cùm mihi sacra parantur,
Vt cernis, læta ad pocula inermis eo.

Gradior, militaris incessus.

11. GRADIENS] Incessus planè militaris, atque ideo ferarum iaculatrici conueniens. Sic & Phœbus frater, qui in feras sæuit, in.4.Æn. *iugis Cynthi graditur.*

Diana staturæ proceræ.

12. DEAS SVPEREMINET OMNES] Retuli hoc ad cothurnos. possum. sed vide an alia sit mens. Diana veteribus credita est fuisse staturæ proceræ. De illa Homerus,

Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα·
Omnes verò ipsa capite supereminet, atque fronte

B

Neque verò solùm ipsa magna fuisse credita est, sed aliis quoque feminis dare corporis proceritatem. Homerus Odyss. 20.

Ἥρη δ' αὐτῇσιν περὶ πασάων δῶκε γυναικῶν
Εἶδος καὶ πινυτὴν, μῆκος δ' ἔπορ' Ἄρτεμις ἁγνή.
Iuno autem ipsis præ omnibus dedit mulieribus.
Speciem & prudentiam, magnitudinem autem præbuit
Diana casta

Sententiam Poëtæ sic extulit Ouid.3. Met.
—collóque tenus supereminet omnes.

Porro de præstantia & magnitudine formæ, quæ posita est in laude feminarum, vide quæ ego suprà ad

A

illud, *præstanti corpore nymphæ.*

Epiphonemata addun tur compara tionibus.

13. LATONÆ &c.] Notat Gul. 3. Poet. c. 15. acclamationes & epiphonemata addi solere comparationibus cum virtute maxima, non quòd propria pars comparationis sit, sed tanquam figura figuræ addita, vt comparatio cum epiphonemate sit figura figurata.

14. TACITVM] Lucretius in gaudiis quoque,
—tacita pectus dulcedine tangunt.
quem videtur imitatus Poëta.

Pertento verbum blandiens.

15. PERTENTANT GAVDIA] Efficaciùs Poëta dixit, pectus *pertentari gaudio* (metaphora sumpta à citharœdis) quàm simpliciter, gaudere. Omnes enim partes occupantur gaudio, non minùs atque omnes chordæ percurruntur à citharœdo. Ad hæc, frequentatiuũ est verbum, & *per* significat perfectionem, quo fit vt voluptas & gaudium sæpius Latonam titillet. Sic explicant & defendunt Virgilium interpretes contra calumniam Probi. Germanus quoque emphasin agnoscit in verbo *pertentant.* His adiunge eodem verbo significari titillationem istam amoris blandam, quo in Georgicis titillatio equi appetentis coitum:
Nonne vides vt tota tremor pertentet equorum
Corpora?
Quo satis apparet huic verbo hanc esse amoris & blanditiarum potestatem.

[a] Tum foribus Diuæ media testudine templi
Septa armis, solióque altè subnixa, resedit.
IVRA DABAT, legésque viris, operúmque laborem
Partibus æquabat iustis aut sorte trahebat:
[b] Cùm subitò Aeneas concursu accedere magno
Anthea, Sergestúmque videt, fortémque Cloanthum,
Teucrorúmque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitúsque alias aduexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates:
Lætitiáque, metúque, auidi coniungere dextras
Ardebant; SED RES animos incognita turbat.
Dissimulant, & nube caua speculantur amicti.
[d] QVÆ fortuna viris, classem quo littore linquant,
Quid veniant: cunctis nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
[e] Postquam introgressi, & coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:

ARGVMENTVM.

Sedet Dido in solio, dat iura, laborem suis distribuit. Videt subitò Æneas Teucros, quos in tempestate vel vndis periisse, vel longè alio ad vectos crediderat: quæ res illum vehementer Achatémque perculit. spectant quem exitum habitura sit res.

EXPLICATIO.

[a] VIde θρόνον Reginæ in satellitio, quo stipata est. Sedet *altè in solio*, id est, in alto & conspicuo solio vt conspicua sit omnibus. Cùm ait *subnixa*, exprimit habitum sedentis. Sed qua parte templi solium erat? vtique in media testudine ad fores sacrarij Iunonis, quod sacrarium disclusum à reliquo templo, tametsi in eo inclusum. Sequor

C

Turnebum. Seruius & Corradus non placent. Quid verò ibi? *Dabat iura & leges viris*, etiamsi femina. Qua verò ratione dabat hæc iura? Aliis iusta pars laboris imponebatur, aliis dabatur sorte. Itaque partiebatur laborem iam iustè; iam, vbi esse poterat locus querimoniis, sorte.

[b] Hic successus inexpectatus necessariò lectorem commouet. en, quos Æneas periisse vndis crediderat, viuos videt. Ergo, *Æneas videt accedere concursu magno*, vt fit in rebus nouis, plebs enim facilè concitatur, concurritque ad videndos aduenas, præsertim veste, habitu, & vultu dissimiles. Sed quos videt? *Anthea, Sergestum, Cloanthum*, nominat illos honoris ergo, & quia chari Æneæ. Sequitur

D

aliosque Teucrorum, his verbis discriminat à ducibus Teucros alios, qui non ita nobiles. Procedit: *Quos ater turbo dispulerat æquore, vexerátque ad oras alias penitus.*

n[illegible]det hinc occasio mag[illegible] affectus Æneæ, namque dispersi fuerant, simul veniunt in eius conspectum. Putabat quippe illos peruenisse ad loca remotissima, penitissimáque. quippe vox *penitus* signat partem remotiorem penitioremque:

c Affectus ex præcedentibus necessarius. Quid non obstupescerent ad visa? & quidem obstupescunt lætitia metúque variante: solet quippe Poëta in re dubia hos duos affectus sæpe coniungere. Pergit. *Ardebant auidi dextras coniungere, sed res incognita turbat animos.* Causa, cur nihil tunc auderent. Ergo in tanta animorum turbatione consilium capiunt dissimulandi & speculandi qua tecti erant nube.

d Triplex dubitatio Æneæ animum & Achatæ inuadit, videlicet qua fortuna eò appulissent: deinde, quónam maris littore classem linquerent: tertio, quid nunc vellent: cum postrema hac dubitatione cohærent quæ sequuntur. Dubitabant enim quid vellent Troiani, cùm viderent ad Reginam legatos venisse ex cunctis nauibus delectos, pacem veniámque exposcentes.

e Vt ergo admissi sunt, Ilioneus natu maximus, (nota πρέπον, loquitur enim senior, in qua ætate, vt plurimùm sapientia & consilium) orationem habuit.

NOTÆ.

1. FORIBVS DIVÆ MEDIA TESTVDINE TEMPLI] Vir doctissimus Turneb. lib. 10. Adu. c. 11. capit has fores non de templo ipso, sed de templi adyto & sacrario, vbi erat Iunonis simulacrum. In media enim templi parte (quam vocat mediam testudinem) erat adytum augustius, cui adyto suæ fores, ad quas Dido sedit: atque adeo stare potest, vt sedeat ad fores, & in media templi testudine. In hoc adyto erat simulacrum illius Numinis, cui sacrum templum, ac perinde erat in medio templo. Firmat hoc Turnebus ex Poëta, qui. 3. G. — Sacraria in medio templo.

In medio mihi Cæsar erit, templúmque tenebit.

Ex istis Apuleij: *Namque in ipso ædis sacræ meditullio ante Deæ simulacrum tribunal constitutum ligneum iussus superstiti.* Ex Sedulio canente,

Dúmque sui residens media testudine templi.

Hæc ille, quæ omitti non debuerunt. Ad eundem morem mihi videtur allusisse Catullus de nupt. Pelei,

Puluinar verò Diuæ geniale locatur
Ædibus in mediis.

Et Propertius lib. 2. eleg. 31. si quis bene expendat, nam loquens de templo Phœbi, post descriptas columnas, & alia quæ in templo erant, subiicit: *Tum medium claro surgebat marmore templum:* quæ accipi commodissimè possunt de meditullio templi, nam frustra columnas & alia præmisisset. Incidi etiã in locũ Cedreni, qui ad hunc morem clarissimus. Vbi adhibito iam templo, & Serapidis statua ingenti, subiicit, quod mirere, templum aliud cum statua latens intra statuam ingentem Serapidis. itaque intra statuam Dei erat templum aliud, & in hoc templo statua alia. Verba, si quis optet, hæc sunt! ἔνδον δὲ τούτου τοῦ μεγίστου ἀγάλματος ἄλλος ναὸς, καὶ εἴδωλον, καὶ ξόανον χαλκοῦν. Eôdẽ traho Pollucẽ ita scribentẽ li. 1. c. τὸ μὲν χωρίον, ἐν ᾧ θεραπεύομεν τοὺς θεοὺς, ἱερὸν καὶ νεώς· ἔνθα δὲ καθιδρύομεν, σηκὸς, τέμενος. *Locus, in quo Deus colitur, templum & fanum vocatur: quo verò Deus collocatur, sacellum, & delubrum.* Existimo ex dictis suprà Vitruuio lucem dari sic scribenti lib. 4. c. 5. *Ædes autem sacræ Deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent, sic erunt constituenda, vt si nulla ratio impedierit, liberáque* A *fuerit potestas ædis, signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cæli regionem.* Cella ista nulla est alia quàm sacrarium illud in medio templo, vbi simulacrum. De testudine quæ in templi, adi Vitruu. lib. 6. c. 3.

2. SOLIO] Solij etymon vide in Seruio, qui idem cum Verrio.

3. IVRA DABAT] Repetit locutionem in. 8.

—his dantem iura Catonem.

Æmulatur Statius. 2. Theb.

Iura ferus populo trans legem ac tempora regni
Iam fratris de parte dabas.

Ait Seruius: *Bene, dabat: primi enim Locri scriptis vsi sunt legibus, nam superior ætas contenta fuit moribus.* Obserua etiam hæc iura dari in templo, ex more Ve- B terum, quem firmo in. 7. ad illud:

—tali intus templo patriáque Latinus
Sede sedens.

Iura enim in templis olim, & alia negotia expediebantur.

4. PARTIBVS ÆQVABAT IVSTIS AVT SORTE TRAHEBAT] Non dissimile illud Bruti lib. 11. epist. Tullij: *æqualiter aut sorte agros legionibus aßignari puto oportere.* Nec mos Romanus dissimilis, imò sunt, qui putent ad illum allusum. Solebant Consules, amoris ergò, eum, quem vellent è laboribus reseruare, non in longinquam aut asperam militiam scribere, sed ad mitiorem, vt *per oppida militiam expleret* (verba sunt Taciti) *nitidus & quæstuosus.* Cùm autem id sæpe publicè culpatum esset, decre- C uerunt Consules, delectus loco, milites scribere, quod in Ibericis Appianus scribit, καὶ στρατιὰν εὐθὺς ἐκλήρουν εἰς Ἰβηρίαν, τότε πρῶτον ἀντὶ καταλέξεων· *exercitus sorte scripserunt in Italiam, tum primùm loco delectus.* Huius rei rationem reddit scriptor, nam multi accusabant Consules ipsos, quòd delectus iniustè haberent, mitteréntque quos vellent ad leniores & minùs periculosas expeditiones, & ideo visum Senatui vt milites sorte scriberentur. Hæc ideò à me adducta, nam in hac laboris sortitione, quam propónit Virgilius, volunt aliqui veterum morem repræsentatum, de quo videndus Lipsius. — Sortito dabatur militia.

5. LÆTITIAQVE METVQVE] Vide, vt explicui. alij, aliter, vt ego nemo. Non coniungo cum sequentibus, sed cum præcedentibus. Vt dicat, vtrumque perculsum lætitia ac metu, non, lætitia ac metu auidos D ardere &c.

6. NVBE CAVA] Quod suprà *obscuro aëre* nunc clariùs *nube.* Vide etiam flexum orationis. Hîc *nube cauâ amicti*, suprà, *circumfudit illos multo amictu nebulæ.*

7. ORANTES VENIAM] Veniam pacémque orare, exorare, poscere, exquirere, petere, rogare ad formulas sacrorum pertinere iam alius monuit. Seruius quoque hoc loci: *venia propriè verbum pontificale est.* & firmat illo: *posce Deos veniam.* & paulo pòst: *pacémque per aras Exquirunt.* Vtrumque est 4. Æn. Quas voces sæpe auctores abiungunt, Nam Liuius lib. 3. *veniam irarum cælestium exposcunt.* & Virgilius, — Venia vox sacrorum.

Exorant pacem Diuûm.

E Iam coniungunt, vt Liuius lib. 1. *si pax & venia à Diis immortalibus impetrata esset.* Exemplorum seges est in Briss.

8. CORAM] Est vir doctus, qui vocem *coram* deducat à κόρη, quæ vox signat oculi pupillam. ea enim *esse coram* dicuntur, quæ oculis cernimus. — Corã quod habeat etymon.

9. MAXIMVS ILIONEVS] Non aliter Ilioneus natu maximus, ac perinde sapientia valens, orator à Virgilio eligitur, quàm dictum ab Homero est, Odyss. 7. — Senes sapientes.

Ὃς δὴ Φαιήκων ἀνδρῶν προγενέστερος ἦεν,
Καὶ μύθοισι κέκαστο, παλαιάτε πολλά τε εἰδώς,
Ὅς σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο, καὶ μετέειπεν·

Qui certè Phæacum virorum maximus natu erat,
Et eloquentia vincebat, priscáque & plurima doctus,
Qui inter eos bene sapiens, concionatus & interfatus est.

Prudentius quoque lib. 2. contra Symm. ita ad hanc rem.

Vltima consiliis melior, sed viribus ægra
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.

Inde apud Aristophanem in Pluto seni cuipiam obiicitur,

γέρων ἀνὴρ ὤν, οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκεῖς.
Senex cùm sis, non videris mihi satis sapere.

10. PLACIDO SIC PECTORE COEPIT] His A verbis signat, hunc verè oratorem, neq[illegible]e aliquo consternatum. Quod mirum in tanto hominum concursu, coram potentissima regina, & magno satellitio stipata, præsertim aduenam, ac supplicem, & nullis meritis hominem. Quotus enim quisque cum his circumstantiis eam animi placiditatem afferret, quam in Ilioneo repræsentat Vates? Notat etiam Seruius indicari his verbis habitum futuræ orationis, quæ tota destinatur ad placandam Didonem. Ergo *placido pectore*, est, ad placandum apto. Orator enim talem se debet componere, qualem vult iudicem reddere. Audi verba aurea Dionysij in procemio: *Oratio, animi cuiusque imago esse existimatur.* Ex hoc præcepto Ammianus lib. 20. *Suadebat placido sermone discedere Persas ad sua.* & lib. 23. *Talia ore sereno disseruit.*

a O Regina nouam cui condere Iuppiter vrbem,
IVSTITIAQVE dedit gentes frenare superbas:
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes,
PARCE pio generi, & propius res aspice nostras.
b Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, NEC tanta superbia victis:
c Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.
Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.

ARGVMENTVM.

Colligit Ilioneus beneuolentiam, Afrorum vim deprecatur, auertit à se rapinarum suspicionem, docet quò cursum Troiani teneant.

EXPLICATIO.

a IN hac oratione vult Ilioneus persuadere Didoni, se, neque ceteros Troianos, qui eò appulerint, piratas esse, sed vi tempestatis adductos eò peruenisse: id efficit simplici quadam veritatis narratione. Itaque hæc oratio pertinere ad iudicium potest, tanquam capti ab Afris Troiani fuerint, & facti rei furti. Nam videlicet putarunt Afri, illos venisse ad rapinam exercendam, quod crimen auertere vult Ilioneus.

Hæc pro tota oratione, sed explico sex primos versus, qui sunt exordio. Rebus quatuor beneuolentiam colligit: primo à dignitate, & persona ipsius Didonis, cùm ait, *ô Regina*, honorificè illam compellans: deinde, à felicitate, nam vrbem condit: tertio, ab iustitia, qua frenat barbaros: quarto, à propria Troianorum persona, & calamitate, qui *miseri*, qui *vecti ventis per maria omnia.* Post hæc sequitur petitio. *Oramus te, prohibe, parce, aspice.* in qua petitione expende insigniter præcessisse laudem duplicem Didonis, videlicet, felicitatem, qua vrbem condit; iustitiam, quæ frenat barbaros. His ergo contraria opponit, hac ratione. Miseri, & vecti per maria omnia, atque adhuc sine vrbe errantes confugimus ad felicissimam, & quæ iam vrbem condit, conquiescens ab erroribus maris: vexati ab improbis, B ad iustissimam: ergo quæ iusta es, prohibe infandos ignes, sit tibi in precio pietas.

b Scopus, vt dixi, est, probare se non esse prædones: ergo, victi & prostrati, qui animos possumus habere ad rapinam & populationem? Perpendit Nascimb. extremum versum. Nam, cùm duplex sit locus, vnde probari queat omnis coniectura, voluntas, & facultas. videlicet, voluisse, aut noluisse; potuisse, aut non potuisse: vtrunque hunc locum attingit Poëta. quasi dicat, victi cùm simus, nec volumus, nec possumus conari aliquid: animus enim ad voluntatem, superbia ad potentiam potest referri.

c Est iam in narratione, qua docet, quem in locum C Troiani eant, vt videlicet auertat suspicionem, nam qui in Italiam eunt ad nouas sedes condendas, qui venirent ad populandos Penates Libycos, ad auertendam prædam? Ponit notas tres terræ illius, quam petunt, & tria numina. Notæ sunt, antiquitas terræ, potentia armorum, vbertas glebarum: nomina, Hesperia, Oenotria, Italia.

NOTÆ.

1. O REGINA NOVAM, &c.] Moneo in hoc D initio orationem hanc habere maximam affinitatem cum oratione illa Dionysij lib. 1. qua inducit orantem coram Latino Rege Æneam, cùm is recèns ad Italiam aduenisset. Verba scriptoris grauissimi sunt: *Nos genere Troiani sumus, & ex vrbe inter Græcos non obscura venimus, quam Græci bello decennali expugnatam nobis eripuerunt. Errabundi vagamur, nullam vrbem agrúmque habentes, vbi posthac habitemus.* Tu reliqua. Habent etiam affinitatem cum oratione

ne Virgiliana multa, quæ habentur in oratione Iudæorum, cùm supplices adierunt Petronium præsidem Syriæ: apud Philonem de Legatione.

2. Troes te miseri] Habet cum oratione Ilionei eiecti maximam affinitatem oratio eiectarum mulierum apud Plautum in Rudent. quæ oratio habita ad sacerdotem. ita enim illæ,

Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum,
Quæ in locis nesciis nescia spe sumus,
Vt tuo recipias tecto seruésque nos,
Miserarúmque ambarum vti misereat,
Quibus nec locus vllus, nec spes parata est,
Neque hoc amplius quàm quod vides, nobis quicquã est.

3. Ventis maria omnia vecti] Alibi flexu isto *acti fatis maria omnia circum.*

4. Aspice] Illustrabis hoc his, quæ dicta 1. ecl. ad illud:

Libertas, quæ sera tamen respexit inertem.

Refutatio ante confirmationem aliquando.

5. Non nos aut ferro, &c. Præmitti interdum refutatio solet ante confirmationem, & adhuc ante narrationem, vt hoc loco, in Miloniana, in aliis. Huic etiam loco similis ille lib. 6. *Nullæ hîc insidiæ.* & Ouidij 10. Met. apud quem Orpheus,

—non hîc vt opaca viderem
Tartara descendi, nec vti villosa colubris
Terna Medusæi vincirem guttura monstri.

Quibus præmissis causam ingreditur, *Causa viæ est coniux.* Similis quoque locus Petronij:

—non sanguine tristi
Perfusus venio, non templis impius hostis
Admoui dextram, sed inops, & rebus egenis,
Attritus.

Penates absolutè, qui.

6. Libycos Penates] Virgilij loca multa in vnum collata docent me distinctionem Penatium Deorum. Erant enim Dij, qui curam gererent prouinciarum, aut regnorum, & hi absolutè *Penates* dicebantur. Hos hîc intelligit, & vocat Libycos, quia toti Africæ præsides. Eòdem traho illud. 5.

—adhibete Penates,
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.

illis enim, *& quos colit hospes Acestes*, Siculos intelligo, quos colebat Siciliæ Rex Acestes. Iaque Penates prouinciarum non cum patriis confundo, vt putem eosdem esse. Secundum genus Penatium, ij erant, qui singulas vrbes tuerentur, hos cùm nominabant, addebant *patrios*, vel ea distinctione enuntiabant, vt facilè de illis loqui se intelligerent. Sic in loco adducto. 5. Æn. vult Æneas, vt Penates Patrij, id est, Troiæ, vnà cum Siculis adhibeantur ad epulas. & 2. Æn.

Penates vrbium.

Tu genitor cape sacra manu, Patriósque Penates,

id est, Troiæ præsides, non paternæ domus: loquitur enim de illis, de quibus in somnis Hector ad Æneam,

Sacra suósque tibi commendat Troia Penates.

Hos enim Æneas secum duxit: & de iisdem 4. Æneid.

Quem secum patrios aiunt portare Penates.

Eosdem intelligit, cùm ait,

—ô fidi Troiæ saluete Penates.

Loco enim, *patrij Penates*, dixit, *Troiæ Penates*. item:

—O patria, ô rapti nequicquam ex hoste Penates.

Penates domestici.

Habes Penates prouinciarum, & vrbium. Postremi domestici sunt, id est, qui vnius tantùm domus curam habent. Horum quoque sparsa in Virgilio mentio. Infrà enim ait, fuisse quinquaginta famulas, quibus cura penum struere, *& flammis adolere Penates.* Et Dido in 4. domesticos intelligit, cùm ait,

—sparsos fraterna cæde Penates.

Item in. 8.

—nostris succede Penatibus hospes.

Hos, credo in eodem lib. *paruos Penates*, vocat eo versu:

Hesternúmque larem paruósque Penates
Lætus adit:

Penates magni, & Parui.

& obserua, patrios vrbium vocari *Magnos*, sicuti, domestici *Parui.* Quos enim alios iurare Ascanius potuit eo versu,

Per magnos Nise Penates,

nisi quos Æneas secum adduxit? Parui itaque Penates Magnis opponuntur, sicuti Domestici Patriis. Obiicies, nonne prouinciarum meliore iure Magni dicerentur? Respondeo, hos absolutè Penates dici, qui honos maior. Scio hæc omnia coniecturis tantùm niti, & iudicio cuiusque; meum est, quod iam proposui, præsertim in Virgilio. Certè, qui Dionysium attentè legerit lib. 1. ad ipsum ex eodem eliciet. ibi enim quos Æneas secum Troia eduxit, & Patrios vocat, & Magnos diuersis in locis. Macrobius quoque 3. Sat. 14. loquens de Diis, quos Æneas secum eduxit, illos ex Hygino vocat θεοὺς πατρῴους, & hos, ait, intellexisse Virgilium. 2. Æn. in illis,

—Dij patrij seruate domum.

Plutarchus lib. 3. Symp. quæst. 1. explicat θεοὺς μεγάλους, *Deos magnos*; per θεοὺς χθονίους *Deos terrestres & manes.* Non desunt autem qui Plutonem referant in numerum Penatium. De paruis illis capiendus Cassiod. lib. 1. Var. 17. *Sumtus competentes nostris Penatibus.* & Fabius declam. 260. *liberos pellere domo, & prohibere Penatibus.*

7. Aut raptas ad littora, &c.] Imitatio est Orphei, apud quem Iason purgat se apud regem Colchorum, quæ interpres ita reddit,

Nos neque latrones vt venimus, vllaue nostros
Sæua lacessitos iniuria reddidit hostes,
Mortales odio quæ iam fecere priores
Haud pauci, rapto lucrum sibi turpe parantes.

Græca incipiunt ab eo versu, οὔτε νυ ληϊστῆρες ἱκάνομεν &c. Euertit sanè Ilioneus opinionem illam vsurpapatam veteribus in quærendo victu per latrocinia, de qua fusè ego lib. 3. G.

8. Est locus] Hic versus factus est ad Ennij imitationem,

Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant.

Disce nitorem dare his, quæ imitanda accipis. Quod ille *mortales*, hic signatiùs *Graij*: sed cur Graij? quia ἑσπέρα vox Græca, sicut ἑσπερὶς, regio occidua.

9. Terra antiqua, &c.] Cùm hic versus contineat Italiæ elogia, satis potest illustrari his, quæ iam ego lib. 2. G. Ex tribus elogiis primum & postremum insigniter ad causam faciunt. q. d. Antiquam terram quærimus, cámque feracem; à quibus longè distat noua tua Carthago, & steriles istæ Afrorum solitudines.

10. Oenotri] sic legendum ex fide castigatorum codicum (notante id Nannio) non *Oenotrij*, vt scilicet secunda syllaba, quæ Græcis est, ω, incolumis maneat. Certè Aristoteles lib. 7. Politic. Οἰνωτροὺς, nominat, non Οἰνωτρίους. Dictam olim Italiam *Oenotriam* certum ex Poeta hîc, ex infinitis aliis. Sed discrimen est, quare sic dicta. Aliqui dicunt ab Oenotro Arcade Lycaonis filio, qui Italiam incoluit: in his Dionysius, Myrsilus Lesbius, Pausanias in Arcadicis, Antiochus Syracusanus. Refellit hoc Cato in Originib. & nomen hoc ducit ab Oenotro Rege Sabinorum, & Hetruscorum. Catonis verba sunt: *Cùm ab initio Italia à vetustissimo Rege Sabinorum, & Hetruscorum, penes quem erat imperium, id nomen sortita fuerit.* Varro nomen istud refert ad Oenotrum Regem *Latinorum*: sic legendum in Seruio, qui Varronem

Oenotria cur dicta Italia.

citat, non *Sabinorum*, vt prauè aliqui codices. Seruius tamen à Vino hoc nomen ducit, quod optimum in Italia, nam Græci οἶνον dicunt *vinum*. Consentit hæc sententia cum Virgilio hîc, cum Aristotele lib. 7. Polit. cum Strabone lib. 6. qui nullius facta Oenotrij mentione, tantùm aiunt, eam, quæ priùs dicta Oenotria, vocatam deinde Italiam. Sed seuerissimè sententiam istam Goropius tuetur lib. 4. contra Dionysium, & Græcos alios, quos leuitatis, proditionis, & sacrilegij arguit. Nam reuera à vino dicta Oenotria, non à rege aliquo Græcorum. Græci enim ambitione quadam multorum Latinorum voces ad Reges suos transferunt, volúntque multas terrarum orbis partes; suas esse colonias. Inclinant multi in Ianum Italiæ Regẽ, qui ἀπὸ τοῦ οἴνου dictus Oenotrus.

Ianus dictus Oenotrus. Italia dicta ab Italo.

B 11. ITALIAM DIXISSE] Ait sic dictam ab duce Italo, quod clarè sumsit ex Aristot. 7. Polit. ἀφ' οὗ (Ἰταλοῦ) τότε ὄνομα μεταβαλόντας ἰταλούς. Fabius etiam Pictor lib. 1. de orig. Italiæ, ita ait: *Italus in tutelam Ianum & Hetruriam suscipiens, omnem circa Tiberim regionem, extinctis vltro citróque aliis cognominibus, à se Italiam nuncupauit.* Prudentius etiam in Symm. meminit ducis Itali, ac multi alij. Inclino in hoc consentientibus Aristotele & Virgilio. neque ideo tamen res caret lite. Sunt enim qui hoc nomen referant etiam ad Atten Lydum, vt Italia dicta sit, quasi Attalia. Festus ex correctione Scaligeri: *Italia ab Italo Rege, eadem ab Atte Lydo appellata.* Ἄτης quippe nomen Lydium, & Phrygium (notante ibi Scal.) & Lydos quidem venisse in Italiã, Strabo li. 5. autor est, addito, Tyrrhenos sumpsisse nomen à Tyrrheno filio Atyos. Nonnulla

Vel ab Atte Lydo.

A in eandem sententiã inuenies lib. 1. & in Appiano, qui ἐν Λιβυκ. clarè ait, Τυῤῥηνικοὶ Λυδῶν ἄποικοι. *Hetrusci coloni sunt Lydorum.* Demum sunt, qui nomẽ hoc à tauro ducunt, in his interpres Lycophronis, nam ἰταλὸν (ait) Τυῤῥηνοὶ ταῦρον καλοῦσι. *Tyrrheni taurum vocant Italum.* Varro etiam. 2. Rust. c. 5. *Bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate, præsertim in Italia, quæ à bubus nomen habere sit existimata. Græcia enim antiqua, vt scribit Timæus, tauros vocabat* ἰταλούς. *à quorum multitudine, pulchritudine, & fœtu vitulorum Italiam dixerunt.* Idem scribunt Dionysius lib. 1. & Cato in Originibus, vterque ex Hellanico. Lege auctores, quos aduocaui, in quibus nouam adhuc de tauro litem inuenies, aliis ad nitidos Italiæ tauros confugientibus, aliis ad taurum signatum aut Geryonis, aut Herculis. Quæ, ne te morer, prætermitto. Absolui rem locutus tantùm de duobus nominibus, quæ in Poëta sunt: porrò alia Italiæ nomina inuenies in Iunio lib. 1. Animad. cap. 22.

Vel à tauro.

12. HVC CVRSVS FVIT] Hoc est primum hemistichium, & imperfectus versus, qui occurrit in Virgilio. Sunt qui putent, versus istos detruncatos, qui in hoc vate visuntur, factos ita ex studio ad sui gloriam, vt qui sciret, fore neminem, qui posset implere. Alij rursus putant, eos non suppletos, Vate morte intercepto, & argumento est, nullum tale reperiri in Bucolicis, & Geotgicis, quibus imposita extrema manus, quod beneficium Aeneidi non accidit. Nannius lib. 6. Miscel. plures huiusmodi versus ex scripto codice replet, quos omitto, vt qui putem meras esse assutelas, & ociosi alicuius impendium.

Virgilij hemistichia.

[a] Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitúsque procacibus Austris,
Pérque vndas superante salo, pérque inuia saxa
Dispulit: huc pauci vestris adnauimus oris.
[b] Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ:
Bella cient, primáque vetant consistere terra.
[c] SI GENVS humanum, & mortalia temnitis arma;
AT SPERATE Deos memores fandi atque nefandi.

ARGVMENTVM.

Aperit tempestatem qua vexati sunt Troiani: queritur de immanitate incolarum.

EXPLICATIO.

[a] PErgit narratio, in qua narrandam assumit tempestatem. Ordino sic, *Orion nimbosus fluctu subito*, &c. Itaque *subito* non est aduerbium, ita sentit Nebrissensis. Sunt *cæca vada* incognita, & latentia, ait Seruius. Austri hîc pro quocumque vento ponuntur, dicuntur *procaces*, id est, vrgentes obstinatè, & flatum subinde repetentes. Particulam *penitus* coniungo cum verbo *dispulit*, vt dicat, longissimè nos propulit, ac disiunxit, fecítque penitissimos, atque ita atrociter, vt nulla arte, nullis remis velis ve potuerimus maris iracundiam superare: itaque prouecti sumus per vndas, per saxa, mari semper superante, æstuante, intumente. Absoluit *pauci* auertit sic suspicionem piraticæ, nam pauci quid moliantur? *adnauimus* ostendit difficultatem nauigationis, solent quippe naufragi natantes peruenire ad littus.

C [b] Corroborata iam causa firmissimis argumentis, audaciam capit, & veluti recriminans obiicit Afris immanitatem, non tamen signans directè Didonem, quam debet conciliare, sed eius ministros, ideo *Quod genus hoc hominum?* &, *bella cient*, *vetant* &c. Est *prima terra* littus.

[c] Si nos nihil ducitis, Deos fore vindices existimate. Est *fandi atque nefandi*, iustitiæ, atque iniustitiæ. Præmia igitur & pro iustitia sperent, & pœnam pro iniustitia timeant.

NOTÆ.

D 1. ASSVRGENS FLVCTV NIMBOSVS ORION] Plinius lib. 18. c. 28. Orionem nominat inter noxia sidera, ita etiam alij. excitat quippe tempestates ortu suo, & occasu. De ortu hîc Poëta, nam signanter ait, *assurgens*. De occasu Horatius od. 10. epod.

Orion sidus noxium.

Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit.

Vtrumque Aristoteles coniunxit lib. 2. Meteor. scribens Orionis δύσιν, καὶ ἀνατολὴν ταραχώδη, dirum esse ortum occasúmque. Horatius alibi nihil discriminans,

minuans, ... nautis infestus Orion.

Venti procaces.

2. PROCACIBVS AVSTRIS] Ab hoc epitheto non abludit Lucretius, qui lib.6. Euros vocat *petulantes*, neque Horatius, qui ventos *proteruos* lib.1.od.26. Procacitas quidem, petulantia, proteruitas eôdem pertinent: dicunt enim omnia impudentiam. Veteribus *procare* fuit petere, ac perinde esse impudentem: qui multum enim, & obstinatè petit, impudens est. Affinia ista Græco sermoni. Pollux quippe lib. 1. dixit (notante Gifanio) Εὔπολις δὲ καὶ ἄνεμον ἀσελγῆ εἶπε τὸν βίαιον: *Eupolis ventum furiosum* vocat ἀσελγῆ: Est autem ἀσελγὴς Græcis *impudens, lasciuus, procax*. Ex dictis apparet proci etymon.

Procare, id est, petere.

Salum, quid propriè.

3. SALO] Quid sit *salum* propriè apparet ex Vetere Poëta, apud Tullium in Tusc. *Nec tam ærumnoso nauigassem salo*. Cicero ipse in Verr. *Quadriremem in salo fluctuantem reliquerat*. Itaque salum est, vbi naues fluctuant, nec tutæ sunt. Probè itaque Lambinus: *in salo, id est, in alto mari, vndarum ac fluctuum pleno, miniméque à ventis tuto*.

4. DISPVLIT] Non multum distat locus Pindari od.11. Pyth. μέ τις ἄνεμος ἔξω πλόου ἔβαλεν: *me ventus quispiam extulit extra cursum nauigationis*. Nec contextus Philostrati lib.7. de vita Apollonij cap.17. vbi ait quasdam nauium demersas in tempestate, quasdam depulsas ad fretum Siculum.

Adagium.

5. PAVCI VESTRIS ADNAVIMVS ORIS] Videtur fuisse forma veteris adagij, ἐκ χειμῶνος καταφεύγειν εἰς πόλεις: *ex tempestate ad vrbes confugere*. Docet quippe res ipsa naufragos, quamcunque illis vrbem fortuna obiecerit, etiam barbarorum, libenter arripere, quod hîc Troiani faciunt. Cum sapore adagij locutus Aristides in Panathen. *Salus omnium in nauibus, & nauium spes erat in hac ciuitate posita, ad quam reliqui tanquam in tempestate confugerant, illius virtute & fortuna pro portu vsi*: ὥσπερ χειμῶνος ὥρᾳ καταφευγόντων πρὸς τὴν ἐκείνων δύναμιν.

6. QVOD GENVS HOC HOMINVM] Fortasse ab Furio, qui Annal.6.

Quod genus hoc hominum Saturno Sancte create?

7. HOSPITIO PROHIBEMVR ARENÆ] Est hæc nota maxima barbarorum, dicente Tullio in Rosc. *Nam quid est tam commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis?* Prohibere itaque re adeo communi, quam signat ferocitatem? Videtur hic mos inuadendi in hospites fuisse olim Afris peculiaris, vt liquidum tum ex Poëta hoc loco, tum ex Lucano lib.10.

Afrorum ferocitas in hospites.

—quem non violasset Alanus

Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus.

ξενοκτονίας quoque vitio notati olim barbari, qui Taurum incolunt: illis enim Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum dat ξενοκτονεῖν, vt Minutius etiam. Eandem ferocitatem dat Herodotus lib.4. Tauris (sunt isti è gentibus Scytharum) immolabant enim eiectos in honorem Iphigeniæ. Eandem Gregorius Nyssenus Dialog. 2. quibusdam gentibus degentibus vltra Indos, quæ deuorant hospites, & aduenas interfectos comedunt. In honorem Dianæ id factum, sciunt omnes, tu vide Philostratum lib. 6. de vita Apollon. cap.10. Vitio verò ξενηλασίας, quod propius ad Virgilium, notati Lacones, depellebant enim à se peregrinos. inde Philostratus in epistolis dixit λακωνίζειν, pro hospites reiicere. μὴ (inquit) λακώνιζε ὦ γύναι. μηδὲ μιμοῦ τὸν Λυκοῦργον, ξενηλασίαν ἔρως οὐκ ἔχει: *Ne Laconisa vxor, neque Lycurgum imitare, peregrinorum depulsionem amor non nouit*. Vnde apparet cautum hoc Lycurgi ipsius lege. Præcedunt multa in hac epistola, de amore quo tractandi peregrini. De Gathelo conditore Scotorum appulso in Hispaniam paria narrat

Laconum ξενηλασία.

A Leslæus lib.1. Hist. Hispani enim statim conuolarunt ad protrudendum illum è suis finibus. Est hic Gathelus ille, qui creditur priùs indidisse nomen Portugaliæ: ab eius enim appulsu in eam partem dictus est portus Gatheli, mox corrupto (vt assolet) nomine Portugalia. Alij aliunde deducunt, sed hoc non meũ. Tu ad rem Virgilij vide adagium, *Ne terra quidem profuit*. Sed vide vt mutati mores religione Christiana, quæ tota pacem & securitatem spirat. Audi Orosium lib.5. cap.2. *Nunc me ista Africa excepit, pace simplici, sinu proprio, iure communi: de qua aliquando dictum, & verè dictum est:*

Portugalia vnde dicta.

Hospitio prohibemur arenæ;

Bella cient, primaq; vetant consistere terra.

B *Nunc vltro ad suscipiendos socios religionis & pacis suæ, beneuolum latè gremium pandit; atque vltro fessos, quos foueat, inuitat.*

8. SI GENVS HVMANVM, &c.] Similis Catulli gnome ad Alphenum epigram.31.

Si tu oblitus es, at Dij meminerunt, meminit Fides,

Quæ te, vt pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

Sententias duas Sophoclis ad idem spectantes iam Germanus coniunxit. Neque abludit ista Pindari, od.1. Olymp.

—εἰ δὲ θεὸν

Ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέ-

μεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Siquis hominum sperat Deum latere quidpiam faciens, fallitur.

C 9. SPERATE] Delrius in Furent. Senecæ: *speramus non bona solùm, vt quidem somniant, sed & mala*. Mox probat & hoc Maronis versu, & aliis. Ad oram quoque lib. Henr. Stephani est: *sperate: timete*. Ioan. Mercer. in lib. Tertull. de Pal. notat dictum *sperare* pro *timere* Græca phrasi. Sed quid opus τῶν νέων ad defendendum Vatem, vbi sunt lumina Latinorum, & Græcorum? Lamprid. in Alex. *ille metu perterritus, & sperans non posse euadere*. Ammian. lib.14. *Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, vt Indiæ dispelleret metum, quæ per multas difficilésque causas affore sperabatur*. Chorus apud Sophocl. in Trachin. de Deianeira ait:

Sperare etiã de timore.

—κακὸν

Δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν:

Sperantem fatum malum & infelix.

D & Calaber lib. 3. ἐλπομένων ὀλέσθαι. Atqui, qui sperat perire, nihil boni sperat. Thucydides quoque lib. 8. dixit ἐλπίδα τοῦ φόβου, *timoris spem*. Malè itaque Seruius lib.4. Æn. ad ea verba,

Seruij error.

Hunc ego si potui tantum sperare timorem,

ait, poëtam commitere acyrologiam, & superfluam dictionem. Nihil superfluum dat Virgilius: & similes ἀκυρολογίας in eo nunquam agnosco. & hanc, de qua ipse loquitur, multo minùs. Nam, quæ est illa acyrologia, quam Græci omnes, & Latini vsurpant? Desinant isti increpare Vatem Platone audito. Ille lib. 1. Reip. spem iucundam & pessimam, opponit pari consensu, 1. Leg. docet ἐλπίδα esse vocabulum κοινόν, *commune*, cui adnexa sint duo alia, videlicet *timor*, &

E *confidentia*. Additque; spem, quæ præcedit incommodum, timorem dici: quæ commodum, confidentiam. Spes ergo, ex sententia Platonis, communis est ad bonum, & malum. Græca, si quis quærat, sunt κοινὸν μὲν ὄνομα, ἐλπίς· ἴδιον δὲ φόβος μὲν ἡ πρὸ λύπης ἐλπίς· θάρρος δὲ ἡ πρὸ τοῦ ἐναντίου: Hîc itaque commodissimè dictum *sperate* communi voce ad bonum & malum: sequitur enim *fandi, atque nefandi*. Cui Platonis loco hæsisse Virgilium certissimum pene est. Platoni Philonem adnecto: qui in lib. de Abraham, ita

Spes communis vox.

ait, definiens spem, & timorem, προσδοκία μὲν γὰρ ἑκάτερον, ἀλλὰ ἡ μὲν ἀγαθῶν, ἡ δὲ ἔμπαλιν κακῶν: *Duplex est exspectatio, altera bonarum rerum, altera rursum malarum.* Vbi vides προσδοκίαν, id est, *exspectationem*, referri ad bona, & mala. Idem in opere, quod *deterius potiori insidiari soleat*, tam timorem quàm spem, explicat per A προσδοκίαν, & προσδοκᾶν. Hinc illustrabis Horatium epist. 6. lib. 1. vbi ait,

Gaudeat, an doleat, cupiat metuátve, quid ad rem?
Si quicquid vidit, melius peiúsve sua spe.

[a] Rex erat Æneas nobis, QVO IVSTIOR alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis:
[b] QVEM SI fata virum seruant, si vescitur aura
Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat vmbris,
Non metus, officio ne te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus vrbes,
Armáque, Troianóque à sanguine clarus Acestes.
[c] Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et syluis aptare trabes, & stringere remos,
(Si datur Italiam sociis, & Rege recepto
Tendere) vt Italiam læti, Latiúmque petamus.
[d] Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes iam restat Iüli:
At freta Sicaniæ saltem, sedésque paratas,
Vnde huc aduecti, regémque petamus Acestem.
[e] Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

ARGVMENTVM.

Docet iam quem Regem habuerint, quas vrbes socias: petit tempus reficiendis nauibus, quibus vel in Italiam contendant, si Æneas viuit; vel, eo mortuo, in Siciliam ad Acestem referantur.

EXPLICATIO.

[a] ESSE latrones coniici poterat, quòd carerent duce: igitur προληπτικῶς huic rei occurrit Ilioneus, & ait, Regem, quem habebant, vndis periisse; vel iactatum tempestate, quò ipse nesciret. Laudat verò Æneam, à rebus quatuor, à iustitia, à pietate, à consilio, à fortitudine armorum. Porro ad consilium detorquent verba illa, *nec bello maior*. Seruius, & Nascimb. vt dicat, Æneam fuisse imperatorem sapientissimum in gerendo bello, militem strenuissimum in tractandis armis. Expende hîc quæpiam. Verbum *erat* emphasin habet non vulgarem. quasi dicat. En, quid potest rerum commutatio? erat, non est. Tale illud *fuimus Troës*. Cùm Æneam iustum & fortem prædicat, non omittendum, id fieri hac mente, vt ostendat in suo duce esse easdem virtutes, quas prædicauerat de Didone, quæ iustitia frænabat gentes superbas. Adiungit pietatem, forte vt ad pietatem inclinet Reginam. Obserua etiam laudari Æneam à virtutibus animi, & corporis: tres primæ ad animum pertinent, peritia armorum ad corpus.

[b] Vt Reginam pertrahat ad sui beneuolentiam, proponit officij remunerationem ab Ænea, & Aceste Rege Siciliæ. Vterque enim cumulatissimè satisfacient, vt qui potentissimi. &, hoc ipso (ait Donatus) metum Didoni iniicit: nam, cùm multùm nos prodesse posse ostendimus, multùm quoque nocere posse, tacita cogitatione firmamus. Ergo ait; Si Æ- B neas viuit, nullus tibi sit metus, te vt aliquando pœniteat prouocasse illum beneficiis, persoluet gratiam, accipies retributionem, nam Troiani plurimùm possunt in Sicilia, vrbésque habent Acestis liberalitate, qui illos contingit sanguine: quasi dicat, Nunquam te pœnitebit, priorem certasse officiis, non hoc time, non hoc verere. Aliqui, imo omnes ferè codices habent, *nec te certasse*, &c. & iam erit alia sententia. sed ea, quam proposui, liquidior est & verior. Lectio etiam, quam sequor, iam recepta à doctis.

[c] Sequitur petitio hac sententia. Liceat nobis per te naues nostras subducere, trabes aptare, remos incidere (nam hoc est *stringere*) è syluis, vt ita læti petamus Italiam, Latiúmque, si Dij nobis hoc tandem C annuunt, si dant hoc fata receptis sociis, recepto Rege. Verba, quæ vides, parenthesi inclusi, quo clarior sit sententia, includunt sanè multi. Cùm ait, *Italiam Latiúmque*, non est ταυτολογία, sed signat partem Italiæ, quam intelligit. In mentione illa remorum allusit ad Græcorum παραρρύματα. Sunt hæc in nauibus cùm remi noui adduntur antiquis & cariosis.

[d] Sententia est. Sin tu periisti Ænea, & vnà tecum Iülus spes nostra, at saltem refectis nauibus ad Siciliam remeabimus, depulso Italiæ consilio.

[e] Hæc cùm perorasset Ilioneus Troiani adfremebant, id est, adsentiebant furori, & virtuti eloquen- D tiæ, qua ille perorauerat, pari furore, pari fremitu. Cùm ait *ore* non est pleonasmus, sed signat modum. Potuissent enim armis & militari tumultu infremere: tantùm ergo consentiebant ore, ab armis abstinebant. Poëtæ mentem Seruius nouit. Peccant grauiter, qui temerè pleonasmos in Virgilio agnoscunt.

NOTÆ.

1. REX ERAT, &c.] Cùm laudes Æneæ prædicet, posito Æneæ ipsius nomine, videtur ad eius

Æneæ elogia. e[...]on alludere, dictus en[...] ἀπὸ τοῦ αἴνου, καὶ αἰνεῖν. Ita [...]onet Iulius Scal. addítque non audiendum Homerum, qui ait Æneam sic dictum quasi αἰνὸν, tristiore vocabulo. Calaber laudes Æneæ has attingit κρατερόφρονος Αἰνείαο.& θρασὺ σθένος Αἰνείας.& Αἰνείας ἐρίθυμος. quibus illum commendat vt fortem, vt validum, vt magnanimum. Sed præsertim allusum ad Homeri versum, quem omnibus Iliados anteferendum esse, iudicabat Alexander,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

vbi vna cum bonitate adiungitur militaris virtus.

2. QVEM SI FATA, &c.] Multi in his duobus versibus reprehendunt Poëtam, & taurologias quasdam fingunt. nam ter (aiunt) eandem rem dixit. Non sic est, falsa omnia, cùm sermo iste de tautologiis occurrit, semper acriter pro Virgilio pugno. Apage, vt ille bis, aut ter dicat idem, nihil est enim deformius. Facient hoc vulgares poëtæ, non hic princeps. Vide itaque vt explicem. Ponit Poëta vitam, & vitæ effecta duo, *Quem si fata virum seruant*, en vita. quæ sequuntur effecta sunt, scilicet vesci aura æthera, id est, spirare. deinde lumen solis cernere. quasi dicat, tunc viuere aliquis & seruari fatis dicitur, cùm haurit spiritum, cùm luce fruitur. Firmo explicationem istam pari aliorum consensu, qui ita locuti. Cicero 1. Catil. *Potest ne tibi huius vitæ lux Catilina, aut huius cæli spiritus esse iucundus?* vbi cum vita coniungit lucem, & spiritum. Liuius lib. 40. *Viuo, & spirante me hæreditatem meam ambo, & spe & cupiditate improba creuistis.* Homerus,

(Virgilius defenditur. — Spiratio, & lux effecta vitæ.)

εἴπου ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο:

Sicubi adhuc viuit, & videt lumen solis.

Lucretius lib. 3.

Viuit & ætherias vitales suscipit auras.

Sed Calaber apertissimè omnium lib. 1.

Ξυνὸν δ' αὖ πάντεσσι φάος, καὶ νήχυτος ἀὴρ,
Φορβὴ δ' οὐχ ἑτέρη:

Communis est omnibus lux, communis aër interfluens,
Neque verò cibus alius.

quasi dicat. vitalis cibus positus est in communi luce, in communi spiritu. Statius, 1. Theb. nostrum æmulans:

Proiecitque diem, nec iam ampliùs æthere nostro
Vescitur.

Id est, obiit, nec iam ducit spiritum. Hinc est, vt auctores sæpe ad duo hæc effecta confugiant, & vita non nominata, ad illam tamen intelligendam, iam spiritum, iam lucem dicant. De spiritu Noster sup.

(Spiritus pro vita.)

—*auras*
vitales carpis.

Lucretius lib. 5,

Nam quæcumque vides vesci vitalibus auris.

In quo Latini Græcos æmulantur, qui sæpe, βόσκεσθαι πνεύμασι: *pasci auris, flatibus.* De luce Sophocles in Elect.

(Lux pro vita.)

—ἔς τ' ἂν
λεύσσω παμφεγγεῖς ἄστρων
ῥιπὰς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ:

—*quandiu*
Aspiciam præfulgentes astrorum
Ictus, aspiciam diem istum.

Ouidius in Trist.

Dumq; (quod ô breue sit) lumen vitale videbis.

Arnobius lib. 5. de Agdesti nascente: *postquam illi datum est cælum diémque conspicere.* Ad hanc rem pertinent verba Plutarchi in opere, εἰ καλῶς εἴρηται τὸ, λάθε βιώσας. vbi ita ait: *Ipsam verò animam nonnulli philosophorum lumen suapte natura esse statuunt, cùm aliis vtentes argumentis, tum quòd nullam rem anima magis auersatur, quàm ignorantiam, & omnia lucis expertia vitat,*

A *tenebrisq; turbatur, metuit, ac suspectas habet: ita autem ei dulce est lumen, ita desiderabile, vt nihil aliud ipsi iucundum sine eo, aut in tenebris velit admittere: sed omnem voluptatem, iocum, ac delectationem lux admista, veluti commune condimentum, suauem reddat atque gratam.* Omisi Græca, quia multa. Hæc philosophorum opinio satis indicat, cur ita frequenter poëtæ hanc lucis locutionem vsurpent, cùm illis sermo est de anima. inde supplicium tenebrarum veteribus frequentissimum. Satis mihi nunc Sallust. qui in Iugurth. ita: *Capti in Iugurtha pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt: pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris cum mœrore & luctu morte grauiorem vitam exigunt.* Hæc ego multis pro defendendo Vate.

3. SI VESCITVR AVRA] Similes locutiones iam B vidisti in superiore nota. Adiunge Apuleium lib. de Mundo: *sinceriore interdum luce vescitur.* Accium in Athamante: *Priusquam infans esses, facinus oculi vescuntur tui.* Pub. Syrum Mimorum scriptorem: *maleuolus semper sua natura vescitur.* Senecam in Oedip. qui parimetaphora dixit, *haustus puri ætheris.* Vesci aura.

4. NON METVS, OFFICIO NE TE, &c.] Explicatio & lectio quam sequor defenditur pari Græcorum locutione, qui, οὐ φόβος, μή. Exemplum Xenophontis lib. 2. ἀπομ. repræsentat Germanus, οὐ φόβος, μήποτε ἀπάγω ἐπὶ τὸν πονοῦντα, καὶ ταλαιπωροῦντα τῷ σώματι, καὶ τῇ ψυχῇ ταῦτα πορίζεσθαι. Quæ Budæus sic vertit: *Non metus, ne te adducam, vt pro inueniendis istis corpus & animam conteras.*

5. OFFICIO NE TE CERTASSE PRIOREM POE- C NITEAT] Triplici ratione ostendi potest, illam benefaciendi rationem, quæ prior est in dando, quæque prouocat, magnam esse, videlicet ab honestate, vtilitate, iucunditate. Honestatem dignitatémque collige & ex natura ipsa: nam quis dubitet honore plenum esse prouocare alium beneficiis? & ex Seneca qui lib. 1. de Benef. cap. 3. vbi tres Gratias memorat, principe loco iam constituit, quæ beneficium dat: *Vnam esse, quæ det beneficium; alteram, quæ accipiat; tertiam, quæ reddat.* Vtilitatem ex Tullio 1. Offic. *in referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multò adferunt, quàm acceperunt.* Maior ergo vtilitas pertinet ad primum datorem muneris. & ex Seneca, qui loco adducto: *Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? ob* D *hoc, quia ordo beneficij per manum transeuntis, nihilominus ad dantem reuertitur.* Iucunditatem ex Plutarcho lib. 1. quo docet disputandum esse philosopho cum viris principibus, χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτως γόνιμόν ἐστιν, ὡς χάρις: *Nihil tam plenum est gaudiis, quàm gratia.* & statim Gratiarum nomina Aglaiæ, Euphrosynæ, & Thaliæ ab hac iucunditate ducit. Nam maior est, & purior (ait) lætitia dantis. Hæc ego cursim abstinens ab infinitis, quibus possem implere multas paginas. Sed parem Xenophontis locum lib. 2. ἀναβ. adducere non grauabor, apud quem ita magnus dux Clearch. *Si quis nos prior beneficiis prosequatur,* ὁποίων ὑπάρχῃ, *ab illo superari nos benefaciendo pro viribus nostris haud patiemur.* Beneficij prouocatio.

6. ARMAQVE] Sunt qui hîc legant, *arua.*

E 7. ACESTES] Huius fabula Seruianis verbis hæc est: *Cùm Laomedon promissam murorum mercedem Neptuno & Apollini denegasset, Neptunus iratus Troiæ immisit cetos, qui eam vastarent. Vnde Apollo consultus, cùm & ipse irasceretur, contraria respondit, dicens, obiiciendas puellas nobiles belluæ. Quod cùm sæpe fieret, timens quidam Hippotes filiam suam Egestam, cùm Laomedontis regis Hesiona iam esset, orta seditione, religata, impositam naui misit, quò fors tulisset. Hæc ad Siciliam delata Crimiso fluuio, quem Crinisum Virgilius poetica licentia vocat,* Acestes.

conuerso

conuerso in vrsum, vt alij, in canem, compressa edidit Egestum, quem Virgilius Acestem vocat, qui ex matris nomine ciuitatem Troianis condidit, quæ antè Egesta pòst Segesta dicta est.

8. QVASSATAS] Pari fermè ſententia Ariſtides in priore Sicula, τὰς ναῦς τὰς διαβρόχους ἰᾶσθαι: *Sanare rimoſas naues.* in oratione verò, κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, quas hîc διαβρόχους, vocat διεφθαρμένας, καὶ διερρωγυίας, *corruptas & confractas.* Ita & Quintilian. declam. 260. *corrupta noualia.* A ſermone nautico Sen. *quaſſum Aufidium.*

Subducere naues, & deducere. 9. SVBDVCERE] Eſt hoc naues trahere in terram è mari, deducere autem, è terra in mare mittere. Ita Græci ἀνέλκειν νῆας, & καθέλκειν opponunt; vt & ἀνάγειν, & κατάγειν.

B 10. SIN ABSVMPTA SALVS, &c.] Mirus eſt vbique Poëta. Sicut suprà Æneæ vitam triplici modo concepit, ſic nunc tres alios modos adducit ad exitium explicandum. *Si abſumpta eſt ſalus, ſi pontus Æneam habet, ſi nulla eſt ſpes Iuli,* inuoluit quippe filij fata cum paternis. Phraſin arripuit Ammianus lib. 31.

A *Spem omnem abſumptam* vterque fortaſſe à [illegible] qui Moſtell. *abſumpta res, abſumpti ſumus.*

11. FRETA] Propriè, nam Sicilia ab Italia freto diuiditur.

12. CVNCTI SIMVL] Soluit Græcum ξύμπαντες, reddítque verſum è lib. 1. Il.

ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί.

Fremo ad aſſenſum. Poëta coniungens duo hæc *cuncti ſimul,* explicuit qui ſint propriè cuncti, vt verò Noſter *fremebant* in exitu ſermonis ad indicandum aſſenſum. ita Liuius lib. 39. *Cùm fremitus poſt eam vocem ortus, & tandem ſedatus eſſet,* & lib. 40. *Fremitus ortus cum aſſenſu.* Philoſtratus lib. 2. Sophiſt. βόμβον inducit ad aſſenſum, & laudem. At Tacitus de Germanorum moribus ſcribit, illos fremitu indicare quid diſpliceat & aſpernentur: quid probent, concuſſione framearum: longè alij, quos iam dedi, & Græci etiam, de quibus Xenoph. 5. ἀναβ. ταῦτα ἀκούσαντες οἱ στρατιῶται, ἀνεθορύβησαν. ὡς εὖ λέγοι. vbi milites excitato ſtrepitu indicant, rectè dictum.

[a] Tum breuiter Dido vultum demiſſa profatur:
[b] Soluite corde metum Teucri, ſecludite curas:
[c] RES DVRA, & nouitas regni me talia cogunt
Moliri, & latè fines cuſtode tueri.
[d] Quis genus Æneadûm, quis Troiæ neſciat vrbem?
Virtutéſque, Viróſque, & tanti incendia belli?
[e] Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni:
Nec tam auerſus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.
[f] Seu vos Heſperiam magnam Saturniáque arua,
Siue Erycis fines, Regémque optatis Aceſtem:
Auxilio tutos dimittam, opibúſque iuuabo.
[g] Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?
Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt: ſubducite naues.
TROS TYRIVSQVE mihi nullo diſcrimine agetur.
[h] Atque vtinam Rex ipſe Noto compulſus eodem
Afforet Æneas. Equidem per littora certos
Dimittam; & Libyæ luſtrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus ſyluis, aut vrbibus errat.

ARGVMENTVM.

Orationi Ilionei reſpondet Dido, diluit obiecta, omnia humanitatis officia in Troianos omnes, in vnum præſertim Æneam benigniſſimè pollicetur.

EXPLICATIO.

[a] OMNIA in hoc verſu ex decoro. *breuiter* quia & Regina, & fœmina. *vultum demiſſa,* quia oratorem, præſertim verò fœminam, pudor decet.

[b] In ipſo aditu timorem adimit, & tranquillos eſſe iubet in illis, *Soluite corde metum*: figurata eſt locutio, pro, ſoluite corda metu, metus quippe cor ligat. in illis *ſecludite curas,* non agnoſco ταυτολογίαν. nam ex timore cura naſcitur, & anxietas: & hanc quoque adimit.

[c] Satisfacit illis, *Quod genus hoc hominum,* &c. cóferens in regni nouitatem, & fratris inſidias, quas ti-

C mebat, morem illum barbarorum, quem orando obiecerat Ilioneus. Itaque eſt excuſatio facti à neceſſitate. In illis enim *res dura* intelligi fratris inſidias vult Seruius, & latè admodum Donatus. *bene autem moliri* (ait Ser.) *non facere vt terroris ſit, non crudelitatis.* in illis, *& latè fines cuſtode tueri,* agnoſcis regias curas. An eſt aliquid quod non eminenter contineat hic vates?

[d] A purgatione obiectorum erumpit in laudes Troianorum, & Troianæ vrbis, veluti quæſita oppoſitione cum illis, *Troës te miſeri*: quaſi dicat, ſi miſeri cladè, quam accepiſtis; at noti toto orbe virtute veſtra. Ait *Æneadûm* ſignatè, non Troianorum, non aliud quidpiam, quo ſe magis inſinuet per beneuo-

D lentiam in animum Ilionei, qui tam libenter Regem ſuum Æneam, illiúſque laudes vſurpauerat. Seruius hic friget. Multa alia expendi hic poterant. Illud, *virtutéſque viróſque* poteſt eſſe ἓν διὰ δυοῖν, pro, virtutes virorum.

[e] Ex illa rerum claritate, quæ per orbem ſparſa de geſtis Troianorum, redit ad ſuos Regina, eóſque commendat, adimens ab animis Troianorum opinionem,

nio[illegible] videbantur habere de feritate Pœnorum. Dicit itaque: Non ea sumus feritate, nec tam obtuso & crasso ingenio, vt nesciamus expendere virtutem vestram, misereri calamitates atque incendia quæ passi estis. Non sumus in extremo orbe siti, neque ita longè distamus ab ea parte, qua sol oritur, vt simus feroces, immanes, stupidi. Et obserua acumen Poëtæ. In nominãdis Afris vsurpauit Pœnos, & Tyrios, indicans scilicet originem suam. Phœnices enim & Tyrij ad orientem sunt solem, vt iam verum sit, solem non longè ab illis oriri.

f Petierat Ilioneus, vt, refecta classe, nauigarent in Italiam, vel renauigarent in Siciliam, annuit iam his votis. Hîc aliqua explicanda. Vocat Italiam, *Hesperiam magnam*; fortasse ad discrimen Hispaniæ, cùm addit *Saturnia arua*, nulla est ταυτολογία, sed loquitur, vt Ilioneus. Hic, *vt Italiam Latiúmque petamus* explicãs, quam partem Italiæ intelligat, scilicet Latium; Dido similiter pro Italia, *Hesperiã*: pro Latio *arua Saturnia*. Pergo & obseruo acumen aliud, vt Italiam signat à Rege duplice Hespero & Saturno: ita Siciliam quoque à duplice, Eryce & Aceste. Quis ita meditaretur orationem? Quæ dixi de Hespero, scio refelli posse, sed & sustineri. Volunt etiam interpretes refelli hîc reipsa Troianorum opinionem, qui Pœnos putauerant esse Barbaros. Inde ex studio nomen Saturni, & Erycis, quos in sua oratione non adduxerat Ilioneus. quasi dicat Dido: Ne nos barbaros puta, scimus errores Saturni, vtque in Italia quieuerit atque illi nomen dederit: scimus Erycen, & res Siculorum. Quid verò tandem promittit? duo; auxilium hominum, opes ad viam.

g Nota amoris maxima, qua illos vult esse regni sui, & strictiùs adhuc vrbis suæ participes, dicens, vultísne meis regnis sedes vestras figere? vultis *vrbem quam statuo*? en vestra illa est, naues subducite, nullum erit discrimen inter vos, & Pœnos meos; parem à me amorem, parem gratiam habebitis. Bene aduertit Donatus hoc non planè Didonem vt reliqua promittere, sed tantùm interrogando insinuare, quia hoc videlicet Troiani non postulauerant.

h Non est oblitus sui Poëta, en mentem illam benignam in Teucros, & quietum animum in Æneam, de quo suprà. Vult enim quæri Æneam per omnia littora, per extrema Libyæ, per syluas, per vrbes. *Eodem Noto*, est, eodem quo vos vento.

NOTÆ.

Pudor oratoris virtus.

1. VVLTVM DEMISSA] Dixi commendari in oratore pudorem. Homerus de Vlysse facundissimo ait, stetisse humi fixis oculis, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας. De eodem Ouid. 13. Met.

———atque oculos paulum tellure moratos.

de magno oratore Crasso Cicero lib. 1. orat. *fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modò non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.* Non omittendum, cùm Dido vultum demittit, oculos inprimis intelligi, tum ex Homerica imitatione, quam iam attuli; tum quia in his præcipua est pudoris nota. Aristoteles problem. sect. 31. quæst. 3. ἐν ὀφθαλμοῖς γὰρ αἰδώς. Dixi etiam breuiorem orationem dari Didoni quàm Ilioneo, etiam ex decoro. Citat Aristoteles 3. Pol. hoc Euripidis. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. sed hoc quis consectetur?

Pudoris nota præcipua in oculis.

Peregrini tractandi humaniter.

2. SOLVITE CORDE METVM, &c.] Qua humanitate tractandi sint peregrini, locus est in Platone satis illustris lib. 5. leg. ab illis verbis: *ad peregrinos verò sanctissima esse fœdera quisque cogitet*, &c.

A 3. ET FINES LATE CVSTODE TVERI] De hac re adeundus quoque idem Plato lib. 6. leg. ab eo loco: *Cura verò, & opera singulis in locis talis sit.* Adduco Ficini interpretationem.

4. OBTVSA] Sicut Latinis obtusio, quæ propriè de ferro dicitur, ad hebetudinem ingenij transfertur, ita Græcis ἀμβλύς.

5. NEC TAM AVERSVS EQVOS, &c.] Ad quam rem alludat Poëta multi enixè quærunt. vel ad fabulam Thyestæ (aiunt aliqui) & Atrei, qua habetur solem deflexisse à via, auertentem se à diro spectaculo, & credibile hoc ex infestis inimicitiis Græcorum cum Troianis, vt dicat Dido: nihil timete, neque enim originem duco à Græcis, quorum scelera abominatus Sol auertit se ab itinere. Deinde sunt qui

Orientales sunt ingenij mitioris.

B sententiam referant ad vicinitatem Orientis, nam has qui partes incolunt, clementiores sunt & mansuetiores, vt dicat Dido, non longè à nobis auersus remotúsque oriens, vt simus stupidi: in quam sententiam Lucanus ita loquitur,

Quicquid ad Eoos tractus, mundiq; teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli.

Plato etiam, 5. leg. ait magnam esse locorum differentiam πρὸς τὸ γεννᾶν ἀνθρώπους ἀμείνους, καὶ χείρους: *ad procreandos homines meliores peioresque.* Aristoteles quoque, 1. Polit. loquens in eandem sententiam ait, in regionibus, quæ magis remotæ sunt à sole, esse homines bellicosiores, sed stupidiores tamen. Inde Europæos animis abundare, Asianos ingeniis. Ab Hippocrate certè lib. de Aëre, Locis, & Aqua, dicitur

C Asia χώρη ἡμερωτέρη cum respectu ad Europam, *regio mitior*: & addit, gentem ipsam esse humaniorem, καὶ τὰ ἔθνεα τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα. Tertiò sunt, qui sententiam accipiant cum discrimine tantùm Septentrionalium populorum, in quibus seges vnica barbarorum. De Alanis certè Claudianus de bel. Get.

Septentrio abundat barbaris.

Alani, & Hũni barbari.

Cui natura breues animis ingentibus artus
Finxerat, immaniq; oculos infecerat ira.

De Hunnis Cassiod. 1. Var. epist. 4. *facies terribiles, & minaces.* De aliis quid memorem subditis huic parti cæli atque inclementiæ? Hîc obiter Claudianum illustra; qui profectò allusit ad versum Virgilij, qui de apibus 4. G.

Ingentes animos angusto in pectore versant.

D Redeo. Huic parti fauet locus Philostrati lib. 8. de vita Apollon. ca. 3. vbi Apollonius commendans suam humanitatem, Septentrionales assumit, à quibus ait se longè distare, vt enim probet non se natum ἐκ τῆς ἀμίκτου extra consortium hominum, decurrit ad Scythas, Massagetas, Tauricos, à quorum moribus longè abhorreat. Hæc aliis visa de mente Poëtæ, & istis, quæ attuli, queunt firmari: ego quid senserim, iam posui in explicatione. Ab hac agitatione pergo ad locorum similitudinem. Est sapor aliquis in Virgilio aduersùm Euripidis Androm.

Οὐ βαρβάρων νόμοισιν οἰκοῦμεν πόλιν:
Non barbarorum legibus habitamus vrbem.

E Tertullianus eodem pene argumento quo Noster aduersus Gent.

Neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus syluicolæ, & exules vitæ. Statius apertè libr. 1. Theb.

———quid nota recondis?
Scimus ait, nec sic auersum fama Mycenis
Voluit iter, regnum & furias oculósque pudentes
Mouit & Arctois si quis de Solibus horret
Quiq; bibit Gangen. &c.

6. CONSIDERE] Ita in 4.

Nec venit in mentem quorum consederis aruis.

Proper

Propertius lib. 1. eleg. 8. *Atbracijs confidat in oris.*

7. VRBEM, QVAM STATVO? VESTRA EST] Explicationem, quam adhibui, sequuntur viri docti non pauci, præsertim Henr. Stephanus, sed & Seruius iam olim docuerat, & Pomponius Sabinus. Vnde mirum est, illam alteram, quæ circumfertur, ita inoleuisse. Siquis tamen velit Poëtam amauisse vetustatem illam, sciat posse defendi Terentiano loco, & Plautino. In Eunucho legis: *Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit?* In Amphit. *Naucratem, quem conuenire volui, in naue non erat*, ibi pro, Eunuchus: hic, pro Naucrates. Ita in Virgilio, *vrbem quam statuo*, pro, vrbs, quam statuo. Quod fluxisse à Græcis, certum, qui vnum casum cùm regant, illi alterum appendunt, de quo ego vbertim alibi.

8. AGETVR] An, regetur? vt vult Seruius. An in pretio habebitur? vt Germanus. Nam Græci eodem pene vsu verbum ἄγω. Plato ἄγειν ἐν ἴσῃ τιμῇ. An demum valet idem quod Græcis φέρεσθαι; ex mente

A Vrsini. Vt cùm de Philosophia ait Plat[illegible] ἀτίμως ὑπὸ ἀνθρώπων φέρεσθαι. indignè ab hominibus affici: sic *agetur*, id est afficietur. Vt malis ipse.

9. SI QVIBVS EIECTVS SYLVIS] Vix credas, quàm diræ calamitates soleant accidere eiectis naufragio, præsertim in syluis. Afferam, hîc historiam dignam omni admiratione, quam didicimus litteris patrum nostrorum è Perüana prouincia. Frater quidam è nostris è mari eiectus in syluas errabundus incidit, ita perplexas arborum, & fruticum densitate, vt per menses aliquot (numerus excidit) cogeretur per syluarum cacumina, & aëre viam tenere, insiliens ex arbore in arborem, adeo erant omnia implicata syluestrium fruticum innexione & immanium bestiarum metu horrida. Inde ille B aëri se potiùs, quàm solo credidit, arborum foliis victitans. Qui velit historiam ad lacrymas eiecti hominis, legat Maffeum lib. 16. Hist. Indiæ de Sosa Lusitano.

Eiector calamitat[...]

[a] His animum arrecti dictis & fortis Achates,
Et pater Æneas, iam dudum erumpere nubem
Ardebant. prior Æneam compellat Achates:
[b] NATE DEA, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociósque receptos,
Vnus abest, medio in fluctu, quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cetera matris.
[c] Vix ea fatus erat, cùm circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
[d] Restitit Æneas, claráque in luce refulsit,
OS HVMERÓSQVE Deo similis. Namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
[e] QVALE manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariúsve lapis circumdatur auro.

ARGVMENTVM.

Redit Poëta ad Æneam, & Achatem, qui omnia exceperant nube abditi, ex qua exire gestiebant, cùm omnia tuta esse cernerent ex animo Didonis, classem receptam, recuperatos socios, vt prædixerat Venus. Hæc Achatis ore efferuntur. Nubes tandem scinditur, apparet Æneas pulchritudine vltra mortalem: hæc comparationibus illustratur.

EXPLICATIO.

[a] ARRECTI *animum*, Græcorum est. Vulgò solet explicari, habentes animum arrectum. *Nubem erumpere*, est dare se extra nubem. In illis, *prior Æneam compellat Achates*, τὸ πρέπον agnosco. Achates enim consilium exquirit ab illo, qui natus Dea, qui ob ipsum & sapientior se esset, & Veneri commendatior, neque enim Dea in hoc rerum discrimine natum desereret, quin suggereret optima.

[b] In hac breui oratione, Achatis consilium est, Æneam excitare, animos capiat, audeátque se in conspectum dare; fore procul dubio, vt omnia euentura sint ad illius commodum: ducentis hinc rationem, quia cùm visa responderint matris dictis, credibile eodem euentu omnia responsura. esset verò extra decorum, Æneam impelli ab Achate, ideo

C tantùm rogans vrget. Cùm ait *dictis respondent cætera matris*, amputat orationem præ cupiditate erumpendi è nube. Dictum. *Vnus abest* propter Orontem ductorem classis Lyciorum. In illis, *medio in fluctu quem vidimus ipsi*, allusum ad superiora illa,

Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit.

[c] In hoc æstu sermonis nubes repentè scinditur, ac *purgat se in apertum æthera*, id est, extenuat se in clarum aërem, ita vt nihil restaret nebulæ, & obscuritatis.

[d] *Scissa nube Æneas restitit* quasi ille successum suum non minùs quàm alij admiratus. Quid verò Critici ad id quod sequitur, *claráq; in luce refulsit*? fulsisset (aiunt) meliùs in tenebris: ô sapientes. Tu Poëtam cape. Is fuit Æneæ splendor, vt in media D etiam luce clarior ipse effulgesceret, & suo nitore lucem superaret. Prodigiosus candor, & qui non nisi à matre Venere. Ait ergo, illum similem Deo fuisse ore & humeris, quia videlicet augusta quadam forma, & quæ maior fuit mortali, ideo meminit signatè humerorum. Expendit verò hanc pulchritudinem ex tribus, ex decora cæsarie, ex purpureo iuuentæ lumine, ex lætitia oculorum. Omnia hæc illi Venus afflauit. Si genitrix, si dea amoris, qualem natum effingeret! præsertim ad capiendam Didonem.

[e] Sententia est. Æneas in corpore mortali signa quædam diuinitatis habuit, quibus pulcherrimus est visus,

est [illegible] non minùs atque ebur, argentum, & lapis Parius (intellige marmor Pari insulæ) pulcherrima esse solent, si illis artifex aurum adiungat. Itaque triplex est comparatio eboris, argenti, lapidis Parij cùm hæc auro includuntur.

NOTÆ.

1. SCINDIT SE NVBES] Homerus, & Apollonius ante Nostrum: ille. 7. Odyss.

καὶ τότε δὴ ῥ' αὐτοῖο πάλιν χύτο θέσφατος ἀήρ·
Tunc certè ab ipso rursus fluxit diuinus aër.

hic. 3. Arg.

—τότε δ' αὖτις ἀπεσκέδασεν νέφος Ἥρη·
—Tunc rursus nebulam Iuno dispersit.

Formam adagij ab Aristidis Panathenaico ex hac re Poëtarum hanc elicio, τὸ φῶς μετὰ πολλὴν ἀχλὺν, *lumen post densam nebulam*: vbi, & quibus in rebus vtendum hac forma clarum cuique, & tametsi eam ab aliis rebus possis ducere, certè illam ab hac re Poëtarum elicio, dicente Aristide: ἐπίδηλον δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς πλέον τοῦ συνήθους τὸ φῶς ἐγγιγνόμενον ἀφαιρούσης ἤδη τὴν πολλὴν ἀχλὺν, ὡς ἀληθῶς, καὶ καθ' Ὅμηρον εἰπεῖν, τῆς Ἀθηνᾶς· *Quin & oculis maius solito lumen innascitur, auferente ab illis, etiam tum ad regionem aduentantibus, densam nebulam, Minerua, Homerico more*. vbi locutum illum cum sapore adagij, clarum. Æneas quoque apud Nostrum maiori luce conspicuus apparet, quàm fuerat, antequam tegeretur: ex hac enim emersit nitidior quàm antea fuerat. Idem Græcus in Orat. priore περὶ τῆς συμμαχίας, non absque forma adagij dixit, ἀλλ' ὥσπερ νεφέλῃ κεκαλυμμένος, ἢ τὴν τῆς ποιητικῆς ἄτοπον κυνῆν περικείμενος· *quasi tectus nebula, & iniucundam Poëtarum galeam indutus.*

(margin: τὸ φῶς μετὰ ἀχλὺν, adag.)

2. RESTITIT ÆNEAS, &c.] Homeri locum prætermittere nefas est, vel, vt Nostri supra illum vires agnoscas. Ergo ille, Odyss. 6.

Τὸν μὲν Ἀθηναίη θῆκεν Διὸς ἐκγεγαυῖα
Μείζονά τ' εἰσιδέειν, καὶ πάσσονα, κὰδ δὲ κάρητος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας·
Hunc quidem Minerua reddidit ex Ioue nata
Maioremque aspectu, & spissiorem: à capite verò
Crispas demisit comas hyacinthino flori similes.

Audi iam Scaligerum: *Superat multis modis Virgilius illum. Os humerósque Deo similis, longè luculentius est, quàm maiorem & crassiorem efficere, hoc enim boum est. & cæsaries verbum militare, quo non contentus addidit decoram. Homerus autem οὔλας pessimè, crispitudo namque pusilli animi nota est, aut leuitatis. (Idcirco Leones crispi minùs animosi existimantur) illa verò pene supra humanum captum, lumen iuuentæ purpureum, & illa non minùs lætos oculis adflarat honores.* Hæc etiam si in aliis sint, deesse hîc non debuerunt. Versus suos repetit Homerus, Odyss. 23. nisi quòd primum leuiter immutat. Notetur obiter locus Nonni lib. 4. Dionys. ornantis ducem suum Cadmum pene ad muliebrem pulchritudinem, quod non probo. Cur enim det viro roseos digitos? cur frontem stillantem mel? cur vultum roseum? cur pedes niueos?

(margin: Virgilius superat Homerum.)

3. CHARAQVE IN LVCE REFVLSIT] vide vt explicui, & adiice rem naturalem, qua firmo explicationem. Scribit Scaliger exercitat. 59. contra Cardan. esse in Pyrinæis perdicem tanti candoris, vt à venatoribus hoc solo, quòd niues superet, deprehendatur. Quantum est ab auicula ita niues candore superari, vt illo solo distinguatur! Putat Scaliger, esse hanc Lagopoda Plinianam.

(margin: Perdix candoris eximij.)

4. OS HVMEROSQVE, &c.] Lubet hic adnectere verba Isidori è cap. 10. *Pulcher à specie cutis dictus, quod est rubens pellis* (quàm hoc verum non quæro) *postea transiit hoc nomen, in genus. Nam pulchritudo hominis aut in vultu est, vt, os humerósque Deo similis: aut in capillis, vt; namque ipsa decoram Cæsariem: aut in oculis, vt, lætos oculis adflarat honores: aut in candore, vt, quale munus addunt ebori decus.* Subiicit alia.

A

5. HVMEROS] Explicationem meam firmat versus Homericus, quem Virgilius imitatur, ait enim Vlyssem apparuisse μείζονα, *maiorem*. Dabant quippe veteres suis diis corpus maius corporibus mortalium. De qua re alibi.

6. DEO SIMILIS] Illustrabis hoc eruditione Delrij in Octauiam. Vbi loca adhibet, quibus veteres suis Diis comparabant, quos pulchros esse prædicabant.

B

7. CÆSARIEM] volunt aliqui (in his Turnebus, & Iul. Scalig.) repræsentatum à Poëta morem veterum Romanorum, quibus promissa coma. Morem istum firmabis ex Ouid. 2. Fast. qui *auos intonsos* ex Horat. od. 15. l. 2. qui *intonsi Catonis*. De eodem Catone Lucanus lib. 2.

(margin: Cæsariati olim Romani.)

Ille nec horrificam sancto dimouit ab ore
Cæsariem, duróque admisit gaudia vultu.
Vt primùm tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mæstámque genis increscere barbam.

Audis in Lucano promissam quoque solitam barbam. Cui adnecte Liuium. lib. 5. *M. Papyrius dicitur Gallo barbam suam, vt tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram mouisse.* Eadem scribit Val. Max. lib. 3. Sed redeo ad comas, quæ promissæ decori olim fuerunt. ad quam rem facit Apulei locus lib. 2. As. quem aduocarem, nisi esset longissimus. Ex Artemidoro lib. 1. c. 19. clarè colligas id regibus & principibus ornatui fuisse: sicut ex Philosophis ex Dione Chrysost. orat. 36. Nam prior ait, bonum esse regi ac principi, si somniet habere se τρίχας μεγάλας. A posteriore inducuntur Philosophi, κομῶντες, καὶ τὰ γένεια ἀφιέντες. Quando primùm Romani desierint esse intonsi, lege in Plinio lib. 7. c. 59. Sed cùm dicat Scalig. *cæsariem* esse rem militarem, firmabis hoc his, quæ dicam lib. 8. hîc tantùm accipe verba Liuij lib. 28. in descriptione P. Scipionis; *& præterquàm, quòd suapte natura multa maiestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitúsque corporis, non cultus mundiciis, sed virilis verè ac militaris.* Sed quid, si etiam repræsentatus mos ipsorummet Troianorum, cùm scribat Herodotus lib. 4. Maxyas (sunt hi populi Libyæ) solitos nutrire comam, saltem ad partem dextram capitis, nam sinistram radebant, & addit moris huius rationem, quia prædicabant esse se à Troianis oriundos.

C

(margin: Coma promissa, decora olim.)

(margin: Cæsaries militaris fuit.)

D

(margin: Cæsariati olim Troiani.)

8. LVMENQVE IVVENTÆ PVRPVREVM] sic Iuno apud Valerium lib. 5. Arg. Iasonem *rosea perfudit luce iuuentæ*. Monet autem doctè Germanus, non hîc *purpureum* pro pulchro accipiendum, vt olores purpurei, id est, pulchri, explicantur: sed specialiore quodam modo, color iuuentæ, & lumen ipsum iuuentutis rubicundum quid subluceat. Vnde Venus ἐρυθροπάρηος, & φοινικοπάρηος, à Græcis dicitur: id est *genis purpureis, ac puniceis*. In Plutarchi lib. 8. sympos. quæst. 4. reperi hominem laudari quòd haberet διόπλεων τὸ πρόσωπον ἐπιφοινίσσοντος ἐρυθήματος· *faciem plenam purpurei ruboris*. Quod quidem non referendum est ad pulchritudinem, sed vt Germanus Virgilium accipit. At quoniam lis magna est de oloribus, quos Horatius vocat purpureos, aliis damnantibus epithetum, aliis malè explicantibus, placitum hîc arrepta occasione, & lectoris mei venia, ab instituto digredi: Idque in gratiam amicissimi Ludouici Tri-

E

(margin: Venus ἐρυθροπάρηος.)

ci Tribaldi, cuius multiplici rerum cognitione, ac doctrina; deinde morum candore ac suauitate delector. Is ad me attulit longam operam de loco Horatij, quam ego in compendium redigam, amici animum gratificatus, qui me dono litterario ornauit. Si cui longus videbor, transiliat hanc notam, tametsi plenam bonæ frugis. Sed iam ad rem. vocat Horatius cycnos Veneris *purpureos* satis præclarè. Primo, quia etsi candidissimi, videri possunt purpurei ex vicinitate Deæ, quam Anacreon purpuream esse dixit, vt satis constat ex Æliano lib. 15. de Hist. Animal. c. 33. & Claudianus de Nuptiis Honorij & Mariæ, stratum Veneris in Tritone describit purpureum, & Cupidinem *purpureum* vocat Ouid. 2. Amor. eleg. 1. Itaque cùm Venus ipsa, cùm omnia, quæ sunt Veneris, dicantur esse purpurea, & hoc maximè colore commendentur, quid mirum ex vicinitate Veneris contrahere cycnos eundem colorem, etiamsi candidi? Cuius rei non desunt exempla. Apud Plinium enim lib. 11. c. 38. Polypus, & Chamæleon alienum colorem accipiunt ex repercussu. Sinus Arabicus dicitur mare rubrum, siue à rubentibus arenis, vt volunt aliqui, in his Plinius, siue à montibus, & promontoriis per reflexionem radiorum Solis rubentibus, ac perinde communicantibus ruborem suum aquis ipsis. Pari ratione Turcæ hodie mare Ægeum vocant, album; Euxinum, nigrum: videlicet ex accidenti quoddam apparente in aquis. Sic Horatius de Ioue *rubente dextra*, atqui non ipsa rubens, sed ab ignito fulmine, quod est in dextra, ipsa quoque rubere videtur. Achilles Tatius Alexand. lib. 2. ita scribit ad rem istam signatissimè: *in medio lapilli tres visebantur, ita collocati, vt alterius colorem alter exciperet. in vnum quippe omnes coaluerant, pars ima, nigra, erat; summa, quæ in cuspidem surgebat, rubra; media, alba cùm esset, hinc nigrori, rubori illinc candorem communicabat.* describit porro monile. Philostratus. 2. Icon. cùm præcesserit mentio veli purpurei, subiicit, ἀφ᾽ οὗ καὶ αὐγή τις ἐπὶ τὸ μέτωπον, καὶ τὴν κεφαλὴν ἥκει· *Vnde splendor quidam ad frontem & caput tendit.* Secundo, quid si Horatius describit Veneris simulacrum aliquod, quod veheretur cycnis purpureis? certè ex Aldi sententia. Almæ Fidei specimen expressit Ennius, vt erat scilicet in templo Capitolino. & Scalig. in lectionib. Ausonianis suspicatur, Dinocratem, cùm templum ex magnete lapide concamerasset, ventum Zephyrum in tholo ex eodem fecisse lapide, à quo æneum Arsinoës simulacrum raperetur, vt ita fingeret raptam à Zephyro Arsinoën. Sic Romæ Apollo Tortor, & Sandaliarius cognominatus, vbi vel flagella tortorum penderent, vel sandalia vænirent. Sic mille alia. Hæc historiarum vicinitas facit, vt credi possit fuisse simulacrum aliquod Veneris cum oloribus purpureis. Tertio possit aliquis suspicari, Horatium ita voluisse abblandiri Veneri, quam sciebat impensè purpureis delectari. Ita in gratiam Veneris Propertius lib. 3. eleg. 2.

Purpurei cycni.

Color ex vicinitate contrahitur.

Apollo Tortor, & Sandaliarius.

Et Veneris dominæ volucres, mea turba columbæ,
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.

Ita in eiusdem Deæ gratiam Claudianus de Nupt. Mariæ,

—Mauortia signa rubescunt
Floribus.

Quarto potuit Horatius vocare olores purpureos propter pulchritudinem, quæ est in hoc colore, pulchros perinde intelligens. Hoc multi asserunt. Quinto, quid si ex parte totum intelligatur? Atqui cycnis rubri sunt pedes, aut pars pedum. Ouidius enim in auis huius transformatione lib. 2.

—Digitósque ligat iunctura rubentes.

A Ergo, vt Virgilius *niueam Paron* dixit, ta[illegible] propter marmor; Quintus Serenus niueos elephantos, tantùm propter ebur; populus alba, quòd folia habeat alba, vna tantùm ex parte, nam pars alia Viridis est: cur non & cycni ab ea parte dicantur purpurei? Quòd si quis obiiciat, pedes istos videri subfuscos potiùs, quàm purpureos, nihil tamen aget, cùm alibi videri possint purpurei. Lege Scaligerum contra Cardanum exercit. 59. distinct. 1. Sexto demum cycni purpurei dici queunt omni proprietate, nam duplicem esse purpuram, punicam & albam, nemo dubitat. Hispani certè *grana blanca* habemus, & nominamus. Sed & in auctoribus mentio est purpuræ candidæ. Plutarchus in Alexandro, vbi loquitur de purpura Hermionica, ait illam multos annos seruare colorem recentissimum, ac floridum, cuius rei causam assignans dicit puniceam purpuram spectabilem diu permanere, si infectura illius fiat melle; candidam quoque durare si fiat oleo candido. Græca, quæ ad rem. αἴτιον δὲ τούτου φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν· διὰ ἐλαίου δὲ λευκοῦ τῶν λευκῶν. Vides vt agnoscat vtramque purpuram. Cur non igitur de candida capiatur Horatius? cur non Albinouanus, cùm scripsit

Purpura duplex Punica, & Alba.

B

Brachia purpurea candidiora niue, in elegia de obitu Mæcenatis. Cur non ille versiculus,

—purpurea sub niue terra latet.

Cur non mille alij? Certè Domitius Flaccum lib. 4. Arg. vocantem *salem purpureum* de candido accipit. & *purpureos olores* Horatij etiam de candidis. Ad idem

C pertinet epigramma Marij Molsæ poëtæ Itali:

Candentem indutus cycnum dum Iuppiter ardens,
Dilecto Ledæ serperet in gremio,
Iuno ait, Humanos potiùs mihi sumseris artus,
Quisquis in hac falsa ludis adulter aue.
Vel mea purpurea canescant pectora pluma,
Hac mihi sit, cupiam, lege colendus amor.

Denique Hispanus poëta Ioannes de Mena multis nominibus insignis, qui floruit rudi sæculo, non minùs atque olim Ennius, candidam purpuram agnoscit octasticho. 72. cùm ait:

De candida purpura su vestidura.

Ergo cùm verum sit, purpuram esse candidam, cur non Horatius de illa capiatur? Hæc habui, quæ de hac re lectorem admonerem. Redeo iam ad pen-

D sum, si priùs à me moneam, illud de *niue purpurea* aliter posse expediri, iuxta verba Aristotelis lib. 5. hist. Animal. c. 19. *Quin etiam in his, quæ putredinem nullam posse recipere existimantur, nasci animalia nouimus, vt vermes in niue vetustiore, qui hirti sunt pilis, & rubidi: quoniam & ipsa nix vetustate rubescit.* Verba signata sunt. γίνεται δὲ ἡ παλαιὰ ἐρυθροτέρα. Addo etiam locum Ioann. Chrysostomi homil. de Dilectione, qui firmans illud de vicinitate colorum, ait: τὰ λαμπρὰ τῶν σωμάτων ἄνθος ἀποῤῥεῖ πρὸς τοὺς πλησίον τόπους· *Corpora splendida colorem in vicina loca emittunt.*

Nix rubescit vetustate.

9. LÆTOS OCVLIS AFFLARAT HONORES] Læti honores oculorum sunt, oculi clari, ac nitidi, & in quibus inest fulgor quidam. Solent Poëtæ ocu-

E los in præcipua parte pulchritudinis ponere, addita præsertim mentione fulgoris, nitoris, splendoris: Pindarus od. 5. Pyth. ὄμμα φαεννότατον, à luce. Aristænetus lib. 1. epist. 10. τὸν δὲ νέον ἐκόσμουν ὀφθαλμοὶ, φαιδροὶ μὲν, ὡς καλοί· φοβεροὶ δὲ, ὡς σώφρονες· *Decorant iuuenem oculi, lucidi quidem, vt pulchri: verecundi, vt casti*: Notum illud, *geminum ceu lumina sidus.* & Philostrati, qui in epist. vocat ἄστρα. Apuleius lib. 3. *sic tuis istis micantibus oculis.* Causa hæc esse inter alia potest. Inest præcipuè in oculis illecebra quædam,

Oculi in præcipua parte pulchritudinis.

qua

Oculus vox blanditiarũ.

quos [illegible] amamus, solemus appellare *oculum nostrum* & *ocellum*. De hac illecebra Hesiodus in Theog. ἀπὸ βλεφάρων ἔρως εἴβεται δερκομένων· *à palpebris intuentium amor distillat*. Athenæus lib. 13. latè ostendit, sedem præcipuam dilectionis esse in oculis, propterea quòd (hanc enim rationem ex Aristotele adducit) in oculis habitet pudor, ἐν ὀφθαλμοῖς τὴν αἰδῶ κατοικεῖν. Certè Pindarus od. 8. Nem. ait Venerem insidere in virginalibus puerorum palpebris ἅτε παρθενίοισι παίδων τ' ἐφίζοισα βλεφάροις. Philostratus in epist. oculis dat σύνεσιν, *intelligentiam*, ad capiendum. & φρουρὰν, *præsidium*. nam inde mouetur pugna atrox amoris. Comparat illos ἐρυμνοῖς, καὶ τόποις ὑψηλοῖς, *castellis*, *& locis editis*. nam vt ex istis reges ineunt oppugnationes, ita machinæ amoris in oculis sitæ. Vocat illos δᾳδούχους, *faciferos*, quia illi inflammant. Dicit esse in illis δίκτυα, *retia*. dat illis πολιορκίαν, & τυραννίδα, *oppugnationem*, *tyrannidem*, qua omnia subiiciunt. Comparat cum Charybdi, quæ sorbet omnia, sic oculi formosorum. His & aliis deliciis plenus est Philostratus. Non dissimiles habet Pollux, à quo oculi dicuntur λάμποντες, στίλβοντες, θυμοειδεῖς, πυρώδεις, μαρμαρυγὰς ἀφιέντες, αἴγλην, αὐγὴν, ἡδεῖς, ἐπαγωγοὶ, ἐπέραστοι· *lucentes*, *fulgentes*, *acres*, *igniti*, *emittentes splendorem*, *fulgorem*, *lumen*, *iucundi*, *illecebrosi*, *amabiles*. Plato, citante eodem Polluce, φωσφόρα ὄμματα. Hæc mihi visa apta ad hunc locum. Sed quidem Læuinus Poëtæ animum rimatus, ait, datos lætos oculos Æneæ animo blandienti Augusto, de quo Suetonius cap. 79. *Oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam diuini vigoris: gaudebátque, si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum summitteret.* De oculis tamen Augusti aliter, quàm Suetonius, scribit Plinius lib. 1. 37. Tu, si placet, vide vti vtrumque scriptorem conetur Læuinus componere. Ego tibi Iuliani Imperatoris verba affero, quibus illustrare Suetonium possis. Ille in lib. de Cæsarib. de Octauiano ita scribit ἤθελε δὲ τὰς τῶν βολὰς ὀμμάτων, ὁποῖός ἐστιν ὁ μέγας ἥλιος, οὐδένα γὰρ ὁ τῶν πάντων ἀντιβλέπειν ἠξίου· *Hic autem oculorum fulgore proximè ad solem accedere videri volebat, nequaquam se ex aduerso sustineri volebat*. Philostratus in Heroicis paria de Aiace. Facit enim illũ intuentem χαροποῖς ὀφθαλμοῖς. & addit postea, diuinum quiddam illucere in heroe, si temere præsertim, & subitò aspiceretur. & de Achille ait, ἀκτῖνα μὲν ἀπὸ τοῦ προσώπου ἔπεμπεν· *radios à facie emittebat*. & cuipiam alteri dat λαυγὰς. & in vitis Sophistar. cuidam, χαροπὴν ἀκτῖνα ἐκ τῶν ὀμμάτων. Callistratus dat Orpheo, καθαρὰς τῶν ὀμμάτων βολὰς, *puros oculorum radios*. & Baccho, ὄμμα πυρὶ διαυγὲς· *oculos igni splendidos*. & Amphitritæ ἡλιακόν τι σέλας ἐκ τῶν ὀμμάτων μαρμαίρουσα· *splendebat iubar quoddam Solare ex oculis.* De Constantino Magno Cedrenus, τὸ δὲ ὄμμα παραπλήσιον λέοντι· *Oculis leonis.*

Augusti oculi nitidi.

Honor de pulcritudine.

10. HONORES] Hæc vox in pulchritudinis mentione vsurpatur. Statius 2. Syluar.

O vbi ventura spes non longinqua iuuentæ,
Atque genis optatus honor.

&. 2. Theb.

Quantus honos, quantúsque pudor, &c.

Lucretius lib. 4.

Sed tamen esto iam quanto vis oris honore
Cui Veneris membris vis omnibus exoriatur.

Inter fragmenta Petronij legitur,

Ac totus tibi seruit honor, formáque Dearum
Fulges, & Venerem cælesti corpore vincis.

Pindarus od. 5. Pyth.

ἔχει συγγενὴς
δ' ὀφθαλμὸς αἰδοιέστατον
γέρας·

Habet oculus congenitus honoratißimum decus.

Manus pro artifice. Virgilius superat Homerum.

11. QVALE MANVS] Egregiè *manus* pro artifice, & exquisitè. Homerus simpliciter, χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνήρ· obuium ἀνὴρ, non *manus*. obuium περιχεύεται, non, *addunt decus*. Ita censuit iam Scalig. Posuisse verò Virgilium manum pro artifice illustrari potest versu Martialis lib. 9. epig. 60.

Pocula Mentorea nobilitata manu.

Manus significat artem.

Seruius non solùm pro artifice accipit, sed etiam pro arte ipsa, quem illustrabis ex Artemid. lib. 1. c. 44. αἱ χεῖρες σημαίνουσι τέχνας· *manus significant artes.* & c. 14. χεῖρες δὲ αἱ πράξεις εἴρηνται· *manus appellantur actiones.* Huc pertinent vnicè verba Tullij. 2. Nat. Deo. explicantis *opera* per *manus*, cùm ait: *Iam verò operibus hominum, id est, manibus, cibi etiam varietas inuenitur, & copia.* Inde Apollodorus, siue Horapollo, siue Orus Apollo (his enim nominibus video indigetari) in Hieroglyph. ita ait, ἄνθρωπον φιλοκτίστην βουλόμενοι σημῆναι, χεῖρα ἀνθρώπου γράφουσιν· *volentes signare hominem structuris deditum, manum hominis pingunt.*

12. ADDVNT EBORI DECVS] Non hoc ad tincturam referas, qua olim ebur inficiebatur: non hoc putant viri iudicij limati. Omnia ad aurum referenda sunt. Dicit enim, Æneam similem fuisse ebori, argento, Pario lapidi, inclusis auro. Et quidem ex ebore vnà cum auro multa olim fabricari solita ex Pausania satis discimus, qui lib. 2. ex vtraque materia Venerem exhibet, & alio loco eiusdem libri Iunonem opus Polycleti. & lib. 1. dat Ioui Olympico os ex auro, & ebore. Idem Iuppiter ex ebore & auro factus mirificè celebratur à Plinio lib. 7. cap. 38. & lib. 34. cap. 8. De eodem Cassiodorus lib. 7. loquens de septem orbis miraculis: *Iouis Olympici simulacrum, quod Phidias primus artificum summa elegantia ebore auróque formauit.* Dissidet à Pausania, qui os tantùm ex ea materia dedit. Et ab vtroque Cedrenus: nam loquens de eodem Ioue Olympico, quem Phidias fecit, tantùm nominat eburneum. ὁ Φειδίου (ait) ἐλεφάντινος Ζεὺς, ὃν Περικλῆς ἀνέθηκεν εἰς ναὸν Ὀλυμπίων. Galenus lib. 3. de vsu part. c. 10. loquens de materia Iouis Olympici, ὁ κόσμος λαμπρὸς, στιλπνὸς, καὶ χρυσὸς πολύς· *ornatus splendidus, lucidus, aurum multum.* Fœdat hunc locum interpres. Demum Petronius Sat. vtramque materiam coniungit, cùm ait: *lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina splendente connexum.* Vt Virgilius *addunt*, pari significato Propertius lib. 3. eleg. 8. *Argumenta magis sunt Mentoris addita forma.*

Iouis Olympici materia.

Parius lapis.

13. PARIVS LAPIS] Fuit in pretio hic lapis ad res similes. Pausanias in Attic. simulacrum Veneris exhibet ex hoc lapide, opus Phidiæ. Apuleius Dianæ li. 2. as. *Lapis Parius in Dianam factus.* &c. Omitto loca alia obseruata in Cedreno, Philostrato, Libanio.

a Tunc sic Reginam alloquitur, cunctísque repentè
Improuisus ait, CORAM, quem quæritis, adsum
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab vndis.

b O SOLA infandos Troiæ miserata labores,
c Quæ nos relliquias Danaûm, terræque marísque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Vrbe, domo socias: GRATES persoluere dignas
Non opis est nostræ, Dido: nec quidquid vbique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
d DII tibi (SI QVA PIOS respectant numina, siquid
Vsquam Iustitiæ est, & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant. QVÆ te tam læta tulerunt
Sæcula? QVI tanti talem genuere parentes?
e IN FRETA dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos, nomenque tuum, laudésque manebunt,
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, læuáque Serestum,
Pòst alios, fortémque Gyam fortémque Cloanthum.

ARGVMENTVM.

Sequitur oratio Æneæ ad Didonem, in qua ille, quis sit, certis signis declarat: Reginæ gratias agit, gratum se fore pollicetur, Deósque orat, vt tantum beneficium persoluant: erumpit in laudes Didonis, socios complectitur.

EXPLICATIO.

a INcredibilis peripetia ad afficiendum & commouendum lectorem, nam quis stupor tenuata nube, viso Aenea? Ait *cunctis*, quia vnum erat cunctorum votum videre talem virum. Nam tametsi Regina sola id dixerat, sed id ipsū ardebant omnes proceres, ideo postea, *adsum quem quæritis*. Vox *improuisus* hîc egregiè, quia latens in nube, etiamsi præsens, sed non antè visus. Sed quod initium orationis? abruptum, vt poscebat rerum status. *adsum Æneas coram vobis*, & quidem *Troius*, ac perinde *quem ipsi quæritis*, deinde *ereptus vndis*, quibus me abreptum putatis. Et verba expende, genere *Troius* eripitur ab vndis *Libycis*.

b Quæ præcesserunt, ad omnes; nunc quæ sequuntur, ad solam Didonem. Incipit ab *O*, particula exclamante, qua mirè extollit pietatem Didonis, quam pietatem auget sequenti voce *sola*, nemo præter te alius. *infandi labores* sunt, quos nemo enumeret, adeo multi, & graues.

c Expendit Aeneas liberalitatem Didonis. Ergo *socias nos vrbe*, quantum hoc est! admittis enim nos non in quamcumque gratiam, sed in societatem, quæ sacra. Nam hîc allusum ad sacras societates Romanorum, quæ fiebant sacris intercedentibus, nemo dubitet. Neque verò hoc satis, sed *domo*. Multum erat supplices in vrbe recipere, sed maius adhuc tua in domo. Aliqui duabus vocibus *vrbe, domo*, intelligunt & ciuitatem & domicilium, quæ duo Dido Troianis obtulerat. Seruius intelligit hospitium publicum, & priuatum. Procedit. Et, quos socias? eos, qui nihil tibi possunt persoluere, vt qui à Græcis victi, ideo *reliquias Danaûm*, quo verbo ingens exitium innuitur. Sed ô prudentiam vatis! *Danaûm* dixit, non Iunonis, cùm posset: nam si hîc nominaret illam, suspectum se redderet Didoni, quæ hanc Deam A impensè colebat: Neque enim Dido tutum duceret illi opem ferre, quem sciret Iunoni infensum. Pergit. Admittis ad societatem *exhaustos iam casibus omnibus*, nullus quippe tam insolens successus potest excogitari, qui nos non exercuerit, modò ille *terræ* sit, modò *maris*. Terra enim, bello & fame: mare, ventis & tempestate oppressit. His nihil videbatur addendum, sed vide αὔξησιν, *omnium egenos*. nihil sibi facit reliquum. Quæ igitur lux ista liberalitatis tuæ ô Dido? *persoluere tibi grates dignas non est opis nostræ*. Non ait, non est ingenij nostri, facundiæ, virium, sed *opis*: nam hæc vox omnia includit, & omnia exhauriuntur vna Didonis liberalitate. His adiice *nostræ*, non meæ, sed Troianorum omnium, qui hîc adsunt. sed neque hoc satis, nam neque est totius *gentis* B *Dardaniæ*, quæ multa est, vt *quæ sparsa per magnum orbem*.

d Cùm igitur Troiani, qui hîc, qui vbique sunt, nequeant tibi grates rependere, *Dij tibi* non grates solùm, nam hoc est parum, *sed præmia ferant*, & hæc *digna*. Deinde per parenthesin ait: *si qua numina respectant pios*, id est, si aliqua sunt numina, quæ ego ignoro, persoluendæ pietati dicata, hæc te illis longissimè cumulent, quæ in nos congeris. Pergit. *siquid iustitiæ est vsquam*. id est, si in aliquo terrarum angulo latet iustitia, (nam *vsquam* locum dicit) quæ volasse ad cælos fingitur, illa tibi æquissimè rependat. Demum, *si est mens conscia sibi recti*. id est, siquis est deus, & mens, quæ ipsa sciat actus mortalium, præsitque cognitioni clarissimorum facinorum. Hac re amplificata, erumpit in laudes Didonis, quibus laudibus dat occasionem præcedens oratio. Infelicissima, (dixerat, saltem indicauerat) sunt nostra sæcula, in quiC bus vix vsquam est iustitia. Igitur, *quæ te sæcula tulerunt tam læta*? Nam tu ipsa nimirum facis læta sæcula vita tua, moribus tuis. *Qui tanti parentes te talem genuerunt?* quasi dicat. Credibiléne est, te genitum à mortalibus?

e Decurrit ad ἀδύνατα, vt indicet numquam cessaturas laudes Didonis, sunt verò tria hæc ἀδύνατα. Primum, *in freta dum fluuij current*. Alterum, *dum vmbræ lustrabunt* quæ sunt *conuexa* in *montibus*, id est, dum vmbræ circumibunt montium ambitus: tuberositas quippe, quæ conuexa est in montibus, vmbram efficit, quæ vmbra ex diuersa solis positione montes lustrat, id est, circumit ambitque, iam hanc, iam

iam illam partem opacans. Tertium, *dum polus pascet sidera* humoribus Oceani, & vaporibus terræ. Ergo dum hæc fient, & semper fient, vbicumque gentium ero, vbicumque terrarum, studij mei erit, vt tuæ ibi laudes æternæ permaneant. *quæ me cumque* tmesis est. Hæc cùm dixisset, totus se in sociorum amplexus diuidit dextrâ, & læuâ; Duo hîc considero. Primum, vt se reuerenter Aeneas gerat erga Didonem, vt humaniter erga socios: Illius ne genua quidem tangit, & potuisset more supplicum, sed abstinuit à contingenda femina: longè aliter cum suis. Alterum, vide vt ipse petat sociorum amplexus, non petatur; Troiani quippe obstupefacti nouitate miraculi, & successus magnitudine, vix sui erant compotes; Aeneas, qui prius è nube omnia viderat, omnia audierat. ipse audax est, ipse irruit. Libenter sæpissime Poëtam expendo, grandem eius Musam admiratus.

NOTÆ.

Virgilius superat Homerum.

1. **C**ORAM, QVEM QVÆRITIS ADSVM] Quid hic dicam de discrimine Latini & Græci? Cùm Vlysses in 7. manifestat se Alcinoo & Aretæ, omnia pene sunt muta, neque animus videtur erigi alicuius rei nouitate, quæ sanè nouitas magna est in Virgilio, tum rebus, tum factis: rebus, cùm ait, *Restitit Æneas*, &c. verbis, in hac oratione. Quid de Vlysse Homerus? Ait illum resedisse iuxta ignem ad focum in cineribus. Sed defenditur Homerus; nam attigit (aiunt) morem supplicum, qui ad focum & larem sedebant. Frigidè. potuisset enim retento more speciosiùs Vlyssem dare. Æquè infelix fuit Homerus Odyss. 21. vbi admodum vulgariter Vlysses se procis ostendit. Neque verò Silius lib. 2. satis Poëtam expressit, cùm cecinit,

Has inter species orbatum classe, suisque,
Æneam pulsum pelago, dextraque precantem
Cernere erat. fronte hunc auidè Regina serena
Infelix, ac iam vultu spectabat amico.

2. O SOLA INFANDOS, &c.] Vlysses Odyss. 7. nebula etiam tectus, illa amota, cùm se præsentibus conspiciendum dedisset, orationem habuit ad Alcinoum, & Areten. Ea in promptu est, ideo abstineo. Sed non ingrata fortasse comparatio erit, vt appareat lux Maroniani ingenij. Vlysses eò destinat orationis suæ scopum, vt in patriam perueniat; Æneas, vt gratum se præbeat: Itaque ille petit gratiam, hic gratias reddit. Nobilius hoc multò, aptiúsque est ad captandam Didonem, quàm illud ad alliciendum Alcinoum. His gratiarum actionibus adiuncta est laus Didonis, eáque permagnifica, atque in omnem posteritatem, *in freta dum fluuij*, &c. Homericus orator nihil laudis confert in eos, quibus summopere egebat. Secundò Vlysses felicitatem regibus eorúmque liberis comprecatur, domi, & foris: bene hoc prouidit. Sed numquid illa conferri cum his possint? *Dij tibi, siqua pios* &c. quibus videtur dubitare, nulla satis esse numina, quæ possint talem gratiam exsoluere. Suam verò illam felicitatem Græcus aliquantulum fœdat, cùm illam non regibus solùm, sed præsentibus aliis communicat: aliter Æneas, qui vni tantùm Didoni intentus, neminem alium intromittit in tantarum laudum magnitudinem. Itaque illa solùm spectatur, Pœnorum principes, qui aderant, negliguntur præ illa. Tertiò, Vlysses non reges laudans, tantùm Aretes Reginæ patrem, quàm vulgariter laudat! Vix est enim dux in tota Iliade, quem non afficiat eo laudis genere, vocans ἀντίθεον, ἴκελον Διΐ, ὁμοῖον. &c. Sed vide, quan-

Virgilius superat Homerum.

A tum absint à vulgaribus illa,

——quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?

Quarto, quæ ratio est illa? *diuulsus ab amicis ærumnas patior.* Vbi pater? vbi filius? vbi coniux? vbi cura domus? Nam quamuis amici opportunissimum sint præsidium, sed nemo profectò redit in patriam, vt cum amicis tantùm viuat, qui vbique terrarum possunt contingere; sed vt cum patre, matre, coniuge, liberis, vt demum extremum spiritum in patria emittat. Æneas ab his omnibus abstinet, neque infert mentionem Italiæ, quam quærit, & hoc prudentissimè. Noluit enim Reginæ, quam præsentia sua lætam videt, gaudium importuna fatorum memoria contaminare. Multa alia in hac collatione discuti
B poterant. Sed omnia exsequi fortasse videbitur importuniùs, quàm doctiùs fieri. Id tantùm in mente habe, vt Virgilium tibi in re Poëtica æmulandum proponas, *qui nil molitur ineptè.*

3. OMNIVM EGENOS] Fabius declam. 260. *emittite nudos, omnium egenos.* Habet vicinitatem cum hoc versu ille Aristophanis in Irenа: ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος· *exul, exlex, sine domo.* continet etiam suo versu Poëta mala eiectorum, quæ vnico versiculo complexus est Plautus in Ruden. loquens de eiectis duabus fœminis: *Timidas, egentes, vuidas, eiectas, exanimatas;* In eadem Comœdia vna earum Palæstra ita de incommodis eiectorum eiecta ipsa: *Nunquam spem, aut opem, aut consilij quid capessam? Ita hîc solis locis compedita sum. Hîc saxa sunt, hîc mare sonat, nec quisquam*
C *homo mihi obuiam venit.* Sed hæc incommoda nec vnde meliùs disces, quàm ex Palinuro Virgiliano.

Eiectorum calamitates.

4. GENTIS DARDANIÆ] signatè. Quoties Virgilius mentionem inducit errorum, & transmigrationum Troianorum, ad Dardanum, vt plurimùm confugit, qui ex Italia in Asiam migrauit. Sic in. 4. *colonos Dardanios* dixit, sunt enim coloni, qui è domibus suis egressi, alias sedes quærunt. & in 3. errones Troianos oraculum alloquens, *Dardanidæ duri* &c.

Dardanidæ in mentione exsilij.

5. MAGNVM QVÆ SPARSA PER ORBEM] Hoc ad incrementum, satis enim fuisset, *quidquid vbique est gentis Dardaniæ.* Nam *vbique* orbem omnem complectitur. Sed, vt dixi, ad incrementum: vt etiam, vbique locorum, terrarum, gentium, nullibi,
D nusquam. Trahunt hoc Latini à Græcis. Aristophanes in Pluto: ἥκιστα πάντων· *minimè omnium*, cùm satis fuisset, ἥκιστα. Quem in locum aduertit Scholiastes in his orationibus μάλιστα πάντων, & ἥκιστα πάντων, addi vocem, πάντων, in prima ad maiorem affirmationem, in altera ad maiorem negationem. Itaque in illa (ait ille) est ἐπίτασις ὑπερθετική, in ista ἀπαγόρευσις ὑπερθετική. Trahi ista possunt ad locutiones Latinas.

6. DII TIBI &c.] Homerus. 23. Il.

Σοὶ δὲ θεοὶ τῶνδ᾽ ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν·

Tibi autem Dij pro his gratiam plurimam referant. Idem,

θεοί δέ τοι ὄλβια δοῖεν· *Dij tibi dent gloriosa,*

Alibi:

E Ζεύς τοι δοίη ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὅττι μάλιστ᾽ ἐθέλεις.

Iuppiter tibi det hospes, & dij alij immortales, Quod cupis maximè.

7. ET MENS SIBI CONSCIA RECTI] Seruius hoc refert ad Stoicos, qui dicebant ipsam virtutem esse pro præmio, etiam si nulla essent alia præmia. Placet tamen, vt explicui, nam in. 6. *Mens agitat molem*, pro Deo. Certè Hortensius concipit. *Mens*, νοῦς: *Deus omnis æquitatis pietatisque præsens cognitor.* ὃς

πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει, qui omnia videt, omnia audit.

A

8. In freta dvm flvvii &c.] Similis exornatio Ecl. *dum iuga montis aper*, &c. vide ibi. Seneca in Medea, *dum terra cælum media libratum feret*, tu reliqua & in Oedip.

Lucida dum current annosi sidera mundi,

Sequuntur multa. Horatius. lib. 3. od. 3. *Dum longus inter sæuiat Ilion*, tu perge. & od. 3. eiusdem libri, *dum Capitolium*, adi. Tibullus lib. 4.

—Viuet, dum robora tellus,

lege ipse. Prudentius in περὶ στεφαν. *Dum genus esse hominum*, &c. Vetus Poeta apud Dionem Chrysost. orat. 37. ἔς' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, *dum currat aqua*. in lib. 4. epigram. πόλος ἀςέρας ἕλκῃ, *dum Polus astra traxerit*, Cicero. 2. Philip. *Dum genus hominum*, &c. Lucanus lib. 1. *Dum terra fretum*, &c. Hæc indicare tantùm volui, ne rem tritam consectarer.

B

9. Convexa] Omisi Turnebum, qui coniungit cum *sidera*. & malui ad montes referre secutus Nascimbænum, Henr. Stephanum, Corradum, Meyenum, alios.

10. Polvs dvm sidera pascet] Putabant quippe Philosophi ali astra humoribus aquarum. Cicero. 2. Nat. *Ergo cùm sol igneus sit, Oceaníque alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere.* Iterum; *probabile igitur est, præstantem intelligentiam in sideribus esse, quæ & æthercam mundi partem incolant, & marinis terrenisque humoribus longo interuallo extenuatis alantur.* Plinius lib. 2. c. 68. *Oceanus sidera ipsa tot, & tantæ magnitudinis pascens, quo tandem amplitudinis spatio credetur habitare?* Zeno apud Laertium ait, astra omnia nutriri, & discriminans ita subiungit, τὸν μὲν ἥλιον ἐκ μεγάλης θαλάττης, τὴν δὲ σελήνην ἐκ ποταμιῶν ὑδάτων, τὰ δ' ἄλλα ἀπὸ τῆς γῆς· *solem ex mari, lunam ex aquis fluuialibus, astra reliqua ex terra.* Seneca lib. 2. Natur. Quæst. cap. 5. Ex cælo, & terra *alimenta omnibus satis, omnibus stellis diuiduntur. Profertur, quo sustineantur tot sidera, tam exercitata, tam auida per diem noctémque, vt in opere, ita in pastu.* Anacreon.

Astra putabantur ali aquis.

C

Πίνει θάλασσα δ' αὔρας,
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν.
Potat mare auras,
Potat sol mare.

Hoc de sole attigit etiam Cicero lib. 3. Nat. *Eámque causam Cleanthus affert, cur se sol referat, nec longiùs progrediatur solstitiali orbe. Itémque brumali ne longiùs discedat à cibo.* Hos vapores, quibus astra alebantur, Græci vocant ἀποῤῥοίας. Ex hac opinione veterum philosophorum, quam attigisse Virgilius creditur, natum, vt docti aliqui, in his Brodæus, lib. 2. Miscel. c. 17. legant in Virgilio, non *polus*, sed *palus*. Nam Lucanus lib. 10. dixit,

D

Nec non Oceano pasci Phœbúmque Polúmque.

Et hi *paludem* dici contendunt pro oceano, & vniuerso humore, imitatione Græcorum, Homeri in primis, qui sic accipit λίμνην, contendítque Brodæus Seruium legisse *palus*, sed hæserim tamen T[illegible] lib. 5. Adu. c. 5. aliisque, qui nihil censent mutandum. Et quidem lectio, quam sequor, validè firmatur Lucretiano versu lib. 1.

Flumina suppeditant vnde æther sidera pascit.

Sicut enim hic *æther*, ita Virgilius, *polus*. A quo non abit eundem Lucretium dixisse lib. 1.

Et Solis flammam per cæli cærula pasci.

Mihi tamen nescio quo gustu Germani interpretatio arridet. Polus enim dici potest sidera pascere, vt pastor gregem; Inde 2. G. coniunctim Poeta dixit,

Immissæque feræ syluis, & sidera cælo.

tanquam feræ in syluas, & sidera in cælum ad pascua compellerentur. Firmari potest hæc explicatio versibus Senecæ in Furen. vbi cùm de stellis sit sermo, ad hanc metaphoram confugit:

Cogit nitidum Phosphoros agmen.

vbi *cogit* est, tanquam pastor gregem. Quo verbo vsus apud Varronem, li. 6. de ling. Lat. poëta vetus: *in altissimo cæli clypeo temo superat stellas sublime cogens etiam atque etiam noctis iter.* Clariùs Synesius, citante Delrio, ἄστρων ἀγέλα νέμεται· *pascitur grex astrorum.* Et profectò, nisi me Lucretius cogeret, ad quem omnino videtur Poeta allusisse, irem in hanc explicationem: præsertim cùm opinionem illam de astris, quæ pascuntur humoribus, eludat Arist. 2. Meteor.

11. Nomen] Pro fama creberrimum. Ouid. 2. Am. Eleg. 17.

Nomen pro fama.

Et multæ per me nomen habere volunt.

Et 3. Fast.

Et pudet in paruis nomen habere casis.

Propert. lib. 3. eleg. 13.

Non iuuat in media nomen habere via.

12. Qvæ me cvnqve] Hæc tmesis est in vetere cippi inscriptione,

Quæ tibi cumque mei potuerunt pignora amoris
Nata dari, populo sunt lacrumante data.

13. Ilonea petit dextra, lævaqve &c.] vide studium. Sic fieri solet in aduentu. Sidonius lib. 3. epist. 3. *irruentium tumultuoso diriperis amplexu.* & lib. 2. epist. 11. *Protinus cuncti non modestè, neque singuli, sed properè ac cateruatim oscula ac dexteras mihi dederant.* Sed Æneas, qui tam auidus in amplexandis amicis, vide vt numquam Didonem attingat, hoc iam expendi, sed reuocaui notans Homerum, apud quem parum cautè Vlysses tetigit genua Aretæ reginæ.

Virgilius superat Homerum.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς.

Si quis defendat ex more supplicum, nescio an possit, præsertim præsente Alcinoo.

14. Fortemqve gyan] Γυῖα Græci appellant, & pedes, & manus, & demum membra omnia, quibus incessus fit, in quibus potissimùm consistit robur. Huc credendum, allusisse Virgilium, cùm Gyan vocat fortem, quasi inde deducat nomen. Monuit hoc Robortellus.

γυῖα

[a] Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto, & sic ore locuta est:
[b] Quis te nate Deâ per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
[c] Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad vndam?
[d] Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulsum patriis, noua regna petentem,

Auxilio

Auxilio Beli.genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum,& victor ditione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus vrbis
Troianæ,noménque tuum,regésque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Séque ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
ᵉ Quare agite,O tectis iuuenes succedite nostris.
ME quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam,hac demum voluit consistere terra.
NON IGNARA mali miseris succurrere disco.

ARGVMENTVM.

Ad insolens spectaculum Dido obstupescit: narrat vnde Æneas ipse, & res Troianæ sibi iam olim notæ fuerint: omnes perhumaniter inuitat.

EXPLICATIO.

ᵃ ASPECTVS Æneæ, cùm primùm è nube erupit: deinde casûs, id est, successus visus omnibus auditúsque, Didonem vehementi stupore perculit. Cur hic tantus stupor? audi. Troiani Regem suum mortuum querebantur, ille abditus audiebat, subitò è nube erumpit, fit ingens rerum commutatio: è luctu omnia in lætitiam recidunt, è questibus procurritur ad amplexus, salutationes, gratulationes, fiunt hæc omnia puncto temporis. His adde Æneæ lucem, splendorem, diuinas comas, Deo similem, lumen purpureum iuuentæ, fulgentes oculos. Ad tantum casum nonne Dido obstupesceret? Ab hoc tanto stupore reuocata tandem loquitur, & *ore*, vbi nullum pleonasmum agnosco, sed similem affectum illi è lib. 11.

Et via vix tandem voci laxata dolore est,

ᵇ Triplex locus beneuolentiæ. Primus ex commendatione in illis, *Nate Deâ*, hoc enim illustrissimum. Alter ex commiseratione, cùm ait, *quis te casus insequitur per tanta pericula*? Tertius, occultè se insinuans pari animi consensione in illis, *quæ vis immanibus applicat oris*? Illi enim Africanos esse barbaros putauerunt, & eadem hîc indicat Dido. Aduerte, in illis, *nate Deâ*, tacito gaudio pertentatum Æneam de sui nominis claritate etiam inter barbaros euulgata, illud quippe Ilioneus non attigerat. Demum obserua affectum respondere affectui. Exclamationi enim Æneæ *ô sola infandos*, &c. Dido opponit admirationem cum interrogatione. Plena omnia παθῶν.

ᶜ Hic iam clarè manifestat, quæ illis *nate Deâ*, inuoluerat. & vide quàm splendidè loquitur de Ænea, quem Veneris filium fatetur, & Anchisæ Dardanij: in epitheto enim emphasin agnoscit Nascim. vt *Dardanio* sit generoso, vt qui à Dardano Iouis filio: nihil ergo mirum, si eius coniugium dignetur Venus.

ᵈ Per prolepsin occupat, & explicat vnde sciuerit res Æneæ. Teucer cum Aiace fratre profectus est ad Troiam: cùm verò Aiax furore correptus mortem sibi attulisset, Telamon pater redeuntem ex Troiano bello Teucrum noluit domi recipere, vt qui sine fratre veniret, neque vltus esset eius mortem. Ille ergo expulsus, Sidonem vrbem venit ad Belum patrem Didonis, vt sibi quæreret nouas sedes Beli auxilio. Hic tum temporis *Cyprum vastabat*, vbi Teucer fauente Belo, sibi condidit vrbem Salami-

A na: vel iam conditam (nam hoc Horatius insinuat) ipse illustrauit. Ergo, *ex illo iam tempore cognitus mihi vrbis Troianæ casus*, id est, calamitas, & ruina: cognitum *nomen tuum*, cogniti *Reges Pelasgi*, intellige non solùm duos fratres belli duces, sed reliquos Græcorum proceres. Pergit, *ipse* Teucer *hostis* cùm esset, tamen *ferebat insigni laude Teucros*. Obserua, laudari hostes ab Teucro, non sub nomine Troianorum, Dardanorum, &c. sed Teucrorum, nam ipse Teucer. Minima hæc diligentiam Maronis indicant. Absoluit, *seque ortum*, &c. Erat enim Teucer Telamonis filius, & Hesionæ sororis Priami, eodem patre quo Aiax, matre diuersa. Ait, *volebat*, non, dicebat, aut obuium aliud, vt qui libenter iactaret genus suum à Troianis.

B ᵉ Orationem absoluit liberalitas, inuitat quippe (explicante Seruio) ad conuiuium: iam enim præcesserat, *vrbe, domo, socias*. Deinde proponit se Troianis in exemplum, vt eos consoletur, atque etiam vt erigat in spem felicitatis. Quasi dicat: Me fortuna domo eduxit, iactauit mari, sedes dedit: Vos duobus primis perfuncti estis, tertium fore sperate. Reddit rationem, cur sic faciat per ὁμοιοπάθειαν, *Non ignara mali*, &c.

NOTÆ.

1. OBSTVPVIT PRIMO, &c.] Piget dicere pendere ista ex imitatione Homeri, imò superant Homerum longissimè, apud quem, cùm è nube Vlysses prodiit, qui aderant, θαύμαζον admirabantur. Noster *stuporem* maluit. Sed præcipua victoria posita in his, quæ sequuntur. Nam post stuporem Dido, magnis affectibus omnia interserit, ab illo versu, — *Virgilius superat Homerum.*

C *Quis te nate Dea, per t.* &c. Non sic Alcinous, primum enim huius verbum post casum illum admirabilem, hoc est, Ποντόνοε κρητῆρα, &c. vbi iubet Pontonoum craterem miscere, & distribuere omnibus, vt fiat libatio Ioui. (nescias cur hîc τερπικεραύνῳ) qui supplices benignè prosequitur. Lege quæ sequuntur, & frigus merum inuenies, nihil feruens affectibus. Pari frigore rem eandem exsequitur Apollonius, lib. 3. Arg. Hîc volo scias, Asperum explicantem Salustij locum hunc, *rumore primò*, sentire, *primò* poni aduerbialiter, quod firmat Virgiliano hoc *primò aspectu*, vbi etiam *primò* aduerbialiter po- — *Homeri frigus.*

D nitur. Defendi potest, inest enim concinnitas inter *primò*, & *deinde*.

2. TVNC ILLE, &c.] Ita etiam Sophocles, σὺ ξεῖνος εἶ, ὅς &c.

3. ANCHISÆ] Æneæ ortus à Venere, & Anchisa, notior, quàm vt hîc debeat firmari, ex Ouid. in Fast. ex Homero sæpe, ex Ennio, 1. Annal. ex infinitis.

Alma de Venere.

4. ALMA VENVS] Proprium Veneris epithetum, A quo vsus Lucretius, lib. 1. & Ausonius, cuius epitheti laudatorem habemus Sophoclē apud Plutarchum. ἐν Ἐρωτικ. dicit enim scitè, & ornatè (ἐμμελῶς πάνυ, καὶ πρεπόντως,) Venerem ab eo vate dici ζείδωρον *almam*, est autem *alma* ab alendo, idem quod fœcunda, εὔκαρπος, quod epithetum ibidem ex eodem Sophocle laudat Plutarchus.

Ζείδωρος Venus.

5. GENVIT] Cùm gignere sit maris, parere fœminæ, verba ista apud Latinos ex Græco penu commutari Germanus notauit. Nam Eustathius notauit γεννᾶν, & τίκτειν confundi. Et quidem hîc *genuit* dictum pro peperit; liquidum. Nam vates reddidit illud lib. 2. Il.

Γεννᾶν, & τίκτειν confunduntur.

Τὸν δ' ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη.

Hunc autem sub Anchise Venus peperit. B

6. SIMOENTIS AD VNDAM] Dissident Homerus, & Hesiodus, ille 2. Il. ait genitum Æneam, Ἴδης ἐν κνημοῖσι, *in imis partibus Idæ*. est enim κνημὸς, pars montis à pede & radice. Ille in theogon. Ἴδης ἐν κορυφῇσι, *in Idæ verticibus*. Virgilius Homero hæsit, nam Simois fluebat per radicem Idæ: Ouid. Hesiodo, nā in epist.

Phryx erat Æneas, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuisse iugis.

Cæterùm obseruabis à multis Heroibus pari successu reddita multa flumina celeberrima, ita apud Statium, 1. Theb. nata Crotopi Argiuorum Principis, est *passa Deum* (Apollinem) *Nemeæi ad fluminis vndas*. Neptunus (vt habetur Odyss. 11. ad Enipei fluenta gignit Pelian, & Neleum heroas. Europa Tityj filia peperit Euphemum Καφισοῦ παρ' ὄχθαις: *iuxta ripas Lephisi*. verba sunt Pind. od. 4. Pyth. Natales Homeri fuerunt ad Meletis fluuij ripas, vnde ipse dictus Melesigenes. In Valerio lib. 6. Argon. leges C

Flumina natalitiis Heroum celebrata.

—Scythicis quem Iuppiter oris
Progenuit, viridem Maracen, Tibisenaq́ iuxta
Ostia.

Amazones, vt est apud Philostratum in heroicis, non absque ista Heroici æui dignitate, cùm iungebantur viris ad procreandos liberos, dabant huic rei operam iuxta fluuium Alym. Omitto infinitos, & adduco huius rei originem. Certum est, lupanaria olim in littóribus fuisse constituta. Firmat auctoritas Quintiliani, & Senecæ. Ait prior declamat. 340. *Fortasse, etiam natus est ingenuus, fortasse rapto ex aliquo littore prætextam fortuna reddidit.* Posterior D lib. 1. controuers. 2. *Castam te putas, quia inuisa meretrix es. Nuda in littore stetit ad fastidium emptoris.* Deinde id facilè potest cognosci ex eruditione Cuiacij, lib. 8. obseruat cap. 1. vbi de *acta*, quæ propriè est littus, adducit, & corrigit, verba Tullij in Verr. *Quod vbi nuntiatum est, tametsi in acta cum mulierculis iacebat ebrius.* in vulgatis legitur *tametsi noctu*, sed malè. Nam Verris ibidem exprimens luxum, ita ait: *ipsam illam ad partem littoris, vbi is per eos dies tabernaculis positis castra luxuriæ collocarat.* Quis ergo iam dubitet, tam Virgilium quàm poëtas reliquos, qui exhibent procreationes liberorum, iuxta flumina, explicandos esse, ex hoc more veterum: & notas Ureti, & Cuiacij firmari exemplis, quæ initio adduxi. Hinc ego explico Hippocratem lib. 1. de Morbis vulgarib. Vbi enim inducit γυναῖκα, ἣ κατέκειτο ἐν ἀκτῇ τρίμηνον πρὸς ἑωυτὴν ἔχουσα, *mulierem, quæ in littore decumbebat, trimestri fœtu grauidam*, nihil vetat capi de meretrice. Do etiam lucem Prudentio lib. 1. in Sym. E

Lupanaria olim in littoribus.

Acta locus luxuriæ.

temulentus adulter
Inuenit expositum secreti in littoris acta.

7. SIDONA] Vrbem esse Phœniciæ, inque Assyrij maris littore positam scribit Achilles Alexandrinus lib. 1. consentit Strabo lib. 16. Σιδὼν ἐπὶ ἀφοεῖ λιμένι τῆς ἠπείρου τὴν ἵδρυσιν ἔχει. *Sidon situm habet in pulcherrimo continentis portu*. Eadem Ptolomæus scribit, & esse vrbem Palæstinæ. Congruit nomen. *Sidon* enim Phœnicum lingua piscem significat, inde hoc nomen vrbi datum, quæ iuxta mare. Nulla in Vate est contradictio, si expendatur. Venit Teucer Sidonem, ad Belum pro auxilio, sed, ibi Belo non inuento, iuit ad Cyprum, vbi tunc Belus: vel, quod potius duco, venit Teucer Sidonem, vbi verè erat Belus, qui cùm tunc per suos duces, & exercitum Cyprum vastaret, eò Teucrum misit, vt vrbem conderet. Quæ ratio facillima est multis scriptorum locis expediendis, quæ aliter habebunt difficilem exitum, vt cùm ait Suetonius in Augusto, cap. 20. Augustum gessisse per se bellum Cantabricum, quod tamen bellum, auctore Dione, mandatum est C. Antistio. Sed ego de hoc loco in 3. G. Sic in libris bellorum ciuilium Iulij, leges, venisse litteras à Cæsare, aut Pompeio, quæ loca capienda sunt, vt aperui: nam, aut nuntij, aut rumores veniunt ab his locis, vbi non duces ipsi. Ergo à Cæsare, aut à Pompeio, erit, ab ducibus Cæsarianis, & Pompeianis.

Sidon vrbs Phœniciæ.

Sidon Phœnicibus est piscis.

8. CYPRVM] Adducam partem Græci Scholiastæ Lycophronis. Φασὶ γὰρ ὅτι Τεῦκρος προσπλέων Σαλαμῖνι, διωχθεὶς παρὰ Τελαμῶνος τοῦ πατρὸς, ὡς μὴ ἀμύνας Αἴαντι, ἐλθὼν ἐν Κύπρῳ Σαλαμῖνα κτίσας ᾤκισε: καὶ γήμας Εὔνην τὴν Κύπρου Ἀστερίαν ἐγέννησε: *Teucer, acerbè illum patre Telamone insectante propter Aiacem inultum, adnauigauit Salamina, venit Cyprum, vbi vixit condita Salamine: ibi ducta in matrimonium Eune Cypri filia, genuit Asteriam.* Cùm in istis appareat repugnantia, puto legendum in interprete προσπλέων Σιδῶνι, non Σαλαμῖνι, vt vel ex Virgilio hîc satis apparet. scio, Horatium, & alios scribere, venisse Teucrum Salamina, vt indicent non tam vrbem conditam à Teucro, quàm auctam. Similes offensiones in fabulis sæpe sunt. Quæpiam contra Seruium de hac eadem historia in Victorio inuenies lib. 12. lect. Var. cap. etiam 12. Porro in verbis istis, *Cyprum opimam vastabat*, oppositionem agnosce, vastatur quippe, & vacua redditur, atque exinanitur insula fertilis & opima. Ita Iulius Scalig.

Teucri Telamonij historia.

9. IPSE HOSTIS, &c.] Laudari ab hoste magnum, exorno alibi.

10. NON IGNARA MALI, &c.] Ex eodem affectu: *patriæ stringit pietatis imago*. & illud.

Malorum ignari, misericordes sũt in alios.

—fuit & tibi talis
Anchises genitor.

Sophocles in Antig. Κακῶν γὰρ οὐκ ἄπειρος οὖσ' ἀκούσομαι: *audiam malorum ipsa sciens*, & in Oedip. col. Theseus multa loquitur ad Oedipodem in hanc sententiam. Lege ipse longum locum. Vlysses quoque apud Homerum dixit.

ὦ φίλοι, οὐ γάρ τοί γε κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν:

O amici, non enim ignari malorum sumus.

Ad hunc locum pertinet locus Tullij pro Muræna non longè ab initio, ab eo loco, *Quòd si è portu soluentibus, ij qui iam in portum ex alto inuehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur.* Vide reliqua. Locum hunc Tullij sibi imitandum proposuit Hieronymus ad Heliodorum ab illis verbis: *Et hoc ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo*, &c.

* *
*

[a] Sic memorat: simul Ænean in regia ducit
Tecta: SIMVL DIVVM templis indicit honorem.
[b] Nec minùs interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera, lætitiámque Dei.
[c] At domus interior regali splendida luxu
Instruitur: mediísque parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostróque superbo:
Ingens argentum mensis, cælatáque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis.

A

ARGVMENTVM.

Ducit Ænean ad regiam, Dijs honorem indicit, mittit munera Troianis, qui erant in portu. In parte autem Regia interiore omnia ad epulas splendidissimè apparatur, vbi tapetia magnifica, argentum aurumq́; præcipuæ cælaturæ.

EXPLICATIO.

[a] APTE, *memorat*, nam præcedens sermo Didonis, multa continuit, quæ ad historiam pertinent, & rerum gestarum memoriam. Quid verò post sermonem illa? *ducit* ipsamet, nemini rem committens *Æneam ad tecta Regia*, agnosce magnificentiam, & comitatum dignum magnis principibus. credibile enim omnes proceres, qui vnà cum Regina venerant, rediisse ad comitatum. Quid præterea? recurritur ad sacra, nam *indicit honorem templis Diuûm*. De hoc in Notis. Ait, *simul, simul*, vt indicet celeritatem, qua res gesta. Itaque Æneam cùm duceret, in ipsa via iussit indici sacra.

B

[b] Non solùm in Principem, sed in socios qui relicti in nauibus, liberalis est Dido, mittens munera planè regia, videlicet *tauros viginti.* deinde *terga centum magnorum suum*. Intelligit fortassè sues quinquaginta iam salitos, cuique enim duplex tergum, nisi quis capiat partem pro toto, & centum viuos intelligat, quos vocarit *terga* à parte. Vocat hæc *horrentia*. Subiungo Meyeni verba, quæ huic voci explicandæ apta, *si terga porcorum iam pridem interfectorum putes, horrentia sale interpretare: sin viuorum suum, horrentia setis expone*. Aliqui explicant, magna, ingentia, quorúmque aspectus horrorem posset incutere. Possunt. Tertiò mittit cibos delicatiores *agnos pingues centum cum matribus*. Quartò vinum, sine quo frigerent omnia, ideo *lætitiam Dei*.

C

[c] Sequitur apparatus ad epulas, *instruitur domus interior*, vbi splendor & luxus planè regius, parantur *conuiuia medijs tectis*, sunt *vestes* cum multa arte, intelligit vel tapetia affixa parietibus, vel stragula constrata solo, vel vtrumque. Hæc aut tapetia, aut stragula erant vel è purpura, vel eâ ornata. Quid in mensis ipsis? Multum auri, atque argenti. intelligit pocula aurea, & argentea. Sequitur amplificatio. Erant hæc pocula cum ornatu, videlicet cum cælatura, & emblematis. Nam ibi Reges Phœniciæ, aui atauíque Didonis iā inde ab antiqua origine. Hoc ipso etiam notat quodammodo vetustatem poculorum, quæ peculiaris est commendatio.

D

NOTÆ.

1. SIC MEMORAT: SIMVL, &c.] Initium hoc sumptum ab Homero Odyss. 7. vbi Alcinous pari liberalitate in Vlyssem hospitem vtitur:

Αὐτὰρ ἐπεὶ τό γ' ἄκουσ' ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο,
Χειρὸς ἑλὼν Ὀδυσῆα δαΐφρονα ποικιλομήτην,
Ὦρσεν ἀπ' ἐσχαρόφιν, καὶ ἐπὶ θρόνου εἷσε φαεινοῦ.
Porro postquam hoc audiuit sacrum robur Alcinoi,
Manu prehensum Vlyssem prudentem varium consilio
Leuauit à foco, & in sedem locauit splendidam.

Ad vtrumque vatem aspirauit Valer. 2. Arg. & propiùs ad Virg.

Sic memorat, lætosq́; rapit, simul hospita pandi
Tecta iubet, templisque sacros largitur honores.

2. SIMVL DIVVM TEMPLIS INDICIT HONOREM] Hoc quoque ad imitationem Græci, apud quem Alcinous, recepto in hospitium Vlysse, Ioui indicit libamina.

—Διῒ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν, ὅς θ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ·
—Ioui fulminatori,
Libemus, qui supplices honoratos benignè prosequitur.

Ait Corradus, indici à Nostro ferias, vt esset publica gratulatio, & Deorum fauor accederet. Seruius Danielis scribit, latere in his verbis auspicium nuptiarum. Adducam verba, tum vt poëtæ mens agnoscatur, tum vt habeas integra, non interrupta, & sæpe recurrentia, vt nunc sunt in libris editis à Daniele: *Apud maiores nostros mos fuit, vt magistratus post res ferias, quæ consulto peragebantur, in fine actus adderetur: Dijs honorem dico: vel alio modo: Hinc ad deos. Quod Poëta amator antiquitatis subtiliter docet: infert enim Didonem post habitum cum Ænea colloquium, & iunctam hospitalitatem;* Auspicia nuptiarum.

Quare agite ô tectis iuuenes succedite nostris.

Et suprà;

Vrbem quam statuo vestra est. &
Tros Tyriusq́; mihi nullo discrimine agetur: post actum hunc publicum dijs sacra iussisse: nam subiungit: simul Ænean in regia ducit Tecta, simul Diuûm templis indicit honorem, id est iussit fieri supplicationes. Mox eadem opera explicat, quæ sint sacra indictiua, quæ hîc significantur à Virgilio: *& bene indicit, quia Troiani inoptatò venerant. Feriæ aut legitimæ sunt, aut indictæ. Indici autem dicuntur, quia paupertas maiorum ex collatione sacrificabat. Iterum: indicta sacrificia dicebantur, quæ subitò ad præsens tempus indicebantur, aut certè de bonis damnatorum, vnde & supplicia dicuntur supplicationes, quæ sunt de bonis supplicia passorum. Sallust. In supplicijs Deorum magnifici. Hinc etiam sacrum & venera* Indictiua sacra, quæ sūt.

venerAble, & exsecrandum intelligimus, quia sacra res de bonis exsecrandorum fiebant. Dicebantur sacra & Honoraria, quod vtrumque hoc loco complexus videtur. Debemus gratiam Danieli, qui hæc penè ex blattis. His vides reddi rationem, cur post colloquium sacra indicantur: cur in re opinata, & ad tempus accidenti: Cur his indictiuis sacris addatur, Honor: & hæc omnia ad nuptias pertinere, quas iam animo agitabat Dido, nam Seruius ante omnia verba, quæ ex illo attuli, ita ait, *Hoc, quod sequitur, videtur auspicium nuptiarum.* Si quæ alia inserta sunt, vt de suppliciis, &c. reiici non potuerunt, vt Seruij sententia constaret.

3. Nec minvs interea sociis, &c.] Hoc quoque ex Homer. Odyss. 8.

Τοῖσιν δ' Ἀλκίνοος δύο καὶ δέκα μῆλ' ἱέρευσεν:

Illis verò Alcinous duodecim oues mactauit.

Mox subiicit sues octo, boues duos.

4. Mvnera] An quia Dido vinum mittit in munus? fortasse. An referenda vox ad Bacchum ipsum. Quicumque enim rem aliquam in beneficium hominum primus inueniebat, dicebatur mortalibus dedisse donum, aut munus. hoc ergo munus Bacchi, id est, inuentum, Dido mittit.

Vini hilaritas. 5. Lætitiam] Nam vino nihil in conuiuio hilarius. Et quidem verba omnia, quæ ad lætitiam pertinent, propria sunt conuiuiorum, & ea vnicè propter vinum. Ita Athenæus verbum ἥδομαι, lib. 4. & alij sæpe de mensis. ita verbum εὐφραίνω passim Græci omnes. ita Anacreon γεγανυμένος Λυαίῳ: *vino exhilaratus.* idem,

Παίξω, γελάσω, χορεύσω

Μετὰ τοῦ καλοῦ Λυαίου:

Ludam, ridebo, saltabo vnà cùm Baccho.

Plato, 1. leg. hominem à potu ἵλεων vocat, *hilariorem.* Oppianus lib. 3. ἁλιευτ. de his, qui in conuiuio γεγηθότες τέρπονται, *gaudentes oblectantur.* Hesiodus 2. ἔργ. Bacchum vocat πολυγηθῆ: Plutarchus χαρμοδότην: Græcum epigramma ἐγερσιγέλωτα, *afferentem lætitiam, dantem gaudium, excitantem risum.* Sed hac de re aliqua iam attigi, 5. ecl.

6. Dei] Id est, Bacchi, sic accipio. Hanc enim primam explicationem Seruius eligit, & viros doctos in hoc video inclinare, qui in suis codicibus, *Dei* retinent. Quin Vrsinus firmat Græcorum imitatione: ita enim dictum à Poëta *lætitia Bacchi*, vt ab Eurip. Andr. ἀμπέλων γάνος, & ab Macedonio in epigr. βοτρύων γάνος. *vitium & racemorum lætitia.* Agellius tamen lectionem hanc, quam firmaui, imperitorum

Dij pro diei. esse ait, lib 9. cap. 14. & *Veteres Dij* pro *Diei* dixisse admonet: sic *famij, pernicij, progenij, luxurij, acij*, ab fames, pernicies, progenies, luxuries, acies. Hæc vt negare non possum, sic neque affirmare legendum in Poëta *dij*. Lectionem, quam sequor, adiuuat multorum consensus, & Græca imitatio, de quibus iam. Tertio Poëta ipse, qui inf. veluti sui explicator, *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Quartò ratio: frigidum enim, misit munera & lætitiam diei. nam vbi mentio vini, sine quo tot epulæ frigerent? Quinto imitatio Silij, qui sic: *Bacchi dona volunt.* Silius enim, afferente Iano Parrhasio epist. 33. Virgilij versum est imitatus. Itaque, quod Virgilius *munera Dei*, Silius *Bacchi dona.* Explicatio Corradi omnino displicet.

7. At domvs, &c.] Ad imitationem Catulli, qui de Nupt. Pelei:

Tota domus gaudet regali splendida gaza.

Conuiuia splendida in interiore parte ædiū. 8. Domvs interior] Attingit morem, quo conuiuia splendida & magnifica in interiore ædium parte, & penitiore celebrabantur: quem morem, quia nemo hactenus in Marone vidit, non ingratum erit, si, quæ ad illum firmandum inueni, huc confeream. Athenæus, lib. 4. de sumptuosissimis Persarum conuiuiis scribit, conuiuas Regios, alios foris cœnare, quos volenti cuiuis intueri liceret, intus alios cum Rege. Vides duo loca assignata, & interiorem regiæ maiestati datum. vt hinc suspicari possimus, Æneam, Reginam, Ascanium fictum, Achatem, & alios proceres Troianorum, Pœnorúmque interiorem partem ædium sibi ad epulas assumpsisse: cùm exteriora, & quæ magis essent in propatulo, aliis darentur. quod & Poëta videtur indicare, cùm ait, vocem conuiuarum volutatam per atria. Apud Athenæum, lib. 5. in naue Philopatoris plurima loca assignantur symposiis, vbi necesse est alia esse extima, alia intima. Ad hunc morem traho Plutarchum, qui in conuiuio septem sapientum, loquens de loco, ait, ἐπεὶ δ' εἰσήλθομεν, *Postquam intro peruenimus.* Sed clarissimè ad morem istum Catullus de nuptiis Pelei,

Ipsius at sedes quacumque opulenta recessit

Regia, fulgenti splendent auro atque argento.

Candet ebur soliis, collucent pocula mensis,

Tota domus gaudet regali splendida gaza.

Vbi verbum *recessit* Catulli, est *interior domus* Virgilij. Nemini autem dubium, quin ad Catullum respexerit Virgilius, vt liquidum vel ex versu extremo. Sed moris huius clariorem cognitionem facit, viles cœnulas, & exigui sumptus datas olim in ipsis atriis, & domorum vestibulis, & adhuc vilissimas in triuiis viarum, vt inde cœna Hecates infamiam suam contraxerit. Plutarchus de Isid. & Osir. eo loci, quo scribit, Ægyptiis vsitatum esse, vt quisque assum piscem ederet, ait edi solitum πρὸ τῆς αὐλείου θύρας, *ante fores vestibuli.* & mox addit, illis temporibus, piscem non opiparum fuisse pulmentum, quod probat ex Homero. Habes hinc cœnam ante fores vestibuli tenuem admodum fuisse, vt quæ constaret cibo id ætatis minimè exquisito. Hoc idem firmat mos imperatorum ducúmque, qui frugales in bello prædicati. Hi enim ante tabernacula, ante tentoria, & in publico edebant, quia videlicet tenuiter edebant, nam tenuis cibus sumendus in publico. De Hadriano ait Spartianus vsum cibis in propatulo, & de Fescennio sumpsisse cibos coram omnibus. Alexander Seuerus apud Lampridium cœnat apertis papilionibus, & cunctis videntibus, atque in publico. Inde Iuuenalis, Sat. 1.

Hecates cœna infamis.

Piscis ante fores edebatur ab Ægyptiis.

—quis fercula septem

Secreto cœnauit auus.

vbi nihil ad rem interpretes. Indicat sanè cœnas opiparas (tales erant, quibus septem fercula) in secreto fieri solitas suo æuo, cùm priùs nullæ essent tales. Ad rem coniungo Suetonium in Augusto, cap. 70. *cœna quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur.* Lege integrum caput, & inuenies eam cœnam intemperantissimam fuisse, atque Antonij epistolis, Poëtarum versibus, rumore vulgi exagitatam. Vides ergo vt cœnam sumptuosissimam, in secreto cœnarit Cæsar. Demum aduoco Iulianum, Apostatam illum, qui in sermone de Cæsaribus, ait Diis cælestibus præparatum conuiuium in suprema cæli regione, vbi est Olympus, sedes Deorum firma, οὐρανοῦ τὸ μετέωρον, &c. Cæsaribus verò in suprema aëris parte, sub ipsa lunæ cauitate, ὑπ' αὐτὴν σελήνην. vbi vides discriminata triclinia: quę enim sunt in ædibus interiores, & exteriores partes; in cælo sunt superiores, & inferiores. Cùm ergo in Bacchylide apud Athen. lib. 4. legis ἀγαθῶν δαῖτας εὐόχθους, redde, *bonorum læta conuiuia*, non, vt Henr. Stephanus, *opulenta.* εὔοχθον enim non solùm est opiparum, sed etiam

lætum;

læ..m; & in Bacchylide nequit esse *opiparum*, aut *opulentum*, præcessit enim, illa conuiuia dari ἐπὶ λαΐνον οὐδὸν, *super saxeo limine*. Ait itaque sobria & læta conuiuia, ad quæ boni accederent, dari in limine. Etenim lætitia non pugnat contra sobrietatem, vt pugnat opulentia.

Splendor de conuiuiis.

9. SPLENDIDA] Aptè, & signatè, nam *splendor* de conuiuiis sæpe. Apud Athen. lib. 1. Antiphanes λαμπροῖσι δείπνοις. & Athenæus ipse lib. 3. λαμπροτάτην τῶν δείπνων παρασκευὴν, *splendidissimum apparatum conuiuij*. Bacchylides Hymnos amatorios in conuiuiis dixit φλέγεσθαι. Demum magnificæ epulæ dictæ sunt θαλίαι, inde & θαλίας παρὰ τὸ θάλλειν, à floribus, quibus conuiuia florida, opipara, festiua.

Triclinia in media cœnatione.

10. MEDIISQVE PARANT CONVIVIA TECTIS] Nam triclinia in medio cœnationum sternebantur, de quo more alibi: itaque non pugnat, dari conuiuia in ædibus interioribus, & ibi tamen in media cœnatione poni triclinia. Cum phrasi poëtica *parant conuiuia*, alludit Græca illa, ἑτοιμάζειν δοχήν. Cicero etiam in Verr. *paratum conuiuium* dixit.

11. ARTE LABORATÆ] Dissoluit Græca vocabula τεχνουργήματα, & τεχνήματα.

Vestis de aulæis.

12. VESTES] Accepi pro aulæis aut appensis, aut constratis, & verè, nam hic aliud esse nequit: quorsum enim vestium, quæ ad corpus pertinent hic mentio? Itaque vestes olim dictæ etiam, quæ ornabant parietes, aut pauimentum. Athenæus, vbi conuiuium Ptolomæi describit lib. 5. sic ait: *Erant egregiæ, atque omnifariæ species, &*, χιτῶνες χρυσοϋφεῖς, *vestes auro intertextæ: atque* ἐφαπτίδες κάλλισται, *saga pulcherrima; in quibus erant iam Regum imagines intextæ, iam fabulosæ narrationes*. Apertè loquitur de stragulis, & tamen vsurpat χιτῶνας, & ἐφαπτίδας. Idem lib. 1. vbi scribit sedere solitos heroas priscos, non accumbere in conuiuiis, ita loquitur de Alexandro Magno. τετρακοσίους οὖν ποτὲ ἡγεμόνας ἑστιῶν, ἐκάθισεν ἐπὶ δίφρων ἀργυρῶν, καὶ κλιντήρων ἁλουργοῖς περιεστρωμένων ἱματίοις: *Quadringentos duces conuiuio excepit, quos fecit sedere in sellis argenteis, atque in reclinatorijs stratis veste purpurea*. Quis eximat ἱμάτια, à vestium numero? Idem lib. 12. de conuiuio eiusdem Alexandri, κατεσκεύαστο ὁ οἶκος πολυτελῶς, καὶ μεγαλοπρεπῶς ἱματίοις τε, καὶ ὀθόναις πολυτελέσι: *ornata erat domus sumptuosè & magnificè vestibus & velaminibus splendidis*. Eodem lib. loquens de operimentis lectulorum περιβέβληται (ait) ἄνωθεν ἱμάτια, *superiùs vestes intenduntur*. Apuleius lib. 2. *opipari citro & ebore nitentes lecti, aureis vestibus intecti*. Nec solùm vestium nomine tapetia & stragula afficiebantur; sed, quod mirere, vexilla militaria. Plutarchus in Bruto προὔκειτο μὲν τοῦ Βρούτου χάρακι, καὶ τοῦ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος φοινικοῦς χιτών: *Ante Bruti, & Cassij vallum prælij signum erat positum, tunica Phœnicia*. Sic idem in Pompeio vocat φοινικοῦν χιτῶνα. & in vita Fabij χιτῶνα κόκκινον, *tunicam coccineam*. Est hoc vexillum illud, quod erigebatur ante pugnam in prætorio, quo milites admonerentur, instare iam pugnam.

Vestis de militari vexillo.

Tunica coccinea ante pugnam.

13. INGENS ARGENTVM MENSIS] Hîc *argentum*, & statim *auro* dicit doctissimus Poëta, cùm tamen argentea, & aurea pocula intelligat. Nota Pet. Ciaconij huic loco vtilis erit. Admonet ille, argentea aureáque vasa mensarum à veteribus simpliciter *aurum & argentum* nominata. Scæuola in L. qui vxori. ff. de auro & argent. leg. *auro legato vasa aurea continentur, & gemmis gemmea*. Plinius lib. 34. cap. 11. *hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in mensarum est apparatu*. Hactenus ille. Adiungo Senecam de vita beat. cap. 17. *Quare ars est apud te ministrare? nec temere, & vt libet, collocatur argentum, sed peritè seruitur, & est aliquis scindendi obsonij magister?* Tullium 4. in Verr. *Cœnabat apud Eupolemum, argentum ille apposuerat*. Integra Tullij do sequenti Nota. & Fabium declamat. 301. *apud vos illi greges ministrorum, apud vos aurum & argentum*. Loquitur in re conuiuiali. Plinium lib. 3. epist. *Apponi hoc cœna non minùs nitida, quàm frugi in argento puro & antiquo*. Poëta ipse in 3. *impositis auro dapibus*. Catull. de Nup. Pel.

—*fulgenti splendent auro atque argento*,

Vbi sermo est de conuiuio. Demosthenes de fals. leg. clarè dixit, ἐκπώματα ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ. Porro morem alium, quem Poëta attingit, obseruaui iam lib. 4. G. Exemplis ibi adductis adiice versum, in quo sum, in mensis enim argentum ponit Virgilius, & per argentum intelligit pocula, hæc ergo in mensis apud veteres, non in abacis. Sed & de hoc more posteà etiam in hoc libro.

Aurum, & Argentū de apparatu mēsarum.

Emblemata in poculis.

14. CÆLATAQVE IN AVRO FORTIA FACTA PATRVM] Mos hic fabricandi in vasis emblematum notior est, quàm vt multis egeat. Tantùm itaque subiiciam è Latinis Tullium, qui 4. in Verr. *Cœnabat apud Eupolemum, argentum ille, ceterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis: iste, quasi festiuum acroama ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem, conuiuis spectantibus, emblemata euellenda curauit*. E Græcis Anacreontem, qui poculum, quo ipse vtebatur ita vult ornari.

Μὴ φαλκτὸν ἱστόρημα,
Μᾶλλον ποίει Διὸς γόνον
Βάκχον Εὔιον ἡμῖν.
Χάρασσ' ἔσωθεν ἀνόπλους,
Καὶ Χάριτας γελώσας:

Sit tristis nulla imago,
Cælato verò nobis
Prolem Iouis Lyæum:
Insculpe amorem inermem,
Et Gratias iocantes.

[a] Æneas (NEQVE enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem,
Ascanio ferat hæc, ipsúmque ad mœnia ducat.
OMNIS IN Ascanio chari stat cura Parentis.
[b] Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet, pallam signis auróque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cùm peteret, INCONCESSÓSQVE hymenæos,
Extulerat: matris Ledæ mirabile donum.

Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, collóque monile
Bacchatum, & duplicem gemmis auróque coronam.
Hæc celerans, iter ad naues tendebat Achates.

ARGVMENTVM.

Vult Æneas, verè pater, Ascanium filium tantæ lætitiæ participem facere, & Achatem ad naues mittit cum triplici mandato: vt perferat ad filium dona accepta à Didone, vt ipsum è portu ad vrbem perducat, vt filius idem è nauibus dona afferat, quibus liberalitati Reginæ satisfiat.

EXPLICATIO.

a VVLT statim Æneas facere filium participem tanti boni, misso ad illum Achate; Sed cur *præmittit* non ipse iturus? quia alios sequi hunc iussit, ait Pompon. Sabinus. Parenthesis continet causam, cur statim Achatem miserit ad filium. Sed quæ dat mandata? vt ferat dona iam numerata, vt ipsum ducat ad mœnia. in *mœnia* est synecdoche. Additur epiphonema superioris sententiæ hoc, *Omnis in Ascanio*, &c. id est, patris cura sita est tota defixáque in Ascanio, qui filius, qui vnicus, qui ereptus Troia, qui futurus Italiæ hæres ex promissis fatorum. Explicatio Nascimbæni nequaquam placet. Nostra communis est omnium, & in primis magni Scaligeri lib. 3. Poët. cap. 20.

b Vult vicissim Æneas magnificentiam suam ostentare, mandat Achati dicat Ascanio, vt is secum ferat munera. Sic explica, non, vt ipse Achates ferat, nam postea de falso Ascanio audies, *portabat Tyrijs Regia dona.* Pergit, *erepta ruinis Iliacis*, velut excusatio munerum. Sed quæ dona? quinque, *pallam, velamen, sceptrum, monile, coronam duplicem.* Singula egregiè commendat, iam à materia, iam ab arte, iam à colore, iam à personis, iam à locis. A materia, nam palla *rigens auro*, & coronæ ex *gemmis auróque*. Ab arte, nam palla cum *signis*, velamen *circumtextum acantho*, nam monile *bacchatum*. A colore, nam acanthus *croceus*. A personis, nam palla, & velamen sunt *Helenæ ornatus*, quibus illa spectari formosissima volebat, & *donum Ledæ matris*: Nam sceptrum, monile, coronæ sunt. *Iliones, quæ maxima natarum Priami.* A locis, nam palla, & velamen adducta ex *Mycenis*, nam omnia erepta ex *Troianis ruinis*. Quæ hîc desunt capienda à Notis, si priùs expendas apta hæc fuisse munera, & fœminæ & Reginæ: fœminæ, nam hic sexus gaudet textilibus: Reginæ, nam pretiosa hæc dona. Præterea, quid facere opportunius Æneas potuit ad conciliandam Didonem? Ad exhibendum gratum animum? Absoluit, iuisse Achatem ad naues cum his mandatis.

NOTÆ.

1. CONSISTERE MENTEM] Ab nonnullis legi *mente* Germanus notat, quoniam Cicero *mente consistere*, & in Ant. & ad Q. Frat. dicit, loca sunt obuia. Sed certè vulgaris lectio defendi potest.

2. ILIACIS EREPTA RVINIS] Tale illud Buc.
—nec tuta mihi valle reperti
Capreoli.

Palla demissa ad pedes.

3. PALLAM] Fuit hæc promissa ad pedes. Tibullus lib. 1. eleg. 7.
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Inde credo ab Horatio *honesta* dicta, facit enim ad

A honestatem promissio, in epist. ad Pison.
Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Æschylus.

De forma eius notat Iunius, eam diuisam fuisse antrorsum, & nodis, ac plurimis fibulis astringi solitam. Fuit fœminarum, vt apparet ex Virgilio hîc: fuit aliquando virorum, vt ex Statio 2. Achill.

Fuit fœminarum, & virorum.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Eadem induit Mercurium lib. 7. Theb.
—crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadij bene protegit vmbra galeri.

4. SIGNIS AVRÓQVE] Id est, explicante Seruio, signis aureis, vt illud, *pateris libamus, & auro.* Ab auro, quo palla intertexta, dicta est Statio *aurata*, Tibullo *lutea.* Loca iam attuli. Huc pertinet nota Lilij

B dictam, φλογοειδῆ. est color aureus flammeus.

5. RIGENTEM] Propter duritiem auri. Vel alludit fortasse (ait Germ.) ad rectam tunicam, quæ ὀρθὴ ἐσθὴς, quæ ita erat contexta, vt veluti rigens staret, qua nouæ nuptæ induebantur, quámque liberis parentes ominis causa conficiendam curabant. Rectæ tunicæ elegans testimonium est in Plinio lib. 8. cap. 48. vt Virgilius *rigentem auro*, ad verbum Pindarus φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν.

Tunica recta.

6. ET CIRCVM TEXTVM] Notat oram vestis, & fimbriam: itaque acanthus erat textoria arte ad oram velaminis. Quemadmodum Græcùm περιπόρφυρον erat vestis, cuius ora & circuitus purpura prætexebatur, inde Latinæ prætextæ respondet.

C 7. CROCEO] Explico *aureo.* Croceus enim flauore suo, vt qui ruber est, dicente Ouidio,

Croceus, id est, aureus.

nec fuerant rubri cognita fila croci,
quandam auri similitudinem refert. Cur ergo non *croceo* explicem, aureo? Hoc dixi, vt nonnullis satisfaciam, qui anxiè quærunt, cur Poëtæ acanthus dicatur croceus? Dico ergo, hunc colorem datum acantho ab arte, non à natura. Nam quid potiùs statuas in tanta varietate colorum, quibus acanthus afficitur? Rombertus satiuo *subnigricantia* dat folia, eadem fere agresti. Fuchsius ex Dioscoride foliis colorem *nigricantem*, flori autem *candidum.* Ruellius florem *albentem* facit, fortasse quia ab Athenæo, lib. 13. dicitur λευκόχρως. Syluestrem Dalecampius agnoscit *flore puniceo*, Calpurnius *rutilum* vocat. In hac itaque varietate ad artificem confugio, qui croceum

Acanthi color.

D fecit in ea veste. Sed vtilis in primis est Germani nota, qui ait allusum à Poëta ad κρόκωτον, vestem nimirum rotundam, & fimbriatam, quæ nobilibus matronis in vsu fuit, cuius meminit Plutarchus in lib. εἰ γέρον. πολιτ. vbi Herculem sedentem inter ancillas Omphales, vocat κροκωτοφόρον. Euripides quoque in Phœniss. στολίδα κροκόεσσαν dixit, ad eandem vestem alludens. Erat autem crocota, aut crocotula vestis muliebris, dicta à croco. Adi Bayfium.

Crocota.

8. VELAMEN] Seruius, Corradus, Nascimbænus, turba reliqua intelligunt per *velamen*, cycladem, genus vestis tenuissimæ, qua fœminæ vtebantur. Eius meminit Iuuenal. Sat. 6.

Cyclas, genus vestis.

E *Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade.*
Propertius
—longa Cyclade verrit humum.
Sidonius lib. 1. epist. 5. *cyclade pronuba.* Cycladem forsitan

fortasse intellexit Petronius verbis istis, *nebulam lineam, & ventum textilem.* voluit videlicet signare vestem tenuissimam.

9. ACANTHO] Habuit acanthus apud omnes eã gratiam, vt eo vtantur ad ornãda pocula, vestes, marmora. De poculis Ouid. 13. Met.

Acanthus in poculis, vestibus, marmorib.

Summus inaurato crater erat asper acantho.

vide Virgilium. 3. eclog. De vestibus Virgilius hîc. De marmoribus Vitruu. lib. 2. cap. 7. *Habent* (præcessit, *monumenta*) *& statuas amplas factas egregiè, & minora sigilla, floresque, & acanthos eleganter scalptos.* Inde Romanis hanc herbam dictam *marmorariam* Fuchsius admonet, & inde corrigit locum Dioscoridis. vide de hac re tum Fuchsium ipsum, tum Philandrum in Vitruu. lib. 4. c. 1. Noto hîc, hanc vestem, in qua acanthus erat intextus, præclarè offerri Didoni in munus, nam herba hac abundabat Phœnicia, & in primis Sidon, in quibus orbis partibus natales & patria Didonis. Inde Statio dictum li. 3. Syluar.

Acãthus herba marmoraria.

Hic tibi Sidonio celsum puluinar acantho
Texitur, & signis crescit torus asper eburnis.

Nisi quis hoc deflectat ad puniceum colorem, quo interdum herba hæc afficitur.

10. ARGIVÆ HELENÆ] sic Homerus Ἀργείην Ἑλένην. Doctè autem Germanus monet, Helenam non Argis natam, sed Lacedæmone: dici tamen Argiuam, quia, Argos non pro vrbe solùm accipiatur, sed etiam pro tota Peloponneso, vbi erat Laconia: quod probat testimonio Strabonis lib. 8. atque ex Plutarcho, qui adhuc vult, Græcos omnes ex æquo dici Argiuos ἐν Ῥωμ. aduocat etiã Eustathij testimonia.

[Ar]gos.

11. INCONCESSOS] Hac forma Arnob. lib. 1. *inconcessi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates.*

12. MATRIS LEDAE MIRABILE DOMVM] Dicitur donum Ledæ, non solùm quia dedit, sed quia fecit, ex nota Nascimbæni. quia numquam fere huiusmodi descriptiones proponit Virgilius, quin artificum quoqꝫ mentionẽ faciat. Andromache. 3. Æn. Ascanio chlamydem donãs, ait: *manuum monumenta mearum.* & in. 4. vbi sermo est de chlæna, ait Noster:

—Diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.

In Claudian. Consulatu Probini leges:

Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor
Ilia, percurrens vitreo sub gurgite telas.

13. SCEPTRVM, ILIONE QVOD GESSERAT] Innuit, olim regia insignia, coronam & sceptrum gestari solita à filiis regum, etiam viuentibus parentibus. De quo more ego alibi. Ceterùm Ilionam (notante Delrio in fragmenta Tragicorum veterum) Laodicen Homerus nominat. 6. Il. Hæc, capta Troia, impetrauit à Diis, vt, ne in Græcorũ potestatem veniret, terra sibi dehisceret. auctor Calab. lib. 13.

Iliona, & Laodice eadem.

14. COLLOQVE MONILE BACCHATVM] Solebat monile ornari gemmis & margaritis. has hîc, credo, intelligit, cùm Bacchatum nominat. Nam Apuleius lib. 5. de As. *gemmosa* nominat monilia. & Sueton. in Gal. c. 18. *monile margaritis gemmísque consertum.* Tullius. 6. in Verr. monile Eriphyles exhibet *ex auro & gemmis.* Inde Aristides orat. ad Smyrnam monile vocat *varium.* ἐν ὅρμῳ ποικίλῳ. cum respectu credo ad varietatem gemmarum. Ad eandem varietatem pertinent verba Achillis Alexandrini. lib. 2. vbi describit monile. Quæ ad rem aliam iam attuli suprà in hoc libro. Eodem pertinet descriptio monilis apud Nonnum lib. 5. Dionys. adducam integros versus, vt ex quibus pendent multa, quæ pertinent ad formam monilis. Ait itaque;

Monile.

Ποικίλον ὅρμον ἔτευξεν, ὃς ἀστεροφεγγέϊ νώτῳ
Ὡς ὄφις ἦν ἑλικῶδες ἔχων δέμας, οἷα γὰρ αὐτὴ
Δίστομος ἀμφίσβαινα μέσῳ μηρύεται ὁλκῷ,
Ἰὸν ἀποπτύουσα δι' ἀμφοτέροιο καρήνου
Ἀμφελελιζομένη μελέων ἑτερόζυγι παλμῷ.

Varium monile fecit, quod stellis lucente dorso
Tanquã serpẽs erat, circulare corpus habẽs, velut enim ipsa
Duplicis oris amphisbæna medio reuoluitur tractu
Aculeum exspuens ex vtroque capite
Circumuoluta membrorum alteriuga vibratione.

Pergit multis aliis. & signatius est illud, quo demittit monile ἐς ὀμφαλὸν, *ad vmbilicum.* Dignus est locus, qui adeatur ad cognitionem monilis.

15. DVPLICEM] An, quia binæ coronæ adductæ? an, quia vnica, sed hæc duplici materia, auro, & gemmis? an demum, vnica quoque, sed ea ita lata, & magna vt dici duplex posset? cuius locutionis auctorem habemus Poëtam ipsum, de qua alibi. Placebit alicui alterum præ primo, & tertio, nam Terentius Varro in Eumenidib. *coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit.*

16. CORONAM] Doctè notat Germanus inter præcipua hospitalitatis dona habitam coronam à veteribus, & inde offerri Didoni. Tacitus lib. 14. Annal. *nec multo pòst legati Tigranocerta missi patere mœnia afferunt, intentos populares ad iussa, simul hospitale donum coronam auream tradebant.*

Corona inter dona hospitalitatis.

17. HAEC CELERANS] Ita Claudianus. 1. Rap. *Accelerat præcepta Venus.* & Apuleius lib. 2. *amenti similis celero vestigium.* Ammianus lib. 14. *celerare gradum.* Vbi sunt neutra illa Grammaticorum?

a At Cytherea nouas artes, noua pectore versat
Consilia: vt faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat: donísque furentem
Incendat Reginam, atque ossibus implicet ignem.
b QVIPPE DOMVM timet ambiguam, Tyriósque bilingues,
Vrit atrox Iuno, ET SVB noctem cura recursat.
c Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
d Nate meæ vires, mea magna potentia, solus:
Nate, Patris summi qui tela Typhoëa temnis,
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

ARGVMENTVM.

Venus interim, quo omnia firma sint & munita aduersus insidias Iunonis, & Pœnorum dolos, cogitat pro Ascanio Cupidinem supponere, cuius, priùs quàm causam aggrediatur, beuolentiam captat.

EXPLICATIO.

a Nihil aptius potuit induci sequente fictione, quæ tota habet veri similitudinem. Eligitur Venus, quæ & Dea amoris, & Æneæ mater; vt sic & Reginam amore incendat, & Æneæ causa laboret:

ret: eligitur Cupido, qui & Deus amoris, & Æneæ frater, & filius Veneris; vt sic & Reginam flamma implicet, fratri ſubueniat, matri pareat. His omnibus prouidit Poeta honori Didonis expugnatæ. Iam ad rem. *At Cytherea*, ſic dicta Venus à monte. *verſat pectore*, pectus quippe ſedes conſilij. *artes*, id eſt, dolos, eſt enim ars vna è mediis vocibus, quæ tam ad bonam, quàm ad malam pertinent partem, & hîc ad malam. *nouas*, quia Venus, quæ prima Iouem adierat, nunc Cupidinem. *conſilia noua*, doli enim abſque conſilio non fiunt, ideo cùm artes dixiſſet, conſilia addidit: Itaque non eſt vitium iterationis. Sequitur conſilij explicatio dilucida, videlicet, *vt Cupido mutatus faciem, & ora, veniat pro dulci Aſcanio*, eſt hæc Græca conſtructio, Latinè dicas, mutata facie, mutato ore. *incendátque donis*. en tibi muliebre ingenium, facilè donis expugnatur. *Reginam furentem*, figurata locutio, pro, incendat, & faciat furere. *atque implicet ignem oßibus*, cauſa ſuperioris ſententiæ. amor enim in ipſis oſſibus & medullis, intúſque hærens, extra furentem reddat.

[b] Cauſa duplex totius conſilij, ſcilicet Afrorum nota vafricies, Iunonis nota ira: ab vtroque malo timebat Venus. Afri quippe ambigui ſunt, & bilingues, ac perinde mobiles: Iuno, vt quæ *atrox*, Venerem *vrit*, & quieſcentem adhuc non ſinit, quippe *recurſat cura*, id eſt recurrit ſæpe, perpungitque Venerem, atque ſauciat.

[c] Concluſio cogitationum, quas ſecum Venus voluerat, adit itaque filium Cupidinem.

[d] Hi tres verſus exordium continent. Captat filium affectu amoris, bis vocans natum; captat prædicans illius potentiam; hæc duplex eſt, nam & matris Veneris vnica eſt virtus ac potentia, & Iouis Iliúſque fulminum contemptor. illa videlicet fulmina contemnit, quibus Iuppiter Typhoeum confecit, quæ acria, & dira, & ab omnibus prædicata, vt ſæuiſſima. Abſoluit exordium iſtis, *Ad te confugio*. quid non mater à filio obtineat? *& ſupplex tua numina poſco*, quid efficacius? cogita matrem, & videbis quis hîc affectus. Nolo tamen, vt ſupplicabundam corpore intelligas, tantùm voce, vt *ſupplex* hîc, ſit ſupplicans. Recurre ad illud,

Ad quem tum Iuno ſupplex his vocibus vſa eſt.

NOTÆ.

Pectus ſedes ſapientiæ. 1. PECTORE VERSAT CONSILIA] Pectus eſſe ſedem ſapientiæ & conſilij, efficiunt verba Valer. Max. lib. 7. c. 2. vbi loquens de Biante, qui fugiens portabat ſecum omnia ſua bona, id eſt, ſapientiam, ſignare ait: *pectore enim illa geſtabat, non humeris*. Plauti Epid. act. ſcen. 2. *ſapit hic pleno pectore*. in Milit. *cui ſapiat pectus*. in Moſtell. *mihi in pectore conſilij quod eſt*. & Bacchid. *verſipellem frugi conuenit eſſe hominem, pectus cui ſapit*. Idem iam cor, iā animū vſurpat ad eandem rem. Nam in Moſtell. *Dum mihi ſenatum conſilij in cor conuoco*. & in Milit. *Dum ego mihi conſilia in animum conuoco*.

Amor in oſſibus. 2. ATQVE OSSIBVS IMPLICET IGNEM] Frequens Poëtis, aliis etiam, amoris ignem oſſibus, medullis, & intimo corde includere, nullo vulnere exteriùs apparente, nullo ſigno. Poëta ipſe, *occultum inſpires ignem*. & in. 4.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

& *—Traxítque per oſſa furorem.*

Petronius Satyr. *In hoc pectore cùm vulnus ingens fuerit, cicatrix non eſt*. Archilochus apud Athen. de eadem re loquens. πεπαρμένος δι' ὀστέων· *transfixus oſſa*. Catullus, *pectore vritur intimo*. alibi.

— aßiduis quam luctibus extenuauit,

Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.

Idem, *imis exarſit tota medullis*. Ouidius, 2. Am. aſpirans ad Catullum,

Quid geminas Erycina meos in corde dolores?

Poſſunt pertinere ad hunc locum, quæ habes in Iunio, cent. 2. adag. 76. Harum etiam deliciarum plenus Plautus.

3. DOMVM AMBIGVAM, TYRIOS BILINGVES] Carthaginenſes habiti vafri & aſturi. Ex hac nota Vegetius lib. 1. c. 1. *Afrorum dolis ſemper impares fuimus*. Plautus Pœn. *Nullus me eſt hodie Pœnus Pœnior*. ibidem ad hominem Pœnum. Afri doloſi.

At hercle te hominem & ſycophantam, & ſubdolum,
Qui huc aduenisti nos captatum migdilibus,
Biſulca lingua, quaſi proſerpens beſtia.

Huius vitij collati in Pœnos, quo illi infames ſunt, triplicem fontem præcipuè inuenio. Potuerunt contrahere hāc notā, ſaltem augere, ab Annibale, qui aſtutiſſimus mortalium. Iuuat Petron. qui in Satyr. *Quæ autem hîc inſidiæ ſunt? aut quis nobiſcum Annibal nauigat?* Liuius lib. 21. de Annibale ita: *Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus Dei metus, nullum iuſiurandum, nulla religio*. Deinde ab loco: loca enim maritima (talis Carthago eſt) expoſita ſunt vitio fraudulentiæ. Quam ad rem pertinet Platonis locus è lib. 4. leg. *Profectò mare ciuitati proximum quotidiana quadam iucunditate eam afficit: verumtamen vicinitas ea nimiùm reuera falſa eſt, atque amara. Nam, cùm mercibus & pecuniis cauponando ciuitas repleatur, doloſi animi inſtabiles & infidos mores parit. vnde parum & ipſa ad ſeipſam, & ad gentes alias fidem & amicitiam colit*. Tertio ab vſu linguæ: hoc Turnebo placet. Vtebantur Carthaginenſes miſto ſermone Tyriorum, & Afrorum. qui autem vtuntur lingua duplici, infideles plerumque ſunt. Adduco pro hac cauſa Plautum Pœnul. ab Annibale. ab loco. ab vſu linguæ.

—Is omnes linguas ſcit, ſed diſſimulat ſciens
Se ſcire, Pœnus planè eſt: quid verbis opus eſt?

Atque etiam verba veteris interpretis Horatiani, qui in eum locum, *Canuſini more bilinguis*. ita ait: *Bilinguis dicitur, quoniam vtraque lingua Canuſini vſi ſunt, ſicut per omnem illum tractum Italiæ, quam ex maiore parte Græci incoluerant. ex quo magna Græcia nomen accepit. ideo ergo & Ennius, & Lucillius Brutaces bilingues dixerunt*: ſic emendat verba Porphyrionis Ioſ. Scalig. hanc tertiam cauſam videtur Poeta indicare, qui poſt illa *domum ambiguam*, ſubiicit, *Tyrióſque bilingues*, quaſi ſe explicans. Iuuat Thucydides lib. 4. qui cùm mentionem feciſſet βαρβάρων διγλώσσων *bilinguium barbarorum*, addit pro ratione partem illam, de qua loquitur, miſtam ſermone Chalcidenſium, & Pelagicorum. Græci certè homines fraudulentos διγλώττους vocant, & διχομύθους ab duplici lingua, & ſermone duplici.

4. SVB NOCTEM CVRA RECVRSAT] Nox magna parens curarum. Propertius lib. 4. Nox parens curarum.

At mihi cùm noctes induxit ſemper amaras.

ſuprà in hoc libro, *per noctem plurima voluens*. Quem locum adi. vt hic *recurſat*, pari forma Plautus Moſtell. *Quid ego huc recurſem, aut operam ſumam, aut conteram.*

5. ALIGERVM] Hæc nota Cupidinis frequentiſſima. A Platone in Phædro, & ab Orpheo in hymno πτερόεις dicitur, à Phornuto πτερωτὸς, à Proclo in hymno Veneris numero multitudinis πτερόεντες ἔρωτες, ſicuti ab Ariſtæneto lib. 2. epiſt. 10. ὦ χρυσόπτεροι παῖδες Ἀφροδίτης· *ô auripenni Veneris pueri*. Philoſtratus quoque in Iconib. dat amoribus πτερὰ δὲ κυάνεα, καὶ φοινικᾶ Cupido pennatus.

φοινικᾶ, καὶ χρυσᾶ ἔνιοι, *pennas cæruleas, & phœniceas, & nonnullis aureas.* Callistratus in statuis de illo πτέρυγας ἔχων, Cicero lib.3. Nat. *pennatum* dixit. inde Satyrus in simulacrum Amoris ligati ita admiratur

Τὸν πτερόεντα τίς ὧδε; τίς ἐν δεσμοῖσι θοὸν πῦρ
Ὤχμασεν;

Aligerum quis sic? quis in vinculis velocem ignem grauabit? Moschus non cōtentus dixisse alatum, auem etiam nominat, πτερόεις ὄρνις. Propertius dat illi lib. 2. *ventosas alas.* Causam si quæras, Propertius hanc assignat,

Cupido dictus auis.

Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostraque nonnullis permanet aura locis.

Marullus ad inconstantiam retulit in optimo epigrammate:

Quis pennas humeris dedit? inconstantia.

Heliodorus lib. 4. hist. Æth. ait signari agilitatem pernicitatémque amantium. Istæ omnes in idem incidunt inconstantiæ, & mutabilitatis vitium. Vnus Ariston. Pythagorista assignat aliam præcedentibus. videlicet vt ferat σκῦλον ἀπὸ τῶν πολεμίων, *exsuuias ab hostibus.*

6. NATE] Scribendum hîc *gnate*, non, *nate*, Pierius notat, & Achilles Statius cap.18. obseruationum. iuuat Catullus, ad quem in geminatione allusit procul dubio Noster. Ille de Nup. Pel.

Gnate mihi longa iucundior vnice vita
Gnate.

Atqui in Catullo docti omnes legunt *gnate.* Ceterùm de matre Cupidinis, quid ego hic? Adi Lilium, & Natalem, vbi fabularum discrimina. Addam à me, Poetas aut alios fabulatores cùm repræsentant vnum tantùm Amorem, tribuere illi matres diuersas: cùm duos, semper Venerem: cùm multos, vni Cupidini Venerem, reliquis nymphas. Firmo primum ex Hesiodo, Simonide, Alcæo, Sapphone, Alcmæone, qui vnum cùm exhibent, variant in matribus, nam primus ait genitum Amorem ex Chao, & Terra; alter ex Venere, & Marte; Tertius ex Lite, & Zephyro: quarta Sappho ex Venere, & Cælo; postremus ex Zephyro, & Flora. Alterum ex Ouidio. 1. Fastorum,

Amorum matres.

Alma faue, dixi, geminorum mater Amorum,

& Horatio,

Quam vocat matergeminus Cupido.

hi enim, vt qui duos tantùm exhibent, vtrique dant matrem Venerem. Itaque Venerem intellexit, & duos tantùm Cupidines. Idem Horat. od. 1. lib. 4. in illo,

Mater sæua Cupidinum.

Tertium ex Claudiano, qui multos producens, vnum tantùm dat Veneri, reliquos nymphis. Canit enim,

Amores multi.

Mille pharetrati ludunt in margine fratres.
Ore pares, æuo similes, gens mollis amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea contra
Edidit.

Sic capiendus Sidonius in eleganti descriptione Amorum epithal. Ruricij, vbi quamuis reliquos Amores à Cupidine, non dicat genitos Nymphis, sed aspirans ad Claudianum, idem profectò sensit. Versus Sidonij pulcherrimos hîc constituo,

Ponè subit turmis flagrantibus agmen Amorum:
Hic cohibet Delphina rosis, viridíque iuuenco
Hic vectus, spretis pendet per cornua frenis.
Hi stantes motu titubant, plantáque madenti
Labuntur, firmántque pedum vestigia pennis.

& post pauca.

Solus de numero fratrum, qui pulchrior ille est
Deerat Amor, matrem celeri petit ille volatu.

Demum id astruit Philostratus lib. 1. Icon. πλῆθος αὐτῶν (ἐρώτων) μὴ θαυμάσῃς. Νυμφῶν γὰρ δὴ παῖδες οὗτοι γίγνονται· *Amores esse multos ne mirere, hi namque Nympharum sunt filij.*

7 MEÆ VIRES, MEA MAGNA POTENTIA] vocat Venus Cupidinem vires suas, potentiam suam. Illustrabit hoc Plutarchus ἐν Ἐρωτ. ἀσθενὴς γὰρ ἀψίκορος ἡ τῆς Ἀφροδίτης χάρις ἔρωτος μὴ ἐπιπνέοντος· *languida est & fastidiosa Veneris gratia Cupidine non spirante.* Ibidem rem firmat comparatione, ait enim tenebrosam esse terram absque Sole, & Venerem μὴ παρόντος ἔρωτος, *absente Amore.* vide eundem ab eo loco, ἀλλ' ὅμως τὸ μέγα, &c. longè ab initio, sed ante medium. Apud Statium. 1. Syl. ita Venus loquitur ad Amorem:

Cupido virtus Veneris.

Sed dabitur iuueni, cui tu mea summa potestas
Nate cupis.

Ab Platone in conuiuio, Amor dicitur Ἀφροδίτης ἀκόλουθος, καὶ θεράπων *sectator, cultórque Veneris.*

8. PATRIS SVMMI QVI TELA TYPHOEA TEMNIS] Indicatur istis Amoris potentia. Sed quæ hæc? Possum multa coniungere. Pauca breuiter accipe. Anacreon apud Dionem Chrysost. orat. 2. ὦναξ, ᾧ δαμάλης ἔρως· *Rex ô cuncta domans Amor.* Heliodorus lib. 4. Hist. Æthiop. ait, hunc deum esse Deorum maximum. Quod potuit sumere ab Euripide in Hippol. qui vocat μέγιστον θεὸν, *Deum maximum*, quod & Athenæus citat. vel ab Platone, qui in conuiuio, μέγας θεὸς εἴη ὁ ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις καὶ θεοῖς· *Magnus est, & admirandus amor, tum apud homines, tum apud Deos.* Aristides in orat. ad Bacchum, ὁ δὲ θαυμαστὸς ἀνθρώπων τύραννος ἔρως· *admirandus hominum tyrannus amor.* Chorus apud Sophocl. in Antig. ἔρως ἀνίκατε μάχαν· *amor inuicte prælio.* Philostratus Iunior in Iconib. ait amorem ferre πλήρη τῆς νίκης τὸν κόλπον, *sinum plenum victoriarum.* Callistratus in statuis, ἔρωτα τύραννον θεὸν, καὶ μέγαν· *Amorem tyrannum Deum, & magnum.* Ad hanc potentiam pertinet pictura de Ioue conuerso in taurum, quam Achilles Alexandrinus exhibet verbis istis interpretis: *sanè paruulus infans taurum trahebat, alas interim expandens, pharetram gestans, faces retinens, atque ad Iouem conuersus ridebat, quasi eum, quòd sui causa in taurum mutatus esset, irrideret. Ego igitur cùm alias picturæ partes laudabam, tum Cupidinem taurum trahentem accuratiùs intuens, ita mecum loquebar: en, vt infantis iussa, cœlum, terra, mare faciunt.* Ad hoc pertinet epigramma Moschi, quod præclarè vertit Politianus, *Peram humeris habilem*, &c. Nec non Sannazari epigramma illud, *De Veneris nato questa est*, &c. lege. & epigramma Philippi de Amoribus gestantibus Διὸς κεραυνόν. versionem in Natali inuenies lib. 4. *Exsuuiis superum*, &c. atque etiam distichon statuæ Cupidinis subscriptum, etiam ex Græco:

Amoris potentia.

Iuppiter in taurum versus.

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Pensa dedi Alcidæ, Bacchum seruire coegi.

Adiunge etiam Homeri versus. 4. Il. δὸς νῦν μοι, &c. & locum Aristæneti lib. 1. epist. 15. locum quoque Platonis in conuiuio satis longum, vbi mirè de potentia Amoris, ab ea parte, οὗτός ἐστιν ὁ ποιῶν, &c. ac demum lege Clementem li. 6. Strom. vbi committit de potentia Amoris Anacreontem, atque Euripidem. Nolui ista dare, tantùm indicare, omissis aliis in quæ incidi.

[a] Frater vt Æneas pelago tuus omnia circum
Littora iactetur, odiis Iunonis iniquæ,
Nota tibi, & nostro doluisti sæpe dolore.
[b] Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus, & vereor quò se IVNONIA vertant
Hospitia: HAVD TANTO cessabit cardine rerum.
[c] Quocirca capere antè dolis, & cingere flamma
Reginam meditor, NE quo se numine mutet,
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
[d] Quà facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
[e] Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura:
Dona ferens pelago, & flammis restantia Troiæ.
[f] Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium secreta sede recondam:
[g] Ne quà scire dolos, mediúsve occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non ampliùs vnam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt, cùm te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticémque Lyæum:
Cùm dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallásque veneno.

ARGVMENTVM.

Reuocat Venus Cupidini in memoriam, odium Iunonis aduersum Æneam, docet quem locum huius res habeant nunc apud Didonem, quæ ne illius sæuitia immutentur, oportet vt ipse Ascanij formam, noctem vnam, capiat, Reginámque in conuiuio inter amplexus atque oscula in amorem Æneæ incendat: Ascanius interim alicubi lateat altissimo somno correptus.

EXPLICATIO.

[a] ORATIO hæc est in genere deliberatiuo. Rē efficit Venus ab iusto, honesto, facili, necessario. Insunt etiam circumstantiæ temporis & locorum. Ergo peracto iam exordio, incipit narrationem: quo verò efficaciùs vrgeat natum, ipsum testem adducit, *Nota (inquit) tibi sunt* &c. Adiicit fraternam commiserationem, vt cùm audiat *frater tuus*, putet rem esse propriam. Est enim hoc efficacissimum, *scis, vt frater tuus iactetur circum omnia maria*. Pergit, *odiis Iunonis*. aptum hoc ad commouendum. Illi enim Dij, vt iracundi & mali, non tam gaudebant offerri sibi occasionem sæuiendi in homines, quàm in Deos alios: vt apparet ex tota Iliade. *iniquæ*, Non satis suppetit, qui hîc Poëtam laudem. omnia is videt. Aliquoties in hoc opere Venus queritur de Iunone, nunquam tamen erumpit in verbum ita intemperans. Nunc cùm tutò potest, nam secretò loquitur, & cum filio tantùm, venenum euomit. Volo etiam consideres, verba Poetæ in hoc initio implicata esse, ad explicandas (credo) rerum difficultates, in quas coniectus est Æneas. Pergit. *& nostro doluisti sæpe dolore*. Hactenus reuocauit in memoriam præterita. Iam deinde aperiet, quo loco sint res Æneæ apud Didonem.

[b] A facili. Poteris rem perficere, cùm ipsamet

A Dido vltro Æneæ blandiatur. *& vereor, quò se* &c. προληπτικῶς. Tametsi nunc humanissima sit Dido, sed quis scit, quid in his hospitiis contra nos Iuno machinetur? *haud tanto cessabit cardine rerum*. Còniecturale argumentum. Putas Iunonem cessaturam hac oblata occasione? acquiescet tantis rerum momentis?

[c] Ex dictis colligit consilium suum, & quia cum filio loquitur, non veretur fateri de dolis, quos vult astruere, præsertim contra Iunonis dolos, hos enim intelligit in illis, *ne mutet se numine aliquo*, id est, Iunonio, *sed teneatur amore magno Æneæ*. Sed quid est hîc *mecum?* Explico, vnà me rem gerente, me simul adnitente, & impensè rem curante. Nam illud, quod obuium apparet, amet illum, vt ego amo,
B quia triuiale negligo, nihil enim Poëta triuialiter.

[d] Locus attentionis. Inuenit hîc decorum Nascimbænus. Nam mentem maluit Poeta per extenuationem, quàm consilium dicere: vt, si quæ Venus dixisset, quæ essent minùs ad rem idonea, Cupido ipse meliora adduceret, neque vereretur Veneris menti aliquid addere. Hoc quippe decorum esset, non item consilium Veneris disturbare ac mutare.

[e] En iam consilium ductum ab occasione, qua puer à patre vocatur. Vocat illum *curam suam maximam*, qua videlicet foueri nepotes solent. Quid hic autem, in quo sita spes Troiani nominis?

[f] Προληπτικῶς occurrit dubitationi. & obiter iactat gloriabunda loca illa, quæ sibi sacra. verbis istis *sopitum somno*, innuitur arctior, & altior somnus.

C [g] Ratio superioris consilij. Condam, nequis possit scire. Sequitur. *Tu faciem illius*, &c. id est, tu Ascanij faciem dolo ementire. te illi per dolum assimula. Scholion Iul. Scaligeri hoc est, *falsam habeas illius faciem, præ te feras*. Qua explicatione pugnat Scaliger in Seruium. *noctem vnam, non ampliùs*, hoc à facilitate, in qua persistit, cùm subiicit, qui puer es, potes facilè induere vultus pueri. Est adhuc maior facilitas

tas in his quæ sequuntur, *vt, cùm te Dido*, &c. Est enim facile ignem inspirare, & veneno fallere Reginam lætissimam inter mensas, intra vina, accipientem gremio Cupidinem, cum amplexu, cum osculis, hisque dulcissimis. *regales mensæ*, hîc sunt cibi, & fercula, de quo alibi non τράπεζαι.

NOTÆ.

1. ET NOSTRO DOLVISTI SÆPE DOLORE] Ita Eurip. Bacchis. ἄλγησε τ' ἄλγος.

2. HVNC &c.] Deflexit ab Homero qui has lineas.

Τῆ θυγάτηρ δύστηνον ὀδυρόμενον κατερύκει,
Αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι, καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι
Θέλγει, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται:
Huius filia infortunatum legentem detinet.
Semper enim lenibus & dulcibus sermonibus
Demulcet, vt Ithaces obliuiscatur.

3. PHOENISSA] pari forma Varro in Menippea, *Libyssa citrus*.

4. TENET] Iulius Scal. *verbum clarius, ac minùs plebeium hoc loco, quàm si, vt in Bucolicis, dixisset: Postquam nos Amaryllis habet.*

5. VEREOR, QVÒ SE IVNONIA VERTANT HOSPITIA] Huc pertinent, quæ dicentur. 2. Æn. ad illud, *timeo Danaos, & dona ferentes.*

Cardo rei, adag. 6. CARDINE] Vide in Eras. quæ ex Seruio sumpsit, quæ ipse addidit, chil. 1. cent. 1. cap. 19. & adde à me Hieronymum epist. 10. ad Pammachium, qui etiam prouerbialiter. *hîc totius negotij tui cardo versatur, hæc tua est defensio.* Theophilum lib. 2. ad Autolycum, *in hoc negotij cardo vertitur.* Arnobium lib. 7. *ventum est rei ad cardinem.* Senecam lib. 4. de Benef. *In illo tamen cardine positi, abire è rebus humanis quàm gratissimi volumus.*

7. CINGERE FLAMMA] ducitur metaphora à militaribus vrbium obsidionibus: ipse in 10.

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flamma.

Totus Poëtæ locus desumptus apparet ex Apollonio. 3. Arg. Vbi Venus Cupidinem sollicitat, vt Medeam incendat in amorem Iasonis.

8. REGIVS] Disce loqui non triuialiter, disce innectere, quæ sibi inuicem respondent. Tria periphrasticè in hoc versu inuoluit, *Regius puer, chari genitoris, vrbem Sidoniam.* pro Ascanio, Ænea, Carthagine. Alius nihil cogitans cum vnius periphrasi, alterius nomen clarum poneret. Sed de hac obseruatione Virgilij, & de aliorum incuria dicam alibi.

9. MEA MAXIMA CVRA] De eodem alibi: *Veneris iustissima cura.*

10. DONA FERENS PELAGO, ET FLAMMIS RESTANTIA TROIÆ] Est hoc quod suprà flexu alio: *relliquias Danaûm, terræque marisque.* & alibi: *Troia ex ardente receptas.* &, *Iliacis erepta ruinis.*

Idalij vrbis etymon. 11. IDALIVM] Idalij etymon hoc affert Stephanus. Ditio illa, vbi nunc est Idalium, data est Chalcenori cuidam ea lege, vt ibi vrbem conderet, vbi primùm orientem solem conspiceret, quem cùm è comitibus vnus cerneret, monuit Chalcenorem, vti solem videret. Inde quo loci visus est sol, condita est vrbs, & dicta Idalium ab εἴδω, *video*; & ἥλιος, *sol*. Inde itaque nemus Cypri Veneri sacrum, vbi Venus vult, vt Ascanius lateat, dictum est etiam Idalium, quia illi vrbi proximum. In hoc culta est Venus, & ab eo dicta Idalia. huius

A meminit Theoc. εἰδ. 15.

Δέσποινα ἃ Γολγώς τε, καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας·
O Dea, quæ Golgon colis, Idaliósque recessus.

Quæ tam de nemore, quàm de oppido capi possunt. Ab hoc seu oppido, seu nemore Charites Veneris comites dicuntur *sorores Idaliæ* Claudiano in epithal. Honorij. Charites cur dictæ Idaliæ.

12. REGALES] Epithetum ad conuiuiorum splendorem augendum frequentissimum. ita Ouid. 6. Met. *Regales epulæ mensis.* & Stat. 2. Theb. *regales epulas & gaudia vulgi.* Hieron. epist. 83. *regias paret epulas.* Ammianus lib. 18. *mensæ regales.* sic. 6. Æn. *Regifico luxu.* Val. 2. Arg. *mensæque paratu Regifico.* Silius. 11. Regalis, de epulis.

Regificè exstructis celebrant conuiuia mensis.

B Quicquid enim regium est, ita magnum plerumque est, vt locum dederit his locutionibus. Philo quoque lib. 1. de vita Mosis in re conuiuij φιλοτιμίαις βασιλικαῖς. Græca quoque voce Plautus Pers. *Basilico accipière victu.* Inde (quæ nota Brissonij est lib. 1. de Reg. Pers.) cùm Horatius dixit,

Persicos odi puer apparatus,

intellexit *regales*. Nam vetus interpres: *Persicos, regales.*

13. LATICEMQVE LYÆVM] Dabo hîc Notam Hartungi Decur. 3. Solent Græci duo substantiua coniungere, quorum alterum pro adiectiuo capiendum. Vt νηυσὶ πρυμνῇσι, *nauibus puppibus*, pro, nauibus postremis. Ita Homerus. 10. Il. νηῒ παρὰ πρύμνῃ. & Odyss. 2. νηῒ δ' ἐνὶ πρύμνῃ. Ergo, *laticem Lyæum* pro liquore Bacchico. Hic enim non est, Lyæus, æa, æum: sed nomen substantiæ. Ita lib. 11. *ferro sonat alta bipenni*, id est, ferro bipennato, & vtrinque acuto. Placent ista, sed qui volet tamen accipere nomen adiectionis, possit. vt sit quod Aristop. dixit, Βάκχιον νᾶμα. Præsertim cùm *bipennis* nomen sit adiectionis, non substantiæ, vt liquidum ex Terentio Varrone in Parmenone: *Ferens ferream humero bipennem securem.* Substantiuũ pro adiectiuo. C

14. OSCVLA FIGET] Phrasis Lucretij, qui lib. 4.

foribus miser oscula figet.

ibidem. *labellis affigunt oscula.* Repetit Noster. 2. *oscula figunt.*

D 15. INSPIRES IGNEM] Congenitum hoc cum Cupidinis pictura, qui semper cum face. Tibullus ad illum lib. 2. Cupido cum igne.

Sancte veni, dapibus festis, sed pone sagittas
Et procul ardentes hinc procul abde faces.

Philippus in epigram. Amores pingit gestantes Διὸς κεραυνόν, & λαμπάδα Ἀρτέμιδος. Sed cur hæc persequar?

16. VENENO] De amore etiam Propertius libro 2. Venenum de Amore.

Intactos isto satius tentare veneno.

Non abludit, vocari Amorem à Val. lib. 7. Arg. pestem latentem ossibus. Est satis sagax in imitando Propertius. sæpissimè ad Poëtam alludit, & sæpe ita clanculum, vt vix assequaris. Rem hîc locus indicabit. Vt enim Poëta ignem, & venenum coniungit: ita ille libro 1. eleg. 5. in re simili amoris: E

Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere è tota toxica Thessalia.

Est hoc genus imitationis illustrissimum.

[a] Paret Amor dictis charæ genitricis, & alas
Exuit,& gressu gaudens incedit Iuli.
[b] At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus,& dulci aspirans complectitur vmbra.
[c] Iámque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
[d] Cùm venit, aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda,mediámque locauit.

ARGVMENTVM.

Paret cupido Veneri: hæc Ascanium dulci & alto somno correptum in Idalij nemoris loco constituit mira amœnitate consito: pro hoc Amor ad Reginam cum Achate, & donis contendit: illa in medio lecto ad epulas accumbit.

EXPLICATIO.

[a] EX magno decoro filius nihil respondet matri, sed paret promtissimè, ideo *gaudens*. Est enim nota præcipuæ obedientiæ, vt cum gaudio pareas. Reliquit verò Amor gressum Deorum, de quo suprà, & cœpit ire gressu mortalis pueri. illud præclarè *alas exuit*, nam videlicet hac nota insignis fuit suprà. Venus enim affata est, *aligerum Amorem*. Alius nihil cogitans diceret, Venerem allocutam cum pharetrato Amore, & subiiceret alas. Istæ minutulæ obseruationes perducent te ad poesin.

[b] Venus se statim comparat ad soporem Ascanij, quo tectiora, & tutiora sint omnia. Prouidit autem, vt cùm Achates veniret ad naues, iam inde amotus esset Ascanius, & in illius locum substitutus Cupido. Ponit *placidam quietem* περιφραστικῶς, pro somno. Quæ sequuntur sic coniunge. *Tollit Dea gremio* suo Ascanium *fotum* iam somni irrigatione. Itaque, non *fotum gremio*, sed *tollit gremio fotum*. Vide verò maxima somni irritamenta: est enim mollicies amaraci,suauis spiratio, flores, vmbra.

[c] Vide vt sibi respondeat: *parens dicto*, quia dixerat,*paret amor dictis*. deinde *duce Achate*, quia suprà, *ipsúmque ad mœnia ducat*.

[d] Cùm venit Cupido, iam Regina ad conuiuij locum processerat, tota auro collucens, accubuitque medio in lecto sustentata anaclinterio. Pendent ista omnia ex Notis.

NOTÆ.

1. PLACIDAM QVIETEM] Pari periphrasi in 4.

—nec placidam membris dat cura quietem.

Auctor Octauiæ,quæ tribuitur Senecæ,

—nec diu placida frui
Quiete licuit.

Absque periphrasi in. 4.

—placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras.

2. IRRIGAT] Pulchra metaphora. Furius Antias 1. Annal.apud Macrob. Irrigo de more.

—mitémque rigat per pectora somnum.

Lucretius lib. 4.

—Somnus per membra quietem

A *Irriget.*

Cyprianus in Genes.

Illius irriguo perfundit lumina somno.

Ego puto opus hoc esse Tertulliani. Non abit Hom. 2. Il.

—γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.
dulcem infudit somnum.

Nam *fundo* de liquidis proprium. Ad hæc pertinent, quæ dicentur lib.5. de Deo Somno, qui fingebatur ramum gestare madentem Lethæo rore. Ad sermonem transtulit Lucilius lib. 23.Satyr. *Per aures pectus irrigarier.*

3. FOTVM] Non abludit Bacchylides, qui ὕπνος θάλπει. Nam à fotu tepor. Cæterùm similem dormientium puerorum inter flores imaginem B habes apud Philostratum in Iconibus, vbi loquitur de Nilo.

4. MOLLIS AMARACVS] Sunt qui referant ad vnguentum ex amaraco, quo Venus Ascanium fouit. Sed verosimilius referendum non ad vnguentum, nam quæ sequuntur de floribus & vmbra non hoc sapiunt. Amaracus notiore vocabulo sampsucus est. Plinius lib. 21. c. 11. *Amaracum Diocles medicus, & Sicula gens appellauere, quod Ægyptus, & Syria sampsuchum.* Idem asserit Athenæus lib. 15. aduocans eundem Dioclem. Idem Dioscorides lib. 3. cap. 47. Tu nota diligentiam Poetæ. Ascanius fouetur à Venere amaraco. Primùm, is laudatissimus est in Cypro insula Veneri sacra, vbi Idalium nemus: deinde vim habet contra serpentes. commodè ergo dormiens puer illo integitur, ne qua bestiola iacenti C inter flores noceat. De vtraque re testimonium est Plinij lib. 21. c. 22. *Sampsuchum siue amaracum in Cypro laudatissimum, & odoratissimum scorpionibus aduersatur.* & Dioscorid. dicto loco, σάμψυχον κράτιστον τὸ Κύπρειον. Testimonio Lucretij lib. 6. scimus suibus esse admodum infestum, quos peculiari odio Venus prosequebatur: propter occisum ab apro Adonidem, quæ verba.

Denique amaracinum fugit at sus,& timet omne
Vnguentum, nam setigeris subus acre venenum est.

Ab epitheto *mollis* non abit, coronari ab Catullo in epithal. Hymenæum Deum nuptiarum amaraco:

Cinge tempora floribus
D *Suaue olentis amaraci.*

& recenseri ab Theophrasto inter ἄνθη στεφανωματικά. vt etiam ab Dioscoride, qui πλεκομένη εἰς στεφάνους. Pherecrates etiam apud Athen. lib. 15. ait, osculo cuiusdam delicatuli, qui totus flores oleret, referri dulcem halitum amaraci. In his, quæ sequuntur, & *dulci aspirans complectitur vmbra*, videbitur alicui subesse imitatio Catulli de Nup. Pelei.

quam

—quam suaues exspirans lectus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat.

[Amaraci spiritus.] Porrò de spiritu amaraci Dioscorid. πνεῦμα ὀδῶδες. quod Plinius vertit lib.21.c.7. *acrem odorem.* Athenæus lib.5.ait, amaracinum præstare odoris suauitate. Acritudinem, quam Dioscorides & Plinius dant flori, videtur Poëta innuere, cùm non simpliciter spirans sed *adspirans*.

5. ASPIRANS] Arnobius lib.1.*expiret halitus.* Cyrillus in Oseam. ἐκπνέοντα τὸ ὀδῶδες.

6. AVLÆIS] Nebrissensis accipit pro vestibus, vt Dido dicatur aurea aulæis superbis, id est, pictis vestibus. Possit aliquis sic accipere. Nam cur non aulæa sumantur pro vestibus, vt vestes pro aulæis, grata quadam vicissitudine? Deinde Nonius Varronis aulæa interpretatur, *genus vestis peregrinæ.* Sed, cùm nemo præter Nonium ita accipiat aulæa, imo cùm sint, qui Nonium reprehendant, non tutum est de vestibus Poëtam explicari. Explico iam quæ sint aulæa, nam hinc pendet explicatio. [Aulæa cuius vsus.] Sunt qui putent aulæa sterni solita in pauimento, id ego secutus sum lib.3. G. Sustineri id potest, nam exẽpla ibi adducta in hoc inclinant. Sed inclinant tantùm, non cogunt. Itaque melius fortasse dicam, aulæa esse, non quæ sternuntur solo, sed quæ appenduntur aut tecto, aut parietibus. De tecto, vetus Horatij interpres ad Sat.8. lib.2. loquens de aulæis: *sub cameris tendebantur, vt si quid pulueris caderet, ab ipsis exciperetur.* consonant verba Horatij, qui clarè, [Card. adag.]

Interea suspensa graues aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulueris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

De parietibus Tertullianus: de habitu muliebri, cap. 8. *Parietes Tyrijs, & Hyacinthinis, & illis regijs velis pro pictura abutuntur.* vbi *regia vela* sunt aulæa, sic dicta, quòd primùm inuenta in aula Regis Attali: De parietibus capiendus Polybius in fragmento apud Suidã. ἀκούων ταῦτα πάντα διὰ τῆς αὐλαίας ὁ βασιλεὺς, ἐγέλα: *Audiens hæc omnia per aulæũ Rex, risit.* Et Pollux lib.4. ex Hyperide. οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ περιφραξάμενοι τὶ μέρος τῆς αὐλαίας: *Nouem principes in stoa conuiuabantur, aulæo alterutram partem circumsepti.* Curtius lib.8. *Nec quicquam eorum, quæ inuicem iactata erant, Rex ignorabat, quum post aulæam, qua lectos obduxerat, staret.* Plutarchus in Artox. κατεκάλυψεν αὐλαίᾳ τὰς θύρας. *operuit ianuas aulæa.* Nota obiter ab Curtio & Plutarcho inflecti hanc vocem fœmineo genere, imò Græci sic frequentissimè, nam Plutarchus idem in Themistocle, τὴν αὐλαίαν, & Athen. lib.12. αὐλαίαις. Redeo. His exemplis fit, vt possim, etiam si non cogar, mutare, quæ dixi in Georgicis. Itaque meliùs fortasse dicam, appendi aulæa, non sterni. Nam Donati verba in Præfat. Comment. in Terent. *Aulæa quoque in scena in terra sternuntur.* duplici modo deformata esse Brissonius admonet lib.2. de Reg. Pers. Nam, si in terra sternuntur, quî obstant populo? & quî, *minutum velum*, cùm theatralia aulæa ex Lucretio, aliisque ingentia constet fuisse? Ergo primo vulneri medendum sic, *in scena intenta*, vel *intexta.* Alteri, *mimicum velum*, non minutum. Iam tandem ad Poëtam, qui capiendus nec de vestibus, nec de stratione, sed de appensione, & ideo fortasse *aulæis superbis*, vt quæ essent in supero loco, idque ex more, dicente Horatij interprete, loco iam adducto: *apud veteres tensis aulæis exercebantur conuiuia.* Quæ verba arripio ad explicandum Poëtam, vt dicat, Dido composuit se in sponda aulæis superbis tensis, id est, obductis aut tecto, aut parietibus hoc tapetium genere. Hæc ideò latè, quia contra ea, quæ iam scripseram, non ingratus accepisse à Brissonio, qui etiam admonet, obsisti posse opinioni illi, quæ ait, aulæa dicta ab aula Attali, cùm multo ante Attalum Reges Persici aulæa haberent. Testimonia sunt apud Plutar. in vita Artox.

7. AVREA] Potest esse rectus, vt iam explicui. Quod firmat imitatio Propertij, lib.4. eleg.7.

Hac Tyburtina iacet aurea Cynthia terra.

potest etiam esse Latinus casus, vt fiat synæresis *aureâ spondâ.*

8. SPONDA] Erat hæc, reclinatorium, quo veteres [Sponda.] sustinebant mediam partem superiorem corporis in accubitu (ex Nota Vrsini) ab Spartiano anaclinterium, ab aliis puluinus. [Anaclinterium. Puluinus.] Ad hoc pertinet illud Martialis, lib.3.

Cubitis trudit hinc & inde conuiuas
Effultus ostro, sericisq; puluinis.

Scribit etiam Ciaconius, in marmoribus videri plurimos accubantes, cubito innixos puluinis. Ergo Dido componit se in sponda, id est, puluino illo, qui illi erat pro fulcro, vt sine vlla molestia epulis operam daret. Notat Pollux lib.6. quod reliquis est ἀνάκλιντρον, vni Aristophani esse ἐπίκλιντρον.

9. MEDIAMQVE LOCAVIT] Multa hîc dici poterant, de quibus iam viri eruditi. Ego tantùm quæ pertinent ad Virgilium. Tres fuerunt in vno lecto, [Lectus mensarum.] Dido in medio loco, Æneas in summo, Ascanius falsus in imo. Locus medius honestior fuit summo. Contra hoc est Seruius, sed frustra. [Medius locus in conuiuio honestior.] Nam primò rem hanc firmat mos Persarum, quod liquidum ex Xenophonte 2. Pædiæ, qui tradit, Cyrum medium discubuisse. Mitto Plutar. in quæst. Conuiu. Deinde hoc stabile fuit Romanis, quod iam ex Horatio, lib. 2. Serm. ex Cicerone, lib. 9. epist. ex Sallustio, lib.3. hist. alij probarunt, ideo omitto. Tertiò, quia hic mos signatè Afrorum fuit, de quibus mihi sermo est. Sallust. in Iugurth. *Ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret.* Itaque nemo potest dubitare, in honestissimo loco fuisse Didonem in hoc conuiuio, Æneam in summo, hic enim proximus dignitate Didoni; [Locus summus conuiuij.] Ascanium falsum in imo. Quod cur sentiam aperio. Imum locum, aut inferiorem (sic indigetant, vt summum, superiorem) tenebant amicæ, aut hi, qui erant in deliciis, hic enim [Locus imus.] locus commodior erat (vt qui ad sinistram) vt amicæ iacerent in sinu. Cicero, lib.9. epist. ad Pætum: *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Liuius lib. 39. loquens de L. Quintio ex Valerio Antiate describit mulierem, cuius amore Quintius deperiret, *infra eum accubantem.* Quin Plutarchus lib. 1. sympos. quæst. 3. sicut summum locum assignat τῷ μάλιστα τιμωμένῳ τῶν κεκλημένων, *honoratissimo conuiuarum*, ita imum vxori ac liberis, eius verba sunt. ὁ μὲν γὰρ ὑπ' αὐτὸν ἢ γυναικὸς, ἢ παίδων ἐστίν: *locus infra eum* (qui est in medio) *est aut vxoris, aut liberorum.* Idem Plutarchus in Artoxerxe, cùm dicat Regem hunc accepisse conuiuio vxorem, & matrem, apertè ait accubuisse, γυναικὸς ὑπ' αὐτὸν, τῆς δὲ μητρὸς ὑπὲρ αὐτόν: *vxorem infra illum, matrem supra illum:* huc pertinent verba Artemidori, lib.1. cap.2. δεξιὰ χεὶρ εἰς γυναῖκα, καὶ μητέρα, καὶ φίλην, καὶ θυγατέρα, καὶ ἀδελφήν. *Sinistra manus ad vxorem matrem, amicam, filiam, sororem.* Non malè ergo locum imum, aut infra Didonem (quod est idem) Ascanio falsò dedi; nam hic locus erat amicarum, vxoris, liberorum, ac illorum demum, qui chari essent. Sic enim Dido illum tam venustulum puerum haberet in sinu. Quod Poëta satis indicat, cùm ait,

— interdum gremio fouet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ Deus.

Nota verba *gremio fouet*: Ascanius ergo in imo loco.

 Iuuenalis

Iuuenalis enim,& Apuleius imum locum ſignant per *gremium*,ille Sat.2.

Signatæ tabulæ dictum feliciter ingens
Cœna,ſed & gremio iacuit noua nupta mariti.

Hic lib.6. Aſ. *Accumbebat ſummum torum maritus Pſychen gremio ſuo complexus.* Atque etiam Cicero 3.Phil. *Cùm in gremijs mimarum mentem mentumq́; deponeres.* Hinc ſe aperit initium 2.Æn. vbi Æneas loquitur *ab alto toro*,nullus hic alius niſi ſummus, doctorum iudicio. Atque adeo ex collatione Poëtæ omnia conſtant.Nam hîc Dido ſedet in medio, in 2. Æneas in ſummo, infrà Aſcanius in gremio, ac perinde in imo. Hæc duxi neceſſaria ad mentem Poëtæ, aliter nequeas illum explicare. Quæ in hunc locum Corradus,omnino diſplicent,neque queunt defendi:etſi poſſent alicubi,non certè in Virgilio. Lectorem admoneo, verba illa Salluſtij ex lib.3.Hiſt.quæ citantur à Seruio, diuersè admodum à diuerſis legi. Apud neminem enim citata vidi,qui non ab reliquis diſſen- A tiat.Lectiones varias deprehendes ex Seruio vulgari, ex Seruio Danielis,ex Ciaconio de Rom. Tricl. ex Lipſio lib.3.Antiq.lect.ex Leopardo lib.19.emendat. c.4.ex Læuino in Satyram 8. lib.2.Horatij, ex multis aliis. Dixi in hoc excurſu ſummum & infimum locum notari his vocibus *ſupra*, *infra*. Sic certè eſt in re conuiuij.Cicero lib.9.epiſt. *Supra me Atticus*, *infra Verrius.* Sed hoc maximè liquidum ex Horat. *Summus ego,& prope me viſcus Turinus* (medius,) *& infrà ſi memini Varius.* poſt paucula: *Nomentanus erat ſuper ipſum*(Naſidienũ) *Portius infrà.* In his duobus lectis medij ſunt, in primo Viſcus Turinus, in altero Naſidienus. In ſummo loco primi Horatius, in ſummo loco alterius Nomentanus. In imo loco primi Varius,in imo loco alterius Portius.Vides verò,vti præ- B poſitionibus ſignauerit loca. Ita Græci ὑπὲρ,& ὑπὸ ad rem eandem, & in compoſitione adhuc vt ὑπερκατακείμενος,quo verbo vſus Plutarchus in Sertorio, & ὑποκατακείμενος.

Supra,infra, in ſermone cõuiuij quid ſit.

[a] Iam pater Æneas,& iam Troiana iuuentus
Conueniunt,ſtratóque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas,Cererémque caniſtris
Expediunt,tonſíſque ferunt mantilia villis.
[b] Quinquaginta intus famulæ,quibus ordine longo
Cura penum ſtruere,& flammis adolere Penates.
Centum aliæ,totidémque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent,& pocula ponant.
[c] Nec non & Tyrij per limina læta frequentes
Conuenêre, toris iuſſi diſcumbere pictis.
[d] Mirantur dona Æneæ,mirantur Iülum,
FLAGRANTESQVE Dei vultus,ſimulatáque verba,
Pallámque,& pictum croceo velamen acantho.

ARGVMENTVM.

Deſcribitur magnificentia conuiuij,apparatus, miniſtri vtriuſque ſexus, ſacra quæ inter epulas, admiratio ad viſum Cupidinem ſub forma Aſcanij:mores obiter multi, & varij attinguntur, qui pertinent ad conuiuia.

EXPLICATIO.

[a] CONVENIVNT Æneas,& Troiani ad conuiuium, fit diſcubitus ſuper purpura, poſt diſcubitum lauantur manus, *expediunt*, id eſt, proferunt panem è caniſtris, afferuntur mantilia, & hæc villoſa, quæ maiori in pretio, villi dicuntur tonſi, id eſt,minutuli, & contuſi, ſignatur vtique ἀκοσμία.

[b] Sequitur magnificentia partito labore: nam intus famulæ quinquaginta penum ſtruebant, flammis Penates Deos adolebant:foris centum famulæ, miniſtri centum, hique omnes pares ætate,deſtinati erant ad ferendas epulas, ad ponenda pocula. In illis *ordine longo*, attingitur diſpoſitio œconomica,quæ neceſſaria in conuiuiis.

[c] Primum locum honoris in ipſa narratione Troianis dedit,tanquam hoſpitibus,mox ſequuntur Tyrij:*limina læta* dicuntur ab his, qui læti ibi. Diſcumbunt verò in pictis toris. De qua veterum elegantia hîc nihil,reſeruo ad 4.inde pete.

[d] Commendatio donorum,nam Tyrij,quibus tori picti,inſtrata purpura,tapetia permagnifica,tamen *mirantur dona Æneæ.* Pergit, *mirantur Iülum*, laten- C tem videlicet Cupidinem, *flagrantéſque Dei vultus*, explico de roſeo genarum colore, & purpuraſcente, vt omnino intelligat ἐρυθροπάρῃον. Seruius explicat *ardentes diuinitate.* Michaël Brut. in od.12. lib. 2. Horat. ſic concipit, *qui faces atque incendia amoris præ ſe ferrent.* Meum præfero, quod non alias ſoleo, *ſimulatáque verba*, nam & ſe Deum diſſimulabat, & ſimulabat Aſcanium. Demum mirantur *pallam*, & *velamen.* Concipe iam integram ſententiam. Mirantur dona,mirantur Iülum:hunc, viſo flagranti vultu,auditis verbis ſimulatis : illa, viſa palla, viſo velamine.

NOTÆ.

D I. CONVENIVNT] Inuitans dicebatur,*vocare:* inuitatus,*venire*,*conuenire*, quæ verba adeo ſollemnia fuere in hac re, vt nullo adiecto ſtatim res eſſe conuiuij appareat. Plautus Stich. *Nulli negare ſoleo, ſi quis me vocat.* Cicero ad Pætum, 9.epiſt. *Verrium vocare ſæpius videamus.* Terentius Eunuch. *quæ, cùm amatores vocant, ligurriunt.* Catullus *vocationes* ſimpliciter poſuit pro inuitationibus. Nazianzenus dixit, ἐὰν ἐπὶ κῶμον κληθῇς, μὴ ταχύνῃς: *cùm vocatus fueris ad comeſſationem, ne feſtina.* Oppianus 3.ἁλιευτ. in re conuiuij dixit, κλητῆρος ἄγοντος : *ducente vocatore.* Quæ duo verba etiam coniunxit Plutarchus, lib.7. Symp. quæſt.6. ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἀγομένους: *ductos à vocantibus ad conuiuium.* Græci ab hac notione ſimpliciter vocant conuiuas κλητοὺς, ἐπικλήτους,

Vocare, vox conuiuij.

Vocationes.

Vocator.

τῆς: vocatos, aduocatos, conuocatos. De his vocibus satis abundè Pollux lib.6. cap. 1. Porro alterum de verbo *venio* firmant sequentia. Athenæus lib. 1. εἰς τὸ συμπόσιον ἐλθεῖν: *venire ad conuiuium.* Demosthenes de falsa legat. ἐπειδὴ δ' ἧκον εἰς τὸ πίνειν: *postquam venerunt ad pocula.* Sappho inuitans Venerem ad conuiuium lib.2.apud Athen. ἐλθὲ Κύπρι. Idem Athen.lib.3. εἰσελθόντας ἐπὶ τὸ δεῖπνον. voces σύνοδον, & συνουσίαν per *conuentum*, aut *conuentionem* sæpe explicant interpretes. Pollux σύνοδος ἐν οἴνῳ, dixit: *conuentus in vino.* Et nulla quidem re adiecta σύνοδοι sunt conuiuia. Plinius vtranque vocem coniūxit lib.35.c.10. *inuitatus ad Regis cœnam venit, indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti*, &c. Non negem tamen alia verba vsurpari in hac re. Nam Oppianus lib. 3. ἁλιέ. ἀμφαγέρονται dixit, *congregantur.* Aristænetus lib.1.epist.5. ἀθροίζεσθαι, de re eadem. Statius 3. Sylu. *coimus.* Quæ dixi de verbo *voco*, alij iam obseruauerant.

Venio vox conuiuij.

2. DISCVMBITVR OSTRO] Purpura substerni solita est veterum & magnorum principum lectis, quem morem hîc attingit Poëta. Duco hoc ex Græcis, & Latinis. Athenæus, lib.4. Cotyis Thraciæ regis conuiuium narrans, substrata fuisse scribit στρώματα ἁλουργῆ: *strata purpurea.* Ælianus, lib.8. Var. Hist. c.7. de conuiuio Alex. Magni. καὶ κεκόσμητο πᾶσαι (κλῖναι) ἁλουργοῖς καὶ ποικίλοις ἱματίοις ὑφῆς βαρβαρικῆς μεγαλίμου: *Omnes (lecti) purpureis stragulis erant ornati, variaq; veste texturæ barbaricæ, & pretiosissimæ.* Bacchylides tenue conuiuium describens ait, οὐ βοῶν πάρεστι σώματα, οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι τάπητες: *neque adsunt boum corpora, neque aurum, neque tapetes purpurei.* Philo de vita contemplatiua reprehendens Romanos mores, ita scribit: *triclinia lectos habent testudineos, aut eburneos, aut preciosioris materiæ, gemmatósque plerosque, stratos auro intertexta purpura, vel alijs floridis coloribus, varijs quidem ad alliciendos oculos.* Græca signata, στρωμναὶ ἁλουργεῖς ἐνυφασμένῳ χρυσῷ. Ex Latinis morem hunc docent Sidonius lib.4. epist.24. qui alludens, credo, ad Bacchylidem, cuiusdam frugalem vitam narrans, ait, *lectus nil habens plumæ, mensa nil purpuræ.* Cicero 2. Philipp. *Conchyliatis Cn. Pompei peristromatis seruorum in cellis lectos stratos videres.* Tibullus lib.1. eleg.2.

Purpura substrata lectis conuiuiorū.

Card. adag.

> *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo*
> *Prodest, cùm fletu nox vigilanda venit?*

Martial. lib.3.

> *Cubitis trudit hinc, & hinc conuiuas,*
> *Effultus ostro, sericisq; puluinis.*

Athenæus lib. 7. latiùs extendit vsum purpuræ in conuiuio, loquens enim de illo, quod celebratum à Cleopatra, dat purpuram etiam parietibus. ἦσαν οἱ τοῖχοι ἁλουργέσι, καὶ διαχρύσοις ἐμπεπετασμένοι ὕφεσι: *erant parietes purpureis aureisq; texturis obtecti.* Eò quis possit trahere Bacchylidem, quem iam dedi. Obserua dici à Poëta *discumbitur*, ex more pene omnium gentium, sed in primis Afrorum, qui non sedebant, sed accumbebant in epulis. Firmat hoc Iustinus, lib. 32. ad finem loquens de Annibale, de quo ait, negari posse natum in Africa, quia nunquam in cœna accubabat.

Afri cubabāt in epulis.

3. DANT FAMVLI MANIBVS LYMPHAS] De hac forma, *dare aquam manibus*, de hoc more lauandi ante conuiuia, satis iam locutus, lib.4. G. Hîc tantùm nota, veterum morem fuisse, vt manus lauarent post discubitum, non ante illum. Quem satis clarè hîc Poëta, nam post illa, *discumbitur ostro*, sequitur, *dant famuli manibus lymphas.* Itaque fiebat discubitus, deinde lotio, mox cœna. Ita capiendus Aristophanes in Vespis. ὕδωρ κατὰ χειρὸς, τὰς τραπέζας εἰσφέρειν. vbi post aquam, quæ ad manus, infer mensam nulla re interposita. Ex eodem more Plautus Perf. *Tu Sa-*

Lotio manuum post discubitum.

A *garistio accumbe in summo, meum natalem agitemus amænum, Date aquam manibus, apponite mensam.* Quin lauari quoque solitos ad secundam mensam, cùm fiebat litatio ἀγαθῷ δαίμονι, alij iam adnotarunt. Demum frequentissimas fuisse lauationes, vt præoccupata omitto. Nota à nonnullis hîc legi *nymphas.* fortasse quia veteribus lymphæ dictæ sunt nymphæ. Plutarchus in conuiuio septem Sapien. κἂν οἶνος ᾖ φαῦλος, ἐπὶ τὰς νύμφας καταφυγεῖν: *si vinum non probatum, ad nymphas confugiendum est.* Ita & Propertius lib.2. eleg.32. *Nymphis crepitantibus* dixit, pro lymphis. Quin Tibullus, lib.3. eleg.7. Naiada posuit pro aqua. Sic enim scribit:

Nymphæ pro lymphis.

> *Naiada Bacchus amat, cessas ô lente minister,*
> *Temperet annosum Martia lympha merum.*

B 4. CEREREMQVE CANISTRIS EXPEDIVNT] Canistra fuerunt in vsu conuiuiorum, ferendo pani (quem per Cererem signat ὁ ἐκ τρόπου) rebus deinde aliis. vtrunque firmabo, & addam laciniam de elegantia canistrorum. Rectè itaque & propriè in mentione canistrorum meminit panis, cui ferendo illa seruiebant. Athen. lib. 1. παρετίθετο δ' οἱ μὲν ἄρτοι ἐν τοῖς κανέοις: *apponebantur autem panes in canistris.* Homerus apud eundem:

Canistra, cuī vsui in conuiuiis.

Σῖτον δ' ἐν δμωαὶ παρενήνεον ἐν κανέοισι: *apposuerunt seruæ panem in canistris.* Ad panem refero verba illa eiusdem Athen. lib.1. παντὶ γὰρ παρατίθεται κάνεον, καὶ τράπεζα, καὶ δέπας: *Apponitur singulis canistrum, mensa, poculum.* sed & aliis rebus. Demaratus in certaminibus Dionysiacis, ἐφ' ὧν (præcessit, τὰ κανᾶ, id est, ca-

C nistra) τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν. vides in illis primitias omnium fructuum. Silius lib.7.

> *——puris nunc corna canistris*
> *Imposuit.*

Sed & integra cœna interdum canistris afferebatur, quò spectat adagium *vnà cum ipso canistro*, vide quæ Erasmus ex Didymo. Restat de elegantia. Demaratus loco adducto. ἦν δ' ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ: *erant facta canistra ex puro auro.* Athen. lib. 6. τὰ δὲ κανίσκια ἦν ἅπαντα χρυσᾶ γεγονότα, τὰ πλεκόμενα ταῖς σχοίνοις: *erant canistra omnia facta ex auro, & iuncis composita.* Fuit hæc insania veterum, scilicet cannas mutare in aurum, nam canistra, si etymon spectes, à cannis nomen habuerunt. Isidorus lib.20. cap.9. *Canistrum fissis cannis contexitur, vnde & nuncu-*

Canistrorū elegantia.

D *patur.* Sed credo hoc falsum, nam statim ipsemet Isidorus: *alij Græcum asserunt.* Ita existimo. Festus clarè: *Cana dicunt Græci, nos canistra, & per diminutionem canistella.* Respicit Græcum κάνεον. Sed de hac re ego iam alibi.

5. MANTILIA] Horum vsum triplicem dedi, 4. G. & ibi primum agnoui. hîc agnosco secundum: possit, qui velit, primum. De villis, & villosis mantilibus ibi quoque. Itaque vide ibi, quæ hîc desunt. Pauperem notam tibi ditabo obseruatione quadam: reuocans generaliter (vt aiunt) sermonem ad conuiuia. Vides vt apparatissimum conuiuium celebretur à Regina ad excipiendos Troianos, à Regina (inquam) exstruente vrbem. Quid ergo si Platonicus

E vates voluit alludere ad Philosophi sui locum lib.2. de Rep. vbi discriminat ciuitatem sobriam à delicata: & cùm det illi modestissima conuiuia, parcissima bellaria, omnia tenuissima; delicatæ omnia tribuit insana in victu, roris, mensis, apparatibus, vasis, obsoniis, vnguentis, suffitibus, præterea in auro, ebore, & reliquis omnibus, quæ pertinent ad celebrationem conuiuiorum. Non video cur alienum à vate, vt velit hanc tantam insolentiam in barbara vrbe repræsentare, cum respectu ad locum Platonis.

6. QVIN

Ministri plurimi in insanis epulis.

6. QVINQVAGINTA INTVS FAMVLÆ] Fuit hoc è veterum insania, & opulentia, qui tum demum clarius esse conuiuium existimabant, quo ornatius esset numerosiore copia ministrorum. Huius rei plenus est Athenæus, quem adi. Nunc satis locus ex libro 13. vbi Parmenio capta Damasco, in litteris, quas ad Alexandrum scribit, inter reliquam sarcinam Darij, numerat fœminas, quæ callerent musicam, trecentas viginti nouem, coronarum textores sexaginta sex, obsonij parandi artifices ducentos septuaginta septem, qui in ollis coquerent viginti nouem, lactarios tredecim, qui pocula conficerent septemdecim, apothecis vini præfectos cellarios septuaginta, vnguentarios quadraginta. Pertinent ista omnia ad apparatum conuiuij. Hanc insaniam reprehendit Senec. de Tranquill. cap. 1. *Non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus cibus.* Moderatior in suo est Maro, qui tantùm quinquaginta famulas destinat curando penori, & fumigandis Diis: ministros centum, ac totidem ministras afferendis ferculis: musicum, vnum tantùm Iopam: reliquos siluit. Porro Poëta institit Homero Odyss. 7.

πεντήκοντα δὲ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες·

Quinquaginta autem ei ancillæ per domum fœminæ.

7. CVRA PENVM STRVERE] Ancillæ quibus cura penum struere; Græcis dicuntur σιτίδες, vel σιτίλαι, atque etiam fortasse ἀλέτραι. Primas duas voces aliqui contrahunt tantùm ad penum in agro, postremam dilatant ad omnia munia ancillarum.

8. FLAMMIS ADOLERE PENATES] Penates à penu dictos Cicero scribit de nat. Deor. Igitur ministræ, quæ penum curant, Penates quoque adolent odorato suffitu. De hoc more, quo inter epulas sacris quoque dabatur opera, dicam aliquid propter eos, qui aliter Poëtam explicant. Ea fuit superstitio, vt conuiuia omnia numerarent inter sacra. Qui Athenæum legat, nihil in eo frequentius reperiet. Vide illum lib. 7. in conuiuio, quo Philippus inuitat Menecratem. & lib. 10. vbi agit de contentiosis conuiuiis. Apud eundem in conuiuio Ptolomæi Philadelphi inferuntur imagines Deorum. Nec aliud volunt infinita loca eiusdem, in quibus fit mentio in conuiuiis iam thuris, iam ignis, hæc enim parantur ad sacrificia. De igne vide, quæ affert lib. 2. de thure; quæ lib. 3. ex Archestrato, & lib. 5. scripsit. πᾶσα συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς τὸν θεὸν ἀνέφερε: *Omnis cœtus conuiualis apud veteres fuit caussam ad Deum referebat.* Hunc morem Liuius attigit, lib. 39. vbi de atroci facinore L. Quintij ex Valerio Antiate, *Facinus sæuum, & atrox inter pocula, atque epulas, vbi libare Dijs dapes.* Et Xenoph. 4. ἀναβ. inducens conuiuas ἐστεφανωμένους, qui honos sacrorum est. Eundem firmat Fabius declamat. 321. *venenum aliquis inter lares suos, inter sacra mensæ, coronatis pariter, quos colebamus, Dijs immortalibus, venenum hilaris hilari dedit?* & mos veterum, qui Deos supra mensam statuebant in conuiuiis, qui essent tanquam præsides mensæ, ideo dicti Epitrapezij. De quo more Ouidius etiam, vt de re sacra dixit, 5. Fast.

Conuiuia res sacra veteribus.

Epitrapezij dij.

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

& Arnobius *sacras facitis mensas Salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Apud Statiũ lib. 4. Syl. Vindici fuit Hercules Epitrapezius, & ante Vindicem, Alexand. vt ibi etiã cõmeminit Statius: de quo etiã Deo exstat Martial. epigram. Est ergo consensus Donati, Seruij, Scaligeri, Stephani, Manutij, Hortensij, aliorúmque Poëtarum respexisse ad rem sacram. Vnus, quod sciam, Nascimbænus, ista *flammis adolere Penates* explicat, *coquinam facere, & cibos in foco condire, atque componere.* Sed apage. Nam in primis concedit ille ταυτολογίαν huius hemistichij cum superiore, *cura penum struere*, quod vitium amandandum, quantum pote fuerit. Deinde ait ille, *quid sacra cum epulis, & culinæ?* Multum (inquam) vt ex dictis apparet. Tertio ait, *turpe esse coquos Dijs sacra facere.* Cui oppono, fœminas potiùs, & fortasse nobiles huic operi destinatas. Demum Poëta ipse se explicat, ita enim esse, vt dixi, apparet ex 4. G.

Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula, Panchæis adolescunt ignibus aræ.

vbi vides *adolesco.* vt hîc *adoleo*, vtrunque verbum sacrorum, vt 8. eclog. *verbenasq; adole*, id est, adde, cumula. Ita Lucretius lib. 4. *adolentq; altaria donis*, id est, augent. Nonius quippe explicat *adoleuit*, id est, creuit. & *adultum*, auctum. Sed redeo ad similitudinem. In 4. G. *ignes*, hîc *flammæ.* In G. *aræ*, hîc *Penates*, vt omnino videatur Poëta dicere idem diuerso flexu. Est alia ratio explicandi Poëtæ. Fiebat in conuiuiis libatio non solùm post primam mensam in ipsa quiete, quæ dicebatur ἀγαθοῦ δαίμονος, sed etiam ante primam, & ante omnem discubitum: iudicabant enim ἄκοσμον accedere ad epulas non præmissa libatione. Quam rem vide vt firmat Christianus in Vespas Aristophanis. Hinc facilè liquet libationes & sacra fuisse ex more veterum ante epulas, in epulis, post epulas, ac perinde potuisse Virgilium dare sacta hæc continuatim, atque huic operi fœminas destinasse.

9. CENTVM ALIÆ] Veterum consuetudinem, qua in sumptuosissimis epulis fœminæ mensis ministrabant, firmare non est difficile. Athenæus lib. 1. Homerica laudans conuiuia, in eo adducit puellas adhibitas ministerio mensæ. Alluditcredo ad locum Odyss. 7.

Fœminæ ministrabant mensis.

χέρνιβα δ᾽ ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα.

quod erat epularum initium, id est, *Aquam autem ancilla gutturnio super infudit ferens.* Idem Athenæus lib. 2. vbi magnifica dona describit Artoxerxis conuiualia omnia, quæ nonnullis initrebat, adducit inter alia παιδίσκας ἑκατὸν, *puellas centum.* Apud eundem lib. 13. morem inuenies Græcis vsurpatum, vt, cùm tradenda esset in matrimonium virgo, peracta cœna, conuiuij locum ingrederetur, ac vinum misceret. atque is demum procerum in coniugem admitteretur, cui illa poculum porrigeret. Firmatur etiam hic mos verbis Suetonij in Tiberio. *Sexto Claudio libidinoso ac prodigo seni cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine mutaret, aut demeret: vtq; nullis puellis ministrantibus cœnaretur.* Romæ etiam in marmoribus sæpe puellæ mensis ministrantes cernuntur. Hic etiam mos satis elucet ex Declamat. 301. Quintiliani, vbi filia rapitur administrans mensis. Ceterùm, vt discedam à moribus, quos hîc prosequor perpetuo tenore, blandimenta adiicio, trium (inquam) Poëtarum imitationem, qui Virgilium reddiderunt in hac siue rerum distributione, siue apparatu conuiuij: Sunt illi Valerius, Silius, Papinius. Primus 2. Arg. his versibus:

Stant gemmis auroq; tori, mensæq; paratu
Regifico, centumq; pares primæua ministri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea gestat
Pocula, bellorum caussas expressa recentes.

Alter 11. Pun.

Instituunt de more epulas, festamq; per vrbem
Regificè exstructis celebrant conuiuia mensis.
Ipse Deum cultu, & sacro dignatus honore,
Præcipuè multoq; procul splendentibus ostro
Accipitur sublime toris, non vna ministri
Turba gregis, posuisse dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre.

Nec

Nec non & certis struitur penus, &c.
Tertius 1.Theb.

—adolere focos epulasq́; recentes
Instaurare iubet, dictis parere ministri
Certatim accelerant. vario strepit icta tumultu
Regia. pars ostro tenues auroq́; sonantes
Emunire toros, altosq́; inferre tapetas,
Pars teretes lauare manu, ac disponere mensas.

Non dissimulo, explicationem illam Nascimbæni de focis, quam iam reprehendi, defendi posse imitatione Silij, & Papinij. vterque enim hærens Nostro *adolere focos* dixit, quod Virgilius *adolere Penates.*

Ministri cõuiuiorum.

10. TOTIDEMQVE PARES ÆTATE MINISTRI] Quæ hîc dicam, ad quinque redigi volo, ministrasse mensis pueros, viros interdum, hos ad omnem elegantiam compositos, pares etiam corpore, demum hæc omnia fuisse moris non Græci solùm, sed Romani. Petronius Sat. *iam & tricliniarchus ex perrectus lucernis occidentibus oleum infuderat, & pueri detersis paulisper oculis redierant ad ministerium.* Homerus in Odyss. κοῦρος ministrantes infert, id est, *puellos*; Athenæus lib.3. παῖδας. Anacreon. Κύπελλον ὦ παῖ φόρησον. Transeo ad viros. Athenæus lib.4. Parthorum administratores facit ἄνδρας μαχαιροφόρους, *viros ensiferos.* Idem lib.10. obseruat ex Homero, præcones adhibitos mensarum ministerio. Sed præcipua ratio ministrorum posita in pulchritudine, quod tertio loco mihi destinaui. Anacreon Cupidinem sibi in mensa ministrare vult, qui formosulus. Apud Athen.4. Matron parodus, ὡραῖος παῖς ἦλθε φέρων μύρον: *formosus puer venit ferens vnguentum.* Apud Heliodorum lib.7. Hist. Æth. Theagenes ministraturus Arsacæ reginæ ornatur hunc in modum. ἐσθῆτα δὲ Περσικὴν μετημφιέννυτο, καὶ στρεπτοῖς, καὶ χρυσοῖς, καὶ περιαυχενίοις λιθοκόλλοις ἐκοσμεῖτο: *induebatur vestem Persicam, ornabaturq́; aureis torquibus, & monilibus distinctis gemmis.* Cicero de Dionysio tyranno *tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere.* Apuleius in re conuiuij lib.2. *pueri calamistrati, pulchrè indusiati.* Cicero 2. de Finib. *Adsint etiam formosi pueri, qui ministrent.* Agellius lib.15. cap.12. *Nulla apud me fuit* (verba sunt Gracchi) *popina, neque pueri eximia facie stabant.* Ambrosius in epist. ad Irenæum: *Torquatos & calamistratos habent in ministerio: ipsi promissa barba, illos remissa coma.* Sed hanc partem venustatis præclarè firmat testimonium Philonis de vita contemplatiua ab loco illo, ῥυτὰ δὲ καὶ φιάλαι. Omitto Græca, quia multa. *Præsto sunt scyphi, calices, phialæ, therıclea, toreumatáque clarorum artificum, ministrantibus formosis mancipijs, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quàm ad exhilarandos aspectu conuiuarum oculos. Ex his minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti ac nitidi, fucati, atque cincinnati, alunt enim capillitium vel omnino intonsi, vel à fronte tantùm præsectis in orbem crinibus, tenuissimas candidasq́; præcincti tunicas, interiore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, vtrinque mollibus tæniis astricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus. Sic ornati adstant nutus obseruando, quid quisque postulet.* Attigit & Nazianzenus orat.16. *pueri astant: partim ornati, comis solutis, & effœminati, & cæsarie ad faciem expoliti.* Ad hanc elegantiam pertinuit, quod quarto loco proposui, vt ministratores essent pari corpore, pari ætate, quod obseruauit Ciacon. de Tr. Rom. Hic mos apertè ex Poëta colligitur in hoc loco, & ex Valer. 2. Arg.

—centumq́; pares primæua ministri
Corpora.

Huc pertinet præclarus locus Senecæ, epist.95. *Transeo agmina exoletorum per nationes coloresq́; descripta, vt eadem omnibus leuitas sit, eadem prima mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis cui rectior est coma, crispulis misceatur.* & epist. 119. *Quæris quali mensa, quali argento, quam paribus ministris & leuibus afferatur cibus?* Restat vltimum, hæc omnia fuisse Romani moris, nam hactenus omnia ferè Græcorum testimoniis firmaui. In columnis itaque ac marmoribus, quæ adhuc Romæ visuntur, videre licet omnia hæc: pueros (inquam) ministratores, & viros, & omnes ad omnem elegantiam conformatos, pares etiam corpore. Hæc satis essent, sed aduoco tamen præter marmora Horatij locum, & Senecæ, qui attingunt aliqua ex his. Prior,

—vt omnes
Præcincti rectè pueri, comptiq́; ministrent.

Posterior de breuitate vitæ: *conuiuia, me hercle, horum non posuerim inter vacantia tempora, cùm videam, quàm sollicitè argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum suorum tunicas succingant, quàm suspensi sint, quomodo aper à coquo cæsus exeat, quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria decurrant.* en lasciuia, ea quippe erat vetustorum cura, vt Glabros etiam quærerent. Idem Seneca epist.47. loquens de puero glabro ministratore mensarum, *in cubiculo vir, & in conuiuio puer est.* Quin, quæ adduxi ex Philone, scias capienda de Romano more, imò ab Romanis acceperunt Græci, & barbari. Philonis verba sunt: *sed fortasse probauit aliquis morem conuiuorum ex Italica magnificentia & luxuria, quam imitati sunt Græci & barbari, potiùs ad ostentationem opulentiæ, quàm ad hilaritatem.* Græca, quæ necessaria, ἣν ἐζήλωσαν Ἕλληνές τε, καὶ βάρβαροι.

Græci à Romanis accepere opulẽta conuiuia.

Fercula cõuiuiorum.

11. QVI DAPIBVS MENSAS ONERENT] De luxuria veterum & vanitate, quâ gloriabantur ingenti ferculorum copia, quámque hîc videtur Poëta attingere verbo *onerent*, adi Athenæum. Ego, ne te illis onerem, prætermitto. In eodem verbo morem agnoscit Seruius, quo olim omnis cœna simul apponebatur, & mensa onerabatur.

12. ET POCVLA PONANT] Admonet Seruius, dictum *pocula ponere* ex more veteri, quo illa non dabantur in manus, sed in mensis apponebantur. Hunc ego firmaui 4. G. & suprà hoc in libro attigi. De studio veterum in ponendis, reponẽdis, auferendis etiam poculis, ac doctrina quadam & disciplina instar militaris, quando eam sæpè Poëta attingit, aliquid dicam, vt qui destinarim locupletare mores conuiuiorum, quos Poëta libat. Apud Athenæum lib.9. id vnicè coquus gloriatur, se scilicet scire, τὸ παραθεῖναι, καὶ ἀφελεῖν τεταγμένως ἕκαστα: *apponere, & auferre singula scitissimè.* Adducit hoc Athenæus ex Sosipatro. Libat rem hanc Nonnius lib.3. cùm in re conuiuiali ait, χορὸς ἀνδρῶν δούλιος: *chorus seruilis virorum.* Libat (inquam) nominans *chorum*, nam hic semper ab arte. Hunc morem Romani tenuerunt, nam ad sonum aliquem ministri ad res obeundas discurrebant, nec nisi, dato signo inferebantur fercula. Petronius, *Cùm subitò signum symphonia datur, & gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Seneca in epist. *Transeo pistorum turbam, transeo ministrorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur.* In libro de Beata vita cap.17. *artem* vocat: *quare ars est apud te ministrare: nec temerè, & vt libet, collocatur argentum.*

13. NEC NON ET TYRII PER LIMINA LÆTA, &c.] Ab his verbis non abludit mos Persarum, quem larè probat Brisson. lib.1. de Reg. Pers. quo proceres, & optimates terebant Regum limina; & inde aulicos omnes, & magnates generali hoc nomine τῶν ἐπὶ θύραις βασιλέως, comprehensos.

14. TORIS

14. TORIS PICTIS]De hac veterum elegantia dicam lib.4.

Prætexta.

15. PICTVM VELAMEN]Quod suprà circumtextum, nunc *pictum* vocat. Vide, an hoc argumento effici possit, vt prætexta veterum (Græci περιπόρφυρον vocant) eadem sit cum veste picta. Negat Baysius, contra quem ego hîc nihil, tantùm indico argumentum non omnino ineptum. Sicut enim velamen, cui acanthus circumtextus est, id est, in ora intextus, pictum dicitur: sic videtur picta posse dici prætexta, id est, in cuius ora & circuitu est purpura.

A

[a] Præcipuè infelix pesti deuota futuræ
Expleri mentem nequit, ardescítque tuendo
Phœnissa, & puero pariter donísque mouetur.
[b] Ille vbi complexu Æneæ, collóque pependit,
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fouet inscia Dido,
INSIDEAT quantus miseræ Deus. [c]. at memor ille
Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
Incipit, & viuo tentat præuertere amore
Iam pridem resides animos, desuetáque corda.

ARGVMENTVM.

In medio apparatu conuiuij describuntur flammæ Didonis, amorq́; ad visum Cupidinem.

EXPLICATIO.

[a] CVM relatione ad superiora. mirantur reliqui Ascanium & dona, vna *præcipuè Dido nequit*, &c. Dicit *infelix* eo affectu, quo postea *misera*. Dicit *pesti*, id est, amori exitiabili, omnia instar ignis pessumdanti. *Deuota*, id est, addicta & destinata. Ergo, quæ infelix, & deuota pesti, *nequit mentem expleri*, imo *ardescit tuendo Phœnissa*: Sed cur hîc *Phœnissa*, non aliud? Quid si quæsita similitudo ab ardore vestis purpureæ ad animi & amoris ardorem? quasi dicat, quæ Phœnissa est, ardescit. Reprehendet aliquis, vt volet. Sequitur, *puero pariter donisq́; mouetur*. Nam muliebre ingenium amore, & donis expugnatur.

[b] Vide dolos, primò patrem complectitur, vt rem dissimulet, deinde Reginam petit. Nota etiam leporem. impletur pater affectu amoris, Regina nequit expleri. verbum *petit* studiosè quæsitum est. Neque enim tantùm Amor petit Didonem, id est, currit ad illius amplexus: sed *petit*, id est, illam amplexando insidiis aggreditur, dolo appetit. Bene ergo Nascim. *petit, quasi violenter aliquid facturus*. Quid Regina? Dolis iam capta, & petita, *hæret oculis*, quos nunquam dimouet ab amore. Non satis oculi, nam hæret *toto pectore*. Hac ambage non opus in patre, ideo ibi clarè *pependit complexu Æneæ*. Non contenta Dido hæsisse oculis, & pectore, *fouet* iam *gremio*, quo viuidior quidam, & ardentior affectus exprimitur. Sed cùm Poëta hos amores castissimè tractauerit, interpretis erit eundem modum tenere. Eo affectu

D

hîc *inscia Dido*, quo Græci νήπιος. Cùm ait *insideat*, ambiguo, & ita commodo verbo vtitur, is enim insidet in gremio Didonis, qui miseræ insidias molitur: insidiæ enim ab insidendo dictæ: sic suprà *petit*, pari ambiguitate.

[c] Quid verò Amor? *memor matris*, præceptorúmque eius, *incipit abolere paulatim Sichæum* ex animo Reginæ. Hoc ἐκ τοῦ πρέποντος ad excusationem videlicet Æneæ, & Didonis, ne vterque videatur præter decorum incepisse amores, ideo Cupido rem gerit impensè. Vocem *paulatim* non paucis expendit

B

Regulus, referens ad gradus vitiorum. Pergit Amor, & *tentat præuertere amore viuo*, id est, vehementi, vel certè (sic placet Seruio) viuentis Æneæ affectu & amore, abolito mortuo Sichæo, *animos iam pridem resides, cordaq́; desueta*, id est, animos languidos, otiosos, & veluti ab amore feriantes.

NOTÆ.

1. DEVOTA] Vult Seruius vsurpari hîc hoc verbum in gratiam Augusti, qui eo vsus in oratione funebri Marcelli, dicens, *illum immaturæ morti deuotum fuisse*. Ea forma Phædrus *deuotam vino* dixit, id est, deditam. ea Cicero 3. Tusc. *deuotus, & donatus studijs*. & *deuota sica*, in Catil.

2. EXPLERI] Pari forma infrà, *impleuit genitoris amorem*. Pari Tacitus lib.1. *cùm oculis, cùm lacrymis dolorem meũ impleuero*. sic *saturo*, & *satio*, consimilia verba ad animum referas. Sic Catullus de Nup. Pelei,

C

Lumina sunt gnati chara saturata figura.

Tacitus,

Velata parte oris, ne satiaret aspectum.

Videtur autem Poëta institisse Catullo de nup. Pelei,

Nec priùs ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm toto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.

Sic Cedrenus, θυμὸν ἐμπιπλάς.

3. ARDESCITQVE TVENDO]aduoca, quæ dicta. 8. eclog. *vt vidi, vt perij*. Et illis adiice Græcum versiculum.

Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος:
Mulieris oculus est iuuenibus spiculum.

Et Propertium lib.2. eleg.32.

D

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Et Terentium in Eunucho:

Totus tremo, horreoq́;, postquam illam aspexi.

4. ILLE VBI, &c.] Possit aliquis existimare, nunc primùm venisse è nauibus Ascanium falsum. Non sic est. Adfuit ab initio conuiuij, cùm Dido se sponda composuit, & locauit mediam. Sed affectus Didonis hunc in locum reseruati sunt, ne conuiuium interrumperetur. An veniret ille finito conuiuio, & mensa prima? Nam statim sequitur,

Postquam prima quies epulis, mensæq́; remotæ.

Veneris

A Veneris animus fuit, vt inter epulas, & pocula expugnaretur Dido. neque decebat abesse conuiuio Æneæ filium. ineptissimè, & citra decorum properarentur epulæ ante illius aduentum. Adfuit, & accubuit infra Didonem, & hunc illa gremio est complexa, & ille insedit in Reginæ gremio.

5. COLLOQVE PEPENDIT] Imitantur Ouidius, & Valerius. Prior. 2. Fast.

Déque viri collo dulce pependit onus.

Posterior. 2. Arg.

Nec minùs Orphea tristis ceruice, tuáque
Æacide, & gremio coniux à Castore pendet.

Propertius lib. 4. eleg. 12. flexu alio videlicet:

Fungere maternis vicibus pater: illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.

& alio Ouidius in epist. Hermion.

Non ego captaui breuibus tua colla lacertis,
Nec gremio sedi sarcina grata tuo.

6. FALSI GENITORIS] Dissoluit Callimachi vocem in Cerere, ψευδοπάτορα. Meritò Scalig. eludit hîc quæpiam Seruiana. Hîc *falsi* potest esse ἐψευσμένε, *decepti*. fallebatur enim decipiebatúrque Æneas, putans illum suum esse filium.

7. OCVLIS HÆRET] Arripuit Propertius lib. 1. eleg. 19.

Non adeò leuiter nostris puer hæsit ocellis.

Pulcherrimè Horatius lib. 4. od. 13. de Cupidine.

Pulcris excubat in genis.

Et *hærere* quidem in re simili obuium. Ouidius in epist.

Hærebat gremio turpis amica tuo.

8. PECTORE TOTO HÆRET] Tectè dixit, quod clarè Apuleius lib. 5. *osculis hiantibus filium diu & pressulè suauiata.*

9. INSCIA DIDO, &c.] Huc fortasse Ouidius aspirauit in Metam. loquens de Europa.

—ausa est & regia virgo,
Nescia quem premeret, tergo considere tauri.

10. INSIDEAT] Græcorum imitatione, qui verba sedendi, & cubandi, ac similia amori dant. Plato in Sympos. οὐκ ἐπιζει ἔρως· *non insidet Amor.* sic ὀχεύω, quod ad συνουσίαν pertinet, Græcis interdum est *sedere.* εὐνὴ B etiam, præter primariam significationem, ipsam quoque συνουσίαν significat, & sedem pariter. sic κατακλίνω, quod est *decumbo*, vtramque illam significationem admittit. Sic κοίτη, quod est *cubile*, & quæ ab hac voce adducuntur multa. Vnde Ibycus apud Athen. lib. 13. ἔρως κατάκοιτος. Sic Poëta statim animos Didonis vocat *resides*, id est, cessantes ab amore.

Sedendi verba amori dantur.

11. ACIDALIÆ] Epithetum Veneris, sed hîc antonomasticè positum. Acidalium esse tradunt in Bœotia fontem Veneri, Gratiis, & Musis sacrum, à quo ipsa Acidalia dicta. Alij etymon rimantur à curis, quòd has iniciat: Græci enim curas dicunt, ἀκίδας.

Acidalius fons.

Card adag.

Postquam prima quies epulis mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

ARGVMENTVM.

Amouetur mensa prima, intercedit spatium inter hanc, & secundam: fiunt in illo sacra: fit mentio lucernarum, quæ pars præcipua apparatus conuiuij.

EXPLICATIO.

SPATIVM inter primam & secundam mensam dicebatur propriè *quies.* In hoc spatio statuuntur crateres magni & capaces ad sacra, fit libatio, excitatur strepitus, hilaritásque plaudentium. Lychni ita numerosi & multi sunt, vt noctem etiam flammis vincant. Hæc strictissimè, nam pendent ex Notis.

NOTÆ.

1. PRIMA QVIES] Doctè & propriè infert omnia quæ sequuntur, nam in quiete (est hoc spatium, vt explicui, inter primam & secundam mensam) dabatur opera libationibus, saltationibus, plausibus. Inde sequitur strepitus in tectis, atque etiam libatio, audis enim, *Hic Regina*, &c. Quæ dixi illustro ex Athenæo lib. 4. *Quiete autem facta* (ἡσυχίας δὲ γενομένης) *ingrediuntur ad nos cum ollis, qui Athenis seruiunt, post quos ithyphalli, & lusores, quædam etiam mulieres mira facientes, saltantes in enses.* His & aliis, quæ sequuntur, scribit quæ fieri solita inter mensam vtramque. Hæc duxi satis ad loci huius explicationem. Adi, quæ latè do lib. 8. ad illud, *cingite fronde comas*, &c. quo loci Poëta secundæ mensæ meminit post quietem subsecutæ, & multa infert fieri solita in eo spatio. Nam tametsi hîc secundæ C mensæ non meminerit, eam tamen fuisse, pro certo habe: & eam hîc Turnebus agnoscit, nam libationes ad secundam mensam pertinebant, quæ hîc non desunt.

Quies in conuiuio.

2. MENSÆQVE REMOTÆ] Non τράπεζαι, sed σιτία, καὶ παραθέσεις. Fercula (inquam) remouentur; lances, edulia; non mensæ ipsæ, nam statim,

Mensa pro ferculis.

—in mensa laticum libauit honorem.

Non ergo illa amota: tantùm edulia, & παρατιθέμενα, quæ etiam dicebantur mensæ. Pollux, τραπέζας δὲ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ᾽ αὐτῆς τιθέμενα: *mensas vocabant fercula in ipsis imposita.* Athenæus lib. 2. πάντων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας. Poeta ipse. 3. Æ.

D *Ambesas subigat malis absumere mensas,*

id est, edulia: lusit enim Harpya ambiguitate vocis. Demum sic accipiunt Virgilium Pet. Ciaconius in Tric. Turnebus lib. 21. cap. 22. aliique. Sed & Philander in Annotat. ad Vitruu. lib. 6. cap. 5. conicit ex Diphilo apud Athenæum. lib. 9. & ex Plutarcho in Pelopida, mensas dici, quoties repositoria, fercula, & obsonia mutarentur. Iccirco ego supra illud, *regales inter mensas*, accepi de cibis. Venus enim Didoni ingeri affectum amoris voluit, dum cibi ederentur, dum vinum biberetur.

E 3. CRATERAS] De vsu craterum in conuiuiis alibi. Sed cur *magnos* ? Allusum ad formam craterum, qui magni, hoc clarum: sed deinde allusum ad compotationem ipsam, quæ hilarior, liberior, & maior fiebat in secunda mensa, quæ post quietem, in qua nunc est Poëta, sequebatur. Itaque necessaria erant magna pocula, vbi præcipuè poculis, vi-

Secundæ mensæ vina largiora Vina coronare.

no, inuitationibus indulgendum. Inde de secunda mensa dicebatur, *maioribus poscere, & Græco more bibere.* id est, poscere maioribus poculis. Certè verba illa Seruij. 1. Æn. *Romanorum exsequitur morem, quorum duæ erant mensæ, vna epularum, altera pomorum.* in lib. ms. legi *poculorum*, non, *pomorum*, Læuinus testatur in od. 5. lib. 4. Horatij. Idem verba ista Agellij li. 19. c. 9. *vbi eduliis finis, & poculis,* explicat primam & secundam mensam: per *edulia* primam, per *pocula* secundam accipiens. Horat. Sat. 8. lib. 2. *Et calices poscit maiores.*

Vina coronare.

4. VINA CORONANT] vel sertis, vel mero vsque ad summum. Primum verius, de quo ego alibi. Alterum Homeri imitatione defenditur. Huius enim verba hæc, κρατῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, ita exponit interpres, ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, ὅ ἐστι, ἄχρι τοῦ τέλους. *impleuerunt vsque ad coronam, id est, vsque ad summum.* Pari filo Athenæus Homerum explicans ait, ὑπερχειλεῖς κρατῆρες ποιεῖνται, ὥστε δὲ τῷ ποτῷ ἐπιστεφανοῦσθαι: *Crateres vsque ad labrum exuberantes, ipso potu coronati.*

5. FIT STREPITUS TECTIS] Notetur mos duplex inobseruatus hactenus, non modò à commentatoribus Virgilianis, sed ab his etiam, qui nostro æuo tam multa de conuiuiis scripserunt. In conuiuiis videtur assignatum fuisse tempus & silentio, & clamori. Vtrumque attingit Maro. Quæ pertinent ad silentium, indicabo ad illa,

——tum facta silentia tectis.

Clamor in conuiuiis.

quæ ad clamorem, hic. Bis ad illum allusit Poeta, & hîc, & infrà,

Ingeminant plausum Tyrij Troésque sequuntur.

Itaque in vtroque morem agnosco, & tempus huic rei assignatum, ex lege fortassis tricliniarchæ, & regis conuiuij. Sed pergo ad firmamenta. Statius. 1. Theb. in conuiuio,

Vario strepit icta tumultu
Regia.

Conuiuia veterũ inquieta.

Tertul. de Idololat. Signatè ex hac nota, *conuiuia constrepunt.* Apuleius Apolog. *ianua calcibus propulsata, fenestræ cantibus circumstrepitæ, triclinium comessatoribus inquietum.* & 2. Af. *Iam illatis luminibus epularis sermo percrebuit, iam risus affluens, & ioci liberales, & cauilli hinc inde.* Ad finem etiam libri: *Cùm primùm Telephron hanc fabulam posuit, compotores vino madidi rursum cachinnum integrant.* & ante hoc, *conuiuium totum in licentiosis cachinnis effunditur.* Pacuuius in Duloreste,

——Hymenæum fremunt
Æquales, aula resonat crepitu musico.

Primum refero ad hunc morem, porrò alterum ad musicam pertinet. Silius lib. 11.

Eripiunt flammæ noctem, strepitúque mouentum
Murmurat alta domus.

Varro in Menippea, *Nec loquaces autem conuiuas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro, atque subselliis: silentium verò non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet.* De conuiuiis Medor. Xenoph. lib. 4. παιδ. καὶ ἀνειμένως ἔπινον, καὶ ἐθορύβουν. Et de omnibus Ioannes Chrysost. homil. de Morte. τῶν δείπνων πολυτέλεια, μουσικῶν πλῆθος, κολάκων θεραπεία, ὁ γέλως ὁ πολύς.

Clamoris poculum.

Faciunt insigniter verba Athenæi lib. 2. κρατὴρ πέμπτος βοῆς, *crater quintus clamoris.* Itaque crater ille destinatus tollendo clamori. Homerus,

——κακότητος ἀπάσης
Δαιτυμόνων δ' ἀνὰ δῶματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ:
——pulsóque dolore
Conuiuæ accipiunt iucunda per atria cantus.

Græca Homeri sic esse legenda Athenæus scribit lib. 1. Chorus inducitur ab Aristophane in Danais impe-

A tens sese calcibus, intestinis, raphanis. verba aduocat Athenæus lib. 2. ὁ χορὸς διαμασχαλίσας αὐτὸν σκελίσι, καὶ φύσκαις, καὶ ῥαφανῖσιν. Huc pertinent iocularia, quæ in conuiuiis. Petronius Satyr. *Cùm Eumolpus & ipse vino solutus dicta vellet in caluos, stigmosósque iaculari.* Ex qua nota Nazianzenus orat. 33. dat conuiuio φλυαρίαν. Si quis Criticus nolit in istis morem agnoscere, nihil tamen obfuerit dedisse loca in auctoribus similis licentiæ.

6. DEPENDENT LYCHNI] sunt hi, quos *triclinij lumina* vocat Lucilius, citátque Donatus in Eunuchum. Non præteriit Poëtam id, quod maximè speciosum est in nocturnis conuiuiis, videlicet lychnorum multitudo, & apparatus lucernarum. Illustris est ad hanc rem Plutarchi locus de conuiuio Cleopatræ in vita Antonij, his verbis: *Eos apparatus conuiuij Antonius offendit, quantos numquam fuerat arbitratus. Maximè admirationi fuit multitudo luminum, tanta enim vndique demittebantur, tanta ferunt illuxisse, tam mira inter se arte disposita, atque ornata, iam quadrangulari forma, iam circulari, ὥστε τῶν ἐν λόγοις ἀξιοθεάτων καὶ καλῶν ἐκείνην γενέσθαι τὴν ὄψιν, vt vel inter rarissima pulcherrimarum rerum spectacula putaretur.* Apud Lucam in Act. cap. 20. habetur simile spectaculum, vbi λαμπάδες ἱκαναὶ ἐν τῷ ὑπερῴῳ, *lucernæ plurimæ in cænaculo.* Athenæus lib. 15. inter reliquam farraginem lucernarum, quas veteres ad conuiuia exhibebant, lychnum etiam numerat. Vide ibi de lucernis, facibus, clanis, phanis, lampadibus. Lucretius li. 5.

Lucernæ in conuiuiis.

B

Lych

——pendentes lychni, claréque coruscis

C *Fulguribus pingues multa caligine tædæ.*

Ab Lucretio Noster verbum *pendeo.* Pari verbo Petron. Sat. *lucerna bilychnis de camera pendebat.*

Laquearia.

7. LAQVEARIBVS AVREIS] Inter præcipua ornamenta conuiuiorum erant laquearia, atque artificia, vnde lychni penderent. In quarum rerum elegantiam multa insumebantur insanè, & stupidè. In primis moneo, cùm Poëta dicat, lychnos pendere à laquearibus, illum doctorum iudicio lychnuchos intelligere. Est hoc artificij genus ad sustentandam lucernam, quale gestatum ab elephantis in triumpho Cæsaris Suetonius scribit cap. 37. *Ascendítque Capitolium ad lumina quadraginta elephantis dextra, atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Elegantiam veterum in hac re Athenæus in primis aperit lib. 4. per initia, qui sic Dalecampij ore: *procedebat compotatio, & iam inclinante die aduesperascebat: patefacta est domus quædam, circum circa candidis velis distincta, quibus replicatis faces clanculum machinis surrecta apparuerunt, ac laxatis septis Cupidines, Dianæ, Panes, Mercurij, & huiusmodi aliæ imagines, lampadibus argenteis, tanquam facibus prælucentes. Nobis artificium mirantibus &c.* Sententia est, faces teneri ab his Deorum simulacris in argenteis candelabris. Athenæus lucem dabit Lucretio, qui hunc morem attigit his versibus:

D

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur.

Et vterque Homero, cuius hæc sunt Odyss. 7.

E

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν, αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
Φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι:
Aurei verò iuuenes fabrefactas ad aras
Stabant, ardentes faces manibus gestantes,
Illucentes nocte per domum conuiuantibus.

Vbi *aurei iuuenes* non sunt viui, & auro præfulgidi, quod quidam fœdè; sed tantùm iuuenum simulacra aurea: id enim expressit in sua imitatione Lucretius. Eôdem traho fragmentum veteris inscriptionis, quæ reperta Præneste in Latio, vbi inter alia:

A Et Cvpidines II. Cvm. Svis. Lychnvchis. Et Lvcerna. Larvm.

Vsum alium laquearium docet nos Seneca epist. 90. *Versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, vt subinde alia facies, atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur.* Non itaque dubitandum, aut hęc aut similia quædam artificia fuisse in hoc conuiuio Didonis ad sustinendas lucernas, cùm præsertim illas Maro inducat cum tanto verborum apparatu. Erant enim in ædibus principum fabricæ eiusmodi innexæ lacunaribus huic lucernarum vsui. Præeunt etiam ad hanc rem versus Paulini Natali. 9. Felicis.

Ecce vides quantus splendor velut æde renata
Rideat insculptum camera crispante lacunar.
In ligno mentitur ebur, tectóque superne
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis.
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, vndantes flammas leuis aura fatigat.

Vnde, cùm apud Ciceronem in Tuscul. ensis pendet setá equina è lacunari. & apud Persium Sat. 3.

—auratis pendens laquearibus ensis.

& apud Horat. od. 1 lib. 3.

Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet.

& apud Sidonium lib. 2. epist. 13. *cœpit suprà tergum sic recumbentis repente vibrari mucro districtus è lacunaribus*: de huiusmodi fabricis intellige. facile enim fuit ensem pendere, vnde pendebant lucernæ conuiuiorum. Quibus in Auctorum locis (omnes quippe de Damocle loquuntur) interpretes videas mutos: inde etiam auctoribus lacunaria dicuntur *laqueata*, quia formata ad modum laquei, qui seruiret lychnis inde pendentibus. Ita Ennius in Andromacha dixit, *tectis cælatis laqueatis auro ebore*. Ad eundem vsum dicuntur caua ab Paulino Natali. 6. cauitas quippe apta est sustinendis lychnis. Hunc sibi apparatum esse Horatius, credo, negat od. 18. lib. 2.

Card. adag.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Allucet ex Platone lib. 7. de Rep. hanc partem tectorum fuisse cum variis coloribus, & picturis, exhibet enim ἐν ὀροφῇ ποικίλματα. Paulinus Natali. 6. ceras lychnorum, quæ erant in lacunaribus, *pictas* exhibet. Ad hanc picturam refero varias Ouidij conchas lib. 8. Metam. vbi scribit,

Summa lacunabant alterno murice conchæ.

Erant enim in laquearibus conchæ variæ pro pictura. Porro laquearia tecta auro vidisti iam in Ennio, cui adiunge locum elegantem Plinij lib. 33. cap. 3. & hunc Senecæ ep. 90. *Lacunaria auro grauia penderent.*

8. Et noctem flammis fvnalia vincvnt] Legas sæpissimè magnificentissima conuiuia noctu celebrata, vt Cleopatræ & alia. Huius rei, si quis rationem quærat, ea est duplex, prima sanitatis, altera voluptatis. De prima Athenæus lib. 7. per initia: *Vtiliores sunt nocturnæ cœnæ, nam cùm Luna sidus omnia facilè corrumpat, fit vt digestionibus illa maximè conueniat. atque inde victimæ, quæ noctu mactantur,* B *faciliùs corrumpuntur; sicut ligna, quæ cæduntur ad Lunam.* De altera idem multis in locis, lege præsertim quæ de Colophoniis scribit lib. 12. sed huius rei nullo opus auctore, vbi vides ipse noctem ad genium comparatam. Huic de lychnis tractationi, quam tribus Notis discreui, addam laciniam, videlicet quî lucernarum multitudo fugans noctis tenebras, efferenda. Princeps Virgilius, *noctem flammis funalia vincunt.* Silius lib. 11. *Eripiunt flammæ noctem.* Tacitus. 15. Ann. *tecta luminibus clarescere.* Statius. 1. Theb.

Conuiuia cur sæpe veteribus nocturna.

Ast alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreßi, tendunt auratis vincula lychnis.

Paulinus Natali. 6. Felicis.

Multiforésque cauis lychnos laquearibus aptent,
C *Et vibrent tremulas funalia pendula flammas.*

& Natali. 9. *tenebras funalibus arcent.* Latinus Pacatus paneg. Theodos. *accensis funalibus auctum diem.* Nazianzenus orat. 42. δαψιλεῖ τῷ πυρὶ τὴν νύκτα καταφωτίζοντες. Achilles Alexandrinus lib. 5. celebritatem quandam Alexandrinorum describens, sic loquitur verbis interpretis: *Flammæ paßim relucebant, idque non vulgari admiratione animaduerti: vespera enim cùm aduentasset, ac iam sol occidisset, nox tamen nondum erat, sed alius minutas quasdam in partes diuisus sol exoriebatur. Tunc vrbem illam cum cælo etiam pulchritudine contendere iudicaui.* Ne excidat, funalia esse faces ex contortis funiculis cera aut pice circumdatis. Funalia.

a Hic Regina grauem gemmis auróque poposcit,
Impleuítque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti: tum facta silentia tectis.
b Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiáque profectis
Esse velis, nostrósque huius meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno:
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.

ARGVMENTVM.

Implet Dido pateram, vt libet, quod ex more fiebat, ablata mensa prima. Hanc libationem præcedunt preces ad Iouem, Iunonem, Bacchum.

EXPLICATIO.

a Hic, id est, in hoc temporis articulo, in ipsa quiete spatióque, quod inter primam & secundam intercedit, tum enim temporis, vt iam monui, fiebant sacra. Quid ergo tum Dido? *poposcit pateram.* commendat pateram tripliciter, à pon- D dere, quia grauis: à materia, quia ex auro, & gemmis: ab antiquitate, quia ea soliti bibere reges Phœniciæ à Belo Prisco. Hanc mero impleuit ad libationem. ac tum locutura & libatura Regina, factum silentium est tanquam in sacris, & verè ista sacra erant.

b Sequitur oratio ad Iouem Hospitalem, qua petit Regina, vt dies ille lætissimus sit Troianis & Pœnis: vult etiam, vt *minores* id est, posteri Troianorum & Pœnorum meminerint diei illius, in quo fortasse alludit ad fœdera, quæ toties icta inter Romanos Æneæ posteros, & Carthaginenses Didonis. E sed cur hîc *Tyriis*, non Pœnis, aut aliud? vt sibi credo, respondeat. quasi dicat. profectis Troia, profe-

ctis Tyro. Amat enim Noster concinnitatem. Praeterea ait *profectis Troia*, non, profugis, vt consulat (ait Seruius) decori Troianorum. Mox Dido vocat Bacchum, & Iunonem vtrumque è re. Vini Deum, quia in conuiuiali lætitia: Iunonem, tum quia hæc præses Carthaginis, tum quia præses lectorum; inde commodo argumento dici potest, illam aliarum quoque voluptatum & delectationum esse præsidem. Cur Iuno dicatur *bona*, dicam in Notis. Demum Dido à suis petit, vt fauore prosequantur, celebréntque cœtum Troianorum hospitum.

NOTÆ.

I. HIc REGINA &c. Ex hoc loco Statius. I. Theb.

Victa fames, signis perfectam auróque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare Deis, seniórque Phoroneus
Assueti tenet hæc operum cælata figuras.

Pocula gemmata. 2. GRAVEM GEMMIS &c.) Ornabant veteres sua pocula gemmarum magnificentia. Plinius in procœmio lib. 33. *Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, & temulentiæ causa tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est.* Sidonius epist. 13. lib. 2. *spumarent falerno gemmæ capaces.* Clemens Alexan. lib. 2. Pæd. c. 3. meminit *argenteorum, aureorum gemmeorúmque poculorum.* Athenæus li. 4. loquens de conuiuio Cleopatræ. παρεσκεύασεν αὐτῷ συμπόσιον, ἐν ᾧ πάντα χρύσεα, καὶ λιθοκόλλητα περιττῶς ἐξειργασμένα ταῖς τέχναις: *Apparauit illi conuiuium, in quo omnia erant aurea, gemmis magnificè distincta artéque laborata.* Sed de hoc iam ego. 2. G.

Vinum mistum. Misce. Libatio fiebat mero. 3. IMPLEVITQVE MERO PATERAM) signatè & doctè iuxta leges conuiuiales, quas Athenæus dat lib. 10. quas alij. dabatur vinum mixtum ad cauendā temulentiam: inde sollennis vox, *misce puer*, & Græcis, κέρασον παῖ. Libatio tamen Deorum mero fiebat. Inde hîc *impleuit mero pateram*, quam Dido Libationi Iouis destinabat.

Didonis genus. 4. BELVS] Lilius, 2. Syntag. hanc adducit seriem generis Didonis, Iuppiter, Epaphus, Belus primus, qui & Priscus, quem hîc intelligit, Agenor, Phœnix, Belus minor, qui & Metres pater Didonis, Pygmalionis, Annæ.

Silentium in conuiuio. 5. TVM FACTA SILENTIA TECTIS] Vt plausibus dabatur locus in conuiuio, sic silentio. Huius moris vestigia reperi in Athenæo lib. 4. eo loci, quo agit de conuiuiis Laconum, vbi sic: ἐπεὶ δὲ δειπνήσειαν, ἐσιώπων πάντες. ὁ δὲ παῖς ἐφεστήκει κεκραμένον ἔχων τὸ ποτὸν, καὶ τῷ αἰτοῦντι προσέφερε: *cùm cœnassent, tacebant omnes, puérque aderat ferens poculum mistum, dabátque poscentibus.* nota verbum, ἐπεὶ δὲ δειπνήσειαν, quod intelligendum de mensa prima, sic enim Virgilius silentium suum inducit. Signatè itaque, & probè Seruius: *Apud Romanos etiam cœna edita, sublatisque mensis primis silentium fieri solebat, quoad', quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur, & igni darentur, ac puer Deos propitios nuntiasset, vt Dijs honor haberetur, tacendóque res cùm intercessit inter cœnandum: Græci quoque* θεῶν παρουσίαν *dicunt.* Hæc ille, quibus & morem, & moris tempus aperit. Idem quoque tempus insinuat Valerius. 2. Arg.

— circum pateris it Bacchus, & omnis
Aula silet.

Athenæus lib. 5. agens de conuiuiis Homericis, φαγόντες δὲ ἐκεῖνοι μετὰ σιωπῆς, ὡς πρέπει. *edentes illi, vt par est, cum silentio.* Eodem pertinet longus Senecæ locus ep. 47. de cœnante domino: *infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur licet. Virga murmur omne compescitur. & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus. Magno malo intc. pellatum silentium luitur.* &c. & lib. 3. de ira cap. 35. *Quid flagella media cœna petis, quod serui loquuntur?* Quàm stricta esset silentij lex, quoad durabat, indicat Athen. lib. 4. προσνεύσαντι προσεφέρετο, ἀκρόαμα δὲ οὐδέν· *annuenti afferebatur* (præcessit poculum) *nihil autem audiebatur.* vbi vides, ita locum datum silentio, vt opus esset nutu ad poscenda, quæ necessaria, nam à voce omnino abstinebatur. Sed nulli mortalium religiosiores Persis in toto conuiuio, de quibus Ammianus lib. 23. *Nec ministranti apud eos famulo; mensæque adstanti hiscere, vel loqui licet, vel spuere: ita rostratis pellibus labra omnium vinciuntur.* Mos tamen hic Persarum de famulis dumtaxat. Accinit Xenoph. lib. 4. ἀναβ. qui etiam in Persarum conuiuio, παισὶν ἐνδεικνύοντο ὥσπερ ἐνεοῖς ὅ,τι δέοι ποιεῖν: *pueris tanquam surdis, quid facto opus esset, indicabant.* Sed redeo ad conuiuas. Græcos crediderim à disciplina Pythagoreorum morem hausisse. Quod elici potest primo ex eorum doctrina, quæ satis nota: deinde ex verbis Athenæi lib. 4. vbi loquens de cœnis Pythagoreorum, inter alia ait, προσμένειν σιωπήν: *silentium pati.* Hæc satis de hoc more, quem cùm attigerit Lipsius lib. 3. Antiq. lect. nulla re firmauit. Addam laciniam de silentio mensarum. Cupido filius Veneris, parentis suæ rosam Harpocrati dedit in munus (is est silentij Deus apud Ægyptios, sicut Angerona apud Romanos) vt scilicet, si quid licentiùs dictum, vel actum sit in conuiuio, cùm homines cantillant, lusitant, lasciuiunt, sciant tacenda esse omnia. Atque iccirco veteres ad finem conuiuij, sub rosa transacta esse omnia ante digressum contestabantur, cuius formæ vis eadem erat, atque ista, *odi memorem compotorem.* Probant hanc rem versus, qui reperiuntur in marmore.

Conuiuia Persarum cū silentio.

Rosa in conuiuiis nota silentij.

Est rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent
Harpocrati matris dona dicauit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Conuiuæ vt sub ea dicta tacenda sciant.

Inde non malè quispiam vtatur rosa pro silentij hieroglyphico. Ex hac re crediderim adoleuisse morem, vt in tectis cœnaculorum conspiciatur plerumque affixa rosa in ipsis lacunaribus, vel laqueus quispiam instar rosæ. Quem morem adhuc Germani retinent, ac ferè omnes septentrionales in publicis hospitiis, Teutonica subscriptione explicante sententiam carminum, quæ præmisi. Hanc rem de hospitiis Germanicis mihi indicauit Ioannes Echius, qui mihi vir in pretio propter mores humanissimos, & naturalium scientiarum cognitionem, quibus apprimè præditus. Ex hac re videor dedisse lucem Martiali lib. 10. epig. 19. vbi:

Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cùm regnat rosa, cùm madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Itaque ex hoc fortasse more rosæ signatè meminit, non ex generali consuetudine, qua flores in mensam spargebantur.

Hospitalis Iuppiter. 6. IVPPITER HOSPITIBVS, &c.] Hospitalem Iouem præcipuo cultu Romani colebant, Græci ξένιον dicunt. Cicero pro Deiot. *Iouis illius quidem hospitalis Numen nunquam celare potuisset.* Ouidius *Hospitem* vocat. 10. Met.

Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara.

Genetæus Iuppiter. Valerius. 5. Arg. *Genetæū*, cuius nominis causā tibi Lilius aperit 2. synt. Ab Sophocle (adnotante Germ.) παυσίλυπος dicitur à sedando mœrore. Credo illud Athenæi. lib. 13. vbi ait, Iasonem, congregatis in vnum Argonautis, Ioui amico sacrificasse, celebritatémque ipsam

ipsam appellasse ἑταιρίδεια, perinde, ac si dicas, *Amicalia*, ad Iouem Hospitalem esse referendum. Itaque non abit multùm Ζεὺς ἑταιρεῖος ἀπὸ τοῦ Ξενίου, idémque fortasse Numen. sicuti neque Ζεὺς φίλιος, cuius meminit Plato in Phædro, & Aristides in. 3. Platonica. Dido itaque, quæ hospites Troianos acceperat, huic libat numini, vt illi putent posse se omne officiorum genus, & hæc cum summa fide, ab Regina sperare, quam fidem violatura nunquam esset, vt quæ iam hospitum Deo libationem fecerit. Turnebus lib. 24. strictiùs accipit hanc libationem: neque enim solùm Iuppiter hospitibus præerat, eorúmque iuri: sed idem quidem Iuppiter Hospitalis præerat secundis mensis, quales hæ sunt, & ad illum fiebat libatio. Inde Horatius od. 5. lib. 4.

—alteris
Te mensis adhibet Deum.

id est, colunt te, ô Auguste, Romani pro deo: & in secunda mensa, in qua fieri Ioui libatio solet, tibi etiam fit. Nam mox libatio apud Horatium sequitur,

Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris.

Hoc Turnebi multis video placuisse. Et ego rem firmo ex Scholiaste Aristophanis in Irena. *φασὶ γὰρ ὅτι δειπνήσαντες μὲν ἐπερρόφων ἀγαθοῦ Δαίμονος· ἀπαλλάττεσθαι δὲ μέλλοντες, ἔπινον Διὸς Σωτῆρος. sententia est, solere fieri libationem bonæ fortunæ in principio mensarum, in fine, Ioui seruatori.* Nota ἐκ παρέργου, solitos veteres libare Deo Mercurio, non initio & medio epularum, vt Ioui; sed post expletas epulas, quia Mercurium somno præesse arbitrabantur. Quod scribit Athenæus lib. 1. Adduxi hoc, vt versus Homeri illustrentur Odyss. 7.

Εὗρε δὲ Φαιήκων ἡγήτορας, ἠδὲ μέδοντας
Σπένδοντας δεπάεσσιν ἐϋσκόπῳ ἀργειφόντῃ,
Ὧι πυμάτῳ σπένδεσκον, ὅτε μνησαίατο κοίτου·

Inuenit autem Phæacum duces, atque consiliarios
Libantes poculis speculatori Mercurio,
Cui vltimo libabant, quando cogitabant de lecto.

7. HVNC LÆTVM TYRIISQVE DIEM] Atqui nox erat, sed diem dicit, quia dies lucem pariter, & tenebras includit, hoc Seruij est. Iuuo illum

A ex Varrone, qui medium noctis vocauit *meridiem noctis*, propter eandem rationem. Adducit autem Pomponius Sabinus, idque ex Seneca, veteres dicere solitos in conuiuio, *Hic dies noster est*: vide Corradum in hunc locum. Ego Poëtam illustro imitatione Aristophanica in Irena, vbi Comicus Trygæi ore,

Σπένδοντες εὐχώμεσθα, τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν·

Libamus, & precamur hunc lætum diem
Lucere Græcis prospera omnia omnibus.

8. ESSE VELIS] Lege notam Brissonij lib. 1. Form. pag. 69. qua poëticum hoc illustres.

9. ADSIT] Aliqui legunt *Adsis*. possunt. De hac formula lege Brisson. dicto loco.

10. LÆTITIÆ BACCHVS DATOR] Illustraui B hoc in eclog. Hîc audi Platonem, qui 2. leg. ait vinum secum afferre δυσθυμίας λήθην, *mæstitiæ obliuionẽ.* Philo etiam de legatione eidem dat κακῶν λήθην, καὶ ἀγαθῶν ἐλπίδας. *malorum obliuionem, spem bonorum.* Arnobius lib. 3. dixit: *fæculentæ hilaritatis dator*, de Baccho. Varro apud Nonium de vino, *hilaritatis dulce seminarium.* Cyrillus in Aggæum prophetam, loquens de vino, εὐφροσύνης σύμβολον.

11. BONA IVNO] Refero hoc ad conuiuium: vsurpat quippe Virgilius vocem conuiuialem. Plautus Stich.

—bene vos,
Bene nos, bene te, bene nostram etiam Stephanium, bibe si bibis.

Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.

C Bacchum vini Deum ἀγαθὸν vocat Athen. lib. 2. per initia. Ibidem ex Poëta quodam

—ἀγαθὸς ἂν πρὸς ἀγαθοὺς ἄνδρας
Ἑστιασόμενος ἥκον.

bonus ad bonos viros iui conuiuaturus.

Apud eundem Alexis lib. 6.

—*ἀγαθῶν τὴν κύλικα μεστὴν πίωμαι,*
bonorum plenum calicem bibam.

Notam Cælij Rhod. lib. 28. c. 6. ipse leges.

12. CELEBRATE] Athen. in re conuiuiali lib. 3. ἑορτὴν ἐπιτελεῖν· *celebritatem perficere.* de fauore alibi.

Amicalia ceritas. | Iuppiter præerat secundis mensis. | [Libat]io libabatur in fine mensarum. | Mercurius somno præest. | Dies de luce, & tenebris. | Meridies noctis. | Hic dies noster est. | Bacchus lætitiæ Deus. | Benè, in conuiuio.

a Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
b Primáque libato summo tenus attigit ore.
c Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro;
Pòst alij proceres. cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solísque labores:
Vnde hominum genus & pecudes; vnde imber & ignes;
Arcturum pluuiásque Hyadas, geminósque Triones.
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
d Ingeminant plausum Tyrij, Troésque sequuntur.

A

ARGVMENTVM.

Libat Dido, dat poculum Bitiæ, ille haurit. sequitur musica, & cantus ex more, & doctè omnia.

EXPLICATIO.

a *Libare in mensa* est, aliquid vini è patera in mensam effundere. nam apud veteres mensa res quædam sacra fuit. sed ista latiùs lib. 8.

lib. 8. sunt qui hîc *in mensam* legant, non absonè. *honor* vox est pertinens ad sacra, de quo alibi. Ergo, *honor laticum*, est merum assumptum ad libationem Iouis: nam *latex* signat quidquid fluit.

b Post libatum, id est, post effusum aliquid in mensam è patera, ipsa prima omnium summo ore attigit. id est, delibauit tantùm, non gustauit, nec bibit. An hic *tenus* præpositio? hæreo, nam nulla necessitas, & integra est sententia absque illa. Attingere enim summo ore, clarum est, neque indigens fulcro alio. Inclino, vt hîc fungatur officio aduerbij, & *tenus* sit leuiter, quod etiam insinuare videtur Corradus. Nec nouum hoc videbitur consideranti alias præpositiones fungi interdum officium aduerbiorum.

c Dat Bitiæ, vt bibat ipse, tarditatem eius in bibendo increpans non molestè, sed cum hilaritate conuiuij. ille, vt increpitus, impiger se aureo poculo ingurgitauit. Vide verò, vt verba omnia, vinosum planè, & bibosum hominem satis indicent. Audis enim, *hausit impiger, proluit se pleno auro*, quæ ista bibacitas? quid, quæ de spumante patera? Pergit, *post alij proceres*, Troiani videlicet, & Tyrij: Omnes enim hilarabantur compotationis lege. Post vinum libatum & bibitum, sequitur cantor *Iopas* omnia exhilarans, instrumentum *cithara*, & hæc *aurata*, ipse ex elegantia, *crinitus*. Quid verò canit? *quæ Atlas docuit*, ille nimirum Atlas, qui *maximus* corpore, & scientia, quíque astronomiam inuenit. Mox explicat, quæ sint illa, quæ Atlas docuerit, videlicet *Lunam errantem*, quam Horatius *Vagam* vocat Satyr. 8. lib. 1. ab vtroque allusum ad nomen πλανήτη, *solis labores*, aut annuos, aut diurnos. Quid præterea? *vnde hominum genus, & pecudes*, fabulam fortasse Deucalionis, & Pyrrhæ de iactis post tergum lapidibus: nisi velis Promethei. *Vnde imber, & ignes*. imbres, & pluuias ex vaporibus: ignes, fulgura, fulmina ex exhalationibus. Vel fortassis canebat, vaporem densari in aquam in frigida regione aëris, vnde mox decidit: fulgura autem fieri ex nubium collisione. Canebat etiam *Arcturum*, sic dictum quasi ἄρκτυ ἐράν. Canebat *Hyadas pluuias*. ipso attributo originem vocis indicat, dictæ enim sunt ἀπὸ τῦ ὕειν, id est, *pluere*. Canebat *triones geminos*, id est, boues duos, alio nomine, vrsam duplicem, indicans vtramque vrsam. Adi Cotrad. & me in Georgicis. Demum canebat, *Quid tantum*, &c. id est, canebat causam contractæ lucis in hyeme, & noctium longissimarum. Itaque totum referri ad hyemem potest, vbi dies breues sunt, noctes longæ. Nisi velis illud, *vel quæ tardis mora noctibus obstet*, accipi debere de æstiuis noctibus tardè venientibus. Vt dicat. Canebat, cur dies breues sint in hyeme, cur tardi in æstate. Quæ explicatio non est iniucunda, sic enim opponet duo anni tempora.

d Assentiuntur omnes musico Iopæ, & grato quodam fauore illius cantilenam prosequuntur. Notat Pierius in nonnullis legi *plausu*. Non placet, nam tametsi suauior sit sonus ademptam, sed illa addita meliùs exprimitur murmur insonantium.

NOTÆ.

1. LIBATO] Ad hanc libationem quæ fiebat ad exitum mensæ, videntur allusisse Thraseas, & Seneca libantes in vitæ exitu. Prior apud Xiphilinum in Nerone, nam incisis venis, ita moriens, Σοὶ τῦτο τὸ αἷμα ὦ Ζεῦ Ἐλευθέριε σπένδω· *tibi libo hunc sanguinem Iuppiter liberator*. Posterior apud Tacitum lib. 5. Annal. *Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos seruorum, addita voce, libare se liquorem illum Ioui Liberatori.*

2. SVMMO TENVS ATTIGIT ORE] Est hoc, quod Græci, χείλεσιν ἄκροις. Quod Propertius lib. 4. eleg. 7.

Summáque Lethæus triuerat ora liquor.

Notant Seruius, & Scalig. attingi à Poëta morem fœminarum Romanarum, quæ vino abstinebant. Hoc si est, suppedito tibi loca auctorum, qui de hoc more. Plinius lib. 14. c. 13. *Non licebat id feminis Romæ bibere.* Lege reliqua, sunt enim multa. Athenæus lib. 10. παρὰ Ῥωμαίοις δὲ ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον· *Apud Romanos interdictum est fœminis vinum bibere.* Citat Athenæus auctorem Polybium. Dionysius lib. 2. ait, Romulum suis legibus posuisse pari muliebrium delictorum trutina stuprum, & ebrietatem, quia *stuprum dementiæ, ebrietatem stupri originem esse indicabat.* Addítque, de vtroque fœminarum delicto inexorabilem fuisse iram. Valer. Maximus lib. 2. c. 1. *vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur.* Inde Horatius Lycen reprehendit, Romanæ fœminæ vino abstinebant.

Ludísque, & bibis impudens.

Ad hunc locum pertinet epigramma satis celebre de oliua, quæ refert virginem Palladem, querente premi se à vite. Παλλάδος εἰμὶ φυτόν, &c. Huius duplex est versio. vna Politiani, altera Alciati emblem. 24.

3. TVM BITIÆ DEDIT INCREPITANS] Quatuor mihi hîc explicanda, & omnia necessaria ad cognitionem Poëtæ. Dido eodem poculo, quo Ioui libauerat, Bitiæ propinat, quem morem in Virgilio nemo viderat: Deinde hoc indicium fuisse amoris, cùm respectum sit ad Græcorum φιλοτησίας· tertiò, vsum verbo *dedit* signato & proprio: quartò de Bitia. Primum firmat Athenæi locus lib. 11. τοιαῦτα εἰπὼν ὁ Πλούταρχος, καὶ ὑπὸ πάντων κροταλισθεὶς ᾔτησε φιάλην, ἀφ' ἧς σπείσας ταῖς Μούσαις, καὶ τῇ τούτων Μνημοσύνῃ μητρὶ, προὔπινε πᾶσι, φιλοτησίαν ἐπειπὼν φιάλην. *Hæc cùm dixisset Plutarchus, applausúmque esset ab omnibus, petiuit phialam, qua Musis, atque harum Matri Mnemosynæ libans omnes inuitauit, dicens, id esse poculum propinationis:* vides, vt quo poculo Musis libauerat, inuitatis propinet. Minutius in Octauio: *Quod verò sacrificiorum reliquias, & pocula libata contemnimus.* iterum, *præceptos cibos, & delibatos altaribus potus, abhorretis.* Porro alterum firmat Agathiæ historia lib. 2. qui scribit Cosroën ita Vranij hominis perridiculi amicitia captũ (quem tamen ipse maximum esse philosophum putabat, illius eloquẽtia, & oris volubilitate deceptus) vt patera prælibata, Vranio propinaret, quod nulli alteri antea factitarat. Et Iosephi historia apud Philonem in Politico: τὸ κάλλιστον, καὶ τιμιώτατον ἔκπωμα τοῦ δεσπότου, ἐν ᾧ προπόσεις προὔπινεν ὑμῖν, κεκλόφατε· *poculum herile pulcherrimum & pretiosissimum, ex quo vobis præbibit, surripuistis.* Leo Imperator apud Cedrenum accipiens conuiuio Constantinum Eunuchum, poculum suum ei dari iussit. Attingit morem hunc Sulpicius Seuerus in vita S. Martini cap. 23. vbi ait, Martinum inuitatum à Maximo Imperatore, postquam ille ebibit, pateram presbytero cuidam tradidisse. Ita Dido ex prælibato poculo, Bitiæ propinat. Has propinationes Græci philotesias vocant ab amicitia. Suidas, φιλοτησίαν προπίνειν ἐστὶν, ἡνίκα τὶς ἐν ἀρίστῳ ἀπὸ τῆς φιάλης πιὼν μέρος τὸ λοιπὸν παρέχῃ φίλῳ· *Philotesiam propinare est, vbi quis inter epulas, ex phiala partem libans, reliquum amico præbet.* Rationem moris huius, ni fallor, suppeditat Philostratus in epist. ideo enim φιλοτησία, indicium amoris, quia ex prælibato vino, quasi cum vino vnà mittatur osculum. Verba Philostrati sunt. τοῖς χείλεσι προσφέρουσα, πλήρη φιλημάτων τὸ

Poculum libationis, & propinationis idem.

Propinatio amoris indicium.

Philotesiæ.

τὸ ἔκπωμα, καὶ δίδου τοῖς δεομένοις: *Labris attingens, imple poculum osculis,& prabe rogantibus.* De Cyro altero narrat Xenoph. I. ἀναβ. mittere solitum ad amicos semesos anseres, dimidiatos panes, prægustata edulia, cum hoc mandato: τούτοις ἥσθη Κῦρος, κελεύει οὖν καὶ σὲ τούτων γεύσασθαι *Cyrus his delectatus est,& ideo vult te quoque eadem gustare.* Notat autem Heruetus in Comment. ad Clement. Alex. lib. I. Pædag. c. 4. hanc philotesiam, Græcis quoque dici φιλοφροσύνην, quam ipse reddit *beneuolentiam.* Tertiò, *dare poculum,* in propinationibus propriissimum est. Athenæus lib. 4. *Aristus autem, cùm apud ipsum esset pocillator, vas ferens, Xenophontemq; vidisset nihil iam cænantem, pocillatori dixit,* ἐκείνῳ δός, *illi da.* Idem lib. I. ait, Achillem à quodam exceptum conuiuio hac ratione, vt is priùs bibens, Achilli mox propinauerit, quod narrans Græcus scriptor, sic ait: τῇ δεξιᾷ δίδοις τὸ ποτήριον. Anacreō, δός ὕδωρ, βάλ' οἶνον ὦ παῖ. iterum in re conuiuiali, ἄγε, δότε: *age, date.* Homerus Odyss. 3. δὸς δέπας, *da poculum.* iterum, δώσω ἄλεισον: *dabo poculum.* Cedrenus in adducta historia Leonis, δοθῆναι ἐκέλευσε τὸ ποτήριον. Ex loco Anacreontis extremo volo illustres locum Tullij pro leg. Manil. vbi ait, *age, considerate.* vbi *age* coniungit cum plurali, quod nonnulli reprehendunt, ignari id dici ex Græca elegantia,& imitatione. Extremum de Bitia, quem vini auidum facit Poëta, vt qui se toto poculo ingurgitauerit, admonet Nannius lib. 7. Miscell. iucundam inesse allusionem in voce, vt Bitias dicatur quasi bibias, propter auiditatem bibendi, omnino φιλοπότης. *bibesius,* sic reddit H. Stephanus. Ad hoc pertinet nota Scaligeri lib. 3. poët. c. 2. Virgilium sæpe non descriptione personæ vti, sed apposito facto cuiusmodi ea sit declarare. Sic qualis sit Bitias intelligitur ex facto hoc,

Dare poculum.

Age cũ plurali.

ety-

Ille impiger hausit
Spumantem pateram,& pleno se proluit auro.

Sic Iopam intelligimus, bonum esse poëtam, bonúmque philosophum, ex his, quæ de illo, *hic canit errantem lunam,* &c. sed quamuis hæc vera sint, ita tamen Poëta huic viro nomen adiunxit, vt illud hauserit ex Pœnorum doctrina, quod admonet idem Nannius. Bitias enim Cypri erat Sacerdos, ad quem cùm venisset Dido, ipse se ei coniunxit cum magna manu puellarum, quas secum duxit Dido ad prolem reparandam. Fuit etiam & alter Bitias magister equitum, quo tempore Carthago capta est ab Minore Africano. Posterioris huius Liuius meminit,& notat Seruius. In orthographia secutus sum plures. Germanus *Bitias* mauult.

4. IMPIGER HAVSIT] Athenæus lib. 2. & alij per verbum σπάω. In vtraque voce *impiger hausit* videtur signari modus ille, quo citra respirationem vnico haustu bibitur. quod Plutarchus vocat ἀμυστίζειν. id est, ἄθρουν, καὶ ἀπνευστὶ πίνειν. nam sic ille explicat. Vide lib. 3. Symp. quæst. 3. Possis etiam Græcè dicere ἀδιασπάστως, quasi *inconuulsim.* Sunt qui amystida etiam explicent per os hians, & rictum patentem. Itaque tunc quis diceretur amystizare, cùm biberet patente & hiante ore, non pressis labiis ad poculum. Quod Philo lib. de perfugis dixit, χανδὸν πίνειν, *hiante ore bibere.* & addit, ὡς οἱ ποιηταὶ λέγουσι. itaque satis indicat esse hanc formam prouerbialem vsitatam Poëtis. Apollonius talem potatorem sic expressit,

—δεδευτο δ' οἴνῳ
Χείλεα, κυανέαι τε γενειάδες.

Labia autem vino,& purpureæ genæ irrigabantur.

Apuleius lib. 10. sic: *grandissimum illum calicem vno haustu perhausi.* Eunapius in vita Ædesij hunc in modum· ἑαυτόν τε ἐπλήρωσεν ἀφθόνως τῆς κύλικος. Opponit autem pulchrè Poëta Didonis μετριοποσίᾳ potiùs ἐλιγοποσίᾳ istam Bitiæ ὑπερβολήν. Nam illa *summo tenus attigit ore,* iste *toto se proluit auro.* καὶ ἀνειμένως ἔπινε, vt loquitur Xenoph. lib. 4. παιδ. id est, *laxè & largiter bibebat.* vel ὑπέπινε, vt idem lib. παιδ. quo verbo vtitur ad largum potum explicandum. Vide Pollucem lib. 6. cap. 3. Galenus lib. 4. de vsu part. cap. 13. dixit. πάμπολλοι γοῦν τῶν κωθωνιζομένων ἀμφορέας ὅλους ἐκπίνοντες: *Permulti eorum, qui potu liberalius vtuntur, amphoras integras ebibentes.* Notetur obiter, vsus verbi κωθωνίζω, de quo silent, qui coniunxerunt λεξικά. Quemadmodum enim fit aliarum rerum exploratio, ita videntur explorari bibones, boníne, an mali sint, exhausto poculo.

5. AVRO] Legunt aliqui *ore* cum respectu ad superiorem amystida. sed *auro* retineo, id est, aureo poculo. Sic poëta quispiam apud Varronem lib. 6. Lat. ling. ex emendatione Scaligeri in Coniect. *cernuat aurum,* pro, flectit aureum arcum. Sic mille alia, vbi materia pro toto composito.

6. CITHARA CRINITVS IOPAS PERSONAT AVRATA] His paucissimis verbis scientissimus Poëta multa attingit, quæ omnia mihi explicanda, & illustranda; si cui videbor longior, transmittat hunc tractum: tametsi, quæ est ea longitudo, quæ tota ad Poëtam conducit? Quæ dicturus discrimino septem capitibus, vt aperttiora sint omnia. Capita hæc sunt. Musicam dari solitam in conuiuiis: hanc sæpe ad finem, quod facit Poëta: in ea hymnum cantari solitum, qui hîc canitur. instrumenta multa, sed in primis citharam: hanc interdum ornari auro: citharœdum crinitum ex more induci: demum de Iopæ etymo nonnihil. De his suo ordine, etsi non omnino breuiter, certè non prolixè.

7. MVSICAM] Itaque dari in conuiuiis docet Dio Chrysostom. orat. 32. vbi de ea, quæ adhibetur epulis, dixit, μουσικῆς δύναμις, tanquam ea princeps sit. Homerus I. Il. illam adhibet Deorum epulis, & Odyss. II. in Alcinoi conuiuio, & Apollonius lib. I. Arg. & quidem I. Il. Apollo canit, Odyss. II. Demodocus. Arg. I. Orpheus. Ælianus lib. 8. de conuiuiis Alexandri, ἀφίκοντο δὲ καὶ μουσουργοί, *aduenerunt etiam musici.* Pindarus Od. I. Olymp.

Musica in conuiuiis.

Ἀγλαΐζεται δὲ καὶ
Μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
Οἷα παίζομεν φίλαν
Ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ
Τράπεζαν.

Splendescit autem Musices flore, qualiter nos frequenter ludimus ad mensam iucundam. Quem tamen in conuiuiis morem reprehendit Euripides à Plutarcho adductus ἐν τοῖς γαμικοῖς παραγγέλμασι. cui reprehensioni ipse philosophus astipulatur. Ratio eius, quia cùm epulæ soluant animos, quid oportet illos noua musicæ voluptate resolui? Sed secus hoc esse multi alij docent. Expositi sunt conuiuæ iracundiæ & contentionibus propter immodicam vini ebrietatem, quæ vitia musica lenit, & mitigat. Inde Clinias Pythagoricus apud Athen. lib. 14. cùm esset moribus difficilior, lyram pulsabat, rogantibúsque cur id faceret, respondit, πραΰνομαι, *mitigor,* Achilles etiam apud Homerum cithara lenitur, quod & Ælianus scribit lib. 14. Var. hist. c. 23. Dio Chrysost. orat. 32. ait, musica reddi conuiuium ἐμμελὲς καὶ μέτριον, *concinnum & moderatum.* quia inducit (ait idem) animis harmoniam quandam, & cohibet lubricam vini delectationem.

8. Transeo ad secundum caput. Inducit Poëta musicum suum sublatis iam ferculis, & adhuc post libationem, quod ex more facit. Quem firmo ex Homero Odyss. 21. vbi de cantu & cithara, quæ præcesserunt,

Musica in fine conuiuij.

cesserant, ait, τὰ γὰρ τ' ἀναθήματα δαιτός, *haec enim additamenta conuiuij*. & ex Suetonio in Neron. c. 20. qui de ipso principe: *post cœnam canenti* (Terpno citharœdo) *in multam noctem assidens*, &c. Apuleius lib. 5. *Post opimas dapes quidam introcessit, & cantauit inuisus*. Ex hoc more lucem do Liuio lib. 29. *tum psaltriæ, sambucistriæq́, & conuiuialia ludionum oblectamenta addita epulis*. vbi vox *addita* non frustra, respicit enim signatum tempus. Sic & Homerus, *additamenta* dixit, Porro de scholio, quod huic rei annexum, iam alij. vide Scalig. in Poët. Christianum in Vespas Aristophanis.

Hymnus in conuiuio.

9. Tertium, quod mihi assumpsi, est: in musica conuiuiorum cantari solitum hymnum, & verè hunc cantatum ab Iopa. Ergo hymnum esse conuiuiorum apertè asserit Athen. lib. 14. & addit rationem, vt hymno ad moderationem, & continentiam retinendam admonerentur epulantes. Nam cùm is cantilenæ esset concinnæ, & deinde Deorum ratio accederet, credebant mores facilè posse hymno componi: est enim hymnus, qui assumitur ad Deorum celebrationem, vt ex Homero, Musæo, aliisque perspicuum fit. Plato 3. leg. ait, cantus, qui assumebantur ad placandos Deos, dici hymnos. Nonnus lib. 1. loquens de Baccho, ὕμνον ἀράσσε: *hymnum pulso*. Galenus lib. 3. de vsu part. loquens de Deo, dixit, δημιουργήσαντος ὕμνον: *Conditoris hymni*. Ælianus lib. 2. Var. hist. c. 39. apertè ait, τοὺς θεῶν ὕμνους. Pindarus Od. 5. Nem. ait Musas concinuisse hymnos exorsas ab Ioue: signatum verbum eius est, ὑμνεῖν. idem Od. 1. Pyth. vult cani hymnum Ætnæ regi, vt & Aristides Baccho orat. 5. sacror. sermonum. Inde bene Seruius 1. G. Vbi Virgilius ait canenda esse carmina in sacris Cereris, ipse per carmina intelligit hymnos. Scio mox procedente tempore, hymnos attributos etiam regibus, & principibus. Vt satis liquidum ex Pindaro Od. 2. Pyth. vbi ait, ἀγαχέα βασιλεῦσιν ὕμνον: *canorum hymnum regibus*. & ex Quintiliano lib. 1. cuius hæc sunt: *Omnium in litteris studiorum antiquissimam* (musicam) *exstitisse, testimonio sunt clarissimi poëtæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroum ac Deorum ad citharam canebantur*. Dio etiam lib. 51. loquens de Augusto ait, ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐγγράφεσθαι: *vt in hymnos quoque nomen ipsius, perinde ac Deorum, ascriberetur*. Sed videamus, an Iopas hymnum canat? canit verè. Probat hoc, materia quam sibi canendam assumit. Canit enim errantem lunam, Solis labores, originem orbis conditi à superis; quæ omnia Deorum sunt. Deinde id efficitur instrumento, canit enim cithara, quæ vt plurimùm destinata hymnis. Inde Pindarus sic auspicatur Odem secundam Olymp.

Hymnus Deorũ fuit.

Hymnus etiã Regum.

Cithara destinata hymnis.

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα θεόν, τίν' ἥρωα,
Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν; *Hymni regnãtes in cithara, quem Deum, quem heroa, quem virum resonabimus*? hunc locum Horatius transtulit. Dio Chrysost. orat. 2. ita ait, κιθάρᾳ μόνον, ἢ λύρᾳ χρῆσθαι πρὸς θεῶν ὕμνους, καὶ θεραπείας: *cithara tantùm aut lyra vti ad Deorum hymnos & cultum*. Didymus quoque apertè ait, hymnos cani cithara. citatur is ab Scalig. lib. 3. poët. c. 112. Reperi etiam locum Ioannis Damasceni ad hanc rem apti, coniungit enim Orat. 1. de Natiuitate Mariæ hymnũ cum cithara: sic scribens: τὴν κιθάραν πάλιν κραδαίνω τοῦ πνεύματος, καὶ θεῶν ὕμνον ᾄδω γενέσιον: *Citharam spiritus rursus ferio, & cano hymnum natalitium*. Nonnus lib. 1. κιθάρης ὕμνον. Ergo, si canuntur ab Iopa res Deorum, & istæ cithara, certè hymni canuntur. Obserua à Platone 3. leg. opponi ὕμνους καὶ θρήνους, *hymnos, & threnos*. Sunt threni queruli, & lugubres cantus. Quos tamen in vno Iulio coniungit Appianus lib. 2. ἐμφυλ. προσεξέπεμπον ὡς ἱερὸν τινα ἐπὶ τοὺς δαίμονας τὸν νενομισμένον ὕμνον αὐτῷ, καὶ θρῆνον ἐπᾴδοντες: *Præmittamus igitur eum tanquam sacrum in beatorum numerum, solitum illi hymnum, & threnum decantantes*. Verba sunt Antonij referentis Iulium Cæsarem in numerum beatorum.

ὕμνοι, & θρῆνοι opponũtur.

10. Pergo ad quartum. Instrumenta conuiuij multa fuerunt, sed in primis cithara. Primum de variis instrumentis probat Plinius lib. 1. epist. loquens de cœna ait: *audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes*. Anacreon cupit μετὰ συμπότου λυρίζειν, *Lyra canere cum compotore*. En lyra. vis tibias? Audi Valerium Max. lib. 2. c. 1. *Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant*. Aristophanem in Vespis,

Lyra in conuiuio. Tibia.

Αὐλητρὶς ἐνεφύσησεν, οἱ δὲ συμπόται:
Tibicina inflauit, ecce conuiuæ.

Plutarchus quoque lib. 7. symp. quæst. 8. dicit καταυλεῖν. Et Hippocr. in conuiuio αὐλητρίδος meminit. Locus habetur in epistolis illius. De psalterio testis idem Plutarchus, qui eodem loco καταψάλλειν inducit. & Suidas in conuiuiis Persarum ait cani solitum, cùm rex ipse biberet ἑπταχόρδῳ ψαλτηρίῳ, *psalterio septem chordarum*. Audisti lyram, tibias, psalterium. Varia alia instrumenta tibi Plautus suppeditat in sticho, vbi ait:

Psalterium

Lectos eburatos, auratos, Babylonica peristromata,
Consutaq́, tapetia, fidicinas, tibicinas, sambucinas.

Lege Platonem in Protagora, vbi reprehendit conuiuia illa, in quibus sunt αὐλητρίδαι, ψαλτρίαι, & alia huiusmodi. Aristophanes loco adducto inducit κρεκάδι' αὐλῆς, *aulica crepitacula*. & Cedrenus quosdam conuiuantes non solùm cum tibiis, sed etiam ἐν κυμβάλοις, *cum cymbalis*. Nonnus lib. 3. inducit in conuiuio, μέλος μυκήτορος αὐλοῦ, *cantum mugientis tubæ*, atque etiam δόνακα, & κύμβαλα. *fistulam, cymbala*. Gaudentius Episcopus Brixiensis inducit varia genera musicorum in conuiuiis, tractatu 1. in Euang. reprehendens scilicet. Porro quod pertinet ad citharam, firmat Valerius lib. 3. Arg.

Cithara in conuiuio.

— insignem cithara, cantuq́, fluenti
Dorcea, qui dulci festis assistere mensis
Pectine.

& Apuleius lib. 5. *post opimas dapes alius cithara pulsauit*. Sed id præsertim probant autores Græci. Plutarchus lib. 7. symp. quæst. 8. ἀλλ' ἥγε κιθάρα παλαιόθεν, καὶ καθ' Ὅμηρον ἔτι τοῖς χρόνοις γνωρίμη τῆς δαιτός. ἔτι καὶ μακρὰν οὕτως φιλίαν, καὶ συνήθειαν οὐ πρέπει διαλύειν: *Enimuero antiquitus cithara, & iam inde ab Homeri temporibus eo nomine nota fuit, quòd socia conuiuij esset: ac tam diurnam amicitiam, & sodalitium non conuenit diuellere*. Athenæus lib. 1. ἐχρῶντο δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις, καὶ κιθαρῳδοῖς. *vsus erat in conuiuijs citharœdorum*. Idem lib. 5. in conuiuio Xenophontis meminit pueri κιθαρίζοντος. & lib. 14. in conuiuio admiratio fit cuiusdam, qui pulsandæ citharæ artem calleret, κιθάρειον vocat. Cedrenus pag. 382. in conuiuio regio meminit κιθαρῳδῶν. Huc etiam pertinent verba Quintiliani, quæ iam attuli. Insinuat Artemidorus, cùm ait lib. 1. c. 58. κιθαρίζειν πρὸς γάμους, καὶ κοινωνία, ἀγαθόν: *pulsare citharam bonum est, ad nuptias & sodalitatem*. Inde Homerus citharam ἑταίρην δαιτί, & συνήορον δαιτί vocat, id est, *amicam, congruentemq́, conuiuio*, & 1. Il. Apollinem inducit pulsantem φόρμιγγι, id est, *cithara*. Quam tamen vocem nonnulli interpretes vertunt *lyram*, & in his Spondanus. Sed absurdè. Certè Græci φόρμιγγα, & κιθάραν, eandem esse volunt. Intérque alios hoc astruit H. Stephanus. quod elicit ex verbis Homeri 18. Il.

Cithara eadem cum phorminge.

Τοῖσιν

Τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
Ἱμερόεν κιθάριζε.
Hos autem inter medios puer phorminge sonora
Suauiter citharizabat.

vbi vides coniungi instrumentum φόρμιγγα, & verbum κιθαρίζειν. Sed quid, si hæc omnia λύρα, κιθάρα, φόρμιγξ, idem vnúmque sint instrumentum? De cithara & phorminge iam astruxit Henr. Stephanus ex Homero, de cithara & lyra astruo ego ex Platone in Euthyd. qui ita ait: *Ars enim, quæ fabricat lyram, & quæ lyram pulsat, longè inter se differunt.* Hæc verba Græci sic habent. ἡ γὰρ λυροποιϊκὴ, καὶ ἡ κιθαριστικὴ πολὺ διαφέρετον ἀλλήλων: ista ad verbum sic sonant: *Ars enim quæ lyram fabricat, & quæ citharam pulsat, longè inter se differunt.* non enim credendus est Plato assumere aliud instrumentum ad id, quod volebat. hoc sanè si faceret, ἀτόπως faceret. Hoc itaque si verum, tum vendicandus est Spondanus à calumnia, qui φόρμιγγα Homeri, reddit lyram: tum exempla, quæ attuli pro lyra, coniungenda sunt cum cithara. Sed dubium certè, an bene Plato. Nam Aristides in Gratulatione Smyrnæ, ait, Thebanos muros fabricatos πρὸς λύραν καὶ κιθάραν, *ad lyram, & citharam.* Frustra enim & ineptè repeteret, si esset idem instrumentū. idem, περὶ τοῦ παραφθέγματος, aperte discriminat, cùm ait, ἐν λύρᾳ, ἢ κιθάρᾳ. discriminat etiam Galenus libr. 1. Method. therap. & loquens in re conuiuij. Verba Galeni sunt: καὶ ἐπειδὰν ἐμπλησθῶσιν οἴνου, οὐ λύρας ἐν κύκλῳ περιφερομένης, ἢ κιθάρας, ἢ τινὸς ἄλλου τῶν μουσικῶν ὀργάνων. *Postquam se vino impleuere, non lyra circumfertur, non cithara, non aliud musicum instrumentum.* Adduxi etiam suprà ad rem aliam testimonium Dionis Chrysostomi discriminantis citharam à lyra. Sed & Pollux lib. 4. apertè distinguit, cùm ait, λύρα, κιθάρα, βάρβιτον.

Cithara eadem cum phorminge.

Citharæ auro ornatæ.

11. Quintum erat de ornamento aureo citharæ: nam Poëta hîc, *cithara aurata.* Pindarus od. 1. Pyth.

Χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος:
Aurea cithara Apollinis.

Cicero 1. Off. de citharœdo: *citharam tenens exornatissimam, auro & ebore distinctam.* Ouidius lyram quoque inauratam intulit lib. 1. Am. eleg. 8.

Ipse Deus vatum palla spectabilis aurea,
Tractat inaurata consona fila lyræ.

Horatius od. 13. lib. 2. & Quintilianus lib. 10. vterque dat Alcæo plectrum aureum.

Citharœdi criniti ex more.

12. Sextum erat, citharœdum ipsum crinitum comatúmque induci ex more. Alebant musici comam, vt venustiores essent. Athenæus lib. 9. inter reliquum ornatum musici, καὶ κόμην ἔτρεφε, *comam alebat.* Apuleius 2. Florid. describens citharœdum: *Pone coma prolixior inter lucentem ceruicem scapularum finibus obumbrat.* Amphion ab Philostrato lib. 1. Icon. inducitur comatus. ἡ κόμη δὲ, ἡδεῖα καὶ καθ' ἑαυτὴν, ἐγκαλύπτουσα μὲν τῷ μετώπῳ, συγκατιοῦσα δὲ τῷ ἰούλῳ παρὰ τὸ οὖς: *Coma autem per se quoque iucunda, fronti quidem oberrans, vnà verò cum lanugine ad aurem descendens,* &c. Ideo autem citharœdi comam nutrientes inducuntur à veteribus, tum vt auricomum Apollinem imitentur musicæ auctorem, quod Seruius etiam monuit, & Ouidius ad idem alludens dixit 3. de arte,

Phœbus crinitus.

Alterius crines humero iactentur vtroq;:
Talis es assumpta Phœbe canore lyra.

Et quidem ex Tibullo lib. 2. facilè elicies tunc Phœbum cæsariatum, & longis comis conspicuum esse, cùm caneret: ait enim,

Sed nitidus pulcherq; veni: nunc indue vestem
Purpuream, longas nunc bene necte comas.
Qualem te memorant Saturno Rege fugato
Victoris laudes tunc cecinisse Iouis.

Ælianus quoque lib. 1. hist. c. 20. infert Apollinis A ἄγαλμα ἔχον χρυσοῦς βοστρύχους: *simulacrum habens aureos cincinnos.* Apuleius 1. Florid. *Apollo & coma intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus.* Tum etiam, quia hoc genus hominum perstudiosum est elegantiæ, quod satis Cicero docet 1. Off. in eleganti comparatione, quam ex musico assumit. Cui Ciceronis descriptioni similis est alia apud Athenæum lib. 9. Inter elegantias autem, quibus veteres vtebantur, nulla est fortasse maior, quàm longa & speciosa coma: & criniti qui sunt, nescias qua amantur dulcedine, quod Turnebus admonuit lib. 26. c. 21. firmauítque verbis Senecæ, & Martiale lib. 12. epig. 49. Quibus omissis, adiungo Plutarchū in Apophth. apud quem Lycurgus ait, τοὺς μὲν καλοὺς ἡ κόμη εὐπρεπεστέρους ποιεῖ: *formosas coma reddit pulchriores.* Persas, qui mollissimi sunt habiti, κομήτας, vocat Herodotus lib. 6. *comatos.* & ab Athenæo lib. 4. βαθυχαιτήεντες dicuntur à prolixa coma, qua capillati erant. Agatho comicus in fabula Thyestæ vocat comas μάρτυρας τρυφῆς, *testes libidinis.* Philostratus in Heroicis dat Achilli comam χρυσοῦ ἡδίω, καὶ εὐσχήμονα, ὅπη, καὶ ὅπως κινοίη αὐτὴν ἢ ἄνεμος, ἢ αὐτός: *auro suauiorem, pulchrè compositam, quocumque, aut vtcumque ventus, ipse ve agitaret.* Inde est, vt catamiti comam alerent, quod Martialis satis indicat lib. 11. epig. 79.

Musici elegantiæ studiosi.

B

Persæ comati.

Flammea texantur sponsæ, iam Virgo parata est:
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Quin apud Persas eò processit luxus, vt etiam sibi adiungerent comas ascititias, quas Xenophon lib. 1. pæd. vocat προσθέτους. Tantum elegantiæ positum in hac re à mortalibus. ἐκ παρέργου addo ornatū alium musicorum in conuiuiis. Tenebant illi ramum vel lauri, vel myrti. Homerica cum lauro, Æschylea cum myrto canebantur. vide Christianum in Vesp. Aristophanis.

C

Iopæ etymon.

13. Septimum & vltimum erat de etymo Iopæ, quem ab emittenda voce ἐτυμολογεῖσθαι Nannius in Miscel. aduertit. Sed mihi alia est suspicio. ἰωὴ Græcis est vox, & sonus. atqui ἰωὴν citharæ dari monuit H. Stephanus. Igitur Iopas canens cithara, Iopas dicitur à voce attributa citharæ. Post expletum pensum, morem à nemine, quod sciam, obseruatum indico, & tantùm indico, quia res ista non Virgilij: receptum vt vnus è conuiuiis caneret. Apertè Aristophanes in Vespis. ibi enim Θέωρος ᾄδει: *Theorus canit,* & postea Αἰσχίνης ὁ Σέλλου, *Æschines filius Selli.* quos duos paulò antè numerauerat inter συμπότας. Inde fortasse dictum scholion carmen conuiuiale, quia lyra iam ad hunc, iam ad illum flectebatur. quod pari cum aliorum opinionibus probabilitate defendi potest, qui aliunde rimantur originem scholij.

D

Scholion carmen vnde dictum.

14. AVRATA] Apuleius lib. 1. Florid. loquens de Apolline: *Lyra eius auro fulgurat, ebore candicat.* Auctor ad Herenn. in exornatissima comparatione citharœdi, inter alia: *citharam tenens exornatissimam, auro & ebore distinctam.*

15. MAXIMVS ATLAS] Ita in 8.

—Electram maximus Atlas
Edidit.

E

& Claudian. 2. Rap. in prologo:

—te maximus Atlas
Horruit.

Nam, vt canit Ouidius:

Hic hominum cunctis ingenti corpore præstans
Iapetioniades Atlas.

16. HIC CANIT] Suprà Iopas *personat cithara*, hîc iam *canit.* Eundem itaque & pulsatorem, & cantorem facit, non discriminans, in quo morem veteribus sæpe vsurpatum attingit. Sic apud Homerum Odyss. 8. Demodocus & pulsat, & canit. Aristænetus lib. 2. epist. 5.

Cantor, & pulsator idem.

epist. 5. εὖγε τῆς φωνῆς, εὖγε τῆς λύρας. ὡς ἄμφω μουσικώτατα συνηχεῖ, καὶ προσᾴδουσα ἡ γλῶττα τοῖς κρούμασι, Μουσῶν τε, καὶ Χαρίτων ἡ κρᾶσις. Euge vocem! euge lyram! vt concorditer inter se consonant: *lingua apta fidium pulsibus, Musarumq; & Gratiarum temperamentum.* Innuitur idem pulsator, & cantor. Eodem potest trahi Aristophanes in Vespis, vbi in conuiuio laudatur Æschines ἀνὴρ σοφὸς καὶ μουσικός: *vir sapiens & musicus.* Sapientia enim referri potest ad cantum, musica ad pulsationem. Alij discriminant, nam apud Homerum 1. Il. Apollo pulsat citharam, & Musæ respondent. ex quo more locutus Apuleius lib. 6. *Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret.*

17. SOLISQVE LABORES] Sic Homerus solem ἀκάμαντα vocat, *indefessum.* Qui non iccirco pugnat cum Virgilio (ait Seruius) nam Homerus non dicit, solem non laborare, sed labores non sentire. Neque per *labores solis*, intelligo ἔκλειψιν, cum Hortensio, & H. Stephan. sed cursus annuos ac diurnos, quales describit Sol ipse apud Ouidium,

Nitor in aduersum, nec me, qui cetera, vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi.

Et quales Prudentius lib. 1. contra Symmachum,

Ausus habere Deum solem, cui tramite certo
Conditio imposita est, vigilem tolerare laborem
Visibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretiq; globo per inane volantem.

Quid quòd Homericum ἀκάμας (qua voce vsus etiam Iunior Philostratus in Iconibus) huc me ducit, non ad ἔκλειψιν. Sic & senior Philostratus in epist. solem vocat ξένον *peregrinum.* quæ etiam vox ad annuos cursus pertinet. Non tamen putes solem laborare. Dicuntur hæc respectu mortalium. Audi Panegeriasten ad Theodosium: *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat Æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cælum rotat, vt maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit*: ita, &c.

18. QVID TANTVM OCEANO, &c.] Versus Lucretij etiam lib. 5. ad quos allusit, hi sunt.

Crescere itemq; dies licet, & tabescere noctes,
Et minui luces, cùm noctes augmina sumunt.
Aut quia Sol idem sub terras atque supernè
Imparibus currens anfractibus ætheris oras
Partit, & in partes non æquas diuidit oras,
Et quod ab alterutra detraxit parte reponit
Eius in aduersa tanto plus parte relatus,
Donicum ad id signum cæli peruenit, vbi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus vmbras.

[a] Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, LONGVMQVE bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.
[b] Nunc quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
[c] Imo age, & à prima dic hospes origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casúsque tuorum,
Erroresque tuos. nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

ARGVMENTVM.

Explicatur æstus Didonis, & amoris flammæ, quas iam conceperat: tum amoris huius argumentum, videlicet auiditas audiendi, sciendique ab Ænea res Troianas, quæ res occasionem præbet sequentibus duobus libris, secundo & tertio.

EXPLICATIO.

[a] TRAHEBAT Dido moras, & ex studio differebat sermonem vsque ad multam noctem cupida fruendi Æneæ, arrepta occasione à Priamo, ab Hectore. simili affectu hîc *infelix* dicitur, quo suprà *misera.* & quo amans Medea ab Euripide δύστηνος. cùm ait, *bibebat longum amorem*, respiciens ad conuiuium, reuera indicat saucium animum. Nonnius *longum* explicat, sæuum, & perniciosum, quod amplectitur Robortellus.

[b] Arma Memnonis filij Auroræ dicebantur facta fuisse à Vulcano, ideo de illis exquisitè quærit: & ideo etiam suprà peculiaris de illis mentio, *& nigri Memnonis arma.* Deinde rogat de ferocitate equorum Diomedis. Tertiò, non de virtute Achillis, sed de magnitudine & proceritate corporis eius, quæ fuit cubitorum nouem, auctore Lycophrone. Sic explicat hunc locum Parrhas. comment. ad Claudian. Sed simpliciter capi locus potest, vult enim scire qualis fuerit Achillis, & quanta virtus.

[c] Longissimæ moræ occasionem quærit, quodicente Ænea diutius perfruatur. Vult autem tria scire. Primò Græcorum insidias, inde Poëta narrationem sequentis libri auspicatur ab equo Troiano. Malè itaque hîc Seruius (vidit hoc Modicius) illud *a prima origine* explicat, à raptu Helenæ. Nam tantùm vult scire insidias Danaûm ab prima equi origine. Secundò scire vult Dido fatalem casum Troianorum, quod præstat Æneas reliquo secundo libro. Tertiò denique ipsius Æneæ errores, cui petitioni tertius liber destinatur. Et quia extremo loco *errores* postulat; subiicit, *nam te iam septima*, &c. q.d. narra errores, quos iam inde à septennio pateris terra marique.

NOTÆ.

1. VARIO NOCTEM SERMONE TRAHEBAT] Huic versui aptari potest illud Hesiodi in Melampodia apud Athen. lib. 2.

Dulce etenim gratis inter conuiuia lauta
Mulceri verbis, saturato corpore primùm.

2. LONGVMQVE BIBEBAT AMOREM] Ita Petronius in re amatoria dixit, *combibere ictus lumine.* Amorem bibere.
Alludit præclarè lusus ille Iuliani Ægyptij, qui legitur lib. 7. Anthol.

Στέφος πλέκων ποθ' εὗρον
Ἐν τοῖς ῥόδοις ἔρωτα,
Καὶ τῶν πτερῶν κατασχὼν
Ἐβάπτισ' εἰς τὸν οἶνον.
Λαβὼν δ' ἔπιον αὐτόν,

Καὶ

Κἠ σῦν ἐσω μελῶν μὲ
Πτερῶσι γαργαλίζει:
Cùm necterem corollam,
Inter rosas repertum
Cupidinem,prehendi
Ala,meroq; mergens
Vnà imbibi procacem.
Nunc ille sæuit imis
Puer mihi in medullis.

Aliqui hos versus Anacreonti ascribunt. Sed pergo ad alios. Theocritus in Adonid. pari sententia. *ἐκ δὲ πίω τὸν ἔρωτα:amorem ebibam.* Et in Epig. *πολὺν τὸν ἔρωτα πεπωκώς:amorem multum ebibi.* Sic Heliodorus lib. 7. Hist. Æthiop. inducit Arsacem, quæ deperibat Theagenem, amoris plus in conuiuio, quàm vini haurientem. Eò spectare possunt Catullus, & Lucretius. Prior,

Oculi ebrij. *Et dulcis pueri ebrios ocellos.*

Posterior,

—Veneris dulcedinis in cor
Manauit gutta.

Bibere mandata. Sed quid si Noster Plauto hæsit? qui de re alia lusu haud absimili, ita in Persa:

Quanquam ego vinum bibo,at mandata non consueui simul bibere.

Etenim affectus omnes dici possunt *bibi.* Sic idem Aulul. *mœrorem bibam.* Similibus formis Latini *vorare, deuorare, exsorbere molestiam* dicunt. Sed in re adhuc amoris clariùs idem Plautus Mostel. *Amor permadefecit cor, & in pectus impluit.* & in Trucul.

Amoris intra pectus sese penetrauit potio.

vbi *gutta*, & *potio* repræsentant Virgilianum *bibo.* Aristophanes in Vespis dixit *θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες: bibentes acrem iracundiam.* Sed hîc cum allusione fortasse ad thymum apum, cùm explicet Scholiastes, *θυμὸν ὀξίνην*, pro *δριμεῖαν ὀργήν.* Est enim in thymo apum acritudo: Non multùm abit locutio Philostrati lib. 1. Icon. qui *sitire pulchritudinem* dixit, *διψῶντι τοῦ κάλλους.* Nec Cyrilli, qui in Sophoniam dixit, *πλούτῳ μεθύει.* & loco alio longè distante de eodem *μέθην* dixit. Præclarè verò Poëta affectum suum coniunxit vnà cum vino, cùm istud libidinem adiuuet, quasi pariter vinum, atque amor pugnarent contra Didonem, iuxta Ouidianum illud lib. 12. Met.

—quam vino pectus,tam virgine visa
Ardet,& ebrietas geminata libidine regnat.

Triti iam versiculi, qui de potestate vtriusque.

3. AVRORÆ VENISSET FILIVS] Hesiodus Theogon.

Τιθωνῷ δ' ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα.
Tithono Aurora peperit Memnonem area galea
Æthiopum Regem.

Oppian. lib. 2. Venat.

———Ἀσσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύουσι κλυτὸν γόνον ἠριγενείης.
Aßyrij incolæ
Memnonem deflent illustrem filium Auroræ.

Pindarus od. 2. Olymp.

Ἀοῦς τε παῖδα Αἰθίοπα:
Auroræ filium Æthiopem.

& od. 6. Nem.

Φαεννᾶς υἱὸν Ἀοῦς
Filium illustris auroræ.

Memnonis statua vocalis. Philostratus lib. 1. Icon. *Μέμνων ὁ τῆς ἠοῦς.* Mirum est, quod de effigie Memnonis scribit Tacitus lib. 2. Annal. *Cæterùm Germanicus alijs quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere, Memnonis saxea effigies, vbi radijs solis icta est, vocalem sonum reddens.* Quod aliis verbis Plinius lib. 36. cap. 7. *Non absimilis illi nar-*

A *ratur in Thebis delubro Serapis vt putant, Memnonis statua dicatus: quem quotidiano solis ortu contactum radijs, crepare dicunt.* Philostratus lib. 1. Iconum. *Δοκεῖ γὰρ ὁ ἥλιος οἱονεὶ πλῆκτρον κατὰ τὸ στόμα ἐμπίπτων τῷ Μέμνονι, ἐκκαλεῖσθαι φωνὴν ἐκεῖθεν, καὶ λαλοῦντι σοφίσματι παραμυθεῖσθαι τὴν ἡμέραν: Sol Memnonis os veluti plectro percutiens, inde vocem elidere, loquaciq; sophismate inuento diem solari videtur.* De eadem re latè idem Philostratus lib. 6. de vita Apollon. cap. 3. Callistratus vocat marmor Memnonis *ἔμφωνον* ab hac vocalitate. Et in statua ipsius dat eidem marmori *ἐξουσίαν φωνῆς, facultatem vocis.* & explicans ait, Oriente die loqui ad contactum Solis statuam, cum gaudio veluti ad matris præsentiam exhilaratam; abeunte die marmor ingemere. Hæc vanitas nata à putata Memnonis origine: B qui, quòd Auroræ filius, saxeus etiam craparet ad contactum lucis. Iuuenali porro scribenti,

Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ,

iam lucem dedit Lipsius ex Strabone. Nolui in mentione Memnonis rem hanc intactam relinquere.

4. DIOMEDIS EQVI] De ferocitate capit locum hunc Parrhasius. Nam Diomedes Rex Thraciæ equos habuit admodum feros, qui corporibus humanis pascebantur, à quibus equis originem ducebant equi illius Diomedis, qui ad Troiam pugnauit. Ergo rogat, num ita feroces essent, vt illi Thraces ad quos originem referebant. sic fermè ille comment. in Claud. qui etiam addit, hoc genus equorum propagatū vsque ad tempora Alexandri Magni. Equum quoque Seianum calamitatis adagio nobilem ab iisC dem originem ducere, auctor est Agell. lib. 3. c. 9. quem dicunt fuisse, *magnitudine inusitata, ceruice ardua, colore Phœniceo, flaua & comanti iuba.* Verba Agellij agnoscis. vt iam suspicari possimus his quoque notis insignes fuisse equos Diomedis, de quibus exquirit Dido. Porro de ferocitate Diomedis præter alios, qui circumferuntur, lege Philostratum lib. 2. Icon. — Diomedis equi. — Equus Seianus.

5. ÆSTAS] Septem annos intellige. Simili figura Accius in Philoctete apud Nonnium: *contempla hanc sedem, in qua ego nouem hyemes saxo stratus pertuli.* & Silius lib. 13.

—octaua terebat
Arentem culmis messem crepitantibus æstas.

Tu ex his exemplis, & aliis, quæ subiiciam, animadD uerte quiddam non vulgare. Annus veteribus in duas tantùm partes diuisus erat, videlicet in hyemem, & æstatem, hinc est, vt frequenter has duas partes pro anno sumant Auctores; non ver, non autumnum: nam siqui, ver, aut autumnum, illi certè aut non graues sunt, aut nouitij respectu antiquorū. subiiciam aliqua alia præter Accium, & Silium, vt res clarior sit. Valer. 6. Arg. — Annus diuisus in hyemem, & æstatem.

—eum Scythia iam tertia viderat æstas.

Ouidius in Halieut.

Tertia Phœbei referunt hiberna iugales.

Fragmentum hoc Ouidij reperies in Hieronymo Colum. in Ennium tomo 2. per initia. Petronius:

Iam decima mœstos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat meßis.

E vbi *meßis* pro æstate. Seneca Troad.

—decies niuibus
Canuit Ide, Ide nostris
Nudata rogis, & Sigæis
Trepidus campis decies secuit
Messor aristas.

vides hyemem tantùm, & æstatem. Vt apud eundem in Theb.

Bruma ter posuit niues,
Et tertia iam falce decubuit Ceres.

Vt exul

Vt exul errat natus, & patria caret.

Plinius lib. 6. cap. 19. *Vmbræ ad septentrionem cadunt hyeme, æstate in austrum per senos menses.* Vbi nulla facta veris, aut Autumni mentione annum æquè diuidit in hyemem, & æstatem. Sicut & Demosthenes orat. 3. in Philipp. vbi annum discriminat in θέρ☉, καὶ χειμῶνα. Seneca etiam ep. 36. *Æstas abit, sed alter annus illam adducit: hyems cecidit, referent illam sui menses.* & Rhetor. 1. Suas. *Annuas hyemis atque æstatis vices.* Plato 6. Leg. vbi ait vrbes custodiendas ab armatis hominibus toto anni tempore, ne vis externa ingruat, tantùm ait, θέρυς καὶ χειμῶν☉ σὺν τοῖς ὅπλοις. Sed signatissimè omnium Virgilius suprà in hoc libro.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaq; transierint Rutulis hiberna subactis.

Rationem huius acceptionis & vsus inter auctores videor ex Plinio ducere, nescio an errem. Eius verba lib. 7. cap. 48. hæc sunt. *Annum alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.* vbi sententia est, veteribus duplicem annum fuisse, qui nobis est vnus. Annus sex tantùm mensium.

A Itaque anni apud veteres habuere tantùm sex menses. Quia ergo illi suum annum integrum vocabatur iam æstatem, iam hyemem, factum vt istæ duæ partes sumantur pro anno potiùs, quàm ver, aut autumnus. De hac re si memini, locutus sum iam in Geor. inde cùm 4. Geor. legis,

Quod superest, vbi pulsam hyemem sol aureus egit
Sub terras, cælumq; æstiua luce reclusit,

existima loqui illum ex hac opinione. nam cùm ver signet, tamen ait, *æstiua luce.* Et hæc fortasse melior ratio expediendo Poëtæ. Hinc etiam habeo, solares annos, qui constant mensibus duodecim, dici *magnos* cum discrimine ad hos annos. Quod fortasse aptiùs, quàm cum discrimine ad lunares. Annus magnus cur dictus. Adiunge huic doctrinæ aliam adhuc strictiorem. B Vni Arcades annum suum terminabant spatio tantùm trium mensium. Auctores sunt Macrobius, & Plinius: ille lib. 1. Satur. cap. 12. hic lib. 7. cap. 48. Cur non ergo annus magnus, id est, solaris, dicatur cum discrimine ad annum Arcadum breuissimum?

FINIS LIBRI PRIMI ÆNEIDOS.





P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER II.

ARGVMENTVM.

PARET *Æneas Didoni, incipitque narrationem à fraude Sinonis, Græcorum insidiis, equi machina. Apparet præsertim summa eloquentia in Sinone, qua is Troianis persuasit, vti equum in vrbem introferrent, armis & armatis Græcis grauidum: faciunt hoc illi, & muro diruto, adiuuante Sinonis fraudes diuino argumento: periit enim Laocoon, & eius liberi, discerpti omnes à serpentibus Palladis, in vltionem, vt creditum, violati equi hastæ ictu. Ergo equus cum plausu & religione ad arcem perducitur. Ruit nox tantæ vrbi exitium allatura, dormiunt Troiani, remigrant Græci, qui erant in insidiis. Sinon equum aperit, descendunt ex eo armati, replent omnia pauore, vrbem inuadunt, cædibus omnia permiscent. Hector in somnis Æneæ apparet, aperit dolos Græcorum, hortatur ad fugam, tradit illi in manus Troiana Numina. Æneas somno expergiscitur, audit fragorē armorum, videt etiam incendiū, capit arma, & parua militū manu comparata festinat ad certam potiùs mortem, quàm ad spem aliquam victoriæ. Cædes interim vagatur in miseros Troianos, discriminatur ruina aliquot casibus. Aspirat Troianis fortuna aliqua, sed statim fœdatur tum multis cædibus, tum præsertim deformi spectaculo Cassandræ, quam à Græcis miserandum in modum affectam Troiani volunt liberare, sed nihil proficiunt, cadunt omnes: vnus tantùm superest Æneas, qui statim ad Reginam contendit, vbi acrior & maior pugna. Fit à Græcis oppugnatio, propugnatio à Troianis, sed nulla inde vtilitas, omnia quippe cedunt furori Pyrrhi, qui limen Regiæ rumpit, euellit postes, & irrumpit cum armato milite. Ibi noua cædes exoritur, auditur clamor feminarum, concidit Priamus Pyrrhi ferocitate, ex occasione Politæ filij coram oculis interfecti ab eodem Pyrrho. Ergo vastata Troia, deleta Regia, interfecto Priamo, Æneas ad ædes suas, & patrem contendit, vxorem, filium: videt in ipsa via Helenam, à qua vult pœnas sumere, sed, ne id faciat, reuocatur à Venere. Hæc illum ad fugam hortatur. Inuenit viam per medias flammas, vult patrem secum ad fugam educere, negat peruicaciter senex, nec nisi diuino monstro permouetur, flammæ apparentis in vertice Ascanij, & ab ea innoxij. Fugit tandem Aeneas sublato patre in humeros, filio manui inhærente, coniuge sequente vestigia, quam tamen in fuga amittit, & diligentißimè quærens non inuenit; tantùm videt eius mortuæ vmbram: redit ad patrem, videt plures Troianos eò confluxisse, paratos se ducem sequi: cum omnibus contendit ad montem Idam.*

[a] CONTICVERE omnes, intentiq; ora tenebant;
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
[b] Infandum Regina iubes renouare dolorem,
Troianas vt opes, & lamentabile Regnum
Eruerint Danai; quæq; ipse miserrima vidi,
ET QVORVM pars magna fui. Quis talia fando

Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Vlyssei
Temperet à lacrymis? & iam nox humida cælo
Præcipitat: suadentq; cadentia sidera somnos.
[c] Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breuiter Troiæ supremum audire laborem,
QVAMQVAM animus meminisse horret luctuq; refugit,
Incipiam.

ARGVMENTVM.

Conticescunt omnes, Æneas loquitur ex summo lecto, & se accingit ad longissimam narrationem huius, & sequentis libri: & quò Didonis imperio satisfaciat, non impeditur acerba narratione rerum, quas ipse vidit, aut serò noctis, in quo est.

EXPLICATIO.

[a] CONTICVERVNT, non, tacuerunt, quia omnes. Et quidem conticescunt ad rem maximam, plenam admirationis, magnitudinis, & variorum successuum, qualésque fas erat expectari ex narratione Troiani excidij. Secundò, Ænea narrante, nouo hospite, filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset? Tertiò accedit silentij forma noua ad præsentiã Reginæ, quæ auidissimè audire cupiebat, &, qua audiente, nemo vel hiscere auderet. Hæc omnia proculdubio Poëtæ animo obseruabantur, cùm versum hunc extulit plenum non tam silentij, quàm stuporis: &, quo audito, putes te præsentes cernere, non tam vt homines, quàm vt simulacra. *Intenti tenebant ora*, est phrasis mirè poëtica, pro tenebant ora intenta. *Toro ab alto.* à summo lecto.

[b] Exordij huius versus diuini sunt, in quibus omnia apta ad indicandam calamitatem supra omnes atrocem, ac proinde ad eliciendam misericordiam Reginæ: nec minùs narrantis dolor acerbissimus, vbi, cùm dolor sit infandus, fari tamen illum iubetur Troianus homo. Sed cur *Infandus dolor*? Primò quia opes Troianæ, quæ magnæ erutæ sunt, euersum Regnum, omnia vastata. Secundò, quia iubetur fari, quæ ipse vidit, & quorum ipse fuit pars magna. Huic rationi adnectit, quid facturus esset hostis, si hæc narraret. Ea enim fuit Troiana calamitas, vt Æneas putet, ipsos etiam Græcos excidij auctores effusè ploraturos. Tertiò, quia est noctis serum. Nox enim se præcipitat, & sidera, quæ appetente luce cadunt, somnos suadent. Hæc sententia. Considera vocem *opes*, quæ vox includit omnia, quæ pertinent ad humanam felicitatem. Hæ ergo non vtcumque deletæ, sed funditus erutæ. Quid non his concipis? Duritatem Vlyssis possis referre ad insitam eius ferociam, vel ad tolerantiam laborum, vt Horat. dixit, *proles patientis Vlyssi.*

[c] Insinuat se præclarè in gratiam Didonis, cùm illius iussis obtemperet, vbi triplex est ratio efficax ad auertendam memoriam à dira clade. In illo versu. *Et breuiter Troiæ supremum audire laborem.* est locus docilitatis, & attentionis. Quid enim aptius ad docilitatem, quàm breuiter se dicturum rem integro decennio gestam? Quid grandius ad attentionem, quàm supremus labor Troiæ? Absoluit. Quamquam animus horreat diram memoriam, diuinétque luctum, ac perinde refugiat narrationem acerbissimam, tamen incipiam. Aduerte in verbo *Incipiam* celeritatem pedis dactylici, ad indicandam celeritatem obtemperantis.

NOTÆ.

1. CONTICVERE. &c.] Calpur. 7. ecl.
Stabam defixus, & ore patenti,
Cunctáque mirabar.
Pindarus Pyth. ἔσταξαν δ᾽ ἀκίνητοι σιωπᾷ ἥρωες·
hærebant Heroes silentio immoti. Homer. Odyss. 13.
Ὣς ἔφαθ᾽, οἳ δ᾽ ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ·
Sic dixit: hi autem omnes taciti facti sunt silentio.
Quem versum videtur Poëta reddidisse. Homericus versus sæpe aliàs repetitur. Hanc silentij formam ita expressit Dionysius lib. 6. Antiq. ante orationem B Menenij Agrippæ: *Ita quieuerunt, & tantum silentium tota concione factum est, vt locus ille à solitudine nihil differre videretur.* Obseruetur etiam locus Dionis Chrysost. orat. 32. *Diuinum quiddam est, & grauitatis verè plenum, & magnificum populi vultus mansuetè compositi, neque risu vehementi, ac intemperanti efferuentis, neque tumultu continuo, & incomposito perturbati, sed cùm est auditio vna tantæ multitudinis.* Subiicit multa alia in hanc sententiam. Aristides ἐν παραφθ. ἱερ. ita. ὥσπερ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντες. Non abludit illud Liuij lib. 40. *Omnium Macedonum in eum ora conuersa.* Philostratus de Gorgia, ἀνηρτήσατο dixit, quòd omnium ora teneret suspensa. & de Herode Sophista alio ἐξηρτημένης νεότητος, quòd iuuenes ex eo dicente penderent. Verbo alio idem significante vsus est Nazianzenus orat. 27. indicans silentij formam, ἐμοῦ τε γὰρ κρεμασθέν. C *Sicut* & Eunapius loquens de Ædesio auditore Iamblichi. ἤκουσε λέγοντος, καὶ ἐξεκρέματο τῶν λόγων. Cyprianus epist. 2. ita: *In me oculus tuus fixus est, tam mente, quàm ore totus auditor es.*

Silentij forma ex

2. TORO] A summo lecto. Dido erat in medio lecto, Æneas in summo, Ascanius in imo. Itaque quem alij vocant torum, aut lectum summum, Poëta hîc *altum* dixit. Sic explicat locum hunc Ful. Vrsin. in Append. ad Tricl. Tu huc reuoca, quæ supra nos ad illud, *mediámque locauit.* Pet. Ciaconius hoc refert ad gradus, quibus interdum ascendebatur ad lectos tricliniares. Hos gradus non negem, nam & Varro li. 7. Latin. ling. nominat *tricliniarem gradum*, aliíque firmant: & hoc quoque in vsu apud Hebræos fuit, nam mulier illa peccatrix stans (στᾶσα) rigauit pedes Seruatoris Christi, non procidens, non genu D nixa. Sed cur in lecto, ad quem per gradus ascenditur discriminati non sint loci, medius, summus, infimus? & cur non de summo loco capi Poëta potest, etiam in lecto altissimo? Itaque hæreo Vrsino contra Ciaconium. Deinde, etiam si gradus non essent, poterat esse mensa sublata, nam accubitus non semper in plano. Iuuenal. Sat. 11.

Altus lectus pro summo

Gradus in lectis.

Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Vnguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu. id præsertim in Africa. Mart. lib. 9. epig. 23.

Vt Mauri

Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes.
Loca alia Martialis alij coniunxerunt. Illis ego Senecam, qui de Consol. ad Marciam cap. 16. *Exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus.*& ad Heluiam. *Leuati mensarum orbes.*Ceterum ad narrationem Poëtæ conformatus videtur locus Apul. lib.2. Af.vbi,præcedente conuiuio, sic ait, *Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, suberectúsque in torum, porrigit dexteram, &, instar oratorum conformat articulum,*&c. Herodianus lib.1. Imperatori Commodo ad loquendum dat βῆμα, *tribunal,* vt Vespasiano Suetonius in eius vita, cap. 7. & lib. 4. Idem Herodian. Antonino, θρόνον, *thronum*, βασιλείε (ait) ἐπιβὰς θρόνε· *conscenso throno regio.* Hirtius de Bel. Afr. Cæsari *suggestum.*

3. ORSVS] Ordior de telis propriè dicitur. Plinius de araneo lib.2. cap.24. *Orditur telas,*& Maro in culice, *araneoli tenuem formauimus orsum.* Transfertur ad sermonem, vt hoc loco, résque alias, non aliter, atque ὑφαίνω Græcorum, quod illis texere est, & ordiri. Nonnus ὑφαίνειν ἔργον, dixit, *opus inchoare*: & Hesiodus in scuto Hercul. πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε ἄλλην μῆτιν ὕφαινε μετὰ φρεσὶ· *Pater autem hominúmque Deorúmque aliud consilium texebat in mentibus.* — Ordior ad sermonem.

4. INFANDVM, &c.] Ante omnia Homeri locum subiicio è 9. Odyss. Ergo Vlysses Alcinoo obtemperans sic loquitur.

Σοὶ δ' ἐμὰ κήδεα θυμὸς ἐπετράπετο στονόεντα
Εἴρεσθ', ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στεναχίζω.
Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;
Κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ οὐρανίωνες.
Tibi verò meos dolores animus instat lacrymosos
Dicere, vt iam magis lugens ingemiscam.
Quid primum, quid deinde, quid vltimum narrabo?
Dolores quandoquidem mihi plures dederunt Dij cælestes.

In his Homerus, ἐμὰ κήδεα *meos dolores* pro fundamento ponit. Æneas longè aliter, nam priùs vniuersam calamitatem, deinde suam: tantorum enim malorum, ipse quoque partem magnam habuit: non statim confugit ad aram communem: Deos malorum auctores. Sed *quæ vidi* & quidem *miserrima* & *quæ passus sum ipse*: Deinde per interrogationem πάθος explicat: quando ne hostes quidem sine miseratione denarrare posse, profiteatur. A temporis quoque incommoditate auget difficultatem narrationis. Ergo non tam imitatus est Homerum (ait Iul. Scal.) quàm nos docuit, quomodo ille dicere debuisset. Seneca in Agamem. Virgilio his versibus adhæret. — Virgilius superat Homerum.

Acerba fatu poscis, in faustum iubes
Mi cere læto nuncium: refugit loqui
Meus ægra, tantis atque inhorrescit malis.

Quod verò Virgilius *renouare*, Sophocl. in Col. dixit πάλαι ἐπεγείρειν *rursum excitare*: & Callim. δάκρυον ἐγείρειν· *excitare lacrymas*: Eurip. in Orest. ἄρρητ' ἀναμετρήσασθαι: *Infanda recensere.* Quod Latini *infandum*. Eurip. Sophocl. & Homer. ἄρρητον. Isocr. ἀπόρρητον. Pindarus od. 7. Isthm. ad verbum, φάτος οὐ φατόν.

5. QVÆQVE IPSE MISERRIMA VIDI] Simili affectu Vlysses Odyss. 12. Οἴκτιστον δὴ κεῖνο ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι: *miserrimum illud vidi meis oculis*: de hoc affectu iam ego 1. Æn.

6. QVIS TALIA FANDO] est species quædam ἀνακοινώσεως, cùm nostræ opinioni vehementer confidimus, illámque discutiendam aduersario permittimus. Ad eundem modum Diomedes 11. Æn. cùm Græcorum clades persequitur, Græcus ipse sic inquit. *vel Priamo miseranda manus.* sic etiam Menelaus in Libanij declamat. querimonias suas, abreptámque

A vxorem apud hostes Troianos commemorat, quos ad lacrymas etiam permouet. Nec dissimile illud Apul. in Apolog. *Quis Eurybatus, quis Sisyphus, quis Phrynondas talem excogitasset?* Aristides affectum excitat non confugiens ad immitia. Ita enim deplorat Eteonei obitum. ποῖος ταῦτα Σιμωνίδης θρηνήσει; τίς Πίνδαρος ποῖον μέλος ἢ λόγον τοιοῦτον ἐξοίσει; τίς χορὸς ἄξιον φθέγξεται τοιούτε πάθους; *Quis talia vel Simonides, vel Pindarus apto carmine aut sermone deploret? quis chorus hanc cladem decorè exprimat?* & in Eleusinia, cum respectu ad hæc ipsa mala Troianorum, τίς θρῆνος Ἀργεῖος, τίνες Αἰγυπτίων, ἢ Φρυγῶν ᾠδοὶ συμμετρήσονται; *Quis Argiuus threnus, quæ tot Ægyptiorum, vel Phrygum exæquabunt næniæ?* Idem in Monodia Smyrnæ, ποῖαι πηγαὶ δακρύων ἱκαναὶ τοσούτῳ κακῷ: *Qui lacrymarum*
B *fontes sufficient huic malo?* Idem in prima Platonica sententiam Poëtæ ita extulit. ἃ μηδ' εἰπεῖν ἐστ' ἀδακρυτί· *Quæ dici sine lacrymis nequeunt.* Ad nostrum aspirauit Silius ita canens. lib.2. Punic.

Quis duros Vrbis casus laudandáque monstra,
Et fidei pœnas, & tristia facta piorum
Temperet euoluens lacrymis? vix Punica fletu
Cessassent castra, ac miserescere nescius hostis.

7. MYRMIDONVM] Fuerunt hi Achillis milites, & fortissimi è classe illa Græcorum, adeò, vt putet Turneb. lib. 3. Aduers. cap. 4. translatum hoc nomen in Italiam, & à fortissima hac natione Myrmillones dictos, quod inter gladiatores hi essent strenuissimi, nam (d) inquit Græcum, mutari in (l) Latinum solet, vt Vlysses ostendit, qui Græcis Ὀδυσσεὺς. Sed non
C fauet Turnebo Syllabæ quantitas, nam *Myrmidones* tertiam corripiunt, cùm *Myrmillones* producant. Ausonius: *Quis Myrmilloni componitur æqui manus? Rex.* Lipsium adi. 2. Saturn. cap. 10. qui hanc vocem eiúsque originem ad Gallos transfert, & Turnebum ridet, aduocátque illud Festi: *Retiario pugnanti aduersus Myrmillonem cantatur: non tepeto, piscem peto, quid me fugis Galle? Quia Myrmillonicum genus armaturæ, Gallicum est, ipsiq́; Myrmillones antea Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Hoc dictum obiter, ne cui imponere Turnebi opinio possit. Sed certè Læuin. in Sat. 6. Horat. lib. 1. Turnebi sententiam cùm aduocet, nihil mordet, imò amplectitur, vt apparet. Formicarum fabula obuia est cuique. quæ ex Eratosthene scribit Seru. videlicet sic dictos Myrmidonos à Rege quodam Myrmidono, probabiliora sunt. Plinius videtur innuere generale hoc esse nomen ad omnes Græcos, cùm ita scribit lib. 4. cap. 7. *ibi genitus Rex nomine Græcus, à quo Græcia ibi Hellen, à quo Hellenes. Hos eosdem Homerus tribus nominibus appellauit, Myrmidonas, & Hellenas, & Achæos.* Philostratus in Heroicis ait, Μυρμιδόνας ὀνομάζεσθαι πάντας Θετταλοὺς, *vniuersos Thessalos appellatos Myrmidonas.* — Myrmillones. — Myrmidones.
D

8. DOLOPVM] Hos secum ad Troianum bellum duxisse Phœnix credendus est, ille Achillis altor; nam apud Hom. Il. 9. ipse sic loquitur, — Dolopes.

Ναῖον δ' ἐσχατιὴν Φθίης Δολόπεσσιν ἀνάσσων.
Incolebam extremam oram Phthiæ, Dolopibus imperans.

Pindarus quoque apud Strab. lib. 9. Phœnicis mentione illata, sic ait:
E

Ὃς Δολόπων ἄγαγε θρασὺν ὅμιλον σφενδονᾶσαι.
Qui Dolopum duxit audaces funda cateruas.

Seruius ait, hos secutos ad bellum Troianum Pyrrhum: Idem Hortens. ex Hom. Idem ego efficio ex Thucydide, qui lib. 1. ait, Dolopes esse incolas Scyri insulæ in mari Ægæo. Credibile itaque est, eos secutos fuisse Pyrrhum, nutritum in ea Insula. Notetur forma adagij apud Aristidem in 2. Platonica, οὐκοῦν Δολόπων γε οὐδεὶς, ἐπ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἀπήντησεν· *Nemo Dolopum adfuit ad diem illum.* Dixi formam esse ada-

gij, nam ibi nullus sermo est de re Troiana, nisi quis malit istos fuisse συμμάχους Miltiadis, de quo ibi sermo. A

9. Temperet a lacrymis] Aristides ita dixit deplorans obitum Alexandri præceptoris sui, τίς ἂν δακρύσειε; & Quint. declam. 306. *Quis potest illum diem referre sine lacrymis?* Vt verò hic Vlyssis miles assumitur ad ploratus, vt qui immitis, & in quem clementia ista non posset cadere: ita ab Aristide. 2. Platonica, idem met Vlysses, cùm ait, ποῖος Ὀδυσσεὺς ἀδάκρυτι; *Quis Vlysses sine lacrymis.* Itaque Vlysses vsurpari prouerbialiter poterit, non solùm pro fraudulento, quod tritum multis; sed etiam pro immiti, & efferato.

10. Nox humida] Absentia nimirum solis nox dicitur humida. De malis ingruentibus dici νύκτα ὑγρὰν, ἢ δασεῖαν, *noctem humidam, aut spissam*, Eras. scribit ex Diogeniano. Ergo, non malè adagij forma illata in mentione tantæ cladis. B

Vlysses pro immiti prouerbialiter.

Nox cur humida.

Præcipito.

11. Præcipitat] Absolutè verbum hoc Latini. Nam, & Plautus Trinum. *qui in amorem præcipitauit.* Cic. leg. *Fibrenus præcipitat in Lirim*: & in somno Scip. *loca vbi Nilus præcipitat.* Ego in his omnibus subaudio *se*. Hoc enim potiùs, quam *præcipitat id est præcipitatur.* Nam Plinius apertè lib. 6. cap. 29. *Nilus præcipitans se, fragore auditum accolis aufert.* Vbi expressit, quod tacent alij. Ceterùm Virgilius Homero hæsit, qui ὀρώρει οὐρανόθεν νύξ. Simili phrasi Tacitus. 3. Hist. *Præcipiti in occasum die.*

12. Svadentqve &c.] Pulcre, ait Scal. verba hæc cõprehendi non posse, nisi à nobilibus ingenijs, nã generosè admodũ dicta sunt Hom. suo more.

Ὥρη μὲν πολέων μύθων, ὥρη δὲ καὶ ὕπνου·

Tempus quidem multa loquendi, tempus & dormiendi. C

Virgilius superat Homerum.

Sed difficilis est sententia Poëtæ, cuius verba trahi possunt ad explicandum. I. initium, vel extremum noctis, ac ne te multis morer, in alterum inclino, explicari (inquam) extremum noctis, vel saltem (quod idem existimo) tempus illud, quo exacta media nocte, astra iam dicuntur cadere, & labi. Nam quî initium noctis capiatur? cùm tunc oriantur, non cadant sidera? cadunt profectò vel post mediam noctem, vel sub Auroram. Itaque præclarè meo iudicio locum hunc interpretatur Turn. qui lib. 6. Adu. cap. 21. ait innui tempus diluculi albescente iam sole exortu Auroræ exacta propè nocte, nam tunc cadunt sidera. Nam idem Poëta lib. 8.

Cadentia sidera.

Ergo age nate Dea, primísque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces:

Id est, sub Auroram. Adiuuat (notante Genn.) comessatores, & amatores dicit ἡμεροκοίτους, non solùm nocturnos grassatores, & fures. sunt autem ἡμερόκοιτοι qui noctu vigilant, die dormiunt, & quidem de eodem hoc tempore, quod signaui, accipi potest Virgil. in lib. 4. Æn. illis verbis,

Post vbi digressi, luménque obscura vicissim
Luna premit, suadéntque cadentia sidera somnos.

Iuuat Homeri versus Odyss. 12.

Ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει.

Quando autẽ tertia pars noctis erat, & astra inclinarũt.

Vbi inclinatio siderum, quæ fuit ad tertiam partem noctis, quæ est alia, quàm occasus siderum? Demum pro hac re apertè Propertius ita scribens.

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.
Ipsáque in oceanum sidera lapsa cadunt.

vbi verbo Virgiliano explicatur nox desinens, non incipiens.

13. Svpremvm laborem] ita in 5. *sorte suprema Troiæ.* Nam imperiũ illud nunquã reuixit in posterum. Itaque locutio sumpta est à mortuis, quibus omnia, quæ contingunt, suprema sunt, idest vltima. *Sic supremus honos* pro exequiis. Ita & Calaber lib. 12. de suprema nocte Troiæ, ὑστατίη νύξ.

Supr... de

14. Qvamqvam animvs meminisse horret] Ita Cic. 14. in Anton. (notante Mureto) *Refugit animus P. C. eáque formidat dicere, quæ, &c.* Adiungo Tacitum, & Liuium, ille 4. Hist. *horret animus tanti flagitij imagine.* Hic lib. 9 *reformidat animus*, & alibi *horret animus referre.* Sed signatissimè ad Virgilium Fabius declamat. 270. *Horret animus recordari, refugiunt cogitationes.* Calpur. etiam declamat. 10. *horret referre animus.* Seneca in Agamemn. *En horret animus, & pauor membra excutit.* Iterum *Refugit loqui Mens ægra tantis atque inhorrescit malis.* Nazianzenus Orat. 19. ita locum istum amplificat, φρίττειν ἐπέρχεταί μοι τοῖς ἑξῆς προσιόντι τοῦ διηγήματος, φρίττοιτε δὲ καὶ ὑμεῖς οἱ ἀκούοντες. *Mihi ad eorum, quæ sequuntur, narrationem progredienti s... horrescere: ac vos velim, cùm audiatis, cohorrescere.*

a Fracti bello Fatisqve repulsi
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant; sectáque intexunt abiete costas:
Votum pro reditu simulant, ea fama vagatur.
b Huc delecta virum sortiti corpora, furtim
Includunt cæco lateri: penitúsque cauernas
Ingentes, vterúmque armato milite complent.

ARGVMENTVM.

Græcorum duces fracti, & belli diuturnitate, & aduersis fatis, equum statuunt magnitudine insusitata, specie voti pro reditu soluendi: in hoc delecti includuntur, iique sortito.

EXPLICATIO.

a Incipit à Græcorum fraudibus: harum duplex causa, videlicet, longa belli mora, qua illi fracti; aduersa fata, quibus victi. Ideo ergo conuersi ad dolum. Sed quis hic dolus? Audi. Græcorum *ductores* (Intellige non solùm Agamemnonem, & Menelaum, sed duces reliquos, quorum opera enituit in Troiano bello) *ædificant labentibus tot annis, equum diuina arte Palladis.* cur, *labentibus tot annis*? quia *fracti bello longo.* cur, *diuina arte Palladis*? quia *fatis repulsi.* Quasi vellent noua sibi fata condere ope Palladis. Itaque hęc duo, *tot iam labentibus annis* & *diuina arte Palladis* respondent illis *fracti bello, fatísque repulsi.* Pergo, docet equi huius magnitudinẽ, videlicet *instar montis*: &, quia *Ædificant*, ideo sequitur *sectáque intexunt abiete costas.* Sed in quo fraus posita? *votum pro reditu simulant.* vbi enim simulatio, ibi fraus. Quæ verò hæc fraus? enormis, & insolens, nam *votum pro reditu*; specie quippe religionis deceperunt Troianos. Sequitur, *ea fama vagatur.* Nam ductores sparsere in vulgus, illud esse votum, quo scilicet plebs militaris decepta esset, & consilia belli omnino

omnino laterent. Circa numeros duo nota. In illis *fracti bello, fatisque*, obserua grauitatem incipientis narrationis ex mora spondeorum, qui studiose quæsiti. Alterum in extremo versu, qui totus dactylicis conuolat ad signandam vagantem, currentémque per omnes famã. Adeo in omnibus vigilat hic Vates.

b Fortissimi Græcorum huc inclusi sunt. Nam *delecta corpora virûm* sunt delecti viri. Nisi mauis duces delectos, fuisse corporum proceritate insignes, in quibus, vt plurimum, est virtus animi. Sed quî *delecti viri*, si per sortes? vbi enim est sors, abest delectio. Intellige post delectum, factam sortitionem: Itáque primùm delecti sunt, qui sortiendi: mox sors assumpsit ex delectis hos præ aliis. His omnibus complentur ingentes cauernæ equi, ingénsque vterus. Poëta quippè, vt explicet equi magnitudinem coniungit, *latus cæcum, ingentes cauernas, vterum*. Est hîc *penitus* idem quod interius, *cæco lateri*, quis sit casus do in Notis.

NOTÆ.

Frango.

1. FRACTI BELLO. Verbum *frango* & bellis dedit Tacitus 4. Hist. *Populum Rom. continua bellorum ciuilium series & interna mala fregissent.* iterum: *fractæ vires hostium.* Liuius lib. 45. *fracti animi ciuitatis erant.* iterum *fractis animis partium.* Obserua initium hoc ductum omnino à Tryphiodoro in excidio Ilij. Vbi Græcus narrationem incipit ab illo, ἤδη μὲν δεκάτοιο, &c. Narrat videlicet omnia iam exhausta, non solùm homines, nam & hastæ ipsæ, clypei, arcus, sagittæ, equi, omnia deniq; longissimo bello defessa erant. Dignus est locus, qui adeatur. Apud Calabrũ quoq; Calchas lib. 12. ab aduersis fatis Deorum, prodigiis, portentisque contrariis. His enim permoti Græci deliberant de equo struendo. Itaque Noster illud *fracti bello* duxit à Tryphiodoro, illud *fatísque repulsi*, à Calabro. An non miraris istum librorum exploratorem? Sed & Calaber quoque primam rationem attingit, ita enim incipit librum. 12. qui totus de structura equi.

Ἀλλ' ὅτε δὴ μάλα πολλὰ κάμον περὶ τείχεα Τροίης
Αἰχμηταὶ Δαναοὶ, πολέμου δ' οὐ γίγνετο τέκμωρ.

Sed cùm iam mala plurima perpesi essent [set. &c. *ad Troiæ pergama Hastiferi Danai, neq; dum bello finis esset.*]

2. REPVLSI] Non dubium, quin hoc verbo Poëta respexerit ad repulsas Romanorum.

3. TOT IAM LABENTIBVS ANNIS] Ex Lucretij modulo lib. 1. *tot iam voluentibus annis,*
Ductores Danaûm delecti prima virorum.

4. INSTAR MONTIS] Mitto hic digladiationes Grammaticorum de voce *instar*. Quod Virgil. *instar montis*. Pindarus Od. 6. Isthm. ὄρεϊ ἴσον. Sermonẽ ipsum hyperbolicum in mente credo habuit Apuleius lib. 10. vbi Romanum pegma *montem ligneum* vocat. Cæterùm totum hoc belli consilium de equo construendo, de insidiis, de Sinone, demum omnium, quæ longissimè sequuntur in Vate, desumpta sunt ab Tryphiodoro, & Calabro, sed ego in primis Calabri acumen demiror, qui Vlyssem sapientissimũ facit eleganti quodam inuento, nam ad verba Calchantis satis implicata, auguriúmque illius, inducit Vlyssem excogitantem equi machinam, qua omnino Calchantis augurium intelligatur. Inde verba illa, τὸν πάντες ἐπῄνεον, Κάλχας μὲν θαύμαζεν· *omnes illum laudabant, Calchas ipsum mirabatur*, videlicet Vlyssem. Vt, quæ hîc dixi intelligas, opus est Calabro adito. Volo etiam scias, Rhetores, qui versum istum Virgilianum adducunt pro exemplo catachreseos, mirè decipi. Dicunt enim κατάχρησιν positam in voce *equũ*, quasi Maro καταχρηστικῶς appellet istam machinam *equum*. Hoc non sic est. Qui enim Calabrum legat, & Tryphiodorum, apertè videbit ita compactam

A hanc machinam, vt necessariò deberet equus nominari. Efficacissimũ mihi argumentum est, quæ leguntur in prædictis Græcis. Calaber enim dat illi pedes equinos, ventrem, dorsum, armos, ceruicem, iubam, caput, caudam, oculos, demum integra omnia, quibus equus κινεῖται *mouetur*. quæ vox notanda, indicat enim ita constructum equum, vt solùm illi motus deesset, & de iuba ita loquitur, ὡς ἐτεόν περ κινυμένην, id est, perinde factam, ac si se moueret. Addit q; mirari Græcos, qua ratione esset ἐν δούρατι θυμός, *in ligno animus*, τάχος ποδῶν, *celeritas in pedibus*. Adeo scilicet viua erat machina, vt animata videretur, & apta ad cursum. Demũ absoluit χρεμέθοντι δ' ἐῴκει *similis erat hinnienti*. Distinctiùs adhuc Tryphiodorus loquitur de hoc equo, & præter alia dathalitum illi viuum, quem

B spirabat è naribus; dat frenos, quos mãdebat, dat reliqua omnia mirè conformata ad equũ. Quæ ergo catachresis in nominando equo? debuit enim Virgilius insistere Græcis, post quos scripsit. Ergò dicamus, tropum positũ vel in mõte, cui facit equũ similem: quemadmodum & Tryphiodorus, pulcrã aliam catachresin excogitauit, nam loquens de ventre equi, ait, illum, quo Græcos multos caperet, excauatum οἷά τε νηὸς, *instar nauis*. vel, quod potiùs credo, in voce, *ædificant*. vt videlicet equi structio dicatur abusiuè structio domus: & huc proculdubio trahendus Quint. li. 8. c. 6.

5. EQVVM] hoc ligneũ opus *equum* appellat Neq; verò hoc solùm, sed mirum est, quàm fœcũdus fuerit in hac re Poëta, nam mox *machinam* dicit. deinde *effigiem statuere*, & *molem* quoque: *Hanc tamen immensam Calchas attollere molem*: item *robur*: *sacrum qui*

C *cuspide robur Læserit*. & *lignum*: *Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui*. & *simulacrum*: *Ducendum ad sedes simulacrum.* Demum non contentus equo, machina, effigie, mole, robore, ligno, simulacro, ad portenta, & prodigia decurrit, & inde *monstrum* exuit, sic enim ille, *Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.* Mitto eundẽ equũ, donum, & votum appellatũ. Sed an hic equus verè fuerit, diffident scriptores: ad rem hanc idonea Delrij nota hæc. *Pausanias in Corinthiacis prodidit, non equum fuisse, sed machinam subruendis muris idoneã, quod Vitruuio non displicet; sunt qui velint portam, cuius insigne pictus equus, ab Antenore Græcis apertam: sunt qui malint à Græcis equestri prœlio victos Troianos in eam calamitatẽ incidisse: nec desunt, qui Græcos positis in Hippio*

D *monte insidiis, interceptóq; Troianorum exercitu, in vrbem irruisse contendant, vt videre est apud Vitruuium; Palæphatum, Hyginum, Fulgentium.* verè hæc Delr. tantùm, quæ de Pausania in Corinthiacis scribit, sciendum ea inueniri in Atticis. Lege Plutarchum ἐν Ῥωμ. vbi ait, equũ Marti immolari apud Romanos Idib. Decembribus, quòd putarent ἵππῳ τὴν Τροίαν ἡλωκέναι *equo captam Troiam.* si quis quærat, cur Græci staturõsam hanc machinã, qua capta est Troia, vocauerint equũ potiùs, quàm alio nomine, hæc esse ratio poterit fortasse non inepta. Græci, quæ magna erant, & Ætnea, non solùm indigitabant à particula βοῦ, sed ἀπὸ τοῦ ἵππου. ita ἱππαλεκτρυὼν explicatur ab Hesychio μέγας ἀλεκτρυών *magnus Gallus*. Scholiastes etiam Aristophanis

E in Ranis, ad ea verba ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν, ita ait. τινὲς δὲ τὸ ἵππος ἐπὶ τοῦ μεγάλου. Quin idem Comicus ita vsus est hac voce in Auib. vt non aliud, quàm magnitudinem signaret: versus eius sunt;

Ἡρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος ἐκ οὐδενὸς
Μεγάλα πράττει, κἀστὶ νυνὶ ξουθὸς ἱππαλεκτρυών.

Electus est tribus princeps postea equorum princeps, postea [ex nullo *Magna facit, & est nunc flauus hippalectryo.*

6. DIVINA PALLADIS ARTE] Acutè mediã vocẽ elegit, nam *ars* & ingeniũ notat, & fraudem: ea enim artificiosè dici dicuntur, quæ aut ingeniosè fiunt, aut dolosè.

Equus Troianus.

Equus Marti immolatus.

ἵππος Græcis particula intentiua.

Ars de fraude.

dolosè. Ergo, quod velis in Pallade capias, posterius ego capiam, nam quid ab irata Dea, nisi dolus in Troianos, procederet? Sed Poëta dissimulanter hanc fraudem texit ambigua voce. Adde etiam doctè hoc dictum, nam opificia omnia debentur Palladi. Ab Arist. de in oratione ad hanc Deam ἐργάνη dicitur, *opifex*. Neque alia origo, cur mensis Maius dicatur σκιρροφοριών, quàm quòd hic mensis aptus excitandis ædificiis, quorum inuentrix fuit Pallas, quæ σκιρρὰς dicitur, & eius festa σκιρροφόρια, ab gypso ædificiorum. Sed de hac re nobis alibi. Euripides Troad. dixit hûc equum fabricatum μηχαναῖσι παλλάδος: *machinis Pallados*. Pallas ipsa apud Calabrum lib. 12. *καί μιν ἀνώγει τεῦξαι δούρειον ἵππον*: : *hortatur ipsum* (Epeum) *ligneum equum fabricare*. & postea signatè ad rem Virgilij, τέχνη. quæ vox & artem, & dolum signat. Tryphiodorus βουλῇσι θεῆς, dixit, *consiliis Deæ*. Homerus hoc attingens, 8. Odyss. σὺν Ἀθήνῃ, *cum Pallade*, id est, auxilio Palladis.

Pallas præest ædificiis. Maius dictus Scirrophorion.

Texo de fabricis.

7. INTEXVNT] Verbum *texo* traduxerunt veteres ad fabricam omnem è ligno. Ouid.

Texitur in costis panda carina suis.

Catull.

Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.

Ennius.

Idem campus habet textrinum nauibus pandis.

Ita legit hunc versum Scal. in Not. ad Catullum. Vegetius lib. 4. cap. 33. *classem Romani principes texuerunt*. Sulpitius Seuerus lib. 1. Hist. de Noë: *arcam è lignis contexuit*. Pari indole Græci τὰ ὕφη νεώς. Ab hoc contextu tabularum dictæ naues *caudicariæ*, à Senec. de Breuit. Vit. cap. 13. quasi à caudicibus. & à Sallust. in fragment. Hist. *codicaria*.

Caudicariæ naues.

Equi Troiani materia.

8. ABIETE] Non sibi contrarius Poëta, quamuis equum hunc infrà *acernum* vocet, & deinde *pineum*. Ergo dicamus hanc machinam contextam ex variis arboribus, non ex acere solùm, & pino; sed ex robore, quod voluit Petronius, & Poëta ipse, cùm ait: *molem roboribus textis*: atque etiam ex cornis, quod Pausanias in Laconicis: costas autem, & statumina, quibus machina firmaretur, sumta ex abiete. Inde Propertius lib. 4. eleg. 1. de hoc equo loquens:

Læserat abiegni venter apertus equi.

& lib. 3. eleg. 1.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces.

Tryphiodorus, qui plurimus est in hoc equo describendo, præter materiam lignorum, adiicit alia quæpiam, videlicet oculos ex lapidibus pretiosis, vnum ex beryllo, alterum ex amethysto, dentes ex argento, iubam auro aspersam, vngulas ex testudine. Adi illum. Quæ Tryphiodorus dixit de beryllo, & amethysto explicant Calabrum, qui huic equo dat ὀφθαλμοὺς διειδέας, *oculos perspicuos*. Inde ab eodem Tryphiodoro hic equus αἰόλος vocatur, propter hanc varietatem.

9. COSTAS] Turneb. lib. 26. cap. 23. putat costas hoc loco esse interiora quædam statumina, quibus laterum compages, & coassatio nitebatur, quales in naui costas videmus, de quibus Plin. lib. 13. cap. 9. cùm de spina loquitur, quæ Græcis dicitur ἄκανθος, *spina, inquit, vtilissima nauium costis*. & Persius Saty. 6. *costa ratis laceræ*.

Costæ de nauibus.

10. VOTVM PRO REDITV SIMVLANT] Probè Nasc. *Hinc leuis emergit Græcorum deturpatio ab impietate, qui per speciem religionis insidias moliuntur*. Hæc non dissident ab ingeniis Græcorum, qui fraudulenti, & dolosi. Curt. lib. 4. *Græcorum ingenia* vocat *temporaria*: Cassiod. 12. Var. ep. 4. Græciam *multifariam*. Cic. ad Q. Fr. *fallaces, & leues, & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditos*; iterum, illorum

Græci dolosi.

A amicitias *parum fideles*: Liuius lib. 8. *gentem lingua magis strenuam quàm factis*. Similem illis impietatis notam inussit Homerus, Græcus ipse, per initia lib. 12. Il. quod Spondanus & notat, & miratur ausum hoc Græcum hominem. Tangit autem Poëta veterum morem, apud quos vota suscipi consueuerunt pro reditu in patriam: quod Briss. monuit lib. 1. Form. Tib. lib. 3.

Vota pro reditu in patriam.

Ac si pro dulci reditu quæcumque vouentur. Ouid. 1. Amor. El. 11. —*pro reditu victima vota cadet*. Sueton. in Calig. cap. 14. *cùm deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt*. Corn. Tacit lib. 3. *decreuere patres vota pro reditu eius*. Eleganter Petron. ad hoc votum alludens dixit: *Danai in voto latent*. Sed & de hoc stratagemate belli

B ita loquitur Vegetius lib. 4. cap. 26. *Frequenter dolum excogitant obsidentes, ac simulata desperatione lõgiùs abeũt*. Iulius Front. lib. 3. cap. 6. de Scipione: *simulato metu refugiebat Annibal, ratus veram esse eius trepidationem*, &c. Vide, quæ latè idem scribit cap. 10. & 11. eiusdem libri.

Stratagema belli.

11. HVC DELECTA VIRVM] Ab tam multis qui abditi fuerunt in hoc equo, Hadrianus Iun. Cent. 3. formam prouerbij hanc sumit. Δουρείου τινὸς ἵππου εἰκόνα σώζει. *Durei cuiusdam equi speciem præfert*. & dici ait, de homine multifariis, & diuersis inter se vitiis obnoxio. Cui Prouerbij formæ fauent verba hæc Clement. Alex. lib. 2. Strom. *Nunc autem hoc solùm adnotandum est, quòd Durij equi, vt est in poëticis fabulis, imaginem seruat homo, ex sententia Basilidis: Vt qui in vno corpore tot*

Durij equi species præfert, adag.

C *diuersorum spirituum exercitum habeat insinuatum*. ab hoc non multùm abeunt verba hæc Athen. lib. 9. ex Diphilo, Δούρειον ἐπάγω χῆνα τῷ φυσήματι: *vobis anserem affero tumore Durium*. Adiuuat certè Athenæus diligentiam Iunij.

12. CÆCO LATERI] Si datiuum agnoscas, non te facilè expedies: accipi potest Latinus casus, vt dicat in *cæco latere* ex more veterum, qui ablatiuos in, e, desinebant sæpe in. i. Sic & hodie vesperi pro vespere in probatissimis autoribus. Huius rei alibi testimonia coniungo, si malis datiuum, explicabis *in latus cæcum*.

13. CAVERNAS INGENTES] Indicant hæc equi magnitudinem, non minùs atque illa Petron.

Aperitur ingens antrum, & obducti specus,
Qui castra caperent. Huc decenni prælio,
D *Irata* (alij *iurata*) *virtus abditur, stipant graues*
Equi recessus Danai, & in voto latent.

Profunditatem quoque equi, Homeri interpretes, & cum illis Plutarc. in eo lib. qui de Homero inscribitur, expendunt, quod vates dixerit, armatos in illum descendisse. Expendi etiam potest ex numero illorum, qui intus abditi, de quibus infra. Demum ex adagij forma, quam indicat Rhod. lib. 29. lect. cap. 25. equos magnos staturosósque dici posse *durios* ex Troiani equi magnitudine. Adiuuat illud Aristoph. in Auib. —δύ' ἅρματε ἵππων ὑπόντων μέγεθος, ὅσον ὁ Δούρειος· *duo currus equorum, qui essent magnitudine, quanta equus Troianus*. Sed nemo melius Virgilio magnitudinem hanc indicauit: nam quanta illa, quæ instar montis? Calaber lib. 12. de hoc equo, μέγ' ἔργον· *opus magnum*. ἔργον ἀγητὸν, *opus admirandum* & μεγακήτεος ἵππου, qua voce ingens vastitas innuitur. Idem, ὄμβριμον ἔργον, & δούρειος ἵππος. Dat etiam illi πλευρὰς,

Durij de equis staturosis.

E id est, *recessus*. De hac etiam magnitudine multis Tryphiodorus. Vocat illum πελώριον ἵππον *immensum equum*. de eodem δρυὸς θ' ὑψηλός: *latus, & excelsus*. vt signet etiam amplissimum, ait, δρυτάτης πλευρῆς. Dat demum illi ventrem ὁπόσον νεός. *instar nauis*. Dio Chrysost. orat. 11. μέγα ἔργον, vt & Calaber.

[a] Est in conspectu Tenedos, notissima fama,
INSVLA diues opum, Priami dum regna manebant.
[b] Nunc tantùm sinus, & statio malè fida carinis.
[c] Huc se prouecti deserto in littore condunt.
Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.
[d] Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.
Panduntur portæ, iuuat ire, & Dorica castra
Desertósque videre locos, littúsque relictum.

ARGVMENTVM.

Describitur Tenedi antiqua gloria, præsens calamitas: in hac Græci occultantur, putant Troiani illos abiisse, vrbis portas aperiunt, loca perlustrant insessa priùs hostibus.

EXPLICATIO.

[a] SVBIICIT locum struendis insidiis aptum, insula enim, quæ erat in conspectu Troiæ, fecit ne longè Græci abirent, quo paratiores essent ad remigrandum. Prædicat de hac insula famam, & opes, sed has manente imperio Priami.

[b] Hic versus superiori opponitur. Quasi dicat. Quid non potest fortuna, & casus? quanta est rerum vicissitudo? Ea iam non est insula, vt fuerat manente Priamo, sed sinus quidam, & statio malè fida carinis. Adeo cum Rege concidit regni status. Est *sinus* (ait Seruius) reductus quidam secessus littoris. Est *statio* (ait idem) vbi ad tempus stant naues.

B

[c] Ita à Poëta res componitur, vt hinc Græcorum dolos, atque insidias; inde Troianorum candorem, & simplicitatem animi intelligas. Nam illi condunt se in insidiis, isti putant abiisse ad Græciam. Hîc quippe Mycenæ pro Græcia: à parte totum.

[d] Vnico verbo multa inclusit. *omnis* enim *Teucria* signat omnem sexum, ætatem, conditionem. Omnes quippe se luctu soluunt, & *longo*, nam per decennium. Sequuntur signa pacis, videlicet expassio portarum, libera extra muros euagatio, qua absque metu perlustrarunt loca insessa hostibus. Commemorat Poëta plura loca, videlicet *castra Dorica, desertos locos, littus relictum*. Nam eo ipso indicat vagantem, currentémque per loca omnia lætitiam.

C

NOTÆ.

Tenedos.

1. TENEDOS] Est hæc insula post Sigæum promontorium, alij Calydnam dixerunt, alij Leucophryn. Aperit Muretus lib. 1. Var. cap. 12. cur nomen mutauerit, & dicta sit Tenedos. Lege in illo. Illa hîc nolui, quia ad rem Poëtæ nihil, illa etiam inuenies apud Pausaniam in Phocicis. Sed cùm in narratione illa Muretus nouercam quandam Peribœam nominet, Pausanias Philo nomen dicit. Vide Plutarchum in Ἑλληνικ. vbi iucunda historia de Tene, Tenediis, & Achille. Diodorum lib. 5. cap. 17. Strabonem lib. 13. Quod Virgilius, *est in conspectu*, Calaber de eadem loquens insula lib. 12. dixit, ἄντια Τροίης.

D

2. NOTISSIMA FAMA] Multa se offerunt, cur hæc notissima dicatur, si velis persequi vel sententias interpretum, vel aliorum, qui multa de hac insula scripserunt. Non desunt, qui referant ad religiosissimum Apollinis Sminthei delubrum, de quo mentio est Homero Il. 1. sunt qui ad fontem miræ naturæ, qui in ea est, de qua Plinius. Seruius cùm audiat *no-*

A *tam fama*, hoc refert ad Tenem infamatum nouercæ stupro; quam siue historiam, siue fabulam vide in auctoribus, quos iam aduocaui. Respexit (credo) Seru. ad nomen *famosus*, quod iam vsus detorsit ad impudicum quidpiam. Non malè quiuis explicet hanc famæ celebritatem cum respectu ad diuitias, quas Poëta commemorat de hac insula. Demum ea loca celeberrima esse solent, quæ sunt regnorum, & vrbium munimenta: tales esse solent insulæ sitæ non longè à continente, in quibus speculatores esse solent insidiis hostium manifestandis: tum etiam apparatus belli ad propulsandas arcendásque hostiles naues.

3. DIVES OPVM] Cùm diuitem appellat Tenedon, respicit vel ad priuatas huius insulæ diuitias, quæ magnæ esse creduntur. Cicero enim 3. in Verrem huic obiicit, quòd pecuniam inde multam eripuerit, sed & Tenem ipsum Deum pulcherrimè factum cum ingenti omnium gemitu abstulerit. Ergo, Poëta quod suo æuo viderat, attribuit temporibus Priami, quod illum sæpè aliàs fecisse, viri docti meritò existimant: vel si mauis respicit ad generalem omnium insularum abundantiam, & copiam: nam quicquid pretiosum est gemmarum, lapillorum, odorum, auri etiam ex insulis solet ad nos afferri. De opibus insularum quarundam lege Plin. lib. 6. cap. 31. De Fortunatis insulis amœnissimè Horatius Od. 16. Epod. Itaque *insulares opes* abire in prouerbium possunt pro magnis opibus.

Insulares opes pro magnis. adag.

4. STATIO MALEFIDA] Videtur ingeniosus Poëta alludere ad Græcorum insidias, perinde ac si dicat. Locus ille, vbi insidiæ factæ à Græcis sunt, adhuc retinet eandem infamiam, insidiosúsque est omnibus, & semper infidus carinis: quid enim nisi hoc arriperet à Græcorum perfidia? Quod autem Poëta *malè fida*, Sophocl. in Aiace de portu, ἄπιστος, dixit, *infidus* & Æschyl. in Pers. de insula βαιὰ, καὶ δύσορμος ναυσὶ: *parua & incommoda nauibus*. Græcos duos Germanus coniunxit, & ego vtrique Æschinem, qui contra Ctesiphontem ita ait. λιμὴν ὁ νῦν ἐξάγιστος, καὶ ἐπάρατος ὠνομασμένος: *portus, quem iam nunc nominant, deuotum, & execrabilem*.

5. HVC SE PROVECTI] Q. Calaber lib. 12.

Οἱ δὲ θοῶς ἀφίκοντο πρὸς ἠιόνας Τενέδοιο:
Illi celeriter abierunt ad littora Tenedi.

6. NOS ABIISSE RATI] Vsurpat sententiam Calchantis, quæ est apud Calabrum lib. 12. sed noluit eius augurium de columba, & accipitre. Hæc vt teneas adi Calabrum ipsum. Vide verò, vti decepti fuerint miseri Troiani rati abiisse hostes. Hoc isti volebant: inde suprà ex studio *ea fama vagatur*. Consilia quippe militaria latere debent, non hostes solùm, sed etiam amicos. atque, vt multa omittam, de hoc ipso scribit Tryphiodorus, vbi fabricam illius persequitur,

Consilia militaria debēt latere.

Ἀμφὶ δ' ἔμιν μέγα τεῖχος ἐλήλατο, μήτις Ἀχαιῶν
Πρίν μιν ἐπαθρήσειε, δόλον δ' ἀνάπυστον ἀνάψῃ:

Circa ipsum autem magnum murum excitarat Epeus, nequis Græcorum
Priùs ipsum aspiceret, & attingeret dolum nondum vulgatum.

7. ERGO OMNIS, &c.] Oppian. lib. 1. Pisc. Piscium lætitiam, post glaciem hyeme iam præterita solutam, comparat cum gaudio vrbis diuturna hostium obsidione liberatæ. Hoc exemplum suppeditare possunt Troiani hoc loco. Ergo Opp. cùm dixisset priùs vrbem eam procella belli obrutam, eiusdem iam liberatæ statum hunc constituit.

Ὀψὲ δ᾽ ἀπολλήξασα, καὶ ἀμπνεύσασα μόθοιο,
Ἀσπασίως γάνυταί τε, καὶ εἰρήνης καμάτοισι
Τέρπεται ἁρπαλέοισι, καὶ ἔνδιος εἰλαπινάζει
Ἀνδρῶν τε πλήθουσα χοροιτυπίης τε γυναικῶν.
Tandem verò quieta, & respirans à certamine
Lubens gaudetque, & pacis operibus
Delectatur cupidè arripiendis, & serena epulatur,
Virisque plena, tripudijsque fœminarum.

Calaber lib. 12. de Troianis ipsis,

Γηθόσυνοι δ᾽ ἄρα πάντες ἐπέδραμον αἰγιαλοῖσι:
Hilares omnes ad littus procurrunt.

Simili lætitiæ habitu perfusi describuntur Iudæi, qui erant Alexandriæ, vbi liberati sunt malo atrocissimo, mortuo Flacco, acerrimo illorum hoste. ἅμα τῇ ἕῳ διὰ πυλῶν ἐκχυθέντες, ἐπὶ τοὺς πλησίον αἰγιαλοὺς ἀφικνοῦνται.
Verba sunt Philonis. id est. *summo mane portis se effuderunt in proxima littora.*

Pacis nota. 8. PANDVNTVR PORTÆ] Idem hemistichium habes in 6. Hoc fieri in pace solet, hostibus iam amotis. Horat. ad Pison.

—apertis otia portis.

inde idem lib. 3. Carm. vt significet securitatem Carthaginiensium, qui Romanos iam contemnebant, scribit:

Vidi ego—portasque non clausas, & arua
Marte coli populata nostro.

Turnebus lib. 19. Aduers. cap. 9. *in antiquo* (inquit) *lexico Panda* θεὰ εἰρήνης *exponitur.* id est, *Dea pacis.* nam nimirum, belli tempore clauduntur, pacis aperiuntur. Huc spectat illud. 1. Æn. *pateant Carthaginis arces,* [Panda Dea Pacis.]

A quo verbo innuitur pacis habitus. Adducuntur duo Sallustij loca: *simul immanis hominum vis multis è locis inuasere, patentes tum portas, & pacis modo effusas.* & in Catil. *cuncta maria terraque patebant.* Addo Petron. in Halos. *iam turba portis libera, ac bello carens.* & Tacitum 2. Hist. *Pleni agri, apertæ domus, occursantes Domini iuxta coniuges, & liberos securitate pacis.* Apud Liuium lib. 24. Polynæus Syracusanos exhortans ad pacem, inter alia, ita ait: *portæ insulæ pateant.* Liuius ipse lib. 30. *pace omnis Italia erat aperta.* Tryphiodorus de ipsis loquens Troianis.

Αὐτίκα δ᾽ ἐξέθορον πόλεων πετάσαντες ὀχῆας:
Deinde exierunt pandentes seras portarum.

Sic contrà clausis omnibus bellum significatur. De duce quodam Cedreno, τῆς πόλεως τὰς πύλας ἀποκλείσας, καὶ μοχλοῖς ἐξασφαλισάμενος. nimirum belli tempore. inde Poëta 8. Æn. [Belli nota.]

B *—quæ mœnia clausis*
Ferrum acuant portis.

Non malè hinc illustrabo verba Cic. pro Marcello: *Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar inclusam aperuisti, & his omnibus ad benè de omni Rep. sperandum quasi signum aliquod sustulisti.* vbi proculdubio animum adiecit ad rem militarem, in pace enim omnia aperiuntur, studia etiam litteraria; in bello intercluduntur. Vnæ portæ Iani diuersam ab hoc tenuerunt consuetudinem: clausæ pacem indicabant, apertæ bellum; sed id alia ratione, nam clausis portis furor intus conclusus putabatur.

9. DORICA CASTRA] Coniunge, vt Poëta, *Dorica castra,* & obserua genus non κακοφάτου, vt malè Vrsinus; sed leporis, & venustatis, vt benè Pontan. in
C Actio. talia illa, *fama malum: date tela: Oceano nox: stupea flama manu: ipsa satis tellus; glauca canentia fronde salicta: huic à stirpe pedes; neque te teneo: siliqua quassante: aduerso sole.* & plura alia. Mulcet hoc aures sua complosione. Homer. λᾶα κὰ κάρηνα. Op. 1. Hal. δόρπα πάσασθαι. quo loci Rittershusius grammaticos reprehendit, qui censent hoc esse cacophaton; *quasi verò (ait) si hoc vitium esset, non potuisset Virgilius, vel agnoscere, vel vitare.*

a Hîc Dolopum manus, hîc sæuus tendebat Achilles:
Classibus hîc locus, hîc acies certare solebant.
b Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ,
Et molem mirantur equi: primúsque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:
Siue dolo, SEV IAM Troiæ sic fata ferebant.
At Capys, & QVORVM melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectáque dona
Præcipitare iubent, subiectísque vrere flammis:
Aut terebrare cauas vteri, & tentare latebras.
SCINDITVR incertum studia in contraria vulgus.

ARGVMENTVM.

Distinguntur loca, in quibus versati Græci: stupent Troiani ad visum equum, abeuntque in varia.

EXPLICATIO.

a VIDENTVR Dolopes in Troiano bello vnà cum militibus Achillis pugnauisse, nam & suprà quoque illos coniunxit cum Myrmidonibus.

D In hac locorum distributione animaduerto quidpiam non obuium, quod aperiam, vt esse Poëta discas. Loca diuidit Vates, & vbi diuidit versum frangit, quo distinctior locus videatur. Quis putas hanc diligentiam haberet? Ergo, *Hîc Dolopum manus.* Nulla hîc cæsura, sed de industria fractus versus, quo diuisa loca intelligas. Iterum simili fractura, *Classibus hîc locus.* Quis non videt fieri hiatus in versibus, quo tu meliùs capias spatia in ipsa planitie.

b Ab commemoratis locis transit ad mores vulgi explicandos visa equi mole. Hi stupent, mirantur alij:

alij: Nota oppositionem in illis *donum exitiale*. Longè enim à natura doni exitium. Sed amat Poëta hæc acumina. Sed cur stupor? cur admiratio? stupor oritur ex dono, admiratio ex magnitudine doni. Quod pertinet ad stuporem plusculis explico. Procedit hîc stupor ex Poëtæ animo rem sciens. Quis non stupeat *Mineruæ innuptæ* dari in donum machinam fœtam armis, prægnantem, grauidam. Audiam siquis meliùs. Nam attributum *innuptæ* præ alio ociosè poni nolim. Volo etiam liberare in hac parte Poëtam à calumnia. Admiratio (dicet aliquis) præcedere debuisset stuporem, non contrà. Nam, cùm maius quiddam fit stupor, oratio cresceret. Vt vera hæc esse fateor, sic etiam dico necessariam fuisse mutationem in Poëta ex natura animorum. Cùm res aliqua monstrosa admodum, inusitata, prodigiosa cernitur, subitò stupor cernentem inuadit: si verò rei illi assuescas, senties paulatim stuporem remitti, & manere tantùm admirationem rei visæ. Sic defendo, tu vt mauis. Pergit. *Primusq́; Thymœtes*, &c. Hinc suspicio, Thymœtem à Græcis stetisse. Inde Poëta, *siue dolo* rem ambiguam relinquens. Quasi dicat. vel locutus cum dolo Thymœtes, vel fata Troiæ ducebant nos ad exitium. Post exitiale Thymœtæ consilium, sequitur salutare aliorum, & cum studio fortasse aliquo Poëta Capyn facit principem consilij saluberrimi, & fortissimi, cum allusione ad Capyn alterum, qui vnus fuit inter maiores Æneæ. Salutare autem consilium triplex fuit, aut præcipitandum equum in mare, aut vrendum, aut perscrutandum, si quid intus lateret. Ergo ex tam incerta varietate sententiarum sequitur gnome, quæ posita loco epiphonematis, *scinditur incertum*, &c. Nota duo verba. Thymœtes in re mala *hortatur*, Capys in bona *iubet*, vtrumque aptè, & signatè.

NOTÆ.

1. HIC DOLOPVM MANVS] Δεικτικῶς alter alteri digito loca monstrabant, vbi fuerant hostes. Particulam hanc quater geminat peruenustè ad Homeri imitationem, qui ter de eadem re loquens.

> Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται ἀρήϊος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς,
> Ἔνθα δὲ Πάτροκλος.
> *Hîc tendit Aiax bellicosus, hîc Achilles,*
> *Hîc autem Patroclus.*

Ouidius ad vtriusque vatis imitationem 2. de Arte in persona Vlyssis,

> *Hic, inquit, Troia est, (muros in littore fecit)*
> *Hîc tibi sit Simois, hîc mea castra puta.*
> *Campus erat (campum fecit) quem cæde Dolonis*
> *Sparsimus, Æmonios dum vigil optat equos.*
> *Illic Sithonij fuerant tentoria Regis,*
> *Hac ego sum captis nocte reuersus equis.*

Idem in epistolis.

> *Iamq́; aliquis posita monstrat fera prælia mensa,*
> *Pingit & exiguo Pergama tota mero.*
> *Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus:*
> *Hîc steterat Priami regia celsa senis.*
> *Illîc Æacides, illîc tendebat Vlysses,*
> *Hîc lacer admissos terruit Hector equos.*

Pertinent etiam ad sententiam Poëtæ verba Tacit. 1. Ann. hoc complexu: *Cladis eius superstites pugnam, aut vincula elapsi referebant: hîc cecidisse legatos, illic raptas aquilas, primum vbi vulnus Varo adactum, vbi infelici dextera, & suo ictu mortem inuenerit: quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ scrobes: vtq́; signis, & aquilis per superbiam illuserit.* nec non illa 2. Hist. *Aderant Valens, & Cæcinna, monstrabántq́; pugnæ locos: hinc erupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus.* Sed vide quàm parcus verborum Virgilius: duobus tantùm versibus dixit, quæ effusissimè Ouid. qui mihi hinc amputandus, nisi te sobrietatem vellem docere odio effusionis. Non illum reprehendo, sed laudo præ illo Virgilium. Ab Tacito, & aliis pius scriptor Hieronymus in vita Hilarionis: *Videres senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij discurrere. Hîc, aiebant psallere, hîc orare, hîc operari, hîc fessus residere solitus erat*, &c. Non abit ab hac re longa, & elegans descriptio Appiani in Libycis, vbi narrat quemadmodum iam Romani certiores facti de euersione Carthaginis omnia effingerent, narrarent, loquerentur, quæ facta sunt in bello: qua parte itum, qua scalæ admotæ, qua mœnia diruta, &c. Est hoc fermè, quod Apollonius in Excid. lib. 2.

> *Intérque cibos sua prælia narrant.*

2. SÆVVS] Vel fortis, vel bellicosus, vel re vera immitis à tracto Hectore.

3. TENDEBAT] Tendere militare verbum, est, tentoria habere. Eadem forma, qua Poëta, & alij vtuntur: efferunt enim nullo adiecto casu. Suet. Galb. cap. 12. cohors Germanorum, *iuxta hortos tendebat*. Tacit. 13. Ann. *milites tendere omnes extra vallum iussit.* — Tendo vox militaris.

4. CLASSIBVS] Non nauibus, sed exercitibus: veteres enim classem pro exercitu sumserunt. Festus in Classis. *Classis procincta, exercitus instructus.* & in Procinctam. *Procinctam classem, id est, paratam ad bellum militum multitudinem.* Seruius in 1. Æn. *Classis* ἀπὸ τῶν κάλων, *vnde & calones, qui ligna, & fustes, &* καλοπόδια *portant.* De exercitu capiendus Lucret. lib. 2. explicatore Gifan. — Classis de exercitu terrestri.

> *Si non fortè tuas legiones per loca campi*
> *Feruere cùm videas classem lateq́; vagari.*

His adde Poëtam lepidè commutare inter se metaphoras; noua quadam elegantia orationi quæsita. Igitur hîc nauium nomen terrestri exercitui accommodat; sicuti contra in 3. *castra* nauibus dat: — Castra de nauibus.

> *Postquam cuncta videt cælo constare sereno,*
> *Dat clarum è puppi signum, nos castra mouemus.*

Tale illud in 3. *velorum pandimus alas.* & mox in 6. *Remigium alarum:* commutatis metaphoris. Explicationem S. Isidori Turn. lib. 26. cap. 22. non improbandam censet. Tu vide. Poëta tria signat loca, & vbi essent tentoria, nam ait, *tendebat*. & vbi milites exercerent se ante conflictum, & hoc est, *classibus*, id est, exercitibus; ac demum, vbi verum esset certamen, cùm ait, *hîc acies certare solebant*. Quæ dixi secundo loco perspicua erunt tenenti mores Romanos, si in quem ab hoc incido, morem illi breuiter aperiam. Romani non in pace solùm, & otio militem exercebant, quo promptior esset alaciórque ad veras pugnas: sed adhuc cùm miles in armis esset, & conflictus expectaretur, locus dabatur militari exercitationi. Rem firmabit Seneca epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine vllo hoste, vallum iacit, & superuacuo labore lassatur, vt sufficere necessariò poßit.* & Tacitus 11. Ann. vbi ait: *Ne tamen miles ocium exerceret inter Mosam, Rhenumq́; trium & viginti millium spatio fossam perduxit.* Cùm sæpe Numantini bello superiores fuissent, & Romana virtus otio torperet, missus tunc est contra Numantiam Africanus Scipio. Is, antequam ad manus cum hoste descenderet, militem duxit exercendum. Parcam nunc Romanis scriptoribus, & verba adducam Ioan. Marianæ luculenti Nostratum Rerum scriptoris: *Vegetandis corporibus additum, vt singuli milites triginta dierum frumentum, septenos vallos muniendis castris, suisq́; ipsi humeris portarent. Ea seueritate disciplina, mutandisq́; sæpe castris vigor breui rediit in* — Exercitatio militum.

corpora,

corpora, & animos. Duxi hæc necessaria ad cognitionem Virgilij, nam mihi quidem venustiùs multo est visum, si tria illa loca distinguas, quàm si classes cum tentoriis confundas, neque enim est ex Poëtæ more, idem bis repetere. Possit etiam aliquis suspicari, signari à Poëta per *classes* armamentaria belli, de quibus locutus Seneca de Tranq. c. 4. *Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum læuumq; defendit: sed & qui portas tuetur, & statione minùs periculosa, non otiosa tamen fungitur, vigiliasque seruat, & armamentario præest.*

5. Hic locus] Bene *locus* tantùm, nulla enim iam tentoria. Hæc quippe Græci abeuntes incenderant, quod Calaber scribit lib. 12. ἐς κλισίας πρήσαντες.

6. Pars stupet] Ab Calabro, qui lib. 12. ἵππον θάμβεον, *equum admirabantur*: & addit rationem, μάλα γὰρ μέγα ἔργον ἐτύχθη: *erat enim opus immane.* Iterum, θάμβεον ὄμβριμον ἔργον: *stupebant opus immane.* Pari verbo in re eadem Tryphiodorus, θαύμαζον ἀμφιχυθέντες, *circumfusi* equo *admirabantur*.

7. Aut pelago Danaum, &c.] Locus planè Homer. Odyss. 8.

Ἠὲ διατμῆξαι κοῖλον δόρυ νηλέϊ χαλκῷ,
Ἢ κατὰ πετράων βαλέειν ἐρύσαντας ἐπ' ἄκρης,
Ἢ ἐάαν μέγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον εἶναι:
Aut perscindere cauum lignum sæuo ferro,
Aut de rupe deijcere protractum in summitatem,
Aut sinere ingens simulacrum Deorum placamentum esse.

Sed nota hæc consilia agitari postquam equus iam est in arce, & intra muros. Quanto aptiùs antequam ducatur. In hoc sanè, vt in multis, Virgilius Homerum correxit. Sed omitto Homerum, Tryphiodori versus audi eiusdem argumenti.

Virgilius superat Homerum.

Ἤθελον ἢ δολιχοῖσιν ἐπὶ κρημνοῖσιν ἀράξαι,
Ἠὲ καὶ ἀμφιτόμοισι διαρρῆξαι πελέκεσσιν:
Volebant aut longis præcipitijs equum perdere,
Aut etiam acutis aperire securibus.

Pari filo Calaber lib. 12. loquens de Laocoonte.

Πάντας δ' ὀτρύνεσκε θοῶς ἐμπρῆσαι μὲν ἵππον,
δήϊον δουράτεον, καὶ γνῶναι εἴ τι κέκευθεν:
Hortabatur omnes, vt illico equum comburerent,
Equum ligneum, & cognoscerent si quid lateret.

8. Svbiectisqve vrere flammis] Græci, ὑποδαίειν ξύλα, ὑποκάτω ἀνακαίειν. Dio Chrysost. orat. 11. καταχαῦσαι τὸν ἵππον, ἢ διατεμεῖν.

9. Scinditur] Præclarè & ex natura vulgi, cui varietas & inconstantia; & crebra, tanquam tempestatum, sic etiam sententiarum, commutatio, quod scripsit Cic. pro domo sua. Tacitus 1. Hist. *vulgo mutabili subitis.* & 1. Ann. sic mores vulgi: *Pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pauescere, alij cupere.* Sidonius lib. 7. epist. 5. *fremit populus per studia diuisus.* Symmachus lib. 6. epist. 7. *diuisis in studia partibus.* Præclarè Liuius lib. 40. ad signandos hos vulgi mores: *Nihil tam incertum, nec tam inæstimabile est, quàm animi multitudinis.* & Persius Sat. 5.

Vulgi inconstantia.

Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Basilius Episc. Seleuciæ lib. 1. Teclæ. φύσει μὲν γὰρ ἅπας δῆμος ἀστατόν τι, καὶ ἀστάθμητον ἐστι χρῆμα: *Natura enim populus varium quid, & inconstans est.* Sed nemo meliùs rem hanc aperit, quàm lectus, & perlustratus Dionysius variis in locis. Sæpissimè enim attingit naturam vulgi euntis in varia. Sed adeundus præsertim lib. 4. vbi Romani post cædem Lucretiæ consultant de expellenda tyrannide, vbi fit magna mentium altercatio. Forma Virgiliana, Fabius declam. 365. *in partes scinditur.*

10. Stvdia in contraria] Est hoc, quod antiqua Romanorum forma dicebatur, *alia omnia.* Ducitur hæc forma ab hoc more. Cùm consules sententiam rogabant à Senatoribus, ominis gratia, ne dicerent, qui non censetis, præibant his verbis, *qui alia omnia in hanc partem*, cùm videlicet priùs dixissent, qui hoc censetis, illuc transite. Sic fermè Festus. Ex ea forma locutus Sallustius in Catil. *fingere alia omnia*, id est, contraria, & diuersa. Seneca de Vita Beat. cap. 1. *fremitum & clamorem dissonum in diuersa vocantium.*

Alia omnia, quæ forma.

[a] Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:
[b] Et procul: ô miseri quæ tanta insania ciues?
[c] Creditis auectos hostes? Avt Vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlysses?
[d] Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui:
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturáque desuper vrbi:
Aut aliquis latet error. Eqvo ne credite Teucri.
Quicquid id est, Timeo Danaos, & dona ferentes.

Argvmentvm.

Laocoon imprudentiam reprehendit eorum, qui putarent, doli nihil inesse in ea fabrica, cùm ex ingenio Græcorum aliter debeat conijci.

Explicatio.

[a] Vt vrbis excidium fatale esse ostendat, aggreditur narrare, quæ Laocoon fecerit, dixeritve, cuius factum & verba secutus est miserabilis exitus tam ipsius, quàm filiorum. *Primus ante omnes*, est omnium princeps. Hic itaque cum magno comitatu, totus ira inflammatus ab arce descendit, imò *decurrit*, quò capias maiores iras.

[b] Vide ardorem. Vociferatur in medio cursu, aliud enim ira non permittit. Initium abruptum est, vt ferè iratorum omnium, ideo deest verbum. Reprehendit verò ciuium suorum imprudentiam, qui sint mente non sana, ideo enim *miseri*, quia *insani.*

[c] Ratio superioris increpationis. O mente non sana, qui creditis hostes abiisse? Sequitur, *aut vlla putatis, &c.* Præclarè; nam cum allusione ad Græcorum ingenia, qui vafri, subdoli, astuti, & verè vulpini. Danaûm dona careant dolis? *sic notus Vlysses*? Ex omnibus vnum assumit Vlyssem, cuius fallaciæ notissimæ in tota Iliade. Ergo. Imprudentes estis satis ô ciues, qui

qui per decem annos integros nondum Vlyssem nostis. Istis (vt vides) assignauit triplicem rationem tantæ insaniæ: primam, quòd crederent hostes auectos; alteram, quòd putarent dona Danaûm dolis carere; tertiam, quòd nondum Vlyssem nossent. His opponit, quæ sequuntur.

d Mira oppositio, & nihil ociosum. Non auecti hostes sunt, nam hîc *inclusi occultantur*: non carent dolis dona Danaûm, nam *hæc machina fabricata est in nostros muros*: nondum vobis notus est Vlysses, nam hîc *aliquis latet error*. Quamobrem, *equo ne credite Teucri*. vtcumque sit, Danaos timeo etiam cum donis. Est autem *venturaq; desuper vrbi*, superuentura vrbi, illámque oppressura, vt solent, quæ ex alto ingruunt.

NOTÆ.

Pallas præest vrbibus.

1. ABARCE] Videlicet Palladis. Et cùm potuisset, templo, maluit *arce*, alludens ad doctrinam, qua credebatur Pallas præsidere vrbibus. Ad quam rem sæpe alludit in hoc libro, vt cùm ait de serpentibus: *summasq; petunt Tritonidis arces.* & iterum:

Fatale aggreßi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis.

Ouidius etiam dixit:

Arcis vt Actææ, vel eburna vel ærea custos
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu.

Quod enim Græci de Pallade dicunt, πολιοῦχος, & signatiùs ἀκροῦχος, Ouidius dixit *custos*.

Procul.

2. ET PROCVL] Explico, cùm primùm illos habuit ante oculos. Id verum, & alibi firmo. Itaque qui hîc explicant *longè*, abeunt longè à re. Procul enim signat, & quod est longè, & quod propè, dum sit ante oculos.

Durius, id est, ligneus.

3. AVT HOC INCLVSI LIGNO] Cùm equum *lignum* appellat, animum procul dubio adiicit ad vocem Græcam: equus enim Troianus Durius, vel Durateus dictus, id est ligneus. Lucret. lib. 1.

Nam cùm Duratheus Troianis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.

Sic & Homer. 8. Odyss. Δουράτεον ἵππον. & Dionysius lib. 1. Antiq. δουρείου ἵππου. inde Flacco lib. 2. Arg. dictum:

—manet immotis nox Duria fatis.

Sic enim legit hunc versum Politianus, & laudat Rhodig. lib. 29. cap. 25. quod tamen non placet viro docto Gifan. in Lucret. legítque ex vetere codice, *nox Dorica*, vt Virg. *Dorica castra*, & Romani scriptores, *Dies Alliensis*, vt signet Poëta noctem, qua Dores, id est, Græci, ceperunt, & inflammarunt Pergama. Præfero Politianum. Quamuis autem verum sit, Duratheum sic dictum à lignis, quibus compositus; non omittendum ab Eurip. in Troad. rem aliò detortam, quod obseruauit P. Victor. lib. 19. Varr. cap. 18. vult enim Tragicus dictum à ligneis hastis, quæ intus inclusæ.

—ὁ γὰρ Παρνάσιος
Φωκεὺς Ἐπειὸς μηχαναῖσι Παλλάδος
Ἐγκύμον᾽ ἵππον τευχέων ξυναρμόσας
Πύργων ἔπεμψεν ἐντὸς ὀλέθριον βάρος.
Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κληθήσεται
Δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ.

—etenim ex Parnaso
Phocensis Epeus, arte Palladis
Grauidum equum armis conglutinans,
Turres misit intra exitialem molem.
Vnde à posteris vocabitur
Durius equus, occultas continens hastas.

Equus Troianus belli machina.

4. INSPECTVRA DOMOS] Sentit Vegetius lib. 4. cap. 19. Maronem de equo Troiano loqui, vt de machina oppugnatoria, scribit enim, *præterea partem muri ad quam conatur machina accedere, cæmento atque lapidibus, postremo tabulatis extruendo faciunt altiorem, ne defensores mœnium desuper vrbi ventura poßit opprimere.*

Hostium dona.

5. QVICQVID ID EST, TIMEO, &c.] Pulcra gnome, nam ab hostibus dona etiam timenda. Eurip. in Med.

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει.

Etenim mali munus viri haud est vtile.

Sophoc. in Aiace Flagellif.

Ἐχθρῶν δ᾽ ἄδωρα δῶρα, καὶ οὐκ ὀνήσιμα.

Dona hostium, non dona sunt, nec commoda.

Vtrumque apud Clem. 6. Strom. qui nonnullis interiectis Antimachum quoque Teium, & Augiam coniungit, de eadem re loquentes, hunc in modum Antim.

Ἐκ γὰρ δώρων πολλὰ κάκ᾽ ἀνθρώποισι πέλονται.

Ex donis hominum generi mala plurima fiunt.

Augias autem.

Δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νοῦν ἤπαφεν, ἠδὲ καὶ ἔργα.

Namq; hominum mentem cum factis munera fallunt.

Consentaneè ad Virgilium Sidonius lib. 5. epist. 13. *Mihi latronis & beneficia suspecta sunt.* Est etiam locus apud Aristidem Virgilio aptandus in oratione posteriore περὶ τῆς συμμαχίας, ab illo loco, Ταῦτα οὖν πότερον, &c. Latinè sic sonant: *Vtrùm hæc igitur dona, humanitas, lucra, & quocumque modo blandè vocari poßint, an potiùs esca, laqueus, captatio ingloriorum gloria, deceptorum pernicies, calamitatum argumenta, contra Græcos machinæ, similibúsque sunt appellanda nominibus? Quemadmodum aiunt equum ligneum Troianis fuisse ab Achiuis dono datum. Hæc ergo sunt mali ingenij dona, quæq; nemo libenter in vrbem sit admissurus.* Quis nescit Hectoris, atque Aiacis dona mutua vtrique perniciem attulisse? Sunt hæc, quæ Seneca epist. 8. vocat *insidias*, & *viscata beneficia*.

a. Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curuam compagibus aluum
Contorsit, stetit illa tremens; vteróque recusso
Insonuere cauæ, gemitúmque dedere cauernæ.
b. Et, SI FATA DEVM, si mens non læua fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Troiáque nunc stares, Priamíque arx alta maneres.

ARGV

ARGVMENTVM.

His dictis hastam in equum torquet, sonant intus arma: quo indicio, nisi Dij & fata impulissent, & mens iam errore obcæcata, latentem hostem explorarent.

EXPLICATIO.

[a] VERBA factis firmat Laocoon, torquet enim hastam in equum, vt alios (credo) ad similem audaciam concitaret. Poëta latus & aluum nominat. Seruius hîc non placet. Ego puto hac circuitione significari fixam hastam ea parte lateris, quæ ad aluum inclinat. Vel, quod malim, dicit penetrasse istum ab latere vsque ad aluum. Partes, quas nunc coniungit, iterum separat, nam infrà, *tergo sceleratam intorserit hastam*, &, *vteróque recusso*. Sequitur pulcherrima hypotyposis, *stetit illa tremens*. &c. Adhuc enim mihi in auribus insonat gemitus ille cauernarum ad fixam, trementémque hastam. Hoc satis, nam quis expendat nisi fœdans. Obserua *caua cauernæ*, vt ferere sermones, & similia in hoc vate. Vox *recussus* significat sonitum sæpe iteratum.

[b] Prudenter culpam in fata coniicit, vt imprudentiam excuset Troianorum. Ad hæc, excitatur nouus affectus, qui ingens esse solet, cùm dicimus Deos nobis esse aduersos. Ergo, nisi fata nobis essent aduersa, si mens non læua, id est, incogitans, & sinistra, satis nos ictu suo *impulerat* Laocoon *fœdare*, id est concidere, vulnerare, aperire, *latebras Argolicas*. Sequitur in fine apostrophe nunquam satis laudata, vbi *Troia, arx, Priamus* (quis potuit plura vnico versu?) omnia simul ante oculos viro optimo obseruabantur: dolet quippe mala præsentia cum comparatione ad bona præterita; neque enim iam stant, quæ steterant; non manent, quæ manserant.

NOTÆ.

1. VALIDIS INGENTEM VIRIBVS HASTAM. Petronius:

—Neptuno sacer,
Crinem solutus, omne Laocoon replet
Clamore vulgus: mox reducta cuspide
Vterum notauit, fata sed tardant manus,
Lentusq; resilit, & dolis addit fidem:
Iterum tamen confirmat inualidam manum,
Alta & bipenni latera pertentat.

Illud *validis viribus* fortè ab Ennio, qui 9. Annal. *viri validis viribus luctant.*

Ferus pro equo.

2. IN LATVS INQVE FERI] Ferus præcipuo quodam vsu iam pro equo sumitur, vt hîc à Marone, Duratheus. Idem à Petron. in Halosi:

—hoc titulus fero
Incisus, hoc ad fata compositus Sinon
Firmabat.

Vbi *fero*, id est, Duratheo. Pro equuleis, quibus cruciabantur, posuit Prudentius in περὶ στεφ. hymno 11.

Postquam composito satis instruxere paratu
Martyris ad pœnam verbera, vincla, feros.

id est equuleos, sic legunt Gifanius, & Ianus Dousa ex vetere codice Giselini, cùm priùs malè legeretur *feras*. Addit Dousa Hippocentauros dictos *semiferos* non quidem à feritate, vt quidam volunt, sed à dimidiata sui parte, nimirum equina. Pro equo quoque *ferum* sumpsit disticho hoc Ianus Pannonius: Semiferi vnde dicti.

Nec nisi duratum Lambro thoraca volebam,
Nec nisi ferrato ferreus ire fero.

& ante omnes Attius in Medea: *Peritè in stabulis frenos immittentes feris.* Arnobius quoque lib. 4. narrans fabulam Saturni, qui mutatus in equum est, ita ait: *induisse formam feri, & sub pecoris specie euolauisse.* Symmachus lib. 9. epist. 25. loquens de quadrigis equorum ad ludos, ait: *ferarum emptio.* Sed certum est tamen pro aliis quoque mutis animantibus sumi. Rittershusius enim obseruauit à Phædro sumptum, pro ceruo, pro leone, pro apro, vide illum. Adiungo & pro elephanto, nam Plinius lib. 8. cap. 8. *verberat ferum.*

3. CAVÆ] Pulchrè Homer. 8. Odyss. de hac re loquens κοῖλον λόχον, dixit, id est, *cauas insidias.*

4. GEMITVMQVE DEDERE CAVERNÆ] Hunc equi gemitum Petron. ad eos refert, qui intus latebant,

—fremit
Captiua pubes intus, & dum murmurant,
Roborea moles spirat alieno metu.

Ad quos cauernarum sonitus intellige excitatum quoque intus armorum strepitum: hoc enim est, quod mox dicit: fore vt hoc indicio explorarent, quæ intus latebant, nisi mens esset cæca.

5. ET, SI FATA DEVM, &c.] Locus Calabri lib. 12. nisi quòd vni Mineruæ attribuit, quod Virgil. in communi fatis. Post verba enim Laocoontis hortantis equum comburi; ita subiicit:

Καί νύ κέ οἱ πείθοντο, καὶ ἐξήλυξαν ὄλεθρον,
Εἰ μὴ Τριτογένεια κοτεσσαμένη περὶ θυμῷ, &c.
Et sanè obsecuti fuissent illi, & deuitassent exitium,
Nisi Minerua animum infensum gerens, &c.

6. IMPVLERAT] Est hoc, quod Græci fermè, ἐκίνησε ὁ θεός.

Fœdo, vnde dictum.

7. FOEDARE] Vtilis hîc Iul. Scal. nota hæc: *Noluit, lacerare: vt aliter quàm vulgus loqueretur. Seruius notauit, fœdum, non turpe sed crudele, apud Poëtam & Sallustium significare. Ceterùm nullam attulit eiusmodi vsus rationem. Ratio est à fœderibus, quæ nunquam sine sanguine fierent. Sic in 3. obscœnas ferro fœdare volucres. Præterea non rectè negat turpe significari. Ibidem namq; de immundo, vestigia fœda relinquunt.* hæc ille.

8. TROIAQVE NVNC STARES] Sunt qui *staret*, & *maneret* legant: sunt qui aliter etiam commutent. Sed vulgarem lectionem defendo imitatione Eurip. in Troad. vbi Neptunus sic loquitur:

Ἀλλ᾽ ὦ ποτ᾽ εὐτυχοῦσα, χαῖρέ μοι πόλις
Ξεστόν τε πύργωμ᾽· εἴ σε μὴ διώλεσεν
Παλλὰς Διὸς παῖς, ἦσθ᾽ ἂν ἐν βάθροις ἔτι.
Sed ô quondam beata vale mihi ciuitas,
Et politæ turres: nisi te perdidisset
Pallas Iouis filia, stares adhuc in sedibus.

[a] Ecce manus iuuenem intereà post terga reuinctum
Pastores magno ad Regem clamore trahebant
Dardanidæ. [b] qui se ignotum venientibus vltro,
Hoc ipsum vt strueret, Troiámque aperiret Achiuis,
Obtulerat, fidens animi, atque in vtrumque paratus,

SEV

Sev versare dolos, seu certè occumbere morti.
[c] Vndique visendi studio Troiana iuuentus
Circumfusa ruit, certántque ILLVDERE capto.

ARGVMENTVM.

Aggreditur memorabilem narrationem Sinonis, qui se Troianis pastoribus obuium dedit, vt perductus ad Priamum, dolos strueret, quibus Troia caperetur: irruunt Troiani cupidè, captóque illudunt.

EXPLICATIO.

[a] APTA omnia: trahitur, vt qui hostis, vt qui vinctus, & renitens: nam inuitè se trahi simulabat Sinon, quo omnes falleret. Deinde hanc rem pastoribus attribuit Poëta, quo intelligas Sinonis dolos: qui non se ibi locauerat, vbi ex industria positus videretur: sed per agros erraret tamquam fugiens, timénsque capi, vnde sic meliùs incidit in auios, deuiósque pastores, quàm in alios. Tertiò cum clamore adducitur, vbi studium apparet rusticorum, & ad Regem trahunt, quò præmij aliquid accipiant.

[b] Horum quatuor versuum perplexam structionem tibi enodo. *Qui fidens animi, atque paratus in vtrumque, seu versare dolos, seu certè occumbere morti, vltro obtulerat se ignotum* (pastoribus) *venientibus, vt strueret hoc ipsum, aperirétque Troiam Achiuis.* Posita ex studio intricata verba, quo intelligas quid intus lateret in animo Sinonis. An est quicquam implicatius doloso homine? Quòd si id omnibus contingit, quid putas Sinoni? quid non animo volueret? vt cui proposita gloria apud Græcos, si victor esset; supplicium apud Troianos, si quidpiam verbo peccasset, atque ita hæreret, vt illi dolos noscerent. Ergo ad hunc curarum æstum explicandum aptissimè implicantur verba.

[c] Nihil his verosimilius. Concurrit turba ad rem nouam, & miles procax est ad illudendum.

NOTÆ.

1. ECCE] Notat Pædian. 2. in Ver. proprium Ciceroni fuisse in re improuisa, & subita adhibere hanc vocem: Virgiliúmque & legisse, & transtulisse magno studio, vt hoc loco & infrà, *ecce autem à Tenedo*, &c.

2. POST TERGA REVINCTVM] Sic æmulatur Statius lib. 7. Theb.

—religa captas in terga sorores,
Iniice vincla mihi.

& Horat. lib. 3. Od. 5.

—vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero.

Prudentius.

Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum reuocauerant reuinctas.

Iterum, *Nexibus manus vtrasque flexus inuoluit rigor.* Ante omnes Homerus lib. 21. Il. δῆσε δ᾽ ὀπίσσω χεῖρας: *ligauit manum post tergum.* Aristophanes in Lysistrata, ὀπίσω τὼ χεῖρε δεῖ: *liga à tergo manus.* Firmant hæc exempla, captos solitos vinciri manus post terga. Et hoc discrimen inter illos, & supplices. Nam isti vincti manus, sed non post terga. Scio hæc confundi interdum in auctoribus. Nam supplices quoque ligantur post tergum, captiui non à tergo semper. Sed de hac re fortasse alibi. In Herodoto lib. 4. reperies du-
Supplicum discrimen à victis.

A ctos ad necem post tergum vinciri. & in Philone lib. de legatione, Iudæos ante Petronium Syriæ præsidem, cui erant supplices, etiam vinctos à tergo. Et in Orosio lib. 5. cap. 4. Mancinum supplicem, datúmque ad mortem, reuinctum manibus post tergum ante portas Numantinorum. Huc pertinet victoriæ etymon, *ab eo, quòd superati vinciuntur*, ait Varro lib. 4. ling. Latin. Victoriæ etymon.

3. QVI SE IGNOTVM VENIENTIBVS VLTRO] Similis planè historia in Liuio est lib. 25. apud quem Tarentini duo iuuenes, *Nico & Philomenes, progressi ad stationes, comprehensíque, vltro id petentes, ad Annibalem deducti sunt.* Ita Annibal ex insidiis Tarentum occupat. Sinonis audaciam latè persequuntur Calaber lib. 12. & Tryphiodorus ἐν ἁλώσει. Sed præclarè Virgi-
B lius voluit dissidere ab Calabro: hic enim parum probabiliter ait, Sinonem repertum ab Troianis ἀγχόθι, iuxta equum ipsum. Melius itaque multo est ad rationem insidiarum, vt per loca auia vagus reperiretur, traheretúrque repugnans, & inuitus. Itaque potior est Tryphiodorus, quem Virgilius sequitur, ait enim

Γυμνὸς ὑπὲρ πεδίοιο φάνη κεκακωμένος ἀνήρ,
Apparuit per campum vir nudus, misereq; affectus.

4. STRVERET] Verbum insidiarum. Ouidius. 1. Met. *Struxerit insidias notus feritate Lycaon.* Plautus Asin. *Sycophantias struere.* Græci dicunt, ἐνέδραν συντιθέναι, ἐπιτίθεσθαι, ποιήσασθαι, συσκευάζειν, σύνιστασθαι, ἐνεδρεύειν. Struo, de insidiis.

5. ATQVE AD VTRVMQVE PARATVS] Est
C hoc, quod Plato dixit in Protagora, εἰς ἀμφότερα δυνάμενον. In eandem fermè sententiam cadunt verba Aristidis in prima Leuctrica: μετὰ γὰρ τοῦ φέροντος ἀεὶ γίγνομαι, καὶ καιρὸν τὴν αὐτὴν τέχνην, καὶ τὸν αὐτὸν λογισμὸν ἔχων, ἄν τ᾽ ἐνθένδε ἐκεῖσε, ἄν τ᾽ ἔμπαλιν κομίζωμαι: *Cum vento semper feror, eademq; arte, & consilio vtor, siue hinc illuc, siue contra ferar.* Quod verò breuiter Virgilius, & Plato, multis Plautus in Captiu. Scen. Quæres.

Vtroq; versum rectum est ingenium meum.
Ad te, atque ad illum pro rota me vti licet.
Vel ego huc, vel illuc vertar, quò imperabitis.

Virgilij verba pro adagij forma esse possunt, non dissimili ab ea, quam Erasmus elicit ex Homero. Adi illum Chil. 3 cent. 8. cap. 33. Notat etiam Scaliger, Si-
D nonem induci fidentem, paratúmque ad mortem, quia nihil formidolosius hoc hominum genere, si aperta virtute agendum sit: nihil contrà audacius, cùm sperant ex fraudibus sibi aliquid ex sententia processurum.

6. SEV VERSARE DOLOS, &c.] Affinis historia Scæuolæ, siue edendi egregium facinus, re prospere succedente; siue moriendi, fallente illum spe. Lege Dionys. lib. 5. Antiq. & Scriptores alios Romanos. Affinis quoque locus Aristidis in Panathen. οἰόμενοι δεῖν, ἢ ζῆν ἐν ἐλευθερίᾳ, ἢ μὴ προσορᾶν τὸν ἥλιον, κακίας μάρτυρα ἑαυτοῖς γενόμενον: *existimantes sibi vel viuendum vt liberis, vel vt ignauis oppetendum, ne solem conscium intuerentur.* Notat verò Nascim. allusum à Poëta ad
E prouerbium *vincendum, aut moriendum.* quod tractum aiunt ab institutis Lacedæmoniorum, qui sic prælium inibant, vt aut victores redirent, aut in acie caderent. Notam hanc illustro loco Strabonis lib. 6. qui de ipsis Lacedæmoniis loquens ait: ὀμόσαντες μὴ πρότερον ἐπανήξειν οἴκαδε, πρὶν ἢ Μεσσήνην ἀνελεῖν, ἢ πάν-

Verso, quid propriè.

τες ἀποθανεῖν: *iuramento se obstrinxere non antè domum reuersuros, quàm Messanam euerterent, aut omnes priùs morti occumberent.* Sed vnde verbum *verso* traductum ad dolos? Lux tibi ab Iano Gulielmo in Plautin. qu. in Pers. cap. 4. Propriè id verbum in piscibus habitat, qui versantur, cùm coquuntur. Plaut. Asinar. A

Quasi piscis, itidem est amator lenæ, nequam est nisi recens.
Is habet succum, is suauitatem, eum quouis pacto condias,
Vel patinarium, vel assum, verses quo pacto lubet.

Hinc itaque ad dolos, & fallacias. Sic idem Plaut. in Persa. *Quid ais crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie versauisti?*

7. Occvmbere morti] Ennius 12. Annal. *Occumbunt multi letho, ferroq́;.* Latini dicunt, *occumbere mortem, morte, morti.* Possit aliquis suspicari legendum *certæ morti,* cùm præsertim Propert. dixerit lib. 3. eleg. 16. B

Quòd si certa meos sequerentur funera casus.

8. Vndiqve visendi stvdio, &c.] Virgilianæ sententiæ affinis Plutarchi periodus ista libr. de Garrulit. καὶ περιστάντες αὐτὸν ἀνέκριναν ἀλλαχόθεν ἄλλος, τίς εἶ; καὶ τίς σε οἶδε; καὶ πόθεν ἐπίστασαι ταῦτα; *Itaque circumfusi homines, alius aliunde cœperunt interrogare, quísnam tu es? cui notus? vnde ista scis?* De Sinone Virgiliano ita Calaber lib. 12.

——ἀλλόθεν ἄλλος
Μέσσον ἐκυκλώσαντο περισταδόν.
——*aliunde* C
Alius in medio circumstando includunt.

Similis planè locus in historia Iudæorum de Iosepho illorum duce, cùm captus est, ductúsque ad Imperatores Vespasianum, & Titum. Ita enim ipsemet scriptor lib. 3. Belli Iudaïci cap. 14. *Romani omnes visendi eius gratia occurrebant: &, cùm se circa ducem premeret multitudo, varius tumultus erat, his exultantibus, quòd captus esset; alijs minantibus; multis propius videre illum cupientibus.* Hegesippus etiam 3. excidij cap. 18. *Fit concursus ad eius aduenientis spectaculum, Romanis ferè omnibus confluentibus. Alij videre deuictum desiderabant, quem paulo antè in amplissimo honore positum summæ rei præesse intuebantur: alij certabant capto illudere: alij vices rerum humanarum tam varias atque flexibiles mirabantur.* Petrus quoque Apollonius lib. 2. excidij Hierosolymitani:

Millia circumstant hominem: pars ludere capto:
Pars miseriq; habituq; viri commota verendo
Instabilis versat fortunæ pectore mores.

Eo libentiùs attuli Iosephi successum, quòd in eo describendo omnes illi Sinonianam historiam Maroniano ductu repræsentauerint.

9. Certantqve illvdere capto] Non solùm illudere, sed sæuire etiam in miserum. Ait enim Calaber ab Troianis multis verberibus affectum, ac præcisis auribus, & naribus deformatum perstitisse; qua re voluerant veritatem extorquere. Dissidet ab Calabro Tryphiodorus, qui ait, ictus istos, & vulnera sibimet Sinonem adflixisse, vt sic plenus sanguinis, vibicum, verberum, fidem faceret Troianis, se malè à Græcis mulctatum. Quod commentum non dissimile ab eo, quod de Zopyro habet Herodotus lib. 3. & de Sex. Tarquinio Liuius lib. 1. & Valerius Max. lib. 7. cap. 4. Et de Ianne versutissimo homine Cedrenus. Ille enim ventrem, dorsum, nates plumbo pupugit, vt flagris cæsus videretur, atque ita excitaret inuidiam. Quin de eodem Sinone scribit, se fœdādum mutilandúmque tradidisse. Obseruabis, Aristidem orat. ἐν τῷ ἐξορχημένων, tribuere Vlyssi, quæ Tryphiodorus, & alij Sinoni. Itaque Vlysses (ait Aristides) verberibus se concidit, vt Troiam dolo caperet.

[a] Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno
Disce omnes.
[b] Námque vt conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos vsquam locus: insuper ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
[c] Qvo gemitv conuersi animi, compressus & omnis
Impetus: hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quídve ferat memoret: quæ sit fiducia capto.
[d] Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.

ARGVMENTVM.

Comparatur Dido ad attentionem insidiarum. Sinon casus suos conqueritur, abstinent ab iniurijs Troiani, rogant tria, ille timorem abijcit, & sese ad dicendum comparat.

EXPLICATIO.

a Locvs attentionis. De duplici explicatione loci huius dicam in Notis.

b Non solùm vocem, sed vultum quoque ad fraudes composuit, nam *turbatus* est. Ait, *circumspexit,* duplici spondeo ad rem fixam indicandam. Ipse quippe fixis vestigiis oculos tantùm circumtulit. Ita Iul. Scaliger. Sed quod orationis initiū? Audi. *Heu quæ me,* &c. q. d. Quid fiet misero homine, cui neque in terra locus, neq; in mari? Ista mox explicat. Nullus mihi in mari locus, quia nullus vsquā apud Danaos, qui iam nauigant: nullus in terra, nam Troiani mihi infensi sunt, pœnásque poscunt, neque has leues, sed cum sanguine. Hîc quæpiam expende. Coniungit tres dictiones, *iam misero mihi,* in quibus singulis est, (m,) quæ littera apta lugentibus. Viderunt hoc alij. Ait *Dardanidæ.* cum emphasi. quasi dicat. Troiani ipsi, quibus ego saluti sum. D

c Ad tam insitatam doloris significationem, qui priùs auersi erant animo, conuersi ad beneuolentiam sunt: qui priùs capto illudebant, cesserunt ab impetu.

impetu. Itaque & animi intus proni ad beneuolentiam, & extra cessatum ab iniuriis. Has beneuolentiæ notas sequuntur verba blandissima, hortantur enim, memoret suum genus: *quid ferat:* quod explico, quid noui ad Troianos afferat: demum, qua sit fiducia, captus cùm sit. Vide, quàm paucis verbis vberrimam materiam præbeant ad texendos dolos: hæc enim omnia miro artificio Sinon narrando amplificat. A

d Ille tanta animorum commutatione, & notis beneuolentiæ recreatus, tandem fari incipit.

NOTÆ.

1. CRIMINE AB VNO] Ab vno crimine insidiarum disce insidias omnes, fraudes, noxas. B Sinon enim nomen accepit ἀπὸ τοῦ σίνους, quod est *noxa*, & σίνται sunt βλαπτικοὶ, & κακοῦργοι, notauit Nannius. Qui addit, Vlyssis fuisse patruelem, & ideo non disparem suorum indoli: vt intelligas, nullum nomen vsurpatum à Virgilio, quod non vel ex historia, vel euentu, vel etymo aliquo accommodatum sit. A sententia Poëtæ non dissimile Terentianum illud de seruis: *Vnum cognoris, omnes noris.* & adagium; ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὅρα: *ex vno vide omnia:* & tu Erasmum. illud Isæi Vrsinus ad Poëtam adiungit. ἓν γὰρ μόνον ἀκούσαντες τῶν τούτῳ πεπραγμένων, ῥαδίως καὶ τὴν ἄλλην αὐτοῦ πονηρίαν γνώσεσθε: *vnum cùm audiatis, quæ malè hîc gessit, reliquam eius malitiam facilè cognoscetis.* ac Tullium, qui in Pison. *cognoscis ex particula parua scelerum, & crudelitatis tuæ genus vniuersum.* Sic ego Virgilium expediebam. Alij malunt, esse, *crimine ab vno*, id est, ab vno criminoso, & scelerato. In his est Iosephus Scal. in coniectan. Nam eo modo (inquit) dictum est ab Catullo *lupanar*, pro meretrice: à Terentio *scelus*, pro scelerato: à Martiale *vitium*, pro vitioso: à Lucillio *carcer vix carcere dignus.* Addo Plautũ, qui in Milit. glor. *scelus vir Palestrio.* Possunt isti sic explicare.

Sinonis etymon.

2. HEV QVÆ ME TELLVS, &c.] Vsi hac loquendi ἀπορίᾳ sæpe Poëtæ, quo genere ratiocinationis indicant, miserum nullibi posse tutò consistere. Adiungam alios, & ad imitationem lectoris, & ad comparationem Virgilij. Apud Ennium Medea,

Quò nunc me vertam, quo iter incipiam ingredi?
Domum paternámne, an ad Peliæ filias?

Eadem apud Eurip.

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
Οὓς σοὶ προδοῦσα, καὶ πάτραν, ἀφικόμην.
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν
Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Quò nunc me vertam? num ad patris domum,
Quam tibi cum patria prodens huc appulsa sum.
Num ad miseras Peliadas? me sanè egregiè
Tectis accipient, quarum mactaui patrem.

Aiax apud Sophoc.

—ποῖ τις οὖν φύγῃ;
Ποῖ μολὼν μενῶ;

Quánam fuga patet?
Vbi consistam profugus?

Ennius in Hecuba:

—quid petam
Præsidij? quid exequar? quo nunc aut auxilio, aut fuga
Freta sim? arce & vrbe sum orba: quò accedam? quò
applicem?
Cui nec patriæ aræ domi stant, fractæ & disiectæ iacent.
Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes
Deformati, atque abiete crispa.

In Xenoph. 5. ἀναβ. quidam. πόλις γὰρ φιλία τίς ἡμᾶς δέξεται; *quæ nam vrbs amica nos excipiet?* Alia his simillima dabimus 4. Æn. Confer, si locus, prima verba, quæ apud Calabrum, & Tryphiodorum Sinon loquitur, & merum frigus inuenies.

3. AVT QVID IAM MISERO MIHI DENIQVE RESTAT?] Cicero pro Milone: *Quid iam restat? quid habeo, quid dicam?* &c.

4. CVI NEQVE, &c.] Similis affectus in Hecuba apud Eurip. Troad.

Ὡς οὔτε μ' ἄρσην, οὔτε θήλεια σπορὰ
Πολλῶν γενομένων, τὴν τάλαιναν ὠφελεῖ,

Nulla me proles mascula, nulla fœminea,
Cùm multi fuerint mihi liberi, miseram adiuuat.

Est hæc prudens imitatio, de qua alibi loquor, cùm C rem non tui instituti ad tuum transfers. Quod ergo Euripidi sunt mas, & fœmina; Virgilio terra, & mare.

5. COMPRESSVS ET OMNIS IMPETVS] Obiter nota consuetudinem multitudinis, dicente Tacito 1. historiarum *mos vulgo mutabili subitis, & tam prono ad misericordiam, quàm immodicum sæuitia fuerat.*

Vulgi mores.

6. FIDVCIA] Iacob Durantius lib. 1. Variar. cap. 1. ait voce *fiducia* signari id, quod Græci vocant ἀσφάλειαν, Latini *fidem publicam*, alij, *saluum conductum, tuitionem, cautionem*, alij *commeatum.* Sed ego vocem ex medio foro tractam duco, & ex reis, qui in vinculis. Nam de his sæpissimè Quintilianus in declamationibus *fiduciam* dicit. Vt cùm ait, *aliquando reo nocet & ipsa fiducia.* declamat. 305. *innocentiæ fiducia contra opes istius steterant.* & sæpè aliàs. D

Fiducia pro saluo conductum.

7. DEPOSITA TANDEM FORMIDINE] Est hoc, quod Calaber lib. 12. de eodem Sinone,

—ὁ δ' ἐνθέμενος φρεσὶ κάρτος
Τοῖα δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δολοφρονέων ἀγόρευεν·
—ille autem resumptis animo viribus
Talia in medio dolos nectens profatur.

Sunt, qui expungant hoc hemistichium, vt otiosum. Nam quomodo formido deposita, si postea subiicitur: *Prosequitur pauitans.* Deinde hîc non habet locum *tandem* initio sermonis. Tertio quia frustra *fatur*, cùm postea subiiciat, *inquit.*

a Cuncta equidem tibi Rex, fuerint quæcumque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo.
Hoc primum: NEC SI miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacémque improba finget.
b Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta famâ
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.

ARGVMENTVM.

Prætendit ante omnia veritatem se dicturum, quo iacto insidiarum fundamento, incipit ab indigna nece Palamedis, qui insons interfectus falsi criminis accusatione.

EXPLICATIO.

a INITIVM doli ducit à falsa veritatis specie, quam præ se fert. Ante omnia genus suum aperit, hoc enim nequit negare, ac sic satisfacit primæ interrogationi, *quo sanguine cretus*, cui, *Argolica de gente* & adiicit. Fortuna non tam in me erit improba, id est, non tam pertinax, & obstinata, vt possit me pro arbitrio suo (nam hoc est, fingere) mendacem facere; satis sit illi, fecisse me, finxisseque miserum.

b Confirmatus iam ad loquendum incipit ab historia Palamedis (de hoc in Notis) qui interfectus à Græcis, quòd prudens Græcum militem abstinere à bello hortaretur. Hæc enim vera fuit ditæ mortis causa, tametsi Græci falsam proditionem illi affinxere, quem postea luxere *cassum lumine*, id est, priuatum carentémque vita. Vt Virg. *Fando aliquid*, ita Plautus Amphit. *Neq; fando vnquam accepit quisquam.* Symmachus, *fando comperi, didici, accepi.*

NOTÆ.

1. INQVIT] Nollem hoc in maximo Poëta (etiamsi commodè defendi possit) nam satis præcedens *fatur*.

2. NEC ME ARGOLICA DE GENTE NEGABO] Non dissimile ab hoc initio illud M. Terentij Romani equitis apud Tac. 6. Ann. qui reus factus, quòd amicus Seiani fuisset, sic exorsus est coram Cæsare: *Fortunæ quidem meæ fortasse minùs expediat agnoscere crimen, quàm abnuere, sed vtcumque casura res est; fatebor & fuisse me Seiano amicum, & vt essem expetisse, & postquam adeptus eram, lætatum.* Hæc constantia Terentio vitam attulit. Plautus Captiu. *Propemodum vbi loci fortunæ tuæ sint, facilè intelligis. Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.*

3. NEC SI MISERVM, &c.] Rectè ait Macrob. Virgilium expressisse istud Accij in Telepho:

Nam si à me regnum fortuna, atque opes
Eripere quiuit, at virtutem nequiuit.

Palamedis historia. 4. FANDO ALIQVID, &c.] Ad hunc, & sequentes versus necessaria Palamedis historia, quam excurrendo attingam, secutus interpretes, & Virgilij, & Homeri. Detrectat Vlysses Troianum bellum, vsus insania; nam salem serit, iunctis animalibus diuersæ naturæ: filium eius Palamedes aratro obiicit: hinc detecta insania Vlyssis, & prima odij scintilla in Palamedem. Conflatur expeditio Troiana, mittitur Vlysses ad Thraciam, qui frumenta connehat, nihil affert, increpatur à Palamede, qui ipse profectus multum frumenti adfert. Hinc augentur odia Vlyssis in ducem optimum. Ergo Vlysses confingit, intercipit, defértque ad proceres Græcorum epistolam Priami ad Palamedem agentis gratias pro proditione, & aurum datum pro munere indicantis. Abnuūt Græci tantum facinus in Palamede, neque credunt: dicit Vlysses facilè id probari posse, si aurum forsan in tentorio Palamedis reperiatur. Placet consilium, eunt, inueniunt (quippe Vlysses dolosè ibi summam auri locauerat) obruunt lapidibus. Sic fere interpretes, quos tu adi, si latiora hæc cupis. Dictys Cretens. lib. 2. de Bel. Troian. aliter narrat his verbis. *Per idem tempus Diomedes & Vlysses consilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenij humani, quod imbecillum aduersum dolores animi, & inuidiæ plenum anteiri se à meliore, haud facilè patitur. Igitur simulato quòd thesaurum repertum in puteo cum eo partiri vellent, remotis procul omnibus persuadent, vt ipse potiùs descenderet. Eúmque nihil insidiosè metuentem adminiculo funis vsum deponunt, ac propere arreptis saxis, quæ circumerant, desuper obruunt. Ita vir optimus, acceptúsque in exercitu, cuius neque consilium vnquam, neque virtus frustra fuerat, circumuentus à quibus minimè debuerat, indigno modo interijt.* Sic ille. Fuit Palamedes Nauplij filius, ortum ducens à Belo. Dio Chrysost. orat. 13. aliam eius mortis causam affert. Omittam Græca, quia multa. *Palamedi, quòd litteras inuenisset, nihil profuit, vt non iniustè ab Achiuis, & ijs, quos ipse docuerat, lapidibus oppressus interficeretur: sed dum erant illiterati & indocti, in ea disciplina viuere eum sinebant: postquam verò & alios docuit litteras, & Atridas videlicet primos, atque cum litteris quomodo facibus sublatis signa essent danda, numerandáque multitudo (quia priùs nescierant rectè turbam numerare, vt pastores oues) tum doctiores redditi, atque meliores, interfecerunt eum.* Philostratus in Heroicis vnam tantùm assignat obitus causam, videlicet Vlyssis maleuolentiam in illum, aítque periisse lapidibus obrutum. Virgilius omissis aliis elegit causam illam, quæ potior ad rem Sinonis, *quia bella vetabat*. Nam Sinon voluit videri vitauisse ipse quoque bella contra Troianos. Philostratum sequitur Cedrenus.

5. PERVENIT] Euripides in Phœniss. per simplex extulit, ἥκει εἰς ἀκοάς. Homer. 16. Odyss. κτύπος ἦλθε. Sophocles in Philoct. ἦλθε. verba Virgilij *peruenit ad aures*, multi arripuere, & vnus Ouidius quater in Metamorphosi, libris 5.7.9.10. Sed ante Nostrum ea locutione vsus est Cicero. Silius lib. 11. *it per aures* dixit. Sed de hac, aut simili re iam 4. G.

Palamedis mors. 6. INSONTEM] Dicta iam, quæ ad hunc locum necessaria. Sed hîc addam Xenophont. verba de Dic & Fac, Socratis lib. 4. Τὰ δὲ Παλαμήδους οὐκ ἀκήκοας πάθη; τοῦτον γὰρ δὴ πάντες ὑμνοῦσιν, ὡς διὰ σοφίαν φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται: *Non tu autem audisti Palamedis infortunia? hunc omnes celebrant, quòd inuidè interemptus, tantùm quòd sapiens, ab Vlysse fuerit.* Adeundus quoque Plato in Gorgia, & Nazianzenus oratione 1. contra Iulianum.

Palamedis etymon. 7. QVIA BELLA VETABAT] Non malè ad prudentiam Palamedis referas nominis etymon. Dictus est ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰ μήδεα, id est, ab excutiendis inueniendísque consiliis. fuit enim Heroum omnium sagacissimus, ac secundùm Plinium lib. 7. ca. 56. ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, & vigilias inuenit. Ergo ab hac sagacitate, & consilio Poëta, *quia bella vetabat*. Sapientiam huius etiam collige ex Euripide, qui in Palamede illum vocat ἀηδόνα μουσῶν, *Musarum lusciniam*. Lege etiam Iunium Cen. 2. adag. 15. Palamedis elogia nemo latiùs persequitur Philostrato. Hic lib. 3. in vita Apollon. cap. 6. dat illi σοφίαν, *sapientiam*. In Heroicis facit superiorem Chirone sapientia, dat illi in pugnis strenuitatem, ac modestiam, ait ipso pereunte veritatem periisse, prædicat summam eius parcimoniam, dicit huic viro sacra instituta, facit comitem Achillis in bello. Mitto alia, quæ ille de duce hoc luculenter. Quæ attuli ex Euripide, ipse quoque aduocat. Ab Aristide 2. Platonica dicitur Palamedes σοφώτατος τῶν Ἀχαιῶν: *Græcorum sapientissimus.* Ab Philostrato φρονιμώτατος ἀνθρώπων: *hominum prudentissimus*: ab eodem θεῖος, *diuinus*. Palamedis elogia.

8. DEMISERE NECI] Ita infrà: *multos Danaûm demittimus orco*

9. NVNC

Cassus lumine.

9. NVNC CASSVM LVMINE LVGENT] Turne- A bus lib. 29. cap. 34. cassum lumine explicat carentem lumine, suspicaturque, hanc vocem deduci à careo, quod & Priscianus agnoscit, qui huic verbo duplex dat supinum, caritum, & cassum. Nam Plautus Aul. *dote cassam* virginem dicit, id est, carentem. & Lucretius lib. 3. *cassum anima corpus*, id est, carens. In 12. *Spoliatum lumine*: vt autem (ait Germ.) cassus lumine, & spoliatus lumine, dicitur mortuus, sic contrà Græcis viuus dicitur βλέπων, quod propriè est *videns*. Eurip. Hecub. βλέποντι φίλῳ: *videnti amico*, id est, viuo. & Sophoc. in Aiace opposuit βλέποντα, καὶ θανόντα, *videntem, & mortuum*. idem monet Henr. Steph. aitque, inde Virgilium 4. Æn. dixisse, *tædet cæli conuexa tueri*, id est, viuere. Inde do lucem Comicis Terentio, & Plauto, qui synonymicos *videns viuúsque pereo*. Signatè *cassum lumine* dixêre Lucretius, & Statius: prior lib. 5. posterior 2. Theb.

Videns, id est, viuus.

a Illi me comitem, & consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnúmque vigebat
Consiliis, & nos aliquod noménque decúsque
Gessimus. b. Inuidia postquam pellacis Vlyssi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris;
Afflictus vitam in tenebris luctúque trahebam:
Et casum insontis mecum indignabar amici.
c Nec tacui demens; & me, fors si qua tulisset,
Si patrios vnquam remeassem victor ad Argos,
Promisi vltorem: & verbis odia aspera moui.

B

ARGVMENTVM.

Venit ad bellum Sinon cum Palamede, quo viuente gerit se egregiè, quo sublato luctuosè & iracundè; addit verba vltionis plena aduersum Vlyssem indignæ necis auctorem.

EXPLICATIO.

a VVLT se Sinon commendare, vt auertat ab animis Troianorum omnem insidiarum suspicionem. Commendatio hæc quadruplex ex genere, fortuna, ætate, rebus gestis. Genus, nam propinquus sanguine Palamedi viro nobilissimo, ab ingenuis autem abest dolus: fortuna, nam pater pauper illum ad militiam misit, non ergo nocendi studio militatum aduenit: ætas, nam primis ab annis C comes fuit, adhæsitque Palamedi viro optimo, ex cuius frequenti, longáque consuetudine non potuit fraudes addiscere: res gestæ, nam *nos aliquod noménque decúsque Gessimus*: vide modestiam se prædicantis. Est *nomen & decus gerere* phrasis mirè poëtica, pro, nomen & decus gerendis rebus militaribus consequi. Sed quid illud de Palamede, *dum stabat incolumis regno*? An Palamedes Rex? non reperies, interpretes quippe hîc ἀπιθάνως. Ergo regem vocat, vt proceres alios belli Troiani Aiacem, Achillem, Nestorem, Homerus. Hactenus suas felicitates Sinon.

b Quid verò Palamede sublato inuidia Vlyssis? Iacebam (inquit) in lacrymis, & mœrore; mecúmque D tacitus æstuabam, & ardebam. Coniungit itaque duplicem affectum, qui in omni acerbitate potissimus, dolorem, & iram. Illud *haud ignota loquor* est, etiam si velim, nequeam mentiri, loquor nota satis, & perspicua omnibus.

c Erupi quoque in apertas iras, & verba per summam dementiam. Intérque iras, & verba excidit vox vltionis. Dicebam enim, si alicunde mihi occasio illucesceret vlciscendi, arrepturum me illam, neque prætermissurum. atque ita, verbis Vlyssis animum exacerbaui, & contra me commoui.

NOTÆ.

1. CONSANGVINITATE PROPINQVVM] Assuit mendacium suo tantùm commodo, neque enim propinquus Palamedi, aut cum eo versatus. imò Vlyssis propinquus, vt qui filius Æsimi, qui frater Anticleæ matris Vlyssis, vt ex Græcorum commentariis interpretes, & in primis Hortensius.

2. PAVPER] Pari ratione se purgat Achæmenides lib. 3. ante Æneam:

——Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissétque vtinam fortuna) profectus.

3. PRIMIS HVC MISIT AB ANNIS] Si alludit ad morem Romanum, annos intellige septem supra decem. Sed hæc res appellet Romanos Scriptores, Liuium, Dionysium; alios. & ex his, qui nostro ferè æuo floruerunt, Sigonium, & Lipsium.

Ætas ad militiam.

4. INVIDIA POSTQVAM] Xenophon. φθονηθεὶς ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἀπόλλυται. integra iam dedi, *sublatus est inuidia ab Vlysse*. Dictys quoque inuidiam nominat hac de re loquens. Philostratus in Heroicis βασκαίνοντα vocat Vlyssem, vbi se incitauit contra Palamedem. De eodem, ἐραστὴν φθόνου.

5. PELLACIS] Noti Vlyssis vaferrimi doli. Aiax apud Sophoc. illum vocat, ὄργανον ἁπάντων κακῶν, κακοπινέστατον, ἄλημα στρατοῦ: *malorum omnium organum, impurissimum; pestem exercitus, luémque*: Hecuba apud Eurip. in Troad. virum, μυσαρὸν καὶ δόλιον, *inuisum, & fraudulentum*, & iterum illi dat δίπτυχον γλῶσσαν: *linguam duplicem*. Ouid. fallacem.

Vlyssis vitia.

Maryciasque domos, regnum fallacis Vlyssi.

Plato in Hippia minore, afficiens Græcos duces, quémque debito elogio, Vlyssem vocat πολυτροπώτατον, *versutissimum*, quod ab Homero accepit. Horatius od. 6. lib. 1. *duplicem* vocat. Philostratus in Heroicis loquens de Palamede dat Vlyssi ψευδεῖς, καὶ πανούργους τέχνας, *mendaces, atque flagitiosas artes*. Eunapius Ὀδύσσειον πανουργίαν: *vafritiem Vlysseam*. Quæ voces omnino referendæ sunt ad malignitatem, nam Philostratus illum inducit τὸ κακόηθες ἐπαινοῦντα: *laudantem malignitatem*. Vide vitia, quæ eidem in Heroicis affigat. Præter multa alia inducit illum πεπλανημένον

τοὺς ὀφθαλμοὺς διὰ τὰς ἐννοίας τε, καὶ ὑπονοίας: *errabundis oculis propter cogitationes, & suspiciones.* Poëta imitatus fortè Lucretium, qui lib. 2. dixit *subdola pellacia*: hominem subdolum *pellacem* dicit: aut Liuium Andronicum, qui in Laodomia: *At nunc quæpiam alia te illo Asiatico ornatu affluens, aut Sardiano, ac Lydio fulgens decore, & gloria pellicuit.* Sed quæ vocis huius origo? Grammatici à *pellicio* ducunt. Festus in verbo *lacit* ita ait: *Lacit, decipiendo inducit. Lax etenim fraus est. Lacit, in fraudem inducit. Inde est allicere.* Nata est vox *lax*, vt credi potest, à lacte, nam lactaria omnia vel gustu decipiunt, noxia alioquin. Inde *allecto, illecto*, & similia. Eadem credo mente Græci dicunt ἀποβουκολίζω, & ἀπάτῃ ἀποβουκολεῖν τοὺς ἀνθρώπους, vt est in Cedreno, *fraude homines decipere,* nimirum ab armentis vaccarum. fortasse propter lac. Sed placet argutior, & verior Germani mens, qui ducit ab exoleto *pello, pellas*, vnde nunc *appello, interpello, compello*, quod non vocare, aut simpliciter nominare, sed blandiùs solicitare significabat. Vnde & iuris consultus L. item ad Labeonem. §. siquis virgines, ait: *qui virgines appellarit*, hoc est, qui earum pudicitiam blanditiis attentarit. Arnobius etiam lib. 4. dixit: *cupiditatum pellaciam.*

Pellicio vnde ductum.

Lax, id est, fraus.

Pello, pellas.

Appellare virgines.

6. VLYSSI] Cur *Vlyßi*, non Vlyssis, adhibita suprà

Vlyssi, pro Vlyssis.

A duplex solutio, Seruij vna, Corradi altera. Addo hîc tertiam Iulij Scaligeri, qui hunc casum ducit à recto Vlysseus, inde Vlysseu, quo vsus Horatius, & contractè, Vlyssi.

7. SVPERIS AB ORIS] Id est, à vita hominum. Illustro alibi.

8. VITAM IN TENEBRIS, LVCTVQVE TRAHEBAM] Egregiè carmen hoc imitatur Claudianus de raptu, apud quem Ceres:

Sola domi luctu senium tractura relinquor.

erit itaque *in tenebris*. solus domi, interprete Claudiano. vt autem Latini lucem tenebrasque vsurpant, & ad lætitiam, & ad tristitiam significandam,

B sic Græci φάος, & σκότος. Eurip. Hec. ἐν φάει. & in Orest. ἥκει φῶς ἐμοῖς, καὶ τοῖς κακοῖς: *affulsit lux meis, tuísque malis.* Demosth. in Epitap. ἐν σκότει γέγονε. & Lucian. ἐν σκότει εἶναι: *vixit in tenebris, esse in tenebris.* Sanctus Chrysostom. ἐν σκότῳ τὴν ψυχὴν κατέχειν: *ducere animam in tenebris.* Pindarus od. 1. Olymp. ἐν σκότῳ καθήμενος: *sedens in tenebris.* Sic & Cic. *iacere in tenebris.* illud *vitam trahere* dixit Eurip. in Orest. βίοτον ἕλκειν, & in Phœniss. ζωὰν ἕλκεις.

9. FORS SI QVA TVLISSET] Tacit. 3. Hist. *Milites missi per tenebras, vt fors tulerat.*

[a] HINC mihi prima mali labes, hinc semper Vlysses
Criminibus terrere nouis, hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma.
[b] Nec requieuit enim, donec Calchante ministro.
[c] Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?
Quidue moror? si omnes vno ordine habetis Achiuos,
Idq; audire sat est, iam dudum sumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

ARGVMENTVM.

Lingua parit Sinoni odium Vlyßis, minas, terrorem, arma: subitò orationem abrumpit, mortem efflagitat Græcis, atque Vlyßi gratißimam.

EXPLICATIO.

[a] CVM liberè loquerer indigna cæde Palamedis permotus, reddidi mihi Vlyssem hostem acerbissimũ; terrebat me ille nouis criminibus confictis, spargebat de me voces ambiguas, conscius quærebat arma. Explico tria. Dicit *noua crimina* cum respectu ad Palamedem. Quemadmodum illi crimen proditionis affinxerat, ita quærebat quid mihi de nouo impingeret. Alterum, sunt *voces ambiguæ*, perplexæ voces, dubiæ, hærentésque, neque dum manifestæ, sed quæ tantùm indicabant graue aliquod facinus Sinonis. Tertium, est *conscius*, vel sibi ipse conscius facinoris, quod aggrediebatur: vel, quærebat arma conscius eorum, quæ ego dixissem.

[b] Aposiopesis aptè illata, & aliquo verborum, ambitu supplenda. Tam studiosè contra me Vlysses pertentare omnia cœpit, donec vsus ministro Calchante, quem ad hanc rem egregiùs scelerum artifex subornauerat, me aræ destinat. Hoc Sinon, supplebis quod tibi lubitum. Sed quare hîc inducta ea figura? an, vt interrupta narratione auidiùs Troiani rogent, audiántque? Sic Seru. An verò vt indicet ardorem indignationis, quo æstuat, cùm videat se ad

C mortem rapi Vlyssis fraudibus? dolet enim dati sceleri tantùm iuris.

[c] Redit ad se, séque reprehendit, quòd tamdiu Troianorum iras, quas ipse fingit, contineat. *ingrata* sunt, ingrata vobis, nec mihi gratiam vllam conciliatura. Ita Seruius. *Quidve moror*, id est quid moror ardorem vestrum, quo estis in me inflammati, vt in legitimum hostem? vel simplicius. Quid tandiu loquendo moror? *si omnes vno ordine habetis Achiuos.* Si pro hostibus omnes Græcos æquè ducitis, ac me perinde. Ergo, si vos satietas orationis meæ tenet, pœnas illico sumite. *Hoc Ithacus,* &c. Hoc gratum erit Ithacensi Vlyssi, hoc pretio magno mercẽtur Atridæ duo Agamemnon, & Menelaus. Quàm hoc callidè! donabitur procul dubio vita Sinoni, cuius mors gratissima futura erit Vlyssi, & Atridis acerbissimis ho-

D stibus Troianorum.

NOTÆ.

1. HINC MIHI PRIMA MALI LABES] Arripuit Iustinus lib. 17. *Hinc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit.*

2. SPARGERE VOCES] Ita Græci κατασπείρειν, & διασπείρειν λόγους. Plutarchus de ira cohibenda pro eodem dixit ἀπαγγέλλειν λόγους. Aristides in 2. Platonica flexu isto, εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους βλασφημίας ἐκδέδωκας: *dedisti in vulgus hominum criminationes.*

Spargere voces.

3. VVLGVM] Sexu masculo alij quoque enuntiarunt. Tacitus 1. Hist. *nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum.* & 3. *facundia aderat, mulcendíque vulgum*

Vulgus genere masculo.

gum artes,& auctoritas. Felix in Octauio: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet,*&c. Accius Epigonis: *Argiuos fremere bellum,& velle vi vulgum videt.*

4. SED QVID EGO HÆC AVTEM, &c.] Videtur locum istum imitatus semel Liuius lib. 28. in oratione Manlij: *Sed quid ego hæc ita argumentor, tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos?* Prudentius sæpe, nam in Apotheos.

Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo?

In Hamartig. *Sed quid ego omne malum,*&c.& lib.2.in Symm. *Sed quid ego hæc meditor?* Ante vtrumque Catullus de Nupt.Pel.

Sed quid ego hæc vanis nequicquam conqueror auris?

Ante omnes Ennius 6. Annal. *sed quid ego hæc animo lamentor?*& 9. *sed quid ego hæc memoro?*& Lucilius lib. 30.Satyr.

Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo?

Græcus quoque Apollonius lib.3. Arg.

Ἀλλὰ τίη τάδε τοι μεταμώνια πάντ' ἀγορεύω;

Sed quid ego inania hæc omnia loquor?

Apud Philonem quoque in Politico similis est locus. Frater enim ille, qui Iosephum quæsierat in cisterna, neque inuenerat, post multos effusos gemitus, ita se continet. ἀλλὰ τί ταῦτα θρηνῶν ἀπηχῶ; *sed quid ego ista dolens clamito?*

A 5. ORDINE] Ita dici à Poëta ordinem hoc loco notat P.Victor. vt ab Arist.1. Polit. dictum, ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ, καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. *apud barbaros autem fœmina, & seruus eundem ordinem habent.*

6. HOC ITHACVS VELIT] Affectus similis in aliis sparsus, Ouidio,

Hoc velit Eurystheus, velit hoc Germana Tonantis,
Lætaq; sit vita labe nouerca tua.

Æschylo in Supp.

Ἡδονὴν ἐχθροῖς ἐμοῖς πράξωμαι:

Voluptati ero meis hostibus.

Homer.1.Il.

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες:

B *Scilicet hoc Priamus gaudet, Priamíque iuuentus.*

Admonet verò Seruius allusum ad morem quo in sacris victima fugiens, vbicumque inuenta fuisset, occidebatur, ne piaculum committeretur. Ad quem morem faciunt verba Taciti lib.3. Histor. loquentis de Vitellio: *Concionanti, prodigiosum dictu, tantum fœdarum auium superuolitauit, vt nube atra diem obtenderet. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disiecto sacrificij apparatu, longè, quàm vbi feriri hostias mos erat, confossus.* De quo alibi. Fugiens victima.

[a] Tum verò ardemus scitari, & quærere causas
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
[b] Prosequitur pauitans, & ficto pectore fatur.
[c] Sæpe fugam Danai Troia cupiêre relicta
Moliri, & longo fessi decedere bello:
Fecisséntque vtinam. Sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, & terruit Auster euntes.
Præcipuè cùm iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.

ARGVMENTVM.

Nolunt Troiani sermonem abrumpi, ardent scire quæ sequuntur. Pergit ille conciliata iam fide, aítque, Græcos longa fessos obsidione voluisse decedere, quibus obstitit causa duplex, & maris, & religionis.

EXPLICATIO.

[a] ASSEQVITVR Sinon luculentam occasionem narrandi, & fingendi; rogari enim, & vrgeri volebat. Sed quas causas ardent Troiani scitari, & quærere? Duo dixerat Sinon, mortem suam gratam fore tum Vlyssi, tum Atridis. Sciebant iam cur grata Vlyssi: cur Atridis, nondum. Hoc ergo scire volunt ignari scelerum, quæ Sinon fingebat arte sua.

[b] Æquè hominem & pauor, & dolor comitantur; illo se Troianis commendat excitato affectu misericordiæ, his decipit: ergo prosequitur, & cum pauore, & cum dolis. Est *fictum pectus* subdolum pectus.

[c] Continent hi versus, & factum, & facti rationem. Voluerunt (inquit) fugere, nam longa fessi obsidione. Additque, *fecissent vtinam* ad gratiam Troianorum. Sequitur, *sæpe illos*, &c. Est in his duplex causa, cur tandiu tardati, cùm abire magnopere cuperent. Prior, quòd hyems mare clausisset, & venti (quos hîc per Austrum signat) terrerent: posterior, quòd religio impediret: confecto enim equo adfuit

C subitus è cœlo terror, videlicet nimbi toto æthere insonantes. Hoc sonitu signantur tonitrua, & fulgura, ac perinde nimbi isti fuerunt religiosi, vt qui in hyeme, & clauso iam mari, quod raro.

NOTÆ.

1. ARTISQVE PELASGÆ] Vide infrà, ad illud,
—dolis instructus, & arte Pelasga.

2. PROSEQVITVR PAVITANS] Ad hunc fictum pauorem apta verba hæc Taciti 1.Hist. *Claudius Cossus, notæ facundiæ, sed dicendi artem apta trepidatione occultans, atque eò validior.*

3. MOLIRI] Indicat difficultatem, quæ magna necessariò in ea re fuisset.

D 4. DECEDERE] Sic malui cum Germ. potiùs quàm cum aliis *discedere*. inde libentiùs amplector, *fessi, decedere bello*, vt etiam loquitur Tacit.11. Ann. *ne quis agmine decederet*, quàm *fessi bello, decedere*: tu quod placeat.

5. SÆPE ILLOS ASPERA, &c.] Vt hîc, *hyems interclusit.* ad verbum Græci, χειμὼν ἐπέκλεισε. Demosthenes in Chersoneso ita extulit, χειμῶνι ἀποληφθῆναι. ibidem ita quoque, ὑπὸ τῶν πνευμάτων μὴ δύνασθαι. Aristides in Ægyptiaca, ἀνοιχθέντος τόπου dixit *aperto loco* loquens de mari, & nauigationibus. Auctor est Vegetius, claudi maria à die tertio Iduum Nouembris, vsque in diem sextum Iduum Martij. Illustratur Lucanus lib.5. Clausa maria.

—Clausas ventis brumalibus vndas
Inuenit, & pauidas hiberno sidere classes.

Hinc ergo commodè explicabis Maronem: non, *hyems*, idest, tempestas, vt vulgò: Sed verè, *hyems*, quæ claudit. nam tempestates alio quoque tempore excitari possunt. Cassiodorus lib. 12. epist. 24. *Cùm ventis sæuientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amœnissima fluuiorum.* Scribit Polybius lib. 1. miserabilem cladem, quam passa est classis Romana temeritate Consulum, qui non debito anni tempore se mari commiserunt. Eò pertinent & verba Iulij lib. 5. Gallic. *Quas naues cùm aliquandiu frustra expectasset, ne anni tempore nauigatione excluderetur, quod æquinoctiũ suberat, necessariò angustiùs milites collocauit.* Liuius lib. 27. hyeme clausas Alpes adhibet, vt alij clausa maria. Contrarium verbum est *aperta*, Plinius lib. 2. cap. 47. *ver ergo aperit nauigantibus maria, cuius in principio Fauonij hybernum molliunt cœlum.* Plato ait lib. 12. leg. æstiuo tempore aperiri ad nauigandum maria. Sed loquitur Plato procul dubio ex nota; quam alibi adhibui. Antiqui enim annum diuidebant in duplex tantùm tempus, in hyemem, & æstatem,

Aperta maria.

A nulla facta mentione veris, & autumni. Cùm ea, quæ dixi, verissima sint, næ decipiuntur, qui in Virgilio per hyemem capiunt tempestatem, & procellam aliquam, cùm ille proculdubio signet partem anni incommodam nauigationibus.

6 TOTO SONVERVNT ÆTHERE NIMBI] Sic apud Plautum in Mercat. Cùm adolescens Charinus profectionem, & nauigationem pararet, obiiceretque illi amicus Eutychus:

Nubis, ater imberque instat, aspice nunc ad sinistram,
Cœlum vt splendore est plenum ex aduerso vides.

Cùm (inquam) hæc obiiceret, ille respondit.

Religionem illic obiecit, recipiam me illuc.

Tempestates religiosa veteribus.

Apud Dionysium quoque lib. 9. Antiq. Cùm Consul Valerius Æquorum castra esset oppugnaturus, diuinitus est prohibitus. Nam subitò exorta est caligo B cum ingenti imbre, exorta fulgura, & formidanda tonitrua. Actum illum religione prohibitum fuisse signanter ait scriptor. Itaque non dubium; quin similes nimbos, & tempestates verterent in religionem veteres. Quæ dixi firmant meam explicationem, à qua non facilè cedam.

[a] Suspensi Eurypylum SCITATVM oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat.
[b] Sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa,
Cùm primùm Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animâque litandum
Argolica. [c] vulgi quæ vox vt venit ad aures,
Obstupuere animi, GELIDVSQVE per ima cucurrit
Ossa tremor: cui fata parent, quem poscat Apollo.

ARGVMENTVM.

Suspensi hac cura Phœbum adeunt, qui respondet: viam humano sanguine ad Troiam factam, eodem inde recedendum. Audit vulgus, & pauet.

EXPLICATIO.

a PROCEDIT sententia ex superioribus. Volebant Græci decedere: mare, & Dij iter impediebant, ideo suspensi exquirunt voluntatem Phœbi per Eurypylum, qui retulit horroris & pauoris plena.

b Dixit oraculum emendos ventos cruore effuso, neque aliter posse placari numina, vt exitus belli responderet initio. Historiam dabo in Notis.

c Præclarè aures tangit acerbus Nuntius, & statim vulnus sentitur in animis, nec leuiter illos percussit, sed ad stuporem. Et bene *animi*, non animus, vt omnes timuisse significet, ne, si ipse solus, aliquo scelere contaminatus videretur. Ab animo vehementer perculso, & stupente *tremor* in intima ossa diffunditur, & is *gelidus*. subiicit rationem huius stuporis, & tremoris, videlicet, *cui fata* exitium (hoc subaudio, alij aliter) *parent*, & *quem Apollo* ad pœnas *poscat*.

NOTÆ.

Suspensio animorum ab æquilibrio.

1. SVSPENSI] Idest, τῇ γνώμῃ ταλαντευομένῃ. Ducitur quippe metaphora ab æquilibriis, cùm suspensa, & erecta in nullam partem inclinant: ita suspensi erant animi Troianorum, cùm, & vellent decedere, & prohiberentur. Liuius clarè lib. 26. *Æ*-

C *quante fortuna suspensa omnia vtrinque erant, integra spe, integro metu.* Loquitur omnino cum respectu ad æquilibrium; nam spes integra, & metus integer omnia æquabant, ideo illa suspensa. Eodem loquendi sermone vsus Aristides in Leuctrica quarta. οὐ γὰρ δὴ τρυτάνην γε εἰς τὸν πόλεμον κομίσαντες, ἐπὶ ταύτης τὰ πράγματα στήσομεν. ἀλλὰ δὴ τάξιν ἐξ ἀρχῆς εἰλομένους, ἀνέχεσθαι τῆς ῥοπῆς: *Non enim trutina sumpta res in bello ponderare possumus, verùm ordine primo seruato, momentum ferre debemus.* Et in oratione de concordia ad ciuitates Asiæ, pari metaphora rem suam explicat, inducens cum respectu ad τρυτάνην, duo verba, videlicet, ἡσυχίαν ἄγειν, & ἄνω καὶ κάτω κινούμεθα. Quia videlicet, cùm æquilibrium suspensum & rectum est, nullus est motus in bilancibus, sed quiescunt illæ. Hinc etiam sermonem duxit Cicero pro Muræna: D *Quæstura vtriusque propemodum pari momento sortis fuit.* Et Seneca de Benef. lib. 1. cap. 1, *aliàs graues exprobratores, exactorésque sumus; aliàs leues, & quos paulo pòst muneris sui pœniteat; aliàs queruli, & minima momenta calumniantes.* Qui locus non expensus à tot interpretibus. Grauitas enim, & leuitas, quæ bilancium est ex pondere, aut magno, aut leui; momentum etiam, quod est æquilibrij, ducit nos ad cognoscendam sententiam. Eadem ratione illustro illud. 3. Æneid. vbi de Charybdi, & Scylla, *lethi discrimine paruo.* Discrimen enim libræ, seu momentum libræ, est, quam Græci vocant, ῥοπήν, qua voce vsus Aristides. De ipso adhuc oraculo Aristophan. in Pluto, χρησμὸς ῥέπει.

Momentum libræ.

E 2. EVRYPYLVM] De hoc celebris est mentio 2. Il. in catalogo nauium.

3. SCITATVM] Scitari, poscere, quærere, adire oracula, obuia apud nostrum, pro consulere. hîc in 3. *oracula poscas* 4. Georg. *quæsitum oracula* 7. Æn.

Scitari oracula.

—Oracula Fauni

Fatidici

Fatidici genitoris adit.

Ariſtophan.Plut.

Ἐπερησόμενος οὖν ᾤχόμην ὡς τὸν θεόν:

Interrogaturus igitur iui ad Deum.

Quo verbo vſus etiam Æſchines contra Cteſiphon. ἐπερησόμενος τ̃ θεόν. Idem ſic extulit, μαντείαν ἐμαντεύσατο περὶ τοῦ θεοῦ. Ariſtides in prima Platonica, & multi alij per πυνθάνεσθαι dicunt. Philoſtratus in Heroicis per verbum ἤρετο. Cedrenus, χρησμὸν ἐζήτει. Idem verbo ἠρώτησε. Xenoph.lib. 4. Ἑλλ. χρηστηριαζόμενος ἐπηρώτα τὸν θεόν, & lib.3. Ἑλλ. tantùm χρηστηριάζεσθαι adempto altero. Herodotus lib. 1. πειρώμενος τῶν μαντηίων, & εἰρωτᾶν. Qui mittebantur ad petenda hæc oracula dicebantur θεωροί. naues, quibus vehebantur, θεωρίδες. ſacrificia, quæ peragebantur, θεωρίαι. θεωροὶ dicuntur Herodoto lib.1 .etiam θεοπρόποι, & χρησόμενοι. De hoc Eurypylo vide(præter Homerum)Philoſtratum iuniorem in Iconibus.His opponitur, χρησμοδοτεῖν, χρησμὸν ᾄδειν, χρησμὸν διδόναι: *oraculum edere,canere,dare.* & χρησμῳδεῖν.

Reportare oracula.

4. REPORTAT] Græci quoque κομίζειν, & ἀνακομίζειν χρησμούς: *portare,reportare oraculum.* Ariſtides in 2.Platonica extulit forma hac, μαντείας ἐλθούσης. & hac item, μαντείας προὐπαρχούσης.

Iphigeniæ hiſtoria.

5. SANGVINE PLACASTIS VENTOS] Hiſtoria hæc eſt. Agamemnon in Troiana expeditione cùm eſſet in Aulide, ceruam occidit Dianæ ſacram : itata Dea ventos negat : reſpondent oracula expiandum facinus Agamemnonis ſanguine : adducitur immolanda Iphigenia filia,pro qua tamen Numinis miſeratione ſuppoſita eſt cerua, & immolata, virgo ipſa tranſlata ad Tauricam Cherſoneſum Dianæ miniſtratura.ſic fere interpretes. Attigit hoc ex parte Lucret.lib.1.lege ab eo verſu,

Aulide quo pacto Triuiaï virginis ara, &c. Pauſan.in Bœot.aliter narrat.*Proditum memoriæ eſt , cùm Aulide aduerſis tempeſtatibus Græci detinerentur: vbi repentè ſecundi venti flare cœperunt,mactaſſe ſtatim eos Dianæ quaſcumque vel fœminas,vel mares habuit quiſque in promptu hoſtias.Manſiſſe dehinc ritum,vt quauis hoſtia Aulide litari poſſet.* Similem hiſtoriam habes in Parall. Plutarchi , quam ipſe adducit ex Pythocle verbis iſtis:*Cùm Pœni ſocietatem cum Siculis aduerſus Romanos machinarentur , Metellus Romanorum dux ſoli Veſtæ rem ſacram fecit:ea ventum claſſi aduerſum immiſit. C. autem Iulius aruſpex ceſſaturum edixit , ſi filiam ſuam dux immolaſſet. Coactus itaque hic filiam Metellam produxit mactatum. Veſta eius miſerta,buculam eius in locum immiſit, ipſamque Lamuſium detulit,& draconis,qui ibi colitur,antiſtitam fecit.* Fuit Diana ſanguinis appetentiſſima,& humani in primis.Eurip.Iphig.in Taur.

Diana ſanguinis appetens.

Αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις:

At ipſa cæſo gaudet in ſacris viro.

Caſſiod.5.Var.epiſt. 42.*In honore Scythicæ Dianæ , quæ ſanguinis effuſione gaudebat , ô miſeræ deceptionis errorem illam deſideraſſe colere , quæ hominum morte placabatur.* Græcis *ſacrum placans numina* , dicebatur θυσία παυσμένη. Virgilij ſententiã pulchrè extulit Seneca Agam. *cruore ventos emimus.*

6. VIRGINE CÆSA] Quî cæſa virgo Iphigenia hîc apud Virg. & apud Lucret.lib.1.

Aulide quo pacto Triuiaï virginis aram

Iphianaſſaï turparunt ſanguine.

Simulata in ſacris pro veris.

Quî hoc igitur cùm ſuppoſitam ceruam iam diximus?ſciendum,apud veteres non vera in ſacris,pro veris ſolere accipi , cogente vel penuria, vel quauis alia cauſa. Faciunt verba Seru.*ſciendum in ſacris ſimulata pro veris accipi.vnde cùm de animalibus ; quæ difficilè inueniuntur , eſt ſacrificandum , de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. Hinc eſt etiam illud,*

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni. Nam & in templo Iſidis aqua ſparſa de Nilo eſſe dicebatur. Ruſtici aliquando (tradit Suidas) cùm bouem Herculi debuiſſent immolare, iſque aufugiſſet, arborem in bouem effinxerunt,ſuppoſitis quatuor ramis pro pedibus,& duobus loco cornuum. Paulò aliter recenſet Pollux in Onomaſt.lib.1.cap.27. Ex hac conſuetudine ortum illud Priapeium:

Lætus Ariſtagoras natis bene villicus vuis,
De cera facta dat tibi poma Deus.
At tu ſacrati contentus imagine pomi,
Fac veros fructus ille,Priape,ferat.

Philoſtratus in vita Apollon. lib. 1. meminit bouis immolari , ex bellariiſque confecti. & Nazianzenus epiſt.ad Nemeſium ait , Pythagoram ſacrificaſſe πηλίνῳ βοΐ , *boue luteo.* Cyziceni apud Lil.17.Synt.cùm quotannis nigram bouem ſolerent immolare,neque talem inueniſſent preſſi obſidione , frumentaceam effinxêre.His adde , animalia quoque animalibus commutari.Feſt.in *Ceruaria.Ceruaria ouis,quæ pro ceruа immolabatur.*adi Ioſeph.Scal. Ergo , virgo non cæſa, cæſa tamen dicitur , quia cæſa cerua, ſuccedanea hoſtia pro virgine. Cum hiſtoria Iphigeniæ abreptæ à ſacrificio habet ſimilitudinem magnam ea Euripidis in Oreſte , vbi Helenam liberat à cæde Oreſtis Deus Neptunus,

Ἐγώ νιν ἐξέσωσα, κἀπὸ φασγάνου
Τοῦ σοῦ κελευσθεὶς ἥρπασ' ἐκ Διὸς πατρός.

Ego illam ſeruaui, & à gladio
Eripui tuo,iuſſus à patre Ioue.

Eandem hiſtoriam narrat Plutarchus in opere de fortuna Romanorum, adiicitque aliam Valeriæ Lupercæ.Itaque & Helena,& Valeria Luperca,cùm iam mactandæ eſſent, effectum numine , vt pro vtraque ſupponeretur bucula. De cerua Iphigeniæ loquitur quoque Euripides.

7. SANGVINE QVÆRENDI REDITVS] Salluſtius in oratione priore ad Cæſar.ſi illius eſt:*neque barbarico ritu cædem cæde,& ſanguine ſanguinem expiandum.*

8. ANIMAQVE LITANDVM] Macrobij doctrina lib.3.Sat.cap.5. huic loco aptanda,vt explicans,& illuſtrans Poëtam. Trebatius lib. 1. de Religionibus, duplex genus hoſtiæ docet,vnum quo exta,alterum quo anima ſolùm ſacratur Deo ad exquirendam voluntatem Numinis. Primum Poëta attingit, cùm toties pecudum, extorum,ouium in ſacris meminit:alterum hîc, & in 5.

Hoſtiæ genus duplex.

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Perſoluo.

Secundi generis hoſtiæ ab Aruſpicibus *Animales* vocantur. De ſignificatione verbi *lito* alibi.

Hoſtiæ animales, quæ.

Curro de metu.

9. GELIDVSQVE PER IMA CVCVRRIT OSSA TREMOR] De ſudore Sappho ὑποδεδρόμακεν, dixit, *cucurrit*,aut *currendo ſubijt.* & de horrore Nazianzenus orat.11. μὲ φρίκη τις ὑποτρέχει. Tremorem in metu maximo Ouid.de Lucretia:

Sed tremit,vt quondam ſtabulis deprenſa relictis
Parua ſub infeſto cùm iacet agna lupo.

Poſco de Diis.

10. POSCAT] Adeo ſæpè hoc verbum dat Maro Numinibus,ac fatis, vt exiſtimare poſſimus, illud præcipuè aſſumptum à Diis , atque eo ſolitos ipſos imperare.4. *& ſi fata Iouis poſcunt.*5.

Hæc reſponſa dabat,vel quæ portenderet ira
Magna Deûm,vel quæ fatorum poſceret ordo.

8. *Quem numina poſcunt.* 11. *ſæua Iouis ſic Numina poſcunt.*Horatius.*Seu poſcat agna*,de Fauno.

[a] Hîc Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea Numina Diuûm
Flagitat. & mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus: & taciti ventura videbant.
[b] Bis quinos silet ille dies: tectúsque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
[c] Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.
[d] Assensêre omnes: &, quæ sibi quisque timebat,
Vnius in miseri exitium conuersa tulere.

ARGVMENTVM.

Flagitat Vlysses Calchantem, dicat quis mactandus. Iam tum Græci Sinoni fatum canunt. Silet Calchas, recusat, abditur, sed coactus ab Vlysse, Sinonem tandem ad aras nominat; gaudent reliqui Græci, erepti malo.

EXPLICATIO.

[a] ARTIFICIOSE partes omnes nocendi Vlyssi attribuit, vt hosti suo, quo meliùs à Troianis credatur. Ergo Vlysses, ne quis in eo insidias suspicetur, ad medios trahit, sic enim tectiora omnia, quo clariora. flagitátque Calchantem, explicet, quis mactandus Deorum voluntate. Addit Sinon: *& multi iam mihi*, &c. id est, prædiuinabant, crudelia in me Vlyssis artificiosi astutique scelera exitus infelices mihi habitura. Voculam *hîc* quæ est initio, explica, hoc rerum statu.

[b] Extenuat Calchantis crimen, quo infestius in Vlyssem omnia redundent tanti sceleris auctorem. Silet enim dies decem, abdit se domi, nam hoc est, *tectus*. recusat quemquam prodere, quemquam morti obiicere.

[c] Demum non sua sponte Calchas tam diro se scelere astrinxit, auctor fuit impulsórque Vlysses. Itaque *composito*, id est, ex pacto quodam inito cum Vlysse, *vocem rumpit, me cædi destinat*, obligátque.

[d] Gratè omnes hoc audiuêre, assensêre etiam, vt iam metu liberi, *& tulere conuersa in exitium vnius miseri, quæ quisque sibi timebat*, id est, contulerunt, & conuerterunt in exitium, &c. Sic enim phrasis hæc poëtica explicanda. quod alibi firmabo.

NOTÆ.

1. PROTRAHIT IN MEDIOS] Lucret. lib. 5. vbi loquitur de rebus, quæ vsus reperit,

Sic vnum quiduis paulatim protrahit ætas
In medium; ratio, quæ in luminis eruit oras.

2. FLAGITAT] Non frustrà hoc verbum Vlyssi datum, quem flagitiosissimum Sinon inducit. Ergo non poscit, rogat, petit, sed flagitat: quod olim infamium fuit, monuítque Scal. in Fest. Cato: *intercutibus stupris flagitatus*, hoc est, intestinis probris infamatus, inde *flagitium*, pro infamia. Plaut. *maiore cum flagitio reddes posteà*, hoc est, infamia. Et fœneratores dicti *flagitatores*, quia infames olim. Inde *flagitare* is dicetur, qui proteruè petit, indignanter, & veluti cum conuicio; quod fecisse hîc Vlyssem facilè quisquam suspicetur, nam vatem, & cum tumultu, & inuitum trahit, quæ non abeunt à conuicio. Hinc ego explico *(Flagito infamium.)* *(Flagitium pro infamia.)* *(Fœneratores dicti flagitatores.)*

A Cæsarem. 1. Gal. *Cæsar ab Heduis frumentum, quod essent polliciti, flagitat.* vbi vim, & conuicium in petendo, capio; hinc tu alios. Et Grammatici quidem, in his Donatus, discriminant inter verba *posco*, *peto*, *postulo*, *flagito*. Nam *poscimus*, cum imperio; *petimus*, precibus; *postulamus*, iure; *flagitamus*, cum conuicio.

3. ET MIHI IAM MVLTI CRVDELE CANEBANT] In hoc loco ad *occentationem* allusum non dubito. Erat *occentare* alicui canore quodam ingratam canere cantilenam, cum probro, & conuicio, quod docent Festus, & eius decurtator Paulus. Quem ad locum Scal. vetus illud adducit: SI QVIS. CARMEN. OCCENTASSIT. QVOD. ALTEREI. FLAGITIVM. FAXIT. CAPITAL. ESTO. Ideo autem *occentare* capitale erat, quia ingens conuicium. Ergo misero Sinoni Græci B alij cantilenam non iucundam canebant. Vlysses enim tam multa sparserat in vulgus, tam nouis criminibus terrebat, impetebátque Sinonem, tam ambiguè loquebatur, vt multi iam putarent, hunc crimen aliquod admisisse, morte expiandum, omninóque sceleratum esse, & conuiciis plenum; quémque visum digito signabant, dicebántque: hic ille sceleratus est, & nefarius, de quo tam multa Vlysses. Poëta autem politissimus verbum *cano* maluit, quod sui æui; quàm *occento* quod prisci. His adiunge *flagitare*, & *occentare* idem esse, quod Scal. doctè monuit, & Poëta hanc cantilenam cum Vlyssis flagitatione coniungit. *(Occentatio, quid.)*

4. ITHACI] Ita sæpe in hoc scelere enarrando pro C Vlysse *Ithacum* à patria nominat, vt possis existimare, hoc præcipuè nomine Vlyssem malè audisse. *(Ithacus.)*

5. COMPOSITO] Præclarè, nam in voce ista inest significatio fraudis, & dolosi alicuius pacti. Liuius lib. 25. *& cùm iam composita omnia ad proditionem essent.* Iterum, cùm narrat, vbi muri Syracusani capti per insidias fuerint, sic ait: *è muro ex composito tuba datum signum erat.* & lib. 1. bis eandem vocem infert in re fraudis. verba sunt: *vnus rem ex composito orditur & transfugit ex composito Gabios.* Fabius declamat. 248. *moras iudiciorum longas nimiùm, & pro nocentibus compositas.* Ammianus lib. 17. *Armeniam composita fraude præreptam.* Est hoc, quod Plato in Apolog. Socratis dixit συντεταγμένως, in re etiam fraudis. Adduco verba huic parti illustrandæ. φιλότιμοι ὄντες, καὶ σφοδροὶ, D καὶ πολλοὶ, καὶ συντεταγμένως, καὶ πιθανῶς λέγοντες περὶ ἐμοῦ ἐμπεπλήκασιν ὑμῶν τὰ ὦτα: *ambitiosi cùm essent, vehementes, multi, ex composito, ac diligenti quodam studio multa in me criminantes impleuerunt aures vestras.* Notabis etiam in Virgilio subaudiendam præpositionem *ex* ex Liuianis exemplis, quæ adduxi, ex Apuleio Apolog. 1. subaudies *de*, nam ille *de composito*. Sic vox similis *compacto*. Nam Afranius *compacto* tantùm dixit. Sed Plaut. Captiu. *de compacto*. Itaq; errant qui in his & simillimis vocibus adiungũt notas aduerbiorũ. *(Compono de fraudib.)* *(De compacto.)*

6. RVMPIT

Rumpere vocem.

6. RVMPIT VOCEM] Græcorum hoc, qui ῥηγνῦναι φωνήν. Vsi Demosthenes, Aristophanes, Gregorius, Plutarchus, quos Budæus coniungit: adde Herodotum, quem Pet. Victor. lib. 10. cap. 8. Demum Aristidem in Rhodiaca, quem. Ego est itaque & Græcis, & Latinis *vocem rumpere*, cùm quis repentè quicquam edit, cùm diu tacuerit. Non audiendus Seru. in loci huius explicatione, quem lapsum flagitiosè Victorius admonet.

7. ET ME DESTINAT ARÆ] Tamquam piaculum, & κάθαρμα. Vtique hominem ἀκάθαρτον, & impurum. Non ingratum erit, si scias verbi *destino* propriam significationem: est enim alligare, & vincire, vtique fortiter tenere aliquem. Indicat istam proprietatem Apuleius lib. 4. *Nobis ante fores loro validò destinatis.* & lib. 6. *lorum, quo fueram destinatus, abrumpo.* Sidonius quoque lib. 1. epist. *captus, destinatúsque peruenit Romam.* Hinc *destinam* pro loro in Antiquis reperies. Inde ergo orta significatio, quæ nunc in vsu apud omnes, & qua egregiè admodum vsus

Destino quid propriè.

Destina, pro loro.

A Virgilius omnium oculatissimus, nam hostiæ & victimæ illigabantur, illigatæque ducebantur ad sacrificium. Itaque non dubium quin locutus fuerit cum respectu ad propriã verbi huius significationem. Hinc videbis, quàm leuiter alij vatis huius verba examinẽt.

8. ASSENSERE OMNES, &c.] Allusum hîc ad eos, quos Latini *Vicarios* in sacris vocant. Turn. & Germ. volunt: sunt hi, qui inuicem deuouentur, vt suo capite luant, quæ aliis impendebant. Quod fit perspicuum ex hoc Deuotionis carmine: *Eósque Vicarios pro me, fide, magistratúque meo, & Populo Rom. exercitibus, legionibúsque nostris do, deuoueo.* Hinc Germ. lucem dat Tacit. lib. 1. Ann. *gaudebat miles cædibus, tamquam semet absolueret:* & ego eidem 3. Hist. *velut absoluerentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant.* Formam deuotionis apud Ægyptios hanc habet Herodotus lib.
B 2. εἴτι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι: *Si quid mali, aut ipsis immolantibus, aut vniuersæ Ægypto futurum sit, id in caput hoc conuertatur.*

Vicarios in sacrificiis.

a Iámque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.
b Eripui (fateor) letho me, & vincula rupi:
Limosóque lacu per noctem obscurus in vlua
Delitui, dum vela darent: si fortè dedissent.
c NEC MIHI iam patriam antiquam spes vlla videndi,
Nec dulces natos, exoptatúmque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia: & culpam hanc miserorum morte piabunt.

ARGVMENTVM.

Adest dies sacrorum, parantur omnia ex ritu, fugit Sinon, & in palude abditur. Mouet commiserationem à patria, patre, liberis, pro se forsitan interficiendis.

EXPLICATIO.

a EST *dies infanda* in exitium meum destinata. *parari*, id est, parabantur mihi sacra ad mactationem. Hæc sacra duo: primum *salsæ fruges*, alterum *vitta circum tempora*, omnia ex more sacrorum.

b Ne puta, Sinonem fuisse iam cinctum vittis, tantùm dixit, eas parari, sicut & molam. Etenim si iam fuisset cinctus vittis, si iam sparsus mola in loco sacrificij, quî probabile illum potuisse fugere? An in eo puncto temporis inueniret fugam? Igitur rupit vincula, quibus ligatus erat in custodia, & seruatus ad carnificinam. Et inde fugit, inuenítque latebras inter vluas paludis, dum Græci vela darent, si aliquando tandem darent. Eodem modo capiendus Calaber lib. 12. qui ait, Sinonem fugisse σπονδάς τ' οὐλοχύτας *libamina, & salsas molas.* Vide verò, vt Sinon faciat fugam suam miserabilem à loco; vbi delituit; & à tempore, quia per noctem, *obscurus per noctem.* esse potest, per obscuram noctem, locutione poëtica, & Virgilio frequentissima, de qua ego iam alibi.

c Confirmata iam fide, affectus excitat, quibus permoueat, iam ab spe, quæ nulla videndi patriam, natos, parentem: iam ab metu, quo timet, fore vt irati Græci sæuiant in liberos, expiéntque illorum morte fugam patris.

NOTÆ.

1. SALSÆ FRVGES] Allusum ad molam, & immolationem, quæ fiebat sale admisto. Fe-
C stus: *immolare est mola, id est, farre molito, & sale hostiam persperſam sacrare.* Præcedebat immolatio mactationem victimæ, immolatáque hostia grata iam Diis & sacra putabatur, inde prodigium ingens, si aliquando immolata victima fugeret, quod Lanuuij accidisse leges. Eiusmodi far *tostum* esse oportuit, in qua re adeo Romani superstitiosi, vt Numa religiosos dies seruari iusserit, in quibus far torreretur in fornacibus; dicebantur ij dies *Fornacalia*, de quibus in Fast. Ouid. ac tum far *purum* censebatur, cùm tostum, quod Plin. scribit lib. 18. cap. 2. Mola non solùm frons victimæ, sed cultri, & foci spargebantur, quod hîc Seruius annotauit. Sed sciendum, Græcorum molam diuersam ab hac esse: illi non contuso, & molito farre vtebantur, sed hordeo integro, inde οὐλὰς vocabant, siue οὐλοχύτας. Morem hunc Suidas cla-
D rè. καὶ τὰς μὲν κριθὰς, μέχρι νῦν οὐλὰς χέουσιν οἱ ἐπιθύοντες ταῖς σπονδαῖς, ὅτι σύμβολον τῆς παλαιᾶς τροφῆς: *Ac hordeum quidem etiam hodie integrum affundunt libationibus sacrificantes, argumentum veteris victus.* Vbi & rationem signat. Dionysius lib. 2. Antiq. Græcũm & Romanum morem apertè discriminat, cùm ait: *Quemadmodùm nos Græci hordeum existimantes omnium frugum antiquissimum, in sacrificijs ab hordeo initium ducimus, vocantes id οὐλὰς: ita Romani existimantes far esse omnium frugum pretiosissimum, & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt.* Apertè alludit ad far molitum. Theophrastus quoque (Turn. admonente lib. 7. Adu. cap. 13.) hordeo non molito in sacris Græcos vsos scribit in memoriam priscæ vitæ, in qua homines nondum molere
E fruges, sed solidis vesci solebant. Verba Theophrasti, quibus caret Turnebus, hunc in modum citat interpres Homeri. ὡς γὰρ φησι Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας, πρὶν ἢ μαθεῖν αἱ ἄνθρωποι ἀλεῖν τὸν δημητριακὸν καρπόν:

Immolare, quid.

Fornacalia.

Mola quæ spargebatur.

Mola Græcorũ diuersa à Romana.

καρπὸν; ἤτω ζαὰς αὐτὰς ἤσθιον, ὅθεν οὔλας αὐτὰς φησιν ὁ ποιητής. Versionem iam tibi attuli ex Turnebo, saltem sententiam. Ex more Græco non Romano videtur capiendus Ouid.15.Met.

Imponiq; suæ videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges.

Roget quispiam, an Maro alluserit ad Græcum, an ad Latinum morem? Ad Latinum allusisse Turn. vult in illo 12. Æneid. *Dant fruges manibus salsas*, de hoc loco nihil, sed id ipsum censere existimandum: ad Græcum Germanus, nam Calaber de eodem hoc sacro Sinonis οὐλοχύτας nominat. Primum ego existimauerim, neque inconuenit, Virgilium commutasse morem Græcũ in Latinum. Id indicant verba ipsius, *salsæ fruges*, quibus innuitur coniunctio frugum, & salis. nam si hordeum integrum, & fruges integræ, quî *salsæ*?

Vittæ in morte.

2. Et circum tempora vittæ] Nimirum puniendis oculi claudebantur: inde vetus illud Romanorum, *caput obnubito*. Hegesippus lib.5.cap.47. *dum percussor moratur, clausis iam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos.* Sed & cùm ducerentur ad mortem, aut carcerem. Tacitus lib. 4. Annal. *trahebatur damnatus quantum obducta veste, & astrictis faucibus niti poterat, clamitans:* Imò & torquendis: Curtius lib. 6. de Philota: *dum obligantur oculi, dum vestis exuitur, Deos patrios, gentium iura inuocabat.* Lipsius hæc pluribus in Not. ad lib. 2. de Cruce. Inde illud Esther.7. *Statim operuerunt faciem eius*, videlicet Amani ducendi ad crucem, quam parauerat Mardochæo. Inde & Tullius pro Rabirio. *Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis, absit non modò à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus.* Ex hoc more velatam Christo faciem, cùm clauis affigeretur, indubitanter autumat Gretserus lib. 1. de Cruce cap.21. Sed hæreo: nam humanitatem hanc non exercerent in Christum impij carnifices, cùm præsertim dicat Ioannes cap.19. visam matrem, & Ioannem à pendente Christo. Si enim initio velata est facies, cur postea ademptum velamen? Ad hæc, qui alias leges violarunt, qui numerum verberum legibus cautum non seruarunt, qui contra ius propriæ crucis baiulum fecerunt, credibile est morem istum transgressos fuisse: cùm præsertim nulla etiam vetus imago Christi visatur velatis oculis.

Marij historia in persona Sinonis.

3. Limosoque lacu] Scribit Seruius, sub persona Sinonis hoc loco historiam Marij attingi à Poëta. Quam Seruij sententiam approbant Germanus, Henr. Stephanus, & Francis. Floridus lib.1.Suc.cap. 10. Historiam ipsam narrant Plutarchus, Velleius lib. 2. Orosius lib.5.ca.19. Valerius Max. Ouid.4.de Pont.

Ille Iugurthino clarus, Cimbroq; triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit,
In cœno iacuit Marius, cannáque palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

Lucanus etiam lib.2.

Exul limosa Marius caput abdidit vlua.

Cùm mens ista Seruij ita sit plausibilis, cur non historiæ aliæ adumbrari à vate potuerunt? De Metio Liuius lib. 1. *Metius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit.* De eodem Fabius Pictor lib. 2. de orig. Italiæ: *Romulus redintegratis viribus, & ipse à fronte cædebat, adeò, vt Metius in paludem sese cum equo armatus inijceret.* De Antonio etiam simile quid narrat Plutarchus in vita Bruti: *Antonium dicunt initio pugnæ hostium congressum euitauisse, atque in paludem sese recepisse.* Demum cur non allusit (hoc credo verius) ad historiam ipsius Augusti? de quo Plinius lib. 7. cap. 45. narrans incommoda, quæ illi, etiamsi felicissimo, acciderunt, ita ait: *Philippensi prælio morbus, fuga, &*

Augusti historia in persona Sinonis.

A *triduo in palude latebræ ægroti.* Atque eo magis credo, hanc fuisse mentem Poëtæ in sui gratiam Principis indigna passi, quo certius est hoc confictum à Virgilio. Calaber enim, Homerus, Tryphiodorus, qui loquuntur de Sinone, nihil tale dicunt. imò Plautus in Bacchidib. expressè ait, latuisse Sinonem in sepulchro Achillis, ita enim ait: *Menesilochus Sinon est. Relictus ille non in busto Achillis, sed in lecto accubat.*

4. Vlva] Inter *algam*, & *vluam* hoc discrimen, quòd illa marina est, hæc lacustris, palustris, fluuialis. Iactatur versiculus: Vlua distincta ab alga.

Alga venit pelago, sed nascitur vlua palude.

Inde hîc signatè *vlua* in sermone paludis, & in 6. *glaucáque exponit in vlua.* De alga iam ego 7. ecl.

5. Vela darent] In 1. *vela dabant læti.* Liuius lib.25. *vela in altum dedit.* Hirtius: *Imprudentes vela in* B *altum dederunt.* Cic. *vela do.* Vela date.

6. Patriam antiqvam] Quæ hæc antiqua patria Sinonis? Seruius *caram* accipit. Reprehenditur à Parrhas. Com. in Claud. qui vult debere Argos accipi oppidum Peloponnesi: quòd videlicet hoc primum Phoroneus Regiam sibi condiderit, vt de quorundam sententia Plin. scribit: deinde, quia Sophoc. in Elect. Argos laudat à vetustate. Verba Sophoclis, quæ Parrhasius non affert, hæc sunt. τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος, ὃ ποθεῖς: *antiquum Argos, quod desideras*: tertiò, quia Pap. lib.3. Theb. scripsit: Argos antiquitas.

Quicquid & Asopum, veteresq; interiacet Argos.

Hæc quamuis vera sint, in hoc tamen loco explicando hæserim libentiùs Turnebo, qui nihil tale agnoscit: sed cùm Sinon se transfugam simulet, qui iam solum mutarit, & patriam velut nouam, nouásque C sedes exilio quæsierit, eum appellare patriam antiquam, patriam pristinam, cuius iam solum verterit, & cuius amiserit ius, qui se in aliam velut dicarit, priore deserta; est enim antiqua patria à qua demigratum vel à colonis, vel exsulibus, vel transfugis. Sic Tyri vrbs antiqua dicitur patria Didûs, Antiqua patria, quæ.

Namq; suam patria antiqua cinis ater habebat,

& in 4.

—& Troia antiqua maneret.

erat enim euersa, & Æneas quærebat alias sedes. De amore erga Patriam, vnde mouentur hi affectus, dictum in Bucol. illis adde verba hæc Tacit. de moribus Germ. *Quis porrò præter periculum horridi, & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu, aspectúque, nisi si patria sit?* Amor erga patriam.

D

7. Nec dvlces natos] Institit Lucretius lib.3.

At iam non domus accipiet te læta, neque vxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.

Et vterque fortasse Homer. Il.5.

Οὐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν
Ἐλθόντ' ἐκ πολέμοιο, καὶ αἰνῆς δηϊοτῆτος:
Neque ipsi ad genua patrem appellant
Reuersum ex bello, & graui pugna.

8. Reposcent] Sic Tacitus.3. Hist. *ad exitium poscebatur.* iterum: *ad supplicium deposcerent.*

9. Et cvlpam hanc miserorvm morte piabvnt] Videtur Poëta respexisse antiqui iuris E Romanorum & Græcorum consuetudinem, quæ obtinuerat, vt liberi ciuium paterna interdum delicta luerent: vt & patres coërcerentur liberorum metu, neque liberi res nouas molirentur exulcerati parentum pœna, alienóque ob id ipsum à patria animo. Monuit hoc Germ. Sed cùm probet re nulla, volui adiungere verba Liuij lib.24 hæc: *Præsidio decedere apud Romanos, capitale esse, & nece liberorum, etiam suorum, eam legem parentes sanxisse.* Filij luebant delicta patrum.

[a] Quod te per superos, & CONSCIA numina veri,
PER SIQVA est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
[b] His lacrymis vitam damus, & miserescimus vltro.
Ipse viro primus manicas, atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus: dictisque ita fatur amicis.
Quisquis es, amissos hinc iamiam obliuiscere Graios:
Noster eris, mihíque hæc edissere vera roganti.
[c] Quò molem hanc immanis equi statuêre? quis auctor,
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?

ARGVMENTVM.

Obtestatur cum lacrymis Priamum per Deos, & Fidem, vt sui misereatur: miseretur Rex cum maximis notis amoris, rogátque quinque quæ reduci ad tria possunt.

EXPLICATIO.

[a] CONVERTENS se ad Priamum excitat maiores affectus. *oro te*, inquit, *per superos, per Numina veri conscia.* est hoc amphibolum, & ex techna impostoris. Non enim explicat, veráne, an falsa dicturus: sed tantùm testatur Numina veritatis conscia. Hæc numina Varro vocat *certos Deos*, quod Seruius notat. Pergit, *oro te per Fidem, si quæ adhuc fides restat* (reliqua est) *mortalibus intemerata.* Quid verò obsecrat, per superos, per Numina, per fidem? *Miserere laborum tantorum, miserere animi ferentis non digna.* Ad hoc vnum tot obtestationes. Quid non consequatur? præsertim, cùm tantùm petat, vt Rex tueatur innocentiam laboribus oppressam? Vide etiam, vt se obiter impurissimus Sinon commendet à laboribus, quos plures passus; ab innocentia, nam indigna patitur.

[b] Videtur mihi Poëta voluisse significare, quanta sit vis eloquentiæ, eius præcipuè partis, quæ consistit in affectibus mouendis. Nã post lacrymas Sinonis, qui Græcus, ac perinde hostis, quatuor sequuntur digna, quæ consideres. Vita datur his lacrymis; Priamus iubet vincla adimi; Græcum hominem facit suum ciuem; cum eo loquitur, vt cum noto amico, & ab eo doceri vult technas Græcorum. In quibus semper fauor crescit, & gratia. Magnum enim est vita; maius, si hæc vita detur homini posito in vinculis ad mortem: maius adhuc, si huic vitæ addatur gratia ciuitatis; demum maius, si cum vita, & cum ciuitate accedat gratia; & amicitia Principis. Itaque inter has lacrymas euanescunt infinita propè argumenta, quæ Priamum, & Troianos debuissent reuocare à Græco homine. Itaque non placent, qui dicunt, notari leuitatem, & imprudentiam Troianorum, qui facilè Græco homini crediderint. imò notatur eloquentiæ vis, ad eum modum, quo explicui.

[c] Quinque rogat, quæ ad tria possunt reduci. Causam, personam, rem. quæ tria in causis coniecturalibus argumentandi occasionem præbent. Causam, cùm ait, *quo molem*, &c. personam, *quis auctor?* rem, *quæ machina belli*, illa, *quidve petunt? quæ relligio?* ad causam refert Nascimb. mallem prius ad causam, posterius ad rem.

NOTÆ.

Quod, redundat.

QVOD] Vult Turnebus redundare hanc particulam, vt Græcis sæpe ὅτι. Asconius, quod, A pro, quocirca. Ita in 6. *Quod te per cæli*, &c. Hoc iam alij.

Per fidem, genus iuramenti.

2. PER SIQVA EST, &c.] Forma hæc iuramenti frequens. Petron. Satyrico: *Per Fidem, inquam, pater cuius hæc nauis est, aut quos vehat, dicere potes?* idem *per Fidem miserere quemadmodum soles. Apul. 2. de Asin. per Fidem vestram Quirites, per pietatem publicam, perempto ciui subsistite.*

Hellenica constructio.

3. INTEMERATA FIDES] Hellenicus sermo Poëtæ familiaris. Sic 6. Æn.

—per sidera iuro,
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,

in 10.

Vnum hoc, per siqua est victis venia hostibus, oro,
Corpus humo patiare tegi. in 12.
Turne, per has ego te lacrymas, per siquis Amatæ
B *Tangit honos.*

Structio Latina debuisset esse, *per. siqua est, fidem.* Sanè Græci frequentissimè casum annectunt casui, & casus prior posteriorem trahit, vt si dicas: δέομαί σου τοῦ φίλου, ὡς εἰς βοήθειαν προθυμοτάτου γενέσθαι. vbi προθυμοτάτου trahitur à casu φίλου. exempla suppetunt. Sic etiam Latini. Horat.

—Mediocribus esse Poëtis
Non homines, non Dij, non concessere columnæ.

Latinus sermo esse debuisset, *Dij non concessere Poëtis esse mediocres.* Ergo cùm in Virgilio præcedat *siqua* in recto, trahit vocem aliam ad se. Hoc magis placet, quàm anomaliam quandam in Poëta fingere. imo hoc falsum omnino, illud meum verum. Alibi hoc C latiùs, aduocatis vberioribus Poëtæ exemplis.

Lacrymarũ vis.

4. HIS LACRYMIS VITAM DAMVS] Verè scripsit Tacit. 4. Ann. *Sunt molles in calamitate mortalium animi.* & Virg. in extremo:

Et iam iamq; magis cunctantem flectere sermo
Cœperat.

Placitum hîc lectorem meum admonere, videri mihi Liuium lib. 39. instituisse huic narrationi Sinonianæ, vbi Hispala genere libertina aperit coniurationem Consuli. Hanc rem historia ipsa aperiet, & obiter Liuius comparabitur cum Virgilio. Perturbatur Sinon, vt primùm conspicit Phrygia agmina: Hispala *postea quam lictores in vestibulo, turbamq; consularem, & Consulem ipsum conspexit prope exanimata est.* Ad gemitum Sinonis hostiles animi comprimuntur, & hortantur fari: Consul libertinam monet, ne perturD betur, cuncta aperiat, fidem à se accipiat. Confirmatus Sinon ait, se cuncta dicturum, & de genere, alijsque confitetur: ita quoque Hispala confirmata confitetur se initiatam sacris illis abominandi flagitij, quæ à Consule indagabantur. Pro tota narratione Sinonis est narratio Hispalæ aperientis sacra illa Bacchica. Sinon sæpe narrationem suam interrumpit cum lacrymis

crymis supplicium non deprecans:similiter Hispala, A nam de illa semel,*tantus pauor,tremorq; omnium membrorum mulierem cepit,vt diu hiscere non posset.* Iterum: *ad pedes Sulpitiæ procidit, & eam orare cœpit*, &c. Iterum:*aduoluta rursus genibus,preces easdem*,&c. Demum ad lacrymas Sinonis omnes commouentur,Rex etiã ipse: sic Hispalam *Sulpitia attollere pauentem,simul illam adhortari*,&c. Hanc comparationem magni scriptoris cum magno Poëta possis facere quouis in loco huius Sinonianæ narrationis , mihi placuit in medio.

5. IPSE] Ἐμφατικῶς , non alius. Vide eloquentiæ vim.Sententiam Virgilij,ita reddit Lucanus lib.2.

—astrictis laxari vincula palmis
Imperat.

Arto antiquis,non arcto.

6. ARCTA] Veteres *arto*,*artas* dixisse,non *arcto*,ex Plauto,Vlpiano, & S.Ambr. Mercerius notat Com. in Tertul.de Pall.

7. DICTISQVE ITA FATVR AMICIS] Reddit Calabrum , qui de eadem re μύθοις μειλιχίοις εἴροντο: *mellitis verbis rogabant.* Disce Græcos vertere.Ista verò Priami ad Sinonem vltro citróque habita verba in memoriam reuocant consimilem sermonem Cyri ad Crœsum captum , quem latè persequitur Herodotus lib.1.

Quisquis es.

8. QVISQVIS ES] Sic ignotos compellabant.inde in 6.

Quisquis es armatus, qui nostra ad flumina tendis.

Ouid.2.Met.

Hunc timuit,blandaq; manu seduxit,& illi,
Quisquis es hospes,ait.

& lib.12.

Quisquis es ô iuuenis,dixit,solamen habeto.

Adi Brisson.lib.8.Form.Scribit Seru.verba hæc *Quisquis es noster eris*, esse & hîc,&apud Liuium,Imperatoris transfugam in fidem recipientis. Dignum est scias πάρεργον. has voces, *quis*,*quisquam*,*quisquis*.& similes promiscuè pertinere ad marem, & fœminam. Ennius:

Quis generis etiã fœminei.

Quisquis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine.

Terentius Eunuch.

Hunc oculis nostrarum quisquam non vidit.

Liuius Androm.

Mulier,quisquis es,te volumus. Ennius:
Et quisquis illic est,quæ lugubri accincta est stola?

Vtuntur his Cæl. Calcagninus de verborum & Rerum significatione , & Delrius in Oët. Sen. id ipsum notarunt Cæpola, Alciatus,Brechæus.

9. HINC IAM OBLIVISCERE GRAIOS] Hoc puncto temporis in fidem suam recipit Priamus, facítque ciuem suum , Graiósque obliuiscatur iuber. Etenim si multum est à Principe laudari;quid iuuari: *Non blandiri dignatur animus dominij potestate munitus.* Cassiodor. 1. Var. epist. 13. inde iam quæ sequuntur omnia amoris argumenta sunt.

10. NOSTER ERIS] Familiaris est locutio : obseruauit Lip.4.Ant.Lect.cap.20.Plaut. Truc. *Tanto melior, noster esto,sed de tuo viuito.*& Bacchid. B Noster eris, quid.

—Puero sic dicit pater,
Noster esto,dum te poteris defensare iniuria.

& Mil.*Heus noster esto.* Sic corrigendus locus.His Lipsianis adde Tryphiodorum , apud quem Priamus eũdem Sinonem sic compellat,ἡμέτερος φίλος ἔσσεαι: *Amicus noster esto.*& Aristophanem , qui in irena pari forma.

Οὐ γὰρ ἡμέτερος ἔτ' ἐς ἐκεῖνος ἀνὴρ, ἀλλὰ σός:
Nam neque ille noster est nunc amplius,verùm tuus.

Etiam si hoc de familiaritate verum sit,tamen puto meliùs posse locum hunc explicari, vt loquatur cum discrimine ad Græcos.In Tullio pro leg.Manilia obseruaui, *nos*, & *nostros* opponi exteris nationibus , & C gentibus. Id ipsum in Demosthene , qui ἡμεῖς pro Græcis accipit cum oppositione ad barbaros. Ergo *noster eris*,erit.Transibis iam in iura & domicilia Troianorum,& desines esse Græcus.

11. EDISSERE]Est hîc *edissere*,ordine cuncta narra, vnde & qui planè loquuntur , dissertores dicuntur Seruio. Homer. ἀλλ' ἄγε,τόδε μοι εἰπὲ & Tryphiod. Dissertores.

Ἀλλ' ἄγε καὶ σύ μοι εἰπὲ, τίποι τόδε θαῦμα τέτυκται;
Age tu mihi dic,quò facta hæc fabrica?

Priami sunt ad Sinonem. Aristophanes in Lysistrat. ita σὺ δέ μοι λέγε.'& infra in eadem comœd. σὺ τἀληθῆ λέγε:*mihi vera edissere*.In Pluto, φράζε μοι.ibidem, εἰπέ μοι. Arnob.lib.1.*edisserta te.*

[a] Dixerat:ille DOLIS instructus, & arte Pelasga
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.
[b] Vos æterni ignes, ET NON violabile vestrum
Testor numen,ait:vos aræ,ensésque nefandi,
Quos fugi;vittæq; Deûm,quas hostia gessi:
[c] Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura:
Fas odisse viros,atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt:teneor patriæ nec legibus vllis.
[d] Tu modò promissis maneas, SERVATAQVE serues
Troia fidem;si vera feram, si magna rependam.

ARGVMENTVM.

Accingit se Sinon ad extremam narrationem , qua debeat Troianis imponere,séque abdicat Græcorum iure , sacramenta illorum proditurus.

EXPLICATIO.

a LIBER iam Sinon vinculis,manus ad cœlum tollit,vt erat vaferrimus.

b Conuertit se ad sidera,quæ vocat,æternos ignes, D numen non violabile: ad aras , & enses Græcorum, quos iam fugit:ad vittas,quas gessit immolandus.Sed quî gessit vittas Sinon , cùm ex vinculis profugerit, vt suprà iam explicui ? Confugio hîc ad tectorium Seruij sic explicantis : *Gessi,penè gessi:non enim verè gesserat,sed quantùm ad Græcos pertineret.*

c Quid verò petit ? Audiuerat Sinon ab Priamo, *Noster eris.* Ergo , qui iam non Græcus putatur, sed Troianus,abiurat sacris Græcorum,concedit in sacra Troianorum. Ideo vult resoluere iura pristina , suos odisse,manifestare omnia.

d Obligar

[a] Obligat se, & vera dicere, & parem salutis gratiam rependere, dummodo Troia seruet fidem sibi, quando ipse illam seruat veritatem aperiens. Ducit sermonem Poëta à trutinantibus.

NOTÆ.

1. DOLIS INSTRVCTVS, ET ARTE PELASGA] in verbo *instructus* nota vafritiem non vulgarem, quasi dolus ars esset, & publica disciplina; vtque alij mortalium scientias alias, ipsi fraudes addiscerent. Augustinus lib. 3. contra Academ. cap. 14. prouerbialiter accepit: *ô vtinam vincatur, nunquam efficiet, quamuis arte Pelasga, vt simul à me victus, victórque discedat.* Silius lib. 4. non absque sapore prouerbij:

Græca ars, adag.

Calliditas Graia, atque astus pollentior armis.

Inde verba *Græcari, pergræcari, congræcari*, non solùm de laxo vitæ genere, sed etiam de fraudibus.

2. SVSTVLIT EXVTAS] Ex more hoc dictum, quo cùm precabantur, manus ad cælum tendebant. sic libr. 9.

Precantes tendũt manus ad cælũ.

Agnouit iuuenis, duplicésq; ad sidera palmas
Sustulit— lib. 10.
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit,

ibid. & *ambas* *Ad cœlum tendit palmas.* lib. 12. *tendit ad sidera dextram.* Horat.

Cœlo supinas si tuleris manus.

Aristoteles de mundo. πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι: *omnes homines ad cœlum manus tollimus preces facturi.* Xenop. 6. Pæd. τὰς χεῖρας ἀνατείνειν πρὸς τὸν οὐρανόν.

3. ÆTERNI IGNES] Libentiùs hîc sidera accipio, quàm ignes ararum: hæc vocat ignes æternos, & Numen inuiolabile. atque adeò initium testationis à cœlo capit, & sideribus, ad quæ manus tetendit. Alij ignem Vestæ capiunt. Parrhasius *Penates*. nam Sinon simulat vereri se offensam Penatum, si credat hostibus secreta patriæ, cuius cura credita est Deis Penatibus. Notanda verò testationis huius grauitas, vt vel ex magnitudine inuocationis rem magni ponderis se dicturum indicet, & quæ cedat in maximam Troianorum vtilitatem. Conuenit autem Sinonis factum cum Risacis, qui eodem iuramento Darium decipit in Sacas expeditionem facientem, vt est apud Polyænum lib. 7.

4. ENSESQVE NEFANDI] Cum stomacho mauult pluralem numerum, vt Terent.

Non perpeti meretricum contumelias.

Seruius ita.

Vittę in ministerio sacrorum.

5. VITTÆQVE DEVM] Vittæ in ministerio Deo-

A rum, templorum, altarium. Primum firmat hic locus, & Iuuenal. Satyr. 6. *Cereris vittas contingere.* alterum Stat. 4. Sylu.

Pande fores superûm, vittatáque templa.

tertium Virgil. —*Molli cinge hac altaria vitta.* de aliis vsibus alibi. Sed hîc nescio qua lubentia fer or, vt vittæ non dicantur Deûm, sed ante Deûm sit interpunctio, hac sententia; *testor vos vittæ, quas gessi Deûm hostia.* aperit hoc Seru. Pet. Dan. in Variis lect. ad hunc librum. Ab hoc non abest Lucretianum illud, de Iphigenia iam immolanda:

Cui simul infula Virgineos circumdata comptus
Ex vtráque pari malarum parte profusa est.

6. SACRATA RESOLVERE IVRA] Turn. 6. Adu. cap. 21. *ius sacratum* accipit, quo Sinon tenebatur sacramenti militaris religione. & aduocat versus, quibus vsus in Vlyssem Aiax, habentúrque 3. off. Cic.

B

Cuiusq; princeps iusiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem:
Furere adsimulauit, ne coiret instituit.
Quòd ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepsit malitiosam audaciam,
Fide sacratum ius perpetuò falleret.

Non abit mens Seruij, qui cùm tria militum genera constituat, *euocatorum, tumultuariorum*, tertio loco eos assignat, qui *sacramento rogati* essent, &, *qui post electionem in Remp. iurant.* déque his extremis capiendum hunc locum. In manuscripto Seruio ita habetur: *Miles sacramentorum legibus rogabatur, vt exiens ad* C *bellum, iuraret se nihil contra Remp. facturum.* Ad hanc formam allusit Seneca ep. 37. *Sacramento rogatus es,* &c. Malè in nonnullis, *ligatus*.

Milites euocati, Tumultuarij, Rogati.

7. FERRE SVB AVRAS] Sophocles Elect. ἀναπλύξαι πρὸς φῶς.

8. TENEOR PATRIÆ NEC LEGIBVS VLLIS] Censet se iam ciuem Troianum, non Græcum, ad illud Priami respiciens, *Noster eris.* Ergo, nullis iam Græcorum legibus tenetur. Huc pertinent verba Seru. Dan. in Var. Lect. *consuetudo apud Antiquos fuit, vt qui in familiam, vel gentem transiret, priùs se abdicaret ab ea, in qua fuerat, & sic ab alia reciperetur.* Fabius in Declamat. dixit, *ignoscat patria, ignoscant leges minores sacramento.*

Transire in familiam.

9. SERVATAQVE SERVES] Respectum ad illud D Tragici vult Germ. σωθεὶς σῶζον: *seruatus serua.* Non abit à Virgilio illud Propertij lib. 1. eleg. 18.

Si modò sola queant saxa tenere fidem.

Sic. 12. Æn. *ensis perfidus.* Datur itaque fides, aut infidelitas rebus inanimis. Ab Nostro Sen. ep. 92. *in quolibet rerum habitu seruata seruat.*

[a] Omnis spes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit: impius ex quo
Tydides, sed enim scelerúmque inuentor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibúsque cruentis
Virgineas ausi Diuæ contingere vittas:
[b] Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm: fractæ vires, auersa Deæ mens.
[c] Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum Castris simulacrum: arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis: salsúsque per artus

Sudor iit: térque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmámque ferens, hastámque trementem.

ARGVMENTVM.

Ait, Græcos, spem omnem posuisse in Pallade, quæ tamen per summum sacrilegium à Diomede & Vlysse ex templo Troiæ ablata, & perducta ad Græcorum castra, irarum signa manifestissima edidit, auerso iam à Græcis animo.

EXPLICATIO.

a OMNIA, quæ hîc Sinon ait, vera sunt; quo faciliùs deinde pertrahat quò vult, ficto mendacio. Verè enim fauit Græcis Minerua, verè Diomedes, & Vlysses subripuêre Palladium, quod seruabatur in Troia, &, quo ibi permanente, putabant Troiani fatalem sibi semper salutem fore. Vide verò vti in narrando facto Diomedis & Vlyssis omnia sint plena magnorum criminum: adfert quippe Poëta voces quæsitas ad rem exaggerandam. *Aggressi*, in quo est confidentia: *ausi* in quo audacia; *contingere*, in quo sacrilegium: *manibus cruentis*, in quo scelus: *cæsis custodibus*, in quo homicidium: *vittas virgineas*, in quo temeritas, (hoc mox explicabo:) *templo sacrato*, in quo nefas: *auellere*, quo innuitur id factũ inuito numine. Ab his tot criminibus præclarè Diomedes dicitur *impius*, &, Vlysses *inuentor scelerum*. In vocula *sed enim*, hysterologiam agnoscit Seruius: Tu sic ordina: *Sed enim ex quo Tydides*, &c.

b *Ex quo* tempore ausi id facinus Diomedes, atque Vlysses, *ex illo* cœpit *fluere spes Danaûm ac sublapsa referri retro*, id est, cœpit sublabi, ac perinde referri. Demũ ex illo tempore *fractæ* Græcorum *vires* ad bella, &, quod dirius omnibus, *mens Deæ auersa* esse cœpit.

c Manifestauit iras suas Pallas, vt primùm auulsa ab arce vestra posita est in nostris castris. Sed quæ indicia irarum Palladis, mentísque auersæ? quatuor. Videlicet *ardor oculorum, sudor salsus, erectio statuæ, concussio armorum*. Nec hæc simplicia, nam ardor flammarum extitit *ex arrectis luminibus*, id est, intentis, coruscantibus ad minas: sudor effusus est toto corpore, hoc enim satis indicatur, cùm ait, *per artus*: erectio cum emicatione, saltúque in solum: concussio cum tremore parmæ, & hastæ.

NOTÆ.

Vlysseum cõmentum.

1. SCELERVMQVE INVENTOR VLYSSES] Allusum ad paræmiam, *Vlysseum commentum*, quod de callido & vafro homine dictum, Ὀδυσσεία μηχανή. Inde ab Homero iam πολυμήχανος dicitur, iam δολόμητις à machinamentis, & dolis inueniendis: & à Lycophrone λαμπουρίς, διὰ τὸ πανοῦργον εἶ, quòd scelerum architectus, ab Nostro in. 6. *Hortator scelerum*. Obseruata hæc aliis. Tu lege Iunium cent. 1. adag. 14.

Palladium neque educi, neque conspici poterat.

2. SACRATO AVELLERE TEMPLO] Mirificè confingit Sinon Græcorũ spem iam tum ab hoc facinore vacillasse, nam quamuis aliorum Deorũ simulacra è templis educerentur, & thensis aut pilentis transueherentur per vrbes, sicuti in Dea Pessinuntia, aliisque notum est; hoc Palladis simulacrum è religione veterum educi nunquam è templis poterat, sed neque ab vllo mortalium videri. Sic Herodianus libr. 1. cùm commemoret plurima ædificia Romæ conflagrasse: Vnum ait fuisse Vestæ tẽplum, sic, vt Palladium conspiceretur, quod in primis colebant Romani, habebántque in arcano, additque

A tum primùm id simulacrum conspectum ab hominibus fuisse, postquam Troia auectum est, ac locatum in Italia. De hoc simulacro Palladis quamdiu fuit Troiæ, Plutarchus in Paral. οὐ γὰρ ἐξὸν ὑπὸ ἀνδρὸς βλέπεσθαι: *Videri à viro nefas fuit.* Lucan. lib. 9.

—& quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nulliq; aspecta virorum
Pallas in abstruso pignus memorabile templo
Gentis Iuleæ.

Ergo respectum à Virgilio est, non solùm ad relligionem, qua hoc simulacrũ in Troia seruabatur, sed qua etiam in Italia. Cedrenus ait, fuisse imaginem quamdam Palladis nefandis dæmonũ ritibus consecratam, ea vanitate, vt crederent, vrbem, in qua esset, B inexpugnabilem fore. Palladium hoc Æneas (alij Nautem volunt) à Diomede deinde recuperauit: seruatum Lanuuij, inde Albæ, mox Romam translatum, & seruatum in templo Vestæ, vt pignus imperij, sicuti Troianis fuerat. Narrat tamen Appianus in Mithridat. euerso Ilio à Fimbria Romano duce, temporibus Syllanis, repertum simulacrũ Palladis, quod missum è cælo fuerat, illæsum sub ruinis. Id si esset verum, nequaquam à Diomede, aut Vlysse, aut Ænea sublatum est Palladium. sed esse id verum, idem quoque Appianus dubitat. scribunt Arnob. lib. 4. aduers. Gen. & Clemens in Protrep. Palladium confectum fuisse ex ossibus, & reliquijs Pelopis, quod venditum est Troianis à Scythis asseuerantibus, vrbem illam fore inexpugnabilem, in quo illud seruaretur. Alij sic C fabulantur: Chrysen Pallantis filiam cùm Dardano nuberet, munera Mineruæ dono accepta in dotem illi dedisse, duas Deæ effigies, & sacra Magnorum Deûm. Postea Dardanũ cùm vix è diluuio effugisset, in Samothraciâ consedisse: mox deductâ in Asiam coloniâ effigies illas secum detulisse; ibi redditum consulenti oraculum. εἰς πόλιν ἣν, &c. Latina adducam.

Palladij historia.

Fata dabunt vrbem, poteris qua condere sacra,
Cælicolásque illic festis colere atque choreis.
Munera námque Deæ seruabis in arce reposta
Palladis. hæc quondam cœpit tua regia coniux,
Seruatura tuam duris procul omnibus vrbem.

D Ita illas Dardanum effigies in vrbe sui nominis Dardaniâ reposuisse, ibi asseruatas, donec Ilium habitari cœpit: eò transtulisse Reges, & in templo, quod cum adyto in arce construxerant, posuisse. Tandem Troiano bello, Græcos vnum noctu subripuisse, quod Diomedes secum in Italiam detulerit; quo etiam Æneas alterum cum Magnorum Deorum simulacris deportarit; cuius custodia Romæ penes Vestales & Nautiam familiam fuit. Collecta hæc ex Dionys. Hal. lib. 1. Antiq. Simile quiddam de Messeniis scribit Pausan. lib. 4. Qui operta quædam sacra habuerunt hac religione, vt si inde abolerentur, Messenam occasuram in posterum nuntiabatur; sin conseruata fuissent, rediuiuum imperium ex ipsis ruinis eruptu-E rum. Quin numina omnia tutelaria tandiu conseruare vrbes suas putabantur, quandiu ipsa in illis fuissent. Inde fuga Deorum celebris apud scriptores, & Poëtas in excidiis vrbium, quod iam in Georg. notaui, & dicam in hoc libro ad illud, *Excesßere omnes, &c.*

Tutelaria numina.

3. SVMMÆ CVSTODIBVS ARCIS] Ex more, quo templa olim in arcibus, & summis locis, quem alibi explico. Totus hic fortasse locus respicit Ennium, qui. 7. Ann.

Qua

Quà Galli furtim noctu summa arcis adorti
Mœnia, concubia, vegilésque repente cruentat.

Nota etiam dari Mineruæ arcem. Cur hæc pars vrbium sacra sit huic Deæ, ita aperit Aristides in oratione ad hanc Deam. τὰς δ' ἀκροπόλεις ἐξεῖλον αὐτῇ δικαίως. ἅμα μὲν σύμβολον τῆς γενέσεως, ἅμα δ' ὥσπερ τοῖς βασιλεῦσι, καὶ ἡγεμόσι τεμένη, καὶ χώρας ἐξαιροῦσιν, οὕτω τῇ τοῦ παντὸς ἡγουμένῃ θεῷ τὰ ἐπικαιρότατα ἐξεῖλον: *Arces ipsi meritò consecrarunt, partim in argumentum ortus; partim quòd sicut regibus, & principibus loca certa, definitáque excipi solent, sic illi, quæ vniuerso præerat, munitissima quæque dedicare voluerunt.*

Mineruæ cur sacræ arces.

4. SACRAM EFFIGIEM] ἄγαλμα διοπετὲς (ait Germ.) nam Seruius interpretatur *cælo lapsam.*

5. VIRGINEAS AVSI &c.] Retuli in explicatione ad temeritatem. Nam Val. Flac. 6. Arg. Medeam vocat, non solùm, *opibus Magicis*, sed & *virginitate tremendam.* fuit enim olim virginitas in summa religione. Non abit ab hoc facinore, illud Sigismundi apud Tacit. 1. Ann. *sed iuuenis conscientia arctabatur. quippe anno quo Germania desciuere, sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas.* Vide in quo honore vittæ sacræ. Non verò otiosè dictum est *virgineas vittas.* ad earum discrimen, quæ sunt matronales, alio enim cultu capitis nuptæ matronæ, quàm virgines, vtebantur. argumento est illud Propertianum eleg. 12. lib. 4.

Virginitas in religione ethnicis.

Vittæ in re sacra.

Vittæ duplices.

Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Inde Valer. Flac. lib. 8.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

C Agit porro de Medea, quæ mox erat nuptura. Adducit hoc Turneb. lib. 23. cap. 5. Cum virginitate Palladis facit, Deam hanc apud veteres sub παρθένου, id est, virginis nomine cultam fuisse summa religione in Acropoli Athenarum, vbi templum illi fuit, dictum ob eandem rem Parthenon. Mineruæ Virginis meminit etiam Propertius hoc versu lib. 2. eleg. 2.

Mercurio Sais fertur Bœbeidos vndis
Virgineum primò composuisse latus.

Sais.

Sais enim Minerua est, explicatore Gyraldo. 11. Syntag. sic dicta quòd in ciuitate quapiam Ægypti huius nominis culta fuerit, ad quam rem aduocat ille Strabonem, & Herodotum. Sed de versus Propertiani explicatione lectionéque lege Ioann. Passerat. qui multò aliter quàm Lilius, & Beroaldus.

6. EX ILLO] Aut facto, aut tempore. Homer. ἐξ οὗ Il. 1. vt ἐξ οὗ, ex quo. ἐκ enim Græcis, & ex Latinis tempus significat, de qua re vide obseruationem Achillis Statij cap 20. Obseru.

7. FLVERE.] Genus hoc metaphoræ Latini à Græcis sumunt: habet enim ῥέω apud illos hanc significationem, qua aliquid fluxum, & fragile dicimus. Sic Bud. illud Philonis, θρυπτόμενοι καὶ ῥέοντες, vertit: *fragiles, & fluxi*, & ἀπορρέουσαν, Theophrasti *fluxam, & caducam.* Eurip. in Supp. ἄνω ῥεῖν, pro infortunio posuit. Verba Euripidis sunt.

Fluo cui vsui.

—ἄνω γὰρ ἂν ῥέοι τὰ πράγματα.

sursum res fluerent.

E Ab re alia ducit sermonem Aristides ad consimilem sententiam, cùm in Panathenaica ait, πάντα, ὥσπερ κάλω ῥαγέντος, ἐξώσθη εἰς τοὐπίσω: *omnia quasi rupto fune, retro cesserunt.* Sed adduco verba Nazianzeni orat. 2. contra Iulianum, nam explicant vnde locutio ista sumatur. ἐντεῦθεν δὲ ἤδη ὥσπερ ψάμμου ποδῶν ὑποσπασθείσης, ἢ νηὶ ζάλης ἀπτεπεσούσης, εἰς τοὐπίσω χωρεῖ τὰ πράγματα: *Inde iam velut arena pedibus subtracta, aut tempestate in nauem allisa, res illi retro fluunt.* Appianus lib. 20. ἐμφυλ. dixit, ἀνεχώρει εἰς τοὐπίσω.

Referri retro.

8. RETRO REFERRI] Phrasis hæc est Varr. 2. A Rei Rust. capit. 4. loquentis de sue: *Deinde it retro, quoad perueniat ad lanium.* Calpurnius Declamat. 8. flexu isto, *felicitas redit.* Maroniana videtur sumpta à militibus, qui cedunt retro, & pedem referunt.

9. FRACTÆ VIRES] Phrasis Poëtica. Sic apud Papin. lib. 4. *fracta, impulsáque fatis consilia*, & statim, *fractas iras*, & apud Horat. *fractam rem ad Ianum.*

10. AVERSA DEÆ MENS] De eadem in. 1.

Diua solo fixos oculos auersa tenebat.

Homer. Il. 10. Διὸς ἐτράπετο φρήν: *auersa erat mens Iouis.* Silius lib. 2. *auersa mente*, ex correctione Modij. In vulgatis, *aduersa.*

B 11. TRITONIA.] Vnde Pallas dicta Tritonia, variè proditur. Credibile à Tritone maris monstro: nam Anton. Aug. Dialog. 5. Icon. vidisse se ait multos nummos Palladis, in quibus esset vna cum Pallade effictus Triton, aliàs etiam Pistrix: autumátque hos nummos excudi solitos in vrbibus maritimis in honorem Deæ, nam hæ bestiæ marinæ sunt. Alij volunt, à voce vetere Græcorum, apud quos τρίτη, vt dicunt antiqui eorum Grammatici, est caput: scimus autē hanc Deam natam fuisse ex Iouis capite. Alii à palude, siue flumine, huius nominis in Libya; in his est, Mela, Lucanus, Isacius in Lycophonem, atque Æschylus. Pausanias in Boeot. ex nonnullorum opinione scribit illam paludem, à qua hoc nomen accepit Pallas, in Bœotica fuisse, non in Libya. Alij rursum à ternario numero qui Grçcis est τρίτος, hoc nomen deriuant. Vel quòd genita fuerit tertio die mēsis, vel quòd tertia nata sit ex Ioue, post Apollinem & Dianam. Alij demum à verbo τρεῖν, id est, timere, quòd hostibus timorem terroremque iniiciat. in his sunt Seruius & Hesychius, & Apollonij interpres lib. 4. qui ait, ἢ ἀπὸ τοῦ τρεῖν, ἤγουν τὸ φοβεῖσθαι. Adi Lilium, Pausf. in Bœot. Diodorum.

Tritonia cur dicta Pallas.

12. SIMVLACRVM] Ad hunc locum vtilis nota Seruij recèns editi: *Simulacrum inter consecratas res, idest, ædes areas, etiam simulacra accipiunt, quod in Bucolicis scriptum est. Hic ergo ipso nomine simulacri, consecrationem eius ostendit. quis enim ignorat Palladium simulacrum Mineruæ esse?*

Simulacrū.

D 13. ARSERE CORVSCÆ] Credi potest Poëta allusisse ad glaucos Mineruæ oculos. Sophocles in Aiace dixit ὀμμάτων ἀποστρόφους αὐγάς: *radios auersos oculorum.* De ipsa Pallade Artemidor. lib. 20. cap. 49. γοργὸν ἐμβλέπουσα, significans oculos acres. Possit, qui velit, referre ad veras flammas, quæ emicuerint ex oculis Palladis prodigiosæ. Nam simile quiddam apud Herodotum lib. 6. apud quem Cleomeni sacrificanti in templo Iunonis, flammæ subito ex pectoribus simulacri effulserunt. ἐκ τοῦ ἀγάλματος τῶν στηθέων φλόγα πυρὸς ἐκλάμψαι. His enim dæmonis a[...]bus decipiebantur gentiles.

Mineruæ acres oculi.

Flammæ ex oculis simulacrorum.

14. SALSVS] Sudor, & lacrymæ salsæ sunt, & reliquus item humani corporis liquor. Lucret.

& lacrymis salsis humectant ora genásq;

Accius in Phœniss.

salsis cruorem guttis lacrymarum lauit.

Ennius. 1. Ann. *lacrymas effundere salsas.* & in Cresphonte apud Macrobium, *salsum sanguinem.* integra alibi adduco. De sudore signatè Arist. lib. 2. Meteor. καὶ γὰρ ὁ ἱδρὼς ἁλμυρός: *sudor salsus est.* Idem scribit Galenus. 10. de simplic. medicamentorum facultatibus. & Theophrastus in libello de sudoribus, in Excerptis, quæ edidit H. Stephanus, vbi, ἁλμυρὸς ἱδρώς. Cur autem id accidat, quærit ibi Theophrast. & Aristoteles in Problem. sect. 2. Quæst. 3. Ceterùm Calaber lib. 12. de sudore & Pallade tacet, & in communi Diis lacrymas

Sudor salsus.

lacrymas dat, narrans prodigia, quæ præcesserunt equi vectationem, θεῶν δ' ἐξέῤῥει δάκρυ. His quidem præstigiis dæmones gentes vexabant, quæ deceptæ vertebant in religionem res naturales. Etenim statuis marmoreis atque æreis guttæ solent adhærescere ex tepore aëris, quæ præbent speciem sudoris. Quæ porrò calamitates sequantur sudorem Deorum, alibi à me dictum. Notandus nunc locus Philostrati in Heroicis, vbi ab simulacris Heroûm apparentibus, ait, innui ariditatem, si appareant inspersi puluere; imbres, si cum sudore; morbos, si cum sanguine. Non ponimus in numero fabularum, quæ scribit Glaber Rodulphus lib. 2. Hist. cap. 4. vbi loquens de imagine Christi crucifixi, ita pergit, *à cuius imaginis oculis per aliquot dierum spacium continuè multis cernentibus riuus emanauit lacrymarum. ad quod nimirum terribile spectaculum inspiciendum multitudo maxima conuenit hominum.* Mox addit lacrymis illis fuisse quoddam diuinitatis præsagium, videlicet calamitatis illius, quæ esset superuentura vrbi Aurelianensi, vbi prodigium accidit. Sed hoc, aut simile prodigium solens iam in Annalibus Christianorum. Imago Crucifixi sudauit horas quatuor in oppido Berburgensi, quod scribit Alanus Copus dialog. 4. cap. 9. Nota sunt, quæ de cruore sudante ex cruce S. Thomæ in India Maffæius lib. 2. & alij scribunt. qui sudor quia copiosus causis naturalibus adscribi nullo modo potest.

15. Emicuit] Præclarè locum hunc interpretatur Germ. neque enim hîc aliquid de fulgore accipiendum: tantùm dicit, simulacrum constitisse velut in

A pedes arrectum, & nouo motu excitatum, quod prodigiosum esse docebat disciplina augurum: ergo cōstitisse simulacrum erectum in pedes, magnum fuit prodigium, & contra situm simulacrorum Palladis, positurámque receptissimam, scribente Eustathio in illud Il. 6.

Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο.

Statuas Palladis sedentes semper exhibitas fuisse, Eustathij verba sunt, κάθηνται ἡ Ἀθηνᾶς ξόανα καὶ ἐν Φωκαίᾳ, καὶ Μασσαλίᾳ, καὶ Ῥώμῃ, καὶ Χίῳ: *sedent simulacra Palladis in Phocæa, Massalia, Roma, Chio.* Palladis simulacrum semper sedens.

16. Parmamque ferens, &c.] Clypeum & hastam dat Palladi bellorum præsidi, quod notum est etiam ex aliorum descriptionibus. Pausanias in Attic. *in manu est hasta, ad pedes scutum iacet, iuxta hastam draco.* & Eliac. 1. *Mineruam casside armatam, hasta, & scuto Lacedæmonij Medontis esse opus memorant.* Apuleius lib. 10. *capite galeam gerens, contectam oleagina corona, clypeum attollens, hastam quatiens.* Ab hac re facit etymologia Palladis, quam aliqui dictam volunt ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, à vibranda & concutienda hasta. Inde Pind. Od. 7. Olymp. κόρα ἐγχεσιβρόμῳ, *puellæ hastifremæ*, id est, Palladi. alij aliunde deducunt. Neque verò dubium, quin Poëta alludat ad militarem armorum strepitum, qui irarum index. Palladis duplex insigne.

B Simili prodigio Philostratus in Heroicis de Aiace tumulato, βοῶσι ἐκ τοῦ τάφου φρικῶδές τι καὶ ὄρθιον. λέγεται ἡ καὶ δουπῆσαι τοῖς ὅπλοις, οἷον ἐν ταῖς μάχαις εἰώθει: *Horrendum quid atque arduum ex tumulo clamabat. Dicitur etiam armis obstrepuisse, vt solebat in prælijs.* Palladis etymon.

a Ex templo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, Numénque reducant,
Quod pelago, & curuis secum aduexêre carinis.
b Et nunc, quòd patrias vento petiêre Mycenas,
Arma Deósque parant comites: pelagóque remenso
Improuisi aderunt. Ita digerit omnia Calchas.
c Hanc pro Palladio moniti, pro Numine læso
Effigiem statuêre, nefas quæ triste piaret.

ARGVMENTVM.

Ad explicationem nefarij criminis Calchas cecinit repetenda Argis omina, quod Græcos fecisse, vt inde Troiam redirent, Sinon mentitur: causamq́; addit constructi equi.

EXPLICATIO.

a Apte *extemplo.* nam vox hæc ad augures pertinuit, signatè etiam *tentanda*, nō aliud: Debebant enim tentare, atque experiri, an possent fugere iratā Deā. Quid præterea cecinit Calchas? Non posse euerti Troiam, nisi auspicia repeterentur in vrbe Argorum, vbi priùs petita, cùm profecti sunt ad bellum: & nisi Palladis *Numen*, id est, simulacrum, reduceretur, quod furati Græci Græciam vsque aue-D xerant. Est in Poëta elegans vocum allusio, non posse exscindi Pergama telis *Argolicis*, nisi omnia *Argis* repetantur.

b Sententia est, eo animo iuisse, vt redirent & armis redintegratis, & Diis iam placatis, quos secum Græci adducturi sunt in comitatu, præsertim simulacrum Palladis. Nam eò fuga hæc Græcorum destinata ex mendacio Sinonis, vt Palladium reducerent. In illis *improuisi aderunt*, reddit Troianos mirè

C de futuro solicitos & pauidos, vt festinent exequi Sinonis consilia.

c Rogauerat Priamus, *quò molem hanc statuere?* His nunc satisfacit. Statuere (inquit) pro furato Palladio, pro læso numine, ad expiandum nefas admissum in Palladem. Vt *fas* de Diis, quod iam adnotatum est Iul. Scalig. ita *nefas* de iniuria iisdem facta.

NOTÆ.

1. Calchas] Non casu Calchantem diuinum faciunt Homerus, & Virgil. fuit enim huic genus à Melampode inter vates primario: sed & κάλχη flos est, quo intingitur purpura, quæ in vsu Vatibus. Calchas cur vates.

2. Omina ni repetant Argis] Allusio ad Romanorum morem, quo Imperatores vrbem redibant ad repetenda auspicia, neque extra eam fas erat. Liu. lib. 8. *Papirius Dictator à pullario monitus, cùm ad auspicium repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denunciauit, vt sese loco teneret.* & lib. 23. *Castris Romanis T. Sempronius præerat, Dictatore auspiciorum repetendorum causa profecto Romam.* In eodem libro: *nec alter Consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum traducere audebat exercitum, occupatus primo auspiciis* Repetebantur auspicia Romæ.

auspicijs repetendis Roma. & lib. 10. *cùm Dictator auspiciorum repetendorum causa profectus Romam esset.* Ita sæpe Liuius rem hanc attingit, vt necessariò morem debeamus agnoscere, & credere auspicicia extra vrbem non posse repeti. Ergo ab vrbe Argorum repetenda omina, nam ibi priùs petita ante expeditionē, quod è more quoq; Romano: neq; enim Imperator sine auspicijs discedebat: deinde quia ibi simulacrū Palladis. Nota veteres *redauspicare*, & *redauspicari*, dixisse. Vt autem Poëta *repetere omina*, Liuius, & Tacit. *repetere auspicia*. Græci, μεθοιωνίζεσθαι.

Imperator ne auspicijs non discedebat. Redauspicare.

3. REDVCANT.] Nescio cur hîc interpretes non pauci *reducant* explicent, id est *placent*, *reconcilient*. Cùm verè simulacrum ablegatum fuerit ad Græciam. An hoc ita acciderit incertum, & verosimilius est, non factum; sed Poëta Sinonis mendacium narrat. Ergo intelligamus, Sinonem dicere, simulacrum abductum in Græciam fuisse, & inde reducendum. Sic accipit Poëtam Donat. & Hortens.

4. ET NVNC QVOD] De particula *quòd* hoc loco elegantissimè posita, lege quæ multa satis affert Lambinus in Plauti Asin. Act. 4. per initia. Ego tamen libentiùs confugio ad elegantiam Græcorum, qui sæpissime subaudiunt κατὰ in his locutionibus. Itaque multa videntur esse aduerbia, quæ verè non sunt. Aduoco exemplum. voculā δίκην, idest, *instar*. multi faciunt adverbium, cùm verè subaudiendum sit κατὰ. Itaque, ποταμοῦ δίκην, nihil est aliud, quàm κατὰ δίκην ποταμοῦ. Sic infinita Græcorum exēplaria mendosissima sunt in particula ὅτι. Nam cùm ὅ,τι legi debeat, perperam legitur ὅτι. Nullum penè exemplum videas (quid si absolutè, nullum?) in quo particulam ὅτι, non possis explicare per ὅ,τι. subaudita præpositione κατὰ. Eadem ratio est de particula *quod* inter Latinos. Eadem de particula, *id*, quod iam in Seneca, Opsopœus monuit. Terentius Eunuch. *id stomachabar*, idest, *ob id*. & Phorm. *id succenses*. idest, *ob id*. & Seneca ipse, *hoc ipsum irati*. idest, *ob hoc ipsum*.

Quod, ex Græcorum elegantia.

5. MYCENAS] Ne te turbet, nunc dici petēdas Mycenas cùm præcesserit, repetenda Argis omina; nam quæ est potestas Poëtarum? Confugiunt sæpe illi ad loca vicina. Et tam Mycenas, quàm Argos sumunt pro Græcia, vtramque vrbem κατ' ἐξοχὴν. Quid quod Strab. lib. 7. ait, Mycenas & Argos propter vicinitatem à Poëtis tragicis vnam eandemque vrbem promiscuè appellari? Euripides etiam in vna eadémque fabula eandem iam Argos, iam Mycenas appellat, vt in Iphigenia, & Oreste. Quid quòd idem Strabo lib. 9. ait, Argos ex multorum opinione esse, οὐ πόλιν, ἀλλὰ τὸ τῶν Θετταλῶν πεδίον: *non vrbem, sed campum Thessalorum.* sic defendi potest Poëta. Nam quæ aliqui astruunt, vt signatè omina Argis repetantur, non aliunde, somnio simile.

Mycenas & Argos pro Græcia.

6. PELAGOQVE REMENSO] Phrasis sumpta ex Homero Odyss. 12. ἀναμετρήσαιμι χάρυβδιν: *remetirer Charybdim.* & Odyss. 3. πέλαγος μέγα μετρήσαντες: *magnum pelagus metientes*, Theoc. ἅλα μετρήσασθαι: *metiri salum* Apollon. 2. Arg.

Metiri de nauigantibus.

Οὐ μὲν δὴν προτέρω τε ἐμέτρεον:
Non vlteriùs metiebantur, & verrebant cærula.

Virg. 4. Georg. De Proteo:

Et iuncto bipedum cursu metitur equorum.

Ouidius quoque — *aquas metiri carina*, dixit. ex obseruatione Germ. & maximè Henr. Steph.

7. DIGERIT] Potestas huius vocis ad sacra videtur referenda, nam & in. 3. Æn. de Sibylla,

Digero, verbū sacrorū.

Quæcúmque in folijs descripsit carmina Virgo,
Digerit in numerum:

Quò pertinet nota Gul. Canter. libr. 1. Nou. Lect. cap. 8. legentis hîc *omina*, non, omnia.

8. MONITI] A quo moniti? vel ab ipsa Pallade, vel ab Apolline, idque oraculo canente, si credimus Petronio in Halosi:

Cùm Delio præfante cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissáque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurabant equum.

Ergo moniti ab Apolline, Calchantis ore, nam Q. Calaber lib. 12.

Κάλχαντος δ' ἰότητι δαΐφρονι Τριτογενείῃ
Ἵππον ἐτεκτήναντο.
Calchantis autem consilio bellicosæ Palladi
Equum fabricati sunt.

9. NVMINE LÆSO] Verbum lædo specialiùs traductum ad significandam iniuriam factam cælestibus. Ipse Maro lib. 12.

Lædo in sacris.

Multa Iouem, & læsi testatus fœderis aras.

Iuno apud Ouid. 1. Metam. — *aut ego fallor,*
Aut ego lædor, ait.

Tertul. Apolog. *possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse*, est autem sermo de Diis gentium. exempla hæc addi possunt, his, quæ nos alibi.

[a] Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cælóque educere iussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit,
Neu populum ANTIQVA sub relligione tueri.
[b] Nam si vestra manus VIOLASSET dona Mineruæ:
Tum magnum exitium (quod Dij prius omen in ipsum
Conuertant) Priami imperio, Phrygibúsque futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in vrbem,
Vltro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.

ARGVMENTVM.

Conclusio totius orationis, qua ostenditur moles equi fuisse magna, ne recipi in Troiam posset; nam recepta, salutem Troianis, Græcis exitium portendebat: secus, si non reciperetur.

EXPLICATIO.

[a] HVc doli Sinonis, huc ambages longissimæ orationis destinatæ: voluit ille duci hanc machinam intra mœnia. Suadet hoc mentita causa duplici. Ideo (inquit) moles ista facta est inusitata quadam

quadam magnitudine, *ne posset portis recipi*, en prior: A *ne posset tueri populum antiqua*, vt solebat, *religione*, en posterior. Est hîc dolorum, & fraudium cardo. Nam Troiani persuadentur, tum machinam ducere intra mœnia, vt illa populum tueretur; tum muros diruere, quando illa recipi portis non poterat: vtrumque æquè perniciosum consilium.

b Quæ sequuntur continent longissimæ orationis conclusionem, quæ conclusio bimembris est. Si machinam hanc violatis, magnum vobis exitium portenditur; en prius membrum: sin verò ad vestram vrbem ducitis, conuertentur in Græcos fata & exitium; en posterius.

NOTÆ.

1. IMMENSAM MOLEM] Seneca in Agamem. *vidimus simulata dona molis immensæ.*

2. ROBORIBVS] *Robur* hîc simpliciter pro ligno quouis accipit Germ. ex vsu Latinorum, qui pro qualibet materia dura accipiunt. in Georg. (Robur pro quocumque ligno.)

—cape saxa manu, cape robora pastor.

quemadmodum & δόρυ Græcis iam est lignum, iam arbor, iam telum militare, quod Eustathius in Homer. multis locis obseruat.

3. CÆLOQVE EDVCERE] Signatur magnitudo ὑπερβολικῶς. ita *eductas cælo turres*: &, *æquata machina cælo*. De turre Babylonica ego,

Concidit æthereas moles educta per auras:
I nunc & magnum temne superbe Deum.

4. RECIPI PORTIS] Sallustius. *Senatus à Bestia consultus est, placerétne legatos Iugurthæ recipi mœnibus.*

5. VIOLASSET DONA MINERVÆ] Violo tunc ponitur, cùm rebus sacris vis infertur. in 11. (Violo in sacris.)

— Veneris violaui vulnere dextram.

Diana etiam ad Camillam sibi sacram, his vtitur.

Nam quicumque tuum violarit vulnere corpus.

& iterum de eadem:

Hoc quicumque sacrum violarit vulnere corpus.

vt hîc *dona Mineruæ*, ita Calaber lib. 12. de hoc equo, Τριτωνίδι δῶρον.

6. QVOD DII PRIVS OMEN IN IPSVM CONVERTANT] Græcus Græco imprecatur, tanquam non iam Græcus, sed Troianus ciuis: cui Græci, iam hostes; Troiani, iam amici. De hac forma imprecatio- B nis dicam alibi.

7. PRIAMI IMPERIO] Non Priamo, sed imperio Priami: nam tametsi in tam dira clade nec Rex ipse futurus esset extra noxam, tamen sic oportuit loqui ex decoro audientis. Omnia Maro perspicit.

8. PELOPEIA] Per mœnia Pelopis videntur indicari vrbes omnes Peloponnesi, ac perinde vniuersa Græcia.

9. EA FATA MANERE NEPOTES] Phrasis Græca, nam similiter, μένει σε κακὸν, θάνατος, δίκη: *manet te malum, mors, causa.*

Talibus insidiis, periuríque arte Sinonis
Credita res: CAPTIQVE dolis, lacrymísque coacti,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuêre decem, non mille carinæ.

ARGVMENTVM.

Vincuntur Troiani insidijs Sinonis, periurio, dolis, lacrymis; quos non vicerant hostes fortissimi, anni decem, naues mille.

EXPLICATIO.

EPILOGVS Æneæ ore continens fraudes Sinonis, quibus capti Troiani. Vocat *periurum*, quia supra ille,

Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen.

Periurus ergo sanctissimi huius iuramenti fractor. Sed notanda diligentia Poëtæ in his quatuor versibus. Quatuor res præcedunt, videlicet, insidiæ Sinonis, periurium, doli, lacrymæ: & quatuor sequuntur, videlicet, Tydides, Achilles, anni decem, mille carinæ. In his semper crescit oratio. Nam contra prima illa pugnat Tydides, qui potentissimus; & Achilles, qui potentior; anni decem, qui vtróque maius quiddam; carinæ mille, quæ supra omnes.

NOTÆ.

1. TALIBVS] Aduerti sæpe Virgilium hac voce reddere Græcorum ὡς, quod multis locis possem probare, tum hoc. Nam quod Calaber ad finem orationis Sinonianæ, ὡς φάτο κερδοσύνῃσι, Virgilius reddidit, *Talibus insidijs.*

2. CAPTIQVE DOLIS] Plautus Bacchidib. cum allusione ad Troiam. *Salute nostra, atque vrbe capta per dolum.*

3. LACRYMISQVE COACTI] Præfero hanc lectionem Seruianæ. tu illam vide, & hîc potentiam elo- C quentiæ, quæ tam magna est, vt viros fortes, etiam consultissimos ad exitium adduxerit: vicit orator vnus solers ingenio, & prauè facundus, quos nec sæui hostes, nec anni decem, nec naues mille. vim sanè adhibet, cogítque eloquentia. Si quis Seruij lectionem amplectatur, illustret illam Passeratij diligentia in Propertium lib. 1. eleg. 15. ad eum versum: (Eloquentiæ vis.)

Et fletum inuitis ducere luminibus.

4. LARISSÆVS ACHILLES] Larissæ multæ, vna in Thessalia, à qua Achilles Thessalus dictus Larissæus. Eodem epitheto ornatur à Tertulliano lib. de Pallio, cum respectu, credo, ad hunc locum Virgilij. *Naturam itaque concussit Larissæus heros in Virginem mutando, ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium, quandoquidem & labijs vacuerat ab vberum gustu.* Obiter adnota etymon nominis: Achillē enim dictum volunt, διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι τῆς τροφῆς: *Quòd labris nutrimentum non attigerit.* caruit enim la- D ctis alimonia, & nutritus à Chirone est ferarum medullis. Addes testimonium hoc Tertulliani variæ eruditioni, quam de hac re congerit Delrius in Nouis comment. ad Senec. pagina. 428. (Larissæ multæ.) (Achillis etymon.)

5. NON ANNI DOMVERE DECEM] Quibus pugnatum ad Troiam. Demosthenes in orat. funebri etiam numerat annos decem. Verba eius sunt οἱ μὲν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος ὄντες ἀριστεῖς δέκ' ἔτη τῆς Ἀσίας ἓν χωρίον πολιορκοῦντες μόλις εἷλον: *Tota è Græcia delecti principes vix decennio ceperunt vnam Asiæ vrbem.* & Plat. 3. Leg. δέκα δ' ἔτη προσμείναντες Ἀχαιοὶ τὴν Τροίαν ἀνάστατον ἐποίησαν: *Decennio Achiui Troiam oppugnantes euerterunt.* Hieronymus epist. 27. ad Eustochium: *qui* (Agamemno) *decennali Troiam obsidione deleuit.* Seneca in Troadib. de eadem re: *annis decem.* Dares auget numerum, addens menses octo, dies duodecim supra (Decennale bellum Troiæ.)

annos decem. Lege Thucydidem lib.1.vbi quæpiam A de isto annorum numero.

Troianę naues mille an fuerint.

6. NON MILLE CARINÆ] Quibus facta expeditio Græcorum. Receptum iam eas naues fuisse mille. Affirmat Æschyl. Agamem. στόλον χιλιοναύτην: *expeditionem mille nauium.* Eurip. in Androm. Propert.

Et Danaûm Euboïco littore mille rates.

Ouid. in Laodom. ad Protes.

Inter mille rates, tua sit millesima puppis,

Seneca Agamem.

Millesimam nunc ambit, & lustrat ratem.

Plautus Bacchidib. de re Troiana loquens, ait, *Milleûm numero nauium.* Liuius lib.45. loquens de Aulide, *portum inclytum statione quondam mille nauium Agamemnoniæ classis.* Seneca in Troad. *mille ratibus.* Alij B mirè variant: aliud enim ab Homero colligas, aliud à Dicty: à priore, si rationē subducas, inuenies mille octoginta naues: à posteriore, mille, ducētas octoginta quinque. Dares ait fuisse naues mille, centum, & quadraginta. Notāda verba Varron. hæc 2. Rei Rust. c.1. *si inquā numerus non est ad amussim, vt non est, cùm dicimus, mille naues isse ad Troiam, centumuirale esse iudiciū Romæ.* Certè Thucydides, cùm dixerit lib.1. Mycenas olim exiguū oppidū fuisse, addit, oppidi eius exiguitate elici nō tenui argumento tantā non fuisse classem Græcorum, quantam & Poëtæ memorant, & sermo obtinuit. Loquitur multa alia in hanc sententiā. Itaq; euertit testes, quos tibi attuli, & si quos alios reperias. & mirum profectò tantam fuisse classem illo æuo. Itaque credo, Virgilium, & alios locutos ex famæ opinione. Cum sententia autem Poëtæ congruit illud Ouid. de Hercule blanditiis domito.

Quem non mille feræ, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Iuno vincere, vicit Amor.

Horat. in Epod. Od.16.

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi voluerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus.

& plura in hanc sententiam.

a Hîc aliud maius miseris, multóque tremendum
Obiicitur magis, atque improuida pectora turbat.
b Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
c Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.
Pectora quorum inter fluctus arrecta iubæq;
Sanguineæ exuperant vndas: pars cetera pontum
Ponè legit, sinuátque immensa volumine terga.
d Fit sonitus spumante salo, iámque arua tenebant:
Ardentésque oculos suffecti sanguine, & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

C

ARGVMENTVM.

Adiuuat Sinonis fraudes argumentum diuinum. nam visi serpentes sunt à Tenedo remigantes per maria ad littus, vbi Laocoon sacrum faciebat Neptuno.

EXPLICATIO.

a QVÆ sequuntur diuino quodam consilio excogitata, & hîc inserta sunt; vt Troiani, si in quam stupiditatem incurrerunt, quòd Sinoni credidissent prudentes homines, ea omnino liberentur, puténtque mortales exitium hoc referendum ad Deorum voluntatem, & Troianos fuisse faciles citra insipientiam. In primo versu nota triplicem dictionem incipientem ab littera, (m,) *maius, miseris, multò*; ad indicandum Æneæ dolorem in narrando, nam ea littera apta est ad complorationem.

b Præmittit ante aduentum anguium circumstantias signatas. Non enim satis habuit Laocoontē nominare, & taurū. Sed de illo *sacerdos, & ductus sorte*; de isto, *ingentem*, & *ad aras solemnes*, & *Neptuno mactabat.* In quibus omnibus signati mores attinguntur, vt solet semper in excursu hic Vates.

c Nihil viuidius sequente hypotyposi, nihil horribilius. Inde ipse narrans horrescit. In primis signat tria loca, videlicet, vnde profecti, quô, quà, *à Tenedo, ad littora, per alta tranquilla.* Deinde signat magnitudinem, per *orbes immensos*, & per *terga immensa voluminibus.* ita enim magni serpentes, vt carerent modo omni, mensura omni. Tertiò, vide horrorem in *arrectis pectoribus, iubis sanguineis.* Quartò depingit naturam serpentium, cùm natant, nam *pectora arriguntur inter fluctus*, & *iubæ vndas exsuperant*; *pars cetera pone legit pontum, sinuátque terga voluminibus.* Quintò indicatur in verbis prodigium immissum à Diis, nam *pariter incumbunt pelago, pariter tendunt ad littora.*

d Quis putaret addi posse præcedentibus affectus maiores, & maiorem vim? Finge te superiores versus fecisse, & cogita, an potuisses addere maiorem horrorem, & nihil fortasse inuenies. Inuenit Maro ingeniorum apex. Nam cui non arrigant comas, quæ sequuntur de salo spumante ad sonitum anguium? quæ dicuntur de ardore, de sanguine, de igne, de sibilis, de vibrationibus linguarum? vide quoties in his tribus versibus sparsa sit littera, s, quæ serpentium. D In illis *sonitus, spumante, salo*, ter coniunctim repetitur. ter in sequenti, ter in vltimo. *ora sibila* sunt, ora sibilantia, vel, ora cum sibilis. *Linguis vibrantibus*, id est, mobilibus, propter celeritatem. Ita Seruius. *suffecti*, id est, infecti, vel suffusi.

NOTÆ.

1. IMPROVIDA PECTORA TVRBAT] Attingit Poëta præceptionem moralem. Est enim vnicum remedium ad omnem calamitatem æquo animo tolerandam malorum præuisio: sicut contrà illi grauissimè dolent turbantúrque, qui nihil præuiderunt. Adiungam aliqua, quæ reperi in hanc sententiam.

Præuisio malorū necessaria.

tentiam. Seneca epist. 108. *Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit; & duris quoque si præmeditata erant, obstitit: at contrà imparatus etiam leuissima expauit. Id agendum, ne quid nobis inopinatum sit; & quia, omnia nouitate grauiora sunt, hac cogitatio assidua præstabit, vt nulli sis malo tiro.* Et in consolat. ad Marciam, *Quæ multo antè præuisa sunt, languidiùs incurrunt.* De Prouid. cap. 4. *magis vrgent sæua inexpertos.* & 3. de Ir. cap. 37. *Fortis est animus, ad quæ præparatus venit.* & de Tranquil. ca. 11. *Serò animus ad periculorum patientiam, post pericula, instruitur.* & Epist. 76. *Præcogitati mali mollis ictus venit.* & ad Marciam: *Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.* Heliodorus lib. 2. Hist. Æth. *Calamitates enim, fili, quæ inopinatò adueniunt, sunt intolerabiles; at, præuisa æquiore animo perferuntur: illas enim animus metu occupatus reformidat, & ægrè fert; has autem consuetudo rationi familiares reddit.* Philo lib. 1. de vita Mosis. τὸ γὰρ ἀνέλπιστον κακὸν ἀργαλεώτερον αἰεὶ τοῦ προσδοκηθέντος: *grauius est malum repentinum, quàm expectatum.* & lib. de Cherubim, de eo homine, qui præoccupat calamitatem, ait, ῥᾳδίως οἴσει τὰ προσπίπτοντα, κἂν ᾖ βαρύτατα: *facilè feret casus vel grauissimos.* Est hoc, quod Plutarchus dixit de Consolat. ad Apollonium. φυλάξασθαι τὸ κακὸν ἐπιφερόμενον: *præcauere malum ingruens.* Quod argumentum latè posteà tractat adductis versibus Euripidis, apud quem cùm Theseus dixerit, se præmeditari, calamitates, exilia, mortes, hanc huius præmeditationis rationem adducit.

Ἵν' εἴ τι πάσχοιμι ὧν ἐδόξαζον φρενί,
Μή μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκνῃ:
Vt si qua inuecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Est hoc, quod Seneca Tragicus dixit:

Non imparatum pectus ærumnis gero.

Quod maior Seneca epist. 18. *Ne imparatos fortuna deprehendat.* &, *præoccupare tela fortunæ.* Apud Philostratum lib. 7. cap. 12. quidam exhortatur Apollonium, vt se comparet prius, quàm perueniat ad conspectum Domitiani, ne causa cadat, & adeat periculum capitis. Consonant verba Ioannis Chrysostomi homil. de liberor. educat. ἂν γὰρ ἀπαράσκευον ὄντι νῦν ἐπιθώμεθα, οὐδεὶς ἔσται πόνος ἡμῖν: *Si enim imparatum illum inuadamus, nullus nobis erit labor.*

2. Laocoon] Dionys. Hal. lib. 1. fabulam citat Sophoclis, quæ dicta est, Λαοκόων, & Aristophanis Scholiastes. Seruius ait deprömptum hoc ex Euphorione.

Sacerdotis eligendi ratio.

3. Dvctvs Neptvno sorte sacerdos] Allusum ad morem sacrorum, nam vbi certus deerat sacerdos, alius sorte ducebatur: ergo sacerdos Apollinis Laocoon, sorte obtingente Neptuno sacrum facit. Seru. Hoc autem fuisse ex more Romano firmat German. hoc loco Tacit. lib. 1. Ann. *Idem annus nouas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Tatios instituit: sorte ducti è primoribus ciuitatis vnus & viginti.* Lege Hyginum cap. 135. Et quidem fuisse Laocoontem sacerdotem Apollinis, satis indicat Calaber lib. 12. vbi scribit, serpentes facta cæde ad templum Apollinis confugisse, quod in arce erat, vnde Laocoon aduenerat. Infra etiam Panthus sacerdos Phœbi dicitur descendisse ex arce, saltem indicatur.

4. Neptvno] Adeunda quæ scribimus lib. 3. ad illud,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

5. Ingentem] Dictum taurum *ingentem* cum allusione ad ritum sacrorum Seru. interpretatur, nam sæpe in victimis spectata ætas, vnde illud, *iam cornu petat.*

6. Aras] Has aras in littore fuisse suspicatur Turneb. nam & Neptuno apud Homer. in littore sacra facit Nestor. & Deo marino littoralia sacra videntur conuenire, & prodigiosæ anguium narrationi hoc quoque consentaneum erit. Neptuno sacra in littore.

7. Ecce avtem gemini a Tenedo] Placitum hîc subiicere politissimos Petronij versus, dignósque, qui vbique legantur, quibus totam hanc historiam narrat, & Virgilium æmulatur, ait itaque in Halosi Troiana.

Ecce alia monstra, celsa qua Tenedos mare
Dorso repellit, tumida consurgunt freta,
Vndaq́ue resultat scissa, tranquillo minor.
Qualis silenti nocte remorum sonus
Longè refertur, cùm premunt classes mare,
Pulsumq́ue marmor abiete imposita gemit.
Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad sacra fluctus: tumida quorum pectora
Rates vt alta, lateribus spumas agunt.
Dat cauda sonitum: liberæ Ponto iubæ
Consentiunt luminibus: fulmineum iubar
Incendit æquor, sibilísque vndæ tremunt,
Stupuere mentes, infulis stabant sacri,
Phrygióque cultu gemina nati pignora
Laconti: quos repentè tergoribus ligant
Angues corusci: paruulas illi manus
Ad ora referunt, neuter auxilio sibi,
Vterq́ue fratri transtulit pias vices.
Morsq́ue ipsa miseros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberûm funus parens,
Infirmus auxiliator. Inuadunt virum
Iam morte pasti, membraq́ue ad terram trahunt.
Iacet sacerdos inter aras victima,
Terramq́ue plangit. Sic profanatis sacris
Peritura Troia perdidit primùm Deos.

8. Horresco referens] Nota caninam litteram quater repeti ad horrorem. Sed quid est, horresco? Non simpliciter, timeo, vt vulgus. Sed stant mihi comæ, eriguntur pili, totus horreo. Varro lib. 5. Ling. Latin. *In corpore pili, vt arista in spica hordei, horrent.* Est hoc fermè, quod Nazianzenus dixit orat. 11. με φρίκη τις περιστρέχει μεμνημένον: *circumdat me horror recordantem.* & orat. 26. φρίττω λέγων: *horresco loquens.*

Canina littera. Horresco, quid.

9. Angves] Hos duos serpentes Porcen & Chariboean dictos à Quinto poëta, qui Homero successit in consummanda Iliade, Parrhas. in Claudian. & Erythræus admonent. Idem scripsit interpres Lycophronis: meminítque Turn. Germ. aliíque.

Angues Laocoontis.

10. Incvmbvnt pelago] Similem fermè narrationem habet Valer. Flaccus lib. 2. Argon. quam hîc adiungam, quia ea tota ad lucem Virgilianam, vt discas ipse Vatem Principem imitari, vt Flaccus. Quanquam, vt verum fatear, possis ipse meliùs: nam Flaccus multis interuallis.

Dat procul intereà signum Neptunus, & vnà
Monstriferi mugire sinus, Sigæaq́ue pestis
Adglomerare fretum, cuius stellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curua trisulco
Fulmineus quatit ora fragor, pelagoq́ue remenso
Cauda radit, passusq́ue sinu rapit ardua ceruix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Prosequitur lateri adsultans, trepidisque ruentem
Littoribus sua cogit hyems, &c.

Non opus iudice in hac lite, multò meliùs Principem suum Petronius reddidit. Et quoniam hîc locus pertinet ad imitationem, subiiciam quoque Silianam, ita se habentem.

Excitus sede, horrendum, prorupit ab ima
Cæruleis maculis auro squallentibus anguis,

Ignea

Ignea sanguinea radiabant lumina flamma,
Oraq; vibranti stridebant sibila lingua.
Isq; inter trepidos cœtus, mediamq; per vrbem
Voluitur & muris propere delabitur altis:
Ac similis profugo vicina ad littora tendit,
Spumantisque freti præceps immergitur vndis.

Est & hæc opera longissimè Maronianâ inferior. Sed cur in locorum imitatione omittimus Calabrum loquentem de his ipsis serpentibus Laocoontis? huius enim vestigiis Virgilius hæsit. Sed quia is longus, perstringam aliqua conferens cum Virgilio. Græcus serpentes excitat ab antro quodam inaccesso, atque horribili, qui erat in Tenedo (ille Calydnam vocat,) Latinus de antro siluit, & tantùm ab Tenedo ait venisse. Græcus,

—ἐπεσμαράγησε δὲ πόντος Νισσομένων:
resonuit pontus ad illorum incessum.

Latinus, *fit sonitus spumante salo.* Græcus, κῦμα διΐστατο, *cedebat fluctus*: Latinus extulit *inter fluctus.* Græcus,

—τοὶ δ' ἐφέροντο Αἰνὸν λιχμώοντες.

Hoc Latinus reddidit,

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Quod Græcus, κακὴ δ' ἐπενίσατο φρύγας Τρῶας: *dirus horror Troianos inuasit,* Latinus,

Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor.

Neque voluit ad eundem locum recurrere, vt Græcus qui iterum, πάντας γὰρ ἀμείλιχον ἄμφεχε δεῖμα: *omnes enim horrendus occupauerat metus.* Quod Græcus ad visos angues, οὐδέ τις μεῖναι ἔτλη: *nemo manere sustinuit,* Latinus, *Diffugimus visu exsangues.* Cetera de arrectis pectoribus, iubis sanguineis, sinuosis voluminibus, ardentibus oculis igni, & sanguine, de complexibus, morsu, implicatione, depastione, de ingentibus spiris, tergis squammeis, altis ceruicibus, nodis, sanie, veneno, hæc (inquam) cetera excogitata sunt ab diuino Vate Virgilio, nulla Calabri luce: quin multa amputauit, quæ ociosa in Græco, vt legenti apparebit. Talis sis, Lector, imitator Græcorum, qualis fuit Maro: vt ab illis sumas, quæ idonea; amputes, quæ ingrata; addas, quæ necessaria. Sed potuit quoque Virgilius habere ante oculos Aristophanem in Pluto, apud quem,

Virgilius superat Calabrum.

Ἐξηλάτην οὖν δύο δράκοντ' ἐκ τοῦ νεὼ
Ὑπερφυεῖς τὸ μέγεθος.
Exiluerunt serpentes duo è templo
Magnitudine ingentes.

Et de his ait posteà, in templum se recepisse, vti etiam Virgiliani. Est in Nonno lib. 1. per versus plures similis Virgilianorum anguium successus. Perstringam quæpiam breuiter. Vt natant angues Virgiliani, ita Nonnus de suis. νηχόμενοι δὲ δράκοντες ἁλισδούπων ἀπὸ λαιμῶν: *Natantes dracones gutturibus in mari sonantibus.* Spiras Virgilij videbis in Nonno, cùm ait, δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ. Iterum, κυκλοῦτο ἑλικηδόν. & adhuc.

αὐχένα κυρτώσας ἐλελίζετο γαστέρος ὁλκῷ.

In his vides tractum, circulum, curuitatem.

Iubæ equorũ propriè.

11. IVBÆQVE] Hîc per *iubas* cristas serpentium accipiunt aliqui. Iubæ enim cùm propriæ sint equorum, ad alia iam traductæ vsu tam Græco, quàm Latino. Homerus, & Latini leoni passim: Plinius lib. 8. cap. 15. Bisontes vocat *iubatos.* & cap. 34. de fera alia: *iubata ceruix.* homini Homerus creberrimè: frondibus nonnulli, virgultis, arboribus; nam apud Athen. Archestratus cinaræ achantæ (genus est vepreti) pappos χαίτην vocat. & Nicand. in Theriac. calaminthum χαιτήεσσαν nominat *iubatam, comantem.* Ergo Poëtæ quoque placitum ad angues referre. Sic etiam auctor is, qui ad Heren. *iste quotidie per forum medium tanquam iubatus draco serpit.* Liuius lib. 43. inter prodi-

Iubæ de plãtis.

A gia memorat *in æde fortunæ anguem iubatum à compluribus visum esse.* vnde lux Virgilio, qui suos angues iubatos fingit in re prodigiosa. Redeo. Pindarus od. 10. Pyth. draconibus dat φοβὰς, *comas,* quas interpretes reddunt, cristas. Nisi malis propriè accipere Pindarum, & ita explicare Virgilium, vt iubatus anguis sit crinitus, hirsutúsque propter crines pendentes à collo. Negant enim cristas esse serpentibus. Plinius lib. 11. cap. 37. ita ait: *draconum enim cristas, qui viderit, non reperitur.* Ergo dicamus iubas Virgilianas, vel propriè pro hirsutie crinium; vel pro cristis certè in re prodigiosa, vt in Liuio. Sic etiam capiendus Plautus Amphit. *deuolant angues iubati.* Loquitur enim de prodigiosis anguibus Herculis. Iuba enim Latinis

Cristæ non sunt serpentibus.

B & χαίτη Græcis tantùm signat hirsutiem crinium, & qui cristas daret draconibus neminem reperi præter vnum Euripidem, qui in Phœniss. φοινικολόφοιο δράκοντος. Ad hunc aspirasse Virgilium credamus, nam δράκων φοινικόλοφος est, *draco habens cristam rubram, sanguineámque.* Næuius in Lycurgo dixit, *altè iubatos angues.* nescio an in re prodigiosa.

12. SINVATQVE IMMENSA VOLVMINE TERGA] Placitum hîc subiungere ad imitationem poëseos, vti alij extulerint hanc serpentium conglobationem in spiras. Ruf. Auien.

Serpentium spiræ.

—sic agmina cælo
Lubrica conuoluit, sic spiras pendula torquet.

Est illi sermo de cælesti angue. Ouid. 3. Met.

C *Ille volubilibus squamosos nexibus orbes*
Torquet, & immenso saltu sinuatur in artus.

Ibidem.

—caput in sua terga retorsit.

& adhuc.

Ipse modò immensum spiris facientibus orbem
Cingitur.

Claudian.

—sinuosa draconum
Membra.

Senec. in Med.

Tumidumq; nodis corpus agrestis plicat,
Cogitq; in orbes.

Flac. in Arg. *cauda redit.* Sidonius ad Felicem *angues corporibus voluminosis.* Orosius lib. 4. cap. 8. loquens de serpente: *circum fert latera.* Omnes quid referam? satis

D loca Virg. hîc:

—sinuantq; immensa volumine terga.

In Georg.

Squameus in spiram tractu se colligit anguis.

In culice.

Squamosos latè torquebat motibus orbes.

& inf. in hoc lib.

Lubrica conuoluit sublato pectore terga.

Porrò conglobationes istæ nomen dederunt scuto apud Græcos. Est enim istis scutum ἀσπὶς à figura aspidis flexi in orbes.

13. SVFFECTI SANGVINE ET IGNI] Ouid. de suo serpente: *igne micant oculi.* & de suo Flaccus,

—stellantia glaucâ
Lumina nube tremunt.

Aristophan. in Vespis.

E Οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν κύνης ἀκτῖνες ἔλαμπον:
Cuius terribiles oculi fulgebant in fronte canina.

Eusebius contra Hieroclem de quibusdam serpentibus, ὧν ἀπὸ κεφαλῆς λαμπάδες ἀπορριπτοῦνται πυρός: *ex quorum capitibus ignei fulgores scintillant.* deinde nescio qui atrociùs *suffecti,* quàm *infecti*: saltem vulgus sequi noluit, & exquisitè dixit.

14. SIBILA LAMBEBANT] Hesiod. in Theog. vbi sermo est de serpentibus, γλώσσῃσι (ait) δνοφερῇσι λελειχμότες. *linguis nigris lambentes.* Lucan. lib. 9.

stridula

Stridula fuderunt vibratis sibila linguis.
Ammianus lib. 16. describens in pompa illa, qua Constantius ingressus est Romam, insignia militum, hæc ait de draconibus, qui à multis gestabantur: *hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarúmque volumina relinquentes in ventum.* Aristophanes in Pluto, συρίξασ' ὄφις Hippocrates in Epist. loquens de draconibus. καὶ τι φρικῶδες ὡς ἐν ἐρημίῃσι καὶ νάπῃσι κοίλῃσιν ὑποσυρίζοντες. *Horrendum quiddam velut in solitudinibus, & cauis vallibus subsibilantes.* Adeo autem proprium serpentium sibilus, vt serpens, qui Græcis Basiliscus dicitur, Latinis dicatur vel regulus, vel sibilus, quod scribit Isiod. cap. 4. lib. 12. Quin ἀσπὶς Græcis dictus ab, a, intentiua particula, & ἀσπίζω extendo, propter vehementem sibilum.

Regulus dictus sibilus.

Aspidis etymon.

A 15. LINGVIS VIBRANTIBVS] Ita Plinius de lingua serpentium lib. 11. epist. 37. *tenuißima serpentibus & trisulca, vibrans, atri coloris.* Lucret. lib. 3.
Quinetiam tibi si lingua vibrante minantem
Serpentem.
Hîc per *vibrationem* accipio linguæ volubilitatem, qua sibila formabant percussis dentibus. Nam & ab Apuleio. 2. Florid. psittacho etiam datur: *discit autem statim pullus vsque ad duos ætatis suæ annos, dum facile os, vti conformetur: cùm tenera lingua, vti conuibretur.* Ab hac percussione lingua ipsa dicta πλῆκτρον ἀπὸ τοῦ πλήττειν. Apuleius ibidem de eodem psittacho: *patentiore plectro, & palato.* hoc est, patentiore, B & latiore lingua. Cicero etiam. 2. Natur. *plectri similem linguam nostri solent dicere; chordarum, dentes.*

[a] Diffugimus visu exsangues. illi agmine certo
Laocoonta petunt: & primum parua duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
[b] Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirísque ligant ingentibus: & iam
Bis medium amplexi, bis collo squammea circum
Terga dati superant capite, & ceruicibus altis.
[c] Ille simul manibus tendit diuellere nodos
Perfusus sanie vittas, atróque veneno:
[d] Clamores simul horrendos ad sidera tollit.

ARGVMENTVM.

Fugiunt Troiani metu, serpentes rectà tendunt ad Laocoontem; primùm liberos, mox patrem miserè admodum excarnificant.

EXPLICATIO.

[a] VT verum est, Poëtam nihil moliri ineptè! Quot hinc πάθη consurgunt! quàm aptè omnia! Serpentes duo magnitudine ingentes paruos pueros arripiunt, amplectuntur, implicant, miserè laniant: amplexus ille est, non ad amorem, sed ad carnificinam: fit hæc laniena patre præsente. Omnia hîc miserrima, & omnia dolorem augent. D numerus, quia duo: ætas, quia parui: modus mortis, quia serpentes mordendo depascuntur pueros.

[b] Ex his aliqua implicata sunt, credo ad atrox malum explicandum. Solet enim Poëta sententiam implicare ad indicãdas res, de quibus agit. nam alioqui explicatissimus esse solet. Nouitius Lector sententiam ita ordinet. *Pòst corripiunt ipsum* patrem *subeuntem auxilio* natis, *ac ferentem tela, ligántque* illum *spiris ingentibus. & iam bis amplexi medium* hominem, *bis circumdati terga squãmea, collo* illius, *superant capite & altis ceruicibus.* Sententia clariùs est, serpentes amplexu suo cinxisse medium hominem, itémque circumdedisse terga squammea collo eiusdem: post quas spiras, & orbes, ita longi erant angues, vt magna pars illorum, totum nempe caput, & ceruices E eminerent supra Laocoontem. Particulam *bis* refero ad vtrumque serpentem, ita vt quisque illorum cingeret semel Laocoontem medio corpore, & semel iterum medio collo: sed bis medio corpore, & bis medio collo, quia videlicet duplex erat serpens.

[c] Commouent hæc affectum ingentem, non solùm considerata miseri hominis calamitate, sed reli- C gione; nam neque vittæ, quæ sacræ, seruatæ ab incommodo.

[d] Hoc deerat ad complendam tragœdiam. Expende. Vnus tantùm tollit, nã liberi iam defuncti, sed ille vnus *clamores*, non clamorem *tollit*, quia non satis ad exprimendum dolorem numerus singularis. & illos *horrendos*, & *ad sidera*. Quæ hæc αὔξησις!

NOTÆ.

1. DIFFVGIMVS VISV EXSANGVES] Notat pallorem, qui fit abeunte è membris sanguine. Cicero ex antiquo Poëta, *pallent ora timentium.* Contrà Plautus Bacchidib. *plenos sanguinis* dixit ad signandos audaces, præfidentes, animosos.

Pallor, vnde.

2. AGMINE] De serpente quoque in. 5.
—Ille agmine longo
Tandem inter pateras, & læuia pocula lapsus.
Arnobius lib. 7. *magni agminis coluber.* Loquitur de serpente Epidaurio. Cùm agmen dicatur ab agendo, (tum enim verè agmen, cùm est, agitatúrque in via) congruè datur anguibus, qui aguntur tractu illo, & caudarum voluminibus.

Agmen de serpentibus.

Agmen inde dictum.

3. ET PRIMVM PARVA, &c.] Adumbratus Homeri locus. 2. Il. quem prætermitto, tantùm meis versibus Vates loquatur.
Hic serpens Ioue missus adest, cui terga cruentis
Sparsa notis: recta ad platanum ex altaribus ipsis
Pergit; vbi in ramis pullos, sua pignora, mater
Bis quater abdiderat: foliísque subinde volabant
Arboris extremæ per opaci tegminis vmbram.
Irruit, & miseros volucrum depascitur artus:
Mox matrem argutis rumpentem questibus auras
Corripit in gyros actus ventríque remittit.
Sic fermè ille satis ieiunè, & ad tantam volucrum cladem affectibus modicis.

4. NATORVM] Hos duos pueros appellatos Antiphantem & Thymbræum Hyginus scribit cap. 135.

Laocoontis filiorum nomina.

5. Post

Parentum amor in filios.

5. Post ipsvm avxilio svbevntem] Præclara est Iul. Scal. obseruatio. parentes impensiùs filios amant, quàm filij parentes, ideò diuinus vates prioris amoris exempla multa, posterioris vnum tantùm adhibet, ipso numero naturam cognationis indicans. Priamus in Politæ cæde omnia obliuiscitur præter filium, regiam dignitatem, vitam. Idem pro Hectoris cadauere castra hostium transmittit securus periculi, inermis, supplex, ad hostis pedes abiectus, prostratus. Laocoon manifesto in discrimine auxilium natis fert: contemnens potiùs mortem certam, quàm sperans vltionem. Mezentius nato interfecto mori vult. Ergo tres hi pro liberis moriuntur. Filij in patrem, vnum tantùm est exemplum, protegit enim patrē suum Lausus, vnde illi exitium. Paternus hic affectus elucet apud Liuium libr. 42. apud quem legis: *Fuluius Flaccus Pontifex—fœda morte perijt. Ex duobus filijs eius, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum; alterum decessisse; alterum graui, & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metúsque. Manè ingressi cubiculum serui laqueo dependentem inuenere.* Maternus autem in Andromacha apud Eurip. vbi ipsa sic loquitur:

Εὖ τέκνον, ἡ τεκοῦσά σ', ὡς σὺ μὴ θάνῃς,
Στείχω πρὸς Ἅδην.
O fili, ego quæ peperi te, ne tu moriaris,
Eo ad Plutonem.

Atque vt illustrior affectus sit, processerat, velle se pro nato σφάζειν, φονεύειν, δεῖν, ἀπαρτῆσαι δέρην: *mactari, mori, ligari, suspendi collo.* Et in Arsinoë apud Iustinum lib. 24. quæ *pro filijs suis se sæpe percussoribus obtulit, frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit, vulneráque excipere, quæ liberis intendebantur, voluit.* Credo ego Poëtam habuisse ante oculos, cùm hæc scripsit, Pindarum. Nam is od. 1. Nemeor. similiter omnino inducit parentes Alcmenam, & Amphitryonem, tum alios multos accurrentes cum pauore & armis ad Herculis cunas ad auxilium ferendum, cùm immissi sunt gemini angues à Iunone aduersum puerum.

6. Spirisqve ligant ingentibvs] Similes ac miserandos complexus habes in pulchra descriptione Nonni lib. 4. Adduco versus.

Κάδμον ἀπειλητῆρι δράκων ἐζώσατο δεσμῷ,
Καὶ δέμας ὀρθώσας μελέων ἐπιβήτορι παλμῷ
Ταυρείης περίκυκλον ἐς ὀμφαλὸν ἥλατο βοείης,
Καὶ σκολιαῖς ἕλικεσσι πόδας μιτρούμενος ἀνὴρ,
Ὁλκαίῃ βαρύδεσμος ἐχιδναίῃ κάμε σειρῇ:
Cadmum minaci draco cinxerat vinculo,
Et corpus erigens membrorum surgenti saltu,
Taurinæ circularem in clypeum saltabat pellis,
Obliquisque inuolutionibus pedes cinctus vir,
Tractim ligatus vipereo laborabat vinculo.

Videtur autem alludere Poëta ex Germ. nota ad memorabilem draconum magnitudinem, eò vsque excrescentem, vt Strabo prodiderit, dracones trecenum cubitorum in Africa esse, qui tauros Elephantésque spiris vinciant, vincántque, sic accinente Lucano lib. 9.

Dracones insitatæ magnitudinis.

Vos quoque qui cunctis innoxia nomina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,
Lethiferos ardens facit Africa: ducitis altum
Aëra cum pennis, armentáque tota secuti,
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatio est elephas: datis omnia letho,
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

Eusebius contra Hieroclem, παράδοξοι τὸ μέγεθος δράκοντες. quibus ait fuisse dracones magnos vltra omnem opinionem. Cedrenus serpentes exhibet vltra omnem modum pag. 126.

7. Bis medivm amplexi] Præterquam quòd multa ex his traducta ab Homero, sed credibile Poëtam adiecisse animum ad simulacrum antiquissimum, quod in Titi Imperatoris domo vidisse se Plin. testatur lib. 36. cap. 5. *opus* (vt ille ait) *omnibus & picturæ, & statuariæ artis præferendum*: nam ex vno lapide pater, liberi, Dracones, nexúsq; omnes confecti. Non abeunt à verbis Virgilij Arati versus, qui sunt apud Cic. 2. de Nat. Deorum:

Namque virum medium serpens sub pectore cingit,
Atque oculos vrget pedibus, pectúsque nepai.

Videnda etiam, quæ initio attuli ex Petron.

8. Nodos] Vide copiam veri Poëtæ, *orbes*, dixerat, *spiras, volumina*, ad hæc, verba *sinuant, amplexi, implicant, circumdant*, iam *nodos*, quid plura potuit? Plinius lib. 8. cap. 12. draconibus dat *nodos*, Æschylus dixit ὀφέων πλεκτάνας, intelligens spiras. Lucianus, Suidas, & alij, ὁλκοὺς. multi ῥύβονας.

[a] Qvales mugitus, fugit cùm saucius aras
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.
[b] At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt: sæuæq; petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibúsque Deæ, clypeíque sub orbe teguntur.
[c] Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat; pauor: & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt: Sacrvm qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Dvcendvm ad sedes simulacrum, orandaq; Diuæ
Numina conclamant.

ARGVMENTVM.

Laocoontis clamor cum mugitu percussi tauri comparatur. Dracones confugiunt ad Palladem. Pauent Troiani ad præteritum spectaculum, decernuntq́; debere equum Troiam perduci.

EXPLICATIO.

[a] Pendet sententia ex superioribus hunc in modum. Tollit Laocoon clamores horrendos ac tales, *quales mugitus taurus, cùm aras saucius fugit*, excussa securi à ceruice. Vocat securim *incertam*, quia non bene libratus ictus ab ministro. Omitto hîc

quampiam nonnullorum subtilitatem in reprehendendo Seruio.

b Facta cæde dracones confugiunt ad Palladis templum quod erat in summo, ideoposteà *arcem* nominat, quasi explicans, quæ essent *delubra summa.* ibi verò teguntur Deæ pedibus, orbe clypei, vt qui in eius tutela. Attributum *sæua* ad rem pertinet, indicat enim sæuitiam Palladis vlciscentis munus suum læsum. Expende etiam, dracones vltos violatorem confugisse ad arcem, vnde violator aduenerat, suprà enim audisti,

Laocoon ardens summa decurrit ab arce.

c Ad rem nunquam visam oportuit sequeretur non timor, non vulgare quidpiam, sed *pauor,* & hic *nouus* ad nouum spectaculum, & cum tremore. In verbo *insinuat* subaudi, *se*, vt dicat, *pauor se insinuat.* Quid tum verò Troiani? conclusio duplex, videlicet, meritò Laocoontem punitum, ducendum simulacrum ad arcem vrbis. Ratio primæ; meritò Laocoon punitus, quia læsit Palladis munus: ratio alterius; ducendum simulacrum, vt Pallas placetur, nam hoc est, *orandáque Diuæ Numina conclamant.*

Notæ.

1. Qvales mvgitvs] Duo attingit omina, quæ aduersa in sacrificiis, taurorum mugitum, & fugam. Prioris parcior mentio Ouid. 7. Met.

Mugitus victimæ.

—Mugitus victima diros
Edidit. Apollonius lib. 2. Excidij.

Fuga.

Hostia vincta tremit, mugituq; aëra tristi
Perculit. Posterioris frequentior. Plinius lib. 8. cap. 45. *nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.* Sueton. in Titi cap. 10. *Sabinos petit aliquanto tristior, quòd sacrificanti hostia aufugerat.* Lucan. lib. 7.

Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus. Val. lib. 1. cap. 6. vbi agit de Pompeio, *Cneum Pompeium Iuppiter omnipotens abundè monuerat, ne cum C. Cæsare vltimam belli sortem experiri contenderet, ab ipsis altaribus hostiarum fuga.* Tac. de Vitellio lib. 3. Hist. *Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disiecto sacrificij apparatu, longè, vbi feriri hostias mos est, confossus.* Liu. 1. Pun. *immolanti ei vitulus iam ictus à manibus sacrificantium sese cùm proripuisset, multos circunstantes cruore respersit.* Vtriúsque meminit Silius lib. 5.

Nec rauco taurus cessauit flebile ad aras
Immugire sono, pressamq; ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens altaria liquit.

& Paulus etiam: *Piacularia auspicia appellabant, quæ sacrificanti tristia portendebant: cùm aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset.* Vide, quæ ex Festo restituit Scaliger. De hostiis porrò, quæ visæ, interdum fugêre ex altaribus, etiam corde erepto, vide Galenum lib. 2. de decretis Hippocratis, & Platonis cap. 4. non longè à fine. Absimilis omnino fuit

Ionum mos in sacris.

mos Ionum, quem commeminit Alex. 3. Gen. cap. 12. illi contra instituta, morésque sacrorum, tum maximè hostiam Diis gratam putabant, cùm inter immolandum taurus mugitus daret. In hac comparatione obserua, Virgilium dissensisse à Calabro. Græcus quidem tantùm deuoratos filios à serpentibus inducit, non patrem; Ideo comparationem adducit lusciniæ complorantis ad pullorum cædem factam à dracone: Virgilius autem, qui patrem interfectum inducit, aptè confugit ad mugientem taurum.

Butypos minister sacrorum.

2. Secvrim.] Obseruat Germ. innui Butypon. is erat minister, qui securi bouem cædebat in sacris. Interpres Apollon. βούτυπος τοὺς θυομένους βοῦς τῷ πελέκει τύπτει κατ' αὐχένος. Inde Ouidius. 7. Met.

A *—feriúntque secures*
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.
& lib. 4. Trist. Ele. 2.

Candidáque adducta collum percussa securi,
Victima purpureo sanguine tingit humum.

Securis in sacris.

Indicant ista fuisse securim proprium admodum sacrificantium instrumentum. quod & Prudentius firmat canens in Apotheosi:

Pontificum festis ferienda securibus illuc
Agmina baccarum steterant.

Subit hîc Lectorem admonere, illud, quod sæpe legitur in Actis Sanctorum Martyrum, securi videlicet solitos percuti, tractũ ab hoc ritu gentium. Nam vt istæ suas victimas instrumento illo, ita & Martyres eodem mactabant, quos sæpissime vt victimas, B & piacularia quædam suis diis sacrabant. Firmant vehementer hoc illa, quæ de infulis iam à me dicta lib. 3. G. *Securim* intelligit Iuuen. cùm ait Sat. 12. *à grandi ceruix ferienda ministro.* Vt verò pleniùs capias locum hunc Virgilij, in quo sum, lege quæ dicam lib. 6. ad illud, *Supponunt alij cultros.* Vbi ex verbis Dionysij hic locus de securi & ceruice fit planus.

Delubri etymon.

3. Delvbra] Macrobius ex Varrone delubrum esse ait, vbi dedicatum sit simulacrum Dei, & à Deo delubrum vocatum, sicuti à candela candelabrum: quam doctrinam signans Virgilius, post mentionem Delubri ait, *sub pedibúsque Deæ.*

4. Svmma] Accipio de templo, quod esset in Troiana arce, nam hîc *delubra summa*, & statim *Tritonidis arcem.* Itaque non capiendus Poëta de templo C Mineruæ, quod fuisse in Sigæo testatur Herodotus lib. 5.

5. Effvgivnt] Petunt vt ad confugium, inde hîc Mineruam ἀλαλκομενηΐδα indicari Germ. notat, sic dictam παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν, *auxiliari, & propulsare malum.*

Tritonia cur Pallas.

6. Tritonidis] Adiice his, quæ suprà dedi de Pallade Tritonia, coniici posse ex Pind. Od. 5. Olym. Lacunam illam, vnde dicta sic Pallas, esse in Sicilia: nam ad eam, credo, adludit, cùm ait, Siciliensem Psaumidem Palladem colere, neque hanc Deam solùm, sed quæ illius essent omnia, lucum videlicet Palladis fluuium Oanum, ac sacrosanctos riuos fluuij Hipperis, inter autem hæc omnia nominat ἐγχωρίαν λίμναν, *patriam paludem*, id est *Siciliensem*, sic enim D interpretor, cùm ipse esset ex eadem insula. atqui reliqua loca Siciliæ sunt: cur non ergo palus?

Draco ad pedes Palladis.

7. Svb pedibvsqve Deæ, &c.] Moris fuit antiquorum ad pedes Deorum effingere monstra ab ipsis domita. Sic Callimachus Argis induxit signum Iunonis *subiecto pedibus eius corio Leonino.* Verba sunt Tertull. de corona militis. Sed in primis draco ad pedes Palladis effictus est. Pausan. Attic. loquens de Pallade: *Iacet ad pedes clypeus, ad imam hastam draco. Græca sunt,* πρὸς δὲ τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστίν. Plutarchus de Iside, & Osir. τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τὸν δράκοντα Φειδίας παρέθηκε: *Mineruæ simulacro draconem Phidias apposuit.* Ibidem numerans varia animalia sacra variis Diis, inter alia, τὸν δράκοντα τῆς Ἀθηνᾶς. Huc pertinet, quod de ærea sphinge sub

Sphinx Palladis.

E cuspide Palladis narrat Plin. lib. 36. cap. 5. Quam tamen sphingem Pausanias Att. in gelea eius deæ constituit. Itaque pictura veterum, quæ ad pedes Palladis draconem constituit, docet satis, ex eo more locutum Poëtam nullius eruditionis ignarum. Hinc credo dictum ab Accio in Eriphyla:

Pallas bicorpor anguium spiras trahit.

Et quis scit, an gentiles religionem hanc assumserint à vagante fama Luciferi domiti ab Michaele, atque ad eius pedes sub forma colubri prostrati?

8. Cly

8. CLYPEIQVE SVB ORBE TEGVNTVR] Hoc A ipso magnitudo clypei indicatur. Putant aliqui clypeos dictos, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, vel ἀπὸ τοῦ καλύπτειν. quòd *celent, tegántque* corpus: quibus non nihil videtur fauere carmen hoc Maronis. Sunt qui sequantur Plinium lib.35.cap.3. qui ait, *scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines, vnde & nomen habuere clypeorum, non, vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo.* dicit porrò dictos clypeos ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quòd imaginibus cælati, & sculpti essent.

Clypei etymon.

9. PER PECTORA CVNCTIS INSINVAT PAVOR] Locus timoris pectus. Næuius citatus à Nonio: *Magni metus tumultus pectora possidet.* Accius Epigonis: *pauorem hunc meum expectora*, id est, eiice à pectore.

Pectus sedes timoris.

10. INSINVAT] Subaudiui, *se*, ex doctrina Budæi, & Scaligeri. ita *præcipitat*, & *auertit*, pro, *præcipitat se, auertit se.* Non aptè vulgares Grammatici, explicant, B *insinuat, præcipitat, auertit.* ita, *insinuatur, præcipitatur, auertitur.* quasi verbum actiuum possit habere passiuam significationem. Budæi ratio alibi à me adducta. Ita infrà, *accingunt omnes operi*, id est, *accingunt se*, & *Lateri agglomerant nostro*, pro, *agglomerant se.*

11. ET SCELVS EXPENDISSE MERENTEM. &c.] Faciunt ad hanc sententiam versus, qui sunt apud Ælianum lib.3.Var.hist.cap.43. apud quem Sybaritæ Delphos ad oraculum miserunt propter occisum à se citharœdum, quibus sic respondit Pythia,

Τοῖς δὲ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστόν,
Οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν.
Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι, καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσιν,
Εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ λήματι βαίνει.
Improba facta manet sua pœna, nec hanc mora tollit, C
Nec patet effugium, quamuis Iouis inclyta proles
Sint qui peccarunt: sed pœna supra caput astat,
Persequiturq́; domum, & noxam accipit altera noxa.

12. SACRVM ROBVR] Videtur fieri allusio ad animalia, quæ Numini alicui sacra, innoxia esse debebant, quam rem alibi latè explico. fingitur itaque A Durateus religione ἵππος ἱερός. vel generaliùs capias. Nam omnia sacra in honore habenda, quod si aliter fiat vindicta acris imminet. Apud Liuium lib.42. Fuluius Flaccus Pontifex se laqueo suspendit, post quod facinus ita scriptor: *vulgò Iunonis Laciniæ iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant.* Inde ergo ira in Laocoontem ob læsum munus sacrum, id est, dicatum Palladi. Ideo Calaber de Laocoonte, ἀναιδέος, propter temeritatem & impudentiam, qua munus læsit.

Animalia Diis sacra.

13. SCELERATAM] Vult Nasc. fieri allusionem ad hastam sceleratam, quæ Romano more ante vrbium expugnationem ab imperatoribus in hostium conspectu poni solebat, quæ illius excidium significaret.

Hasta scelerata.

14. INTORSERIT] Id verbum & Tacito vsurpatum. 4. Ann. *se ad intorquenda pila expedierat vetus miles.*

15. DVCENDVM AD SEDES] Conclusio, in quam omnes iuere. verissimè Curt. lib. 4. *nulla res efficacius multitudinem regit, quàm superstitio: alioqui impotens, sæua, mutabilis. Vbi vana religione capta est, meliùs vatibus, quàm ducibus suis paret.* Verissimè Liuius lib.39. *Nihil in speciem fallacius est, quàm praua religio, vbi Deorum numen prætenditur sceleribus.* Verissimè Mariana lib.9. Hist. Hispan. cap.18. *Nihil tenacius inhæret, quàm quod religionis specie defenditur.* Verissimè Lucretius lib.1.

Superstitio efficacissima.

Tantùm relligio potuit suadere malorum.

Diffidebant priùs Troiani, sed vbi fraudibus Sinonis relligio Mineruæ, & superstitio vana accessit, omnes conclamant, equum ad arcem ducendum. Eurip. in Troad. de hac eadem re.

Ἀνὰ δ' ἐβόασεν λεώς
Τὸ δ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον
Ἰλιάδι διογενεῖ κόρᾳ.
Exclamauit verò populus,
Hoc sacrum subducite simulacrum
Iliacæ Ioue genitæ Palladi.

Vt Poëta *ducendum*, pari verbo Calaber lib.12. de hoc equo, Τριτωνίδι δῶρον ἄγεσθαι.

[a] Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis.
[b] Accingunt omnes operi, pedibúsque rotarum
Subiiciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. [c] scandit FATALIS machina muros,
Fœta armis [d]: circum PVERI innuptæq; puellæ
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent:
[e] Illa subit, mediæq; MINANS illabitur vrbi.

ARGVMENTVM.

Rupto muro equus armatis plenus Troiam rotis funibúsque perducitur: accedit plausus & religio vt in re sacra.

EXPLICATIO.

[a] Ecce præceps consilium, sed quod excuses præterito Laocoontis malo. Vti defendendus Vates à vitio taurologiæ in Notis dico.

[b] Apertis muris omnes pariter in opus incumbunt, & machinam pertrahunt duplici adiumento, videlicet & rotis, & funibus: illas subiiciunt pedibus equi, istos collo intendunt. Verba illa de rotis ita digerenda sunt, atque ordinanda, *subiiciunt pedibus lapsus rotarum*, non *subiiciunt lapsus pedibus rotarum.* Sed hoc in Notis. Hîc tu expende qua celeritate in perniciem suam Toiani ruerent, nam quasi remis, velisque, ita D rotis, ac funibus in malum suum incumbunt.

[c] Ita & rotis & funibus *scandit* ad *muros machina* illa, quę esset extremum fatum atque exitium allatura.

[d] Neque verò defuit religio, vt in re sacra: adhibentur quippe pueri, & puellæ adhuc virgines (quæ ætas apta contingendis sacris propter innocentiam) quæ canant laudes in honorem credo Palladis.

[e] Nihil grandius dici potuit ad explicandum exitium, quod machina illa vrbi miseræ minabatur: etenim motum, quo equus agebatur *minas* vocat, quasi non tam moueri, quàm minari videretur. Placet etiam mens Donati hæc: subit machina, & illabitur, & nondum ingressa, adhuc enim in porta hærebat, nam infrà, *quater ipso in limine portæ substitit*, iam mediæ vrbi minari videbatur.

NOTÆ.

1. DIVIDIMVS MVROS] Historiam hanc sic supperit Dictys lib.5. *Postquam magnitudine operis* impe-

impediri per portas ingressum animaduertere, consilium destruendorum desuper murorum capiunt, neque quisquam secus præ tali studio decernebat. ita inuiolatum multis tempestatibus murorum opus Neptuníque, vt perhibebatur, atque Apollinis maxima monumenta, multo delectu ciuium manibus dissoluuntur. Dio Chrysost. Orat. 11. ἀνήγαγον αὐτὸν (ἵππον) οἱ Τρῶες πρὸς τὴν πόλιν· καὶ τῶν πυλῶν οὐ δεχομένων, μέρος τι τοῦ τείχους καθεῖλον: *Duxerant illum (equum) ad ciuitatem Troiani, quem cùm portæ non possent suscipere diruerunt partem muri.* Seneca in Agamemn.

Mœnia diuûm fabricata manu,
Diruta nostra.

Calaber lib. 12. de Troianis loquens.

—μεγάλης κρήδεμνα πόληος
Αὐτοὶ λυσάμενοι.
Soluentes muros magnæ vrbis.

Quæ verba accepit Calaber ab Homero, nam hîc Odyss. 13.

— Τροίης λύομεν λιπαρὰ κρήδεμνα.
Troiæ soluimus magnos muros.

Tryphiodorus opus hoc attribuit Neptuno, qui diruit Troianas portas, vt iter esset eunti equo. Attingit in excursu Statius lib. 1. Sylu. loquẽs enim de equo Domitiani ait,

Hunc neque discissis cepissent Pergama muris.

Muri, & mœnia distinguntur.

2. ET MOENIA PANDIMVS VRBIS] Non est tautologia: nam muri à mœnibus distinguntur. *murus* propriè est ambitus vrbem cogens; *mœnia*, quæ à muniendo, aut mœniendo, dicta, significant omnem munitionem castrorum, ædificiorum, quorumcumque locorum; neque tam τείχη sonant, quam ἕρκη, septa, claustra, propugnacula. Apertè condistinguit Cæsar. 2. Ciuil. *Cùm penè ædificata in muris ab exercitu nostro mœnia viderentur.* Lucret. *Mœnia mundi*, dixit, significans quamcumque munitionem. Condistinguit etiam Seneca ep. 59. loquens de Alexandro. *In obsidione cuiusdam vrbis dum circuit muros, & dum imbecillissima mœnium quærit.* Ergo Poëta muros diuidit, & pandit mœnia: in priore sermone capiendus de ambitu, in posterio fortassè respexit ad Scæam portam, ruina, & demolitione sua Troiæ confatalem. vt pandere hîc non tantùm sit diuidere, sed moles etiam ædificiorum complanare, & maiore hiatu patefacere. Sic fermè locum hunc tractat Germ. plura apud illum inuenies.

Accinctio ad opera.

3. ACCINGVNT OMNES OPERI] Accinctio diligentis & gnaui est, & plerunque ad militiam traducitur. Petron. Satyr. *& præcincti certè altiùs eramus, imò ego sic iam paria composueram, vt si depugnandum foret.* Horat. 2. Satyr. 8. seruos Nasidieni vocat pueros *altè cinctos.* à Græcis manauit hic loquendi modus, vt aduertit Turneb. lib. 29. cap. 25. nam apud Homerum, ζώννυσθαι, id est *cingi*, valet, *armari*, Iliad. λ. & Hesiodus, ζώσαντο δὲ πηοί, dixit, *cingebantur affines.* malè Hesiodi versus adducitur à Turnebo Typographi fortasse culpa, nam loco πηοὶ, scribit, πτοοί. Sed in primis accinctio est incipientis laborem. inde Anacreon Cupidinem sibi cùm vult in mensa ministrare; ἔρως ait χιτῶνα δήσας ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ, *religet Amor super collo vestem papyro.* Athen. lib. 8. cap. 6. coquo cuidam cinctionem dat. ἕψοντι — καὶ περιεζωσμένῳ Ἀντίγονος ὁ βασιλεὺς προσστὰς εἶπεν: *coquenti atque circumcincto assistens Rex Antigonus dixit.* Cinctis, accinctis, præcinctis, succinctis, (hæ voces in hac re solemnes) discincti opponuntur. Seneca lib. 4. epist. de Mæcenate: *altè cinctum putes dixisse, habuit enim ingenium grande, & virile, nisi illud ipse discinxisset.*

Discincti.

4. PEDIBVSQVE ROTARVM SVBIICIVNT LAPSVS] Vt digessi sententia est clara: non ita si dicas, *subiiciunt lapsus pedibus rotarum.* ergo sententia est, subiectas rotas pedibus equi, ad quas explicandas placuit Poëtæ Phrasis mirè poëtica, sic *equi vis* pro equo, *Herculis virtus* pro Hercule: & multa, quæ alibi coniungimus ex obseruatione doctorum hominum Turn. Germ. Gifan. aliorúmque. sic itaque, *lapsus rotarum*, sunt rotæ, nihil aliud. Nec facilè cedam, si cui aliter visum, nam & Tryphiod. de equo Troiano ait, Epeum subiecisse singulis eius pedibus rotas quasdam,

κύκλον ἐϋκνήμιδα ποδῶν ὑπέθηκεν ἑκάστῳ.

Neque abeunt verba Calabri lib. 12. qui idem fermè signata sunt,

Ἐπειὸς ποσσὶν ἐΰτροχα δούρατα θῆκεν:
Epeus subiecit pedibus currentes rotas ligneas.

B Quod enim Tryphiod. dixit κύκλον, Calaber δούρατα ἐΰτροχα. Itaque qui de equo Troiano scripserunt, tantùm rotarum meminerunt, non alterius instrumenti; ac perinde non indicabitur in Poëta nouus lapsus ad rotas mouendas, sed ipsæmet rotæ dicuntur, *lapsus rotarum.* deinde si dicas *subiectos lapsus pedibus rotarum*; obsecro, qui erũt *pedes rotarum*? vel quæ hæc phrasis? à me est Donatus, qui apertè *lapsus rotarũ*, non pedibus rotarum. & Cedrenus, qui clarè τροχηλάτον ἑλκόμενον.

5 STVPEA VINCVLA] Calaber σειρὴν nominat, idest, catenam.

6. FATALIS MACHINA] Ad hanc fatalem machinam idonea est Seruii nota, qui ait ter equorum gratia Ilium expugnatum. Primò cùm Laomedon promissos equos Herculi non tradidisset: secundò, C per hunc ligneum equum: tertiò, cùm Ilienses Cinnam. III. Cos. in vrbem recipere abnuerunt. Tunc enim equus valuis interceptus claudẽdi facultatem ademit. Itaque sẽper equus fatalis fuit Troianis. Pulchrè lusit, qui de Iliade discerpta ab asello sic lusit.

Equus fatis Troiæ.

Carminis Iliaci libros consumsit asellus:
Hoc fatum Troiæ est, aut equus aut asinus.

Non te prætereat, esse multos, qui putent hoc equo ligneo intelligi machinam diruendis muris. Nam cùm ait *scandit*, dicunt innui scansoriam machinam. Cùm suprà dictum est,

Scansoria machina ... capiédus ... ariete.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros.

Aiunt significari militarem arietem, scribente Plinio lib. 2. cap. 56. *Equum in muralibus machinis, qui nũc aries dicitur, Epeus ad Troiam reperit.* Huic rei satis fauet D versus Propertij lib. 3. eleg. 1.

Aut quis equo pulsas abiegno nosceret arces?

Loquitur de Troianis Pergamis. vbi sanè vox *pulsas*, ducit nos ad arietem militarem. Aliqua horum etiam si astrui possint, tamen nequit negari Poëtam contendisse ad equum ligneum.

7. FOETA ARMIS] Ennius in Alexandro de equo Durateo apud Macrob. lib. 6. cap. 2.

Grauidus armatis equus,
Qui suo partu ardua perdat
Pergama.

In Græ. epigram. (notat Germ.) πῶλον ἔγκυον inuenies, *equum grauidum*, sermo est de Troiano. Vnde Tryphiodorus persistens in eadem metaphora Palladem in hoc opere Græcis fauentem μαῖαν vocat, E idest, *obstetricem.* Petron. *vteri fata.* dixit. Eurip. Troadibus, ἐγκύμον' ἵππον. & Lycoph. ὠδίνοντα μορμωτὸν λόχον: *parturientem terrificas insidias.* Ideo de hoc equo Virgilius sæpe dicit *vterum.* vt *vterúmque armato milite complent.* & *vteroque recusso.* & in. 6. sibi accinens,

Armatum peditem grauis attulit aluo.

Lucretius etiam lib. 1.

—Durateus Troianis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.

8. CIRCVM PVERI, &c.] Cur tanta religione equus in vrbem

in vrbem inducitur? respondet Nannius. 7. Miscel. A eandem religionem, quæ est in sacris Deorũ Thensis, equo datam à Virgilio, adducítque hæc verba Asconij in 3. Verrinarum. *Thensa, sacra vehicula, pompa ordinũ & hostiarum. thensas alij à diuininate dici putant, alij quòd ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* de eodem hoc equo Sen. Agam.

Thensæ vnde dictæ.

Secura metu Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.

Dictys lib. 5. *Nuntiatum Troianis, vt cum summa religione susciperent, Mineruæ scilicet sacrum, dicatúmque. Quare magna vis hominum portis egressa summa lætitia, sacrificióque donum excipit, attrahítque propius mœnia.* Sed nemo latiùs Tryphiodoro de hac re, persequitur enim multis hanc vecti equi celebritatem: B ait enim exceptum illum μολπῇ τ', ὀρχηθμῷ τε, *carmine, & saltatione.* ait instratos eunti equo ῥοδέας τάπητας, *roseos tapetas*, ait puellas detraxisse sibi pectoralia ornamenta: vt illa innexa floribus equum coronarent. ait, machinam illam conspersam vino commisto cum croco, κρόκῳ κεκερασμένον οἶνον. Demum ait, terram ipsam conspersam ὀδώδει πηλῷ, *odorato vino.* Meminit etiam omnis ætatis, & sexus, qui ad hanc celebritatem accurrerunt. Inducit quippe γυναῖκας, νύμφας, πρεσβύτας. & infrà, παῖδας, atque etiam ἀνδρομένην βοὴν, θῆλυν ἰωὴν, γήραον ἠχὴν: *viriles voces, clamores muliebres, cantilenas senum.* Ponuntur ab eodem αὐλοὶ & φόρμιγγες, *tibiæ, & citharæ*, præcedentes equum. Additque insanum cultum exhibitum equo à Troianis: C metebant enim flores Simoëntis, quibus occisoris sui collum coronarent.

Equus Troianus qua religione vectus.

Ἔστεφον (inquit) αὐχένιοις πλοκάμοις σφετέροιο φονῆος.

Multis quoque hanc celebritatem Seneca in Agamemnone act. 3. vbi signatè ait confluxisse omnem ætatem, omnem sexum. Adhibet enim turmas puerorum, & iuuencularum; tum etiam matres ferentes Diuis vota, patres adeuntes aras. Ab Calabro etiam lib. 12. Troiani inducuntur λείβοντες μέθυ λαρὸν, *libantes dulce merum.* Meminit etiam, coronas floreas, quibus ornatus equus. Sed volo huic notæ aliquid aspergere Romanæ historiæ. Videtur enim repræsentata à Vate imago illa, qua vecta est à Romanis militibus Regina Iuno, cùm hæc Dea post expugnatos Veios translata est Romam ex voto Dictatoris D Camilli. Facile hoc erit adeunti Liuium lib. 5. & conferenti illum cum Virgilio.

Iuno Regina.

9. SACRA CANVNT] Similis locus est apud Apuleium lib. 11. in celebratissima pompa: *Symphoniæ dehinc suaues, fistulæ, tibiæq; modulis dulcissimis personabant. Eas amœnus lectissimæ iuuentutis veste niuea & cataclista prænitens sequebatur chorus, carmen venustum iterantes.* Similia loca in Liuio obseruabis de cantilenis in pompis celebratissimis.

10. FVNEMQVE MANV CONTINGERE GAVDENT] Scias hîc, veteres in parte religionis posuisse, *tangere res sacras.* Tacit. lib. 4. Hist. *Vittas, quibus ligatus lapis, innexíque funes erant, contigit*, sermo est de re sacra. Idem de moribus Germ. *est in insula Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contectum, attingere vni sacerdoti concessum.* E Arnob. lib. 6. de Gentium simulacris loquens: *ita enim non videtis hæc signa, quorum plantas, & genua contingitis, & contrectatis orantes.* Liu. lib. 21. *Fama etiam est, Annibalem annorum fermè nouem pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hispaniam, cùm perfecto Africo bello exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum, se, cùm primùm posset, hostem fore populo Rom.* Idem lib. 5. *Delecti ex omni exercitu iuuenes purè lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Iuno assignata erat, venerabundi templum iniere, primò religiosè admouentes manus: quòd id signum more Hetrusco, nisi certa gentis sacerdos attrectare non esset solitus.* Adduxi integra Liuij, vt circumstantiis intelligatur cultus. Apollon. lib. 4.

Tangere sacra.

Ἱετο δ' ἕκαστος ἐπαυσαι ἐελδόμενος.
Singuli cupiebant tangere.

Sermo est de aureo vellere. Inde suprà dictum de abominando crimine,

—manibúsque cruentis
Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.

& inf. Æneas pius erga numina,

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas.

Iuuenal. Sat. 6.

Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ.

Ceterùm si te historiarum similitudo delectat, non absimile est ab historia Poëtæ, quod narrat Athen. lib. 5. in pompa Athenionis tyranni, συνέτρεχον ἐπὶ τὴν θέαν ταύτην ἄνδρες, γυναῖκες, παῖδες: *concurrebant ad hoc spectaculum viri, fœminæ, pueri.* Stat. 4. Theb.

Iamq; suos circum pueri, innuptæq; patresq;
Funduntur misti.

De hac celebritate satis multa Eurip. in choro Troadum.

Τίς οὐκ ἔβα νεανίδων;
Τίς δ' γεραιὸς ἐκ δόμων;
Κεχαρμένοι δ' ἀοιδαῖς
Δόλιον ἔσχον ἄταν.
Quis non iuit Iuuenum?
Quis non senex ex domibus?
Exhilarati cantilenis
Dolosum apprehenderunt malum.

Iterum.

Πᾶσα δ' γέννα Φρυγῶν
Πρὸς πύλας ὡρμάθη:
Phryges omnes
Proruerunt ad portas.

Et

—παρθένοι
Δ' ἀέρον ἀνὰ κρότον ποδῶν
Βοάν τ' ἔμελπον εὔφρονα:
—*Virgines*
Cum sublimi plausu pedum
Canebant lætam cantionem.

Demum

Φονία δ' ἀνὰ πτόλιν
Βοὰ κατεῖχε Περγάμων
Ἕδρας.
Lethalis per ciuitatem
Vociferatio occupauit loca omnia Troiæ.

Tam Euripidem quàm Virgilium explorauit Seneca in Agamemnone multa conferens ad argumentum suum.

11. ILLA SVBIT] Petron. sic extulit.

Ibat iuuentus, dum Troiam capit,
Bellumq; totum fraude ducebat noua.

Tryphiodorus ita,

Εἵπετο δ' αἰόλος ἵππος ἀρήϊος ἐπὶ βωμοὺς
Κυδιόων.
Sequebatur variegatus, & Martius equus ad aras
Superbiens.

Equum etiam vocat ἐπιβήτορα *ascensorem.*

[a] O patria, ô Diuûm domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidûm. quater ipso in limine portæ
Substitit, atque vtero sonitum quater arma dedere.
[b] Instamus tamen immemores, CÆCIQVE furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
[c] Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, Dei iussu non vnquam credita Teucris.
[d] Nos delubra Deûm, miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

ARGVMENTVM.

In ingressu portæ equus cum armis tremit, ad quam rem cæci sunt Troiani: in arce sistitur, vbi Cassandra exitium aperit, sed nec creditur: templa omnia ornantur frondibus ad lætitiam signandam.

EXPLICATIO.

[a] MIRE narrationem abrumpit, inserítque exclamationem admodum patheticam ad excitandos affectus. Narrabat Æneas, & in ipso cursu narrationis patriæ dolore exstimulatus, non potuit non erumpere, ferens indignè eam vrbem dirui, quæ semper fuisset & religione conspicua, & bello maxima: hæc enim duo elogia attingit, quibus nullum maius. In illis, *Diuûm domus Ilium*, magna est commendatio, quasi ipsa vrbs non tam templa haberet Deorum multorum, quàm ipsa tota sacrarium quoddam esset, & domus, vbi Dij culti. Pertinet verò exclamatio ad id, quod sequitur, *quater ipso*, &c. quasi dicat: Non nobis dij defuerunt, prodentibus se insidiis, quæ in equo latebant, armorum sonitu; sed cæcitas mentis abstulit vsum aurium, quibus non credidimus. Sed hoc iam explico.

[b] Duplex causa vnius effectus. *instamus*, & quia *immemores*, & quia *cæci furore*. etenim fatum & memoriam abstulit, & menti tenebras induxit. Quid verò facimus immemores, quid cæci? *sistimus arce monstrum infelix*.

[c] Præter armorum sonitum, quo, nisi cæci, excitari debuissemus, adfuit quoque vaticinium Cassandræ, quæ tamen non credita, nihil minuit cladem. Roges, an Cassandra non credita? an, ora non credita? quod malis. in posterius inclino, quod exquisitius, neque vulgare: sed non pugno.

[d] Plena ista magnis affectibus. Festa celebrantur ab miseris, & is dies habetur lætissimus, qui futurus extremus.

NOTÆ.

1. O PATRIA, O DIVVM, &c.] Sententiam ex multis hausit: in primis versus Ennij est totus. Deinde Plautus Bacchidibus dixit: *ô Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame periisti senex.* Tertiò hærere potuit versibus incerti Poëtæ, qui apud Tul. leguntur. 3. Tuscul. Sunt qui Ennio attribuant,

O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altisono cardine templum,
Vidi ego te astante ope barbarica
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore instructum regificè.
Hæc omnia vidi inflammarier,
Priamo vi vitam euitarier,
Iouis aram sanguine turparier.

A Quarto Medea apud Eurip.

Ὦ πάτερ, ὦ πόλις, ὧν ἀπενάσθην
Αἰσχρῶς, τὸν ἐμὸν κτείνασα κάσιν:
O pater ô patria vnde discessi
Turpiter, fratrem meum interficiens.

Ex hac tragœdia multa hîc inseri possent. Institit his locis Silius lib. 1.

O patria ô Fidei domus inclyta, quo tua nunc sunt
Fata loco?

Aristides in 2. Platon. ὦ γῆ, καὶ θεοί. Sed quare Troia *domus Diuûm*? Refer ad multa Deorum templa Diis consecrata in hac vrbe. Nam Eustathius hanc rationem reddit, explicans, cur Homerus dixerit ἱερὰν ἴλιον. Sunt qui ita capiant Horatium od. 19. lib. 3. *Et pugnata sacro bella sub Ilio.*

B 2. MOENIA DARDANIDVM] Commodè mœnia, non Troianorum, non Teucrorum, aut quoduis aliud, sed signatè *Dardanidûm*, ex nota, quæ alibi, ad hunc etiam locum apranda. adi indicem.

3. QVATER IPSO IN LIMINE PORTÆ SVBSTITIT] Respexit ad hunc locum Sen. Agamem.

Fatale munus Danaûm traximus nostra
Crudele dextra: tremuítque sæpe
Limine in primo sonipes, cauernis
Conditos Reges, bellúmque gestans:
Et licuit versare dolos, vt ipsi
Fraude sua capti caderent Pelasgi.
Sæpe commota sonuere parmæ,
Tacitúmque murmur percussit aures.

De hoc transcensu liminis Plautus Bacchidib.

C *Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio.*
Turbat equus lepidè ligneus.

Tryphiodorus ait, angustas portas fuisse, sed Iunonis opera factum ἐπίδρομον ὅρμον ὁδοῖο: *facilem accessum viæ.* Sunt qui in hac equi ad portas offensione putent allusum ad omen, quo quis exiturus ad bellum, aut ad rem aliam, offendebat in limine. quod omen accidit Protesilao eunti ad Troianum bellum, vnde ipsi mors. Putatur verò hoc omen traxisse malitiam à Furiis inferorum, nam harum sedes limen est. Quod sæpe Virgilius attingit, semel in 4. sæpius in 6. Offensio ad limen, aduersũ omen.

vltricésque sedent in limine Diræ.
—cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat, facies quæ limina seruet.

Iterum,

D *Tisiphonéque sedens palla succincta cruenta.*
Vestibulum insomnis seruat noctésque diésque.

& adhuc,

Nulli fas casto sceleratum insistere limen.

Vocat enim *sceleratum* à Furiis, quæ ibi. Inde etiam Helena & Creusa finguntur à Poëta magno in hoc libro ad limina. Illam Limen sceleratum.

—limina Vestæ
Seruantem.

de qua signatè,

--Troiæ,

—*Troiæ,& patriæ communis Erynnis,*

Quasi dicat, quia Erynnis, ideo ad limina. Creüsa verò inducitur complexa pedes Æneæ *in limine*, quæ videlicet non multo post obiit. A Furiis itaque sumpta aduersa omina Protesilai, Creüsæ, equi Troiani. Ab Ouidio etiam hoc omen attingitur,

Omina sunt aliquid, modò cùm discedere vellet,
Ad limen digitos constitit icta Nape.

Apud Cedrenum improbus quidam πεσὼν πρὸ τῆς πύλην τῆς ἐκκλησίας ἀπέθανε: *concidit, obijtq; ad portam templi.* Idem narrat, imaginem Cæsaris, quæ erat in vestibulo, cōcidisse, cùm videlicet ipse ianuam domus attingeret iturus ad curiam eo die, quo interfectus est. Sed hoc omitto. Sonitus porro, & gemitus equi vectati multis Tryphiod. Nam de terra pressa equi magnitudine, δεινὸν ὑπερβρυχᾶτο, de axibus attritis, ἀΐστεον, de ipsa mole lignea, τετρύγει.

4. INSTAMVS TAMEN IMMEMORES] Est hoc quod dixit Calaber de re eadem loquens,

Δερκομένων ἀλεγεινὰ τεράατα πάντα κατ' ἄστυ,
Κῆρες γὰρ πάντων νόον ἔκβαλον:
Videbamus dira monstra omnia per vrbem,
Sed Parcæ omnium mentes excusserunt.

Adhibet quippe Calaber multa alia monstra, & prodigia, quæ acciderunt, cùm equus vectaretur: videlicet victimas non arsisse, extinctam flammam sacrificantium, cruentum fumum ab igne sacrificij, lapsas aras, libamina versa in sanguinem, simulacra Diuum lacrymasse, templa sanie sparsa, muros concussos, fragorem turrium, repagula portarum fracta ad ingredientem equum, aues nocturnas feraliter gementes, sidera omnia obtenebrata, Apollinis lauros aruisse, lupos & thoas extra portas vlulasse, innumera denique prodigia accidisse. Demum absoluit, mentem Dij excusserunt. In voce *instamus* est quod notes. Est hoc verbum principum, præfectorum, vtique ἐπιστατῶν & ἐργοδιωκτῶν. itaque non tam vulgus instabat, quàm proceres & principes Troiani, & fortasse in his Thymœtes, qui iam censuerat,

duci intra muros,& arce locari.

Sic Dido in 1. *instās operi regniśq; futuris.* Certè ἐπιστᾶσα.

5. MONSTRVM INFELIX] Pulcrè, nam huius forma equi nunquam priùs visa: Aristoteli enim monstrum est φύσεως παράβασις, *naturæ transgreßio.* Sic & Catull. Argon. de prima naui,

Æquoreæ monstrum Nereides admirantes.

Ne verò in Virgilio capias *monstrum* simpliciter pro re monstrosa, sed cum relatione ad prodigia, quasi monstraretur indicaretúrque abominādum exitium. monstrum enim à monstrando dictum: ideo additur *infelix*, quod est attributum aduersantium ominum, prodigiorum, auguriorum. Monstrum.

6. CASSANDRA] Hæc, cùm ab amatore Phoebo, concubitus pollicitatione, vaticinandi artem accepisset, eum fefellit: quare iratus quòd donum auferre nequibat, irritū reddidit, addita Cassandræ oraculis lege, vt nemo illis crederet. Tryphiodorus Halosi Ilij. Cassandræ vaticinia irrita.

—τὴν γὰρ Ἀπόλλων
Ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν, καὶ ἄπιστον ἔθηκε:
—*dederat huic augur Apollo*
Esse bonam vatem, sed non credenda profari.

Calaber illam vocat ἀνεμώλιον, id est, vanam, futilem, irritam vatem. Ibidem ipsa de se, ἀλλά μοι οὐ πείθεσθε, *sed mihi fidem non habetis.* sed multis Calaber hanc rem Cassandræ. omitto. Apud Plutarchum ἐν παραγγέλμασι πολιτικοῖς, Cassandra ipsa ita loquitur versibus veteris poëtæ,

Ἄκραντον αὖ μ' ἔθηκε θεσπίζειν θεὸς,
Καὶ πρὸς παθόντων, κἀν κακοῖσι κειμένων
Σοφὴ κέκλημαι.

A *Vatem voluit frustra sanè esse me Deus,*
Quando ante cladem sum numerata insana ego,
Calamitate accepta nunc sapiens vocor.

Huc alludens Propert. lib. 3. dixit:

Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.

Seneca in Troad.

Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala.

Tryphiodorus de illa, ψευδέα θεσπίζεσα, *mendacia vaticinans.*

7. NOS DELVBRA DEVM, &c.] Ex more gentium omnium, quæ in priuatis publicisve lætitiis ianuas velabant ramis arborum, templa, vias, omnem B denique vrbem: cuius moris frequentissima mentio. Lucan. lib. 2. Rami arborum in celebritatib.

Festa coronato non pendent limine serta.

Tertull. in Apolog. *Cur die læto non laureis postes obumbramus?* idem ibidem: *Quàm recentißimis, & ramosißimis laureis postes perstruebant? quàm elatißimis, & clarißimis lucernis vestibula enubilabant?* Attigit morem Sanctus Ephrem sermone in Crucem: *Coronemus portarum frontes, vt Christiani: & non vt gentiles, atque Pagani, lauris, aut floribus, alijsque herbarum generibus.* Viæ, quibus iturus Xerxes, apud Herodotum lib. 7. sternuntur myrto, μυρσίνῃσι στορνῦντες τὴν ὁδὸν. & lib. 8. τὰς θ' ὁδὰς μυρσίνῃσι πάσας ἐστόρεσαν, καὶ ἐθυμίων θυμιάματα: *vias omnes myrto spargebant, odoribus complebant.* Latinus Pacatus Paneg. Theodosij. *Portas virentibus sertis* C *coronatas.* Catullus de nuptiis Pelei:

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.

Rutilius Claud. lib. 1. Itinerar.

Exornent virides communia gaudia rami.

Apuleius lib. 4. *Per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis, & solutis adprecantur.* Xiphilinus in Nerone, de aduentu Tiridatis, καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο καὶ φωσὶ, καὶ στεφανώμασι: *Omnis ciuitas ornabatur luminibus, & coronis.* Idem cùm Nero è Græcia rediret, ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, κἀκεῖθεν ἐς τὸ παλάτιον πάσης τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης: *Ascendit in Capitolium, inde in palatium, vrbe tota frondibus ornata.* Stat. 2. Theb. in nuptiis filiorum Adrasti,

—*fractisque obtendunt limina syluis.*

D Iuuen. Satyr. 6.

Ornentur postes,& grandi ianua lauro.

Hic præsertim mos ad pacem pertinet, quam iam se habere Troiani putabant post longum bellum. Dio Chrysost. Orat. 38. καὶ ὅσα δὲ δὴ ἥδιστά τε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ εὐδαιμονίας σύμβολα ταῦτα ποιοῦμεν, ἐπειδὰν εἰρήνη γένηται. καὶ στεφανούμεθα, καὶ θύομεν, καὶ ἑορτάζομεν: *Quæcunque hominibus iucundißima sunt & felicitatis signa, ea omnia facimus pace constituta: ornamur sertis, sacrificamus, dies festos agimus.* Sed cur de hac celebritate Troianorum omitto versus Calabri? qui habentur initio lib. 13. ait ille.

Οἱ δ' ἄρ' ἀνὰ πτολίεθρον ἐδόρπεον. ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Αὐλοὶ ὁμῶς σύριγξι μέγ' ἤπυον. ἀμφὶ δὲ πάντη
Μολπὴ ἔην ὀρχηθμοῖσι, καὶ ἄκριτος ἔσκεν ἀϋτὴ
Δαινυμένων, οἷάτε πέλει περὶ δαιτὶ, καὶ οἴνῳ:
Troiani interea conuiuia læta frequentant,
E *Tibia demulcet sonitus, & fistula: vbique*
Cantúsque & saltus,& grata licentia vulgi,
Quales esse solent epulis vinóque madentes.

& lib. superiore dixerat, Troianos se sertis coronasse.

8. FESTA FRONDE] Locus notandus contra Vallam, & Grammaticos, qui ita discriminant. Folia sunt arborū, & herbarum: frondes tantùm arborum. Nam frondes potiùs sunt rami virides cum foliis, vt appa- Frōdes, quæ sint.
ret ex hoc loco. Sed de hac re ego iam alibi.

[a] Vertitur interea cœlum,& ruit Oceano nox,
[b] Inuoluens vmbra magna terrámque polúmque,
Myrmidonúmque dolos. [c] fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.
[d] Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo,tacitæ per amica silentia Lunæ
Littora nota petens:flammas cùm Regia puppis
Extulerat;fatísque Deûm defensus iniquis
Inclusos vtero Danaos,& pinea furtim
Laxat claustra Sinon:illos patefactus ad auras
Reddit equus:lætíque cauo se robore promunt
Tisandrus,Sthenelúsque duces,& dirus Vlysses,
Demissum lapsi per funem,Athamasq; Thoásque,
Pelidésque Neoptolemus,primúsque Machaon,
Et Menelaüs, & ipse doli fabricator Epeus.

ARGVMENTVM.

Ruit nox tanta vrbi exitium allatura. Troiani dormiunt, Græci interim à Tenedo ad littus nauigant: Sinon in vrbe equum aperit,descendunt ex eo armati.

EXPLICATIO.

[a] Vide si quid tristius dici potuit ad signandum luctum illius extremæ noctis. Syllabæ, numerus, verba,& verborum dispositio omnia metum afferunt, & animos contrahunt. verbo *ruit* signatur præceps cœli ruina Troianos oppressura. Ad hæc, monosyllaba vox seruata ad finem, quid non meditandum relinquit? Verè hic Vates omnium princeps.

[b] Tristissimus superior versus,hic iam tristior.Non satis suppetit, quî expendam tantam tristitiam. Tristitiæ adduntur doli, nam hos quoque nox inuoluit, ne quid discerni queat.

[c] Rem dicit,& rei causam.Ideo fusi,quia fessi:ideo taciti,quia sopore correpti.

[d] Transit à Troianis ad Græcos. Illis somno correpti, isti vigiles instruxerant naues, ibátque classis, *à Tenedo petens Littora* satis *nota* decem interuallo annorum. Iuuabat noctis silentium. Nauis regia facem è puppi extulit,quo puncto temporis (nam hoc signum conuenerat) Sinon equum aperit, seruatus in perniciem Troianam. *Reddit equus*, restituítque luci, quos habebat in vtero & tenebris: exeunt illi *læti*,vt qui ad exitum vident perduci fatale Troiæ exitium. Numerat Poëta principes nouem, qui ex equo exiuerunt.

NOTÆ.

1. VERTITVR INTEREA, &c.] Pari tristitia Tacitus. 4. Ann. in nocte minarum plena: *Ingruebat nox nimbo atrox, hostisq; clamore turbida, modò per vastum silentium,&c.* Pari Xenoph. 5. ἀναβ. ἡ νὺξ φοβερὰ ἦν ἐπιοῦσα. Tryphiodorus de nocte Troiana,

Ἴλιον αἰπεινὴν ὀλεσίπτολις ἀμφέβαλε νύξ:
Nox allatura exitium circundedit excelsum Ilion.

Lucanus lib.8.friget in simili nocte describenda,

Obuia nox miseræ cœlum lucemq; tenebris
Abstulit,atque animam clausit dolor.

Friget (inquam) collatione Virgilij. Cùm ait, noctem ruere Oceano, signat inferos, vnde nox finge-

A batur per aquas ad nos redire. Eurip. clarè

Πότνια, πότνια νὺξ ἐρεβόθεν ἴθι:
Veneranda,veneranda nox,veni ex Erebo.

Non ingratum scire aliquid, de nocte hac miserrima Troianorum, quando videlicet illa acciderit. Hellanicus,Dionysi. Argiuus,& Lysimachus prodiderunt Troiam captam. xij. Febr. Callisthenes verò lib. 2. Græcanicæ historiæ, Februario ineunte. Qui Atticâ scripserunt, in octauum diem huius mensis desinentis hanc cladem reiiciunt: nec defuerunt, qui ad octauum desinentis Martij id retulerint. Dercylas autem, & Ægias contendunt funestæ huius noctis diem fuisse octauum desinentis πανέμου, hoc est, si Corinthios audimus, Iulij, sin Bœotios sequimur, Maij. Coniunxerunt hæc & in Virgilium Vrsinus, Troia, quãdo capta.
B & in Senecam Delrius. Quæ ex Clemente Alex. scienda, ipse infrà adducam, denique audienda Homerica, quæ noster vertit. Il.8. hæc habentur;

Ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο
Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν:
Incidit verò in Oceanum splendida lux solis,
Trahens noctem nigram in fertilem terram.

Ad Homerum proximè Ouid. accessit. 4. Met. qui loquens de luce,

Præcipitatur aquis,& aquis nox exit ab iisdem.

Obserua, quod Virg. dixit *ruit nox Oceano*, dixisse Ouid. *nox ab aquis exit*,& Homerum, ἕλκον νύκτα. Scias etiam hemistichium hoc, *vertitur interea cœlum*, Ennij esse. 6. Ann. explicuit Virgilius, suúmque fecit more suo; obserua adagij formam apud Aristidem in. 2.
C Platonica, ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, de re admodum confusa & turbata, id est, *tanquam in nocturno bello.* Tanquam in nocte bello. adag.

2. OCEANO NOX] Talia illa: *Iliaci cineres. falsi Simoëntis. relligione nepotes. te tendere. vota tamen. aduerso sole. omne nemus. ipse sedili. teque querelis. date tela. si sine, glauco contexit. parere recusa. currere remis.* In extremis duobus non bis tantùm, sed ter est, *re, re, re*. Ita & Græci. Nã Homerus, ἱέρδοσεν, δόσεν. & Thucydides, σμία, μία. Ait de nocte, *ruit*, vt etiam Homer. ὀρώρει νύξ.

3. INVOLVENS VMBRA MAGNA] Notant viri docti exprimi noctis definitionem, quæ nihil aliud quàm terræ vmbra. Phrasem arripuit Statius, 3. Theb. Noctis definitio.

—*Nigroq; polos inuoluit amictu.*

4. MYRMIDONVMQVE DOLOS] Hæc vox non
D excogitata est à Vate in inuidiam Græcorum. Nam Græci ipsi palam profitebantur se velle dolos construere,

ſtruere, cùm aliter ciuitatem non poſſent capere. Itaque vox δόλος millies eſt in Calabro, & in ore ipſorum Græcorum. Calchas enim ait, μηλιάασθε δόλον: *dolum verſate*, & Vlyſſes eſſe in fatis, vt Troia non expugnetur, niſi δολοφροσύνῃ. Quin, cùm Neoptolemus, & Philoctetes nollent rem geri dolo, & equo ligneo, ſed dicerent pugnandum eſſe aperto Marte, abſterrentur prodigiis Deorum, qui tremore terræ & iactu fulminis indicarunt rem dolo gerendam. Pallas præſertim in ſomnis apparet Epeo, hortans ad equi conſtructionem: omnéſque Græci ſomno audito, conſilium doli, vt diuinitus immiſſum, arripiunt. Proditum quoque eſt commentariis Græcorum, & attingit ipſe Calaber, Palladem latuiſſe in equo vnà cum Græcis. Epeus etiam in oratione ad Palladem τεὸν ἵππον dicit, *tuum equum*.

Troia capta dolo.

5. SOPOR FESSOS COMPLECTITVR ARTVS] Faciunt ad ſententiam Poëtæ, verba Ariſtotelis de Somno & Vig. ſcribentis ſomnum ex multis cauſis prouenire, inter quas laborem quoque, & laſſitudinem commemorat. ὕπνος ἔτι δὲ καὶ ἐκ πόνων ἐνίων: *Procedit etiam ex laboribus quibuſdam ſomnus.*

Somnus ex labore.

6. PHALANX] Phalanx Macedonibus fuit cuneus militaris, videlicet quando pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie cõſerebãtur. Curti. *Macedones phalangẽ vocant peditũ ſtabile agmen, quãdo vir viro, armis arma conſerta ſunt.* Vnde cùm de Cæſare dicitur: *Milites noſtri è loco ſuperiori pilis miſſis, facilè hoſtium phalangẽ perfregerunt*, intelligit, hanc armorum connexionem, quæ efformata erat inſtar teſtudinis. ſed hoc vulgare ſatis.

Phalanx quid.

7. TACITÆ PER AMICA SILENTIA LVNÆ] Negari nequit, lunam ſilentem eſſe, cùm eſt in coitu, auctoritate Plinij, & aliorum: Sed in Virgilio id ſcilicet nego, & libentiſſimè accedo illis, qui dicunt, tantum hîc nocturnum tempus indicari: ergo ad noctis taciturnitatem referendus Poëta, non ad interlunium. Sequor in hac explicatione Turneb. Germ. Vrſin. Gifan. Parrhaſium. primum in Aduerſ. ſequentes duos ad Virgilium, quartũ ad Lucretium, poſtremum in epiſtolis. Alij tibi occurrent. Veteres quidem dicebant noctem ſilere. Catull. in Epig.

Silens nox, quid.

Aut quàm ſidera multa cùm tacet nox,

id eſt, cùm eſt nox. Tibullus tanquam proprio epitheto,

Deuouit tacito tempore noctis anus.

iterum:

Vota nouem Veneri nocte ſilente tuli.

Dies enim inquietus & clamoſus eſt, nox tranquilla & tacita. Horat. Od. 5. Epod.

——O rebus meis
Non infideles arbitræ
Nox & Diana, quæ ſilentium regis
Nocturna cùm fiunt ſacra.

Adde à Petronio ſcribi captam Troiam plena luna, quæ pernox ſolet lucere, ſic enim ſcribit,

Troia quãdo capta.

Iam plena Phœbe candidum extulerat iubar,
Minora ducens aſtra radianti face,
Cùm inter ſepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant clauſtra, & effundunt Viros.

Faciunt verba hæc Clementis lib. 1. Strom. cap. 10. vbi agens de tempore, quo Ilium captum fuerit: hæc inter alia ſubdit: *Hellanicus enim duodecimo menſe Thargelionis, & nonnulli eorum, qui Attica ſcripſerunt, octauo deſinentis, poſtremo anno regnante Mneſtheo, in plenilunio: Noctis quidem erat medium, inquit is, qui paruam fecit Iliadem, & ſplendebat lucida luna: alij autem eodem die ſcirrophorionis:* Sunt hæc menſium nomina apud Athenienſes, & θαργηλιὼν quidem magna ex parte Aprili reſpondet, σκιρροφοριὼν autem Maio. de quibus vide Heruetum. Leſches etiam auctor paruæ Ilia-

A dos ait Troiam captam nocte, lucente luna. Verba eius ſunt,

Νὺξ μὲν ἔην μέσσα, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελήνα:
Erat nox intempeſta, & lucebat luna candida.

Demum, quî in coitu lunæ? cùm mox Poëta dicat: *Oblati per lunam*, &c. Quin tantùm abeſt, vt putem Troiam captam in lunæ coitu, vt poſſim probabiliter exiſtimare, non potuiſſe capi, niſi plena luna. Fuit enim è Græcorum, vt plurimum, diſciplina, non pugnare, niſi plena luna. Hoc indicant verba Clementis iam adducta, & clarè de Lacedæmoniis Ariſtides in 2. Platonica. Λακεδαιμόνιοι δὲ εἴτε ὑπὸ τοῦ πρὸς τοὺς Μεσσηνίους πολέμου, εἴτε καὶ τὴν πανσέληνον μένοντες, οὐδὲ αὐτοὶ βοηθεῖν εἶχον: *Lacedæmonij, ſiue quòd cum Meſſenijs*
B *bellum gererent, ſiue quòd exſpectarent plenam lunam, auxiliari non potuerunt.* Cùm ergo πανσέληνος Græcis auſpicatiſſimum fuiſſet, quid mirũ ſi ad Troiæ euerſionem tempus hoc exſpectarent?

Luna plena Græcis auſpicata ad bellum.

8. FLAMMAS CVM REGIA PVPPIS EXTVLERAT] Credi poſſunt ſublatæ hæ flammæ fuiſſe ad eas, quas ſiue Helena, aut Sinon, aut vterque ex arce extulerant ad Græcos euocandos: credibile enim hoc ſignum inter eos conueniſſe. Seneca Agamem. Virgilio hærens,

Signum recurſus regia vt fulſit rate, &c.

huc reuoca, quæ dico. 6. Æn. ad illud:

——Flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.

C Hic ſcias duplex genus fuiſſe facularum, quod admonent & Suidas, & interpres Thucydidis in lib. 2. Tollebantur enim faces ad indicandum non ſolùm hoſtium, ſed etiam amicorũ aduentum. itaque erant φρυκτοὶ & πολέμιοι, & φίλιοι. Extremum hoc ad Virgilium pertinet, tolluntur enim faces à Græcis ipſis dantibus ſignum Græcis quoque. Ergo vt omittam φρυκτοὺς πολεμίους, nam nihil ad Virgilium, aduoco exempla τῶν τῶν φιλίων. Hoc amicarum facularum commento captum Tarentum Liuius ſcribit lib. 25. verba ſunt: *Cùm portæ appropinquaret, editus ex compoſito ignis ab Annibale eſt refulſitq; idem redditum ab Nicone ſignum. extinctæ deinde vtrinque flammæ ſunt, &c.* Huc pertinet locus Ariſtidis oratione de cõcordia ad ciuitates Aſiaticas: ἑστία γὰρ Ἀσκληπιοῦ τῆς Ἀσίας ἐνταῦθα

Facium duplex genus.

D ἵδρυται· κἀνταῦθα δὴ φρυκτοὶ πᾶσιν ἀνθρώποις αἴρονται παρὰ τοῦ θεοῦ καλοῦντος πρὸς αὐτὸν, καὶ μάλα ἀληθινὸν φῶς ἀνίσχοντος: *Æſculapij enim ædes collocata eſt in hac Aſiæ parte, atque hic amicæ faces omnibus à Deo ſuſpenduntur, qui eos ad ſe vocat, & prorſus veram extollit lucem.* Eòdem refero verba Auguſtini lib. 3. Ciuit. cap. 12. *nimis enim multos Deos grandi fumo ſuo, tanquam ſigno dato ad tuitionem congregauerat.* Hi addi poſſunt Calabro, Appiano, Iulio, Vegetio, quos ad rem eandem aduocat Lipſius lib. 5. de Milit. Rom. dial. 9.

9. LAXAT CLAVSTRA SINON] Odyſſ. 11. Vlyſſes ait hoc ſibi muneris demandatum,

Ceterùm cùm in equum aſcendimus, quem fabricauit
Epeus,
Græcorum optimates, commiſſa mihi erant omnia,
Ἠ μὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν λόχον, ἠδ' ἐπιθεῖναι:
Siue aperire denſas inſidias, ſiue concludere.

E Vt Poëta *clauſtra* de hoc equo, ſic Sophoc. in Tyran. κοῖλα κλεῖθρα: *caua clauſtra.* Galaber lib. 12. dat κληῖδα. Petron. *aperitur ingens clauſtrum.* Calaber lib. 13. de eodem Sinone, ἵππου πλευρὰ διεξῴϊξεν: *equi aperuit latera.* Ariſtophanes Veſpis de re alia loquens, κλεῖθρα χαλᾶσθω: *laxentur clauſtra.* Circa orthographiam nominis *Sinon*, ſciendum, Henric. Steph. in libello, quem conſcripſit de abuſu linguæ Græcæ latè probare, omnia nomina quæ à Græcis proueniunt, & Latini in, *on*, finiunt, efferenda eſſe in, *o*, atque ideo

Græca in, on.

pecca

peccare eos, qui Latinè scribentes dicunt, Thymoleon, Memnon, Agamemnon, Iason, cùm dicendum sit, Thymoleo, Memno, Agamemno, Iaso, sicuti dicitur Plato, Leo, Antipho, Demipho, Parmeno. Liberat verò Maronem à calumnia, qui metri lege coactus Sinon dixit, propter sequentem vocalem, cùm alias dicendum esset, Sino. pro se Stephan. Charisium adducit. Idipsum Pythœ.2. Aduersar. cap. 13. sentit, probatque ex Varrone, Columella, & Fabio. contra horum sententiam est, in antiquissimis Virgilij codicibus inueniri hanc vocem *Tarchon* frequentissimè, vt lib. 10.

——haud fit mora, Tarchon Iungit opes.

Quo loco, aliisque huiusmodi legi poterat Tarcho absque detrimento carminis. & semel credo tantùm, *Tarcho* inuenies. Sed dicet Stephanus, me non abnuente, legendum semper, Tarcho.

Reddo, verbum nixus.

10. REDDIT EQVVS] Mox hoc idem, *fundit equus*, vt Græci; ἱππόθεν ἐκχυμένοι, *fusi equo*. Rectè Germ. ait verbum *reddo* nixus esse, ac propterea Lucretium dixisse, Duratei equi *partum*. Adi, quæ suprà, in *fœta armis*.

11. CAVO SE ROBORE] Sic Sophoc. in Tyran. κοῖλον λόχον: *cauas insidias*. Pulcrè Hercule dixit Eurip. in Troad.

——λόχου
Δ' ἐξέβαινεν Ἄρης
Κόρας ἔργα Παλλάδος:
——ex insidijs
Descendebat Mars,
Virginis opus Palladis.

Troiani duces, qui in equo.

12. TISANDRVS STHENELVSQVE, &c.] Clara omnia, sed adiungam notulas Virgilio illustrando. Nullum ferè ducum hic memorat, qui non ratione aliqua assumptus, & veluti aptus ad nocumentum videatur, iam ex etymo, iam ex virtute, iam ex qualibet alia occasione, adeo nihil frustra Virg. Tisandrus dictus quasi vir vltionem appetens. aptè ergo in equo inclusus. σθένος: vnde Sthenelus, virtus est & robur militare. Sthenelí elogia vide in Heroicis Philostrati. Illud maximum, inuitè illum inclusum in hanc machinam. Verba Philostrati sunt, καὶ τὸν ἵππον δὲ τὸν κοῖλον παρῃτεῖτο ὁ Σθένελος, οὐ τειχομαχίαν οὕτω ἔτι φάσκων, ἀλλὰ κλοπὴν τῆς μάχης: *cauitatem equi in latebras abnuebat Sthenelus, dictitans non hanc esse muri oppugnationem, sed pugnæ furtum.* Redeo. hos Vlysses comitatur, qui dirus, & pestis semper Troianæ rei. Athamas, & Thoas egregij duces fuerunt, neque sine elogio assumpti ab Homero, nunc de Thoante occurrit illud Il. 13. θεὸς δ' ὣς τίετο δήμῳ: *colebatur à plebe vt Deus.* Neoptolemus sonat nouum bellatorem, & satis, esse Achillis filium, vt nomen suum daret, vellétque in equum includi: dicitur hic *Pelides*, quia nepos Pelei, qui Achillis pater. Machaona vocat primum inter alios, hic enim Græcorum celeberrimus fuit, & arte, qua valuit, medendi, & militari virtute filius fuit Æsculapij, quod Pausan. scribit lib. 4. Messen. & Homer. 4. item Il. Huius meminit Aristides cum magnis & exquisitis elogiis ἐν Ἀσκληπ. Menelaus, vt rex, & cui facta iniuria à Paride. Epeus, quia doli, id est, equi ipsius fabricator, & architectus, Homer. Odyss. 8.

Tisâdri etymon.

Sthenelos.

Thoas dux.

Machaon dux.

Epeus Troiani equi architectus.

A Δουράτεον, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ:
Duratei, quem Epeus fecit auxilio Palladis.

Et Odyss. 11. ὃν κάμ' Ἐπειὸς, *quem fabricauit Epeus.* Eurip. Troad. Ἐπειὸς ἵππον ξυναρμόσας. *Epeus equum compegit.* Dictys lib. 5. *equus tabulatus extruitur per Epeum fabricatorem eius operis.* Paus. *Epeus, qui Durateum equum fecit, vt Homerus memorat.* Philostratus in Heroicis discriminat, τέκτων (ἵππου) Ἐπειὸς, Ὀδυσσεὺς δὲ εὑρετής: *Epeus faber fuit (equi.) Vlysses autem inuentor.* Ait Iustinus lib. 20. ostendi apud Metapontinos *in templo Mineruæ, ferramenta, quibus Epeus equum Troianum fabricauit.* Alij tibi occurrent. Poëta autem, vt vides, connumerat nouem duces Græcorum, qui in hoc equo latuerint: de quo tamen numero incertum. Eustathius in Homerum Odyss. 11. scribit ex

B sententia aliqua fuisse centum, ex aliorum opinione duodecim tantùm, quos enumerat, & omnes (præter Menelaum, Neoptolemum, Vlyssem) diuersos ab his, quos hic Poëta. Calaber lib. 12. viginti nouem connumerat, & addit, ἄλλοι καὶ ἔβαινον: *alij intrarunt.* Numerat principe loco Neoptolemum, & omnes ferè diuersos facit ab his, quos hic Poëta. Nam præter Neoptolemum, Vlyssem, Menelaum, Sthenelum, Thoantem, neminem assumit alium. Cedrenus viginti quatuor. Maro suprà dixit, hanc machinam fœtam armis fuisse, & vterum completum *armato milite.* quibus insinuatur, multos omnino latuisse. Izacius in Lycoph. Ἐπειὸς ἐποίησεν τὸν Δούρειον ἵππον, εἰς ὃν πεντήκοντα, ἢ τρισχίλιοι, ἢ κατ' ἐμὲ κγ ἄνδρες εἰσελθόντες Ἕλληνες ἐκάθηντο: *Epeus equum fecit,*

Duces, qui latuerunt in equo Troiano.

C *in quo quinquaginta, vel ter mille, vel, vt ego puto, viginti tres viri Græci ingreßi latuerunt.* Suspicor inesse mendum ex medij numeri magnitudine. Certè multos fuisse satis liquidum ex Platone in Theæt. vbi prouerbialiter ait, δεινὸν γάρ που ὦ παῖ, εἰ πολλαί τινες ἐν ἡμῖν, ὥσπερ ἐν δουρείοις ἵπποις, αἰσθήσεις ἐγκάθηνται: *Absurdum quidem id esset ô puer, si multi nobis sensus, quemadmodum equis ligneis, insiderent.*

13. DEMISSVM LAPSI PER FVNEM] Hoc ipso magnitudo equi indicatur, cùm opus fune ad descendendum. Eandem Homerus indicat Odyss. 11. cùm ait, εἰς ἵππον κατεβαίνομεν: *in equum descendimus*, quo gradus indicantur. Calaber quoque lib. 13. ait Græcos descendisse κλίμαξι, *per scalas*, & lib. 12. dixerat per easdem ascendisse, κλίμακας, ᾗς ἀνέβαινον.

Equi Troiani m[agnitudo].

D Phrasin Propertius arripuit lib. 4. Eleg. 7.

Per quam demisso quoties tibi fune pependi.

& Horatius ad Pison. *demittere funem*, omnes adhuc à Lucretio, qui lib. 2.

——Mortalia sæcla supernè
Aurea de cœlo demisit funis in arua.

Ad verbũ quoque Cedrenus de re alia loquens, ἐξέρχονται τῆς φυλακῆς, καὶ καλωδίῳ ἑαυτοὺς καθιμήσαντες: *fugiunt ex vinculis demittentes se fune.*

14. DOLI FABRICATOR] Est hoc, quod Aristophanes in irena, & sæpe Græci alij, μηχανοποιός. ait autem *doli*, quia ita de equo hoc Poetæ. Horatius mentitum dixit lib. 4. Od. 6. Propertius lib. 3. Od. 13. fallacem nominat:

E *Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola*
Fallacem patriæ serpere dixit equum.

[a] Inuadunt vrbem somno VINOQVE sepultam.
Cæduntur vigiles, portísque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.
[b] Tempus erat quo PRIMA QVIES mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

[c] In

c In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largóſque effundere fletus,
Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, pérque pedes traiectus lora tumentes.
d Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes!
e Squallentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Vulneráque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. Vltrò flens ipſe videbar
Compellare virum, & mœſtas expromere voces.

ARGVMENTVM.

Vrbs inuaditur: Hector in ſomnis Æneæ apparet maximis mœſtitiæ notis (numerantur octo) longè omnino diſtans à priſtina venuſtate.

EXPLICATIO.

a Deſcribitur primus impetus illorum, qui ex equo deſcenderant, qui nacti ſunt præclaram occaſionem, nam vrbs tota non oppreſſa ſed *ſepulta ſomno & vino*. Cædes prima deſæuiit in *vigiles*, qui *cæduntur* vt pecora, quippe his ſublatis aperiuntur portæ, quibus iam *patentibus*, hi qui fuerant in equo *accipiunt ſocios*, qui veniebant à nauibus, *atque iungunt agmina conſcia*, eiuſdem doli.

b Aggreditur narrare, vti Hector in ſomnis Æneæ apparuerit, tantæ cladis futuro reſtauratori, & deuictæ gentis reliquias in Italiam tranſportaturo. Deſcribit verò primam incipientis ſomni partem, ideo ſignatè *ſerpit*, & *gratiſſima*, nam quies prima dulciſſima eſt.

c Quinque primo intuitu viſa Æneæ in Hectore, & ideo primò narrata: vidit enim illum mœſtiſſimum, flentem largiſſimè, bigis raptatum, atrum cruento puluere, traiectum loris per pedes tumentes. expendere hos verſus nemo ſatis dignè queat.

d Priuſquam alias notas narret in Hectore, interponit hæc ad excitandos affectus ex priſtina Hectoris felicitate, quę duplex, videlicet rediiſſe victorem cum ſpoliis Achillis, quę detraxerat Patroclo: deinde ab ignium iaculatione, quibus naues Græcorum incenderat. Tunc qua gratulatione, quo plauſu ab Troianis omnibus exciperetur? Iam hæc mutata omnia, & mutatus Hector: nunc enim mœſtus, flens, raptatus, ater puluere, traiectus pedes, qui olim lætabundus victricia ſpolia in vrbem intulerat, qui ignem nauibus iniecerat.

e Redit ad notas doloris, quas vidit in Hectore, & ſuperioribus tres adiicit, videlicet barbæ ſqualorem, crines concretos ſanguine, vulnera accepta circa muros patriæ in raptatione. Sequitur, *vltro flens ipſe*, &c. indicatur ab Poëta triſtitiæ habitus magnus. qui ad alterum venit prior compellat & loquitur: hic contrà fit, Hector enim tacet, & cùm ipſe veniat prouocationem exſpectat.

NOTÆ.

Noctu multæ vrbes captæ.

1. Invadvnt vrbem] Quæ hæc occaſio rei gerendæ? Athen. lib. 5. de Oxobio Romanorum duce, qui impetum fecit in Athenienſes, φυλάξας, in-

A quit, ἀσέληνον νύκτα, καὶ ἐκβιβάξας τοὺς ἑαυτοῦ στρατιώτας κοιμωμένους, καὶ μεθύουσιν ἐπιπεσὼν, κατέκοψε τοὺς Ἀθηναίους: *Illunem noctem obſeruans, ſuoſq; educens milites, dormientes ebrioſq; aggreditur, Athenienſeſq; perculit.* Similis fraus habetur apud Tacit. lib. 4. Hiſt. in Bello Vitelliano: *Largis epulis vinoq; ſopitos Germanos, clauſis foribus, igne iniecto cremauêre.* Is dolus Agrippinienſium fuit, neque ab his diſſidet, qui habetur. 9. Æn. ita & Gracchus Campanos oppreſſit apud Liuium lib. 23. *Silentique profectus agmine, cùm ad Hamas media nocte perueniſſet, caſtra Campana, vt in peruigilio neglecta, ſimul omnibus portis inuadit. alios ſomno ſtratos*, &c. De ipſis Troianis Dictys lib. 5. *Feſſis dein vino multóque ſomno barbaris, quæ vtraque per lætitiam ſecuritatémque pacis interuenerant, noſtri multo ſilentio ad ciuitatem nauigant.* & infrà, *ſeſeq; vino & epulis obruerant, choris du-*B *cendis, & omni genere gaudiorum in laſſitudinem dederant, omnis iam calamitatis obliti, & ſtertentes ſecuriſſimè: quæ optatiſſima Græcis inuadendæ, ac potiundæ vrbis fuit occaſio.* Calaber lib. 13.

Εὖτε γὰρ ὕπνος ἔρυκεν ἀνὰ πτόλιν ἄλλοθεν ἄλλον
Οἴνῳ ἀναπλήθοντας ἀπειρεσίῳ, καὶ ἐδωδῇ.
Δὴ τότε, &c.
Cùm ſomnus in vrbe alium alibi vinctum teneret
Repletos multo vino, & cibo,
Tunc, &c.

Tryphiodorus

Ἀφραδίῃ τε βέβυστο, μεθημοσύνῃ τε, καὶ μήνῃ
Πᾶσα πόλις.
Stultitia plena erat, ebrietate, tumultu,
C *Vniuerſa ciuitas.*

Cornelius Nepos, vel aliquis eius nomine lib. 6. Troiani belli,

—*pars cætera ferro*
Certatim flammáque furit, populator oberrat
Ignis, & in medios gladij venere ſopores.

Vrbis & ciuitatis diſcrimen.

2. Vrbem] Non dubium, quin Vrbs ædificia, Ciuitas incolas ſignet. Sed hæc tamen commutata in Auctoribus. Nam hic Vrbs ſepulta vino, eſt, ciuitas, id eſt, ciues. Hoc ita frequens, vt pudor ſit perſequi.

Sepeliri ſomno vinóque.

3. Somno vinoqve sepvltam] Phraſis iſta, ante æuum Maronis celebris. Lucret. lib. 1.

Terrificet morbo aſſuetis, ſomnóque ſepultis.

Enn. lib. 3. Ann.

Nunc hoſtes vino domiti, ſomnóque ſepulti.

& poſt illud. Nam Fabius declam. 272. *nobis ſomno ſe-*D*pultis, & ſecuritate ab omni cogitatione bellorum.* Flac. 2. Argon.

—*Dapibus vinoq; ſoporos.*

Forma alia extulit Liuius lib. 25. *grauatis omnibus vino ſomnoq;* Cui vicinus Ouid. 3. Met.

—*Ille mero ſomnóque grauis.*

& Cala

Et Calaber lib.13.πολλῷ ὑπ' ἀκρήτῳ βεβαρηότες: graues multo mero.iterum, βαρέθοντο φρένες: grauabatur mens. Tacit. ita. 4. Ann. *somno & vino procumbere.* quæ desumpta à Virgilio in.9.

——somno vinóque sepulti
Procubuère.

Græcus Theognis sic expressit,

θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἔχει:
Oppressum vino somnus occupat mollis.

Herodotus lib.1. ita, πληρωθέντες φορβῆς καὶ οἴνε εὗδον: *pleni cibo ac vino soporantur.* Athen.lib.1.vini cuiusdam meminit dicti ὑπνωτικῦ, *soporiferi:* ibidem Adriano vino hoc dat,quod idcirco vocat οἶνον εὔυπνον, idest, *boni somni.* Mnasitheus apud eundem lib. 2. ἄκρατον (ait) ποιεῖ παράλυσιν τῶν σωμάτων: *merum dissoluit corpora.* cum hoc etiam adludit leuiter, quod Eubulus apud eundem lib. 2. τὸν οἶνον τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν: *vinum menti tenebras offundere.* quo sepulturæ genere nullum maius. Notetur obiter locutio Quintiliani in Declam. qui dixit, *soporem bibere*, cum allusione, credo, ad vinum ὑπνωτικόν.

Vinum soporiferum.

Bibere soporem.

4. CÆDVNTVR VIGILES.] Par cædes in expugnatione Tarenti apud Liuium lib.25. *Nico ex improuiso ad portas sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncat; portámque aperit.* Troianæ huic expugnationi similis fere illa, qua capta est Megara ab Atheniensibus: vt enim Græcis muri, quo equus caperetur, diruti viam dederunt: ita Atheniensibus fraus alia, videlicet nauicula, quæ, cùm more solito per vrbis portas induceretur, imposita in curru, obstitit ne portæ clauderentur, quo sanè ad portas impedimento datus est hostibus aditus. Iuuat hanc similitudinem circumstantia, quam hîc attingit Poëta, de cæsis vigilibus primo impetu, quod factum quoque in expugnatione Megarensium, nam statim τοὺς κατὰ τὰς πύλας φύλακας κτείνουσι, verba sunt Thucydidis lib. 4. qui historiam narrat.

Megara quomodo capta.

5. PORTISQVE PATENTIBVS OMNES ACCIPIVNT SOCIOS] Eadem, & iisdem pene verbis enarrator Lycophronis. οἱ ἀριστεῖς ἐν τῷ ἵππῳ ἐν νυκτὶ ἀνοίξαντες τὰς τῆς Τροίας πύλας, ἔνδον εἰσάγουσι τοὺς Ἕλληνας, καὶ τοιοῦτον τρόπον ἡ Τροία κρατεῖ): *Principes, qui in equo latebant, noctu Troianis portis patefactis intus Græcos admiserunt, & hunc in modum capta est vrbs.* Sed & Dictys lib. 5. de exitio Troiano primam hanc inuasionem Græcorum exequitur hoc verborum ambitu: *Móxque omnes postquam intrauêre mœnia, diuisis inter se ciuitatis locis vbi signum datum, magna vi cædere eos, quos sors obiecerat, atque obtruncare passim per domos atque vias.* Sed nemini dubium, quin Virgilius in sua Æneide sæpius ad Romanas historias alluserit. Nam ita res Troianas, aut Latinas exequitur, vt veluti digito Romanas indicet. In hac autem Troiæ expugnatione omnino repræsentatur expugnatio Veiorum. Primo, sicut Troia capta est anno decimo, ita Veij: fuit enim horum Vrbs *decem æstates hyemésque circumsessa* ait Liuius lib. 5. Secundò; Vrbs vtraque capta est fraude: Troiana equi pleni armatorum, Veientana cuniculi pleni quoque armatorum. Tertiò, initium expugnationis Veiorum simillimum est his, quæ in hoc initio narrantur à Virgilio. Id planum facient verba hæc Liuij, *Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus in æde Iunonis, quæ in Veientana arce erat, armatos repentè edidit.* Agnosce similitudinem equi parturientis in arce Troianos. Pergit Liuius. *Pars auersos in muris inuadunt hostes: pars claustra portarum reuellunt: pars, cùm ex tectis saxa tegulæque à mulieribus ac seruitiis iacerentur, inferunt ignes.* Acciderunt omnia hæc in Troiana clade. Demum, vt in Virgilio apertis portis iunguntur socia agmina, ita in Liuio: *momento tem-*

Veiorum expugnatio.

A *ris patefactis portis, cùm alii agmine irruerent, alij desertos scanderent muros, vrbs hostibus impletur, omnibus locis pugnatur.* Volui omittere Tryphiodorum, & Calabrum, qui multis admodum de prima hac inuasione Græcorum, & cæde Troianorum.

6. TEMPVS ERAT, &c.] Sequitur ductum Attii in Bruto ita loquentis.

Cùm iam quieti tempus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos:
Visus est in somnis pastor ad me appellere.

7. QVO] Sic fere omnes legunt, & aptè: sed legi à nonnullis *cum*, more Græcorum, Germanus notat, illi enim, χρόνος ἦν, ὅτε: *tempus erat, cùm.* cui institit Tibull.

Tempus erat, cùm me Veneris præcepta ferentem.

B 8. PRIMA QVIES] Descripto somni, qui prima statim nocte capitur. Quamuis autem Academici Peripateticique astruant veriora esse somnia, quæ somni parte extrema sub diluculum accidunt, propter imagines minùs perturbatas; cùm primo somno perturbentur confundantúrque simulacra vaporum copia: sed Poëtæ tamen necessarium fuit hanc physiologiæ rationem non sequi, ne Æneas in Auroram fugam differret, quam commodè non posset capessere, cui primo quoque tempore consulendum fuit. Sic fere Germ. sed veriùs dici fortasse possit, Poëtam nihil discessisse à Physiologia: nam verè somnus hic perturbatus turbulentúsque mœstissima imagine Hectoris, hísque omnino similis, qui prima nocte solent accidere abundantia vaporum conturbati, atque C huic somno, cui propter tempus minus fidei debebatur, excitato iam Ænea fidem fecerunt quæ visa sunt in tota vrbe atrocissima. Sed ad defensionem Poëtæ pertinent verba Æliani lib. 3. Var. Hist. cap. 11. qui nulla facta discretione somni primi aut postremi, sic loquitur. *Peripatetici dicunt animam interdiu corpori seruitium præbere, & inuolui, neque purè veritatem perspicere posse. Noctu verò liberatam à ministerio corporis, magis ad præuidenda futura idoneam esse,* ἐξ ὧν τὰ ἐνύπνια, *vnde exsistunt insomnia.* Itaque non possum illis assentiri, qui in Virgilio non capiunt primam noctem, sed mediam, aut extremam, vt liberent Æneam ignauia, quam ipsi fingunt. verba quidem me ad partem primam somni & incipientem noctem ducunt. Quæ enim ignauia, statim Æneam somnos petiisse, quod D & alij principes Troiani fecerunt, vt qui defatigati ingentis equi vectatione, & diurna celebritate. Accedunt fata, quæ volebant Troiam euerti, & ita Dij torporem animis & corporibus inuexerant. Præterea si somnium istud conicias ad noctem mediam, tota perturbatur excidij calamitas, non enim datur locus gerendis rebus, quas & Poëta narrat, & accidisse credibile est. Sed incipientes primos somnos (nam de his sermo est Poëtæ) placitum adiungere vti alij descripserint. Petronius,

Somnia quando vera.

Virgilius defenditur.

Somnus primus qui describatur.

——Vix prima silentia noctis,
Carpebam, & somno lumina victa dabam.

Noster alibi:

Vix primos inopina quies laxauerat artus.

Sed nolo integra adducere, neque eiusdem rei plures E testes. *Abire in somnos,* Lucretij est: *Excipi somno,* Ouidij: *somno cedere,* Lucani: *obrepsit somnus,* Senecæ: *Subrepsit quies,* Ouidij: *Prima quies aderat,* eiusdem: *mandare corpus quieti,* Lucretij: *somnus composuit luctantia lumina,* Silij: *Cadere in somnos,* Senecæ: *condi oculos somno,* Nostri: τὸν ὕπνον. Thucydides lib. 2. ...

9. MORTALIBVS ÆGRIS] Aptè, potiùs quàm *viris, hominibus,* mortalis enim propriè βροτὸς, quasi ... ὤν, quòd nihil magis fluxum & fragile homine, a...

Mortalis.

perinde nihil illo indigentius somno. inde *ægris* commodè, & alibi, *miseris*. Eurip. Orest. mortales vocat πολυπόνους, *ægros, & multa passos*.

Donum de somno.

10. Dono divvm] Homer. I. Il. ὕπνε δῶρον, *somni donum*.

Silius lib. I.

—sopor sua munera tandem
Applicat.

& lib. 7.

Dona soporiferæ noctis.

Somnus primus dulcissimus.

11. Gratissima] Respectum ad incipientem somnum, & primam quietem, quæ dulcissima & gratissima. Moschus de Helena, & Alexandro,

Ἀλέξανδρον μελινδὴς ἔσχετο ὕπνος
Alexandrum dulcis habebat somnus.

Homer. Odyss. 10.

Ἔνθ' ἐμὲ μὲν γλυκὺς ὕπνος ἐπήλυθε κεκμηῶτα·
Ibi me dulcis somnus occupauit defessum.

Hectoris tabulæ.

12. Moestissimvs Hector] Credo allusum à multiscio Poëta ad tabulas & picturas, quæ de Hectore circumferebãtur: de harum quapiam sic Pausan. Phocicis: *Hectorem habet sedentem, & vtraque manu læuum genu prementem, tristi admodum facie, & lugubri habitu.*

13. Visvs adesse mihi] Allusit fortasse ad locum Ennij. I. Annal.

Inde mihi species semper florentis Homeri
Exoriens, visa est lacrymas effundere salsas
Cœpisse, &c.

Ab Ennio illustrabitur Lucretius, nam hic ab illo,

Vnde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem lacrymas effundere salsas
Cœpisse.

Somni delubria.

Signatè verò & propriè Poëta *visus adesse*, vt indicet, non quidem apparuisse Hectorem, sed visum ex somni elusione. Refellens Cicero gentium superstitionem, loquens de dracone, qui Alexãdro in somnis apparuit, ita ait, *non enim audiuit illa draconem loquentem, sed est visus audire*. lib. 2. Diuinat.

14. Raptatvs bigis] Vetus Poëta (aliqui Ennio attribuunt) sic:

Vidi videre quòd me passa ægerrumè
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Frequentatiua αὐξητικὰ.

Notat Gif. in Lucret. verba αὐξητικὰ, vt plurimùm esse frequentatiua, quia hæc vehementiora sunt, vt *rapto*, & *quasso*. Hanc Hectoris raptationem sic de-

Hectoris raptatio.

scribit Dictys lib. 3. Excidij: *ipse cùm cæde inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in vnum pedibus vinculo currui postremò adnectit. Dein vbi ascendit ipse Automedonti imperat, daret lora equis. ita concito curru per campum, qua maximè videri poterat, peruolat, hostem mirandum in modum circumtrahens. Genus pœnæ nouum, miserandúmque.* Quæ Homerus scripsit in promptu sunt. & nonnulla in sequentibus attingam.

15. Aterqve crvento pvlvere] Homer. Il. 22.

Τοῦ δ' ἦν ἑλκομένοιο κονίσαλος, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Κυάνεαι πίμπλαντο, κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσι
Κεῖτο, πάρος χάριεν.
Is cùm traheretur, oriebatur turbo pulueris, circúmque comæ
Flauæ implebantur, capútque totum in pulueribus
Iacebat, olim gratiosum.

Plena affectuum Homerica sunt, præsertim ex fortuna præterita; sed non minùs ex præsenti Virgiliana, vbi atriciem vides, puluerem, & hunc cruentum. Notat autem Henric. Steph. puluerem commistum ex sudore & sanguine, Græcis λύθρον vocari. Homeri Scholiastes. λύθρον, τὸ μετὰ κονιορτοῦ καὶ ἱδρῶτος αἷμα.

16. Perqve pedes traiectvs lora tvmentes.] Homer.

Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας:
Amborum pone pedum perforauit neruos
Ad talum vsque à calcaneo, bouináque appendit lora.

Virgiliana forma Fabius declam. 270. *vultus cæsos, laceratos, laqueo tumentes.*

17. Hev mihi qvalis erat, &c.] Videndum vti sententiam hanc prior extulerit Homerus. Confosso enim Hectore ab Achille Il. 22. Græci qui aderant, hastis quoque eum vulnerarunt, dicebántque se mutuò aspicientes.

Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.
Papæ, iam valde mollior tactu est
Hector, quàm quando naues incendit igne infesto.

Virgilius superat Homerum.

Tu vide, an venire hæc in contentionem possint cum Latino Principe. Senecæ pulcherrima sunt, nam ad sui Principis imitationem, sic enim in Troad. ore coniugis Andromachæ:

Cùm subito nostros Hector ante oculos stetit,
Non qualis vltro bella in Argiuos ferens
Graias petebat facibus Idæis rates:
Nec cæde vasta qualis in Danaos furens,
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum incendens iubar,
Sed fessus, ac deiectus, & fletu grauis,
Similisque nostro squallida obtectus coma.

Et in Agamemn. sororis Cassandræ,

—Frater auxilium Phrygum
Terrórque Danaûm: non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus:
Sed lacera membra, & saucios vinclo graui
Fortes lacertos.

Non dissimilia à Virgilianis sunt illa Ennij in Telamone:

Hiccine Telamon ille est, modò quem gloria ad cœlum extulit:
Quem adspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua?

Neque Liuiana de Horatio, qui Curiatios interfecerat: *Hunccíne, quem modò decoratum, ouantémque victoria incedentem vidistis Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis.* Habentur hæc lib. I. & dicuntur patris Horatij ore. Ouidius quoque. 6. Metam. similes affectus excitat:

Heu quantum hæc Niobe, Niobe distabat ab illa,
Quæ modò Latois populum summouerat aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per vrbem.

Huc etiam pertinet duplex Senecæ locus, in Hippolyto, & in Oetæo. vbi ex præterita pulchritudine Hippolyti, & præterita virtute Herculis affectus excitantur. Sed cur in hac locorum comparatione omitto Nazianzenum, dignissimum qui in omni pagina nominetur? is in tragœdia, cui titulus χριστὸς πάσχων, ita inducit Mariam virginem collacrymantem, sed infelici versore,

Γυναῖκες ὄψιν ἐκ ἐρῶ φαιδρὰν τέκνε·
Χροιὰν γὰρ ἤλλαξας, ὦ κάλλος ξένον·
Δεινὸν θέαμα, ὦ φόβος, νεκρὸν θίγειν.
Iam non serenum cerno vultum filij,
Sic forma rara, sic decens pulchri color
Mutatus oris. ô ferum spectaculum.

Cæterùm historiam primam de armis Achillis, quæ induit Hector interfecto Patroclo, narrat Græcus vates Il. 17. alteram de ignibus iniectis in naues Græcorum lib. 16. sed & crebriùs eiusce rei meminit. Addam & aliud huic notæ. Adeo mihi sordescere visus est Homerus (sed hoc visum iam Scaligero) in addu-

ctis versibus, vt putem potiùs Virgilium in istis,

Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, &c.

instituisse veteri poëtæ, quem Cicero aduocat in Tuscul. loquenti ita de Hercule,

—O antè victrices manus,
O pectora, ô terga, ô lacertorum tori!
Vestróne pressu quondam Nemæus leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?

Vide reliqua in Tullio.

18. IACVLATVS PVPPIBVS IGNES] Ita Horatius de igne fulminis,

Dextera sacras iaculatus arces.

Quod sumpsit à Virgilio, qui. 1. Æn.

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem.

Hectoris virtus. De ignibus porro Virgilianis, & Hectoris impetu in naues Græcas, præter Homerum, locutus Sophocles in Aiace,

—εἰς δὲ ναυτικὰ σκάφη
Πηδῶντος ἄρδην Ἕκτορος.
— in nauticas carinas
Saliente vehementer Hectore.

Dio Chrysost. loquens de Homero Orat. 11. ὅμως δ᾽ οὐκ οἷός τέ ἐστι ἀποκρύψαι τὰ τοῦ Ἕκτορος ἔργα νικῶντος, καὶ διώκοντος τοὺς Ἀχαιοὺς μέχρι τῶν νεῶν. *Non potuit tamen abscondere gesta vincentis Hectoris, & persequentis Achiuos vsque ad naues.* Propertius lib. 2. eleg. 8. de Hectoreis ignibus.

Feruere & Hectorea Dorica castra face.

Ouid. 13. Met.

A *Ecce ferunt Troës ferrúmque ignésque Iouémque*
In Danaas classes.

Irruentis quidem Hectoris ferocitatem Vide in Homero ipso.

19. SQVALLENTEM BARBAM, &c.] Ait Dares Hectori fuisse comas *crispas*: eidem ab Homer. κυάνεαι dantur, *fuluæ*: ergo pro fulgore, qui auri color, succedit squallor. Deinde dat illi *crines concretos sanguine*: quantum forma hæc distat ab ea, *Ceruice fusam dissipans lata comam.* versus est Senecæ de Hectore: ergo pro coma fusa, lata, dissipata, succedit concreta quæ omnino contraria. Anaxilas etiam, auctore Polluce lib. 2. comam Hectoris ab ornatu, splendore, & luxuria ἐφήμερον vocarat. Demũ animaduertit Æneas vulnera plurima, quæ accepit circa muros Troiæ, cùm raptatus est ab Achille: atqui Hectoris pulchritudo, oris decor, membrorum æqua compositio sæpe B laudantur à Græco vate, quibus nihil magis contrarium quàm deformitas vulnerum, hiatus plagarum, liuor, sanies, tumor, cruenta omnia. Notat verò Pollux lib. 2. squalorem dici de coma, nam Homerus αὐχμεῖς, Phrynichus αὐχμᾶς; Xenophon αὐχμηρὸν, Plato αὐχμηρότατον. Bene itaque Poëta de barba, *squalentem.* — Hectoris fuluæ comæ.

20. VLTRO FLENS IPSE VIDEBAR COMPELLARE VIRVM] Redolet Ennianum illud:

Exin compellare pater me voce videtur.

Et eo magis hoc probabile, quòd statim est in Ennio versus ille:

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo.

Quem integrum sumpsit Virgilius.

O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrûm,
[b] Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? [c] vt te post multa tuorum
Funera, post varios hominúmque vrbísque labores
Defessi aspicimus? [d] quæ causa indigna serenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

ARGVMENTVM.

Continet sermo Æneæ ad Hectorem querelas blandissimas amoris desiderijque plenas.

EXPLICATIO.

[a] VERBA affectus plena, in quæ erupit Æneas. Vocat Hectorem lucem Troiæ, spem Teucrorum. Nescio quid magis consentaneum, vt deducat nomina ab iunctis Dardano & Teucro, quàm si separaret, & cum Dardano Troas coniungeret, aut quiduis aliud. Itaque ab socero, & genero voluit nomina. Deinde nota acumen: est incerta omnis spes, atqui ad αὔξησιν, *spes fidissima*, non obuiè sanè & vulgariter.

[b] Interrogatio nihil obiurgationis continens, sed D tota plena amoris, & desiderij. Sequitur, *quibus Hector ab oris Exspectate venis.* Nihil frustra. Ideo enim exspectatus, vt qui diu moratus.

[c] Capio hîc *vt* pro quî, vt dicat leniter obiurgans, quî te aspicimus. Subdit verò causas, cur obiurget. Prima est, vt aspicimus te *defessi*? quasi dicat, oportuisset nos inuiseres integros fortésque viribus, cùm spes victoriæ; nunc iam inuisis languidos luctu, defessos bello. Altera, *post multa tuorum funera*, qua signatè admonetur charitatis, quam habere debuisset in illos, qui illum genere contingebant. Tertia, *post varios ho-* C *minúmque Vrbísque labores.* quasi dicat. Cur tam serus qui Troianorum tuorum curam debuisses gerere, & vrbis tuæ, ne caderet. Itaque Æneas, se primum nominat, qui *defessus*: deinde gentiles Hectoris, qui cæsi multi: ab his exit ad reliquos, qui laboribus vexati: à quibus demum ad vrbem totam.

[d] Vide vt omnia sibi consonent. Lucem Troiæ dixerat Hectorem, ideo rogat, quæ causa tantam lucem fœdauerit, & vultus serenitatem. In illis, *aut cur hæc vulnera cerno*? ingens est πάθος. Cur ego cerno, qui debuissem habere ea vulnera, qui debuissem mori? non tu, qui dignus vita.

NOTÆ.

1. O LVX DARDANIÆ] Hæret Ennio, qui in Alexandro,

O lux Troiæ germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miser?

Sic Ausonius filium *lumen patris* appellat, eo disticho,

Amissum flesti post trina decennia natum:
Saucius extincto lumine cassus eras.

Vbi extinctum lumen est, natus mortuus. nemo autem dubitat de lectione *lumine*; tametsi de illo *extincto* & Scaliger, & Lipsius, in cuius vocis emendatione quisque in suum abit. Dicunt hoc Latini Græcorum imitatione, qui simili vtuntur blandimento. Homer. Odys. 17. — Lux Blandimẽti genus.

ἦλθες

Ἦλθες Τηλέμαχε γλυκερὸν φάος.
Venisti Telemache lux mea dulcis.
Achilles de se apud Calabrum lib. I.
Δαναοῖσι φάος μέγα, Τρωσὶ δὲ πῆμα.
Sum Græcis lux magna, Troianis exitium.
Homerus iterum 6. Il. Πατρόκλῳ γενόμην φάος. Pindarus od. 2. Isth. Ἀκραγαντίνων φάος: *Agrigentinorum lux.* Nazianzenus orat. 23. vocat Athanasium, τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμὸν, *totius terræ oculum.* Sed hoc ad adagium possis referre. nam idem orat. 32. Constantinopolim vocat, πόλιν τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμόν. & in epistola ad Asterium, gubernatorem, nauis oculum. Valer. Max. lib. 4. cap. 3. *Augustis, duobus Reip. diuinis oculis.* Faciet quoque fortasse ad rem Poëtæ nota hæc Henr. Stephan. φάος *lux, pro salute quoque, interdum & pro auxilio, quod salutem atque adeo victoriam nobis affert:* Meritò ergo Hector, lux dicitur, qui Troiana salus, qui auxilium omnium ad victoriam. Inde Plautus Capt. vtrunque coniungit,

Oculus, prouerbialiter.

—ego sum salus, fortuna, lux, lætitia, gaudium.

2. SPES O FIDISSIMA TEVCRVM] Hector lib. 3. Anthol. dicitur,

Hectoris elogia.

Θεοδόμου τείχους ἕρκος ἐρυμνότερον:
Septum firmius muro eo, quem Dij struxerunt.
Pind. Od. 2. Olymp. eundem vocat
Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα,
Troiæ inexpugnabilem & firmam columnam.
Philostratus in Heroicis, ἔρεισμα τῆς Τροίας, *firmitatem Troiæ.* Seneca in Troad. *columen, murum, præsidium.* his versibus,

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis
Tu murus eras, humerísque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, summúsque dies
Hectoris idem, patriæque fuit.

A Meritò ergo spes Teucrorum dicitur, qui septum, columna, murus, præsidium. De Hectore iam interfecto sic Dictys loquitur lib. 4. Excidij: *Neque quisquã in virtute sua spei bonæ fiduciam ponere, illo interfecto, qui inclyta per gentes fama rerum militarium.* Cum his consentiunt, quæ scribuntur in eo opere quod Cornel. Nepoti tribuitur li. 5. vbi post occisum ab Achille Hectorem, sic canitur,

Extemplo turbata Phrygum laxatur inerti
Turba fuga: trepidis violentior instat Achilles,
Ac dextra maiore furit. mactantur in ipsis
Millia bellantum portis.

Et meritò quoque idem Hector in Epitaphio adespoto sic loquitur,

B Μή με τάφῳ σύγκρινε τὸν Ἕκτορα, μηδ' ἐπὶ τύμβῳ
Μέτρει τὸν πάσης Ἑλλάδος ἀντίπαλον.
Ἰλιάς, αὐτὸς Ὅμηρος ἐμοὶ τάφος, Ἑλλάς, Ἀχαιοὶ
Φεύγοντες. τούτοις πᾶσιν ἐχωννύμεθα.
Hectora me ex tumulo noli metirier isto,
Græcia quem aduersus vix satis omnis erat.
Ilias est tumulus, tumulus mihi diuus Homerus,
Sunt tumulus Graij, qui mihi terga dabant.

Cum Poëtæ sententia consentit versus Euripidis, quem aduocat Artemidorus lib. 2. c. 10.

Στῦλοι γὰρ οἴκων, παῖδές εἰσιν ἄρσενες:
Domus columnæ, liberi sunt masculi:

Nec non verba Aristidis in 2. Platonica, qui de Aiace Telamonio ita ait. τὸ μέγα ἕρκος τῶν Ἀχαιῶν, καὶ ὃς ἦν ἀντὶ τείχους τοῖς Ἕλλησιν, οὐ μόνον αὐτὸς, ἀλλὰ καὶ ἡ ἀσπὶς C αὐτοῦ: *magnus Græcorum obex, qui ipsis erat pro muro: nec ipse tantùm, sed & eius clypeus.* Pari genio Achilles ab Ouidio dicitur *Graium murus.* & Pompeius ab Seneca ad Marciam *firmamentum imperij.* Sed redeo ad Hectorem, cuius statuam exhibet Philostratus in Heroicis φρονηματώδες, γοργὸν, φαιδρὸν, *elatam, terribilẽ, alacrem.* quæ res promptum quiddam ad militiam indicant.

[a] Ille nihil: NEC me quærentem vana moratur:
[b] Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge nate Deâ, téque his, ait, eripe flammis.
[c] Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.
[d] Sat patriæ Priamóque datum, si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent:
[e] Sacra suósque tibi commendat Troia Penates,
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.
[f] Sic ait: & manibus vittas, Vestámque potentem,
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

ARGVMENTVM.

Ad querelas nihil Hector, tantum cum gemitu monet, fuga se Æneas subducat captiua iam Troia; feratque secum ad noua domicilia condenda Deos Penates, quos & illi in manus tradit.

EXPLICATIO.

a VT sapiens occasiones loquendi amputat tum non necessarias. & caussa ponitur, cur non Hector responderit: Vana enim & ociosa interrogatio pereunte Troia.

b Indicat gemitus habitum futuræ orationis. Vide verò vt heroi det gemitum ex decoro, non lacry- D mas, est exordium nullum. nam quod exordium rebus in arcto positis? ideo Hector moras omnes & φροοίμια amputat, vt Æneas citissimè saluti fugiendo consulat, Deósque auferat. Præclarè autem præcedit particula *heu*, quasi doleat, fugam consuli filio Deæ, heroi, & ab heroe. Ergo, *fuge, eripe te flammis,* etiam si natus Dea, & ait *his*, vt indicet iam instare flammas, & est tacita ratio, cur nullum exordium assumpserit.

c Vide quàm magna breuissimè complectatur. Flammæ vrbem cingunt. hostis muros habet, ruit Troia. Quæ potuit maiora nũtiare, diriora, atrociora?

d Apta hæc ad hortandam fugam. Calamitas hæc tota est fatalis, ne ergo quidpiam molire in defensionem patriæ, tantùm fuge. Quid enim ô Ænea contra fata tu poteris? Diem hunc fata dederunt pa-

triæ, & Priamo pro limite. addit. *si Pergama*, &c. Perinde ac si dicat: si Troia defendi potuisset contra vim fatorum alicuius dextera, certe tua ô Ænea, & *mea etiam hac.* Hæc mens Seruij, quē nugari aiunt aliqui. nescio cur. Sanè Virgilius in hoc opere perstudiosus est Æneæ propter Augustum, qui ab illo originem ducebat, & ideo nihil vult ab Æneæ gloria detractum, & cùm se offert occasio illum participem facit Hectoreæ virtutis. vt in 11.

Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris Æneæq; manu victoria Graiûm
Hæsit.

Qui locus similis huic, quem habeo in manibus. Mœnia (inquit) defendebantur manu Hectoris & Æneæ. sic hic, si Pergama possent defendi, defenderentur & tua ô Ænea, & mea etiam. Hæc pro defensione Seruij.

e In hac commendatione Æneæ virtus commendatur, quasi nemini iustiùs commendari numina, quàm illi queant, & vna eadémque sint fata Æneæ, & Deorum comitum. in illis *his mœnia quære*, potest esse duplex sententia, vt *his* sit casus Latinus, idest, vna cum his, quod Græci σὺν θεοῖς, vel, vt sit tertius casus, nam Æneas non tam sibi, quàm Diis vrbem struxit. *Magna mœnia* Lauinia sunt, vt in 3. *tu mœnia magnis Magna para.* Æneas enim Lauinium condidit. Sed de hac re iam alibi.

f Hoc dicto visus est Hector educere ex templi penitissimis adytis vittas, Vestam, immortalem ignem, & hæc tradere de manu sua in manum Æneæ.

NOTÆ.

1. GEMITVS IMO DE PECTORE DVCENS] Est hoc, quod Pindarus Od. 4. Nem. γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

2. HEV FVGE NATE DEA] Non omittenda Seruij notula ad totam orationem, quam ait partibus omnibus constare. Est vtile in illis, *eripe te his flammis:* Honestum, *Sat fatis Priamóque datum*, nemo enim honestè potest venire contra fata: Necessarium,

Sacra suósque tibi commendat Troia Penates.

atque adeo necessaria fuga, quæ Deos seruatura: Possibile, cùm dat illi Deos comites, occurrebat enim, quî fugiam? nam *hostis habet muros*; poteris cum Deorum comitatu.

3. HIS] δεικτικῶς. Virgilio hæsit Flac. 7. Argon.

Sed magis his miseram, quantum potes eripe curis.

4. RVIT ALTO A CVLMINE TROIA] Homer. Il. 17.

—ὤλεῖο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος.
—*Perit Ilios tota à culmine.*

Eurip. in Troad. πόλις τ' ὄλωλε, *ciuitas periјt.*

5. DEXTRA] Signat proculdubio ducem αὐτόχειρα, αὐτουργὸν, αὐτοπρόσωπον. Itaque in hunc locum quadrant, quæ ego iam 3. Georg. ad illud,

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa.

Nam his bellis Hector non auspicia solùm, sed præsentiam suam, & operam adhibuit socius periculorum. ita 6. Æn.

—*inuictáque bello*
Dextera.

Ita etiam explicandus Propertius lib. 3. eleg. 18. vbi de Hercule loquitur,

Hic vbi mortales dextra cùm quæreret Vrbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo.

vbi *dextra vrbes quærere* est labore proprio expugnare. Hoc visum illis insolens est, qui mutarunt *quærere* in *condere*. Non debuissent.

6. SACRA SVOSQVE TIBI, &c.] Attingitur à doctissimo Poëta veterum mos apud quos in vsu fuit, vt sacra ad principum aulas deferrentur, si templis extrema aliqua clades aut incendium contigisset, quasi nullus esset tutior locus post templa, quàm domus Principum. Sic apud Herodian. lib. 1. incenso templo Pacis Palladium transferunt in domum Imperatoris Vestales virgines. Ergo & hic Principi Æneæ commendantur sacra. Idipsum signat, imperium à Priamo ad Æneam transferendum. sic verè accidit: nam illo extincto in Troia res Ilia ad hunc confluxit tendentem in Italiam. Simile quiddam Suetonius narrat in Vespasiani vita, cap. 5. *nuntiabantur & ex vrbe præsagia, Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt Thensam Iouis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani, & in Circum deduceret.* quasi illius esset futurum imperium, apud quem sacra morarentur. Leuiter ad hunc morem allusum à Tacit. lib. 1. Hist. cùm enim iam Otho acclamatus esset imperator, sic ait scriptor: *ignarus interim Galba, & sacris intentus fatigabat alieni iam imperij Deos*, quibus indicatur, Deos iam ab Othone stare, imperium ad illum translatum. Trahi potest Suetonius in Domitian. ca. 15. *Mineruam quam superstitiosè colebat, somniauit excedere sacrario negantem vltra se tueri eum posse.* Huc respectum ab Eurip. in Androm. — Sacra transferebantur ad Principē Victorem.

Οὐδ' ἔτι πῦρ ἐπιβώμιον ἐν Τροίᾳ θεοῖσιν λέλαμπεν.
Non iam ignis lucet in Troia, qui in altari olim positus.

Respectum, inquàm, nam igne non illucente, qui in Troia Deus, ibi non esse imperium apertè signabatur. Non abeunt hinc, quæ de simulacro aureo Fortunæ tradunt Romani Scriptores, quod vnà cum imperio successori tradebatur. De qua re vide Iulium Capitolinum in vita Marci, & Spartianum in Seuero. Sed explico signatius versum. Ait Poëta: *Troia commendat tibi sacra, commendat Penates.* In his duplex est sententia: vel commendat Penates, & vnà cum illis sacra, quæ semper in comitatu Deorum, vt vittas, velamina, & alia quæpiam ritualia. Erunt itaque in hac explicatione sacra distincta à Penatibus. vel etiam commendat sacra, appositiuè Penates suos. ita vt nihil sint aliud sacra, quàm ipsissimi Penates, tantùm posterius *Penates*, explicatio prioris *sacra*. ita Dido apud Ouidium Penates ipsos vocat sacra, cùm ait,

Sed neque fers tecum, nec, quæ mihi perfide iactas
Presserunt humeros sacra patérque tuos.

& lib. 1. Fast.

Iam pius Æneas sacra, & sacra altera patrem
Adferet.

7. HOS CAPE FATORVM COMITES] Lege in Dionys. lib. 1. Antiq. oraculum redditum Dardano.

8. VITTAS] Vittæ in magna olim religione, & vnà cum numinibus cultæ: erant hæ sacra Deorum velamina. Elicit ex hoc loco Macrob. Vestam vnam esse è numero Penatium vel illorum saltem comitem: nam Hector, qui verbo priùs commendauerat Æneæ Deos Penates, deinde facto tradit. Ad hæc Penates θεοὶ δυνατοί, *Dij potentes*. & hic Vestam *potentem* nominat. Demum Consules, Prætores, Dictatores cùm inibant magistratus, rem diuinam faciebant Lanuuij Penatibus pariter, & Vestæ. — Vesta inter Penates.

9. ÆTERNVMQVE ADYTIS EFFERT, &c.] Dubitari potest, an vnà cum Vesta eductus quoque ignis ab Hectore: an verò, tantùm ignis eductus fuerit, qui idem cum Vesta. Vestam enim sub forma ignis Romani coluerunt, dicente Ouid. in Fast. lib. 6. — Vesta sub forma ignis culta.

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

& Procopio lib. 2. vbi de bello Persico. *Hic magnum Pyræum est, quod Persæ Deorum maximè venerantur, vbi ignem perpetuum custodiunt Magi: ac alia quidem diligenter sacrificantes, cum Vaticinio in rebus maximis vtuntur.*

Hic

Hic est ignis, quem Vestam olim Romani vocabant. Demum huius rei argumento seruiunt, quæ de perpetui ignis religione seruata sunt Romæ à Virginibus Vestalibus. Et Liuius quidem lib. 5. vtrumque coniungit: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signóque, quod imperij pignus, custodiáque templi teneretur, loquar?* Ex dictis liquidum fit, nulla alia numina tradita Æneæ ab Hectore, præter Penates: nam Vesta vna est ex eorum numero, vel certè comes: ignis autem probabiliter hic est ipsamet Vesta, nihilque indistinctum. Iuuat parœmia: quod enim Latini, *ab Lare*, id est, ab igne, Græci ἀφ' ἑστίας, id est, à Vesta. qua vsus Aristophanes in Vespis, qua Plato in Euthyphrone, vt ibi attestatur Scholiastes, & qua aliquoties Plutarchus.

Ab Lare, prouerb.

Ceterùm cùm ignis multis in locis religiosè cultus fuerit, gentes aliæ à Chaldæis videntur accepisse, nam ab his fluxisse morem hunc ad Persas Agathias scribit lib. 2. Hist. à Persis credibile ad Græcos commeasse, & inde ad Romanos: itaque vnà cum imperio propagata quoque superstitio. Factum enim à proprietatibus ignis, vt à tot gentibus haberetur pro numine. Est enim hoc elementum situ altissimum, maiestate plenissimum, visu pulcherrimum, natura potentissimum. Deinde sine dolore tangi nequit, qua vna re veluti numen suum sancit. Ideo non solùm in has partes, quæ principes terrarum fuerunt, peruagata ignis religio, sed in alias quoque, vt in Africam, nam hac re religiosum inducit Iarbam Mauritaniæ Regem Virgilius. Sed nulli tamen impensiùs in eam rem incubuerunt, quàm Persæ: nam aliis gentibus alia numina magis præcipua, vnis Persis ignis omniũ Numinum potissimus, scribente sic Agathia lib. 2.

Ignis religio.

Persæ ignẽ habuerunt pro Deo.

A Hist. τὸ δὲ πῦρ αὐτοῖς τίμιόν τε εἶναι δοκεῖ, καὶ ἁγιώτατον· καὶ τοῦτον ἐν οἰκίσκοις τισὶν ἱεροῖς τε δῆθεν, καὶ ἀποκεκρυμμένοις ἄσβεστον οἱ μάγοι φυλάττουσι, καὶ ἐς ἐκεῖνο ἀφορῶντες, τάς τε ἀπορρήτους τελετὰς ἐντελοῦσι, καὶ τῶν ἐσομένων πέρι ἀναπυνθάνονται: *ignis autem his maxime honorandus sanctissimúsque videtur, atque idcirco in ædiculis quibusdam sacris, ac semotis, Magi eum perennem asseruant, inque eam despicientès, arcana sacra peragunt, & de rebus futuris eum sciscitantur.* Strabo quoque lib. 15. de iisdem Persis ait, eos in sacrificando principe loco solitos inuocare ignem, etiam si cuipiam alteri rem diuinam facerent. verba eius sunt. ὅτῳ δ' ἂν θύσωσι θεῷ, πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται. Adhibet Maximus Tyrius serm. 38. verba, quibus Persæ vtuntur in sacrificio ad Solem. Θύουσι Πέρσαι πυρί, ἐπιφοροῦντες αὐτῷ τὴν πυρὸς τροφήν, ἐπιλέγοντες, πῦρ δέσποτα ἔσθιε: *Persæ igni sacrificant, cui, cùm affe-*B *runt cibos, dicunt, domine ignis comede.* Certè in vrbe Gazaco Persarum templum fuit igni sacrum, quod loquens de rebus Chosrois Cedrenus commeminit, ἐν ᾗ (ait) ὑπῆρχεν ὁ ναὸς τοῦ πυρός. Lege eundem pag. 28. vbi ignis religionem ad Perseum deducit. Notetur obiter duplex mos. Primus: Si hic ignis extinctus semel esset, nefas erat ex terreno igni iterum conflari & resuscitari: imperabántque sacra purum fomitem solis flammæ apponendum, vt inde exsurgeret cælestis ignis. Sed hunc iam alij, alterum do ipse. Docet me Plutarchus in opere περὶ τοῦ εἶ τοῦ ἐν Δελφοῖς, hunc ignem nutriri debere sola elate, non alia materia. Verba eius sunt. ἐπὶ τοῦ πυρὸς ἀθανάτου, τὸ καίεσθαι μόνον αὐτόθι τῶν ξύλων ἐλάτην: Quo satis indicatur æterni ignis religio nata primùm in Oriente, vbi frequens elate, & inde propagata ad alias orbis terrarũ partes.

Ignis Vestalis materia.

[a] Diuerso interea miscentur mœnia luctu:
[b] Et magis, atque magis, (quamquam secreta parentis
Anchisæ domus, arboribúsque obtecta recessit)
Clarescunt sonitus, armorúmque ingruit horror.
[c] Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
[d] In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit: aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitésque trahit syluas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

ARGVMENTVM.

Interim luctus vndique insonat, qui auditus Æneæ in remota etiam vrbis parte: somno excutitur, summa ædium ascendit, horrorem audit, quem exprimit duplici comparatione, flammæ incidentis in segetem, & torrentis coaliti subitis imbribus.

EXPLICATIO.

[a] VERBA mirifica ad signandum primum illum luctum, qui simul in vrbe erupit cognitis iam Græcorum insidiis. Credibile enim sublatum eiulatum ab omni sexu, ætate, conditione, ideo *miscentur*, & *diuerso luctu*.

[b] Vocis iteratione terroris magnitudinem designat. ita verò magni erant sonitus, ita magnus armorum horror, vt distinctè omnia & clarè audirem in paternis ædibus, quamvis longè ab vrbis commercio, C interque arborum recessus, & secreto in loco.

[c] Hi clari sonitus, hic ingruens armorum horror, abrumpunt subitò Æneæ somnos, illúmque lecto excutiunt, ac statim festinus pergit ad summas ædium partes, vt attentiũs audiat clamorem, vt latiùs videat quæ geruntur. Nota illud *ascensu supero*, quod in re obuia non obuium. quæsitum enim *superare ascensu* pro ascendere.

[d] Græcorum furorem, & peruagantem vbique cædem duplici comparatione extollit ignis & aquarum, quod vtrunque vehemens. Quam enim non calamitatem concipies per *flammam incidentem, Austros furentes, torrentem rapidum, flumen montanum, vastitatem agrorum, syluas præcipites?* inde ad finem, rei penè D tragicè descriptæ additur stupor pastoris epiphonematis loco, quo stupore res præcedens, quæ maxima, maior redditur. Referenda hæc ad Aeneã. Sicuti pastor è monte audiens sonantis fluuij strepitum, stupet: sic Æneas ad diuersos luctus, clamorésque horrendos, præsertim ignarus causæ.

NOTÆ.

1. DIVERSO INTEREA, &c.] Huic locus similis Liuianus de excidio Albæ lib.1. *iam fragor tectorum, quæ diruebantur, vltimis vrbis partibus audiebatur.* Sed quoniam comparatio Auctorum grata esse solet, adducam verba eiusdem Liuij, lib.5. vbi ille copiosè & grauiter occidentem Romam scribit sub Gallorum excidio, & certè, quo iure interpretes alij putant repræsentatum à Vate Albanum excidium, possum ego Romanum. Ergo scriptor, *Romani ex arce plenam hostium vrbem cernentes, vagósque per vias omnes cursus, cùm alia atque alia parte noua aliqua clades oriretur, non mentibus solùm concipere, sed ne auribus quidem, atque oculis satis constare poterant. Quocunque clamor, sonitus hostium, mulierum puerorúmque ploratus, sonitus flammæ, & fragor ruentium tectorum auertisset, pauentes ad omnia animos oráque, & oculos flectebant, velut ad spectaculum à fortuna positi occidentis patriæ,* &c. Ex Calabro quidem adduci multa possent, qui hoc excidium graphicè. Tantùm afferam notas luctus huius vbique peruagantis. nam hoc attingit Maro ista diuersorum gemituum permistione. Ait itaque,

ἀμφὶ δ' πάντη
Αἵματι, καὶ νεκύεσσιν, ἐρρώρει δ' αἰνὸς ὄλεθρος.
—plena erant omnia
Cruore, & cadaueribus, & funesta cædes oriebatur.

Iterum inducit, πᾶν πτολίεθρον πλεῖον νεκύων: *totum oppidum plenum cadaueribus.* & πάντη στονόεντα μέλαθρα: *vbique domos luctuosas.* & πάντη δ' αἷμα κελαινὸν ὑπέρρεε: *vbique fluebat ater sanguis.* & ἀμφὶ δ' ἴαχε πάντα μέλαθρα ἄσπετον: *omnes domus horrendè resonabant.* & οὐδ' ἄρ' ἦν Τρώων τις ἀνούτατος: *nullus erat Troianorum expers vulneris.* Tryphiodorum non attingo, ne integrum transcribam.

Magis, atq; magis. 2. ET MAGIS ATQVE MAGIS] Geminatio ista aliis vsitata, Catullo in primis,

Notescátque magis mortuus, atque magis.

iterum *magis, & magis in dies.* Ita & Græci geminant, μᾶλλον, μᾶλλον. Vide longam Notam Hieron. Columnæ ad Ennium.

Æneæ domus vbi sita. 3. QVANQVAM SECRETA PARENTIS ANCHISÆ DOMVS] Hæc Æneæ domus vbi fuerit Strabo explicat lib. 13. his verbis interpretis: *Scepsius putat Æneæ regiam Scepsin fuisse, quæ media erat inter regionem illi subditam, & Lyrnessum, in quam ab Achille agitatus fuisse dicitur, dicit enim Achilles,*

Nonne memor, cùm te sequerer montana per Idæ,
Tu fugeres cursúque celer Lyrnesson adires?

In his, quæ ex Homero citantur, Idæ quoque mentio infertur, iuxta quam Æneæ domus, vt inde constet illud *arboribúsque obtecta recessit.* erat quippe Ida prope ipsam vrbem, & pars adhuc ædificiorum, inter arbores eius montis, quod non obscurè colligo ex eodem Strabone variis locis, & ex Virgilio infrà. Nam Æneas abiens in exilium ex paterna domo, ait,

—ferimur per opaca locorum.

Itaque pergebat per opacam syluam. & tamen adhuc erat intra vrbem & intra mœnia, nam postea ait,

Iámque propinquabam portis,

scilicet, portis Troiæ. Adeunti locum res ista clarior. Ex illa porro coniunctione quam attuli Lyrnessi, & Idæ, lux additur eidem Maroni in 12.

—domus alta sub Ida
Lyrnessi domus alta.

Lyrnessus. erat enim Lyrnessus locus in ipsa Ida, aut prope Idam, vt ex eodem Strabone colligas. Scepsius ille, quem auctorem citat Geographus, fuit Demetrius Grammaticus, qui è Scepsi loco illo, qui apud Troiam, vbi & Anchisæ domus. Vult Germ. allusum à Poëta ad

A procerum Romanorum luxum, ac delicias, qui etiam in vrbe lucos in domibus haberent: vnde & Tibull. lib.3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Habita quoque est ratio decoris, nã principis Æneæ domus esse debuit Augustalis, & permagnifica. In verbo motus *recessit* iucunda est metaphora, cùm sermo sit de re hærente, sic Catull. Arg.

—quacunque opulenta recessit
Regia.

& Virg. in 8.

Hic spelunca fuit vasto summota recessu.

Plinius lib. 6. cap. 8. *Longissimè hæc Ponticarum omnium introrsus recedens.* & cap. 13. *ad Mæotin lacum discedens.* Alter Plinius lib. 2. Epistol. de villa sua ita scribit: *Decem & septem millibus passuum ab vrbe secessit.* & lib. 5. B loquens de Thuscorum parte quadam *hi procul à mari recesserunt.*

Sensuum metaphoræ commutantur. 4. CLARESCVNT SONITVS] Adnota, pulcherrimè claritatem, quæ est oculorum, sono dari, qui est aurium, eleganti quadam tralationum commutatione. Lucret. *clarus sonor,* dixit, & *cæcos sonos.* Seneca in Troad.

—terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos.

& Noster infrà,

—clarior ignis Auditur.

& iterum, *visus adesse pedum sonitus.* & in 6. *visæ canes vlulare.* nam *vlulo* ad auditum pertinet, vt qui auditur. & in 4. *verba visa exaudiri.* Ibidem: *rumore incensus* C *amaro.* vbi amaricies, quæ pertinet ad gustum, datur rumori, qui est auditus. sic in 12. *ater odor.* de olfactu, cùm atricies sit oculorum. iterum in 4. *videres æquor misceri clamoribus.* Attius Chrysippo apud Nonium,

Vox illius certè est, idem omnes cernimus.

Propert. lib. 2. eleg. 16.

Vidistin' toto sonitus percurrere cælo.

ita Aristophanes in Pluto ὀσφραίνει, *odoraris.* ad alios sensus, quàm narium, transtulit. Ita Philo in Decalogo, πᾶς ὁ λαὸς ἑώρα τὴν φωνήν: *omnis populus videbat vocem.* Iustinus lib. 21. *oculis deuorare.* Horatius Sat. 8. lib. 2. *exsurdant vina palatum,* vbi quæ sunt aurium dantur gustui. Ita & Plin. lib. 37. c. 5. *hebescunt berylli, ni color surdus repercussu angulorum excitetur.* Seneca Oedip. *Emicat vasto fragore maior humano sonus.* vbi sonus au- D rium emicat verbo oculorum. Aristoteles lib. 3. de Anima cap. 1. ὥσπερ νῦν τῇ ὄψει τὸ γλυκὺ αἰσθανόμεθα: *Sicuti nunc visu sentimus dulce.* & cap. 2. eiusdem libri ait, ἰσχυρὰ ὀσμή, καὶ γλυκεῖα, καὶ πικρά: *odor vehemens siue dulcis, siue amarus.* Quæ nota facit, vt tolerari in Suida possit explicatio illa, ἀπηχές, δύσφορον, ἀειδές, ἐχθρόν: *absonum, molestum, inuisum, hostile.* explicat itaque, *absonum* esse, quod inuisum est. quam lectionem in ἀηδές mutat Henr. Stephan. & legi ἀειδὲς errore librariorum asserit, sed tolerari, inquam, ex mea nota potest lectio antiqua: explicatur enim quod pertinet ad sonitum per visum.

Somnus abruptus ominosus. 5. EXCVTIOR SOMNO] Notat Parrhas. pertinere hoc ad rationem ominis, nam quoties somnus ex abrupto fugatur, aliquid triste portenditur: quod firmat E Claudiani loco, & ego Senecæ. apud quem Andromacha vxor Hectoris, post visum insomnis coniugem sic infert:

Mihi gelidus horror, ac tremor somnum excutit,
Oculósque nunc huc pauida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quæsiui Hectorem, &c.

Non abeunt à ratione ominis Seruij verba hæc: *Excutior somno, vt appareat terroris esse, non satietatis.* Phrasin ipsam sic Græci efferunt ex obseruatione Germ. ὕπνος ἐξέθορε, σκέδασ', ὤρνυτο, ἐξέσσυτο, ἀλτο: *excussus somno est.*

&

& ἀπολακτίζειν ὕπνον: repellere somnũ. auctores ab eo pete.

6. ATQVE ARRECTIS AVRIBVS ASTO] Vide quæ iam in. 1. ad illud,

—atque arrectis auribus astant.

Pollux lib. 5. vocat στάσιν ὤτων.

Ignis comparatio. 7. IN SEGETEM VELVTI CVM FLAMMA, &c.] Ignis comparationem ab Homero sumpsit Il. 11.

Ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ,
Πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει, οἱ δέ τε θάμνοι
Πρόρριζοι πίπτουσιν ἐπειγόμενοι πυρὸς ὁρμῇ:
Veluti autem quando ignis perniciosus in lignosam inciderit syluam,
Et vndique conuoluens ventus fert: arbusta verò
Radicitus cadunt agitata ignis impetu.

Idem Vates. 2. Il.

Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
Οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή:
Quemadmodum ignis lucens comburit ingentem syluam
In montis verticibus, eminus autem apparet fulgor.

In his Scal. Latino palmàm dat, iudicio æquo: iniquo enim lancinatur à Macrobio Virg. de quo tamen postea Pindarus Od. 3. Pyth.

Πολλάν τ' ὄρει πῦρ ἐξ ἑνὸς
Σπέρματος ἐνθορὸν ἀΐστωσεν ὕλαν:
Ignis in monte ex vno semine prosiliens magnam vastauit syluam. Nihil verò potuit opportunius poëta hac cõparatione. Nam quis ille furor, quo aristas siccas flamma peruolitat? inde quæsitum Propertio ἀδύνατον lib. 3. eleg. 19.

Flamma per incensas citiùs sedetur aristas.

8. AVT RAPIDVS MONTANO FLVMINE TORRENS] Altera comparatio, quæ Græcis passim in ore. Homer. Il. 4.

Ὡς δ' ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ
Κρουνῶν ἐκ μεγάλων, κοίλης ἔντοσθε χαράδρης:
Τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν.
Sicut quando torrentes fluuij de montibus fluentes
In conuallem conferunt impetuosam aquam
Canalibus ex magnis concauum intra alueum:
Horum autem procul fragorem in montibus audit pastor.

Macrob. ait, Virgilium, cùm institerit alteri, quam de igne comparationem attuli ex Il. 2. & huic ex Il. 4. neutrius dignitatem impleuisse. Illum Scaliger reprehendit. Sed an impleuerit? videamus. Illa de igne nihil habent exquisitum: ait enim: *ignis lucens comburit ingentem syluam in montis vertice.* Quid hîc agnoscis non obuium, & cuilibet dicendum? non verò obuium, *incidit*: nam repentinus ignis indicatur: deinde flamma animatur, *Austris furentibus*, quo illa furentior fit. Addo Græcam comparationem ferè non necessariam: nam tantùm quod ibi additur de fulgore necessarium ad rem Homeri, reliqua superuacanea. adeunti hæc clara. Pergo ad alteram: quod Græcus, *torrentes fluuij de montibus fluentes.* Latinus, *rapidus montano flumine torrens.* æquales, vt video, nisi quis pro Latino iudicet. Quod ille, *conferunt impetuosam aquam in conuallem*: neglectum est Latino, quippe in Græcis nullum nocumentum; altius Maronis Musa excogitauit, quid enim diceret, aquam cum impetu fluere? ergo pro his Græcis à Latino agri sternuntur, sata læta, labores boum in quibus omnibus miri affectus, & ad rem signatissimi: magnus enim est dolor adultas segetes stratas fuisse, frustra boues defatigatos: quibus innuitur strata ciuitas florentissima, euectáque magnis laboribus ad eam dignitatem, in qua erat. Ad hæc syluæ trahuntur, & hæ præcipites, quò in vrbe omnia pessundata significantur. Procedo. Græcus, *ex magnis canalibus.* an hoc assumeret sibi Virgilius? bis enim rem dixisset, quod inutile: nam Græcus bis dicit, hi enim canales nihil sunt aliud, quàm torrentes illi fluuij, tantùm addit magnitudinem. Græcus, *intra alueum*, hoc meritò Latinus respuit, qui nocumentum, vt dixi, significare voluit. Apud illum demum pastor *audit*, apud nostrum, *stupet*, clara victoria, & *inscius* signatè ad Troianos, qui subito malo oppressi, causæ nescij erant. Ergo, non solùm Homericam operam Virgilius impleuit, sed superauit. Hæc dicta latiùs contra Macrob. ac meo iudicio potuisset Criticus alias comparationes assumere ex Homero, quas æquiore iure opponeret Virgilianæ. Tendo ad alias comparationes, quæ frequentes Græcis in hac re. Homerus idem 5. Iliad.

Virgilius superat Homerum.

Fluuij comparationes.

Θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
Χειμάρρῳ, ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας.
Τὸν δ' ἄρα γ' οὔ γέφυραι τε ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
Οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων
Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.
Currebat enim per campum fluuio inundanti similis
Torrenti, qui velociter fluens dissipat pontes.
Hunc autem neque pontes muniti reprimunt,
Neque septa retinent vinearum latè virentium
Venientem repentè, quando ingruit Iouis imber:

Quod Homerus *vineæ virentes* ad excitandum affectum; Virgilius, *Sata læta.* Rursus Il. 11.

Ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίον δὲ κάτεισι
Χειμάρρους κατ' ὄρεσφιν ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ.
Πολλὰς δὲ δρῦς ἀζαλέας, πολλὰς δέ τε πεύκας
Ἐσφέρεται, πολλὸν δέ τ' ἀφυσγετὸν εἰς ἅλα βάλλει:
Veluti autem quando in vndas fluuius in campum descendit
Torrens de montibus auctus Iouis imbre:
Multas verò quercus aridas, multásque piceas
Secum fert, multásque sordes in mare voluit:

Sophoc. Antig.

Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις ὅσα
Δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσώζεται.
Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.

Quæ sic vertebam:

Vides torrenti vasto quæ cedant arbores
Manere incolumes, contra si obniti velint
Radice exima cuncta vastari turbine.

Sophoclem præfero Homericis. Adiungo Oppian. 2. κυνηγ. qui pulchrè id ipsum.

Καὶ ποταμὸν προέηκεν ἐριγδούπον προμολῆσιν,
Ἀσχετὰ κυμαίνοντα, καὶ ἄγρια μορμύροντα.
Ἴθυνεν δ' ἐπὶ θῖνας· ὃ δ' ἔβραχεν αἰπὺς πόντος,
Καὶ Συρίης κονάβησε μέλαν δέμας αἰγιαλοῖο.
Et fluuium misit, eructantem per supercilia montium,
Vehementer æstuantem, & immaniter murmurantem.
Direxit verò eum rectà ad littora, fremuit autem profundum mare,
Et Syriaci sonuit nigrum corpus littoris.

Latinos etiam, Valerium Flac. 6. Arg.

———velut hiberno præruptus ab arcu
Imber agens scopulos, nemorúmque operumq; ruinas,
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque nouam paulatim deficit amnem.

Statium. 3. Theb.

Vt rapidus torrens, animos cui verna ministrant
Flumina, & exuti concreto frigore colles,
Cùm vagus in campos frustra prohibentibus exit
Obicibus, resonant permisso turbine tecta,
Arua, armenta, viri: donec stetit improbus alto
Colle minor, magnóque inuenit in aggere ripas.

Silium lib. 4. qui hærens suo vati:

Vt torrens celsi præceps è vertice Pindi
Cum sonitu ruit in campos, magnóque fragore
Auulsum montis voluit latus, obuia paßim
Armenta, immanesque feræ, syluæq. trahuntur,
Spumea saxosis clamat conuallibus vnda.

Senecam in Theb.

—Hic rapax torrens cadit,
Partésque lapsi montis exesas rotat.

Post illustratum Virgilium Græcis & Latinis, adiungo quiddam non ingratum. Dici vix potest, ad quàm [...]a aduocent auctores comparationem aut fluminis, aut χειμάρρυ: sic enim Græci torrentem vocant. In primis frequentissima illa ad bellum. quod ex adductis liquidum, & ex Plutarcho de liberis educandis. πόλεμος χειμάρρυ δίκην πάντα σύρων, καὶ πάντα παραφέρων: *bellum instar torrentis omnia trahens, omnia auferens.* Aristides in προφθέγματι ad eloquentiam. ᾠχόμην ὥσπερ κατὰ ῥῦν ὑπὸ τοῦ λόγου φερόμενος: *orationis quasi fluminis impetu transuersus rapior.* Sed hoc ante illum iam Homerus de sapientissimo Græcorum loquens. Vide etiam Suidam de Demophilo præsule Constantinopolitano. Inde Arator poëta lib. 2. *Eloquij torrente premit.* & Iuuenal. Sat. 3. *sermo Promptus, & Isæo torrentior.* Pergo ad alia significata. Artemidorus lib. 2. c. 27. ad inclementes iudices, & similes viros: χειμάρροι ἢ ποταμοὶ καὶ δικαστὰς σημαίνουσιν ἀγνώμονας, καὶ δεσπότας ἀνδρεῖς, καὶ ὄχλους: *torrentes fluuij significant iudices inclementes, & insuaues dominos, & turbas.* Hoc de turbis & Philo dixit, quem omitto, quia iam illum Iunius Cent. 2. adag. 64. Plutarchus de defectu oraculorũ ad temporis inconstantiam omnia abripientem: τοῦ χρόνου (ait) καθάπερ ῥεύματος ἕκαστα παραφέροντος. Idem in Gryllo ad cupiditates & libidines mortalium in re Venerea. Traduci potest ad ea, quæ affluenter & confertim fiunt, hoc iam antè me Iunius aduocato Demosthene, pro quo Aristidem substituo, qui in Panathenaica loquens de barbaris. οἱ δ᾽ ὥσπερ χειμάρρους ἐχώρουν διὰ πάντων ἤδη δεχομένων: *cùm torrentium more omnia peruaderent.* Sanctus Hieronymus in cap. 6. Amos ad res sæculi fluxas & momentaneas. Seneca de Breuit. vitæ c. 9. ad temporis celeritatem. *Itaque cum celeritate temporis vtendi velocitate certandum est, velut ex torrente rapido, nec semper casuro, citò hauriendum est.* & Ep. 58. *Corpora nostra rapiuntur fluminum more.* Herodotus lib. 3. illa vtitur ad explicandum præceps consilium. Philo de temulentia D ad animas, quæ confertim eunt ad barathrum. Arnobius lib. 1. ad Imperij Romani potentiam, cùm ait, *Romani velut aliquod flumen torrens cunctas submergerent, atque obruerent nationes.* Omitto multa, tantùm adiungo vni viro singulariter adiungi solitã hanc comparationem. Nam & Homerus 5. Il. illa extollit virtutem Diomedis, & Plutarchus Annibalem Orat. 1. de Alexandro.

Torrentis comparatio ad multa.

9. TORRENS] Reprehendat aliquis fortasse Poëtam, nam si *torrens*, quî *flumine*. Est enim flumen perpetuum, & non deficiens: torrens, qui aliquando exundat. Sumpsit credo Poëta flumẽ pro fluxu aquarum reddens Græcorum ῥεῦμα. Quid quod Homerus 5. Il. etiam coniunxit ποταμῷ χειμάρρῳ, & Hero- A dotus, atque etiam Artemidorus in adducto loco χείμαρροι ποταμοί. Sed quod discrimen harum vocum? *Flumen*, vt dixi, semper manet, estque perpetuum, respiciens veluti ad fontem & originem. Inde Rhenus, Rhodanus, Padus, Nilus, & alij huiusmodi solent ad excellentiam & ἐξοχὴν vocari frequentius *flumina*, quàm fluuij. Fluuius dicit ipsum aquarum fluxum, etiã si sermo sit de riuo. Inde signatè in Georg. *Deinde satis fluuium inducit.* Amnis notat circuitus & ambitus, vt qui dictus ab ambiendo. Scio ista omnia mirè perturbari in Auctoribus. Alij aliter solent discriminate. In torrente quippe efferendo Græci ab Latinis dissident. Illi χείμαρρον nominant, quòd fluat tantùm hyeme: Isti torrentem, quòd siccetur æstate, vt quidam volunt: alij, fortasse potiùs, quòd abun- B det æstate, in quam me rem Pacuuius ducit, qui signatè *flammeo vapore torrens torret.* Sunt enim propriè Latinis torrentes dicti à torre, quasi qui in æstate exundent, quales accidere solent in tempestatibus, quæ proueniunt in æstate: ineptè enim viderentur dici torrentes, si in æstate non essent.

Flumen, quid.

Fluuius, quid.

Amnis, quid.

Torrens, quid.

10. STERNIT AGROS] Ad hunc locum dubio procul respexit Liuius lib. 39. *Haud secus ergo quàm torrentis modo fundunt, sternuntq. perculsos.*

11. BOVMQVE LABORES] ἔργα βοῶν. etenim Græcis ἔργον, Latinis *labor* signatissimæ sunt voces, & κατ᾽ ἐξοχὴν pertinentes ad agriculturam. Itaque quod Virgilius dixit, *Hominúmque boúmque labores*, reddi ex Homero potest βοῶν καὶ ἀνδρῶν ἔργα. Ergo quoties ἔργον in re agresti occurrat, reddes melius C *laborem* quàm opus. sic Ritt. illud Oppian. 2. κυνηγ. ἔργα βοῶν θαλερὰς βέβριθεν ἀλωάς, reddit, *labores boum florentes onerant areas.* Et Xenophon de Prouentibus ἀργυρεῖα, id est, *fodinas argenti*, vocat ἐνεργά, propter laborem, qui in illis impenditur & lib. 5. ἀπομνημ. terram cultam vocat ἐνεργόν, propter eundem laborem. inde ἐργάτιναι Oppiano, & ἐργοπόνοι Leonidæ. 2. Anthol. agricolæ sunt nulla re addita: & à Bione in Ecl. χειμὼν δύσεργος dicitur, quæ Horatio, *bruma iners*, quòd hyems agricolarum laboribus inepta sit. Porrò ἐργάτινας appellatos quoque χειρώνακτας, & ἀποχειροβιώτους notum his, qui libarunt Græca.

Labor de agricultura.

12. SEDET INSCIVS ALTO, &c.] Verbum *sedet* aptissimum est. Possunt verba Basilij Magni explicare hunc locum. Ille in homil. de squalore, & fame ita ait, οἱ γεωργοὶ ἢ ταῖς ἀρούραις ἐπικαθήμενοι, καὶ τὰς χεῖρας κατὰ τῶν γονάτων συμπλέξαντες, τοῦτο δὴ τῶν πενθούντων τὸ σχῆμα, τοὺς ματαίους ἑαυτῶν πόνους δακρύουσι: *agricolæ per campos sedet manibus genua complexis, qui habitus lugentium est, & labores suos perditos lacrymantur.* Et quidem habitum sedendi fuisse olim supplicum & miserorum, certum est. Apuleius lib. 1. *Humi sedebat, scißili palliastro semiamictus, penè alius, lurore ac misera macie deformatus.*

Sedeo supplicum est.

13. ACCIPIENS SONITVM] Bellulè hoc Plautus Casin. *vsurpant aures sonitum.* in Cistell. *in aures recipio.*

14. SAXI DE VERTICE] Vt hic *vertex* de monte. Ita Plinius lib. 2. c. 44. *montium verò flexus, crebríque vertices.* in 6. *caput* dedit, quod vicinum vertici, *capita aspera montis.*

Vertex de monte.

Caput de monte.

[a] TVM VERÒ manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiæ. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus, iam proximus ardet
Vcalegon, Sigæa igni freta lata relucent.
Exoritur clam[orque] virum, clangorq; tubarum.
[b] Arma amens capio, nec sat rationis in armis,

ᶜ Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi: furor iraque mentem
Præcipitant: PVLCRVMQVE mori succurrit in armis.

ARGVMENTVM.

Quàm infamis Græcorum fides argumentis quinque ostenditur: Æneas arma capit, vt arcem defendat, sed præceps demum ira, optimum putat, hosti occurrere, inter arma occumbere.

EXPLICATIO.

ᵃ QVales Græci essent, quàm infami fide, tum demum apparuit. Non iam coniecturis, aut diuinando assequebar illorum dolos, fraudem prodebat flamma, & Troia ardens vndique. & patescunt quidem insidiæ lucente igne, dolos ad lucem deprehendi. Sequuntur argumenta quinque huius sententiæ. Patuerunt Græcorum insidiæ, nam domus Deiphobi absumpta est incendio, assit illi proxima domus Vcalegontis, reluxerunt Sigæa freta; hæc ab oculis: duo ab auribus, clamor hominum, clangor tubarum. Vide vt locum istum multis expendat Iouianus in Actio, à quo iam alij interpretes.

ᵇ Ex visis sibi, atque auditis in id tandem erumpit consilium, vt arma capiat contra hostes; quæ summa fuit amētia: tum enim quid ipse opis ferre possit? Audiuerat ab Hectore, *Heu fuge, nate Dea.* Fuga tunc opportunior, non arma, à quibus nulla salus speranda. Ideo addit, *nec sat rationis in armis.* Laudat Iouianus collocationem hanc hiulcam *arma amens*, hoc loco opportunam ad signādos Æneæ terrores, & vagos errores mentis. Eandem laudat Cæsar Scaliger, nam explicatus est Æneæ anhelitus in iterata vocalis vastitate.

ᶜ In illo æstu curarum cùm esset, & amens, subitò menti consilium adfuit: ardebat coniungere militem, manúmque peragendo bello, & cum omnibus pariter ad arcem concurrere ad Priami tutelam. Docemur obiter, quòd munus boni ciuis in omni discrimine, cui ante omnia salus principis obuersari debet, ex cuius salute pendet cæterorum. Sequitur, *furor iraq; mentem Præcipitant.* Est hæc ratio, & excusatio superioris sententiæ. Ardebat ire in arcem ad defensionem, sed hic purus furor, pura ira, quæ mentem rotabat. Nam quid ipse faceret tanta hostium multitudine affluente, flammis iam dominantibus, grassante vndique & vbique cæde? Sed sistit tandem, firmátque errores mentis pulchra sententia, vt se hostibus obiiciat, vt fortiter in bello cadat, quo nihil gloriosius. Nam quid ipse mortuæ patriæ superuiuat?

NOTÆ.

Græci dolosi.

1. TVM VERÒ MANIFESTA FIDES] Videtur alludere ad communes parœmias de fide Græcorum parum sincera. Nihil enim vulgarius. Lege Parœmiographum, & de vnis Laconibus, qui noti fraude, signatè Iunium Cent. 2. adag. 20. & Florentem. Christian. in Irenam Aristoph. Virgilius in sequenti libro absolutè de omnibus *malis Graijs.*

2. DEIPHOBI] Rectè interpretes dicunt, ruinam incipere ab domo Deiphobi, nam credibile in hanc Græcos primùm concitatos, vbi mali, & belli causa latebat Helena: hanc enim Deiphobus duxerat interfecto Paride.

A 3. VVLCANO SVPERANTE] Præclarè. Animaduerti Poëtam vti hac voce ad signandum magnum, & magnopere excrescentem ignem. Ergo hic *Vulcano* quia *superante.* ita in 9. de excrescente igne, — Vulcanus de crescēte igne.

—Commistam Vulcanus ad astra fa[illegible]

& 1. Georg.

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem.

Quippe ad conficiendam sapam & scriptores rustici, & ars ipsa docet opus esse multo & forti igne. Frigidè itaque ad signandam scintillam, aut ignitum carbonem, & quamuis flammam, dicas Vulcanum. Scio hoc, reliquis Poëtis in vsu, sed præ hoc principe curo neminem. Certè Horatius magistro hærens de excrescente vsque ad tectum flamma Sat. 5. lib. 1.

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
B *Vulcano, summum properabat lambere tectum.*

Pari obseruatione Silius lib. 4.

Immißis crepitat victor Vulcanus habenis.

& lib. 9.

Verticibus sæuis torquet Vulcanus anhelos
Cum feruore globos flammarum, & culmina torret.

Quid quòd vocis etymon signat vim & violentiam. Varro lib. 4. ling. lat. *Ab ignis iam maiori vi, ac violentia Vulcanus dictus.* Inde fortasse Horatius epitheto proprio Od. 4. lib. 3. *auidus Vulcanus.* non ab communi ignis voracitate. — Vulcani etymon.

4. IAM PROXIMVS ARDET VCALEGON] Hoc est, Vcalegontis domus, quæ proxima domui Deiphobi. tropus notus. Inuenit autem mysterium Nannius, quasi incuria Vcalegontis, & negligentia ædes
C eius arserint, neque enim cauit à proximo incendio Deiphobi, nam Græcis est οὐκ ἀλέγων, *non curans.* Non distat hoc à prouerbio Horatiano,

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Nec Seruij nota hęc: τὸ αἴτιον, *ardet, quia proximus.* Huc pertinent Plinij alterius verba epist. 11. lib. 3. *Tot circa me iactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer.* Nec non verba Ioannis Chrysost. homil. de Doctrina & Corrept. εἰ τὴν τοῦ γείτονος οἰκίαν εἶδες ἐμπυριζομένην, εἰπέ μοι, εἰ καὶ πάντων πολεμιώτατος ἦν ὁ γείτων, οὐκ ἂν ἔδραμες ἐπὶ τὸ σβέσαι τὴν πυρὰν, δεδοικὼς, μὴ τὸ πῦρ ὁδῷ βαδίζον καὶ τῶν σῶν ἅψηται προθύρων; Dicit, *neminem esse tam hostili animo erga vicinum, qui non accurrat celerrimè ad exstinguendum illius incendium, suis ædibus consulens.*
D Et leuiter illud Aristidis in 2. Platonica, ἡμεῖς δ' ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν λέγοντες, καὶ τὸ σὸν θεραπεύομεν: *mihi dum consulo, rem tuam ago.* Iunges hæc nostra illis, quæ reperit Victorius, quem lege lib. 16. Var. c. 13. Vcalegontem prouerbialiter accepit Iuuenalis Sat. 3. ab hoc Virgilij versu, cùm dixit, — Vcalegon prouerbialiter.

—iam poscit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon, tabulata tibi iam tertia fumant.

5. SIGÆA] Significatur incendij magnitudo, cùm in ipso horrore tenebrarum Sigææ vndæ clarè cernerentur ab illucente Troiano igne. Sigæi promontorij meminit Plinius lib. 4. cap. 11. & Strabo lib. 13. Geog. à quo promontorio hîc freta dicuntur Sigæa: in 7. campi Sigæi, — Sigæū promontoriū, & Vrbs.

—num Sigæis occumbere campis.

E Idem Strabo eodem libro meminit vrbis eiusdem nominis, v[illegible] cùm ait, τὸ Σίγειον, κατεσπασμένη πόλις: *Sigæum Vrbs diruta.*

6. FRETA LÆTA] Pulcra antithesis, nam freta angusta sunt, sed sic explicata est incendij magnitudo.

tudo. Nullum genus oppositionis elegantius est, A quàm cùm vel ex epitheto, vel ex aliquo adiuncto oppositio intelligitur. Pulchra est illa Horatiana ad Pisones,

Occupet extremum scabies.

Nam si *occupet* qui *extremum* ? Hac elegantia nihil frequentius in Virgilio. suprà de Hectore *spes ô fidissima Teucrûm*, spes omnis incerta est, sed ad αὔξησιν, *fidissima*. In 1. Æn.

[…]*rari nantes in gurgite vasto.*

Vbi raritas opponitur vastitati. Tale illud apud Philostratum, πικρῶ μέλιτ@. in. 3. Æn: *surgunt æquora*, non maria, aut alia, sed quæ æqua ex se, hæc attolluntur. in 6. *Non comtæ mãsere comæ*. in 3. *via inuia*. Seneca Oedip. *freta vasta*. Ibidem loquens cum Sole, *qui tarda celeri sæcula euoluis rota*. Horatius Od. 8. lib. 1. *amando perdere*. Quem in locum vide Læuinum. Non abit illud B eiusdem Lyrici Od. 1. lib. 4. *dulcium Mater sæua cupidinum*.

7. Arma amens capio] Ad verbum Græci, ὅπλα λαμβάνειν.

8. Fvror iraqve mentem præcipitat] De ira abripiente mentem, facile esset implere paginas: nihil enim crebrius poëtis, aut scriptoribus. Sed, cùm Poëta furorem & iram coniungat, adeat lector Senecam lib. 1. de ira cap. 4. vbi irarum differentias persequitur. & locum Scholiastæ Aristophanis in Ranis, vbi discriminat inter θυμὸν, κότον, μῆνιν, χόλον, ὀργήν. Vide etiam Lipsium in dictum locum Senecæ, discriminantem ex Stoicorum doctrina, ὀργήν, μῖσ@, μῆνιν, φιλονεικίαν, θυμόν.

9. Pvlchrvmqve mori svccvrrit in armis] Hanc sententiam locupletat Heruetus in collect. ad Clem. Virg. ipse. 4. G.

——*& corpora bello*
Obiectant, pulchrámq; petunt per vulnera mortem.

Plato initio Menexemi, καὶ μὴν πολλαχῇ κινδυνεύει καλὸν εἶναι τὸ ἐν πολέμῳ ἀποθνήσκειν, καὶ γὰρ ταφῆς, καὶ μεγαλοπρεποῦς τυγχάνειν: at qui apud plurimos homines *præclarum videtur in bello mori: etenim qui hoc lethi genere occumbit præclarum magnificumq; funus consequitur*. Clem. 4. Strom. *Dicit quidem Heraclitus: Marte cæsos Dij honorant & homines*. ἀρηϊφάτους γάρ φησιν οἱ θεοὶ τιμῶσι, καὶ ἄνθρωποι: additque ex Platone in 5. de Rep. eum, qui in bello præclarè obierit, esse hominem aurei generis. Adiungo istis Cedrenum, apud quem Phocas videns suos ad fugam in acie spectare, ipse mori decreuit, actum de illo Scriptor. βέλτιον εἶναι κρίνας τὸν ἔνδοξον θάνατον τῆς ἀγεννοῦς καὶ ἐπονειδίστου ζωῆς: *iudicauit honestam mortem turpi & infami vitæ præstare*. Senecam, qui ep. 82. *Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est*. Arist. sententiam. 3. eth. qui ait, honores plurimos & ab vrbibus, & à principibus in illos redundare, qui ceciderint in maximo, & pulcherrimo periculo, Græca, quæ signatè ad rem sunt. ἐν μεγίστῳ γὰρ καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ. ὁμόλογοι δὲ τούτοις εἰσὶ καὶ αἱ τιμαὶ αἱ ἐν ταῖς πόλεσι, καὶ παρὰ τοῖς μονάρχοις. Considera etiam, vti subitò Æneas ex præcipitante ira consilium moriendi accipiat. quò pertinent verba Thucydidis lib. 5. καὶ ἐβάλλοντο εὐθὺς ὑπ' ὀργῆς παρὰ τὸν τρόπον τὸν ἑαυτῶν: *decernebant statim præter morem suum præ iracundia*. Ita sa- C nè est, ira deliberare non sinit.

Mori in bello præclarũ.

[a] Ecce autem telis Panthus elapsus Achiuûm
Panthus Otriades, arcis, Phœbíque sacerdos,
Sacra manu, victósque Deos, paruúmque nepotem
Ipse trahit: cursúque amens ad littora tendit.
[b] Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?
[c] Vix ea fatus eram, gemitu cùm talia reddit,
[d] Venit svmma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: Fvimvs Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in vrbe.

ARGVMENTVM.

Primus omnium Panthus sacerdos Æneæ occurrit ferens secum Deos: rogatus de re Troiana, exitium iam adesse pronuntiat.

EXPLICATIO.

[a] Hic primus omnium fuit Æneæ obuius, inde alij adiuncti, & exigua manus coalita ad inferendum nocumentum qualecúmque Græcis. Vide verò vt omnia sint & plena affectuum, & indicia magnæ calamitatis. Sacerdos, qui arci præest, qui templo Phœbi, fugit elapsus telis hostium, nullum habens præsidium in templo. fert manu *sacra*, ne vnà ardeant cum templo: fert *victos Deos*, quale hoc ad excitandum affectum. Crescit hic ex nepotis comitatu. Finge ipse virum religione conspicuum, elapsum ex cæde & telis hostium, vnà cum paruo filio, nam reliqua contempsit præ sua & filij salute, ac simulacro aliquo religionis onustum, quod ex incendio eripuit, & videbis te ad commiserationem & pietatem incli- C nari. Hæc omnia, quid ni hominem præcipitem ac pene amentem faciant?

[b] Mira breuitas, multa supponit, exordium nullum, tantùm de summa rogat. Vide vt explicem. Cùm sermones multi vltro citroque habentur, tandem rogari solet de summa rei. Ergo, vice sermonum, qui hic nulli præcedunt, spectatur sacerdos fugiens, Deos secum ferens, & nepotem. His intelligit Æneas rem agi incommodissimè. Ideo rogat de re summa. Pergit. quam arcem ad defensionem habemus? nullam credo, cùm tu inde fugias.

[c] Indicat gemitus, qualis futura responsio.

[d] De re summa Ænea rogas, nulla hæc nobis: tantùm dies summa, & tempus, cui nequeas resistere etiam luctando. Fuimus, iam non sumus: nulli iam D Troiani, nullum Ilium, nulla gloria. Sed quidem nulla in nobis culpa residet, ferus est Iuppiter, & immitis, ille rem nostram transtulit in hostium potestatem. Dominantur Græci in incensa vrbe.

NOTÆ.

1. Panthvs] Panthum hûc magnæ apud Troianos auctoritatis fuisse constat ex narratione Panthus.

Dictys lib.2.Bel.Troian.vbi post longam Vlyssis orationem de componenda pace, primus omnium loquitur, deinde Antenor, mox seniores alij. Et lib.5. Epig. dicitur Panthus Τρώων βουληφόρος: *Troianorum consiliator.* Homer.3.Il.cùm multos Troianorum proceres constituat in portis Scæis bellum spectantes, post Priamum statim Panthum nominat,cùm tamen ibi multorum,& grauissimorum mentio fiat.

2. ELAPSVS] Videtur facta allusio ad illud Homer.Il.5.quod placet Germ.

——γὰρ Ἀπόλλων
Εἴα Πανθόου υἱὸν ἐνὶ προμάχοισι δαμῆναι:
——Non enim Apollo
Siuit Panthi filium inter propugnatores sterni.

Etenim quod Homerus filio,patri dat Virgilius.

3. OTRIADES] Duplicem Panthum fuisse Græcorum Scholiastæ docent, vnum Euphœbi filium,alterum Otrei. Inde puto ad prioris discrimen additum à Poëta *Panthus Otriades.* Hic admoneo, confundi sæpe Græca & Troiana nomina. Itaque vno & eodem nomine afficitur Græcus, & Troianus.Exemplo sit hic Otriades, qui Troianus est: cùm tamen Herodotus lib. 1. Otriadem alium Lacedæmonium inducat in sua historia.

4. PHOEBIQVE SACERDOS] Cùm arx Troiana sacra esset Palladi,credibile ibi quoque culta alia numina,sicuti in Romano Capitolio, quod tamen vni præcipuè sacrum Ioui. Inde Panthus, etiam si arcis, Apollinis tamen sacerdos dicitur. placet hæc solutio Nasc. & ante illum Seruio. & quidem cultum Apollinem in arce satis liquidum ex his, quæ ego iam suprà loquens de Laocoonte.

5. SACRA] Per *sacra* hic intelligo vittas,velamina, & alia quæuis, quæ ad numina pertinent, nam tautologiam non concedam.

Dij absolutè, selecti sunt.

6. VICTOSQVE DEOS] Poëtæ cùm absolutè Deos dicunt, nullo adiecto, intelligunt Deos principes, ac selectos, quíque dicuntur maiorum gentium. Sic Græci θεοὺς ad discrimen δαιμόνων. Sunt enim θεοὶ propriè Iuppiter, Apollo, Neptunus: δαίμονες verò, vt Æsculapius,Hercules, Castor. Neque enim hic *victi* Dij sunt Penates, etiam si alibi dicat *victos Penates.* nam Penates iam traditi Æneæ ab Hectore. Diuersi ergo, quos Panthus adducit secum, in voce *victos* latet notitia antiquitatis. Dij re iam desperata transibant à victis ad victores; id nisi facerent vnà cum victis illigabantur. Inde in triumphis Romanorum præferebantur fluuiorum,vrbium,prouinciarum deuictarum imagines, quas vt suos Deos, gentes colebant.Prudentius lib.2.contra Symmach. absolutè de omnibus numinibus captarum vrbium,

Dij victi ligabantur.

Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cœpit,
Et captiua domum,venerans ceu numina vexit.

Imo, cùm aliquæ essent causæ euocationis Deorum apud Romanos, vna earum ad rem hanc pertinet. Euocabant enim illos Romani, ne cogerentur captiuos ducere. Inde etiam excessus Deorum ipsorum ab deuictis vrbibus timentium captiuitatem.Sed de hac re alibi.

7. TRAHIT] Aptè,quia puer ipse sequi non poterat *æquis passibus.*Inde non tam ducebatur, quàm trahebatur: sic infrà de Astyanacte,& Ascanio.Hi enim tres pueri trahuntur in hoc libro ab Panthu,Andromacha,Ænea.

8. LITTORA] Seruius agnoscit limina, offensus (credo) insolentia. nam quî littora? si ad domum Æneæ.Sed retineo *littora* commodissimè. Explicabo infrà ad illud,

——iacet ingens littore truncus.

A 9. PANTHV] Græca crasis, Πανθόε, Πανθοῦ. vt & suprà, ab Πανθόος, Πανθοῦς. Illud, *Quo res summa loco,* sumptum fortasse ab Ennio.16.Ann.

Quo res ipsa loco sese ostendátque iubétque.

In Ennio legunt, *Quo ressapsa loco.* Vide vti Modicius cap.7. arrepta ex hoc versu occasione damnet Homeri nimiam loquacitatem in mediis pugnis & bellandi ardore.

Homeri loquacitas.

10. VIX EA FATVS ERAM] Homericum,Odyss. π. οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος.

11. FVIMVS TROES] Politianus Miscell. cap.88. triplicem chorum ex Plutarcho adducit, in lib. quo pacto se laudare quispiam ἀνεπιφθόνως valeat, senum, puerorum,iuuenum. Senes sic canebant, ἄμμες ποτ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι: *robusti quondam fuimus iuuenes,* ad

B quem chorum respectum vult. idem placet Vrsino. Victorius lib.28. Var.cap.1.hoc respuit, mauúltq; respectum à Poëta ad illud Euripidis in Troadibus,

Πρὶν ποτ' ἦμεν.
Βέβακεν ὄλβος, βέβακε Τροία.
Priùs iam fuimus,
Abijt gloria,abijt Troia.

Accedit enim nomen Troiæ in Euripide,non in choro illo Lacedæmoniorum, dátque Tragicus ea verba Troianis feminis Andromachæ, & Hecubæ: hoc idem consentiens cum Germani opinione.Hîc tu obseruabis hunc loquendi modum vsitatum,& Græcis, & Latinis:quo enim significent, nihil iam esse in præsenti,inferũt tempus præteritum.Eurip.Hecub. Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτε: *& ego quondam fui.*& in Troad. ἦμεν τύραννοι, *fuimus reges.*Sophoc. in Elect. Ἀπωλόμην δύστηνος, οὐδέν εἰμ' ἔτι:

Fuit, verbũ infelix.

C

Miseranda perij,nulla sum posthac ego.

Plautus Pers.

Omne ego pro nihilo esse ducto,quod fuit,quando fuit.

Propertius lib.2.Eleg.8.

Magni sæpe duces,magni cecidere tyranni,
Et Thebæ steterunt altáque Troia fuit.

Albinouanus ad Liuiam,

Iam ne fui Drusi mater? & ipse fuit?

Cicero:*fuit,fuit,ista quondam in Rep.virtus,*Pro Archia. Corn.Tac.12. Ann.*Præsens sors mea, vt mihi informis,sic tibi magnifica est: habui equos,viros,arma,opes.*Non abit alter Plinius epist. 24. lib. 8. de ciuitatibus, quæ iam perierunt:*Recordare quid quæque ciuitas fuerit,non vt de-*

D *spicias, quod esse desierit.* Fabius in Declam. *Diuites aliquandò fuimus.* cum peculiari emphasi Aristophanes in Vespis, πρὶν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα, *priùs, priùs hæc fuerunt.* Nazianzenus Orat. 23. conquerens hæreses infestantes ætatem suam. ἦν ὅτε γαλήνην εἴχομεν τῶν αἱρέσεων. Adiunge istis verbum infelix *habuisse.* Plaut. Rud. *Miserum isthuc verbum, & pessimum est, habuisse.* Sene.Rhet.cont.28.lib.4.*Habui filiam,de omnibus meis, habui,dicendum.*Sic videlicet rem deplorat. Istuc mali dupliciter & eleganter Eurip. extulit in Troad. adempto verbo, & illius vice aliis subrogatis.

Habuisse, vox infelix.

Ὦ μεγάλα δή ποτ' ἀμπνέουσ' ἐν βαρβάροις
Τροία.
O magna olim spirans inter barbaros
Troia. iterum,

E *——Ἁ δ' ἡ μεγαλόπολις*
Ἄπολις.
——Hæc autem magna ciuitas,
Non iam ciuitas.

ac mox addit vulgatum aliud,

——ὄλωλεν,
Οὐδ' ἔτ' ἔστι Τροία.
——perijt,
Non amplius est Troia.

Ab dictis in hac Nota non abit illud Plauti in Mercat.&

Fuit, pro mortuus est.

cat. & Pseud. *Qui est, viuit: qui fuit, mortuus est.* Neque illud Tibulli lib. 3 Eleg. 5.

Siue erimus, seu nos fata fuisse volent.

Obserua etiam ad similem calamitatem exprimendam inferri solitum tempus præsens. Nam Euripides in Alcestide, Οὐκ ἔτ' ἔστιν Ἀδμήτου γυνή. & in Hippo-

A lyto, Ἱππόλυτος οὐκ ἔτ' ἔστιν. *Non iam est vxor Admeti, non est Hippolytus.*

12. FERVS] Cum stomacho, vt Iuno sæua.

13. DOMINANTVR] Pulchrè ad hostes ex dominantibus flammis. Hoc iam Gifanius. Ita Lucret. lib. 6. *flammæ tempestas dominata.* & Prudentius: *regnantes ignes.* Sed hoc, nisi fallor, in Georgicis.

Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit equus: VICTÓRQVE Sinon incendia miscet
Insultans. portis alij bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis nunquam venere Mycenis,
Obsedere alij telis angusta viarum
Oppositi. stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci. Vix primi prælia tentant
Portarum Vigiles, & cæco Marte resistunt.

ARGVMENTVM.

Summam diem Troianis adesse dixerat, discriminat iam pericula, & quatuor numerat, quibus summa esse dies ostenditur.

EXPLICATIO.

QVi exitium & summam diem esse dixerat, narrat iam quî exitium istud geratur, adducítque notas quatuor extremæ calamitatis. Equus armatos è ventre fundit, Sinon miscet incendia, portas alij irrumpunt, vias Troiæ alij cum gladiis obsident. Amplificat quatuor ista ad terrorem verbis maximis, & plenis formidine. Primum ex equo, qui *arduus*, qui *astans*, qui *fundit*, quo copiam armatorũ intelligas, & *medijs in mœnibus*, vt signet hærere intus malum. Alterum ex Sinone, qui *victor*, & *insultans*. Tertium ex ingenti numero, nam *millia*. Quartum ex signatis ad terrorem verbis, audis enim & legis *ferrum, aciem, mucronem, strictionem, coruscationem*, quæ omnia speciem exhibent multorum militum, qui vias obsident cum gladiis cruentis, euaginatis, prætentísque cuspidibus, quibus fulgor ad horrorem. Quæ autem vis contra hanc vim? Nulla pene: nam *vix vigiles tentant prælia*, adeo omnia desperata: *vix resistunt cæco Marte*, id est, tenebricoso bello, adeo omnia victa iam & prostrata.

NOTÆ.

1. ARDVVS] Quid sit hæc vox sciunt omnes. Hæreat aliquis cur Iulius dixerit 2. Ciuil. *vallis ascensu arduo, ac difficili.* Si de monte loqueretur, probè loqueretur: de valle, non satis ad gustum.

2. MEDIIS IN MOENIBVS] Firmantur his, quæ dicta suprà de significatione huius vocis. Hîc enim stultè muros capias.

3. FVNDIT EQVVS] Ita Petronius,

Danai relaxant claustra, & effundunt viros.

4. SINON INCENDIA MISCET] Hic Poëta Sinoni dat incendij partem, ipse enim quoque flammas ingessit. Sed & credibile est has ab eo sublatas, qui-

B bus significaret Græcis, vt à portu & nauibus in vrbem ruerent, cùm dicat Plinius lib. 7. *Specularem significationem Troiano bello Sinon inuenit*, cum quo consentit Q. Calaber, qui ait, hunc flagrantem faculam in sublime leuasse, quo Græcis viam ostenderet. Signata Græca sunt. αἰθαλόεντα Σίνων ἀνὰ πυρσὸν ἄειρε. Sed de his latiùs 6. Æn.

Sinõ speculares ignes inuenit.

5. INSVLTANS] Est hoc quod Aristophanes in Vesp. dixit,

—*ἀγρίως αὐτοῖς ἐπιπηδᾷς:*
—*immaniter illis insultas.*

Quem in locum interpretes dicunt duci locutionem à canibus, qui latratu premunt hostem, vel feram, & diriter insultant. Ducunt id ex verbis duobus ἐπισίζειν, & ἐπιρρύξαι, quæ præcesserunt, quæ canum sunt. Primum, dimittere canes cum sibilo: alterum, irruere canes cum impetu. Hac nota video dixisse Ioannem Chrysost. hom. de Imperio & Potestate, ὥσπερ σκύλαξ γενναῖος ἐπεισδραμὼν τῷ ἀκαθάρτῳ θηρίῳ: *Non secus ac generosus canis in impuram bestiam insiliens.*

Insulto, sũptum à canibus.

6. MAGNIS MYCENIS] Credo Poëtam hoc attributo voluisse reddere, quod Homerus toties de hac vrbe, vocat enim illam latiuiam, εὐρυάγυια Μυκήνη.

7. ANGVSTA VIARVM] Adi quæ lib. 1. in illo *strata viarum*?

8. VIX PRIMI PRÆLIA TENTANT PORTARVM VIGILES] Sic apud Liuium lib. 9. quædam oppida Ausonum, cùm noctu & ex insidiis caperentur, primùm omnium *custodes trucidari cœpti sunt: mox datum signum armatis, vt ex insidijs concurrerent, ita portæ occupatæ.* Tale quid in historia Enniana lib. 7.

—*vigilesq́; repente cruentant.*

Quæ maior clades hac Troiana, in qua vigiles vix resistunt, vbi *non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi, occidi, capi.* Verba Taciti agnoscis. 4. Annal. neque ab hoc loco aliena, neque ab hac historia, cùm ibi quoque semisomni barbari opprimantur. Apud Herodotum quoque lib. 8. vbi Xerxes Athenis potitur, primus impetus fit in portas, vbi cæduntur custodes.

9. CÆCO MARTE] Variè explicant. Ego nocturnum bellum intelligo, quam explicationem secundo loco Seruius adhibet. & Germ. ait, hoc est, *pugnantes noctu.* νυκτομαχοῦντες.

[a] Talibus Otriadæ dictis, & NVMINE Diuûm
In flammas, & in arma feror: quo tristis Erinnys,

Quo

Quò fremitus vocat,& ſublatus ad æthera clamor.
[b] Addunt ſe ſocios Ripheus,& maximus armis
Iphitus,oblati per lunam, Hypaníſque Dymáſque,
Et lateri agglomerant noſtro:iuuenílque Corœbus
Mygdonides:illis qui ad Troiam fortè diebus
Venerat, inſano Caſſandræ accenſus amore:
Et gener auxilium Priamo Phrygibúſque ferebat.
[c] Infelix,qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat.

ARGVMENTVM.

Proripit ſe Æneas ad pugnam vnà cum alijs,qui caſu facti obuiam, & ſignatè cum Corœbo, cuius hîc præcipua mentio.

EXPLICATIO.

[a] DICTA hæc ad Æneæ commendationem,cui nullam adducunt formidinem,quæ propoſita ab ſacerdote longo & formidando verborum ambitu. Quin potiùs tunc vir fortis ferociùs ruit in incendia & gladios, quò illum vocant Furia, fremitus,clamor. In extremo trium verſu nota ſyllabas præcipitatas, rotatas, volátes; quo capias Æneæ impetum.

[b] Narrat eos qui obuij facti Æneæ,quíque in modicum agmen coaliti:eo certè clarius facinus in Græcis adoriendis, quo magis exigua manus. Quinque numerat, & ſiſtit in Corœbo, de quo præclara & illuſtris mentio,quia gener Priami.dicit,quo patre natus fuerit,videlicet Mygdone: deinde quo tempore Troiam venerit, illo nimirum, quod proximum ad hanc ruinam:tertio,qua cauſa; vt Caſſandram duceret:quarto, quid tum faceret:ferebat gener auxilium ſocero,quod pium & debitum.

[c] Debita conqueſtio. quid enim dignum magis miſeratione, quàm mori iuuenem ante nuptialem thalamum in ipſo nubendi ardore?

NOTÆ.

1. NVMINE DIVVM] Variè alij ego acceperim de furore diuinitus immiſſo,& quadã veluti præcipitata ira, qua, etſi ſolus, voluit experiri,an patriæ poſſet auxilium ferre.

Erinnys.

2. ERINNYS]Dira eſt, potiùs Dirarum quælibet, neque ſignatum eſt nomen ad aliquam è tribus; quas enim Latini Furias, Diráſve appellant, Græci Erynnias,& Eumenidas:adi Lilium. Cùm autem veteres furiis darent commotæ mentis furoríſque affectus, meritò Æneas fingit ſe ab illis rotari ad arma, & furorem bellicum.

3. SVBLATVS AD ÆTHERA CLAMOR] Sic in 11.

—immenſus ſurgens ferit aurea clamor
Sydera.

& in 5.

—ferit æthera clamor
Nauticus.

Statius 3. Theb.

—it clamor ad auras.
Quantus Tyrrheni gemitus ſalis.

ibidem.

—rurſus fragor inſonat ingens
Hortantum,& vaſto ſubteruolat aſtra tumultu.

& Flac.6.Arg.

A *æthera—lituum concentus adit.*

4. MAXIMVS ARMIS] Videndum an legi debeat *annis*: nam poſtea ſubditur,

—Iphitus æuo
Iam grauior.

probant hanc coniecturam aliqui.

5. OBLATI PER LVNAM] Qui ſuperius illud *ſilentia Lunæ* accipiunt,de Lunæ coitu,videant in ipſorum capita impluere hoc exemplum. Sed adhuc aliqui ibi intellexerant, non quidem coitum Lunæ, ſed tempus illud, quo nondum illa orta; & tunc dicunt, illa ſilet. Sed hi quidem viris doctis diuinare ſunt viſi,neque enim facilè exemplum aduocabitur, quo ſilentium Lunæ ſic accipiatur,vt ipſi volunt.

6. COROEBVS] Poëta Homericos verſus conuettit,qui ſunt Il.13.de Othryoneo.

Ὅς ῥα νέον πολέμοιο μετὰ κλέος εἰληλούθει.
Ἥτεε δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην,
B Κασσάνδρην,ἀνάεδνον· ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον,
Ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν:
Qui ſanè nuper belli ad famam venerat.
Petebat autem Priami filiarum forma optimam
Caſſandram, indotatam: pollicebatur autem magnum opus,
Ex Troia inuitos expulſurum ſe filios Achiuorum.

Virgilius ſuperat Homerum.

In quem locum ſic Scalig. anteponens Latinũ principem Græco. *Noluit in ſuum Corœbum transferre,indotatam:minuitur enim viri vehementer dignitas.Satis fuit, incenſum amore, neque voluit illum ſtolidum facere:qui ſe ſe vniuerſæ Priami potentiæ anteferret: nam quos per nouem annos non potuerant illi, quomodo ſolus,niſi ſtultè profiteretur?* Hactenus ille. Scribit Zenobius hunc Corœbum procerum fuiſſe corpore, ſed ita vecordem,

Corœbus pro ſtulto prouerbialiter.

C vt vndas maris numeraret, quod commeminêre Parrhaſ.Eryt.Eraſ.Euſtath.in Odyſſ.9.hunc εὐήθη vocat, *ſtultum*. Ælian.lib.13.Varr. Hiſt.cap.15.inter homines ἀνοητάτους *admodum fatuos* meminit quoque Corœbi. καὶ Κόροιβον δὲ, καὶ Μελιτιάδην, καὶ ἐκείνους ἀνοητάτους φασίν: *Corœbum,& Melitiadem fuiſſe hebetiſsimi ingenij memoriæ proditum eſt.* Ariſtides in 2. Platonica illum opponit Palamedi, ſignans Palamedẽ fuiſſe ſapientiſſimum, Corœbum ſtultiſſimum. Hanc eſſe eius mentem ſatis liquet ex aliis, quos opponit, adi adagium, ἠλιθιώτερος Κοροίβου: *ſtultior Corœbo.* Hunc interfectum à Diomede Calaber ſcribit lib.13.

Corœbus à quo interfectus.

Καὶ τότε Τυδεΐδης υἱὸς ἀνὰ μόθον ἀντιόωντα
Αἰχμητῆρα Κόροιβον Μύγδονος υἷα
Ἐγχείῃ κοίλοιο διὰ στομάχοιο πέρησεν:
D *Tunc Diomedes in bello obuium ſibi*
Bellicoſum Corœbum Mygdonis filium
Haſta per cauum ſtomachum transfixit.

7. MYGDONIDES] Pauſ.Phocenſ. Κόροιβος ὁ Μύγδονος: *Corœbus filius* Mygdonis. Calabrum iam audiſti. Dubitant meritò docti, an hic Corœbus, idem ſit, qui dictus Homero Othryoneus, nam quæ huic Græcus,Corœbo dat Virgilius: ſed hoſtis,à quo extremum

tremum fatum, contrarium indicat, nam Homericus ab Idomeneo occiditur, Corœbus à Diomede: Virgilius enim nihil signatè, tantùm ait infrà, illum cecidisse in tumultu.

8. ILLIS QVI AD TROIAM FORTE DIEBVS VENERAT] Pauſ. Phocenſ. ἀφίκετο μὲν δὴ ἐπὶ τὸν Κασσάνδρας ὁ Κόροιβος γάμον: *Venit Corœbus ad Caſſandræ nuptias.* Paria fermè inuenies in Calabro lib. 1. eo loci, quo Euenor interficitur, qui ad Troiam tunc venerat. Est verò locus Poëtæ notandus. nondum Corœbus Caſſandram, imo nunquam duxit, & tamen *gener* dicitur. Itaque satis destinatio ad nuptias, vt quis dicatur gener. Habetur l. 4. §. affines. D. de gradibus. *gener filiæ nostræ vir, sed & ſponſus filiæ eo nomine continetur.*

Gener, quis sit.

9. AVXILIVM PRIAMO] Eustath. in Odyſſ. 9. de Corœbo ait, ὕστατον τῶν ἐπικούρων ἀφικόμενον τῷ Πριάμῳ: *Veniſſe Priamo vltimum auxiliatorem.* Propriè autem *auxilium* datur Corœbo. auxilia enim sociorum

Auxilia sociorum.

A erant. auxiliarius miles, & legionarius directè oppositi: ille è sociis, hic Romanus.

10. INFELIX, QVI NON SPONSÆ, &c.] Hunc affectum aliò detorquet Calaber lib. 13. loquens enim de Corœbo ait,

> Νήπιος, οὐδ' ἀπόνητο γάμων, ὧν εἵνεχ' ἵκανεν:
> *Infelix: neque enim potitus nuptiarum, quarum cauſa venerat.*

Sed Virgilius proculdubio institit illis Homericis Il. 16.

> Νήπιος, εἰ δὲ ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν,
> Ἦ τ' ἂν ὑπέκφυγε κῆρα κακὴν μέλανος θανάτοιο:
> *Infelix, si autem verbo Achillis attendiſſet,*
> *Fugiſſet vtique fatum malum nigræ mortis.*

B Ad cõquestionem, quam hîc explicans excitaui, pertinet locus Aristidis, vbi deplorat euerſam Rhodon. nam inter alias calamitates, tum hanc, οἱ μὲν, οὐ πρὸ πολλοῦ κληθέντες νυμφίοι ἔκειντο: *hi quidem iacebant, non multo antè ſponſi dicti.*

Quos vbi confertos audere in prælia vidi,
Incipio ſuper his. Iuuenes FORTISSIMA frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna, videtis.
Exceſſere omnes adytis, aríſque relictis,
Dij quibus imperium hoc steterat: ſuccurritis vrbi
Incenſæ: moriamur, & in media arma ruamus:
VNA SALVS victis nullam ſperare ſalutem.

ARGVMENTVM.

His hortatur, vti ſe ſequantur ad certam necem, nam ſalutis nihil ſperandum, vrbe iam incenſa, & à qua Dij abierint.

EXPLICATIO.

PERCVRRAM hos octo verſus vnico tractu. Sciat primùm Lector illorum structuram eſſe perplexam, confuſam, turbidam, vtique ἀσύστατον, reſpondentémque omnino affectui, qui erat in Ænea. Rapitur ille incenſus ad flammas, furibundus ad arma, cui nihil penſi de ſalute. nihil ergo mirum turbata ſint verba, & ſententia. Sed quæ hæc tandem? *Quos vbi vidi confertos audere in prælia, incipio his ſuper,* id est, incipio his verbis. Est autem *ſuper* hic inſuper, quia iam ipſi audebant, & ego inſuper animos addidi, inde poſtea ſequitur *furor additus.* Pergit Æneas, *iuuenes pectora firmiſſima, videtis quæ ſit fortuna rebus* noſtris, itaque *fruſtra ſuccurritis vrbi incenſæ,* à qua præſertim *Dij, quibus hoc imperium ſteterat, omnes exceſſêre relictis adytis atque aris.* Quare, *ſi cupido certa eſt vobis ſequi,* me *audentem extrema, moriamur & ruamus in arma media* (ſermo hyſterologicus, pro, ruamus, vt moriamur) nam quid aliud ſperandum ab vrbe, in qua non iam Dij? Hanc vagam animi mentem firmat ſolida ſententia. *vna ſalus eſt victis, ſperare ſalutem nullam.* Eſt ſcopus huius orationis concitare milites non ad ferendum auxilium patriæ (nam cuius auxilij illa capax, quæ iam incenſa? ſed tantùm ad fortem & virilẽ mortem. ideo initio, vos fortes eſtis, ſed fruſtra fortes, nã fruſtra ſuccurritis vrbi, quæ iam incẽſa.

NOTÆ.

1. CONFERTOS] Aliqui non iniucunda ſententia legunt *conſertos* forma militari, ſed

C quæ ortum habet à foro.

2. FORTISSIMA PECTORA] Ideo *pectora,* vt innuat non ſolùm fortes illos eſſe ad pugnandum, & paratis pectoribus, id quod obuium: ſed multo potiùs, vt innuat illos pugnare nudis pectoribus, modico armorum adiumento: quippe ſemiſomni oppreſſi locum non habuerunt aptandis armis pectori, clypeo tantùm & gladio cõtenti. Quaſi dicat, caretis thorace, pectoribus incurritis. Contra Ariſtophanes in Veſpis laudans quinquertionem, vocat illum θώρακ' ἄριστον: *thorace optimum.* id eſt, optimum pectore. vnde poſtea Philocleon, nugas putat, quia nemo pancratium exercet cum thorace, imo nudo pectore, vnde athletæ dicti gymnaſtici. Itaque Poëta vſus ſermone, quo olim pancratiaſtæ. Porro Virgilia-

Thorax pro pectore.

D nos verſus adducit Iſidorus lib. 1. pro exemplo orationis confuſæ. quo loco malè legitur, ſyntheſis, pro, ſynchuſis, σύγχυσις.

3. AVDENTEM] Hic non tam capio θαῤῥαλέον, quàm θρασύν. quia audacia iſta tota ad temeritatem. ideo ſignatè Poëta *audentem extrema.* ideo de Athenienſi illo, qui quinquaginta tyrannos Athenis expulit, quíque dictus Θρασύβουλος, Scholiaſtes Ariſtophanis in Plut. ὁ δὲ Θρασύβουλος ἄνους, ob temeritatem. Sed quidem Poëta Æneæ ſui ſtudioſus abſtinuit à temeritate contentus deſcripſiſſe. Hinc illuſtrabis infinita loca Poëtarum, qui vnà cum audacia coniungunt aliquid, quo temeritatem indicent.

4. EXCESSERE OMNES, &c.] Macrobius, & Seru. explicant de Deorum euocatione, defendi poteſt:

E ſed veroſimilior eſt opinio Turn. Mureti, Delr. reſpectum ad opinionem illam veterum, qua credebantur Numina tutelaria deſerere ſuas vrbes, indéque excedere, ſi captæ illæ eſſent. quod præcipuè capta Troia accidiſſe, memoriæ proditur. Æſchyli interpres. Εἴρηται δὲ καὶ ἐν ξοανηφόροις Σοφοκλέους, ὡς οἱ θεοὶ ἀπὸ τῆς Ἰλίου φέρουσιν ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ ἑαυτῶν ξόανα, εἰδότες ὅτι ἁλίσ…

Dij excedebant à victis vrbibus.

ἁλίσκει): Narratur in Sophoclis simulacriferis, Deos visos ferre in suis humeris ex Ilio simulacra sua, videntes vrbem capi. Æschylus ipse in fabula, quæ inscribitur, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, sic ait,

—ἀλλ' οὖ θεοὺς
Τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος;

Nónne vulgo dici solitum, Deos excedere capta vrbe? quem in locum, eiusdem Scholiastes ait, id contigisse Troianis, inquit enim, λέγεται γὰρ ὅτι ὅτε ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν, ἀνελόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν: *ferunt, euertenda cùm esset Troia, Troianis Deos apparuisse, auferentes ex templis sua met simulacra.* Neptunus apud Eurip. in Troad. vbi & ratio redditur.

Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον, βωμούς τ' ἐμούς,
Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.
Relinquo inclytum Ilium, & meas aras.
Solitudo enim ciuitatem vbi occupauerit mala,
Frigent res diuinæ, neque coli volunt.

Cùm Alexander Tyrum obsideret, visus est in somnis Apollo dicere multis Tyriorum, se ad Alexandrum abire, neque ita multo pòst capta est Tyrus. Ex hac opinione Silius lib. 12.

Et demigrantem Tarpeia sede Tonantem.

& Apollonius lib. 1. Excidij, inter omina, quæ præcesserunt cladem Hierosolymorum, ita ait,

Excepti primùm strepitus, dein turbida multo
Vox protracta sono, tectis migremus ab istis,
Cedamus socij, mecúmque relinquite sedes,
Non hic fida satis statio, discedite mecum,
Ingeminans, alio requies secura petatur.

Statius lib. 7. Theb. sic Bacchum inducit loquentem cum Ioue, timentémque euersionem Thebarum, vbi ipse colebatur:

Cedo equidem: quò sacra tamen, ritúsque peremptæ
Gentis? & in tumulos siquid malè fœta reliquit
Mater abire iubes Thracem, syluásque Lycurgi?
Anne triumphatos fugiam captiuus ad Indos?
Da sedem profugo.

Facit insigniter ad hunc morem, quod scribit Plutarch. in vita Antonij, videlicet nocte, quæ præcessit Antonij obitum, subitò, cunctis silentibus, concentum auditum omnis generis organorum, clamorémque veluti cœtuum strepentium cantu, & saltatu Satyrico. qui clamor contigit à media vrbe, ad eam portam quæ opposita erat Cæsarianis castris, per quam portam ingens turba visa est egredi ingenti clamore. quo viso, omnes autumare cœperunt, illum Bacchum esse, qui Antonium iam desereret; nam videlicet hunc præcipuo quodam cultu Antonius coluerat, illúmque imitabatur. Iulianus in Misopogone de templo quodam Apollinis incenso, ἐμοὶ μὲν οὖν ἔδοξεν ὁ πρὸ τοῦ πυρὸς ἀπολελοιπέναι τὸν ναὸν ὁ θεός: *ac mihi quidem videtur Deus multo ante conflagrationem templo excessisse.* Inde nata consuetudo veterum, vt Deos in templis ligarent, ne inde abirent, quod de Tyriis commeminit Curtius lib. 5. & Plutarchus ἐν Ρωμ. Τυρίοις δεσμοὺς ἀγάλμασι λέγονται περιβαλεῖν: *dicuntur Tyrij inijcere vincula simulacris.* Sed de hoc more alibi. Inde consuetudo alia, vt diligentissimè illos custodirent. Cyprianus ad Demetrian. *Clausos, ne pereant, tutela vestra custodit.* Arnobius lib. 6. *Cur eos sub validissimis clauibus, ingentibúsque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliísque huiusmodi rebus custoditis, conseruatis, atque habetis inclusos?* Neque hoc solùm, sed ita timebant gentiles ligneas illas statuas, aut argenteas dissolui, vt articulos omnes & membra variis modis, tum maximè suffuso plumbo illigarent: putabant scilicet dissolutis Diis à se felicitatem, diuitias, impe-

[Margin: [L]igabantur, ne abirent.]

[Margin: Dij diligentissimè custodiebantur.]

A ria abitura. Adducam de hoc more verba Arnobij lib. 6. *iam dudum istos videritis Deos, quos exterior leuitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum statilium esse crates, particularum coagmento deformium, à ruinarum casibus, & dissolutionis metu subscudibus, & catenis vncis, atque ansulis retentari: intérque omnes sinus, commissurarúmque iuncturas plumbum ire suffusum, & salutares moras signorum diuturnitatibus commodare.* Sed vide, quæ ego iam lib. 1. Georg. ad illud,

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes.

Vide vti Arnobius, atque etiam Orosius lib. 6. cap. 1. hanc gentilium vanitatem expugnent.

5. SVCCVRRITIS VRBI INCENSÆ] Posset esse adagij forma de sero auxilio, & sera medicina. Frustrà enim succurritur Vrbi iam incensæ. Itaque ad hunc B locum pertinent adagia multa, quæ obuia cuiuis in Parœmiographis, & plurima in vno Erasmo. Hic ego tantùm Ouidium suppedito, qui 2. Am. eleg. 11.

[Margin: Succurrere vrbi incēsæ, adag.]

Serò respicitur tellus, vbi fune soluto,
Currit in immensum panda carina salum.

Et lib. 2. Pon. eleg. 6.

Cùm poteram recto transire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem saxa monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto,
Qua mea debuerat currere cymba via?

6. MORIAMVR, ET IN MEDIA ARMA RVAMVS] Eurip. in Troad. sub persona Hecubæ.

Φέρ', εἰς πυρὰν δράμωμεν, ὡς κάλλιστά μοι
Σὺν τῇδε πατρίδι κατθανεῖν πυρουμένῃ:
Age in ignem curramus, nam honestissimum mihi
C *Cum hac patria mori ardente.*

Simillima illa Liuiana 22. *Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas legiones.* Calaber lib. 1.

—ἔοικε γὰρ ἐν δαῒ μᾶλλον
Τεθνάμεν:
potius mori in bello.

7. VNA SALVS VICTIS, &c.] Non abeunt ab hac sententia istæ aliorum, Vegetij. 3. Rei Mil. cap. 21. *Clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se esse moriturum.* Tacit. 11. Ann. *Silius imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus vrgebat.* Senecæ in Theb.

[Margin: Salus plerūque ex desperatione.]

—*Vnica Oedipo est salus,*
D *Non esse saluum.*

& in Med.

Qui nil potest sperare, desperet nihil.

Ceterùm eminentissimus Poëta tacitè innuit virtutem illam militarem, quæ militibus accedit, cùm in arctum coguntur. contigit enim sæpissime, vti milites victi maiores vires resumpserint, cùm viderint se periculum non posse fugere. atque adeò sententia Poëtæ est, plerumque salutem ipsam oriri à salutis desperatione, nam cùm hæc desperatio accedit, fortiùs rem gerũt, & sępe comparant victoriam. Eandem fere sententiam mox profert, diuersa verborum forma,

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Curtius lib. 4. *Ancipiti malo oppressi, memorabile tamen* E *prælium edunt, vt opinor, ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est.* Iustinus lib. 20. post narratam memorabilem victoriam Locrensium ab Crotoniensibus, sic absoluit: *Nec alia causa victoriæ fuit, quàm quòd desperauerunt.* Velleius lib. 2. loquens de militibus Q. Metelli Macedonici in Hispania circa Contrebiam, primùm formidantibus hostem, mox victoriam adeptis: *tantùm effecit, mistus timori pudor, spésque desperatione quæsita.* Ioann. Chrysostom. homil. de liberorum educatione. ἀπεγνωκὼς τῆς σω-

τῦ ζωῆς, ἐν ἀκμαζέσῃ τῇ ὀργῇ πολεμῶν, ἐδένα τῆς σωτηρίας ποιήσεται λόγον: *Desperata vita, feruenti ira pugnans, nullam salutis rationem habebit.* Inde illud est, quod de Pyrrho Epirotarum Rege scribit Frontinus lib. 2. Stratagematon cap. 6. dicebat enim Rex ille, non esse pertinaciter insistendum hosti, ne fortiùs ex necessitate resisteret. Institutum quoque Lacedæmoniorum ex Lycurgi legibus hoc erat (Plutarcho in Apophthegmat. Lycurgi tradente) vt in pugna acerrimè ... donec hostes in fugam verterentur; mox redirent in ordines. Neque dissident verba Iustini lib. 2. *Themistocles timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, & iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent,* &c. Hæc est Vegetij mens, sic enim concludit caput illud à me iam adductum:

A *Clausi licèt exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse. Nam*

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Ex hac militari scientia egregium illud Caroli Quinti Rom. Imp. & Regis Hispaniæ, cuius vigebit in omni ætate fama: cùm enim illius acies, & Solymani Turcarum Regis ex aduerso, vtraque iam ad certamen parata constitisset, accidit, vt Turca repentè fugeret, veritus Christianam virtutem, & Caroli auspicia: cùm verò Carolus vrgeretur à suis, vti perfidum hostem insequeretur, Nequaquam, inquit, an nescitis tritum illud; *fugienti hosti aureus pons?* Lege Victorium lib. 33. cap. 11.

Sic animis iuuenum furor additus. INDE LVPI CEV
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, Catulíque relicti
Faucibus expectant siccis: per tela per hostes
Vadimus, haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Vrbis iter. Nox atra caua circumuolat vmbra.

ARGVMENTVM.

Oratio Æneæ iuuenes acuit ad furorem: cedunt inde luporum similes, quos ad prædam rapit aut sua, aut prolis fames.

EXPLICATIO.

ARDEBANT iam ipsi, sed oratione Æneæ facti sunt concitatiores, ideo *furor additus.* sequitur comparatio apta ad rem. Lupi ferociores sunt, cùm & ipsi fame, veriùs ventris rabie, agitantur; & cùm eorum catuli sicco sint ore, ac ieiuni, tunc enim magno furore ad prædam conuolant: tales Troiani, vt qui pro se pugnabant, & pro liberis; in hoc enim vis tota comparationis. Sed sunt etiam alia, quæ ad idem pertinent. Nam quia Troiani è domibus exeunt pugnaturi, ideo lupi dicuntur exigi è suis lustris: quia Troiani cæci tenebris ac furore, ideo lupi quoque cæci: quia bellum hoc nocturnum fuit, ideo *atra in nebula.* Adeò omnia videt Maro.

NOTÆ.

Lupi comparatio. 1. LVPI CEV] Hac comparatione sæpius vsus Homer. 4. Il. λύκοι ὥς, tantùm, *lupi ceu* nulla addita narratione. in 11. aliquid iam additum,

—— λύκοι ὥς
θῦνον.
—— *lupi ceu*
Ruebant.

In 16. pleniore ore cecinit,

—— λύκοι ὥς
ὠμοφάγοι, τοῖσίν τε περὶ φρεσὶν ἄσπετος ἀλκή.

& plura, quæ sequuntur vberrimè,

—— *lupi ceu*
Crudiuori, quibusque circa mentes immensum robur.

Virgilius superat Homerum. Adi Scalig. vbi comparat vtrunque vatem, & Latino, vt assolet, victoriam concedit. Eadem comparatione vsus Plato. 3. de Rep. εἰ πολέμιος, ὥσπερ λύκος, ἐπὶ ποίμνην τις ἴοι: *si hostis, tanquam lupus, ouile inuadat.*

2. RAPTORES] Sic & Ouid. 10. Met.

Raptorésque lupos, armatósque vnguibus vrsos
Vitat.

In argumento Trucul. Plaut. *Lupæ ne rapiant,* &c. sic

B & à Græcis λύκοι ἅρπαγες. Ioan. Chrysost. homil. de doctrina, & corrept. λύκος ἁρπάσαι. & homil. de Ira & Furore, cùm singulis animalibus assignet propria attributa, de lupo signatè. ἁρπάζῃ ὡς λύκος: *rapiat vt lupus.* Cyrill. Alexand. in Oseam ad plura animantia extendit. Nam de leonibus & aliis ἁρπάζειν. & alibi de raptu aquilarum, ἁρπαγήν.

3. ATRA IN NEBVLA] Tempus, quo audaciores lupi. & signatè ad rem Troianam, noctu enim fiebat inuasio hæc. Homer. quoque Il. 10.

Βάν ῥ' ἴμεν ὥς τε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν:
Perrexerunt ire velut leones duo per noctem nigram.

4. IMPROBA] Ita accipio, vt 1. G. *labor improbus.* Recurre.

5. EXEGIT CÆCOS] Extraxit è latibulis securos C cuiuscunque periculi, sic explicat *cæcos* Iul. Scal. verbum *exegit* vim signat, inest enim imperium quoddam in fame. Claudian. aptè in Ruf. *imperiosa fames.* Homer. Odyss. 6. κέλεται γαστήρ: *imperat venter.* Fames imperat.

6. RABIES] Non fames, quod commune, sed *rabies.* Oppian. 2. Pisc. Rabies de fame.

—— ἀτέλεστον
λύσσαν ἀεὶ βαβρῶσιν ἀναιδεῖ γαστρὶ φυλάσσει:
—— *inexpletam*
Rabiem semper voracem impudente ventre seruat.

Non abit Iuuen. sat. 19. qui *vacui ventris furorem.* Ipse Poëta in 9. *rabiem edendi.* dixit & Ouid. 8. Met. *ardorem edendi.* & *alti voraginem ventris.* Rittersh. in Opp. Furor ventris vacui.

7. CATVLIQVE RELICTI] Hic se ostendit communis locus de vi naturæ, quæ curam maximam feris immisit de conseruanda sobole, pro qua tuenda præcipites inuadunt quæuis pericula. Oppian. 3. Venat. ex versione Ioan. Bodini: D Filiorum cura.

Iam verò natos insano Lynces amore
Depereunt, toruúsque leo, pantheráque sæua,
Et pardi virides, tigrísque volatilis vsque.

Et multa in hanc sententiam. adi si placet. Locum istum locupletat Rittershusius in Oppianum ex Diodoro, Lactantio Apollodoro. Sed ego Poëtam aliter illustro. Optimè intulit hanc comparationem. Nam nunquam magis sæuiunt feræ, quàm cùm ieiunos relinquunt catulos. Cyrill. Alexand. in cap. 13. Oseæ ita ait, loquens de vrsa, quæ relinquit catulos in latebris. τότε γὰρ μάλιστά φασι τῆς ἐμφύτου μανίας εἰς ἄκρον ἔρχεσθαι τὸ θηρίον: *tunc enim potissimum hanc belluam ferunt*

runt peruenire ad summum furoris insiti. De Leæna Plin. lib.8.cap.16. *Cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram ne venabula expauescat.* Seneca ep.99. *Feræ fœtus suos diligunt, quarum concitatus est amor, & pene rabidus.*

8. FAVCIBVS EXPECTANT SICCIS] Scientissimè, nam qui seruant ieiunium, quocunque id fiat tempore, siti præcipuè infestati, quàm fame consueuerunt. id quisque experimento discit, & rationem Plutarch. suggerit lib.6. Sympos. nam tametsi humanum corpus compactum sit ex elementorum qualitaribus quatuor, vna tamen, quæ vel sola, vel omnium A maximè viget, commodúmque semper alimentum deposcat, calor est. sic illustrat Poëtam Rhod. lib.27. cap 18. plura ille.

9. VADIMVS] Ab hoc Hispani *vamos.* Fortè an melius ab Græco βᾶμες, quod est in Theocrito.

10. CAVA] Cauum. Maro cauum solet appellare, quod non est solidum, sed inane. sic sup. *cauas vteri latebras.* & in 6.

—volitare caua sub imagine form[illegible]

Poëtæ verba tristitiam afferunt, & animum contrahunt, adeo illa ad rem signata.

[a] QVIS cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis æquare labores?
[b] VRBS antiqua ruit multos dominata per annos.
[c] Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, pérque domos, & relligiosa Deorum
Limina. [d] nec soli pœnas dant sanguine Teucri,
QVONDAM etiam victis redit in præcordia virtus.
Victoresque cadunt Danai. crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & PLVRIMA mortis imago.

ARGVMENTVM.

Vrbs ruit, cædes vagatur, tam in victores quàm in victos.

EXPLICATIO.

[a] INCIPIT Æneas narrare, quæ ipse viderit facinora, cædes, vim, atque adeo deinceps luculentior est, & vberior sermo de Troiana calamitate. hactenus enim narrata tantùm, quæ vel in somnis narrata ab Hectore, vel per summam audita à Pantho. Initio sermonis apta est ad conquestionem exclamatio, quam adiuuat repetitio, redditque acriorem.

[b] Mira breuitas, & aliis iam expensa. Nihil potuit grandius dicere, & nihil dixit breuius.

[c] Dilatat cladem primo à multitudine cæsorum, nam *sternuntur plurima corpora.* obiter nota elegantem periphrasin cadauerum. Quid enim est cadauer, nisi corpus iners, & iam stratum? Redeo. Dilatat deinde à locis, nam nullæ viæ, nullæ domus, nulla templa immunia tantæ cladis. Est in his omnibus αὔξησις elegans. Ruere vrbem, magnum & dirum: sterni ciues, maius & dirius: Versari cladem in ipsis templis, hoc maximum, & dirissimum. Dictum verò hoc proculdubio ad inuidiam Græcorum, qui ne templis quidem parcerent.

[d] Non sibi desunt in hac re Troiani, vt possunt pugnant. Dictum hoc ad dignitatem Æneæ, qui, qua rueret cum parua illa manu, stragem edebat. In verbis acumen duplex, *virtus redit victis, victores cadũt.* Nihil enim magis alienum à victis, quàm virtus; & à victoribus, quàm cadere, nam qui in acie cadit, non victor. Et quia tam victores quàm victi cadebant, id est tam Græci quàm Troiani, ideo sequitur, *vbiq; luctus, vbique pauor, vbique plurima imago mortis.*

NOTÆ.

1. QVIS CLADEM ILLIVS NOCTIS.] Cum verbis Poëtæ cognatus hic verborum com- B plexus Curtij lib. 4. *Quis tot ludibria fortunæ, ducum agminúmque cædem multiplicem, deuictorúmque fugam, clades nunc singulorum, nunc vniuersorum aut animo assequi queat, aut oratione complecti?* Neque abit multùm hic Paterculi lib. 2. Hist. *Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diuersa præsentibus, contrariáque exspectatis aut speret, aut timeat?* De excidio Hierosolymitano Apollonius lib.2.

Quis cladem illius noctis, quis carmine narret
Funera?

In hoc narrationis initio placitum afferre Græcum scriptorem Agathiam ex versione Bonauenturæ Vulcanij. Sanè Græcus viuam nocturni prælij imaginem exprimit lib. 4. vbi noctu Romani barbaros occupant, & trucidant vsque ad satietatem: ideo autem afferam, quia videtur mihi omnino Agathias li- C brum hunc Virgilij ante oculos habuisse, & assumsisse inde partem maximam suæ cladis. Quæ Virgilij sunt interponam cum parenthesi. Ait itaque, *Barbari cùm nihil incommodi, aut periculi animaduertissent, suauissimè dormientes.* (en illud quod iam præcessit,

——fusi per mœnia Teucri
Conticuere, sopor fessos complectitur artus,)

& mox iterum ciuitas dicitur, *somno vinóque sepulta: tum itaque Romani illos ita in somnum effusos adorti trucidant vigiles* (audi illud,

Cæduntur vigiles portísque patentibus omnes
Accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.)

ac deinceps intrepidè progredientes per vicos domuum diffusi sunt, (sic Græci per omnes ædes diffusi sunt, neque aliquid tam latens & abditum in Troia fuit, quod ipsi non peruaserint, quod indicatur illis ver- D bis,

Irruerant Danai & tectum omne tenebant.

est autem sermo de domo Æneæ illud quoque, portis alij bipatentibus, &c.) *simúlque tuba classicum cecinit,*

(*Exoritur clamórque virum, clangórque tubarum.*)
quo exaudito Misimiani nouitate rei sunt perculsi, quo verò in statu res essent nescientes, excitati tamen (Æneas de se, tumultu audito *excutior somno*)

interſeſe coire nitebantur, & alios aliunde progredientes congregare.

Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus armis
Iphitus.

& mox,

Quos vbi conſertos audere in prælia vidi
Incipio ſuper his: Iuuenes fortiſſima fruſtra
Pectora,&c.

ac tandem

moriamur & in media arma ruamus.

at Romani in ipſis veſtibulis occurrentes, & quodam modo ipſos enſibus excipientes ingentem ſtragem ediderunt,

——ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci.

alij enim inde egreſſi ſtatim interficiebantur, & mox alij, rurſúmque alij, atque alij, neque vlla erat cædis remiſſio, omnibus vrgentibus:

Plurima pérque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, pérque domos & Relligioſa Deorum
Limina.

Iam verò multæ fœminæ ſtratis effuſæ cum magno eiulatu foras confluebant, ſed neque ab his abſtinebant Romani ira abrepti, ſed crudeliſſimè etiam hæ trucidatæ virorum ſceleratam proteruiam luebant: vna autem ex elegantioribus accenſam facem manu geſtans, valdè conſpicuè incendebat. Sed etiam hæc haſta ventrem transfoſſa miſerrimè perijt. (neque deeſt in Marone hæc pars calamitatis in fœminas exercita, cùm fœmina etiam primas, Caſſandra, inquam, trahitur paſſis crinibus, ac tergo manibus illigatis.) *Romanorum verò quidam arrepta face ignem domibus immiſit, quæ vt erant è lignis & ſtramentis confectæ, citiſſimè conflagrarunt, & flamma adeo altè ſublata eſt, vt & Apſiliorum genti, aliiſque remotioribus, quæ gerebantur, nuntiaret.* (an deſunt flammæ in ea vrbe, quæ flammis concidit, quibúſque relucent Sigæa freta inde diſtantia. neque te prætereat hæc particula ſcriptori expreſſa, nam apud illum Romanorum vnus ignem tectis admouet, & apud Poëtam, vnus Græcorum

——Sinon incendia miſcet
Inſultans.)

tum quidem & multò atrociùs barbari paſſim peribant (clades iteratur, ſicuti ſæpius apud Maronem.) *qui enim domi manſerant concremabantur, vel ædibus obruebantur.* adludit cum hoc

Hic primum ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur.)

qui verò è domibus proruebant, his paratior ab enſibus interitus imminebat. (audi illud

——tenent Danai qua deficit ignis.)

Multi verò pueri vagientes ſuáſque matres inclamantes rapiebantur (graſſatio fit in infantes. quæ pars etiam ſi prætermiſſa ſit à Poëta in hoc loco, non tamen ea defuit in Troiano excidio, trita eſt enim mors pueri Hectorei è mœnibus præcipitati, & ſaxo illiſi) *alij verò veluti per ludum in altum eiecti ac deinde pondere deorſum delati, erectíſque haſtis excepti, in ſublimi transfigebantur.* Non aliena hæc noſtra opera ab ea, quam Iouian. exhibet, cùm ex Saluſt. aliiſque ſcriptoribus multa congerit, quæ à Poëtis, & in primis à Virgilio emanarunt: nã Hiſtorici cultũ Poëtarũ elegantiámq; auidiſſimè & amœniſſimè imitantur. Neque ſolũ Hiſtorici ſuos principes agnoſcunt Poëtas, nã Tacitus ſiue malis, Quintilian. in Dial. poëſin vocat *eloquentiæ primordia*: & infrà ſic loquitur: *exigitur iam ab oratore etiam poëticus decor, non Attij, aut Pacuuij veterno inquinatus, ſed ex Horatij, & Virgilij, & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus, & iudiciis obtemperans noſtrorum oratorum ætas pulchrior & ornatior extitit.* Euerſionem vrbis non diſſimilem habes in Æſchine con- [margin: Poëſis eloquentiæ initium.]

A tra Cteſiphontem. vbi exhibet τειχῶν κατασκαφὰς, ἐμπρήσεις οἰκειῶν, ἀγομένας γυναῖκας καὶ παῖδας εἰς δουλίαν. Iſta enim non defuerunt in Troiana clade, in qua muri euertuntur, ædes incenduntur, fœminæ & viri in ſeruitutem aguntur. Qui videat Calabrum & Tryphiodorum, non ſatis iſta plorabit.

2. QVIS FVNERA FANDO EXPLICET] Eſt hoc quod, Demoſthenes de falſa legatione dixit ὅλως δε, οὐδ᾽ ἂν εἷς ἐφικέσθαι δύναιτο τῷ λόγῳ τῶν ἐκεῖ κακῶν νῦν ὄντων: *Nemo verbis aſſequi poſſit ea mala, quæ nunc illic ſunt.* Quod Ariſtides περὶ ὁμονοίας, φυγὰς καὶ σφαγὰς οὐδ᾽ ἂν εἷς λεγων ἐφίκετο: *Nemo queat verbis conſequi exilia & cædes.* & in Rhodiaca ait, nullum eſſe tam validum ſermonem, qui poſſit rem exſequi, λόγον ἰσχυρόν. & infrà pari filo. τίς γὰρ ἂν τὰς συμφορὰς εἴποι πρὸς ἀξίαν
B τὰς καινὰς ταύτας, καὶ ἀτόπους, καὶ πέρα πάσης κακῶν φθορᾶς γεγονυίας: *Quis poſſet dignè explicare recentes, & deformes clades, & omni calamitatis genere maiores.* Quod Cedrenus, ποῖος ἱκανὸς λόγος ἐξειπεῖν τὸ πλῆθος τῶν ἀναιρεθέντων: *Quis ſatis dignus ſermo narret multitudinem occiſorum.* Quod Silius lib. 5.

Quis Deus ô Muſæ paribus tot funera verbis
Euoluet,&c.

3. AVT POSSIT LACRYMIS ÆQVARE LABORES?] Laſciuit ſæpe hac occaſione Ariſtides. Nam in 2. Leuctrica, οὐκ οἶδα εἰ ἀδακρυτὶ ταῦτα διεξιὼν ἀρκέσω. & Orat. περὶ ὁμονοίας. ἃ μὴ δή εἰπεῖν ἔστ᾽ ἀδακρυτί. & in Rhodiac. ὅς τις (præceſſit λόγος) ἂν ἀξίως καταθρηνήσειε τὰ παρόντα. & poſt multa. ποῖοι ταῦτα ποιηταὶ καταθρηνήσουσιν ἀξία τῇ φωνῇ; Dicit in his omnibus, nullas tam
C vberes lacrymas, nullum tam validum ploratum, quibus poſſent dignè mala recenſeri, neminémque eſſe, *qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat.* Verba ſunt Tullij. 11. Philipp. Tragicè quoque Nazianzenus orat. 23. τίς ἂν τὰ τότε κακὰ πρὸς ἀξίαν ἐκτραγῳδήσειεν; *Quis temporis illius mala pro dignitate queat deplorare?* In voce *æquare* habuit Virgilius imitatorem Statium lib. 4.

Quis numerum ferri, gentéſque & robora dicto
Æquarit mortale ſonans?

Et Plinium alterum lib. 8. epiſtol. *vna, ſed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo, arduum.*

4. VRBS ANTIQVA RVIT] Cape mentem Poëtæ: dixerat, quis explicet cladem illius noctis? quis funera? ergo *ruit vrbs*, en clades: *ſternuntur corpora*, en
D funera. cladem enim ἀπὸ τοῦ κλάδου dictam volunt, à ruina arboris; alij à *cadendo* Latino verbo, quo trahunt illud Plin. lib. 16. cap. 32. *à quo deinde tempore maieſtas populi Rom. reſurrexit, quæ antè vaſtata cladibus fuerat.* vbi videtur quæri oppoſitio in vocibus *reſurgo*, & *clades.* vtcunque clades à ruina dicta, nam qui ἀπὸ τοῦ κλαίειν, id eſt, *flendo*, non ita proximè. Affectus verò excitatur, cùm ictu temporis ruit vrbs, quæ antiqua, & ſemper cum gloria, nam multos annos dominij capax. Nequeo hic ferre Modicium, qui hic *antiquam vrbem* accipit nobilem. Nam eſto antiquitas ponatur ſæpe pro nobilitate: ſed hic capienda eſt vox, vt ſonat, nam ſe Poëta explicat. quaſi dicat, ideo *antiqua*, quia *dominata per multos annos.* Non ideo ego admit- [margin: Clades vnde dicta.]
E to errorem Seruij de octingentis annis ſupra annorum duo millia. Eſſe enim potuit vrbs antiquiſſima non hoc incremento annorum, ſed cum relatione ad Dardanum, Teucrum, alióſque, quibus ea vrbs & primùm conſtituta, & poſtea aucta eſt. Et quidem liquidum Horatij teſtimonium illud *imperium Priami vetus.*

5. PLVRIMA PERQVE VIAS STERNVNTVR, &c.] Obuerſatur mihi ante oculos in hac clade imago illius, quam Liu. ſcribit 21. de Vicumuiis captis. *Neque vlla, quæ in tali re memorabilis ſcribentibus videri ſolet,*

præter

prætermissa clades est, adeo omnis libidinis crudelitatisque, A
& inhumanæ superuiæ editum in miseros est exemplum. victores isti Pœni erant. De clade Troiana, aut cum allusione ad illam Plautus Bacchid. *Fit Troia vasta, scindunt proceres Pergamum.*

6. PERQVE DOMOS ET RELLIGIOSA, &c.] Similis clades apud Demosthenem de falsa Legat. οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ: *Domos dirutas, mœnia prostrata, regionem iuuentute desolatam.* Similior apud Aristidem in Rhodiaca. Θάνατοι κατ' οἰκίας, ἐν ἱεροῖς, ἐν θύραις, ἐν πύλαις: *Cædes in ædibus, in templis, in foribus, in portis.* Ab eodem in orat. de Smyrna, vrbs ista dicitur ἀωρότατον θεαμάτων, *iniucundissimum spectaculum omnium spectaculorum*, & reddit rationem, quia κολωνὸς ἐρειπίων καὶ νεκρῶν: *ruinarum, & cadauerum tumulus.*

7. QVONDAM ETIAM VICTIS REDIT IN PRÆCORDIA VIRTVS] Quod Poëta, *virtus redit victis,* B Plato in Charm. ex obseruatione Germ. πάλιν θρασύτης συνηγείρετο: *excitabatur rursus audacia.* Demosthenes ex Vrsini, ἀνὴρ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται: *rursus vir pugnabit fugiens.* Initium illud, *Nec Teucri soli dant pœnas.* expressum ab Homer. Il. 14.

Οὐ θὴν οἴοισίν γε πόνος τ' ἔσεται καὶ ὀϊζὺς
Ἡμῖν, ἀλλά ποθ' ὧδε κατακτενέεσθε καὶ ὔμμες:
Non quidem solis labórque erit, & luctus
Nobis, sed aliquando sic occidemini & vos.

8. VICTORESQVE CADVNT] Pari acumine, & credo à Virgilio, Propert. lib. 3. eleg. 11.

Vicit victorem candida forma virum.

vt enim victores cadunt, ita victor vincitur.

9. CRVDELIS VBIQVE LVCTVS, &c.] Vide quæ suprà adduxi ex Calabro ad illud,

Diuerso interea miscentur mœnia luctu,

Quæ signatissima ad hunc locum.

10. ET PLVRIMA MORTIS IMAGO] Indicatur, ex mente interpretum, varietas, qua mors inferebatur, cadebant alij gladio, alij igne, alij ruina; ad eum modum, quo Silius lib. 4.

Mille simul lethi facies.

non displicet. Sed quid si imago mortis, sit verè, stratio ipsa corporum, quibus plena omnia, viæ, domus, templa: strata enim cadauera verè mortem repræsentabant, & veriùs multo, quàm compressi somno, quem mortis imaginem appellamus. Aliquis possit deferre ad vultus pallentes futura morte, hæc enim repræsentabatur in facie vniuscuiusque, vt dixit Lucanus lib. 7. — Imago mortis, quid.

——multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciésque simillima fato.

Orosius dixit lib. 5. cap. 15. *dira vndique mortis facies obiiciebatur.*

[a] Primus se Danaûm, magna comitante caterua,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens,
Inscius atque vltro verbis compellat amicis.
[b] Festinate viri: nam quæ tam sera moratur
Segnities? alij rapiunt incensa ferúntque
Pergama: vos celsis nunc primum à nauibus itis.
[c] Dixit: & extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
Obstupuit: retróque pedem cum voce repressit.
[d] IMPROVISVM aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens: trepidúsque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
[e] Irruimus: densis & circumfundimur armis:
Ignarósque loci passim, & formidine captos
Sternimus. aspirat primo fortuna labori.

ARGVMENTVM.

Androgeos Troianis fit obuiam, Græcos esse putans, errorem sentit, recedit instar viatoris, qui ignarus colubrum in via pressit: sed frustra Græcus, nam armis opprimitur.

EXPLICATIO.

[a] NARRATIO huius excidij postulat, vt successibus discriminetur; tum ad varietatem, sine qua omnis narratio insipida; tum etiam ad fidem faciendam, quæ plurimùm pendet ex distincta rerum descriptione, & peculiaribus successibus. Inde multa illata in hoc libro, & primum omnium successus Androgei, qui magno globo militum stipatus amicè Ænean compellat ad rem gerendam, putans scilicet D illum, & paruam illam, quæ cum illo erat, manum, esse Græcos.

[b] Admonet, vt festinent. Nam cur sint segnes, & C seri, cùm alij iam rapiant Ilium, secúmque auferant. quasi dicat. Crimen est, vos nunc primùm venire à nauibus, cùm alij iam redeant ad easdem pleni spoliis. Acumen est in verbis, primùm ire dicuntur, qui sunt postremi.

[c] Vix hæc dixit, cùm statim sensit incidisse in hostes, quia nihil illi locuti ad gustum, nec satis fidè. Primo itaque *obstupuit*, vt par erat hominem ita insigniter deceptum, deinde & vocem & pedes continuit. Viuidiùs Poëta *repressit.*

[d] Adducit comparationem negotio mirè congruentem. Contingit sæpissimè vti viator serpentem terat, latentem inter senticeta, ignarus scilicet; qui tamen trepidus statim refugit simul ac coluber orbes explicat, caput attollit iracundè, & tumet toto collo: non aliter Androgeus pedem præ stupore retulit.

[e] Irruunt statim Troiani, ne abiret, qui fugam coeptabat, armis opprimunt, & sternunt tam illum

quàm socios. Cædis facilè succedentis duplex ratio, erant enim & locorum ignari, & capti formidine.

NOTÆ.

1. VERBIS COMPELLAT AMICIS] Sæpe Homerus, μειλιχίοις ἐπέεσσι. Itaque mellitum Græcorum reddes ex magistro *amicum*. Verbum *compello* sedem habet in lenociniis, & inde ad amicos traductum. Vlpianus l. 15. de iniuriis & famosis libellis: *Appellare est blanda oratione alterius pudicitiam attentare*. Sed de hoc iam suprà in hoc libro.

2. FESTINATE VIRI] Hunc locum iam illustrauit Victorius lib. 3. 5. cap. 19. ex Xenophonte, & Euripide. Vtrique affinis Aristophanes in Irena,

Οὐδὲν ποιοῦμεν ἄνδρες· ἀλλ' ὁμοθυμαδὸν
Ἅπασιν ἡμῖν αὖθις ἀντιληπτέον.
Nihil promouemus, ô viri, agite omnes simul,
Rursum decet nos pariter adiutarier.

& Nazianzenus Orat. 22. quæ est de laudibus Machabæorum. τί μέλλετε; τί δ' ἀναδύεσθε; *quid cunctamini? quid moras nectitis?*

3. SEGNITIES] Greg. Thol. lib. 11. Reipub. cap. 7. inter militum crimina principe loco *segnitiem* nominat. Atque inde credo signatè Tacit. 2. Hist. *Otho, increpita ducum segnitia, rem in discrimen mitti iubebat, æger mora, & spei impatiens*. Liu. 21. *multitudinem sciebat segniùs sequuturam, quanto longiùs ab domo traherentur.* Apud eundem lib. 22. Minutius Magister equitum cunctationem Fabij in segnitiem vertebat; sic enim scriptor: *Propalam in vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat.* Apud Cedrenum Andreæ viro fortipro crimine ῥᾳθυμία obiicitur. Seneca lib. 1. de Ira cap. 11. de Maiore Africano: *vt opinionem luxuriæ segnitiæq́ malignis daret.* Ex his, multísque aliis apparet, segnitiem semper maximum fuisse militum crimen.

Segnities crimen militum.

4. RAPIVNT INCENSA FERVNTQVE] Esse prouerbium ἄγουσι, καὶ φέρουσι, pro hostili more depopulari, iam Erasmus monuit, retulítque inter adagia Chil. 3. Cent. 7. cap. 32. Exemplis, quæ ille aduocat, adiunge hæc, in quæ ego incidi. Liuius lib. 22. *res sociorum ante oculos prope suos ferri agíque videt.* & lib. 40. *cùm ferret passim cuncta, atque ageret.* Apud Eurip. in Troad. Hecuba ἀγόμεθα, φερόμεθα. Plutarc. cõtra Stoicos. μηδὲ ἀλλήλους ἡμῶν ἀγόντων καὶ φερόντων. Cedrenus. Βάρδας ἦγε καὶ ἔφερε πάντα. Pollux lib. 9. ex Eupolide. φέρουσιν, ἁρπάζουσιν ἐκ τῆς οἰκίας τὸ χρυσίον. Signatissimè omnium Aristides in 2. Leuctrica, nam cum allusione ad rem Troianam, ita. διὰ πάσης Εὐρώπης ἐλθόντες σὺν Ἀγησιλάῳ, τὴν Ἀγαμέμνονος στρατείαν ἐπὶ Τροίαν μιμούμενοι, Φαρνάβαζον ἦγον καὶ ἔφερον: *per totam Europam vnà cum Agesilao Pharnabazum agebant ferebántque, imitantes expeditionem Agamemnonis contra Troiam.* Quo testimonio possum putare, adagium sumtum ab ipsissima re Troiana, quæ res Parœmiastas latuit. Mutarunt formam propiùs ad Poëtam Lysias in Orat. nam ἥρπαζον, καὶ ἔφερον dixit, non ἦγον. Accius Meleagro, *rapior feróque.* Liuius, qui lib. 21. *Rapi trahíque ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure.* & lib. 22. *raperent agerentque.* Aristophanes in Irena hos duos coniunxit, ἄγετον, ξυνέλκετον. Prudent. in Hamartig.

——rapiúntque ruúntque
Omnia.

Rapiunt, ferúntque, prouerbium.

Statius. 6. Theb. quatuor coniunxit
ducunt sternúntque, abigúntque ferúntque.
Apollonius lib. 2. Excid. ita,
——sternénsque ruénsque
Omnia quaque manu.

Adi, quæ Robortellus scripsit lib. 1. Emendat. cap. 3. contra Manutium, malè vertentem locum Demosthenis ex ignoratione huius formæ: & rursus lege, quæ Sigonius scripsit lib. 1. Emendat. contra Robortellum, ipsum defendens Manutium. Solent enim esse legentibus iucundæ istæ velitationes doctorum hominum.

A

5. INCENSA] Acumen in vocibus, si verum est etymon Grammaticorum, qui aiunt segnem propriè esse, sine igne. Ergo, quæ ista segnities in tanto ardore aliorum, qui etiam ferunt incensa Pergama. Sententiam sic concipit Seruius, ἐμφατικῶς, *quasi ipsam funditus ciuitatem in victoriam suam transferunt, vt Ilium in Italiam portans*: huic loco insistens Seneca in Agam. dixit,

Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Cùm Dardana tecta Dorici raperent ignes.

B

Horatius quoque ex Virgilio od. 4. lib. 2.
——ademtus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Graijs.

6. CELSIS NAVIBVS] Puppis nauium huic vati sæpe & *alta* & *celsa* dicitur, inde naues ipsæ hic per ἀνακοινωσιν celsæ quoque dicuntur. Sic ædes aureæ Poëtis ab tectis auratis & laqueatis. Nam de nauibus quis capiat, cùm transmissio illa Græcorum credenda sit facta ἀκατίοις. Sed hæc quæstio appellet Brodæum in Miscellan. cui, si non in aliis omnino assentimus, in hac Græcorum transmissione, verissimè.

Puppis pars celsior.

7. ITIS] Pro venitis, dictum, vt sæpe venio pro eo. monuit Seruius.

C

8. NEQVE ENIM RESPONSA DABANTVR FIDA SATIS] Hunc locum & sententiam sic imitatur Statius. 2. Theb.

Ac prior, inde viro: quídve occultatis in armis,
Non humili terrore rogat: nec reddita contra
Vox, fidámque negant suspecta silentia pacem.

9. SENSIT MEDIOS DELAPSVS IN HOSTES] Hellenismus pro delapsum, Catull.

Hellenismus Atticorum.

Phasellus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus.

Horatius,
——patiens vocari
Cæsaris vltor.

Notarunt hunc Hellenismum in Catull. Muretus, in Tacit. Lipsius, in Virg. Vrsinus, & Germanus, docti alij passim. ita tamen hoc verum, vt Atticorum hoc sit, nam communis Græcorum lingua accusatiuum amat, quod doctè monuit in Plutum Aristophaniam Gerardus.

D

10. OBSTVPVIT, &c.] Similis pene historia apud Agathiam est lib. 4. vbi Romani milites noctu in vigiles hostium incidunt, gressum inhibent, quieti ac taciti manent, veluti terræ radicibus affixi, adeo vt ne spiritum quidem emitterent, sed eum in pectore conditum premerent. Apud Homer. quoque 3. Il. Paris viso Menelao,

——κατεπλάγη φίλον ἦτορ,
Ἂψ δ' ἑτάρων εἰς ἔθνος ἐχάζετο:
——perculsus est charo corde
Retro autem sociorum in agmen recessit.

E

11. RETROQVE PEDEM] Hoc Græci, ἀναστρέφειν, ἀναχωρεῖν, ἐπὶ πόδα ἀναχάζειν καὶ ἀναχάζεσθαι.

12. IMPROVISVM ASPRIS, &c.] Sumptum ab Homer. Il. 3. vbi historiam de Paride adductam hæc sequitur comparatio,

Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Ἂψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς:
Sicut autem, cùm quis serpentem conspicatus, resiliens fugit
Montis in saltibus, tremórque occupauit membra,

Retroq; secessit, pallorq; ipsum cepit in genis.

Virgilius superat Homerum.

Nota discrimen, & victoriam. Ab angue viso nemo fugit, secus si non prouisum & improuisum presserit: cùm ait *trepidus*, æquat illud τρόμ@, cùm addit repente, resilientem animum designat. Iam locus vbi est anguis, explicatus est Latino, agit enim in vepreris senticetísque. Qua nota Isidorus dixit cap. 4. lib. 12. de dracone, *circa semitas delitescens*, quibus in locis, vt plurimùm vepreta, vbi & anguis, senectā exsuunt. Itaque saltus non propriè locus huius feræ. Tertius versus præter nitorem, locutionem, numerum, rationem pauoris reddit, ideo enim fugit viator, quia videt serpentem attollentem iras: sic fermè Scaliger. Quod Latini *improuisum*, Græci ἀπροϊδὲς, ad Virg. aspirauit Papinius. 2. Theb.

—Tacito sub pectore dudum
Ignea corda fremunt: iacto velut aspera saxo
Quominus erigitur serpens.

Et Iuuenalis Sat. 1.

Pallent, vt nudis pressit qui calcibus anguem.

13. PRESSIT] Græcus quidam, ὄφεις πατεῖν. Habet similitudinem cum hac re adagium illud, *Archilochum calcasti*. Adi Iunium Cent. 1. adag. 73. Non ineptè huc trahas Horatianum illud Od. 27. lib. 3. *Rumpat & serpens iter institutum*, &c.

14. ATTOLLENTEM IRAS] Non dissident istæ iræ ab illis, quas Prudentius ἐν τῷ στεφ. hym. 10.

Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, & dolore sauior
Quassando pressis immoratur dentibus.

A 15. ET CAERVLA COLLA TVMENTEM] Respicit ad virorem colubri. Signatè verò *tumentem* in sermone de ira. Lege Iunium Cent. 1. adag. 58. & signatius adhuc *colla*, nam pars ista fit turgida & tumida serpenti, cùm irascitur.

16. HAVD SECVS ANDROGEOS, &c.] Præcedentes Homeri versus sequuntur hi,

Ὣς αὖθις καθ' ὅμιλον ἔδυ Τρώων ἀγερώχων
Δείσας Ἀτρέ@ υἱὸν Ἀλέξανδρ@ θεοειδής:
Sic retro in agmen secessit Troianorum superborum
Timens Atrei filium Alexander diuinus.

Tempus, *abibat*, expendit Seru. quia non abiit. Ad poëticum hunc anguem pertinet adagium, quo vsus Nazianzenus orat. 40. δάκνων ὄφις ἐφ' ὁδῷ: *serpens in*

Serpens in via mordés. adag.

B *via mordens*. Sed de hoc in Eclogis.

17. IGNARÓSQVE LOCI, &c. Expendebam hîc duplicem rationem. Ideo enim sternuntur, & quia ignari locorum, & quia capri formidine. Vtraque in Tacito est lib. 3. Hist. *pugnatum haud procul vrbe, inter ædificia hortosq;, & anfractus viarum, quæ ignara Vitellianis, incomperta hostibus metum fecerant.*

18. ASPIRAT FORTVNA] Vt pro fauore *aura*, ita consentaneè *aspiro*, vt etiam *flans*, & *reflans* fortuna. Ducta omnia à re nautica. Ad bellum transtulit Aristophanes in Irena.

—πολέμυ
Μεταστρο@ αὖραι:

Quia bellum omnia aut in melius, aut in peius commutat.

a Atque hîc exultans successu animísque Chorœbus,
b O socij, quà prima, inquit, Fortuna salutis
Monstrat iter; quáque ostendit se dextra, sequamur.
c Mutemus clypeos, Danaúmque insignia nobis
Aptemus. DOLVS, AN virtus quis in hoste requirat?
d Arma dabunt ipsi. sic fatus: deinde comantem
Androgei galeam, clypeiq; insigne decorum
Induitur: laterique Argiuum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisq; iuuentus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.

ARGVMENTVM.

Suadet Troianis Chorœbus, induantur spolijs hostium interfectorum, induitur ipse, cæteri item illius & sermone, & exemplo.

EXPLICATIO.

a PRæclarè hæc oratio datur iuueni Chorœbo iuueniliter exultanti, non Æneæ, non alteri ducum, in quibus scientia rei militaris: ad hæc, hoc sermone doli astruuntur, qui indigni Ænea: tertiò consilium hoc præceps fuit, & malè cordatum: recidit enim postea in ipsos Auctores. His omnibus iure ista oratio Chorœbo tribuitur, cuius fatuitas in prouer-
D bium etiam abiit.

a Ad mutanda arma, & struendas insidias hortari cùm velit socios ab honesto rem gerit, videlicet ab occasione vltro oblata non quæsita, & ab fauente Fortuna.

c Consilium Chorœbi est, vt mortuis detrahantur arma, clypei, galeæ, iubæ, & reliqua insignia, atque adeo incogniti Græcos cædant. Occurritque per pro-
C lepsin obiectioni, nam nihil turpe, vbi legitimus est hostis.

d Persuasio à facili. si Seruium tamen, & alios sequaris, alia erit sententia, hæc videlicet: *Arma? ipsi dabunt*. Quæ oratio est hominis perturbati, & respondentis sui ipsius interrogationibus. Vt etiam in 4. *sic, sic iuuat ire sub vmbras*. vix hæc Chorœbus, cùm exemplo voluit præire, vt non solùm verbo hortaretur. Tria sibi aptauit, quæ præcipua in milite, galeam, clypeum, ensem. inde alij sequuntur, *Hoc Ripheus*, &c. vbi tamen nulla mentio Æneæ ad decorum tanti ducis: neque enim vbi res fraude geritur, is nominatur, qui sæpe in hoc opere repræsentat Augustum.

NOTÆ.

1. EXVLTANS] vt suprà *insultans Sinon*, sic hîc *exultans Chorœbus*, sermone (vt dixi) suscepto à canibus, qui insiliunt in prostratam iam & victam feram. Ideo signatè additur *animis*, θυμὸς enim & canibus datur. inde Homerus, μῦθ@ θυμοδακής, verbum animosè & petulanter mordens, ac procaciter, quales esse canes solent districtis dentibus. Hoc fortasse

tasse præferat aliquis illorum explicationi, qui redundunt, *verbum animum mordens*, in Homero. A

Hellenismus.

2. QVAQVE OSTENDIT SE DEXTRA] Hellenicè casus casui annectitur, quod suprà admonitum; nam ex Latino canone debuisset dicere, sequamur qua Fortuna ostendit se dextram. id sæpe inculcant docti interpretes, in primis Germ.

Sequor de fortuna.

3. SEQVAMVR] Obseruabis, verbum *sequor* Fortunæ dari à Virgilio sæpissimè in 4.

— ... *quod memoras factum fortuna sequatur.*

In 8. *quem si fortuna sequatur.* alibi sæpe. in quo adlusum, credo ad cognomentum Fortunæ, quæ dicta *Obsequens*, cuius Plutarchus meminit & P. Victor, qui obsequentis fortunæ vicum collocat in prima regione vrbis, in secunda verò vicum Fortunæ respicientis. Variat Vates sequentem fortunam per *aspirantem* suprà, per *iuuantem* in 10.

Obsequens Fortuna.

4. MVTEMVS CLYPEOS] Ab hac fraude non alieni versus Oppiani lib. 3. ἁλ.

Ὡς δ' ὅτε δυσμενέεσσι δόλον τεύχοντες Ἄρηος,
Ἱέμενοι πύργοισι καὶ ἄστεος ἔνδον ἱκέσθαι,
Ἔντεα συλήσαντες ἀρηϊφάτων ἀπὸ νεκρῶν,
Αὐτοὶ θωρήξαντο, καὶ ἔδραμον ἀγχὶ πυλάων·
Οἱ δ' ὥστε σφετέροισιν ἐπειγομένοις πολιήταις
Ἀγκλίνουσι θύρετρα·

Vt autem quando hostibus dolum struentes Martis
Qui cupiunt intra turresque & vrbem penetrare,
Arma deprædati Marte peremptis à cadaueribus,
Ipsi armantur & currunt ad portas:
Illi autem tanquam suis festinantibus ciuibus
Aperiunt portas.

Tale quidpiam Homer. Il. 17.

Στὰς δ' ἀπάνευθε μάχης πολυδακρύτου, ἔντε' ἄμειβεν·
Stans seorsim à pugna luctuosa, arma commutauit.

Et de Annibale Pœno Liu. 22. *Mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis muniebat.* Ab Cedreno inter stratagemata Ducis Manueli ponitur, ἡ τῶν σχημάτων μεταβολή: *mutatio vestium.* Ab hac fraude non dissimilis ea, qua milites solent accipere militares hostium tesseras.

5. DANAVMQVE INSIGNIA] Pulchrè admodum. Præcessit, *mutemus clypeos*, sequitur *aptemus insignia.* Clypeus enim dictus ἀπὸ τοῦ γλύφω, id est, *scalpo.* Quòd in clypeo scalpta essent insignia virorum fortium. Quasi dicat: Aptemus nobis clypeos, vbi sunt Danaûm insignia. itaque, quia præcessit, *Clypeus*, ideo, D *insignia*, ideo postea signatissimè,

— clypeiq; insigne decorum.

Clypei etymon.

Quod nihil est aliud explicante Gifanio, quàm *clypeus insigniter decorus.* & Seruius: *clypei insigne, periphrasticῶs pro clypeo.*

Dolus, an virtus quis in hoste requirat.

6. DOLVS, AN VIRTVS QVIS IN HOSTE REQVIRAT] Eandem sententiam Pind. exprimit Od. 4. Isthm. ducto sermone à fraude Vulpis in Aquilam.

— ἀλώπηξ
Αἰετοῦ ἅτ' ἀναπιτναμένα
Ῥόμβον ἴσχει. χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν·
Vulpes, quæ supina cohibet impetum aquilæ:
Oportet autem quidlibet faciendo labefactare impetum aduersarium.

Homer. Odyss. 11.

Κτείνῃς ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλκῷ·
Interfeceris siue dolo, siue palam acuto ferro.

Thucydides lib. 5. Bel. Pelop. ore ducis Brasidæ. καὶ τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν: *furta hæc belli honestissimam habent gloriam, vbi quis decepto præcipuè hoste, amicis maximè proficiat.* Idem lib. 4. B ita ad rem hanc. πᾶν δ' εἰκὸς εἶναι τῷ πολέμῳ, καὶ δεινῷ τινι κατειργόμενον ξύγγνωμόν τι γίγνεσθαι καὶ πρὸς τοῦ θεοῦ: *omnia licere bello, & aduersitate aliqua circumuentis veniam esse quandam etiam apud Deum.* Cognationem habent verba hæc Tacit. 2. Ann. *Arminius nisu corporis, & impetu equi peruasit oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit.* Pindaro, Homero, Thucydidæ contrarius Eurip. in Rheso, ait enim, οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα κτεῖναι τὸν ἐχθρὸν, ἀλλ' ἰὼν κατὰ στόμα. *Vir nemo generosus putat latenter hostem interficere, sed vultu aduerso.* Sed aliquid hic de Virgilio & Homero. Odyss. 13. Vlysses Idomenei filium Orsilochum interfecisse se ait, noctu, & ex insidiis.

C

Νὺξ δὲ μάλα δνοφερὴ κάτεχ' οὐρανὸν, οὐδέ τις ἡμέας
Ἀνθρώπων ἐνόησε· λαθὼν δέ ἑ θυμὸν ἀπηύρας:
Nox autem valdè obscura occupauerat cœlum, neque aliquis nos
Hominum animaduertit, fefelli autem cùm illum anima spoliabam.

Cuius fœdi facinoris nulla est alia excusatio, quàm hæc, *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Sed aduertit tamen Spondanus, hanc rationem aggrediendi ex insidiis in bellis laudari posse, non in priuatis dissidiis, qualia erant Orsilochi & Vlyssis. vt hinc videas discrimẽ Virgilij. & Homeri. Virgilius enim in bello inducit Troianos conantes aggredi ex insidiis, Homerus in priuato odio. Quæ ad sententiam Virgilij Erasmus scripsit Ch. 3. Cen. 5. cap. 81. in promptu sunt.

Virg. supe- mer-

7. COMANTEM] Venusta translatio, & à coma ducta. Dici vix potest, quàm multis translationibus vna vox seruiat. hic comans galea, cristata est. 4. Georg. Narcisso dantur comæ: 2. Georg. arboribus: stellis passim, imò inde cometæ: iam equorum, leonum, & aliarum ferarum iubas, comas, vocant.

Coma de rebus multis.

8. INDVITVR] Hellenicè. Plutarch. in Numa, ἐνδεδυμένοι χιτωνίσκους: induti tunicalas. sic infrà, *cingitur ferrum*, & sæpe aliàs.

Hellenismus.

[a] Vadimus immisti Danais haud numine nostro:
Multáque per cæcam congressi prælia noctem
Conserimus: multos Danaûm dimittimus orco.
Diffugiunt alij ad naues, & littora cursu
Fida petunt. pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, & nota conduntur in aluo.
[b] HEV nihil inuitis fas quemquam fidere Diuis.
[c] Ecce trahebatur passis Priameia Virgo
Crinibus à templo Cassandra, adytisq; Mineruæ,
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

ARGVMENTVM.

Ex fraude Troiani in hostes grassantur, trucidantq́ue, vt quemque sors obtulit: sed fœdatur felix inceptum deformi spectaculo Cassandræ.

EXPLICATIO.

a INdicantur varij conflictus & minuta prę̨lia, quibus pugnatum à paucis Troianis; immisti enim Danais, neque, tum armorum similitudine; tum, quia per cæcam noctem, cogniti, multa passim prælia conserebant. Adhibetúrque triplex effectus Troianæ virtutis: nam aut occiduntur Græci, aut confugiunt ad naues, aut petunt latebras equi. In his recensendis Troiana gloria cernitur, & Græca indignitas, nam *demitti in orcum, diffugere, turpis formido*, indigna omnia.

b Præclarè sententia hæc interponitur in ipsa narratione. Exultabant successu Troiani post interfectum Androgeon, cùm subito illis obiicitur deforme spectaculum Cassandræ regiæ virginis, quo fœdatus cursus illius victoriolæ: ait ergo cum dolore, neminem posse confidere boni aliquid Diis inuitis, atque abnuentibus.

c Hanc partem raptæ Cassandræ ita viuidè exprimit, vt maximam conquestionem moueat, & lacrymas eliciat, ab inuitis etiam. Ergo excitatur affectus à conditione, nam Regia virgo, filia Priami, & deinde Cassandra, hoc est, vates Apollinis, & plena numine, tam dirum malum patitur: à loco, nam rapitur à templo, & Mineruæ adytis, ad quæ confugerat: hic iam spernitur religio: à modo, nam *trahitur*, quod indignum, qua voce captiuitas innuitur, & *passis crinibus*, ac *vinctis manibus*, quæ *teneræ*: cui insuper *flagrantes oculi sublati ad cælum*. Quæ hæc species! Quid si rationem addas? Tollebat (ait) tantùm oculos, nam manus non poterat, vt illigatas funibus. Tollebat verò oculos ad cælum *frustra*: Quid hac re miserius? Est enim infelicissimum vexari contumeliosè à mortalibus, neque opis aliquid adesse à cælo.

NOTÆ.

1. VADIMVS IMMISTI DANAIS] Dictum hoc in argumentum Troianæ virtutis, vt lib. 1. de Ænea,

Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis.

Est enim laus maxima versari in ordinibus aduersariorum. Hoc prædicat Sallustius de Catilina, qui *longè à suis inter hostilia cadauera repertus est*. Hoc de Diomede Homerus. 5. Il.

Τυδείδην δ᾽ οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἢ μετ᾽ Ἀχαιοῖς:
Tydidem haud noris, quorumnam in partibus esset
An socius Græcis, an miles in agmine Troum.

Pari fortitudine prædicat Liuius lib. 39. Calpurnium prætorem in bello, quod gestũ in Hispania. ait enim: *Longè acriùs Calpurniani equites pugnabant, & prætor ipse ante alios. nam & primus hostem percussit, & ita se commiscuit medijs, vt vix, vtrius partis esset, nosci posset.* Dabo hic πάρεργον in gratiam Hispanorum Hispanus ipse admonitus Liuij testimonio. Bellum hoc, quod acre, & magnum, gestum ait Liuius, *haud procul Hippone, & Toleto*. Sciant Hispani, hunc locum, quantum elici coniectura potest, esse inter Toletum, & Yepes, eo loci, vbi nunc *la venta de Bel*, Quod diuersorium à bello nomen accepit. Neque verò malè

A existimes, veterem Hipponem esse, qui nunc Yepes, nam in eo vestigia maioris, quàm nũc Oppidi. Deinde Hispani solent Latinum sermonem facere suum interpositione litteræ, i, Latini dicunt *terra*, nos, *tierra*: illi *ferrum* nos *fierro*, sic *piel*, *pie*, *diente*, *piedra*, ab *pellis*, *pes*, *dens*, *petra*. Itaque pari ratione non malè deducas Yepes, ab Hippone. Nam qui Yepes ab Iope, & similia quędam de Hebræis nominibus, nunquam satis probant. — *Hippo Hispaniæ oppidum. Hispanismus.*

2. HAVD NVMINE NOSTRO] Ait Seru. in scutis Gręcorum Neptunum depictum; in Troianorum, Mineruam fuisse, atque inde Poëtam dixisse, *non nostro numine*. Addit Nasc. milites Græcos in scutis habuisse elementa quædam ad discrimen, ita Lacedæ- — *Numina depicta in scutis. Elemẽta in armis.*

B monij, λ, habebant, Peloponnesiaci, ϖ, sic alij. qui mos cum Seruianis alludit. Sic, σ, in scutis Sicyoniorum, quod vidi in Xenoph. lib. 4. Ἑλλ. transiit hoc & ad Latinos. Quod notum ex historia: orta enim contentione inter milites Marij & Q. Catuli de victoria Cimbrica, placitum inspici confossos barbaros, traiectaque cadauera; tela enim à Catulianis missa nomen eius inscriptum habebant. Transiit etiam ad Christianos, quod satis indicat Prudentius lib. 1. in Symm. his versibus:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Eundem morem Saracenis attribuit Cedrenus, apud

C quem horum dux, γράφειν ἐπὶ τ῀ οἰκείας ἀσπίδος ΑΜΩΡΙΟΝ ἐκέλευσε: *iussit singulos in scutis* AMORIVM *inscribere*, id scilicet oppidum bello petebatur. itaque ex his, & consimillimis moribus locutus Poëta. Hæc quamuis defendi possint, sed mihi capiendus videtur ex Platonis doctrina, cui sæpe hæret. atqui Plato dicebat, quolibet affectu concitatos, agitari alieno, & infausto quodam Dæmone, Deo, Numine, non suo. Ergo milites Virgiliani furore correpti, nullo prospero ducuntur Numine, sed infausto, & ad perniciem prono, ipsísque aduerso. ad quem modum Tibullus dixit: — *Numẽ alienũ quid sit.*

Audiat auersa non meus aure Deus.

Vbi *non meus Deus*, idem est, atque *Haud numen nostrum*, & vtrumque idem quod infaustus, & aduersus Deus. Sic Horatius Od. 9. Epod. *ventis non suis*, dixit,

D pro infaustis ventis. Tractat locum istum Iañ. Parrhas. in lib. Quæsitor. Sic Ammianus lib. 14. *Numine læuo ductante*, id est, aduerso.

3. CONSERIMVS] Liu. sæpe vsurpat. in 21. ait de Annibale: *Princeps prælium inibat, vltimus conserto prælio excedebat. & Romanus conserere pugnam.* loca passim occurrent.

4. MVLTOS DANAVM DEMITTIMVS ORCO] Factum hoc Chorœbi nonnullam habere similitudinem cum alio Argiuorum Pet. Vict. admonet in comm. ad lib. 3. Arist. de Morib. ad Nicom. Argiui enim, vt scribit Xenoph. lib. 4. de rebus Græcorum, in Lacedæmonios inciderunt, quorum erat maximum nomen virtutis bellicæ, putantes eos esse Sicyonios, quos despiciebant. Arist. etiam sic scripsit. Οἱ δ᾽ ἠπατημένοι, ἐὰν γνῶσιν ὅτι ἕτερον, ἢ ὑποπτεύσωσι, φεύγουσιν:

E ὅπερ οἱ Ἀργεῖοι ἔπαθον περιπεσόντες τοῖς Λάκωσιν, ὡς Σικυωνίοις: *Qui autem decepti sunt, si cognouerint aliud esse, aut saltem suspicati fuerint, fugiunt: id quod Argiuis contigit, qui inciderunt in Laconas, tanquam Sicyonios.* Putes hinc adagij formam posse exsistere, *incidere in Lacones, tanquam in Sicyonios*. à quo non abhorruerit, *incidere in Troianos, tanquam in Græcos*, ex facto hoc Chorœbi. — *Incidere in Lacones, tãquam in Sicyonios. adag.*

5. DIFFVGIVNT ALII AD NAVES] Tale quid in strage dira factũ scribit Thucydides lib. 3. cùm enim multi ferro occiderentur, ὀλίγοι ἐς τὴν Ἀττικὴν περιέφυγον

καλίσυγον ἔτι περιῆσαν: *Pauci confugiunt ad Atticam triremem, quæ supererat.* Iterum lib. 4. in clade alia. τῶν δὲ λοιπῶν οἱ μὲν πεζῇ, οἱ δὲ ἐς τὰς ναῦς, αἳ ἐφόρουν δύο καταφυγόντες: *reliqui fuga elapsi, pars terrestri itinere, pars ad duas naues, quæ custodias agebant.* Paria Iustinus lib. 2. de Persis victis à Græcis: *Victi Persæ in naues confugerunt.* & Xenoph. 5. ἀναβ. de Cerasuntiis, δείσαντες ἀποχωροῦσι πρὸς τὰ πλοῖα: *territi ad naues se recipiunt.* & 7. φεύγουσιν εἰς τὰ πλοῖα.

6. Heu nihil invitis, &c.] Homerus sæpe, ἀέκητι θεῶν. Catull.

Et Dijs inuitis desinis esse miser.

Inuitis Diis, prouerb.

Achilli Statio prouerbium esse videtur, *inuitis Dijs.* Non dissimile ab hac sententia illud Æschyli. πρὸς κέντρα κῶλον ἐκλακτίζειν: *impingere pedem aduersum stimulos.* Affine & illud, *Deo irato aliquid facere*, id est, infeliciter. Plutarc. de Pithyæ oraculis. δεῖ γὰρ μὴ μάχεσθαι πρὸς τὸν θεόν: *Non est pugnandum aduersum Deum.* Senarius hic habetur Anthol. qui Luciano tribuitur. θεοῦ μὲν ἐκτὸς οὔτις εὐτυχεῖ βροτός:

Mortalium nemo absque Deo beatus.

Eurip. in Supplic.

—ἠρέλη δ' οὐδὲν φέρει
Βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρήζοντ' ἔχει:
Fortitudo nihil prodest
Mortalibus, nisi Deum habuerit opitulantem.

Fortuna Iouis filia.

Ideo Pindarus dicit esse, τύχαν σώτειραν Ζηνὸς παῖδα: *salutarem Fortunam filiam Iouis.* In eadem tragœdia loquens Euripides cum Ioue, σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα: *ex te enim pendemus.* Aristophanes in Irena ait: cuncta ad mentem procedere, si Deus adiuuet, & fortuna dirigat,

Πάνθ' ὅσ' ἂν θεὸς θέλῃ γε, χ' ἡ τύχη κατορθοῖ, χωρεῖ κατὰ νοῦν.

7. Ecce trahebatur, &c.] In captis vrbibus hoc potissimum & frequentissimum malum. Eurip. Phœnissis, de captis Thebis,

Ὄψει δὲ πολλὰς αἰχμαλωτίδας κόρας,
Βίᾳ πρὸς ἀνδρῶν πολεμίων πορθουμένας:
Cernes autem multas captiuas puellas
Per vim ab hostibus duci hostiliter.

De clade illata Locrensibus ab Romanis ita Liuius lib. 29. *Omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, constuprant matronas, virgines, ingenuos, &c.*

8. Trahebatur] Græcè dicas ἀποσπᾶν. hoc enim vsus Demosthenes. 1. Olynth. & aduertit Vlpianus sumi verbum ab his, qui ad aras confugiunt, & inde abstrahuntur. & Poëta quidem, *trahebatur à templo.* Pausanias tamen lib. 5. de eadem re loquens: Αἴας ἕλκων Κασσάνδραν (dixit) ἀπὸ τοῦ ἀγάλματος τῆς Ἀθηνᾶς: & lib. 10. αὐτὴν (Κασσάνδραν) ὁ Αἴας ἀφεῖλκε. In verbo quippe inest contumelia, trahi enim noxiorum est. Seneca Rhetor. Controu. 13. lib. 2. *Iactatur misera inter satellitum manus, & toto itinere non ducitur, sed trahitur.* & millena alia.

9. Passis priameia virgo crinibus] Insignis contumelia. Æschines in oratione περὶ παραπρεσβείας, id est, de legatione malè obita. ἑλκοίμην τῶν τριχῶν, *capillis traxissem, & arrepto loro flagellassem captiuam mulierem.* Andromache apud Euripidem huius tam insolentis contumeliæ conqueritur.

Αὐτὴ δὲ δούλη ναῦς ἐπ' Ἀργείων ἔβην,
Κόμης ἀποσπασθεῖσα:
Ipsa verò serua in naues Græcorum conscendi
Per crines tracta.

Captiuę trahebatur crinibus.

Ex Euripide itaque, & Virgilio elici mos potest, captiuas feminas crinibus trahi solitas. Iuuat plurimum idem Eurip. in Troad. apud quem Menelaus de Helena sic ait, Κομίζετ' αὐτὴν τῆς μιαιφονωτάτης Κόμης ἐπισπάσαντες.

Exportate illam, impurissimâ
Comâ trahentes.

De qua ipse paulò antè dixerat, annumerandam esse inter Troades, quæ captiuæ erant,

—δόμοις γὰρ τοῖσδ' ἐν αἰχμαλωτικοῖς
Κατηρίθμηται Τρωάδων ἄλλων μέτα.
In his enim captiuis domibus
Numeratur inter alias Troadas.

Templorum confugium.

10. A templo Cassandra adytisque Minervæ] Attingitur mos ille, quo in summo rerum discrimine, & extrema necessitate homines confugiebant ad sacra; quod qui fecissent, diuelli inde per religionem non poterant, quod Pausan. in Achaicis scribit. inde est, vt magistratus Atheniensium, pœnas violatæ religionis Mineruæ dederint, quòd in eos sæuierint, qui cum Cydone ad huius Deę tēplum cōfugerant, quę pœna in posteros etiam eorum manauit. Quæ de Diana Ephesi Plutarchus scribit in promptu sunt in breui libello de vitando ære. Sparta etiam ita magnis motibus terræ concussa est, vt nulla prope domus expers fuerit tantæ ruinæ, quòd videlicet Lacedæmonij eos violassent, qui supplices confugerant in templum Neptuni. Lege Hieronymum lib. 1. aduersus Iouinianum, apud quem Arcadia tota ita indignè tulit, confossam virginem, quæ ad Dianæ templum & simulacrum confugerat, vt bellum publicè sumpserit contra tyrannum Aristoclidem ad vlciscendam virginem. Sed hanc rem aliena exempla quî probent? vbi est atrox supplicium Aiacis, qui Mineruæ templum violauit, ad quod confugerat Cassandra. Adeundi diuini vatis versus lib. superiore. & quæ nos ibi latè. Apud Pausaniam lib. 1. est simulacrum Aiacis diuellentis Cassandram rapientísque à signo Palladis, ad quam supplex confugerat. & in Phocicis habitus Cassandræ ita depingitur. ἡ δὲ κάθηται τε ἡ Κασσάνδρα χαμαί, καὶ τὸ ἄγαλμα ἔχει τῆς Ἀθηνᾶς, εἴγε δὴ ἀνέτρεψεν ἐκ βάθρων τὸ ξόανον, ὅτε ἀπὸ τῆς ἱκεσίας αὐτὴν ὁ Αἴας ἀφεῖλκε: *Sedet ipsa Cassandra humi Palladium complexa, quod ipsum è suis sedibus virgo auellit cùm supplicem ab ara Aiax abstraxit.* Dio Chrysost. orat. 11. de eadem historia nonnihil. Vide etiam Philostratum in Heroicis, vbi loquitur de Aiace Locrensi. Simillima his sunt, quæ Appianus narrat in Mithridat. de Fimbria duce Romano, & acerrimo hoste Syllæ: qui sanè Fimbria, capta Iliensium vrbe, redintegrauit in ea mala omnia, quæ passa olim ab Græcis fuerat. interque alia ait scriptor. οὔτε τῶν ἱερῶν φειδόμενος, οὔτε τῶν ἐς τὸν νεὼν τῆς Ἀθηνᾶς καταφυγόντων, οὓς αὐτῷ νεῷ κατέπρησε: *Nec sacris pepercit, neque his, qui ad templum Palladis confugissent, quos vnà cum templo incendit.* & sic ait vrbem passam peiora, quàm sub Agamemnone.

11. Ad cælum tendens, &c.] Habitus mirè luctuosus. Non abhorret Vitelliana calamitas apud Tacitum. 3. Hist. *vinctæ pone tergum manus, laniata veste, fœdum spectaculum ducebatur.* Nec Andromachæ apud Euripidem, vbi à Tragico sub persona Pelei luculentus affectus excitatur ex pari indignitate vinctæ nobilissimæ feminæ. Liuius sæpissime similes affectus excitat ex simili deformitate. vt & Ammianus lib. 31. quem lege ab eo loco, *Tunc erat spectare cum genitu facta dictu visúque prædira, &c.* vbi scriptor loquitur de funesta Thraciæ vastatione facta à barbaris. *ardentia lumina* esse possunt, vel ardore quodam pudibundo suffecta ad tantæ rei indignitatem; vel inflammata præ ira, & indignatione. frustra autem tendebat oculos ad cælum, vnde miseræ nihil erat auxilij. Doctè autem ait Germ. in Cassandra attollente

ad cæ-

ad cœlum oculos impeditis manibus, latere elegantem Euripidis imitationem, inducentis Andromacham à Menelao damnatam, & cædi destinatam, eandémque manibus reuinctam, ac tum clamantem ad Peleum, quando non posset, λαβέσθαι γενειάδος, eius mentum contingere. Parco hic à præoccupatis iam versibus; vt verò latenter Virgilius Euripidem, ita Virgilium latenter imitatur Prudentius, cùm ait in Hamartig. de captis auibus,

Pars captiua iacet, laceris & saucia plumis
Pugnat humi, & volucres nequaquam suspicit auras.

Clarius Ouidius, cùm ait in Metam.

Non profecturas tendebat ad æthera palmas.

Ab hac poëtica ferie non dissimile, quod expendit enarrator Demosthenis de falsa legatione. Vbi enim de fœmina, quæ misere verberatur, ait orator, ἀδημονούσης, ita ille scribit, βοώσης, καὶ ἐπικαλουμένης τοὺς βοηθήσοντας, οὐκ ἀδημονούσης: ἀλλὰ τῆς φύσεως τὴν ἀσθένειαν διὰ τῆς λέξεως ἐνέφηνεν: *oportuit dicere, fœminam illam clamasse, implorasse aliorum auxilium, non anxiam fuisse animi præ dolore: sed naturæ imbecillitatem eo verbo indicauit.* Paria itaque in Cassandra agnosce, quæ præ dolore, tantùm ἀδημονεῖ, neque βοᾷ, neque ἐπικαλεῖται τοὺς βοηθήσοντας. Nam quid aliud faceret infirma fœmina? Clamaret vir, & diceret, secum indignè agi, & reliqua, quæ dolor suppeteret. Cum loco Virgilij vicinitatem habent verba Hieronymi epist. 29. ad Innocentium, de fœmina, quæ vincta post tergum manibus, *oculis, quos tantùm tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum.*

12. ARDENTIA LVMINA] Est hoc, quod Catull. alio flexu in Nupt. Pelei: *flagrantia lumina.* Virgilius in hoc lib.

Ardentésque oculos suffecti sanguine & igni.

13. ARCEBANT VINCVLA PALMAS] Non vulgari significato dictum *arcebant*, pro amouebant, non hoc est. sed *arcebant*, id est, *continebant*. arcere enim propriè fuit continere, vnde arx, & arca: quæ autem continent, eos qui accedunt, separant ab his, quæ continentur; ex quo secundus significatus arcendi, id est, amouendi. Iul. Scal. inde etiam sunt, qui carcerem ab hoc verbo deducant, vt εἱρκτὴ apud Græcos, παρὰ τὸ εἴργειν. Arcere, quid.

ᵃ Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus,
Et sese medium iniecit moriturus in agmen.
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
ᵇ Hîc primùm ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur: oritúrque miserrima cædes
Armorum facie, & GRAIARVM errore iubarum.
ᶜ Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira
Vndique collecti inuadunt: acerrimus Aiax,
Et gemini Atridæ, Dolopúmque exercitus omnis.
ᵈ ADVERSI rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyrúsque, Notúsque, & lætus Eois
Eurus equis: strident syluæ: sæuítque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

ARGVMENTVM.

Græcos Troiani inuadunt, & princeps omnium Corœbus, virginem erepturi: sed à suis non agniti telis desuper obruuntur: fit concursus magnus Græcorum aduersum paucos Troianos, & vtriusque partis conflictus aptissima ventorum comparatione explicatur.

EXPLICATIO.

a QVALIS] Hinc exsurgit affectus in amante iuuene: inde ad mortem ruit in medios hostes, atque omnes simul (nam hoc est cuncti) ad necem aduolant, nec terrentur densissimis hostium armis.

b Cessit dolus infeliciter Troianis, nam qui erant in summo templo Mineruæ, vnde extracta est Cassandra, decepti facie insignium Græcorum, in suos, vt in hostes, tela omnia coniiciunt: inde nullo discrimine miserabilis cædes exorta. Est *telum* quicquid eminus iacitur. Per faciem armorum intellige εἶδος ὅπλων. nam videlicet decepti specie Troiani sunt.

c In conflictu isto Troiani victores fuerunt. Inde Græci ægri amissa præda, & auidi recuperandæ inuadunt, multi vndique collecti. Tu hîc deforme spectaculum considera, cædes mutuas, clamores dissonos, & tam turbidi prælij prædam esse vnicam virginem, quam hinc inde Troiani, & Græci certabant rapere.

d Comparatio à ventis, qui cùm aduersi pugnant, acriter pugnant, éstque duplex effectus huius certaminis ventorum, videlicet agitatio syluarum, & maris: illæ strident, hoc mouetur ex fundo imo, sæuiente Nereo cum tridente.

NOTÆ.

1. NON TVLIT HANC SPECIEM, &c.] Similem huic affectum commouet Achilles Stat. Alex. cùm Leucippē pulcherrimam funibus illigatam exhibet coram amante Clitophonte. Quod Poëta *speciem*, Eurip. Orest. πρόσοψιν. Sallust. *faciem.*

2. ET SESE MEDIVM, &c.] Hinc signatur quanta sit vis amoris. Deinde allusio est ad militarem Romanorum morem, quo sæpe imperatores aut milites inclinata iam acie, & re infeliciter gesta se deuouebant Manibus.

3. ACERRIMVS AIAX] Aiax hic Oileus est, nam Telamonius ante captam vrbem sibi manus attulerat. Atridæ sunt Agamemnon & Menelaus, sic dicti ab Atreo. vt Poëta *gemini*, ita Sophocles nunc διπλοῦς, nunc διστάρχας, nunc διπλοῦς vocat Atridas. Crediderim, Poëtam Troianæ gloriæ studiosissimum, intulisse

lisse exercitum Dolopum, & claros duces, quos necessariò comitabatur ingens turba militum, ad minuendam gloriam Græcorum, & extollendam Troianam; nam vbi plures numero cum paucissimis pugnant, exigua est, ac propè nulla laus.

4. ADVERSI RVPTO CEV QVONDAM, &c.] Homer. Il. 9. priùs dixerat.

Ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα
Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον,
Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν
Κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευαν.
Sicut autem venti duo pontum commouent piscosam
Boreas, & Zephyrus, qui è Thracia spirant
Ruentes repentè: simul autem & vnda nigra
Attollitur, multam autem extra mare algam fundunt.

Virgilius superat Homerum. Magnificentius & signatius Virgilius (ait Scal.) nam aduersos fecit, quo esset vnda cumulatior, ac non sine causa κορθυόμενον. Addit violentiam *ruptus turbo.* Circumscriptio illa,

—& lætus Eois
Eurus equis,

Homeri error. iucundissima est. Ad hæc Zephyrus è Thracia non spirat, quod vult Homerus, & Porphyrius qui defendit, non aptè defendit. nam Græciæ Thracia septemtrionalis est, non occidentalis, & quæcunque solutio adhibeatur, nulla apta erit, cùm Zephyrum & Boream ex iisdem cæli segmentis fecerit proficisci. Hæc

Equi de ventis. Scal. & plura. adi. vt Poëta equos dat Euro, sic Val. Flacc. Aquiloni

—fundunt se carcere læti
Thraces equi.

Sic Euripides in Phœniss. Zephyro. Ζεφύρου (ait) πνοαῖς ἱππεύσαντος: *Zephyro flatibus equitante.* à quo Horatius Od. 4. lib. 4. de Euro *per Siculas equitauit vndas.* Nam & in Græco præcessit mentio Siciliæ, πεδίων Σικελίας. Quod Scal. aduersum Homerum de Zephyro flante ex Thracia, aliter discuti potest. Vide diligentem operam Ioan. Spondani in dictum Homeri locum. Ad vtriusque vatis, veriùs Virgilij imitationem Statius .11. Theb.

Vt Notus, & Boreas gemino de cardine mundi,
Hic niue Riphæa, Libycis hic pastus arenis,
Bella cient, clamant amnes, freta, nubila, syluæ.

Ad Virgilij, inquam, nam aduersos facit. inde ego putauerim Virgilium Ennio potiùs institisse. 17. Ann. quàm Homero. sic enim priscus vates:

Concurrunt veluti venti, cùm spiritus Austri
Imbricitor Aquilóque suo cum flamine contra,
Inde mari magno fluctus extollere certant.

In quibus mare agitatur, quia venti aduersi. De pugnis ventorum locus est in Horatio lib. 1. Od. 3. vbi inducit Africum ventum *Decertantem Aquilonibus.* & in Ouid. 1. Metam. vbi ait. Ventorum pugnæ.

—vix nunc obsistitur illis
Cùm sua quisque regat diuerso flamina tractu,
Quin lanient mundum, tanta est discordia fratrum.

Est hoc quod Tibull. lib. 4.

Et fera discordes tenuerunt flamina venti.

5. SÆVITQVE TRIDENTI, &c.] Hic per Nereum, intelligi Neptunum Parrhasius, & Erythræus dicunt. Nam alioqui Nereo, quem mitem vocat Hesiodus, & placidum Claudianus, *spumeus* Epitheton ex sæuitia non conueniret; quin & Tritonem, qui compositis semper fluctibus apparere à Poëtis infertur, Nereo patre genitum Lycophron scribit. & Orpheus in hymno Deum hunc inducit, Nereus pro Neptuno.

Κόραισιν ἀγαλλόμενον καθ' κῦμα, καὶ χοροῖς:
Oblectantem se in fluctibus puellis, chorísque.

à qua lasciuia alienæ tempestates. quòd autem Nereus accipi soleat pro Neptuno, ex eo liquet, nam Claudianus lib. 1. de Raptu, Nereum ait Siciliam ab Italia diremisse, quod à Neptuno ictu tridentis factum scribit Dionysius Afer. His adde rationem aliam sumptam ex hoc loco, in quo Nereus à Poëta inducitur cum tridenti, quem Neptuni esse nemo est qui dubitet. Demum confusio Numinum neque infrequens, neque insolens in Poëtis. sic fermè illi, quibus nonnulla adiunximus. Siquis tamen propriè accipiat, non pugnem. Quod Poëta *ex imo fundo,* Græci νειόθεν, βυσσόθεν. *Sæuities* mari irato præclarè datur. Tacit. 4. Hist. *celerrimas nauium frumento onustas sæuo adhuc mari committit.*

a Illi etiam, si quos obscura nocte per vmbram
Fudimus insidiis, totáque agitauimus vrbe,
Apparent. primi clypeos, MENTITAQVE tela
Agnoscunt: atque ora sono discordia signant.
b Ilicet obruimur numero: primúsque Corœbus
Penelei dextra Diuæ Armipotentis ad aram
Procumbit. cadit & Ripheus, IVSTISSIMVS vnus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.
Diis aliter visum. pereúntque Hypanísque Dymásque
Confixi à sociis. NEC TE tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

ARGVMENTVM.

Confluunt eodem Græci, qui fusi priùs fuerant Troiana fraude: qua detecta, & crescente semper hostium numero, cadunt quinque Troiani principes.

EXPLICATIO.

a NARRAT iam quemadmodum concursus factus fuerit in eundem illum locum à Græcis illis, qui fugati per vrbem fuerant Troiana fraude. Isti primi omnium agnoscunt fraudem, tela mentita, clypeos non Troianos: præterea *signant*, id est, notant atque animaduertunt *ora discordia*, non potuit melius (ait Iul. Scal.) alia enim arma, alia corda gerebant. Animaduertunt verò ora esse discordia ab armis *sono ipso*. Quod referendum vel ad tesseras militares, vel ad locutionem & linguam, aliter enim Troiani, aliter Græci loquebantur.

b Attingit iam infelicem exitum fraudis Troianæ edita miserabili strage, in qua enarranda ita Poëta

studio

studiosus est pro Troianis, vt Græcos adducat in omnem inuidiam, tanquam qui nullam rationem habuerint recti & iusti, sed prouecti fuerint in omne nefas, & religionis ac virtutis ludibrium, per summam temeritatem & amentiam. sic Corœbus cadit, qui confugerat ad aram Palladis: Ripheus, qui iustissimus, & æqui seruantissimus: Panthus, qui sacerdos Apollinis. Vide verò apostrophen plenam conquestionis, qua excitatur misericordia in Troianos, odiũ in Græcos, indignatio in Deos.

NOTÆ.

1. FVDIMVS] A rebus liquidis eleganter ad multa alia traducitur Græcorum exemplo: sicut enim Latinis hostes, somni, oracula dicuntur fundi; sic Græcis.

2. APPARENT] Verbum forense ad bellum traducit. sic apparitores, statores, satellites, stipatores. Istæ omnes voces iam à foro ad militiam abiere.

3. MENTITAQVE TELA] Id est, non verè Troiana. sic *mentitus color* est non verus. Ductum hoc ex Græco fonte, vbi plurima hæc locutio, χρώματα ψευδόμενα, & ἐψευσμένα. colores, qui mentiuntur natiuam speciem.

4. ILICET] Potior hæc vox in hac clade, quàm si diceret extemplo, protinus, statim, & plura alia, cum respectu ad eos qui ceciderunt, nam *ilicet* vox est mortuorum. Poëtæ alij nihil pensi habent, hic princeps signatissimis semper vocibus vtitur. Itaque, qui suprà in re augurij,

Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas.

& qui in re militari *protinus Orsilochum & Buten figit.* quasi porro tenus, quod vlteriùs semper cædes procederet. ita hic *ilicet* in re defunctorum.

5. OBRVIMVR] Liuius lib. 21. *obruti sunt insuper velut nube iaculorum à Balearibus coniecta.* Florus cap. 10. lib. 4. *vrgentibus telis in modum grandinis.*

6. PENELEI DEXTRA] Corœbum à Peneleo interfectum hoc loci Poëta canit. diuersè alij sentiunt. Pausan. Phocicis *venerat Corœbus ad Cassandræ nuptias, quæ ipsi desponsa fuerat: interemptum à Neoptolemo fama vulgauit: Lescheus à Diomede occisum carminibus prodidit.* De more, quo in extrema necessitate ad aras Deorum perfugium erat, alibi à me dicitur.

7. CADIT ET RIPHEVS] Coniicit Germ. in Paralip. Ripheum viuenti Maroni amicitia coniunctissimum fuisse, & ideo optimum vatem accepti beneficij memorem hanc eponymiã quæsiuisse, quo suum amicum sub alterius præconio prosequeretur. quod Herodotus obseruauit in vita Homeri, qui oculorum morbo Mentoris Ithacensis beneficio curatus, sub eius nomine Mentorem quendam in Odyssea, & Vlyssis socium dicit, & optimum, & iustissimum nominat, vt cui domus suæ curam Vlysses mandauerit, cuíque Pallas ipsa sæpe se assimilauerit. hoc aliis firmat.

8. DIIS ALITER VISVM] Obseruat Turn. veteres, cùm suos casus non sibi, sed Diis ascribebant, solitos dicere, *sic visum superis fuisse.* Sic in hoc loco, & 3. Æneid.

Postquam res Asiæ, Priamíque euertere gentem
Immeritam visum superis.

& Horat. lib. 1. Od. 33.

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga ahenea
Sæuo mittere cum ioco.

Sed in verbis Virgilij latere Euphemismum Germanus doctè admonet, ex illo Homeri Od. 1. — Euphemismus.

Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες:
Nunc verò aliter statuerunt Dij mala cogitantes.

vbi ἑτέρως, id est, *aliter*, dici ait, ἀντὶ τοῦ οὐκ εὖ, κατ' εὐφημισμόν, *pro, non bene, per Euphemismum.* id ipsum Eustathius obseruat, & Homerum ait vrbanè locutum, qui Deos dixerit *aliter statuisse*, pro, *non bene statuisse.* ergo sententia Virgilij erit, *Dijs aliter visum*, id est, Diis non benè visum. nam videlicet iratis Diis aduersum Troiam, non visa est digna præmio sanctitas, & iustitia Riphei, ac pro maleficio multata est virtus.

9. CONFIXI A SOCIIS] Vel hoc solum potuisset facere Troianam cladem memorabilem, quantum est viros principes à suis ciuibus interfectos! Tacit. lib. 3. Hist. in Bello Vitelliano: *Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit.* quod per ignorationem accidit.

10. NECTE TVA PLVRIMA] Expressi Homerus, Euripides, Æschylus. Primus Il. 1. de Chryse sacerdote Apollinis,

Μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον, καὶ στέμμα θεοῖο·
Non vtique tibi proderit sceptrum, & corona Dei.

Alter in Orest.

——εὐγένειά δὲ
Οὐδέν σ' ἐπωφέλησεν, οὐδ' ὁ Πύθιος
Τρίποδα καθίζων Φοῖβος, ἀλλ' ἀπώλεσεν:
——*Nobilitas verò*
Nihil te adiuuit, neque Pythius
Tripodi insidens Phœbus, sed potiùs perdidit.

Tertius in Agamemn. Cassandræ ore,

Τί δῆτ' ἐμαυτῆς καταγέλωτ' ἔχω τάδε,
Καὶ σκῆπτρα, καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη;
Quid igitur hæc gero derisui meo
Sceptra, & ad collum vaticinantium coronas?

Adhibui hæc loca etiam si præoccupata, tum vt discrimen huius principis videas supra alios Poëtas, tum vt imitationem discas: inclusit enim quicquid in illis pretiosum, exclusit non necessaria, addidit optima. In vna enim infula inclusit quæcunque illi per coronas, sceptra, Pythium: exclusit superuacaneum, ἀλλ' ἀπώλεσεν. addidit pietatem, quæ præcipua in re Deorum.

11. INFVLA] Latinum est nomen. *insilare* veteres dicebant amicire, & velare; cùm contra exsuere dicerent *exsilare.* inde ergo infulæ. Nota Poëtæ acumen. Caput tegitur infula, quod traducit ad salutem: quasi dicat. Qua infula caput tuum tectum, non salus, non vita ô Panthu. Alius diceret, non te defendit, aut quiduis aliud frigidum. & in tribus Græcis præmissis nihil cum hoc conferendum. De infulis sacrorum latè mihi lib. 3. Georg. — Insilare. Exsilare.

[a] ILIACI cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec vllas
Vitauisse vices Danaûm: etsi fata fuissent,
Vt caderem, meruisse manu. diuellimur inde
Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus æuo
Iam grauior: Pelias & vulnere tardus Vlyssi.

[b] Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hîc verò ingentem pugnam, ceu cetera nuſquam
Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe:
Sic Martem indomitum, Danaóſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſúmque acta teſtudine limen.

ARGVMENTVM.

Auertit à ſe Æneas ignauiæ timoríſque ſuſpicionem, tendit ad Regiam, ad quam maior & acrior Græcorum pugna.

EXPLICATIO.

[a] HAc ecbaſi animum paulum auocat à ſæua clade, vt amorem ſuum erga patriam indicet, quo mori ſæpius pro illa voluit, deuouens ſe periculis, nec vlli parcens occaſioni aut pugnandi aut moriendi, ſed fata aliter deſtinarunt, nam in tam acri pugna cædiúmque prodiga nuſquam mortem inuenit: quo veriùs credatur, extinctam patriam teſtatur, conuerſámque in cineres; tum etiam exitialem illam flammam, qua Troia arſit. Itaque ille nullam occaſionem cadendi aufugit, fata illum ſeruarunt, præ audacia meruit occumbere. Pergit *Diuellimur inde*, &c. Ex numero illo coalito & parua manu tres tantùm fuerunt ſuperſtites, Æneas, Iphitus, Pelias. Primus ſeruatus Deorum voluntate, alter æuo grandior, tertius tardatus vulnere, quod accepit ab Vlyſſe.

[b] Diuulſi à templo Mineruæ pergunt ad Regiam Priami, vocati clamore oppugnantium propugnantiúmque pro illa: adeo ille magnus, vt longiſſimè exaudiretur, quod mirum in tanto pugnandi ardore, ſonantibus ad aures vicinis gladiis, & flammis horrendum crepitantibus. Ibi verò adeo ingens pugna, vt nihil cum ea poſſes conferre in reliqua ciuitate. ibi Mars indomitus, eò feruidi ruebant Græci, ibi obſeſſum limen militari teſtudine.

NOTÆ.

Iuramētum per cineres.

1. ILIACI CINERES, &c.] Par iuramentum apud Senecam Troadib. vbi Hecuba teſtatur *patriæ cineres*. Propertius lib. 4. eleg. 12. *Teſtor maiorum cineres tibi Roma colendos*. Stat. lib. 5. Theb.

—cineres iuraſſe ſepultos.

Suetonius de claris Orator.

iura per patris matríſque cineres, qui inconditi iacent.

Horat. Od. 8. lib. 2.

——matris cineres opertos Fallere.

Seneca Rhet. lib. 1. Controu.

Ergo fame morientem videbo, per cuius cineres iuraturus ſum.

Itaque hoc iuramentum frequentiſſimum, cui ſimile per oſſa defunctorum. Firmant Tibullus, Ouidius, Propertius. Primus lib. 2. eleg. 7.

Per oſſa.

Parce per immatura tua precor oſſa ſororis.

Alter in epiſt.

Per tamen oſſa viri ſubito malè tecta ſepulcro.

Tertius lib. 2. eleg. 20.

Oſſa tibi iuro per matris, & oſſa parentis.

Hæc iam alij libarunt. Non abludunt à toto hoc Maronis loco & obteſtatione Æneæ verba Liuij lib. 28. quæ placuit ſubiicere: *Philippus mœrebat quidem & angebatur, cùm ad omnia ipſe raptim iſſet, nulli tamen ſe rei in tempore occurriſſe, & rapientem omnia ex oculis eluſiſſe celeritatem ſuam fortunam. In concilio autem diſſi-* A *mulans ægritudinem, elato animo diſſeruit teſtatus Deos hominéſque ſe nulli loco, nec tempori defuiſſe, quin vbi hoſtium arma concrepuiſſent, eò quanta maxima poſſet celeritate tenderet, ſed vix rationem inire poſſe, vtrùm ab ſe audaciùs, an fugaciùs ab hoſtibus geratur bellum.*

2. VITAVISSE VICES DANAVM] Seruius explicat pugnas, quia per viciſſitudinem pugnabatur. non placet Iulio Scal. qui ſic potiùs, *vices, vulnera ſignificant, & cædes, vt quemadmodum vel percuſſerat, vel interfecerat, idem pateretur. vbi igitur ab Argiuis tantumdem fiebat operis ad pugnandum, eò Æneas ſeſe induebat.* Sed proculdubio Poëta ad ludum gladiatorum contendit. Eò nos ducit verbum *vito*, quod oppoſitum *peto*, ſicut & *vitationes* & *petitiones*. in arena enim ita pugnabatur, vt pene expectato alterius ictu. Conſentiunt iſta cum explicatione Scaligeri, & Seruianam B euertunt. Eſt & alia Seruij explicatio hæc: *Legimus etiam pœnas vices dici.* Firmat ex Horatio lib. 1. Odyſſ. 28.

Vito, & Peto in ludo Gladiatorio.

—Debita iura vicéſque ſuperbæ Te maneant ipſum.

Frigidum hoc.

3. ET SI FATA FVISSENT, VT CADEREM, &c.] Videtur mihi Poëta contendiſſe ad locum Homeri, qui ait fuiſſe fatum, vt Æneas ſeruaretur. Locum alibi adduco.

4. DIVELLIMVR] Hoc verbum contrarium verbo *conſero* in ſignificato bellorum. qui ineunt pugnam, dicuntur conſerere; qui inde recedunt, & ab inuicem ſeparantur, diuelli: iuuat hanc coniecturam, C vtrunque in re ruſtica contrarium eſſe, dices enim *conſerere, & diuellere arbores.* Ergo, qui ſuprà *conſerimus*, hîc iam *diuellimur*.

Confero, & Diuello oppoſita.

5. QVORVM IPHITVS ÆVO IAM GRAVIOR] Seneca in Furen. *Tardúſque ſenio graditur Alcidæ parens.* His affectibus excitatis à peculiaribus cauſis non ſunt diſſimiles illi, quos Ouidius excitat ab aliis, cùm ait Penelope:

Tres ſumus imbelles numero, ſine viribus vxor,
Laertéſque ſenex, Telemachúſque puer.

6. PELIAS ET VVLNERE, &c.] Adi Agell. lib. 9. cap. 12. Quod verò hic Poëta, *tardus vulnere*, dupliciter extulit Liu. 21. de Scipione: *grauis vulnere erat.* Et *dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret.*

7. HIC VERO] Vocem *verò* in hoc loco exiſtimo reſpondere Græco δ, diſcretione quadam: qui enim dixerat ingentem turbam confluxiſſe ad templum D Mineruæ, nunc quaſi diſcriminans, ait, multo plures ad Regiam conueniſſe.

8. PVGNAM, CEV CETERA NVSQVAM BELLA FORENT] Pugnæ, & belli adducit etymon Caſſiod. lib. 1. Var. epiſt. 20. his verbis: *inter ipſos quoque aduerſarios, vt ſcitis, non erant priùs armata certamina: ſed pugnis ſe quamlibet feruida laceſſebat intentio; vnde & pugna nomen accepit. Poſtea Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & Bellum placuit nominari. Conſilium atrox, crudele præſidium, ferina certatio.* Eruperunt iſta Caſſiodoro, vt multa ſcribentibus ſolent erumpere ipſo feruore calami. Nam quis bellum ab Rege Belo? niſi quis putet ſcriptorem Gotthicum alluſiſſe ad Iouem Belum, ſub quo gens ferrea poſt aureum Saturni æuum. Sed in hac quoque re turbatæ fabulæ.

In hoc certè Virgilij loco nullo discrimine videntur inducì pugna, & bellum.

9. DANAOSQVE AD TECTA RVENTES] Vulgo tropus agnoscitur in voce *tecta*, neque abeo. Sed quid si propriè accipias cum pulchra quadam collusione, quales multæ in Virgilio, inter tecta & limen. perinde ac si dicat: Ruebant Græci ad tecta, credentes statim occupaturos se summa fastigia; sed hærebant tamen in limine, vbi alij Græci, vbi militaris testudo, aliæque machinæ ad irrumpendum. Vox *ruentes* ducta ἀπὸ τοῦ χειμάῤῥου, veriùs ἀπὸ τῶν χειμάῤῥων. Plures enim hinc inde torrentes vnum in locum solent confluere: ita Græci è diuersis Troiæ viis vnam in regiam ruebant, & regis capiendi, & explendæ auaritiæ causa.

Testudo militaris.

10. OBSESSVMQVE ACTA TESTVDINE LIMEN] Militarem attingit machinam, quam Græci χελώνην, id est, *testudinem* vocant, & συνασπισμὸν, *clypeorum innexionem & cratem*, id est, ἀλληλαλλήλους ἀσπίδας. Diodorus Siculus συνασπισμὸν ab Heroibus inuentum fuisse bello Troiano scribit, in quo alludi ad Homericum illud Iliad. 23. Turn. opinatur.

> *Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ:*
> *Clypeus itaque clypeum firmabat, galea galeam, virum vir.*

Erat ergo militaris testudo, qua se milites operiebant crate perpetua clypeorum aduersus sagittas, & missilia omnia super se cadentia. Latin. Pac. Paneg. *densissima circum supraque cooperti virorum armorúmque testudine sensim, atque ad numerum mouebantur.* Liu. lib. 44. *sublatis supra capita scutis continuisq; inter se testudine facta subibant.* Addit Herodianus non solùm scutorum, sed hastarum quoq; in altum sublationem. sic enim lib. 2. ἀναλαβόντες οὖν τὰς πανοπλίας, καὶ φράξαντες αὐτοὺς οἱ στρατιῶται εἰς φάλαγγος σχῆμα, ὡς εἰ δέοι καὶ πολεμήσοντες, ἐν μέσοις αὐτοῖς ἔχοντες τὸν ἴδιον βασιλέα, ὑπέρ τε τῆς κεφαλῆς αἰωροῦντες τὰς ἀσπίδας, καὶ τὰ δόρατα, μήπου καὶ λίθων τις βολὴ ἀπὸ τῶν δωμάτων ἐπὶ τῇ πομπῇ γένοιτο: *induti armaturas milites, circumseptiq; vndique facta testudine, vt si res posceret, dimicarent, receptoq; in medium imperatore suo. clypeis hastisq; supra capita elatis, vt tutiores forent, si fortè lapides è tectis mitterentur, ea dum fit pompa.* Plutarchus demum in Ant. demissionem militum in genu. Vltimorum tantùm, vt ex eius descriptione hac apparet. αὐτοὶ δὲ καθέντες εἰς γόνυ προὐβάλλοντο τοὺς θυρεούς. οἱ δὲ ὄπισθεν ὑπερέχον αὐτῶν τὰ ὅπλα,

A κἀκείνων ὁμοίως ἕτεροι: *ipsi autem demissi in genu clypeos opposuerunt, quos texerunt qui à tergo erant superiectis armis, hos item alij:* atque inde ait factam ὄψιν θεατρικὴν, theatralem quamdam speciem, tutissimam defensionem ad sagittarum lubricationes. Sed hanc partem distinctiùs Liuius lib. 44. his verbis: *Scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis, & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant.* Simillima est descriptio Ammiani lib. 26. coniungo omnia. Machina hæc ortum habuit à Troiano bello, quod possem ostendere non ex Diodoro solùm, sed ex Calabro lib. 11. Paralip. nisi plures essent versus; ea milites cooperiebantur, vt ex Pacato; fiebat ex conti-
B nuatis scutis, vt ex Liuio; hastæ item tollebantur supra capita, vt ex Herodiano; milites vltimi in genu procumbebant, quo lubricatior testudo, vt ex Plutarcho, & Liuio. Demum ea erat huius machinæ fortitudo, ὥστε καὶ βαδίζειν τινὰς ἐπάνω αὐτῆς, καὶ προσέτι καὶ ἵππους, καὶ ὀχήματα. Verba sunt Xiphilini in Augusto, id est, *vt homines suprà illam ire possent, sed & equi agi, & vehicula.* Addam hîc παλίωνα Græcorum reddi posse *testudinem:* Auctor mihi Vulcanius, qui sic reddit in Agathia. *est testudo textum quoddam è viminibus ad tecti instar confectum, impenetrabile quidem præ densitate, & circumquaque obtectum, vt vtrinque lateribus deorsum porrectis subeuntes circumdet: pellibus verò desuper & coriis omni ex parte iniectis machinam obtegunt, vt munitior sit telaq; repellat.* In Agathia παλίων habetur. Itaque quamuis his verbis plutei & musculi
C describantur, & Suidas Agathiæ παλίωνας explicet è iuncis, coriis, pellibúsque confectos, non video cur nequeat defendi Vulcanius, qui testudinem maluit vertere; cùm forma pluteorum, & vsus in militia non abeant à testudine; tantùm materia alia. Sed quia Poëta hîc testudinem determinat ad obsessum limen, sciat lector duplicem fuisse vsum testudinis apud Romanos; vnam, qua vrbes, & regia obsidebantur, de qua ait Poëta, & Ammianus lib. 26. & plures: Alteram, quæ formata in patentibus locis, vbi Romani pares esse non poterant hostium multitudini. De qua re clarus locus Flori cap. 10. lib. 4. *Deletæ reliquæ copiæ forent, nisi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam sorte, quasi docti procubuissent in genua milites, & elatis supra capita scutis cæsorum speciem*
D *præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit.* De hac re loquuntur & Plutarchus in Antonio, & Appianus de bello Parthico.

Testudinis duplex vsus.

[a] Hærent parietibus scalæ: postesq; sub ipsos
Nituntur gradibus: clypeósque ad tela sinistris
Protecti obiiciunt, prensant fastigia dextris.
[b] Dardanidæ contrà turres, ac tecta domorum
Culmina conuellunt. HIS SE, quando vltima cernunt,
Extrema iam in morte, parant defendere telis:
[c] AVRATASQVE trabes, veterum decora alta parentum,
Deuoluunt [d]. alij strictis mucronibus imas
Obsedere fores, has seruant agmine denso.

ARGVMENTVM.

Oppugnatur, & defenditur regia.

EXPLICATIO.

a CONstituit ante oculos viuam imaginem oppugnatæ regiæ. Quippe oppugnatores, qui
E per scalas ascendunt, proteguntur clypeis, quos gestant sinistris manibus ad excipienda missilia; dextris contra prensant summa, hærentque.

b An aliquid morte & extrema necessitate potentius? hac instante omne opis genus aduocatur. Turres ipsæ, & valida alioqui propugnacula diruuntur, vt præsenti fato occurratur. Hæc proculdubio mens

poëtæ, nimirum euerti ad salutem, quæ saluti quoque necessaria erant. Præterea diruunt omnia *extrema iam in morte*, nam cui illa reseruarent?

c Superiora ad salutem pertinuerunt. iam hic alia est ratio ad maximam doloris significationem. En quid potest necessitas (libens hanc vocem pro morte vsurpo, quæ Tacito frequentissima) qua instante diruuntur, quæ ornamento sunt & dignitati, quæque facta ad iactantiam & ostentationem.

d Regiæ ergo defensio bipartita. alij in summo turres conuellunt, & conuulsas deuoluunt: in imo alij præsidio sunt foribus, vbi assistunt nudis mucronibus, & denso agmine, vt rem gerant, si hostes irrumpant. Hi enim sunt, de quibus Poëta infrà, patefactis iam portis,

Armatosq; vident stantes in limine primo,

NOTÆ.

1. HÆRENT PARIETIBVS SCALÆ] Hoc Tacit. 13. Ann. *Scalas mœnibus admouere.* & 15. *promouere scalas & machinamenta.* Liuius lib. 41. *cùm scalas ad mœnia erexisset.* Vegetius lib. 4. cap. 27. *appositis scalis.* Eurip. in Suppl. προσβαλών. & in Phœniss.

—προσφέρειν
Πύργοισι πηλῶν κλιμάκων πρὸς ἀμβάσεις.

Vtrumque possis explicare per *admoueo*, vt & verbum Plutarchi, qui lib. de superstit. κλίμακας προστιθέντων. Quod verbum Plutarchus à Thucydide accepit lib. 4. vbi κλίμακα προσθείς. Cedrenus ita. κλίμακας προσερείδειν. & κλίμακας προσάγειν. Cæterùm imaginem belli huius vide in Thucydide lib. 3. vbi Platæenses muros ascendunt.

Gradus in ædibus principum.

2. GRADIBVS] Hinc colligi in edito ianuam fuisse, gradibúsque ad eam aliquot ascendi, quod hodie etiam videmus in optimatum ædibus, regiisque principum, Turnebus ait, quod nos firmamus verbis Suetonij in Vitel. cap. 15. *statimq; pro gradibus Palatij apud frequentes milites cedere se imperio, quod inuitus recepisset, professus*, &c. & versu Iuuenalis Sat. 3.

A *—nam si gradibus trepidatur ab imis.*

Nescio enim an cum interprete possis accipere tabulata. Et auctoritate Senecæ epist. 84. *Præteri istos gradus diuitum & magno aggestu suspensa vestibula.*

3. CLYPEÓSQVE AD TELA, &c. Quod hic Poëta, repræsentat Euripides in Phœniss. versu isto,

Ἀνεῖρφ' ὑπ' αὐτὴν ἀσπίδ' εἱλίξας δέμας:
Ascendebat sub ipsum clypeum conuoluens & contrahens corpus.

4. DARDANIDÆ CONTRA TVRRES, &c. Simile genus pugnæ Herodian. narrat lib. 1. εἴς τε τὰ δωμάτια ἀναβάντες, λίθοις, καὶ κεράμοις ἔβαλλον τοὺς ἱππεῖς: id est, *euasere in tecta, atque inde lapidibus tegulisque equites desuper incessebant.* Agathias lib. 1. in Cumarum obsidione: *Aligerni verò milites è muris ad inter media tur-*
B *rium spatia collecti, nihilo segniùs iacula teláque retorquentes propugnabant, saxa ingentia manibus in subeuntes mittebant, & truncos, & secures, & quicquid opportunum vsui videbatur.* Tacit. lib. 2. Hist. *legionarius pluteis, & cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contrà Prætoriani dispositos ad ipsum molares ingenti pondere, ac fragore prouoluunt. Pars subeuntium obruti: pars confixi & exangues, aut laceri.* De oppugnatione Hadrianopolis Ammianus lib. 31. vbi oppugnatores *sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis, & columnarum fragmentis, & cylindris.*

5. HIS SE QVANDO VLTIMA CERNVNT, EXTREMA IAM IN MORTE PARANT, &c.] Nihil in extrema calamitate putat reseruatum. inde hîc auratæ trabes, turres, tecta diuelluntur pro tuenda salute. Applaudit mirè locus Quintiliani declamat.
C 368. *ipsorum sepulcrorum ruina, si possem, hostem repellerem: tecta in subeuntes, & sacra, quin etiam templorum fastigia, desperantium tela sunt. Certum est omnia licere pro patria.*

6. AVRATASQVE TRABES] Simili affectu dictum à Tacit. lib. 3. Hist. in expugnatione Capitolij: *Ambustasq; Capitolij fores penetrassent, ni Sabinus reuulsas vndique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset.*

a INSTAVRATI animi Regis succurrere tectis,
Auxilioq; leuare viros, vimq; addere victis.
b Limen erat, cæcæq; fores, & peruius vsus
Tectorum inter se Priami, postesq; relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & auo puerum Astyanacta trahebat.
c Euado ad summi fastigia culminis, vnde
Tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
d Turrim in præcipiti stantem, summisq; sub astra
Eductam tectis, vnde omnis Troia videri,
Et Danaûm solitæ naues, & Achaïca castra,
Aggressi ferro circum, qua summa labantes
Iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis
Sedibus, impulimusq;: ea lapsa repentè ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaûm super agmina latè
Incidit. ast alij subeunti: nec saxa, nec vllum
Telorum interea cessat genus.

ARGVMENTVM.

In eam se Æneas per pseudothyron, quà erat vsus per-
D *uius à domo Hectoris ad Priami, quàm citissimè confert: eo hortatore, & adiutore turris magna in hostes præcipitatur cum ingenti exitio.*

A

EXPLICATIO.

a Innuitur propugnatores defecisse à virtute, nam instaurati, id est renouati animi Æneæ ad succurrendum tectis, ad leuandos viros auxilio, ad addendam vim victis. Hac frequentatione satis innuit deficientem hunc animum. In verbo *instaurati* considera magnum ducem Æneam. Troiani alij aut cadunt, aut resistunt suo quisque loco. Hic vnus totam vrbem peruolitat, & à conflictu templi Mineruæ, vnde extracta est Cassandra, quo labore alius defecisset, se parat ad nouam defensionem regiæ, ac tanto abest, vt deficiat, vt etiam nouas vires capiat semper alacris, semper paratus.

b Explicat, vnde habuerit aditum ad regiam, cùm hæc obsessa, occurrens προληπτικῶς obiecto. Per *cæcas fores* intelligit pseudothyrum: per *postes relictos*, relictum spatium, cùm domus ædificaretur, vbi ostiũ fieret, ita Seruius: per *vsum peruium inter se*, ædes Priami & Hectoris non discretas, qua facta consideratione, tecta bene dicuntur esse peruia, non ita bene, si diuersæ sint ædes. Explicat postea quam ad rem fuerit iste vsus peruius. vt videlicet per eas fores ferret se Andromache cum paruo filio, quem manu trahebat, ad soceros, vt illis nepotem exosculandum daret, qua vna re perfundi ingenti lætitia aui solent. B

c Ergo per pseudothyrum viam inuenit Æneas, & ascendit ad fastigium regiæ. Dicta omnia cum emphasi, nam *miseri*, & *irrita*, & *iactabant*. quibus ostentatio quædam defensionis, non vera defensio indicatur, mera vtique iactantia. C

d In versibus qui sequuntur, docet me Virgilius, quî debeam similes narrationes exornare circumstantiis, affectibus, aliísque: ne illæ insipidæ, & inefficaces; sed vigentes, acres, viuidæ. Placet itaque latiùs quàm soleo, versus istos expendere. Ergo hanc turris conuulsionem præcedit locus, vbi sita, stabat enim in præcipiti: altitudo, nam educta summis tectis vsque ad astra, ὑπερβολικῶς: vsus, nam inde Troia omnis solebat conspici, Græcorum naues, & castra. Hoc habito signatur instrumentum, quo conuulsa, videlicet ferro: deinde pars illa, qua vis facta, scilicet, tabulata summa dabant iuncturas labantes, id est, faciles iam ad solutionem, sic enim facilius negotium. Demum conuellitur sedibus, impellitur in hostes, edit sonitum, trahit ruinam, incidit in militum agmina. Quæ hæc diuersarum rerum imago! Hæc præcipua sunt: sed adhuc adiice res duas, primo laborem in euertendo, deinde affectus magnos: laborem, nam omnes aggrediuntur, & funduntur circum, operam partiti, omnes conuellunt, omnes impellunt. quantus hic sudor! affectus, nam turris ea concidit, quæ ipsi regiæ præsidium, quæ spectanda altitudine, fundamentis firmissima, Regibus & vni Priamo frequentata, vnde ille spectare vrbem suam solebat, naues, hostes; demum conuellitur non ab hostibus, sed ab ipsis met Troianis, qui opes suas diruunt, præsidia euertunt. quid his miserius? Est in fine, *ast alij subeunt*, &c. quo vnicè repræsentatur militaris ardor. Non enim terrentur Græci; nam tot suorum millibus sepultis, tanquam nihil illis simile possit accidere, ascendunt supra præcipitatam turrim, gloriosi cùm se videant lucratos spacium aliquod, altiores à terra, & fastigio Regiæ propiores. Demum expende rectè istum conatum & ardorem induci, quia scilicet homines euertunt. Laudo itaque Nonnum, qui lib. 2. Iouem inducit euertentem scopulos modico tantùm flatu, Ζεὺς ὀλίγον φύσησε. D E

NOTÆ.

Cæcæque fores] Explicui ψευδόθυρον cum Nannio, qui tamen ψευδοθύριον vult efferẽdum. Ea voce vsus Cicero 4. in Verr. Orosius lib. 7. cap. 6. Ammianus lib. 14. Græci alij vocãt ὀπισθόδομον, quam vocem videtur reddere poëta infrà, cùm ait, *postes relicti à tergo*. Tacitus. 3. Hist. & Liuius libris. 4. & 26. *auersam portam* dixerunt, Plautus *posticulum*, Petronius *posticulam*. Adiice ex obseruatione Iunij, dici à Plutarcho παράθυρον, à Galeno κηπαίαν. Sententiam integram ita idem Liuius lib. 39. *postico, quod deuium maximè, atque occultissimi exitus erat*. Et Cedrenus, λάθρα δι' ᾗ πολίδων κλέπτοντες: *Occultè & furtim subducunt se per portulam*. Ea verò forma dictæ *cæca fores*, qua venti ab Lucretio lib. 1. *cæca corpora*. qua ab nostro lib. 1. *vada cæca*. & de apibus *spicula cæca*. & lib. 3. *cæcis vndis*. & 6. *cæca vestigia*. quibus omnibus locis intellige quid ἀόρατον, id est, *quod nequit cerni*, quódque est occultum. sed hoc è triuio. Cæcum, de rebus multis.

2. Tectorum inter se Priami] Vide vt explicui. Nescio enim qua lubentia feror, vt intelligam vnas & easdem fuisse ædes Priami, & Hectoris, quæ tamen Priami fuisse dicantur à Poëta κατ' ἐξοχήν. Fuerunt vnæ, nam Poëta nihil discriminans ait, *tectorum inter se*. quî potuit magis adunare? Hoc posito intelligamus, Andromacham vxorem Hectoris versatam in gynæceo, vt moris fuit æui illius, discretæ enim erant à viris fœminæ, & per pseudothyrum ingredi solitam ad soceros.

3. Postes] Græcè παραστάδες, ex ligno, aut saxo sunt, qui ab vtroque latere, supernè item & infernè seruiunt ædificio portarum. dicti postes, quasi post ostium stantes: inde signato verbo Vitruu. lib. 6. cap. 11. *postes supponentur*, dixit. Ergo postis quadruplex, non duplex, vt nostri vulgo Grammatici. Vitruu. clarè lib. 10. cap. 21. de quopiam Agetoris Byzantij opificio loquens, ait: *Arrectaria, quæ supra compactionem erant quatuor collocata, ex binis tignis fuerant compacta*. Ac ne hic per *Arrectaria* aliud putes à postibus, Gulielmus Philander in suo ad Vitr. indice, sic ait, *Postes compactiles*, refertq; ad locum illum, quem adduxi. Iunius etiam postes *arrectaria portarum* nominat. Postium vsus duplex: qui sunt supernè atque infernè deseruiunt cardinibus portarum, quas retinent: qui ab vtroque latere, excipiunt repagula, & feras: cui rei deseruire quoque possunt bini alij, quod sæpe in multis ædibus obseruauimus. Non negauerim hoc loco pro foribus accipi postes à Poëta, quod & Germ. monuit, idque ad Lucretij imitationem, qui lib. 3.

Postes, vnde dicti. Postis quadruplex. Arrectaria. Postiũ vsus duplex.

Iam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus, sublatis postibus ipsis.

4. Relicti a tergo] Vix credas, quàm multi coniunxerint has voces *tergum relinquo*. Hi sunt Symmachus, Ammianus, C. Pedo, Spartianus, Prudentius, Claudianus, alter Plinius, Ennodius, Sidonius: hos omnes coniunxit Iuretus lib. 1. in Symmachum epist. 88. vbi integra affert. Posset etiam vti Lucano lib. 2.

Ergo vbi nulla fides rebus post terga relictis.

Sed quidem cùm omnes dixerint *relinquere post tergum*, vnus Maro à vulgo abiens *à tergo* voluit, & mirum è tantis fuisse neminem imitatorem Virgilij.

5. Ferre] Pari phrasi, qua hic Poëta *ferre se*, vsus est Propertius lib. 1. eleg. 18. *Sic mihi te referas*.

6. Incomitata] Vsus hac voce cum affectu Lucret. lib. 6.

Incomitata rapi certabant funera vasta.

Incolumes. *Incomitem* dictum à Veteribus Festus adnotat. A

7. AD SOCEROS] Donat. Priamum, & Hecubam capit; sic alij fere interpretes. Germanus tantùm vult capi Priamum, Euripidis imitatione, qui in Andromacha, cùm vnicum generum intelligat, generos tamen dicit voce multitudinis. ait enim,

—παρὼν δὲ πρὸς παρόντας ἐμφανῶς
Γαμβροὺς διδάξω, καὶ διδάξομαι λόγους:
—*Præsens verò ego præsentes palam*
Generos docebo, & discam sermones.

Atque iterum, Neoptolemum tantùm intelligens, ait: σοῖσι γαμβροῖς, *tuis generis.* Ex hac itaque imitatione paratior & expeditior Virgilij defensio. Nam qui Hecubam capiūt, quî capiāt, viderint; cùm nunquam socerū pro socru vsurpent Latini Auctores. Nisi quis B dicat, quod non abhorrens, Virgilium hâc sibi licentiā assumpsisse, vt vnum è principibus linguæ Latinæ, quibus sæpe data potestas similis. Et in hoc inclinans Poëta ait, *ad soceros & auos.* Quasi dicat, veniebat ad Priamum & Hecubam, sed præcipuè ad Priamum, cùm ferebat nepotem.

Astyanactis nomina. 8 ASTYANACTA] Hunc alij Nesium, alij Scamandrum, aut Scamandrium vocant. monuit Delr. in Troad. Senecæ. extremum in Dicty inuenies lib. 3. Bel. Troi. Volaterranus lib. 13. *Astyanax quasi vrbis princeps, appellatus antea proprio nomine Scamandrus, Hectoris filius & Andromachæ.*

9. TRAHEBAT] Obseruat Germ. in Paral. Poëtam voluisse repræsentare familiarem matribus morem, & actum pupos trahendi potiùs quàm ducendi, renitente videlicet infantili imprudentia, & infirmitate; metaphora ducta ab onus trahentibus, nam & Eusthathius in Il. 7. notauit, ὀχέειν ὀϊζὺν, *trahere ærumnam,* dictum ab Homero ad eundem modum, quo etiam, ὀχέειν νηπιάας, id est, νηπιότητας, *infantias trahere.* Lusere porro ad imitationem Virgilianam Statius semel. 3. Theb. Claudianus bis, tum. 3. Raptus, tum paneg. 4. Honorij: quæ loca, vt præoccupata, omitto.

10. VNDE OMNIS TROIA VIDERI] Est hoc quod Liuius lib. 10. *vnde in omnes partes conspectus esset.* Dictum verò cum magno affectu, turrem illam dirui, vnde conspici solita à Priamo Troia, naues, castra. Simili affectu locutus Liuius lib. 25. in euersione Syracusarum. Apud quem Marcellus videns ex edito loco subiectam vrbem, illacrymat, cùm subiret cogitatio, illam momento horæ arsuram, rediturámque in cineres. Virgilij locus sumptus est ab Homero 13. Il.

—ἔνθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη,
Φαίνετο δὲ Πριάμοιο πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν:
—*inde apparebat tota Ida,*
Apparebat Priami ciuitas, & naues Achiuorum.

& lib. 21. ait,

Εἱστήκει δ' ὁ γέρων Πρίαμος θείου ἐπὶ πύργου:
Stabat autem senex Priamus diuina in turri.

Ait Modicius cap. 26. turrem Homericam non esse eandem cum Virgiliana. Nam Homerica est ad portam Scæam, Virgiliana in regia. Homericam describit etiam Seneca in Troadib.

Est vna magna turris è Troia super,
Adsueta Priamo, cuius è fastigio,
Summisq; pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies.

Apollonius excid. Hierosl. lib. 3. Virgilium æmulans,

—*magno pulsabat vertice cælum*
Artis opus miræ, vnde omnis Iudæa videri
Posset.

C Similem Virgilianæ descriptionem de turri quapiam inuenies lib. 5. Sibyllinor. carm.

11. EA LAPSA REPENTE RVINAM, &c. Ammianus lib. 20. de turre, quæ oppugnabatur, euersa: *Qua sonitu lapsa ingenti, superstantes quoque repentina ruina deiecti, diffractiq;, vel obruti, mortibus interiere diuersis & insperatis.* Neque dubium quin ad Virgilium conformauerit hanc narrationem Ammianus vel ex sequentibus istis: *Telorum omne genus in subeuntes effundebatur.*

[a] Vestibulum ante ipsum, primóque in limine Pyrrhus,
Exultat telis, & luce coruscus ahena.
[b] QVALIS VBI in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis nouus exuuiis, nitidusq; iuuenta
Lubrica conuoluit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.
[c] Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon: vnà omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina iactant.
[d] Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesq; à cardine vellit
Æratos. iámque excisa trabe firma cauauit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.

D

ARGVMENTVM.

Describitur, & comparatur Pyrrhi ferocitas sæuientis ad portam: illum alij comitantur: ipse verò princeps omnium limen rumpit, postes vellit, fenestram in portis aperit.

EXPLICATIO.

[a] MAximum facinus apertæ regiæ, ac perinde expugnatæ, nulli potuit meliùs attribuere, quàm Pyrrho propter paternas inimicitias & vltionem. Explicat verò ardorem, & animi, & armorum Pyrrhi. Animi; nam *ante ipsum vestibulum*, & primo in limi-

in limine, & quidem exultabundus: armorum, nam A totus coruscabat *telis,& luce ahena*, id est, luce ahena telorum, est enim ἓν διὰ δυοῖν.

b Apta comparatio ad explicandam tum ferocitatem Pyrrhi, tum lucem armorum: nam anguis senecta posita tum ferocior est, tum nitidior. Comparationem ita digerit. Talis est Pyrrhus, qualis coluber, qui hyeme sub frigenti terra latuerat pastus herbas noxias: aduentante vere in lucem exit, exuuias ponit, iuuentutem recuperat, conuoluit terga, attollit pectus ad solem, micat lingua; hanc, ex velocitate motus, triplicem vocat ac trisulcam, ideo signatius, *linguis*.

c Adiungit comites Pyrrhi, & omnes cum elogio. Aderat illi vnà *Periphas*, qui *ingens*: deinde *Automedon* qui *Achillis armiger*, eiúsque *equorum agitator*: tertiò, B aderant Pyrrho, qui è Scyro insula illum in bello comitabantur: hos elogij loco *pubem* vocat, ad illorum audaciam signandam, robúrque iuuentutis. Quid verò isti? *Succedunt tecto*. Propriè accipio, isti enim per scalas iuere ad regiæ fastigia, quo facto *iactant flammas ad culmina*.

d Quatuor hic fiunt à Pyrrho, rumpuntur limina, velluntur postes à cardine, cauatur robur portarum excisa inde trabe, aperitur ingens fenestra lato ore. Quo verò extremum clarius & illustrius sit, in tribus primis præcedit difficultas, quæ victa: limina enim sunt dura, postes ætati, robur firmum. adhæc quàm propriè limina dicuntur rumpi, postes velli, robur cauari. Poëta è vulgo mirè ineptiret stante Pyrrho pro foribus cum ingentibus animis, & militari ardore.

NOTÆ.

Vestibuli etymon.

1. VESTIBVLVM] Dictum, quòd Vestæ sacrum (aliud etymum, quòd ianuam vestiat, quia nec intelligo, nec velim, prætereo) Ouid. 6. Fast.

Hinc quoque vestibulum dici reor, vnde precamur:
Quæ famur, Vesta est, quæ loca prima tenet.

Agellius lib. 16. cap. 5. vestibulum esse ait, *non ipsis in ædibus, neque partem ædium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus accessúsque ad ædes est.* adiuuat vox Græca πρόθυρον, quam pene expressit Plau. Mostellar. *videri vestibulum ante ædes, & ambulacrum cuiusmodi?*

2. LVCE CORVSCVS AHENA] Ita Homer. lib. 7. Il.

Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἄπο λαμπομενάων:
Splendor aheneus lucentium galearum.

Pindarus Od. 11. Pyth. loquens de gladio, πολιῷ χαλκῷ: *candente ære*, & Eurip. Androm. Φαεννοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις: *Herus micans armis fulgentibus*. Cur ahena dixerit Virgilius loquens de armis, alij etiam ante illum, fusè explicat Magius lib. 3. Miscel. cap. 3. referens ad inopiam ferri, quæ in illo æuo: qua factum vt ærea, aut ahenea arma, essent in vsu, interdum stannea, supplente firmissima temperatura æris stannive mollem naturam. Adi illum. Dici etiam potest, poëtas suo iure æs accepisse pro ferro. Apud veteres certum est fuisse æs in magno pretio, vtebantur enim diuites æneis poculis. inde illorum repositoria χαλκοθῆκαι dicta.

Ahenea arma.

3. QVALIS VBI IN LVCEM, &c.] Sumptum est ex Il. 22. vbi Græcus vates.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ', ἔδυ δέ τέ μιν χόλος αἰνός,
Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν ἑλισσόμενος περὶ χειῇ:
Vt autem draco in lustro montanus virum exspectat
Pastus mala venena, subijtq; ipsum ira grauis,
Toruúmque tuetur conuoluens se circa latibulum.

Huic comparationi Poëta addidit nouitatem serpentis, nitorémque iuuentutis depositis exsuuiis. Silius lib. 17. longè vtroque inferiùs,

Qualis in æstiferis Garamantum fœta veneno
Attollit campis ferventi pastus arena
Colla Paratonius serpens, latéque per auras
Vndantem torquet perfundens nubila tabem.

4. MALA] Reddit Homericum, βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα. Propriè & signatè vterque vates. Κακὸς enim Græcis, & *malus* Latinis pro venenato & noxio sumitur. Quod Germanus astruit ex Tibullo, qui, Malus pro ve[nenato.]

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.

atque ex Nicandro, qui mentham, quæ olfacta muliebrem conceptionem corrumpat, vocat κακήν. Et ego ex eodem Nicandro, qui in Alexiphar. taxum, quam ipse facit venenatam, κακὴν nominat, atque ex Platone lib. 3. Reip. vbi ἐν κακῇ βοτάνῃ: *in herba noxia.* & ex Vegetio lib. 3. cap. 2. *malæ aquæ potus, veneno similis, pestilentiam bibentibus generat.* id est, potus aquæ noxiæ. & ex Propertio,

Et mala desertos occupat herba Deos.

Nota etiam Brodæi apta est ad hunc locum. Ad explicandam ferociam colubri aptè inducitur pastus, qui, quo peior, eo serpens efferatior est. Aduocat ille Pausaniam, Aristotelem, Plinium. Ait primus in Bœot. venenum violentius fieri in serpentibus ex pabuli natura. Probátque, nam ait, audiuisse à quodam Phœnice homine, ὡς ἐν τῇ ὀρεινῇ τῆς Φοινίκης ἀγριωτέρας τὰς ἔχεις ποιοῦσιν αἱ ῥίζαι: *in montana Phœniciæ parte radicum quarundam pastu viperas magis efferari.* C Alter lib. 8. hist. Animal. cap. 29. Πάντων δὲ χαλεπώτερα ἐστὶ τὰ δήγματα τῶν ἰοβόλων, ἐὰν τύχῃ ἀλλήλων ἐδηδοκότα, οἷον σκορπίον ἔχεις: *Omnium venenatorum morsus grauiores sunt, si alterum ederit alterum, vt vipera scorpion deuorans.* Tertius lib. 11. *Vespæ serpente auidè vescuntur, quo alimento mortiferos ictus faciunt.* His apparet, cibum vehementer conducere ad ferocitatem, atque adeo aptè Poëtam suo angui, quem ferocientem inducit, dedisse pro cibo noxia, & venenata gramina. Serpentium cibus.

5. GRAMINA] Gramen hîc pro qualibet herba sumi, neque tãtùm signari ἄγρωστιν Victorius admonet lib. 6. Var. c. 16. Gramen pro quacunque herba.

6. TEGEBAT] Plin. lib. 8. cap. 23. verbo *occulto* vsus est. Arist. 8. Hist. Animal. cap. 15. verbis, φωλέω, & φωλεύω. ait enim: φωλεῖ δὲ καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἐναίμων: *Condunt* D *se multa sanguinei generis.* & statim. Ὄφεις ἐν τῇ γῇ φωλεύουσι: *serpentes latent in terra.* Cùm ait *tumidum*, veneno intelligit, à quo tumor. Stat. lib. 5.

—tumidi stat more veneni
Spuma virens.

Nam, vt bene Seneca ep. 42. de serpente, *dum riget frigore, non desunt illi venena, sed torpent.*

7. NVNC POSITIS NOVVS, &c.] Serpentis exuuium Græci vocant λεβηρίδα. inde parœmia; κενώτερος λεβηρίδος: *Leberide inanior.* Tertull. lib. de pallio, *serpens, quod sortitus est, conuertit corium & æuum, siquidem, vt senium persensit, in angusta se stipat, paritérque specum ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuuijs ibidem relictis, nouum se explicat, cum squammis &* E *anni recursantur.* Plin. lib. 8. cap. 27. *Anguis hiberno situ membrana corporis, fœniculi succo impedimentum illud exuit nitidúsque vernat.* Theophylactus in cap. 10. Matth. ὁ ὄφις στενῇ τινι ὀπῇ περισφιγγόμενος, καὶ διεξερχόμενος ἀποδύεται τὸ παλαιὸν δέρμα: *circumgyrans se serpens per angustum foramen ac transiens exsuit pellem veterem.* Adeundus Arist. lib. 8. hist. Animal. cap. 17. Dignum est animaduersione, serpentibus laceratos oculos iterum subnasci, & caudam quoque amputatam denuo renasci, quod memoriæ prodit idem Aristo

Serpentis exsuuium. Leberide inanior. adag. Oculi serpẽtibus renascuntur.

Aristoteles lib. 2.c, 17. Ceterùm verba Xiphilini in A Nerone locum hunc illustrant. Προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου λεβηρὶς περὶ τὸν αὐχένα τοῦ Νέρωνος παιδίου ἔτι ὄντος εὑρεθεῖσα παρέδωκε τοῖς μάντεσι λέγειν, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος μεγάλην λήψεται. *Progrediente verò tempore, propter exuuias serpentis ad ceruicem Neronis pueri inuentas,* Serpentis spoliū quid significet. *vates prædixêre eum ab homine sene magnam potentiam accepturum.* sic verè accidit, imperium accepit Nero à sene Claudio. ergo Virg. aptè serpenti exsuenti senium Pyrrhum comparat, ad cuius vim & potentiam senis Priami ventura Regia. imo, qui Regem esset interfecturus, quo interfecto florentissimum Asiæ imperium esset periturum, & dignitas transferenda ad Græcos. De hoc vernantis anguis, seniúmque exsuentis nitore capienda credo illa Accij in Pelopidis,

Eius serpentis squammæ squallido auro & purpura
Prætextæ.

cui accinit Stat. lib. 5.

—Auratæ crudelis gloria frontis
Prominet.

est illi sermo de serpente. Quod Latini de angue *ponere exsuuias*, dicunt, Græci γῆρας ἐκδὺς, Nunc ante oculos Xiphilinus dicto loco, & Aristophanes in Irena. Rectè ait Isidorus cap. 4. lib. 12. longissimam serpentum ætatem conferendam ad hanc renouationem. Adagium. Notetur adagij forma vsurpata Nazianzeno epistola ad Greg. Nyssenum; loquens enim de hæreticis, ait, τῷ ἔαρι θαῤῥοῦντι τῶν φωλεῶν ἐξερπύζοντες: *veris amœnitate freti prorumpunt ex latebris.* Alludit ad serpentes, nam postea συρίζουσιν, *sibilant.* & alia ad hanc rem. Parœmiam quoque aliam Cedrenus affert dignam, quam obserues. χειμῶνος ὄντος δεῖ τὸν ὄφιν ἀποκτεῖναι: *serpens hyeme necandus est.* Affértque rationem, C nam tunc se nequit commouere, facessit verò negotium Adagium. ἡλίῳ θαλφθεὶς: *calefactus sole.* Notetur etiam locustas, & cancros marinos exsuere crustam, vt serpentes spolium, quod tradit Arist. in eodem opere cap. 17. lib. 5.

8. Nitidvsqve ivventa] Hunc nitorem per aurum & purpuram Accius explicat in Pelopidis. *Eius serpentis squammæ squallido auro, & purpura prætextæ.*

9. Convolvit svblato pectore terga] Statius hercle præclarè dixit. 5. Theb.

Terrigena exoritur serpens tractúque soluto
Immanem sese vehit, ac post terga relinquit.

& ideo à Iul. Scal. laudatus, & explicatus: motus enim reptilium fluctuabundus est, constans expulsu pri- D mùm, mox tractu.

10. Ardvvs ad solem] Papin. 4. Theb. nostrum æmulans,

Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus, iam lætus, & integer artus,
Vt primùm strepuere tubæ: ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, & squalentibus annis
Exsutus, lætísque minax interuiret herbis.

11. Lingvis micat ore trisvlcis] Ita enim in ore serpens vibrat linguam, vt tres esse videantur. Seneca in Medea:

trifidámque linguam exsertat.

Statius in Theb. 5.

Liuida fax oculis, tumidi stat more veneni.
Spuma virens: ter linguà vibrat: terna agmina adunci
Dentis.

Ducitur metaphora à sulco, vt etiam in fulminibus, quæ trisulca, & bisulca Poëtæ appellant. boníque interpretes Græcorum πῦρ δίπαλτον, τρίπαλτον, quod propriè *ignis vibrans*, vertunt, *ignem bisulcum, trisulcum.* Plin. lib. 11. cap. 37. vtranque vocem adiungit. *Linguæ non omnibus eodem modo. Tenuissima serpentibus, & trisulca, vibrans, atri coloris.* Notentur Artemidori verba cap. 69. lib. 4. διπλῆν γὰρ ἔχει τὴν γλῶτταν ὁ δράκων: *Duplicem enim linguam Draco habet.* Serpentis duplex lingua. vbi non poëticè lo- B quitur, sed ex vero id astruit: sicuti neque fortasse Plinius in adducto loco. Obiter notes verba adducta Statij, *terna agmina adunci dentis.* Itaque Draco non solùm trisulcus lingua, sed etiam dentibus. De eodem Philostratus iunior in Iconib. τριστοίχους ὀδόντας. Sed de hoc iam antè Aristoteles.

12. Vna ingens Periphas] Periphantis mentio nonnulla Homero, præsertim 5. Il. vbi illum vocat πελώριον, & Spondanus ibi *ingentem* vertit. πέλωρ autem πέλωρος, πελώριος, de carnificina & immanitate frequenter sumuntur: vt iam videatur epithetum Maronis referendum ad magnitudinem cædium, quibus furebat Periphas. De Automedonte Il. 19.

Ἵππους δ' Αὐτομέδων καὶ Ἄλκιμος ἀμφιέποντες
C Ζεύγνυον:
Equos autem Automedon, & Alcimus curantes
Iunxerunt.

frequentissima aliàs mentio.

13. Scyria pvbes] Ouid.

Ignara tetigi Scyria membra manu.

quod de Pyrrho Achillis filio intelligit. pubem autem Scyriam vocat, quam Achilles, vel Pyrrhus ipse duxit ex Scyro insula Cycladum.

14. Flammasqve ad cvlmina iactant] In Epig. dicitur πῦρ ὀροφηφάγον, *deuorans contignationes, & culmina.* quod habet nonnullam similitudinem cum Maroniano.

15. Postesqve a cardine vellit] Ab Plauto, credo, qui in Amphit.

D *—vasto impete has fores toto conuolsit cardine.*

16. Cavavit] διορύττειν, & διαλέγειν ὀπὴν. extremam hanc locutionem, quæ non obuia, inuenies in Lysistrata Aristophanis. Operam, quam hîc Pyrrhus ponit in excindendis regiis foribus, ita adumbrat Apollonius lib. 2. in excidio Hierosolymorum:

Irrequieta ferit portarum obiecta securis,
Cardinéque obnixi tentant euellere postes
Ferratis Itali sudibus.

[a] Apparet domus intus, & atria longa patescunt,
Apparent Priami, & veterum penetralia Regum:
[b] Armatósque vident stantes in limine primo.
[c] At domus interior gemitu miseróque tumultu
Miscetur, penitúsque cauæ plangoribus ædes
Fœmineis vlulant. Ferit aurea sidera clamor.
[d] Tvm pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

e Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.

ARGVMENTVM.

Apparent interiora Regiæ: auditur luctus, & clamor fœminarum: Pyrrhi furore, & pulsu arietis ianua, postesque concidunt.

EXPLICATIO.

a CVm affectu omnia. Quale est videre regiam toti Asiæ formidandam, vnde iura pacis belique pendebant, in religione habitam (vt omnes regum veterum) subito vnius noctis incursu labefactari, dirui, euerti, & veluti profanam fieri, cùm, quæ intus latebant, hostibus fierent manifesta.

b Sunt hi de quibus suprà, *alij strictis mucronibus imas Obsedere fores.*

c Qui proximè viros laborantes constituit, stantésque in armis pro regia; iam fœminis gemitum, plangores, & clamorem attribuit. Gemitum sequitur plangor, qui altior; hunc clamor, qui sonantior, ideo hic *ferit astra.* vocula *penitus* respondet τῷ *interior.*

d Ab gemitu, plangoribus, clamoribus, transit ad pauorem, quo trepidæ fœminæ occupant quæ possunt remedia, cassa omnia & frustranea; errant per ædes, adhærent postibus. Verè scripsit Tacitus 3. hist. loquens de Vitellio, naturam pauoris esse, vt metuenti præsentia omnia displiceant, ad alia atque alia remedia occupanda. Ita Virgilianæ fœminæ præ pauore huc & illuc errant.

e Notant interpretes dicta hæc inuidiosè in Achillem, atque in Pyrrhum, quasi filius, nihil vnquam, nisi more patris violenter gesserit, & crudeliter. Adeo verò incubuit Pyrrhus, vt nulla res eius impetum & impressionem sustinuerit. Sequitur *labat ariete*, &c. Ruina procedit ordine. Suprà vulsi tantùm postes à cardinibus, iam ab iisdem emoti procumbunt: ianua suprà excauata est, & fenestra facta; iam hic cadit, addito nouo machinamento, videlicet perpetua arietis pulsatione.

NOTÆ.

Appareo, verbum gestuosum.

1. APPARET] Admonet Iul. Scaliger verbum *apparet* gestuosum esse, inde bis repetitum.

2. AT DOMVS INTERIOR GEMITV] Ait Macrobius, locum sumptum ab Ennio de Albano excidio, & quidem versus ipse totus Ennij est lib. 2. Annal. Sanè in Liuio, cùm is narrat Albanum excidium, multa simillima huic Troiano: inter alia hæc: *vocésque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipuè, cùm obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent Deos.* Tum illa: *Conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrymas.* Ab hoc lugubri habitu non abit ille, quem Dionysius factum narrat, imminente Coriolano excidio vrbis. ibi enim eiulatus mulierum cooritur, ædes personant gemitibus, tollitur ingens clamor. Quo enim iure interpretes Virgiliũ ad Albam conuertunt, possunt alij ad ipsam Romam. Possunt & alij ad Carthaginem, in cuius versione paria Troiano excidio in Appiano inuenies.

Cauædium.

3. CAVÆ PLANGORIBVS ÆDES] Hîc cauædium inaui aiunt Turneb. & Germ.

A 4. FOEMINEIS VLVLANT] Luctus, clamor, querelæ, eiulatus, & flebilia omnia huic sexui attribui solent, vt qui promptus ad lacrymas, & querimonias. Stat. 5. Theb.

Fœminarum proprius eiulatus.

—Resonant vlulatibus ædes
Fœmineis. Horat. Od. 16. Epod.

muliebrem luctum. Cic. Tusc. *Heu virginalem me ore ploratum edere.* Archilochus γυναικεῖον πένθος: *Dolor fœmineus.* Philostratus in Heroicis, cùm præmiserit θρῆνον ὀξὺν, καὶ ἀθρόον, *luctum acutum, & iugem.* vt explicet, quis luctus hic, subiicit, καθάπερ γυναικῶν ὅμιλος: *qualem solent edere turba mulierum.* & lib. 2. Sophist. οὐδὲν θῆλυ, οὐδὲ ἀγεννὲς ἀνεφθέγξατο: *nullam emisit vocem muliebrem, & degenerem.* Pacuuius in Nitris:

Conqueri fortunam, non lamentari decet,
Id viri est officium: fletus, muliebri ingenio additus.

De Troianis signatiora illa Eurip. Troadib.

B Πολλοῖς δὲ κωκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων
Βοᾷ Σκάμανδρος:

Multis eiulatibus captiuarum
Resonat Scamander.

Sed cùm omnia hæc complotamenta fœminarum sint, tum præsertim vlulatus, vt apparet & ex Nostro hic, & ex adducto Statio, atque etiam ex Græcis: Aristophanes Lysistrata, de fœminis, τίς ἡ ὀλολυγά; *quis hic vlulatus.* Homerus,

Vlulatus fœmineus.

Αἱ δ᾽ ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέσχον:
Omnes cum vlulatu manus ad Palladem protendebant.

Eustathius clarè, ὀλολυγὴ, ἡ τῶν γυναικῶν εὐχή.

5. FERIT AVREA SIDERA CLAMOR] Totus hic locus simillimus est Virgiliano illi in 11.

Iam verò in tectis prædiuitis vrbe Latini
Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctus.
Hic matres miseræq; nurus, hîc clara sororum
C *Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi*
Dirum exsecrantur bellum.

Non abeunt hæc Tacit. 4. Hist. *vbiq; lamenta, conclamationes, & fortuna captæ vrbis.*

6. TECTIS INGENTIBVS ERRANT] Præclarè quasi in summa confusione, & extremo exitio nullum esset in Regia discrimen, sed per ingentes ædes errarent fœminæ. Græci domum in duas partes distribuebant, nam qua viri sine fœminarum interpellationibus versabantur, *andronitida*, & *androna* appellabant; vbi versarentur fœminæ, *gynæconitida*: sic est: nam seorsim à viris illæ operam dabant lanificio & textrinæ. Lege de hac re Vitruuium. Athenæum lib. 1. Philostratum lib. 1. de vita Apollonij. Herodotum lib. 5. vbi γυναικηΐην nominat. Igitur in summa perturbatione mulieres non in sua solùm gynæconitide sunt, sed omnia lustrant, nec vllus tutus locus.

Domus in partes duas diuisa. Andronitis, Gynæconitis.

D Ita Liuius de excidio Albæ: *Nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, vltimum illud visuri peruagarentur.* Sed redeo ad discrimen ædium. Statuit Plato lib. 7. Leg. separationem fœminarum à maribus debere fieri statim μετ᾽ ἑξέτη, *post annos sex.* Manauit mos hic à Græcis in Romanos. inde isti *ædes* dixerunt numero multitudinis, signantes domos duas. Ita tamen manauit vt (debes hoc Godescalco in lib. 1. Veg. cap. 7.) fœminæ apud Romanos primam ædium partem tenuerint, cùm Græcarum Gynæconitis fuerit in intima ædium parte. Inde tu lucem Virgilio dabis, qui clamantes fœminas statuit in interiore ædium parte

Fœminæ à viris separatæ.

Ædes cur dictæ in plurali.

parte, sequutus Græcum morem. Inde signata verba Arnobij lib. 2. vbi loquens cum Romanis: *matres familiæ vestræ in atrijs operantur domorum, industrias testificantes suas.* Discrimen hoc refer ad probos mores matronarum Romanarum, ita enim erant pudicæ, vt tutæ essent in prima ædium parte: Græcæ contrà non tutæ erant, nisi in intima.

7. AMPLEXÆQVE TENENT, &c.] Duplicem morem attingi hoc versu non tam interpretes Virgiliani, qui strictè nimiùm, quàm viri alij doctissimi, aperiunt; in his sunt Pitheus, Lipsius, Turnebus, Germanus, Gifanius, aliíque. Qui in perpetuum relinquebant domum, solebant salutare limina, quod facit adolescens Charinus apud Plaut. in Mercat.

Salutatio liminis.

Limen superum & inferum salue, simul autem vale,
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

Hoc faciunt mulieres Troianæ, quæ se in captiuitatem abreptum iri suspicantur; deosculantur, & amplexantur postes: qua forma dicunt extremum vale. Adiungo Dionis testimonium lib. 41. vbi enim sermo illi habetur de iis, qui vnà cum Pompeio vrbe abierunt, sic ait. τούς τε γὰρ θεοὺς ἀνεκάλουν, καὶ τὰ δάπεδα κατεφίλουν: *& Deos implorabant, & deosculabantur pauimenta.* Apud Euripidem in Phœniss. Polynices ita loquitur, μέλαθρα χαίρετε, *valete ædes.* Medea quoque apud Apollon. 4. Arg. abitura,

Κύσε δ' ἑόντε λέχος, καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν,
Σταθμούς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο.
Osculabatur lectum suum, fores geminas,
Postes, & contingebat parietes.

Liminis religio.

Deinde putabant veteres religionem inesse, & numen in ædibus, postibus, cardinibus, liminibus, parietibus: inde amplexatio & osculatio religionis venerationísque signa. Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Liuius lib. 45. de Prusia Rege assentante Romanis, ita scribit, *Romæ quoque, cùm veniret in curiam, summisisse se, & osculo limen curiæ contigisse, & Deos seruatores suos senatum appellasse.* Arnobius lib. 1. *cùm per omnia sup-*

A *plices irent templa, cùm Deorum ante ora prostrati limina ipsa conuerrerent osculis.* Qua in religione haberentur postes, præsertim templorum, satis docet Valerius Max. lib. 5. cap. 10. vbi loquitur de Horatio Puluillo. Iisdem pene verbis rem eandem Seneca de consolat. ad Martiam. Eidem argumento seruiunt flores, & coronæ quæ ab amatoribus postibus & liminibus forium imponebantur: item lucernæ, aliáque permulta, quæ non nisi in religione, & rebus sacris fiebant. Ergo Troianæ fœminæ in extrema calamitate ad postes confugiunt tanquam ad numen aliquod, sic se tutas fore existimantes. Quamuis vterque hic mos & abeuntium, & venerantium verus sit, tamen simpliciter quoque capi Poëta potest; hæc enim vis timoris est, vt occupet remedia quæ potest, quamuis inania. sanè morituri amplexari omnia solent, & manibus apprehendere, sic fœminæ præsente iam fato, B & vocante morte, hærent parietibus, & postibus, inde salutem spectantes. Ita Apollonius lib. 2. de fœminis Hierosolymitanis in excidio florentissimæ vrbis.

Postes in religione.

Timoris vis.

Morituri quæuis remedia occupant.

—postibus hærent
Complexæ, & summo prohibent à cardine velli.

Huc pertinent verba Ammiani in clade simili lib. 25. *Per omnia ciuitatis membra vna vox cunctorum erat gementium, cùm laceraret crines matrona exsul fuganda laribus, in quibus nata erat, & educata.* & post pauca, *turba flebilis postes penatum amplexa, vel limina, lacrimabat.* ita & Lucret.

—foribus miser oscula figit.

8. LABAT ARIETE CREBRO IANVA] Nihil dico de hac machina militari in tanta aliorum luce, præsertim Lipsij in Poliorcet. & Godescalci in lib. 4. Veget. vide apud istum plures militaris arietis typos. C Videtur mihi Apuleius lib. 3. isto verborum complexu, *video quosdam sæuissimos latrones aditum tentantes, & domus ianuas cardinibus obtortis euellere gestientes; claustrísque omnibus, quæ accuratissimè adfixa fuerant, violenter euulsis, secum iam de inhabitantium exitio deliberantes,* voluisse repræsentare operam, quam hic nauat Pyrrhus in diruendis regiis foribus.

[a] Fit via vi: rumpunt aditus, primósque trucidant
Immissi Danai; & latè loca milite complent.
[b] NON SIC, aggeribus ruptis cùm spumeus amnis
Exiit, oppositásque euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo, campósque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. [c]. vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminósque in limine Atridas.
[d] Vidi Hecubam, centúmque nurus, Priamúmque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat, ignes.
[e] Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
[f] Barbarico postes auro, spoliísque superbi,
Procubuêre, tenent Danaj quà deficit ignis.

D

ARGVMENTVM.

Perfractis iam omnino portis irruunt in Regiam Danai: horum furor comparatur cum flumine abripiente quicquid est obuium, ac deuastante omnia. Ad aras confugit imbellis sexus: concidunt thalami liberorum Priami, postésque Regiæ superbissimi.

EXPLICATIO.

[a] ISTA omnia παθητικῶς. nam quæ hîc carnificina custodum? quis ille armatorum globus irrueret in regiam? via ferro aperitur, rumpuntur aditus, trucidantur miseri, regia occupatur externo milite.

[b] Apta comparatio. *Non amnis furens cumulo sic fertur in arua, trahítque armenta cum stabulis per campos omnes,*

omnes, cùm spumeus exiit aggeribus ruptis, euicitq́; gurgite moles oppositas. Apta (inquam) nam amnis furens cumulo, Danai sunt: rupti aggeres, claustra regiæ rupta: moles oppositæ, custodes milites cum ferro: armenta, Troiani miseri: stabula, tota regia: spumans aqua, spumans cruor. Itaque qua licentia amnis furens ruit, trahit, rapit omnia; pari Græci. Et signatè Poëta *amnis*, non fluuius, aut flumen: amnis ab circum nando dictus, *an* enim præpositio ab ἀμφὶ ducitur, & tunc amnis dicitur, cùm variè errat tortis flexibus. Sic Græci non directo cursu regiam peruadunt, sed errant per totam regiam, atria, cubicula, explorantes omnia.

c Ab initio ibi fuerat Neoptolemus, (is idem qui Pyrrhus) non Atridæ, vt ex superioribus liquet: sed quidem omnis moles belli ad regiam confluebat, vt ex qua directa victoria penderet.

d Existimo quæsitam artificiosè oppositionem ad excitandum affectum. videt enim Hecubam, nurus, senem Priamum; qui priùs viderat Pyrrhum furentem cæde, & Atridas geminos. vide quantùm distet ab horum furore illorum imbecillitas. Ait *Neoptolemum cæde furentem* alludens ad comparationem *amnis fertur furens cumulo.* vterque enim furit, amnis cumulo, Græcus cæde. Ait de Priamo, *sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat ignes.* Quòd nimirum (ait Turnebus) ad eam aram sacratus esset ignis peruigil ac perpetuus. Hunc ignem fœdat Priamus suo sanguine, quia turpat maculátque; aut, si mauis, extinguit. inde iam dirum omen.

e Vix capias affectum, ita eximius. Ruinam thalamorum sequitur spes prolis & nepotum, quæ futura erat magna ex quinquaginta liberis. ergo spes quoque prolis ruit. Quid si adiungas emphasin, τὸ *illi*, vt dicat, ruunt thalami illi magnificentissimi, celebratissimi, superbissimi. Potest esse hæc vocula vel in tertio casu cum relatione ad Priamum, vt dicat, erant illi Priamo quinquaginta thalami: vel in primo casu multitudinis, vt iam explicui. vt dicat, procubuêre quinquaginta illi thalami.

f Nihil reliquum fortuna fecit. ruût postes ædium magnificentissimarum superbi tum auro barbarico (hoc in Notis) tum spoliis deuictarum gentium. Demum eò res redacta est, vt multa igni conciderint, quibus vastatis ignis perinde cessabat, sed non ideo malum, nam statim locum occupabant Danai, hostes sæuissimi.

NOTÆ.

1. FIT] Nota verbi huius elegantiam, *Fit via*, pro facta est via, quod quamuis in aliis accidat, in hoc ita est frequens, vt nihil in eo frequentius. Ductum hoc ab Græcis. Enarrator Demosthenis, in eam, quæ inscribitur de falsa legatione, ita ait: τὸ γίνεται χρόνου ἐναλλαγή. ἔστι γὰρ ἀντὶ τοῦ ἐγένετο: *Fit, mutatio est temporis. ponitur enim pro factus est.* Quod mox firmat exemplo Thucydidis, qui ἐπαινοῦσι dixit, pro, ἐπῄνεσαν. *laudant, pro, laudarunt.* — Enallage temporis.

2. FIT VIA VI.] Ab nostro Liuius lib. 4. *Quacumq́; incedunt vi viam faciunt.*

3. IMMISSI DANAI] Aptissimè quasi ignis, flumen, ventus. inde statim comparatio fluminis.

4. NON SIC AGGERIBVS RVPTIS, &c. Cùm hic inducat amnem euertentem quicquid obstat, itérque impedit, non dubium quin hæserit Lucretio lib. 1. *Montibus ex altis;* &c. Sed omitto præoccupatum laborem, & adiicio Herodianum, qui paria lib. 3. politissimi interpretis ore: *Subitus impetu magno erumpit torrens, cursuq́; impedito, quòd munitio exitum prohibebat, maior iam violentiorq́; factus, quando artem superante natura, tantum impetum sustinere munitio non poterat, laxatis paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter sibi torrens patefecit.* Apud Plinium alterum amnis Anio lib. 8. epist. *nemora, quibus inumbratur, & fregit & rapuit, subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clausas, dum amissum iter quærit, impulit tecta, ac se super ruinas, euexit atque extulit.* De tyranno Thoma Cedrenus, ὥσπερ τις χείμαῤῥος ἐξ ὑψηλῶν ὀρέων ἐπελθών: *tanquam torrens irruens ex altis montibus.* — Comparatio fluminis.

5. FVRENS CVMVLO] Præclarè (quod vidit magnus Scaliger) id est furens fluctibus. Nam cumulus ἀπὸ τοῦ κύματος. Æquè bene Seruius, qui sic: *cumulo, exuberante fluctu.* Sic in 1. — Cumulus vnde dictus.

—*cumulo præruptus aquæ mons.*

Absint ergo nugæ illorum, qui cumulum dicunt propriè dici de mensuris, quæ σωρεύονται. In mensuris iam tralatio est, non proprietas. Ita Cassiodorus lib. 5. epist. 17. *marinarum cumulos vndarum.* Ita Eugippius in vita Seuerini cap. 15. *Cùm ex more fluuius creuisset in cumulos.* Debes Lector Eugippij editionem M. Velsero. Quod Noster & alij *cumulo*, Philostratus in Heroicis eleganter dixit flexu alio. θάλαττα ἀνοιδήσασα ἐμυκᾶτο, ἀρθεῖσα λόφῳ μεγάλῳ: *Mare intumescens mugiebat, sublatum magno lopho.* videtur fieri allusio ad militares cristas, quæ supereminent, istæ enim lophi Græcis, aut earum coni.

6. CENTVMQVE NVRVS] Cur infrà dicit, thalamos quinquaginta filiorum, cùm hic centum nurus assignet? Ego sic euaserim, vt vel hic nurus pro fœminis accipiam, quod frequens, nulla habita ratione ad matrimonium, & thalamos. itaque separatus est sermo Poëtæ, nam hîc ait, centum fœminas (numero fortasse finito, pro indefinito) confluxisse ad Hecubam, mox narratione alia, concidisse thalamos quinquaginta. vel, si nurus propriè accipiam, & cum relatione ad thalamos quinquaginta, dicam, vnicuique liberorum duas fuisse vxores. hoc enim quî dedecens, cùm & ipse Priamus multas habuerit? sed quid si hæ nurus sunt filiæ ipsius Hecubæ? nam infrà, — Virgilius defenditur.

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum, &c.

Quod affine notæ alteri, quam iam dedi de socero & genero, quæ voces transeunt ad alia significata. Dici etiam potest, verè fuisse Hecubæ centum nurus, quia centum liberi, sed non omnes in regiis ædibus, nam in his tantùm erant thalami quinquaginta. Sed istæ, vt dixi, euasiones sunt, & effugia. Expecto, qui me doceat. dicuntur verò centum ad plures significandas.

7. SANGVINE FOEDANTEM] Ab Ennio in Andromacha

———*vidi*
Iouis aram sanguine turparier.

Est hoc quod Aristophanes in Lysistrat. βωμὸς πεφοινιγμένος. Noster in 10. *sanguine turpantem capillos.*

8. QVINQVAGINTA ILLI THALAMI] Firmat hoc Homerus 6. Il. vbi etiam numerantur πεντήκοντα θάλαμοι. in quibus παῖδες κοιμῶντο Πριάμοιο, *cubabant Priami filij.* Priamus item ipse ad Achillem vltimo Il. Πεντήκοντά μοι ἦσαν, ὅτ' ἤλυθον υἷες Ἀχαιῶν: *Quinquaginta mihi erant, quando venerunt filij Achiuorum.* & Eurip. in Troad. vocans Priamum, πεντήκοντ' ἀρότορα τέκνων, *quinquaginta liberorum seminatorem.* Demum Dictys. 3. excidij Troi. *se diuersi partus quinquaginta filiorum patrem beatissimum Regum omnium habitum.* Diffident aliqui, & minorem assignant numerum. Seneca indefinitè ore Hecubæ, *liberûm magni greges.* vt verò Vir- — Priamo liberi quinquaginta.

rò Virgilius, *spes tanta nepotum*, ita ab illo Propertius lib.3.eleg.22. A

—hic ampla nepotum
Spes.

9. NEPOTVM] Cùm hæc vox sæpe indefinitè significet posteros, hîc tamen propriè accipitur, vt in Ouid.

Prima fuit thalami mihi cura, secunda nepotum.

& iterum,

Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes,
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.

Barbari propriè Phryges.

10. BARBARICO] Phrygio, vt interpretor. Phryges enim propriè dicebantur barbari, quod etiam video admonuisse Scaligerum in Coniectan. & inde ait, Aristotelem, cùm is præficarum meminit, dixisse, esse institutum barbaricum, quia videlicet præficæ inuentum est Phrygum, qui propriè barbari. quæ dixi firmat Turnebi auctoritas lib.9. cap.18. & Delrij in comm. ad Senec. & Germ. qui hic in Virgilio *barbaricum aurum*, Phrygium capiunt. Firmant hoc alij ex Horatio, cui 9. Od. epod. *carmen barbarum*, est Prygium; ex eodem, qui *duello barbariæ*, id est, Troiæ. ex Tullio, qui in Tuscul. *astante ope barbarica*, ex vetere Poëta, id est stante imperio Phrygum. Ego in Aristidem incidi, qui ita Troianos vocat, cùm ait in.2. Platonica βαρβάρων ὁ Πάρις μαλακώτατ☉: *barbarorum Paris ignauissimus.* In Isocratem, qui in Paneg. loquens de Homero, πολεμήσαντας τοῖς βαρβάροις ἐνεκωμίασε: *laudauit eos, qui barbaros oppugnarunt.* In Plutarchum, qui ad Apollonium, βαρβαρικὰ πένθη, *luctus barbaricos*, id est Troianos, vt apparet ex subiecto Homeri versu. Idem de audiendis Poëtis, cùm præmiserit, multos Troianos venisse viuos in Græcorum potestatem, nullum Græcum in potestatem Troianorum, subiicit: supplicare & vinci proprium esse βαρβαρικȣ̃, sicut vincere ἑλληνικȣ̃. In Sophoclem, qui in Aiace, βάρβαρον Φρύγα. In Philostratum, qui in Heroicis loquens de Troianis, Ἕλληνας κρατεῖν βαρβάρων. In Demosthenem, qui ἐν τῷ ἐρωτικῷ, discriminans Græcos à Troianis, clarè ait, τȣ̀ς Ἕλληνας, καὶ τȣ̀ς βαρβάρȣς. Sed dubitet quispiam, patrium aurum barbarum Æneas dixisset? Placet solutio Germani, qui ait, vocem hanc apud ipsos barbaros non fuisse inuidiosam. Nam apud Eurip. in Iphig. Thoas de sua gente, & Hector apud eundẽ in Rheso, de sua vt de barbara loquuntur & sic nominant. In Pers. quoque Æschyli passim Persæ, Persarúmque Reginæ de sua gente loquentes, vsurpant βαρβάρȣς, καὶ βάρβαρον στρατὸν, καὶ βαρβάρȣς νῆας: *barbaros, exercitum barbarum, naues barbaras.* Addo Eurip. in Troad. apud quem Hecuba Phrygum Regina sic ait contra Helenam,

—προσκυνεῖσθαι βαρβάρων ὑπήθελες:
—adorari à barbaris voluisti.

id est, Phrygibus, & de Paride filio, ait,

—βαρβάροις ἐσθήμασι,
Χρυσῷ τε λαμπρὸν:
—Barbaris vestibus,
Et auro insignem.

Quin & Maro ipse.11. Æn. de Chloreo ait,

Fortè sacer Cybele Chloreus, olímque Sacerdos
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Barbarũ pro precioso.

Nimirum postquam dixerat, Phrygia illum armatura ornatum. Sed & aliter explicari Poëta potest: aurum barbarum vocat, id est, pretiosum, eximium, præcipuum, & quale erat Phrygium: Phryges enim ea tempestate opibus, & auro abundabant: itaque, vt barbarus ætate Demosthenis (ait Turn.) dicebatur Persarum Rex, propter auri vim, quam habebat: sic qui de bello Troiano scripsêre, Phryges intellexerũt barbaros. Ad hæc, Barbari omnes in præcipua Gaza aurum reponunt, inde prodigij loco de Britannis scribit Herodianus lib.5. illos ventrem, atque ceruicem ferro incingere, existimantes magnum id esse ornamentum, atque argumentum diuitiarum, ὥσπερ τὸν χρυσὸν οἱ λοιποὶ βάρβαροι: *vt aurum ceteri barbari.*

B 11. SPOLIISQVE SVPERBI] Sic lib.7.

Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captiui pendent currus, curuaq; secures
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra
Spiculáque, clypeiq; ereptáque rostra carinis.

Spolia ad postes domorum.

Nam Romani solebant suos postes ornare hostium spoliis. Liuius lib. 38. *& cætera spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis.* Silius lib.6.

—Vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

idem de Regulo,

Affixi Clypei currusq; & spicula nota
Ædibus in paruis, magni monumenta triumphi.

C Tibull. lib.1. ita ad Messalam,

Te bellare decet terra Messala, mariq;
Vt domus hostiles præferat exuuias.

Propertius lib.3. ad Mæcenatem,

Cùm tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Cicero in Anton. *An tu illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cùm aspexisti, domum tuam intrare te putas?* Polybius. ἐν ταῖς οἰκίαις κατὰ τȣ̀ς ἐπιφανεστάτȣς τόπȣς τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιȣ́μενοι, καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς: *in ædibus conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia, & testimonia suæ virtutis.* Monuerunt, firmarúntque Turn. lib. 14. Adu. cap. 11. & Lips. ad Polyb. lib.5. de Militia Rom. Ad quem morem multa nos alibi. Nunc placuit magnorum in re litteraria principum labor. D ἐ γὰρ αἰδὼς ἔχεσθαι τῶν ἰχνῶν τῶν δυνατῶν.

12. TENENT DANAI QVA DEFICIT IGNIS] Cum his alludit illud Agathiæ lib. 4. in nocturna inuasione, & igne. οἱ μὲν γὰρ οἴκοι μεμενηκότες ἐπυρπολȣ̃ντο, ἢ κατεχώννυντο. τοῖς δὲ πρὸς τὰ ἐκτὸς διεκπίπτȣσιν, ἑτοιμότερ☉ ὁ ἐκ τῶν ξιφῶν ὄλεθρ☉ ἐφειστήκει: *Qui enim domi manserant, concremabantur, vel ædibus obruebantur; qui verò è domibus proruebant, iis paratior ab ensibus interitus imminebat.* Verbum *tenere* aptè hîc (est hæc notula in Symbolis) significat enim per vim occupare. Cicero in Vatin. *tenere templum armatis hominibus.* Ad Attic. lib.10. *Existimat eum, qui mare teneat, necesse esse rerum potiri.*

[a] Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.
[b] Vrbis vbi captæ casum, conuulsaq; vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hostem,
Arma diu senior desueta trementibus æuo
Circumdat nequicquam humeris, & INVTILE ferrum

Cingitur,

Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
[c] Ædibus in mediis, nudóque sub ætheris axe
Ingens ara fuit: iuxtáque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque vmbra complexa penates.
[d] Hîc Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
PRÆCIPITES atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & Diuûm amplexæ simulacra tenebant.

ARGVMENTVM.

Rex ipse capta vrbe, & Regia armis induitur, moriendi studio. Describitur deinde ara, ad quam Hecuba, & filiæ confugerant.

EXPLICATIO.

[a] FEcerat iam semen sermonis huius in calce libri primi, vbi Dido rogitat de Priamo. Reginæ itaque vt satisfaciat, incipit narrationem de illo. Neque enim, euerso florentissimo imperio, fas præterire narrando imperij principem.

[b] Habet hæc oratio incrementum ad excitandum affectum. Vidisse Priamum vrbis suæ captæ ruinam & casum, graue fuit, atrox, sæuum: conuulsa limina tectorum, grauius, atrocius, sæuius: atqui iam grassantem hostem in ipsismet penetralibus regiæ, hoc scilicet grauissimum, atrocissimum, sæuissimum. Quod verò eius consilium ab hoc spectaculo? *Senior circumdat humeris* præ *æuo trementibus arma diu desueta*, sed hoc *nequicquam*; deinde *ferro incingitur*, id est, gladio (ponit materiam pro toto composito) sed *inutiliter*, & vnus cùm esset, *fertur moriturus in hostes densos*. Plena omnia παθῶν. illud *hostem medium in penetralibus* esse potest ὑπαλλαγὴ, pro, hostem in mediis penetralibus.

[c] Describitur ara Hercæi Iouis. Erat hæc *in mediis ædibus*. erat sub dio, nam hoc est *sub axe nudo ætheris*. Nam hic *axis* cælum est, vt lib. 8. *gelidiq; sub ætheris axe*. & in 4. *axem humero torquet*. monuit hoc Turnebus. Pergit vates. Erat *iuxta* aram *laurus*, & hæc ipsi *aræ incumbens*. & quia *veterrima*, in tantam magnitudinem excreuerat, vt vmbram satis multam præberet, qua magnam ædium partem complecteretur.

[d] Ad hanc aram iam Hecuba confugerat, vnà cum illa natæ, sed *nequicquam*: nam auerso numine, amplexabantúrque Deorum simulacra. Obiter comparationem adducit, quæ auget commiserationem & infelicitatem. vocem *condensæ* refero ad natas Hecubæ, non ad columbas, tametsi cum respectu ad has.

NOTÆ.

1. CIRCVMDAT] Sic Homer. ἀμφιβάλλεσθαι ὅπλα. & Eurip. πάνοπλα ἀμφιβλήματα τὰ τεύχη vocat.

2. HVMERIS] Huic loco, sicui, etymologia armorum conuenit, vides enim arma Priami humeris circumdata: vnde dicta illa sunt. Sextus Pompeius lib. 1. de verb. signif. *armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas existimant, quòd antiqui humeros cum brachijs armos vocabant, vnde arma ab his dependentia sunt vocata.* Seruius in 4. Æn. *Propriè arma sunt, quæ armos tegunt.* Festus: *Arma propriè dicuntur ab armis, id est, humeris, dependentia, vt scutum, gladius, pugio, sica, & ea quibus propius præliatur: sicut tela, quibus procul.* Inde Propertius lib. 4. eleg. 11. arma vo-

Armorum etymon.

A cat *spolia ex humeris*, versu isto,

Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini.

Est enim hæc armorum periphrasis. Idem eleg. 6. eiusdem libri, pharetram vocat, *onus ex humeris*.

3. INVTILE FERRVM CINGITVR] Homer. sæpe ξίφος μαψίδιον, *inutilem gladium*, & alij, βέλος ἅλιον: *telum inutile*. Phrasis Græca est. Ostendi alibi. Latinè dixisset, *cingitur ferro*. vt infr. *impulit his cingi telis*. Porro describit hominem ἀπόμαχον, *bello inutilem*.

4. AC DENSOS FERTVR MORITVRVS IN HOSTES] Mauult mori cum gloria Priamus, quàm pati seruitutem, & captiuus duci. Eurip. Hecub.

Mori in bello, quàm capi, gloriosius.

Τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος.
Viuere enim non honestè, ingens est labor.

B idem in Troad. de Troia non euersa,

—στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει
Καλῶς ὀλέσθαι, μὴ καλῶς δὲ, δυσκλεές:
—*gloria non turpis vrbi*
Fortiter periisse: non fortiter verò, ignominiosum.

iterum,

Τοῦ ζῆν δὲ λυπρῶς κρεῖσσόν ἐστι κατθανεῖν:
Vita calamitosa melior est mors.

Liu. 22. de Æmilio Consule ad Cannas mortuo, *Qui se bene mori, quàm turpiter viuere maluit.* Porro illi oblatus fuerat equus ad salutem, quem respuerat cupiditate moriendi in strage militum. & lib. 23. *Posthumius omni vi ne caperetur obnixus occubuit.* Nihil frequentius in ore Taciti, quàm multos suis manibus fatum gloriosè anteuertisse, ne aut turpiter vi-
C uerent, aut turpiter mori cogerentur. Cedrenus, μετ' ἀρετῆς ἀπολωλέναι τοῦ σεσῶσθαι ἀμαχητὶ δυσκλεῶς ἄμεινον: *melius est mori cum virtute, quàm seruari cum dedecore extra pugnam.*

5. ÆDIBVS IN MEDIIS, &c.] Describitur ara Iouis Hercæi, quæ in mediis ædibus in impluuio sub dio erat, nam hoc est, *sub nudo axe ætheris*, idque more Græcorum. Athen. lib. 5. Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαιθρίων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ ἑρκείου Ζηνὸς βωμός: *Homerus semper aulam constituit in locis subdialibus, vbi erat ara Hercæi Iouis.* Ad hanc Priamus interfectus est. Eurip. Troad.

Hercæus Iuppiter.

—πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις
Πέπτωκε Πρίαμος Ζηνὸς Ἑρκείου θανών,
Ad septa ipsa cecidit Priamus Iouis Hercæi mortuus.

D Dio Chrysost. orat. 11. Πρίαμον κατατρωθέντα παρὰ τοῦ Διὸς τὸν βωμόν. Ouid. in Ibim,

Nec tibi subsidio præsens sit numen, vt illi
Cui nihil Hercæi profuit ara Iouis.

Seneca in Agam.

Sparsum cruore Regis Hercæum Iouem.

Hæc ara intus erigebatur in ipsis ædium septis, & inde Iuppiter Hercæus dictus. ἕρκος enim Græcis septum est, & claustrum. sic fermè Pollux. inde est, vt Penates etiam vocentur ἑρκεῖοι θεοὶ, quod scribit Dionys. lib. 1. quòd videlicet in septis domorum colerentur. Redeo. Scribit Pausanias in Corinthiacis, apud Argiuos, in templo Mineruæ, Io-

uis Hercæi signum trium oculorum fuisse, his ferme verbis. *In æde Mineruæ cùm alia signa posita sunt, tum Iouis ligneum, oculos habens duos, qua in parte homini eos natura locauit, tertium verò in fronte. hunc illum esse Iouem Patrium tradunt, qui in Priami Laomedontis filij Regia sub diuo positus fuit: ad cuius aram dicitur Priamus capto Ilio confugisse. Obtigisse verò eum in diuisione prædæ Sthenelo Capanei filio, atque hoc ipso in loco ab eo in rei memoriam dicatum.* Hæc ille, qui mox aperit qui sint tres illi oculi: quòd nimirum Iuppiter crederetur in cælo regnare, in inferno, & mari. Scribit Porphyrius, seu quicumque ille est, in Homerum, quòd antiqui ædium partes Deis consecrabant, & interiorem partem Ioui Hercæo attribuebant. Adi Lilium. 2. Syntag. id ipsum ex Agatharchide in Asiaticis adducit Natal. lib. 2. Mythol. Scias hic apud alios, qui narrant historiam Priami, legi, hanc aram fuisse, non Iouis Hercæi, sed Mercurij. In his est Calab. lib. 13. qui ait sublatum Priamum Ἑρμείω ποτὶ βωμόν: *ad aram Mercurij.* & iterum in eodem lib. ἀμφὶς βωμὸν Ἑρμείω. quas lectiones agnoscit Germ. non Ἑρκείω. & Vrsinus versus istos Thryphiodori citans,

Αἰακίδης δ' ἔγρετο Νεοπτόλεμος βασιλῆα,
Πήμασι κεκμηῶτα παρ' Ἑρκείω κτάνε βωμῷ.
Neoptolemus Æacides senem Regem,
Malis fractum interfecit ad aram Hercæi.

Hos inquam citans ait, legendum Ἑρμείω *Mercurij.* Hinc est, vt viri docti inclinent, ad aram Mercurij interfectum Priamum. Mihi mens alia. Verè interfectus est ille ad aram Iouis, hunc enim Deum multi nominant: de quo etiam capiendi Calaber, & Tryphiodorus, etiam si Hermæum nominent, non Hercæum. ἕρμα *stabilimenta* sunt, & fulcra, sicut ἑρμάζω *fulcio, stabilio.* inde Ἑρμαῖ illæ Mercurij ex aggestu lapidum. hæ significationes non abeunt à significatione ἑρκῶν, *septorum.* Itaque si dicatur interfectus ad aram siue Hercæi, siue Hermæi, semper capiendus Iuppiter, nunquam Mercurius. Iuuat vehementer Tryphiodorus, qui ante adductos versus Iouem ipsum Hermæum vocat. ait enim. Κεῖσαι Ἑρμείοιο Διὸς μεγάλῳ παρὰ βωμῷ: *Iaces ad aram magnam Hermæi Iouis.* Hermæus igitur in hac signata Historia, Iouis epithetum est. Aliquis possit putare, Ioui quidem dicatam aram, sed ibi comitem fuisse Mercurium. Nam Poëta numero multitudinis, (Hermæus Iuppiter.)

Diuum amplexæ simulacra tenebant.

Sed quoniam in hac Nota feci mentionem statuarum, quas vocant Hermas Mercurij, dicam quid de illis sentiam. Sunt qui per illas intelligant aggestum lapidum, quibus desuper inserta Mercurij statua, pars (inquam) superna ab vmbilico vsque ad caput. Aliter puto. Verè Hermæ istæ erant, lapis quidam quadratus in triuiis, supráque illum caput Mercurij, nihil aliud. Ab hac quadratura Plutarchus in opere, *An seni gerenda sit Resp.* ædificium hoc vocat τετράγωνον. Et Vrsinus ait, viris principibus positos ad memoriam nominis huiusmodi lapides, mutatis tantùm capitibus, & hos lapides hodie Romæ videri, & in Græcia passim. Hinc Læuinus Iuuenalem explicat, qui notans nobilem, sed pauperem, scripsit. *Nil nisi Cecropides, truncoq́; simillimus Hermæ.* Statuæ istæ deiectæ Athenis ab Alcibiade nocte vnâ, periculum illi attulerunt. de qua re videndus Plutarchus, & Thucydides lib. 6. Firmantur quæ dixi pari more. Nam hic cultus aliis gentilium Numinibus exhibitus. Illud enim Tertulliani in Apolog. de Pallade Attica, & Cerere Farrea, *quæ sine effigie rudi palo, & informi ligno prostant*, Gretserus Noster lib. 2. de Cruce cap. 65. explicat adductis nummis, & palo & ligno informibus, supra quæ esset caput Dearum. (Hermę Mercurij, quæ.)

6. IVXTAQVE VETERRIMA LAVRVS] De more, quo arbores plantabantur iuxta aras & templa, religionis significatione, alibi loquor.

7. PENATES] Hic libentiùs Penates pro ædibus ceperim, ad eum modum quo sæpe Tacit. 3. Hist. ad finem. *Vtque erat in armis in Paternos Penates deduxit*, & lib. 2. Hist. *Nota & familiaria castra in modum Penatium diligebantur.* Liu. 21. *in diuersorio hospitali, quam apud Penates suos.* vbi diuersorium, & Penates opponuntur. Nisi quis dicat ad eam quoque aram Penates Deos fuisse. sed non certè hîc illorum locus. (Penates pro ædibus.)

8. HIC HECVBA, &c. Attingit morem veteribus vsurpatum, quo illi in summo discrimine ad aras confugiebant, & simulacra complectebantur, inde salutem sperantes. Suprà attigi, sed ibi tantùm de pœnis, quæ sequebantur violatores confugij, hîc de ipso more. Æschylus in obsidione Thebarum in ἑπτὰ. Βρετέων δ' ἔχεσθαι τί μέλλομεν ἀγάστονοι: *Amplecti simulacra quid debemus miserrimi;* atque etiam, ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι: *conatur simulacris aduolui.* Eurip. in Supplic. (Templorū confugium.)

—ἱερὰ τ' ἐξεπίμπλασαν
Φόβῳ.
—*sacraq́; compleuerant*
Metu.

idem in Androm.

—δειμαλέμένη δ' ἐγὼ
Δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον
Θάσσω τόδ' ἐλθοῦσ', ἄν με κωλύσῃ θανεῖν.
—*ego verò territa*
Ædibus proximum Thetidis sacellum
Assideo huc confugiens, si me mori prohibeat.

loquitur Andromacha: iterum eadem,

Πρὸς τόδ' ἄγαλμα θεᾶς ἱκέτις περὶ χεῖρε βαλοῦσα:
Ad hanc Deæ statuam manus supplex circumposui.

Cui tamen confugium hoc quærenti sic superbissimè minatur Hermione,

Οὐδέν σ' ὀνήσει δῶμα Νηρῇδος τόδε,
Οὐ βωμὸς, οὐδὲ ναὸς, ἀλλὰ κατθανῇ:
Nihil te iuuabit ædes hæc Thetidis,
Non ara, non templum, sed morieris.

Demum cùm inde noluit cedere Andromacha, fiunt minæ à Menelao interficiendum natum, quem à Pyrrho susceperat, nisi cedat: adeo gentibus religiosum fuit, & verendum confugium hoc ad aras, vt nihil timeret Andromacha sacris assidens, minæque fierent, vt inde recederet, nam vetitum ibi violari. In eadem Tragœdia sic loquitur Hermione in summa rerum desperatione: τίνος ἀγαλμάτων ἱκέτις ὁρμαθῶ; *Ad cuius simulacra supplex accedam?* Apud Herodotum lib. 3. capta Babylone dolo Zopyri, ciues ἔφυγον ἐς τοῦ Διὸς τοῦ Βήλου τὸ ἱερὸν: *confugiebant ad templum Iouis Beli.* Apud eundem lib. 6. quidam confugit ad vestibulum Cereris, & manibus prehendit cardines, neque inde diuellitur, nisi abscissis, adeo pertinaciter hærebat. Liuius 24. *Ea in sacrarium ad Penates confugit cum duabus filiabus virginibus, resolutis crinibus, miserabilique alio habitu.* Ad hunc locum Virgilij Ouid. respexit. 13. Met.

Dardanidas matres patriorum signa Deorum,
Dum licet amplexas, succensáque templa tenentes

Inui

Inuidiosa trahunt victores præmia Graij.
Hæc Deorum complexatio vna erat cum osculo, quod triplex erga Deos fuisse Lipsius obseruat. 2. A Elect. cap. 6. osculabantur enim aut os, aut manus, aut pedes Deorum. Adi illum.

9. COLVMBÆ] Dicam lib. 11.

Ipsum autem sumptis Priamum iuuenilibus armis
Vt vidit: Quæ mens tam dira miserrime coniux
Impulit his cingi telis? aut quò ruis? inquit.
NON TALI auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non si ipse MEVS nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: HÆC ARA tuebitur omnes:
Aut moriere simul. sic ore effata, recepit
Ad sese, & sacra longæuum in sede locauit.

ARGVMENTVM.

Hecuba Priamum à congressu hostium dehortatur, & aræ applicat.

EXPLICATIO.

PRIMVS versus habet pulchram oppositionem, explicante Nascimbeno, nam *ipsum* ἐμφατικῶς, est senem, cui opponuntur iuuenilia arma. Ergo Hecuba viso Priamo, *quæ mens tam dira*, &c. quibus illum à pugna dehortatur, adiungens crebrò miros affectus. Dehortatur verò primùm ab aduersante omine. nam *dira te mens impulit telis cingi.* quasi dicat, aduerso & diro omine egrederis. Ideo *quò ruis?* quasi dicat. verè tu ruis, aduersa te omina ad ruinam ducunt. Deinde dehortatur ab impossibili, *Non tali auxilio*, &c. Non tu satis es ô Priame, cùm neque satis esset Hector meus, etiam si viueret; præstat ad Deos confugere, *hæc ara omnes tuebitur*, te & nos: aut nobiscum *simul moriere.* Hæc cùm dixisset, videns nihil se verbis proficere, senem compulit, vt sederet: illum *ad se recepit.* hac voce innuit receptaculum, *locauit in sede sacra*, vt tutus esset prope Deos. Hoc ipso facto innuit imbecillitatem Priami inepri iam ad pugnam, nam vir & armatus, & fortasse repugnans, facilè tamen trahitur ab vna fœmina iam grandæua & seniore.

NOTÆ.

1. QVÆ MENS TAM DIRA] Totus hic locus Homerum adumbrat lib. 7. Il. vbi Agamemno continet Menelaum fratrem à congressu Hectoris. Abstineo, quia iam alij: addo à me tantum, corrigi à Virgilio, quæ Græcus peccat. Apud hunc enim Agamemno generosos fratris spiritus, & qui laudem potiùs meruerant, impudenter admodum comprimit verbo ἀφραίνεις, quo insanum nominat, & repetens addit, ἀφροσύνην, *dementiam.* Deinde cur fortis & generosus princeps Menelaus audit ὅσπερ σέο πολλὸν ἀμείνων, *qui te multo fortior.* & suprà, σέο ἀμείνονι φωτὶ, vis pugnare cum viro, qui te est fortior. Noster contumeliis abstinens, loco insaniæ commouet

Virgilius superat Homerum.

B affectum misericotdiæ, *miserrime coniux quæ tua mens, quò ruis?* loco alterius, *nec meus Hector satis esset.* Et expende adhuc, vtramque contumeliam bis repetitam ab Græco. Nam ἀφραίνεις, ἀφροσύνην: &, σέο ἀμείνων, σέο ἀμείνονι. Sed hoc solens more suo Homerus, qui nihil putat se posse dicere, nisi bis aut ter dicat.

Homerus eadē repetit sæpe.

2. MEVS HECTOR] Animaduerto hîc aliquid occultæ eruditionis, cur Hecuba dicit *meus Hector.* non, tuus: non, noster? Fortasse itaque allusum ad Hectoris natales: ferebat enim occultior opinio Troianorum, illum fuisse Apollinis & Hecubæ filium, non Priami, quod Porphyrius testimoniis Ibyci, & aliorum probat, & Lycophron illum à Ptoo, id est Apolline genitum ait. Adeundus Homeri Scholiastes, Delrius noster in Agamem. Senecæ, Spondanus in Il. 10. Itaque aliter locutus Noster in hoc libro ore C Creusæ ad Ænean,

Hector ferebatur esse filius Apollinis.

——nati serua communis amorem.

quia Ascanius vtriusque filius. Contraria de Hectore Homerus sentit dicto lib. vbi Agamemno admiratur Hectorem non heroem, vt qui nullius sit Deorum filius, tam magna opera moliri, tantùm, quia charus sit Diis. sed & *Hector meus* Græcorum est. illi enim, ὁ ἐμὸς, aut ὁ ἐμοῦ, & subaudiunt, *filius* παῖς.

3. HÆC ARA TVEBITVR OMNES] Est hoc quod Seruius apud Plautum Mostell. *ego interim hanc aram occupabo.* Ad rem Poëtæ signatissima sunt verba Plutarchi, & Quintiliani. ille de superst. Πολεμίους φεύγοντες ἂν ἀγάλματος λάβωνται, ἢ ναοῦ, θαῤῥοῦσι: *Qui hostem fugiunt simulacrum aut fanum tenentes, recipiunt* D *animos.* Hic Declamat. 265. *Qui iam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fuga nequeunt, circa aras iacent.* Apud Thucydidem lib. 8. cùm nautæ vellent Astyochum interficere, ille hoc præuidens, καταφεύγει ἐπὶ βωμόν τινα, & ita seruatus est. Alludens ad rem hanc Philostratus in epist. dixit de pulchritudine esse, ἐλέου βωμὸν, *aram misericordiæ.*

Miseri ad aras confugiunt.

Pulchritudo ara Misericordiæ.

4. RECEPIT AD SESE, &c.] Consimile hoc Homer. Od. vlt.

——τὸν δὲ προτὶ οἷ
Εἷλεν ἀποψύχοντα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς:

——Hunc autem ad se
Cepit exanimatum pertolerans diuus Vlysses.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat
Saucius. illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur: iam iámque manu tenet, & premit hasta.

Vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum,
Concidit, ac vitam multo cum sanguine fudit.

ARGVMENTVM.

Ante aras, & parentem vtrunque, Polites cadit interfectus à Pyrrho, qui eò vsque euaserat hostem fugiens.

EXPLICATIO.

IACIT semen ad futuram narrationem de morte Priami. cùm enim Polites ante conspectum patris vitam funderet, tanti doloris impatiens Rex in Pyrrhum inuehitur, vnde mors seni. Sunt hîc magni affectus: quod enim in venatu solet accidere fugiente lepore, & insequente cane, quibus voluptas & plausus captatur: hîc accidit in Troiano principe, Græco insequente; in quo horror & sæuitia inest, non voluptas, aut plausus. Verè hæc mors Politæ, Pyrrhi audacia, parentum inspectantium miseria, τραγικώτατον quiddam sapit. In illis *vacua atria* emphasin quidam notant, qua intelligitur effusa omnium fuga, ac perinde ingens metus.

NOTÆ.

Polites velocissimus pedibus.

1. ELAPSVS] Allusum fortasse ad Homerum Il. 2. qui huic Politæ dat ποδώκειαν *pedum pernicitatem*. Inde itaque fugientem illum Poëta inducit, vt qui pedibus valeret. Scribit Eustat. hunc fuisse maximum natu liberorum Priami. Eius imaginem in Bœotic. habet Pausanias.

Metaphoræ semel assumtæ hærendum.

2. SAVCIVS] Dixi aliquando vna potissimùm re admirabilem esse hunc vatem, quòd cui metaphoræ hæret semel, eidem continuò insistit. Quis dubitet hac oratione contineri imaginem canis insequentis feram, quam iam venator transfixit? Huic imagini

A vide vt hæreat in verbis *saucius, fugit, lustrat, ardens insequitur, tenet manu, premit hasta.* Multa ex his vnicè ex venatione desumi probari possent. *Saucius* in ipso est vate lib. 12. loquente de leone iam percusso. *fuga* in eodem, *Mille fugit refugitque vias.* vbi sermo est de ceruo. *lustrat* dictum cum respectu ad ferarum lustra. *ardorem* quis neget esse venatorum? His Xenophon dat θυμὸν, & θυμοειδὲς. Nihil enim viuidiùs, alacriùs, ardentiùs venatione exercetur; vbi nullæ nugæ, omnia seria. *insequitur* est in Manil. lib. 8. *sequi prædas*, & in Silio lib. 11. venator caprum *insequitur cursu.* verbum *teneo.* in Virgilio est lib. 12.

Hæret hians (canis venaticus) *iam iámque tenet, similísque tenenti*
Increpuit malis.

In Ouid. 1. Met.

Alter inhæsuro similis iam iámque tenere
Sperat.

B Quod Horatius alio flexu dixit. Od. 37. lib. 1. *adurgens leporem.* De *premo* satis notum, de quo iam ego alibi. Iam illud, *vt euasit ad ora parentum, Cōcidit*, non minùs est è re venatoria. Solet enim plerunque fera cadere alio in loco, quàm vbi vulnus accepit. Non putaret vulgaris Poëta suo muneri satisfacere, nisi expressè comparationem poneret: huic vati indicare fuit satis, quod genus compositionis elegans est.

3. INFESTO VVLNERE] Poni vulnus pro telo, iam multi explicarunt. ita quoque possis accipere similia Ouidij, & Propertij loca. Ait ille 5. Fast. Vulnus pro telo.

Semicaper coleris succinctis Faune Lupercis,
Cùm lustrant celebres verbera secta vias.

Ait iste lib. 4. eleg. 1.

C *Verbera pellitus setosa mouebat arator.*

In vtroque *verbera*, non sunt plagæ, sed instrumenta & tela ad inferendas plagas.

a Hîc Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit: nec voci iræque pepercit.
b At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis
DII (siqua est cælo pietas, quæ talia curet)
Persoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum
Fecisti, & PATRIOS fœdasti funere vultus.
c At non ille, SATVM quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: SED IVRA fidémque
Supplicis erubuit: corpúsque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, méque in mea regna remisit.

ARGVMENTVM.

Inuehitur Priamus in interfectorem, quem deturpat reprehendítque à dissimili patris ingenio, bonitate, moribus.

EXPLICATIO.

a INVICTI Regis virtutem explicari sub persona Priami ab eminentissimo Poëta, iam alij dixerunt. Talem enim Regem neque extrema necessitas potest comprimere, aut eius generosum ardorem extinguere. *Media mors* est, manifesta & clara, vt suprà, *sensit medios delapsus in hostes.*

D b Ergo *exclamat.* Hoc verbo indicatur habitus futuræ orationis. Vulgaris Poëta diceret, ait, inquit, fatur. Quid verò exclamat? *At Dij persoluant tibi grates dignas, & reddant præmia debita pro scelere, pro ausis.* His exitium imprecatur Pyrrho, nam quod aliud præmium sceleris & audaciæ? vtitur sanè sermone ambiguo, & hîc in malam partem. Adhibet rationem, cur exitium imprecetur, *quia fecisti me cernere coram lethum nati.* neque hoc solum, sed *& fœdasti* illius *funere vultus patrios.* Itaque non tam Priamus de cæde (quid enim hostis in hostem faceret!) conqueritur, quàm de atroci spectaculo. Ait fœdatos vultus, quia fortasse sparsus senex nati cruore. Parenthesis de pietate, quæ inest in cælo, ideo interposita,

quia nominati Dij. & mouetur πάθος ab desperante pietatem cælestem.

c Ab dissimili bonitate Achillis, & paternis moribus, atque ingenio crudelitatem Pyrrhi ferociámque coarguit. Achilles mihi cadauer Hectoris tumulandum tradidit, remisit me in mea regna plenum honoris, erubuit veritúsque est me supplicem seruato iure ac fide supplicum: tu ergo non illo es satus, qui dissimilis ab illo es, natales tuos mentiris.

NOTÆ.

1. NEC VOCI IRÆQVE PEPERCIT] Quintilian. declamat. 247. *nunquam ira ferè silentio continetur.* Phrasin ab Plauto arripuit, qui in Mil. *parce voci.* eandem repetit in Pers.

2. AT] Notanda vis huius vocis, quæ plerunque vsurpata ad iras subitas, & repentinum feruorem. Medea apud Ouid. At, cui vsui seruiat.

At tibi Colchorum memini Regina vacaui,
Ars mea, cùm peteres, vt tibi ferret opem.

Tuetur hanc lectionem Franc. Floridus lib. 1. lect. succ. cap. 9. eámque firmat exemplo Maroniano. Iosephus Scaliger in comment. in Catull. particulam hanc conuenire ait malè precantibus. sic Catull. ipse,

At vobis malè sit malæ tenebræ.

& Tibull.

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis.

Catull. iterum,

At vobis mala multa Dij Deæq;
Dent opprobria Romuli Remique.

idem obseruauerat in Terentium Donatus. Comicus ipse in And.

At tibi Dij dignum factis exitium duint.

3. DII, &c.] Similis imprecatio, & affectus est in illis Philoctetæ apud Sophoc. οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖεν ποτ' ἀντίποινα ἐμοῦ παθεῖν: *Quibus cælestes Dij aliquando dent consimilem istis pœnam pati.*

4. SI QVA EST CÆLO PIETAS] Homer. Odyss. 17. εἴ πού τις οὐράνιος θεός ἐστι: *Si quis est cælestis Deus.* Iterum. εἴ που πτωχῶν γε θεοὶ, καὶ ἐριννύες εἰσίν, *alicubi si sunt Dij inopum, si furiæ.*

5. QVI NATI CORAM ME CERNERE LETHVM] Eurip. in Androm. de Peleo cernente ante se mortuum Neoptolemum filium Achillis sui:

Ὦ κακὰ παθὼν, ἰδών τε, δυστυχὴς γέρον:
O mala passus, vidénsque, & infelix senex:

alicubi credo obseruaui, esse viros doctos, qui putent particulam *coram* propriè signare oculos, à voce Græca κόρη, quæ est *pupa*, aut *pupilla oculorum.* Ita vt, feci hoc coram te, propriè sit, feci hoc coram tuis oculis, non vultu, aut ore, ex vi vocis. Huic obseruationi fauet exemplum hoc Virgilij: nam cùm dixisset suprà, Corã, quid propriè.

Vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum.

nuncait,

—nati coram me cernere lethum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.

vbi coram, & oculi sibi respondent, sicut vultus & ora: vt dicat. Creui lethum coram, quia res ante oculos meos gesta; fœdati sunt vultus, quia res item gesta ante ora mea. Lege doctissimum Victorium lib. 1. cap. 8.

6. ET PATRIOS FOEDASTI FVNERE VVLTVS] Pyrrhi facinus imitatus est Antoninus, quin superauit; cùm non hostem in conspectu hostis, sed fratrem Getam interfecerit in conspectu matris Iuliæ, atque adeo, quod atrocius, supra pectus maternum, ita vt illa respergeretur sanguine occisi nati. Antonini sæuitia.

A Προχέας (ait Herodianus) τὸ αἷμα τοῖς τῆς μητρὸς στήθεσι: *effundens sanguinem matris pectoribus.* Ideo autem tam acerbè Priamus in Pyrrhum inuehitur, cùm nihil dirius patri possit accidere, quàm fatum filiorum non præuenire. inde (hic vtor Germani opera) apud Eurip. Amphittuo in Herc. Furen. à Lyco tyranno enixè contendit, vt ipse & Megara priùs occidatur, quàm pueri. Parẽtes volunt præuenire filiorũ necem.

Μίαν δὲ νῷν δὸς χάριν ἄναξ ἱκνούμεθα.
Κτεῖνον με, καὶ τήνδ' ἀθλίαν παίδων πάρος,
Ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν (ἀνόσιον θέαν)
Ψυχορραγοῦντα, καὶ καλοῦντα μητέρα,
Πατρός τε πατέρα.
Vnam verò nobis da gratiam, Rex, oramus,
Occide me, & hanc miseram ante filios,
B *Ne filios aspiciamus (impium spectaculum)*
Morientes, & inuocantes matrem,
Patrísque patrem.

Calaber etiam lib. 2.

Οὐ γὰρ δὴ μερόπεσσι κακώτερον ἄλγος ἔπεισιν,
Ἢ ὅτε παῖδες ὄλωνται ἑοῦ πατρὸς εἰσορόωντος:
Nullus dirior homines dolor inuadit,
Quàm si filij pereant patre suo inspectante.

7. AT NON ILLE SATVM, &c.] Pertinet ad hanc rem locus Plutarchi in præceptis gerendæ Reip. ὑπομνηστέον δὲ καὶ πατέρων ἀγαθῶν ἐνίοις ὅταν ἐξαμαρτάνωσι: *Nonnullis peccantibus præclarorum parentum est obijcienda mentio,* quod firmat Homeri exemplo, qui, ἦ ὀλίγον οἱ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς: *Haud similem natum tibi Tydeu magne dedisti:* & Appij in comitiis, vbi contendens cum Scipione Africano, dixit: *quàm ingemisceres Paule apud manes, si sentires filium tuum censuræ petendæ gratia in campum descendentem à Philonte publicano stipari.* Parentum mentio obiiciẽda malis liberis.
C

8. ACHILLES] De huius moribus sic loquitur Iris Homerica ad ipsum Priamum Il. vlt. Achillis mores probi.

Οὔτε γὰρ ἔστ' ἄφρων, οὔτ' ἄσκοπος, οὔτ' ἀλιτήμων,
Ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἱκέτεω πεφιδήσεται ἀνδρός:
Neque enim est demens neque inconsideratus, neque impius,
Sed valde studiosè supplici parcet viro.

Et ipsemet Achilles apud Eurip. in Iphig. in Aul. ait se à Chirone didicisse, τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν, *mores simplices habere,* vt qui educatus esset in domo ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου, *viri pijssimi & religiosissimi,* ac demum ait D præferre se ἐλευθέραν φύσιν, *liberalem indolem.* Philostratus in Heroicis vocat illum ἡδίω, *suauiorem,* δικαιότατον ἡρώων: *æquissimum heroum.* de eodem. ὁ δ' ἔπραξε μὲν οὐδὲν ἀγεννὲς, οὐδὲ εἶπεν: *Nihil aut egit, aut dixit, quod esset indecorum.* idem lib. 4. de Apollon. cap. 5. eiusdem Achillis comitatem prædicat. Ergo ab his omnibus Poëta & mores Achillis mites laudat, & ait Pyrrhum ab illo dissidere. Contraria tamen sententia de Pyrrho enuntiatur apud Euripidem ab Andromacha Troiana in ipsa Androm.

—Πηλέως τε γὰρ ἄξια
Πατρός τ' Ἀχιλλέως ἔργα δρῶν φανήσεται.
—Peleo enim digna
Et patre Achille facta gerens videbitur.

9. TALIS IN HOSTE FVIT] Pari sententia Propertius lib. 3. eleg. 19. E

Victor erat quamuis, æquus in hoste fuit.

Et Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 2.

Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.

10. SED IVRA FIDEMQVE SVPPLICIS ERVBVIT] De iure supplicum, déque his seruandis adductus mihi locus ex Platon. Æn. 1. Hæc iura ita sancta veteribus fuerunt, vt in hæc non seruata referat Lucianus Deucalionis diluuium. sic enim lib. περὶ τῆς Συρίης θεοῦ. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέχοντο, οὔτε ἱκετέων

ἱκετέων ἠπείχοντο, ἀνθ' ὧν σφίσι ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀφίκετο: A *Neque iusiurandum obseruabant, neque hospites suspiciebant, neque supplicum miserabantur: quamobrem magna in illos peruenit calamitas.* Huc trahenda obseruatio Ioan. Spond. qui, quòd sine repulsa,& clementer supplices exciperentur, ait illos ab Homero αἰδοίους vocari,id est,*venerandos.* sic enim Lycaon supplex ad Achillem loquitur Il.21.

Γουνοῦμαί σ' Ἀχιλεῦ, σὺ δέ μ' αἴδεο, καί μ' ἐλέησον,
Ἀντί τοί εἰμ' ἱκέταο διοτρεφὲς αἰδοίοιο:
Genua tua tango Achilles, tu autem me venerare, & mei miserere,
O generose loco tibi sum supplicis venerandi.

Inde proculdubio existimo Poëtam vsum de Achille, verbo *erubuit*, propter reuerentiam, quam habuit erga supplicem Priamum. Ad quem morem nonnulla obseruauit Budæus, qui αἰδεῖσθαι, id est, *reuerentiam,* explicat veniam, & misericordiam deprecantis alterum, ad illúmque suppliciter confugientis. Sic B Hecuba ad Agamemnonem apud Eurip. αἰδέσθητί με, οἴκτειρόν ἡμᾶς; *verere me, miserere nostrum.* vbi *verere me* ait esse *sine te exorari.* & ἱερὸν αἰδέσιμον, id est, *templum venerabile.* apud Pausan. in Lacon. explicat, *intactum, inuiolatum, & in quo supplicibus ius Asyliæ constabat.* De re grammatica monearis, verbum erubesco adhibitum cum actione, vt etiam à Propertio lib.3. eleg.14.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec patrios erubuisse Deos.

Neutra nulla. O si iam sapiant Grammatici, qui non ad gustum doctorum fingunt neutra sua, quæ nulla sunt.

Supplicum habitus. 10. SVPPLICIS] Habitum Priami, cùm supplex Achillem adiit, describit Homer. Il. vlt. locum iam adduxi. Sic Dictys lib.3. Bel. Tr. *Priamus lugubri veste* C *miserabilè tectus, cui dolor, non decus regium, non vllam tanti nominis, ac famæ speciem reliquam fecerat, manibus, vultúque supplicibus ad Achillem venit.* Euripides in supplem. si non Priamum, atqui simillimum illius successum sub persona Adrasti Regis.

——ἐν μὲν αἰσχύναις ἔχω
Πιτνῶν πρὸς οὖδας, γόνυ σὸν ἀμπίσχειν χερὶ
Πολιὸς ἀνὴρ, εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος:
——*Pudet me*
Solo procumbere, genua tua amplecti manu
Vir cùm sim senex, & pari fortasse tecum felicitate olim.

Procumbebat autem ad pedes Thesei. Historia Priami petenda ex Il. vlt.

11. CORPVSQVE EXSANGVE] Periphrasis cadaueris in 1. dixit, *corpus exanimum.* Itaque cadauer exanimum, aut exsangue frustra dicas, sic solent vulgares Poëtæ. Pulcherrima est periphrasis cadaueris, à qua infrà habetur, *sine nomine corpus.* Ego credo Virgilium istis, *corpus exsangue,* instituisse Tullio, qui aduocans versum veteris Poëtæ hunc,

Imo enim verò corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

expendit in hanc sententiam. Non ergo tractus Hector, sed corpus quod fuerat Hectoris. Ergo Virgilius, vt reddat Tullium, non dicit: reddidit mihi Hectorem, sed corpus Hectoris iam exsangue, id est, iam sine Hectore.

12. MEQVE IN MEA REGNA REMISIT] In morte Priami expendit Dio Chrysost. orat.11. indignum fuisse Regem hunc interfici ab Pyrrho, cùm Priamus ipse conseruatus fuisset ab Achille, & honestissimè tractatus.

[a] Sic fatus senior: telúmque imbelle sine ictu
Coniecit. rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequicquam vmbone pependit.
[b] Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degenerémque Neoptolemum narrare memento.
[c] Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
Implicuítque comam læua: dextráque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

ARGVMENTVM.

Priami vocem sequitur teli iactus, sed debilis, vt qui à sene: Ridet Pyrrhus omnia, & ad aras Iouis Regem cædit, & occidit.

EXPLICATIO.

[a] VOCEM Priami secutus ictus, qui languidus & imbellis, versus quoque ipse ex summo artificio etiam est languidus & imbellis, & omnino sine ictu. Sed redeo ad telum; coniectum hoc est, percussus vmbo, sed ita tamen, vt cuspis ab repellente ære exsilierit, neque pependerit.

[b] Sententia Pyrrhi capienda cum irrisione. Nam quî degener ab Achille, qui regiam euertit? ex hac irrisione resultat mirus affectus natus ex contumelia. vide enim vti Regi maximo per ludibrium mors paretur, vt videlicet eat nuntius ad Achillē patrē.

D [c] Conclusio in quam it. Sed iam è verbis ad facta. Sed quæ hæc facta? tristissima, & ex multis circumstantiis expendenda. *Trahitur* rex ille, qui honestissimè tractandus fuit: & trahitur corpore *tremulo*, quæ quidem species seruorum est, & supplicum: trahitur verò ad *ipsa altaria*, vt cædes exerceatur non longè à sacris, in quo iam inest sacrilegium: dum trahitur, *lapsat* miser in *multo sanguine*, qui sanguis nati fuerat. Quæ ista species? Quid præterea, *implicatur regis coma Pyrrhi læua.* quod vix de seruulo audieris: *coruscus gladius dextra eximitur*, hoc ad terrorem miseri senis, qui supra se fulgentem gladium, cerneret: *abditur ensis lateri*, quia ad cor illatum vulnus: non ille vtcunque abditur, nam *capulo tenus.*

NOTÆ.

1. RAVCO QVOD PROTINVS ÆRE REPVLSVM] Discrepant Donatus, & Seruius. Prior ait, ita repulsum telum, vt tamen partem aliquam

quam ſcuti penetrauerit, & inde pependerit. Quæ explicatio defendi poſſet Homeri imitatione Il. 3. vbi de haſta Paridis contorta in Menelaum dicitur,

> Ἀνεγνάμφθη δέ οἱ αἰχμὴ
> Ἀσπίδ' ἐν κρατερῇ:
> *Reflexa eſt enim eius cuſpis*
> *Scuto in forti.*

Poſterior nihil penetraſſe, ſed omnino repulſum; & ideo *nequicquam* hic eſſe idem, quod *non*: ſicut apud Perſ.

> *Nequicquam fundo ſuſpiret numus in imo.*

Seruium ſequitur Floridus, & firmat illo & Georg.

> *Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.*

id eſt, non exercet. his hæſerim, non Donato, quia verè verba illa, *quod protinus ære repulſum*, nihil illum iuuant. Vel dicat, quibus potuiſſet aptius exprimi teli repulſa? Neque ſatis Homerus, in quo nullum verbum ſimile huic verbo *repello*, quo ſignatur, haſtam omnino reſpui. Occurres: bis ergo idem dictum? non, nam repelli, & non pendere diuerſa ſunt, vt cauſa & effectus. non pependit, quia repulſum. De re leuicula hæc ſatis. Ita tamen ſatis, vt non omnino acquieſcam, ſed exſpecto, qui hoc felicius. *Si* quis Donati mentem defendat, ſciat pro illo poſſe facere locum hunc Statij lib. 9.

> *Intorquet iaculum, duro quod in ære moratum,*
> *Tranſmiſſumq́, tamen clypei ſtetit orbe ſecundo.*

Habet enim hic ictus aliquam vicinitatem cum Virgiliano. Cæterùm ictum hunc inualidum, & ſine viribus ſenis Priami illuſtrabis loco Silij lib. 5. quem ego iam attuli ad rem aliam lib. 3. G. ad illud,

> *Vt quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis*, &c.

2. Referes ergo hæc, &c.] Similem huic hiſtoriam & atrocitatem Suetonius narrat de Tiberio in illius vita cap. 57. *Scurram, qui prætereunte funere, clarè mortuo mandarat, vt nuntiaret Auguſto, non dum reddi legata, quæ plebi reliquiſſet, attractum ad ſe, recipere debitum, duciq́, ad ſupplicium imperauit, & patri ſuo verum referre.* Hæſit Virg. Silius lib. 1.

> *Cui ſæuum arridens, narrabis Hamilcaris vmbris,*
> *Hanc, inquit, dextram, quæ iam poſt vulnera Vulgi*
> *Annibalem vobis comitem dabit, & ferit altè*
> *Inſurgens gladio criſtatæ caſſidis æra,*
> *Pérque ipſum tegmen crepitantia diſſipat ora.*

Quidam Græcorum apud Calabrum Therſitæ ab Achille interfecto imprecatus ſic eſt,

> —Ἀλλ' ἀπ' Ἀχαιῶν
> Ἔρρες, καὶ ἐν φθιμένοισιν ἐπεσϐολίας ἀγόρευε:
> *Concede à Græcis, & nuntia conuitia, quæ in mortuis fiunt.*

Hinc illud Turni ad Pandarum lib. 9.

> *Inuentumq́, alium Priamo narrabis Achillem.*

Philoſtratus 2. Iconum de Agamemnone moriente ita ait: μεμνήσεται γὰρ αὐτῶν καὶ ἐν ᾅδου πρὸς Ὀδυσσέα ἐν τῇ ἀγορᾷ τῶν ψυχῶν: *Hæc enim apud inferos in animarum concione Vlyſſi memorabit.* Simile quoque illud Horatij Victoris, qui ad ſororem conquerentem de interfecto ſponſo Curiatio, illam ipſam interficiens, his vſus eſt apud Dionyſ. lib. 3. *Quando igitur non lu[ge]s fratres, ſed conſobrinos, & corpus quidem inter viuos, [a]nimam verò apud mortuum habes, abi ad eum, quem toties [v]ocas, neque patrem, neque fratres dedecora.* Similia verba Liuij lib. 1. eandem hiſtoriam narrantis: *Abi hinc cum*

A *immaturo amore ad ſponſum*, &c. Sicut autem hi ſuperſtites mandant hoc morituris: contrà apud Eurip. Andromacha in Trag. ſui nominis, moritura ipſa ſuperſtiti filio mandat, vt quæ ipſa eſt paſſa, patri denarret Neoptolemo,

> Καὶ πατρὶ τῷ σῷ διὰ φιλημάτων ἰὼν
> Λέγ' οἷ' ἔπραξα:
> *Patri tuo inter oſcula,*
> *Narrabis quæ fecerim.*

3. Lapsantem] Vſus hoc verbo Tacitus. 1. Annal. *Equi ſanguine ſuo, & lubrico paludum lapſantes.* iterum. 1. Hiſt. *lapſantibus equis.*

4. Implicuitque comam læva] Eſt hoc quod, Æſchines cõtra Cteſiphontem, ἐπιλαϐόμενος τῶν τριχῶν. Quod Appianus lib. 4. ἐμφυλ. τῆς κόμης ἐπισπάσας. Dux enim armatorum in ciuili proſcriptione caput Saluio abſtulit arrepta coma. Quod Hippolytus B apud Senecam volens cædem patrare, & nouercam interficere:

> *En, impudicum crine contorto caput*
> *Læua reflexi.*

Quod idem Seneca, & de Priamo in Troad.

> *— cùm ferox (Pyrrhus) ſæua manu*
> *Coma reflectens regium torta caput.*

Eſt verò reſpectum ab erudito Poëta ad habitum noxiorum. Suetonius de Vitellij morte cap. 17. *Religatis poſt terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſa ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum verborúmq́, ludibria, per totum viæ ſacræ ſpacium reducto comæ capite, ceu noxij ſolent.* Apud Cedrenum Euphemius, C cùm occiditur, θριξὶ κατείχετο ἰσχυρῶς: *validè tenetur crinibus*, & de Alcane, cui amputatum caput, duo iuuenes τῶν τριχῶν δραξάμενοι. Et Bryennius Opſaram noxium, τῶν τριχῶν, καὶ τῆς γενειάδος ἀψάμενος καταϐάλλει εἰς γῆν, καὶ δεσμὰ περιθεὶς, ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐφρούρει σκηνῇ: *crinibus & barba correptum humi proſternit, vincula iniicit, aſſeruatq́, in ſuo tentorio.* Et Conſtantinus Bardæ ducis frater Scytham quendam τῇ χειρὶ τῆς γενειάδος δεξάμενος, ἀποσφάττει, *manu arreptum ex mento, iugulat.* Baſilius quoque Imperator impudentem hominem, τῶν τριχῶν αὐτοῦ, καὶ τῆς γενειάδος λαϐόμενον καταπάσαι εἰς γῆν.

Noxij contorto capite trahebatur.

5. Capulo tenus abdidit ensem] Seneca in Troadib. de re eadem:

> *Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.*

Quæ hîc expendit Macrobius legere eſt apud illum D lib. 4. Satur. cap. 4. Hic ego duo noto. Primum, cùm omnes ſcribant, hanc cædem Priami factam ad aram Iouis (aliquos iam ſuprà attuli) vnum diſſidere Leſchæum, ſcribente ſic Pauſania in Phocicis: *Priamum non fuiſſe ad aram Hercæi mactatum ſcribit Leſchæus, ſed ab ara abſtractũ, cùm pro regiæ foribus obuius eſſet Neoptolemo factus, ab eo obtruncatum.* Alterum pertinet ad ſobrietatem Poëtæ. Laſciuiret hîc fortaſſe ineptus Poëta, ex riuo ſanguinis, ex cruore vndante, & ſimilibus, quibus cædes ſolent decantari à Poëtis. Ab hoc affectu Virgilius abſtinet: nam quid vndantem cruore animam deſcriberet in ſene, cui vix cruor, & hic præ ætate gelidus? Ideo Seneca,

Priamus vbi occiſus.

Virgilij ſobrietas.

> *Quod (ferrum) penitus actum cùm recepiſſet libens.*
> *Enſis ſenili tractus à iugulo redit.*

E Ait *tinctus*, quia non exuberans cruor iam ſene Priamo.

> Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
> Sorte tulit, Troiam incenſam, & prolapſa videntem
> Pergama, tot quondam populis, terriſq; ſuperbum

Regna

Regnatorem Asiæ. IACET ingens littore truncus:
Auulsumq; humeris caput, & SINE nomine corpus.

ARGVMENTVM.

Excitat affectus mouétque commiserationem de nece Priami.

EXPLICATIO.

RES postulabat, vt post casum tanti Regis affectus excitarentur, nec sibi in hac re deesse potuit Vates. inflammat itaque commiserationem, cùm rex magnificus, diuitiis florens, Asię imperans, regno, fortuna, liberis, vita denique priuetur, humi turpiter truncus iaceat, atque inhumatus. Nouitius sic disponat. *Hæc finis fuit fatorum Priami, hic exitus tulit,* abripuit *sorte illum videntem Troiam incensam, & Pergama prolapsa, regnantem quondam, superbum tot populis terrisq; Asiæ.* Cur *hæc finis*, non hic, lege Agellium lib. 13. cap. 19.

NOTÆ.

1. HÆC FINIS PRIAMI FATORVM] Simili epiphonemate Herodianus lib. 2. obitum Pertinacis concludit. τέλ☉ μὲν δὴ βιότου κατέλαβε Περτίνακα χρησάμενον βίῳ: *Hunc finem sortitus est Pertinax functus vita,* & Appianus lib. 1. Ἐμφυλ. de obitu Syllæ. καὶ Σύλλα μὲν τοῦτο τέλ☉ ἦν. & lib. 2. de obitu Pompeij. τότε μὲν δὴ τοῦ βίου τέλ☉ ἦν Πομπηΐῳ, & addit elogia, vt Virgilius, quo indignior obitus appareat, à magnis bellis, quæ gesserat, ab imperio Romano, quod auxerat, ab Magni cognomine, quod adeptus fuerat. Nam quale est Pompeium tot rebus illustrem talem exitum habuisse! Idem Appianus in Ibericis, postquam cladem Saguntinorum enarrauit. καὶ τοῦτο τέλ☉ ἦν Ζακανθαίοις, πόλει τε μεγάλῃ, καὶ δυνατῇ γενομένῃ: *Finis hic Saguntinorum oppidi magni quondam, & potentis.* Simili Liuius de Annibale lib. 39. *poculum exhausit. hic vitæ exitus fuit Annibali.* Dionysius etiam lib. 4. exitum Seruij Tulli, cùm iacuit in media via insepultus, ac filia per eius cadauer egit Carpentum, pari epiphonemate absoluit. Simili Herodotus lib. 3. in obitu Prexaspidis viri optimi, & expectatissimi. οὕτω ἐτελεύτησε. Simili Xenoph. 1. ἀναβ. de Cyro altero. Κῦρ☉ μὲν οὖν οὕτως ἐτελεύτησε, & postea addit elogia, ab imperio amplissimo, ab optimo iudicio Persarum de illo, à comparatione cum primo Cyro. Ex duplici autem Aristotelis loco Adagij formã inuenio etenim vt magnam calamitatem, & in extremis, ac senectute accidentem exprimas, dices Πριάμου συμφορά: *Priami calamitas.* Philosophus enim. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 9. sic ait, πολλαὶ γὰρ μεταβολαὶ γίνονται, καὶ παντοῖαι τύχαι κατὰ τὸν βίον. καὶ ἐνδέχεται τὸν μάλιστα εὐθηνοῦντα μεγάλαις συμφοραῖς περιπεσεῖν ἐπὶ γήρως, καθάπερ ἐν τοῖς Ἡρωϊκοῖς περὶ Πριάμου μυθεύεται. τὸν δὲ τοιαύταις χρησάμενον τύχαις, καὶ τελευτήσαντα ἀθλίως οὐδεὶς εὐδαιμονίζει. *Multæ mutationes, & varia fortuna in vita accidunt, itaque cõtingit vt is, qui vsus fuerit fortuna prospera, in magnas incidat calamitates in senectute, vt in Heroicis de Priamo dicitur. eum autem, qui tali fortuna vsus fuerit, & misere obierit, nemo felicem dicet,* & sequenti cap. οὐ μὴν μακάριός γε, ἂν Πριαμικαῖς τύχαις περιπέσῃ: *Beatus non erit, si in Priami calamitates inciderit.* Longè ista absunt ab insania Tiberij, & Neronis, qui dicebant Priamum felicem fuisse, quòd illi vnà cùm patria mori contigisset. narrat Xiphilinus.

Priami calamitas adag.

A 2. EXITVS] Græce ἔξοδ☉, qua in voce duplex est error. Nam primo, cur qui Latinis characteribus scribunt, spiritum adimunt, & dicunt *exodus*, cum scribendum sit, *exhodus*, sicut *methodus*, & *perihodus*. Nam malè etiam vulgo, *periodus*. Deinde, cur *exodium* putatur duci ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, cùm potiùs ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, vel teste Iuuenale, qui

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

peccaret enim carmen, si ab ᾠδῆς. itaque, & hoc quoque scribendum *exhodium*.

Exhodus scribendum. Exhodium vnde ducatur.

3. VIDENTEM] Pertinet ad affectum excitandum, non audiuit, sed vidit ipse. Hecuba apud Eurip. in Troad.

Videre calamitatem, infelicissimum.

—Πρίαμον ἐκ ἄλλων πάρα
Κλύουσ' ἔκλαυσα, τοῖς δ' εἶδον ὄμμασιν
Αὐτὴ κατασφαγέντα:
B — *Priamum non ab alijs*
Audiens defleui, hisce vidi oculis
Ipsa interfectum.

Ibidem Andromacha ait vidisse se Polyxenam, cùm ea moriebatur.

Εἶδον νιν αὐτὴ, κἀποβᾶσα τῶν ὄχων
Ἔκρυψα πέπλοις, κἀπεκοψάμην νεκρόν:
Vidi ipsam ego ipsa, & descendens ex curru
Velaui peplis, & texi cadauer.

Eadem Andromacha in Tragœdia sui nominis.

Ἥτις πόσιν μὲν Ἕκτορ' ἐξ Ἀχιλλέως
Θανόντ' ἐσεῖδον:
Quæ coniugem Hectorem ab Achille
Interfectum aspexi.

4. TOT QVONDAM POPVLIS, &c. Priami imperium, quibus olim finibus terminaretur, ex Homero Strabo ostendit in hæc verba lib. 13. Geograph. ὁ Ποιητὴς ἀπὸ τῶν περὶ Αἴσηπον τόπων, καὶ τῶν περὶ τὴν νῦν Κυζικηνὴν χώραν ὑπαγορεύει μάλιστα τοὺς Τρῶας ἄρξαι, μέχρι τοῦ Καΐκου ποταμοῦ διῃρημένους κατὰ δυναστείας εἰς ὀκτὼ μερίδας, ἢ καὶ ἐννέα. τὸ δὲ τῶν ἄλλων ἐπικούρων πλῆθ☉ ἐν τοῖς συμμάχοις διαριθμεῖται: *Poëta dicit Troianos præcipuè ab Æsopo, & ea regione, quæ nunc Cyzicena est, imperasse vsque ad Caicum flumen, diuisos per principes octo, aut nouem. cæterorum verò multitudo qui auxilium tulêre inter socios numerantur.* hinc etiam habes regnatorem dici Asiæ Priamum, non tam propter imperium, quamuis hoc quoque esset latissimum, quàm propter sociorum multitudinem.

C Priami imperium.

5. IACET] Sequuntur mortui ludibria. Itaque quod de Galba ille, *corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludribijs vexatum,* intueri in Priamo licet. Et signatè *iacet*, quia non crematus Rex, qui honos tum dabatur vel vilissimis cadaueribus. Pari conquestione Lysias in oratione pro Atheniensibus, qui bello perierunt, κειμένους ἄνδρας. & quidem Priamum, non crematum, ait Seneca,

D

—*Ille tot regum parens*
Caret sepulcro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia.

Ego aliquando sic lusi,

Ille parens Asiæ (quis crederet?) vltima passus
Igne caret, quo non Ilios igne caret.

E Ennius maiori ludibrio *semiassum* ait. Adducam versus Ennij integros, quia ad illos in variis locis huius cladis Virgilius alludit, & nolui diuellere. Ergo ille ore Andromachæ:

O pater, ô patriæ, ô Priami domus,
Septum altisono cardine templum,
Vidi ego te adstante ope barbarica

Tectis cælatis, laqueatis
Auro, ebore instructum regificè,
Hæc omnia vidi inflammarier,
Priamo vi vitam euitarier,
Iouis aram sanguine turparier.
Heu relliquias semiaßi regis, denudatis oßibus
Per terram sanie delibutam fœdè diuexarier.
Vidi, videre quæ passa sum ægerrimè,
Curru Hectorem quadriiugo raptarier.

6. Littore] Quî in littore? nónne interfectus ad aram Iouis, quæ in Regia? aut littus dicit (ait Turnebus lib.25.) quòd vrbs ea non longè à mari esset, aut quòd alij eum in littore interfectum scripsissent, solet enim sic obiter sententias diuersas attingere. Ita ille. Primum amplector, etenim qui legat Strabonem, planè discet, totam illam regionem Troiæ dici littoralem. Probè itaque Floridus lib. 4. Sue. cap. 10. accipit in Virgilio littus propria notatione contra Alciatum, qui aliter. Manilius lib. 4. signatè,

Littus de Troiano tractu.

—Priamumq; in littore truncum,
Ceu nec Troia rogus.

Sicut & Seneca,

Sigæa premit littora truncus.

Inde etiam suprà Virgilius intelligens Æneæ domum,

Cursuq; amens ad littora tendit.

& infrà,

Dardanium toties sudarit sanguine littus?

& Propertius lib.2.eleg.8.

Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos.

Sic mihi placitum de hoc loco. Seruius expendit aliter, dicit enim ideo dictum *littore*, quia cum respectu ad Pompeium, qui in Ægyptiaco littore iacuit mortuus. Potuit quidem respicere ad successum illum, sed non inde Virgilius *littore*, sed ob eam quam adduxi rationem. Hæc de Pompeio historia multis aliis placuit: & credibile, nam in gratiam Augusti. Sed eadem tu coniectura poteris existimare adumbratum successum Seruij Tulli Regis Romanorum, qui iacuit in media via absque vllo honore, cuius per cadauer carpentum egit Tullia filia: & Coriolani, qui interfectus à Volscis, obrutúsque lapidibus, aliquando in foro prostratus iacuit, miserabili spectaculo. Vtrunque virum suppeditant Romani scriptores, tu Dionysium lege, qui omnibus magnificentiùs de vtroque, de primo lib.4. de altero lib.8. Antiq.

7. Truncus] Propriè est pars corporis (ait Turneb.) quæ collo inferior sustinetur coxendicibus, ex illo Lucillij: *Caput collo sustentatur, truncus sustinetur à coxendicibus.* Verè hoc Turnebus. sed veriùs ad rem Virgilij, truncum dici hominem, cui deest pars aliqua corporis, vt manus, pes, &c. Itaque truncus opponitur integro, & cui nihil deest. Plinius lib.7. cap.11. *Iam illa vulgata, variè ex integris truncos gigni, ex truncis integros.* Truncus itaque Priamus, cui caput defuit. De Holoferne cui tantùm defuit caput, ait Sulpicius lib.2. hist. *truncum corpus.* Suetonius in Galba: *caput, & cæterum truncum sepelijt.* Quo satis indicat truncum dici, qui deest caput. Seneca Rhetor controuers. 4. lib. 1. de viro forti sine manibus, *vir fortis in ciuitate truncus integros adulteros spectat.*

Truncus, quid.

8. Avvlsvmqve hvmeris capvt] Passus ludibrium hoc Pompeius. Plutarchus, τοῦ δὲ Πομπηΐου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτέμνουσι, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα γυμνὸν ἐκβαλόντες ἀπὸ τῆς ἁλιάδος, τοῖς δεομένοις τοιούτου θεάματος ἀπέλιπον: *Caput Pompeij desecuerunt, truncum è nauicula nudum proiecerunt, reliquerúntque id spectare cupientibus.* Passus Gallus Cæsar, de quo ita grauiter Ammianus lib.14. *Colligatis manibus in modum cuiusdam noxij latronis ceruice abscisa, ereptáque vultus & capitis dignitate, cadauer est relictum informe, paulò antè vrbibus & prouincijs formidatum.* De ipso Priamo Ausonius,

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede, caput Danai diripuêre meum.

& quia sine capite, ideo cadauer ipsum *sine nomine corpus*, deerat enim pars illa, qua cognosci posset. Seruius explicat *sine agnitione*, alij, *sine inscriptione.*

[a] At me tum primum sæuus circumstetit horror;
Obstupui: Svbiit chari genitoris imago,
Vt Regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: Svbiit deserta Creusa
Et direpta domus, & Parvi casus Iüli.
[b] Respicio: &, quæ sit circum me copia, lustro.
Deseruêre omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misêre, aut ignibus ægra dedêre.

ARGVMENTVM.

Cuius calamitate admonetur de paterna, déque tota domo, præsertim à suis desertus.

EXPLICATIO.

[a] Priami nece admonetur Æneas de paterna cura, atque adeo qui hactenus inter densos armorum globos, fulgentes cuspides, confertas acies, fumantes ignes, vt fortis, nunquam timuerat; iam nunc, vt verè pius, horret tremítque, vt subiit recordatio calamitatis, quæ instar Priami, poterat etiam Anchisæ contingere. Horrori stupor adiungitur. Sed cur horret? cur stupescit? sequitur causa hæc *subijt chari genitoris imago, &c.* Accumulat plura, vt videas non aliter virum fortem à prælio cessaturum, nisi multiplici pietate auocaretur. Obstitit sanè furori pietas: ille ad vindictam ducebat Æneam sponte & libere volantem, hæc auocabat, quo suis pientissimè consuleret, aliter non desereret bellū vir fortis: inde omnia ornantur vrgentissimis epithetis, quo efficaciùs Æneas moueatur, nam genitor charus dicitur, Creusa deserta, domus direpta, casus Iüli parui. Sed nec sic omnino: nam diuina quoque accessit prouidentia Veneris.

[b] Post hanc rerum cogitationem Æneas oculos circumiicit, vt videat, qui sibi comitatus ex conferto illo globo, cuius se ducem præbuerat: Videt se se desertum à suis iam fessis, qui desperantes de victoria, aut

aut se præcipites dederant, aut propria corpora tradiderant flammis. Duplex hinc commendatio exoritur, prior in Æneam, qui non priùs pugnam deseruit, quàm à suis ipse desereretur: posterior in Troianos, qui mori ipsi fortiter maluerunt, & gloriosum finem anteuertere, quàm sub hostium potestate. Similis fortitudinis redundant exempla. Saguntini plerique apud Liuium lib. 21. se in ignem præcipitant.

NOTÆ.

1. SÆVVS CIRCVMSTETIT HORROR] Græci ἀμφιβέβηκεν ἄχος. & Homer. Odyss. 11. ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει: *Me verò pallidus timor cepit.*

2. SVBIIT CHARI GENITORIS IMAGO] Cùm Poëta semper Æneam suum curet exhibere, non vt vnum è vulgaribus, sed sapientissimum, altiúsque quàm vulgus res examinantem, ex hac cura obseruo, hunc ducem priùs exstimulatum fuisse patris Anchisæ quàm cura Ascanij filij. nam cùm primo loco pater occurrat, ísque charus affectu vehementi, postremò filij casus languidiore charitate, etenim si naturam vulgarem, & communem expendas pater magis filium amat, quàm filius patrem. Idque Arist. asserit lib. 2. Mag. Moral. cap. 12. Et Eurip. dixit. δεινόν τι τέκνων φίλτρον ἔθηκε θεὸς ἀνθρώποις: *vehementem in liberos amoris affectum Deus hominibus indidit.* Non sic Æneas. sicut neque vnus è vulgo. priùs charitate patris, deinde filij commouetur, exstimulatúrque.

Spiro, exspiro, exhalo.

3. VITAM EXHALANTEM] Sicut πνεῖν, & ἐμπνεῖν, *inspirare, spirare,* pro viuere, vsurpant Græci. & ἐκπνεῖν *exspirare, exhalare,* pro mori. sic Latini & *spiro* pro viuere; & *exspiro, atque exhalo* pro mori. Plat. in Apol. ἕωσπερ ἂν ἐμπνέω, quod Cic. reddidit: *Dum anima spirabo mea.* & Virg. *Dum spiritus hos reget artus.* & Lucan.

Dum mouet hic calidus spirantia corpora sanguis.

Synes. ep. 44. ἕως ἐμπνεῖ τε, καὶ δύναται: *quandiu spirat, & potest,* hoc est, *quam diu viuit.* De altero Eurip. Orest. ἐξέπνευσεν Ἀγαμέμνων βίον: *exhalauit Agamemno vitam.* iterum, ἐκπνέων ψυχήν, *exhalans animam.* idem omnino, quod ἀφιέναι τὸ πνεῦμα: *demittere spiritum.* Cùm verò Poëta attribuit hoc verbum morienti seni, putat Germ. allusum ad μάρανσιν, καὶ θάνατον ἄλυπον senum, de quibus loquitur Arist. lib. de respiratione. nam multa senectute obsiti, cùm tenui calore sustineantur, vt qui iam euanuerit longissima anteacta vita, fit vti tabescant consumantúrque, & mortem habeant sine acerbiore corporis sensu, & dolore, vt exhalare vitam magis quàm mori videantur. Potest etiam dici, Poëtam locutum ex opinione illorum, qui animam putarunt esse ventum. inde efflare, exhalare, expirare animam apud veteres frequentissimum.

Senum obitus mitior.

4. ET PARVI CASVS IVLI] Ad φιλοστοργίαν Æneæ cum Ascanio notetur locus Plutarchi in libello περὶ πολυφιλίας, vbi ait, animalia omnia, quæ vnum tantùm gignunt, prolem suam vehementiùs amare. & probat testimonio Homeri, qui filium solum natum vocat ἀγαπητόν, *charum.*

Parentum amor in vnicam tantum sobolem.

5. COPIA] Non deuorant Grammatici, nam *copiæ* aiunt dicendum fuit. Sed sciant isti vsos hac voce in singulari pro exercitu Tullium lib. 8. ad Attic. epist. 17. & 19. Sallustium in Catilin. Suetonium in Augusto, Varronem. 3. rerum humanarum, quem citat Probus in 3. Eclogam Virgilij, Virgiliū ipsum in Culice. Abstinui à verbis, nam hæc iam alij aduocarunt. Adduco Ammianum, quem alij tacent. Ille lib. 19. ita ait: *Ardens copia nostrorum erupit, iras in hostem perfidum parans,* &c.

Copia & exercitus.

6. AVT IGNIBVS ÆGRA DEDERE] Pari obstinatione apud Sulpicium lib. 2. historiæ, *Pharisæi aliquantisper pro templo acerrimè restiterunt, donec obstinatis ad mortem animis, vltro se subiectis ignibus intulerunt.* loquitur de Hierosolymitano excidio. Ita Troiani obluctati pro regia, cùm nihil proficerent, igni se dant. Pari Artzeni apud Cedrenum, qui in summa rerum desperatione, γυναῖκας τε, καὶ τέκνα, καὶ ἑαυτοὺς εἰς τὸ πῦρ ἀπέῤῥιπτον.

[a] Iamq; adeo super vnus eram: cùm limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem
Erranti, passimq; oculos per cuncta ferenti.
[b] Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deserti coniugi iras
Permetuens, Troiæ, & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque ARIS inuisa sedebat.
[c] Exarsêre ignes animo: subit ira cadentem
VLCISCI patriam, & sceleratas sumere pœnas.

ARGVMENTVM.

Videt Æneas Helenam, quæ omnium pauida ad aras confugerat: æstuat præ iracundia illam interficere.

EXPLICATIO.

a VT Æneas se vnum superstitem videt, errare, atque oculos in omnem partem cœpit conuertere, ac tum fortasse Helenam prodentibus flammis aspexit, quæ metu pauida ad Vestæ templum confugerat, ibíque in secreto latebat.

b Adhibet rationes, cur Helena se abdidisset, & prope aras, ad confugium. Metuebat videlicet Teucros, propter euersam vrbem; Danaos, propter mala quæ secuta sunt eius à patria fugam; inter hos summopere Menelaum, quem deseruerat illecta amore Paridis. coniugem seruauit ad locum extremum ad incrementum orationis, nam quem illa præ illo timeret? Ergo hoc metu Troianorum, Græcorum, Menelai, sese abdiderat, petierátque confugium sacrorum.

c Dicit, æstuasse se incendio irarum. ratio duplex, prima,

prima, vt patriam vlciscatur: altera, vt Helena pœnas det, *sceleratas pœnas*, id est, pœnas de scelerata.

NOTÆ.

1. LIMINA VESTÆ SERVANTEM] Seruare limina, nihil aliud hîc, quàm obsidere limina: sed quî seruat limina, quæ est in sede secreta, atq; adeo in recessu? Reuocanda huc, quæ dicta. 1. Æn. ad illud,

Tum foribus Diuæ media testudine templi.

Inde enim pendet loci huius explicatio, nec aliter hîc, quàm ibi capiendus Poëta. Suspicetur fortasse B aliquis legendum in Virgilio, *lumina Vestæ*. Cuius lectionis coniecturas quispiam diuinabit me tacente. Sed nihil tamen mutandum. Procedo ad reliqua. Particula, *adeo*, hîc redundat more Poëtarum, sed eleganter. Helena *Tyndaris* dicitur à Tyndareo patre existimato, nam ipsa Iouis filia ex Leda vxore Tyndarei. Sunt qui versus sequentes viginti duos subiectos putent, & indignos Virgilio. ratio duplex: prior, nonnihil labis Æneas contrahit, qui voluerit vir ipse & armatus fœminam interficere solam, & quæ ad aras confugerat: posterior, quæ hîc dicuntur repugnant narrationi, quæ habetur. 6. Æn. vbi Helena dicitur choros ducere, flammam tenere, Græcos & Menelaum inprimis vocare ad domum Deiphobi, vt is interficiatur, vt pristino coniugi satisfaciat, sed neutra efficax. Itæ Æneæ iustissimæ sunt, & tantam pestem abolere quis probro ducat? ad hæc, non perficit, tantùm cogitat, & hanc cogitationem vocat furorem. argumenta verò, quæ illum ad hanc rem impellunt, fortissima sunt, & digna quouis homine sapientissimo, & fortissimo, de quibus suo loco. Sed nec posterior ratio valida: est enim verisimile, Helenam, facta priùs fraude in Deiphobum, locum in tumultu illo commutasse, & confugisse ad templum: cùm præsertim dolus factus esse narretur in exordio nocturnæ inuasionis, latuerit verò magno iam facto excidij progressu, vt clarè ex Poëta elici potest. Mitto quæ Alciatus scripsit lib. 5. Par. cap. 4. quæ Nasc. hîc & in 6. aliique interpretes, quæ Modicius cap. 5. quæ Herodotus lib. 2. Herodoti summa est. Helenam non fuisse Troiæ in hac expugnatione, sed aliò à Troianis ablegatam, conatur id rationibus peruincere.

Adeo, parelcon.

2. DANT CLARA INCENDIA LVCEM] Prolepsis, latebat illa, sed indicabant incendia.

3. ET DESERTI CONIVGIS IRAS] Facta Græcorum mentione, tamen separat ab illis Menelaum, κατ᾽ ἐξοχὴν. Sic Aristophanes in Pluto, ὦ Ζεῦ, καὶ θεοί. vbi notat Scholiastes separatum Iouem à Diis κατ᾽ ἐξοχὴν, firmátque Homeri exemplo, qui, Τρῶας καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσε: *Troianos, & Hectorem nauibus admouit.* Sic infrà Creusa post mentionem Deorum, qui vetabant se ire in Italiam, adiicit Iouem,

——haud ille sinit superi regnator Olympi.

4. ILLA SIBI INFESTOS, &c.] Non dissimilis locus, de quo iam suprà sub persona Sinonis,

Cui neque apud Danaos vsquam locus, insuper ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.

Non dissidet sermo Adherbalis apud Sall. querentis de iniuriis Iugurthæ, vbi quocunque se vertat, omnes sibi esse hostes videt. *Exul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egens, quò accedam? aut quos appellem? nationésne, an Reges? qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt. an quoquam mihi adire liceat, vbi non maiorum meorum hostilia plurima sint monumenta? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?* Signatiora sunt illa Calabri sub persona eiusdem Helenæ dolentis interfectum à Philoctete Paridem.

——ὀδέ τι οἶδα
Ἐκφυγέειν, εἰ γάρ κε φύγω Δαναῶν ἐς ὅμιλον,
Αὐτίκ᾽ ἀεικίσσουσιν ἐμὸν δέμας, εἰ δέ κε μίμνω,
Τρωαὶ καὶ Τρῶες με περιστάδον ἄλλοθεν ἄλλοι
Αἶψα διαρραίσουσι, νέκυν δ᾽ οὐ γαῖα καλύψει:
Nescio quò fugiam, si enim ad Græcos effugero,
Protinus indignè afficient corpus meum, si autem permaneam,
Troianæ & Troiani alius aliunde circumdantes me
Statim profligabunt, neque mortuam operiet terra.

5. COMMVNIS ERINNYS] Erinnys furia est, quod nomen aliis à furiis tributur, vt hic Helenæ. Itaque possis referre ad formam adagij, eo iure, quo multa Erasmus, & Iunius. Nam Hesiodus in Theogon. Saturno ἐρινῦς dat loquens de parturiente Rhea.

Erinnys, adagium.

——ὅπως λελάθοιτο τεκοῦσα
Παῖδα φίλον, τίσαιτο δ᾽ ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο
Παίδων, οὓς κατέπινε:
——vt clam pariat
Filium dilectum, qui vlciscatur furias patris sui,
In filios quos deuorauit.

C Liu. lib. 21. Annibalem vocat, *furiam facémque belli.* Et signatiùs ad hoc vetus Poëta, cui fortasse hæsit Virgilius,

Eheu videte: iudicauit iudicium inclytum
Inter Deas tres aliquis, quo iudicio
Mulier furiarum vna adueniet.

Verba sunt Cassandræ vaticinantis Helenæ aduentum in Troiam, vbi Helenam ipsam furiam vocat. Habentur hi versus apud Tull. lib. de Diuinat. Eodem pertinent versus apud eundem: *Adest, adest fax obuoluta sanguine atque incendio.* Hoc enim ipso, quod facem nominet, furiam esse Helenam notat.

Helena, dicta Furia.

6. ATQVE ARIS INVISA SEDEBAT] De more veterum confugiendi ad sacra in extremo periculo D dixi iam suprà in hoc libro, reseruans tamen ad hanc partem locum Liuij lib. 45. de Rege Perse victo, simillimum Virgiliano, sicut enim Helena post cladem, & incensam vrbem, extremum aræ præsidium occupat, ita Rex ille. Verba scriptoris sunt: *Postquam in portu nauis non inuenta est, vagatus Perseus aliquando in littore, postremo timens lucem iam appropinquantem, in hospitium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit.* Pergo ad alia, quæ excutienda in verbis Poëtæ, ne quis hanc nostram operam ῥαθυμίας arguat. Hîc *inuisa*, quamuis odium possit signare, quo æstuabant Troiani omnes in Helenam, sed potest etiam propriè accipi, vt inuisa sit, latens, quo significato Sallustius vocem hanc cepit. Est enim, *inuisus*, propriè non visus, quod hîc quadrat Helenæ, quæ latens nolebat videri. Hanc explicationem si sequaris, videbis frigere statim iudicium Nascimbeni, E qui pugnantia in Marone inuenit. Ait, *sedebat*, nam hic situs supplicum fuit, quod ex Homero loquente de Vlysse facilè colligas: & ego alibi, ni fallor. Sed nunc id ostendam ex Thucydide, qui mihi ante oculos. Ait lib. 1. καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἱκέται, τὸν ἐν τῇ ἀκροπόλει: *supplices sedent ad aram, quæ est in arce.* & lib. 3. ὀφλόντων δὲ αὐτῶν, καὶ πρὸς τὰ ἱερὰ ἱκετῶν καθεζομένων: *pœnæ deuincti cùm essent, supplicésque sederent in templis.* Ibidem, καθίζουσιν ἱκέται, *sedent supplices.* & ex Herodoto qui lib. 6. ἱκέται ἱζόμενοι ἐπὶ τὸν βωμὸν ἐξέδοσαν σφέας αὐτούς: *supplices sedentes ad aram se dediderunt.* Iterum lib. 7. ἵζεσθαι ἱκέτας τῶν θεῶν: *supplices Dijs assidere.* Ioan. Chrysost.

Inuisus, quid propriè.

Sedeo, supplicum est.

soſt.homil.de Odio,& Inimic.ἐν σποδῷ καὶ σάκκῳ καθήμενον: *in cinere, & ſacco ſedentem.* Hippocrat.in Epiſt. ἧ καὶ νῦν ἐγὼ εἰκὼν ξὺν ἐμῇ γενεῇ θαλλοὺς στέψας, ἐπ' Ἀθηναίης βωμοῦ ἱκέτης ἵδρυμαι: *Quam ob rem nunc cum prole mea fronde coronatus ad Mineruæ aram ſupplicanti ſimilis ſedebo.* Propertius quoque lib.4.eleg.4.

O vtinam ad veſtros ſedeam captiua Penates.
Dum captiua mei conſpicor eſſe Tati.

Ouid.6.Faſt.

Iuſſa foco captiua ſedet.

& 2.Triſt. eleg.1.

Iſidis æde ſedens cur hanc Saturnia quæret.

Tibull.lib.4.

Sed Veneris ſanctæ conſidam victus ad aras,
Hæc notat iniuſtos,ſupplicibúſque fauet.

A & lib.1.eleg.2.

Vt mea votiuas perſoluens Delia noctes,
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

7. VLCISCI PATRIAM, ET SCELERATAS SVMERE POENAS]Tale quid apud Eurip.in Oreſt. vbi Pylades cum amico Oreſte cædem Helenæ molitur hunc in modum.

Νῦν δ' ὑπὲρ ἁπάσης Ἑλλάδος δώσει δίκην,
Ὧν πατέρας ἔκτεινε, ὧν τ' ἀπόλωλε τέκνα,
Νύμφας τ' ἔθηκεν ὀρφανάς:
Nunc verò illa pœnas dabit pro vniuerſa Græcia,
Quorum patres interfecit, & quorum perdidit filios,
Sponſáſque fecit viduas.

Sequuntur multa in hanc ſententiam digna,quæ legantur ad huius loci illuſtrationem.

a SCILICET hæc Spartam incolumis,patriáſque Mycenas
Aſpiciet? partóque ibit Regina triumpho?
Coniugiúmque,domúmque,patres, natóſque videbit,
Iliadum turbâ, & Phrygiis comitata miniſtris?
b Occiderit ferro Priamus?Troia arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine littus?
c Non ita:namque,& ſi NVLLVM memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt,NEQVE habet victoria laudem;
EXTINXISSE nefas tamen, & SVMPSISSE merentis
Laudabor pœnas,animúmque expleſſe iuuabit
Vltricis flammæ,& cineres ſatiaſſe meorum.

ARGVMENTVM.

Comparat gloriam Helenæ cum calamitate Troiana, inde deliberat illius cædem:occurrunt argumenta ne faciat, ſoluitq́.

EXPLICATIO.

a SEQVENS oratio æſtuat variis affectibus Æneæ, qui ſecum loquitur , tanquam cum altero, quadam argumentorum viciſſitudine. His quatuor verſibus continetur felicitas Helenæ , qua ipſe ad vindictam acuitur. Fuit Helena Spartana,Menelaus coniux Mycenæus, ideo vtranque vrbem appoſuit. Cur aſpiciet (inquit) Spartam , & Mycenas cum triumpho?in hoc alludit ad Romanos triumphos. Sequitur. Cur famulitio Phrygum comitata videbit coniugium, domum, patres,natos?verſus præclarus, & non expenſus.Coniugium & nati,Mycenas reſpiciunt:domus & patres,Spartam.

b Poſt enumeratas felicitates Helenæ tranſit ad Troiana mala,vt conferens ardentiùs acuatur,hunc in modum. Illa regina erit,& rex , *Priamus occiderit*, ac *ferro* , quod noxiorum eſt?Illa Spartam & Mycenas videbit vrbes ſuas,Troia vrbs noſtra, *igni arſerit? littus Dardanium toties ſudarit ſanguine?*

c Deliberauerat Helenam interficere, adducit rationes duas in contrarium.Prima,nulla eſt gloria fœminam interficere; altera, ab interfecta non redundat laus vlla:itaque neque cùm cædes patratur, neque poſt cædem vllum eſt nomen. Has duas rationes quadruplici ſolutione opprimit, ſemper in vindictam & cædem pronus. Solutiones ſunt iſtæ : extinguam nefas , ſumam pœnas à merente, explebo animum inflammatum ad vltionem , denique ſatiabo cineres meorum. Explicabo iſta hærens veſti-

C giis Scaligeri. Argumentum erat, non eſt laus fœminam interficere : ſoluit. ego nefas extinguam , & crimen , quod dignum laude. pertinet enim ad virum iuſtum, crimen tollere , qui nefas nullum ſupereſſe pati debet.Hinc colligit Scaliger vehementer errare Grammaticos , qui hos luculentiſſimos operoſiſſimóſque verſus ſublatos voluere:quos cùm auferunt vulgaribus permoti affectibus , iuſtitiam ab Ænea adimunt.Hæc de prima ſolutione,tres reliquæ claræ: ſicut enim iuſti eſt nefas tollere,ita viri fortis ſumere de facinoroſo pœnas , & pro ſuis,& pro patria ; huc enim tendunt tria illa. *Animus vltricis flammæ*,eſt,animus auidus vlciſcendi,inflammatúſque.

NOTÆ.

D 1. SPARTAM]Id eſt Lacedæmonem , quam vrbem Stephanus ἐνδοξοτάτην vocat. Vide quæ in hunc locum Hortenſius.

2. INCOLVMIS]Explica,viuam, ex Propertio lib. 2.eleg.32. qui ait,

Tyndaris externo patriam mutauit amore.
Et ſine decreto viua reducta domum eſt.

3. ILIADVM TVRBA, ET PHRYGIIS,&c.]Alluſum ad morem Romanorum ait Germ. quibus in vſu fuit ſeruitium , & opera Phrygiorum mancipiorum;vt quæ omnium delicatiſſima,& peritiſſima eſſent , vnde & Phrygiones , & in parœmiam quoque abit,*Phryx flagris emendatur*. Cæterùm id ipſum conqueritur Andromacha apud Eurip. in Troad. Phrygum delicatiſſima ſeruitia.

E Ἀγόμεθα λεία σὺν τέκνῳ· τὸ δ' εὐγενὲς
Εἰς δοῦλον ἥκει, μεταβολὰς τόσας δ' ἔχον:
Agimur præda cum filio,nobilitas verò
Ad ſeruitutem venit, mutationes tantas habens.

Iterum.

——νουθοῦλμαι δ' ἐγὼ

Πρὸς

Πρὸς Ἑλλάδ' αἰχμάλωτος εἰς δοῦλον ζυγόν:

—Naui ego vehar

Ad Græciam captiua ad seruitutem.

iterum cum ingenti doloris nota, δουλεύσω; *ego seruiam?*

4. Troia arserit igni] Non agnosco pleonasmum. Nam additum *igni*, tum ad αὔξησιν, tum cum oppositione ad ferrum; vt dicantur omnia ferro & igni vastata; homines ferro, domus igni. Itaque hæret Euripidi, qui, vt Virgilius Helenæ, ita Andromachæ attribuit Troiam δορὶ καὶ πυρὶ δηϊάλωτον *ferro, & igni vastatam.* Est enim hæc forma quædam adagij. Aristides in 2. Platonica, καὶ πυρὶ, καὶ σιδήρῳ ἀνταγωνίζεσθαι: *niti in ignem & ferrum.* Calaber lib. 12. Cassandræ comparanti se ad labefactandum equum, dat πῦρ, καὶ σίδηρον. vbi enim ferrum, & ignis est, maius nequit esse malum contra vitam mortalium. Ammianus lib. 24. *Cùm hinc ignes, inde mucrones vrgerent.* B & lib. 17. *Cunctis vitæ præsidijs circumcisis, aut obstinatè igni peribat absumptus, aut ferro sternebatur hostili.* Cedrenus prouerbialiter sumpsit, nam apud illum Socrates cùm cerneret quendam, qui osculum dabat formoso adolescenti, dixit, οὗτος ῥαδίως ἂν καὶ εἰς μαχαίρας κυβιστήσῃ, καὶ εἰς πῦρ ἐμπέσῃ: *hic vel in gladium insiliret, vel in ignem se inijceret.*

Ignis ferrúmq; adag.

5. Dardanivm toties svdarit sangvine littvs] Sumptum ex Ennio in *Hectoris lytra,* vbi:

Sonit, franguntur hastæ, terra sudat sanguine.

Sidonis ad Auitum,

—natat obruta tellus

Sanguine.

& Lucan. lib. 7.

Cæsar vt Hesperio vidit satis arua natare

Sanguine.

Calaber lib. 1. αἵματι πάμπαν ἐδεύετο: *vndabant omnia sanguine.* Sunt hæc, quæ Ennius in Androm. dixit, *terram sanie delibutam,* loquens de Troia ipsa. Vide Artemidorum lib. 5. somnio 6. Vbi de Troia loquitur. Ouidius quoque lib. 2. Metam.

——Sigæa rubebant

Littora.

non autem poëticum solum figmentum est, sed narrat, quod accidere solet in magnis bellis, quale Troianum. Agathias lib. 2. ἦν δὲ ἰδεῖν ἐπιπολὺ τὰ ἀμφὶ Κάπυαν ἅπαντα πεδία τῷ λύθρῳ περιρρεόμενα, καὶ ὑπερχειλῆ τὸν ποταμὸν τῷ ὑποπεπλῆσθαι σωμάτων: *Videre autem erat longè latéque circa Capuam campos omnes cruore ac tabo perfusos,* D *& fluuium præ cadauerum, quibus opplebatur, multitudine exundantem.* De cæde facta Alexandriæ ab Anton. Herodianus lib. 4. τοσοῦτος δὲ ἐγένετο φόνος, ὡς ῥείθροις

A αἵματος διὰ τοῦ πεδίου, τάς τε ἐκβολὰς τοῦ Νείλου μεγίστας οὔσας, τόν τε περὶ τὴν πόλιν αἰγιαλὸν, πάντα φοινιχθῆναι: *Tanta autē cædes facta est, vt riuis sanguinis decurrentibus, cùm fauces ipsæ Nili ingentes, tum littus omne circa vrbem purpurasceret.* Eò spectat carmen Martianum apud Liu. lib. 25. de Cannensi clade: *Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in Campo Diomedis conserere manum: sed neque credes tu mihi donec compleris sanguine campum.* Apud Cedrenum in bello ciuili Thomæ & Michaëli flumina, οὐχ ὕδασιν, ἀλλ' αἵμασι τὴν γῆν κατέκλυζον, *inundabant terram non aqua, sed sanguine.*

6. Non ita] Doctè notat Germ. similem vocum penè vsurpationem, & phrasin esse apud Græcos frequentem. Nam Polyxena apud Eurip. in Hecub. sic ait.

Λέχη δέ τἀμὰ δοῦλος ὠνητός ποθεν

Χρανεῖ, τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα.

Οὐ δῆτ', ἀφίημ' ὀμμάτων ἐλεύθερον

Φέγγος.

Thalamos nostros seruus emptus alicunde

Polluet, Regibus antè destinatos?

Non ita, relinquam ego lucem istam libera.

Erasmus vertit, *Absit, relinquam ego,* &c. quod idem firmat hoc aliis Germ.

7. Nvllvm memorabile nomen] Cum sententia Poëtæ consentiunt, quæ in Problem. Aristoteles quærit, διὰ τί δεινότερον γυναῖκα ἀποκτεῖναι, ἢ ἄνδρα; *Cur grauius sit feminam, quàm virum interficere?* itémq; illa Eurip. in Androm.

Fœminam, quàm virum interficere, grauius.

Κρεῖσσον δὲ νίκαν μὴ

Κακόδοξαν ἔχειν:

C *Melius est victoriam non*

Infamem habere.

porro loquitur chorus de cæde, qua volebat Menelaus Andromacham tollere. Non abit illud Propertij lib. 2. eleg. 5.

Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat.

8. Nefas] Helena iure, *nefas,* dicitur, cuius impuri mores noti. Rapta primùm est à Theseo, deinde nupsit Menelao, hunc reliquit secuta adulterum Paridem: huic non fuit fida, nam in Ilio cum priuigno Corytho, Paridis & Oenones filio, incestum commisit. Eiusdèm amores cum Achille celebrat Philostratus in Heroicis. Eurip. in Androm. Helenam vocat ἄταν *noxam, damnum, cladem.* Neque enim (ait) Paris sponsam ex Græcia Troiam attulit, sed cladem. ibidem, πασῶν κακίστην, *omnium pessimam.* & in Troadib. ait sub persona Andromachæ illam non natam ex Ioue, aut Tyndareo, sed esse filiam ἀλάστορος, φθόνου, φόνου, θανάτου: *Dæmonis infesti, inuidiæ, cædis, mortis.*

Helenæ impuri mores.

[a] Talia iactabam, & furiata mente ferebar:
[b] Cùm mihi se, non antè oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa Deam, qualísque videri
Cælicolis, & quanta solet: dextráque prehensum
Continuit: roseóque hæc insuper addidit ore.
[c] Nate quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non priùs aspicies, vbi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniúxne Creusa?
Ascaniúsque puer? quos omnes vndique Graiæ

Circumerrant acies, &c, ni mea cura resistat,
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.

ARGVMENTVM.

Fertur cum furore ad cædem: apparet illi Venus cælesti forma spectabilis, quæ natum continet, reuocátque ad curam domus.

EXPLICATIO.

a AIT, *Iactabam*, quasi inania omnia, & furoris plena, ac nullum exitum habitura. Ait, *furiata mente ferebar*, quia in illo æstu argumentorum vicit furor, quo ferebatur ad cædem Helenæ.

b In hoc impetu Venus se nato obtulit, confessa parentem & Deam, & qualis nunquam nato apparuerat, nam cum splendore, cum pulchritudine, cum præstanti corporis magnitudine, quæ omnes notæ sunt diuinitatis. Lux clarè ponitur, pulchritudo indicatur voce, *qualis*, magnitudo voce, *quanta*. Ita illa natum continuit comprehensum dextra, qua irruebat cum gladio in Helenam, ac locuta est roseo ore. Vocula, *dextra*, referri potest aut ad Venerem, aut ad Æneam, vt dicat tenuit me prehensum dextra sua, vel tenuit me prehensum dextra mea. In postremum inclino.

c Sequitur oratio Veneris ad Æneam, qua illum à furore reuocat vrgentissimis rationibus: nam aliter non fas virum fortem à bello discedere. Ergo, quis iste ô nate furor, cur nulla iam nostrarum rerum cura? Obuersentur tibi ante oculos Anchises, qui pater, & ætate fessus; Creusa, quæ coniux; Ascanius qui puer. Credis hos vacare periculo? ne puta. Errant circum illos non vnus, aut alter miles, sed acies integræ Græcorum; errant flammæ, errant enses hostiles, quæ iam tulissent, qui iam hausissent, nisi ipsa ego adessem.

NOTÆ.

1. CVM MIHI SE, NON ANTE OCVLIS, &c.] In hoc initio adducenda imitatio Homeri Il. 1. sed non versus, quia multi, tantùm sententia, & comparatio vtriusque vatis. Agamemno his fermè vtitur ad Achillem in contentione. Hinc fuge, te non egeo, alij mihi summi duces: mihi es inimicissimus: nam tibi semper grata bella, contentio, pugnæ: domi tuæ imperabis tuis Myrmidonibus, non magni facio te irascentem: &, quando vult Phœbus, mittam tibi Chryseida, sed abducam mihi à tentorio tuo Briseida formosam, vt scias quanto sim te melior, aliíq; me timeant. Ad hæc verba Achilles irascitur vehementer, & hæret, vtrùm gladium extrahat, Agamemnonémque interficiat: an iram sedet, & compescat animum. Hæc dum cogitat, ensem extrahit, Pallas è cælo descendit, quam Iuno præmisit vtriusque ducis curam gerens, Dea retro stetit, per comam Achillem præhendit, illi soli apparens: expauit ille, & retro conuersus Palladem agnouit, cui terribiles lucebant oculi. Hæc Græcus. iam de comparatione. origo irarum Achillis, libido; verba etiam intempetantet fusa ab Agamemnone: Æneæ, occisus Priamus, Troia ardens, littus sudans sanguine, Troianæ matronæ abducendæ ad seruitium & Græcam libidinem. quanto hæ fortiores causæ? Hæret Achilles, vtrùm Agamemnonem interficiat, an non? nescio quàm hoc dedecens. Vidisti tu virum fortem, & qualis Achilles fingitur, iracundus, acer, inexorabilis, qui ad tam atrocia verba, qualia audiuit ab Agamemnone, hæreat aduersarium aggredi? Æneas autem sapientissimè æstuat an interficiat, nam impetus est in fœminam, atque adeo nihil decernit, donec accedunt rationes validissimæ. Inde exsistit contentio illa, & lis argumentorum, quam iam audisti, quáque omnino Græcus caret. Apparet Dea Achilli, extracto iam gladio: quid Agamemno? cur de eo siletur? an non vir erat? vt gladium quoque educeret? Temperat iras Achilles, & condit gladium, & ecce statim, quasi nihil Pallas fecisset, sua præsentia, iterum ipse intemperanter, & acerbè admodum inuehitur in Agamemnonem, vocátque οἰνοβαρῆ, ἔχοντα κυνὸς ὄμματα, κραδίην ἐλάφοιο: *vino graue, habentem canis oculos, cor cerui*, vt putes te cernere & videre (ait Scal.) rixantes in foro ancillulas. Demum Nestor tantas minas componit in Agamemnone, & inde Achilles iratus discedit, vt ad hanc rem frustraneus fuerit aduentus Palladis. Multa alia tibi in ea historia occurrent indigna Heroico vate. Redeo ad comparationem. Achilles à Minerua comis, Æneas à Venere manu prehenditur; accersitur illa, mittitúrque à Iunone, hæc inuocata adest; illæ Deæ alienos, Venus natum curat. Denique cùm Minerua se diuina forma videndam exhibeat, nullus est apparatus; Venus illustratur descriptione à qualitate, quantitate, forma, qua solet superis cerni. Posteriora hæc, ex quo redij, Hortensij sunt: priora Scaligeri variis in locis, sed nonnullis à me additis. Scias quoque inesse hîc Euripidis imitationem in Andr. Vbi Peleo propter mortem Neoptolemi magnis doloribus agitato Thetis apparet, solatur, mœrorem auertit; Chorum Nereidum promittit, qui senem ducat, atque post multa alia, demum apotheosin.

Virgilius superat Homerum.

2. IN LVCE REFVLSIT] Lux & splendor nota est diuinitatis Deorum. sic. 1. Æn. eadem Venus.

Splendor nota Deorum.

—rosea ceruice refulsit.

Hunc splendorem videtur explicasse Homerus Odyss. 3. vocula ἀναφανδά: quanquam interpretes, *manifestè* reddant, & Odyss. 7. θεοὶ ἐναργεῖς. quanquam hîc etiam reddant, *Dij manifesti*, nam vt norat in Paral. Germ. Sol olim, & Luna ἐναργεῖς dicebantur. Apud Nonnum lib. 4. Dionys. Venus, vt dissimulet diuinitatem, inducitur, λεπταλέον προέμπουσα σέλας, *tenuem mittens splendorem.*

3. CONFESSA DEAM] Non vt, 1. Æn. Nymphæ aut alterius habitu: vtrunque sapientissimè: ibi enim ad dirigendum errantem in Africa natum, satis illud, non hîc, vbi extrema Troiæ calamitas, Æneæ furor maximus, periculũ patris, vxoris, nati, domus totius: demum origo futuri Romani imperij, & omnium Cæsarum, quæ omnia pendebant ex vita Æneæ, & Ascanij, inde eripiendorum, quod non accidisset, nisi Venus Deam confessa, natum efficaciter ad omnia perpelleret.

Virgilius sapientissimus.

4. QVALISQVE VIDERI CÆLICOLIS, &c.] Duplex circumstantia; qualitatis, quæ pulchritudinem signat: quantitatis, quæ magnitudinem: quod dictum ex opinione veterum, qui credebant Deos esse maiores, quàm homines habitu corporis. De hoc ego latè ad finem huius libri.

5. DEXTRAQVE PREHENSVM] Est hoc quod Græci δεξιοῦσθαι, quod verbum signat humanam ac beneuolam prehensationem ex capta aut data dextera. Quæ, vt fidei, ita charitatis, atque amoris symbolum est. Propterea Pythagoras admonens quoslibet

Dextera amoris symbolum.

in amicitiam non esse admittendos, dicebat, μὴ παντί τι ἐμβάλλειν δεξιάν: *dextram non cuiuis esse porrigendam.* Monuit Gerardus in Plutum Aristophaniam. A

Rosa Veneris.

6. ROSEOQVE HÆC INSVPER ADDIDIT ORE] Signatissimè Poëta dat Veneri hîc *os roseum*, & 1. Æn. *ceruicem roseam*, cum allusione ad fabulam. Rosa enim inuentum est Veneris, saltem illius intinctus è cruore fuit huius Deæ, quod Aphthonius narrat in Progymnas. ait enim, Venerem, cùm Adonis percussus à Marte Zelotypo esset, festinanter ad auxilium cucurrisse, quo in cursu in rosas incidit, ac perinde in spinas, vnde sanguis effluxit, qui proximam rosam, priùs candidam, puniceam reddidit. Philostratus in epist. αἱ γὰρ ἄκανθαι τῶν ῥόδων παριοῦσαν τὴν Ἀφροδίτην ἔκεντησαν: *spinæ rosarum accedentem Venerem vulnerauerunt.* inde Polit. in Misc. cap. 11. lucem dat Claudiano, qui de Venere ait: B

— sic fata, cruoris
Carpit signa sui.

Rosa Amorum.

quibus rosam intelligit: & ego Anacreonti, qui inde τὸ ῥόδον, *rosam*, dixit esse τὸ τῶν ἐρώτων: *Amoribus dicatam*, & infrà ait, puerum Veneris rosis caput incingere, ac demum Venerem ipsam vocat ῥοδόχροον, *roseo colore.* Ab Apuleio lib. 6. Venus dicitur, *totum reuincta corpus rosis micantibus.* In lib. 4. dat eidem pedes roseos: *plantisque roseis vibrantium fluctuum summum rorem calcauit.* Inde Cornel. Gallus:

Candida contempsi, nisi quæ suffusa rubore
Vernarent proprijs ora serena rosis.
Hunc Venus ante alios sibi vendicat ipsa colorem,
Diligit & florem Cypris vbique suum. C

Ex allusione ad hanc fabulam Iul. quoque Scaliger antiquis par:

Acidalio lucentes sanguine flores.

Lepida est fabella Libanij de Venere coronata rosis, ac perinde tantam sibi pulchritudinem conciliante, vt Palladem, & Iunonem vicerit in contentione pulchritudinis. eam tibi longissimè suppetit Polit. dicto loco. Sed adhuc in Virgilio signatius quiddam animaduerto, quàm alij viderint. nam *os roseum*, mihi esse videtur, odore suauissimo perfusum, ita vt halitus loquentis rosam spiraret. quò traho verba hæc Clem. Alex. 2. Pæd. cap. 8. ῥόδον ἀπὸ τῆς ῥοῆς ὀδωδῆς: *dicta est rosa à fluxu odoris.* Vix credas Lector D

Rosæ elogia.

quibus elogiis commendentur rosæ: vt meritò dicas nemini, quàm Veneri factas esse posse. Ego hîc pauca ab vno Philostrato, (vel vt laborem commentationis auertam, hoc enim interpretibus licere puto) in Epistolis. Ait, καλῶς ῥόδοις ὁπλίζεσθαι: *formosos rosis armari.* Dicuntur illæ, ἦρος κόμαι, γῆς ἀστραπαί, ἔρωτος λαμπάδες: *veris comæ, terræ fulgores, amoris lampades.* Vbi cuiusdam pulchritudinem laudat, ait, καὶ τὰ χείλη βέβαπται τῷ τῶν ῥόδων αἵματι, & quidem nominans sanguinem videtur alludere ad fabulam, quam iam attuli. Nam alibi vocat rosas: Ἀδώνιδος ὑπομνήματα, Ἀφροδίτης βαφήν, γῆς ὄμματα: *Adonidis monumenta, tincturam Veneris, telluris oculos.* Et quia Venus sibi amorem illis conciliauit, satis præclarè alibi vocat, ἐρωτικά, καὶ πανοῦργα, *amatorias, & versutas:* E & quæ tacita quadam fraude amorem sui alliciant. iterum, πεφαρμαγμένα, quasi armatæ sint veneno. Alibi illas cum Cupidine comparat, nam sicut is Deus sagittas habet, faces, alas: ita ῥόδα τὴν ἄκανθαν ἀντὶ βελῶν ἔχει, τὸ πυρρὸν ἀντὶ δᾳδῶν, τοῖς φύλλοις ἐπτέρωται, *rosæ spinam sagittarum loco habent, rutilum colorem pro facibus, folijs alatæ sunt.* Inde iterum coronatos rosis ait coronatos esse πυρί, quia hic flos incendit ad amorem animos, vti ignis ipse incendit corpora. Quamobrem alibi, οἷαν τὸ πῦρ ἔχει τὴν ἀκμήν: *habent vigorem igneum.* Paribus delicijs abundat Philostratus. tu plura in illo. Delicias Philostrati adornet Achilles Alexandrinus, qui lib. 2. ita de eodem flore: *Si regem floribus constituere Iuppiter voluisset, non alium certè quàm rosam huiusmodi honore dignatus esset. Hæc terræ ornamentum est, plantarum splendor, oculus florum, prati rubor, flos omnium pulcherrimus. Hæc amorem spirat, Venerem conciliat, odoratis folijs luxuriat, tremulis frondibus, ac Zephyri afflatu ridentibus delectat.*

7. TANTVS DOLOR EXCITAT IRAS] Legendum procul dubio *dolor*, cum pluribus, Seruio & antiquo, & recenter edito, Manutio, Stephano, Nascimbeno: non *furor* cum nonnullis. iuuat ratio. ex dolore ira nascitur, ex ira furor. ideo tres isti affectus signati in Poëta, nam dolor iras excitat, & statim, *quid furis?* itaque dolor (vt dixi) præit iram, hæc furorem. Aristoteles 5. Polit. cap. 10. ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ μετὰ λύπης πάρεστιν, ὥστε οὐ ῥᾴδιον λογίζεσθαι: *ira est post dolorem, & iudicium adimit.* Quo loci coniungit dolorem, iram, furorem, vt Virgilius. Duos primos affectus in 1. Æn. etiam adhibuit:

Ira, dolor, furor, tres affectus.

Nec dum etiam causæ irarum sæuiq; dolores
Exciderant animo.

quasi dicat dolores, qui causæ irarum. & Seneca in Furente:

Non sic abibunt odia, viuaces aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Æterna bella pace sublata geret.

Philo Iudæus in opere de confusione linguar. attribuit iræ partum hunc, ἐμμανεῖς καὶ παραφόρους λύττας: *furentes & præcipites rabies.* Cui loco par fermè locus Senecæ. 2. de Ir. c. 36. *Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira.* Et Aristotelis lib. 2. Rhet. ὁ θυμὸς τῷ λογισμῷ ἐπισκοτεῖ: *ira rationem obtenebrat.* Est hoc, quod Seneca idem dixit ep. 18. *ingentis iræ exitus furor est.* Epicurus apud eundem, *immodica ira gignit insaniam.* Vt verò Poëta tres affectus coniungit gradu semper crescente, ita Aristophanes in Pluto primo adhibet ἐχυγιαίνειν, deinde, μελαγχολᾷς, tertiò, κακοδαιμονᾷς. Demum moneo. In hac oratione leuiter respectum ad illam, qua vsus Apollo apud Eurip. in Orest. cùm continuit Menelaum, & Orestem volentes Helenam interficere: initium est, Μενέλαε παῦσαι, & c. *quiesce Menelae.*

8. NOSTRI TIBI CVRA RECESSIT] Ait *cura nostri*, propter illa credo quæ sequuntur: nam Anchises, Ascanius, & tota Æneæ domus, & familia sub cura erant Veneris. ideo, quæ mox dicet, huius versus explicatio sunt. vt verò hîc,

— quonam nostri tibi cura recessit?

ita 4. G.

— quò tibi nostri
Pulsus amor?

9. HAVSERIT] Notat Germanus pari vehementia Græcos dicere ἀφύειν. Homerus 13. Il. ἔγκατα χαλκὸς ἤφυσε: *hausit intestina gladius.* Cur Virgilius postposuerit coniunctionem *&*, quæ naturâ fuit præponenda, legere est apud Iulium Scalig. lib. 4. Poëtic. cap. 48.

[a] Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,
Culpatúsue Paris, verùm inclementia Diuûm

Has euertit opes, sternitq; à culmine Troiam.
[b] Aspice (namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi; & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Iussa time, neu præceptis parere recusa.)
[c] Hîc, vbi disiectas moles, auulsaq; saxis
Saxa vides, mistoq; vndantem puluere fumum:
Neptunus muros, magnóque emota tridenti
Fundamenta quatit, totámque à sedibus vrbem
Eruit. [d] hîc Iuno Scæas sæuissima portas
Prima tenet, sociumq; furens à nauibus agmen
Ferro accincta vocat.
[e] Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone sæua.
[f] Ipse pater Danais animos, viresq; secundas
Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitat arma.
[g] Eripe nate fugam, FINEMQVE impone labori.
Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

ARGVMENTVM.

Illustrat mentem nati, eripitq; ab oculis mortalem caliginem, quò sciat non Helenam, & Paridem in noxa esse Troiani excidij, videatque Deos Neptunum, Iunonem, Palladem, qui vrbem quatiunt, euertunt, diruunt: demum suadet illi fugam, ad quam, opem suam pollicetur.

EXPLICATIO.

[a] SEquitur oratio Veneris ad filium, qua auertit Troianum excidium ab Helena, & Paride, veriùs à se ipsa, quæ nuptias illas conciliauit, confertque illud in Deos. Ergo ait, non facies Helenæ, quæ visenda pulchritudine, etiam si tibi inuisa; non Paris culpatus ab omnibus, quòd faciem illam amauerit, euerterunt Troianas opes, strauerunt Troiam à culmine: sed Dij, vt inclementissimi; nulla enim mortalium tanta esse vis poterat, vt tales opes euerteret, Troiam sterneret, nisi Dij hoc facerent, nec Dij vtcunque, sed oportuit armatos esse inclementia.

[b] Dixerat Troiam euerti ab Diis, hoc Æneas vt credat, ostendit illi numina, quæ contra Troiam pugnabant, iubétque illum vt aspiciat. Priùs tamen natum cælesti virtute confirmat, vt possit intueri Deos, erepta nube, qua ille & hebetudine, & tenebris opplebatur. Itaque duplex affectus est mortalis, nubis hebetatio & caligo, vtranque adimit. Pergit, *Tu ne qua parentis*, &c. Facit audacem ad intuendum. Omnia ἐμφατικῶς, quasi dicat, tutò potes facere, quæ Dea, & parens iubet.

[c] Comparato iam nato ad intuenda numina, principe loco Neptunum ostendit, constituens effectum, deinde causam. Effectus sũt moles disiectæ, saxa auulsa, vndans fumus, immistus puluis. Causa, Neptuni sæuitia, qui non modò muros, sed ipsa eruit fundamenta, & vrbem à sedibus.

[d] Secundo loco Iunonem indicat, quæ in hoc odio non secundas partes, sed primas tenet. vocat illam sæuissimam, inducit ferro accinctam, dicitque illam fuisse Græcis antesignanam, vocabat quippe illos,
A vt iam tandem è nauibus omnes aduenirent, Troiam direpturi.

[e] Tertio loco Palladem diruentem arces, nimbo, idest, diuina nube effulgentem, & cum insigni Gorgoneo, quod in huius Deæ scuto. Expende hîc, quàm propriè omnia vigilantissimus hic vates, nam in ipsa ruina miras oppositiones quærit, quibus faciat rem omnino deploratam. Fundamenta dicata sunt Neptuno, ideo à Græcis θεμελιοῦχος: portæ vrbium Iunoni, quia præses regnorum habita: arces Palladi, quia illas prima construxit. Ergo in vno Troiano excidio (vide quæ Deorum odia) diruunt Dij ea, quibus ipsi valent, & potentes sunt. Non potuit meliùs Poëta cladem hanc insignem facere.

[f] Culpam omnium Deorum in Iouem transfert ex
B superiori illa sententia, *ferus omnia Iuppiter Argos Transtulit.*

[g] Conclusio omnium quò destinata lõga commemoratio sæuitiæ Deorum. Nihil mouerat Æneam Hector, illo versu: *Heu fuge nate Dea téque his eripe flammis.* Ideo accedit matris præceptio. sic tandem vir fortis cessauit à pugna. demum promittit illi præsentissimam opem, quæ successum habuit, nam inter flammas, & hostes viam illæsus inuenit.

NOTÆ.

I. VERVM INCLEMENTIA DIVVM, &c.] Aliqui efficaci geminatione legunt, *Diuûm inclementia Diuûm*, quam lectionem agnoscit Terent. in-
C terpres An. & nonnulli alij. Si quid olim peccatum esset, & malè gestum à mortalibus, illi veteres in suos Deos omnia coniiciebant, hinc apud Virgilium *Deorum ira* quasi in prouerbium abit in. II. Dij culpati veteribus.

—Sue est hæc ira Deorum.

& in. I.

—Tantæ ne animis cælestibus iræ?

in. 5.

—vel quæ portenderet ira
Magna Deûm.

& in. 7.

—Concessit in iras
Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ.

Cicero 2. Nat. adducit, *Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias.* inde etiam natum, vt veteres suis Diis darent surditatem, & aurium occlusionem, quòd videlicet desererent in periculis mortales, neque opitularentur. in. 11.

—nulli exaudita Deorum
Vota precesq; mea,

in. 12.

Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subuenit.

8. ecl.

—Diuos (quanquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.

in hoc 2. etiam Hecuba, & reliquæ Troianæ fœminæ

—nequicquam altaria circum,

fundatur. demum in 12. vt alia infinita omittam,

—Nec Dij texere Cupentum
Ænea veniente sui.

Agamemnon apud Homer. Il. 19.

—ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι,
Ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα.
— Non ego auctor,
Sed Iuppiter, & Parca.

Hecuba apud Eurip. in Troad.

Ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν,
Τὰ δὲ δοκοῦντα ἀπώλεσαν:
Noui Deorum morem,
Quæ eximia, ea perdunt.

& ibid. Andromacha.

—ἐκ δὲ γὰρ θεῶν
Διολλύμεθα, παιδὶ τ' οὐ δυναίμεθα
Θάνατον ἀρῆξαι:
—A Dijs enim
Perimus, & filio non possumus
Mortem arcere.

Ibidem Helena vtitur hac excusatione conferendo in Deos, Iunonem, Palladem, Venerem, culpam, apud maritum Menelaum, volentem se interficere, intérque alia,

Μὴ πρός σε γονάτων, τὴν νόσον τὴν τῶν θεῶν
Προσθεὶς ἐμοὶ, κτάνῃς με, συγγίνωσκε δέ.
Ne per genua tua, morbum qui à Dijs proficiscitur,
Imputans tu mihi, interficias me. ignosce mihi.

& in Androm.

Ἑλένη δ' ἐμόχθησ' οὐχ ἑκοῦσ', ἀλλ' ἐκ θεῶν:
Helena non sponte peccauit, sed ex Dijs:

Ibid.

Θεοῦ γὰρ αἰτία, Θεὸς ἔκραινε συμφοράς:
Ex Deo clades, Deus calamitatem perfecit.

& in Phœniss.

Κακῶς Θεῶν τις δίπου Οἰφθείρει γένος:
Malè Deorum quispiam Oedipi perdit genus.

Achilles Homericus, vbi sup.

——— Ζεὺς
Ἤθελ' Ἀχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι:
Iuppiter voluit Achiuis multis mortem contingere.

Sed nemo luculentiùs Tullio aperuit Deorum vitia. Subiiciam verba quæ habentur lib. 1. Nat. attribuens hanc rem poëtis, *qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos: fecerúntque, vt eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalésque ex immortali procreatos.* — Deorum ethnicorum vitia.

2. Sternitqve a cvlmine] voces *culmen,* & *sterno* cum studio quæsitæ oppositione quadam. Vrbs, quæ eximia altitudine, strata iam, & æquata humi est Homer. κατ' ἄκρης. — Deos aspicere non tutum.

3. Aspice] Iubet Venus ipsa, vt aspiciat, aliter
A non tutus aspectus Deorum. Ad rem sunt versus Callimachi in hymno,

Ὅσγε τιν' ἀθανάτων ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ μισθῷ ἰδεῖν μεγάλῳ.
Vt quicunque Deum aspiciat, nisi iusserit ipse,
Mercede ingenti scilicet aspiciat.

Versio est Politiani. Actæonis fabula nota omnibus. Cum respectu ad hoc Ouidius,

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Repetit aliquoties rem eandem.

4. Obdvcta] Præpositio *ob* pro circum sæpissimè. Est enim nubes obducta, circum oculos ducta. Vetus Poëta: *Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia.* Ennius apud Nonium: *Ecce autem caligo oborta*
B *est, omnem prospectum abstulit.* Neque aliud est, *obligare, obstrepere, obire,* & mille alia. Phrasis ipsa à Lucretio sumpta lib. 5. *tenebris obducere terras.* — Ob, pro, circum.

5. Hebetat] Phrasis Græcorum est, nam illi quoque verbum ἀμβλύνω, *hebeto,* ad oculos traducunt, & verbo ἀμβλυώττω, vsi in hac significatione Plato, & Lucian. ille 6. Pol. ὀφθαλμοὶ ἀμβλυώττουσι, *oculi hebetantur.* Hic, ἀμβλυώττω πρὸς τὸ φῶς: *hebes ad lucem sum.* — Hebeto.

6. Nvbem] Vt Poëta, *nubem oculorum,* ita Apul. 1. Flor. *Nebulam nobis ob oculos offusam.* ante vtrunque Homer. Il. 15.

—ἀπ' ὀφθαλμῶν νέφος ἀχλύος ὦσεν Ἀθήνη:
—Ab oculis nebulam caliginis remouit Minerua.

Sed signatissimè allusum à Poëta ad locum è 5. Il. vbi
C Minerua his vtitur ad Diomedem.

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα:
Caliginem rursus tibi ab oculis abstuli, quæ priùs inerat,
Vt bene dignoscas tum Deum, tum etiam hominem.

Homeri loci Socrates meminit, in Alcibiade. 2. & sic interpretatur: discuti hominibus à Diis oculorum caliginem, quo videant discernántque bonum, & malum, γνώσεσθαι κακὸν, ἠδὲ καὶ ἐσθλόν. Nam videlicet per Deum, bonum; per hominem, malum interpretatur. Ioannes etiam Damasc. orat. de Transfigurat. id quod menti offundi solet νέφος vocat. Cùm ait *humida* persistit in assumpta metaphora, nam qui nubem dicit, par est, vt humentem vocat. Vocem *caligat,* explica, vel caligat tuos visus, vel caligat, id est,
D caliginosa est, & tenebrosa. Quid porrò symbolicè significet nubem eripi ab Ænea, explicat Christophor. Landinus in quæstionib. Camaldulensibus, vbi Æneæ symbolicas significationes ex Virgilio recenset plus sexaginta. Adi, si ocium. — Æneæ symbolicæ significationes.

7. Tv ne qva parentis ivssa time] Est hoc, quod Homerus πείθεο ἡμῖν.

8. Neptvnvs mvros, &c. Triplex notulà illustrabit Poëtam, *Cur quatit? cur fumus? cur fundamenta? vndans?* Neptunus quatit, quia dictus σεισίχθων, proprio attributo, id est, *quatiens terram,* & fundamenta, quia hæc illi sacra, vt ait Seruius, & Græci de illo θεμελιοῦχος. itaque versatur in sua potestate. Fumus vndans ex Græca imitatione, nam Calaber de fumo dixit ῥοαῖς, *fluenta.* Tu vide notam Turnebi lib. 26.
E cap. 33. Sed in hac etiam re Maro Homero institit. 12. Il. — Neptunus quassator. — Fundamenta sacra Neptuno. — Vnda, de fumo.

Αὐτὸς δ' Ἐννοσίγαιος ἔχων χείρεσσι τρίαιναν
Ἡγεῖτ'· ἐκ δ' ἄρα πάντα θεμείλια κύμασι πέμπε
Φιτρῶν, καὶ λάων:
Ipse autem Neptunus tenens manibus tridentem
Præibat, & omnia fundamenta amouit fluctibus
Stipitum, & lapidum.

9. Scæas portas] Troianæ vrbis portas sex enumerat Dares, Antenoridem, Dardanien, Iliam, — Troiæ vrbis portæ sex.

Scææ portæ vnde.

Scæam, Catumbriam, Troianam. Vnde autem dicta Scæa porta mirè variāt scriptores. Alij, quòd in læua vrbis parte sita; vel quòd illac illatus equus, qui exitium attulit; vel quòd consultatio quædam Troianis ibi habita sinistrè cesserit. Strab. lib. 13. censet Thraciam esse vocem: ait enim: *Multa apud Troes, & Thraces ijsdem nominibus appellantur, vt Scæi, Thraces quidam, & Scæus amnis, & Scæus murus, & Scæa Troianæ porta.* Sunt qui nomen ducant ab artifice: alij sic dictas volunt à sepulcro Laomedontis Regis, ille enim ad has portas situs, ij verò ducunt ἀπὸ τοῦ σκηνώματος, tentorio, aut tabernaculo. extremum hoc probauerim. nam hic mos veteribus frequentissimus, cuius me Pausanias sæpè admonet. In Bœoticis ait, ad Neitin portam Thebarum sepulchrū esse Menœcei Creontis filij: & lib. 5. *Ætolum matura morte ereptum condiderunt parentes exstructo monumento in ipsa porta, qua in Olympiam ad Iouis templum iter est.* & in Attic. in porta quapiam Athenarum sepulcrum constituit, in cuius fastigio erat equestris statua militari ornatu. In Achaïcis quoque sepulcrum Androchi exhibet ad portam Magnetidem. Philostratus in vita Polemonis hūc morem viguisse Laodiceæ scribit. Sed adhuc hic mos frequentior in Troia, vt apparet non solùm ex historia Laomedontis, sed ex verbis Daretis in Exc. Tr. *Priamus Hectorem suorum more ante portas sepeliuit, ludósque funebres fecit.* Fortasse sepulcra hæc in portis vrbium, quia in istis olim Deorum simulacra, quod de porta Edessæ vrbis Cedrenus narrat pag. 146. aitque, inde amotam à Christianis effigiem Dei gentilis, & Christi imaginem substitutā. Hoc planè Poëtam explicat, qui ideo Deos in portis constituit, facta, vt credi potest, allusione ad simulacra illorum, qui in portis vrbium erant.

Sepulcra ad ad portas vrbium.

Auctor vbi sepultus.

10. Ferro accincta] Ad lucem Poëtæ Statius. 5. Theb.

—Illa, qua rara silentia, porta
Stat funesta Venus, ferróque accincta furentes
Adiuuat.

Græci, χαλκὸν, & ὅπλα ζώννυσθαι.

11. Insedit] Signatur pondus Deæ prementis, & opprimentis vrbem. Homerus, ἐφέζετο Περγάμῳ ἄκρῃ. Vetus Poëta apud Aristidem in. 2. Platonica Palladem vocat περσέπτολιν, quasi vrbirupam. Cur Pallas dicta *Tritonia*, alibi.

12. Gorgone sæva] Gorgon, id est, caput Medusæ duplici in loco à Poëta datur Palladi hîc & in 8. quæ loca illustrari possunt narratione Plinij lib. 34. cap. 8. qui ait à Demetrio Mineruā fuisse confectam cum Gorgone, ac Draconibus. éstque mirabile quod addit, dracones Gorgonis ita dispositos, vt ad ictus quosdā, tinnitu citharæ resonarent. Illud Poëtarum, qui dicunt Medusæ Gorgona ipso aspectu homines interficere, atque in saxa conuertere, habere potuit originem ex eo animali, cuius in hūc fermè modum Athenæus meminit lib. 5. ad finem: *Narrat* (ait) *Alexander Myndius lib. 2. Historiæ de Iumētis, apud Nomades in Libya animal gigni appellatum Gorgonem, agrestibus ouibus, aut, vt nonnulli volunt, vitulo persimile. Habet hoc animal huius generis respirationem, vt omnia interimat, quæ obuia fuerint. habet enim comam, quæ ad oculos ex fronte dimittitur, quam vbi, ob grauitatem excusserit, fit, vt eum perimat, quē aspexerit.* Huius narrationis testem mox facit integrum Marij exercitum, ex quo multi perierunt, vbi illos animal aspexit excussa coma. adi locum dignum, qui legatur. Ad naturam huius, siue animalis, siue Gorgonis fœminæ allusit, lusitque egregiè Antiphanes in Νεανίσκοις, *adolescentibus*, apud eundem Athen. lib. 6. per initia, vbi sic ex Dalecampij versione:

Gorgō Palladis.

Gorgō animal miræ naturæ.

Hactenus ego putaui Gorgonas
Figmenta quædam esse: ad forum autem
Cùm accessi, credidi statim: nam ipsos respiciens
Piscarios, continuò factus sum saxeus.

Dicit obstupuisse se, visa piscium, qui vendebantur, magnitudine. Adeundus Pausan. in Corin. paulo vltra medium.

13. Ipse] Non frustra hoc pronomen, auget enim vim. Ita 4. G.

Nunc age naturas apibus, quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam.

Ita Catull.

—non si me Iuppiter ipse petat.

14. Viresque secundas] Huic voci nata felicitatis significatio ab auguriis. Qui captabant auguria, nunquam vnico contenti erant, sed captabant sequens quoque; vt primum, si infelix, mutaretur; si felix, firmaretur. Si sequens itidem esset infelix, dicebatur, *alterum*; si felix *secundum*. Inde vox hæc dilapsa ad infinita alia. Hoc ego alibi copiosiùs.

15. Patrio tutum te limine sistam] Insigne illud anchoræ, cui funis illigatus, cum his verbis, *tutum te littore sistam*, originem videtur habuisse à Virgilij verbis, qui modico flexu,

—patrio tutum te limine sistam.

Eo insigni vsus est Titus imperator, & ante illum Seleucus Rex Syriæ.

[a] Dixerat: & spissis noctis se condidit vmbris:
[b] Apparent diræ facies, inimicaq; Troiæ
Numina magna Deûm.
[c] Tum verò omne mihi visum considere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia.
[d] Ac velvti summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam, crebrisq; bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim: illa vsque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim euicta supremum
Congemuit, traxitq; iugis auulsa ruinam.

ARGVMENTVM.

Discedit à filio Venus, videt ille Deorum vultus Troianis inimicos, ruinamq; vrbis, quam explicat ruina arboris.

EXPLICATIO.

[a] Non exspectat responsionem nati Venus, quo æstuantem & pauidum relinquat.

[b] Indue

b Induerant ipsa numina toruitatem diritatémque, & quandam veluti sæuitiam, quo formidabiliora apparerent.

c Ita Troiæ culmina omnia constrata sunt, vt consedisse in ignes viderentur; ita concussa fundamenta, vt ex imo versa omnia. Ait *Neptunia* ad conquestionem. Magnum fuit, Troiam ruere; maius, Troiam Neptuni. Quod hîc *verti Troiam ex imo,* suprà, *Neptunus eruit vrbem à sedibus.*

d Comparat ruentem Troiam Deorum ferocitate, ruenti arbori agricolarum opera. Hîc nihil amplius explico, reseruans ad Notas.

NOTÆ.

1. CONSIDERE] Eurip. in Troad.

B

—Τροία πυρὶ δαίεται:
—*Troia igni vritur.*

Maius quiddam, & non vulgariter, *in ignes considere,* in quo institit eidem Euripidi, nã de Regia Penthei conflagrante in Bacch. συντεθράνωται dixit, περὶ τὸ θράνος, id est, sedes. tametsi alij legant συντεράνωται, *conteritur:* sed lectio prior defendi posset Virgilij imitatione.

2. AC VELVTI &c] Adducam in hoc initio comparationes Homeri, & aliorum. quo Virgilij opera maior eminentiórque appareat. Ergo Græcus. 4. Il.

—ὁ δ᾽ ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν, αἴγειρος ὥς
Ἥ ῥά τ᾽ ἐν εἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκει
Λείη, ἀτάρ τέ οἱ ὄζοι ἐπ᾽ ἀκροτάτῃ πεφύασι.
Τὴν μέν θ᾽ ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἐξέταμ᾽, ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ:

C

— Hic autem in pulueribus humi cecidit, ceu populus
Quæ in humido loco paludis magnæ nata est
Plana, sed ei rami in vertice creuerunt.
Hanc quidem carpentarius micanti ferro
Excîdit, vt orbem rota flectendo conficiat pulcro currui.

In hac narratione (ait Scal.) nõ maior opera posita est, quã in cædenda populo fecerit carpentarius, cùm in Virgilio Musa ipsa loquatur. igitur *antiquã ornũ* cũ antiqua Troia: illa *ferro accisa*, Troia longinquo bello attenuata: *agricolæ*, Græci sunt. Naturam verò arboris specta, *illa minatur*, & *vsque*, & *tremefacta*, & *nutat paulatim euicta*. Addidit & attributionem, *congemuit*, nam ictibus respõdet arbor suo sonitu, & *traxit ruinã* secũ, sicvt Ilij euersio traxit secum Troianorũ opes. in Homerica comparatione rami nihil faciunt. Ad hæc rotæ curuatura pessimè fiet è populo, nam & facillimè atteritur, & minùs fideliter tenet ferrum, si eo incrustetur. Hactenus, & sic fermè Scal. quæ probanda omnia si tantùm dicas hîc, *agricolas*, Deos esse, non Græcos: nam comparatio sequitur Deorum demolitionem: sic enim Neptunus, Iuno, Pallas vrbem diruebant, vt agricolæ ornum. Macrobius quoque lib. 5. Satur. cap. 11. Virgilio palmam dat: nam difficultatem exscindendæ arboris expressit, cùm Græcus facili negotio euertat. Neque defensio Spondani pro Homero contra Macrobium dicentis, conuenientiorem esse Homericam comparationem, nam sicut populus facilè exscinditur à Carpentario, sic hostis ab Aiace facilè perimitur, vt longè à fortiore; aliquid valet: pugnat enim contra veritatem, & naturam rei, quod vel ex Adagio docemur, πολλαῖσι πληγαῖς δρῦς δαμάζεται: *Multis ictibus quercus deijcitur.* Quod populo

Virgilius superat Homerum.

Multis ictibus quercus. adag.

D

A etiam conueniet, etiam si non materiæ tam duræ. Ab Homero ad Apollonium transeo, qui libr. 4. Arg.

Ἀλλ᾽ ὥς τίς τ᾽ ἐν ὄρεσσι πελωρίην ὑψόθι πεύκην,
Τήν τε θοοῖς πελέκεσσιν ἔτ᾽ ἡμιπλῆγα λιπόντες
Ὑλοτόμοι δρυμοῖο κατήλυθον, ἡ δ᾽ ὑπὸ νυκτὶ
Ῥιπῇσιν μὲν πρῶτα τινάσσεται, ὕστερον αὖτε
Πρυμνόθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν: ὣς ὅγε ποσσὶν
Ἀκαμάτοις, τείως μὲν ἐπισταδὸν ἠωρεῖτο,
Ὕστερον αὖτ᾽ ἀμενηνὸς ἀπείρονι κάππεσε δούπῳ:

Sed vt in montibus magna quædam picea
Quam acutis bipennibus relinquentes semisectam
Rustici à sylua abierunt, illa autem noctu
Cum impetu primùm quatitur, deinde rursus
Altè confracta concidit: sic hic pedibus
Indefessis, diu firmiter sustinuit,
Deinde cecidit cum magno strepitu.

A Græcis ad Latinos. Catull. similem penè adducit comparationem ad casum Minotauri explicandum in Nupt. Pelei:

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Exuit: illa procul radicibus exturbata
(alij legunt *exstirpata*)
Prona cadit, lateq; & comminus omnia frangit.
Sic domito sæuum prostrauit corpore Theseus
Nequicquam vanis iactantem cornua ventis.

Seneca in Oetæo mirè Maronem æmulans in labore cædendæ arboris, sic ait:

Stat vasta latè quercus, & Phœbum vetat,
Vltráque totos porrrigit ramos nemus:
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangítque cuneos: resilit excussus chalybs,
Vulnúsque ferrum patitur, & truncum fugit:
Commota tandem est: tunc cadens lenta mora
Duxit ruinam.

Valer. Flacc 3. Argon. ita se exercuit:

Ac veluti magna iuuenum cùm densa securi
Sylua labat, cuneísque gemit graue robur adactis,
Iamq; abies piceæq; ruunt: sic dura sub ictu
Ossa virum.

Ita Cyprianus in Sodomis ad vmbram Virgilij loquens de arbore,

—Vbi subter adesam
Perdit humum, circumfesso iam caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam.

3. SVMMIS ANTIQVAM IN MONTIBVS ORNVM] Causa & effectus: ideo antiqua, quia in summis montibus. explico. dixi in Georg. ornum montes amare, nunc addendum, non solùm montes, sed ipsa adhuc montium cacumina, hîc *in summis montibus.* in 10. Orni arboris domicilium.

Aut summis referens annosam in montibus ornum.

atque in vtroque carmine illi dat diuturnitatem, cùm & *annosam*, & *antiquam*, vocat. fit .n. vt in ipso montium vertice adeò hæ arbores ventorum flatibus indurentur, vt habeant æternum pene æuum.

4. TREMEFACTA COMAM] Hellenicum esse ait Budæus, pro, comâ tremefactâ. *Vulnera*, de arbore dixit, sicut Pindarus nauem compactam ait, πληγαῖς σιδάρου, *plagis ferri.* Adiunge parœmiam adductam, δρῦς πληγαῖς δαμάζεται: *quercus plagis domatur.* De qua locutione ego latè in Georg. Hellenismus.

a Descendo: ac DVCENTE DEO flammam inter & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæq; recedunt.
b Ast vbi iam patriæ peruentum ad limina sedis,

Antiquásque domos: genitor, quem tollere in altos
Optabam primùm montes, primúmque petebam,
ABNEGAT exscissa vitam producere Troia,
Exiliúmque pati. VOS ô, quibus integer æui
Sanguis, ait, solidæq; suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.

ARGVMENTVM.

Inter flammas hostésque illæsus demum peruadit ducente Venere: vult patrem inde tollere, negat senex, nam fuga iuniorum est.

EXPLICATIO.

a DESCENDIT Æneas è regia, vbi gesta, quæ narrata hactenus, ac duce Dea Venere expedit se facilè inter flammas, nam istæ recedunt; & inter hostes, nam tela dant locum.

b Transit ad domesticam tragœdiam, incipitque à pietate sua erga patrem, quem voluit humeris attollere, vt illum abderet in proximos montes, sed senex restitit, nolens exstincta Troia ipse superstes esse, neque ire in exilium, conuersúsque ad iuniores, hortatur, vt ipsi fugam capessant, vt qui sint integro æuo, integris viribus, nam ipse mori in euersa patria destinat, & vnà cum Troia cadere.

NOTÆ.

1. DVCENTE DEO] Sunt, qui fabulentur quæpiam de cælesti stella, aut cælesti ardore, quo, ab hoc puncto temporis, vsus Æneas sit beneficio matris Veneris, vsque dum perueniret in Italiam. Et eò aiunt respectum à Poëta, nam infert ducentem Venerem. In Aristide orat. 5. Sacror. sermonum quiddam est huic commento simile. μία τὶς ζώνη διὰ παντὸς τοῦ ἀέρος ἦγεν εἰς τὸ ἱερὸν, κατ' αὐτῆς τῆς ὁδοῦ τεταμένη, σκέπην ἅμα καὶ φῶς ἔχουσα: *Quædam veluti Zona per aerem totum ad viam extensa nos ad templum ducebat, tegens pariter, & collustrans.*

2. DEO] Omnes interpretes Venerem intelligunt, & verè: quam Poëta Deum vocat Græcorum consuetudine, qui Deas etiam dicunt non solùm, θεάς, sed etiam θεούς. & quidem apud illos indiscriminatim θεός signat tam Deum quàm Deam. *(Deus pro Dea.)* Athen. lib. 5. ἐν ᾧ μαρμάρεινον ἄγαλμα τῆς θεοῦ, *In quo (templo) erat marmoreum simulacrum ipsius Dei*, præcesserat autem Venus. Eurip. in Troad. τὴν θεὸν κόλαζε: *ipsam Deam obiurga.* sermo est de Venere. Vbi vides θεὸν, non θεάν. & Homer. Il. 3. ἦρχε δὲ δαίμων, *præiuit autē dæmon*, & Ἀφροδίτην intelligit *Venerem*, Caluus Poëta, *Pollentémque Deum Venerem.* Leuinus, *Venerem igitur almum adorans.* Iul. Firmicus lib. 3. Venerem *biformem* dixit. Aristophanes Venerem Ἀφρόδιτον vocat, non Ἀφροδίτην. In Cedreno carmen est cani solitum à Mahometanis hoc, ὁ Θεός, ὁ Θεὸς μείζων, καὶ ἡ μεγάλη, εἶτ' οὖν Ἀφροδίτη Θεός: *Deus Deus maior & magna, nimirum Venus Deus.* Hinc Veneris barbatæ mentio plurima apud auctores, Seru. Macrob. aliósque. & Suidas ait, Venerem idcirco cum barba effingi, nam Romanas fœminas pestilens aliquando pruritus inuasit, quo morbo cùm pili deciderent, pectinum vsus non erat: inde Veneri vota fecerunt, ac statim succreuerunt pili. *(Venus barbata.)* liberatæ ergo eo morbo Deæ simulacrum cum pectine posuerunt, barbam insuper addiderunt, vt vna Dea haberet instrumenta & mascula, & fœminea, vt esse

A crederetur omnibus generationibus præses: præterea, vt hoc magis exprimerent, fecerunt vt superiora corporis masculam speciem præferrent, inferiora fœmineam. Cum barbata Venere coniungi potest armata, ea enim cū armis cingebatur, vt Mars. *(Et armata.)* Aptum epigramma Leonidæ, in quo air, frustra illam armari in homines, cùm vel nuda vicerit Martem. Vide in Anthologia. Inuenio & quatuor aliis datam hanc virilem nomenclaturam, Palladi, Lunæ, Nemesi, Palæ pastorum Deæ. *(Pallas dicta Deus.)* De Pallade interpres Euripidis in Hecuba, loquens de hac Dea. τῆς θεοῦ πολεμικῆς οὔσης. Aristophanes in Pluto de eadem, τῆς θεοῦ. Philostratus in Heroicis loquens de Cassandra, quæ auulsa est ab simulacro Palladis, cui hærebat, & supplicabat, ait, προσκειμένην τῇ θεῷ, καὶ ἱκετεύουσαν. *(Luna Deus.)* De Luna Tertull. in
B Apolog. cuiusdam fabulæ hanc infert inscriptionem, *Masculam Lunam.* Orpheus in hymno ad Lunam θῆλυς τε, καὶ ἄρσην: *& fœmina, & mas.* Spartianus in Caracal. scribit, apud Carrhos, qui Lunam fœmineo genere enuntiaret, hunc addictum mulieribus semper inseruire: qui verò Lunam marem esse crederet, hunc dominaturum vxori, neque passurum vllas insidias muliebres. *(Nemesis Deus.)* De Nemesi Antimachus citante Suida, Νέμεσις μεγάλη, Θεός: *Nemesis magna, Deus.* Seneca in Furent.

Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

quo loci hanc Deam intelligit. *(Pales Deus.)* Demum Palem Varro Deum nuncupauit. Hæc vicissitudo seruata interdum in Diis maribus, nam Valerius Horanus Iouem fœminam vocat, cùm ait: *Tu genitor, genitrixque Deûm.* Adi Lilium 13. synt. Iof. Scal. in Fest. Crin. de Hon.
C Disc. cap. 6. lib. 23. Delr. in Fur. Sen. Nou. Comm. vers. 384. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 8. Seruium hîc, & Suidam. Ex dictis Arnobij locum explico lib. 3. ac perinde morem gentium. Ait ille: *Consueuistis in precibus, siue tu Deus es, siue tu Dea, dicere.* *(Siue Deus, siue Dea, cur.)* Quæ verba capio de doctrina, quam præmisi. Non enim difficile erat scire, an cum homine, an cum fœmina, loquerentur: sed nesciebant, qua nomenclatura numen illud gauderet, atque adeò distribuebant, ne offenderent in precibus.

3. DANT TELA LOCVM, FLAMMÆQVE RECEDVNT] Hoc est, celeberrimum illud prodigium, & ethnicis ipsis decantatum. bis accidit, tum hîc, tum infrà, cùm patre humeris sublato, Troia abiit, cuius tamen meminit, non hîc, sed in 6. Æn.

Illum ego per flammas, & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medióque ex hoste recepi.

D Itaque recedebant flammæ neque audebant lædere hominem. De qua historia, potiùs fabula, & mendacio gentilium, dicam postea.

4. ANTIQVASQVE DOMOS] Agnosce ritum per mortales penè omnes vagantem. *(Domicilia gentium.)* Dixi pene, quia nisi barbari, reliqui genus suum & familiam ad certa quædam domicilia, & sola referunt, vbi iam antiquitus primi progenitores nati. Hispani dicunt, *casas solariegas.*

5. ABNEGAT EXSCISSA] Ductum fortasse ex Eurip. imitatione, apud quem in Troad. Hecuba, non vult viuere excisso Ilio.

Οἴμ'

Φέρ', εἰς πυρὰν ἐξορμώμεθ'· ὡς κάλλιστά μοι
Σὺν τῇ γε πατρίδι κατθανεῖν πυρουμένῃ:
Age, in ignem curramus, honestum namq; est mihi
Vrbe hac flagrante me quoque simul mori.

Exscissa scripsi, non excisa, iudicio Germ. qui prius mauult. nam de excidio Troiano loquitur Anchises, quod ab exscindendo, ducente nos ratione moduli syllabici.

Integer sanguis. 6. INTEGER ÆVI SANGVIS] Sanguis iuuenibus est integer plenúsque, cùm contra in senibus diminutus, vnde tremor prouenit, ait Seruius. Plautus Mercat. dixit, *Sanguis integer*, loquens de adolescente, & Pseud. *ætas integra*. Postremum hoc dictum quoque Terentio, & Suetonio in Caligul. cap. 25. vt verò *æui integer*, sic in 9. pari locutione. Ascanius, *æui integer*, & Stat. 1. Theb. *integer annorum*. Propert. mutat

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annis.

Plautus Bacchidib. opponit. *Plenum sanguinis, & vacuum virium*. Plenos sanguinis Vict. 15. Var. cap. 21. explicat feros iracundósque, ad eum modum, quo Plat. 8. leg. dixit, πολλοῦ σπέρματος μεστὸς: *multi plenus seminis*, pro feruescente ætate. In Philostrato vidi, ἕτοιμον τὸ αἷμα, *promptum sanguine*. Ita enim in Heroicis viuidam vigentémque Stheneli iuuentutem expli- Plenus sanguinis, quid sit.

A cat. Demum obserua sententiam Poëtæ ductam fortasse ex Pindaro od. 4. Pyth. apud quem Pelias senex destinans Iasonem ad expeditionem Colchicam, ita cum illo loquitur,

Ἀλλ' ἤδη με γηραι—
ὸν μέρος ἁλικίας ἀμφιπολεῖ.
Σὸν δ' ἄνθος ἥβας ἄρτι κυ—
μαίνει.

Sed me iam senilis pars ætatis circumdat: ac tuus flos ætatis feruet ceu fluctus. Solidum.

7. SOLIDÆQVE SVO STANT ROBORE VIRES] Effectus superioris vocis. quasi dicat, quia, *sanguis integer*, ideo quoque, *vires solidæ*, & cum *suo robore*. Nam solidæ vires sunt integræ vires, vt in Horatio *solido de die*, id est, integro. De hac iuuenum virtute locus est Quintiliani declam. 258. *Non est tam admirabile cùm fortiter facit iuuenis, hoc ætas postulat, hoc robur* B *iuuentæ poscit, pene turpe est non fecisse*. Græci id, quod præstans est & magnum, vocant ab iuuenibus νεανικὸν, vt πόροι νεανικοὶ, sunt permagni meatus. Vnde aliqui illud Aristophanis in Pluto κρέας νεανικὸν, explicant non tam teneram carnem, quàm peringentem, & fortem.

[a] Me si cælicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi seruassent sedes, satis vna superque
Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi.
[b] Sic ô sic positum affati discedite corpus.
[c] Ipse manu mortem inueniam: miserabitur hostis,
Exuuiásque petet. FACILIS iactura sepulcri est.
[d] IAM PRIDEM inuisus Diuis, & inutilis annos
Demoror: ex quo me Diuûm pater, atque hominum Rex
Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.

ARGVMENTVM.

Adducit Anchises rationes, quibus nolit fugere.

EXPLICATIO.

[a] CAVSAM, cur non debeat fugere, in Deos confert Anchises. Quid viuam (ait) inuitis Diis? hi me perdunt. nam quid aliud est, illos mihi Troiam euertisse, & has meas sedes? Deinde cum tædio vitæ adiicit, *satis vna superq;*, &c. Vbi sententia capienda est, de excidio, quod Troia passa est ab Hercule sub Rege Laomedonte, quod excidium Anchises viderat, & satis esse ait, si vni excidio superuixerit, duobus non vult.

[b] Mortuum se effingit, componítque, ac si efferendus esset ad tumulum: & petit, vti assentur ad se extrema illa, *vale, vale*, quæ mortuis viui solent.

[c] Ipse (inquit) manu mea me interficiam. Si verò mihi non satis animi ad mortem meam, non deerit percussor, qui laborum, quos patior, misereatur, vel cupiditate exsuuiarum. Deinde occurrit sibi per prolepsin. Quid si insepultus maneas? hæc mihi (respondet) iactura facilis erit, neque digna, quam reputem.

[d] Subnectit duas alias causas, quibus ostendit contemni à se vitam, optari mortem. Prior est, ab odio Deorum, quibus inuisus: posterior, à grauiætate, qua iam est inutilis. Vtramque, ait, iam dudum se esse expertum, ex quo afflatus est vento, contactus igni ab C Ioue, quasi hac ratione soleat Iuppiter inuehi in homines sibi inuisos, atque invtiles.

NOTÆ.

1. SATIS VNA SVPERQVE] Vtraque vox, *satis*, & *super*, dicta ad augmentum, quæ locutio Ciceroni etiam familiaris, pro Quintio. *Satis superque habeo, quod mihi dederis*. de officiis *mihi satis superque dixisse videor*. Plin. lib. 5. cap. 1. *& satis superq;* de Atlante. Plautus Amphit. *satis superq; est*. Easdem voces in Epidic. ita disponit, *quantum sat est, & plus satis, supersit*. Satis superque.

2. CAPTÆ SVPERAVIMVS VRBI] Excidij huius præter poëtas, qui passim, meminit etiam Dionys. lib. 1. Antiquit. eo loci, quo narrat aduentum Herculis in Italiam. Et Aristides in Rhodiaca, vbi de Troia D loquens, δὶς ἁλοῦσα· ἅπαξ μὲν ὑπὸ Ἡρακλέους, δεύτερον δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων: *bis capta, semel ab Hercule, iterum ab Græcis*. Troia bis capta.

3. POSITVM] Propria vsus est voce, mortui enim efferendi ad tumulum dicebantur, *positi*. Plin. lib. 21. cap. 3. *ipsi mortuo, parentibúsque eius, dum intus positus esset, forísve ferretur*. Ouidius in epist. Ariadnæ: Positi de mortuis.

Nec positos artus vnget amica manus.

Statius 12. Theb.

Hei mihi quòd positos humus alma diésque resoluit.

Tacit. 1. Hist. *Otho cruento adhuc foro, per strages iacentium in Capitolium, atque inde in Palatium vectus, concedi corpora sepulturæ, cremaríque permisit. Pisonem Venania vxor, ac frater Scribonianus; Titum Vinium Crispina filia* compo

compoſuere. Artemidorus lib.1.cap.14. οἱ ἀποθνήσκοντες χαμαὶ τίθενται:*mortui humi ponũtur*.Dicunt etiam Græci προθέσθαι ἀποθνήσκοντα,*mortuum collocare*.Sed de hac re latiùs alibi. Ceterùm ſententiam mihi Philoſtratus explicat,in Heroicis. Loquitur enim Poëta de illo genere tumultuationis, quod diſcriminatur ab crematione. Cùm enim non cremarentur cadauera, dicebantur poni in terram. Verba eius loquentis de Aiace Telamonio ſunt, ἔθαψαν δὲ αὐτὸν καταθέμενοι ἐς τὴν γῆν τὸ σῶμα, ἐξηγουμένου Κάλχαντος, ὡς οὐχ ὅσιοι πυρὶ θάπτεσθαι οἱ ἑαυτοὺς ἀποκτείναντες: *Sepelierunt ipſum, deponentes humi corpus, Calchante interpretante impium eſſe,vt hi igni ſepeliantur,qui ſibi mortem attulêre*. Sed verior fortaſſe alia explicatio, quam mihi ſuppeditat idem Philoſtratus in vita Polemonis. Audire illum ſatius eſt. Ἀλλ' ἐκεῖνά γε ἀληθέστερα, ταφῆναι αὐτὸν ζῶντα ἔτι· τουτὶ γὰρ τοῖς φιλτάτοις ἐπισκῆψαι. Κείμενόν τε ἐν τῷ σήματι προσκελεύσασθαι τοῖς συγκλείουσι τὸν τάφον· ἔπαγε ἔπαγε· μὴ γὰρ ἴδοι με σιωπῶντα ἥλιος: *Veriora ſunt, ipſũ adhuc viuentem fuiſſe humatum, hoc enim amiciſſimis enixè ab eo mandatum fuerat,atque iam ſitum in tumulo his,qui claudebant monumentum dixiſſe, inducite, inducite, ne me ſol videat tacentem*. His apparet fuiſſe genus tumulationis, quo viui homines clauderentur in theca,ibíque exſpectarent extremum halitum. Et cur non ad hoc genus ſepulcri aſpirare potuit Poëta?Iuuat Appianus qui de Aſdrubale ait, ἐν Λιβυκ. ὁ δὲ ἔφθασε μὲν ἐς τὸν τοῦ πατρὸς τάφον καταφυγὼν, καὶ φαρμάκῳ διαχρησάμενος αὐτόν: *Ille anticipato periculo ad ſepulcrum patris profectus, veneno ſe interfecit*.Quibus clarè genus hoc mortis innuit. Simile quiddam Labro fecit apud eundem lib. 4. ἐμφυλ. ne Romanus ipſe in poteſtatem Romanorũ in proſcriptione ciuili perueniret. Nam in tabernaculo locum effodit ad menſuram corporis, ſeque condidit in eo ſepulcro: mox ſeruo enſem præbuit ac iugulum,ibique mortuus iacuit.

Cadauera quando poni dicebantur.

Viui ſepeliebantur.

4. IPSE MANV MORTEM INVENIAM] Addidi *mea*, non ſecutus Seruium; durum enim; *inueniam mortem manu hoſtis*,ſed Donatum ſic explicantem:*ego me occidam*. Eadem mens Germ. qui vnus pro multis: ait enim, Virgilium circumlocutione quadam reddidiſſe verbum διαχειρίζεσθαι, vnde & αὐτόχειρ, id eſt, αὐθάνατος, *qui ſeipſum manu ſua interficit*.idem ſentit Iul.Scal.

A

5. FACILIS IACTVRA SEPVLCRI EST] Fuêre, qui nihil ataphiam metuerent. Talis Diogenes, & multi alij. Adeundus Alexander de variis generibus ſepulturæ.

6. EX QVO]Coniungi hæc *iam pridem ex quo* cum magno ſapore veteris elegantiæ Godeſcalcus animaduertit lib.de ling. Lat. Hîc adnoto duci falſum omen ab Anchiſe, cùm lætum potiùs debuiſſet: fuit enim ſummæ felicitatis non interfici vicino igne fulminis. Hoc enim in argumentum magnæ felicitatis, quæ fuit in Scopeliano Sophiſta, adducit Philoſtratus in eius vita.Lege illum.

Iam pridẽ ex quo.

7. FVLMINIS AFFLAVIT VENTIS]Ex triplici genere fulminum attingit duo prima *afflans* & *incendens*,illud clarè, hoc illis,*contigit igni*,dicente ſic Seru. *Tria ſunt fulminum genera: eſt quod afflat,quod incendit, quod findit. de hoc autem ſiluit*. Additque fulminatum Anchiſen,quia ſe,cum Venere concubuiſſe,iactabat, & in 1.Æn.ſcribit,tunc vno oculo priuatum quoque fuiſſe. Vide quoque 1. Æn. ad illud, *Diſiecítque rates*. Ceterùm Venus in hymno ſuo apud Homer.(ſi Homeri eſt hymnus) Anchiſæ grauiter minatur, ſi aliquid enuntiet.

B

Fulminum tria genera.

Anchiſes vno oculo priuatus.

Εἰ δέ κεν ἐξείπῃς, καὶ ἐπεύξεαι ἄφρονι θυμῷ
Ἐν φιλότητι μιγῆναι ἐϋστεφάνῳ Κυθερείῃ,
Ζεύς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ:
Si autem rem ipſam dicas, & iactes dementi animo
In amore miſtum fuiſſe cum bene coronata Cytherea,
Iuppiter te iratus feriet ardenti fulmine.

C

Has minas ſucceſſum habuiſſe Virgilius ait, cùm Anchiſen infert afflatum tactúmque igne. Diſſidet à Virgilio Artemidorus ſcribens lib.2.cap.8. Κεραυνὸς δὲ ἄνευ χειμῶνος πλησίον πεσὼν, καὶ μὴ ἁψάμενος τοῦ σώματος, ἐκβάλλει τῶν τόπων τὸν ἰδόντα ἐν οἷς ἐστιν: *Fulmen citra tempeſtatem proximè cadens, neque corpus contingens,eum, qui vidit,extra locos eijcit,in quibus degit*. Vbi vides expelli à patria eum, qui non tangitur; Secus Anchiſes,qui tactus pellitur.Certè contingi fulmine ſemper ominoſum fuit. Auguſti imago tacta igne,& eius prima littera abolita, illius mortem indicauit. Auctor Cedren.

a Talia perſtabat memorans, fixúſque manebat.
b Nos contra effuſi lacrymis,coniúxque Creuſa,
Aſcaniúſque,omníſque domus;ne vertere ſecum
Cuncta pater, fatóque vrgenti incumbere vellet.
Abnegat:inceptóque, & ſedibus hæret in iiſdem.
c Rurſus in arma feror, mortémque miſerrimus opto.
NAM QVOD conſilium, aut quæ iam fortuna dabatur?
d MENE efferre pedem,genitor,te poſſe relicto
Speraſti? tantúmque nefas patrio excidit ore?
e Si nihil ex tanta Superis placet vrbe relinqui:
Et ſedet hoc animo,perituræq; addere Troiæ
Téque tuóſque iuuat, patet iſti ianua letho.
f Iámque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

D

ARGVMENTVM.

Nihil ſuorum aut precibus,aut lacrymis concedens hæret in peruicacia,quam Æneas conatur peruincere,partim deiectis argumentis illius, partim obiectis dirioribus.

EXPLICATIO.

a VERBA *perſtabat*,*fixus manebat*,ſignata omnia ad ſenis pertinaciam explicandam, & aptè *memorans*.

memorans, nam reuocabat in memoriam præteritam, A historiam exscissi Ilij.

b Oppugnatur senex lacrymis filij, nepotis, nurus, totius domus: accedunt ad lacrymas preces, nam *ne vertere secum, &c.* Sed neque expugnatur lacrymis, neque exoratur precibus, nam sequitur, *Abnegat, incœptóque, & sedibus hæret in iisdem.* Vbi addita tot verba *abnegat, hæret, sedibus, incœpto*, ad prædicandam immodicam senis peruicaciam.

c Ortum consilium à patris pertinacia. nam quid aliud faceret vir fortis? omnia παθητικά.

d Sententia est. Sperasti, vt ego Troia abirem, méque in tuto locarem sine te? alludit videlicet ad illud Anchisæ, *Vos agitate fugam.* Itaque non dicit, sperasti me posse efferre pedem domo? sed, Troia. nam postea ipse domo exiret, nisi impediretur à coniuge. Et nota verba. Anchises *fugam* nominauerat, ait Æneas quî fugiam, qui ne dum pedem efferam? Pronomina *me* & *te* emphasim habent magnam. Pergit liberè Æneas. *Tantúmque nefas patrio excidit ore?* Perdit suo consilio Anchises Æneam, nepotem, nurum, totam domum; inde filio licentia increpandi liberè patris, & dixisse illum *nefas*, clamat. Sed vna est excusatio in voce *excidit*, quasi nefas illud incogitanter pronunciauerit senex.

e Euertit Æneas patris ratiocinationem, dixerat ille, si Dij voluissent me viuere, seruassent mihi has sedes, at euerterunt patriam vbi sedes meæ. Respondet Æneas, & concludit: Si mens est Deorum, vt tu ais, vt nemo supersit patriæ euersæ, & id tibi quoque in animo sedet, ac proinde vis nos omnes addere ad C Troianam cladem, profectò ianua patet letho, quod certissimum erit, nam aderit Pyrrhus, &c. Hæc omnia dicuntur ironia quadam sententiarum. Nam mens Æneæ est, iniquum esse existimare, nolle Deos, vt victi ciues supersint patriæ victæ: cùm vnicuique sit ius tuendæ salutis, etiam patria euersa. In illis, *isti letho*, subaudi, voluntario, in quod tu vis ruere.

f Quo terreat senem, Pyrrhi ferocitatem proponit, alludens ad illa, *miserebitur hostis.* quasi dicat: Non tibi vitam ad misericordiam eripiet ille, in quo sunt omnes crudelitatis notæ. Imbuet suo sanguine, sicut multo Priami. An, qui regi non pepercit, tibi parcet? Non agis cum hoste misericorde, & pio: obtruncat quippe ille natum ante patrem sæuissimè, patrem ante Deos impiissimè. Est itaque affectus & D argumentum petitum à circunstantiis rerum, personarum, locorum.

NOTÆ.

1. PERSTABAT] Liuius ex Virgilio lib. 41. *Pertinaciùs Quintius in cœpto perstabat.*

2. FIXVSQVE MANEBAT] Similis pertinacia Philoctetæ apud Sophocl.

Οὐδέποτ' οὐδέποτ' ἴσθι τόδ' ἐμπεδον
Οὐδ' εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὰς
Βροντᾶις αὐταῖς μ' εἶσι φλογίζων:

Nunquam hinc mouebo,
Ne si corusco sæuus
Me fulmine vrat Iuppiter.

3. FATOQVE VRGENTI INCVMBERE] Sumpta proculdubio locutio ab his, qui incumbunt gladiis, vt se interimant.

4. SEDIBVS] Præclarè vsus voce ambigua (viderunt iam alij) vt significaret senem ita tenacem animo, vt erat corpore.

5. ME NE EFFERRE PEDEM] Aristophan. in Lysist. ἐξελήλυθας δόμων. Appianus lib. 2. ἐμφυλ. προῆς τῆς οἰκίας. Cicero, & Plautus ante Nostrum. Ille, 7. ad Attic. *pedem porta non extulit.* hic Captiu. *pedem efferat.* Sed ante vtrunque Laberius in incerta comœdia: *pedem ex taberna tulimus.* Sed vide, vti Plautus variet. Bacchidib. *duc te ab ædibus.* Mostel. *ex ædibus me edidi foras.* Casin. *exiluit foras.* Curcull. *proficisci foras, migrare foras, foras me abripui.* Emphasis porrò illa pronominum desumpta (ita interpretes) ab Sophocle in Aiace, τί γὰρ δεῖ ζῆν με, σοῦ τεθνηκότος; *Quid ego viuam te mortuo?* Ouidius in epist. pari emphasi: *Clamabam, sine me, me sine mater abis?*

6. TANTVMQVE NEFAS PATRIO EXCIDIT ORE] Non displicet cogitatio eorum, qui aiunt Poëtam locutum κατ' ἀντίθεσιν, hac sententia. nefas erat me abire te relicto ad cædem, neque hoc debueras de me cogitare; quod tamen nefas in te hæret, qui B persistendo in peruicacia, causa es cædis tuorum. itaque volunt isti, coargui ab Ænea impietatis: quod tamen subticuit, ne filius acerbus esset patris reprehensor, contra decorum: sed tantùm indicat, quid pater peccet exponens suos ad necem; cùm dicat quid ipsemet peccaret, si abiret relicto patre. Clariùs: ego impius essem, si te desererem; tu ergo impius qui me non comitaris: nam inde cædes à me in te redundaret; hinc à te in nos. Quod Poëta *excidit*, Homerus sæpe, ἔκφυγεν ἔπος: *fugit verbum.* tritus versus ille,

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;
Quod te fugit verbum ex septo dentium?

Et Liuius Andron. in Odyssea, citante Prisciano:

Quid verbi ex tuo ore profugit? Ennius in Fragmento: *Ausus es hoc ex tuo ore?* Quod Cicero arripuit ad Atticum, *Ain tandem Attice laudatum integritatis & elegantiæ nostræ? ausus es hoc ex ore tuo? inquit Ennius.* Aristides in 2. Platonica ita dixit, ἐξεχέοντο οἱ λόγοι, vt Noster *excidit*, id est, *effluebant verba.* Inuenio etiam Euripidis imitationem in And. vbi cùm Hermione dixisset quiddam de seruitute sua, statim Orestes, πῶς ἐν τάδ' ἐξημάρτανες; *Quid hæc peccasti?* itaque quod Virg. *nefas*, Eurip. *peccatum* dixit.

7. ET SEDET HOC ANIMO] Sedere hîc est, firmiter rem hærere animo, sic & in 5. *idque pio sedet Æneæ.* & 7. Sedet, pro, hæret firmiter.

— vbi certa sedet patribus sententia pugnæ.

Claudian. 1. Rap.

Certa requirenti tandem sententia sedit.

Plinius lib. 2. c. 7. *sedere cœpit sententia hæc.* Auctor Thebaidos: *Hoc animo sedet.* hanc locutionem ter reperiri in Ammiano, libris videlicet. 18. 19. 24. Stat. 1. Theb.

Iam potior cunctis sedit sententia.

Eadem ratione sedem pro firmo ac stabili rerum statu auctores dixisse notat Læuinus in Sueton. ex Suetonio ipso, & Horatio. Quod autem Virgilius, *sedet animo.* Catull. *cordi est.* Et Liuius lib. 23. *Id Deis cordi non esse.* & Sidonius in Burgo, Sedes, pro firmitudine.

— cordi est si iungere gressum.

Forma alia Liuius lib. 44. *stat sententia non minuere copias.* Herodotus lib. 1. dixit, τί σοι ἐν νόῳ ἐστὶ ποιέειν: *quid tibi in animo est hoc ita facere.* Itaque locutus Virgilius ex Græco fonte.

E 8. TEQVE TVOSQVE IVVAT] In verbo ipso reprehẽsio inest. nam quod iuuat, plerunque, ne dicam semper, alienum est à ratione. est scriptor, qui asserat Ouidij manes euocatos post mortem à sepulcro, pronuntiasse alienam à ratione in suis scriptis sententiam latere, eam videlicet, quæ est in Epist. Phædræ.

Iuppiter esse pium statuit, quodcunque iuuaret.

Nam quid magis rationi aduersans, quàm Iouem, quo nomine illi summum Deum capiebant, statuisse, pium esse sanctúmque quodcunque iuuat lubétque.

Rogati rursus Manes, quæ huic sententia opponeretur, illam dixisse, quæ est in Epist. Helenæ:

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Hæc παρέργως loco dicta. Sed ex quibus tamen noscitur, quæ iuuant aliena esse à ratione. Sunt hæc in eo auctore, qui collegit librum de spectris.

Ianua, pro opportunitate. 9. PATET ISTI IANVA LETHO] Ianua hîc est causa interitus, & commoda opportunitas, lepida translatione. perinde ac si diceret: Si Dij nos volunt perdere, & id tibi placitum, nulla maior opportunitas, quàm hæc, Lucret. lib. 5.

—lethi præclusa est ianua cælo.

Repetit bis, aut ter. Arnob. lib. 2.

—Omnis enim paßio, lethi atque interitus ianua est.

iterum:

Rursus verò si anima lethi adeunt ianuas.

Turcius Ruffus,

—patuit qua ianua letho.

Limē etiam. Sic *limen*. Lucret. lib. 2.

—lethi iam limine ab ipso.

Et lib. 6.

Languebat corpus lethi iam limine in ipso.

iterum,

Et grauiter partim metuentes limina lethi.

Dixi hæc ex obseruatione Gifan. in Collectan. ad Luc. Ab hac translatione non dissidet, τὰς αἰσθήσεις appellari θύρας. sunt enim sensus, quædam animorum fores. Noto etiam locutiones has merè esse Poëticas, ex verbis Platonis lib. 1. de Rep. ὃ δὴ ἐπὶ γήρως οὐδῷ φασὶν εἶναι οἱ ποιηταί: *quod esse in senectutis limine Poëtæ aiunt.*

10. IAMQVE ADERIT, &c.] Putant interpretes allusum ad locum Eurip. hunc in Hecuba:

Ἥξει δ' Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη,
Πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ μαζῶν,
Ἔκ τε γεραιᾶς χειρὸς ὁρμήσων:
Veniet verò Vlysses iam iam,
Pullum abstracturus tuis à mammis,
Exque senili manu vi ablaturus.

[a] Hoc erat alma parens, quòd me per tela, per ignes
Eripis? vt mediis hostem in penetralibus, vtque
ASCANIVMQVE, patremq; meum, iuxtáque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
[b] Arma viri, ferte arma, VOCAT lux vltima victos:
Reddite me Danais: finite, instaurata reuisam
Prælia. NVNQVAM omnes hodie moriemur inulti.
[c] Hîc ferro accingor rursus: clypeoq; sinistram
Insertabam aptans, méque extra tecta ferebam.

ARGVMENTVM.

Cùm nihil adhuc proficiat, querelas ad matrem iactat, furit, armatur, rapitur ad bellum.

EXPLICATIO.

[a] INFLAMMATI admodum affectus cum apostrophe, & conquestione ad Venerem, ideo me ab hostibus eripis in regia Priami, vt in meis ædibus hostē videam? vt cernam Ascanium, patrem, vxorem, omnes trucidari volutaríque mutuo sanguine? quid hoc spectaculo indignius, sæuius, atrocius? His procul dubio terror maximus Anchisæ inijcitur, & pauor insolitus, ac mortis imago sæuissima: nam eò sermonem hunc Æneas destinat, alludens ad cædem Priami, & Politæ.

[b] Cùm nihil videat prodesse, furit ex rerum desperatione propter obstinationem patris. In verbis inest ardor militaris. Nihil hîc expendo, quia non possum. Id solùm dicam, neminem hactenus æquasse istos affectus. *Reddite me Danais*, scilicet ex quibus me (ait Nascimb.) mater eripuit. Ait *finite*, quia retinebatur. Sunt *instaurata* renouata & crudescentia, certè renouanda à me. Subeant, Lector, quæ sæpe nobis dicta de commutatione participiorum. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*, est, si aliqui iam mortui sunt inulti in hoc excidio, certè non omnes ita hodie moriemur. Est *nunquam* nullatenus, nequaquam.

[d] Πρέπον viri fortis, optauerat armari, & ad hostes tendere; vtrunque hîc perficit opere.

NOTÆ.

1. HOC ERAT ALMA PARENS] Non dissidet ab hoc sermone ille lib. 4.

Hoc illud Germana fuit? me fraude petebas?

Et Propert. lib. 2.

Hoc erat inprimis, quod me gaudere iubebas?

Et Tullij pro Milone: *Quid me reducem esse voluisti? an, vt exspectante me expellerentur ij, per quos essem restitutus?*

2. ALTERVM IN ALTERIVS] Simili lusu ab Virgilio Ouidius, Tibullus, Propertius. Primus 4. Trist. eleg. 4. — Alter, alterum.

Alter ab alterius funere mœstus erat.

Secundus lib. 4.

—alter & alterius vires necat aër.

Tertius lib. 1. eleg. 5.

Alter in alterius mutua flere sinu.

Hinc est vt in 3. Æn. aliqui legant:

Alter & alterius sequitur de cortice sanguis.

Vbi ego tamen *ater* retineo ex consensione librorum. Cur enim hærentem lectionem commutem facilè quauis afflante aura? Seneca dixit, *Alter alterius manu cæsi*, de Prouid. c. 2. &, *Alter in alterius exitium leui compendio ducitur*, lib. 2. de Ir. c. 7.

3. REDDITE ME DANAIS] Cum emphasi non vulgari, quasi homini in tot calamitatibus constituto, locus proprius sit ille, vbi est bellum, clades, malum. Simile quidpiam expendit Vlpianus in Demosth. Olynth. 1. quod dixerit, ἀποδώσεται, οὐχὶ δώσεται.

4. MORIEMVR INVLTI] Ita Statius. 1. Theb. *patiemur inulti*. Ouidius de Fabiis. 2. Fast.

—sic non

—sic non moriuntur inulti,
Vulneraq; alterna dantq; feruntq; manu.

Liuius de Lucio Siccio, qui decem virorum fraude à militibus in itinere occisus fuit: *haud inultum interfecere*. Florus lib.3.c.22. *Ne inulti perirent, sanguine Senatus sibi parentabant.*

A 5. Hic ferro accingor] Petronius Sat. *Hæc locutus gladio latus cingor.*

6. Insertabam] Propriè, nam lorum illud, quo scutum apprehenditur, dicitur *insertorium*. Vide Insertoriũ.
Cælium lib.10.c.3. Græci ὄχανον vocant, cuius inuentum Caribus assignat Herodotus lib. 1.

[a] Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumq; patri tendebat Iülum,
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primùm tutare domum. Cui paruus Iülus,
Cui pater & coniux, quondam tua dicta, relinquor?
Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
[b] Cùm subitum dictuq; oritur mirabile monstrum.
[c] Namque manus inter, mœstorumq; ora parentum,
Ecce leuis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
[d] Nos pauidi trepidare metu, crinemq; flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.

ARGVMENTVM.

Obsistit coniux, pedes complectitur, hæret in limine, patri natum obiicit, vrget rationibus: in harum rerum medio flamma diuinitus incidit Ascanij in caput, quæ nullo nocumento comas pererrat, lumine se molliter vibrante.

EXPLICATIO.

[a] VT coniux auertat coniugem ab efferato & præcipiti consilio, ipsa hæret in limine, complexu retinet, puerum obiicit. Et quia facta non satis, addit verba plena magnis affectibus: & quæ ruentem virum potiùs, quàm complexus ipse, retineant. An ruis in exitium? an in spem salutis? si primum, extrema ego quoque tecum feram, & omnes simul; rape ergo nos tecum: si alterum, cur non salus paratur domui tuæ? ergo tutare hanc domum. Nam cui deseris paruum filium, patrem senem, miseram coniugem, quæ iam non tua, sed quondam tua? Desinit sermonem in vociferationes, clamores, gemitus.

[b] Peripetia idoneo loco inducta, nam inter miserabilem illam vxoris complorationem, senis peruicaciam, Æneæ furorem, prodigium adhibetur, quo omnia in melius commutata. Præparat verò, vt assolet in re simili, lectorem suum, verbis illis, *monstrum*, & *subitum*, & *dictu mirabile*.

[c] Sed quod prodigium? *Inter manus* (inquit) *atque inter ora parentum mœstorum, ecce apex leuis visus est fundere lumen de vertice summo Iüli, flammáque innoxia lambere comas tactu molli, & pasci circum tempora*. Expende hîc aliqua. Dicitur ignis ille *apex* tum quia in capite, tum quia instar apicis acuminatus ex natura ignis. Est *leuis* ad discrimen ignis vibrati à fulmine, qui grauis & vrens dicitur. Ait *fundere* quia ignis hic instar aquæ placidum quiddam effundebat, & quidem non tam ignem quàm *lumen*. Ideò sequitur, *flamma innoxia*. & hæc non vrens, sed *lambens*, & *tactu molli*. Quæ potuit aptiora, ad explicandum ignem illum fuisse sine noxa?

A [d] Longè aliter iudicarunt, qui videbant, & ideo illis dat pauorem, trepidationem, metum: dicit enim, *Nos pauidi trepidare metu*. Putabant scilicet verum esse incendium & periculum in Ascanio, ideò excutiunt ignem flagrantem. restinguunt ignes, cui verbo vis maior quàm *extinguo*, & *fontibus*, ad signandam vim aquæ, quæ adhibita contra sanctos, id est cælestes ignes, sacros, religiosos, diuinitúsque immissos. Dicit *trepidare, excutere, restinguere*, pro, trepidabamus, excutiebamus, restinguebamus.

NOTÆ.

1. ECce autem complexa pedes, &c.] Græci imitatio vatis, apud quem. 6. Il. Andromacha, vt Hectorem contineat, ne is ad bellum pro-
B ficiscatur, natum in sinu gestat, & patri ostendit. versus hi sunt.

Ἥ οἱ ἔπειτ' ἤντησ', ἅμα δ' ἀμφίπολος κίεν αὐτῇ,
Παῖδ' ἐπὶ κόλπον ἔχουσ' ἀταλάφρονα, νήπιον αὔτως
Ἑκτορίδην ἀγαπητὸν, ἀλίγκιον ἀστέρι καλῷ:
Quæ ipsi postea occurrit, famula autem ibat cum ipsa,
Filium ad sinum gestans mente infantem, paruulum etiam
Hectoridem dilectum, similem stellæ pulchræ.

& paucis interiectis,

—οὐδ' ἐλεαίρεις
Παῖδά τε νηπίαχον.
—neque miseraris
Filium infantem.

C Hunc etiam locum sic tractat Val. Flac. 1. Arg. æmulatúrque Maronem.

Contra effusa manus, hærénsque in pectore coniux,
Me quoque, ait, casus comitem, quicumque propinquat,
Accipies: nec fata traham, natumq; videbo
Te sine, sat cæli patiens.

& reliqua. Non dissidet ab hac historia illa Coriolani viri fortissimi, & fortasse ea hîc repræsentata. quod credi potest ab Poëta Romanarum rerum celebratore. Nam Coriolanus missus in exilium, cùm domo egrederetur, obuios habuit in limine liberos, matrem, coniugem, lugentes omnes, sordidatos, miseros.

ros. Ipse interim absque lacrymis, instar lapidis, & oculis immotis stabat. Lege hanc historiam in Dionys. lib. 8. Antiquit. Ouidij locus eleg. 3. lib. 1. Tristiũ, de coniuge inhærente abeunti in exilium tritus est, sed dignus qui legatur. Non minùs dignus locus Hieronymi in nobili illa epistola ad Heliodorum, vbi multa sunt παθητικὰ, & sumpta ex Virgilio, qualia sunt illa: *Licèt paruulus ex collo pendeat nepos, licèt sparso crine, & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, &c.* Redeo ad Virgilium, qui supra Homerum & alios affectum feruentissimum adiecit in illis *complexa pedes*, quid enim facere submissius potuit Creusa? Affectus huius plenus Ouidius. in epist. Paridis,

Nunc mihi nil superest, nisi te formosa precari,
Amplectiq; tuos, si patiare, pedes.

& lib. 2. Artis:

Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellæ,
Turpe nec ad teneros oscula ferre pedes.

Inde superbissima apud Propertium lib. 4. eleg. 9. puella:

Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Cùm vix tangendos præbuit illa pedes.

Hic certè mos videtur à Diis tractus, quorum pedes osculari habitum in religione veteribus. Ita Iuuenalis:

— cereris tangens arámque, pedémque.

Omitto, vt satis clarum, & aliis iam tractatum.

2. ET NOS RAPE IN OMNIA TECVM] Rectè notat Germanus signari hîc vxores, quas αὐτάνδρυς & συνάνδρυς vocant Græci. Sunt istæ, quæ omnem fortunam cum viro experiuntur.

3. CVI PARVVS IVLVS, CVI PATER ET CONIVX, &c.] Efficacissima hæc ad mouendum. proponit enim puerum, senem, fœminam, imbelles omnes. Eodem argumento Penelope reuocare Vlyssem nititur apud Ouid. Maroniana forte imitatione,

Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laërtesq; senex, Telemachusq; puer.

dixit falsè Naso, grauiter Maro.

4. CONIVX QVONDAM TVA DICTA] Illustrat hoc Seruius: *Haberi (inquit) quæuis poterat, nominari non nisi nobilis.* Ergo *coniux dicta tua* erit: multas cùm habueris, me tantùm nominabas coniugem. *Pellicum vsus.* Hoc olim, & nunc creberrimum barbaris. Olim, nam Priamus ipse multas habuit in pellicatu, vnam Hecubam legitimo in lecto: nunc, nam princeps iste Turcicus; qui malo nostro Orienti præest, præter plures pellices, vnam habet, quam ipsi barbari vocant Sultanam, cuius, non aliarum, liberi in imperium succedunt. vt hic *dicta mea* cum quodam blandimento, ita Euripides Iphig. Aul. ex nota Germ. κόρη ἐμὴ φατισθεῖσα: *puella mea dicta*: Et Propertius lib. 2. *Nec mea dicetur quæ modò dicta mea est.* Ab affectu Virgiliano non abiit ille Apulei lib. 10. *cui moriturã prorsus seruabis vxorem?*

Ignis regiũ præsagium. 5. ECCE LEVIS SVMMO DE VERTICE, &c.] Ignis regium sæpe præsagium fuit, & hîc futuram, & regalem Ascanij dignitatem notauit. Inde facta magna illa animorum commutatio, nam Anchises, vt vidit

A Ascanium futurum Regem, alacer factus est ad fugam, reliquique omnes spem eandem concepere. Firmat hoc historia Seruij Tulli Romani Regis. Plin. lib. 2. cap. 107. *Seruio Tullo dormienti in pueritia ex capite flammam emicuisse.* Copiosior Plutarch. de Fortun. Rom. ait enim, Seruium in somnum prolapsum fuisse, ac tum caput dormientis visum igni circumlustrari, quod erat testimonium ipsum ex igni natum, σημεῖον δὲ χρυσὸν ἐπὶ ἀπροσδόκητον ἡγεμονίαν, ἧς ἔτυχε: *bonumq; indicium insperati regni, quod obtinuit.* Huc trahenda narratio de simili prodigio Lauiniæ, quam per initia. 7. Æn. Virg. exsequitur. Nec non illa Plinij lib. 2. cap. 27. de Stellis Castoribus: *Hominum quoque capita vespertinis historijs magno præsagio circum fulgent.* Atque etiam Liuij de Marcio duce lib. 25. ad finem, *flammam ei concionanti fusam è capite sine ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum.* Tale quiddam

B de flamma non vrente legas inter prodigia relata ab eodem Liuio lib. 43. his verbis: *Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita vt nihil eius ambureret ignis, dicebatur.* Lege versus Claudiani in 4. Consul. Honorij,

—ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cùm luce comarum
Innocuus flagraret apex.

In his omnibus vides aut regiam dignatem indicari, aut certè excellens quiddam & maximum. In historia Hispan. Marianæ lib. 9. c. 8. inuenies omen ad regiam dignitatem fuisse Alfonso huius nominis sexto, capillorum erectionem. Talia quæpiam in aliis legi. *Capitis corona regia.* Vnde facilè apparet ab vno capite sumptum vbique regium omen. Non abiit à prodigio Virgilij simile

C Eurip. in Medea, non in re felici, sed cui hæsisse in suo potuit Latinus Vates,

Χρυσοῦς μὲν ἀμφὶ κρατὶ κείμενος πλόκος
Θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός:
Aurea quidem circum caput posita corona
Admirabilem mittebat fluxum ignis omnia deuorantis.

6. TACTVQVE INNOXIA MOLLI LAMBERE, &c.] Similem descriptionem, & fortasse ad imitationem Maronis habes in Valer. Flac. 1. Argon.

—ingenti flammantem nubila sulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresq; petiuit
Tyndareos: placida & medijs in frontibus hæsit
Protinus amborum, luménque innoxia fudit
Purpureum.

D Vt autem *lambere* de igni, sic Lucret. lib. 2. simillima tralatione: *Lambo de igne.*

—Ignes celeri flamma degustant ligna.

& lib. 5.

Ignis enim superauit, & ambens multa perussit,

id est, ambedens. Non rectè aliqui legunt *ambiens.* Horatio Satyr. 5. lib. 15. Maronianum placuit,

—per veterem dilapsa flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.

7. PASCI] Simili tralatione de igne Strabo, lib. enim 6. loquens de Ætna, ἔοικε δὲ λαμβάνειν μεταβολὰς πολλὰς τὰ ἄκρα τοῦ ὄρους διὰ τὴν νομὴν τοῦ πυρός: *Montis culmina multas suscipiunt mutationes ab pastu ignis.* *Pascor de igne.*

a At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit.
b Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris vllis,
Aspice nos: hoc tantùm: &, SI PIETATE meremur,
Da deinde auxilium Pater, atque hæc omina firma.
c Vix ea fatus erat senior: subitoq; fragore

Intonuit

Intonuit læuum:& de cælo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
[d] Illam summa super labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram se condere sylua,
Signantémque vias: tum longo limite sulcus
Dat lucem, & latè circum loca sulphure fumant.

A

ARGVMENTVM.

Ad felix omen Anchises exhilaratur, petitq́ à Ioue, vt illud firmet: annuit Iuppiter, firmátque, & læuo tonitru, & face coruscantis cometæ, quo futura Æneæ præsignantur.

EXPLICATIO.

[a] EX decoro magno infert, quid tum pater senserit, quid diuinarit, supprimens Æneas ipse iudicium suum, vt qui tum fatorum suorum non esset præscius. Ita monuit Hortensius. Signa verò lætantis senis tria sunt, oculorum sublatio ad cælum, manuum, vocis, omnia ex ritu supplicantium & precantium. Huius rei syluam exemplorum qui volet, adeat Brissonium.

[b] Sequitur oratio Anchisæ ad Iouem, qua tantùm duo petit, videlicet auxilium in posterum, confirmationem ominis in præsens. Orationem præcedit tum captatio, nam *omnipotens*, & *precibus si flecteris vllis*, non dubitat, sed quasi id semper fieri soleat: tum ratio, cur ausit petere, *& si pietate meremur*, vbi præcipuè respectum ad vnam pietatem Æneæ, quæ maxima, & notissima.

[c] Duo petiuit, auxilium, hoc deinde datum in ipsa fuga: & firmamentum ominis, hoc iam adest: nam statim auditum est tonitruum ex læua cæli parte, cum fragore subito, & visa stella, quæ lapsa è cælo cucurrit per vmbras ducens facem cum multa luce.

[d] Labitur stella super summa tecti Anchisæi culmina, séque condit in Idæa sylua, ac dum labitur & conditur signat vias: demum sulcus ducitur in longum limitem cum magna luce. Designat his facem & comantes crines. Absoluit denique, latè tunc loca omnia fumasse sulphure. Aperiendum quid ista significent. Stella, Æneas est: ducit facem claritatis, pietatis, fortitudinis, virtutum omnium: cum ea ad Idam currit, viam signando, docet, quâ debeant Troiani fugere, quoque cursum dirigere cum suo Ænea ad salutem; ille enim ad Idam contendit, vbi fabricatæ naues ad fugam: longus limes, errores sunt Æneæ: sulcus, nauigationes, quibus sulcandum, & maris æquor arandum: sed semper cum luce, nam vbique sparsa virtutum lux. Nonnulla ex his sumpsi ex Seruio.

NOTÆ.

1. ASPICE NOS] Possit hærere aliquis, an legendum *respice*. Nam hoc verbum potissimùm sedem habet inter ea, quibus precatio fiebat ad superos, quod testimonio Ouidij, Tullij, Plauti, Terentij, & aliorum Brissonius firmat. Lege illũ. Sed tamen retinenda lectio: in Pindaro enim od. 6. Pyth. in precationibus legas, ἔχομαι βλέπειν: *precor me aspicias.* — Aspicio, in sacris.

2. ET SI PIETATE MEREMVR] Simile illud Plauti in Pœnul.

——*Redde his libertatem, inuictæ præmium vt esse sciant libertatem.*

3. DA DEINDE AVXILIVM PATER] Agnoscit Iul. Scal. affectum non vulgarem. Anchises, qui est pater, Iouem in precando *Patrem* nominat: vult enim Iouem sibi esse, quod ipse est suis. Putat Vrsin. allusum à Virgilio in hac precatione ad eam, quæ fit vlt. Il. ore Priami petentis à Ioue Patre ducem nuntiúmque quo ad Achillem perueniat.

4. ATQVE HÆC OMINA FIRMA] Dictum ex vetere superstitione, nam ad confirmationem augurij secundum poscere solebant, & istud erat, omen firmare. Cic. 1. de Diuin. — Omen firmare.

Sic aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen.

antecesserat autem, *Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.* & sic in Marone sequitur, *Vix ea fatus erat*, &c.

B Silius item lib. 4.

Adsis ô firmésque tua Pater alitis omen.

Virgil. ipse in 8.

Adsis ô tandem, & propius tua numina firma.

Ammian. lib. 23. *Vt omen per hostias litando firmaret.* Hîc scias, quoties bono omini bonum successisset, dictum *omen secundum*: quoties malo, malum, *omen alterum*, ac tum nulla re adiecta, infaustum esse noscebatur.

5. SVBITÓQVE FRAGORE] Signatè, nam nubes tonitru frangi dicitur. Plin. lib. 2. c. 43. *Spiritum nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum, dum rixetur edito fragore, cùm erumpat.* — Fragor de tonitru.

6. INTONVIT LÆVVM] Læua tonitrua felicia fuerunt, de qua re dicam lib. 9. Æn. Hîc tantùm noto, videri Poëtam alludere ad illud genus fulminum, C quod fuit veteribus religiosum, & *impetratum* dicebatur, credo quia preces præcederent, vt hîc præcedunt in Anchise. Eius fit mentio à Plinio, lib. 2. c. 53. *Exstat annalium memoria sacris quibusdam, & precationibus, vel cogi fulmina, vel impetrari: vetus fama Hetruriæ est, impetratum, Volsinios, vrbem agris depopulatis, subeunte monstro, quod vocauere Voltram.* — Fulmina impetrata.

7. DE CÆLO LAPSA PER VMBRAS STELLA] Doctè notat Germanus cadentis stellæ omen veteribus faustum fuisse ex Theocrito, Homero, Apollonio. Subiicio ego Aristidē orat. 3. sacror. sermonum. ἀστέρα λαμπρὸν διάξαι δι' ἀγορᾶς κυροῦντα τὴν θυσίαν· οὕτω θαῤῥήσας ἔθυσα: *splendida per forum visa est transilire stella, quæ sacro subscriberet. Itaque audacter sacrificaui.* Herodotus lib. 3. simili felicitate de Dario loquitur, ad eius equum hinnientem, & currentem. ἀστραπὴ D ἐξ αἰθρίης καὶ βροντὴ ἐγένετο: *sereno cælo fulgur emicuit, & tonuit.* His contrarium legas in Artemidoro lib. 2. c. 28. apud quem, οὔτε δὲ καταπίπτοντες ἐπὶ γῆν οἱ ἀστέρες εἰσὶν ἀγαθοί, οὔτε ἀφανιζόμενοι· πολλῶν γὰρ ὄλεθρον μαντεύονται: *neque cadentes in terram stellæ, neque disparentes bonæ sunt, multorum enim perniciem præsagiunt.* Locum Plinij è lib. 2. c. 26. quo aliqua Poëtæ in hoc loco explicari videntur, iam Beroaldus indicauit. — Stellæ cadētis omen faustum.

8. FACEM DVCENS] Lucret. lib. 2. dixit, *longos flammarum ducere tractus.* & Valer. 1. Arg *direxit per inane facem.* Fax ista est, quam alij aut crinem, aut comam vocare solent. Artemidorus dicto loco, ἀστέρες πωγωνίαι,

viæ, barbatæ stellæ. Ibidem quæpiam indicat de mutuo respectu stellarum ad capillos, & caput.

9. SVLCVS] Ammianus lib. 21. *siderum sulci.*

Fulgura sulphurea.

10. LOCA SVLPHVRE FVMANT] Scribit Plinius, fulgura habere odorem sulphuris. Philostratus in vi-A ta Scopeliani, τὸ τῆς σκηπτῆς πῦρ δριμὺ καὶ θειῶδες: *Ignis fulguris acer est, & sulphureus.* Inde illud Persij explicatur:

——quia cùm tonat, ociùs ilex
Sulphure discutitur sacro.

a Hîc verò victus genitor se tollit ad auras,
Affatúrque Deos, & SANCTVM sidus adorat.
b Iam iam nulla mora est, sequor, &, quà ducitis, adsum.
DII PATRII seruate domum, seruate nepotem.
Vestrum hoc augurium, VESTRÓQVE in Numine Troia est,
c CEDO equidem: nec nate tibi comes ire recuso.

ARGVMENTVM.

Cedit omnino, & filio se comitem parat.

EXPLICATIO.

a QVI nullis precibus, iam tandem cedit religioni & prodigio Deorum. *Tollit se* est, surgit, opponens illis, *& sedibus hæret in iisdem.*

b Addit orationem Anchises, qua nullam in se inesse moram ad eundum profitetur. Mox conuersus ad Deos, domum illis, & nepotem commendat, vt seruent. Nam nemini meliùs potest commendare, quàm illis, à quibus profectum augurium, & in quorum numine Troia est.

c Demum conuersus ad natum illi cedit. Particula *tibi* posita ἐμφατικῶς. An non re sequar pater filiũ, quem Dij tot signis magnum fore iam nunc prædiuinant.

NOTÆ.

1. TOLLIT] Dictum ex augurum disciplina, qui obseruatis auspiciis, statim de templo, id est, augurali loco, recedebant. Inde natum aduerbium *extemplo.* Sunt qui hîc legant *arás,* nam statim sequitur, *affatúrque Deos.*

Extemplo, vnde.

Affari, pro obtestari.

2. AFFATVR] Est qui monuerit, *affari Deos,* in Virg. esse, implorare, atque obtestari Deos. in 9.

Ipsa Deum fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iouem, da nate petenti
Quod tua chara parens domito te poscit Olympo.

Vbi *affata* valet, obtestata.

3. ET SANCTVM SIDVS ADORAT] Philostratus in epist. τιμῶσι δὲ οἱ σοφοὶ καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς κομήτας: *venerantur sapientes ex astris cometas.* Vt videlicet in quibus insunt præsagia futurorum.

Dij patrij.

4 DII PATRII.] Sunt hi frequentiore vsu, qui præsunt patriæ, & vrbibus. sic Apollo, & Minerua dicti sunt Dij patrij Athenarum: Thebarum Liber & Hercules: Iuno Carthaginis, Sami, Spartæ, Mycenarum, Argorum. Dixi, frequentiore vsu, nam in hoc loco Virg. non ita, in quo sequor iudicium Turnebi lib. 6. Adu. cap. 11. explicantis hic, *Deos patrios,* non custodes vrbis, sed præsides cuiusque familiæ, & generis: sicuti etiam apud Ciceronem 3. in Verrem, cùm ait, *Rapiunt eum ad supplicium Dij patrij, quòd iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos ad ne-*A *cem duceret.* sunt sanè hoc loco Dij patrij, qui pietati præsunt parentum in liberos, atque etiam in liberorum parentes. & lib. 17. cap. 4. ait intelligi πατρῴους θεοὺς, id est, Deos qui coluntur à nostris patribus: non πατρίους, id est, qui in patria coluntur. nam Xenophon de Ænea sic scribit: Αἰνείας δὲ σώσας τοὺς πατρῴους καὶ μητρῴους θεοὺς: *Seruauit Æneas paternos & maternos Deos.* nec Higinius aliter apud Macrob. censet. 3. Satur. cap. 4. Germanus quoque ait, Iouem ὁμόγνιον dictum Græcis, qui familiis præsit. Eodem modo Virgilium explicat Ianus Dousa commentariolo in Horatium cap. 7. & quidem cùm Poëta domum, & nepotem nominet, ad Deos generis & familiæ respexisse videtur clarum. Nam Troiam quid iam seruarent Dij? Hinc est, vt hîc *domum,* pro familia capiam, ex vsu auctorum, quem alibi obseruo.

B

5. SERVATE] Verbum *seruo* adhibitum in precationibus Brissonius obseruat. 1. Formul. & veterum testimonia confirmant. Virg. lib. 3. — Seruo, verbum sacrorum.

——serua altera Troia
Pergama.

Tibull. lib. 1.

Sed patrij seruate lares.

Martial. lib. 6.

Dij seruate, precor, matri sua vota patríque.

6. AVGVRIVM] Cùm hoc propriè sit auium, ad alia etiam traducitur, quod & hoc Virgilij, & plura alia firmant, obseruauítque Scal. — Augurium communis vox.

7. COMES] Cùm hæc vox sæpissimè signet illum, qui inferior est dignitate, (nam comitari inferioris C est) tamen esse etiam illius, qui par est, aut maior dignitate, ex hoc Virgilij loco, alij iam astruxerunt, vbi Anchises se dat comitem Æneæ, pater filio, senex iuueni, itémque ex aliis testimoniis. Nam Tibull. lib. 2. eleg. 7. — Comes.

Castra Macer sequitur, tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

& Propert. lib. 3. eleg. 2.

At Musæ comites.

Vbi Dij ipsi dicuntur comites mortalium. Hîc tu obserua diligentiam Poëtæ. Quia hîc Anchises ad Æneam filium,

Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso;

Ideo in 6. Æneas de patre,

D *Ille meum comitatus iter, &c.*

Quæ procul dubio prolata ab Ænea ex memoria paternæ sententiæ.

a Dixerat ille: & iam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiúsque æstus incendia voluunt.
b Ergo age chare pater, ceruici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, NEC ME labor iste grauabit.

c QVO

c QVORESCVNQVE cadent, vnum & commune periclum,
Vna salus ambobus erit: mihi paruus Iulus
Sit comes,& longè seruet vestigia coniux.
d Vos famuli, quæ dicam, animis aduertite vestris:
Est vrbe egressis tumulus, templúmque vetustum
Desertæ Cereris, iuxtáque antiqua cupressus,
Relligione patrum multos seruata per annos.
Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.
e TV GENITOR cape sacra manu, Patriósque Penates:
ME, BELLO E TANTO digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

ARGVMENTVM.

Æneas fugam ita disponit, vt illa & facilior sit, & occultior hostibus.

EXPLICATIO.

a INTER moras patris abnegantis ire, filij suadentis, Creusæ plorantis; inter moras etiam prodigij, iam Græci & ignis appropinquabant ad ædes Anchisæ, quamuis istæ secretæ ac remotæ. Nota elegantem commutationem sensuum. ignis enim, qui *clarior* est, *auditur*.

b Hic exitus prætrepidus, & subitus fuit: inde nullus ad viam equus, nullus currus: præterea, etiamsi esset horum copia, non oportuit tamen vti, ne comitatus hostem intentum redderet. Itaque res ita disposita ab optimo Vate, vt daretur locus insigni pietati, qua Æneas patrem hortatur, vt ascendat in suos humeros, qui sanè κάματος sibi erit (mira pietas!) ἀκάματος, ait enim, *nec me labor iste grauabit*.

c Quò hærentem patrem (credibile est enim illum hæsisse ad tam nouam pietatem) excitet; ait, vnum vtrique periculum fore, vnam salutem. Occurrit verò breuissimè difficultatibus, quas posset tunc voluere mens patris. Quî omnes, præter te, imbelles expediemur? Te humeris feram, natum dextra traham, coniux à longè vestigia seruabit.

d Deinde se ad famulos conuertens, iubet, illos, diuersis itineribus, quo minùs Græci fugam sentiant, peruenire ad templum Cereris desertæ, quod est in tumulo. Itaque *est tumulus templúmque*, nihil est aliud, quàm, est tumulus, & in tumulo templum. Dicit hoc templum fuisse *vetustum*, cuius vetustatis signa duo, scilicet cupressus *antiqua* iuxta illud, & religio *per annos multos seruata* à patribus.

e Sacra & Deos commendat patri. Cur? quia *nefas me attrectare*. Cur verò hoc *nefas*? quia digredior *è bello & recenti cæde*. Itaque opus est, abluam manus, & has *viuo flumine*, aliter sacra non tangam. Tradit Anchisæ sacra & Deos, quæ ipse ab Hectore acceperat. Hic enim versus, *Tu genitor cape sacra manu, Patriósque Penates*, respicit illum Hectoris ad Ænean, *Sacra suósque tibi commendat Troia Penates*. In vtroque sunt *sacra* vittæ, & reliquus apparatus, quibus culta numina.

NOTÆ.

Ergo. 1. ERGO] Hanc voculam adhiberi solitam, cùm hortamur aliquem tardè aliquid molien-

A tem, in Terent. notauit Donatus, & hîc Nasc. atque adeo indicatur Anchises differens ascensum in nati humeros.

2. CERVICI IMPONERE NOSTRÆ] Quod hîc *imponi ceruici*, & *subire humeris*, Sueton. in Othon. c. 6. dixit *succollare*. Græci καταυχενίζεσθαι, & ὠμοτεθεῖσθαι. Strabo lib. 6. ita extulit, οἱ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι: *hi parentes humeris sustulerunt*. Dio Chrysost. orat. 9. ὑψηλὸν φερόμενον ὑπὸ τοῦ ὄχλου: *sublimem à turba portatum*. Dionysius de Ænea loquens lib. 10. Antiquit. οἱ τοὺς πατέρας ἐπὶ τῶν ὤμων ἐνέγκαντες. Philostratus in vita Polemonis, ὤμοις ἐκφέρειν. Herodotus verbo ἐκφόρεε. Philo in Decalogo, περὶ τῶν αὐχένων ἀχθοφορεῖν, & μετέωροι φέρονται.

B 3. VNVM ET COMMVNE PERICLVM] In eamdem sententiam, illustrante Germano, loquitur Otho apud Tacit. lib. 1. Hist. in oratione ad milites: *Auditis ne, vt pœna mea, & supplicium vestrum simul postuletur? adeò manifestum est, neque perire nos, neque saluos esse, nisi vna, posse.*

4. LONGE] Nescio, cur hîc se interpretes rumpunt, vt capiant *longè* non in sua significatione, quia coniux esse à viro longè non debuit. quæ hæc ratio in hoc rerum conflictu? verè longè sequi debuit, ne si multi vnà exirent, deprehenderentur ab hostibus. Eo occultiores exibant, quo magis soli. Inde & famuli per vias diuersas abiêre. Quin si rem altiùs consideres, hæc dispositio Æneæ processit à Numine, vt locus daretur eripiendæ Creüsæ, vt in Italia nuptiæ fierent cum Lauinia.

Ceres, cur dicta Deserta.

C 5. DESERTÆ CERERIS] Quam hîc desertam vocat, mox antiquam.

Quàm tumulum antiquæ Cereris, sedémque sacratam Venimus.

Putant nonnulli hoc dictum ex antiqua religione, qua templa Cereris semper in angustiis, ac recessibus constituebantur, quò frequentes homines non confluerent. adi Parrhas. Comm. in Claud. lib. 3. Raptus. Sed placet potiùs mens aliorum. Respectum in hac nuncupatione ad raptum Proserpinæ, orbatámque Cererem, & desertam à charissima filia. Itaque postquam rapta est Proserpina, sacrata sunt templa in honorem Cereris desertæ, quo illius dolor leuaretur. Iuuat hanc sententiam, fuisse in Peloponneso templum Cereri, & Proserpinæ sacrum, quod ἔρημον diceretur, quasi ἐρημεῖον, id est *desertum*. Hæc ex aliis, præsertim ex Germ. elicias. D Firmo hoc coniectura arboris iuxta consitæ: nam cùm ad aras, & templa laurus conseri frequenter soleret, quod alibi ostendo, hîc consita est Cupressus Diti & inferno sacra: quæ res indicat templum constructum ob raptum Proserpinæ à

næ à Dite. Quod vulgus ait, capiendum esse tēplum desertum, collapsúmque vetustate, non facilè credā: nam Poëta adhuc religionem in templo permanere, & exstare integram, non obscurè innuit: postea enim *sedem sacratam* vocat, & cupressum constituit, quod maximum religionis insigne. Quæ Seru. scripsit in promptu sunt.

6. IVXTAQVE ANTIQVA CVPRESSVS] De more, quo arbores ad aras, & templa solebant conseri, ad notam signúmque religionis, alibi loquor.

Consonantium duplicatio. 7. RELLIGIONE] Duplicant Latini consonam ad producendam syllabam breuem natura: sic relligo, repulit, repperit, rettulit, relliquiæ, &c. Faciunt hoc Græcorum imitatione, qui ἔλλαβεν, ἐλλιτανεύειν, ἐλλισσετο, ἔλλαχον, ἄλλυτος, σελλάνα.

8. HANC EX DIVERSO SEDEM, &c.] Salust. in Iug. vt Poëta, fere loquitur: *Diuersè redeuntes alius ab alia parte*. Et, quod notauit Germ. Vlpia. l. 1. sub titulo de pactis: *Conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnū locum colliguntur, & veniunt*. qui videtur expressisse Virgilium, sed vt puto, locus sumptus est ab Homero Odyss. 9. vbi Vlysses Polyphemo quærenti respondet, diuersis ventis, diuersa via, aliísque itineribus, Græcos eò appulisse. Locus iam à me adductus est.

Lotio manuum ad attrectāda sacra. 9. ATTRECTARE NE FAS] Hanc veterum religionem multa aperiūt. Tertull. *Non lauor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam: attamen lauor honesta hora, & salubri*. Plautus Aulul. *ego, nisi quid me vis, eo lauatum, vt sacrificem*. Liu. lib. 45. *Cùm omnis sacrorum præfatio eos, quibus non sunt pura manus, sacris arceat*. Seneca in Thyest.

——Moneo ne sacra manus
Violata cæde, néve furiali malo
Aspergat aras.

& in Furen.

——Nate manantes priùs
Manus cruenta cæde, & hostili expia.

Lactant. lib. 5. c. 20. *Ridiculi homines, tanquam libidines intra pectus inclusas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent*. Pauf. in Bœot. *Oedipodia verò aqua iccirco est nuncupata, quòd in ea paterna cædis cruorem Oedipus abluerit*. Homer. 6. Il.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι, καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι:
Manibus illotis libare ardens vinum
Vereor, neque modo vllo fas est nubes atras cogenti Saturnio,
Sanguine & puluere pollutum vota facere.

Telemachus in Odyss. manus lauat antequam Deo supplicet. Hesiod. in Erg. vetat, ne quis manè aut Ioui, aut aliis Diis libet χερσὶν ἀνίπτοισιν: *Illotis manibus*. Ex hoc more. Fruter. lib. 2. Verisi. cap. 9. Tibulli versus sic legit,

Natalis Iuno sanctos cape thuris aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu:
Lota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
Staret vt ante tuos conspicienda focos.

Loquitur de Sulpicia sacrificante. Quin ea fuit veterum religio, & cautio, vt non impuri solùm abluerentur, sed ipsamet sacra. Interpres Callimachi in hymnum, qui inscribitur Λουτρὰ Παλλάδος, ita ait: *Certo quodam, & constituto die mulieres Argiuæ accipiebant simulacrum Mineruæ, ferebántque ad fluuium Inachum, ibíque lauabant*. *Simulacra abluebātur.* Græca signata, etiam si conuulsa, ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον, κἀκεῖ ἐπλύειν.

10. FLVMINE VIVO] Signat, quæ esse aqua debeat, quæ ex ritu esset necessaria huic ablutioni. ergo per *viuum* flumen, aut aquam, iugem perennémque intelligit, vt explicat Turn. lib. 19. cap. 20. non pluuiam, aut stagnantem, aut torrentem. Seru. semper fluens. ac naturale exponit. Ouidius *viuo rore* dixit 4. Fast. *Viua aqua, quæ.*

His Dea placanda est, hæc tu conuersus ad aras
Dic quater, & viuo perlue rore manus.

Valet. Flacc. 3. Arg. *viua lympha*. Apud Liuium etiam lib. 1. Antistes Romanus, Sabinum illotis manibus bouem Dianæ immolare parantē ita alloquitur: *Quid iam tu hospes paras incesta Dianæ facere? quin tu antè viuo perfunderis flumine? infima valle præfluit Tiberis*. quod idem Aurelius Victor de viris illustribus narrans: *Responsum* (ait) *somnio datum, eum populum summam imperij habiturum, cuius ciuis bouem illam immolasset: Latinus bouem in Auentinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit: ille callidus, dixit, priùs illum viuo flumine manus abluere debere*. Silius lib. 8.

——ac viuo purgor in amni.

ita legit Modius, malè enim vulgò legitur, *in antro*. Anticlides lib. 74. Redituum, scribit, hunc morem seruatum veteribus, vt qui cædem vel hominum, vel animalium fecisset, ὕδατι ἀενάῳ τὰς χεῖρας ἀπονίζειν εἰς τὸ μιάσματος καθαρσιν: *manus perenni aqua ablueret, ad piaculi lustrationem*. Quod alij *viuam*, & *perennem*, Ouid. *fontanam*, & *flumineam aquam*, vocat. verè, nam hæc perennis, neque stagnans, aut torpens. 4. Fast. *Aqua fontana.*

Bis caput intonsum fontana spargitur vnda.

Ibidem.

Ah, nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Inde bene Delr. in illis Columel. lib. 12. c. 4. *Quibus si fuerit operatus, vel vir, vel femina, debere eos flumine, aut perenni aqua priùs, quàm penora contingant, ablui*. innuit legendum *aut perenni alia*, non, *aqua*: nam perennis à fluminea non distincta. Inde in mentione huius ablutionis sæpe fit mentio amniū, fluuiorum, fontium cum signata allusione ad perennitatem. Hæc desiderari in his Comment. non debuerunt, etiam si pars eorum sparsa in aliis. Sed siluerunt nostri eruditi rationem, cur viua aqua præferenda ad sacra. Hanc tibi ex Plutarcho subiicio lib. 6. Sympos. q. 5. *Aqua viua cur in sacris.* ἑστῶτα μᾶλλον ἔστι τὰ στάσιμα καὶ κοῖλα (ὕδατα) πολλῆς ἀναπιμπλάμενα γῆς, τὰ δὲ ῥέοντα φεύγει, καὶ διακρούεται τὴν προσφερομένην: *stantes aquæ & in cauitatibus hærentes facilè putrescunt, propter admistionem terræ; fluentes fugiunt & repellunt offerentem se his terram*. Et postea ait salubrem esse aquam illam, quæ non sit corrupta, dicitque illam esse non corruptam, quæ est ἄμικτον, id est, non mista, ac perinde exit, καθαρὸν, *pura*. Firmátque versu Hesiodi, qui dixit de aqua synonymicῶς, ἀενάω, & ἀπορρύτου. Porro viuis aquis opponit Hippocratis ἑλώδεα, στάσιμα, λιμναῖα, in lib. de Aere, loc. & aq. *palustres, stabiles, lacustres*. Philostrat. in epist. ὕδατα ἑστηκότα *stantes*. & Philo in lib. de Mundo ἀκίνητα, *immotas*, & quæ ὑφ' ἡσυχίας νεκροῦται, *instar cadaueris putrescunt*. Ex dictis Plautum illustro, qui Aulular. *Nisi illi puteo animam intertraxero*. Ideò enim puteo dat animam, quia aqua *viua* dicitur. Scio locum Plauti ab aliquo aliter legi.

[a] Hæc fatus, latos humeros, subiectáque colla
Veste super, fuluíque insternor pelle leonis:
[b] Succedóque oneri, dextræ se paruus Iülus

Implicuit,

Implicuit, sequitúrque patrem non passibus æquis:
Pone subit coniux, ferimur per opaca locorum.
[c] ET ME quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, neque aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter COMITIQVE oneriq; timentem.
[d] Iamq; propinquabam portis, omnemq; videbar
Euasisse viam: subitò cùm creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorq; per vmbram
Prospiciens; Nate, exclamat, fuge nate, propinquant:
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

ARGVMENTVM.

Fugit tandem, patre sublato in humeris, filio manui inhærente, coniuge sequente vestigia: fuga comes est pauor.

EXPLICATIO.

a ADhibet Æneas humeris pellem leonis, qua patrem in tergo excipiat. Litteram subobscuram sic constitue: *Fatus hæc, insternor super humeros latos colláque subiecta veste, pelléque leonis fului*, id est, veste pellicea leonis. est enim ἓν διὰ δυοῖν.

b Sequitur dispositio ad fugam. Ea hæc fuit. Æneas patrem portabat humeris, eius dexteræ Iülus adhæsit, coniux à tergo sequebatur: famuli quippe abibant per diuersa itinera. Hunc in modum feruntur per loca opaca. Nam videlicet Anchisæ domus, *arboribus obtecta recessit*, vt habes suprà. Itaque, cùm exiuerunt, necessariò tenenda fuit via per syluosum locum. In hoc tractu expende leuiter, quæ pertinent ad Ascanium plena magnis affectibus. Tener puer anhelans, & vltra quàm poterat patrem sequitur, eius manu tractus potiùs, quàm ductus: ideò implicatur, vt si velit cessare præ teneritudine, tamen non possit.

c Hanc partem ita fermè explicat, & pendit Scaliger. Virum fortem *nonnulla iniecta mouebant tela*, at virum pium, *nunc omnes terrent auræ*, & addit, *sonus excitat omnis*. Causa, *suspensum*, itaque, *sonus excitat suspensum*. Deinde apponit causam aliam à se, *comitíque oneríque timentem*.

d Alternantes affectus miram afferunt suspensionem: terrebatur primùm omni aura, excitabatur omni sono; liberatur hoc metu in portis, visus euasisse viam omnem, & periculum: sed ecce subitò ad aures videtur insonare strepitus pedum. Vide vt timenti nihil vnquam certum. Commutatio ista tralationum *visus est sonitus*, iucunda est. sed *visus*, quia *adesse*; & *sonitus*, quia *ad aures*. Adeo nihil ociosum in hoc principe. Et eo ipso indicat, timentem non vno tantùm, sed sensibus pene omnibus deludi. Sed in hoc metu partes præcipuæ Anchisæ sunt. Ille adesse vbique hostem putabat, delusus metu, & noctis vmbra. ideo exclamat, & cum geminatione, *nate nate fuge*, &, vt erat pauens, rectum adimit, tantùm *propinquant*. Adhibet pauoris falsi falsam causam, videlicet,

Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Quæ nec cernebat, nec micabant.

NOTÆ.

Humeri lati militarium virorum.

1. LATOS HVMEROS] Dat suo duci Poëta *humeros latos*, vt militari viro. de Darete in 5. *ostenditque humeros latos*, & de Ænea ipso, Calaber hoc idem factum narrans, πλατὺν ὦμον: *latum humerum*, lib. 13. Philostratus lib. 2. Icon. dat Herculi parem proceritati latitudinem, vtrunque ex athletis petitum, ἴσον τῷ μήκει τὸ εὖρος, & Iunior Meleagro πλευρὰ βαθεῖα, *profunda latera*. Sed signatior quidem vox humerorum, dicente seniore Philostrato lib. 1. de Vitis Sophistar. ἀντερείσας τὸν ὦμον, ὥσπερ οἱ τῆς σταδίας πάλης ἐμβιβάζοντες: *innitens humero, non secus atque illi, qui palæstram in studio inituri sunt*. De more, quo induebantur veteres bestiarum tergoribus, alibi loquor. Fului leones generosi sunt. Lucret.

Leones fului generosi.

—corpora fulua leonum.

& Tibull.

Armenias tigres, & fuluas ire leænas.

Æneæ pietas.

2. SVCCEDOQVE ONERI] Hæc est pietas illa Æneæ nunquam satis celebrata veteribus, qua ille patrem humeris suis ex incendio eripuit. in quo facto nonnihil mihi moræ trahendum, ab eo enim toties pius prædicatur: ac pene argumentum huius heroici operis videtur esse Æneæ pietas. In primis spectaculum ipsum intuere. Æneas princeps ciuitatis fugit incensa Troia, cum eo tota domus, ac famuli: atqui nemini vult paternum pondus commendari, ipse caput inclinat suscipiendo oneri. Finge ergo videre te virum heroem leonis spolio indutum, cui in humeris pater sedet, cui paruus filius hæret in manu, quem à tergo coniux sequitur: interque hæc cerne sacra, & Penates Deos in manu senis. omnia vnus seruat, sacra manu Patris, patrem humeris, natum dextra, coniugem vestigiis; quæ plura vnus potuit? Addiderunt Superi tam nouo spectaculo complementum. Nam ecce subitò, flammæ, pietatem nouam in Deos, patrem, natum, coniugem admiratæ, recedere cœperunt, ac veritæ sunt ne pium virum contingerent, aut læderent. Tanta est vis pietatis in Deos, atque in patrem: tanta virtutis potentia. Quæras, an verè acciderit hoc miraculum? an cum mendacio confictum sit à Poëta Æneæ sui perstudioso, ad illius pietatem extollendam? Prodidit hoc antiquitas, firmántque multi. Statius 3. Syluar.

Felix, cui magna patrem ceruice vehenti
Sacra, Mycenea patuit reuerentia flammæ.

Ouidius lib. 4. Fast.

An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cùm dedit ignis iter?

de Pont.

Cùm foret Ænea ceruix subiecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

Propertius lib. 4. eleg. 1.

Cùm pater in nati tremulus ceruice pependit,
Et verita est humeros vrere flamma pios.

Dionys. lib. 10. Antiquit. in oratione Horatij Cons. contra tribunos pleb. *ô vos miseros, ac ciues hac patria indignos, cuius conditores parentes suos humeris gestauerunt,*

runt, quibus per medios hostes armatos, & incendia, Dij tutam viam præbuerunt. In lib. 5. oracul. Sibyllinorum habentur hi versus,

Ἔσσονται γενεῆς τε καὶ αἵματος Ἀσσαράκοιο,
Οὓς τάξει Τροίην ὅστις πυρὸς ἔσχισεν ὁρμήν:
Assaraci exsistent de stirpe & sanguine creti,
Auctor erit quorum qui Troiæ diffidit ignes.

Horatius in Carm. secular.

Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Æneas patriæ superstes
Liberum muniuit iter.

Seneca 3. de Beneficiis cap. 37. *Vicit Æneas patrem, ipse eius in infantia leue tutúmque gestamen; grauem senio, per media hostium agmina, & per cadentes circa se vrbis ruinas ferens, cùm complexus sacra, ac Penates Deos religiosus senex non simplici vadentem sarcina premeret, tulit illum per ignes; & quid non pietas potest?* Vide, vti verba hæc sanentur à Dionysio Gothifredo lib. I. coniecturarum in Senecam. Redeo. Ita gẽtes de suo Ænea. Sed putemus hoc ab illis confictum, ad extollendam pietatem Æneæ, vel si verè flammæ recesserunt, putemus id factum, operâ dæmonum volentis ita superstitiones suas firmare, qualia multa facta leguntur ab gentilibus. Relatum ab Herodiano est, lib. I. Hist. nauigium, quo Pesinuntia Dea Tyberi aduehebatur, subitò diuina quadam vi substitisse, nec inde vllis viribus moueri potuisse, donec astitit sacerdos Vestalis (ipse non nominat, sed dictam Claudiam Ouid. in Fast. canit, & scribit Liu. lib. 29.) ea cùm argueretur Virginitatem polluisse, damnationémque metueret, petiit à populo, vt iudicium de se Deæ Pesinuntiæ committerent: quo impetrato, clarè Deam precata est, vt si se esse intemeratam Dea sciret, nauem progredi iuberet. Quo dicto Zonam recinxit, & nauigio illigauit, quod statim ducentem manu virginem consecutum est. Dionysius quoque lib. 2. Antiq. simile huic prodigium adhibet de virgine hauriente aquam è flumine in cribro perforato in testimonium eiusdem pudicitiæ seruatæ. Vespasianus apud Suetonium cap. 7. cæco oculos restituit, inspuẽs in illos: debili crus confirmauit, contingens calce.

Catanei fratres.

Historiæ Æneæ affine facinus fratrum Cataneorum, qui ex incendio Ætnæ vtrunque parentem liberarunt, recedentibus, aut subsidentibus flammis, qua illi ibant. Claudian. in egregio carmine de illis,

Aspice sudantes venerando pondere fratres,
Diuino meritos semper honore coli.
Iusta quibus rapidæ cessit reuerentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces, &c.

De iisdem Seneca post historiã Æneæ, loco adducto: *Desedisse creditum est ignes, vt vtrinque flamma accedente limitem adapertũ, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi, qui magna tutò auderent.* Meminit horum Iul. Sol. Pol. cap. 9. & addit, locum, vbi illi conditi, dictum *Campum Piorum.* Tu adi Strab. lib. 9. Val. Max. 5. Auson. in Epig. Apuleium de Mundo; Pausan. Phoc. Martial. Cornel. Seuer. in Ætna, ab eo versu,

Cãpus Piorum.

Nam quando ruptis excanduit Ætna cauernis, &c.

Demum Arist. de Admirandis Naturæ, qui hoc factum recenset, & signatè ait, incendium ipsum tanta in parentes Pietate commotum euntibus locum aperuisse. An facinus Æneæ cum his non conferendum? Imò his præferendum ex aliatum rerum circunstantiis. Tanta enim fuit Pietas, vt illam etiam hostes Græci admirarentur, obstupescerent, amarent. sic enim Ælian. lib. 3. Var. Hist. cap. 22. facinus hoc contexit. *Cùm captum est Ilium, Achiui prout decebat Græcos homines, captiuorum sortem miserati, hoc per præconem denuntiarunt, vt singuli ex liberis ciuibus, quod vellent vnum aliquod secum auferrent.* ὁ δὲ Αἰνείας τοὺς πατρῴους θεοὺς βαστάσας ἔφερεν, ὑπεριδὼν τῶν ἄλλων. *Æneas igitur, cæteris neglectis, Deos Penates exportabat. Græci pietate viri oblectati, permiserunt insuper vnum ex suis possessionibus accipere. Ille patrem annis & senio confectum sublatum* ὤμοις ἔφερεν, *humeris portabat. Obstupescentes etiam hoc facto non mediocriter ex omnibus eius facultatibus abscesserũt,* ὁμολογοῦντες ὅτι πρὸς τοὺς εὐσεβεῖς τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς θεοὺς, καὶ τοὺς γειναμένους δι' αἰδοῦς ἄγοντας, καὶ οἱ φύσει πολέμιοι ἥμεροι γίνονται: *Confidentes, erga eos qui pietatem in Deos exercent, quiq́; parentes reuerenter colunt, etiam natura inimicos, non posse non æquos, & placatos se præbere.* Huc spectant versus Ouidij lib. 13. Metam. consentiunt enim cum sententia Æliani,

—sacra & sacra altera patrem
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros:
De tantisq́; opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniúmque suum.

Hoc Æneæ facinus Græci carminibus suis nobilitarunt. Est enim epigramma ἄδηλον hac de re optimum, quod ita vertit Matullus,

Cùm ferret medios proles Cytherea per hostes
Impositi collo languida membra patris:
Parcite, ait, Danai: leuis est sene gloria rapto;
At non erepto gloria patre leuis.

Hoc epigramma habetur lib. 3. eius initium est, Ἐκ πυρὸς Ἰλιακοῦ. Nobilitarunt Latini. Est enim suauissimum epigramma Sanazarij lib. I. in gemmam suam, in qua insculptus Æneas vehens patrem: quod adiungerem nisi longum. Nobilitarunt Augusti suis gemmis. Inueniuntur enim nummi Antonini Pij cum signo Æneæ patrem humeris gestantis, quem ille cudi iussit, vt in socerum pietatem suam ostentaret, quem languidum humeris sublatum in Senatu, vel quò opus fuisset, pij Æneæ instar ferebat, quod in suis numism. obseruauit Constantius Landus. Nobilitarunt viri pij. Adduco Nazianzenum in carmine Nicobuli, ad filium,

Τί ῥέξεις; οὐ χεῖρα τεὴν σκίπωνι παρέξεις;
Οὐκ ὤμοισι τεοῖσιν ἀειρόμενος μ' ἑκὰς οἴσεις,
Ὡς Ἀγχισιάδης γενέτην ἐὸν ἐκ πολέμοιο;
Quid facies? an non baculi vice fulciet illum,
Dextra tua? & sublatum humeris portabis? vt olim
Extulit Æneas Troia flagrante parentem.

Inde quoties scriptoribus simile quidpiam occurrit, semper loquuntur cum respectu ad Æneam, vt qui princeps tantæ pietati præluxerit. Ita Appianus lib. 4. Ἐμφυλ. *Oppium ex senectute debilem, & manere deprecantem humeris extulit, donec è portis tutum sisteret. Postremò in Siciliam nunc manu ducens, nunc ferens humeris perduxit, nemine hoc spectaculum aut suspicione, aut calumnia prosequente. quemadmodum & de Ænea proditum est, illum venerandum fuisse hostibus, quòd parentem sustulisset.*

3. Seqvitvr patrem non passibvs æqvis] Est hoc, quod Plato dixit in Protagora, οὐ δυνάμαι θέουσι ἀκολουθεῖν. quod Statius 5. Theb. *Vix cursu tener æquat Hylas,* videlicet *vestigia Herculis.*

4. Pone svbit conivx] Scribit Clem. Alex. lib. 3. Pæd. cap. 11. Æneæ vxorem fœminam fuisse insigni pudicitia præditam, adeò vt cùm Troia, ab incendio fugeret, nunquam se detexerit, sed operta semper processerit.

5. Opaca locorvm] Vide. I. Æn. ad illud *strata viarum.*

6. Nvnc omnes terrent avræ] Sententiam Poëtæ alij extulerunt. Turpilius in Leucadia: Timoris vis.

Miseram terrent me omnia, maris sonitus,
Scopuli, solitudo, sanctitudo Apollinis.

Hor. lib. I. Car. Od. 23.

Vitas hinnuleo me similis Chloe,
Quærenti pauidam montibus auiis
Matrem, non sine vano

Aurarum,& syluæ metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Aduentus folijs, seu virides rubum
Dimouere lacertæ,
Et corde, & genibus tremit.

Citatur hoc Sophocl. ab Vrsino, & Germ. πάντα τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ: *omnia tibi metuenti adstrepūt.* in Apollon.3. Arg. cor in pectoribus, fractum dicitur ad δοῦπον ἢ ποδὸς, ἢ ἀνέμοιο παραθρέξαντα, *Strepitum præter sonantem aut pedis, aut venti.* Loquens Heliodorus lib.2. Hist. Æthiop. de Cnemone, Græco homine, ita ait: *Magna ex parte insomnem ducens noctem excruciabatur, omnem strepitum, & quamlibet auram, ac foliorum motum Thermutin esse existimans.* Non multùm abit sententia Euripidis in Phœniss. ἅπαντα γὰρ τολμῶσι δειλὰ φαίνεται: *Omnia audentibus meticulosa videntur.* De hac pauoris natura ita Philo loquitur, lib. de Exsecrationib. φύλλων κτύπος κουφότατος ὑπ' ἀέρος φερόμενος ἀγωνίαν ἐργάσεται: *frondium strepitus leuissimus vento agitatus metum incutiet.* & Iuuenalis Sat.10.

Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.

& Lucanus lib.8.

—pauet ille fragorem
Motorum ventis nemorum.

Ouidius.5. Met. vbi loquitur de fabula Arethusæ.

—vidi præcedere longam
Ante pedes vmbram, nisi si timor illa videbat,
Sed certè sonitúque pedum terrebar.

Ad eandem sententiam pertinent, quæ sequuntur in Virgilio, *Visus adesse pedum sonitus, &c.*

Ex diuerso affectu procedit sententia Tibulli, & Propertij. Ait prior lib.1. eleg.8.

Dum mihi venturam fingo, quodcunque mouetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.

Posterior lib.3. eleg.15.

Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis,
Credebat dominæ pone venire pedes.

Ex diuerso (inquam) hi duo affectu, nam venire exoptabant, non metuebant. Porro de loco Lucani, quem adduxi, vide censurā Rubenij lib.2. Elect. cap.5.

7. PARITER COMITIQVE ONERIQVE TIMENTEM] Explicabitur hic locus his, quæ adduxi suprà in hoc lib. ad illud,

Suspensi Eurypylum, &c.

Nam procul dubio hîc, sicuti ibi, fit allusio ad æquilibria. Nam suspensus Æneas propter æquum amorem, quo & patrem, & filium prosequebatur, æquè & pariter timebat oneri, & comiti. Itaque ideo subiicit, *pariter com. oneríque timentem*, quia præcesserat, *suspensum.* Fuerat hoc interpretibus ἄθικτον. Cæterùm vt Æneas ex metu suspensus est, ita apud Euripidem Supplicib. Theseus,

—φόβος μ' ἀναπτεροῖ.
—metus me suspendit.

8. VISVS ADESSE PEDVM SONITVS] Est hoc quod Ennius Thyeste:

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.

Quod penè Tibullus lib.1. eleg.6.

Cognoscit strepitus me veniente pedum.

9. NATE, EXCLAMAT, FVGE NATE, PROPINQVANT] Non aderant hostes, sed metu Anchises adesse iam putabat, & propinquare. Similis planè locus apud Iulium lib.2. Ciuil. Vbi victo Curione & interfecto, ita subiicitur: *Tantus fuit omnium terror, vt alij adesse copias Iubæ, dicerent, alij cum legionibus instare Varum, iamq; se puluerem venientum cernere; quarum rerum nihil omnino acciderat.* Pergit pluribus explicans hanc consternationem ex falsa causa. Philo quoque Iudæus in lib. de exsecrationibus, de hoc genere pauoris ita ait: δειλία δὲ φόβος ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν ἐνιδρυθήσεται, καὶ φεύξονται μηδενὸς διώκοντος, φήμαις δ' οἷα φιλεῖ ψευδέσι πιστεύσαντες προτροπάδην: *Is metus animis, is pauor nascetur, vt nemine persequente fugiant, solis, vt ignaui solent, profligati rumoribus.* (Timoris vis.) Pari aura Ioann. Chrysost. homil. de Peccato, & Confess. de his, qui peccant, ait: πάντα ὑποπτεύουσι, τὰς σκιὰς τρέμουσι, πάντα ψόφον δεδοίκασι: *Omnia habent suspecta, vmbras timent, omnem strepitum metuunt.* Seneca ep.13. *Nescio quomodo magis vana perturbant. Vera enim modum suum habent: quicquid ex incerto venit, coniecturæ & licentiæ pauentis animi traditur.* vide eiusdem locum epist.56. & ep.90.

10. ARDENTES CLYPEOS] Dico alibi, & probo clypeos, & parmas eiusdem fuisse formæ, nam vtriq; figura rotunda fuit. Discrimen est in materia, nam parmam fuisse loream scribit Suidas, clypeus autem æreus fuit, quod hîc apertè indicat *ardentes* nominans. (Clypei, & parmæ discrimen.) Liuius lib.45. *Edito ludicro omnis generis, clypeisq; æreis in naues impositis.* Festus illud Ennianum, *prolato ære adstitit*, explicat, *clypeo ante se protento.* His argumentis vtitur Aldus in lib. Quæsitorum. Adiungo aliud sumptum ab etymo, nam clypeus dictus non ab κλέπτω, vt dixit Seruius: sed ab γλύφω, vt docet Plinius lib.35. cap.3. (Clypei etymon.) quæ autem scalpuntur, sunt aut aurea, aut argentea, aut ærea, aut similis duriciei, non lorea. Huius etiam rei argumentum aliud Virgilius ipse suppeditat 8. Æn. Vbi ad formandum clypeum Æneæ, *fluit æs riuis, auriq; metallum, &c.* Demum Liuius clarè lib.1. *Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære.* Ergo versus Poëtæ capiendus per ἓν διὰ δυοῖν. Nihil enim est aliud, *Cerno ardentes clypeos, atque æra micantia*, quàm, *cerno clypeos æris micantis*, & ideò *ardentes*. Quæ hîc aliqui de cæco Anchise, contemnimus.

Hîc, mihi nescio quod trepido malè Numen amicum
Confusam eripuit mentem: namque auia cursu
Dum sequor, & nota excedo regione viarum:
Heu misero coniux fatóne erepta Creusa
Substitit, errauítne via, seu lassa resedit,
Incertum, nec pòst oculis est reddita nostris.
Nec priùs amissam respexi, animumq; reflexi,
Quàm tumulum antiquæ Cereris, sedemq; sacratam
Venimus: hîc demum collectis omnibus vna
Defuit: & comites, natumq; virúmque fefellit.
Quem non incusaui amens hominúmque Deorúmque?
AVT QVID in euersa vidi crudelius vrbe?

ARGVMENTVM.

Amittit in fuga vxorem Creusam; tota oratio excusationem facti continet.

EXPLICATIO.

AGgreditur Poëta narrationem de amissa coniuge, neque enim exhausti pij viri labores. Ne verò videatur parum cautus in illa asseruanda, factum excusat sapientissimè: & quia in hac narratione, totus est in hac excusatione, excurram hîc hunc tractum, ne sæpius repetam: *Eram* (inquit) *trepidus, mente confusa, numen aduersum, sequebar auia, & hæc currendo, cedebam è notis locis, fato est erepta, ipsa substitit, ipsa errauit via, ipsa resedit lassa, non potui amissam respicere, non animum reflectere, præ sollicitudine oneris & comitis, ipsa vna defuit omnibus collectis, homines ego Deósq; incusaui.* Excusationes istæ ad triplex caput reducuntur, aut ad Deos, & fata, quæ eripuerunt; aut ad Æneam, qui non potuit animaduertere; aut ad Creusam, quæ disparuit, subsistens, errans, sedens præ lassitudine. Vtcunque (inquit) illud certum, nunquam deinde à me visam.

NOTÆ.

Dæmones auctores malorum.

1. MALE NVMEN] Signat δαίμονα, non θεὸν. Dæmones enim dicebantur Veteribus, auctores malorum, errorum, perturbationúmque animi, quam rem hîc Æneas queritur. Vocabantur isti θεήλατοι, & οὐρανοπετεῖς, vt est apud Plutarch. de vitando ære, Deorum ira depulsi ac deturbati è cælo ad construendas fraudes. Inde Homerus proprio attributo δαίμονα κακὸν, στυγερὸν. Dabantur hi seruandis animis in corporibus, inde est vt mors propera illis attribueretur, tanquam auctoribus. Protesilaus apud Philostratum in Heroicis, ἐλεεῖ τὸ ἑαυτοῦ πάθος, καὶ τὸν δαίμονα, ἐφ' ᾧ τότε ἦν, ἀδικόν τε ἡγεῖται, καὶ βάσκανον: *suam ipsius calamitatem miseratur, & sub cuius tutela tunc erat, dæmonem iniquum arbitratur, atque inuidum.* Quia videlicet præmaturè obierat ante Troianum bellum. Verum est tamen, à Græcis sæpissimè auctores malorum dici etiam θεοὺς. Exempla obuia. Nunc occurrit Herodotus lib. 1. εἰς γὰρ οὐ σύ μοι τοῦτε κακοῦ αἴτιος, ἀλλὰ θεῶν κού τις: *Neque verò tu huius mihi cladis auctor es, sed Deorum aliquis.* Ibidem Crœsus queritur, ἑλλήνων θεὸς ἐπάρας ἐμὲ στρατεύεσθαι: *Græcorum Deus me ad bellum impulit,* quod bellum illi malè cesserat. Sed frequentius sanè est, vt mala attribuantur δαίμοσι, non θεοῖς. Qua verò forma Noster, *malè amicum*, Horatius. 1. Serm. Sat. 4. *rauci malè.* & Sat. 3. *malè paruus.* Ibidem, *calceus malè laxus.* Quibus, & aliis locis magistro hæsit.

Custodes animorum.

Dij gentiliũ auctores malorum.

2. CONFVSAM ERIPVIT MENTEM] Illustrat hoc Germanus ex Apollonio, qui sæpe, σύν κε νόος κέχυτο. ex Calabro, qui ὑπὸ φρεσὶ σύγχυτο θυμός. ex Homero, qui etiam sæpe, ἐξελέσθαι θυμὸν, ψυχὴν, φρένας.

3. AVIA] Sunt hæc, quæ Thucydides lib. 1. vocat δύσοδα, quæ Xenophon ἄνοδα, quæ Plutarchus in Publ. δυσπρόσοδα. Nam Poëta non tantùm indicat errorem à via, sed etiam, in via, & qua non esset locus hostibus, si vellent sequi.

4. ANIMVMQVE REFLEXI] Animum reuocaui, & aduerti, ad eum modum, quo Cicero pro Syl. dixit: *Animum incitatum ad vlciscendam orationem tuam ipse reuoco, & reflecto.* Videtur metaphora ab equis sumpta, qui reflectuntur, reuocantúrque freno in omnem partem.

5. COLLECTIS OMNIBVS VNA DEFVIT] Aduertit Iul. Scal. orationis huius oppositiones. *vna,* & *omnibus:* deinde *collectis,* & *defuit.*

6. QVEM NON INCVSAVI AMENS] Dicit *amens,* veluti ad facti excusationem, nam quî omnes homines incusaret, quî præsertim Deos omnes, nisi amens? Pari affectu dictum. 5. ecl.

Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Huic etiam orationi simile quiddam exspirat illa Eurip. in Androm.

Τίν' οὐκ ἐπῆλθε; ποῖον οὐκ ἐλίσσετο;
Quem non accessit? quem non orauit?

Propius est illud Aristidis oratione. 5. Sacror. ἀέρας, καὶ ἀστέρας, καὶ τοιαῦτα ἠτιᾶτο: *aërem, stellas, & similia incusabat.* Liuius lib. 28. *Deos hominésque accusans, quòd tantæ rei fortunam ex oculis prope raptam amisisset..*

7. VIDI CRVDELIVS] Quia nihil funestius potest marito accidere, quàm amittere vxorem, sicut contrà, nihil vxori tristius, quàm maritum perdere. Verè dixit in Androm. Eurip.

Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσ' ἁμαρτάνει βίου:
Quæ priuatur viro, priuatur vita.

Ceterùm Virgilius Catulliano modulo,
Quid faciant hostes capta crudelius vrbe?

a Ascanium Anchisemq; patrem Teucrósque Penates
Commendo sociis, & curua valle recondo.
b Ipse vrbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
c STAT casus renouare omnes, omnemq; reuerti
Per Troiam, & rursus caput obiectare periclis.
d Principio muros, obscuráque limina portæ,
Quà gressum extuleram, repeto: & vestigia retro
Obseruata sequor per noctem, & lumine lustro.
e Horror vbique animos, simul ipsa SILENTIA terrent.
f Inde domum, si fortè pedem, si fortè tulisset,
Me refero: irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
g Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Voluitur, exsuperant flammæ, furit æstus ad auras.
h Procedo ad Priami sedes, arcémque reuiso.

i Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo,
Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Vlyſſes
Prædam aſſeruabant. huc vndique Troïa gaza
Incenſis erepta adytis, menſæq; Deorum,
Crateréſque auro ſolidi, captiuáque veſtis
Congeritur. pueri, & pauidæ longo ordine matres
Stant circum.

ARGVMENTVM.

Redit ſolus ad pericula eam quæſiturus, atque obiter multa narrat de Troiana clade ſibi oculis perluſtrata.

EXPLICATIO.

a SEMPER in hoc viro eniteſcit pietatis in Deos, & in ſuos cura, ad quam hîc indicandam ſignata verba. non enim ſatis in cura Aſcanij, Anchiſæ, Deorum, verbum condere, ſed *recondere*, & *valle*, & *curua*, & hæc poſt *commendationem*.

b Quæ præceſſerunt pietatis ſunt, hæc fortitudinis, quæ par virtus in hoc duce.

c Præceſſit pietas, præceſſit fortitudo, ab vtraque virtute profecta hæc deliberatio pia & fortis. At, quàm fortis? Nihil excipit, omnia vult renouare, omnem Troiam luſtrare: neque obuerſatur timor tot hoſtium, tot periculorum; neque verò timor capitis, nam hoc etiam obiicit.

d Remetiebatur viam ſuam Æneas, & oculos in omnem partem circumferebat. Itaque rediit ad murũ, vnde egreſſus; ad portã, qua egreſſus, retegens obſeruata veſtigia, & omnia luſtrans lumine, id eſt, oculis ſuis. aliqui explicant, lumine incendij, non placet.

e Duplex terroris cauſa, horror noctis, ſilentium omnium. Hoc ipſo innuit iam ceſſatum à bello, & vaſtata omnia.

f Deſtinat paternas ædes reuiſere. iteratione illa, *ſi forte, ſi forte*, auget ſpem inueniendæ coniugis, & ſibi animos ad quærendam addit. Sed quid ibi? *Irruerant Danai & tectum omne tenebant.* Sermo hîc emphaticus eſt. Vbi enim ſpes magna inueniendæ vxoris, ibi hoſtes.

C

g Amplificatio παθητική. Hoc enim additum malum ad reliqua, quæ Æneas paſſus, vt ipſe ſuis oculis cerneret domum propriam abſumi. Hoc ſcilicet deerat ad mala, quæ paſſus vir fortis.

h Ab ſuis ædibus pergit ad ſedes Priami, & arcem, in qua, quia iam fuerat ea nocte, ideo *reuiſo*.

i Narrat prædam, quam obiter vidit in aſylo Iunonis, cuíque præpoſiti ad aſſeruandam Phœnix, atque Vlyſſes. Præda hæc duplex: prima, gaza erepta ex adytis; & explicans hanc, numerat menſas Deorum, crateres ex auro ſolido, veſtes & ornamenta ſimulacrorum: præda altera fuit imbelle vulgus puerorum, & feminarum. Itaque ibi tantùm fuit præda per ſacrilegium parta ex templis, nam ciuium bona omnia incenſa flammis periere: tantùm imbelle vulgus puerorum & feminarum, nam iuuenes & viri aut occubuerunt ea nocte, aut fugerunt. Hæc procul dubio eſt loci huius ſententia.

NOTÆ.

1. STAT] Hoc eſt, ſedet, hærétque animo. Claudian. 3. Rap. *ſtat fines penetrare Noti.* — Stat, pro hæret animo.

2. OBIECTARE] Sic Græcis προσβάλλεσθαι eſt, proiicere ſe ad periculum, & audere audax facinus, vtiq; ῥιψοκινδυνεῖν, & ἄνθρωπος παράβολος, *audax periclitatórque*, & ἔργον παράβολον, *audax facinus* in bonam quoque partem. in Poëta frequentatiuum eſt ad ſignandam periculorum frequentiam. in Salluſt. quoque eſt, *periculis obiectare* in Iugurthino bello.

A

3. OBSCVRAQVE LIMINA] Subiit, an hîc legendum *limina obſeſſa*, ſed cùm in nemine viderim, abſtineo. coniectura tamen mea defendi poſſit, nam infrà:

—*Danaíque obſeſſa tenebant*
Limina portarum.

& ſuprà:

—*obſeſſúmque acta teſtudine limen.*

Si *obſcura* legas, explica, quia per noctem obſcura. Quæ hîc de poſtico aliqui non ſatis probo.

B

4. ANIMOS] De ſe ſolo loquitur Æneas, & tamen *animos* ait ad maiorem αὔξησιν. ita de ſola Didone, *animos ſubmittere amori.* De ſolo Turno, *Pone animos, & pulſus abi.* De ſolo Aſcanio, — Animi pro animo.

Ecquid in antiquam virtutem, animóſque viriles, &c.

De vno Hercule,

Non tulit Alcides animis.

Et vnum Bitiam inducit

—*ardentem oculis animíſque frementem.*

& ſæpe alibi.

5. SILENTIA TERRENT] Tacit. lib. 3. Hiſt. de Vitellio quærente latebras: *Terret ſolitudo, & tacentes loci.* De Troia ipſa in Troadib. Eurip.

—ἔντε δεμνίοις
Ερημία νεανίδων:

C

—*in cubiculis ſolitudo iuuenum.*

Similem conqueſtionem excitat Demoſthenes, de falſa legat. χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ: *regionem deſertam à iuuentute.* Quem in locum notat Vlpianus, notari affectum φόβου. inde Poëta in magno ſilentio *terrent*, quippe omnis vaſtitas & ſolitudo terrori eſt. Oroſius lib. 2. cap. 19. *Horror quatiebat animos, ſilentia ipſa terrebant, ſiquidem materia ipſa pauoris eſt raritas in ſpacioſis.* Xenoph. 2. ἀναβ. φοβερώτατον ἐρημία: *maximè terribilis eſt ſolitudo.* & addit rationem, μεστὴ γὰρ πολλῆς ἀπορίας ἐστίν: *eſt enim plena varijs difficultatibus.* — Silentium adiunat metum.

6. SCILICET IGNIS EDAX, &c.] Similes victoris ignis, & ſummopere exſcreſcentis deſcriptiones attuli in Georgicis, Vt hîc *edax ignis*, ita 3. G. *ignis edebat.* Horatius lib. 3. Od. 4. *peredit ignis.* Statius 9. Theb. *ignis edat.* Simili verbo Mattius apud Varron. lib. 6. de Ling. Lat. — Edacitas de igne.

D

Corpora Graiorum mœrebant mandier igni.

7. FVRIT ÆSTVS AD AVRAS] Eſt hoc quod lib. 5. *atram in nimbo volitare fauillam.* quod in 9.

—*atérque ad ſidera fumus*
Erigitur.

Quod Silius lib. 1.

Incita ſulcatum tremula ſecat aëra flamma:

Solent enim Poëtæ ad explicandum magnum incendium decurrere ad auras, ad cælum, ad ſidera.

8. PORTICIBVS VACVIS] An vacuis, id eſt, amplis, — Vacuus.

plis, vt quidam volunt? ad eum modum, quo *inane* pro magno spacio dicere Poëtæ solent. An verò vacuis ab strepitu armorum, & multitudine concursantium hostium? Itaque nulla iam hîc arma victis Troianis, Græcis victoribus, tantùm præda silentio summo seruabatur. Inclino in hoc, nam Tacitus.11. Annal. loquens de Curtio Rufo: *vacuis per medium diei porticibus secretus agitat.* id est, liberis ab strepitu, & multitudine.

Asyla Iunonis.

9. IVNONIS ASYLO] Præclarè Latina vox coniuncta cum Græca, præda enim seruatur in Asylo, nam ἄσυλΘ est locus tutus à prædatione. Troiana ergo præda ibi locatur, vbi tuta. Asylorum, & Iunonis præsertim, frequens mentio: ad ea enim loca confugiebant noxij, neque inde extrahi poterant. Pausan. in Corinth. *Habent huic Deæ* (præcessit Iuno) *Phliasij honores multos: summum verò omnium, quòd qui supplices huc confugerint, cuiusvis criminis impunitatem consequuntur.* Idem in Lacon. de templo Mineruæ: *Templum illud fuit antiqua religione Peloponeso vniuersæ sacrosanctum: neque violari eos fas erat, qui illuc confugissent.* Ælian. lib.3. Var. Hist. cap. 44. Φοβηθεὶς ὁ κιθαρῳδὸς σὺν αὐτῇ μετέφυγεν εἰς τὸν τῆς Ἥρας βωμὸν: *Citharœdus metu terrefactus, cum ipsa* (stola) *ad Iunonis aram confugit.* Dio lib.47. ἀπηγόρευσαν δὲ μηδένα εἰς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπὶ ἀδείᾳ, μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι, μήτε συλᾶσθαι: Sermo est de templo Iul. Cæsaris à triumuiris exstructo cum hoc iure perfugij, id est, *vetitum nequis qui ad eius templum impunitatis consequendæ causa confugisset, inde eijceretur, vel abriperetur.* Tertull. in Apolog. templa vocat mortuorum asylum, quòd in illis tuti sint, ab omni impetu, & conatu. Sed notandum vnicè non omnia templa veteribus fuisse eius conditionis, vt tuti in eis essent, qui eò confugerent, sed hoc priuilegium datum nonnullis, non omnibus. Hoc liquidum ex adducto Dione, ita enim fit ab eo mentio perfugij, vt appareat non hoc fuisse commune omnibus. Id etiam claret ex Zenobio, qui explicãs parœmiam, ἀνθ' ἑρμίονΘ, ita ait: ἐν Ἑρμιόνῃ τῆς Πελοποννήσου ἱερὸν ἦν Κόρης καὶ Δήμητρος ἀσφάλειαν παρέχον τοῖς καταφυγοῦσιν: *In Hermione Peloponesi ciuitate templum erat Proserpinæ & Cereris securitatem præstans eò confugientibus.* Quæ mentio ita signata, videtur excludere templa alia eiusdem vrbis. Hoc honore principes aliqui à Gentilibus affecti, non omnes. Sic templo Thesei Græci ἀσυλίαν dederunt; sic templo Iulij Romani, vt habes iam ex Dione: sic sepulcro filiæ Theophilus apud Cedrenum pag. 429. Idem videtur effici ex Polluce lib.1. scribente, si aliquod asylum fuerit (εἰ δὲ καὶ ἄσυλόν τι εἴη) dici posse latebram & perfugium. Nota verba, ἄσυλόν τι, atqui in omnibus vrbibus gentilium templa erant. Ex templis his asylorum nullatenus extrahebantur, qui ad illa confugerant, nisi ab immanibus, & barbaris. Qua nota affecti Ephesij & Pergameni. Hi enim Romanos, qui in templa confugerant, hærebántque Deorum simulacris, per vim inde extraxerunt, interfecerúntque sagittis confectos. Pari crudelitate vsi Caunij iussu Mithridatis in eosdem Romanos, qui ad templum Vestæ iuerant. Has omnes historias Appianus habet in Mithridatico.

Asyla non erant in templis omnibus.

10. PHOENIX] De hoc magna in Homero, & præclara mentio.

Præda, quid.

11. PRÆDAM ASSERVABANT] Doctè *prædam*, & ex adytis iure Consultorum, qui volunt *prædæ* nomine contineri omnia, quæ prælio victis eripiuntur. Ideo generatim loquens *prædam* dixit, mox discriminauit in Gazam templorum, & viua corpora. Lege Hotomanum lib. 2. Instit. de rerum diuisione. §.13. Nota etiam allusum à Poëta ad morem veterum, qui pecunias, & alia humanis vsibus apta in templis asseruabant, quasi tutiore loco esse non possent. Quod ex Herodiano lib.1. Hist. liquidum. describens enim incendium templi Palladis, ita ait: ἕκαστος δὲ ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαύριζε: *Occultauerant in eo omnes quas habebant opes.*

Templis pecuniæ asseruabantur.

Gaza.

12. GAZA] Mela lib.1. cap.11. *Gazam sic Persæ ærarium vocant*, Curtius lib. 3. *Pecuniam regiam Gazam Persæ vocant.* Suidas *gazam* explicat, θησαυρόν. Seruius ait census omnes & diuitias Persarum lingua, eâ voce explicari. Inde *gazophylacium*, vbi thesauri repositi; & *gazophylaces*, custodes eius.

Mensæ oraculorum.

13. MENSÆQVE DEORVM] Fortasse hæ sunt, quibus oracula reddebantur, quásque Græci τρίποδας vocant. Certè interpretes non ignobiles τρίποδας vertunt *mensas*. nunc mihi ante oculos Iustus Vlteius, qui illud Æliani lib.3. Var. Hist. cap.43. βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, reddit, *cede meis mensis.* verba sunt oraculi.

14. CAPTIVAQVE VESTIS] Sic in 7. *Captiui pendent currus.* Statius 2. Theb.

—Nostrísque sub armis
Captiuo moribundus humum diademate pulses.

Ouidius 3. Fast. *captiua cura.* Propertius lib.2. eleg.1. de Nilo:

Septem captiuis debilis ibat aquis.

& Tacit.14. Annal. *captiuum cruorem*, dixit: *cruore captiuo adolere aras.* Et Liu. lib.3. *captiua nauis.* & in 6. *pecua captiua.* Vestem hanc accipio Phrygiam, quæ in pretio, ideo peculiaris mentio.

Præda in locum congerebantur.

15. CONGERITVR] Attingit Poëta sollemnem morem militarem. Solebant enim victores vnum in locum coniungere omnem prædam, quo militibus gratum quoddam spectaculum præberetur. Liuius lib.45. post deuictam Macedoniam: *Spectaculo fuit ei, quæ venerat, turbæ, non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quàm præda Macedonica omnis, vt viseretur, exposita. statuarum, tabularúmque, textilium, & vasorum ex auro, & argento, & ære, & ebore factorum*, &c. Idem scriptor lib.40. eo loci, quo Chalcis à Romanis capitur, ac diripitur: *Præda omnis primum in forum collata, deinde in naues imposita.* Huc pertinet sententia Vlpiani in orationem Demosthenis contra Leptinem, λείαν, id est, prædam, explicantis, quæ conferebatur εἰς τὸ κοινὸν, *in publicum.* Probat Vlpianus, nam λεῖτον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ δημόσιον: *Veteres leïton vocabant publicum.* Vnde & verbum λειτουργεῖν.

16. PVERI, ET PAVIDÆ, &c.] Credo tacitè indicari ab Ænea Troianam virtutem, nam iuuenes & florente æuo omnes occubuerunt in nocturno prælio. Et quidem in Troadib. Euripidis plurima fit mentio fœminarum, quæ ad naues ducebantur portandæ ad Græciam; virorum nulla.

[a] Ausus quin etiam voces iactare per vmbram,
Impleui clamore vias: MOESTVSQVE Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterúmque iterúmque vocaui.
[b] Quærenti, & tectis vrbis sine fine furenti
Infelix simulacrum, atque ipsius vmbra Creüsæ

Visa

Viſa mihi ante oculos, & notâ maior imago.
[c] Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis.

ARGVMENTVM.

Inclamat ſæpe vxorem, adeſt illius vmbra: ipſe horret, illa loquitur.

EXPLICATIO.

[a] AFFERAM verba Scaligeri explicantis & expendentis hunc locum: *vt profectò me horror capiat, atque etiam quatiat: vbi videre atque audire videar in nocte, inter hoſtes, fortem ſimul atque pium virum, etiam clamore chariſſimam vxorem quærere, talis ille ſuis.*

[b] Non tam quærebat, quàm furebat præ dolore, & *ſine fine*. Ergo ita furenti homini ſimulacrum apparuit & Creüſæ vmbra, atque imago quædam auguſta, & maior quàm mortalis feminæ. Non incidit Poëta in vitium ταυτολογίας, in ſermone enim mortuorum diſſident ſimulacrum, vmbra, imago, de qua ego re lib. 6. vnde loci huius pendet explicatio.

[c] Sequitur Æneæ ſtupor ad viſam mortuam coniugem: ſtuporis huius duplex nota. Prima, *comæ ſteterunt*. Alterna, *vox faucibus hæſit*. Sed ſtupentem virum coniux lenit, verbis peramicis curas amouens.

NOTÆ.

Auſones vnde dicti.

1. AVSVS] Vult Germ. participium hoc deductum à Græco fonte à verbo αὔσω, quod eſt, τολμάω *audeo*. inde & Reges Auſones.

2. IMPLEVI CLAMORE VIAS] Sic Moſchus in epitaphio Bionis, πᾶσαν δ' ἔπλησας φωνᾶς ἅλα: *mare totum impleſti voce*. Et Plat. Leg. 11. βοῆς πάντα ἐμπλήσειε: *voce omnia impleuerit*.

3. INFELIX SIMVLACRVM] Attingit hîc Poëta nobilem quæſtionem de animabus mortuorum ſolitis apparere his, qui adhuc viuunt: quam luculenter, & ſtupenda (ſic dicam) eruditione tractat Noſter Delrius lib. 2. Diſq. Mag. quæſt. 26.

4. ET NOTA MAIOR IMAGO] Imaginem maiorem nota, & ſolita Turn. refert ad apotheoſin Creuſæ: ex magnitudine enim Deam eſſe ſignificat, nam Diis ſuis veteres maiorem formam tribuebant, quàm hominibus, vel fortaſſe, falſum hoc, ait Delrius, & tantùm metu perculſi hoc ſibi perſuadebant. eadem mens Lipſij in 11. Ann. Tacit. Seneca in Oed.

Diis maior forma, quã humana.

D *Vaga per lucos ſimulacra virum*
Maiora veris.

Et in Thyeſt. *maiora notis monſtra*. Iuuen.

—*tua ſacra & maior imago*
Humanâ, turbat pauidum cogitque fateri.

Plutarchus in Parall. Ῥωμύλον ἐν ὄρει ἑωρακέναι μείζονα παντὸς ἀνθρώπου, θεὸν γεγενῆσθαι: *Viſum in monte Romulum, quouis homine ampliorem, ac Deum factum*. Liuius lib. 8. de Decio ſe deuouente: *Conſpectus ab vtraque acie aliquanto auguſtior humano viſu, ſicut cælo miſſus*. Silius de Hamilcare lib. 13.

Celſus abit greſſu, maiorq; receſſit imago.

Maiora eſſe defunctorũ apparent.

Omnia enim, quæ ad defunctos pertinent, maiora apparent, ignoratione quadam, & conceptu mortalium. Ex qua opinione Propertius lib. 3.

E *Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas.*

Mortuos quippe in diuinis numerabant antiqui. inde lucem accipit Lucret. lib. 4.

A *Magna atque immanis cataplexis, plenáque honoris.*

Dicit enim, mulieris, quæ magno eſt atque immani corpore, vitium tale à cæco amatore referri ad diuinitatem, nam magna corpora Diis dabant veteres timore perculſi. Eſt itaque *plena honoris* Dea, & tota cataplexis. eſt enim κατάπληξις horror, admiratio, obſtupefactio: itaque attonitum reddit amatorem, ac ſi eſſet Dea. Eodem ſpectat Tacit. Hiſt. 1. *Erupiſſe cella Iunonis maiorem humanâ ſpeciem*. Inde nata prouerbij ſpecies, qua vſus Ariſtides orat. 1. ſacror. ſermonum. οὕτω μοι δοκεῖ θαυμαστὸς εἶναι, καὶ κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον: *Adeo mihi ille mirabilis eſſe, & humano maior videtur*.

Heroes magni eſſe fingebantur.

Hinc natus error de magnitudine, quam ſuis heroibus dabant veteres, fingebantur enim δεκαπήχεις. De qua re lege Philoſtratum in heroicis, vbi adhuc

B vnum Aiacem ἑνδεκάπηχυν facit. Herodotus libr. 5. quendam facit, μέγαν, καὶ εὐειδέα, *magnum & ſpectandum*. De vmbra Achillis ita ſcribit Euſebius contra Hieroclem, Ἀχιλλέως ἦν ψυχὴ, πρότερον μὲν ἐν χλαμύδι πεντάπηχυς; εἶτα δωδεκάπηχυς τὸ μέγεθος ὑπὲρ τοῦ ἰδίου μνήματι φαινομένη: *Achillis anima cubitorum primo quinque, mox cubitorum duodecim de ſuo buſto chlamydata apparuit.*

Comæ ſtantes præ timore.

5. STETERVNTQVE COMÆ] Homer. Vlt. Il. ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν: *comæ rectæ ſteterunt*. Ariſtides orat. 2. ſacror. ſermonum, τρίχες ὀρθαί. Sophocles in Oedip. Colon. εἰς δ' ἄκραν δεῖμ' ὑπῆλθε κρατὸς φόβη: *metus ſubiuit capitis in ſummam comam*. In pauore etiam Æſchylus, τριχὸς δ' ὀρθίας πλόκαμος ἵσταται. Plat. in Ione. ὀρθαὶ αἱ τρίχες ἵστανται ὑπὸ τοῦ φόβου, καὶ ἡ καρδία πηδᾷ: *comæ rectæ*

C *ſtant præ timore, & cor exſilit*. Alexan. in Problem. quærit, διὰ τί ἐν φόβῳ, ἢ ἐν φρίκῃ αἱ τρίχες ὀρθαὶ ἵστανται; *Cur in metu & frigore comæ eriguntur?* Philoſtratus in vita Polemonis hac forma, ὑπανίστασθαι τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ χαίτας. quod verbum reſpondet Latino *aſſurgo*, vſurparunt & Latini ad ſubitum metum declarandum. Ouid. 3. Met.

—*gelidóque comæ terrore rigebant.*

& 1. Faſt.

Extimui, ſenſiq; meos riguiſſe capillos.

Lucan. lib. 1.

—*tum perculit horror*
Membra ducis, riguêre comæ.

Seneca in Oetæo *erectus horret crinis*. & in Thyeſte *crinis ſtetit*. Lege Ariſtotelem in Problem. ſect. 8. q. 8. & 11.

Vox hærens præ timore.

6. VOX FAVCIBVS HÆSIT] Seneca in Octau. ſeu quicunque auctor: *Continet vocem timor*. Phædrus in fabella: *vocem præcludit metus*. Guntherus adductus à Rittherſ.

——*vix fauces in verba ſolutæ*
Vocis iter præſtare valent.

Eurip. in Androm. eandem ſententiam extulit eleganter: cùm enim Peleus Pyrrhi mortem audiſſet, ſubitò,

——οὐδέν εἰμ', ἀπωλόμην,
φρούδη μὲν αὐδή:
——*Nullus ſum, perij,*
Nulla eſt vox.

E Herodotus lib. 1. de Aſtyage in ſummo ſtupore. ἐκπλαγεὶς δὲ τέως μὲν ἐπὶ χρόνον ἄφθογγος ἦν: *his perculſus, aliquandiu ſine voce manſit*. Lucilius lib. 3. ait timentibus præ metu *infringi linguam*. Terentius in Eunuch. dixit linguam metu *hærere*, Catullus *torpere*.

7. Cvras demere] Placitum tibi adiungere A ad imitationem, quibus modis idem sæpè dicat Poëta in 6.

His dictis curæ emotæ.

in 4.

——Méque his exsoluite curis.

Ibid.

Et dictis auertere curas.

Ibid.

Hæc se carminibus promittit soluere curas.

1. Æn.

Soluite corde metum Teucri, secludite curas.

4. Æn.

Lenibant curas, & corda oblita laborum.

in 9.

Laxabant curas, & corda oblita laborum.

& 4. Georg.

Nate licet tristes animo deponere curas.

Itaque *demere, emouere, soluere, exsoluere, auertere, secludere, lenire, laxare, deponere.*

[a] Quid tantùm Insano iuuat indulgere labori
O dulcis coniux? Non hæc sine numine Diuûm
Eueniunt: nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas, Havd ille sinit superi Regnator Olympi.
[b] Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies: vbi Lydius arua
Inter opima virûm, leni fluit agmine Tybris.
Illic res lætæ regnúmque, & regia coniux
Parta tibi. lacrymas dilectæ pelle Creüsæ.
[c] Non ego Myrmidonum sedes, Dolopúmve superbas
Aspiciam: aut Graijs seruitum matribus ibo
Dardanis, & Diuæ Veneris nurus:
[d] Sed me magna Deûm genitrix his detinet oris.
Iamqve vale, & nati serua communis amorem.

B

Argvmentvm.

Aperítque se voluntate Deorum raptam: viro labores prædicit, deinde futuras felicitates: redit iterum ad se, & cælo à Cybele detineri affirmat, coniugi demum natum commendat.

Explicatio.

a Aditvs sermonis continet vnà cum sermone amoris notam. ait enim, *dulcis coniux, insanus labor.* Est verò *labor insanus*, vel magnus, de qua acceptione alibi: vel verè insanus, nam suprà, *sine fine furenti.* Pergit Creusa, & factum in Deos conijcit, *non hæc sine numine Diuûm Eueniunt*, vt desinat mœrere Æneas, qui putauerat sua fortasse culpa ablatam coniugem. Post mentionem Deorum in communi, signatiùs in Iouem factum conijcit,

Haud ille sinit superi regnator Olympi.

& *finit*, ait, cum allusione ad auguria, aut omina.

b Prædicit coniugi futuras primùm calamitates, deinde felicitates. Calamitates sunt exsilia, & vastorum transmissio æquorum, quibus ad Italiam perueniet, & signatè ad eam partem Italiæ, vbi est Tyberis. Felicitates sunt, *res lætæ*, id est, res præclarè ac feliciter bello gerendæ in Italia, *regnum* ibi comparandum, *coniux* Lauinia ex regio genere. Ideo absoluit.

lacrymas dilectæ pelle Creüsæ.

c Sermo totus emphaticus. Quæ *Dardanis*, quæ *nurus Veneris, ibo seruitum Myrmidonibus, Dolopibus?* non ego superbas istorum ædes aspiciam.

d Quanto meliùs mecum agitur, quæ vnà cum Deorum matre Cybele versor in cælestibus locis? Quamobrem tu Æneas vale, Ascanij cura tibi ante oculos obuersetur, meus æquè ac tuus est, ne patiare nouercam aliquando in illum desæuire.

Notæ.

1. Non hæc sine nvmine Divvm] Est hoc ex nota Germ. quod Homer. Odyss. 15. οὔτι ἄνευ θεοῦ. quod Sophocles in Aiace, οὐκ ἂν τάδ' ἔστη τῇδε μὴ θεῶν μέτα.

2. Fas] Monui iam ex Iulio Scaligero, hanc voculam Deorum esse. Ergo ait, non vult fas fatúmve Deorum, vt hinc tecum Creusam feras.

3. Ille] Δεικτικῶς ponitur. Monui enim, veteres, cùm Iouem nominabant, solitos digito cælum indicare, vt sedem Dei. nullus itaque pleonasmus. In voce *finit* cape tempus præsens, & contemne subtilitatem illorum, qui ducunt ab antiquo, finim, finis, finit, vt edim, edis, edit.

C 4. Arandvm] Cognata huic ea metaphora, qua maria dicuntur *sulcari.*

5. Venies] Vt Græcis βαδίζω, ita Latinis *venio*, habet ancipitem significationem vtriusque termini, quò progredimur, quò redimus. Ad imitationem autem Maronis Val. Flacc. lib. 4. Arg. Hylam infert post raptum Herculi apparentem, hortantémque, vt questus pellat, suíque sit memor: prædicentem deinde illi diuinitatem. Nisi quòd Creusa diuinitatis loco, Italiæ aduentum & felicitatem: deinde Hylas dormienti apparet, Creusa vigilanti.

6. Lydivs] Id est, Tuscus. Sic in 10.

Classem conscendit iussis gens Lydia Diuûm.

Tusci enim à Lydis originem duxerunt, ideo quæ Tuscorum sunt, Lydorum epitheto exornantur. adi Seruium. Sic lacũ Benacum *Lydium* appellat Catull. Nam transpadanam regionem Veronam vsque Tuscos aiunt tenuisse. Sic Horatius Od. 20. lib. 1. *paterni fluminis* de Tyberi dixit, id est, Lydij, aut Tusci. Nam ea ode ad Mæcenatem scribitur, cuius maiores à Lydis orti Tusciæ imperarunt. Tusci à Lydis.

D

7. Arva

7. ARVA INTER OPIMA VIRVM] Signat Italiæ fertilitatem, de qua alibi. Sed virorum dixit, non hominum, vt quæ reliquis bonis affluat Italia, ne hoc quidem præstantiore careat, hominibus ingenti virtute præditis. Ita Nasc. Ego putabam, prædici ea voce aliquid de Italiæ bello. qui arua colunt in Italia, viri sunt bello quoque apti, & gladio pariter, & ligoni versandis.

Agmen de aquis.

8. LENI FLVIT AGMINE TYBRIS] Actus ille, quo flumen voluitur, & aquæ succedunt aquis, agmen dicitur eleganti tralatione: quæ ante Poëtam in vsu. Enn. lib. 1. apud Macr.

Quod per amœnam vrbem leni fluit agmine flumen.

Et Lucret. lib. 5.

——super terras fluit agmine dulci.

& post illum, (nam Cyprian. lib. de Spectac. *refrenatis aquarum agminibus*) Ammianus de Nilo: *Nec aucto, nec imminuto agmine.* Iuuencus de fluuio Iordane lib. 3. *agmine amœno.* Non abhorret ratio metaphoræ: sicut enim exercitus, qui agit viam, propriè dicitur agmen, quòd agatur: sic aquæ aguntur. Sic spiræ serpentium, & volumina, inde sup. *agmine certo.* de anguibus Laocoontis. & in 5.

——ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula serpens.

locutionem de amne leniter fluente, Poëtæ alij variis flexibus. Horatius de Liri,

——quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Ouidius,

——sine vertice aquas, sine murmure euntes.

Ausonius:

——& amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.

Tibullus,

At te Cyde canam, tacitis qui leniter vndis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis.

Statius in Sylu.

Qualis Cinyphius tacente ripa
Pœnos Bagrada serpit inter agros.

Silius lib. 8. de Numico:

Labitur, & leni per valles voluitur amne.

Possessiua habet actionem & passionem.

9. LACRYMAS CREVSÆ] Aduertas hîc grammaticale quiddam. Casus ille, qui est possessionis, non actionem solùm, sed passionem quoque significat. Vulnus Achillis est, quod ipse & infert & patitur: doli Vlyssis, quibus ipse & decipit, & decipitur: imitatio Homeri, & qua ipse alios imitatur, & qua ipsum alij: lacrymæ Creusæ, quas ipsa fundit, & quæ pro illa funduntur. Hîc itaque possessionem passiuè capito. Ex hac doctrina, quæ ignorata Seruio, & Donato, ego aperui locum difficilem. 4. Georg.

10. GRAIIS SERVITVM MATRIBVS IBO] Latet fortassis occulta Euripidis imitatio, vbi in And.

A Græca mulier non putat fortunas Græcas Troianis, στεμμάτων ἥσσονας, *stemmatis inferiores*, & infrà Hermione,

——οὐ δουλεύσομεν
Νόθοισι λέκτροις, ὧν ἐδεσπόζομεν πάρος,
——haud seruiemus
Illegitimis thalamis, ·um dominabamur priùs.

in Troad. clariùs He… hanc cladem conqueritur.

Δούλα δ' ἄγομαι γραῦς ἐκ οἴκων
Κρᾶτα ξυρήκει πενθήρει
Κρᾶτ' ἐκπορθηθεῖσ' οἰκτρῶς.
Serua agor anus è domo
Tonsura rasili lugubri
Caput fœdata miserabiliter.

B & Troianæ aliæ fœminæ sub persona chori.

Ἰώ, ἰώ· μέλεαι μόχθων ἐπακουσόμεθα
Τρωάδες ἔξω κομίζεσθ' οἴκων:
Io, io, miseræ subibimus labores
Troades, cùm efferimur extra patriam.

Hecuba apud Ouidium. 13. Metam. pari conquestione,

——modò maxima rerum
Tot generis, natisq; potens, nuribúsque, viróque,
Nunc trahor exul, inops, tumulis auulsa meorum,
Penelope munus: quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, hæc Hectoris illa est
Clara parens: hæc est, dicet, Priameïa coniux.

11. SED ME MAGNA DEVM GENITRIX] Ad huius loci explicationē signatissima sunt verba Pausan. in Phocicis: *De Creüsa memoriæ proditum est, à Deûm*

C *matre, & Venere Græcis ereptam, & in libertatem vindicatam. fuisse verò eam Æneæ vxorem.* verè itaque rapta est à Cybele.

12. NATI COMMVNIS AMOREM] Epilogus plenus amoris in Ascanium. Sic & Alcest. apud Eurip. moriens ad virum Admetum,

——παῖδας χερὸς ἐξ ἐμῆς δέχου.
Σὺ νῦν γενοῦ τοῖσδ' ἀντὶ ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις:
——liberos cape ex manu mea,
Tu nunc esto pro me mater hisce liberis.

& Propert. lib. 4. eleg. 12. ore Corneliæ ad Paulum:

Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.

Ita Germanus Poëtam illustrat. Adiungo Aristopha-

D nem, qui in Lysistr. κοινὴν ἄνοιαν. & Quintilianum declam. 3. 21. qui pari aura loquens de fratribus: *Fatrem suum potuit aliquis occidere? non obstitit tacita natura? non sanguinis eius? non succurrit communis vterus? non eadem causa vitæ? non vna primordia?* Senecam Rhetorem controu. 15. *qui communes ex illa liberos precātus sum.* Sidonium, qui *Roscia te salutat, communis cura.* Nazianzenum qui orat. 32. κοινῆς ἡμῶν ἐλπίδος. Vt verò hi hac voce vsi, Propertius non absimili lib. 1. eleg. 5. *socio amore.*

a Hæc vbi dicta dedit, lacrymantem & multa volentem
Dicere, deseruit: tenuésque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
PAR LEVIBVS ventis, volucríque simillima somno.
b Sic demum socios consumpta nocte reuiso.
Atque hîc ingentem comitum affluxisse nouorum
Inuenio, admirans, numerum, matrésque, virósque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
c Vndique conuenêre animis, opibúsque parati,

In quaſcunque velim pelago deducere terras.
[d] Iámque iugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatq́; diem: Danaíque obſeſſa tenebant
Limina portarum: nec ſpes opis vlla dabatur:
Ceſſi: & SVBLATO montem genitore petiui.

ARGVMENTVM.

His dictis abit: illam Æneas, cùm velit complecti, non poteſt. Redit deinde ad ſuos, vbi plures confluxiſſe inuenit paratos ſe ducem ſequi: demum luce albeſcente, deploratis iam rebus Troiæ, eadem, qua priùs pietate, patre humeris ſublato, ad montem Idam cum omnibus contendit.

EXPLICATIO.

a Apparet in iſtis viri fortis φρόνιμον. Solent alij terreri ſpectris mortuorum, etiam ſi illi noti. non ſic Æneas: parabat verba, quæ loqueretur, & brachia, quibus amplecteretur vxorem. Illa tamen & volentem loqui, deſeruit, & parantem complexus effugit vento & ſomno ſimillima. Hoc ter accidit.

b Securus iam & certus de coniuge, & vbi illa eſſet, rediit ad ſocios, inuenítque admirabundus magnum numerum eò affluxiſſe. Dares ter mille numerat ſupra quadringentos. In his erant *matres*, poſuit nomen generale pro fœminis: erant *viri* bello apti: erant multi, qui puberes annos attingebant, collecti ad exſilium, ideò illos vocat *vulgus miſerabile.* Nam quam miſeriam cum exſilio conferas? præſertim cum circunſtantiis Troiani excidij.

c Omnes ſe & fortunas ſuas Æneæ commiſerunt, vt quò ipſe vellet, duceret per maria.

d Albeſcente iam die propter ortum luciferi, Græcis portas Troiæ cum armato milite obſidentibus, nulla ſpe ſalutis ſuperſtite, quid tandem Æneas faceret? cedit furori Græcorum, & inde cedit in montem Idam, ſublato, vt priùs, genitore in humeros.

NOTÆ.

1. HÆC VBI DICTA DEDIT] Habes verba eadem in Lucillio lib. 1. Satyr.

Hæc vbi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

& in Liuio lib. 22.

Hæc vbi dicta dedit ſtringit gladium.

2. LACRYMANTEM, ET MVLTA VOLENTEM DICERE, DESERVIT] Relinquit virum in æſtu lacrymarum, curarum, ſermonum: de qua magni Poëtæ obſeruatione alibi à me dicitur. Neſcias enim qua ratione oratio frigeat, ſi in huiuſmodi euentibus reſponſionem exſpectes: ſi verò te ſtatim è conſpectu auferas, oratio incaleſcit, & affectus inflammatur. Virgilij, & loci huius dignitatem meliùs noſces, ſi cum Græcis conferas: nunc te remitto ad Euripidem in extrema Tragœdia Andromachæ, vbi Thetis, ita abit à Peleo, cui apparuerat, vt non magnus locus affectibus detur, longéque ſuperetur à Virgilio in hoc loco.

3. TER CONATVS IBI COLLO DARE BRACHIA CIRCVM] Hi verſus repetuntur & conferuntur cum Homericis in 6. Æn. vide ibi. Hîc obſeruabis, comparationem à ſomno ſolitam vſurpari, in rebus lætis, quæ recidunt in magnam triſtitiam, quod non abit à mente Poëtæ, qui ſperatos complexus Creüſæ, inanes tamen, cum ſomno comparat. Agathias lib. 1. Φούλκαρις μὲν οὖν στρατηγὸς αἱρεθεὶς οὐ λίαν ἀπώνατο τῆς τιμῆς, ἀλλὰ βραχύ τι διημερεύσας, ὥσπερ ἐν ὀνείρατι

Somno cõparãtur quæ inania.

A εὐφροσύνῃ, ταχεῖαν ἔσχε καταστροφὴν τῆς τ' ἀρχῆς, καὶ τοῦ βίου: *Fulcare duce cæſo, diuturna non fuit illius poſſeſſio dignitatis, ſed breui admodum tempore proſperis rebus, veluti lætitia quadam, quæ ſomniantibus accidit, vſus, habuit celerem & præfecturæ, & vitæ exitum.* Philoſtratus in vita Iſæi Sophiſtæ: σκιὰ καὶ ὀνείρατα αἱ ἡδοναὶ πᾶσαι: *voluptas omnis, vmbra, & ſomnia.* Nazianzenus orat. 10. ὄναρ ἐσμὲν οὐκ ἱστάμενον, φάσμα τι μὴ κρατούμενον: *ſumus inſomnium non conſiſtens, ſpectrum quod nequit teneri.* Illud, *collo dare brachia circum.* Germ. obſeruat dici ad Homeri imitationem, qui ſimiliter ait, ἀμφί τινι βαλεῖν πήχεε: *circum alicui dare brachia*, pro, ἀμφιβαλεῖν τινὰ τοῖς πήχεσι, *circundare aliquem brachijs.*

4. CONSVMPTA NOCTE] Eadem phraſi vſus Propertius lib. 4.

B *Namq́; vbi longa meæ conſumsti tempora noctis.*

5. VNDIQVE CONVENERE, &c.] His videtur innui regia poteſtas Æneæ à ſuis data, qua caruit, quandiu in Troia fuit. Hîc enim ſponte populus confluit ad vnum ducem, quos ipſe, ne diſperſi ſint, colligit, quod apparet ex initio ſequentis libri. *Contrahimuſq́; viros.* Hîc demum ſedes Æneas quærit, agróſq; comparat in Italia. Sic fermè Petr. Victor. nam in hanc ſententiam apertè ſic loquitur Ariſt. lib. 3. Polit. τέταρτον δ' εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς, αἱ κατὰ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους ἑκούσιαί τε, καὶ πάτριαι γιγνόμεναι κατὰ νόμους: διὰ γὰρ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας, ἢ πόλεμον: ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων, καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι: *Quarta autem ſpecies Monarchiæ regiæ ſunt, quæ tẽporibus Heroum*
C *ſponte deferebantur, & propriæ generis illius lege fiebant: quia enim prima contulerant beneficia in multitudinem, vel artes tradendo, vel bello: vel quia ſparſos coëgiſſent: vel quia ſedes agróſq; ipſis comparaſſent, creabantur reges à volentibus: quæ regna fiebant patria apud eos, qui acciperent ipſa à parentibus.*

Æneæ poteſtas.

6. IAMQVE IVGIS, &c.] Videtur mihi Æneas hoc verſu pleno læti cuiuſdam moduli voluiſſe ſignare lætitiam, quam tunc animo accepit viſa luce poſt tam diras tenebras, & horrentiſſimam noctem Troiani excidij. Exiſtimat autem Germ. alluſum fortè à Poëta ad opinionem veterum, qui de exortu ſolis ab Ida monte nouè & mirabiliter ſentiebant. eam opinionem attingit Lucret. lib. 5. his verſibus:

Solis exortus ab Ida.

Aut quia conueniunt ignes, & ſemina multa
D *Confluere ardoris, conſuerunt tempore certo,*
Quæ faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni.
Quod genus Idæis fama eſt à montibus altis
Diſperſos ignes orienti lumine cerni,
Inde coire globum quaſi in vnum, & conficere orbem.

Quem ad locum Lambin. Diodori. Sic teſtificationem hanc adiungit è lib. 17. *Proprium autem, & admirabile quiddam in hoc monte fieri ſolet. Nam ſub canis ortum propter aëris circumfuſi quietem, ab omni motu ventóque vacuam, hunc verticem à ventorum flatu immunem, atque intactũ eſſe. Cerni autem ſolem, cùm etiam nox eſt, radios ſuos expromentem, non in figuram rotundam conuerſum & conformatum, ſed flammas in diuerſas partes conſpergentem, vt complures ignes extremum terræ termi-*
E *num, quem Orizontem appellant, attingere videantur.* Ipſe, vt verum fatear, παρέργου potiùs loco hæc dederim, quàm vt vera putem, tum quod Poëtæ ſermo

non

non ſit de exortu ſolis, ſed luciferi, ſolis lucem præ- A nunciantis: tum quòd aliter explicari congruentiùs poſſit. Etenim ſtellæ, & ſol, cùm oriuntur, ſi, qua exeunt, montes ſint, inde videntur exoriri, hoc videlicet putat humanus viſus. Vnde eſt, vt ſæpe ad montes Poëtæ confugiant ad ſolis ortum deſcribendum, ſiue aliarum ſtellarum. Tale illud, *Tibi deſerit Heſperus Oetam.* Stat.5.Sylu.

Septima iam rediens Phœbe mihi reſpicit ægras
Stare genas: totidem Oetææ, Paphiaq; reuiſunt
Lampades.

Catull. in Carm. Nuptial.

Iam dudum Oetæos oſtendit noctifer ortus.

Lucan. lib.10. *Lucifer à Caſia proſpexit rupe.* & Apollonio lib.3. Arg. Aurora naſcens dicitur lumen mittere Caucaſo niuoſo,

Ἤδη δὲ φόως νιφόεντος ὕπερθεν Καυκάσου ἠριγενὴς ἠὼ B
βάλεν ἀντέλλουσα.

Non abit illud. 1. Ecl.

Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Ratio huius in Philoſtrato eſt lib.2. de vitis Sophiſt.

Ὄρη πρῶτα μὲν ἥλιος ἀσπάζεται, τελευταῖα δὲ ἀπολείπει:
Montes primùm ſol ſalutat, vltimos deſerit.

7. SVBLATO MONTEM GENITORE PETIVI] Idam intelligit, vt apparet ex ſequenti libro. Placet in hoc fine afferre ſententiam Dionyſ. lib.1. Antiq. de hac fuga Æneæ. Quia verò ille longiſſimè rem perſequitur, tantùm dabo epitomam. Capitur Ilium Æneæ hiſtoria. fraude equi lignei, Æneas aliíque principes maturè occurrunt ad defenſionem: itaque, dum Græci in reliquam vrbem graſſantur, ipſe occupat Troiæ arcem muro cinctam, vbi ſacra erant, & opum vis maxima, inde reprimit impetum hoſtium, & vim Græcam repellit. Atque hoc commento effecit, ne primo illo impetu vrbs tota caperetur. Sed prudenter coniectauit, fore vt tandem omnes venirent in poteſtatem hoſtium. Inde ſtatuit, & ſe, & ſacra, & opes ſeruare. Captato hoc conſilio, liberos, vxores, ſenes, & ceteros omnes, quibus lenta fuga opus erat, ex vrbe egreſſos præmiſit, & iter, quod ad Idam ferebat, petere iuſſit: dum Græci intenti in arcis oppugnatione, nihil de his, qui fugerent, cogitarent. Milites attribuit, vt his in fuga præſidia eſſent. Ipſe deinde, cùm iam Neoptolemus, & Græci alij in partem arcis aſcẽdiſſent, diſceſſit cum magna militum manu, patrem ſecum, Deos patrios, vxorem, liberos, opes bigis vehens: nam Græci rapinæ intenti fugientibus locum dant. Æneas Idam occupat, confluit ad illum magnus numerus Troianorum, fit validiſſimus exercitus, inde omnes fugam capeſſunt.

FINIS SECVNDI LIBRI ÆNEIDOS.





P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER III.

ARGVMENTVM.

EVERSA Troia, Æneas nauigat constructa classe, ad Antandrum Idæ, assumpto secum patre, nato, socijs, Dijs: nauigat verò primùm in Thraciam, ibi vrbem condit, & à se nominat. Narrantur hoc loci, quæ pertinent ad Polydorum filium Priami: soluit inde in Delon insulam, vbi Anij Regis & sacerdotis comitas erga Troianos narratur, & oraculum, quo Æneas iubetur à Phœbo repetere solum antiquæ originis. Putat Anchises ex coniectura innui Cretam, in eam itur, vrbs conditur, putatur errorum finis aduenisse, sed subitò immissa pestis omnia pessundat. Volunt Troiani Delon redire ad repetenda oracula: sed Penates iter impediunt, docéntque in somnis Ænean, mentémque oraculi explicant, aperiúntque, Troianos ad Italiam reuocandos. Refert dux omnia ad patrem. Capitur Italiæ consilium, soluunt è Creta, deferuntur tempestate ad insulas Strophadas, vbi erant Harpyiæ. Ibi occasione interfectorum boum adsunt illæ in vindictam, geritur bellum nouum inter illas & Troianos. Exitus fuit oraculum deforme. soluunt inde raptim, incerti quò eant. Græcorum insulas, Vlyssis in primis, vident, detestantur, fugiunt. Adueniunt Epirum, faciunt ibi sacra & ludos, agitant annum integrum, appellunt inde Buthrotum, audiunt ibi regnare Helenum Priami filium, iunctum matrimonio cum Andromacha defuncti Hectoris coniuge. Hanc primò vident libantem ad tumulum Hectoris. Exit deinde Helenus, Troianos ad vrbem ducit, & excipit conuiuio. Fiunt moræ Buthroti, vbi Helenus prædicit Æneæ longitudinem viarum, maris errores, pericula ante aduentum in Italiam, omen suis albæ, qua inuenta finis etiam viarum aderit. Docet illum quæpiam de sacris, præterea viam, quæ tenenda inter Scyllam & Charybdin; monet vt placet Iunonem, vt adeat Sibyllam, quæ Italici belli aperiet principium, & exitum. Finito vaticinio tam ipse Helenus quàm Andromache Æneam, Anchisen, Ascanium ornant magnis muneribus. Fit demum discessio cum lacrymis: vident in cursu nauigationis Italiam, salutant illam lætabundi, libat Anchises Dijs, appellunt ad portum, sumunt omen à visis equis, precantur Palladem, sacra faciunt Iunoni, soluunt inde atque ita præternauigant, vt abstineant à Scylla, & Charybdi, appellitque classis per imprudentiam ad portum Cyclopum. Describitur Aetna mons, eiúsque incendium, & incendij causa fabulosa. Albente die fit Troianis in portu obuiam Græcus homo Achæmenides, sordibus & squallore obsitus, aperit illis successum suum, inter quos sermones Polyphemus apparet, cuius deformitas describitur. Fugiunt Troiani, leguntur loca plurima circumita Sicilia, donec peruentum ad Drepanum, vbi Anchises moritur, & imponitur libro finis.

[a] POSTQVAM res Asiæ, Priamíque euertere gentem
Immeritam visum superis: ceciditque SVPERBVM
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia:

[b] Diuer

[b] Diuersa exilia, & desertas quærere terras
Auguriis agimur Diuûm. [c]. classémque sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ:
Incerti quò fata ferant, vbi sistere detur:
[d] Contrahimúsque viros. vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat:
[e] LITTORA tum patriæ lacrymans, portúsque relinquo,
Et campos vbi Troia fuit. feror exul in altum
Cum sociis, natóque, Penatibus, & Magnis Diis.

ARGVMENTVM.

Euersa iam & fumante Troia, Æneas, Deorum auguriis, exstructa priùs ad Antandrum & Idam classe, & contracta manu exulum, æstate prima à patria soluit, vnà secum socijs, & nato assumpto, tum etiam Penatibus, & Dijs Magnis.

EXPLICATIO.

a PRIVSQVAM transeat ad errores suos, præmittit ἀνακεφαλαίωσιν, summatim attingens Troiæ casum, videlicet res Asiæ euersas, deletam Priami gentem, excisum Ilium, fumantem Troiam, in quibus omnibus miri affectus, crescente semper oratione. Magnum enim est ad dolorem, euersas esse res Asiæ, & gentem Priami; sed maius occasus ipse, quo Ilium cecidit: multa enim euerti possunt, quæ non concidant; sed adhuc euersio, & occasus nihil sunt, si Troiam fumantem consideres, quo verbo quid non calamitatis concipis? Crescit quoque extrema oratio circumstantia Numinis, nã fumare Troiam, quæ est Neptuni, luctuosissimũ est. quasi dicat: Nec Numen ipsum potuit vrbem suam protegere, pugnante reliquorum Deorum turba, nam ideo suprà, *visum superis*, qui nihil pendunt merita. Quale enim, & quàm atrox est audire, *visum superis euertere gentem immeritam!* Nam quæ est ratio religionis & pietatis, si boni proterantur?

b Necessarium hoc ex præcedente sermone, nam quid aliud facerent euersa Asia, conciso Ilio, fumante Troia? sed ecce in medio malo affulget lux, nam agunt illos Deorum auguria, quibus possis accipere iussa & imperia: vel verè auguria ex præcedente historia Ascanij in exitu lib. 2. nam flamma illa innoxia, & stella ducens facem eos compulit ad sedes mutandas. Nam auguriorum nomine iam hæc omnia significantur, quæ scimus doctore Iulio Scaligero. Quid verò quærunt Deorum auguriis? *diuersa exilia, terras desertas*. dictum hoc (ait Turn.) vel quòd loca quæsiuit Æneas deserta & vacua cultoribus, eáque condidit; vel respicit ad illud *hinc Dardanus ortus, huc repetit*.

c Nam quò eant absque classe? hanc ad Antandrum & radices Idæ (suppetente ibi materia, quod iam loco Xenophontis illustrauit Turnebus) compingunt cum magnis difficultatibus, ideo *molimur*, quo verbo inest vis difficultatis. Adiicit. *Incerti quò fata ferant, vbi sistere detur*, quod magnum est ad dolorem. Quid enim est calamitosius, quàm exules se pelago dare, & nullum habere locum, quò cursum dirigant, sed incerti ferantur per elementum tumidum & procellosum? Nautis sanè laborem aut minuit, aut adimit spes portus obtinendi, quo si careant, quî adeant tam dirum monstrum?

d Respicit ad id, quod dixerat ad exitum 2. lib. *Atque* A *hic ingentem comitum affluxisse nouorum Inuenio admirans numerum*. Hos itaque tumultuariè contraxit (est hæc forma militaris) & quamuis non commodo ad nauigandum tempore, nam *vix prima æstas inceperat*, tamen Anchises fatis vrgentibus, vult vela dari. Signatè hîc *prima æstas*, nam ea quoque, media, & extrema est. Sed de hoc alibi.

e Quot hic πάθη! Rem tute expende. Incerti sunt de fine nauigationis, certi de loco vnde exeunt: patriam & Troiam Troiani deserunt, nulla spe redeundi: littora & portus cum mari commutant pleni dolorum & lacrymarum. In hoc hemistichio *& campos, vbi Troia fuit*, hærens Macrobius, *ecce* (ait) *paucißimis verbis maximam ciuitatem hausit & absorpsit, non reliquit illi nec ruinam*, cùm ipsum tamen copiosissimè dixerit. 2. Æn. Sequitur, B *feror exul in altum*, cuius verbi πάθος nemo capit, nisi qui magna capit. Qui vero comites in hoc exilio? humani, & diuini. illi duo, *socij & natus*: isti item duo, *Penates, & Dij magni*. Abiunge hæc. Itaque non dicit, Magni Dij, Penates per appositionem: nam alij sunt Penates à Magnis Diis.

NOTÆ.

1. RES ASIÆ] Signari imperium rei nomine certum est. Martialis lib. 5. epig. 1, *rerum tutela salusque*, loquitur cum Domitiano. Sed de hoc ego alibi, quod & Gifan. obseruat in Collectan. Lucretij. Res pro imperio.

2. PRIAMIQVE EVERTERE GENTEM IMMERITAM] Ait Vrsin. allusum à Poëta aduersus plures Homeri Il. 4. apud quem Iuppiter fatetur, nullam esse C vrbem, nullam gentem, quam ille æquè dilexerit ac Troiam, ac Priamum, & Priami populum: cuius rei rationem assignans, ait.

Οὐ γάρ μοι ποτὲ βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης,
Λοιβῆς τε κνίσσης τε:
Non enim mihi vnquam ara carebat conuiuio pari
Libationeque nidoreque.

Immerita ergo euerti vrbs, Rex, & populus, qui tam impensè colebant Numina.

3. VISVM SVPERIS] Inuidiosè, vt apud Horatium lib. 1. Od. 33. Sic visum Diis.

Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub iuga ahenea
Sæuo mittere cum ioco.

D Et apud Claud. 3. Rap. in querelis de rapta filia, Ceres, *sic placitum patri*. Reddit Græca Sophocl. in Aiac. θεοῖς γὰρ ὡς ἔδοξε. Et est laus Ilij, qui non nisi à Diis euerti potuerit.

4. CECIDITQVE SVPERBVM, &c.] Ad sententiam Poëtæ pertinent versus Senecæ in Troad. sub persona Hecubæ:

Quicumque Regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animúmque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te Troia: non vnquam tulit

Documenta sors maiora, quàm fragili loco
Starent superbi. Columen euersum occidit
Pollentis Asiæ, Cælitum egregius labor.

Et illud lib. 1. epig. ἴλιος ὀφρυόεσα κατήριπεν. *Cecidit superbum Ilium.* Aristides in Rhodiaca, ἑάλω μὲν Ἴλιον, ἡ δυνατωτάτη τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλις κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους: *Captum est Ilium, potentissima Asiæ ciuitas suo tempore.*

Superbia pro nobilitate.

In locum Senecæ monet Delrius, inualuisse iam apud Latinos, vt *superbia* pro nobilitate, *superbi* pro nobilibus dicantur. Qua sententia accipit & locum Sen. & Virg. & Silij loquentis de annulis detractis in Cānensi clade nobilibus Romanis:

Testes hi stragis quos signum illustre, superbis
Mos læua gestare viris. tum funditur ante
Ora admirantum præfulgens annulus auro.

Ilium vnde dictum.

5. Ilium] Constans est omnium sententia, vrbem Ilium dictam sic ab Ilo Rege Troianorum. Sed nescio qua ratione arridet, vt dicta esse existimetur ab Sole, qui Græcis ἥλιος. Phœbus enim Pergama ædificauit. sic 3. Georg. Virgil. *& Troiæ Cynthius auctor.* erit & Ilus Rex, & Ilium ciuitas ἀπὸ τοῦ ἡλίου: neque verò impedit Latinis nullam esse aspirationem, qua Græci non carent; nam illi nonnunquam adimunt aspirationem Græcam, nonnunquam adiungunt: adimūt in verbo *fero*: quod à Græco φέρω: adiungunt in *trophæum*, quod Græcis τρόπαιον. Neque mutatio primæ vocalis in aliam: hæc enim frequentissima sunt.

Latini adimunt Græcā aspirationē.

6. Fumat] Senecæ carmina in Troad. elegantissima sunt, quæ incendium istud amplificant, & digna quæ hîc inserantur.

—Pergamum incubuit sibi.
En alta muri decora congesti iacent.
Tectis adustis regiam flammæ ambiunt,
Omnisque latè fumat Assaraci domus.
Non prohibet auidas flamma victoris manus:
Diripitur ardens Troia, nec cœlum patet
V ndante fumo: nube ceu densa obsitus
Ater fauilla squalet Iliaca dies.

Euripides in Troadib. de eadem Troia, ἡ νῦν καπνοῦται: *hæc nunc fumat.* & iterum, τύφεται Ἴλιον. In Hecuba verò, Καπνὸν δὲ πόλεως τόνδ' ὑποθρώσκονθ' ὁρῶ: *vrbisque fumum en subuolantem conspicor.* iterum

Ὤμοι τεκέων ἐμῶν
Ὤμοι πατέρων, χθονὸς
Θ' ἃ καπνῷ κατερείπεται.
Væ liberis meis,
Væ patribus, ac solo
Quod fumo concidit.

Pindarus Od. 5. Pyth. de Troia loquens, καπνωθεῖσαν, *fumantem.* Dignum est scitu, quod de incensis Solymis narrat Philo lib. 2. de vita Mosis. Καὶ μέχρι τοῦ νῦν μνημεῖα τοῦ συμβεβηκότος ἀλέκτου πάθους δείκνυται κατὰ Συρίαν ἐρείπια, καὶ τέφρα, καὶ θεῖον, καὶ καπνὸς, καὶ ἡ ἔτι ἀναδιδομένη φλὸξ ἀμαυρὰ, καθάπερ διασμυχομένου πυρός: *Extant in hodiernum vsque diem monumenta inenarrabilis illius cladis, ostenduntúrque ruinæ in Syria mistæ cineri, sulphuri, lambentibus hæc interdum flammis tenuibus, sicut fit in reliquijs incendij.* Conquestio hæc excitatur à Liu. lib. 22. *exurebatur amœnissimus Italiæ ager, villæq; passim incendijs fumabant.* & à Prudentio Hamartig.

—mœnia respicit alto
In cinerem collapsa rogo.

Non abit conquestio Ammiani lib. 24. *Ciuitas ampla & populosa virtute roboris excisa Romani, in puluerem concidit, & ruinas.* Ceterùm dici hîc *fumat* pro fumauit circumflexa vltima, Charisius adducit ex Cominiano, idem sentit Probus, idem Erythræus. His videtur aliqualis ratio fauere, nam suprà dixerat, *cecidit.* Sed meliore sententia *fumat* præsentis erit temporis, quàm præteriti, vt dicat Poëta, perdurare adhuc fu-

A mum ex vastissimo illo incendio. Quo loquendi genere res magis exaggeratur, cùm nondum flammæ cessauerint, sed adhuc fumus excitetur. Sic sentit Nasc. additque, vrbes flammis vastatas busta dici veteribus, quòd semper videantur fumare. Sic explicat illud Horat. lib. 3. Carm.

Bustum, de vrbibus vastatis.

Dum Priami, Paridisque busto
Insultet armentum.

nam Plin. cap. 17. lib. 5. de Engadda oppido, quod vnà cum Hierosolymis vastatum incendio à Romanis est, sic scribit: *infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorúmque nemoribus: nunc alterum bustum.* Porro quæ pertinent ad Plin. deformata sunt in Nasc. nam neque verba aut locum adducit, & pro Engadda Hierichunta nominat.

B 7. Neptunia Troia] Ouidius in epistol. Laodam.

Ipse suam non præbet iter Neptunus ad vrbem.

Neptunus Troianos muros fabricauit.

Lege eundem. 11. Metam. qui latè. Capiendi sunt Poëtæ tantùm de muris. Nam Dio Chrysost. orat. 33. τὸ μὲν τὸ τεῖχος αὐτοῖς Ποσειδῶνος ἔργον ἦν, καὶ Ἀπόλλωνος: *Troiani muri* (nam de his loquitur) *opus sunt Neptuni & Apollinis.* Philostratus Iunior in Iconibus. περιθεῖ δὲ αὐτὴν τεῖχος, οὗ καὶ θεοὺς μὴ ἀπαξιῶσαι τῆς ἑαυτῶν χειρός: *Circuit ipsam is murus, quem ne Dij quidem manu sua dedignati sunt.*

8. Sub ipsa Antandro] Audiui quendam, qui diceret hanc vocem redundare in Poëta, & hîc in primis; nam satis esse (aiebat) dicere, sub Antandro & Ida classem constructam. Huic obiectioni aliàs sa-

C tisfactum. Quantum verò ad hunc locum pertinet, eximat hanc dubitationem Strabo lib. 13. aperiátque locum: sed præstat illius verba audire, ἐντὸς δὲ ἤτε Ἄντανδρός ἐστιν ὑπερκείμενον ἔχουσα ὄρος, ὃ καλοῦσι Ἀλεξάνδρειαν, ὅπου τὰς θεὰς κριθῆναί φασιν ὑπὸ τοῦ Πάριδος, καὶ ὁ Ἀσπανεὺς τὸ ὑλοτόμιον τῆς Ἰδαίας ὕλης: *interius est Antandros, cui mons imminet, quem Alexandriam vocant, vbi Deas à Paride iudicatas dicunt: & Aspaneus, vbi Idæ materies cæditur.* ex his intelligo Poëtam innuere latenter initium Troiani excidij, quasi dicas, classem ædificamus sub Antandro, sub ipsa, inquam, Antandro, quæ nobis parens exstitit calamitatis, & initium dolorū, propter iudicium Paridis. Ibi enim Paris inter Deas iudicauerat, & iccirco mons ille vocatus est Alexandria. nam Paris dictus quoque est Alexander. vox ita-

D que *ipsa*, fortè significat aliquid iam vulgatum Troianorum sermone, & his verbis *ipsa Antandros*, putabant se dicere *ipsa calamitas.* atque adeo pronomen hoc loco, habet emphaticam quandam significationem. hinc etiam habes Antādrum fœmineo genere enuntiatam à Poëta, nam Græci quoque id faciunt. Inde nihil est, cur cum Seruio & aliis hîc per Antandrum ciuitatem capiamus, sed verè montem ipsum.

Ipsa Antandros.

9. Phrygiæ molimur montibus Idæ] Ex superiore testimonio Strabonis habes, Idam mōtem, optimum fuisse cædendæ materiæ. Ouid. quoq; in Epist. Paridis ad Hel.

Innumerásque mihi longa dat Ida trabes.

Iccirco Æneas classem construit ad illius radices.

Æstas pro vere.

10. Prima æstas] Accipe ver primum, id est,

E initium veris, ex nota, quam iam dedi in Georgicis. Veteres enim cùm annum in duas tantùm partes diuiderent, eas nominabāt hyemem, & æstatem, abstinebántque à nomine veris & autumni. Itaque hîc ex diuisione illa æstatem dicit, cùm procul dubio ver intelligat, quo tempore maria dicuntur aperiri flantibus Zephyris. Argumentum clarum ab auctoribus, qui loquentes de tempore nauigationis ver nominant. Hos alibi ego iam dedi. Et hîc subiicio Nazianzenum orat. 40. ἀνάγου θαῤῥήσας ἔαρ, καὶ ἄνελκε τὴν ναῦν πάλιν

πάλιν ἀρχομένου χειμῶνος, καὶ τῆς θαλάσσης ἀγριαινούσης: *solue è portu verno confidens tempori, rursum nauem refer incipiente hyeme, & horrente mari.*

11. LITTORA TVM PATRIÆ LACRYMANS] Vult Seru.P.Dan. tractum hoc à Næuio, vbi vxores Æneæ & Anchisæ inducit cum lacrymis abeuntes: *Amborum vxores noctu Troia deexibant, capitibus opertis, flentes ambæ, ambeuntes lacrymis cum multis.*

12. PENATIBVS, ET MAGNIS DIIS] Coniungunt aliqui hoc argumento, quod Penates dicerentur θεοὶ μεγάλοι. Quamuis hoc sit verum, sed nihil suadet, vt hoc credamus: imò dissuadet Poëta, qui inaniter eandem rem bis diceret. Ergo hîc *magni Dij* sunt Iuppiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Iuno, aliíque huiusmodi. nam 2.Æn. Magni Dij.

Apparent diræ facies, inimicáque Troiæ
Numina magna Deûm.

Et mox commemorat Neptunum, Iunonem, Palladem, aliósque huiusmodi. Eodem traho versum illum,

Numina magna vocat, meritósque indicit honores.

Item illum 12.

Hoc habet; hæc melior magnis data victima Diuis.

Neque enim his versibus vlla necessitas, vt Magnos Deos, id est, Penates, intelligamus. Demum à me contra nonnullos interpretes Turnebus est, qui lib.15.c.21.explicans versum, in quo sum, sic ait: *magnos Deos à Penatibus diuersos facit Maro, etsi multi eosdem censent: sed Penates Dij penetrales videntur fuisse, Diique familiæ: Dij magni illi, qui maximum imperium, & Numen habent, publicéque coluntur, vt Iuppiter, Iuno.* Quod deinde firmat duplici testimonio Arnobij. *Non denique Dij Magni, aut fugientes se Deos genus omne mortalium territant.* &, *Hoc ergo Dij magni monuerunt, perpetiuntur, sentiunt.* sic mihi visum de hoc loco, erunt qui confundant cum Macrobio. Non indigna, quæ audiatur Passeratij Nota lib.2.in Prop.el.34. Dij Magni dicuntur tribus modis. Vno, cùm omnes Dij ornantur hoc epitheto: altero, cùm Dij maiorum gentium intelliguntur, & hi sunt duodecim illi Ennij versibus inclusi: tertio, cùm Diui potes significantur, δυνατοὶ θεοὶ. de quibus ita Varro lib.4.Ling.Lat. *Ops, & Saturnus, id est, Cælum, & Terra, Dij Magni.* Hîc ego ἐν παρέργῳ aperiam coniecturam de voce Italorum *magnare*, & Hispanorum *maniar.* Illi suo verbo signant *edere*, nos nostro *edulium*. Ductæ fortasse hæ voces à Tellure, cùm dicta est *Magna Dea.* Locum huius coniecturæ præbent verba sancti Augustini lib.7. Ciuitat.ca.24. vbi ex Varrone adducit, Tellurem dici *matrem, quòd plurima pariat; Magnam, quòd cibum pariat.* Nisi quis ducat à verbo, mando. Tellus Dea Magna.

[a] Terra procul vastis colitur Mauortia campis,
Thraces arant: acri quondam regnata Lycurgo:
Hospitium antiquum Troiæ, sociíque Penates,
DVM fortuna fuit. [b]. feror huc, & littore curuo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadásque meo nomen de nomine fingo:
[c] Sacra Dionææ Matri, Diuísque ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superóque nitentem
Cælicolûm Regi mactabam in littore taurum.

ARGVMENTVM.

Nauigat primò in Thraciam, vrbem condit, à se nominat, sacra facit parum prospera.

EXPLICATIO.

a PRIMA nauigatio Æneæ ex Antandro Phrygiæ per Hellespontum ad Thraciam fuit. Huius duplex est commendatio, & quòd Mauortia, id est, bello & armis potens: & quòd frumentaria, nam campi vasti (ait Turn.) & qui arabantur, & serebantur, frugiferi perinde intelligi debent. Quæ sequuntur, annecti debent cum præcedentibus, in hunc modum. Terra hæc quæ fuit Mauortia, habuit quondam Lycurgum Regem acrem, militarem, sæuum: & quia frugifera, fuit *hospitium antiquum Teucris, sociíque Penates.* Nam quò se meliùs Troiani reciperent? Sed addit ad πάθος, *Dum fortuna fuit*, ita scilicet humanæ res. Sunt hîc *socij Penates*, tecta socia, lares socij.

b Huc perlatus Æneas in ipso littore oppidum condit, quod à se primo conditum vocauit Æneadas, alludit quippe ad Ænum oppidum. Sed habuit fata parum æqua & propitia, imò iniqua. dicit hoc, propter historiam Polydori, quam statim subiicit.

c Quo se muniret aduersum fatorum iniquitatem, sacra vult perficere matri Veneri, Diuis aliis, Ioui in primis, cui vult mactare taurum nitentem, id est, pinguem.

NOTÆ.

1. PROCVL] De hac voce vulgus putat tantùm esse, longè, non sic est. *procul* idem est, quod pro oculis, modò sit longè, modò prope. Seruius 6. Æn.in illud Procul, quid propriè.

horrendæq; procul secreta Sibyllæ.

sic ait: *procul: haud longè, procul enim est quod præ oculis est* (mallem diceret, pro oculis) *& quod porro ab oculis, vnde duplicem habet significationem.* Hæc ille. quo loci, vt vides, *procul*, explicat, *haud longè.* & 6. Ecl.ad illud, *serta procul.* ita ait: *modò prope, id est, iuxta.* Eodem modo explicat. 10. illud *procul ærea ramis Dependet galea*, id est iuxta. & hîc etiam ait, procul sumi pro *non longè*, quia breuis transitus Hellesponti. Sed firmo hoc aliunde. Liu.lib.40. *Postero die Perseus, cùm primùm conueniendi potestas patris fuit, Regiam ingressus perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit. Cui cùm pater: Satin' saluus? & quænam ea mœstitia esset? interrogaret eum. De lucro tibi, inquit, viuere me scito.* Non potest esse longa loci intercapedo, vbi pater & filius ita facilè verba commutant.

2. VASTIS] Indicatur satis magnitudo Thraciæ. Quò pertinent verba Ammiani lib.27. *Has terras immensa quadam camporum placiditate aggerúmque altitudine* Thraciæ magnitudo.

tudine fuisse porrectas, Homeri perennis auctoritas docet, Aquilonem,& Zephyros ventos exinde flare fingentis. Quod aut fabulosum est, aut tractus antehac diffusi latissimi, destinatique nationibus feris cuncti Thraciarum vocabulo censebantur.

Thraces bellicosi.

3. MAVORTIA] De virtute Martia Thracum sunt illa Euripidis in Hecuba

—θρήκης

Λογχοφόρον, ἔνοπλον, εὔιππον, Αρεϊ κάτοχον γένος:

—Thraciæ

Hastiferum, armatum, equis potens, Martium genus.

& in eadem tragœdia de eadem gente, φίλιππον λαόν. est hoc idem, quod εὔιππον γένος. Minutius in Octauio *mars Thracius.* Huc pertinet dici ab Arnobio lib. 4. ex sententia Sophoclis, Martem *in Thraciæ finibus procreatum.* & ab Homero Odyss. 8. Deum hunc absolutum à Vulcani vinculis abiisse in Thraciam. Datum locum credo huic natalitio ab moribus Thracum bellicosissimis. Plin. lib. 4. c. 11. *Thracia inter validissimas Europæ gentes.* Plato. 1. leg. Καρχηδόνιοι, καὶ Κελτοὶ, καὶ Ἴβηρες, καὶ Θρᾶκες, πολεμικὰ ὄντα ταῦτα γένη: *Carthaginienses, Galli, Hispani, Thraces, bellicosissimi omnes sunt.* Non longè abeunt à Thracibus, quæ de finitimis eorum Scythis scribit Herodot. lib. 4.

Thracia fertilis.

4. THRACES ARANT] Negat Mela Thracibus fœcunditatem, & solum fertile, sed dat Euripides in Hecuba, cuius hæc sunt ex versione Erasmi. Loquitur vmbra Polydori.

—*Troïco emisit solo*

Ad hospitam Polymestoris Thraciæ domum,

Qui Cherronesi fertilem glebam colens

Armis ferocem Martijs gentem regit.

Verba Græca signata sunt, ἀρίστην πλάκα. Dat Platonam lib. 7. Leg. loquens de Thracia, illi attribuit, γεωργεῖν, βουκολεῖν, ποιμαίνειν: *agriculturam, bucolicam, pastoriciam.* Innuit Ammianus dans Thraciæ immensam camporum placiditatem, verba iam attuli. Nam si *campi*, & *placidi*, certè frumentarij, ex significato notissimo *campi*, de quo ego iam in Georg. Idem Ammianus clarè lib. 31. loquens de Thracia *cespitis est feracissimi.* Iterum: *vicos vberes.* Apud Cedrenum Orientales homines frumenti inopiam passi migrant in Thraciam, non facturi nisi hæc fertilis. Idem loco alio longè distanti Thraciæ καρποὺς adducit. Quid, quòd vastitas Virgilij satis indicat fertilitatem? nam Ouid. 5. Fast. vt latifundia exprimeret, ita ait:

Aut pecus, aut latam diues habebat humum.

Inde de eadem Thracia 4. Geor.

Dispersum latos iuuenem sparsere per agros.

& 1. Geor. audis,

—*latos Hæmi pinguescere campos.*

Hippocrates in Epistolis, locum quendam Abderæ vrbis (quod oppidum Thraciæ est) ornatum exhibet αὐτοφυέσιν ἀμπέλοις, *vitibus sponte enatis.* Quæ nota, vti ex Theophrasto discimus, magnæ fertilitatis est.

Lycurgus acer.

5. ACRI QVONDAM REGNATA LYCVRGO] Fuit hic Thraciæ Rex, diuorum, & Bacchi in primis contemptor, acer, & bellicosus, eius historiam interpretes tibi suppeditant, ideo nos nihil. De eo Homer. Il. 6. τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοί. *illum odere Dij.* Inde est, vt *acrem* Poëtæ referam ad mores eius difficiles, & impios. quasi esset δύσκολος, ἀκόλαστος, ἀσεβής: *difficilis intemperans, impius.* Germanus ex Passeratio ait, sic dictum cum respectu & ad Homerum, & ad Næuium: prior illum Il. 6. κρατερὸν vocat: *fortem, vehementem, acrem, violentum.* posterior in fabula Lycurgi sic eundem Lycurgum loquentem inducit: *Næ ille mei feri ingenij atque animi acrem acrimoniam.* Cui respondetur: *Caue sis tuam contendas iram contra cum ira liberi.* Citantur hæc à Nonio in vocibus: *Acrimonia, contendere.* Vt verò hîc *regnata* passiuè: sic Horat. Od. 6. lib. 2. *regnata rura Phalanto.* & Od. 29. lib. 3. *regnata Cyro Bactra.* & Ouid. 8. Met. *arua regnata parent.* Plinius lib. 6. c. 20. *sola Indorum regnata feminis.* Sidonius in Narbone: *equitata Bactra Parthis.* quod fluxit ex Græcis, Homero Odyss. 4. αἳ περιναιετάουσιν, ἀνάσσονται δέ ἐμοὶ αὐτῷ: *Quæ circum habitantur, imperantur à me ipso.* Euripide in Suppl. ἄρχεται πόλις: *regnatur ciuitas.* Pindaro Od. 4. Pyth. ἀρχὰν βασιλευομέναν: *regnatum imperium.*

Regnata passiuè.

Amici absunt cũ opibus.

6. DVM FORTVNA FVIT] Gnome pulcherrima. Cùm florent opes & fortuna, amici suppetunt; illæ vt fugiunt, isti auolant. Iocasta apud Eurip. in Phœniss. rogat Polynicem. φίλοι δὲ πατρὸς, καὶ ξένοι σ' οὐκ ὠφέλουν; *Amici verò patris, & hospites te non adiutabant?* Cui ille, εὖ πρᾶσσε· τὰ φίλων δ' οὐδὲν, ἤν τις δυστυχῇ: *Felix sis. officia enim amicorum nulla erunt, si infelix fueris.* De his Lucian. in Dial. Mort. ἀρχῆς ὄντες φίλοι, καὶ πρὸς τὸν καιρὸν ἀποβλέποντες: *amici imperij, & tempori seruientes.* Et in Misanthropo socios vocat, ἐπὶ τῆς τραπέζης μόνον: *tantùm ad mensam.* Horat. Od. 35. 1. Carm.

—*diffugiunt cadis*

Cum fæce siccatis amici

Ferre iugum pariter dolosi.

Paterculus lib. 2. *Sed quis in aduersis beneficiorum seruat memoriam? aut quis vllam calamitosis deberi putat gratiam?* Nazianzenus epist. ad Amphilochium aduocat versus istos Theognidis:

Πολλοὶ πὰρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι,

Ἐν δὲ σπουδαίῳ πράγματι παυρότεροι:

Ad calices multi sese profitentur amici,

Rebus at in dubijs rarus amicus erit.

Petron. in Fragm.

Cùm fortuna manet, vultum seruatis amici:

Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Lucan. 8. Ciu.

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

Tritum Ouidianum,

Si fueris felix, &c.

Ænon condit Æneas.

7. ÆNEADASQVE MEO NOMEN DE NOMINE FINGO] Interpretes, & cum illis Turn. aliique volunt hic intelligi Ænum oppidum ab Ænea in Thracia ædificatum. & argumento est, in ea vrbe Polydori tumulum fuisse, teste Plin. qui lib. 4. cap. 11. *oppidum Ænos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio.* Neque obstat factam mentionem eius oppidi ab Homero ante id tempus Il. 4. qui ait Pirum Imbrasidem venisse Αἰνόθεν, *ab Æno*: potuit enim Græcus rationem ducere suæ ætatis, quod sæpe faciunt Poëtæ. Eiusdẽ oppidi meminit Mela lib. 2. & Ænon vocat. Incolæ dicti Æneatæ. Non malè quis putet fieri allusionem ad aliud oppidum conditum ab Ænea in Macedonia, cuius meminit Liuius lib. 40. vocátque Æniam, & ait ibi fieri sacrificium quotannis Æneæ cõditori cum magna ceremonia. Neque enim nouum est, Poëtas cùm de vno loco, aut regione loquuntur, alludere ad longè distantem. De oppido, quod in Thracia, cape Ammiani verba lib. 22. *Ænus, qua diris auspicijs cœpta, móxque relicta, ad Ausoniam veterem ductu Numinum properauit Æneas.* Nam idem lib. 27. de Thraciis & de Rhodopa Thraciarum parte ait: *Rhodopa Maximianopolim habet, & Maroneam, & Ænum: post quam conditam & relictam Æneas Italiam auspiciorum proceritate perpetua post diuturnos occupauit errores.*

Æniam etiam.

8. FINGO] Metaphora ducta à figulis. sed quid si legendum *figo*, fortasse venustius ex more, quem alibi aperio.

9. SACRA DIONÆÆ MATRI, &c.] Ex more Romano, quo nihil nisi auspicato, præsertim res tanta. Confusæ fabulæ in Natalibus Veneris. iam spuma orta

orta creditur, iam ex Dione, quod hîc sequitur Maro, A Theocritus in Syracus. Κύπρι Διωναία, *Venus Dionæa.* & in laude Ptolemæi,

Venus filia Diones.

Κύπρον ἔχοισα Διώνας πότνια κώρα,
Cyprum habitans Diones veneranda filia.

Homer. Il. 5.

Ἡ δ' ἐν γούνασι πῖπτε Διώνης δῖ' Ἀφροδίτη
Μητρὸς ἑῆς.
Illa autem genibus accidit Diones diua Venus
Matris suæ.

Arnobius lib. 1. *Dionæa Venus proles.* Obseruo hic (si hoc est aliquid) commodè hæc sacra tanto apparatu fieri in Thracia, quando Deos colere ex hac prouincia in reliquum orbem disseminatum est ex gentium opinione. Auctor est Nazianzenus contra Iulianum: *Atque vt alijs prætermißis, ad ipsum vecordiæ tuæ, seu potiùs impietatis caput ascendam, hoc ipsum initiari, atque initiare, ac Deos colere, vnde ad te promanauit? nonne à Thracibus, vt ipsum quoque nomen indicat.* Ducit videlicet verbum θρησκεύειν παρὰ τῶν Θρᾳκῶν.

Thraces primi Deos coluerunt.

B

10. SVPEROQVE NITENTEM CÆLICOLVM REGI MACTABAM IN LITTORE TAVRVM.] Æneam hîc, & sæpius alibi sacrificantem inducit Poëta, ex more veterum, apud quos Reges quoque sacerdotũ munere fungebantur. quam consuetudinẽ Herodianus attigit lib. 1. προελθὼν δὲ Κόμμοδος τὰς βασιλείους θυσίας ἐπετέλει: *Processit Cõmodus, acrẽ diuinam fecit.* Suetonius etiam Vespasianum in eius vita cap. 7. Serapidi sacrificantem inducit, Deum, propitiantem, verbenas coronásque, & panificia, offerentem. Sed præsertim immolatio principibus viris dabatur magistratibúsque, quod Brissonius admonet. 1. Formul. ac multa veterum testimonia aduocat. adi ipse. Itaq; immolatio non popis dabatur, sed viris principibus: quamuis mactatio, quæ propria erat poparum, daretur principibus, vt tibi iam ex Herodiano ostendi. Vtitur enim ille voce hac θυσία. vnde hic *mactabam.* Taurum nitentem accipio, vel candidum ex religione, qua Diis superis candidæ victimæ offerebantur. Val. Flac. 1. Arg.

Reges olim sacrificabāt.

Immolabāt.

C

Candidę victimę.

—dabit auratis & cornibus igni
Colla pater, niueiq; greges altaria cingent,

quem morem alibi attingimus: vel cum Turn. optimum saginatúmque, nam quæ saginata sunt, dicuntur nitere. Ita in Lysistrata Aristophanes. ὡς δ' εὐχροεῖς, ὡς δὲ σφριγᾷ τὸ σῶμά σου:

Nitēs, id est, pinguis.

D

Vt corpus habitum pollet, vt nitet cutis.

Horatius: *Me pinguem, & nitidum,* quasi ideo *nitidum*, quia *pinguem.* Vitruuius quoq; *nitor olei* dixit, de oleo pingui. Sed quî Ioui res sacra fit tauro? cùm dicat Atteius capito: *Itaque Ioui tauro, verre, ariete immolari non licet.* Soluit Macrob. lib. 3. Sat. cap. 10. & errorem refert ad futurum illud,

Taurus an Ioui sacrificaretur.

Horrendum dictu, & visu mirabile monstrum.

Itaque committitur error, at non ex ignoratione, sed vt locus detur secuturo monstro. Seru. etiam: *contra rationem Ioui taurum sacrificat, adeo vt hinc putetur subsecutum esse prodigium. Vbique enim Ioui iuuencum legimus immolatum.* Quod deinde firmat illo è 9. Æn.

—statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

& Iuuenali,

—qui vexat nascenti robora cornu.

Id genus acuminis in Senecæ furente agnoscit Delrius Nouis comm. versu. 299. vbi Megara vouet Ioui taurorum Hecatombem, si sibi detur Herculis conspectu & coniugio frui: quod quia consecuta non est, apposite, irrito voto, & non impetratis optatis, improbatas victimas illam fingit polliceri. Quo loci idem Delr. Virgilium quoque explicat, vti Macrobius, vti Seruius: & sibi verè παλινῳδίαν canit, nam aliter docuerat in prim. Comment. Explicationem eandem firmo etiam ex Homero. Il. 2. apud quem

—ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Πίονα, πενταέτηρον, ὑπερμενέϊ Κρονίωνι:
—bouem sacrificauit Rex virorum Agamemnon,
Pinguem, quinquennem, valde potenti Saturnidæ.

Atqui hoc sacrificium non acceptum Ioui fuisse apertè ait Græcus vates, nam post illud, & fusas preces, addit: ὡς ἔφατ'· οὐδ' ἄρα πώ οἱ ἐπεκραίαινε Κρονίων: *sic dixit, neque ei perfecit Saturnides*, vbi interpretes quoque dicunt, non exauditas Agamemnonis preces, quia iniquæ. Ergo Homerus, me explicante, contrariam hostiam fecit, quia nulla est secuta litatio. Neque contra hoc pugnat in 7. Il. ab eodem Agamemnone idem sacrificium oblatum Ioui in exitu felici. ibi enim non taurus immolatur ad aliquid impetrandum, sed tantùm gratiæ aguntur de re iam transacta, videlicet de incolumitate Aiacis recepti viui post pugnam habitam cum acerrimo hoste Hectore. Sic etiam posteriore æuo Hecatombæ susceptæ ad gratias exhibendas Diis. Addo demum, in Virgilio locum adhibitum eadem mente, qua taurus immolatus, nam Ioui in littore res sacra non fiebat, Diis tantùm littoralibus, Diis maritimis. Inde Hom. Odyss. 3.

—τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ·
—ipsi verò in littore maris sacra faciebant
Tauros omnino nigros Neptuno cærulea cæsarie.

Itaque Virgilius dedit sacrificanti Æneæ locum non idoneum, vt locum daret infelici successui. Hæc ego dixi consulens auctoritati Macrobij, Seruij, Delrij. Sed qui volet, capiat, me auctore, Virgilium non cum respectu ad futurum omen, sed absolutè, dicátque sacrificantem Ioui, tauro, ex more vero. Hunc morem probo ex Herodoto lib. 6. apud quem Demaratus ἔθυε τῷ Διὶ βοῦν: *sacrificauit Ioui taurum.* Aristide, qui orat. 3. Sacrorum sermonum, θῦσαι βοῦν δημοσίᾳ τῷ Διὶ τῷ Σωτῆρι: *publicè bouem mactare Ioui Seruatori.* Iuliano Cæsare in epist. ad Libanium, ἔθυσα τῷ Διὶ βασιλικῶς ταῦρον λευκόν: *mactaui Ioui regaliter taurum candentem.* Arnobio lib. 7. *quid applicitum Iuppiter ad tauri habeat sanguinem, vt ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero?* Ex Romanis consulibus, qui Ioui hecatombas immolabant, qui mos ad illos deriuatus credi debet ab antiquissimo æuo, & suo Ænea. Illud etiam, quod afferebam de littore, eludi potest ex Philostrato in Heroicis, vbi, etiam si non Ioui, sed Achilli, ait taurum immolatum, ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν. Fortasse, quia is filius marinæ Thetidos.

[a] Fortè fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi; viridemq; ab humo conuellere syluam
Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras;
[b] Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
[c] Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos

Vellitur; huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant, mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis.
d Rursus & alterius lentum conuellere vimen
Insequor, & causas penitus tentare latentes:
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.

ARGVMENTVM.

Nam cùm verbenas colligit ornandis sacris, guttæ sanguinis ex radicibus fluunt semel, & iterum; inde Æneæ timor.

EXPLICATIO.

a VT det occasionem sequenti prodigio, inducit Æneam accedentem ad tumulum, vbi nata *virgulta cornea*, vbi *myrtus horrens hastilibus*: tam corna, quàm myrtum, vocat *syluam viridem.* Hanc voluit conuellere eo consilio, vt ramis aras tegeret ad dignitatem & honorem sacrorum.

b Comparat lectorem ad prodigium carmine pleno horroris.

c En prodigium. Euulso enim primo virgulto (sic arborem vocat ad αὔξησιν) & fractis radicibus, sanguinis atri guttæ inde exstiterunt, quæ corrupto cruore (tabum vocat) terram macularunt. Sequitur duplex timoris nota, scilicet horror membrorum, & coitio sanguinis præ timore. Physicè autem horroris causam exhibet, qui nimirum fit ab fugiente sanguine, fluentéque ad præcordia. Ideo membrorum horror, quo concussus, frigidus dicitur, fugato iam inde sanguine. Et sanguis ipse etiam gelidus cùm coit. Verè omnia, & doctè.

d Iterum aggreditur, & iterum terretur simili monstro. Notant interpretes impigrum Æneæ studium in causis latentibus explorandis. Non enim ita terretur, vt cadat animo, nam bis, aut ter eandem rem tentat. Dictum *penitus* cum respectu ad intus latentes in radicibus causas.

NOTÆ.

Cornus. 1. CORNEA] Rectè corno (Hispani indigetant *cerezo syluestre*) virgulta dat: nam hæc arbor cùm iam procera, iam humilis reperiatur; ea quæ humilis, fruticosa est, ac numerosis virgis, ex breui caudice nascentibus, nodosis, firmis, robustis. Adeunda Hist. General. Plantarum. Et Theophrast. lib. 3. cap. 12. Hist. postquam præmisit duplicem esse cornum & marem & fœminam, subdit: ἀλλὰ παραφυάδ᾽ ῥάβδους, ὡς ἄγνος, ἐλάττους ἡ θηλυκράνεια, καὶ θαμνωδέστερόν ἐστι: *Sed fœmina minores virgas, sicut Salix amerina adgignit, éstque fruticosior.* Inde videtur capiendus Poëta & de humili, & de fœmina; presertim cùm Historia Gener. Plant. D marem cornum satiuum esse moneat, fœminam, syluestrem: atqui de syluestri Poëta procul dubio loquitur, nascente in eo littore nulla hominum cura.

2. DENSIS HASTILIBVS HORRIDA MYRTVS] Myrto fixæ adhuc in tellure hastilia dat Poëta, eò fortasse respiciens, quòd ex myrto hastilia fiant Hastæ ex myrto. laudatissima. sic idem. 2. Georg.

At myrtus validis hastilibus.

videlicet cùm scribit cui rei apta sit quæque arbos. Inde mox,

Iaculis increuit acutis.

& in 7. Camillæ dat myrtum pastoralem præfixa cuspide. Vt verò Virgilius myrto dat *hastilia*, sic Plin. A lib. 15. cap. 29. *virgas*, & explicans Dalecamp. ait, è quibus fiant iacula. Quæ dixi, non abeunt à sententia Turn. qui ait, finxisse hæc Maronem, quòd è corno & myrto hastas & iacula facerent antiqui, quibus ait confixum Polydorum fuisse. Itaque præclarè illæ arbores nascuntur supra tumulum Polydori, ex quibus fiunt ea tela, quibus ille confixus est. Vide etiam diligentiam Virgilij in nullo deficientis, myrtum enim in littore constituit. Myrtus in littore. Myrti enim montes non amant, tractúsve frigidos, sed in hortis & viridariis proficiunt vtum etiam mirificè, (quod admonuit And. Matthiol. in Diosc.) proueniunt, vitámque lætam agunt in locis maritimis, intérque stagnorum & lacuum ripas. Sed de hac re vide quæ ego iam 2. Georg. ad illud, *Littora myrtetis lætissima.*

3. RAMIS TEGEREM VT FRONDENTIBVS B ARAS] Dictum hoc ex more, quo veteres ornabant aras suas felici aliqua fronde, iam Turnebus admonuit, aduocato Lactantio. Omitto.

4. ATRO LIQVVNTVR SANGVINE GVTTÆ] En monstrum, *guttæ ex sanguine*, guttæ sunt sanguineæ, locutione Poëtica: sic columnæ ex adamante; portæ ex ære, &c. sunt columnæ adamantinæ, portæ æreæ. Eurip. in Phœniss. clarè,

Σὺν αἱματηραῖς σταγόσι Πολυνείκης πίτνει:
Cum sanguineis guttis Polynices procumbit.

Nota diligentiam Poëtæ. Dat corno euulsæ atrum & corruptum sanguinem, & tabum, alludens ad rem naturalem. Nam Dioscorid. lib. 1. cap. 73. corno dat ἰχῶρα, id est, *saniem*. Cornus cû sanie. Est enim ἰχὼρ Plinio *sanies*, Celso *sanguis*, Marcello *aquosus humor sanguinis*. Est autem C *liquuntur* fluunt. Sed Non. Marcel. hic, & 2. Georg. eo loco: *Huc summis liquuntur rupibus amnes*, legit, *linquuntur*, aítque, *linquere*, esse, defluere. Quod apposui, quòd videam Germano placuisse.

5. ET TERRAM TABO MACVLANT] Præclarè: nam cum allusione ad atrum sanguinem, ater enim cruor ex corruptione, & puluere, propriè est tabidus. Tabus, quid. Quod Virg. *maculant*, Lucret. lib. 3.

Terram conspergere tabo.

6. MIHI FRIGIDVS HORROR, &c.] Latet fortasse occulta Eurip. imitatio in Phœniss. Vbi in persona chori tremorem priùs adhibet, deinde affectum quendam misericordiæ.

Αἶ, αἶ, αἶ, αἶ· τρομερὰν φρίκαν
Τρομερὰν φρένα ἔχω,
Αἶ, αἶ. διὰ σάρκα δ᾽ ἐμὰν
Ἔλεος, ἔλεος
Ἔμολε ματρὸς δειλαίας:
Heu heu horrorem tremulum,
Et mentem habeo tremulam.
Heu heu, per carnem mihi
Commiseratio, commiseratio
Discurrit miseræ matris.

Virgilius horrorem pro horrore, pro discurrente commiseratione confluentem sanguinem. Est hoc excellens imitationis genus, vbi ex simulacris alterius Poëtæ rem tuam coniungis aliquid commutando. Virgilianam sententiam ita reddidit Apuleius lib. 1. *Sudore frigido miser perfluo, tremore viscera quatior.* & lib. 10.

lib. 10. *Pérque vniuersa membra frigidus sudor emanabat.* A Seneca in Oed. *Horrore quatior.* Præclarè autẽ *horrore frigidus* notans φρικῶν Græcorum. Inde & Festus Africam dictam, quod ἀπὸ τῆς φρίκης. Horror sanè, & tremor frigus sequitur. Inde iocus Plauti Asin. *Pro monstro extemplo est, quando, qui sudat, tremit.* videlicet in fustuario, aut verberibus. Africa, vnde dicta.

7. GELIDVSQVE COIT FORMIDINE SANGVIS] Verba Isidori lib. 10. Maronem explicant: *Formidolosus à formo, id est, sanguine, dictus, cùm se à cute vel à præcordio fugiens contrahit sanguis. Nam timor sanguinem gelat, qui coactus gignit formidinem.* Formido, vnde.
Dixerat quippe suprà: *Formum veteres calidum & feruens dixerunt.*

[a] Multa mouens animo, Nymphas venerabar agrestes,
Gradiuúmque patrem, Geticis qui præsidet aruis;
Rite secundarent visus, oménque leuarent.
[b] Tertia sed postquam maiore hastilia nixu
Aggredior, genibúsque aduersæ obluctor arenæ:
[c] Eloquar? an sileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures:
[d] Quid miserum Ænea laceras? IAM PARCE sepulto,
PARCE pias scelerare manus. non me tibi Troia
Externum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
[e] HEV FVGE crudeles terras, fuge littus auarum:
Nam Polydorus ego. hîc confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

ARGVMENTVM.

Nymphas adorat, putans læsisse; & Gradiuum Thracum Deum. Conuellit tertiò, ac tum vox ex tumulo auditur, indicans ibi Polydorum sepultum.

EXPLICATIO.

a AEstuans Æneas solicitudine successus formidandi, sese ad preces conuertit, venerans Nymphas, & Martem. Illas, quia credebant veteres, Nymphas Hamadryadas arboribus præsidere, & vnà cum illis crescere, ibíque latere: atque adeo putare potuit Æneas sanguinem illum fluxisse ex corporibus Nympharum ibi latentium. Martem verò, quia is præses Thraciæ. Getica enim arua, Thracia interpretatur Turnebus, nam Thraciæ partem olim Getæ tenuerunt, auctore Thucydide. Quid verò precatur?

Rite secundarent visus, oménque leuarent.

Id est, vt prospera facerent visa illa, & omen bonum ac leue.

b Fortem, & virilem animum, & qualem in suo Ænea repræsentat Virgilius, nihil potest impedire, quominus extrema omnia tentet. Est verò admirabilis hypotyposis in illis, *maiore nisu, & obluctor genibus aduersæ arenæ.* Putat enim lector, se non tam audire quàm videre connitérem obluctantémq; hominem cum radicibus altè defixis. Itaque possis sermonem hunc Virgilij, & plures alios, vocare ζωγράφον λόγον cum Nazianzeno orat. 6. id est, *pingentem orationem.*

c Finge similem tibi casum accidisse, nec egebis expensore alio ad capiendum Poëtam. *Reddita vox*, est data, ait Seru.

d Oratio plena commiserationis, qua petit sibi sepulto iam parci, præsertim ab homine pio. quasi dicat. Qui pius es & piis manibus, cur miserum laceras? cur non parcis sepulto? Cur inquinas pias manus scelere cruoris mei? Sequitur, *non me tibi Troia Externum tulit.* Est hæc ratio, cur debeat Æneas abstinere ab illa laniena. Non tibi externus sum, sed propinquus, sed cognatus, sed Troianus. Itaque hic A sanguis à me manat, non aliunde.

e Attingit duo crimina, quæ interuenerunt in hac cæde, crudelitatem & auaritiam: posterior priorem peperit. Rex enim Thraciæ Polymestor auri cupiditate inductus in sæuum facinus exarsit. Pulchre verò, quæ Regis sunt vitia, attribuit vniuersæ Thraciæ. Ergo fuge terras crudeles, terras auaras, ne tibi sæuum aliquid accidat, vt mihi Polydoro, qui hîc telis confixus sum, è quibus ista densissima iaculorum seges inhorruit.

NOTÆ.

1. GRADIVVMQVE PATREM] Apta ad hunc locum nostrorum eruditio humanistarum, B qui Martem sæuientem, cædes mináſque spirantem, Gradiuum appellari aiunt; eundem verò pacificum, ac tranquillum, Quirinum. Atque vt nihil de Quirino, sic de Gradiuo exempla subiiciamus, quæ omnino ad mentem Poëtæ: nam profectò ex hac doctrina, credi potest dictus hoc loco Gradiuus: quasi Mars ferox sæuiénſque, non mitis & tranquillus, præsidere credatur Thracibus bellicosissimis, pugnacissimis, acerrimis. Ergo Claudian. de Nupt. Honor. & Mariæ sub persona Veneris: Gradiuus de Marte sæuiente.

Gradiuum nostri comites arcete parumper,
Vt soli vacet aula mihi: procul igneus horror
Thoracum, gladiosq; tegat vagina minaces.

Silius 3. Pun.

Gradiuumq; trucem currus iam scandere, & atram
In latus Hesperium flammam exspirare, furentes C
Cornipedes, multóque fluentia sanguine lora.

Seneca in Hippolyt.

Gradiuus istas belliger sensit faces.

Val. Flacc. 6. Arg.

At vigil his furijs ardet Gradiuus, & acri
Corde tumet.

Vides, vt semper Martem, sub Gradiui nomine, comitentur ignis, horror, gladij, thoraces, minæ, flammæ, furor, sanguis, tumor, bellum. Ad hanc rem pertinet, Romanos duo templa inter alia Marti dedicasse: alterum Quirini intra vrbem ad tranquillitatem vrbis custodiendam, alterum in via Appia extra Martis duo templa.

tra vrbem, quasi bellatoris, id est, Gradiui, ad summouendos hostes.

Mars Geticus.

2. Geticis, &c.] Martis Getici (modò pro Thracio sumat Poëta, vti iam ex Turnebo explicui, modò absolutè loquatur) creberrima est inter Poëtas mentio. Val. Flac. 5. Arg.

Ecce autem Geticis veniens Gradiuus ab antris.

Et Claudian. Pan. in Probum, Probin. & Olib. fratres:

Qualis lethifera populatus cæde Gelonos
Procubat horrendus Getico Gradiuus in antro.

Stat. 3. Theb.

Gradiuum acciri propere iubet. ille furentes
Bistonas, & Geticas populatus cædibus vrbes.

Scytharum Deus.

Ab hoc Marte Thracum & Getarum Numine non abhorret mos Scytharum, qui Thracibus & Getis proximi: Scythis enim Mars Deus fuit, & forma quadam, quibus horror Scytharum ferocitásque indicatur. Adorabant enim illum sub fotma nudi gladij. Herodotus lib. 4. loquens de Acinace gladio Persico, in sermone Scytharum. καὶ τοῦτό ἐστι τοῦ Ἄρεος τὸ ἄγαλμα: *Est hoc simulacrum Martis.* Ammianus Marcel. lib. 31. qui & vltimus, sic: *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumq; vt Martem regionum, quas circumeunt, præsulem verecundiùs colunt.* Inde Lucianus in Ioue Tragœdo. σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες: *Scythæ Acinaci sacrificant.* Id ipsum scripsit in προτρεπ. Clemens Alexandrinus. Arnobius lib. 6. *Ridetis temporibus priscis Persas fluuios coluisse, informem Arabas lapidem, Acinacem Scythiæ nationes.* Thracum militarem virtutem habes in Thucydide lib. 2. ab qua Ἄρειοι vocati.

Secundum omen. Alterum omen.

3. Secundarent visus] Præclarè. Post primum infaustum malúmque omen, petebant veteres, vt secundum esset, non alterum. explicatius. si sequens omen faustum esset, *secundum* dicebatur; si aduersum, *alterum*. Itaque *omen secundum* propriè est, omen felix post malum: sed, *omen alterum*, erit, post malum omen malum alterum. Inde adiectiuum *secundus*, & verbum, secundo, as, traducta ad felicitatem signandam. Ergo, petit Æneas, vt visus secundentur, id est, felices sint, sic lib. 7.

Dij nostra incepta secundent.

Et Seneca in Furente:

Votum secundet, qui potest, nostrum Deus,
Rebúsque lassis adsit.

Græci hoc seruant, nam δεύτερον dicunt etiam de felici omine, id est, *secundum*: non ἕτερον, id est, *alterum*. Cedrenus de Michaelo confirmante se ad imperium omine iterato, ita ait, δεύτερον δὲ οἰωνὸν εἰληφώς.

Appronare.

4. Genibusque adversæ obluctor arenæ] Hunc actum (notante Germ.) Græci γονυπετεῖν dicunt *ingeniculari*, & ἀποπρηνεῖσθαι, quod Apuleius lib. 1. vettit, *appronare in genua*, cùm ait: *Planiore in ripæ margine implicitus, in genua appronat se, auidiùs affectans portionem.*

5. Eloquar? an sileam] Hoc sic dixit Eurip. in Alcest. τί λέγω, τί δὲ μή; *Quid dicam? quid non?* Et in Prometh. Æschylus, οὔτε σιγᾶν, οὔτε μὴ σιγᾶν: *neque tacere, neque non tacere.*

Defunctis non afficiendi iniuria.

A 6. Quid miserum Ænea laceras?] Inter leges 12. Tabularum multæ ad defunctos pertinebant, inter illas, *Defuncti iniuria ne afficiuntor.* ex sanctionibus Solonis illæ maximæ: *Nemo sepulcra deleat, violet; nemo ossa extrahat, aggerem tumulúmve disiiciat, cineres effodiat.* Commeminere nonnulli interpretum. Quibus addo sententiam Eurip. in Phœniss. sub persona Antigonæ,

Κἀκεῖνο κεῖται, μὴ ἐφυβρίζεσθαι:
Id leges iubent, mortuos non violare.

Hos curare Sophocles in Antig. docet esse ἔργον εὐκλεέστατον, *facinus gloriosissimum*, & paucis interiectis, de Antigone, quæ fratri mortuo piam operam præstitit.

Οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

B *Nonne hæc digna, quæ aureum honorem insequatur?* auream statuam, vt interpretor. idem Sophoc. in Ai. Flagell. his commendat cultum religiosum erga mortuos:

Ὦ 'νθρωπε μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς:
Εἰ γὰρ ποιήσεις, ἴσθι πημανούμενος:
O homo ne malè mortuis facias:
Si enim feceris, scito te malo affectum iri.

Ex hac tragœdia sumi multa possunt; nam magna eius pars continet argumentum Agamemnonis nolentis Aiacem sepeliri: Teucri contrà validè oppugnantis, donec interuentu Vlyssis Aiaci datur sepultura.

Sepultus quis.

7. Iam parce sepulto] Ex magna proprietate. Fuerat enim Polydorus non rite humatus, sed C vtcunque conditus, & hunc sepultum dicebant. Plinius lib. 7. cap. 54. *Sepultus intelligitur quoquo modo conditus: humatus verò humo contectus.*

8. Scelerare] Signatè, & ex proprietate, quam iam aperui in Bucolicis.

Polydori mors.

9. Nam Polydorus ego] Polydori mortem aliam Virgilius contexit, aliam Homerus, aliam Euripides. Virgilianæ narrationi Ausonius institit in pulcherrimo epitaphio Polydori. Euripideæ Ouidius 13. Metam.

Seges pro densitate.

10. Telorum seges] Per segetem telorum, syluam innuit densissimam, non aliter ac Catullus plurima oscula cùm dixit:

Non si densior aridis aristis
Sit nostra seges osculationis.

D Ita in 7. Æn.

—atráque latè
Horrescit strictis seges ensibus,

in 12.

Strictisq; seges mucronibus horret
Ferrea.

Quibus & aliis locis multitudo signatur. Id ipsum aliunde sumpta metaphora dixit Val. Flac. 6. Arg. & satis pulchre:

Aureus effulsit campis rubor.

Nihil ab hoc dissimile narrat Agathocles Cyzicenus apud Athen. lib. 14. quæ nota est Vrsini, κεραυνοῦ δὲ σκήψαντος εἰς τὸν τάφον, ἀνεβλάστησεν ἐκ τοῦ σήματος δένδρεον, ὃ ἐκεῖνοι κόνναρον ὀνομάζουσι: *Cadente in sepulcrum fulmi-* E *ne, arbor pullulauit ex tumulo, quam illi vocant connarum.*

[a] Tum verò ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit.
[b] Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio Regi: cùm iam diffideret armis

Dardaniæ, cingiq; vrbem obſidione videret.
[c] Ille, vt OPES FRACTÆ Teucrûm, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaq; arma ſecutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. QVID NON mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames? [d] poſtquam pauor oſſa reliquit,
Delectos populi ad Proceres, primúmque parentem,
Monſtra Deûm refero: & quæ ſit ſententia poſco.

ARGVMENTVM.

Timet, & obſtupeſcit Æneas: atque ex occaſione narrat Polydori hiſtoriam, Polymeſtoris perfidiam, auri potentiam: demum rem ad Proceres, & patrem refert.

EXPLICATIO.

[a] TImorem ponit, & ſtuporem: hos affectus ſequuntur cognati duo; nam ſtantes comæ, timorem; vox hærens faucibus, ſtuporem. Cùm enim tantùm eſt timor, quiuis experimento ſcit, tantùm erigi comas; cùm ſtupor, maius malum, vocem adimi.

[b] Occaſione auditæ ex tumulo vocis narrat ipſe hiſtoriam Polydori, qui furtim miſſus ab Priamo eſt ad Polymeſtorem Regẽ Thraciæ, vt ibi aleretur in ſpem regni Phrygum: miſſus verò eſt cum magnis opibus, tum ne educatio iuuenis Regi Thracio grauis eſſet aut moleſta; tum etiam, vt ſi de florentiſſimo imperio actum eſſet, pecuniæ ibi ad futurum euentum repoſitæ eſſent. Sequitur duplex cauſa, cur filium Priamus aliò amandauerit, videlicet & Troianæ potentiæ vires languidæ, & hoſtium virtus vrbem obſidentium.

[c] Cum fortuna (id quod aſſolet) mutatus quoque Polymeſtor eſt. Fidem Troianam deſerit, ſequitur Græcam potentiam, abrumpit fas omne, id eſt, omnia diuinarum & humanarum legum iura perſtringit, Polydorum obtruncat, auri pondus ad vſus ſuos conuertit. Inde occaſio erumpendi in verba illa plena conqueſtionis,

—quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Nam quod eſt officium, quod auri cupiditas non violet? quod facinus tam exſecrandum, ad quod non ſæpe mortales impellat? Sed quî hîc *obtruncat*, cùm ſuprà ſagittis confixum innuat? Credamus confixioni illi adiunctam carnificinam barbarorum, qui miſerè Polydorum excruciarint decurtatione membrorum. Sed de genere mortis Polydori alibi loquor. Cædes quippe hæc fabuloſa eſt.

[d] Reuerſus ad ſe Æneas ex pauore nimio & mentis conſternatione rem refert ad populi principes ſibi iam ad conſilium delectos, & parentem imprimis, idque ex ſummo decoro tum dignitatis, tum ætatis: dignitatis, quia pater; ętatis, quia ſenex. Atque adeo in illo eſſet & amor ad conſulendum, & ſenilis ſapiẽtia.

NOTÆ.

1. STETERVNTQVE COMÆ] Dictum iam de hac nota timoris lib. 2. adi, & adiice Noſtrum in 4. *Arrectæq; horrore comæ.*

2. ET VOX FAVCIBVS HÆSIT] De hac ſtuporis nota dictũ quoque ibi. Sed deinde in hæc incidi. Sall. lib. 1. Hiſt. *Sic verò quaſi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.* Apuleius lib. 2. *illo aſpectu defixus obſtupui, & mirabundus ſteti.* Sophocles in Antig. (Vox hærens faucibus.)

A *Ἀλλ' ἐκ φόβου τοῦ γλῶσσαν ἐγκλείσας ἔχει:*
Sed metu linguam clauſam habet.

Homerus, ἔσχετο φωνή. Philo in lib. de Ioſepho. ἀχανεῖς ἐπάγησαν, λύπης καὶ φόβου τῶν ἀργαλεωτάτων κακῶν ἐξαίφνης ἐπιπεσόντων, ὡς μηδὲ διᾶραι τὸ στόμα δύνασθαι: *Hæſerunt obſtupefactis verba præ mœrore ac metu grauiſſimorum malorum, vt ſolent inopinati caſus vocem adimere.* Idem de Flacco in re ſubita, ἀχανὴς ἔκειτο.

3. HVNC POLYDORVM AVRI, &c.] Inſiſtit in hac narratione Euripidi in Hecuba, vbi Tragicus Polydori vmbram loquentem exhibet. Græcis parcam, quia multa: audienda illa ex verſione Eraſmi:

Adſum profectus è profundis manibus,
Noctiſq; portis, cæca qua ſilentium
Ab arce porro cælitum ſita eſt domus,
B *Polydorus Hecuba natus è Ciſſeide,*
Priamoq; patre: quem ſimul cepit timor,
Ne marte Graio Phrygia caderent mœnia,
Me furtim alendum Troico emiſit ſolo
Ad hoſpitam Polymeſtoris Thracis domum,
Qui Cherroneſi fertilem glebam colens,
Armis ferocem Martijs gentem regit.
Multumq; mecum clanculum miſit pater
Aurum, vrbis vt ſi concidiſſent mœnia,
Ne victu egerent liberi ſuperſtites.
Erámque natu Priamidum nouiſſimus:
Atque hac foras potiſſimùm me gratia
Submiſit, vt cui nec ferundæ lanceæ,
Et ad arma nondum tenera ſufficeret manus.
Sed vſque donec recta ſtabant Pergama, &
C *Nondum iacebant Ilij turres ſoli,*
Hectórq; frater Marte florebat meus,
Bene apud tyrannum Thraca, patrium hoſpitem,
Creſcens alebar, plantulæ in modum, miſer.
At vbi interiuit Troia, ſimul & Hectoris
Vita, ac Penates concidere patrij,
Deumq; ad aras ipſe procubuit ſacras,
Mactante Achillis prole ſanguinaria,
Mox me paternus amicus auri gratia
Miſerum trucidat, ac trucidatum ſalo
Exponit, aurum vt ipſe poſſideat ſibi.
Nunc ſuper arena littoris iaceo, hactenus
Æſtu per æquor huc & huc vectus vago,
Infletus, inſepultus.

Hactenus Euripides. Conferam nonnulla, vt videas
D quàm ſtrictè Poëta ſuo more Græci copiam complexus fuerit. Quod Tragicus, (Virgilius ſuperat Euripidem.)

Πολὺν δὲ σὺν ἐμοὶ χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρᾳ. Πατήρ.

Epicus *furtim cum magno auri pondere.* Quod ille,

Ἐπεὶ δὲ Τροία θ' Ἕκτορός τ' ἀπόλλυται
Ψυχή, πατρῴα δ' ἑστία κατεσκάφη,
Αὐτὸς δὲ βωμῷ πρὸς θεοδμήτῳ πίτνει
Σφαγεὶς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου.

hic ſtrictiſſimè & multis amputatis,

—Cùm iam diffideret armis
Dardaniæ, cingíque vrbem obſidione videret. &c.
Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victricíque arma ſecutus.

Quod ille ὑπεξέπεμψε Τρωϊκῆς χθονός: hic *furtim mandarat alendum*, quam commutationem, vt elegantem, Germ.& Vrsinus obseruant. Quod ille,

Κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν
Ξένος πατρῷος.

hic,

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Præclarè autem notat Annibal Scor. in hoc facto Priami notari curam, quam debet princeps habere, cùm debeat semper in tuto liberos collocare: ne, si aliquid sibi calamitosè accidat, Respublica orbetur stirpis regiæ adminiculo. Tale quiddam apud Tacit. 1. Ann. vbi in dissensione militari Germanicus vxorem Agrippinam, & filium Caligulam ad Treuiros mittit, vt procul à furentibus summoneat. Porro malè vulgo *Polymnestor* scribitur, cùm in correctissimis exemplaribus Eurip. Πολυμήστωρ habeatur. sed sententiam illam, *furtim mandare*, aliquoties, & variè repetit Sophoc. in Electra, occasione ipsius Electræ, quærentis fratrem Orestem à se amandatum, ablegatúmque. Cuius sententiæ tam crebram repetitionem non dubito quin ante oculos habuerit Maro, adeo non tam Euripidem. ergo.

Principum cura in tuēdis liberis.

——ἥτις ἐκ χερῶν
Κλέψασ' Ὀρέστην τῶν ἐμῶν ὑπεξέθου:
——*quæ ex manibus*
Furata Orestem meis furtim amandasti.

Et

——ἐς ξένην γαῖαν ἐκπέμψαι χεροῖν
Κλέψασα τῶνδε:
In terram hospitam emittere è manibus
Furata istis.

& iterum, δόμων σ' ἐξέπεμψα *domo te amandaui.* ac demum Orestes ipse ὑπεξεπέμφθην: *clam emissus sum.* Non abeunt multùm illa Æschyli in Prometh. ἔξω δόμων τε, καὶ πάτρας ὠθεῖν: *extra domum, & patriam pellere.* Et, ἐξήλασέν με, κἀπέκλεισε δωμάτων: *Expulit, exclusit me domo.* Successus porro similes successui Polydori inuenies apud Pindarum Od. 4. Pyth. apud Plautum in Mostellaria, apud Plutarchum in Parallelis, apud Iustinum lib. 17. Hi enim Poëtæ, & scriptores commeminere virorum, qui furtim subducti sunt, vt alibi, quàm in patria terra, alerentur. Vide adhuc eundem Iustinum lib. 35. vbi par successus. Et Appianum in Syriacis, de Cyziceno, qui missus est Cyzicum alendus. Quod repetit lib. 4. Ciuil.

Amici abeūt cū opibus.

4. ILLE VT OPES FRACTÆ, &c.] Reuoca huc, quæ suprà ad illud, *Dum fortuna fuit*, & adde ista Clementis Alex. lib. 6. Strom. cap. 1. ex Theognide, & Euripide, quorum prior,

Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος, καὶ πιστὸς ἑταῖρος:
Exulanti nullus est amicus, & fidus socius.

Posterior. Πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος:
Procul fugit quiuis amicus pauperem.

Item illud Epigr. Græc.
Πάντα τύχης τε ῥοπαῖς μεταβαλλόμενα:
Omnia commutantur ad momentum fortunæ.

Cæsar quoque. 2. Ciu. de Varrone dixit: *se quoque ad motum fortunæ mouere cœpit.* Faciunt ad rem Ouidij versus 13. Met. de eadam hac historia:

Vt cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, iuguloque sui demisit alumni.

Dio Chrysost. Orat. 11. loquens etiam de re Troiana. οὐ γὰρ τοῖς ἡττημένοις, οὐδὲ τοῖς κακῶς πράττουσιν, ἀλλὰ τοῖς νικῶσι, καὶ τοῖς εὐτυχουμένοις ἁπανταχοῦ πάντες ἐθέλουσι βοηθεῖν: *Non enim victis, & infaustè agentibus: sed vincentibus, & secunda vtentibus fortuna omnes vbique volunt ferre suppetias.* Huc pertinet apophthegma Laconicum, quod habes in Plutarcho: *Namertes legatus aliquò missus, cùm à quodam illhic felix prædicaretur ob multitudinem amicorum: Habes ne (inquit) indicium certum, quo probare possis, quis multos habeat amicos? doceri se id postulanti, rebus (ait) secundis.* Eutropius lib. 6. de Rege Ægypti: *Fortunam magis, quàm amicitiam secutus occidit Pompeium.* Augustinus lib. 5. *Quò se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.* & lib. 22. pari sententia: *Amicitiarum iura, non fide, sed successu ponderantes.* Has amicitias *temporarias* appellat Seneca epist. 9. quem lege. Atque etiam Vegetium lib. 3. cap. 9. Et Appianum lib. 1. Ciuil. loquentem de Norbano, vbi ait, in calamitatibus, τῶν φίλων οὐδένα πιστόν, οὐδὲ βέβαιον.

Temporariæ amicitiæ.

Hospitum iura.

5. POLYDORVM OBTRVNCAT] Quo flagitio nullum apud veteres maius; quippe illis iura hospitum sancta, religiosa, inuiolata semper fuerunt. Inuidiam hanc apud Tacit. 15. Ann. Piso deprecatur, etiā interficiendo flagitiosissimo mortalium Nerone: *Coniuratis metu proditionis placitum maturare cædem apud Baias in villa Pisonis: cuius amœnitate captus Cæsar crebrò eò ventitabat, balneásque & epulas inibat omissis excubijs, & fortunæ suæ mole. Sed abnuit Piso, inuidiam prætendens, si sacra mensæ, Dijq; Hospitales cæde qualiscunque Principis cruentarentur.*

B

6. AVRO VI POTITVR] Erat Polymestor affinitate coniunctus cum Priamo, & Troianis, illum enim Plutarchus in Parallelis vocat Priami γαμβρόν, sed videlicet cognationem pecuniæ magis, quàm Priami duxerat. Lysias in Orphicis, καὶ φανερὸς γέγονεν οὐ τῶν σωμάτων συγγενὴς ὤν, ἀλλὰ τῶν χρημάτων: *Et planum factum est, eum non esse cognatum corporum, sed pecuniæ.* Et ante illum Isocrates, ὥσπερ τῶν χρημάτων, ἀλλ' οὐκ ἐκείνου συγγενὴς ὤν: *Perinde atque si esset pecuniæ cognatus, non illius.* coniunxit Clem. lib. 6. Strom. cap. 1.

C

7. QVID NON MORTALIA PECTORA COGIS, &c.] Attribuit auro & ardenti auri cupiditati indignam cædem Polydori. Itaque aurum, quod πόλεις πορθεῖ, *vrbes expugnat*, quod ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων, *viros facit domo extorres*, quod παραλλάσσει φρένας χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματα, *euertit bonorum mentes ad res turpes*, quod πανουργίας ἔδειξε, & δυσσέβειαν, *fraudes & impietatem docet*, vt ait Sophocles in Antigone. Quod *infidum* ex Anacreonte, ἄπιστ', ἄπιστε χρυσέ. Cui ab eodem dantur πόλεμοι, φόνοι, *bella, cædes.* Et Aristophanes in Lysistrat. διὰ τἀργύριον πολεμοῦμεν. quem ex Tacito lib. 4. Hist. ita redde, *aurum, & opes præcipuè bellorum causæ.* Quod ex Platone. 3. Reip. suadet πολλὰ ἀνόσια, *multa iniusta.* Cui consonat Plautus Captiu. *aurum multa multis suasit perperam.* Quod ex Phocylide merus δόλος, atque etiā κακῶν ἀρχηγός, βιοφθόρος, *princeps malorum, corruptor vitæ.* Quod perniciosum ex Plinio, dolosum ex Persio, nocentissimum ex Ouidio, inimicum fidei ex Propertio. Primus lib. 33. cap. 1. *ad perniciem vitæ repertum.* Alter, *dolosi nummi.* Tertius, *ferróque nocentius aurum.* Quartus, *Auro pulsa fides.* Quod corruptor castitatis, vt apparet in Danaë, de qua re locuti Ouidius. 3. Amor. Horatius. 3. Odar. Silentiarius in epigrammate. Quod validissimum ad expugnationem ex oraculo Pythiæ. consulenti enim Philippo vti aduersarios posset vincere, illa respondit,

Auri cupiditatem, quæ sequantur mala.

D

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κινήσεις:
Argenteis hastis pugna, & omnia vinces.

E

Mitto Horatium, & Ouidium idem dicentes, & Ennium, qui auro dat obitum penetratúmque Acherontem. Quod ex Valerio Max. lib. 4. c. 3. *malo hominum excogitatum munus.* Quod homines cogit ad sui adorationem, nam Cedrenus Theophilum auri sitientem vocat non solùm χρυσομανῆ, sed etiam χρυσολάτρην, quòd aurum adoraret. Quod malorum omnium fabricator ex Tullio variis in locis. Hoc

itaque

itaque aurum tantis plenũ malis (ego nihil ferè attigi præ multitudine, quibus hæc Hydra tumet) atrox quoque exemplum, & flagitium abominandum nobis proposuit in Polymestore Thraciæ rege, cùm is Polydorum interfecit; puerum, quod acerbum; Regis filium, quod indignum; amicum, quod iniustum; hospitem, quod nefarium. Verba Virgilij vsurpat etiam in re verè atroci Pet. Apollon. lib. 4. Excid. A

—turpia quæ non
Auri suadet Amor? quæ non mortalia cogit
Pectora?

Cùm videlicet hostis interficiebat Iudæos, vt gladio scrutaretur, si quid auri lateret in aluis & visceribus miserorum. Nam fama increbuerat Iudæos aurum deglutisse.

Sacer, pro exsecrando.

8. AVRI SACRA FAMES] Tractum hoc ex vetere Gallorum more, & signatè Massiliensium, Seruius admonet, apud quos, cùm vrbs peste laborabat, pauper quispiam Diis offerebatur, sacrificabatúrque: hunc anno integro publicis & puris alebant cibis, mox ornatum vestibus sacris verbenísque per vrbem circumducebant cum exsecrationibus, vt in illum mala omnium reciderent. Inde est, vt sacer pro exsecrando sumatur, non quòd verè ita sit: sed quia is, qui sacer Diis, dicatúsque, eo ipso aliorum scelera portare fingebatur. Vt autem Poëta *famem auri*, sic post illum, & exemplo eius Plin. lib. 33. c. 3. Horatius lib. 3. Od. 16. Auctor Octauiæ. Cognata alia metaphora Prudentij in Peristephano, Ouidij, & multorum, qui de hoc malo loquentes dixerunt *sitim*. B

9. POSTQVAM PAVOR] Sæpe Poëta huiusmodi affectus infert, & semper seruata omni personarum proprietate, quod diligens imitator attendat. In hoc libro Æneæ pauorem dedit, suis enim dux timebat in terra barbara, atque impia. Eidem stuporem supra, stantes comas, hærentem vocem ex formidine: nam vt hæc in virum fortem cadit, ita & quæ illam sequuntur. Eidem adhuc in 2. Æn. eosdem affectus attribuit, sed non ex perculsione mentis, sed ex admiratione, nam visa est vmbra Creusæ, *& nota maior imago*. in 8. Pallas obstupescit repentino Æneæ aduentu. vt verò magnanimis dat stuporem, sic pusillanimis consternationem: longè enim vehementiùs percellitur mater Euryali in 9. quippe mater fœmina, anus. Itaque

Excußi manibus radij reuolutáque pensa.

Non depositi, sed excussi radij, non reposita, sed reuoluta pensa. Hæc mihi contexta Scaligeriano filo lib. 3. Poët. c. 21.

10. REFERO] Non dubium quin spectauerit morem Romanum, quo ad Senatum & ad populum res referebantur.

11. ET QVÆ SIT SENTENTIA POSCO] Exemplum boni Principis, qui nihil absque consilio. A qua mente non abit Sophoc. in Antig.

Ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦ δὲ χρὴ κλύειν,
Καὶ σμικρὰ, καὶ δίκαια, καὶ τἀναντία:

Sed quem vrbs principem constituerit, hunc oportet audire
Et parua, & iusta, & contraria.

[a] Omnibus idem animus SCELERATA excedere terra,
LINQVERE pollutum hospitium, & dare classibus Austros.
[b] Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus. Stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis atráque cupresso:
Et circum Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras: animámque sepulcro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.
[c] Inde vbi prima fides pelago, placatáque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat auster in altum:
Deducunt socii naues, & littora complent.
Prouehimur portu: terræq; vrbésque recedunt.

ARGVMENTVM.

Censent omnes inde abeundum, priùs tamen Polydori iusta celebrantur. Describitur apparatus horum sacrorum, fiunt inferiæ, anima conditur; quibus peractis soluunt è portu.

EXPLICATIO.

[a] SENTIVNT omnes inde excedendum; linquendam Thraciam, incumbendum pelago. Propriè *terra scelerata*, scelus enim cædem respicit. Propriè etiam *pollutum hospitium* propter ius hospitalitatis violatum. Nam *polluo* de sacris dicitur, & *pollutæ ceremoniæ* passim in auctoribus. In illis *dare classibus Austros* hypallagen potes agnoscere, pro, dare classes Austris.

[b] Ante abitum conditur ritè Polydorus. Itaque C instauratur illi funus, id est, renouantur funeralia, & de nouo constituuntur, vt bene, & ex ritu condatur, qui malè & tumultuario opere conditus fuerat. Sed quæ ceremoniæ huius funeris? Primò *aggeritur tumulo ingens tellus*. Vt quo maior terræ copia, & densior aggestio, eo tutius sit cadauer. Deinde *aræ stant manibus*, id est, statuuntur aræ in honorem Manium Polydori. & aræ quidem tum vittis cærulei coloris cinguntur, adornantúrque; tum etiam cupresso, quæ arbor atra est, id est, funesta ac feralis. Tertiò adsunt Iliades, quæ mortuum lugeant, & illæ ex more solutis comis. Post hunc ornatum atque apparatum fiunt iam quartò inferiæ, & ideo signatè *inferimus*. Constabant istæ inferiæ tum recenti lacte, & nuper expresso; D tum etiam sanguine mactatarum hostiarum, quæ duo in honorem defuncti inferebantur, id est, effundebantur. Quintò, hoc facto anima putabatur iam rite esse condita: ideo signatè, *animámque sepulcro Condimus*. Quasi vnà cum lacte & vino infusis in sepulcralem

pulcralem fossam animus quoque priùs vagans eò adigi atque includi putaretur. Sextò fit discessio illis vocibus χαῖρε, ἄλε: salue, vale. Hoc enim est, *magna supremum voce ciemus*. id est, commouemus excitamúsque omnes simul magnis vocibus supremum vale. Aliqui hîc intelligent voculam *illicet*, de qua alibi. A

c Vbi iam tranquillo pelago fides dari potuit, cuius rei duplex signum, primum & maria esse placata, cessantibus hibernis ventis; alterum, austrum, qui lenis est, inuitauisse nos suaui quodam flatu, non hoc est *crepitans*, vt (inquam) hæc iam nobis fides ad nauigandum accepta est, socij naues è sicco ad portum deducunt, & Thraciam linquimus.

NOTÆ.

1. DARE CLASSIBVS AVSTROS] Sic Calpurn. 5. e.

—campos ouibus, dumeta capellis
Orto sole dabis.

pro, dabis campis oues, dumetis capellas.

2. INSTAVRAMVS POLYDORO FVNVS] Dictũ hoc est ab eruditissimo Poëta ex veterum opinione, qui existimabant Manes errare illius, qui conditus esset non rite, neque seruatis ceremoniis, sed subitò, & cum tumultu. Igitur non contentus Æneas tumulatione Polydori (fuerat enim obrutus magis, quàm conditus) illi sepulcrum instaurat, ac funus rite renouat, vt demum quiescat. Veterum consuetudinem hanc Suetonius, & Plinius in epistolis aperiunt. Ille enim in Calig. cap. 59. *Cadauer eius* (inquit) *clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cespite obrutum est: postea per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, sepultúmque. Satis constat priùs, quàm id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos.* Plinius autem lib. 7. Epistolarum, in ea quæ est ad Suram, satis longam historiam narrat vnius domus, quæ Athenis erat infamis propter Laruarum strepitus, in ea enim apparebat idolon, videlicet, *Senex macie, & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebátque.* Passa id malum domus est, donec venit Athenas philosophus Athenodorus: is ea domo conducta, Laruam aliquando insequutus est, ac notauit locum quo se se condidit, *postero die adit magistratus, monet vt illum locum effodi iubeant. Inueniunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus æuo terráque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: collecta publicè sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.* Hæc nos strictissimè, quæ longissimè ille. Plato etiam in Phædone ait de anima, περὶ τὰ μνήματα τε, καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη. Illam versari circa monumenta & sepulcra. & adducit rationem. περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα. (Quia iuxta sepulcra visa sunt animarum tenebrosa phantasmata.)

Manes errabant nō rite conditi.

3. INGENS AGGERITVR TVMVLO TELLVS] Hoc primum initium sacrorum. Quo maior autem tumulus, eo plus honoris dabatur defuncto, de qua re fusè alibi. Nunc tantùm placet sententia eruditissimi Lilij lib. de var. sepelien. ritu, quæ ad mentem Maronis aggerentis multum terræ. Ait ille, consueuisse veteres, *testas glebásque aggerare: interdum arborem serere, quod & Diuo Platoni in legibus placuit, & nunc aliquando Turcis; ne videlicet feræ, animaliáve bruta sepultorum ossa effoderent.* Itaque aggestio fiebat, tum multis aliis, tum etiam vt tutiora essent cadauera. Quæ vir doctus scripsit, nos firmamus Sophoc. testimonio in Antig. vbi excusatio hæc affertur ipsius Antigones, quòd fratrem sepelierit.

Aggestio in sepulcris.

Ἥτις τὸν αὑτῆς αὐτάδελφον ἐν φοναῖς
Πεπτῶτ᾽, ἄθαπτον, μήθ᾽ ὑπ᾽ ὠμηστῶν κυνῶν
Εἴασ᾽ ὀλέσθαι, μήθ᾽ ὑπ᾽ οἰωνῶν τινός.
Quæ suum ipsius Germanum in cædibus
Lapsum, insepultum, neque à crudiuoris canibus
Siuit perire, neque ab auium aliqua.

Sed & verba ipsa *aggeritur tumulo tellus*, videntur expressa ex eodem Sophoc. in eadem Tragœdia,

Καὶ τύμβον ὀρθόκρανον οἰκείας χθονὸς
Χώσαντες:
Et tumulum altè exstantem in propria terra
Aggerantes.

4. STANT MANIBVS ARÆ] Binas aras intelligit, ideo in plurali *aræ*, quod in hunc locum iam Turnebus monuit, & ego. 5. Ecl. Itaque transferri in hunc locum possunt, quæ ibi data. B

5. CÆRVLEIS MOESTÆ VITTIS] Cur vittæ cæruleæ? audienda verba Seruij restituti opera P. Danielis, cui quis satis gratias det. Ergo Seru. *Cato ait, deposita veste purpurea, fœminas vsas cærulea, cùm lugerent. Veteres sanè cæruleum, nigrum accipiebant. Vittæ autem cæruleæ in acerbo funere præcipuè filiorum familias adhiberi solebant, sicut hic: nam Polydori funus, vt pote adhuc pueri, acerbum est, & quia eius ætatis erat, vt filius familias adhuc esse potuisset.* Vides cæruleum colorem solitum vsurpari & in luctu, & in acerbo puerorum funere. Eundem in genere ad res sacras destinari disces ex multis, nunc mihi in mente Val. Flacc. 1. Arg.

Cæruleus color in luctu.

—multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ.

C Notam Magij lib. 3. c. 14. & quæ ibi ex Theocrito adducit, lege ipse.

6. CVPRESSO] Hæc arbos in Ditis patris, aut Proserpinæ, aut vtriusque tutela esse credebatur. Causam addit Seru. Quia excisa nunquam renascitur, sic iam nihil sperandum à mortuo: inde funera cupresso ornabantur, & mortuorum sandapilæ. Varro aliam adhibet, propter grauem scilicet vstrinæ nidorem: itaque hæc arbos fœtorem cadaueris, dum vritur, odoris sui iucunditate lenit. Vtcunque sit, plurima attributorum copia ea est infamis. Maro hîc *atram* vocat, & 6. Æn. *feralem*, sicut & Ouid. lib. 3. Trist. eleg. 13. & Petron. Satyr. Horatius *funebrem* Epod. Od. 5. idem lib. 2. Od. 14. *inuisam*. Papinius *deploratam* lib. 4. Theb. demum hic idem Maro *funeream* 4. Æn. Arbores quas ferales facit Virgilius, & mortuis dicat, hæ fere sunt. D Cupressus, arbutus, quercus, fraxinus, ilex, picea, robur, ornus. in 11.

Cupressus defunctorũ.

molle pheretrum.

7. ARBVTEIS TEXVNT VIRGIS, ET VIMINE QVERNO] In 6. reliquas subdit:

Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæq; trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos.

8. ET CIRCVM ILIADES] Cur hoc non referam ad priscum morem? sententia cuiuis obuia est, fœminas Troianas adstitisse ad tumulum lugentium habitu, dum sacra peragerentur. Sed, vt dixi, referam potiùs ad morem antiquum, quo statuæ propinquorum erigebantur in tumulis defunctorum, & illæ habitu lugubri, vt semper locus ille memoriam defuncti, & lacrymas conseruaret. Huius rei lux in auctoribus & Græcis, & Latinis: Pausania in Lacon. *Laæ sepulcrum, & super monimento statua.* Athenæo lib. 13. ὁ [Ἀδριανὸς] καὶ ἀνέστησεν ἐπὶ τῷ μνήματι Παρίου λίθου εἰκόνα τὸν Ἀλκιβιάδην: qui, Adrianus, *Alcibiadis imaginẽ super sepulcro erexit ex Pario lapide.* Statio qui. 5. Sylua. ad Priscillæ sepulcrum multa ex marmore ait effigiata, è multis hæc subdam: E

Statuæ propinquorum in tumulis.

—circumstant famuli, consuetáque turba
Obsequijs,

Obsequijs, tum rite tori mensæq; parantur
Assiduæ. Domus ista domus. Quis triste sepulcrum
Dixerit?

Val. Flacc. 5. Arg. vbi Phryxi soror ex marmore in sepulcro inerat fratris:

Quem comes infelix paruo de marmore iuxta
Stat soror.

Vides vt Græci & Latini, intérque hos Virgilius, in eo more exprimendo verbum quoque *sto* vsurpent, quasi statuas signent. Et certè qui mortuos ad sepulcra lugebant, sedebant quidem non stabant, inde verbum *sedeo* mortuorum fuit, quod. 9. Æn. explicabitur ad illud:

Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.

Itaque si vulgarem morem lugentium Poëta expressisset, sedentes intulisset Iliadas, non stantes. Quid, quòd hic mos Æneæ fuisse apparet? nam idem in vrbe, quam condidit, στήλην λιθίνην γυναικὸς σχῆμα ἔχουσαν, καὶ πρὸς Τροίαν βλέπουσαν, ἐπάνω τοῦ τείχους ἔστησε. Verba sunt Cedreni: *columnam lapideam habentem formam mulieris, respicientémque ad Troiam, supra murum posuit.* Si verò vulgarem explicationem sequaris, illustrabis Poëtam & Theocriti carmine, & Herodiani Historia. in Epitaphio Bionis.

Καὶ στυγνὸν περὶ σῆμα τεὸν κλαίουσιν ἔρωτες:
Et mœstè circum sepulcrum tuum flent Amores.

In Historico lib. 4. ad imaginem defuncti Seueri, à læua quidem Senatus assistit atris vestibus indutus; à dextra matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat; harúmque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspiciebatur, sed omnes indutæ albis vestibus, præferentes speciem lugentium. Iuuant etiam hanc partem versus nostri in 11. vbi de Pallante

Circum omnes famulûmque manus, Troianáque turba,
Et circum Iliades crinem de more solutæ.

vbi ex circumstantiis nequeunt intelligi statuæ.

Comæ solutæ fœminarũ in fletu.

9. CRINEM DE MORE SOLVTÆ] Erat hic habitus flentium fœminarum. Ariadne apud Ouid.

Aspice demissos lugentis more capillos.

Idem Fast. 6.

Attonitæ flebant demisso crine ministræ.

Lucanus mœstam Romam describens:

Turrigero effundens canos à vertice crines.

Silius lib. 12.

solutis
Crinibus exululant matres, atque vbera nudant.

Seneca in Oet.

Et comas nullo cohibente nodo
Fœmina exertos feriat lacertos.

Ita commutato rerum statu, & redeunte lætitia capilli colligebantur. Ouidius enim pacatam Germaniam indicans:

sparsos Germania crines
Colligit.

Inferiæ.

10. INFERIMVS] Signatè: nam hoc verbo *inferiæ* notantur. Itaque Latini tam *infero* quàm *inferias* in vsu habent ad hanc rem. Græci in primo conueniunt, nam illi quoque ἐπιφέρω, id est, *infero*: sed dissident in altero, nam quas nos *inferias*, illi χοὰς, id est, *fusiones*. Plutarchus in Consolat. χοὰς ἐπιφέρουσι. Quo verbo vsus idem in Pericle, & Thucydides lib. 2. in re mortuorum. Mutant Græci verbum ἐπιφέρω. nam Eurip. in Oreste, & proprio, & ascititio verbo, videlicet, χοὰς χεόμενος, & περιέπω χοάς, *fundens fusiones, libans fusiones*. Arnobius in altero institit Græcis lib. 6. *vinum liquens paterarum effusionibus inferamus.* Ab Latino verbo veteres vinum mortuorum *inferium* dixerunt, quæ vox est apud Festum, & Arnobium lib. 7. Formula sacrificantis erat, *Mactus hoc vino inferio esto.*

Vinum, inferium.

A Cùm Cato in re rustica cap. 132. & 134. dixit *vino inferiori*, legendum ex nota viri docti Leopardi lib. 18. emendat. cap. 5. *inferio*.

11. CYMBIA] Cymbiorum meminit Anaxandrides in Nereïdib. & Agricolis; Alexis in equite; Eratosthenes in epistola ad Agetorem; Demosthenes in oratione contra Midiam, vt Athen. lib. 11. & Macrob. lib. 5. Satur. c. 21. & Isac. Casaubonus in caput. 9. lib. 11. Athenæi. Cùm verò Athen. multas adducat poculi huius formas ex variis auctoribus, illa mihi in primis Didymi placet descriptio, qua ait, vas hoc oblongum esse, & forma angustum, nauique simillimum. Hanc fere video Iunio placuisse Nomencl. Sed in nominato auctore. Erat itaque κοῖλον *cauum* καὶ βαθὺ *profundũ*, καὶ στενὸν *angustum*. & τῷ σχήματι παρόμοιον πλοίῳ, *forma ad similitudinem nauigij*. Notat Casaubonus olim

Cymbiorum forma.

B in antiqua Græcia vas hoc fuisse pauperum, eorúmque, qui neque cyathum, neque aliud vas potorium honestius parare sibi poterant. Obseruabis etiam occasione huius, multis generibus poculorum indita nomina à nauigiorum similitudinibus, quas referunt, vt de Carchesio, & Cantharo admonet idem Athen. lib. 11. Inde apud eundem Pherecrates præclarè dixit, βαθείας κύλικας, ὥσπερ ὁλκάδας οἰναγωγούς: *profundos calices velut naues onerarias, vinum vehentes.* Quin apud eundem eodem lib. 11. Triremis species fuit poculi.

Et vsus.

Pocula multa à formis nauigiorũ.

12. LACTE] Cùm *lac tepidum* dicit & *spumans*, circumscribit lac nouum, recénsque expressum: tali enim lacte mortuis sacra fiebant. Sic lac nouum da-

Lac in sacris mortuorũ.

C tur ecl. 5. Cæsari,

Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis.

& lib. 5. Æn. Anchisæ.

duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

Quibus locis sermo est de Cæsare & Anchise iam mortuis. Maronis enim loca se se inuicem aperiunt. Nemesianus. 1. ecl. vbi deflet obitum Melibœi,

Dat grandæua Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos.

Sed & in genere de lacte, quod mortuis offerebatur, multa est mentio. Sophocl. in Electra,

Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
Ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεοῤῥύτους
Πηγὰς γάλακτος:

D *Postquam veni ad antiquum sepulcrum patris,*
Video alto ex iugo fusos nuper
Fontes lactis.

Æschylus in Pers. inter alia quoque fundit,

Βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα:
Puræ bouis lac candidum ad potum.

Apud Heliodorum lib. 6. Hist. Æthiop. in sacro defuncti, in fossam lac infunditur. vt etiam apud Philostratum in Heroicis, γάλα ἐγχέας. & apud Æschylum in Persis, qui inter reliqua libamenta lac quoque adhibet. Statius etiam & Silius, vbi mortuis sacra peragunt, Ille. 4. Theb.

Inclinat Bacchi latices, & munera lactis.

Hic 13. Punic.

Fundunt mella super. Bacchíque, & lactis honorem.

E Fortasse lac mortuis offerebatur, quia eo quoque Plutoni fiebant sacra. Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niuei lactis pocula mista mero.

Sed de rationibus iam loquor in sequenti Nota.

13. SANGVINIS ET SACRI PATERAS] Nouus Seruius duas rationes adducit, propter quas lac & sanguis defunctis offerantur: quia videlicet affirmantur animæ vtraque hac re impensè delectari. Et quia vnum horum nutrit, alterum nutritur. In inferiis

Sanguis, & lac cur in sacris defunctorum.

inferis Anchisæ vtranque etiam rem Virgilius coniungit, vnà cum vino,

Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho,
Fundit humi duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

Quantum ad sanguinem attinet, non prætermittendum, Homerum in Necromantia Odyss. 11. nô priùs inducere loquentes animas mortuorum, quàm sanguinem gustauerint, vt vel hinc appareat aptum in primis fuisse sacrum effusi sanguinis, gratúmque mortuorum Manibus. Varro quoque dicit, mulieres in exequiis, & luctu, ideo solitas ora lacerare, vt sanguine ostenso inferis satisfaciant. Inde institutum, vt ad sepulcra victimæ cæderetur: neque aliam, quàm sepulcrorum originem habuerunt munera gladiatoria. Sic fermè Seru. P. Daniel. Cuius sententiæ consonant verba ista Tertulliani de Spectac. *Quoniam defunctorum animas humano sanguine propitiari credebant, captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exsequiis immolabant.* Sed redeo ad rationes, cur ista libamina mortuis offerrētur. Ex Philostrato in Heroicis clarè colligas animas istis nutriri. Vbi enim Vinitor Protesilao offert libamina, illum ita inuitat, σὺ δὲ πῖε, *tu autem bibe.* Annexum hoc cum errore Indorum, qui patrum nostrorum memoria apparuerunt. Putant hi animas defunctorum vesci appositis supra sepulcrum. Nicephorus Gregoras cùm dicat mortuis offerri mel, lac, vinum, aquam, singulorum rationes has adhibet. μέλι μὲν διὰ τὸ ἀντίπαλον τῆς τοῦ θανάτου πικρότητος, γάλα δὲ διὰ τὸ μέλαν τοῦ σκότους, οἶνος δὲ διὰ τὴν λύπην, ὕδωρ δὲ διὰ τὸ ἐκ τεσσάρων στοιχείων σύγκεισθαι τὸν ἄνθρωπον. Sentētia est, mel offerri; quia dulce, & ita contrarium amaritudini mortis: lac, quia album, contra nigredinem tenebrarum: vinum, quia lætum contra tristitiam: aquam, quia ex quatuor elementis homo compositus. De sanguine nihil loquitur, fortasse quia hoc vetitum antiquissimo æuo, quod Plato scribit lib. 6. Leg. Ait enim fuisse impium τοὺς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν. *Deorum aras sanguine inquinare.* Cuius rei vestigia posteriore æuo perseuerarunt in Venere Paphia, & Delio Apolline. Sed de cœna mortuorum ita multi locuti, vt pudeat consectari; ego tantùm volui causas, quæ non è triuio.

Gladiatorij muneris origo.

14. ANIMAMQVE SEPVLCRO CONDIMVS] Quod Virgil. *animam condere.* Plin. 7. Epist. *Manes condere,* dixit. Ouid. *vmbras.* 5. Fast. ex nota Dalecampij.

Romulus vt tumulo fraternas condidit vmbras.

Inde est, vt sepulcrum (quæ nota est Rittershuf. in Opp.) & *conditorium* dicatur: & Senecæ, atque Petronio *conditiuum.* Procedunt verò hæc è veterum superstitione, qui sentiebāt, animas eorum, quibus iusta non essent soluta, qui nec rite tumulati, errare à corpore & sepulcro: iustis verò factis quiescere in tumulo vnà cum corpore. firmaui hoc iam. Et hîc adiicio morem Longobardorum, quem aperit Paulus Diaconus lib. 5. Histor. Longob. cap. 34. tractum fortasse ab hoc gentium more. verba eius: *Perticas locus iste ideo dicitur, quia ibi olim perticæ, id est, trabes erectæ steterunt, quæ ob hanc causam iuxta morem Longobardorum poni solebant. Si quis in aliquam partem, aut in bello, aut quomodo exstinctus fuißet, consanguinei eius intra sepulcra sua perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illac versa esset, vbi eorum dilectus obijsset.* Quæ est hæc columba, nisi vagans anima adducta ad sepulcrum? Nihil enim obstat à gentibus deriuatum hunc morem, tametsi alio animo. Ex more gentium Prop. el. 18. lib. 3. *Errat & in vestro spiritus ille lacu.* Inde vocatio ad tumulum solemnis inprimis veteribus fuit. Virg. lib. 6. de Deiphobo:

Sepulcrum conditoriũ, & Conditiuum.

Longobardorũ mos.

Vocatio ad tumulum.

Tunc egomet tumulum Rhœtæo in littore inanem
Constitui, & magna Manes ter voce vocaui.

A infrà de Andromache vxore Hectoris:

—Manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Si roget fortasse aliquis, nonne ex gentium opinione animæ mortuorum tendebant aut ad cælum, aut ad tenebras inferorum? quî ergo corpus in sepulcro comitabantur? Pendent hæc ex his quæ dicam latè in 6. Æn. adi indicem in hominis diuisione.

15. MAGNA SVPREMVM VOCE CIEMVS] Explicui de vocibus *vale*, aut *salue.* Quia Varro has voces mortuis solitas dici; cùm fit discessio à sepulcro, iam scripsit. Imò Seruius formam illam, qua verbum *vale* maledictum inuoluit, ad defunctos refert. Ideo enim *valeat*, est, malè illi sit, malè habeat, malè viuat, quia volumus illum ita à nobis discedere, vt nunquam redeat in conspectum nostrum, & ea ratione, qua mortui nunquam sunt redituri. Sed non eges Varrone, aut Seruio vbi sunt aliorum Poëtarum testimonia. Ouid. 4. Fast.

Vale, & Salue de mortuis.

B

Osculaque applicuit posito suprema feretro,
Atque ait, inuito frater adempte vale.

& lib. 10. Metam.

Supremumq; vale, quod iam vix auribus ille
Acciperet, dixit.

Ex nostro Ausonius,

Voce ciere animas funeris instar habet.

Lege Epiphanium in sermone, Ancora de insolentibus clamoribus barbarorũ ad sepulcra mortuorum.

16. INDE VBI PRIMA FIDES PELAGO] Obseruandum, esse idem in Virgilio, *inde vbi*, & *inde vt.* Nam vt hîc *inde vbi prima fides*, &c. & in 6. *Inde vbi venere ad fauces*, &c. in eodem 6. dixit,

Inde vbi, inde vt.

C

Nauita quos iam inde vt Stygia prospexit ab vnda, &c.

Ait autem Germ. videri respectum fieri ad illam nauigationem, quæ classicis auctoribus dicitur prima, quæ videlicet post sæuitiam hyemis, vel tempestatis, nauigantibus aperitur: quam & Græci vocant πρῶτον πλοῦν, referentes ad δεύτερον. vt autem hîc pelago *fidem* dat, sic. 1. G. dixit,

Et quando infidum remis impellere marmor.

Transferenda huc, quæ ibi. Herodotus vocat mare δολερὸν, lib. 7. *dolosum.*

17. VOCAT AVSTER IN ALTVM] Sic in 4. *vocat iam carbasus auras.* Val. Flacc. 2. Arg.

Vocat ventus.

Nec iam velle vias, zephyrósque audire vocantes
Dißimulant.

D

idem. 3.

Vocantibus Austris.

& iterum,

Zephyri iam vela vocant.

& Virg. in hoc libro,

Iamq; dies alterq; dies processit, & auræ
Vela vocant.

Ouid. in epist.

—& qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautæ, non ego, ventus erat.

18. RECEDVNT] Soluentibus terræ ipsæ, & portus videntur recedere. Tale illud Sen. in Troad. ex. mſ. quod Delrius animaduertit:

Recedere de nauigantibus.

Cùm semel ventis properante remo
Prenderint altum, fugiétque littus.

E

in vulgatis legitur, *fugient.* Aptè ad hanc sententiam versus Lucret. lib. 4.

Qua vehimur naui fertur, cùm stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire.
Et fugere ad puppim colles, campíque videntur,
Quos agimus præter nauim, velísque volamus.

Videat itaque lector an verba hæc Liuij lib. 29. *Vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablati sunt*, legi ex coniectura nostra sic debeant,

vento

vento secundo vehementi satis profectis celeriter conspectu terræ ablata sunt. Nam *profectis*, & *ablati* nescias quî incongruum. Deinde magis propriè conspectus dicitur de hominibus, quàm de terra. Itaque A poëta dicit terras ablatas è conspectu nauigantium, non ipsos è conspectu terræ. Pindaro tamen Od.4. Pyth. trita locutio placuit, εἰρεσία ὑπεχώρησε, *Recessit nauigatio.*

[a] Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri, & Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenens oras & littora circum
Errantem, Mycone celsa, Gyaroq; reuinxit:
Immotámque coli dedit, & contemnere ventos.
[b] Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit, egressi veneramur Apollinis vrbem.
[c] Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbíque sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum:
Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.

ARGVMENTVM.

Præmissa Deli chorographia scribitur Æneæ in eam aduentus: Anij Regis, & sacerdotis comitas erga Troianos.

EXPLICATIO.

[a] ÆNeæ cursus fuit è Thracia in Delum insulam, quam Poëta non nominans ita describit per versus quinque, vt ea necessariò debeat intelligi, nulla alia. Præcipuæ partes descriptionis sunt, sitam esse in medio mari Ægeo, errauisse priùs per pelagus circum oras & littora, mox reuinctam cum Mycone & Gyaro immotam constitisse, idque Apollinis opera. Duo primi versus continent poëticam, & amœnam dilatationem, qua Delos dicitur sacra, & grata vtrique maris numini, videlicet Doridi & Neptuno; illa mater Nereidum dicitur, hic Ægeus.

[b] Ad hanc ergo Æneas delatus est insulam, cui portus erat placidus tutúsque ab omni ventorum flatu. Egressi Troiani venerantur statim vrbem Delon. Ita interpretantur Germanus & Seruius, quia videlicet idem erat nomen & vrbi & insulæ.

[c] Describitur ornatus Anij occurrentis Troianis. Erat redimitus vittis, quia Rex: lauro, quia Apollinis sacerdos. Sic explico. Non me latet, vittas quoque ad sacerdotem pertinere, sed non video, cur non possim hanc vocem deflectere ad signanda regum diademata, nam hæc nihil aliud, quàm vittæ, & fasciæ, de quibus dicam alibi. Est autem concinnius ita Poëtam accipere, propter consecutionem rerum, quam ille sæpissime solet seruare. Pergo *veterem Anchisen agnoscit amicum*, hoc κατὰ σιωπώμενον (ait Seruius) nihil enim præcessit vnde hoc sciamus. Certè credibile est, ad Troiam, vt totius Asiæ opulentissimam & magnificentissimam vrbem, solitos commeare ex vicinis vrbibus & insulis plures. Inde fortassis cognitio Anchisæ, atque Anij, nisi quid altius ex historia latet, quod me latet. Sequitur, *iungimus hospitio dextras*, &c. Inest in his nota hospitalitatis, videlicet manuum coniunctio ad inuicem atque innexio. Hoc facto, iam vt veri hospites subeunt ad vrbis tecta.

NOTÆ.

Deli situs. 1. SACRA MARI COLITVR MEDIO] Sita Delos in medio Cycladum, & veluti aliarum do- D

A mina. Strabo lib. 10. ἐν δὲ τῷ Αἰγαίῳ μᾶλλον αὐτή τε Δῆλος, καὶ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες: *In Ægæo magis Delos eminet, circumstant illam Cyclades.* Plin. lib. 4. cap. 12. *Ipsaq; longè clarissima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos.* Solin. cap. 17. *Cyclades in orbem circa Delum sitæ sunt.* Ait Aristides oratione ad Ægæum pelagus, mare hoc non aliter suis insulis ornari, quàm cælum stellis. Adi, si placet, integram orationem, vbi miræ laudes huius maris, à quibus longè dissidet sententia Artemidori. Nam hic lib. 2. Somniorum cap. 12. ait, τὸ φοβερώτατον πέλαγος, Αἰγαῖον λέγεται: *mare procellosissimum, Ægæum dicitur*, & adiicit magnos ac timendos fluctus dici αἶγας. Cùm tamen Aristides dicat nihil esse placidius maris huius nauigatione, non solùm conspectu tot insularum quæ B instar chori in mari iacent; sed etiam vndarum iucunditate. Nam præbent (inquit ille) & in periculis solatium, & in nauigatione prospera admirabilem voluptatem, κινδυνῶντι παραψυχή, καὶ κατὰ νοῦν ἰόντος πλοῦ ψυχαγωγία θαυμαστή. Hi tamen non fortasse contrarij, cùm sermo vnius sit de hoc mari, vbi placidum; alterius de eodem, vbi sæuum procellis. Neque enim dubium, quin in tempestatibus ab insularum frequentia naufragia calamitosa.

2. NEREIDVM MATRI, ET NEPTVNO ÆGÆO] Causam Ægæi Neptuni aperit Strabo lib. 9. Geog. καὶ δὴ τὴν παραλίαν ταύτην κεῖσθαί φασιν Αἰγὰς τὰς ἐν Εὐβοίᾳ, ἐν αἷς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερὸν τοῦ Αἰγαίου: *Ad hanc maritimam sitas esse dicunt Ægas, vrbem insula Eubææ, vbi templum Neptuni Ægæi.* Itaque Neptunus dictus est Ægæus ab vrbe, quæ prope mare Ægæum. Ipsum ve- C rò pelagus sic dictum vel ab eadem vrbe: consentaneum est enim, vt quæ vrbs nomen dedit Ægæo Neptuno, eadem dederit ipsissimo mari. Vel dictum sic ab scopulo, si Plinium audis lib. 4. c. 11. *Ægæo mari nomen dedit scopulus inter Tenedum & Chium, veriùs quàm insula, ex nomine à specie capræ, quæ ita Græcis appellatur, repente in medio mari exsiliens.* Et Izacius in Lycophronem ait, hoc pelagus lasciuire fluctibus caprino more. De eodem mari Hesychius, αἰγίζ. Certè hac parte ponti videtur præ ceteris delectatus Neptunus, inde non frustra Virgilio dictus est Ægeus: quod liquidum versibus Homeri, Euripidis, Pindari. Primus ait, Iliad. 13.

Neptunus cur Ægæus.

Ægæũ mare, vnde.

—ἵκετο τέκμωρ
Αἰγάς, ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης,
D Χρύσεα, μαρμαίροντα τετεύχαται ἄφθιτα αἰεί.
—*Peruenit ad terminos*

Ægarum,

Ægarum, vbi ei inclyta ædes in profunditatibus maris, Aureæ, splendidæ, ædificata erant incorrupta semper.

Alter,

Ἥκω λιπὼν Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος
Πόντε, Ποσειδῶν, ἔνθα Νηρῄδων χορός:
Adsum relinquens Ægæam salsam profunditatem
Ponti, Neptunus, vbi Nereidum chorus.

Tertius Od. 5. Nem. præmissa Neptuni mentione,

—ὃς Αἰγᾶθεν ποτὶ κλειτὰν θαμὰ νίσεται ἰσθμὸν Δωρίαν:
—*Qui ab Ægis ad inclytam proficiscitur isthmum Doricam.*

Porro ex testimonio Euripidis, vbi mentio fit Nereïdum in Ægæo, aliquid efficitur ad mentem Virgilij. Iuuat locus Apollonij. 4. Arg.

—ἐνὶ πόντῳ
Αἰγαίῳ, τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασιν:
—*in ponto*
Ægæo, vbi Nerei domus.

Vbi enim pater, ibi credibile & filias fuisse. In assignanda autem Doride matre Nereïdum secuti sumus Hesiodum in Theog. qui eas facit, Νηρῆος, καὶ Δωρίδος τέκνα, *Nerei, & Doridis filias.*

3. Pivs] Quæsitum epithetum à pietate, qua vsus Apollo erga vagantem insulam: cuius rei occasione interpretes attingunt natales Apollinis: ideo enim pius in insulam, quia in ea natus. In hoc fabulæ mirè variant, vt in plerisque, tametsi constantior opinio ferat, in Delo natum hunc Deum. *Apollo vbi natus.* Ego de singulis opinionibus singulos auctores dabo, cùm plures possem. Deli partes tueatur Cic. 3. in Ver. vbi ait Latonam ex longo errore & fuga, grauidam vicinámque partui, Delon fugisse, atque ibi peperisse Apollinem & Dianam. Ephesi Tacitus. 3. Ann. apud quem, *Primi omnium Ephesi adiere memorantes, non, vt vulgus crederet, Dianam, atque Apollinem Delo genitos; esse apud se Cenchrium amnem, locum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea Numina, Deorúmque monitu sacratum nemus.* Delphorum Næuius lib. 2. Bel. Pun. apud Macr. 6. Sat. cap. 5.

Sanctusq; Delphis prognatus Pythius Apollo.

Tegyræ vrbis Plutarchus in vita Pelopidæ, vbi ait, cerni templum & oraculum Apollinis Tegyræi, & ἐνταῦθα μυθολογοῦσι τὸν θεὸν γενέσθαι. καὶ τὸ μὲν πλησίον ὄρος, Δῆλος καλεῖται: *ibi iuxta fabulas natum hunc Deum, cui loco finitimus est mons, dictus Delus.* Seruius in huius rei narratione priores vices nascendi & sortem lucis visæ Dianæ attribuit; quod ductum putat Germ. à superstitione Ægyptiorum: qui, vt ait Plutar. Sympos. 8. Problem. 1. τὸ σκότος τοῦ φωτὸς ἡγοῦντο πρεσβύτερον: *tenebras putabant fuisse priores luce.* *Diana cur nata ante Apollinem.*

4. Arcitenens] Sic dictus Apollo ab arcu. Næuius lib. 2. belli Punici,

Deinde pollens sagittis inclytus Arcitenens,
Sanctúsq; Delphis prognatus Pythius Apollo.

Hostilius lib. 2. Belli Histrici: *inuictus Apollo, Arcitenens, Latonius.* Accius in Astyanacte:

Vtinam vnicam mihi antistitam Arcitenens suam tuetur.

Homero κλυτότοξος, dicitur: *arcu inclytus,* & τοξοφόρος. sic & Diana *Dea Arcitenens* ab Accio dicitur hoc versu.

Quòd vtinam me suis Arcitenens telis mactasset Dea.

5. Oras et littora circvm errantem] *Delos olim errabunda.* Huius aut fabulæ, aut historiæ plures meminerunt. vnum tantùm adducam Plin. lib. 4. Hist. cap. 12. *Ipsaq; longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata, vt proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem.* Adi Strabonem, qui lib. 10. Geogr. eadem narrat ex

A Pind. Inde dicta & Delos communiore vocabulo, quòd tandem aliquando se stabilem videndam dederit, & minùs communi, Anaphe, quasi ἀναφανεῖσα ab repentino exortu. Extremum hoc in nonnullis reperi, nunc mihi ante oculos tantùm Philo Iudæus in lib. περὶ ἀφθαρσ. κόσμου. Ambigunt multi, an hæc, quæ de errante Delo produntur, referenda sint ad fabulas, an ad fidē historiæ. Strabo dicto loco ad primum videtur inclinasse, nam vbi id narrat, verbum adhibet μυθεύεται, *ferunt fabulæ.* Verba Plinij adducta, vetam historiam videntur attingere. Huic parti fauent similes casus. Petram Sarpedoniam, quæ ad Æmum montem Thraciæ, cuíque nomen dedit Sarpedō Rex Thraciæ, fluctibus semper agitari aiunt, quod præter alios, commeminit etiam Ritershusius in lib. 3. Hali- *Insulæ fluctuantes multæ.*

B eut. Opp. versu. 207. De Chemni insula idem ipsum testatur Herodotus lib. 2. quod quamuis ipse nō credat, adducit tamen Ægyptios, qui id frequenti sermone asseuerabant. Dionysius Halicar. lib. 1. de quadam insula: *Est instabilis, & in varias partes fluitat, vento eam modò huc modò illuc impellente.* De Cyaneis petris, quas etiam vocant Symplegadas, qui poëtarum non loquuti, præsertim illi, qui Argonautica scripserunt? quibus adiunge Herodotum lib. 4. & Ammianum lib. 22. qui ita: *Symplegades gemini scopuli in vertices vndique porrecti diruptos, assueti priscis sæculis obuiam sibi cum horrendo fragore collisis molibus ferri.* Neque abhorret quidpiam, quod ex oraculo Pythiæ, in huius opere Plutarchus scribit. Ad Sucronem Hispaniæ fluuium, vulgo Xucar, lacus est Vnna nomine, in quo *Symplegades.*

C errans insula, olim maior, nunc ipsa agitatione minor, vndis aliquid quotidie deterentibus, & exedentibus. Est nunc is lacus in ditione Marchionis de Cannete. Hanc insulam vidi ipse, neque hoc dubitare quisquam potest eorum, qui nunc viuunt. Vidi enim molem illam se per vndas agitantem. Materia insulæ tophacia est. An id in posterum æuum futurum sit, diuinare nostrum non est. Demum lege Plinij cap. 95. lib. 2. vbi catalogum adducit fluctuantium insularum. Ceterum consimilem apparentis subito Deli historiam habes apud Iustinum lib. 30.

6. Mycone celsa] Cur vocat *celsam*, quam contrario omnino epitheto afficit Ouid. 7. Met. *Mycon et celsa.*

Hinc humilem Myconem, cretosaq; rura Cymoli.

Ouidius (vt puto) respexit ad ipsam insulam facta

D comparatione cum reliquis Cycladibus quibus minor est, & humilior situ & spatio loci, tum etiam dignitate. Maro autem eandem insulam solùm comparat cum Delo, cuius facit descriptionem, quæ quandiu per mare errabat, necesse erat non errare solùm, sed interdum submergi fluctibus; quin ex eo dicta est Delos, quòd iam tandem apparuerit, & visendam se dederit. Itaque commodo epitheto afficitur Mycon, respectu Deli in mari latentis, & celsa appellatur, quòd supra mare esset, nec lateret in fluctibus. Hortensius attributum refert ad montem Dimastum, qui in ea insula.

7. Gyaro] Hanc insulam Philo in Flaccum vocat λυπροτάτην τῶν ἐν Αἰγαίῳ: *sterilissimam omnium, quæ sunt in Ægæo.* vt verò Poëta reuinxit, sic contrario

E verbo Statius 3. Theb. *reuello*, cùm ait:

—*ipsa tua Mycone, Gyaróque reuelli*
Dele times, magnique fidem testaris alumni.

Tale verò quiddam Thucydides lib. 3. de Polycrate Samiorum tyranno, qui Rheniam insulam catena quadam cum Delo illigauit. ῥήνειαν ἁλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον.

8. Immotam] ἀκίνητον. Herodotus in Erato tale oraculum narrat, Κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν: *Mouebo Delum, quamuis iam immotam.* Callimachus

in

in hymno ad Delum, eam vocat ἄτροπον, *immutabilem.* quia videlicet, ἀκίνητος, & ἄσειστος, vt ait interpres, *immota, inconcussa.* Addit idem interpres, & Θουκυδίδης σεισμὸν γενέσθαι μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι, φησὶν, ὅτι τοσοῦτον ἦν μέγας, ὥστε τὴν Δῆλον νῆσον σεισθῆναι: *Thucydides narraturus magnum terræ motum, ait, ita magnum fuisse, vt quati quoque potuisset Delos.* De eadem Delo, contrario verbo ἐκινήθη dixit Herodotus lib. 6. ab motu. Aristides oratione in Serapim ἀμφίρρυτον, quasi circumfluam. Sed hoc Poëta *errantem.* Idem Aristides oratione in Asclepiadas, Δῆλον φερομένην.

Anius. 9. REX ANIVS] Placitum huc conferre verba Cælij Rhod. lib. 7. Ant. cap. 15. ad finem, ait enim, *Staphylum Dionysij filium Rhœo filiam suscepisse quam Apollo compressit. id vbi resciuit pater coniectam in arcam demisit in mare. Illa verò diuinitus ad Eubœæ antrum appulsa, puerum peperit, ac Anium dixit, διὰ τὸ ἀνιαθῆναι δι' αὐτὸν, quia ob eam multam sensisset tristitudinem. Anium autem in Delum Apollo transtulit, qui & vxorem duxit Dorippen, ac genuit Oeno, Spermo, Elaida: quibus id impartiuit Dionysius, vt quicquid tangerent in triticum statim verteretur, & vinum, ac oleum, vnde dictæ Œnotropæ, quasi in nouas formas omnia vertentes.* Hactenus ille. Ex quibus nonnulla inuenies in Seruio recens edito. Anium Delo imperasse Dionys. etiam narrat lib. 1. & Troianos duce Ænea eò appulisse,

Ἐκ δὲ Παλλήνης ἄραντες οἱ Τρῶες εἰς Δῆλον ἀφικνοῦνται βασιλεύοντος αὐτῆς Ἀνίου: *ex Palena autem soluentes Troiani Delum aduenîunt, vbi Anius regnabat,* quem locum malè vertit vulgaris interpres, deceptus fortasse Græco codice, vbi, non αὐτῆς Ἀνίου, sed αὐτοῖς Ἀνίου, offendit.

Reges, & sacerdotes simul. 10. REX IDEM HOMINVM, PHOEBIQVE SACERDOS] Hoc loci Poëta Anium Deli insulæ Regem, sacerdotémque inducit. Seruatum hoc priscis gentibus, vt earum Reges, sacerdotes quoque essent. quod de Rege Romulo scribit Cic. lib. 1. de Diuinat. *huius vrbis parens Romulus, non solùm auspicato vrbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur.* Vbi latè probat Reges olim omnes, ac principes claruisse dignitate auguratus, quæ res semper ad sacerdotes pertinuit, & signatè ait principum liberos sex apud Romanos traditos in disciplinam Etruriæ populis, vt artem vaticinandi addiscerent, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis autoritate abduceretur ad mercedem, & quæstum. Dionysius etiam lib. 2. vbi describit constitutionem regni factam à Romulo, ita ait: *Ac regis quidem hæc munia eximia esse iussit, primum vt sacrorum & sacrificiorum principatum haberet, & omnes res diuinæ ac piæ per eum agerentur.* deinde latè persequitur, quæ pertinent ad ciuilem administrationem.

Non solùm hoc in vsu Romanis, sed aliis quoque, vt Palæstinis, vt Ægyptiis, &c. de Palæstinis Xiphilin. in Pompeio, ἦρχον δὲ αὐτῶν Ὑρκανός τε, καὶ Ἀριστόβουλος ἀδελφοὶ, καὶ ἐτύγχανον ὑπὲρ τῆς τοῦ σφετέρου θεοῦ, ὅς τίς ποτε οὗτός ἐστιν, ἱερωσύνης διαφερόμενοι· οὕτω γὰρ τὴν βασιλείαν σφῶν ὀνόμαζον: *Apud eos regnabant Hyrcanus & Aristobulus, fratres, qui de sui Dei, quisquis ille est, sacerdotio, sic eorum Regnum est appellatum, inter sese dissidebant.* Vide etiam de hac eadem re Iustinum lib. 36. loquentem de sacerdotibus & regibus Iudæorum. De Ægyptiis Plutarch. lib. de Is. & Osir. οἱ βασιλεῖς, καὶ ἱερεῖς ὄντες: *Reges, qui ijdem sacerdotes.* Inde est, vt aduocatis iam Regibus ab administranda religione, Reguli, auctore eodem Plutarcho, sacrorum, & religionis cu- *Reguli, qui propriè.*

A ram susceperint. Quæ nota Plutarchi vtilis est, interest enim iuuentutis scire, cur, qui sacris præsunt, dicantur Reguli Latinis Auctoribus.

Vittę, & Coronæ in re sacra. 11. VITTIS, ET SACRA REDIMITVS TEMPORA LAVRO] Vittæ, & coronæ vbique in re sacra inducuntur. Tacit. 4. Hist. *spatium omne, quod templo dicabatur, euinctum vittis coronisque.* Vetus inscriptio, *L. Aurelio sacerdoti vittato,* Lucanus lib. 1.

Vittata sacerdos.

Tertullianus etiam in libro de Corona Milit. *ipsæ fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi ministri, & sacerdotes Idolorum coronabantur.* Prudentius in Apotheos. de quodam sacrificulo:

Vittatus de more senex.

B De quercu, quæ gentilibus sacra, Ouidius 8. Metamorph.

Vitta mediam memoresq; tabellæ
Sertáque cingebant voti argumenta potentis.

ab Platone lib. 1. Reipubl. inducitur quidam sacrificans ἐστεφανωμένος, & ab Plutarcho de consolat. alius habens στέφανον. Dio Chrysostomus orat. 30. στεφανωσάμενος τῷ βωμῷ προσελθόντας. Æschines contra Ctesiphontem de quodam immolante bouem, etiam στεφανωσάμενος, & λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν, ab Aristophane in Pluto Phœbus dicitur loqui ἐκ τῶν στεμμάτων. Probant ista, tam vittas quàm coronas pertinere ad res sacras. Signanter autem & vittas, & coronas ex lauro Anio dat poëta noster, erat enim is habitus sacerdotum. Apud Valerium Flaccum, 4. Arg. *Sacerdotes cum vittis & corona.*
C Phineus,

———*vittas laurúmque capessit,*
Numina nota ciens.

Q. Fabius Pictor apud Liu. lib. 23. oraculum adit, & rem diuinam facit *coronatus laurea corona.* Obseruabis latere hîc elegantem Homeri imitationem. 1. Iliad. vittæ, & laurus insignia erant Apollinis, his se ornat instruítque Anius, vt reuerentiam sui incutiat animis Troianorum. Itaque apud Homerum Chryses sacerdos Apollinis, ipsius Dei insignibus & cultu ad Agamemnonem procedit, vt Apollinis reuerentia commotus Rex, sibi restitueret filiam Chryseïda. Quem ad locum Spondanus hunc Dictyis Cretensis adiungit ex versione Q. Septimij: *Per idem* *Vittę & laurus insigne Apollinis.*
D *tempus Chryses, quem sacerdotem Sminthij Apollinis suprà docuimus, cognito filiam suam Astynomen cum Agamemnone degere, fretus religione tanti Numinis, ad naues venit, præferens Dei vultus, & quædam ornamentorum templi eius, quo faciliùs recordatione præsentis Numinis veneratio sui Regibus incuteretur.*

12. IVNGIMVS HOSPITIO DEXTRAS] Apul. lib. 1. *iniecta dextra clementer me trahere adoritur,* Statius. 1. Theb.

Iam pariter coëant animorum in pignora dextræ.
& infrà:

———*Ambos*
Innectens manibus.

Dextera Fidei symbola. Hæc enim fuit Fidei symbola, vnde olim in auersa parte iconum duæ manus annexæ iungebantur
E ad significandam fidem, cuius hieroglyphici animus erat hemistichium hoc, itémque illud quod ex 8. Æneidos,

Accipe dáque fidem.

Liuius lib. 1. cùm loquitur de amicitia inter Herculem & Euandrum inita: *dextra Hercules data accipere se omen, impleturúmque fata, ait.* Sophoc. Ai. Flagell.

—εἰς χεῖρα τὴν ἐμὴν δεξιὰν φιλοφρόνως
θείς.

a TEMPLA Dei saxo venerabar structa vetusto.
b Da propriam Thymbræe domum, da mœnia fessis,
Et genus, & mansuram vrbem: serua altera Troiæ
Pergama, relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quoue ire iubes? vbi ponere sedes?
Da pater augurium, atque animis illabere nostris.

ARGVMENTVM.

Adoratio & preces Æneæ ad Apollinem Delium ex ritu vetere.

EXPLICATIO.

a VT itum ad templum Apollinis, procedit Æneas adorabundus. Hîc verba *venerabar*, &, *saxo vetusto*, signata sunt, & plena eruditionis, de quibus in Notis.

b Orationem hanc Æneæ mirè sibi in verbis respondentem ita explico. Da ô Apollo (cur hunc *Tymbræum* vocet dicam in Notis) domum, vbi sit genus nostrum: da mœnia, intra quæ sit vrbs. & domum quidem *propriam*, id est æternam, vt & vrbem *mansuram*. Primum pertinet ad priuatam vniuscuiusque, alterum ad publicam omnium vtilitatem. Itaque quãuis coniungat, *da domum*, *da mœnia*, non dubium, quin domus respiciat genus, mœnia vrbem. Pari innexu expendenda, quæ sequuntur. Qui enim petiuit domum ad retinendum genus, subiicit sibi respondens, *serua relliquias Danaûm, atque Achillis*. hoc enim quid est aliud quàm Troianum genus? qui petiuit mœnia ad vrbem, etiam consentaneè subiicit, *serua altera Troiæ Pergama*. Quæ deinde procedunt, eadem ratione sunt explicanda, hunc in modum: *Quem sequimur* Troiani? quò iubes ire Troianos? en genus: *vbi ponere sedes*? en vrbs & mœnia. Ergo,

Da pater augurium, atque animis illabere nostris.

quæ in verba Seruius, *cum intelligentia oraculum postulat.*

NOTÆ.

Apollo Delius colebatur absque sanguine.

1. VENERABAR] Necessaria hîc notitia antiquitatis, vt & Poëta explicetur, & Macrobij eruditio firmetur laudantis Virgilium ob mirandam doctrinam. In ara Apollinis Delij nullum animal mactabatur, tantùm ibi hic Deus colebatur supplicantium veneratione & precibus. Inde itaque signatè *venerabar*, nulla sacrificij mentione. Firmat hoc Macrobius & Cloatij & Catonis auctoritate. Ait prior lib. 2. Ordinatorum. *Deli ara est Apollinis* γεννήτορος, *in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram, velut inuiolatam, adorasse produnt.* Posterior de liberis
D educandis: *Nutrix hæc omnia faciebat in verbis, ac tubis, sine hostijs, vt Deli ad Apollinis Genitiui aram.* Et quidem (ait Macrobius) quem Cloatius γεννήτορα, Cato *Genitiuum*, Maro appellat *Pater*, in illis *Da pater augurium*. Adiungam ego ad Macrobium, quæ reperi. Clementis verba lib. 7. hæc sunt: *Antiquissimam aram in Delo sanctam vulgo iactarunt. Ad hanc autem dicunt solam accessisse Pythagoram, cæde & morte minimè inquinatam.* Cyrilli lib. 9. contra Iulianum hæc: *videre autem licet ex altari, quod adhuc apud Delon est, apud quod adhuc, quia nullum animal offertur, vel sacrificatur, piorum vocatum est altare:* εὐσεβῶν βωμὸν, ait ille. Pergo ad alios. Laertius lib. 8, ex Aristotele ita scribit: βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος, τοῦ γεννήτορος. Loquitur de
A Pythagora. id est: *Adorasse tantùm aram Apollinis Genitoris in Delo.* Et adiicit, ibi tantùm offerri farra, hordea, placentas, omnia citra ignem, & nihil victimarum. Tullius. 3. Nat. non credit, Pythagoram, bouem Musis immolasse, hac inductus ratione, *quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret.* Hinc est vt Callimachus hymno ad Apollinem scribat, huius Dei aras curatas floribus à Carneis. quo ipso sanguinem excludit. Vicina hæc sunt his, quæ de Paphia Venere scripsimus lib. 1. Æn.

2. VETVSTO] Putabat Velius Longus notari tantùm vetustatem ædificij: quod frigidum. Præferenda sententia Epaphi lib. 17. qui Delphis ait aliquando accidisse, vt templum religiosum antea & intactum, spoliatum incensúmque fuerit. Addítque multas circa Corinthum vrbes, insulásque proximas motibus
B terræ haustas fuisse: Delon verò neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sed semper eodem manere saxo. Idem docet Thucydides lib. 3. Hist. Sumpta sunt hæc ex Macrob. lib. 3. Satur. cap. 6. Idem asserit Seru. nouus, adducítque auctores & Theutrodem, & Cic. in Ver. cuius hæc sunt: *Tantáque vis huius religionis, & semper fuit, vt ne Persæ quidem cùm bellum toti Asiæ Dijs hominibúsque indixissent, & mille nauium classem Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere.* Ad gustum Maronis Silius lib. 13. Deli stas.

Fama est intactas longæui ab origine fani
Creuisse in medium.

Ita ad imitationem Virgilij emendat Modius. nullo enim sensu legebatur, *Fauni*. Nihil enim est Fauno cum Peronia.

C 3. PROPRIAM] Vocem hanc pro perpetuo & diuturno accipi, alibi firmo. Nunc tantùm exhibeo Accium in Medea, *Fors dominatur, neque vita vlli propria in vita est.* Propriũ perpetuũ.

Apollo Thymbræus.

4. THYMBRÆE] Apollo Thymbræus in campo erat Troiano, Strabo lib. 13. Geograph. ἔστι τὸ πεδίον ἡ Θύμβρα, καὶ δι' αὐτοῦ ῥέων ποταμὸς Θύμβριος, ἐμβάλλων εἰς τὸν Σκάμανδρον κατὰ τὸ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ἱερόν: *campus est Thymbra, quem Thymbrius fluuius interfluit, emittens se in Scamandrum, ad Apollinis Thymbræi templum.* Papinius quoque sic ad Apollinem;

Seu Troiam Thymbræus habes.

Sed roget quispiam, quare Apollinẽ Delium Æneas
D Thymbræum vocet? Memor quippe Troianæ calamitatis hoc facit, & putat fore vt Deus ipse vehementer commoueatur, nam in Thymbræo Apolline, qui erat apud Troiam, Troianorum ruinam repræsentat meliùs. & qui inter alia precaturus est, *Serua altera Troiæ Pergama*, rectè sibi videtur posse Thymbræum Apollinem nominare, qui apud eadem Pergama colebatur, prætermisso Delio, tametsi ad hunc oratio fieret, quasi in Thymbræo Apolline, Patrium Apollinem nominet, precetúrque. Scias ex Seruio huic Deo nomen datum à Thymbræ copia, quæ multa ad illud templum; quod iam Seruius.

5. DA MOENIA FESSIS] Illustrat hoc Germanus referens ad militiam ex Lucani loco lib. 1.

Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,

Quæ

Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis.

Nam & Budæus *fessis* explicat, τῷ στρατεύειν πεπαυμένοις, *à militia cessantibus.*

Achilli pro Achillis.

6. IMMITIS ACHILLI] Dictum ratione veteris declinationis, qua terminationem in, (*i*,) in huiusmodi nominibus, pro, (*is*, *i*) vsurpabant. Cic. 5. Fam. *Themistocli fuga*, sic enim habetur in veteribus exemplaribus, non Themistoclis. Et lib. 13. ad Attic. *Non vides ipsum illum Aristoteli discipulum*, pro, Aristotelis. & lib. 9. *Luccei consilia, ac Theophani persequamur.* & ibidem, *Ariobarzani filius*. pro, Theophanis, Ariobarzanis. Debemus horum locorum restitutionem diligentiæ P. Victorij, in Castigat. ad Cic. Non sanè ferendum, dici, dandi casum pro generandi positum: explicanda potiùs hæc loca ad eum modum, quo dictum à nobis est. 1. Æn. vbi habetur idem hemistichium. Ex occasione intellige voculam *frugi*. Cùm audis, *homo frugi*, *seruus frugi*. & talia, non est aduerbium, vt volunt Grammatici: sed vox substantiæ, nam Cicero, & Plautus, *bonæ frugi* dixerunt non semel. Prætereà est genitiuus pro *frugis* à recto frux. extrita est enim littera vltima ex more antiquo. Itaque *seruus frugi* est, seruus bonæ frugis. Apud Agellium *frugis bonæ* legi Budæus in Pandectis scribit. Seneca in Medea: *frugis infaustæ*.

Frugi, quid.

7. QVEM SEQVIMVR? &c.] Notauit Brissonius lib. 1. Form. his duobus versibus contineri formulas quasdam augurum, qui planè optabant petebántque à Diis, certa sibi, & clara, & prospera è cælo signa dari. aduocátque Dionysium lib. 2. & Liuium. 1. ille

A enim Romulum infert deprecantem Iouem, Deósq; alios quos duces, sibi fecerat coloniæ deducendæ, vt si volentibus ipsis, vrbem ipse moderaturus esset, σημεῖα οὐράνια φανῆναι καλὰ, *prospera signa è cælo apparerent.* hic autem augurem sic auspicantem inducit: *Iuppiter pater, si fas est, hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, Regem Romæ esse, vt tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines, quos feci.* Ex eodem ritu in 4. dixit Virgilius:

Adsis ô placidúsque iuues, & sidera cælo
Dextra feras.

Apollo Genitor, & Genitiuus.

8. DA PATER AVGVRIVM] Macrobius vbi suprà, Poëtam explicat, ex veterum doctrina, quibus hæc Deli ara dicta est Apollinis γενήτορος, *genitoris, patris.* (alij, & credo meliùs, γενέτορος) Ad quam rem B Cloatij testimonium aduocat, & Catonem, qui de Delio Apolline dixit *Genitiuum*. Adiice Flaccum lib. 5. *Phœbi Genitoris ad aram.* Sed & Patris nomen generale est omnibus Diis, præsertim in votis, vt hoc loco. & apud Liuium lib. 8. *Iane, Iuppiter, Mars pater.* Quò pertinent verba hæc Lactantij lib. 4. Diu. Inst. cap. 3. *Itaque, & Iuppiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & ceteri deinceps: quod Lucilius in Deorum concilio irridet.* versus Lucilij vide apud illum. In sententia hæsit fortasse Homero Iliad. vlt.

Pater de Diis omnibus.

Πέμψον δ' οἰωνὸν ταχὺν ἄγγελον:
Mitte alitem velocem nuntium.

Sed & extra vota, vt 8. Æn.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem.

[a] Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repentè,
Limináque, laurúsque Dei: totúsque moueri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.
[b] Submissi petimus terram, & vox fertur ad aures:
[c] Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
[d] Hîc domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

ARGVMENTVM.

Fit tremor terræ ante oraculum, pauent Troiani, & procumbunt: auditur vox Phœbi admonentis, repetendum solum antiquæ originis, vbi regnaturi Æneæ posteri.

EXPLICATIO.

[a] FVSIS precibus Æneæ, & ante auditum oraculum, tremunt omnia, videlicet *limina, laurus, mons, cortina.* Hæc eo puncto temporis tremuerunt, quo *reclusis adytis* edendum erat oraculum. Hoc enim dæmonis artificium fuit, vt semper cum strepitu audiretur, terrore, minis, vt pauefacti mortales aliquid inesse diuinum existimarent in his responsis. Inde voces ad terrorem *tremor*, & *mugitus*.

[b] Ab pauore secuta consternatio, submissi enim terram petunt, & ita oraculum excipiunt.

[c] Sequitur oraculum, quo monetur Æneas Italiam quærere, sed Italia non nominatur, tantùm adducuntur signa, quibus intelligatur Italia, ex more oraculorum, quæ nunquam rem apertè, sed cum dolo & ambiguitate signabant. Signa notatæ Italiæ

C sunt, primò vocari Troianos *Dardanidas* ab Dardano, qui ortum habuit in Italia. Deinde, dici, *tellurem primam*, & *matrem antiquam*, Vbi non est pleonasmus. Posset enim esse, prima, & non antiqua: ac rursum, antiqua, & non prima. Dicta hæc sunt propter eundem Dardanum. Tertiò elogium feracitatis, quod vnicè quadrat Italiæ: itaque non tam vt noui incolæ eò aduenient, quàm vt veteres & αὐτόχθονες, eò reducentur, ideo *accipiet reduces*. Vocem *duri* refer ad immensam laborum seriem, quibus Troiani vexati, afflicti, pressi. illud *prima ab stirpe parentum* habet caussam & effectum, ideo prima, quia ibi stirps parentum.

[d] Post laborem quærendi aderit quies. Nam ibi D erit *domus Æneæ*, intellige genus Cæsarum. Inde *dominabitur cunctis oris*. Hac promissione quid splendidius? præsertim si expendas illam attribui oraculo. Hæc verò tanta gloria in omnes posteros redundabit. hoc enim signatur extremo versu.

NOTÆ.

Tremor in oraculis.

1. TREMERE OMNIA VISA REPENTE] Hunc locum duci ex imitatione Callimachi Turnebus & Robortellus docent,

Οἷον ὅτ' Ἀπόλλων ἐσείετο δάφνη ὅρπηξ,
Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον.

Dicit,& Apollinis laurum concussam,& totum atriū. Addit verò interpres hoc fieri ἐπιδημοῦντος τοῦ θεοῦ, *Deo aduentante*. Seru. etiam *opinio est sub aduentu Deorum moueri templa.* qui mos affinis illi,quem explico lib.6. ad illud,

—visæq; canes vlulare per vmbram
Aduentante Dea.

In oraculo quodam Pindarus Od.4.Pyth.

Ἔπταξαν δ' ἀκίνητοι σιωπᾷ
Ἥρωες ἀντίθεοι:
Tremuerunt immoti cum
Silentio diuini heroës.

Hunc tremorem ad auguratam disciplinam refert Seruius recens editus opera P. Danielis, his verbis: *Hoc augurium iuxta auguratam disciplinam dictum est, quod appellatur tripudium Sonibium;id est,à sono:ad quod pertinet si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce diuina responsa perciperet.* Hactenus Seruius,cuius opera Scaliger & Festum explicat, & Plinium corrigit. apud quem lib. 15. cap. 22. malè legitur de nucibus iuglandibus,*cadendo tripudium sonúmve faciant*,cùm debeat,*tripudium soniuium faciant*. In ortographia video à multis variari. Huic gentilium vanitati affinis alia, qua ex tremore membrorum futura diuinabant. Hanc reprehendit August.lib.2. de doct.Christ.c.20. & Iustinus Mart. quæst. 19. Vide etiam Isidor.lib.8. cap.9.

Tripudium soniuium.

2. LIMINAQVE] Quare signatè *limina*? non domus,ædes,aut templum. Vide an aliquid lucis capiat hic locus ex his,quæ latè scribo.6.Æn. ad illud,

—tua limina adirem.

sentit enim primum omnium tremorem liminis, in quo substiterat oraculum auditurus, ideo prima huius mentio.etenim sacerdos Anius,licèt hîc nihil tale dicatur, penetralia adiit; cùm Æneas, aliíque ad limen restitissent: habet enim hic locus aliquam similitudinem, cum his quæ narrantur in eo libro.

3. LAVRVSQVE DEI]Anacreon.

Ἱερὸν γάρ ἐστι Φοίβου
Κιθάρη,δάφνη,τρίπους τε:
Est Phœbo sacra cithara,laurúsque,& tripus simul.

Laurus Phœbi.

Ouid.2. de Arte, sibi, ait, Apollinem apparuisse hoc habitu,

In manibus laurus,sacris inducta capillis
Laurus erat,vates ille videndus adest.

Sed ad explicationem Virgilij breuiter mos aperiendus. Hæc laurus, quæ tremuit, videtur ea fuisse,quæ consita aut ad aras,aut ad templum ipsum;veriùs ad aras, ex more veteri, quem satis me docet Euripides in Andromacha,eo loci,quo nuntij ore narrat,Neoptolemum interfectum in templo Apollinis,cùm insidiæ constitutæ essent ad laurum, quæ erat in ipso templo,eáque obtectæ.verba Tragici sunt,

Laurus iuxta aras Phœbi.

—ὡς πάρος χρηστηρίων
Εὔξαιτο Φοίβῳ. τυγχάνει δ' ἐν ἐμπύροις·
Τῷ δ' ξιφήρης ἆρ' ὑφειστήκει λόχος
Δάφνῃ σκιασθείς:

—vt ante oraculum
Precaretur Phœbum.erat verò inter ipsa holocausta,
Vbi clam positæ erant armatæ insidiæ,
Lauro obtectæ.

Vides quis locus lauro assignetur in templo. Iuuat locus eiusdem Tragœdiæ,

Ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ
Βόασε Κασσάνδρα κτανεῖν:
Quando ipsum apud diuinam laurum
Clamauit Cassandra occidendum.

A id est,Paridem. Hic mos tractus videtur ab eo,quem Plinius indicat lib.12. cap.1.vbi de arboribus loquēs ait: *Hæ fuerunt Numinum templa,priscóque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Maximus Tyrius Ser.38.de Celtis loquens, ἄγαλμα δὲ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς : *simulacrum Iouis apud Celtas est quercus alta*.Itaque arbores olim fuêre Deorum templa. inde religio lucorum processit,inde quæque arbos suo dicata Numini,*Ioui esculus,Apollini laurus,Mineruæ olea,Veneri myrtus,Herculi populus*, ait idem Plin credendum ergo in templis horum Deorum suam cuique satam arborem, sic laurus in templo Apollinis.Et cùm Thucydides lib.6. ait,excisas oleas phani, ὥστε ἐλαίας ἐκκόπτοντες τοῦ τεμένους: putemus illum loqui de templo Mineruæ. Aliquod vestigium religionis

Arbores olim Deorum templa.

B huius apud nos permansit,cùm adhuc arbores plantentur in vestibulis ædium sacrarum. Quod sine iniuria nostræ religionis assero : nam pleraque alia à gentilibus deriuata retinemus hodie , & retinuimus olim : veluti oscula sacrorum liminum ex Chrysostomo , & Februa lumina ex Nazianzeno. Qua in religione habitæ arbores liquidum ex ipsis gentilibus , atque etiam ex historia Sulpitij in vita Sancti Martini. Illius verba sunt cap. 10. *Dum in vico quodam templum antiquißimum diruisset* (Martinus)*& arborem pinum , quæ fano erat proxima , esset aggressus excidere;tum verò antistes loci illius,ceteráque gentilium turba cœpit obsistere , & cùm iidem illi,dum templum euertitur,imperante domino quieuissent, succindi arborem non patiebantur:ille eos sedulè commonere,nihil esse religionis in stipite.*

Arbores in magna religione.

C Ex superioribus lux datur Lucret. lib.1.

Pythia,quæ tripode ex Phœbi,lauróque,profatur.

Vbi *profari ex lauro*, est,quod Eurip. dixit. παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ, *loqui apud diuinam laurum* Nam qui referunt ad laurum,qua Pythia coronabatur, versus sententiam extorquent. repetit Luc. eundem versum lib.5.Pari modo capiendus Seneca in Oedip. per initia:*hoc me Delphicæ laurus monent.* Vbi sermo esse nequit de corona. Pari Cedrenus pag.250.vbi laurum in oraculo quodam reddito vocat μάντιδα. Non nego morem illum, quem vel ex Lucano probes lib.5. cuius versus adducam, quòd ad totam hanc partem Virgilij conducant.

—non rupta trementi
D *Verba sono,nec vox antri complere capacis*
Sufficiens spacium,nulláque horrore comarum
Excussæ laurus, immotáque culmina templi,
Securúmque nemus,veritam se credere Phœbo
Prodiderant.

Sed dico ex illo malè declarari Lucretium. Aristophanem quoque in Pluto de hoc tremore capiam.

Ἔχω τιν' ἀγαθὴν ἐλπίδ', ἐξ ὧν εἶπέ μοι
Ὁ Φοῖβος αὐτὸς Πυθικὴν σείσας δάφνην:

Habeo aliquam bonam spem,ex quo locutus mihi.
Phœbus Pythicam quatiens laurum.

ita vt sententia sit,ad loquentem Apollinem laurum tremuisse in ea terræ concussione,quæ comes semper fanti oraculo.

E 4. TOTVSQVE MOVERI MONS CIRCVM]Interpretes Cynthum capiunt,qui mons in Delo.Malim referre ad montem ipsum, vbi situm templum , ex more,quo veteres Deorum templa ponebant in locis editis.De quo more alibi.Hîc aperio imitationem Senecæ, qui totum hūc locum lustrauit,vt in Oedipita ipse scriberet ante editum oraculum:*Gemina Parnaßi niualis arx trucem sonitum dedit, Imminens Phœbea laurus tremuit, & mouit domum.*

5. MVGIRE ADYTIS CORTINA RECLVSIS]

In

Cortina, quid.

In explicando hoc loco insistam vestigiis viri docti A Gifanij in Collect. ad Lucret. Tripus erat vas ingens, tripodem tegebat cortina, quæ nihil aliud quàm integumentum & operculum tripodis; huc ascendebat Pythia editura oraculum, quæ ideo dicebatur loqui ex tripode. Aperit hoc Prudentius Poëta:

Delphica damnatis iacuerunt sortibus antra:
Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.

Hanc laminam, seu cortinam impositam tripodi Græci ὅλμον vocant, teste Polluce lib. 10. Græca signata ad rem sunt. τοῦ Δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ἡ προφῆτις, ὅλμος καλεῖται: *Delphici tripodis tegumentum, cui vates insidet, holmos dicitur.* Itaque cortina Prudentij, & ὅλμος, idem. Hinc lux ad Plin. lib. B 34. cap. 3. *ex ære factitauêre & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur.* vbi qui per *cortinas* capiunt pelues, non ita probè. Sunt enim Plinio, vt ex superioribus licet coniicere, cortinæ nihil aliud quàm integumenta illa tripodum. Hinc leuiter corrigebam Ammiani locum lib. 29. apud quem Hilarius ita loquitur, *Construximus, magnifici Iudices, ad cortinæ similitudinem Delphicæ, diris auspicijs de laureis virgulis infaustam hanc mensam.* vbi ex coniectura lego, non, *construximus* sed *contextimus.*

Cortinæ materia.

Obiter ex Plin. notetur materia cortinarum, erant illæ ex ære. Pergo vlteriùs. Inde est, vt vaticinans diceretur loqui ex mensa, ἐκ τραπέζης. tripus enim, superposita cortina, figuram mensæ habebat.

Tripus oraculi, quid.

Fit hoc probabilius ex materia tripodis, hic enim aureus. Interpres Aristophanis in Pluto. χρυσοῦς δ' ἦν C ὁ τρίπους, ὅτι τιμία ἡ ὕλη, καὶ οἱ ἀδόμενοι χρησμοὶ τίμιοι: *Tripus ex auro erat, nam materia hæc pretiosa. & pretiosa quoque oracula, quæ canebantur.* Itaque aurum, pretiosiorem materiam, tegebat æs, minùs pretiosa. Explicui, quid *cortina*, tendo ad alia.

Adyton.

Adyton erat crypta illa, seu, vt Hesych. ait, σπήλαιον, id est, antrum & locus subterraneus, vbi tripus collocatus erat; hoc aperto reddebantur oracula. Ergo ait Poëta, mugiit cortina, quæ super tripodem, mugiit verò tum, cùm adyta speluncæ recluderentur aperirentúrque.

6. SVBMISSI PETIMVS TERRAM] Imitatur phrasin Lucretianam lib. 1.

Muta metu, terram genibus submissa petebat.

& lib. 3.

—insequitur languor, terramq; petitus.

Pinsere terram.

D Notat Turn. ex Diomede, & Varrone, dictum ab Ennio *terram pinsere*, de eo, qui in genua cadit, eísque terram petit. quod Homero dictum ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ: *cepit terram manu.* Tu in Virg. obseruabis quiddam non vulgare.

Pauor, quid propriè.

Circuitu quodam pauorem descripsit.

Pauio.

Pauio veteribus fuit, percutio. *pauire*, percutere. *paucula*, instrumentum, quo solum quatitur. *pauimentum*, solum ipsum complanatum paucula. inde etiam

Oppuuia.

oppuuia, id est, flagella, quibus fit percussio. Ergo *pauor* est propriè, cùm is est metus, vt ἐμβροντητος quispiam terram percútiat, pauiátque. atqui nihil aliud est, *submissi petimus terram.*

6. ET VOX REDDITA FERTVR AD AVRES] Est hoc, quod Aristophanes in Vespis dixit φωνή με τις ἐγκεκύκλωται.

8. DARDANIDÆ] Animaduertenda prima hæc vox oraculi. Dardanus ortum habuit ab Italia, Teucer à Creta, vterque fuit parens Troianæ stirpis. Oracula cùm semper obscurè ederentur, aliqua tamen erat vox, quæ consultantem duceret ad intelligentiam. Inde ergo dicti ab oraculo Dardanidæ, non Teucri, vt scirent petendam esse Italiam, à qua Dardanus habuit originem; non Cretam, vnde Teucer. sed illi, minimè significatione vocis animaduersa, decepti sunt errore, putantes Cretam ab oraculo significari. expressi hoc ex Macrob. lib. 1. Som. Scip. cap. 7. qui addit hanc diligentiam adhibitam Virgilio ex perfectissima Homeri imitatione. Lege illum. mihi non multùm probatur in hac Homeri imitatione. Etenim, etiamsi nunquam fuisset locus ille Homeri, quem ille adducit, fecisset hoc Virgilius. Ceterùm ad locum istum, in quo ex ambiguitate oraculi fit deceptio, pertinet longa & erudita Tullij disputatio lib. 2. Diuin. refellentis superstitionem gentium, & probantis somnia non debere esse obscura, quia minimè consentanea maiestati Deorum.

Pares, quid.

9. A STIRPE PARENTVM] Libet hîc verba Caí adducere I. c. explicantis, quid intelligatur hac voce *Parentes* in L. appellatione parentis, de verborum & rerum significatione: *Parentis appellatione non tantùm pater, sed etiam auus, proauus, & deinceps omnes superiores continentur*, &c. Rectè itaque Poëta de superioribus Æneæ, & longè remotis ab eius æuo, dixit, parentes. Dardanus enim longè vltra tritauum erat. & lib. 5. Acestes dicitur fuisse,

———veterum non immemor ille parentum.

quo loci Troiani omnes intelliguntur. Huc pertinet vetus illa loquendi forma apud Latinos, qua Platonem Aristotelémque vocamus parentes, & principes Philosophiæ, qui valde remoti sunt à nostro seculo.

10. ANTIQVAM EXQVIRITE MATREM] Seruius per matrem *terram* accipiendam edocet, allusione facta ad historiam Bruti & Tarquinorum. ea obuia in Liuio. Sebast. Conr. in Com. ad Brutum Poëtam accipit de Italia. Nam & Plinius Italiam *parentem mundi* vocat, & Cic. lib. 9. ad Attic. *patriam antiquissimam & sanctissimam parentem.* Sed præstat tamen, si dicas respectum ad antiquitatem Dardani. hæc enim mês Poëtæ, non alia. Notat verò Germ. Poëtam soluisse παλαιομάτορα Euripidis.

Italia mundi parens.

Nati natorum.

11. ET NATI NATORVM] Ante Virgilium Homerus Il. 20. de eodem Ænea, déque eius posteritate.

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

quæ pene ad verbum conuertit Maro. Aut etiam Pindarum, qui Od. 8. Isthm. υἱὲς υἱέων. Consuluit verò claritati Romanorum, & in primis Augusti, cùm verba hæc magnifica oraculo attribuit, in quo etiam Homero hæsit, qui sua quoque Neptuno dedit vaticinanti posteritatem Æneæ. Similia fere habentur in hymno ad Venerem ore ipsius Deæ ad Anchisen:

Σοὶ δ' ἔσται φίλος υἱὸς, ὃς ἐν Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάονται.

Tibi erit charus filius, qui imperabit Troianis,
Et filij filijs omnino nascentur.

Demum apud Calab. lib. 13. Calchantis ore ad Græcos, ἐκ τοῦ δὲ γένος μετόπισθεν ἀνάξειν. quæ de Ænea dicuntur. Hinc illustro Aristotelis locum. 1. Polit. qui profectò Homero hærens scripsit: μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι: οὓς καλοῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε, καὶ παίδων παῖδας: *Maximè autem ex natura videtur pagus, colonia domus esse, quos vocant nonnulli eodem lacte altos, natósque, & natorum natos.* E Neque verò dissimulandum, quod de Ænea habituro Troianorum imperium Homerus canit, de Romanis esse intelligendum, non de Troianis. nam Strabo. lib. 13. qui locum hunc Homeri tractat, post adducta illius carmina sic subdit: τινὲς δὲ γράφουσιν, Αἰνείω γένος πάντεσσιν ἀνάξει, καὶ παῖδες παίδων, τοὺς Ῥωμαίους λέγοντες: *sunt qui scribant ac dicant Romanos intelligi per Æneæ genus dominaturum, pérque filios filiorum.* Rectè autem

monet Erasm. adagio, *Et nati natorum*, hunc esse prouerbialem loquendi modum, quo longam rei cuiuspiam propagationem significamus. Vnde & Aristophanes in Auib.

Δώσομεν ἡμῖν αὐτοῖς, παισὶ, παίδων παισίν:

Dabimus nobis ipsis, natis, ac natorum natis.

Idem probat ex loco Platonis .3. Leg. Omitto, & adiicio eiusdem Platonis locum lib. 4. Leg. vbi vsurpatam hanc verborum formam παῖδας παίδων, illam refert ad ἀθανασίαν, *immortalitatem*. Quidpiam etiam simile lib. 6. Legum. & lib. 2. de Rep. signans æternas inferorum pœnas eandem formam inducit. In Strabone lib. 6. hæc forma non videtur sumi prouerbialiter, cùm ait Phraatem Regem dedisse Augusto in obsides παῖδας παίδων. Non enim omnem posteritatem intelligit, sed tantùm filios, & nepotes. Ex dictis illustrabis illud 4. Georg. de apiculis,

—& aui numerantur auorum.

[a] Hæc Phœbus: mistóque ingens exorta tumultu
Lætitia: & cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt:
Quò Phœbus vocet errantes, iubeátque reuerti.
[b] Tum genitor veterum voluens monimenta virorum,
Audite, ô proceres, ait; & spes discite vestras.
[c] Creta Iouis magni medio iacet insula ponto:
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ.
Centum vrbes habitant magnas, vberrima Regna:
[d] Maximus vnde pater (si rite audita recordor)
Teucrus Rhœteas primùm est aduectus ad oras:
Optauítque locum Regno. nondum Ilium, & arces
Pergameæ steterant: habitabant vallibus imis.
[e] Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiáque æra,
Idæúmque nemus: hinc FIDA silentia sacris:
Et iuncti currum Dominæ subière leones.
[f] Ergo agite: &, DIVVM ducunt qua iussa, sequamur.
Placemus ventos, & Cnossia Regna petamus:
Nec longo distant cursu: modò Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.

ARGVMENTVM.

Exultant omnes ad vocem Phœbi. Anchises oraculum de Creta capit deceptus & Teucri incunabulis, quæ in ea insula; & terræ eius vbertate: persuadétque illuc transmittendum.

EXPLICATIO.

[a] POësin suam variis affectibus Poëta discriminat. quos ante oraculum pauidos, iam post illud exultabundos vides. hæ peripetiæ mirè alliciunt lectorem. Fuit itaque *ingens lætitia*, & hæc non se intra pectus continens; sed cum omnium *tumultu*. nam simul *cuncti quærunt* (en tumultus) *quæ sint ea mœnia, quò Phœbus errantes vocet*, id est, reuocet, *quò iubeat reuerti*, respicit quippe ad vocem *reduces*, qua vsus Phœbus.

[b] Ex magno decoro dantur Anchisæ, quæ pertinent ad cognitionem vetustatis. Ideo inducitur *voluens monimenta veterum virorum*. Præclarè verò senex ad iuuenes, *discite spes vestras*, quibus ipse destituitur iam capularis, & pene ad ostium.

[c] Adhibet Anchises argumenta, quibus ipse putauerit oraculum capiendum de Creta. Oraculum, si consideres, duas præsertim continuit notas, videlicet, eam esse terram petendam in qua esset prima stirps parentum, deinde quæ feracitate præpolleret. Ergo Anchises, Cretam (ait) Phœbus iubet, quæ est in medio ponto, nam ibi *mons Idæus, & cunabula nostræ gentis*, en stirps prima. Ibi *vrbes magnæ centum, & regna vberrima*, en feracitas.

[d] Posuit strictè stirpem, iam latè explicat. ibi (ait) natus est Teucrus, inde ad nos aduectus est, eligens sibi locum futuro regno. Nam tum, cùm ille aduenit, nondum Ilium erat, nondum Pergamus Ilium muniens, nam *habitabant imis vallibus*.

[e] Posuit strictè feracitatem, iam & hanc latè explicat. Cybele, quæ est Dea vrbium, in Creta culta est: ibi æra Corybantum: ibi Idæum nemus, vbi habita hæc sacra: ibi fida in sacris silentia mirè & ritè seruata: vbi leones subiere currum Cybeles. ibi gesta hæc omnia, & inde ad nos translata. Hæc, vt dixi, ad feracitatem pertinent, nam Cybele vrbium Dea nullam sedem commodiorem sibi potuit eligere ad sua sacra, & ad suos Corybantes, quàm eam insulam, vbi tot vrbes amplæ, numerosæ, vberes. Hac luce Virgilium illustrauimus, ne videatur loqui sine ordine: confertio enim non est huius vatis.

[f] Sequitur conclusio totius sermonis, qua hortatur ad cursum, primo ab necessario, & honesto, *Diuûm ducunt quà iussa, sequamur.* Hoc vt rectè fiat: *Placemus ventos* sacro aliquo, & sic *petamus regna Gnosia*. Deinde à facili, *nec longo distant cursu*, præsertim fauente Ioue, sic enim tertia ab hinc luce Cretam attingemus. Sunt, qui hîc lucem non capiant pro die, sed propriè. Nam qui permensi ea maria, experti sunt biduo perfici cursum illum vento aspirante, vt dicat Anchises: biduo perficiemus cursum, ita vt ad exorientem diei tertij lucem ibi simus.

NOTÆ.

1. CRETA IOVIS] Iouem in Creta natum, certum est, ideo Creta dicta eius insula, & ipse Creticus. Minutio Felici: *Mars Thracius, vel Iuppiter Creticus, vel Iuno Argiua.* à Cicerone de Nat. Deorum *Cretensis*, vt est etiam apud Lactantium lib. 1. cap. 11. Sed sciendum, rem hanc incertam, vt pleraque fabularum. Nam Demetrius Scepsius, vt est apud Scholiastem Apollonij lib. 3. tradit, Phrygas Iouem apud se natum & educatum contendere cum Cretensibus, & Arcadibus. ex qua fabula Delrius in Troad. Sen. lucem dat Propertio lib. 3. el. 1.

Iuppiter Creticus.

Iouis incunabula, vbi.

Idæum Simoënta, Iouis cunabula parui.

Lege Pausaniam in Arcadicis, & Messenicis, apud quem vtraque hæc gens sibi vendicat natales Iouis.

B

Creta in medio mari.

2. MEDIO IACET INSVLA PONTO] Homerus Odyss. 19.

Κρήτη τὶς γαῖ' ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

Creta tellus est medio in nigro ponto.

Ab Homero Aristides in Cyzicena, de eadem Creta ait κεῖται μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ. De illa Mela lib. 2. c. 7. *in medio mari ingens.* Qui legat Strabonem lib. 10. planè nouerit, cur ea dicta esse in medio maris. numerat enim quæ maria hinc inde alluant.

Ida Cretæ.

3. MONS IDÆVS VBI] Montem hunc in Creta omnes agnoscunt, & Virgilius ipse in 12.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Plin. lib. 4. cap. 12.

Montes, Cadiscus, Idæus, Dictæus, Morycus.

Cretæ vrbes centum.

C

4. CENTVM VRBES HABITANT MAGNAS] De centum vrbibus Cretæ plurima mentio. Homerus. 2. Il. Κρήτην ἑκατόμπολιν. Eundem numerum retinent Philostratus in Heroicis, Plinius, Lucanus, Seneca Tragicus, Papinius, Ouidius, Solinus, Pomponius, Horatius non semel, parco aliis. Sed Homer. idem Odyss. 19. eidem dat vrbes ἐννενήκοντα, *nonaginta.* Dissidium conciliat Didymus, & ait numerum centenarium pto incerto positum. Ephorus Poëtæ inconstantiam refert ad tempora, quæ secuta post Troianum bellum, nam ante illud ait, tantum fuisse in Creta vrbes nonaginta, sed post illud, decem additas à Doriensibus: Dicebant alij, decem vrbes deletas ab hostibus Idomenei. vide, quæ in hanc sententiam scribat Strabo lib. 10. illud certum, neminem esse, qui centum vrbes, commemoret: facturus aliquis, si verè essent centum. Plin. dicto loco, quadraginta nominatim commemorat, additque sexaginta aliarum memoriam exstare. ex quibus ait Strabo tres fuisse omnium μεγίστας καὶ ἐπιφανεστάτας, *maximas, & illustrissimas*, videlicet Cnosson, Gortynam, Cydoniam. Solinus hunc principatum sex vrbibus attribuit, addens tribus Strabonis tres alias Theragnem, Cyteum, Lisson.

Cretæ vbertas.

5. VBERRIMA REGNA] Ad hoc pertinent verba hæc Solini cap. 16. *Nonnulli etiam à temperie cæli μακαρόνησον appellatam prodiderunt*, est verò μακαρόνησος *felix ac beata insula.* Et hæc item Plinij lib. 25. cap. 8. loquentis de Dictamno: *procedente persuasione illa, quicquid in Creta nascitur, infinito præstare ceteris eiusdem generis alibi genitis.* Facilè in hanc opinionem venerit, qui legerit Strabonem lib. 10. Homerus Odyss. 19. καλὴ, καὶ πίειρα, *pulchra, & pinguis.*

E

Rite signat ordinem.

6. RITE] Bene aduertit Passerat. hac voce signari hîc ordinem, vt in Catull.

Manes carpebant rite laborem.

& in Horat.

Rite crescentem face Noctilucam.

In quibus locis frustra ad religionem confugias.

Teucri historia.

7. TEVCRVS] De Teucro sic fermè Seruius re-

A

cens, (inuitus hæc, sed postulat hoc ratio commentandi) Trogus, alij etiam Teucrum filium faciunt Scamandri: cùm verò Scamander, Creta frugum inopia laborante, cum parte tertia populi profectus esset ad quærendas sedes exteras; monitus est ab Apolline, ibi eum habiturum sedes, vbi noctu à terrigenis oppugnatus esset. Cùm ad Phrygiam venisset, & castra posuisset, noctu mures arma corroserūt. Scamander interpretatus hos esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia posuit: mox cùm aduersus Bebrycas bellū gereret, lapsus in fluuium Xanthum, non comparuit; Regnúmque traditum est Teucro eius filio, qui ciues suos à se Teucros vocauit, qui pòst à Troo Troiani dicti: templum etiam Apollini constituit, quem Sminthium appellauit, nam Cretenses murem Sminthium dicunt. Alij nulla facta Scamandri mentione, tantùm Teucri, hunc dicunt, ex oraculi conditione Creta profectum, vrbem & templum condidisse. Sic fere ille, cuius, quæ ad oraculum, profectionem, & Sminthium Apollinem pertinent, firmant verba hæc Strab. lib. 13. Geographiæ: *Teucris è Creta profectis, datum erat oraculum, ibi eos sedem posituros, vbi terrigenæ eos adorirentur, id circa Amaxitum dicunt contigisse, maximámque agrestium murium multitudinem exortam, quidquid armorum & vtensilium inuenissent, corrosisse, Teucros ibi mansisse, atque Idam ab Ida, quæ in Creta est, appellasse:* ex hac fabula cognomen inuenisse Apollinem Smintheum, cuius magna fuit apud Troianos religio: fingique hunc Deum pede murem prementem, auctor est idem Strabo, & Heraclides Ponticus.

Apollo Smintheus.

Rhœteū oppidū, & promontorium.

8. RHOETEAS] Rhœtei oppidi Troadis, & promontorij meminit Strabo eodem libro. Vt de oppido, ῥοίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ: *Rhœtæum vrbs in colle sita*, & Liuius lib. 37. *Dardanum primum, deinde Rhœtæum, vtraque ciuitate obuiam effusa, venit.* Vt de promontorio tam ipse Strabo, quàm alij sæpe.

Opto, pro, eligo.

9. OPTAVIT] Hæc vox pro, elegit, vsurpata multis, & fortasse nullum verbum in declamationibus Quintiliani frequentius. Inde optio, quæ Græcis αἵρεσις. Ad simplicis significationem alludunt *coopto*, & *adopto.*

10. NONDVM ILIVM, &c.] Hic per imas valles intelligo montium radices, quæ respectu eorum apparent valles: idque deduco ex Strabone, qui lib. 13.

D

Geog. Platonis narrationem adducit, eámque Homerico testimonio confirmat. Nam post diluuium tria viuendi genera adducit Plato, Primum in ipsis montium cacuminibus, metu videlicet aquarum. huius rei exemplum obtinet Oenotrius apud Dionys. Halicarnass. lib. 1. verba Scriptoris de illo sunt: *vrbes paruas, & crebras in montibus condidit, qui mos condendi veteribus familiaris fuit.* Et Cyclopes, qui Odyss. 9.

Vrbium tria genera.

——ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα:

——celsorum montium habitant cacumina,

Hinc obiter elucet idem ipse Maro in hoc eodem lib. inf. qui de Cyclopibus:

Et altis montibus errant.

& mox,

Summo cùm monte videmus

Ipsum inter pecudes vasta se mole mouentem

Pastorem Polyphemum.

quam rem aliquoties repetit. addit Matron parodus apud Athen. lib. 4. Cyclopes natos in montibus fuisse,

Τοὺς δ' ὁ κύκλωψ φιλέει, καὶ οὔρεσιν ἐξεπεφύκει:

Quos amat & Cyclops altis in montibus ortus.

Scio aliter carmen hoc Græcum legi ab Iosepho Scaligero; diuersa omnino sententia. Alterum in mon-

A tium radicibus, cùm iam magis auderent, cuius rei exemplum sustinet Dardanus Iliad.20. qui ædificauit Dardaniam, & cum eo Troiani,

ὑπωρείας ᾤκεν πολυπιδάκε Ἴδης·

Submontana habitabant Idæ fontosæ.

& certè ὑπωρείαν radicem montis, aut submontanum debere reddi, testes sunt fidelissimi & doctissimi Græcorum interpretes; hoc dixi, nam est, qui ὑπωρείαν accipiat fastigium montis. Tertium demum genus est, eorum qui iam à radicibus recesserunt, & sese crediderunt campis, qualis fuit Ilus, qui Ilium in campo ædificauit, quam rem probat quoque idem Strabo ex Iliad.λ. Ergo ex hac triplici ædificandi ratione, Poëtæ sermo procedit de duplici posteriore. ait enim, tum temporis radices montium habitatas, non plana camporum. nam hoc est, habitatas imas valles, antequam in plano Pergamum ædificatum fuisset. Nam B qui contraria sententia Poëtam capiunt, dicentes, priùs ab Iliensibus imas valles habitatas, deinde radices montium, quæ altiores sunt, videant turbari ordinem, quem adduxi, qui ab diluuio perpetuò seruatus. Fatebuntur etiam necessariò non intellectum à Virgilio locum hunc Homeri lib.20. Il.

—ὄπω Ἴλιος ἱρὴ

Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο, πόλις μερόπων ἀνθρώπων.

Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεν πολυπιδάκε Ἴδης·

—*nondum Ilios sacra*

In campo structa erat multarum gentium ciuitas;

Sed ad radices montis Idæ fontifluæ habitabant.

Neque hunc Platonis.3.Leg. κατῳκίσθη δὴ φαμὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν εἰς μέγα τε, καὶ καλὸν πεδίον Ἴλιον: *conditum est* C *Ilium, vt dicebamus, ex locis editis in magno pulchróque campo.* Vbi signata præpositio ἐκ, ad significandum ex locis altioribus translatum ædificium ad plana. Ergo ait Poëta: Nondum arces Pergameæ steterant in plano, sed habitabant in radicibus montium. Sed has radices, *valles* appellauit, reddens ea voce Homericas ὑπωρείας. Nam, vt dixi, radices istæ possunt valles appellari cum relatione ad montium cacumina. Ita necessariò explicandus Poëta Homerico & Platonico ductu. Nam quamuis aliud videatur dicere, sed non ita vt cogat. Obiiciet aliquis, Troiam illam, quæ extremo est condita, fuisse in loco excelso, vt apparet ex Homero, & Philostratus Iunior dixit in Iconibus, πόλις αὐτὴ Ἴλιος ὀφρύεσσα καθ' Ὅμηρον: *vrbs Troia, iuxta Homerum superciliosa est*, & Poëta ipse, D

—*scandit fatalis machina muros.*

Facilis est exitus. Non sanè pugnat contra rationem plani vertex aliquis. Nunc enim infinitæ terrarum vrbes sitæ in plano sunt, quibus tamen inest fastigium aliquod. Errabit sanè, qui in hac re confugiat ad mathematicas dimensiones.

11. HINC] Bis repetit hanc voculam. Libentiùs legerem in vtroque *hic.* Iuxta sententiam, quam expendi, & explicui.

Cybele mater magna. 12. MATER] Orpheus in hymnis.

Μήτηρ μέν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων,

Mater Deorum, ac mortalium hominum.

Dicitur etiam, μεγάλη μήτηρ, *magna mater.* Lucretius lib.2.

E *Quare magna Deûm mater, materque ferarum,*

Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.

Græci Pasitheam vocant, quòd nimirum esset πᾶσι θεοῖς μήτηρ, *omnibus Deis mater.* Magna mater sic fingitur à Martiano: *Grandæua corpulentaq́ mater, quamuis fœcunda circumfusaq́ partibus, tamen floridam discolorémque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus gemmarum metallorúmque census, atque omnium prouentus, fruguḿq́, & sationum, larga admodum vbertate ferebantur.* Eius sacra μητρῷα dicta, & μητρίζειν, ea obire.

13. CVLTRIX] Achilles Statius in Catull. ait, Cybelem dici cultricem, id est, versantem in montibus, sicut Catullus ipse est locutus,

Vnigenamq; tuam cultricem montibus Idæ,

aitque Seruium aliena ab hoc loco comminisci.

14. CYBELE] Vnde dicta sit Cybele lege Lilium 4. Syntag. Sanctum Augustinum lib. 7. ciuitatis.

15. CORYBANTIAQVE ÆRA] Corybantes ministri fuerunt Cybeles. Hi sonitu cymbalorum sacra Deæ huius peragebant. Inde κορυβαντιᾷν *furere*, ac insanire, & diuino furore percelli. Origo Cymbalorum hæc esse traditur. Corybantes adhibiti sunt custodes Iouis cùm is infans, ne eius vagitus audiretur patri Saturno. Minut. Felix: *Quæ Iouis sacra sunt. Nutrix capella est, & auido patri subtrahitur infans, ne voretur: & Corybantum Cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.* Inde est, vt κορυβαντιᾷν etiam pro *vigilare*, accipiant, quia hi patentibus oculis dormiebant, cùm custodiebant infantem Iouem. De qua re adiungo locum Plinij lib.11.cap.37. *Oculis patentibus lepores dormiunt, multiq́ hominum, quod Corybantian Græci dicunt.* Qui genus & nomina Corybantum volet, adeat Lilium.1. Syntag. & Cæsarem Calcagninum in Dialogis, quibus titulus est, Equitatio, vbi latè & doctè; tum etiam Natalem, aliósque, qui obuij. Corybãtes.

16. HINC FIDA SILENTIA SACRIS] Pythagoricum & Ægyptiorum dogma fuit, Deum colendum taciturnitate & silentio; à quo sunt rerum primordia. Sacrorum omnium ita fuit peculiare silentium, vt Ægyptij Harpocratem, ex Osiride & Iside natum voluerint, vt Plutarchus scribit, taciturnitatis Deum, de quo Deo vide quæ latè scripsit Politian. cap.8.3. Miscel. & Pamel. in Tertulliani Apologeticum. De sacris Triptolemi Pausan. Att. *Quæ intra sacrum parietem seruantur, scribere somnio prohibemur: eorum enim aspectu non tantùm ijs qui initiati non fuerint, interdictum est, verumetiam, ne percontari quidem, aut audire fas quicquam est.* Alcibiades damnatus est, quòd Cereris mysteria euulgasset. Æschylus, quòd in tragœdia quadam visus esset eadem enuntiare, in theatro pene discerptus est. Inde est, vt sacra veteribus ἀπόρρητα dicerentur. Ad Virgilium allusit Ausonius Paulino: Silentium in sacris.

Sed tu, iuratis velut alta silentia sacris

Deuotus teneas, perstas in lege tacendi.

Philostrat. lib.1. in vita Apoll. καὶ ὥσπερ ἐν μυστηρίοις σιωπῶν: *& tanquã in mysterijs tacebant.* Plut. περὶ ἀδολεσχίας, de loquacitate, τοῦ μὲν λέγειν, ἀνθρώπους, τοῦ δὲ σιωπᾷν, θεοὺς διδασκάλους ἔχομεν. ἐν τελεταῖς καὶ μυστηρίοις σιωπὴν παραλαμβάνοντες: *loquendi homines magistros habemus, tacendi Deos, ab illis silentium accipientes in initiationibus, & mysterijs.*

17. ET IVNCTI CVRRVM, &c.] Cybele terrarum omnium Dea curru vehi dicebatur, quia mundus rotatur & volubilis est. Eidem subiugabantur leones, quia materna pietas omnia potest superare. sic Mythologici. Ouid.4. Fast. causam reddit his versibus: Cybele curru vecta.

—*cur huic genus acre leonum*

Præbeat insolitas ad iuga curua iubas.

Nimirum feritas quoniam mollita per illam

Creditur: id curru testificata suo est.

Causam aliam adducit Macrob. lib.1. Satur. cap.21. aliam item Lucret. lib.2. Historias Heliogabili apud Lampridium, Marci Antonij apud Plinium, adi ipse.

18. DOMINÆ] Apta ad hunc locum verba. Seru. Petri Dan. *dominas Deas dicunt, vt alibi:* Domina, pro Dea.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Sanè dominam propriè Matrem Deûm dici, Varro & ceteri affirmant:

-affirmant, nam & ibi Proserpinam ideo à Virgilio dominam appellatam, quòd ipsa terra esse dicatur, sicut & Mater Deûm. Plato Leg. ε. Terram, & Patriam θεὸν δέσποιναν vocat *Deam dominam*, quod notauit Germ. vnde propriè (ait Briss. lib. I. Form.) Ouid. locutus est. 4. Fast.

Almonis dominam, sacraq; lauit aqua.

Sacra ante nauigationem.

19. PLACEMVS VENTOS] Nunquam veteres se mari committebant sine hoc munimine. Quod vberiùs postea Poëta, & ego ibi. Nunc subiicio verba Iustini lib. II. qui de Magno Alexandro: *Priusquam vlla nauis littore excederet, hostias cadit.* Alludit verò Poëta vel ad διαβατήρια, erant hæc sacra, quæ pro felici maris traiectu peragebantur, de quibus credo à me dictum: vel ad ἡγεμόσυνα, erant hæc sacrificia quædam, quæ alicui Deo persoluebantur pro felici ductu itineris. Horum mentio est in Xenophonte lib. 4. ἀναβ. vbi ἡγεμόσυνα fiunt Ioui, Herculi, Diis aliis.

Cnossos princeps vrbium Cretæ.

20. CNOSSIA REGNA PETAMVS] A principe omnium vrbe totam insulam indigetat, nam ab Strabone Cnosso datur principatus omnium vrbium Cretæ. De Cnossi ortographia constans apud plerosque inconstantia: aliis duplicantibus mediam consonantem, aliis simpliciter scribentibus. In correctissimo Strabone duplicatur. in argenteis numis, admonente Vrsino, simplex reperitur, ad hunc modum alij. Par inconstantia in prima littera, vt etiam in Cnæo, aut Gnæo: Caieta, aut Gaieta.

Fauor Numinis:

21. MODO IVPPITER ADSIT] Euitat hoc ipso temeritatem, quia nemo sibi quicquam potest polliceri, nisi adiuuante Numine. Sophoc. in Aiace Flagell. connumerans nuntij ore causas furiarum, quibus à Minerua Aiax agitatus est, hanc inter alias adducit,

—θεοῖς μὲν κἂν ὁ μηδὲν ὢν ὁμοῦ
Κράτος κατακτήσαιτ'· ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
Κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος.
Τόσον δ' ἐκόμπει μῦθον:
—*cum Dijs etiam ignauissimus*
Victoriam obtinere possit: ego verò & sine
Illis confido hoc apprehensurum me esse decus.
Talem iactabat orationem.

a Sic fatus, meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
b Fama volat, pulsum Regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaq; littora Cretæ
Hoste, vacare domos, sedesq; astare relictas.
c Linquimus Ortygiæ portus, pelagoq; volamus:
Bacchatamq; iugis Naxon, viridémque Donysam,
Olearon, niueamq; Paron, sparsasq; per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.
d Nauticus exoritur vario certamine clamor:
Hortantur socij Cretam proauosq; petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

ARGVMENTVM.

Fiunt sacra ante cursum, ad quem etiam accendit milites fama pulsi è Creta Idomenei: ergo soluunt è Delo, legunt Cycladas, perueniunt ad Cretam.

EXPLICATIO.

a PArat Æneas ante iter militem suum sacrificio, vt cursus sit felix. Ergo, *mactauit honores meritos aris*, id est, sacrificia consentanea cuiusque Dei aris. Nam *Neptuno taurum mactauit*, taurum etiam Apollini, *Hyemi nigram pecudem*, *albam zephyris felicibus*. Sunt ista cuique horum numinum sacra consentanea, & merita.

b Pertinent hæc ad excitandam alacritatem in animis militaribus. Nam quî Troiani Cretam irent, ibi Græco hoste dominante? Deinde hac ipsa fama pulsi è Creta Idomenei, firmatur, quod Anchises dicebat, oraculo Cretam intelligi, quasi Dij eo ipso locum pararent Troianis venturis. Placet verò distinctio hæc, vt legas Cretæ littora deserta esse hoste, non, hoste vacare domos. Ait, Idomeneum cessisse regnis paternis, quia in Creta pater Idomenei regnauerat.

c Hac fama excitati milites Delum protinus relinquunt, pelago non tam nauigant, quàm volant. Cursum tenent celerrimè per medias Cycladas (harum Poëta quatuor tantùm adducit nomina, Naxi, Donysæ, Oleari, Pari; tres earum consentaneo, vt cuiusque est natura, attributo afficiens) pérque illa non tam maria, quàm ex tot interiectis insulis *freta*. Cur hæc dicantur *concita* postea explicabo.

d Nautæ suo se celeusmate (nam hoc est, *clamor nauticus*,) exhortantur in cursu, vsurpato sæpius Cretæ nomine, & proauorum, ad quos irent. Ventus felicissimus fuit, nam hic *à puppi*, & tandem tranquilla admodum nauigatione, (nam hoc signat verbum *allabimur*,) ad Cretam perueniunt.

NOTÆ.

Honor pro sacrificio.

1. HONORES] Bene & ex more veterum. honor enim pro sacrificio à poëtis vsurpatur. Virg. 1. Æn.

—*haud equidem tali me dignor honore.*

Vbi Seruius. *honore, id est, sacrificio.* Inde Silius signato verbo lib. 12.

Sternunturq; Ioui, & delubrum sanguine honorant.

Ita & Græci. Aristides in Panathenaica, περὶ μὲν δὴ γένους, καὶ τροφῆς, καὶ τῶν ἐκ θεῶν τιμῆς: *Hactenus quidem de origine Deorum, cibo, honore.* Hæc de nomine: de re adi

Xenoph.

Xenoph. ad exitum lib. 3. Anab. vbi fiunt sacra, vt feliciter via ituris succedat. Et lib. 4. ante expeditionem quandam, οἱ μάντεις ἐσφαγιάζοντο: *vates sacrificabant*. quo facto amnem traiiciunt.

Taurus immolatur Neptuno. 2. TAVRVM NEPTVNO] Versus Homericus lib. 11. Il.

Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι:
Taurum Alpheo, taurum Neptuno.

Homerus non solùm tauros sacrificat Neptuno, sed addit παμμέλανας, *valde nigros*. sic enim Od. 3.

Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ:
Tauros valde nigros Neptuno, cui cæruleus crinis.

scribit autem interpres *tauros, propter maris violentiam: nigros, propter aquæ colorem, ex mari profundo*. Græca sunt. ταύρους μὲν διὰ τὸ βίαιον τῆς θαλάσσης, μέλανας δὲ διὰ τὴν χροίαν τοῦ ὕδατος τὴν ἐκ τοῦ βάθους. Idem fere scribit Phornutus. Pindarus in Olympiis illi ascribit taurum ἀργὸν, quod alij interpretantur album à maris spuma, alij nitentem, alij velocem. Adeundus Lilius 17. Syntag. Secunda, aut tertia explicatio Pindari idonea, nam prima Homero repugnat, qui Neptuno tauros dat παμμέλανας. sed & taurum solitum Neptuno sacrificari ex Briss. monet Germanus adducto Plutarchi testimonio in Symp. vbi, χρησμοῦ δὲ γενομένου τοῖς οἰκίζουσι Λέσβον, ὅταν ἕρματι πλέοντες προσκύρσωσιν, ὃ καλεῖται μεσόγειον, τότε ἐνταῦθα Ποσειδῶνι μὲν ταῦρον, Ἀμφιτρίτῃ δὲ καὶ Νηρηΐσι ζῶσαν καθιέναι παρθένον. sententia est, *oraculum datum Lesbiis, vt ibi tum Neptuno taurum dimitterent, Amphitritæ & Nereidibus viuam virginem, vbi nauigantes inciderent in scopulum, qui diceretur mediterraneus.* Idem Plutarchus de profectu virtut. ait, philosophũ Stilponem somniauisse, vidisse se Neptunum expostulantem secum, quòd non bouem ipsi immolasset, ὥσπερ ἔθος ἦν τοῖς ἱερεῦσι, *vt mos erat sacerdotibus*. Labeo apud Macrob. lib. 3. Sat. c. 10. ait, Neptuno, Apollini, Marti taurum immolari. Notetur locus Herodoti lib. 6. apud quem Cleomenes sacrificat taurum mari. σφαγιασάμενος δὲ τῇ θαλάττῃ ταῦρον, quod in idem recidit.

Taurus sacer Apollini. 3. TAVRVM TIBI PVLCHER APOLLO] Huic etiam Deo taurum solitum immolari ex Homero elice, 1. Il. vbi ait,

Ἔρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας
Ταύρων ἠδ' αἰγῶν:
Faciebant autem Apollini perfectas hecatombas
Taurorum & caprarum.

Alibi ore sacerdotis in oratione ad Apollinem.

Ἤ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων ἠδ' αἰγῶν·
Vel si quando tibi pingues coxas cremaui
Taurorum & caprarum.

Quem in locum Eustathius rationem reddit, cur hæc duo animalia Apollini immolentur. Atque vt hîc nihil de capra, de tauro ait, ideo illi immolari, quia hoc genus animalis terram colit, & vnà cum Sole cooperatur ad procreationem animalium, & victus rationem. Itaque appellat tauros, ἐργατικοὺς τῆς γῆς, καὶ ἡλίῳ συμπράττοντας εἰς τὸ ζωογόνον, καὶ ἀναδοτικὸν τῶν καρπῶν. Idem mos ex Pausania allucet in Bœoticis, vbi ait, Thebanos taurum Apollini aliquando immolauisse, quem morem in alium commutarunt, vt videlicet bos domitus, non taurus, mactaretur: causam ibi habes. Apud Persas (nota est Germ.) sacra quædam erant Μιθρακὰ, quibus Μίθρῃ, hoc est, Soli, bouem ex antro eductum immolabant. Sed sciendum ex Macrob. lib. 3. Sat. cap. 6. Taurum Apollini immolatum ab Anchise apud aliam aram, non apud eam, quam primùm prece coluit, in qua, ex doctrina superiùs tradita, nullus solitus effundi sanguis, nulla hostia mactari. In attributo pulchritudinis respicit ad perpetuam iuuentutem Apollinis. quæ res celebrata vatibus.

4. NIGRAM HYEMI PECVDEM] Auertit priùs mala, vt mox optanda conciliet. Tale illud. 5. Æn.

——*& tempestatibus agnum,*

adi. Inde hîc hyemem, pro tempestate capio, & capiunt nonnulli interpretes. Versus integer factus ad Homeri imitationem.

Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν:
Feretis (agnos) alterum album, alteram nigram.

Morem Poëtæ firmat Aristophanes in Ranis:

Ἄρν', ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται:
Agnam, agnam nigram afferte pueri.
Vortex enim parat erumpere.

Tempestati sacrificant. Ceterùm Gyraldus de Nauigiis cap. 9. ex Græcorum commentariis adducit, procellosis ventis, quos Typhonas vocant nigrum agnum immolari, vt iis spiritus desinat. & inde fortasse dictum à Virgilio, *nigram hyemi pecudem*. Obiter reprehendit commentarios in Aratum, qui Theoni ascribuntur, in quibus, vbi agitur de signis tempestatum, pertinax inhæret mendum, & pro typhonibus, siphones leguntur. Sed nihil est, quod reprehendat, cùm Plinius lib. 2. cap. 49. vbi agit de Typhone, déque prodigiosis tempestatum generibus, sic scribat, *ex eodem genere, & in longam veluti fistulam nubes aquam trahit*. vbi Græcum σίφωνα interpretatur per fistulam: explicatore Turnebo lib. 4. Adu. cap. 20. nam & Olympiodorus in Meteor. Aristotelis sic scribit. Ἀριστοτέλης τυφῶνα, ὃν τυπῶνα καλεῖ, διὰ τὸ τύπτειν σφοδρῶς καὶ ῥηγνύειν τὰ στερεὰ σώματα· ναῦται δὲ σίφωνα, διὰ τὸ δίκην σίφωνος ἀνασπᾷν τὸ ὕδωρ θαλάσσης: *Aristoteles typhonem vocat typonem, quòd valide verberet frangatque solida corpora: nautæ siphonem dicunt, quia in modum fistulæ trahat è mari aquam.* Siphones in tempestatibus. Videndus Turnebus dicto loco, & in Plin. Dalecampius.

Venti Dij. 5. ZEPHYRIS FELICIBVS ALBAM] Ex religione, siue ex superstitione potiùs veterum inducitur hoc à Marone, quibus sacri fuit ritus, vti ventos quoque tanquam Numina colerent, atque in illorum honorem aras erigerent. Inter Deos Persarum Herodotus lib. 1. ventos nominat: *sacrificant* (inquit) *Soli, Lunæ, Telluri, Igni, Aquæ*, καὶ ἀνέμοισι, *& ventis*. Idem fermè scribit Strabo lib. 15. Apud eundem Herodotum lib. 7. Athenienses ἐθύοντό τε, καὶ ἐπεκαλέοντο τὸν Βορῆν: *inuocauerunt Boream illi sacrificantes.* Auctor est idem eodem lib. Delphos oraculo admonitos ventis aram statuisse in Thyia, cui hostias immolarunt. Apud Xenoph. 4. ἀναβ. cùm difficile esset iter flante Borea, τῶν μάντεων τις εἶπε σφαγιάσασθαι τῷ ἀνέμῳ, *quidam vatum dixit sacrificandum vento.* Quo facto, ventus flare desiit. Nonnus lib. 1. verbo religionis. λίσσομαι Βορέης, *supplico ô Boreas.* Pausanias Corinth. ventorum aram infert, ad quam quotannis sacerdos faciebat sacra ad illorum sæuitiam placandam. Seneca lib. 5. naturalium quæstionum cap. 27. *Diuus* (inquit) *Augustus templum illi* (Circium intelligit) *cùm in Gallia moraretur, & vouit, & fecit.* Valer. Flac. 1. Arg. Boream *Deum* indigetat, eo versu,

omne Dei rapidis nemus ingemit alis.

oraculum hoc Pythiæ est apud Clem. 6. Strom. cap. 1.

Ὦ Δελφοὶ λίσσεσθ' ἀνέμους, καὶ λῷον ἔσαι:
O Delphi orate ventos, meliúsque erit.

additque, Delphos hoc oraculo confirmatos, cùm Xerxes bello Græciam inuasisset, altari posito, & ventis sacrificio facto, vsos ventis propitiis. nam cùm circa Sæpiadem promontorium vehementer spirassent, vniuersum apparatum Persicæ classis contriuerunt.

Allusit

Allusit procul dubio ad locum Herodoti, postremo loco mihi adductum. Demum Artemidorus lib. 2. c. 25. Ventos non vtcunque numerat inter Deos, nam signatè inter Cælestes constituit. Ab superstitione hac non abit alia, vndis aræ erigebantur. Exhibent enim Smetius, Gruterus, alij, lapidem hac de re Romæ. vt autem hic alba hostia, sic apud Liu. lib. 22. *alijs Diuis bubus albis.* vt hic *Zephyris felicibus*, ita Philostratus de vitis Sophist. lib. 1. Ἡδὺ καὶ λεῖον τῶ Ζεφύρε αὔραι: *iucunda & leuis aura Zephyri.* Ad integrum locum Virgilij, qui loquitur de hostia iam nigra, iam alba, pertinet distinctio Porphyrij lib. de Responsis Apollinis, vbi ait Cælestes candidis victimis placari, aquatiles furuis volucribus in mare proiectis. Atque etiam locus Cedreni, qui ait Iulianum sacrificasse Soli equos λευκὰς *albos*: ventis autem πυῤῥὰς *rufos*. Sed Virgilius quidem, vt ad felicitatem, hostiam albam assumpsit, negligens furuam, aut rufam ventorum.

Vndæ inter Deos.

6. IDOMENEA] Historia Idomenei, quæque ad lucem Poëtæ necessaria, Seruianis filis sic contexitur. Euersa Troia Cretam redit, tempestatem patitur, in ea vouet sacrificaturum se, quod primum occurreret: occurrit filius, immolat (alij, voluit immolare) oritur pestis in Creta, ciues Regem expellunt, quòd stirpem aboleuisset. Ideo infrà Virg.

Idomenei historia.

Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Ab Seruio dissidet interpres Lycophronis, qui hanc fugam Idomenei in Nauplium confert. is enim occiso filio Palamede in castris, statuit omni ratione in Græcos malum conferre. Id verò mali ab eo excogitatum, vt vxores ducum ad stuprum concitaret: ita Ægisthus Clytæmnestra Agamemnonis; Sthenelos, Ægiala Diomedis; Leucon, Medea Idomenei potiti. decem Cretæ vrbes ad deditionem compulit, Regnum occupauit, Idomeneum ipsum reuertentem è Troiano bello, appellentémque ad insulam, Regno expulit. Postrema hæc, quæ signatiora ad rem, sic Græcè habentur. καὶ μετὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, καὶ τὸν Ἰδομενέα τῇ Κρήτῃ καταίροντα ἐξήλασε. Idomenei sæpe Homerus meminit.

7. ORTYGIÆ] Delos dicta quoque Ortygia, sed & multis aliis nominibus celebris. Plin. lib. 4. cap. 12. *Æglosthenes Cynthiam, alij Ortygiam, Asteriã, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilen, igne ibi primùm reperto.* Ouid.

Deli multa nomina.

—tempúsque fuit quo nauit in vndis,
Nunc sedet Ortygia.

Homerus, & alij (nihil firmum in fabulis) discriminant, cùm aiunt, Apollinem natum in Delo, Dianam in Ortygia. quo ipso partum quoque Latonæ diuidunt. Ortygiam dictam vult Seruius, & alij grammatici à coturnice, quæ Græcis ὄρτυξ. quod genus auium in ea insula primùm visum. Phanodicus in Deliacis, ex nota docti viri Hottens. ait, Delon Ortygiam appellatam, ab ea Ortygia, quæ in Ætolia est. idem tradit Nicander in 3. Ætolicarum rerum. Nec Delos solùm, sed aliæ, ita vt Ortygiæ omnes coloniæ sint eius, quæ est in Ætolia.

Ortygia vnde dicta.

8. BACCHATAMQVE IVGIS] Manutius interpretatur, vitibus consitam, pro quo, vt eum defendam, facit illud *viridémque Donysam.* nam videtur Poëta vtramque insulam afficere eodem epitheto viriditatis & amœnitatis, seruata in vtroque loco Bacchi proprietate, nam Donysa videtur corrupta esse vox, vt Erythræus quoque suspicatur, & sic dicta ab Dionysio, id est, Baccho. Sed Turnebi sententiam veriorẽ esse puto, pro quo mirè facit locus ille. 2G.

Bacchatum: quid sit.

virginibus bacchata Lacænis
Taygeta.

vbi similem vocem procul dubio refert ad Bacchi orgia. vide eum locum. erit itaque Naxos bacchata, Bacchi celebrationibus assueta & culta. Eiusdem sententiæ est Germ. nam ad hunc locum adducit eum versum è 2. Georg. & Ianus Parrhas. qui ad imitationem Virgilij accipit illud Claudiani,

—vlulatibus Ida
Bacchatur.

id est, quatitur furoribus. Seruius vtranque explicationem amplectitur, cùm ait: *aut vitibus consitam, aut celebratam Bacchis.*

9. NAXON] Scribit Euphorion, Naxon dictam à verbo νάξαι, quod est bacchari; hoc si est, coniunxit Poëta notionem nominis. Alij ab Endymionis filio eiusdem nominis. Seruius & Higynus dicunt Naxon priùs appellatam fuisse Diam. Homerus certè, Callimachus, & Catullus Diam absolutè vocant, & hoc Eustathius notauit Odyss. 11.

Naxi etymon.

Δία, νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ, ἥτις Νάξος καλεῖται.

Sed & versus Callimachi hic est.

Ἐν Δίῃ τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξω.

Hanc insulam fuisse vini feracem scribit Eupolis apud Athen. lib. 2.

Δίδε μασᾶσθαι Ναξίας ἀμυγδάλας,
Οἶνόν τε πίνειν Νάξιον ἐξ ἀμπέλων:
Da edere Naxias amygdalas,
Vinúmque bibere Naxijs è vitibus.

Fuisse plures insulas huius nominis docet te Christianus Florens in Vespas Aristophanias. Sed neminem aduocat, ego tibi interpretem Theocriti. Πολλαὶ νῆσοι Δῖαι καλεῦνται.

Naxi plures.

10. VIRIDEMQVE DONYSAM] A colore marmoris sic dictam vult Seruius. Eadem credo ratione propter marmor viride dictum est à Petron. in Satyr. *viridísque Thasos*; & quidem marmoris viridis Plinius meminit, imo ait hoc esse cunctis hilarius. Fortè viridem appellat ob multitudinem & copiam hederæ. nam inde insula nomen videtur accepisse quadam litterarum decurtatione, nam Græcis hedera Διονυσιὰς est, & κισσὸς διονύσιος, Bacchi attributo.

Viridis Donysa, cur.

11. OLEARON] Legendum esse Oliaron admonet Erythræus, non, Olearon: nam apud Stephanum, & Strabonem est Ὠλίαρος. & apud Ouid. 7. Metam. incorruptè adhuc in multis hæc vox legitur eo carmine,

At non Oliaros, Didyméque, & Tenos, & Andros.

Addo Plin. Dalecampij, vbi semper *Oliaros*. eiusdem sententiæ est Germanus.

12. NIVEAMQVE PARON] Propter candicans marmor, cuius frequens mentio. Strabo, lib. 10. ἐν δὲ τῇ Πάρῳ ἡ Παρία λίθος λεγομένη ἀρίστη: *In Paro lapis Parius, qui optimus.* Meminit & Callistratus in statuis. sed coloris candidi signatior in aliis, Ouidio. 1. Am.

Marmor Pari.

Astitit illa gemens albo, & sine sanguine vultu,
Cæduntur Parijs qualia saxa iugis.

Horatio, qui splendorem dat. 1. Carmin. Od. 19.

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Seneca in Hipp. qui claritatem,

Lucebit Pario marmore clarius.

Ab hac insula omnes Cycladas Horatius *nitentes* vocat. lib. 1. Od. 14.

interfusa nitentes,
Vites æquora Cycladas.

Sed quidem Strabo lib. 15. candidissimum marmor non tam in Paro, quàm in Proconnesso constituit. ἔχει δὲ καὶ μέταλλον μέγα λευκῆς λίθου σφόδρα ἐπαινούμενον: *habet & albi lapidis venam magnam, & in primis laudatam.* Sed nobilitas Pari effecit, vt sibi tribueretur nobilissimi marmoris dignitas.

13. SPAR

Cyclades vnde dictæ.

13. SPARSASQVE PER ÆQVOR CYCLADAS] A Frequens opinio scriptorum est, Cycladas dictas, quòd circum Delum sint, & veluti in orbem conglobatæ, Strabonis, Plinij, Solini, Ammiani. Quorum primus lib. 10. περὶ τὴν (Δῆλον) Κυκλάδες: *Cyclades circum Delon.* Alter, *circa Delum in orbem sitæ, vnde & nomen traxere, Cyclades.* Tertius, *in orbem circa Delum sitæ sunt, & orbem Κύκλον Græci loquuntur.* Quartus lib. 22. *Cycladas sic appellatas, quòd omnes ambiunt Delon.* Sed omnibus opponitur Seruij auctoritas, qui non vult Cycladas dictas, quòd sitæ in rotunditate, sed quòd longo ordine eas circuire necesse sit, propter promontoria. Huic parti hæserim, quàm & Germanus tuetur, dignissimus cui in re litteraria assentiar. Nam Virgilius *sparsas per æquor* dixit, tanquam nullo certo & cõposito ordine constitutas. Deinde, epithetum *sparsas* Sporadas respicit, quæ insulæ sunt ad Cretam, non in orbem coarctatæ, sed sparsæ per maria. Ergo sicut illæ, sporades, id est, sparsæ, dicuntur: cur non id etymi Cycladibus conueniet, quæ sparsæ quoque à Poëta dicuntur? Tertiò, quia Arist. 1. Meteor. stellas lactei circuli Sporadas, id est, sparsas nominat, & ait nullo certo ordine collocatas in sphæram & circuitum. quem in locum Sanctus Thomas docet, eas sitas confuso positu, atque ita temere dispersas, vt ad nullam certam configurationem redigi oculis possint. De numero Cycladum lege Strabonem lib. 10. & Plin. lib. 4. c. 12. vterque plures nominat. Orosius lib. 1. c. 2. ait esse quinquaginta tres.

Concita freta.

14. FRETA CONCITA] Multi legunt *consita*, laudant, retinent. multi pari pertinacia *concita*. His hæreo. certè illud genus epitheti Insulis potiùs conueniret, quæ disseminatæ & sparsæ dicuntur per pelagus quàm fretis. ergò legamus *concita* cum Seruio, Donato, aliis; & aptè. freta enim tot insulis interiecta, non possunt non esse concitata crebris vndarum reciprocationibus. Denique lectionem, quam sequor, firmat, in nonnullis m. s. legi (ex nota Pierij) nõn, terris, sed, *crebris freta concita remis*, cum qua lectione nequit consistere *consita*. Firmat etiam auctoritas Paulini epist. 34. vbi loquens de naui quapiam: *Siciliam transcurrit, circa quam concita & verticosa crebris, vt ferunt, insulis freta.* In quibus hærens Virgilio, *concita* dixit, non *consita*. iterum epist. 42. *Si concitata feruerent ventis freta.*

Secundus ventus.

15. SVRGENS A PVPPI VENTVS] Quem Latini vocant secundum ventum, & à puppe, Græci οὔριον & οὐρεῖν nominant, quasi à cauda; nam videlicet ab animalium caudis puppim vocant οὐράν. Inde ἐξ οὐρίας πλεῖν *secundo vento nauigare*, puppímque feriente. Idem omnino, qui ab Homero φέρων ἄνεμος non semel dicitur, & *ventus ferens* à Seneca de vita Beat. & *venti ferentes* à Virgilio 4. Æn. & à Plinio in Panegyr. Pollux lib. 1. vocat φορὸν ἄνεμον, ἐπίφορον, ἐπίκουρον, ἐπιπνέοντα, προπνέοντα, προπέμποντα, παραπέμποντα, συμπροπέμποντα. Versus Poëtæ affinitatem habet cum illis Homericis Odyss. 11.

Ἡμῖν δ' αὖ κατόπισθε νεὸς κυανοπρῴροιο
Ἴκμενον οὖρον ἵει πλησίστιον, ἐσθλὸν ἑταῖρον:

Nobis autem rursus à posteriori parte nauis nigræ proræ
Secundum ventum immittit implentem velum, bonum socium.

B

Et cum illo. 1. Il.

Τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων:

His secundum ventum immittit longè iaculans Apollo.

Nazianzenus orat. 24. πνεῦμα καὶ πρύμναν ἱστάμενον: *ventum ad puppim stantem.* Quod scilicet omnes *flantem*, ille *stantem*. Philo in opere, ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον· ventum secundum vocat δεξιὸν, nam opponit πνεύματα δεξιὰ, καὶ ἐναντία. Hoc clariùs ex eodem elicitur, nam quem in Flaccum vocat πνεῦμα δεξιὸν κατ' οὐρὰν, eundem ventum in lib. de Cherub. vocat, πνεῦμα οὔριον κατ' οὐρὰν. Notetur oppositio Aristotelis lib. 4. de hist. Animal. c. 8. qui flatum secundum vocat, τὸ πνεῦμα: aduersum, τὸ κατὰ πνεῦμα. Philo, vt vidisti, opposuit, δεξιὸν καὶ ἐναντίον. Neque verò abs re, quam sæpe feci, erit cõparatio Virgilij cum Homero verbis Iul. Scal. Dicunt (ait) ab Homero ventum ditatum Il. 1. magno epitheto, cùm in nostro nullum sit. equidem in Homero vnum est epithetum, idque languidum, videlicet, ἴκμενον, id est, *veniens*. at omnis ventus veniens est, vnde & Latinis vox. In Virgiliano versu qui negat epithetum, ipse nescit quid sit epithetum. Neque enim vnico tantùm verbo clauditur omne epithetum, sed interdum pluribus. Et grandiores sunt locutiones periphrasticæ. Igitur quod ille οὖρος, quasi ad caudam, Maroni *à puppi*, & *surgens* significatè, quia antè non esset. sic fermè ille.

C

Virgilius superat Homerum.

[a] Ergo auidus muros optatæ molior vrbis:
Pergameámque voco: & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcémque attollere tectis.
[b] Iámque fere sicco subductæ littore puppes:
Connubiis, aruísque nouis operata iuuentus:
Iura domósque dabam: subitò cùm tabida membris,
Corrupto cæli tractu, miserandáque venit
Arboribúsque satísque lues; & letifer annus.
[c] Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.

D

ARGVMENTVM.

Vix in ea pedem posuerant, cùm vrbem construunt, quam vocant Pergamum, naues subducunt, operantur sacris, accipiunt iura ab Duce: sed subitò immissa pestis homines & agros affligit.

EXPLICATIO.

[a] VIx pedem in Creta fixerat, cùm auidus condendæ optatæ vrbis (sic quippe coniungit Seruius, non, muros vrbis) muros molitur, eámque vrbem vocat Pergamum, vt eo cognomine Troianos suos reddat lætos alacrioréque ad pristinam

nam fortunam. Hortatur ſocios, vt *focos ament*, id eſt, vt quiſque ſibi domicilium paret, & priuata tecta: vt *arcem tectis attollant*, acropolim ſignat, vt perfectiſſima ſit vrbs. Conſtructis enim domibus, reſtat arx attollatur, quæ præſidium ſit tectis, atque adeo toti vrbi. Deformant aliqui loci huius interpretationem, cùm Poëta nihil aliud dicat, quàm, hortor vt domos conſtruant, illiſque arcem ſuperimponant.

b Omnes fere naues (inquit) ſubductæ iam è mari erant in ſiccum littus: iam omnis iuuentus ſacris operabatur ad connubia ineunda, ad noua arua colenda: iam ego illorum princeps *iura domóſque dabam*. id eſt, iura condendis domibus, diuidendiſque domiciliis. Clarius. Dicebam quo iure quiſque eſſe deberet, non enim principes debebant æquo eſſe iure cum plebe, neque æqua ſpatij parte ad condendas ædes, cùm potiùs deberent excellere ſpatio loci, & ædium magnitudine. Pergit *ſubitò cùm*, &c. Sententiam ſic concipe. *cùm ſubitò venit lues*, ac perinde *annus letifer*: Lues iſta *tabida hominibus*, *miſerãda arboribus ac ſatis*. Sic diſpono, vt tabes reſpiciat homines (quos intelligit per *membra*) miſeria & calamitas, agros. Itaq; hominibus fuit tabida, agris miſeranda. Adhibet cauſam peſtis, *ab corrupto cæli tractu*.

c Dixit ſtrictim, peſtem illam fuiſſe tabidam hominibus, agris miſerandam. Hoc iam explicat. Fuit tabida hominibus, quia aut moriebantur, aut erant ægro corpore: miſeranda agris, quia Sirio vrente ſteriles fiebant, quia herbæ arebant, quia ſeges ægra, id eſt, tacta ab lue, victum negabat. In quo etiam ſibi reſpondet. nam exuſtio agrorum eſt pro morte hominum, ægritudo ſegetis pro ægris corporibus. Nihil hoc vate concinnius.

NOTÆ.

Pergamum Cretæ.

1. PERGAMEAM] Pergami, in Creta oppidi Plin. meminit lib. 4. c. 12. *Oppida eius inſignia Phalaſame, Elea, Cyſamum, Pergamum*. De eo nihil Seruius vulgaris, ſed multa Petri Danielis, quæ & locum Plinij, & hunc Virgilij illuſtrent.

Focus inter ſacra.

2. FOCOS] Seru. P. Danielis explicat ex Varr. inter ſacratas aras, focos quoque ſolere ſacrari. Addit: *non licere vel priuata vel publica ſacra ſine foco fieri, quod hîc oſtendit Poëta: focorum enim commemoratione inſtantium ſacrificiorum mentio inducitur.*

3. SICCO SVBDVCTÆ LITTORE PVPPES] Ad verba Poëtæ ſignatè faciunt illa Liuij lib. 29. per initia *veteres naues reficit, nouas Panormi ſubducit, quia ex viridi materia raptim factæ erant, vt in ſicco hibernarent.*

Nuptias præcedebant ſacra.

4. OPERATA] Poteſtatem huius vocis pertinere ad ſacra alibi dico. Hîc tantùm obſerua ex ea poteſtate morem, quo antiqui non ducebant vxores, nec nuptias celebrabant, niſi peractis ſacris. Quod hîc Seruius notat. Ex quo more Valer. Flacc. lib. 8. Argon. de Iaſone:

Inde vbi ſacrificas cum coniuge venit ad aras.

Auctor Octauiæ.

—vidit attonitus tuam
Formam Senatus, thura cùm Superis dares,
Sacraſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſummum flammeo tenui caput:

Vbi ſermo eſt de nuptiis, vel iſtis ſequentibus.

—talis emerſam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin.

Dionyſ. Halicar. lib. 2. de re alia loquens. γυναῖκα γαμετὴν κτ̃ νόμους ἱερ͂ς: *vxorem nubentem ritu ſacrarum legum.*

Linquo de morte.

5. LINQVEBANT] Adumbrat Lucretium, qui lib. 5.

Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.

verbum *linquo* neſcias quo veterum omnium conſenſu traductum eſt ad mortem, quod Hieronym. Columna in lib. 3. Annal. Ennij probat ex Ennio ipſo, ex Virgilio bis, ex Lucretio bis, ex Cicerone, Næuio, Lucilio ſemel.

6. SIRIVS] De hoc alibi dictum. Eſt verò *Sirius exurebat agros ſteriles*, idem quod, vrente Sirio reddebantur ſteriles. Quæ locutio familiaris omnibus Poëtis, & Noſtro in primis.

Peſtis agrorum.

7. AREBANT HERBÆ] Signum peſtis atrociſſimæ, quæ non in homines tantùm & pecora, ſed in herbas quoque & agros graſſatur. Seneca Oedip.

—denegat fructum Ceres
Adulta, & altis flaua cum ſpicis cremat,
Arente culmo ſterilis emoritur ſeges.

Iterum,

Non rura virent vbere glebæ,
Non plena ſuo vitis Iaccho
Brachia curuat.

Manilius lib. 1. in ſua peſte:

Squallidaque eluſi deplorant arua coloni.

Sed de ſignis atræ & ſæuæ peſtis multa nos ſatis in lib. 3. G.

a Rurſus ad oraclum Ortygiæ Phœbúmque remenſo
Hortatur pater ire mari, veniámque precari:
b Quem feſſis finem rebus ferat, vnde laborum
Tentare auxilium iubeat, quò vertere curſus.
c Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat:
Effigies ſacræ Diuûm, Phrygiíque Penates,
Quos mecum è Troia, mediíſque ex ignibus vrbis
Extuleram; viſi ante oculos aſtare iacentis
In ſomnis, multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras:
d Tum ſic affari, & curas his demere dictis:

ARGVMENTVM.

Vult Anchiſes ad oraculum Deli redire, Phœbum conſulturus: Penates apparent dormienti Æneæ.

EXPLICATIO.

a VVLT Anchiſes precari veniam oraculi malè interpretati, ideo contendit redire in Delum,

Delum, & remetiri pelagus, vt iterum adeatur oraculum. Ex duplici dictione disiuncta *ad*, & *ire*, coniunge verbum *adire oraclum*. nam hæc est phrasis Maronis lib. 7.

—oracula Fauni
Fatidici genitoris adit.

b Triplex petitio, quam cogitant deferre ad Apollinem. Prima, vt modum statuat erroribus Troianorum: altera, quod auxilium expiandæ pesti: tertia, quò cursus dirigendus ad quietem.

c Consulit hîc suo duci Virgilius, & semper credo cum respectu ad Augustum, nam hic ab illo se genus ducere credi volebat. Et hæc fortasse causa, cur Anchisen in interpretando errantem induxerit, vt vnus Æneas rem explicet, & dignus censeatur, cui appareant numina. Itaque ait Æneas, in nocte, & cùm altior est & arctior somnus, visas sibi iacenti in lecto dormientíque sacras Deorum effigies, videlicet Penates ipsos, quos Troia, & ab incendio extulerat. Credidit autem vera esse quæ videbat, ab splendore, qui semper comes numinum, ideo, *multo manifesti lumine.* Hæc lux erat à Luna, quæ tunc plena, fundebat verò se insertim per fenestras. Extremum hoc latiùs postea.

d Præclarè *affari*, de Diis hoc loco, vt qui παραμυθίαν afferrent. Ideo sequitur, *& curas his demere dictis.* Hic subaudi verbum, vt dicat, cœperunt affari, & demere: nisi malis recurrere ad morem scriptorum, quasi affabantur, demebant.

NOTÆ.

Virgilius corrigit Homerum.

1. RVRSVS AD ORACLVM, &c.] Non dubium, quin respectum ad Homeri locum. 1. Iliad. vbi exercitu laborante ex peste, fit deliberatio rogandi Apollinis, cur iratus sit: ob quæ sacra malè obita Græcos vexet: quas velit hostias vt depellatur pestis. Lege ab eo loco,

ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, &c.

2. TERRIS ANIMALIA SOMNVS HABEBAT] Videat diligens lector, an vox *terris* posita signatè sit contra Homerum, qui Il. 14. somnum vocat Regem non solùm hominum, sed & Deorum,

Ὕπνε ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ᾽ ἀνθρώπων.

& infrà, Iouem ipsum consopit:

Ὣς ὁ μὲν ἀτρέμας εὗδε πατὴρ ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῳ·
Sic hic quidem quietè dormiebat pater in Gargaro summo.

Cuius erroris Scaliger quoque Homerum coarguit; nam *Dij Homerici si dormiunt*, (ait) *etiam pereunt*. Signatè itaque Virg. terrenis rebus somnum dat, nam hic necessarius ad virium reparationem, qua Deos non egere, vt qui nunquam defatigentur, aut frangantur laboribus, Homerus debuisset naturæ lumine cognoscere.

3. EFFIGIES SACRÆ DIVVM, &c.] Deorum Patriorum secúdùm quietem oblatam speciem Æneæ in Italia narrat ex historia vetere Dionys. vnde ex historia dictum hoc esse à Poëta Turnebus monuit. Id ipsum Seruius restitutus opera Danielis: *Sanè hos Deos Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, Æneam verò in Italiam ex Phrygia transtulisse Varro testatur. Quos quidam dicunt, ideo inductos à Poëta monere per somnum: nam monitu eorum per quietem iussum cum Latino fœdus fecisse: eorum etiam monitu Latinum Æneæ se coniunxisse: eosdem tradit visos aliquoties in somnis, quid fieri vellent imperasse.* Pertinent hæc non solùm ad illustrationem Poëtæ, sed ad diligentiam & peritiam Seruij commendandam, quem tam malè affecit decurtator.

4. IACENTIS] Apto ad hunc locum verba Tullij lib. 2. de Diuin. irridentis Gentilium vanitates, *concursare* (Deos) *omnium mortalium, qui vbique sunt, non modò lectos, verum etiam grabatos; &, cùm sternentes aliquos viderint, obijcere his visa quædam tortuosa & obscura.* Quæ verba, cùm ex aliorum, tum ex Poëtarum doctrina prolata: hi enim sæpissime Deos in somnis apparentes describunt, vt hic, & aliis locis Virgilius.

Insertæ fenestræ, quid.

5. PER INSERTAS, &c.] Seruio *fenestræ insertæ* sunt, quasi inseratæ, id est, non clausæ, vt *aspros*, pro, asperos: *vixet*, pro, vixisset. non placet. Turnebus explicat interpositas ædibus, quod est, vt ego capio, quia fenestræ per varias domorum partes affixæ sunt, & veluti insertæ. Sed pace vtriusque melior Germani mês & explicatio, qui insertas fenestras accipit, traiectas penetratásq; luce, quam fundebat luna ad eum modum, quo pellucida corpora transmitti solent à lumine. sic ille. quem tamen non capias de omnimoda penetratione, nam exempla quibus innititur non id probant, ego sic illum, & Poëtam explico, vt dicant, fenestras insertas, quia per illas, eiúsve rimas, & qua peruium, Lunæ claritas sese inserebat immittebátque ad eum modum, quo videmus solis radios penetrare in domos, quacunque est peruium. Huc trahit ille feliciùs Lucretium, quàm prose Turnebus, cùm ait lib. 2.

Contemplator enim cùm solis lumina, cúmque
Insertim fundunt radios per opaca domorum.

& Arist. 1. de Animo. οἷον ἐν τῷ ἀέρι τὰ καλούμενα ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν: *veluti in aere quos vocamus atomos, quos videmus per fenestras in radijs solis*, & Propertium lib. 1. eleg. 3.

Donec diuersas percurrens luna fenestras.

Adiungo eadem pene sententia dixisse Martianum de Aurora:

Surgens fenestras dissecaret lumine.

Fenestræ etymon.

Scias obiter fenestrarum etymon, quæ ἀπὸ τοῦ φαίνειν.

a Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit: & tua nos en vltro ad limina mittit.
b Nos te Dardania incensa, tuaq; arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor:
c Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumq; vrbi dabimus. tu mœnia Magnis
Magna para, longumq; fugæ ne linque laborem.
d Mutandæ sedes: non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.
e Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:

Terra

Terra antiqua,potens armis, atque vbere glebæ:
Oenotrij coluere viri:nunc fama,minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
f Hæ nobis propriæ sedes:hinc Dardanus ortus,
Iasiúsque pater,genus à quo principe nostrum.
g Surge age,& hæc lætus longæuo dicta parenti
Haud dubitanda refer.Coritum,terrasq; require
Ausonias:Dictæa negat tibi Iuppiter arua.

ARGVMENTVM.

Commemoratis priùs officijs suis in Æneam, atque spe futuri imperij, oraculi mentem explicant, aperiúntque Troianos ad Italiam reuocandos, quæ & vberrimi soli, & Dardani patria.

EXPLICATIO.

a Locus attentionis, *canit hic Apollo*: atque etiam beneuolentiæ ab officio Dei, qui Penates vltro mittat, ne iterum cogantur redire ad Delum.

b Procedunt hæc iam non ex officio Apollinis, sed ipsorummet Penatium: qua officiorum commemoratione efficiunt, vt Æneas credat eosdem se in posterum erga illum futuros, quales iam fuerint. Nam quantum est, Deos sequi hominem exulem, ídque per maria tumida, & longis peregrinationibus, quæ indicantur voce illa *permensi*? Hæc qui fecerint, quantam spem inijcient rei bene sperandæ?

c Duo dicit, primum, *tollemus in astra venturos nepotes*: alterum, *dabimus vrbi imperium*, illud dictum propter Iulium iam in astra relatum, cùm hæc scribebantur à Poëta: alterum propter Augustum tenentem Romæ imperium. Nam hîc per *vrbem* Romam cape. Ait *idem* pro, iidem, ex vsitata crasi. Quæ sequuntur, *tu mœnia Magnis Magna para*, respondent præteritis. Quasi dicat. Qui habiturus es cælestes posteros, & verè Magnos; qui sub illorum imperio vrbem orbis principem: age, ne laboribus frangere, mœnia para tam magnis nepotibus. Næ illi nauseam mouent, qui vocem *Magnis* referunt ad Penates.

d Continent hi duo versus summam mandatorum.

e Hi quatuor versus explicati iam atque illustrati lib. 1. Æn. vbi primùm dicti ore Ilionei in sermone ad Didonem. Inde itaque petenda tam explicatio quàm illustratio.

f Hæc, quia longiuscula, in Notis damus.

g Monet à somno surgat, lætúsque rem ad patrem deferat, ne ille velit reuerti ad Delum, neque dubitet quæ sunt firmata numinum auctoritate. Ac demum *require* (aiunt) *Coritum, & terras Ausonias, Iuppiter* enim *negat tibi arua Dictæa*, ideo *require*, quia relicta semel à Dardano eius posteri iterum quærunt. Ideo *Coritum* partem prouinciæ, ne error alter procreetur ex magnitudine locorum, ait Seruius. Ideo *terras Ausonias*, ne, si Coritum tantùm audissent, putassent angustum fore & vnius oppidi imperium. *Dictæa arua* ab Dicta nobili vrbe Cretæ, à qua manat in totam insulam nomenclatura.

NOTÆ.

1. TVMIDVM] Ita 1. G. (Tumor de mari.)

—freta tumescere.

& 2. G.

—maria tumescant.

& 1. Æn.

A *—tumida æquora.*

Non abhorret,

—mare turgidum,

Apud Horat. Od. 3. lib. 1. Signant istæ voces iras maris, tumor enim iram sequitur.

2. PERMENSI] Phrasis Liuij Andron. qui in Helena,

Tu qui permènsus ponti maria alta veliuola.

Sed qui non sic locuti, & ante Poëtam, & post illum? Ad aërem traduxit Xenophon lib. 5. Memorab. ἀερομετρεῖν. De eo videlicet, qui nugatorius est, & inanis, vt qui velit aërem metiri, ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ, καὶ ἀερομετρεῖν. (Aërem metiri. Adag.)

3. NON HÆC TIBI LITTORA SVASIT DELIVS] Tale quid apud Aristoph. in Pluto, reperiri B Germ. monet.

Οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τουτὶ ῥέπει,
Ἀλλ᾽ εἰς ἕτερόν τι μεῖζον.
Non est, vt vaticinium in hoc inclinet,
Sed in aliud quid maius.

4. CONSIDERE] Verbum *sedeo*, & composita, vocem etiam *sedes* ad rationem domicilij pertinere alibi dicimus.

5. EST LOCVS HESPERIAM, &c.] Hi quatuor versus, vt dixi, assumuntur ex 1. Æn. vbi primùm dicti ad Didonem. Hîc tantùm obseruabis eosdem versus hîc repeti Deorum ore, audiente quoque eadem Regina, quo facilè ipsa crederet, quicquid Troiani cum ea egissent, verum esse, & testimonio priùs diuino haustum. Talis est Poëta, qui ad reuocandos C versus semel fusos, ratione semper ducatur: non, vt Græcus, in quo fortasse possis deficientis ingenij vires deprehendere, nam sæpissime versus eosdem repetit nulla cogente necessitate. (Homeri ingenium deficiens.) Adde ex ratione præclarè hîc repeti hos versus à Penatibus. Duo quippe oraculum dixerat, & quærendam terram, quæ præstaret vbertate glebæ, & in qua deinde fuissent prima incunabula gentis Troianæ. Hæc duo conatus fuerat de Creta explicare Anchises. Penates itaque sua narratione Anchisis narrationem confutant, cùm indicant fertilitatem Italiæ, vbi vbertas glebæ, vbi Oenotrij viri, id est, vini cultores. Reliqua, quæ deinde subduntur de ortu Dardani, spectant ad incunabula.

6. POTENS ARMIS ATQVE VBERE GLEBÆ] Nota Italiam potentem dici vbertate. in quo forsi- D tan hæsit Pindaro Od. 4. Pyth. qui agris dedit ἀκμὰν, *potentiam, vigorem, vires.*

7. HÆ PROPRIÆ NOBIS SEDES] Id est, perpetuæ, explicante Seruio, & doctis aliis. (Propriũ pro perpetuo.) De eius vocis potestate dictum 1. Æn. ad illud,

—propriámque dicabo.

illis addo verba Cassiod. lib. 10. Var. epist. 11. *Laudati sunt hactenus parentes tui, sed tanta non sunt coniunctione decorati. nobilitas tua non est vltra quod crescat: proprio matrimonio dignissimus æstimaris*, perpetuo. Et Hersiliæ precationem apud Agel. lib. 13. cap. 21. *Neria Martis, te obsecro pacem dare, vt liceat nuptijs proprijs, & prosperis vti.*

8. Hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater] In origine Dardani erroribúsque ita variant cùm interpretes, cùm alij, vt historia ad fabulam propè accedat. Mihi aliis relictis, inhærendum vestigiis scriptorum Hispanicorum, è quibus vni Ioanni Marianæ è nostris, qui lib. 1. de Reb. Hispan. cap. 11. historiam Dardani, Philistij Syracusani auctoritate communit, & in hanc sententiam narrat. Siculus Hispaniæ Rex, Atlantis filius, qui & patri inde decedenti, & mox defuncto in Regnum successerat, in Italiam tendit tum cupiditate cernendi hæreditatem Italici Regni, vbi pater obierat, tum vt paterni exercitus tueretur reliquias: demum vt Iasij & Dardani controuersias pacaret post Coriti patris obitum de Hetruriæ possessione certantium: nam illum Iasij, cuius melior erat causa, vires infirmiores, literæ solicitabant. Eò cùm post longam nauigationem, póstque Siciliam ex itinere, aut vi tempestatis, perlustratam, venisset, Dardanum validis Aboriginum copiis stipatum, ferocientémque aduersus fratrem, eò redegit, vt positis armis, seu simulata fraude, in auunculi se fore potestate promiserit (erat quippe Electra Atlantis quoque filia, ipsius soror Siculi, Iasij & Dardani mater, eáque Corito Hetruscorum Regi nupserat) confisus & sua innocentia, & æquitate Siculi. Fœdus itaque inter fratres Siculi auctoritate factum, quem tamen Dardanus ludibrio habens, Iasium fratrem, per fidem A coniunctionis securum, nihílque minùs cogitantem ferro crudeliter peremit. Eam iniuriam Siculus ad se pertinere ratus, parricidam insigni prælio victum expulit in Samothraciam. Vnde is Hellesponto superato in Asia primus Ilum condidit. Iasij filio Corybanto pro patre Regnum Italiæ de manu est traditum. Hæc est origo Dardani, & causa migrationis ex Italia, aduentúsque in Asiam.

Dardani historia.

9. Genus a quo principe nostrum] Monent interpretes hoc ad Dardanum referendum, nam is princeps Troiani generis. Placeret, ea verba, *Iasiusq; pater*, parenthesi includi, vt quæ nihil faciant ad signatam historiam de Troiana gente, si hæreas præsertim historiæ, quam iam attuli.

10. Havd dubitanda] Lege Iunium lib. 1. B Animadu. cap. 7.

11. Coritvm] Fuit id oppidi in Hetruria, inuenit nomen, si sequaris Hispanos scriptores, à Corito patre Dardani, de quo suprà: si verò alios, & Seruiũ P. Danielis, à Galea ducta Græca origine. Cùm enim Dardanus equestri prælio ab Aboriginibus pulsus Galeã amisisset, restitit vt eam recuperaret, suisq; tunc in audaciam reuocatis, victoriam est adeptus: vnde ex felici successu, oppido, vbi Galeã amiserat, nomen ex ea indidit. Ausonia dicta ab Ausone Vlyssis & Calypsus filio. in quo etiam variatum, sed mihi nõ omnia ad vnguẽ, in his præsertim rebus, quæ pertinent ad fabulas.

Coritus oppidum.

Ausonia vnde dicta.

[a] Talibus attonitus visis, ac voce Deorum,
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velatasq; comas, præsentiaq; ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
[b] Corripio è stratis corpus, Tendóqve supinas
Ad cælum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, rémque ordine pando.
[c] Agnouit prolem ambiguam, geminosq; parentes;
Séque nouo veterum deceptum errore locorum.
[d] Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat:
(Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala Regna vocare)
[e] Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moueret?
[f] Credamvs Phœbo, & moniti meliora sequamur.
Sic ait: & cuncti dictis paremus ouantes.

ARGVMENTVM.

Affirmat seriò Æneas quæ viderat; sacrum perficit: refert omnia ad patrem, qui se malè oraculum intellexisse ex locorum & parentum errore animaduertit: repetitq; in memoriam, quæ ipse olim de Italia à Cassandra audierit, cui nulla tunc fides.

EXPLICATIO.

[a] Expauit Æneas (nam hoc est *attonitus*, & ἐμβρόντητος. Pauoris huius duplex causa, Deorum visa, Deorum vox. Refer visa ad splendorem, qui semper comes Deorum, nam visi *multo manifesti lumine*: vocem, ad eam, qua vsi Dij, nam semper hæc maior C humana. Quæ sequuntur referenda sunt ad idem, quasi dicat. Attonitus sum visis, nam verè visus sum agnoscere illorum vultus, & comas, omnia splendida: attonitus sum voce, nam verè visus sum agnoscere illorum ora. Hæc est sententia. frustra enim repetat *vultus & ora*. Faceret hoc vulgaris Poëta. Verba illa, *Nec sopor illud erat*, habent hanc sententiam. Ne putate me deceptum, tametsi in somnis visi mihi Dij, & dormienti: dormiebam quidem, sed hoc tamen non fuit ludibrium somni. Ideo postea subiicit,

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

Si mihi non creditis, sudori credite, qui gelidus, & ex toto corpore. Hic effectus non ab inani causa. *velatæ comæ*, sunt, vittatæ, explicatore Turnebo.

[b] Attonitus surgo celerrimè (hoc enim indicant verba

verba *corripere è stratis corpus*, tendo statim ad cælum vocem ac manus, libo focis munera intemerata, (rite perfecta) ideo statim explicans ait *perfecto honore*, quia sacrum illud intemeratum est, quod rite perfectum. Pergit. Anchisen adeo, illi rem omnem pando. Obserua recessisse à vulgo, omnes enim, *facere certiorem*. huic placuit *certum facere*.

c Agnouit statim Anchises ambiguam prolem, id est, Teucrum, & Dardanum. Est hic pulchra antithesis, nam vtrunque & *prolem*, & *parentes* nominat. Ille proles Cretæ, hic Italiæ; & vterque tamen parens Troiæ. Non minùs pulchra est antithesis in versu sequenti; *errore nouo, locorum veterum*. Sed quis hic *error nouus?* Diuersè interpretes. ego rem capio respectu ipsius Anchisæ, vt dicat, de re vetere recens fuit Anchisæ error.

d Reuocat in memoriam, quæ à Cassandra audiuerat. Illa enim sola, nemo alius vatum, solita erat hos casus canere. Nunc (inquit) repeto Cassandram solere portendere domicilia hæc esse debita generi nostro, & sæpe vocare Hesperiam, sæpe regna Itala. Hoc loci *portendere* in bonam partem sumi monet Germanus. Verbum *vocare* hîc pro nominare, capio. Est *exercitus*, afflictus, prostratus, pessumdatus.

e Sed quis crederet, Teucros venturos ad Hesperiam? Nam Teucri potiùs debuissent ad Cretam repetere originem, vnde Teucrus. Quem moueret Cassandra, iussu Dei tum non credita?

f Conclusio totius sermonis, qua ait cedendum esse, id est, parendum Phœbo, atque ex eius monitu sequenda esse fata meliora. Absoluit, *cuncti paremus ouantes*. Ex decoro ætatis obsitæ sæpe Poëta inducit totam classem parentem Anchisæ, licèt classis princeps Æneas esset.

NOTÆ.

1. NEC SOPOR ILLVD ERAT] Hinc Silius lib. 3.

Hoc trepidus monstro (neque enim sopor ille, nec altæ
Vis aderat noctis.)

Sudor timoris nota.

2. GELIDVS MANABAT CORPORE SVDOR] Hæc timoris nota Poëtis frequentissima, Ennio apud Macrob.

Tum timido manat ex omni corpore sudor.

Valerio Æditui in Epigram.

Perpectus miserum manat subito mihi sudor.

Ouidius. 3. Am. eleg. 13.

Mens abit, & morior quoties peccasse fateris,
Pérque meos artus frigida gutta fluit.

Sappho:

—ἴδρως ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἀγρεῖ:
—*effluit sudor gelidus, tremorq;*
Occupat totam.

Sudor cur gelidus in timore.

Sed cur in timore sudor sit gelidus, ratio clara. quippe ex affluxu caloris ad intima, fit vt partes extimæ eo destitutæ, succedente frigore, emittant frigida liquamina. Adi Cæl. Rhod. lib. 6. Lect. Ant. cap. 5. Sudoris frigidi meminit Aristoteles in Problem. vbi quærit, διὰ τί τοῖς ἱδρῶσιν οἱ θερμοὶ χεῖρονες βελτίους εἰσὶ τῶν ψυχρῶν;

3. CORRIPIO E STRATIS CORPVS] Celeritas surgentis indicatur. Hæret Lucretio libro 3.

Corripere ex somno corpus, mutareq; vultum.

A vel Euripidi in Oreste, ex nota Germ.

Δεμνίων ἀπὸ πηδᾷ δρομαῖος, πῶλος ὡς ἀπὸ ζυγοῦ:
Velox è stratis exsilit, equuleus vt à iugo.

Supinæ manus, quæ.

4. TENDÓQVE SVPINAS] Liuius lib. 26. *supinas manus ad cælum, ac Deos tendentes.* Supinæ manus esse videntur, ita sublatæ, vt palmæ spectent cælum. Ita in 4. Iarbas dicitur orasse *manibus supinis*. Quem locum vide.

5. MVNERA LIBO] Hæsit credo Catullo:

Quàm iucunda mihi munera libet onyx.

Et fortasse *focis* signatè munus libat, non ex communi illa religione, qua in honore adhibendo, Diis omnibus ignis aderat; sed quia Penatibus, qui apparuerant, honorem exhibuit: hi verò domibus, B ac perinde focis, dicuntur præsidere. Cùm verò Æneas statim ac surrexit religionem hanc & pietatem in Numina ostenderit, inesse credo tacitam Sophoc. imitationem in Electra, vbi pædagogi ore,

—μηδὲν πρόσθεν ἢ τὰ Λοξίου
Πειρώμεθ' ἔρδειν, κἀπὸ τῶνδ' ἀρχηγετεῖν
Πατρὸς χέοντες λουτρά.
—*nihil prius quàm iussa Apollinis*
Conemur facere, & ab his auspicari,
Patri libantes libationes.

Perfectio de sacris.

6. PERFECTO LÆTVS HONORE] Putat rectè Hortens. allusum ad τέλειον ἱερὸν, *sacrum perfectum*, *eximium*, *luculentum*, cuius apud Græcos frequens mentio. Inde μυστήρια τελέσθαι, καὶ C ἀτελέσματα: *perfecta*, *imperfecta mysteria*, & τελεσιουργεῖν, *sacris operari*, propriè, *perficere sacra*, & τέλεια ἑταιρικά, *societatis sacræ*, τέλειος Ζεὺς, *Iuppiter Telius*.

Iliaca mala. Adag.

7. ILIACIS EXERCITE FATIS] Bellum Troianum & magnitudine sui, & hostium acerbitate, & diuturnitate temporis, bella omnia superauit, quare quicquid acerbum est, ac difficile ad tolerandum, *malorum Iliade* comprehenditur, vide Erasm. adagio Ἰλιὰς κακῶν. Inde apud Athen. lib. 8. Stratonicus rogatus, cur nollet viuere apud Ilienses, ἀεὶ (respondet) Ἰλίῳ κακά: *semper Ilio mala*. Æschines epist. 10. ἐν Ἰλίῳ τραγικὰ, καὶ φοβερά: *res Iliensium tragicæ*, *& terribiles*. Vsurpat autem hic Poëta propriè mala Iliaca, quæ D mox ab aliis Scriptoribus traducũtur sub adagij forma ad quælibet alia mala explicanda. Ex hac malorum calamitate Æneas miratur in 1. se *non potuisse Iliacis occumbere campis*. Huic adagio affine aliud, *Odyssea errorum*, quod Budæus vsurpat, & ab hoc Iunius Cent. 2. adag. 5. Cùm autem hæc mala *fata* nominat, doloris auget acerbitatem, nam Æneas aliíque tolerauerunt quicquid Deorum ira efficere in Troianos potuit.

Paronomasiæ lepor.

8. CASVS CASSANDRA CANEBAT] Huiusmodi παρονομασίᾳ, & παρηχήσει, ita studiosè addictus Poëta, vt ea videatur plurimum delectatus. sic *Casus Cassandra canebat*. *Puppesq; tuæ, pubesq; tuorum*. *Arma amens*. *Via inuia*. *Parere parabat*. Coniunxit plurima Iouian. Pari venustate Ennius.

E *O tite tute tati, tibi tanta tyranne tulisti.*

Cic. de Amic. *eo loco locati sumus*. Tritum illud eiusdem: *O fortunatam natam*, &c. Plautus, *amœnia mœnia*. Terent. *amentium amantium*. Ea figura mirè quoque delectati Græci. Apud Euripidem Medea sic Iasoni exprobrat,

Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος,
Seruaui te vt sciunt Græcorum quotquot

Vnà tecum adnauigarunt. in Hecuba εὔρρουν Εὐρώταν. in Orest. ἕως ἑῶσι. in Iphig. βαρβάρους βαρείδας. in Troad. Ἀφροδίτην ἀφροσύνην. in Bacch. Πενθεὺς πένθος. Æsch. Ἄρης ἀρὰν. Homer. αἰνῶς Αἰνείαν. Ἐπειὸς ἐποίησεν. Arist. ἀρετὰς αἱρετάς. ἅπαντα A ἁπάντων. Græcum epig. ἀχέων Ἀχαιῶν. Sophoc. Αἴαντι αἰάζειν. &, τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ. consimilia coniunxerunt multi. Nos præcipuè hæsimus Germano in 1. Æn. Mureto. 1. Var. cap. 15. versiones non addidimus, quia in his nullus lepor.

[a] Hanc quoque deserimus sedem: paucísque relictis
Vela damus, vastúmque caua trabe currimus æquor.
[b] Postquam altum tenuere rates: nec iam ampliùs vllæ
Apparent terræ: cælum vndique, & vndique pontus:
Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyemémque ferens, & inhorruit vnda tenebris.
[c] Continuò venti voluunt mare, magnáque surgunt
Æquora, dispersi iactamur gurgite vasto.
Inuoluêre diem nimbi: & nox humida cælum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
[d] Excutimur cursu, & cæcis erramus in vndis.
Ipse diem noctémque negat discernere cælo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in vnda.
[e] Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago: totidem sine sidere noctes.
[f] Quarto terra die primùm se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac voluere fumum.
[g] Vela cadunt: remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

ARGVMENTVM.

Soluunt è Creta, patiuntur per dies tres tempestatem fœdam, qua auertuntur à cursu Italiæ: quarto demum die terram è longinquo cernunt, quò cursum dirigunt, vsi tantùm remis, velísque complicatis.

EXPLICATIO.

a AFFECTVS doloris non vulgaris, exprimés miseriam sedis toties relictæ, & perpetuæ peregrinationis seriem. Cretam quoque deserimus, vt Troiam, vt Thraciam, vt Delum. Sed ante abitum relinquunt paucos sociorum, qui Pergamum incolant, & retineant in Creta nomen Troianum. Nisi quis velit hoc ad mortuos referre, qui peste ceciderant.

b Sed postquam prouecti in altum sunt, nullis iam terris, cælo tantùm & aquis prospectui obuiis, subitò imber exortus noctem & tempestatem attulit, ac totum mare densissimis tenebris exhorruit. Obserua definiuisse Poëtam, quid esset mare altum, illud videlicet, vbi nullæ apparent terræ, tantùm cælum, tantùm vndæ. Illud *supra caput* explicat Seruius, perniciosus, exitialis. Non placet. potiùs, ἄνωθεν. &, κατ' ἄκρης. quod iam variis in locis à me. Τὸ *inhorruit* est, quod Græci ad verbum, διέφριξε.

c Ab cælesti imbre & horrore maris transit ad alia, D quæ potissimè in hac tempestate, vt in omni. venti voluunt (inuertunt) mare, æquor surgit, dispergitur iactatúrque classis. Nimbi diem inuoluunt, nox cælum aufert: & in his tenebris solùm micant ignes (signat fulgura) hique ex abruptis nubibus (signat tonitrua,) nam hæc nihil aliud quàm ruptæ nubes magno fragore: verbum *ingeminant* est, ingeminant se, ac duplicant, non, ingeminantur.

B d Ab tam diro malo quid passa classis? excutitur cursu, id est, auertitur à cursu, quem tenebat, errátque in vndis obsitis ingenti caligine. Sed quid mirum classis reliqua erraret, cùm densissimæ tenebræ vel Palinurum ipsum (ἐμφατικῶς) scientissimum rei nauticæ reddiderint inscium diei & noctis? nequibat enim diem à nocte discernere, nec viæ aut officij sui meminisse; adeo malum præsens sensus omnes occupauerat.

e Pendet ex præcedenti. Cùm nemo posset diem à nocte discernere, factum vt classis erraret per mare tres soles, sed incertos ex cæca caligine; noctes totidem, sed incertas, quia sine sidere. Itaque nesciebant, quando esset dies, quando nox: erant enim incerti C de die, ob caliginem; incerti de nocte, quia nullum sidus. Nihil aptius ad exaggerandas has tenebras.

f Ait Seruius naturaliter hoc dictum. nam quoties appropinquamus littoribus, videtur terra exsurgere. Ideo itaque, quarto die tellus visa est se attollere, visa etiam aperire montes, visa fumum voluere. hæc enim indicia terræ iam proximæ.

g Consilium ab necessitate, proximi enim terræ vela contrahunt, incumbunt remis, quam rem ita viuidè exprimit, vt putes te nautas cernere laborantes, toto pectore adnitentes torquendis remis, ac tum spuma albida excitatur, verruntur maria. Nota antithesin in verbis *cadunt, insurgimus*.

NOTÆ.

1. HANC QVOQVE DESERIMVS SEDEM] Tale quid in Æschine reperies epistol. 1. ad Philocratem, vbi & Delo, quæ peste laborabat, fit fuga rapida, & noctu.

2. VASTVM] Ita Plinius lib. 12. c. 19. *vehunt per maria vasta ratibus.*

3. TRA

Trabs pro naue.

3. Trabe] Pro naue *trabem* multi eleganter vsurparunt. Catull. *natantis impetum trabis*, & Varro in 6. de Ling. Latin. in versu, quem citat ex Ennio, A

Vna trabes remis sulcat rostrata per altum.

Horat. *trabe Cypria.* vetus Poëta de Arg.

Vtinam ne in nemore Pelio securibus

Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Citatur hoc Pacuuianum,

Labitur trabica in alueum.

Mitto Ouidium, Iuuenalem, Senecam, Flaccum alios.

Terræ quæ sunt mari attribuuntur.

4. Cvrrimvs] Quæ terræ sunt, mari dantur, cursus, curro, iter, via, & talia. Aristophan. Lysistrat. θέειν θέειν: *curritis secunda aura.* Homerus de naue. 2. Od. ἡ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα: *illa currebat per fluctus.* Pollux lib. 1. dixit, πορεία θαλάττια, καὶ ὄχημα, omnia à terra. Homerus ποντοπόρος de naui. Catullus, *decurrere puppi.* Plin. lib. 6. c. 17. *Velifico nauium cursu.* Symposius Poëta nauem hoc ænigmate complexus est: B

Longa feror velox formosæ filia syluæ,

Innumeris pariter comitum stipata cateruis,

Curro vias multas, vestigia nulla relinquens.

Via de terra propriè.

Ita infra *viam* dicit, quæ (notauit hoc Seruius) terræ est. Plautus Rudent. *vias cæruleas.* Ita alibi *maria sulcari, & arari.* Huius rei erit ratio, nam nauis agitur remis tanquam pedibus. Artemid. ποσὶ dixit, loquens de naui lib. 1. c. 50.

5. Postqvam altvm tenvere, &c.] Nemo neget fuisse in mente Poëtæ hæc scribentis Homerica illa Odyss. 12.

Ἀλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη
Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα·
Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων
Νηὸς ὕπερ γλαφυρῆς, ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς.

Sed quando insulam deseruimus, nec vspiam aliqua

Apparebat terrarum, sed cælum atque mare:

Tum verò nigram nebulam statuit Saturnius

Nauim supra cauam, obscuratus pontus est sub ipsa.

Virgilius superat Homerum.

Sed neque etiam Græca à Latinis superata. Quæ illa simplicitas? *cælum atque mare.* quæ verò illa dignitas? *cælum vndique, & vndique pontus.* vulgaria quoque illa, vndam obscuratam tenebris: sed non illa, vndam tenebris inhorrescere. Iam illud *supra caput.* signatiùs ad tempestatem, quàm, supra nauem. comparationes alias cum Virgilio latiùs exsecuti sumus, 1. Æn. Sed hîc Iuuencum audi, quem ibi subticui, nam huic loco insistit ita lib. 2.

Postquam altum tenuit puppis, consurgere in iras

Pontus, & immensis hinc inde tumescere ventis

Cœpit, & abruptos ad cælum tollere montes.

Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram,

Illisósque super laterum tabulata receptant

Fluctus, disiectóque aperitur terra profundo.

Alti maris descriptiones.

6. Cælvm vndiqve, et vndiqve pontvs] Theocrit. εἰδ. 20. de Europa nauiganre in dorso tauri. Ἀλλ' ἀὴρ μὲν ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων: *sed aër quidem desuper, subter autem immensus pontus.* Virgilius aërem mutauit in cælum. Plato in Protagora aliud agens, altum ita describit, φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων ἀποκρύψαντα γῆν: *fugere ad mare altum orationis, occultata terra.* Aristides in Rhodiacâ, ita: ἀλλ' ἦν αὕτη θάλαττα ψιλὴ ποτέ: *erant hæc omnia merum mare.* Nazianzenus orat. 21. ita πέλαγος ἀχώρητον τοῖς ὀφθαλμοῖς: *pelagus non circumscriptum oculis.* Lucret. lib. 4. hoc idem sic: E

Quippe vbi nil aliud, nisi aquam cælúmque tuentur.

Ouid. 1. Trist. 2. eleg.

Quocunque aspicio, nihil est nisi pontus & æther.

7. Continvo venti volvvnt mare] Sic de ventis quoque in primo,

Vastos voluunt fluctus.

Idem verò hic, *mare voluere*, quod ibi, *mare ab imo eruere.* est enim magnæ tempestatis initium, mare ita turbari, vt ima in summum eruantur, & voluantur æquora. Potuit verò Poëta institisse Sophoc. in Antigone, cuius hæc sunt:

Ὅμοιον ὥστε ποντίαις
Ἅλὸς οἶδμα δυσπνόοις
Θρῄσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
Κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
Θῖνα, καὶ δυσάνεμον:

Non aliter atque alti

Maris fluctus, vehementibus

Threicijs cùm ima percurrit flatibus,

Voluit ex fundo nigras

Arenas, & turbidas.

Ab hac maris conuersione ex imo in summum, & contra, quæsita est metaphora oratori illi, qui orationes ad Cæsarem scripsit de ordinanda Rep. falsò ascribuntur Sallustio; is itaque: *sed non inscius, neque imprudens sum, cùm ea res agitur, quæ sæuitia, quæve tempestates hominum nobilium futuræ sint, cùm indignabuntur omnia funditus misceri.* hæc enim mistio signat conuersionem agitationémque maris.

8. Magnaqve svrgvnt æqvora] Videtur mihi Poëta locutus cum antithesi verborum, nam æquora, quæ sic dicta, quòd æqua sint; tamen surgunt, crescunt, attolluntur. non itaque æqua æquora, vt illud lib. 6. C

non comtæ mansere comæ.

9. Involvere diem nimbi. &c] Pergit tempestas, in qua nimbi, nox, ignes, tonitrua; omnia ad horrorem: sed horribiliora, si alia adiungas. nam nimbi diem inuoluunt, nox cælum aufert, ignes sunt creberrimi, nam sese ingeminant (hoc malo cum Budæo) redeo. tonitrua ingentem edunt fragorem, nam abruptis nubibus. Solus Poëta Maro. sed & expende alia. Præcedunt nimbi, ideo deinde nox humida. Cælum & lux aufertur, ac statim pulchra antithesi sequuntur ignes. & fulgura. Alia, quæ hîc desunt, de tenebris & horrore, petenda ex lib. 1. Possit quispiam dubitare legendum ne *abruptis nubibus.* an, *abrupti ignes.* posterius malim, nam omnino Poëta ad Lucretium contendit lib. 2. D

Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes.

Scio adhuc in Lucretio legi ab nonnullis *abruptis.* sed iudicium Gifanij sequor, qui tam in Lucretio quàm in Virgilio legit *abrupti.* Papin. quoque. 1. Theb.

nec non abrupta tremiscunt

Fulgura.

Virgilius cō paratur cum historicis.

quo se Maronis interpretem reddidit. Pro lectione altera est explicatio, quam iam attuli. Cùm verò. 1. Æn. Poëtam cum Homero, aliisque contulerim, placitum nunc huic tempestatis descriptioni adiungere duplicem historicum, vetetem vnum, nouum alterum; videlicet Liuium, & Maffæum; illum, cùm multis aliis, tum antiquitatis veneratione; hunc, ea dempta, reliquis omnibus admirandum. Duplicem partem continet, si expendas, Maroniana descriptio; tum, quæ fœdè ab ipsa tempestate acciderint, tum, quæ in miseros Troianos redundarint. Tempestatis sunt, imber ferens noctem atque hyemem, horror vndarum, venti magni, surgentia æquora, nimbi, nox, ignes, tonitrua. Ex hac sæuitia redundant in Troianos iactatio dispersióque in vasto gurgite; deinde excutiuntur cursu, errant in vndis cæcis. Liuius itaque lib. 30. totus est in posteriore hoc malo, apud quem,

tempestas sæua Claudij Consulis classem adoritur, & disiicit: naues multas quassat, & armamentis spoliat: quasdam frangit, vexat, lacerat. Maffæus.2. Hist. Indicæ longior est, & in vtroque versatur malo. de priore hæc fermè sunt: *variat sæpe cælum & pelagus; atræ ac sordidæ nubes conglobantur ad Septentrionem, effundit se repentè Aquilo cum vniuerso impetu, pertinaciter flat, pelagus intumescit; fluctus modò ad astra ferri, modò ad ima pene tartara subsidere: accedit caligo atra, rudentium stridor; salum ipsum interdiu piceo, noctu igneo colore terrens.* de posteriore: *naues quatuor euertuntur, obruuntúrque in conspectu omniū, ita vt è tāto hominū numero nemo prorsus euaserit. tam horrendo spectaculo ceteri exanimantur: alij cōsanguineos; alij amicos oculis frustra requirūt: accedunt cōploratio, lacrymæ: mœror ex alieno interitu, ex metu sui cuiusque periculi obstupefactio: naues inter se colliduntur cum extremo pene salutis discrimine: voces dissonæ, nullus oculorum in tam atra caligine, nullus aurium vsus in tanto ventorum fremitu.* Vtriusque scriptoris verba posui, leuiter nonnullis immutatis, nulla verò seruata illorum constructione. Hanc nostram diligentiam non ociosam putabit, qui aspirat ad laudem Poëticæ; & multo is minùs, qui viderit plures nostri æui eruditos homines cum summa gloria versatos in hac varia locorum comparatione. Ex eadem diligentia non piguerit verba Taciti ascribere è 2. Annal. vbi vtrunque malum persequitur; nescias an ad Poëtam, an ad historicum propior. Itaque Tacitum cùm audis, puta te poëtam aliquem audire. Ergo ille: *atro nubium globo effusa grando. simul varijs vndiq; procellis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milésque pauidus, & casuum maris ignarus* (hoc Maffæus ad suam descriptionem sumpsit ex Tacito, cùm dixit: *nautæ locorum, ac tempestatum ignari*, sed pergit Tacitus.) *dum turbat nautas, vel intempestiuè iuuat, officia prudentium corrumpebat. Omne dein cælum, & mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, & rigore vicini Septentrionis horridior rapuit, disiecitque naues in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptas, vel per occulta vada infestas.*

Virgilij imitatio.

10. EXCVTIMVR CVRSV] Est hîc aliquid de quo admonearis ad perfectam Virgilij imitationem. Dixi hac descriptione rem duplicem contineri, tum quæ fœdè ab ipsa tempestate accidant, tum quæ in nautas redundent mala. Virgilius igitur ita rem discriminat, vt particulas iam huius, iam illius mali inferat, variante sæpe incommodo ad maiorem doloris conquestionem; itaque non integer tractus est vnius mali, mox alterius. explico. Postquam venti voluunt mare, & surgunt magna æquora, tum Troiani miseri disperguntur, iactantúrque vasto gurgite. Redit tempestas, & nox diem inuoluit, cælum rapitur, micant fulgura, sonant tonitrua: & redit pariter calamitas nautarum, nam excutiuntur cursu, & errant in vndis cæcis, ita vt Palinurus nequeat diem à nocte discernere. Hæc variatio animos afficit, quam à me adnotari iuuentutis interfuit, vt sciat se tanti vatis præbere æmulam.

11. TRES ADEO INCERTOS, &c.] Ductum ex mente Germani ab Apollonio lib. 4. apud quem nautæ feruntur per pelagus Libycum dies & noctes nouem. πέλαγόστε Λιβυστικὸν ἐννέα πάσας νύκτας ὁμῶς, καὶ τόσσα φέρ' ἤματα.

A 12. SOLES] Pro diebus, sic apud Catull.

Soles pro diebus.

Soles occidere, & redire possunt.

Et:

Fulsere quondam candidi tibi soles.

Et Seneca Trag. in Theb.

—nate post multos mihi
Remisse soles.

Græci etiam vsi hoc lepore. Pind. Od. 13. Olymp. ἁλίῳ ἀμφὶ ἑνὶ: *sole in vno.* Exempla alia alij coniunxerunt. vt Catullus *candidi soles* pro diebus faustis: contra Horatius *nigrum solem* dixit, pro die infelici Sat. 9. lib. 1.

13. QVARTO TERRA DIE, &c.] Quàm comptè & grauiter, quæ Homerus multis his Od. 5.

Ἀλλ' ὅτε δὴ τρίτον ἦμαρ ἐϋπλόκαμος φέρεν ἠώς·
B Καὶ τότ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
Ἔπλετο νηνεμίη· ὁ δ' ἄρα σχεδὸν εἴσιδε γαῖαν,
Ὀξὺ μάλα προϊδών:

Sed quando iam tertium diem pulchricoma adduxit
Aurora;
Deinde tunc ventus quieuit, atque serenitas
Erat tranquilla, ipse verò prope conspexit terram,
Valde acutè prospiciens.

14. AC VOLVERE FVMVM] Homericum versum ex Odyss. 10. contulit in hemistichium satis elegans.

Καπνὸν δ' οἶον ὁρῶμεν ἀπὸ χθονὸς ἀΐσσοντα:
Fumum autem solum videbamus è terra erumpentem.

Et alterum eiusdem libri.

Καί μοι ἐείσατο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης:
C *Et mihi apparebat fumus à terra lata.*

15. ADNIXI TORQVENT SPVMAS, &c.] Hic versus factus ad saporem Ennij lib. 1. Annal.

Verrunt extemplo placidè mare marmore flauo,
Cæruleum spumat sale conferta naue pulsu.

Remigum conatus expressus.

Versus Ennij adducunt mihi alios in memoriam, quibus idem vsus in exprimendo eximio conatu remigantium, quē vides à Virgilio exprimi. Ergo ille 7. Annal.

Per liquidum mare eant sudantes, atque sedentes.

Et:

Vestráque pectora pellite tonsis.

Et:

Referunt ad pectora tonsas.

Silius ad Ennij imaginem lib. 11.

Et simul adductis percussa ad pectora tonsis.

D Lucan. lib. 3.

—& remis pectora pulsant.

Virgilius in 5. pari conatu:

—adductis spumant freta versa lacertis.

Vt illustres voculam *torquent*, adi illud 4. G.

spumantem vndam sub vertice torsit.

& quæ dicam lib. 7. ad illud,

& torto vertice torrens.

Vt Poëta *adnixi*, ita Attius Telephro apud Nonium:

Remísque nixi properiter nauem in fugam tradunt.

Ergo in Virgilio erit *adnixi remis.* Apollonius 2. Arg. ita expressit hunc nisum, βιαζομένων ἡρώων. loquitur videlicet de vi, qua vsi Heroës in remigando. Vt Virgilius *cærula* pro mari, ita Propertius lib. 1. eleg. 8.

E *Vt te felici vectum per cærula remo.*

Scio aliter ab aliis legi hunc versum Propertij.

Seruatum ex vndis Strophadum me littora primùm
Accipiunt: Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa postquam

Clausa domus, mensásque metu liquêre priores.
Tristius haud illis monstrum: nec sæuior vlla
Pestis & ira Deûm Stygiis sese extulit vndis.
Virginei volucrum vultus: fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

ARGVMENTVM.

Tempestate deferuntur ad Strophadas Insulas in mari Ionio, quas Harpyiæ habitant, ex quo coactæ sunt relinquere mensas Phinei: in reliqua parte habetur illarum descriptio.

EXPLICATIO.

NON absque graui doloris sensu (admonet hoc Seruius) quasi dicat. Ex dito malo tempestatis incidi in dirum aliud, cùm perueni in insulas Strophadas, in quibus domicilium Harpyiarum. Sequitur descriptio Strophadum, sed hæc quia pendent ab longa fabulæ narratione, reseruaui ad notas. Vt etiam quæ de forma Harpyiarum attingit Poëta. Ideo hic parcissimè.

NOTÆ.

1. STROPHADES GRAIO, &c.] Ad eum modum, quo hic Poëta, locutus Homer. Odyss. 4.

Νῆσος ἔπειτά τις ἔστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι).
Insula deinde quædam est valde vndoso in ponto,
Ante Ægyptum (Pharon verò ipsam vocant.)

Harpyiarũ nomina. 2. HARPYIÆ] Ab Hesiodo in Theog. tres numerantur, Iris, Aello, Ocypete. quidam pro Iride subrogant Celæno. Asius nominat Alopen, Acheloën, Ocypeten: vt etiam Hyginus. Stesichorus Thyellam addit, Asclepiades, Ocythoen, Achæus, Ocypoden.

3. PHINEIA POSTQVAM, &c.] De Phineo & Harpyis multi scripserunt. adeundi Virgilij interpretes, Apollonius. 2. Arg. eius ibidem interpres. Valer. Flacc. 4. Arg. eiúsque interpretes. Diodorus lib. 4. Lilius in Syntag. Natalis in Mythol. Quæ dicunt hi in promptu omnia. Mihi placitum reddere ex Græco in Latinum, quod Eustathius scripsit in Odyss. 12. tum quia id minùs vulgate, tum quia mira est in hac re fabularum confusio, & mihi satis auctorem vnum sequi, neque illum vulgarem. tum demum quia Phinei & Harpyiarum historiam, veriùs fabulam, coniunctim narrat. Fecit hoc ante me Germanus, sed Græca tantùm adhibuit, vt semper. Ait itaque verbis meis Eustathius. (Phinei historia.) *Argonautæ ad Bithyniam cùm peruenissent, inciderunt in Phineum cæcum, eius prouinciæ Regem. cæcitatis causa hæc. Habuerat filios ex Cleopatra filia Boreæ, qua repudiata alteram duxit, cui iam nouercæ filios ex Cleopatra ad necem tradidit, calumnia illata. Iratus Iuppiter, Regi optionem dedit, aut cæcum viuere, aut mori. mori non vult, sed esse cæcus, neque solem videre. Sol ipse iratus Harpyias homini mittit, quæ fame torquerent, cibos semper ab epulante raptura. Sciunt vidéntque hoc Argonautæ, qui vnà cum Iasone nauigabant, scientésque, Phineum sapientem esse, hortantur, petúntque rationem expediret, qui præternauigaturi essent Symplegadas (sunt hi scopuli gemini in ostio Euxini, infames Poëtarum carminibus: putantur enim inter se concurrere, nauésque elidere) promittit ille se facturum, si Harpyias è regno suo pellerent, quod illi pollicentur. Quærit itaque ab illis quanta sit celeritas eius nauis, qua vehebantur: respondent, tantùm illam spatij nauigando solitam transmittere, quantum columbam volatu. iubet, columbam capiant, dimittántque per medias rupes, cùm ipsæ à complexu diuellantur; cùm verò illa spatium transmiserit, tum se illi intrepidi in viam dent. Ergo columba mittitur, volat, totum illud transmittit spatium, vno tantùm accepto incommodo, nam ad finem volatus concurrentes scopuli caudam lacerant. Illis statim à complexu diuulsis sequuntur Argonautæ eadem celeritate qua priùs columbæ, tuti euadunt, tantùm in fine cursus elisa puppe, vt columba caudâ. Ergo Zetes & Calaïs alati iuuenes, & filij Boreæ, qui vnà cum Argonautis in ea erant expeditione, Harpyias pellunt à Phineo, persequuntúrque gladijs vsque ad Plotas insulas: inde redierunt moniti à Ioue, cessarent ab illis persequendis: quia autem inde redierunt, Plotæ ab illorum reditu dictæ deinceps sunt Strophades, nam στροφὴ, flexus est & versio Græcis.* Sic fermè Eustathius. pauca enim addidi, quæ ad cursum fabulæ necessaria; pauca exemi, quæ non ita: vt videlicet expeditior esset, & facilior explicatio Maronis. Habes ergo, cur illæ insulæ dictæ Strophades Græco nomine, cur illas colant Harpyiæ, cur reliquerint priores mensas Phinei.

4. TRISTIVS HAVD ILLIS MONSTRVM, &c.] Sequitur Harpyiarum descriptio, in qua mihi aliquid moræ trahendum, vt probem Harpyias easdem esse cum Furiis. Si enim verba Poëtæ expendas omnia, hæc reperies. Plurimi discriminant, pauci subdubitant, vnus tantùm audax Seruius in opinando easdem esse, cuius ego audaciam libenter sequor, atque assero Harpyias & Furias idem esse atque indiuisum malum. Sed priùs præstat Seruium audire, qui postquam nonnihil præmisit in hanc sententiam, absoluit: *Sanè apud Inferos Furiæ dicuntur, & Canes: apud Superos Diræ, & Aues: in medio verò Harpyiæ.* (Harpyiæ, & Furiæ eædẽ.) Hanc Seruij sententiam veram esse affirmo. coniecturæ multæ & in re Poëtarum mihi certæ. vix est enim attributum vllum Harpyis datum, vix vlla proprietas, quæ non Furiis quoque conueniat, atque è contrario. Virgines facit Maro Harpyias hoc loco, sic & Furiæ virgines dicuntur, vnde illud in 7. *Virgo sata nocte.* Alas habent Harpyiæ, sic & Furiæ, notum hoc. Apollonius, & Maro Harpyis dant manuum & vnguium vncitatem, vt videbis infrà: Furiæ Græcis dicuntur βλοσυρονύχιαι, id est, *horribiles vnguibus.* Harpyias pariter & Furias Maro vocat, *obscænas volucres,* illas in hoc libro: infrà,

Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres,

has in extremo ex Persona Iuturnæ,

—ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres.

Pallorem dari Harpyis hîc vides,

—& pallida semper
Ora fame:

eundem vni Furiarum quæ Tisiphone, in 10.

Pallida Tisiphone media inter millia sæuit.

Harpyiæ famulæ Iouis dicuntur à Valer. Flacco. 4. Arg.

—& medijs vox exaudita tenebris.
Iam satis huc pepulisse Deas, cur tenditis vltra
In famulas sæuire Iouis?

Furiæ

Furiæ à Marone dicuntur apparere ad Iouis solium A in 12. Æn. Furias Diras dici nemo est qui dubitet. atqui Harpyias Diras quoque dictas à Virgilio admonet Parrhasius in Claudian. ait enim Diras dictas quasi Deorum iras, ad quam rem probandam adducit versum hunc Maronis, *pestis & ira Deûm*, quem sanè Poëta Harpyis accommodat. Illæ Dearum nomine ornantur. Virgilius hîc:

Siue Deæ, seu sint Diræ, &c.

quo nomine neque carent Furiæ: de vna earum sic idem Poëta in 7.

Tempus Dea nacta nocendi.

Harpyiæ tres sunt, Aëllo, Ocypete, & Celæno: Furiæ item tres, Alecto Megæra, Tisiphone: quin Harpyis quartam addunt Thyellam à commouendis procellis, quod nec deest in Furiis, quibus quartam addit B Euripides in Hercule Furente, nimirum Lyssam, id est, Rabiem, quam Iuno contra Herculem educit. Harpyiæ prope Epirum fuisse leguntur, vt ex hac narratione Maronis potest constare, neque enim multo pòst quàm earum meminit, subdit,

Littoráque Epiri legimus.

Itaque fuerunt in eo tractu: sed Furias cognominatas Palæstinas ab Ouidio 4. Fast. docti quidam arbitrantur eo versu:

Et modò tolle faces, remoue modò verbera, clamat:
Sæpe Palæstinas iurat adesse Deas.

Atqui Palæste locus fuit Epiri apud Oricum, vt ex Lucano. 5. Pharsaliæ discimus, & ex Cæsare in Comment. Ciuilibus. Furiæ canes dicuntur, quod notum omnibus, vnde Virgilius in 6. C

Visæq; canes vlulare per vmbram.

Quem versum interpretes non indocti de Furiis capiunt. Neque carent hac re Harpyiæ, scribit enim Seruius, desumpsitque ab Apollonio lib. 2. Zetum & Calain Boreæ filios ad Plotas vsque persecutos fuisse Harpyias, sed *ab Iride admoniti, vt à Iouis canibus abstinerent, conuerterunt suos volatus*. Apollonij versus, quos Seruius non affert, hi sunt,

Οὐ θέμις ὦ υἱεῖς Βορέω ξιφέεσσιν ἐλάσαι
Ἁρπυίας, μεγάλοιο Διὸς κύνας:
Non fas ô nati Boreæ vos ensibus, alti
Harpyias vrgere canes Iouis.

Demum vt Harpyiæ lucos habitant, insulas, syluas; sic Furiæ, neque tantùm inferna loca. quam rem docet D me Sophocl. in Oedipo in Colon. vbi illis ἄλσος assignat, in quo habitent. Inde probè à Poëta in hoc libro Celæno inducitur, sese appellans Furiam, & Furiarum maximam, his verbis:

Vobis Furiarum ego maxima pando.

quam versus partem repetit idem in 6. vbi sermo est de ipsis Furiis,

Furiarum maxima iuxta
Accubat.

Ex eadem doctrina admonuit Seruius, in hoc libro Harpyias abripere epulas, & in 6. vnam Furiarũ prohibere mensas contingere. Neque verò contra hoc est, alia nomina à Poëtis dari Harpyis, alia Furiis: sicuti neque pugnat contra simplicitatem Dianæ triplex nomen, quod illi obtigit, Dianæ, Lunæ, Proserpinæ.

5. PESTIS] Æschines contra Ctesiphontem vocat Demosthenem Ἑλλάδος ἀλιτήριον, *pestem Græciæ*. Et vicem referens Demosthenes Æschinem ipsum vocat, κοινὸν ἀλιτήριον. *pestem communem*, in oratione de Corona. Pestis prouerbialis

6. FOEDISSIMA VENTRIS PROLVVIES] *Proluuies ventris*, sunt retrimenta alui & sordes. sic Lucret. lib. 6.

Et nigra proluuie alui.

Seru. ait, *proluuiem* esse, sordium effusionem, vitatúmque à Poëta, ne diceret stercus. Quàm magna fuerit illa effusio indicat Græcus Poëta in Epig. qui volens exprimere δυσωδίαν καὶ δυσοσμίαν maximam *tetrum pestiferúmque odorem*, ait non posse cõferri Ἁρπυιῶν προσσά, *Harpyiarum proluuiem, & sordes*. De hac voce *venter*, non te prætereat nota Isac. Casauboni in lib. 8. Athen. cap. 11. Est enim vox Græca. Græcis γέντερ, est locus, τῶν ἐντέρων *intestinorum*, est autem in γέντερ, γ, Æolicum digamma, quod sæpe in v, vertitur. Venter vnde dictus

7. VNCÆQVE MANVS] Sic & Apollonius lib. 2. de Harpyis,

Χερῶν ἀπὸ γαμφηλῇσι συνεχέως ἥρπαζον:
Manuum curuitatibus continenter rapiebant.

8. ET PALLIDA SEMPER ORA FAME] Non absque pulchra specie antitheseos pallor ex fame datur auibus, quæ voracissimæ & edacissimæ: ac si diceret: quantumuis ederent, semper tamen famelicæ. Quem pallorem (tu interpretes adi) retulerim non incommodè ad nimiam ventris effusionem, qua fieret, vt omnia quæ ederent, nihil prodessent conciliando nitori, & colori cutis.

[a] Huc vbi delati, portus intrauimus; ecce,
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenúmque genus nullo custode per herbam.
[b] Irruimus ferro: & Diuos, ipsúmque vocamus
In prædam partémque Iouem. tum littore curuo
Exstruimusq; toros, dapibúsque epulamur opimis.
[c] At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiúntque dapes, contactúque omnia fœdant
Immundo. tum vox tetrum dira inter odorem.

E

ARGVMENTVM.

Vt pedem Troiani ponunt in insulis, boues sacros, caprasq; interficiunt, parant epulas, adsunt Harpyiæ, dapes diripiunt, fundunt proluuiem ventris. auditur illarum stridor, sentitur odor grauis.

EXPLICATIO.

[a] AB descriptione Harpyiarum tendit ad successum. In ipso Strophadum aditu vident *armenta boum*, & hæc *læta*, id est, pinguia: vident pascentes *per herbam* capras, & vtrunq; animal, *nullo costode*.

[b] Irruunt

b Irruunt statim ad certam prædam, Diis, & Ioue inprimis, inuocatis, cum voto communicandæ cum Ioue ipso prædæ, quam cepissent. Succedit felix venatio, inde in littore mensas extruunt, atque epulantur.

c Adsunt subitò Harpyiæ, alas quatiunt clangoribus, dapes diripiunt, sordibus ventris omnia contaminant, auditur vox auium dira, potiùs stridor.

NOTÆ.

Animalia Diis sacra. 1. ECCE LAETA BOVM PASSIM, &c.] Existima hæc animalia fuisse sacra alicui Deo, iuxta ea quæ dicentur infrà ad eum locum,

—tum numina sancta precamur
Palladis Armisonæ.

quod indicatur illis verbis *nullo custode*: nam & iisdem vtitur Sueton. in re simili, vide locum illum. Quòd si quis obiiciat, malè à Poëta inductum Æneam interficientem animalia Diis sacra: responderim; hæc fortasse excogitata à Marone, vt locum faceret secuturo augurio inauspicato; nam cùm primùm exstructæ sunt mensæ ex præda Diis sacra,

subitò horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ.

quæ mox, dapes diripiunt, *contactúque omnia fœdant.* quod in tantæ audaciæ vltionem factum esse credendum est. Hac solutione in re alia diuersa Macrobius vtitur ad expeditionem Poëtæ. Accedit, totam hanc partem ductam ad Homeri imitationem Odyss. 12. vbi Vlysses relicta iam Charybdi & Scylla ad insulam peruenit Soli sacram, in qua boues pulcherrimæ, pinguia etiam alia pecora sacra eidem Soli, in quæ socij Vlyssis dormiente illo sæuierunt, donec multa ad satietatem vsque trucidarent. Quæ audacia vbi ab nuntio ad Solem delata, & ab eo ad Iouem, Dij irascuntur. Vlyssémque excedentem ex insula atrox tempestas consequitur in eius audaciæ vltionem. Hæc strictim à me dicta, nam ita prolixè Græcus vates, vt nemo huc ea transferri sustineat. Vt Poëta genus caprigenum, sic ante illum Pacuuius, (Caprigenũ genus.)

Quamuis caprigeno pecori grandior gressio est.

Et Accius in Philoctete: *Caprigenûm trita vngulis.* Et in Minotauro: *Taurigeno semine,* &c. Hi versus veterum apud multos leguntur, tum coniunctim apud Macrob. lib. 6. Sat. cap. 5. Hinc ergo nescias, cur Seruius dixerit, *caprigenum, satis nouè & affectatè.*

Prædæ pars Deorum. 2. IPSVMQVE VOCAMVS IN PRÆDAM PARTEMQVE IOVEM] Frequentissimum apud veteres votum fuit vt decimam prædæ, & spoliorum, quicquid ex hostibus captum fuisset, Ioui & Diis deuouerent, atque inde Iouem nuncupatum fuisse Prædatorem: quod fecisse Camillum, si Veios caperet, Liuius scribit lib. 5. Igitur militaris hic mos inducitur à Poëta in venatione. Eundem attingit Seneca Tragic. ore Hippolyti venaturi, *Ades en comiti Diua virago,* & Virg. ad eandem Dianam in Melibœo, (Iuppiter Prædator.)

Setosi caput hoc apri tibi Delia paruus,
Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.

& Xenophon in Cynegetico. ἐξευξάμενοι τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀγροτέρᾳ μεταδοῦναι τῆς θήρας: *Inuocato Apolline, & Diana venatrice partem pollicendo.* Inde Iuppiter dictus λήϊστωρ, & λαφύστιος, qui Latinis prædator. Sicut & Minerua, quæ præest prædationibus ληῖτις, & ἀγελείη. Plutarchus in Comment. cur Pythia non reddat oracula carmine, memorat, primitias, & decimas prædæ votas Diis. φόνων, καὶ πολέμων, καὶ λεηλασιῶν ἀπαρχαῖς, καὶ δεκάταις κύκλῳ περιεχόμενον τὸν θεὸν ὁρῶν: *cernens Deum, cædium, bellorum, & prædarum primitiis decimísque circumdatum.* nam videlicet, (Minerua prædatrix.)

A & de præda Diis immolabant, & partes etiam quasdam eis interdum suspendebant de tholo, & consecrabant, vt Dianæ aprorum capita, & ceruorum cornua, versu iam adducto, *Setosi caput hoc apri,* &c. & lib. 9. Æn.

—si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendiue tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

De lege venatoria Scotorum, quantum ad hanc rem attinet, lege Leslæum lib. 2. sed & *in partem vocare*, verbum est iuris, pro participem facere. Cic. pro Cæcin. *mulieres in partem vocatæ sunt.* Vide Alexandrum lib. 3. Gen. cap. 22. Turnebum in Aduers. Germanum in Virg. Delrium in Hip. Sen. Nou. Comm. Prædictis adde Seruium, qui *ipsum* accipit emphaticè, quasi, ipsum Iouem prædatorem. Addítque Romæ templum fuisse Iouis Prædatoris, cui semper deberetur referri aliquid ex præda. Hîc vnicè notandum, tametsi verum sit, cuique Deo offerri ea, quibus ipse præerat, quod certum ex tota antiquitate; tamen hunc morem non semper retentum: nam hîc pars prædæ destinatur Ioui, non Dianæ Deæ venationis. His iam adiice verba Liuij lib. 3. *magna vis armorum capta, & omnia Imperator Vulcano sacrata incendit.* & lib. 8. *Vulcano arma, siue cui alij deuouere volet, ius esto.* Videbantur quippe arma dicanda esse vni Marti. (Vocare in partem.) (B)

3. DAPIBVSQVE EPVLAMVR OPIMIS] Dapes opimæ in re sacra sunt, vt opimæ victimæ, hostiæ, &c. Videlicet, optimæ, egregiæ, lectæ, eximiæ. Festus: *Hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues; & spolia opima, magnifica, & ampla.* Varro 2. Rei Rustic. *Boues altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi.* Inde *cœna dapalis, dapsilis, dapsatica,* celebrata veteribus, vt opipara & lauta. voces istæ obuiæ sunt in Latinis auctoribus. Græci δαψιλὲς dicunt, λαμπρὸν, λιπαρὸν, πολυτελές. Interpres hic discrimen inuenit inter epulas, & dapes; vt illæ hominum sint, hæ Deorum. & ideo Poëtam vtrunque coniunxisse, *epulamur dapibus*, nam Troiani & conuiuiis, & sacrificiis dant operam. inde *epulamur* ad homines, *dapibus*, ad Deos pertinent. (Opimum in sacris, quid.) (C) (Cœna Dapalis, Dapsatica.) (Epulæ diuersæ à dapibus.)

4. AT SVBITÆ HORRIFICO, &c.] Notum est, Virgilium hæsisse Apollonio lib. 2. Arg. & vtrique Valerium Flaccum. 4. Argon. omnes conferamus in his tantùm quæ attingit Virgilius. Quod hic, *Harpyiæ adsunt de montibus horrifico lapsu*: Græcus,

Διὰ νεφέων ἄφνω πέλας ἀΐσσουσαι Ἅρπυιαι:
E nubibus subitò ruentes Harpyiæ.

(D) Val.

—in mediis dapibus videre volucres.

&,

—ilicet omnes
Deueniunt, niger intorto ceu turbine nimbus.

Quod Virg. *diripiuntq; dapes*; Græcus.

Χειρῶν τ' ἀπὸ γαμφηλῇσι συνεχέως ἥρπαζον:
Manuum curuitatibus continenter rapiebant.

Valerius,

Diripiunt, vertúntque dapes, fœdatáq; turbant
Pocula.

Quod Virg. *contactúque omnia fœdant Immundo*, Valerius,

(E) *Tum sola colluuie, atque illusis stramina mensis*
Fœda rigant.

Quod Virg. *odorem tetrum.* Græcus,

—ἐπὶ μυδαλέην ὀδμὴν χέον,
—odorem putrem fundebant.

& ἀπέπνεε λείψανα δαιτός, *exhalabant epularum reliquiæ.*

Valer. *flagrat odor.* &

Flagrat acerbus odor, patrísque exspirat Auerni
Halitus.

Reliqua Græci Virgilius contempsit, Valerius vtrique

que multa addidit. Variat nonnulla ex his Virgilius in sequentibus.

5. DIRIPIVNTQVE DAPES] Ab hac re speciem adagij in Plutarcho reperi lib.7.Sympos.quæst.6 ὥσπερ ἁρπυιῶν διαφοροῦντας τὰ δεῖπνα, καὶ περινομοῦντας: *Harpyiarum in morem cibos differunt, atque depopulantur.* Et in opere de vitando ære, loquens de his, qui τὴν τροφὴν διαρπάζουσι, *cibos rapiunt*, etiam prouerbialiter inducit Harpyias, ὡς ὁ Φινεὺς ἁρπυίας τινὰς ὑποπτέρους βόσκοντες: *tanquam Phineus Harpyias quasdam alatas nutrientes.* Idem de tuenda sanitate, animi appetentias, id est, ὀρέξεις, cum Harpyis comparat.

Harpyiarum in modum, Adag.

[a] Rursum in secessu longo, sub rupe cauata,
Arboribus clausi circum, atque horrentibus vmbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
[b] Rursum ex diuerso cæli, cæcisque latebris,
Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis:
Polluit ore dapes. sociis tunc arma capessant
Edico; & dira bellum cum gente gerendum.
[c] HAVD secus ac iussi faciunt: tectosq; per herbam
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.
[d] Ergo, vbi delapsæ sonitum per curua dedêre
Littora: dat signum specula Misenus ab alta
Ære cauo. inuadunt socij, &, noua prœlia, tentant
Obscœnas pelagi, ferro fœdare volucres.
[e] Sed neque vim plumis vllam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celeriq; fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam, & vestigia fœda, relinquunt.

ARGVMENTVM.

Secedunt Troiani ad locum tutum, vt tutò edant, sed neque Harpyias fallunt. deliberant bello confligere, parantur gladij, scuta. adsunt illæ, signum editur, inuaditur, sed recedunt tutæ relictis ijsdem fœditatis vestigiis.

EXPLICATIO.

[a] TVti vt sint Troiani, quærunt secessum inde longè distantem, nam hoc est, *longo secessu*, ibi *sub caua rupe, clausi arboribus atque vmbris horrentibus*, id est, vmbris arborum densissimis (est enim ἓν διὰ δυοῖν) mensas instruunt, aris ignem reponunt. quo verbo satis innuit prioribus quoque epulis ignem in aris positum.

[b] Non satis longus secessus, rupis caua, vmbræ horrentes, nam *rursum ex diuerso* tractu *cæli*, atque etiam ex *cæcis latebris*, id est, ex obscura parte nemorum, vbi clausi Troiani, aduolat cum magno sonitu turba Harpyiarum, quibus adunci pedes, atque ita dapes polluit ingenti oris vomitione. Hoc malo conflictatus Æneas, videns per latebras nihil boni succedere, bellum apertè indicit, iubétque vt omnes arma comparent.

[c] Parent socij, & capiunt arma. Sunt in his versibus figuratæ locutiones. Nam *disponunt enses tectos*, est, disponendo tegunt: *& condunt scuta latentia* est, condendo faciunt latere.

[d] Fingit Poëta veluti hostile prælium, in quo vtrinque tubis canitur, & parantur animi. Itaque Harpyis clangores sui pro tuba sunt, quibus dedêre sonitum ad bellum; illis Misenus respondit ære, id est, tuba ærea, ab alta specula. Hoc facto concurritur; nam socij inuadunt, tentant prælia noua. quid enim magis nouum, quàm cum volucribus pugnare? *fœdare ferro*, est violare ferro. volucres *obscœnæ* dicuntur cum respectu ad proluuiem ventris.

[e] Sed ecce à tam dira pugna nulla plaga, nam neque plumæ, neque tergus accipiebant vulnus: illæ enim præ mollitudine gladios fallebant: istud præ duritia aciem respuebat. Fugiunt iterum volatu altissimo, ideo *sub sidera*, relinquentes eadem, quæ priùs, fœtoris signa. *semesum* est, semicomestum, ἡμίβρωτον. Hîc tu expende Virgilianæ orationis sobrietatem. Vulgaris Poëta hîc inaniter lasciuiret, vt in prælio ita nouo, vt nullum simile: faceretque magnam moram in isto Harpyiarum & hominum conflictu, stupore ipso materiam præbente.

NOTÆ.

1. INSTRVIMVS MENSAS] Struo, & composita de conuiuiis in 1. *cura penum struere*. Papin.5.syl. Struo in conuiuiis.

—propere mensasq; torosq;
Instruit.

sic Græci σκευάζω; & παρασκευάζω. Athenæus.2.Dipnosop. afferam verò integrum testimonium, vt morem obiter scias. ἔθος ἦν ἐν τοῖς δείπνοις τῷ ἑστιάτορι κατακλιθέντι προδίδοσθαι γραμματίδιον τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ᾽ ᾧ εἰδέναι, ὅ,τι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος: *Consuetudo in conuiuijs fuit, vt accumbenti iam illi, qui conuiuio alios excipiebat, daretur schedula, in qua descripta erãt vniuersa, quæ structa erant, vt sciret, quod priùs obsonium coquus deberet mittere.* Redeo. inde *structor*. Martialis: Schedula vbi edulia. Structor.

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.

hic ab aliis *scissor*, & *carptor*: Eundem Iuuenalis Græco nomine Chironomonta appellauit. verba, quæ huic muneri respondeant, si quæras, hæc sunt, *carpere, concerpere, discerpere, lacerare, secare, dissecare.* Vult Vrsinus eũ esse structorem, quem Athenæus vocat τραπεζοκόμον. Scissor. Carptor. Chironomõn.

2. ARISQVE REPONIMVS IGNEM] Scribit Lilius. 17.Syntag. hæc verba Maronis referenda, vt videtur, ad sacrificiũ illud, quod veteribus dicebatur succidaneum, idem indicat Seruius. erant autem succidaneæ hostiæ cùm primis hostiis non litabatur, atq; ideo secundæ ducebantur cædebantúrque. Inde ortum prouerbium Græcorum δευτέρων ἀμείνων: quòd in sacris secunda erant meliora. succidaneæ hostiæ præcidaneis opponuntur, erant hæ quæ ante solemnia sacrificia pridie mactabantur. Hostiæ succidaneæ.

Turba de paucis. 3. TVRBA] De tribus tantùm. Ouidius de duobus, Deucalione & Pyrrha: *Nos duo turba sumus.* Sic de Furiis, quæ tres tantùm, *agmen* & *agmina* poëtæ plures. Insunt in his locis emphases quædam.

4. POLLVIT ORE DAPES] Est hoc, quod Petronius Sat.

—maduere veneno
Fallaces epulæ.

5. SOCIIS TVNC ARMA CAPESSANT EDICO] Arma capere. Ex more Romanorum, quo milites, vbi impetus faciendus esset, iubebantur arma capere, ad quem & morem & verborum formulam hoc loci Poëta allusit. Ita Silius lib. 7. 12.

—propere capere arma maniplis
Edicit. & lib. 8.
Ite igitur, capite arma viri.

Tale quiddam Homerus Odyss. 2.

Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν
Ὅπλων ἅπτεσθαι· τοὶ δ' ὀτρύνοντος ἄκουσαν:
Telemachus autem socios hortatus iussit
Arma aptare, hi verò adhortantem audiuerunt.

6. OBSCOENAS] Propriè existimo accipiendum propter proluuiem ventris, qua mensas fœdabant, sic inf. *vestigia fœda relinquunt.* sic sup.

—fœdissima ventris
Proluuies. de iisdem Flacc. lib. 4. Arg.
—fœdataque turbant
Pocula, flagrat odor. iterum,
flagrat acerbus odor.

Itaque *obscœna volucres*, ab immunditie, & sordibus effusis vêtre. Sunt qui malint respectum ad omina, vt *obscœna* dicantur, quia malè ominentur. omnia enim à mali ominis sic dicebantur veteribus, vt est apud Festum, & Varronem. Accius in Oenomao apud Non. Obscœna.

Ciues ominibus faustis augustam adhibeant
Fauentiam, ore obscœna dicta segregent.

Ac perinde obscœnitas fauentiæ opponetur.

7. PELAGI] Sunt qui putent, filias fuisse Ponti & Terræ, in his Seruius: sunt qui Neptuni. Hesiodus in Theog. filias facit Thaumantis, & Electræ filiæ Oceani. Ad has omnes opiniones potest Poëta alludere, eas cùm vocat pelagi volucres. Hesiodi versus sunt. Harpyiarũ parentes.

Θαύμας δ' Ὠκεανοῖο βαθυρρείταο θύγατρα
Ἠγάγετ' Ἠλέκτρην, ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν,
Ἠϋκόμους δ' Ἁρπυίας, Ἀελλώ τ', Ὠκυπέτην τε:
Thaumas Oceani profundi filia
Duxit Electram, quæ celerem peperit Irin,
B *Et pulchricomas Harpyias Aëllo, & Ocypeten.*

Sed quidem Valerius Flacc. lib. 4. Arg. eas facit Auerni filias,

Flagrat acerbus odor, patrisq; expirat Auerni
Halitus. & infrà, *inhiat Cocytia nubes*
Luxurians.

8. FERRO FOEDARE] Ennius apud nouum Seruium: *ferro fœdati iacent.* Noster. 2. Æn.

Ferro Argolicas fœdare latebras.

Vide ibi notam Scaligeri.

9. SEMESAM PRÆDAM] Ne accipe semicomestam à Troianis, sed ab ipsis Harpyis, cùm inuolabant in cibos. hoc enim est ferarum propriè. Philostratus lib. 1. Iconum, θηρίον ὑποκαθήμενον ταῖς μηλέαις, καὶ σιτούμενον τὰ πίπτοντα ἐς γῆν μῆλα, πολλὰ δὲ καὶ ἡμίβρωτα καταλεῖπον διαθηρῶσιν: C *Venantur feram sedentem sub malo, & edentem poma cadentia in terram, ac multa semesa relinquentem.*

[a] Vna in præcelsa consedit rupe Celæno
Infelix vates, rupitq; hanc pectore vocem:
[b] Bellum etiam pro cæde boum, stratisq; iuuencis
Laomedontiadæ, bellúmne inferre paratis?
Et patrio insontes Harpyias pellere regno?
[c] Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
[d] Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
[e] Italiam cursu petitis; ventisq; vocatis
Ibitis Italiam, portusq; intrare licebit.
Sed non antè datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, nostræq; iniuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
[f] Dixit, & in syluam pennis ablata refugit.

ARGVMENTVM.

Vaticinatur Celæno, fore vt Troiani ad Italiam perueniant, sed priùs, quàm vrbem condant, eò famis adigantur, vt mensas quoque absumant. his dictis abijt.

EXPLICATIO.

[a] Omnia ad horrorem sequentis vaticinij. rupes, vbi sedet, præcelsa, & aspera: vocis ruptio, quò Harpyiam non tam loquétem quàm vociferantem intelligas: nomen ipsum Celænus. est enim κελαινὸς, *ater*, vt mihi videatur dici *infelix vates*, μάντις κακῶν, quia Celæno.

[b] Exordium abruptum, vt in querimonia, vt illud, *tantáne vos generis*, &c. Oratio semper crescit à tribus temporibus. Occidistis nostra pecora, quod iniquum: E nobis nunc bellum infertis, quod iniquius: cogitatis de nobis & regno patrio pellẽdis in posterum, quod D iniquissimum. Hi enim estis, qui scelus scelere obruatis. Hæc est enim mens Harpyiarum, non aliter ac Liuius dixit de Masinissa lib. 30. illum temeritatem temeritate alia luisse, quòd videlicet nuptias Sophonisbæ malè auspicatas obruerit nece eiusdem. Cùm ait *Laomedõtiadæ*, mirè Troianos deturpat à genere, vt qui ab perfido Laomedõte genus ducant. quasi dicat. Pari vos perfidia in nos estis. Dixit *regno pellere*, nõ terra, nam *efficacius & magniloquentius*, ait Scaliger.

[c] Non est tautologia, vult enim nõ solùm accipiãt, sed altiùs figant: illud ad attentionẽ, hoc ad terrorem.

[d] Hoc personarum gradu maximam comparat attentionem. Quale enim erit vaticinium illud, quod Iuppiter ad Apollinem, Apollo ad maximam Furiarum, id est, Harpyiarum.

☞ Incipit vaticinium à prosperis & felicibus (ait Nascim.) vt desinat in aduersa & tristia. Sic est.

Sunt enim læta, ituros in Italiam, & ventis felicibus (hos enim innuit) atque ad portum tandem appulsuros, & hoc annuentibus fatis, ait enim *licebit*. Sunt tristia quæ prædicuntur de dira fame. Nam quantum est, eò redigendos, vt etiam mensas deuorent?

[f] Abit, imò raptim aufertur, vt in æstu cogitationum Troianos relinquat. verbum *refugit* signat volatum penitissimum, vt recessus intimum secessum.

NOTÆ.

1. RVPIT VOCEM] Homerus, φωνὴν ἔρρηξε.

Figere dicta.

2. ATQVE HÆC MEA FIGITE DICTA] Theocritus. φρεσὶ βάλλεο σῇσι: *mitte hoc tuis mentibus.* Idem in Homero inuenies. 1. Iliad. & Odyss. 11.

ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι:
Aliud autem tibi dicam, tu verò fige in tuis mentibus.

Seneca in epist. 16. *altiùs quotidiana meditatione figendum est.* at epist. 7. *Ista condenda in animum sunt.* & epist. 20. sic dixit: *in præcordia ima demittas.* Fortasse à Valer. Maximo, qui lib. 7. *altioribus animis cogitatio demissa.*

3. QVÆ PHOEBO PATER OMNIPOTENS, &c.] Sententia sumpta ex Græcis, quibus tale quiddam frequenter in ore. Hom. Odyss. 12.

Ταῦτα δ' ἐγὼν ἤκουσα Καλυψοῦς ἠϋκόμοιο.
Ἡ δ' ἔφη Ἑρμείαο διακτόρου αὐτὴ ἀκοῦσαι:
Hæc ego audiui à Calypso pulchricoma,
Hæc autem dicebat à Mercurio internuntio audiuisse.

Æschylus apud Macrob.

Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός:
Apollo propheta est Iouis patris.

Sophoc. in Colon.

——ὥσπερ καὶ σαφέστερον κλύω.
Φοίβου τε, καὐτοῦ Ζηνὸς, ὃς κείνου πατήρ:
——*eò certiùs audio quia*
A Phœbo, & Ioue ipso, qui eius pater.

Iuppiter pater vaticiniorum.

in locum adductum Æschyli ita eius Scholiastes. δοκεῖ γὰρ ὁ Ἀπόλλων παρὰ Διὸς λαμβάνειν τοὺς χρησμούς: *videtur enim Apollo ab ipso Ioue capere oracula.* His omnibus apparet vaticinantium pater fuisse Iuppiter, quo mandante, inspirante, volente Apollo vaticinabatur. Itaque verè Liuius lib. 25. ex carmine Martij: *nam mi-* A *hi ita Iuppiter fatus est.* verè Phineus apud Val. Flaccum lib. 4. vaticinaturus, quæ futura Iasoni, ait:

—fandi mihi Iuppiter auctor.

& Græcus vates,

Ζεὺς ἐν θεοῖσι μάντις ἀψευδέστατος:
Vates verissimus inter Deos Iuppiter.

Ait Iunius lib. 4. Animad. cap. 22. huc pertinere illud Euripidis in Oreste, vbi inducit Glaucum prædicentem quæpiam ex vaticinio Nerei. Isti videntur esse, quos ὑποφήτας appellat Pollux lib. 1. quasi dicas, *subvates.* qui videlicet ab alio acceptum oraculum promunt. Illud *Phœbus Apollo* Homeri est, qui sæpe, Φοῖβος Ἀπόλλων. & Παλλὰς Ἀθήνη. Aristophanes etiã in Pluto. ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον.

Phœbus Apollo.

Vrbs, quid.

4. CINGETIS MOENIBVS VRBEM] Non recedit à peritia antiquitatis, quæ vrbem propriè nomina- B bat partem eam tantùm, quæ esset cincta mœnibus. Esse itaque aliquis Romæ poterat, & non in vrbe, quia extra mœnia. Sed hoc alibi.

5. QVAM VOS DIRA FAMES, &c.] Summi Poëtæ ingenium extollit Scaliger lib. 3. cap. 28. qui inducat inexspectatas varietates, & elusiones portentorum, quæ mirificum afferunt ornamentum. Quid enim dirius, quàm eò adduci, vt cogantur Troiani vesci lignis aridis? sed quàm festiuiter hæc eluduntur in 7. vbi cùm panis pro mensa sit, quid mirum si absumptis eduliis ceteris, mensa quoque ipsa deuoretur? itaque quantum hîc horroris audita dira fame, & mensarum absumptione; tantum ibi festiuitatis eluso oraculo. Commentum Maroni desumptum ex historia est, quam Strabo adducit lib. 13. nam vbi de C Ænea est sermo, sic inquit: *Inde in Latium profectum ibi permansisse, responso quodam iubente, in eo loco sibi permanendum esse, vbi mensas ederet, quod in Latio prope Lauinium accidit. ibi enim ingens panis pro mensa per imprudentiam appositus, cum carnibus, quæ super eo erant absumptus est.* Hanc itaque historiam Poëta figmentis conuestit, & volucri vaticinanti attribuit. Seruius quoque ex Varrone ait, oraculum hoc acceptum Troianis à Ioue Dodonæo apud Epirum. Similitudo historiarum solet iucunditatem parere: hanc habet cum Maronis narratione ea quam Athenæus de Melantho Messenio adhibet lib. 3. Attigisse sit satis.

[a] At socios subita gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidêre animi: nec iam ampliùs armis,
Sed votis precibúsque iubent exposcere pacem:
Siue Deæ, seu sint diræ, obscœnæq; volucres.
[b] Et pater Anchises passis de littore palmis,
Numina magna vocat, meritósque indicit honores.
Dij prohibete minas, Dij talem auertite casum,
Et placidi seruate pios. tum littore funem
Diripere, excussósque iubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus vndis,
Quò cursum, ventúsque, gubernatórque vocabant.
[c] Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiúmque, Saméque, & Neritos ardua saxis.
Effugimus Ithacæ scopulos, Laërtia Regna,
Et terram altricem sæui exsecramur Vlyssis.

ARGVMENTVM.

Pauent Troiani, precibus rem gerunt, non armis: Anchises inprimis manus tollit, Dijs sacra indicit, & supplicat. Soluunt raptim, incerti quò eant. Græcorum insulas, Vlyssis inprimis, vident, detestantur, fugiunt.

D

EXPLICATIO.

[a] PAVORIS notæ duæ, sanguis gelidus præ formidine, & languor animi; posterior à priori oritur. & quia iam animi defecerant, nolunt bello & armis pacem, sed hanc votis & precibus ab Harpyis, modò

modò illæ Deæ sint, modò volucres ominosæ atque obscœnæ.

b Quid verò Anchises? Placet mens Donati. Dixerant socij placandas volucres. Abnuit senex, & potiùs ait, placanda magna numina, à quibus origo feralis nuntij exorta. Ergo Deos ipsos vocat, non Harpyias, illis indicit honores conuenientes, petit vt minas prohibeant, auertant imminentem successum, sint placidi atque propitij erga pios, illósque seruent. Iuuo mentem Donati. Placantur Dij, non volucres, quia Celæno, *Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit*. minæ ergo à Diis. sed redeo. Præmissas preces consequitur opus festinantissimum. Quid enim ampliùs morarentur in illis insulis, vbi tot diræ? Sed soluentium celeritatem aduerte. Funis diripitur, non soluitur; laxantur, & excutiuntur rudentes, tenduntur vela, fit fuga puncto temporis: non considerant, quò ituri; sed ventis, sed Palinuro commissi in incertum abeunt. *Rudentes excussos laxare*, est poëtica locutio, pro, excutere & laxare.

c Narrat, quas insulas in cursu viderint Troiani, & quia illæ hostiles sunt, vt quæ Græcorum, ita de illis loquitur, vt verbis ipsis etiam repræsentet formidinem Troianorum. Ideo Zacynthus *apparet* verbo gestuoso, & tragico, ait Scaliger. Ideo Neritos dicitur *saxis ardua*. Ideo confertio multorum nominum ad maiorem terrorem, vno enim pene ictu coniunguntur, *Zacynthus, Dulichium, Same, Neritos*. Ideo de Ithaca *effugimus*, cùm posset, prænauigamus, prouehimur, & similia: imo hanc exsecrantur, quia *altricem Vlyssis saui*. Vocat hanc insulam *regna Laertia*, ab Laërte patre Vlyssis.

NOTÆ.

1. DIRIGVIT] Pro, riguit. Sanguis enim gelidus rigescit. Quintilianus Declamat. 286. *Non diriguit mens? non soluta dextera est? non obstupuisti propius scelere admoto?*

2. CECIDERE ANIMI] Homerus κάππεσε θυμός. & Propet. *cecidit spiritus ille tuus*.

3. SED VOTIS PRECIBVSQVE] Græci tam precationes quàm vota, communi sæpe vocabulo εὐχὰς appellant. tamen hoc loci Poëta distinxit, sicuti etiam Val. Maximus lib. 1. cap. 1. cùm scribit: *veteres, cùm aliquid exposcendum erat, voto; cùm commendandum, precatione vsos*. sic fermè Brissonius lib. 1. Form.

4. SIVE DEÆ, SEV SINT] In hoc versu hærens Scaliger, sic ait lib. 3. c. 12. *Præterea cùm videret Harpyias, atque vna ex ipsis sese diceret maximam furiarum, summa modestia, paríque scientia dixit. Siue Deæ, seu sunt diræ obscœnæq; volucres*. Vult nimirum probare, Virgilium rerum omnium naturam calluisse. Tu huc transfer, quæ nos latè. 1. Æn. ad illud,

An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis vna.

Dij Magni, qui. 5. NVMINA MAGNA] Forte θεοὺς μεγάλους signatè intelligit. fuerunt hi duodecim, sex mares, Iuppiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Vulcanus, Apollo: sex fœminæ, Iuno, Vesta, Ceres, Venus, Diana, Minerua.

Indicere vox sacrorum. 6. INDICIT] Verbum *indico* ad sacra spectare admonet Seruius his verbis: *sacrorum verbo est vsus, nam supplicationes, & dies festi indici dicebantur*, & ex illo Brissonius. 1. Form. additque Silium & Liuium: hunc lib. 26.

Dum Roma antiquos templis indicit honores:

illum lib. 27. *& supplicatio omnibus Dijs, quorum puluinaria Romæ sint, indicta est*. est verò *indicere*, sollemni ritu (ait Hortensius) denuntiare, προαγγέλλειν, ἀπαγγέλλειν. sic indicitur ieiunium, bellum, festum, honores, ludi, funus, spectacula.

7. DII PROHIBETE MINAS] Est hoc, quod Herodotus dixit, lib. 3. τὸ μέλλον ἀποτρέπειν. Quod Demosthenes oratione. 15. ὃ μὴ γένοιτο. quæ verba sunt etiam in Æschylo. De verbo *auerto* significato, quo hic Poëta, satis multa Briss. Adi illum. Deum auertentem mala, *Auerruncum* Latini dicunt, Græci ἀλεξίκακον.

8. TVM LITTORE FVNEM DIRIPERE, &c.] Placet Virgilium comparare cum Liuio lib. 22. vbi similem celeritatem proponit hunc in modum. *Vix dum omnes conscenderant, cùm alij resoluunt oras, aut anchoram vellunt, ne quid teneat, anchoralia incidunt, rapiúntque omnia præproperè agendo: militum apparatu nautica ministeria impediuntur; trepidatione nautarum capere & aptare arma miles prohibetur.*

9. EXCVSSOS] Ad verbum Philo in Flaccum. πάντα κάλων ἀνασείων. Itaque à Philone sumpsisse credibile est Pollucem, cùm lib. 1. inter verba secundæ nauigationis adiunxit locutionem hanc, ἐκπλέομεν πάντα ἀνασείσαντες κάλων.

10. TENDVNT VELA NOTI, &c.] His duobus versibus coërcuit (ait Scal.) Homeri tres diffluentes. 2. Odyss.

Ἔπρησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστίον. ἀμφὶ δὲ κῦμα
Στείρῃ πορφύρεον μεγάλ' ἴαχε νηὸς ἰούσης.
Ἡ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα διαπρήσσουσα κέλευθον:
Impleuit autem ventus mediũ velum, circa autem fluctus
Carinam purpureus insonabat naue eunte,
Illa currebat per fluctus sulcans vadum.

Virgilius superat Homerum. Eadem habes. 1. Il. leuiter immutata. Comparans Scaliger, ait, meliùs à Poëta dictum *vndis spumantibus*, quàm à Græco μεγάλ' ἴαχε. nam clamor & sonitus non ita ad rem; cùm præsertim parua esset nauicula Homerica. Deinde diuinus versus, qui dat classem vento & gubernatori, cùm Græcus totus sit in fluctibus, adeo vt iteret. sic fermè ille. Addo his, præclaram oppositionem quæsitam Poëtæ cum superioribus: laxatis enim rudentibus tenduntur vela: itaque fit pulchra rerum commutatio. ante cursum intenti rudentes, laxata vela: in cursu illi laxantur, hæc tenduntur. Accedit commendatio Virgilij, si consideres ex alio loco partem aliam hîc adaptasse, nam Græcus Odyss. 11. sic,

Ἡμεῖς δ' ὅπλα ἕκαστα πονησάμενοι κατὰ νῆα
Ἥμεθα· τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν:
Nos autem armis singulis ordinatis per nauem
Sedimus, hanc ventúsque gubernatórque dirigebat.

Talis sis Poëta, vt ex pluribus Græcis & his dispersis tua colligas cum laude, & cum victoria.

11. NEMOROSA ZACYNTHVS] Homerus Odyss.

Δουλιχίῳ τε Σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ:
Dulichio, Saméque & nemorosa Zacyntho.

Masculum genus insulis. Insula est Zacynthos, & tamen illi attribuit genus masculum: fœmineum auctor hymni ad Apollinem, ὑλήεσσα Ζάκυνθος, *nemorosa Zacynthos*. Quod obseruauit Germ. sic & Homer. idem Πύλον ἠμαθόεντα, dixit, *Pylum arenosum*. Ergo non à vero abeunt illi, qui putant, insulas, naues, arbores, quorum in vs, terminatio est, generis esse masculi, ex natura sua; tantùm fœminei ex significato, quod iam vsu inualuit. An verò dicendum Samos, an Same, & quod discrimen, adeundus est Strabo lib. 10. Geog. & Hortens. in hunc locum, qui & apud Homerum legendum quoque Δουλιχίῳ, Σάμῳ τε, ait, non, Σάμῃ.

Neritos. 12. NERITOS ARDVA SAXIS] Homer. 2. Il.

Νήριτον εἰνοσίφυλλον.
Neriton altam, ventísque afflatam.

est mons Ithacæ, insula etiam eiusdem nominis. vtriusque expressè meminit Strabo lib. 10. Geog. adductis locis Homericis. Originem nominis hanc adducit Didymus Odyss. 18. Perilai liberi Ithacus & Neritus, qui à Ioue genus ducebant, incoluerunt Cephalle

phalleniam. Placitum his relicta sua gente traiicere in Ithacam. Loci huius situm diligenter contemplati, ad inhabitandum idoneum, quòd proximè adiacentibus regionibus altior esset, huc commigrarunt, condiderúntque Ithacam. Insulæ itaque ab Ithaco, Nerito monti adiuncto, à Nerito nomen inditum. Hortensium adi.

13. ITHACÆ SCOPVLOS, LAERTIA REGNA] Seruius in voce *Regna* irrisionem agnoscit, nam quæ illa Regna, quæ affixa in rupibus? Vult Turnebus Virgilium in nominandis Ithacæ scopulis adhæsisse Ciceroni, qui. 1. de Orat. *vt Ithacam illam in asperrimis scopulis ceu nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.* Sed potiùs crediderim propositum vati Homerum, qui. 3. Il.

—Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεὺς,
Ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης κραναῆς περ ἐούσης.
—*Laërtiades prudens Vlysses,*
Qui nutritus est in populo Ithacæ, asperæ licèt existentis.

nam in his multa similia, videlicet Vlysses Laertiades; nutritio, rupium asperitas: quæ omnia suo carmini inseruit Virgilius.

[a] Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
[b] Hunc petimus fessi, & paruæ succedimus vrbi.
Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.
[c] Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramúrque Ioui votísque incendimus aras,
[d] Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socij. iuuat euasisse tot vrbes
Argolicas, mediósque fugam tenuisse per hostes.
[e] Interea magnum Sol circumuoluitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat vndas.
[f] Ære cauo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

ARGVMENTVM.

Adueniunt Epirum, vbi mons Leucates, ad quem Actiũ, & templum Apollinis, perficiunt sacra indicta priùs in Strophadibus. agitant ibi annum integrum, erigit Æneas trophæum armorum cum superbo titulo.

EXPLICATIO.

[a] SIGNAT Epirum, vbi mons Leucates altissimus, ideo eius cacumina nimbosa, nam sæpe tecta nubibus. In hoc monte fanum Apollinis, quem vocat formidatum. quia locus vel hostilis, vel saxosus, vel in quo aliquis nautarum illuc appellentium immolari solitus. Triplex ratio Seruij est, posteriores duas probat Germanus, & inde lucem dat Propertio lib. 4. Adi.

[b] Subditur ratio, quare ad locum importuosum, & tot rebus formidatum appulerint, quia fessi nimirum salo & iactatione. Per *paruam vrbem* Actium cape. Hîc itaque anchora iacitur; nauium proræ prospiciunt mare, puppes littora.

[c] Locus difficilis, & in quo mirè variant interpretes, quos, si placet, adeas, mihi fere omnia illorum displicent. Dicam, vti commodè possit explicari. Indixerat Anchises in Strophadibus sacra Magnis numinibus, ea perfecturus lustratur in primis Ioui, lustrantur quoque ceteri, qui in eius comitatu, nam omnes soluturi ea sacra: incendúntque aras votis, id est, sacris, quæ iam vouerant. Postquam iam lustrati sunt, postquam incensæ aræ, sequuntur sacra, nimirum ludi, de quibus postea, in honorem non solùm Iouis, C sed Apollinis etiam: non enim vni tantùm Ioui, sed Magnis Numinibus indicta erant ea sacra. In postremis dissensi ab Nascimb. cùm hæserim in primis.

[d] Sententia est. Celebramus littora Actia, id est, A ludos Actios, qui fiunt in littoribus: celebramus verò ea ratione, qua fieri solebant in Ilio. Explicans verò, quæ esset hæc ratio Ilij; & patriæ palæstræ, adhibet notas duas, videlicet nudata corpora, & oleum labile (pete hoc à Notis) quasi dicat. Exercent palæstras Ilij & patrias, tum nudis corporibus, vt omnes fere; tum cum oleo labili, quod proprium Ilij, & æui heroici. Fiunt verò hi ludi, non solùm quia indicti iam ab Anchise, sed etiam εἰς ἀχαριστίαν, ideo subdit, *iuuat euasisse tot vrbes*, &c. Itaque gratias agunt, vt qui incolumes liberati à Græcis, & per medias illorum vrbes.

[e] Transigunt in vrbe Actio annum solarem, si non integrum, certè hyemem, cùm vndæ sæuæ sunt Aquilonis rigore.

[f] Attingit morem veterum, qui passim trophæa B excitabant, appensis armis, & in primis scutis, cum titulo glorioso rerum gestarum. Ex quo more Æneas Abantis scutum erigit, affigítque postibus Actij, & illud elogio & carmine insignit, satis superbo & glorioso.

NOTÆ.

1. LEVCATÆ] Plinius lib. 4. cap. 1. promontoriũ Leucatem nominat. Nomen huic loco ab albo lapide, in eo templum Apollinis. Strabo lib. 10. postquam dixit Leucadem sumpsisse nomen à Leucate: πέτρα γὰρ ἐστὶ λευκὴ τὴν χρόαν, προκειμένη τῆς Λευκάδος εἰς τὸ πέλαγος, καὶ τὴν Κεφαλληνίαν, ὡς ἐντεῦθεν τοὔνομα λαβεῖν. ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν, καὶ τὸ ἅλμα τὸ τοὺς ἔρωτας παύειν πεπιστευμένον: *est enim albicanti colore petra Leucadi adiacens, proiecta in pelagus, & in Cephalleniam, vt inde nomen sumpserit. Habet insuper & Apollinis Leucatæ fanum, saltúmque illum, qui ad sedandos amores valere creditur.* Itaq; ab historia Poëta meminit tum rupis tum Apollinis, qui in ea rupe. De Leucate

Apolline

Apolline formidato dixi iam in Explicatione quid alij senserint. Addam à me, posse accipi cum respectu ad religionem, quæ horrorem & formidinem incutit. Itaque huc transfer quæ iam dedi lib. 1. ad illud,

—horrentique atrum nemus imminet vmbra.

2. HVNC PETIMVS FESSI] Aliquid hîc ad religionem. Quamuis formidatus Apollo ille ob naufragia eius rupis, tamen illum petimus. Cui enim fidamus, nisi Deo fidamus?

3. PARVÆ VRBI] Actium capit Læuinus Torrent. in Sueton. quod oppidum, antequam in coloniam ab Augusto deduceretur, exiguum fuit, quod Læuinus idem monuit, Maronem explicans. Seruius scribit, hanc paruam vrbem esse Ambraciam. Non sic est. Nam statim subiunguntur littora Actia, & ludi ibi celebrati. deinde is locus apertè signatur à Poëta, quia formidatus propter asperitatem saxorũ & portum importuosum, vt qui in Acta positus, id est, in fragoso, & prærupto tractu. id enim signare ἀκτὴ. alibi dixi.

Succedo pro ascendo.

4. SVCCEDIMVS] Cùm dicatur de vrbe posita in monte, capiendum est, pro, ascendere, ex nota Gifanij in Collectan. Lucret. sic & Lucret. ipse lib. 3.

Nec priùs ad iugulum, & superas succedere fauces,

id est, ascendere.

5. ANCHORA DE PRORA IACITVR] Afranius in Excepto:

—iacitur anchora, inhibent leuiter.

Herodotus lib. 6. ita. τὰς νέας ἔχοντες ἐπὶ ἀγκυρέων. Philostratus lib. 6. vitæ Apollon. cap. 7. βάλλεσθαι ἀγκύρας. sic Græci alij: vnde suum *iacere* Latini.

6. STANT LITTORE PVPPES] Est hoc, quod in 6.

—prætexunt littora puppes.

quem locum vide, & Notam Christiani Florentis in Vespas Aristophan. ad ea verba, πρύμναν ἀνακρούσηται. pag. 457. editionis Aureliæ Allobrogum.

7. LVSTRAMVRQVE IOVI] Non te prætereat acuta obseruatio Seruij P. Danielis. Actiaci ludi, qui sequuntur, sunt quinquennales illi, quos Augustus instituit. Ergo Poëta propriè admodum dixit *lustramur*, nullo alio vsus verbo, in quo allusit ad lustrum Romanum, quod peragebatur ineunte quinquennio. Exemplum, quo Seruius caret, suppeditat Suetonius in Augusto cap. 18. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludósque illic Quinquennales constituit.* Quibus signatè cum Actiacis subinfert ludos Quinquennales. Porro ludorum Quinquennalium meminit idem Sueton. etiam in Augus. cap. 59. & 98. Strabo lib. 5. Papinius in Syluis, aliique.

Quinquennales ludi.

Actiacos ludos instituit Augustus.

8. ACTIAQVE ILIACIS, &c.] Adulatur Maro suo principi, eos enim ludos dicit ab Ænea celebratos, quos multo pòst Augustus instituit in honorem Apollinis. Repete verba Suetonij adducta superiore Nota. Sed templi tamen Apollinis, cuius non meminit Sueton. meminêre alij. Xiphil. in Aug. ὁ δὲ Καῖσαρ πόλιν τε ᾠκοδόμησεν ἐν τῷ τόπῳ, καθ' ὃν ἐνίκησε, Νικόπολιν αὐτὴν ὀνομάσας· ἕδος τι ἐν αὐτῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ὑπαίθριον ἱδρυσάμενος: *Cæsar vrbem ædificauit in eo loco, in quo sibi victoriam pepererat, eámque Nicopolin appellauit. templúmque Apollini sine tecto fieri iussit.* Testimonium Plinij alibi adduco.

Nicopolis vrbs.

Oleo qui vterentur in ludis.

9. OLEO LABENTE] Cùm ait *oleo* signatissimè attingit, quo se genere ludorum Troiani exercuerint. pugilatores, cursores, aliique vnctione, & oleo non egebant, tantùm qui luctam, vel pancratium inibant (nam Pancratium fuisse genus quoddam peculiare luctæ, docet nos Hieronym. Mercur. lib. 2. Artis Gymnast. cap. 9. quem sequimur.) Itaque Poëta Troia-

A nos suos, lucta se, & pancratio exercentes inducit, non pugnis, non alio ludorum genere. Quam ad rem traho opportunum Plutarchi locum lib. 2. Sympos. quæst. 4. τὸν δὲ τόπον, ἐν ᾧ γυμνάζονται πάντες οἱ ἀθληταί, παλαίστραν καλοῦσι, τῆς πάλης τοὔνομα κτησαμένης τὸ πρῶτον, ἀλλὰ καὶ τοῖς αὖθις ἐφευρεθεῖσιν ἐμφυσωσάσης: *Locum vbi omnes athletæ exercerentur, palæstram appellari; à pale, id est, lucta, nomen primò adeptum, quod deinde etiam recèns inuentis accommodatum fuerat.* Vides vt Poëta luctam intelligat vel ex palæstra, quæ propria vox luctatorum. Inde explicabis Catullum de Attide, *Ego Gymnasij fui flos, ego eram decus olei.* Sed cur *labente*? Respicit proculdubio Poëta ad priscum æuum, & morem, quo luctatores simplici oleo, aqua tantùm misto vngebantur, quod ideo labile, vt quod nullo

Palæstra, de quo genere ludorum.

B alio condimento crassitiem spissitudinémque contraheret, quo retineretur. fuit deinde aliud vnctionis genus, ex oleo, puluere, & cera, quod dictum ceroma. Demum labente æuo oleum variis odoribus condiri cœptum. Igitur Virgilius, vt oleum discriminaret, ab eo, quod ceromate, quódque odoribus aliis, sequenti æuo conditum est, *labens* dixit: & ideo fortassis *patrias palæstras* nominauit, quasi dicat: vetustas luctas, in quibus oleum labile. Ne abeat inobseruata Nota Vlpiani in orationem Demosthenis contra Leptin. vbi munus præbẽdi olei refert ad ipsum Gymnasiarcham. Ait enim: γυμνασίαρχος δὲ, ὁ παρέχων τὸ ἔλαιον τοῖς γυμναζομένοις: *Est gymnasiarcha, qui oleum præbet his qui se exercent.*

Ceroma.

10. NVDATI SOCII] Respicit ad apodyterium; is

C erat locus, vbi se veste spoliabant: ex apodyterio ingrediebantur alipterium, quo loco vngebantur.

Apodyteriũ.

Alipterium.

11. MAGNVM SOL CIRCVMVOLVITVR ANNVM] Ad discrimen lunaris anni, Solarem annum vocat magnũ, sicut Hesiod. in Theogon. μέγαν ἐνιαυτόν. sic capiunt Poëtam Seruius hic, & Macrob. lib. 12. Som. cap. 11. & 1 Satur. cap. 14. Nascimb. Turnebus, aliique viri doctissimi, intérque illos Germanus. Et hoc satis mihi indicat Apuleius lib. 11. [*Ecce transcurso signifero circulo Sol magnum annum compleuerat.* Vbi de solari necessariò capiendus. Et Seneca Oedip. vbi loquens cum Sole:

Magnus annus.

Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula euoluis rota.

Vides *tarda secula* in cursu signorum duodecim.

D Creduntur illi errare, qui capiunt de magno quodam anno, cuius Cicero, Ptolemæus, & hic Seruius meminere. & Cornel. Tacit. veriùs Quintilianus Dialog. de oratoribus, vbi mentio fit opinionis eius, quam tenuit Cicero. Eiusdem meminit Plutarchus lib. de Oracul. defectu. Et lib. 2. de placitis Philosophor. ad finem, ita de hoc anno loquitur: *Magnum annum alij octennio definiunt, alij XIX. annis, alij LIX. Heracletus annorum solariũ millibus octodecim. Diogenes CCCLXV. annis tantis, quantus vnus est Heracleto. Alij VIICIↃIↃ CCCLXXVII.* Dedi hæc Plutarchi, quia in nemine distinctiora. Apuleius de dogmate Platonis ita definit hunc annum: *vnde fit, vt & Magnus illi vocitatus annus facilè noscatur, cuius tempus implebitur cùm vagantium stellarum comitatus ad eundem peruenerit finem, no-*

E *uúmque sibi exordium, & itinera per vias mundi reparauerit.*

12. ASPERAT] Propriè admodum. Asperitas læuori aut læuigationi opponitur: illa enim sunt aspera, quæ abeunt à læuore. Mare itaque cùm æquum est & placidum, leue est: cùm ventis intumescit, ac perinde non æquum est, iam tum necesse est esse asperum. Valerius lib. 4. cap. 2. *placidum mare ex aspero.* Senec. ep. 14. de Austro: *Siculum pelagus exasperet.* Liuius lib. 37. *Medio in cursu Aquilone in Septemtrionem verso, exasperato*

Asperum de mari.

exasperato fluctibus mari, iactari cœperunt. iterum: *Nec ante hostium portus in salo stare poterant, aspero mari, & nocte imminente.* Eadem phrasi vsi Græci vocantes θάλασσαν ἀγειρομένην. Nec alia mens Horatij Od. 9. lib. 1. *aut mare Caspium Vexant inæquales procellæ.* Ista enim inæqualitas nihil aliud quàm asperitas huius libri, atque etiam 6. vbi Palinurus iurat *maria aspera.* Eôdem pertinent verba Sen. de Prou. c. 5. *Multa accidunt dura & aspera, sed quæ molliat & complanet ipse.* vides opponi *aspera*, & *complanet*.

13. ÆRE CAVO CLYPEVM, &c.] Fuit hic mos veteribus receptissimus, vt etiam apparet ex ludo gladiatorum, nam emeriti Herculi arma suspendebant, & cum elogio. Quin doctissimus Antonius Augustinus in lib. de Iconib. Dial. 2. existimat, peripetasmata ac tapetia (illa, inquam, in quibus scuta visuntur cum insignibus cuiusque gentis & familiæ, galea desuper imminente, cum cono plerunque purpureo, quæ parietibus, aut postibus portarum affiguntur, Hispani *reposteros* vocant) originem traxisse à veteri antiquorum trophæo; morémque elicit ex versibus Maronis, quos nunc interpretor. Ad eundem morem declarandum facit carmen aduocatum à Demosthene in oratione in Neæram,

Tapetiorũ origo.

Arma suspẽsa in tẽplis.

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε:
Græcorum ductor, Medos qui perdidit hostes
Pausanias, Phœbo dedicat hoc spolium.

Strabo lib. 3. Geograp. loquens de Asclepiade. οὗτος δείκνυσιν ὑπομνήματα τῆς πλάνης τῆς Ὀδυσσέως ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς, ἀσπίδας προσπεπατταλευμένας, καὶ ἀκροστόλια: *is monumenta quædam de Vlyßis errore in Mineruæ templo esse commemorat, suspensos clypeos, summa nauium rostra.* Arist. de mirabilibus Auscultationibus. *Ferunt & circa Dauniæ locum templum esse Mineruæ Achaicæ, in quo secures æreæ armáque cùm Diomedis, tum sociorum eius collocata sint.* Herodotus lib. 1. ἐν δὲ προνηΐοισι τοῖσι ἐν Δελφοῖσι ἀσπὶς χρυσέη μεγάλη: *in vestibulis templi apud Delphos clypeus visitur aureus ingens.* Aristides in 3. Leuctrica ait, apud Thebanos fuisse Lacedæmoniorum appensa scuta in signum victoriæ. Vitruuij verba lib. 1. Archit. cap. 1. de Laconum trophæo, victo Persarum exercitu, prætermitto, quia plurima. Tacitum 15. Ann. Pausaniam in Corinthiac. loquentem de Meleagro, & in Atticis, vbi loquitur de Pyrrhi victoria, & plures alios. Sed in hac re nonnullos mores obseruare non erit extra rem. Primo tam Virgilius, quàm alij, qui loquuntur signatè de clypeis, capiendi, vt plurimùm, de Clypeis cum imaginibus, de quibus loquitur Plinius lib. 35. c. 3. Silius lib. 7. Tacitus 2. Ann. Suetonius in Caligula, Trebellius in Claudio. Nam credibile est, appendi clypeos, in quibus incisa facinora. Alterum est, hos clypeos suspendi plerunq; ex multatitia damnatorum pecunia. adeo sollemnis hic ritus, neque solùm seruatus in re belli. Liuius lib. 45. *Multos pecuarios damnarunt, & ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Iouis ædis posuerunt.* Iterum eodem libro: *De multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iouis supra fastigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata.* Tertium est, interdum nihil appendi, tantùm coniungi struem congeriémque ar-

Clypei cum imaginibus.

Multatitia pecunia.

Armorum strues trophæi loco.

A morum. Apertè Tacitus 2. Ann. *Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo debellatis inter Rhenum Albímque nationibus, exercitum Tiberij Cæsaris ea monumenta Marti, & Ioui, & Augusto sacrauisse.* Silius lib. 10. *armorúmque iubet consurgere aceruos.* Liuius lib. 45. post victum Persen: *omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum.* De hoc armorum aceruo capiendus Thucydides lib. 5. προθέμενοι τῶν πολεμίων νεκρῶν τὰ ὅπλα, τρόπαιον εὐθὺς ἔστησαν: *Cæsorum hostium armis propositis trophæum illico statuerunt.* Hic aceruus quo maior, eo honestior. Silius lib. 10.

At tibi Bellipotens sacrum constructus aceruo
Ingenti mons armorum surgebat ad astra.

B 14. ET REM CARMINE SIGNO] Rebus fere omnibus, quas veteres fecissent, carmen aliquod, versum, aut titulum addebant: sepulcris, marmoribus, ædibus, Deorum templis, aris, victimis, donariis, trophæis, statuis, animalibus quæ Diis sacrabantur, pontibus, aliísque huiusmodi. Sed & seruis: Seneca in controuers. *nomen tuum pependit in fronte.* Propertius:

Titulus rebus fere omnibus.

At quorum titulus per barbara colla pependit.

Sed sciendus mos duplex in his titulis scribendis. Prior: non contenti vnico titulo, eundem sæpe iterabant. Pindarus Od. 7. Olym. Diagoram victorem laudans,

—ἐν Μεγάροισιν τ' οὐχ ἕτερον λιθίνα ψᾶφος ἔχει λόγον.
Apud Megaram non aliud nomen lapideus habet Calculus.

C quasi dicat. Nullius nomen pluries incisum, aut sculptum in lapidibus, aut columnis, quàm Diagoræ. Nec te moueat nomen ψᾶφος, vt putes id fieri solitum non in columnis grandibus. Vide interpretes Pindari. Posterior: hic titulus diuersis linguis solebat scribi. Liuius lib. 28. extremis verbis: *Propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit: ibíque aram condidit, dedicauítque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, Punicis Græcísque literis insculpto.* Iulius Capitolinus in Gord. *Gordiano sepulcrum milites apud Circium castrum fecerunt, in finibus Persidis, titulum huiuscem. addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Ægyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur. Diuo Gordiano, victori Persarum, victori Gothorum, victori Sarmatum, depulsori Romanarum seditionum, victori Germanorum, sed non victori Philipporum.* Restabat, vt de titulis trophæorum

Linguis diuersarũ gentium tituli.

D aliquid, sed hoc reseruo ad lib. 11.

15. ÆNEAS HÆC DE DANAIS, &c.] Quæ videlicet Danais abstulit. Superbus & gloriosus titulus Æneæ, qui per medias Græcorum vrbes & insulas transmittens, trophæum hoc erexerit. Sed roges, quis hic Abantis clypeus, qui ereptus à Græcis? nihil lucis præbent interpretes, neque ego in aliquid incidi, quo possim, vt volo, lectori satisfacere. tantùm mihi duplex coniectura, vt vel loquatur de Abante illo, qui socius Æneæ, cuius mentio fit in naufragio. 1. Æn. qui pugnans forte abstulerit clypeum ab hostibus: vel de alio quopiam Abante Græco, quo cum Æneas conflixerit, quem vicerit, cui clypeum abstulerit. hoc enim nomen Græcum fuisse satis liquet, vel ab Abante illo notissimo Argiuorum Rege.

[a] Linquere tum portus iubeo, & considere transtris,
Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt,
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces:
Littoráque Epiri legimus, portuq; subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus vrbem.

[b] Hîc

b Hîc incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes,
Coniugio Æacidæ Pyrrhi, ſceptriſq; potitum,
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
c Obſtupui: miroq; incenſum pectus amore
Compellare virum, & caſus cognoſcere tantos.
Progredior portu, claſſes, & littora linquens.

A

ARGVMENTVM.

Soluunt inde, Buthrotum appellunt, vbi audiunt Helenum Priami filium Regem eſſe in parte Epiri, ducta in matrimonium Andromache Hectoris vidua. expaueſcunt ad nuntium, ardent ſcire, eò contendunt.

EXPLICATIO.

a Spirant hi verſus miram celeritatem in curſu ipſo: ſic eadem ſuprà expreſſa, ſed in ſolutione: ita variatur poëſis. Hîc ergo, certatim mare fenditur, verruntur æquora, arces abſconduntur, leguntur littora, ſubitur portu, aſcenditur ad Buthrotum. Peculiaria in Notis.

b Hiſtoria, quam Poëta inchoat, aptiſſima eſt ad retinendum lectorem cum omni admiratione. Nã quid magis præter exſpectationem Troianorum, qui victi, qui fuga elapſi, quàm ſcire, Troianorum vnum regno in Græcia potiri? Continent verò verſus Poëtæ miram αὔξησιν. cùm explicat, cur hæc fama eſſet incredibilis. Quia videlicet Helenus, qui Troianus, qui Priami filius, regnat, quod magnum eſt: ſed maius adhuc inter hoſtes regnare: maximum verò coniugio & imperio hoſtis potiri.

c Ad hanc tantarum rerum incredibilem famam obſtupeſcit, qui affectus hic idoneè ſatis inductus. Redit ab ſtupore, & illum alius affectus excipit. flagrat quippe cupiditate videndi Heleni, rei cognoſcendæ. Ita vt erat auidus, ſtatim progreditur è portu, linquit claſſes, linquit littora.

NOTÆ.

1. LINQVERE TVM PORTVS, &c.] De tranſtris, alibi. adi indicem. Sententia expreſſa eſt ex Homer. Odyſſ. 4.

Ἐς δ' ἄρ' αὐτοὶ βάντες ἐπὶ κληῖσι καθῖζον:
Ingreßi autem ſuper tranſtra ſederunt.

Virgilius variat poëſin.

Varietas in Poëſi mirè blanditur legentibus. eóſque afficit. hanc diſce ex Poëtarum magiſtro. Cùm paulo antè Troiani ſoluerunt ex Strophadibus, velis cœperunt nauigare: dixit enim, *Tendunt vela Noti*, è Creta quoque,

Vela damus, vaſtúmque caua trabe currimus æquor.

Nunc ex Actio remis ſoluunt, tranſtris enim conſidunt, mare feriunt, & verrunt cærula. Sic contra cùm ad portum acceditur, alibi velis, alibi remis. velis ad Cretam,

Hortantur ſocij Cretam, proauóſque petamus.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

Remis ad Strophadas,

Vela cadunt, remis inſurgimus: haud mora nautæ
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

Ex hac obſeruatione alia tibi occurrent exempla.

2. FERIVNT MARE] Homerus 4. Odyſſ. proximè ſequenti verſu:

—πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς:
—*canum mare remis verberabant.*

Apollon. quoque τύπτειν ἅλα. & Æſchyl. Perſ. ἔπαιον ἅλμην: *feriebant mare.*

3. PHÆACVM] Mediam producit, vt & Iuuen.

Qualia perpetuum Phæacum autumnus habebat.

Propertius tamen lib. 3. corripuit,

Nec mea Phæacias æquant pomaria ſyluas.

Ex venia Poëtarum Prop. Nam Græci Φαίηκες, per vocalem longam. Niſi quis contendat in Propertio legendum *Phæacas.*

Abſcondere terram in nauigatione.

4. ABSCONDIMVS ARCES] Syneſius. ταχὺ μὲν τὴν γῆν ἀπεκρύπτομεν, *celeriter terram abſcondimus.* Plato in Protagora. φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων, ἀποκρύψαντα γῆν, *fugere ad pelagus rationum, terrámque abſcondere.* B Lucian. ἐπεὶ δὲ ἀπεκρύψαμεν αὐτοὺς: *vbi illos abſcondimus*, id eſt, vbi è proſpectu eorum euaſimus. Quare non eſt tantùm ſermo nauticus, vt Seru. exiſtimauit. Sic fermè Bud. in Comm. Ariſtides in Rhodiaca. ἐν ὅσῳ δ' ἀνὴρ ἄγκυραν εἰς ἀπόπλουν ἀνήρετο, μεταστραφεὶς, οὐκέτι εἶχεν ἰδεῖν τὴν πόλιν: *Dum quis anchoram ad ſoluendum tolleret, conuerſus, vrbem non ampliùs videbat.* Seneca ep. 70. vſurpato ſermone nautico, *in hoc curſu rapidißimi temporis primùm pueritiam abſcondimus.* Claudianus 1. Rap.

Totáque decreſcit refugo Trinacria viſu.

Sententia ipſa pendet à re naturali. cùm enim mare ipſum globoſum ſit, neceſſe eſt, vt nauigantibus abſcondantur rupes, aliáque editiora, quo ab his magis diſcedunt, nam hi ſemper in rotundo corpore eunt C deorſum: ſic etiam, tametſi de re alia, dixit Valer. Flac. 6. Arg. Alpes decreſcere, iuga latere, Othryn cedere:

Qualiter exoſus Pyrrhæ genus, æquora rurſus
Iuppiter, atque omnes fluuiûm ſi fundat habenas,
Ardua Parnaſi lateant iuga, ceſſerit Othrys
Pinniger, & merſis decreſcant rupibus Alpes,

Legere, in mari quid.

5. LITTORAQVE EPIRI LEGIMVS] Nauticum verbum, cuius tamen vſus ſemper ſignat terram, littus, oras, fretum, aut quicquid his ſimile. Liuius lib. 5. *terram legens, & oram Italiæ legens.* & lib. 46. *Acarnaniæ littora legit.* Seneca epiſt. 19. *terram leges*: Paulinus epiſt. 34. *Campaniam longis tractibus legit.* Minutius: *oram curui molliter littoris legebamus.* Propertius lib. 1. eleg. 20. *leges vmbroſæ flumina ſylua.* Poëta hîc *littora legimus.* D & ſup. *legimus freta.* & 2. G. *lege littoris oram.* itaque non memini vidiſſe me verbum hoc de nauigantibus mare altum. Philo in Flaccum, hoc dixit, παρὰ γῆν, & contrarium de mari alto, dixit, διὰ πελάγους. Quod Philo παρὰ γῆν, Xenoph. 5. ἀναβ. παραπλεῖν. Videbitur alicui pugnare Propertius lib. 3. eleg. 21. qui de expeditione Colchorum, qui longè diſſiti à Græcis, ita cecinit:

Túque tuo Colchon propellas remige Phaſin,
Peliacæq; trabis totum iter ipſe legas.

Sed non pugnat, nã tametſi ea nauigatio longiſſima, ſed ſemper circum oras, & ad littora: vt quæ rudis, vt ſtatim ait Poëta idem, ad nauigandum. Neque enim credibile eſt, tranſmiſſionẽ illam factam alto pelago.

6. PORTVQVE SVBIMVS CHAONIO] Græci, ὁρμίζεσθαι, & ὀκέλλειν εἰς λιμένα, & εἰσδύειν. Intelligit portum Buthroti vrbis, quem Chaonium vocant; nam Buthrotum ciuitas est Epiri, quæ Chaonia dicta à Chaone Heleni fratre. Seru.

7. BVTHROTI VRBEM] Figurata locutio, pro Buthrotum, vt *fontem Timaui*, *vrbem Pataui*. pro Timauo, Patauio. infrà, *riuum Xanthi*.

8. PRIAMIDEN HELENVM, &c.] Historia breuiter percurrenda, deinde Scaligeri nota adducenda, tertiò sententia Dionis Chrysostomi aperienda. Andromacha vxor Hectoris Pyrrho in sortem & coniugium cessit, illi filium Molossum peperit. Pyrrhus deinde deperit Menelaï & Helenæ filiam, Oresti priùs desponsam: ob id ipsum occisus ab Oreste est in templo Apollinis Delphici. Moriens Pyrrhus iubet vt Andromache, quæ apud se coniugis locum tenuerat, in Regnum succederet, nuberétque Heleno Priami filio. Sic fermè omnes interpretes. Paulo aliter infrà historiam hanc narrat ipsa Andromacha. Ad hanc historiam faciunt Leschi versus ex parua Iliade, qui leguntur apud Isacium interpretem Lycophronis, Græcósque Vrsinus adducit, & ego hîc Latinè redditos:

Heleni historia.

Sed Achillis magnanimi illustris filius
Hectoream coniugem perduxit cauas ad naues.

& paulo pòst:

Accepit Andromachen pulchrè incinctam, coniugem
Hectoris, quam illi principes Græcorum
Dederunt ferre in Epirum, sic viro præmium tribuentes.

Tendo ad alterum. Dignissima quæ audiatur, Scaligeri consideratio, lib. 3. Poët. cap. 26. Repræsentat in sua Æneide Poëta Romani futuri imperij euentus, casus varios, rerum discrimina, bella, pugnas; ac nihil fere deinde dignum memoria gestum, quod non priùs hic repræsentatum: omnia persequi, infinitum; aliqua attingere necessarium ad imitationem, si quis aspiret ad opus Epicum. Conuersum imperij fatum in Græciam: Helenus figuram sustinet; nam Troianus regnat in Græcia: sic Romani deinde conuersis rerum vicibus regnaturi in illa. Cùm Æneas dicitur dominus Carthaginis, iam tum ostenditur dominatus Romanorum in Pœnos, cùm turres cœptæ non assurgunt, simulacrum est futuri excidij Carthaginis. Turnus se in fluuium immittit, vt Cocles deinde. Ascanius nudato est capite, sic aliquando Cæsar in acie. Deciorum personæ in Turno repræsentantur,

Virgilius repræsentat Romanas historias.

A qui se quoque deuouet. C. etiam Cottæ consulis, qui sic apud Sal. in Frag. *Adsum en C. Cotta Consul, facio quod sæpe maiores asperis bellis fecere. voueo dedóque me pro Rep.* Dido in conuiuio libat tantùm, non vinum bibit; qui mos Romanarum fœminarum. Venulus à Tarchonte ex equo detrahitur, & aufertur in cursu: idem sibi euenisse ait Cæsar in Ephemeride, quod Seruius memoriæ prodidit. Æneas dextra nuda iubet à cæde abstinere: idem Cæsar in conflictu Pharsalico, atque illis verbis; *parcite ciuibus*. In Sinone latente in vlua paludis Marius, in iacente & truncato Priamo Pompeius, in victore Turni Ænea Cæsar Pompeij victor præsignificantur. In Sinone iterum, vltro se Troianis offerente Niconis & Philomenis facinus, qui similiter comprehendi & deduci ad B Annibalem voluerunt Tarentum prodituri, quod lib. 25. narrat Liuius. In capta demum Troia hinc inde affulgente igne, imago eiusdem Tarenti captæ. Hæc mihi digna visa sunt, quæ coniunctim legantur, non sparsa suis locis, quo sic meliùs tanti vatis simulacra in animis hæreant. Non omnia hæc Scaligeri sunt, nonnulla nobis addita. Promisi tertio loco sententiam Dionis. Hic orat. II. enixè contendit, Troianos victores fuisse, Græcos victos, secus quàm Homerus scripsit. Cùm vtatur multis argumentis, tum maximè Heleni, Antenoris, Æneæ. Nam Helenus Epiri regnum obtinuit; Antenor, Venetorum; Æneas, totius Italiæ. Non enim verisimile, fecisse hoc homines exules, & domesticis calamitatibus oppressos. Vide, vt ille argumentum hoc latè.

C 9. CESSISSE MARITO] Seruius modum proponit (vide in illo) cui dupliciter satisfacit: Satisfactio altera hæc est: *secundùm ius locutus est, quia vxor viri domicilium sequitur.* Itaque nubens mulier domicilium suum mutabat, transibátque in domicilium viri, & ideo Poëta signatè *cessisse*, quasi ipsa cederet suis ædibus, irétque in alienas. Non dubium, quin vox Poëtæ, & mos quem Seruius aperit, ducant nos ad formam Latij, *vxorem ducere*, nempe ducebatur domum. Clarè Plautus Aulul. *volo te domum vxorem ducere.* & Cistell. *illam extrudet, cùm hanc vxorem ducet domum.* Ita etiam Græci, cùm dicant ἄγεσθαι γυναῖκα. Similiter subaudiunt οἰκίαν. Clarè Lysias in orat. de cæde Eratosthenis. ἐγὼ γυναῖκα ἠγαγόμην εἰς τὴν οἰκίαν. Hæc, etiam si non ignorata, & aliis notata, omitti non debuerunt. D Valer. Max. lib. 4. c. 4. verbo alio, *mariti domum intrauit.* loquitur de Megullia Dotata.

Nubens fœmina transibat in domicilium mariti.

Ducere vxorem, vnde natum.

[a] Sollemnes tum fortè dapes, & tristia dona
Ante vrbem in luco falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache: manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis, sacrauerat aras.
[b] Vt me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monstris,
Diriguit visu in medio, calor ossa reliquit:
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.

ARGVMENTVM.

Inueniunt Andromachen libantem inferias ad tumulum Hectoris, quæ visis Troianis stupet, terretur, riget, labitur.

EXPLICATIO.

[a] IN vrbe Epiri Buthroto primùm omnium occurrit pietas Andromachæ, quæ *ante vrbem, in* E *luco, ad vndam Simoëntis*, (in re quippe pia voluit Poëta adhibere circumstantiam loci triplicem, attingens peculiares mores veterum) *libabat dapes sollemnes, dona tristia cineri* Hectoris. Excitauerat præterea coniugis sui studiosissima *tumulum inanem ex viridi cespite*, ad quem *vocabat manes* coniugis. Demum *sacrauerat* in honorem viri *aras geminas, causam* suis *lacrymis*.

[b] Expende magnos affectus, quibus oratio hæc plena (sententia enim clara est.) Visis Troianis, quos iam

iam putarat exſtinctos, amens fit; exterretur, ac ſi monſtra, & prodigia cerneret; riget, eos cùm videt; relinquitur vitali calore; labitur, animo certè, neſcias an corpore, fortaſſe vtroque. Diu ita perſtitit, hoc enim indicant tot voces *tandem, vix, longo tempore,* quo ſe recuperauit, & ad ſe rediit. Expendi integros verſus, ſed recurro iterum, indicans quædam acumina, quæ in illis latent. Obſtupuerat Æneas audiens ibi eſſe Andromachen: iam nunc Andromache obſtupeſcit, videns Æneam: itaque hic obſtupuit hac audita, hæc illo viſo. In illis *diriguit viſu in medio,* notat Naſcimb. hiatum ex ſtudio, quo hiatu ſignetur vox ad ſtuporem retenta. Conuolat verſus dactylicis illis, *calor oſſa reliquit*, vt celeritas languentis notetur. Nulla eſt cæſura in verbo *labitur*, vt cum labente pede animum quoque labentem conſide- B res. Hîc enim λειποψυχίαν ſignari Germanus admonet, quod alibi *deficit*. Græci συγκόπτεται, & λείπεται.

NOTÆ.

1. SOLEMNES TVM FORTE DAPES, &c.] Virgilij locum altero Sophoclis illuſtro, apud quem in Electra Chryſothemis inducitur patris Agamemnonis memoriam colens. ſic enim ſub perſona chori.

Ὁρῶ χρυσόθεμιν ἐντάφια χεροῖν
Φέρουσαν, οἷα τοῖς κάτω νομίζεται:
Video Chryſothemin inferias manibus
Ferentem, quales inferis tribui ſolent. C

Et paulo pòſt Electra ſoror:

—ὥστε τῷ τεθνηκότι
Τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ᾽ ἐκεῖ χάρις:
—*itaque mortuo*
Honorem habeo, ſi qua illic eſt gratia.

itaque tametſi ſorores duæ in ratione vindicandi patris diſſiderent, tamen vna fuiſſe videtur communis pietas erga patrem Agamemnonem. Eandem pietatem Euripides repræſentat in Hecub.

Δέξαι χοάς μου τάσδε κηλητηρίους
Νεκρῶν ἀγωγούς:
Has mortuorum inferias meas cape
Mulcimen.

Nec non Homerus in Achille erga Patroclum Il. 23.

Οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν, D
Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο:
Vinum exhauriens humi fudit, rigauítque terram,
Animam vocans Patrocli miſeri.

2. ANTE VRBEM] Triplex circumſtantia, quam hîc aperui, triplicem notat morem. Quis neſcit ſepulcra olim fuiſſe in viis ipſis ante vrbes? quis non in luco? imò luci dicati vnicè Heroïbus, & horum ſepulcra in illis fuerunt. hoc ego alibi. Denique ad ripas fluminum excitati tumuli. quem morem alibi quoque obſeruo, & exemplis firmo lib. 6. Æn.

Sepulcra q... loci.

3. FALSI SIMOENTIS] Quia verè Simoïs in Ilio erat, ſed Helenus amore paterni ſoli, Regnum in Epiro conſecutus, vocabula Ilij retinuit plurima. Sic infrà:

...dis vn... ...nq; nomina...

Procedo, & paruam Troiam ſimulatáq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum E
Agnoſco, Scæáq; amplector limina portæ.

Sic ſuprà Æneas vrbem, quam in Creta condidit, Pergameam vocauit. in Thracia quoque locatis mœnibus, gentem eam vocat Æneadas. Lege Victorium lib. 5. cap. 3. vbi quæpiam ad hunc morem ex Polybio. Ego aliunde. Plinius lib. 6. c. 27. *Oppidum conditum eſt primùm ab Alexandro Magno, qui colonis ex vrbe regia Durine, quæ tum interijt, deductis, militúmque inutilibus* A *ibi relictis, Alexandriam appellari iuſſerat, pagúmque Pellæum à patria ſua, quem propriè Macedonum fecerat.* Dionyſius lib. 1. ait, oppidum conſtructum ab Euandro in eo loco, qui poſtea dictus eſt mons Palatinus, appellatúmque ab eo Palatium in memoriam patriæ veteris. Idem ſcribit lib. 2. & iterum lib. 1. ait, collem Capitolinum vocatum quoque Cronium ab Græcis, qui in eo colle conſederunt, ad ſimilitudinem Cronij collis, qui eſſet in ipſorum agro. Morem hunc procedente tempore vſurpatum quoque in Romano populo, Velſerus notat lib. 5. Rer. Aug. Vind. Nunc certè Hiſpanis, qui nouum orbem incolunt, nihil frequentius. Nullum fere oppidum excitant, cui non adhibeant nomen patrij ſoli.

4. LIBABAT] Verbum *libo* in re mortuorum ſol- Libo verbū mortuorum. lemne. Apuleius lib. 4. Aſin. *poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant.* & lib. 8. *Ad ego ſepulcrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo.* Quid ſit libare in re mortuorum, iam alibi. ſignantur enim inferiæ.

5. HECTOREVM AD TVMVLVM] De Hectoris Hectoris cadauer. cadauere ſciendum, nō illud perſeueraſſe apud Ilium in ſepulcro ibi exſtructo, ſed tranſlatum ad vrbem Thebanam, ſcribente ſic Pauſania in Bœotic. *Eſt etiam ad eam, quæ Oedipodia appellatur, aquam, Hectoris Priami filij apud Thebanos monumentum: eius enim oſſa ex huiuſmodi oraculo ab Ilio ſe deportaſſe tradunt:*

Excelſa incolitis Cadmi qui mœnia Thebas,
Si patriam optatis nunquam non eſſe beatam,
Ex Aſia transferte domum magni Hectoris oſſa:
Hîc Iouis imperio Heros ſua iuſta manebunt.

6. CESPITE] Vix dici poteſt, quàm multis in re- Ceſpes vſui fuit rebus ſacris. bus olim ceſpes in miniſterio fuerit, veluti res ſacra antiquis. En hîc ex ceſpite ſepulcrum. in 11. Metabus de gramineo ceſpite Triuiæ donum vellit. Militibus pro menſa fuit. Lucanus lib. 4.

Pax erat, & caſtris miles permiſtus vtriſq;
Errabat, duro concordes ceſpite menſas
Inſtituunt.

Adeo hoc ſollemne, vt Tiberio quoque principi hoc det Suetonius in eius vita cap. 18. *trans Rhenum eum ordinem vitæ tenuit, vt ſedens, in ceſpite nudo cibum caperet.* Exſtructas aras in ceſpite, vulgare. Horat.

———*poſitúſque carbo*
In ceſpite viuo.

Et Apuleius lib. 7. *aram ceſpite virente Marti Deo faciunt.* idem Aggeſtus ad conciones militares pro tribunali erat, de qua re alibi. quin, quod mirêre, res agreſtis adhibita eſt ad faſtum, & luxuriam: Cæſar enim 3. ciuil. ſic loquitur cum exprobatione Pompeianæ luxuriæ: *in caſtris Pompeij videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata.* Sed ad rem mortuorum, de qua hîc ſermo, ſignatiſſima ſunt verba Taciti lib. 1. Ann. *Primum exſtruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit, gratiſſimo munere in defunctos.* Et Prudentij verſus in Periſteph. hymno. 4.

Hoc colunt ciues, velut ipſa membra
Ceſpes includat ſuus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris oſſa.

Et nota illum loqui de honorario tumulo, vt etiam Poëta.

7. INANEM] Solebant veteres, iis, quos amabant, Tumulus inanis, & Honorarius. pluribus in locis, imaginarium quendā tumulum excitare, quem hic Poëta *inanem* vocat, & Sueton. in Claud cap. 1. *honorarium:* his verbis: *exercitus honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarúmque ciuitates publicè ſupplicarent.* Inde vetuſtæ marmorum inſcriptiones

Honor in sepulcris.

nes (quod notauit Alciat. 10. Par. cap. 12.) habebant hæc verba, *ob honorem*, cuius sententiam firmo verbis Tacit. 2. Ann. *Honorique patris princeps ipse cum legionibus decurrit.* Huius inanis honorariive tumuli exemplum est apud Homerum Odyss. 4. cùm enim audisset ex Proteo Menelaus Agamemnonis fratris mortem, illi statim tumulum excitat.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατέπαυσα θεῶν χόλον αἰὲν ἐόντων,
Χεῦ' Ἀγαμέμνονι τύμβον, ἵν' ἄσβεστον κλέος εἴη:
Ceterùm postquam sedaui iram Deorum immortalium,
Aggessi Agamemnoni tumulum, vt immensa gloria esset.

Cenotaphiũ

Et Xenophontem lib. 6. expeditionis Cyri, vbi huiuscemodi tumulum vocat Cenotaphion. οὓς δὲ μὴ εὕρισκον, κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, καὶ πυρὰν μεγάλην, καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν: *His quorum corpora inuenta non sunt, cenotaphium magnum fecerunt, pyramque magnam, & coronas imposuerunt.* Et apud Pauss. in Attic. & in Corinthiac. in Atticis enim Euripidi honorarius tumulus excitatur, cùm ipse in Macedonia sepultus esset: in Corinthiacis verò ducibus omnibus, qui ad Ilium ceciderant. Hunc tumulum dici monumentum etiam asserit iureconsultus ff. de religiosis & sumptibus funerum. Ait enim, si ibi sit corpus, dici sepulcrum; si absit, dici monumentum, vt & Græcis cenotaphium, quia structum solùm ad memoriam defuncti. Græca voce vsus Lamprid. in Alex. *Cenotaphium in Gallia, Romæ amplissimum sepulcrum meruit.* Philostratus lib. 8. de vita Apollon. cap. 13. ψευδοτάφιον nominat propriè, quia mendax sepulcrum. Ad hunc tumulum Horatius allusit Od. 20. lib. 2. *Absint inani funere næniæ.* Optat quippe mutari in alitem, ac perinde inane erit funus, vbi ipse non futurus. Nonnus lib. 2. Dionys. huiusmodi tumulum vocat κενήριον, καὶ τύμβον κενεόν.

Pseudotaphion.

Aræ duæ heroibus.

8. GEMINAS SACRAVERAT ARAS] Videntur veteres soliti consecrare aras duas Manibus honoratorum virorum (ait Turnebus) quod ex hoc loco apparet, itémque ex Apotheosi, quam facit Maro ecloga. 5.

—En quattuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duóque altaria Phœbo.

vnde cùm suprà dixit,

—stant Manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, &c.

duæ videntur intelligendæ; similiter in 5.

Ex quo relliquias, Diuinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstásque sacrauimus aras.

A Quod enim Seru. aliíque scribunt de geminis aris sacratis Hectori & filio eius, non ita probandum. Lucan. lib. 3. sic Poëtam imitatur:

—vnúmque relictum
Agnorunt miseri sublato errore parentes:
Æternis causam lacrymis.

Virgilius superat Sophoclem.

9. DIRIGVIT VISV IN MEDIO, &c.] Longè ab affectibus Virgilianis abiit in re simili Sophocles in Electra. Nam cùm Orestem Electra ipsa soror, vt mortuum, lugeret, mortuum enim perlato nuntio audierat, vt primùm viuum, & ante se vidit, in hos affectus erupit. ἦ γὰρ σὺ κεῖνος; ὦ φίλτατον φῶς. ὦ φθέγμ', ἀφίκου; ἔχω σε χερσίν. conuulsa sunt verba hinc inde, nam in Poëta interponuntur, quæ Orestes locutus. id est: *Num tu ille? O charissima lux. O vox, venisti? teneo te*

B *manibus.* Præclara hæc, sed quæ non æquant Andromachæ affectus. nam in Græcis nullus stupor, nullus terror. qui linguam à sermone auertat. statim loqui incipit Electra, & admirari. non sic Virgilius. priùs enim alia præmittit, deinde locum dat sermoni pleno etiam magnis affectibus. Itaque, vbi Græcus incipit, Latinus desinit. Homer. Odyss. 4. propior est affectibus Virgilianis, vt putes illi Latinum institisse.

Ὣς φάτο· τῆς δ' αὐτοῦ λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ.
Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε· τὼ δέ οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν, θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή.
Ὀψὲ δὲ δή μιν ἔπεσσιν ἀμειβομένη προσέειπε:
Sic ait: huius illic soluta sunt genua, & amicum pectus.
Diu ipsam silentium verborum cepit, ipsius verò oculi
Lacrymis impleti sunt, tenella autem ei detenta est vox.

C *Tandem verò ipsum verbis excipiens allocuta est.*

Apud Philonem in libro de Iosepho locus est Virgiliano simillimus, vbi Iacob, audita morte Iosephi filij, & allata veste cruenta, primùm ἀχανὴς ὑπὸ πλείστου χρόνου ἔκειτο, *obmutuit per longum temporis spatium*, adeo vt nec caput posset attollere subito malo oppressus: postea tamē vt ad se rediit, ὥσπέρ τινα πηγὴν δακρύων ἐξαίφνης ἀνιεὶς μετ' οἰμωγῆς πικρᾶς: *repentè effusus in lacrymas est velut è fonte erumpentes, cum amaro gemitu.* Tandem accessere alia doloris signa, videlicet scissio vestium, percussio pectoris. iste etiam affectus repræsentatur in Herode patre Pacori apud Iustinum lib. 42. Herodes enim cùm audisset filium cecidisse in bello, ita diriguit, vt multos dies neminem alloqueretur, non ci-

D bum sumeret, non vocem mitteret: *ita vt* (ait scriptor) *mutus factus videretur.* Post quos dies dolor tandem vocem laxauit.

[a] Veráne te facies, verus mihi nuntius affers
Nate Dea? viuísne? aut si lux alma recessit,
HECTOR vbi est? dixit: lacrymásque effudit, & omnem
Impleuit clamore locum. vix pauca furenti
Subiicio, & raris turbatus vocibus hisco.
[b] Viuo equidem, vitámque extrema per omnia duco.
NE dubita, nam vera vides.
[c] Heu quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna reuisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?
[d] Deiecit vultum, & demissa voce locuta est.
[e] O felix vna ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori: quæ SORTITVS non pertulit vllos,
Nec VICTORIS heri tetigit captiua cubile.

ARGVMENTVM.

Iam vt loqui potuit, rogat, viuátne Æneas, an ipsa defuncti simulacrum videat, in quod inclinans, quærit de Hectore. Respondet ille, viuum se esse: rogátque vicissim de pristina eius felicitate, déque præsenti rerum statu. Indicat illa suam infelicitatem ex comparatione felicioris Polyxenæ.

EXPLICATIO.

a SENTENTIA integra huius loci hæc est. Tu ne mihi Ænea vera facie appares? viuisne? an potiùs simulacrum tui tantùm video, & speciem quandam? nam, vt existimo, recessit iam à te lux. quòd si hoc alterum est (inclinat quippe Andromache, se
B non videre verum Æneam, sed eius mortui idolum aut simulacrum) vbi Hector est? quare non te defunctum defunctus comitatur? tu mihi appares, & non coniux, quæ ista fides? Extrema hæc possunt habere aliam sententiam. Si non verus es Æneas, sed defunctus, vbinam est Hector? qua parte inferorum, qua Elysiorum? vbinam agunt illius manes? Aliquid mihi indica de meo Hectore, sciet enim defunctus quid defunctus gerat, vbi agat, quî valeat. Sequitur: *dixit, lacrymásque effudit*, &c. Quippe fœminæ amanti ad memoriam sui Hectoris lacrymæ vbertim fluunt: gemitus etiam, & clamores, querelæque erumpunt. Quod statim ex magno decoro, *vix pauca furenti Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco*, fœmina enim lacrymas effudit, clamore locum impleuit: vir tantùm turbatur ad illius lacrymas, atque hiscit, vtens ad illam
C paucis verbis. Est *furenti*, vel impatienter amanti, cum interpretibus: vel verè furenti, mecum. hoc enim aptius, tum quia suprà *amens, & exterrita monstris*, tum quia Æneas ad illius furias nequit loqui, velut ipse exterritus, tantùm hiscit.

b Respondet Æneas rogatis. *viuisne? viuo equidem. vera tua est facies, verúsne Æneas? vera vides, ne dubita.* Addit & conquestionem. Ita sum viuus, vt morti proximus. nam vitam duco per extrema omnia.

c Tota oratio plena emphaseωn, & admodum cômiserans. Nihil Pyrrhus ad Hectorem. fieri ergóne potest, vt quæ Hectorem habuit coniugem, Pyrrho nupserit? quis te casus deiecit? quæ fortuna posterior æquare priorem potest?

d Monet Scaliger lib. 3. Poët. cap. 14. ex his Poëtæ
D sumi posse speciem & formam pudicæ fœminæ. Nam cùm Æneas ita illam compellasset, vt memoriam Hectoris excitaret, statim illa *vultum deiecit*, & locuta est, sed ita locuta, vt *voce demissa*, quæ tamen antea clamore complesset locum. Germanus quoque ait, non temere hos affectus datos Andromachæ, vt quæ castissima fuerit, & viri amantissima, & proximis spatiis ad Alcestin accesserit. Vt ex Homero Il. 6. & ex Euripide in Troadibus cognosci potest, in quibus plurima de Andromache, quæ verè exspirant coniugalem castúmque amorem illius ad Hectorem. Potest etiam dici, deiectum vultum Andromachæ, ad
E indignitatem nominati Pyrrhi, vt quæ nuptias illas puduerit.

e Non respondet ad rogata, tantùm laudat virginitatem & mortem, vt ostendat se inuitam Pyrrhi pertulisse connubium, & esse superstitem suis miseriis. Sententiam verò sic expendit Macrobius. Quamuis iussa fuerit mori Polyxena, & ad tumulum hostilem, tamen felicior me est, felicior etiam aliis, quia non pertulit vllos sortitus, nec captiua contraxit nuptias cum hostibus. animam quoque effudit ante ipsam patriam, quod aliquid ad solatium. demum fe-
A lix, quia virgo interiit. Adiunxi aliqua ex Seruio. Ait *tetigit*, quia non cum fiducia coniugali securè ascendit, sed vt solent captiuæ pauentes dominorum toros attingere. & *cubile* dixit, non ausa lectum dicere.

NOTÆ.

1. VERA NE TE FACIES, &c.] Illustrat Nannius hunc locum duplici Terentiano. Omitto, & addo duo alia, alterum Senecæ Trag. in Furen. alterum Eurip. in Androm. Ergo Amphitryo reuerso Hercule ab Inferis, sic ait:

Vtrúmne visus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Graiûm decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum?
Est ne iste natus? membra lætitia stupent.
O nate certa, & vera Thebarum salus,
Verúmne cerno corpus?

Breuiùs idem Seneca in Oedip.

An æger animus vera pro falsis videt?

Orestes verò visa Hermione apud Eur.

Ἔα τί χρῆμα; μῶν ἐσφάλμεθ'; ἢ σαφῶς ὁρῶ
Δόμων ἄνασσαν τὴν δὲ Μενέλεω κόρην;
Ehem, quid rei est; fallor ne, an manifestè video
Domuum Reginam hanc Menelai filiam.

2. AVT SI LVX ALMA RECESSIT] Seneca.

—an fallor tua
Deceptus vmbra?

3. HECTOR VBI EST?] Ab effectu, quem hîc expendi, non abit Plautinus in Pers. *Toxile mi, cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es?*

4. LACRYMASQVE EFFVDIT] Post alios affectus, nunc tandem lacrymæ. Ita verè est. In re enim subita priùs sunt clamores, & vociferationes præ ira, aut furore, aut insania. Lacrymæ veniunt fracto iam impetu. Sic ab Philostrato Iuniore in Iconibus Alcmena describitur pauens ad visos angues superstantes cunæ Herculis infantis. ὁρᾷς γὰρ πῶς ὡς ἄκλαυστος, καὶ μονοχίτων, ἀναπηδῶσα τῆς εὐνῆς ἄπλεκτῳ τῇ κόμῃ, τὰς χεῖρας ἐκπετάσασα, βοᾷ. *vides, vt sine lacrymis, & sola tunica amicta è cubili egressa incompto capillo, manibus extensis, vociferetur.* Cerne vt nullæ adhuc lacrymæ, sed affectus alij ex insania. Sequuntur posteà lacrymæ, sed in pictura quî posset Philostratus exprimere? — Lacrymæ post stuporem.

5. VIVO EQVIDEM, &c.] Est hîc latens, & pulchra Euripidis imitatio. Vt enim Orestes, visa Hermione, ea locutus est, quæ iam attuli; statim Hermione ipsa respondet:

Ἥνπερ μόνην γε Τυνδαρὶς τίκτει γυνὴ
Ἑλένη, κατ' οἴκους πατρί, μηδὲν ἀγνόει:
Quam solam Tyndaris peperit mulier
Helena, domi patri, nihil dubita.

Quibus & dubitationem eximit, & præterea addit conquestionem, quasi dicat, ego sum misera illa, quam solam peperit Helena. hanc enim esse mentem Tragici ex sequentibus apparet. nam statim Orestes.

Τί χρῆμα; πρὸς θεῶν ἢ βροτῶν πάσχεις κακά;
Quid id rei? ab Dijs enim, aut hominibus mala pateris?

6. DEIECIT VVLTVM] Hoc indicium pudoris attribuit Lucretiæ Dionys. lib. 4. demisit enim vultum cogitabunda, & præ mœrore. Eâdem pudoris nota Philostratus in Heroicis. ἐρυθριῶντα τε, καὶ ἐς τὴν γῆν βλέποντα. vides vt ad præmissum pudorem sequatur deiectio oculorum. *Deijcere vultum & oculos* Græci dicunt, in his Plato. 2. Alcib. εἰς γῆν βλέπειν. Alij, ἀτενεῖς ὀφθαλμοὺς. Philostratus lib. 6. Apoll. cap. 6. ὀφθαλμοὺς ἐρείδειν. Plutarchus in lib. de vitioso pudore vocat κατήφειαν mœstitiam illam, quæ cogit humum intueri. — Pudoris nota.

Optimè

Optimè verò Poëta cum hac deiectione vultum cõiunxit, qui index affectuum. Vide Isidorum lib. 11. c. 1. vbi loquitur de vultu.

7. IVSSA MORI] Ouid. lib. 13. Met.

Fortis, & infelix, & plusquam fœmina virgo
Ducitur ad tumulum.

Lege Plutarchum de defectu oraculorum, eo loci, quo probat, Deos olim noluisse, aut poposcisse immolari sibi homines.

8 SORTITVS] Allusio fit ad Euripidem in Troad. vbi huius rei magna mentio, cùm fœminæ captiuæ ducebantur. Locus quoq; ipse expressus ex eodẽ ibidem, vbi Andromache eadẽ ex comparatione Polyxenæ calamitatem suam deflet.

—ναυσθλῶμαι δ' ἐγὼ
Πρὸς Ἑλλάδ' αἰχμάλωτος εἰς δοῦλον ζυγόν,
Ἆρ' οὖν ἐλάσσω τῶν ἐμῶν ἔχει κακῶν
Πολυξένης ὄλεθρος:

—*naui vehar ego*
In Græciam captiua ad seruitutis iugum?
An non minora meis habet malis
Polyxenæ mors?

Monet verò Turn. dissidere Virgilium ab Euripide: nam hic in Chersoneso immolatam scribit Polyxenam ad inanem & honorarium Achillis tumulum. in illo etiam *iussa mori*, dissidere quoque à Philostrato in Heroicis, qui dicit vltro ad sepulcrum Achillis sponsi sui gladio incubuisse. Admonent hîc interpretes, primarias quasdam fœminas solitas dari victori- (Sortitio fœminarum.)

A bus absque vlla sortitione tanquam ἐξαιρέτους: alias verò, quæ non ita essent nobiles, cum sorte. Inde Euripides in Troadib. meminit fœminarum, quæ essent ἄκληροι, id est, exemptæ à sorte. vt quæ ob præstantiam oris & dignitatem generis essent selectæ, darentúrque absque sorte ducum merito. Ignobiles vel seniores dabantur sorte, nam aliter illas nemo admitteret. Sed certè hoc non perpetuò seruatum, nam nobiles quoque & primariæ subiectæ fuerunt sorti, & nisi illa, non dabantur. Et hîc Virgilius, vt vides, Polyxenam, quæ & nobilissima, & pulcherrima, sorti subiicit. hanc enim pertulisset, nisi occubuisset priùs. versus Senecæ in Troadib. vbi hanc sortitionem luget Hecuba, potiùs ad morem, quo dico omnes subiectas fuisse sorti, traduxerim, quàm ad contrarium.

B Quid, quòd Dictys lib. 5. cùm dixerit, Helenam Menelao, Cassandram Agamemnoni, Æthram Demophoonti, Clymenen Acamanti datas sine sorte: subiungit, reliquarum sortem agi cœptam, & Andromacham obuenisse Neoptolemo, Hecubam Vlyssi? Vbi vides Andromacham & nobilissimam, & in ætate satis præstante, datam sorte. quod apud Poëtam eo loco, in quo nunc sum, ipsa conqueritur.

9. HERI] Ita etiam in re amoris Catullus in Epithal. Iuliæ, imo ab eo Virgilius, vt liquidum ex affinitate vocum *heri*, & *cubile*. Ait ille:

O cubile, quod omine — Candido pede lecti,
Quæ tuo veniunt hero Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die Gaudeat.

[a] Nos patria incensa, diuersa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, iuuenémque superbum
Seruitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedæmoniósque Hymenæos,
Me famulam famulóque Heleno transmisit habendam.
[b] Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Coniugis, & scelerum furiis agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriásque obtruncat ad aras.
[c] Morte Neoptolemi Regnorum reddita cessit
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniámque omnem Troiano à Chaone dixit:
[d] Pergamáque, Iliacámque iugis hanc addidit arcem.
[e] Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedêre?
Aut quis te ignarum nostris Deus appulit oris?
[f] Quid puer Ascanius? superátne, & vescitur aura?
Quem tibi iam Troia.
[g] Ecquæ iam puero est amissæ cura parentis?
[h] Ecquid in antiquam virtutem, animósque viriles
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

ARGVMENTVM.

Narrat deinde nuptias suas cum Pyrrho, repudium, Pyrrhi mortem, nuptias cum Heleno, huius regnum: deniq; multa de Ascanio rogat.

EXPLICATIO.

[a] DE se tantùm loquitur, etiam si numero multitudinis. Dicit se ab incensa Troia vectam in Græciam; vbi cùm in seruitute esset, Pyrrho

C Achillis filio peperit (hoc enim est eniti) filium Molossum. Sed Pyrrhus deinde captus amore Hermiones, quæ filia erat Menelai, & Helenæ Lacænæ, Helena verò Ledæ, repudiauit Andromacham seruam, iussam nubere cum Heleno filio Priami, seruo item. Hinc claret, cur Hermionem dicat *Ledæam*: cur Hymenæos (id est, nuptias) Hermiones cum Pyrrho vocet *Lacedæmonios*: cur se *famulam*, cur Helenum *famulum*.

[b] Duplex ratio cur Orestes Pyrrhum interfecerit. Rapta nimirum coniux Hermione sibi priùs desponsata; deinde erat non satis sibi compos, vt qui adhuc agitare

agitaretur furiis propter interfectam matrem Clytæmnestram. Istæ causæ Pyrrhum cur *exceperit* (verbo ipso signantur insidiæ, ideo adiungit *incautum*) Orestes, interfeceritque ad aras patrias, de hoc in Notis.

c Sententia clara est, tantùm de Chaone. Fuit hic frater Heleni, & ab eo in venatione per imprudentiam occisus. ita Seruius vulgaris. nouus verò ait, Chaonem pro omnium incolumitate, cùm pestilentia laborarent socij Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, in cuius mox honorem Helenus eam oram Chaoniam nominauit. Addit alia. Suidas tamen vult dictos Chaones παρὰ τὸ κεχηνέναι, nam gens illa in luxum prona, & molliciem.

d Construxit vrbem, cui nomen Troia; muros, quos Pergama appellauit; arcem, quam Ilium.

e A rebus suis ad Æneæ transit. Qui venti tam prosperi dederunt tibi cursum? quæ fata tam felicia? quis Deus tam amicus? Nulla hîc περιττολογία. Nam nauigantes & vento, & fato, & Dei alicuius numine ducuntur.

f Iam à patre ad filij res. De hoc, quem non videt, rogat, viuátne. Cum respectu credo ad suum Astyanacta, qui præcipitatus. Neque hîc vlla est περιττολογία. Vide vt similem locum explicui. 1. Æn. Sequitur hemistichium, *Quem tibi iam Troia*. Sententia perfecta est, etiam si imperfectus versus, vt *Quos ego*. vbi summa sententiæ perfectio in verborum imperfectione. Isti enim hiatus miri sunt ad orationem. Aliqui ita supplent:

Quem tibi iam Troia peperit fumante Creüsa.

Sed istæ assutelæ sunt hoc vate indignæ. Substitit enim Andromacha nominata Troia, quo sanè vim orationi dedit, adimens dolori suo.

g Refer ad Creusam, quam *amissam* quoque dicit. 2. Æn. *Nec priùs amissam respexi*. non enim placent, qui patriam, quia præcessit nomen Troiæ. hoc nullum est argumentum.

h Videtur *antiqua virtus* dici cum respectu ad Æneam, *animi viriles* cum respectu ad Hectorem. sic concinnior est sententia. rationes, me tacente, ipse coniicis. Sed cur Hector *auunculus*, cùm non frater Creusæ? extenditur significatio vocabuli, vt in nonnullis, quæ pertinent ad consanguinitatem, visum in hoc opere non semel.

NOTÆ.

1. ENIXÆ] Explicant aliqui, subiugatæ, & labore exercitæ, nam sic Nonius exponit duobus locis. Aliqui *enixè* aduerbium agnoscunt. cur nolint ad partum referre in aperta historia, nam verè peperit Molossum, non satis video.

2. QVI DEINDE SECVTVS LEDÆAM HERMIONEN, &c.] Habet affinitatem cum hoc loco locus Apuleij lib. 5. queritur enim Andromacha prælatam alteram suis nuptiis, se habitam loco famulæ. Sed satis sit indicare locum, lege itaque ab ea parte: *en orba, & sæua, & iniqua fortuna*, &c.

3. ME FAMVLAM, &c.] Sumpta hæc sunt ex Eurip. vt pleraque alia, apud quem in Andromach. sic loquitur Thetis Dea ad Peleum.

Γυναῖκα δ' αἰχμάλωτον, Ἀνδρομάχην λέγω,
Μολοσσίαν γῆν χρὴ κατοικῆσαι, γέρον,
Ἑλένῳ συναλλαχθεῖσαν ἐννόμοις γάμοις:
Mulierem verò captiuam, Andromachen dico,
Moloßiam terram conuenit incolere, ô senex,
Heleno coniunctam legitimis nuptijs.

Lege etiam Iustinum lib. 17.

Pyrrhus occisus ab Oreste. 4. AST ILLVM EREPTÆ, &c.] Cædem Pyrrhi ab Oreste factam cùm multi, tum in primis Euripides

A in Andromache narrat: eam sic texo filo tragico. Ad sacra Delphici Apollinis Pyrrhus contendit, eodem seorsim Orestes; insusurrat hic omnibus in aurem, Pyrrhum eò venisse, vt templum vastaret, creditur res, disponuntur insidiæ iuxta laurum Dei: interim Pyrrhus vota facit. Insiliunt armati, inermem gladiis aggrediuntur, cedit ille retro; nondum ictus lethaliter, arma arripit suspensa in templo, clamat, rogat cur se immerentem occidant: illi nihil, tantùm percutere gladiis cominus, sagittis eminus. ille rem gerit strenuè, irruit in eos, fugiunt ad eius impetum, vt columbæ; sed demũ victus cadit multitudine inundante. Cadentem confodiunt, discerpunt, lacerant. Hæc Tragicus per paginas aliquot, quam historiam sic demum absoluit.

B —πᾶν δ' ἀνάλωται δέμας
Τὸ καλλίμορφον τραυμάτων ὑπ' ἀγρίων.
—*totum verò corpus consumptum est*
Formosum illud à vulneribus sæuis.

Omnes fere hærent Euripidi in hac narratione. Strabo tamen lib. 9. Pyrrhi interfectorem nominat Machæreum, virum Delphicum. & causam mortis adducit veram, repudiata fabulosa. Ait enim à viro illo interfectum ἐπιθέμενον τῷ ἱερῷ: *grassantem in templum.* Tryphiodorus in Halosi nomen interfectoris subticuit, causam eandem posuit.

Ὕστερον ὁππότε μιν ζαθέου δηλήμονα νηοῦ
Δελφὸς ἀνὴρ ἐλάσας ἱερῇ κατέπεφνε μαχαίρῃ:
Postea cùm ipsum diuini vt hostem templi
Delphicus vir irruens interfecit sacro gladio.

C 5. FVRIIS AGITATVS ORESTES] De his furiis distinctiùs aliis Pausanias in Arcadicis.

6. EXCIPIT INCAVTVM] Credo allusum à docto Poëta ad βωμολόχους. Erant hi, qui circum aras obseruantes, prætextu sacrificiorum & victimarum insidias ibi locabant. Nam & verbum ipsum insidiarum, & à venatione ductum. Seneca de Prou. cap. 2. *irruentem feram venabulo excepit.* & lib. 1. de Ira cap. 11. *An tu putas venatorem irasci feris, vel cùm & fugientes persequitur, & venientes excipit?* Spartian. in Caracal. *Excepit apros frequenter.* — Excipio, verbum insidiarum.

7. PATRIASQVE OBTRVNCAT AD ARAS] Variè disseritur. Tum per *patrias aras* accipit publicas Delphorum aras consecratas Apollini: nam ab Euripide in Andromacha ad eas aras interfectus scribitur Neoptolemus ab Oreste. Sequi potuit Turnebus etiam Tryphiodorum in Halosi, & Heliodorum lib. 2. hist. Æthiop. qui etiã dicunt, Orestem interfectum ad aras Apollinis. Iustinus etiam lib. 17. clarè ait, insidiis Orestis concidisse Pyrrhum Delphis inter altaria Dei. Et Græcis quidem Apollo, cognomẽto πατρῷος dicebatur, vt refert in Atticis Pausanias, & in hoc eodem lib. Patrem appellat Maro, *Da pater augurium.* & à Val. Flacco lib. 5. Argon. dictum est, *Phœbi genitoris ad aras.* Ridet verò Turnebus Seruiũ, qui Patrium Apollinem dictum esse ait à Patris Achaiæ vrbe. nam is est patrius Latinis, qui Græcis πατρῷος. Alciatus verò lib. 7. Par. cap. 6. patrias ait, nam Achilles pater eodem modo ante aram Apollinis ciciderat. Ita quoque Parrhasius Comm. in Claud. præeunte ad hanc rem Pausania lib. 1. qui miratur maximè, omnes ex gente & Æacidarum nomine, diuinitus oblata nece ad aras occubuisse. Nam Achilles, vt Homerus memoriæ prodidit, ab Alexandro Priami filio, & Apolline interfectus est: Pyrrhus eius filius oraculi iussu à Delphis: quod etiam contigit alteri Æacidæ. Alij demum, & fortasse veriùs, *patrias aras* interpretantur Achillis ipsius, nam Pyrrhus insultans Apollini aram patri in Delphis consecrauit, ad quam deinde occisus. — Patriæ aræ, quæ.

D

E

8. PVER ASCANIVS] Pro filio, Græco more, qui παῖδας dicunt filios. Sunt, qui putent expungendos ſequentes verſus, vt qui aſſuti ex aliis Virgilianis, & ita coniungunt ſententiam, *Quid puer Aſcanius? Talia fundebat lacrymans*, &c. Iudicium hoc aliorum ſit. ego non expungerem; hemiſtichium enim vnum facilè poterat irrepere, non ita facilè quatuor, aut quinque verſus. itaque valeat hîc Brocenſis.

9. SVPERATNE, ET VESCITVR AVRA] Hunc verſum ductum ex imitatione Eurip. in Elect. Victor. admonet lib. 2. Var. cap. 19. apud quem colonus ille, cui commendata Electra fuerat, cùm rediens ex agro domi loquentes reperiſſet adoleſcentes duos, ac percontatus qui forent, miſſos ab Oreſte audiret, ſtatim inquit:

Τί φασιν, ἀνήρ ἐστι; καὶ λεύσσει φάος;
Quid dicunt? eſt ne vir? & videt lumen?

Vbi, illa, τί φασιν, reſpondent his, *Quid puer Aſcanius?* ἀνήρ ἐστι, *ſuperatne?* λεύσσει, *veſcitur aura?* quod enim conciſè dictum fuerat illis ἐστι & *ſuperat*, mox pleniùs A declarantur à luce & eſca, quæ vitam conſequuntur. Eſt *ſuperat* hîc, ſupereſt, ſuperſtes eſt.

10. PARENTIS] Retuli ad Creüſam, non ad patriam. Hoc idem efficit Germanus ex imitatione Euripidis, percontante Hecuba Polymeſtorem, num filius Polydorus meminiſſet ſui.

Εἰ τῆς τεκούσης τῆσδε μέμνηταί τί μου;

Ex eodémque in Electar, ἦ καί τι πατρὸς, σῶν τε μέμνηται κακῶν, idem ſentit P. Victor. lib. 2. Var. cap. 9.

11. ECQVID IN ANTIQVAM VIRTVTEM, &c.] Nam videlicet veriſimile eſt filios nepotéſque ſimiles eſſe moribus patribus, atque auis ſuis. Iulianus Cæſar in Miſopogone id ipſum comparatione illuſtrat. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς φυτοῖς εἰκός ἐστι διαδίδοσθαι μέχρι πολλοῦ τὰς ποιότητας, ἴσως δὲ καὶ ἐπίπαν ὁμοίως τὰ μετὰ ταῦτα
B τοῖς ἐξ ὧν ἐβλάστησε, φύεσθαι· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων ἔστιν εἰκὸς παραπλήσια τὰ ἤθη τῶν ἀπογόνων τοῖς προγόνοις: *Nam quemadmodum in plantis veriſimile eſt diffundi qualitates quàm latiſſimè, ac fortaſſe etiam in totum ſimilia naſci ea, quæ gignuntur, iis vnde orta ſunt: ſic etiam in hominibus credibile eſt nepotum mores auitis affines eſſe.*

[a] Talia fundebat lacrymans, longoſq; ciebat
Incaſſum fletus: cùm ſeſe à mœnibus Heros
Priamides Helenus multis comitantibus affert:
Agnoſcitq; ſuos, lætúſque ad mœnia ducit,
Et multùm lacrymas verba inter ſingula fundit.
[b] Procedo: & paruam Troiam, ſimulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnoſco, Scææq; amplector limina portæ.
[c] Nec non & Teucri ſocia ſimul vrbe fruuntur.
Illos porticibus Rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus, paterasq; tenebant.
[d] Iamq; dies altérque dies proceſſit: & auræ
Vela vocant, tumidoq; inflatur carbaſus Auſtro:
His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo.

ARGVMENTVM.

In fletus deſinit. exit Helenus, Troianos ad vrbem ducit, conuiuio excipit. Tempus eſt nauigandi aptum.

EXPLICATIO.

[a] QVaſi non tam loqueretur, quàm fleret. Ideo verba *fundebat* ſicut & lacrymas, *ciebátque fletus*, & hos *longos*, vt ſolent fœminæ, & omnia *incaſſum*, nam ex tot fletibus nullus fructus reparandis rebus. Inter hos fletus, ecce *heros Helenus Priamides* (filius Priami) *affert ſe ex mœnibus, agnoſcit ſuos, ducit ad mœnia, fundit lacrymas inter verba ſingula*, & has *multùm*, id eſt, vbertim, & copiosè. Duo hîc expende. primum nihil verborum datum Heleno, ne oratio eius frigeret, poſt inflammatum ſermonem Andromachæ, plerúmque magnis affectibus. Alterum memorabile exemplum fidei in ſuos, nam Helenus in magna fortuna affines ſuos, etiamſi exules, agnoſcit, ducit perhonorificè ad vrbem ſuam.

[b] Sententia horum verſuum clara eſt. tantùm perpende verbum *agnoſco*, quo ſe Poëta aperit. Ita enim omnia diſpoſita erant in eo ædificio, & in ea vrbe, vt quicunque Troianus ingrederetur, ſtatim agnoſce-
C ret natam ibi Troiam alteram. De Pergamis (ſunt hi Troiani muri;) de portis Scæis, dictum alibi.

[c] Cùm ait *ſocia vrbe*, reſpicit ad ſocietates Romanorum. in verbo *fruuntur*, agnoſce hilaritatem, *accipiebat* conuiuio, & epulis. *Libabant*, verbum ſacrum, quia nullum cõuiuium veteribus, quod non ſacrum. Ideo *pateras tenebant*, quaſi ſacra facturi, & libaturi, non minus, quàm *araſque tenebant*.

[d] Hinc Scaliger. elicit amicitiæ veræ exemplum. Dies multi procedunt, auræ vocant vela, inflatur vento carbaſus; neque illi queunt auelli. Inde diſcedenti tot dona congeruntur, tot interueniunt orationes, quia nequeunt expleri. *Dies altérq; dies* phraſis mirè poëtica pro multis diebus. *tumido* tumifico, explicante Scaligero. *Auſtro* pro quocunque vento. *Aggredior*
D quaſi iam tandem decernens abitum, etiam ſi cum dolore relinquendi Heleni.

NOTÆ.

1. TALIA FVNDEBAT] Ad veſtigia Ennij:
Talia commemorat lacrymans exterrita ſomno.
Habetur in Tullio. 1. Diuinat.

2. INCASSVM] Quoties hoc? Seneca epiſt. 22.
Lacryma nihil profutura cadunt.

3. AFFERT SESE] Fortaſſe ex Plauto, qui Amphit.

A phit. Scen. Concedite: *eius iussu nunc huc me affero*. Iussu Iouis.

4. LÆTVSQVE AD MOENIA DVCIT] Est hæc φίλων προπομπὴ, quod verbi est in Artemid. lib. 2. cap. 54.

5. LACRYMAS] Hæc vera lectio, & doctioribus probata, Seruio quoque cognita, non illa, *& multùm lacrymans*. Nam si *multùm* vbertim explices, quid est negotij?

Xanthus, & Scamander idem.

6. ARENTEM XANTHI COGNOMINE RIVVM] Xanthum Scamandrúmque eundem esse multi tradunt, intérque hos Aristoteles lib. 3. Hist. Animal. cap. 12. δοκεῖ δὲ ὁ Σκάμανδρος ποταμὸς ξανθὰ πρόβατα ποιεῖν· διὸ καὶ τὸν Ὅμηρόν φασιν ἀντὶ Σκαμάνδρου Ξάνθον προσαγορεύειν αὐτόν: *Scamander fluuius dicitur reddere oues* B *flauas, inde est vt Homerus credatur illum fluuium pro Scamandro nominasse Xanthum*. Hoc de rufis ouibus Xanthi Vitruuius quoque scripsit lib. 8. cap. 3. Hinc allucet, cur Poëta *Xanthum cognomine*, quia nomen Scamander, Xanthus à successu ouium cognomen. Quare autem Poëta fluuium hunc *arentem* dixerit, explicat Germ. non quòd arens & paruus fuerit respectu eius Xanthi, qui in Troia, quasi magnus Troianus fuerit; sed quia verè Xanthus Troianus paruus quoque fluuius fuerit, & delectationi magis, & aquationi accommodatus, quàm nauigationi. Quod firmat & illo Virg. in 1. *Xanthúmque bibissent*. & Horat. in Epod. Od. 13.

Xãthus paruus fluuius.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parui
Findunt Scamandri flumina.

C Et Lucan. qui tale quiddam lib. 9.

Inscius in sicco serpentem puluere riuum
Transierat, qui Xanthus erat.

Limina in religione.

7. AMPLECTOR LIMINA] Positum hoc in religione veterum. Apud Val. Maxim. prædones, qui Linterni Scipionem adierunt, *postes ianuæ venerati sunt*. Sed de hoc iam lib. 2. Æn.

Accipio de conuiuio.

8. ACCIPIEBAT] Refer ad conuiuium, cum Seruio, qui Terentij hæc aduocat, *accipit homo nemo meliùs, atque prolixiùs*. Certè Græci δοχὴν dicunt conuiuium ab excipiendo, vide Budæum in Comment. & ὑποδοχεὺς, idem est, qui ἑστιάτωρ, qui alium accipit conuiuio. Cœna quoque aduentitia dicitur ὑποδεκτική. Plautus etiam dixit *dapsaticè excepti*. Et Arnobius lib. 7. *frequentißimo irrigant, accipiúntque se vino*. & D Seneca. 2. Benef. *propinationem accepturus*.

Triclinia in medio cœnationis.

9. AVLAI IN MEDIO] Vult Ciaconius dictum hoc ex more veterum, quo triclinia in medio cœnationum sternebantur, vt liber locus ministrantibus relinqueretur. quod probat Poëtæ loco hoc. Adiungo Val. Flacc. 2. Arg.

Medijs famulæ conuiuia tectis
Expediunt.

& lib. 4. ad finem

Festa dein medijs ineunt conuiuia tectis.

Conuiuiorũ insania.

10. IMPOSITIS AVRO DAPIBVS] Fuit hoc ex veterum luxuria, & abundantia, vt in mensis haberent vasa omnia argentea, & aurea; cuius rei mentio magna. Virg. 1. Æn.

Ingens argentum mensis, cælatáque in auro
Fortia facta patrum.

B Athenæus lib. 1. adducit ex Polybio apparatum magnificentiámque, qua quidam Hispanus Rex in conuiuiis vtebatur, intérque alia, κρατῆρας infert ἀργυροῦς ὄντας, καὶ χρυσοῦς: *crateras argenteos aureósque*. Et lib. 5. in pompa conuiuij Ptolemæi Philadelphi, facta priùs mentione calicum, & vasorum, sic concludit, ἃ δὴ πάντα χρυσᾶ τε ἦν, καὶ διάλιθα, θαυμαστὰ ταῖς τέχναις: *quæ omnia auro erant, lapillísque distincta, admiranda prorsus arte ipsa*, & in eodem capite meminit κρατῆρος ἀργυροῦ, *crateris argentei*, qui sub labris, auribus, & base habebat ζῶα τετορνευμένα, *animalia torno elaborata*, coronabantúrque χρυσῷ διαλίθῳ: *auro lapidibus distincto*: post craterem calices duo portabantur argentei, qui complura habebant animalia insculpta, omnia artis eximiæ. Hæc satis ad veterum insaniam C cognoscendam; qui plura volet, adeat lib. 6. eiusdem scriptoris, vbi de hac re fusè satis, cap. præsertim. 3. & 4. iuxta diuisionem Natalis.

11. PATERASQVE TENEBANT] Homericum, ἔχε δὲ χρύσειον ἄλεισον: Ceterùm ad conuiuium, quod hîc exhibetur, vtpote in Sicilia, pertinere potest adagium de Siculis dapibus, quæ splendidæ. Vide Erasmum.

12. INFLATVR CARBASVS AVSTRO] Homer. 2. Iliad.

Ἔπλησεν δ᾽ ἄνεμος μέσον ἱστίον.
Impleuit ventus velum medium.

13. VATEM] Ab Homero. 6. Il. dicitur Helenus οἰωνοπόλων ἄριστος, & ab Sophocle in Philoct. ἀριστόμαντις, *optimus & princeps vatum*. Ab Dione Chrysostomo D Orat. 59. μαντικώτατος Φρυγῶν Ἕλενος ὁ Πριάμου. *Peritißimus Phrygum in diuinando Helenus filius Priami.*

[a] Troiugena interpres Diuûm, qui Numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ,
[b] Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Relligio, & cuncti suaserunt Numine diui
Italiam petere, & terras tentare repostas:
Sola nouum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & tristes denuntiat iras,
Obscœnamq; famem) QVÆ prima pericula vito:
Quíue sequens tantos possim superare labores.

ARGVMENTVM.

Sciscitatur Æneas Helenum de cursu in Italiam, Harpyiæ prodigio territus.

EXPLICATIO.

a CAptat illum permagnificè, attribuens illi omnem pene augurum disciplinam. Variè E interpretes. Quæ de Geomantia, Pyromantia, Aëromantia Seruius hîc diuidit, parum probo. neque item alias aliorum diuisiones. Illa tantùm placet, vt triplicem vaticinandi scientiam attribuat Heleno, ex afflatu numinum, ex astris, ex auibus. Primam in illis, *sentis Phœbi numina, tripodas, Clarij lauros*. Alteram, *sentis sidera*. Tertiam, *sentis linguas volucrum, alarum omina*. Nescias igitur, cur Cicero 1. de Diuinat. dixerit,

xerit, Helenum auguriis diuinasse, vt Cassandram mentis incitatione & furore: vt videatur sola auguria Heleno tribuere, cui Maro hîc omne prope diuinationis genus. Redeo. Tot attributa præcedit illud *interpres Diuûm*, quasi hoc sequentia explicent, vt species suum genus. Vox *Troiugena* cum respectu ad se: quasi dicat, Troianus à Troiano quærit.

b Quid verò ad illum? *Fare age*; vox signata, vates enim fantur, inde fata. Quid verò vult scire? quæ primùm vitanda, quæ deinde sequenda. Itaque hæc summa, & duplex petitio. Adiungit causam inclusam parenthesi, cur demum post tot oracula illum consultet. Videlicet tristes Harpyiarum denuntiationes, & quæ de fame iam præcesserunt. Illud, *religio prospera dixit mihi omnem cursum*, est hypallage, pro omnis religio dixit mihi cursum prosperum.

Notæ.

Troiani augurorum peritissimi.

1. Troiugena] Ad huius vocis explicationem idonea est nota hæc Seruij non vulgaris, sed illius, quem sæpe laudo. *Sciendum, sicut veteres auctores affirmant, peritissimos auguriorum & Æneam, & plurimos fuisse Troianos. Nonnulli dicunt, à Marsoa Rege missos è Phrygia, regnante Fauno, qui disciplinam auguriorum Italis ostenderet. Ergo Troiugena sine dubio auguriorum & diuinationis peritus est.*

Vates Deorum interpretes.

2. Interpres Divvm] Vates esse veluti medios inter Deos & homines, qui hominum preces ferant ad Deos, & horum ad illos referant oracula, & ideo interpretes dicantur, apparet ex Plutarchi loco in Isid. ὅτε Πλάτων ἑρμηνευτικὸν τὸ τοιοῦτον ὀνομάζει γένος, καὶ διακονικὸν ἐν μέσῳ θεῶν, καὶ ἀνθρώπων, εὐχὰς μὲν ἐκεῖ καὶ δεήσεις ἀνθρώπων ἀναπέμποντας, ἐκεῖθεν δὲ μαντεῖα δεῦρο, καὶ δόσεις ἀγαθῶν φέροντας. sententiam horum iam præmisi. Huc pertinent verba Liuij lib. 1. *Te mihi mater veridica interpres Deûm aucturum cælestium numerum cecinit.*

3. Qvi nvmina Phoebi, &c.] In enarrando hoc vario diuinationum complexu, tam hîc quàm 10. Æn. in illis,

Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes,

In hoc (inquam) diuinationum complexu omnino institit versibus Orphicis, qui alieno ore ita sonant;

Perdidici leges multas, ac munia vatum:
Quæ volucresque ferasque decent: quo conuenit exta
Esse modo: quæ diuinent insomnia mentes,
Mortales vt habet sopor, & leuis irrigat artus:
Prodigiis quæ conueniant, monstrisque medela:
Quidque parens Diuûm stellarum sidere monstrat.

Tripus quid.

4. Tripodas] De Phœbi tripode variè auctores sentiunt, déque eius forma. quidam mensam, vas alij, plerique perforatum sedile tradidêre. Alij hos tres pedes referunt, vel ad tria fulcra, quibus tanquam pedibus innixus erat. Hoc indicant Græcorum Scholia, in quibus τρίπους κρατὴρ μέγας τρεῖς βάσεις καὶ πόδας ἔχων. vel ad gradus tres, quibus in eum locum ascenderet Pythia, vt tutiùs acciperet ἆσθμα θεῖον, ne videlicet suffocaretur ab adstantibus. Huc videntur pertinere verba Eustathij in lib. 9. Iliad. διὰ τὸ τρίποδα τὴν ἐπίβασιν ἔχειν. Antonius Aug. Dial. 5. de Icon. putat, quantum elici ex verbis Diodori & Strabonis potest, tripodem fuisse puteal quoddam (Hispani *brocal de poco*) pedum trium, in quod Pythia ascenderet, éque halitu inde emergente amens omnino reddita funderet verba furoris plena. Tripus etiam musicum fuit instrumentum, de cuius ad-

A

mirabili compositione fusè Athenæus lib. 14. Est verò qui coniectet, Tripodem vaticinantium fuisse instrumentum illud musicum, quod cùm pulsaret vaticinator, in eius pectus statim se Dæmon insinuaret, vti contigisse ex variis historiis cognoscimus: Dæmon enim plerunque sese inferebat in pectus ad musicam harmoniam. Sed longè hoc à bona coniectura. Nam verbum ἐπιβαίνειν, quo Græci: & *ascendere*, quo Latini vtuntur, quid faciunt ad hoc instrumentum? Sed in summa scias, *tripodem* fuisse mensam fulcri triplicis. Hoc enim astruunt vnicè, quæ ego iam suprà dedi de *cortina*. Qui attentè auctores legerit, hoc esse verum inueniet. Huic opinioni hæreo, reliquas falsas puto.

Laurus vaticinatrium.

5. Clarii lavros] Duplex sententia, vel enim intelligit laurum, quæ erat in ipso templo, & per

B

quam etiam dabantur oracula, de qua lauro Poëta ipse suprà,

—tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque Dei.

vel coronam ex lauro factam, quam Phœbus ipse, quíque oracula edebat sacerdos, gestabant in capite. Inde crebrum apud Græcos, ex corona vaticinari, & seruus Chremylum rogat apud Aristophanem in Plut.

Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;
Quid igitur Phœbus locutus est ex coronis?

Claros insula.

Igitur sentis lauros, id est, oracula, quæ per laurum dantur, quæ erat in æde: vel quæ per sacerdotem gestantem laurum. Claros verò insula fuit Phœbo sacra,

C

sic ipse Deus apud Ouid.

—mihi Delphica tellus
Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia seruit.

Clarii insulæ oracula.

Inde Apollo Clarius dictus. Illustrare hanc partem Plinius potest lib. 2. cap. 103. *Colophone* (inquit) *in Apollinis Clarij specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula.* Vt possimus credere, gentium errorem natum ab hoc fonte, & datum Apollini, quod aquæ esset. Sed adducam verba Taciti è lib. 2. Ann. quibus Poëta lucem accipit. loquens de Germanico Asiam peragrante, sic ait: *Relegit Asiam, appellitque Colophona, vt Clarij Apollinis oraculo vteretur. Non fœmina illic, vt apud Delphos, sed certis è familijs, & fermè Mileto accitus sacerdos numerum modò consultantium, & nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis ar-*

D

cani aqua, ignarus plerunque litterarum & carminum, edit responsa, &c. His & sententia Plinij illustratur, & Poëta, qui Clarij Apollinis cùm meminit, sacerdotem, ex proprietate eius oraculi vaticinantem infert, non fœminam.

6. Sentis] Signat hoc verbum primos illos vaticinantium impetus, quibus iam illi adesse Deum sentiunt afflatu propinqui numinis. Pari verbo Propertius eleg. 1. lib. 4.

Aut si quis motas cornicis senserit alas.

Ouid. 3. Fast.

Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas
Senserat. Ante omnes in re etiam diuina Cato apud

E

Festum. *Domi cùm auspicamus, honorem me Deûm velim habuisse, serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.*

Auium vaticinia.

7. Et volvcrvm, &c.] Hoc versu continetur omnis proprietas, & peritia scientiæ Auguralis: nam aues, aliæ ore, aliæ volatu auspicium faciebant. Ouidius libro 1. Trist. eleg. 8. sic egregiè,

Linguáue seruatæ, pennáue dixit auis.

Qui versiculus eandem continet sententiam, quam versus Maronianus. Sicut & verba ista Ammiani lib.

21. Rostrum

21. *Rostrum sonans, aut præteruolans pinna turbido meatu, vel leni futura præmonstret.* Quæ ore augurium faciebant *oscines* dicebantur; quæ volatu *alites*. Si verò hic volatus felicis esset augurij, tum aues illæ *præpetes* dicebantur. Pacuuius apud Tullium lib. 1. Diuinat. ita:

Oscines. Alites. Præpetes aues.

Nam istis, qui linguam auium intelligunt,
Plúsque ex alieno iecore sapiunt, quàm ex suo,
Magis audiendum quàm auscultandum censeo.

Oscinum, alitum, atque harum specierum in hunc modum Festus: *Oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, vt coruus, cornix, noctua. Alites autem quæ alis ac volatu, vt Buteo, Sanqualis, Aquila, Immussulus, Vulturius.* restat firmem, quod de præpetibus dixi. Seruius in membranis apud Brissonium lib. 1. *Præpetes* (ait) *quæ volatu augurium significant, cùm sint prospera.* Idem citante Scalig. in Fest. *Præpetes sunt, quæ secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur.* Sed hæc fragmenta lucem iam viderunt, & obuia sunt omnibus. Ad idem aduoca verba Agellij lib. 6. cap. 6. *Non ipsæ tantùm aues, quæ prosperiùs præuolant, sed etiam loci, quos capiunt, quòd idonei felicésque sunt; præpetes appellantur,* vbi vides hoc nomen datum, & auibus prosperis, & locis quos capiunt. exciderat id quod iam te moneo, nimirum, vt de Sanquali, vel, vt aliis placet, Sanguali, & Immissulo Plinium consulas lib. 10. cap. 7. & de Buteone eundem lib. eodem cap. 8. reliqua auium genera notiora, & ab aliis petenda. Ad hanc notam pertinent aliqua eorum, quæ dicta iam lib. 1. Georg.

Præpetes loci.

8. LINGVAS] Ita volucribus linguas dedit Pacuuius in Chryse.

Linguæ auium.

Nam istis, qui linguam auium intelligunt,
Plúsque ex alieno iecore sapiunt quàm ex suo,
Magis audiendum quàm auscultandum censeo.

Plinius lib. 10. cap. 49. dixit, *alitum colloquia.* Statius indicat, fuisse aues Deorum consiliarias, cùm scribit:

Iuppiter omnipotens nam te pernicibus alis
Addere consilium, volucrésque implere futuri,
Omináque & causas cælo deferre latentes.

A Inde Philostratus lib. 1. de vita Apollonij cap. 18. loquens de quibusdam volucribus, quæ erant, vbi Rex Persarum ius diceret, ait, καλοῦσι γὰρ αὐτὰς θεῶν γλώσσας: *vocant enim illas, Deorum linguas.* Ennius 1. Annal. vultures, qui Romulo apparuerunt, vocat *sancta corpora.* Ex hac fortasse mente (hoc iam alij ante me) Homerus Mineruam & Apollinem mutauit lib. 7. Iliad. in auium corpora, vt consilium Iouis aperirent Græcis & Troianis. Narratio Plinij lib. 10. cap. 49. referenda est ad fabulamenta. Ait ille ex Democrito, ex confuso auium sanguine serpentem gigni, quem quisquis ederet, intellecturus sit colloquia alitum.

9. OMINA PENNÆ] Notat Germ. pennam, positam pro aue ipsa. Nam & Sophocl. in Col. Oedipi ore ad Furias,

Penna pro aue.

B

Οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως οὐ πιστὸν ἐξ ὑμῶν πτερὸν
Ἐξήγαγ᾽ εἰς τὸ δ᾽ ἄλσος.
Non est, nisi vt bono vestro augurio
Venerim ad hoc nemus.

In Græco πτερὸν est, id est, *penna.* & Callimach. οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες: *non felices alæ.* Et Prop. lib. 3.

Túque ô clara mihi felicibus edita pennis
Surge, &c.

id est, bonis & fortunatis auibus. Cyrillus in Oseam dixit, ἢ γοῦν τὰς ἐξ οἰωνῶν περιεργάζονται πτήσεις: *aut volatus auium curiosè obseruant.*

10. CELÆNO] Audierat inter alia ab Ænea Helenus, peritum se esse in cognoscendis linguis volucrum, nam videlicet Æneas voluit, vt explicaret cantum Celænus, quæ est ex auium numero.

C

11. OBSCOENAMQVE FAMEM] Obscœnum, vitabile est, & malè auspicatum: sic Ouidio *obscœnæ aues;* & Accio *obscœna dicta,* & Accius idem in Astyanacte ait, Astyanactem

Obscœnum.

Obscœno nomine classem morari:

ore Græci cuiusdam, id est, nomine malè ominato, quia videlicet Astyanax signat *vrbium regnatorem:* atque ideo Græci timebant illum imperio aliquando potiturum in Græcam perniciem. Notauit hoc Delrius in Fragmenta Vet. Trag.

[a] Hîc Helenus cæsis primùm de more iuuencis,
Exorat pacem Diuûm: vittásque resoluit
Sacrati capitis: méque ad tua limina Phœbe
Ipse manu multo suspensum Numine ducit:
Atque hæc deinde canit diuino ex ore sacerdos:
[b] Nate Deâ (nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: SIC FATA Deûm Rex
Sortitur, voluitq; vices, is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & Ausonio possis considere portu
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, fariq; vetat Saturnia Iuno.

ARGVMENTVM.

Sacerdos iuuencos cædit, solutis vittis, Ænea ducto ad limen oraculi, se ad longam futurorum narrationem accingit.

EXPLICATIO.

a Flebant sacra à vatibus antequam responsa ederent, quo haberent propitia numina. Ergo Helenus, iuuencos cædit, Deorum pacem exorat, vittas resoluit: ac me (inquit Æneas) ducit manu ad Phœbi limina suspensum religione, ictum numine, sanctitate D loci commotum. Quo facto ille *canit ore diuino*, diuinante. Præclarè autem de vittis *resoluit*, cum oppositione quadam, nam vittæ à viendo, & vinculis dictæ sunt, inde in 5. cum allusione ad etymon, *euincti tempora tæniis.*

b Ait Helenus dicturum se pauca è multis, quo Æneas tutiùs nauiget per maria, & feliciùs ad portum perueniat. non omnia, nam scire Æneas omnia non potest, prohibentibus Parcis; nec ipse loqui Helenus vetante Iunone. Parenthesis rationem reddit,

reddit, cur ad Æneam loquatur, & vaticinium Helenus canat. quia videlicet auspicia Æneæ euntis per altum mare maiora sunt, quàm aliorum auspicia, Ioue fata sortiente (explico, statuente) vices voluente, vertente rerum ordinem. Indicat rerum omnium naturam volui, & inuerti ordinem, vt Æneas condat imperium in Italia, à quo Cæsares genus ducturi. quasi non aliter statui imperium hoc potuerit, nisi inuerso rerum ordine; ac per mille molimina.

NOTÆ.

1. CÆSIS PRIMVM DE MORE IVVENCIS] Ita etiam. 6. Æn. antequam edatur oraculum, admonetur Æneas,

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

2. EXORAT PACEM] Hanc ad sacra pertinere in re simili notat Briss. ex Iustino, Plauto, Liuio. Ex quo more Helenus cæsis iuuencis conciliat & impetrat pacem beneuolentiámque Diuûm, vt possit edere oracula. Hæc malim, quàm quæ fusè hîc Seruius.

Pax in sacris

3. VITTASQVE RESOLVIT] Post cæsos iuuécos, & impetratam pacem, inducitur habitus sacerdotis locuturi oracula. vittarum vsus apud veteres sollemnis his, qui curarent sacra. De Ilia Vestali lib. 3. Amor. eleg. 6. Ouid.

Vittæ in sacris.

Quò cultus abiere tui? quid sola vagaris?
Vitta nec euinctas impedit alba comas?

& de eadem. 3. Fast.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Hinc sacerdos Lucano lib. 1. *vittata* dicitur,

Vestalémque chorum ducit vittata sacerdos.

Sed quare Helenus vittas resoluit, cùm vult ventura prædicere? ne putes, vittas sibi ademisse, neque enim id dicit: sed tantùm soluisse, nam cùm nexæ essent vittæ in capite, fecit vt penderent. Vt enim ex aliis patet, vittæ necessariæ vatibus, & tunc maximè cùm canebant oracula. Apud Flacc. 4. Arg. Phineus vaticinaturus.

Vittarum vsus ad fundenda oracula.

——vittas laurúmque capessit,
Numina nota ciens.

Stat. 2. Theb. pleniùs habitum vaticinantium constituit,

——longæui vatis opacos
Tiresiæ vultus, vocémque & vellera nota
Induitur: mansêre comæ, propexáque mento
Canicies, pallórque suus, sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæq; innexus oliuæ
Vittarum peruenit honos.

& lib. 3.

Huc gemini vates sanctam canentis oliuæ
Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis
Euadunt pariter.

Hæc omnia satis morem indicant de vittis in vaticinio gestatis. Standum itaque explicationi Donati, qui ait, *fecit solui vittas, vt penderent, quæ fuerant nexæ.* Additque rationem, *vt plenum ostenderet officium sacerdotij.* Verè; sic enim ornatior incederet sacerdos dependentibus vittis ex coma. Sed quid est obsecro, à Virgilio vittas resolui in vaticinio, cùm alij in re simili vittas inferant coërcitas, ligatas, vinctas? Apud Flac. lib. 3. Mopsus vaticinaturus,

Tempora tum vittis, & supplice castus oliua
Implicat,

& lib. 5.

——pars auguris alba
Fronde caput, vittisq; ligant.

Duplex solutio. Prior, fiebant vaticinia, vel ligatis, vel solutis comis: ligatis, vt Mopsus, & alij; solutis, vt hîc

A Helenus, & Sibylla in 6.

Non comptæ mansere comæ.

Sed hæc mihi non plausibilis. nam viri certè semper ligatis inducuntur, Sibyllæ semper solutis, vt amentes. Posterior, quid si in vno Virgilio *resolutæ vittæ* sint, fortiùs illigatæ, præpositione ipsa vim addente, vt in *reputo, rescisco, repello, retundo,* & aliis. Quæ verba non sunt vt *figo* & *refigo.* nam in illis præpositio vim addit. Nam quî obsecro credibile est, poëtas, qui secuti Virgilium sunt, induxisse suos vates illigatis vittis, si illorum princeps solutis? Expecto, qui hoc feliciùs. Sæpissime certè in his rebus decurrendum est ad ceremonias veterum non satis fixas & statas. & sæpe non te facilè, nisi hoc fulcro, expedies. Potuit itaque Virgilius solutas inducere, cùm alij illigatas.

Re, in compositione habet vim duplicem.

B 4. LIMINA] Propriè cape. de quo explicatiùs lib. 6. ad illud,

——tua limina adirem.

5. MANV DVCIT] Soluit Græcum χειραγωγέω. vnde & χειραγωγία, & χειραγωγός.

6. SVSPENSVM] Ita vulgares libri. Libentiùs legerem *suspensus*, cum respectu ad illam præsensionem, qua vates occupantur, vt adest afflatio numinis. Quod suprà dixit, *sentis numina.* Hoc etiam claret ex Sibylla lib. 6.

7. NATE DEA, NAM TE, &c.] Notant Germ. & Scal. aliíque, Poëtam in sequenti narratione omnino institisse Apollonio lib. 2. Argon. vbi Phineus abituris Argonautis similia fere aperit. Vitaturus est Æneas Scyllam, & Charybdin; sic Iaso Symplegadas: cauenda

C Æneæ littora Græcis occupata; Iasoni legendæ oræ inaccessæ ferorum populorum: Iuno placáda Æneæ, Iasoni Venus propitianda. Nec multùm abit narratio illa Promethei vincti ad Io de erroribus, quos hæc aditura, apud Æschyl. In Odyssea quoque multa sunt his similia, vbi Græco duci multa à Circe dicuntur de futura eius nauigatione.

8. MAIORIBVS AVSPICIIS] Verba omnia signata ad rem fatorum, videlicet auspicia, sortitio, vices, ordo, voluo, verto: Seruius, qui nouus exstat, explicat *auspicia maiora* illa, quibus auspicari ius sit præter tripudium auium, neque vlla adhibita precatione. Atque adeo hîc nullæ præcesserunt Æneæ preces, nulla auium auspicia: cùm aliàs, antequam edantur oracula, præcedere illæ soleant, tripudia etiam auium,

D & auspicia obseruari. Sic ego explico sententiam Seru. implicatam perplexámque. adi illum in Fragmentis. Alij *maiora auspicia* capiunt, altius quiddam ex cælesti numine & ductu; non vt ab aliis captantur auspicia ex garritu auium, aut volatu. Vt dicat Helenus, maiora sunt auspicia tua, quàm linguæ volucrum, quibus me peritum esse dixisti. Ego ex Liuio videor posse dicere quæ sint hæc maiora auspicia. Is lib. 1. loquens de Ænea, & cum respectu vt credo, ad Virgilium, ait: *ad maiorum rerum initia ducentibus fatis.* Ergo, auspicia maiora, quia ad res maiores. quasi dicat. maiora sunt tua fata, quàm aliorum; tua enim moliuntur Romanum imperium.

Maiora auspicia, quæ.

9. EXPEDIAM DICTIS] Hoc munus vatum. Sic

E & Anchises in 6.

Vat... nus.

——& te tua fata docebo.

ibi enim prædiuinat futura. Cæcilius apud Minutium: *Pleni Deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus leuamentum.* Hæc omnia præstat vnus Helenus erga Æneam.

10. PROHIBENT NAM CETERA PARCÆ SCIRE] Vt distinxi, distinguit quoque, & explicat Seru. Itaque non dicit, Parcæ prohibent me Helenum scire cetera, sed, prohibent & te scire, & me loqui.

qui. Iuuat imitatio Apollonij. 2. Arg.

Κλῦτε νῦν, οὐ μὲν πάντα πέλει θέμις ὔμμι δαῆναι
Ατρεκέως, ὅ δ' ὄρωρε θεοῖς φίλον οὐκ ἐπικεύσω:

Audite nunc, neque fas est vos omnia scire
Exactè, quæcunque verò permittunt Dij, non celabo.

A Hæc sententia eadem esse videtur cum Virgiliana. Tu scire omnia non potes, nec ego fari, sed fabor tamen, quæ Iuno non vetuerit, id est, quæ permiserit, vt Græcus dixit. Sed quæ non scienda Æneæ? Fortasse patris obitus, tempestas Æoli, deflexio ad Carthaginem.

a Principio Italiam, quam tu iam rêre propinquam,
Vicinósque ignare paras inuadere portus,
Longa procul longis via diuidit inuia terris.
b Antè & Trinacria lentandus remus in vnda:
Et salis Ausonij lustrandum nauibus æquor:
Inferníque lacus: Æææq; insula Circes:
Quàm tuta possis vrbem componere terra.
c Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
Cùm tibi sollicito secreti ad fluminis vndam,
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum vbera nati:
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

ARGVMENTVM.

Prædicit longitudinem viarum, maris errores, & pericula ante aduentum in Italiam: suis albæ omen, qua inuenta, finis etiam viarum aderit.

EXPLICATIO.

a PVTABAT Æneas Italiam iam esse propinquam, portus eius vicinos, & statim posse inuadi; & verè non multùm inde aberat: sed ignorabat tamen cursum illum, etiam si breuem, esse perplexum ac difficilem ob Scyllam, ob Charybdin, ob alia pericula intersita: ideo illum docet Helenus esse viam illam inuiam, & longam non recta dimensione, sed ab longis terris, quæ in traiectu illo lustrandæ, ac circumeundæ. *Principio* est, ante omnia.

b Aperit iam rem explicatiùs. Erunt tibi longissimæ moræ circa Siciliam. Has moras aptè explicat lentitie remorum. Pergit. Lustrandum est tibi Ausonium mare (est hoc mare pars Ionij) adeundi inferi, vide quis hic labor? Circes insula præternauiganda. Hæc (inquam) priùs lustranda omnia, quàm tutus sis, & tutò possis vrbem condere. Hæc gesta sunt eo ordine, quo hîc narrata. In hoc libro lustratur Sicilia, & mare Ausonium, in 6. inferi in 7. Circes insula.

c Adhibet signa loci ad quietem inueniendi. Aliquando ipse ad vndas fluminis sollicitus inuenies in littore suem, cui triginta porcelli, ipsa alba erit, fœtus quoque albi, cubabítque in solo: scias itaque illum D esse locum condendæ vrbis, iam tum tibi aderit laborum quies. Literam subobscuram nouitius sic ordinet. *Cùm sus ingens inuenta* fuerit *sub ilicibus littoreis tibi sollicito ad vndam fluminis secreti*, quæ *iacebit enixa fœtus triginta capitum*, quæ erit *alba*, quæ *recubans* in *solo*, cui etiam erunt *nati albi circum vbera: is locus erit vrbis, requies ea certa laborum.*

NOTÆ.

1. LONGA PROCVL LONGIS, &c.] Pulcherrimus versus: de quo, ac similibus Græcis Latinísque, alibi. Inest nonnulla imitatio Homeri Il. 1.

B *—πολλὰ μεταξὺ*
Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα:
—multi in medio
Vmbrosi montes, & sonans mare.

Et Odyss. 11.
Νόστον τόνδε τοι ἀργαλέον θήσει θεός.
Difficilem tibi reditum Deus dabit.

2. LENTANDVS] Catull. in Nupt.
—lentos incuruans gurgite remos.

Seneca in Agamemn.
Properat iuuentus omnis adducto s simul
Lentare remos.

id est, ducere, flectere. Sed signatissimè omnium locutus Virgilius dans hanc lentitiem nauigantibus in mari Siculo, tum propter circuitum illum, quo Sici- C lia tota perlustranda, vbi necessariæ moræ: tum quia hæc natura illius maris, de quo Iustinus lib. 4. *vndarum porro inter se concurrentium tanta pugna est, vt alias veluti terga dantes verticibus in imum desidere, alias quasi victrices sublime ferri videas.* vbi hæc pugna vndarum, & concursus, quid mirum diu luctentur nauigia? Lucretius etiam lib. 1. loquens de mari Siculo, eius naturam attigit. Siculi maris natura.

—quam (Siciliam) *fluitans magnis anfractibus æquor*
Ionium glaucis adspergit littus ab vndis.

vbi enim superandi anfractus, ibi moræ. Paulinus etiam epist. 34. dat mari Siculo *concita & verticosa crebris insulis freta.*

3. LVSTRANDVM] Est hoc quod Strabo lib. 6. *περιπλεόμενον χωρίον, locus nauigatione circumdandus.* Iterum: *Κάμπτειν τὴν ἄκραν: circumflectere promontorium.*

4. ÆÆÆ] Turn. lib. 7. Adu. cap. 14. ait, Circem sic appellatam Homeri exemplo. Additque ductum epithetum à peninsula Æa sita ad Phasin amnem, quæ peninsula olim Colchorum metropolis, vt sit Ææa idem quod Colchica. Sententiam viri docti firmo auctoritate Eustathij. is in 1. Odyss. loquens de Circe, *Αἰαίη ἀντὶ τοῦ Κολχική. Αἶα γὰρ πόλις Κολχίδος παρὰ Λυκόφρονι: Dicta est Ææa pro Colchica, Æa enim ciuitas est Colchidis auctore Lycophrone.* Ææ Colchorum meminisse Herodotum lib. 1. Turnebus iam scripsit. Sed adducā *πάρεργον*, fortasse non *πάρεργον*, vt aliũde rimari possis huius vocis etymon. *Ἠὼς* Græcis Aurora Ææa Circe.

 est,

est, inde syllabarum mutatione, quæ frequentissima illis est, αἰαῖος potuit deduci, quasi ἠῷος, id est, *matutinus*, *eous*. adiuuat hanc coniecturam, quòd Circe non solùm fuerit Solis filia, vt & Maro asserit lib. 7. verùm in illius insula Sol dicatur nasci, & Aurora domicilium suum habere. Homer.

Sol dictus nasci in insula Circes.

Νῆσον ἐς Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
Οἰκία, καὶ χοροί εἰσι, καὶ ἀντολαὶ ἠελίοιο:
Insulam ad Aeæam, vbi Auroræ mane genitæ
Domicilium, & chori sunt, & Solis ortus.

5. SIGNA TIBI DICAM, TV CONDITA MENTE TENETO] Eurip. Elect. ταῦτά σοι λέγω: *tibi hæc dico.* Quod hîc *condita mente teneto*, suprà,

—atque hæc mea figite dicta.

Æschyl. in Prom.

Βραχεῖ δὲ μύθῳ πάντα συλλήβδην μάθε:
Breui omnia sermone accipe.

Iterum,

—τοὺς ἐμοὺς λόγους
Θυμῷ βάλε:
—sermones meos
Repone in animo.

Quem extremum Æschyli locum habuisse in animo videtur Poëta; nam statim sequitur longa narratio Promethei instruentis Io de futuris periculis, déque itineribus, quæ esset aditura. Addo etiam eandem sententiam alio verborum complexu prolatam ab eodem Æsch. in eadem Trag.

—πολύδονον πλάνην φράσω,
Ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν
—edißeram multiplicem errorem,
Quem tu inscribas tabulis firmis mentis.

Sallust. in Iugurth. sic extulit: *Postremò hoc in pectus tuum demitte.* in oratione Sullæ ad Bocchum. Catull. in Nupt. Pel.

—memori tibi condita corde.

Suis Troianæ fabulæ.

6. CVM TIBI SOLLICITO, &c.] Sciendum hanc historiam ita multis fabulis deformatam esse, vt vix possis lucem habere. Sunt qui dicant ad eam visam conditum Lauinium, non Albam, & post triginta annos (nam id signabant porcelli) à Lauinio in Albam translatum ab Ascanio Regnum. Alij rursum, triginta succulis significari non tempus triginta annorum, quo Lauinij immoratum est, sed tempus trecentorum annorum, quo Regnum in Alba fuit, antequam Roma conderetur. Iam de ipsa porca quæ non mendacia? talia enim appellamus, vbi fides non certa, sed inconstans & lubrica. Quidam dicunt, eam forte oblatam quodam omine; alij rursum ex Troia in nauibus aduectam, & post fugam, ibi demum repertam, vbi datus est locus prodigio. Vtcunque sit,

A nemini dubium, quin Alba longa dicta ab hoc omine. Propert. lib. 4.

Alba longa ab sue.

Et stetit Alba potens albæ suis omine dicta.

Iuuenalis Sat. 12.

—iam deficientibus Austris
Spes vitæ cum sole redit: tum gratus Iulo,
Atque nouercali sedes prælata Lauino,
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Sed quare hoc animal, potiùs quàm aliud Poëta assumpserit, ad felix omen, reddi potest ratio hæc non inepta. Messala Coruinus, siue quisquis is est, qui se eo titulo ornauit, scribit, Troiam antiquitus suem apud Latinos significasse, quæ vox & Germanis & B Gallis adhuc in vsu est, quibus Troia, siue Truia, nunc est sus. Igitur Troianus homo Helenus patriæ suæ amore delectatus, Troiam dat, id est, suem, ad faustum omen. Non abhorrent ab his, quæ scripsit Gorop. Becan. lib. 9. Orig. Antuerp. Si te historiarum similitudo delectat, quidpiam huic ostento affine inuenies in Eusebio, scribente contra Hieroclem, de Apollonio, qui inuenta in itinere leæna moribunda, ac iuxta illam octo catulis porrectis, coniectauit spatium temporis, quod sibi commorandum esset apud Persas.

Sus dicta & Troia.

7. LITTOREIS] De flumine loquitur, & tamen littus dicit, quod proprium maris; sicut & ripa fluminum, quod notum vel ex versiculo Ouidij. 1. C Metam.

Littus, & Ripa commutant significata.

—pro ripis littora pulsant.

Ita tamen hoc verum, vt etiam voces commutentur. Nam in hoc loco *littus* dicitur de flumine. & in Horatio *ripa* de mari.

Hostium vxores puerique cæcos
Sentiant motus Orientis Austri, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Si cui hæc non placeant, videat, flumina dici maria & pelagus, cùm sunt copiosa: sic. 1. Æn. de Timauo, *pelago premit arua sonanti.* quem locum vide; ac perinde eodem iure magnorum fluminum ripæ dici poterunt littora. Tertiò dico, posse & aliter Virgilium defendi, nam tractus ille, vbi visa porca, dictus est *littus*, quòd pars ea terræ esset macra, & tenuis. Vide D testimonium Fabij Maximi, quod adduco. 1. Æn. ad illud, *Lauina littora.*

Virgilius defenditur.

8. INGENS] Refero ad succum & pinguedinem. Itaque παχεῖαν intelligit *obesam.* aut, quod idem, ἐμπεπρησμένην, qua voce vsus in Vespis Aristophanes, loquens de sue. Vbi interpres, πρῆσαι, τὸ φυσῆσαι.

[a] Nec tu mensarum morsus horresce futuros,
FATA viam inuenient, aderítque vocatus Apollo.
[b] Has autem terras, Italíque hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
[c] Hîc & Naritij posuerunt mœnia Locri:
Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hîc illa ducis Melibœi
Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.
[d] Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris iam vota in littore solues,
Purpureo velare comas adopertus amictu:

[e] Nequa

e Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
f Hunc ſocij morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;
HAC CASTI maneant in religione nepotes.

ARGVMENTVM.

Tria deinde monet: ne horreſcat famem Harpyiarum: Græcas vrbes effugiat, Locros, Salentinos, Petiliam: inter ſacra caput tegat, qui ritus ſolemnis futurus poſteris.

EXPLICATIO.

a DVPLEX ratio, cur non debeat horreſcere Harpyiarum minas, morſúſque, quibus præ fame menſa erit abſumenda; ptior, immutabilis vis fatorum, quæ *viam inuenient*; poſterior, Apollinis fauor, qui *vocatus aderit*.

b Signat Calabriam & Apuleiam, quæ proximæ Epiro, vbi ipſe eſt. Has enim partes Græci tenuerunt, B appellarúntque Græciam Magnam. Lege Plinium lib. 3. cap. 5. & Iuſtinum lib. 20. Ergo effuge has terras, effuge hanc oram Italici littoris, quæ nobis Epiraticis eſt proxima, vt quæ, *perfunditur* (abluitur) *æſtu* (vndis ac fluctibus) *noſtri maris*. Eſt *æſtus* in mari, vbi aqua præ anguſtiis concitatur. Sequitur ratio, cur debeat fugere, *cuncta malis habitantur mœnia Graijs*.

c Ab generali rerum narratione deſcendit ad peculiarem & ſignatam aliquarum ciuitatum, quas in ea ora Italiæ Græci condiderunt. Numerat Locros, qui profecti à Naritio Græciæ: Idomeneum, qui pulſus ab Creta conſedit in Salentinis: demum Petiliam (paruum oppidum) quæ *ſubnixa*, id eſt, fulta & munita muro Philoctetæ ducis. Cùm Poëta dixerit, Græ- C cos occupauiſſe oram illam, eius conſilium eſt, in attributis indicare partes illas Græciæ, vnde profecti illi in Italiam. Ideo Locros vocat, Naritios; Idomeneum, Lyctium; Philoctetem, Melibœum: nam Locri profecti ſunt ab Naritio oppido Atticæ; Idomeneus ab Lycto Cretæ oppido; Philoctetes à Melibœa Theſſaliæ vrbe.

d Ab his monitis contendit ad rem ſacram & religionem, docens quo ritu illa ſoluenda. Summa eſt, debere Æneam operari ſacris velato capite amictu quodam, & obiter adhibet colorem amictus purpureum.

e Ratio, cur velato capite debeant fieri ſacra. Ne ſacerdoti operanti hoſtilis aliqua facies occurrat *inter ſanctos ignes*, qui incenduntur *in honore Deorum*. atque ea facies *turbet* captata *omina*.

f Demum admonet Æneam, vt non ſolùm ipſe, & ſocij eius, qui nunc cum ipſo ſunt, hunc ritum ſeruēt: ſed etiam omnes eius poſteri.

NOTÆ.

1. FATA VIAM INVENIENT] Eſt, vt dixi, ratio duplex. Scilicet fata immutabilia. Apollo propitius vocantibus. Ad primam rationem pertinet illud Æliani de prouidentia, quod adducit Euſtathius, & ex vtroque Spond. in 7. Il.

Μοῖραν μὲν θνητοῖσιν ἀμήχανον ἐξαλέεσθαι,
Ἥν ἐπὶ γεινομένοισι πατὴρ Ζεὺς ἐγγυάλιξεν:
Fatum mortales nequibunt euitare,
Quod ſemel natis Iuppiter pater attribuit.

Item illud Eurip. in Bacch.

Τῶν δ᾽ ἀδοκήτων πόρον εὗρεν ὁ Θεός:
Inuenit viam Deus ad iuſperata.

A ad alteram, illud Homer. Odyſſ. 12. μνήσει δέ σε καὶ ὁ Θεὸς αὐτός: *meminerit tui & Deus ipſe.*

2. EFFVGE] Similis locus ille,

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Tale & illud:

Effugimus Ithacæ ſcopulos, Laërtia regna.

3. MALIS GRAIIS] Accipio *malos*, aut hoſtes, vt verè erant Troianorum, aut, ex Græcorum ingenio, doloſos. Inde *Græca fides* pro mala, & perfida, in prouerbium abiit. De vnis Lacedæmoniis Ariſtoph. in Irena. δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες: *Doloſæ animæ, doloſæ mentes.* Eoſdem ibi comparat ἀλωπεκίδεσσι, *vulpibus*. Et Euripides in Andromacha (citat hunc Scholiaſtes Ariſtophanis) Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια: *Spartæ incolæ, doloſa conciliabula.* Ab hoc ingenio non abeunt reliqui Græci. Græci doloſi. Lacedæmoniorum ingenia vafra.

4. NARITII POSVERVNT MOENIA LOCRI] Naritij. Plin. lib. 4. cap. 7. Naritij oppidi meminit in ea parte Atticæ, qua eſt Locrorum ora. De his verò Locris, qui fuerunt in Italia, hunc in modum Strabo loquitur lib. 6. *Poſt Herculeum Locri agri promontorium offertur, quod Zephyrium appellatur: portum habens venientibus ab occaſu ventis commodum, qua ex cauſa & nomen aſſequitur. Deinceps Locri Epizephyrij vrbs inſignis. Quoniam à Locris Criſeum habitantibus ſinum, coloni huc profecti ſunt, Euanthe ductore.* His vides quem ortum habuerint Locri, qui in Italia; vnde venerint, quo ductore. Rurſus in lib. 8. in Græcia conſtituit illum Criſæum ſinum, Locróſque, ex quibus ortum habuêre, qui venêre in Italiam. Solinus cap. 8. commemorans quam originem habuerit quodque Italiæ oppidum, ait: *à Naritijs Locros.* Ergo dicamus Locros Virgilij eoſdem eſſe, quos Epizephyrios nominat Strabo. Naritios verò dici ab eo oppido, quod in Græcia poſuit Plinius, quod & conſentit cum Solino. ita vt ex vno Natitio Locrorum oppido profecti credantur illi, qui Locros vrbem in Italia condidêre: quod & conſentit cum Seruio, qui hic ſcribit: *Naritij autem à loco dicti ſunt prouinciæ ſuæ.* Lycophron quoque vtranque vocem ſic coniungit. Locri Italię.

—καὶ Ναρύκειον ἄστυ, καὶ Θρονίτιδες
Λοκρῶν ἀγυιαί:
Narycium vrbs, & Thronitides Locrorum vici.

De orthogtaphia huius vocis inclinamus debere ſcri- D bi *Narycium*, nam in Græcis correctiſſimis inuenimus, Ναρύκειον, non Ναρίτιον. Quæ in hunc locum interpretes ſcripſerunt, omiſimus omnia, quia illa in promptu. & quia ad explicationem vatis, hæc tantùm viſa neceſſaria.

5. OBSEDIT CAMPOS] Arripuit Tibull.

Prædator cupit immenſos obſidere campos.

6. LYCTIVS IDOMENEVS] Idomeneus pulſus Idomeneus. Creta, vt ſuprà memoratum, in Italia conſedit, ad Salentinos. Lyctius dicitur à Lycto Cretæ oppido, vnde fugit, ſic Seru. Et quidem Lyctum inter inſignia Cretæ oppida Plin. annumerat lib. 4. cap. 12. Salentinos porro in Vmbria conſtituit idem Plin. lib. 3. cap. 14. & eoſdem cenſet cum Dolatibus (alij legunt, Doiatibus) Ptolemæus promontorium Iapygium Salentini. E (Plinius acram Iapygiam) Salentinum nominat. Antiqua nomiſmata Salentini legunt per, a, vt patet apud H. Goltzium. Sigonius docet per duplex, ll, ſcribi in tabulis Capitolinis.

Petilia.

7. PETILIA] Conditam prius Petiliam Philoctetes tantùm muro cinxit, quod ex Catone admonet Seru. P. Danielis: tametsi Strabo nihil distinguat. eius verba postea afferam. Fuit hic Philoctetes magnus ille Herculis comes, & filius Pæantis, de quo tam multa in fabulis. Sed quæ nobis nunc non necessaria. Hic ex vrbe Melibœa Thessaliæ, profectus ad Italiam, consedit in Calabria ad Petiliam oppidum. origo nominis vel ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, *volare*, quia nimirum condita captato augurio: vel à Latino *peto*, quia eò petitum ab Philoctete. vtranque rationem adducit Seru. De hac vrbe sic Strabo lib. 6. Πετηλία μὲν οὖν μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν, καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς. κτίσμα δ' ἐστὶ Φιλοκτήτου, φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν. *Petilia quidem Lucanorum metropolis putatur, satis ad hoc tempus incolarum habens. hanc Philoctetes è Melibœa per seditionem profugus ædificauit.* Ortel. ait, debere scribi Peteliam, non Petiliam, firmátque auctoritate Ptolemæi, Appiani in Annibalicis, Plutarchi in Marcell. vbi πέτηλα est, quam vocem Xylander Peteliam reddidit.

8. STETERINT] In voce hac allusum ad stationem, quæ vox plurima, & frequens in re maris.

Amictus purpureus.

9. PVRPVREO] Varro lib. 4. de ling. Lat. *Amictus est dictum amictum, id est, circumiectum, & quod amictui habent purpuram circum, vocant circumtextum.* Itaque ex natura & forma amictus fuit esse purpureum.

10. VELARE COMAS ADOPERTVS] Hic est, velor, velaris: nam infrà,

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Operto capite fiebant sacra.

Attingit morem veteribus celebratum, quo Romani & Græci ante illos capita in sacris velabant. Plaut. Amph. Act. 5. scen. 1. *Inuocat Deos immortales, vt sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* Et Curcul. *Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?* Curtius lib. 4. *ille in candida verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis.* Inde mira illa blandiendi à Vitellio excogitata ratio, de qua sic Sueton. in illius vita cap. 2. *idem miri in adulando ingenij, primus C. Cæsarem adorari vt Deum instituit: cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato.* Sed vide, quæ latè scripsit Lipsius lib. de Amphitheatro cap. 19. vbi docet, Romanos olim aperto semper capite fuisse, & solùm quinque tempora, in quibus ius tegendi, videlicet sacra, ludos, Saturnalia, peregrinationem, militiam. Sed morem hunc, volunt ortum ab ipsissimo Ænea atque etiam ab ipsa hac historia, quam hîc attingit Poëta. Æneas enim, cùm rem diuinam faceret in littore agri Laurentij matri Veneri, ne ab Vlysse cognitus interrumperet sacrificium, caput operuit, atque ita vitauit conspectum hostis. Inde Italicis mos natus. sic fermè Plutarchus, & Festus. ego verò vnius tantùm victoris verba adducam qui in Breuiario Historiæ Romanæ de Ænea sic loquitur: *Cùm interim immolata sue in littore sacrificium perageret, traditur fortè aduertisse Argiuam classem, in qua Vlysses erat: cúmque vereretur, ne ab hoste cognitus periculum subiret, itáque rem diuinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse: inde posteris traditum morem ita sacrificandi, vt scribit M. Octauius.* hæc Victor. Ergo Helenus præscius de aduentu illo Vlyssis, Æneam suum hac præceptione communit. Plutarchus non Vlyssem, sed Diomedem, fuisse tradit, ἐν Ρωμ. Additque, hinc natum morem nudandi capitis occurrentibus amicis: nam sicuti contra hostes caput tegimus, ita amicis nudamus. Ab hoc ritu quem explicui, excipe tres Deos, qui apud Romanos colebantur aperto capite, non velato, nimirum Saturnum,

Operiendi capita in sacris, vnde mos.

A Honorem, Herculem. de Saturno, & Honore auctor est Plutarch. in Αἰτίοις. de Hercule Halicarnass. lib. 1. & Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 6. ex Cornelio Balbo. Macrobium lege. Inde ego explico verba Arnobij lib. 3. vbi loquens de diuersitate rituum inter Deos gentilium, ait: *Etenim, si hic atram, ille albam desiderat pellem: huic capite velato, illi sacrificandum est nudo*, &c. Credamus capiendum illum de his tribus Numinibus. Ex Plutarcho clarè colligas Diis cælestibus fieri sacra operto capite, Diis terrestribus & infernis aperto. Nam ideo inquit Saturno fiunt aperto, quia χθόνιος. Adnecte ἐκ παρέργου morem, quo veteres in re subita caput operiebant. de quo Dusa lib. 1. Præcidan. cap. 4. ad ea verba Petron. *operuerat Ascyltos pallio caput.* firmátque Fabij testimonio lib. 5. cap. 1.

Aperto capite sacra Saturni, Honoris, Herculis.

Cælestium, & infernorum Deorum discrimen in sacris.

B 11. AMICTV] Videtur fuisse propriè indumentum capitis tum ex hoc loco, tum ex illo. 11. Æn.

—arsurasq; comas obnubit amictu,

& inde translatum ad signandas vestes quibus corpus reliquum tegitur. Sueton. in lib. de genere vestimentorum scripsit, tria genera pileorum esse, quibus sacerdotes vtuntur, apicem, tutulum, galerum. Apicem, pileum subtile circa medium, virga eminente. Tutulum, pileum lanatum metæ figura. Galerum, pileum ex pelle hostiæ cæsæ. Ex narratione Æliani lib. 3. Var. Hist. cap. 3. satis colligitur Græcos interdum corona in sacris vsos pro tegumento. Nam Xenophonti rem diuinam obeunti, cùm nuntius ex Mantinea dixisset, filium eius Gryllum vita defunctum; ille solùm ἀπέθετο τὸν στέφανον, διετέλει δὲ θύων, *coronam deposuit, perstititq; in sacrificio.* Cùm verò adiecisset nuntius, illum mortuum, sed victoria adepta, rursum ἐπέθετο τὸν στέφανον, *coronam sibi imposuit.* Sed hanc rem probant multa, quæ iam ego in hoc libro loquens de Anio.

Amictus indumentum capitis.

Apex, Tutulus, Galerus in sacris.

Corona in sacris.

C 12. NE QVA INTER SANCTOS] Fuit moris veterum, non oportere incœpta sacra intermitti. Signatè Seneca ep. 26. *Sed conficienda sunt sacra, & huic epistolæ viaticum dandum est.* Aliquid ad hanc rem accipi potest ex Pausan. lib. 4. vbi narrat initium irarum Castorum in Messenios, quia videlicet adolescentes duo, Panormus, & Gonippus, sacra Castoris & Pollucis interturbarunt cum omni contumelia & contemptu. Latissimè hoc Græcus scriptor. verbis Poëtæ persimillima sunt illa Plutarchi ἐν Ρωμ. quæst. 10. sic scribentis. τοὺς δὲ θεοὺς οὕτω προσεκύνουν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοί τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον: *Deos operto capite adorauerunt, vel quòd ea tectione animi demißionem ostenderent, vel potiùs verentes, nequa vox mali ominis foris accideret.*

Sacra non perturbāda.

D 13. OCCVRRAT] Propriè & signatè. Ideo enim *occurrat*, quia *facies hostilis*: Est enim huic verbo vis in rebus aduersis: itaque hostilia & mala dicuntur occurrere. Ita Horatius Od. 5. Epod.

Nocturnus occurram furor.

Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret.

Occursio de hostilibus.

E Non abit illud,

Occursare capro, cornu ferit ille, caueto,

14. OMINA TVRBET] Alij *omnia* legunt, secuti Terentium, qui: *Dauus interturbat omnia.* Sed ego Germanum sequor, qui mauult omina, alios etiam.

15. CASTI NEPOTES] Rectè admonet Germanus castum Latinis non semper dici cum oppositione ad libidinem, ex illo Tullij pro Pompeio: *labor meus in priuatorum periculis castè integrèque versatus.* vbi *castè* est ἁγνῶς.

Castus.

a Ast,

[a] Ast, vbi digressum Siculæ te admouerit oræ
Ventus,& angusti rareſcent clauſtra Pelori:
[b] Læua tibi tellus,& longo læua petantur
Æquora circuitu.dextrum fuge littus,& vndas.
[c] Hæc loca vi quondam,& vaſta conuulſa ruina
(TANTVM æui longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt,cùm protinus vtraque tellus
Vna foret:venit medio vi pontus,& vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit:aruaq; & vrbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.

A

ARGVMENTVM.

Loquitur iam de curſu, qui tenendus Æneæ:docet, vbi flectenda via ad læuam,ac tota Sicilia circumeunda. cuius rei occaſione narrat, Siciliam olim Italiæ cohæſiſſe, mox auulſam maris impetu inundante.

EXPLICATIO.

a DEſcribit quod plerunque ſolet contingere nauigantibus. vicinitas locorum facit, vt hi qui longiùs ſunt, putent omnia eſſe intercluſa,& nullum aditum,ac veluti clauſtra quædam. Cùm verò proximæ ſunt naues, tum quæ coniuncta eſſe putabantur, videntur iam aperiri,& rareſcere.

B

b Præceptum eſt,vt cùm ad Pelorum accedat, tum dextram relinquat,nec illàc velit Italiam adire, ne videlicet cogatur anguſtias penetrare, quæ ſunt inter Scyllam & Charybdim: ſed in læuam partem claſſem inflectat,totámq; inſulam circumluſtret,circumeátq;. Dices: nonne nauiganti ex Epiro propior erat Calabria, Apulia, Magna demum Græcia; & adhuc ante Pelorum, ante Scyllam, & Charybdin? Eſt ita quidem: ſed ſubeat, has partes habitatas Græcis, & fugiendas. Fatúmque Æneæ erat, vt quà eſt Latium, adiret Italiam, non aliâ. Id verò nequibat fieri, niſi tota inſula circumluſtrata. Hæc, quæ ſubobſcura eſſe videntur, intelligentur facillimè, ſi adeantur tabulæ & deſcriptiones.Res enim iſta oculorum eſt.

C

c Italia & Sicilia coniunctæ olim dicuntur fuiſſe. ſed maris impetu diſſiluiſſe à ſe conuulſæ. Omnia ſunt clara. vocula *protinus* eſt, coniunctim, & continuò vna,vt dicat:*cùm tellus vtraque foret protinus vna*, id eſt, continuatim vna. clariùs. cùm eſſet vna continens.

NOTÆ.

Sicilia diuulſa ab Italia.

1. HÆC LOCA VI,&c.] Nihil celebratius. Tertull. de Pall. *Italiæ quondam latus Adria Tyrrhenóque quaſſantibus medio tenus interceptum reliquias Siciliam facit, cum tota illa plaga diſcidij, contentioſos æquorum coitus anguſtijs retorquens, nomen vitij mari induit* (commodiùs lego, *indidit*,) *non exſpuentis naufragia, ſed deuorantis.* extrema verba Rhegium indicant, quippe quod Græcè *obrutum hiatúmque* ſignificat. Idem in Apologetico: *vis vndarum Lucaniam Italiæ abſciſſam in Siciliæ nomen relegauit.* Omitto omnes penè ſcriptores,& Poëtas.eſt enim fere nemo, qui non de hac Italiæ & Siciliæ diuulſione. Sic contrà accidit aliquando,vt terræ, aut inſulæ longè diſſitæ in vnum coniungerentur. Plinius lib.2. cap.89. *Natura abſtulit inſulas mari, iunxítque terris.*

Tempus omnia conſumit.

2. TANTVM ÆVI, &c.] Pertinent ad hoc verſus Sophocl.in Oed.in Col.

Ὦ φίλτατ' Αἰγέως παῖ, μόνοις οὐ γίγνεται
Θεοῖς τὸ γῆρας, οὐδὲ κατθανεῖν ποτε.
Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος:
O chariſsime fili Ægei(Theſeu) *ſolis non accidit*
Diis ſenectus, neque mori aliquando.
Alia autem omnia confundit domitor omnium tempus.

Et Lucret.lib.2.

Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo,
Ex oculiſq; vetuſtatem ſubducere noſtris.

Ennij.16.Ann.

Poſtremo longinqua dies confecerit ætas.

Verba quoque oratoris illius,qui ad Cæſarem de ordinanda Rep. *Ego ſic exiſtumo, quoniam orta omnia intereunt*,&c.Et Auſonij in Epig.

Miremur periiſſe homines?monimenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis nominibuſq; venit.

B

3. ABSCIDIT]Ita multi locuti de hac diuulſione, vt ſegetem nobis amplam locutionum reliquerint de hoc terrarum diſſidio. Verbo *abſcidit* vſi Virgilius, Tertullianus, Claudianus,Solinus, Mela,Oroſius. Eſt *diſcidium* in Tertulliano, vt & *diſcidit* in Silio. In Claudiano eſt *rumpo*, atque etiam *diſcrimen*. Tria, *conuello*, *diſſilio*, *diduco*, in Virgilio. In Iuſtino *direptam veluti à corpore*, vbi loquitur de Sicilia. In Salluſtio *ſcindo*, in Plinio *auello*, in Seneca philoſopho *reuello*, & *intercido*. In Lucretio, & Val. Maximo *diuido*. In Lucano *ſoluere confinia*, *elidere*, *terra repellere*. In Auſonio *diuortia riparum*.In Silio *lacerare terræ viſcera*. Tria,*biauit humus*, *rupti ſunt montes*, *ſedere tumuli*,in Salluſtio ſunt. Pulchrè *rapina Oceani* in Plinio. In Strabone & Græcis omnibus, ἀποῤῥαγῆναι. In eodem ἀποσπάσματα. in Philoſtrato ἀποτεμεῖν. In eodem loquente de inſula, ὑφ' ἁλὸς ἀναβρωθῆ. Loca, vbi hæc verba, non aduocaui, quia facillima aditu. Græcos inuenies, primum lib.6. alterum lib. 2. de vitis Sophiſt. & verbum ἀναβρώσκω lib. 2.Icon. Philo in lib. de Somnis nouo verbo extulit, nam cùm dicat, terram eſſe corpus diuulſum à mari,ita, σῶμα θαλάττῃ διαιρούμενον, & in lib. περὶ ἀφθαρ. κόσ. loquens de ipſa Sicilia, ὑπεκλύσθη, ἐνεῤῥάγη: *ſoluta eſt, fracta eſt*.Nonnus lib.1.auulſam inſulam dixit, νῆσον ἀποσπάδα.

C

Rhegium.

4. LITTORE DIDVCTAS] Ab hac diductione, & veluti hiatu dictum Rhegium oppidum.Strabo lib.6. ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον, εἴθ' ὥς φησιν Αἰσχύλος, διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ, ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν: *Dictum Rhegium eſt, vt ait Æſchylus, nam auulſa eſt Sicilia à continenti terræmotus vi.* Plinius lib.38. *Ab hoc dehiſcendi argumento, Rhegium Græci nomen dedêre oppido, in margine Italiæ ſito.* videlicet à verbo ῥαγῆναι. id oppidi *vitij* nomine expreſſit Tertull. Sunt tamen, qui Tertullianum referant non ad Rhegium,ſed ad ipſam Charybdin.In his eſt Ioannes Mercerius.

D

a Dextrum

a Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obsidet: atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
b At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.
c Præstat Trinacrij metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quàm semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.

ARGVMENTVM.

Sequitur descriptio Scyllæ & Charybdis ore Heleni.

EXPLICATIO.

a NAuigantibus ex Epiro Italia dextra est, Sicilia læua: est verò Scylla in Italia, ac perinde ad dextram; Charybdis in Sicilia, ac perinde ad læuam. Inde Apollonius lib. 4. vocat Scyllam Αὐσονίην, *Ausoniam.* Ergo, describit primò monstrum Charybdis. Hæc ter quotidie sorbet fluctus in altissimam voraginem, atque alterna item vomitione eosdem ita eructat, vt verberet sidera. Nota duo verba *obsidet*, & *abruptum.* Illud est militare, quasi Charybdis hostiliter & prædatoriè locum obsideat ad cædem & rapinam nautarum: hoc signat ingens præcipitium, & immensam altissimámque voraginem. qua sanè voce, vt & barathro & gurgite putandus est Poëta expressisse etymon Charybdis, quæ dicta ἀπὸ τοῦ χάσκω, καὶ ῥοιβδῶ: *hio, & sorbeo.*

b Pergit ad Scyllam, quæ ora exerit ex vasta quadam spelunca, & inde rapinam exercet, ad se naues trahens. Sed quæ descriptio: Est huic monstro facies humana. est virgo vsque ad pubem, est hæc hoc loco pars ea, qua sexus dignoscitur: deinde pubes ipsa, & vterus canes lupósue repræsentant: tertio; huic canino lupinóue vtero commissa erat, & veluti insuta pistrix, aut caudæ delphinorum. est enim tertius versus explicatio secundi. quasi dicat: Est pistrix in postrema parte, quia adnexæ vtero caudæ delphinorum. Vnde hîc tam pistricem quàm delphinas pro marino quolibet pisce capias.

c Ab repræsentato vtroque malo viuidè & ad terrorem, monet iam vti relicto Peloro, vbi sunt Scylla & Charybdis, circumflectat classem, cum dispendio & cessatione cursus ad Pachynum versus Africam, vt sic demum totam insulam circumeat. Sed hæc, vt dixi, pendent ex tabulis. In illis, *Quàm semel informem,* &c. est ratio, cur hîc circumitus peragendus.

NOTÆ.

1. DExtrvm Scylla latvs, &c.] Hîc dextrum, ac læuum aliter accipias ac suprà. hic tantùm sermo est de ipso freto cuius dextram partem Scylla obsidet, læuam Charybdis. Cùm verò suprà admonuit, dextram partem relinquendam, flectendum in læuam; locutus est cum respectu ad totum illud mare. voluit enim vt relinqueret Pelorum, fretum, Scyllam, Charybdin, quę omnia ad dextram; flecterétque classem ad Pachynum, & versus Africam:

A vt tota demum circumita Sicilia ad eam partem Italiæ perueniret, qua est Latium. Versus ipse Homericus est Odyss. 12.

Ἔνθεν μὲν γὰρ Σκύλλ', ἑτέρωθι δὲ δῖα Χάρυβδις:
Ab altera parte Scylla, ex altera diua Charybdis.

Ouid. 13. Met. hærens Virgilio:

Scylla latus dextrum, læuum irrequieta Charybdis
Infestat.

Virgilius quàm Homerus exactior, nam ille *dextrum,* Virgilius exactior Homero.
& læuum; hic, ἔνθεν, ἑτέρωθι.

2. Implacata] Non displiceat *impacata*, quam lectionem & in antiquis exemplaribus inueniri ait Pierius, & eam agnoscit Iul. Scal. præsertim præcedente verbo *obsidet*, quod totum militare. Ad hostilē quidem prædam Eurip. allusit in Supplicib. cùm scripsit,

B ——ἥρπασεν Χάρυβδις οἰωνοσκόπον:
——*rapuit Charybdis aruspicem.*

Similiter Æschylus in Prometh. Salmydessiam (est hoc item maris periculum) ἐχθρόξενον appellat ab hostili inimicitia cum nautis.

3. Ter gvrgite] Constat id non nisi bis in die fieri. Ergo vel ternarium numerum pro multiplici accipit, sicuti dictum alibi. vel decurrendum est ad Strabonem qui lib. 1. Homerum, qui id ipsum dixit, excusans, ait, dictum id à Poëta hyperbolicῶs, & τρὶς, non numerum, sed vehementiam significare. Plato etiam lib. 10. de Rep. dixit, τριττὰ ἀπέχοντα τοῦ ὄντος, *tertio gradu abesse à veris.* vbi τριττὰ, ponitur pro *valde.* Sic fermè Alciatus lib. 10. Parer. cap. 10. in defensionem Homeri, traduximus ad Maronis. Versus Homerici, quibus

Ternarius non solùm numerum, sed vehementiam dicit.

C hæsit, & superauit, hi sunt:

Τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ,
Τρὶς μὲν γάρ ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤῥοιβδεῖ:
Sub hoc diua Charybdis absorbet nigram aquam,
Ter enim remittit quotidie, ter verò absorbet.

Cur bis *absorbet*? quod etiam in tertio sequenti versu repetit. quid? *remitto*, cum *erigo*. quid cum monstro diuinitas? Adde, verberari sidera: quæ hyperbole non ipsa solùm per se apta, sed etiam ad explicationem verbi *erigo* necessaria.

Virgilius superat Homerum.

4. Sorbet in abrvptvm flvctvs] Præclarè; Charybdis enim sorbet, non Scylla. Nota enim vnica Charybdis est *sorbere, deuorare, eructare, glutire,* & quæ ad similem rem pertinent. Coniungam exempla, in quæ incidi: quia necessaria ad locum alium libri huius difficilem, in quo cùm fuerim ad istum, in

Charybdis nota.

D quo nunc sum, mihi lector reuocandus erit. Seneca in consolatione ad Marciam de Charybdi loquens: *hiatu magno profundóque nauigia sorbentem.* Tertull. de ea lib. de Pal. *non exspuentis nauigia, sed deuorantis.* Homerus Odyss. 12.

Χάρυβ

——Χάρυβδις
Δεινὸν ἀνεῤῥοίβδησε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ.
——Charybdis
Horrendum absorbuit maris salsam aquam.
Strabo lib.6.loquẽs de nauigiis illatis in Charybdim, dixit, καταποθέντων, *bibitis, absorptis*. Oui.de eadẽ 13.Met.
—vocat hæc raptas, reuomitque carinas. iterum:
—auidámque Charybdin. Sen.in Med.
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ionium mare,
Siculúmque sorbens. & in Thyest.
Quod rapax haustum reuomit Charybdis.
Cicero: *quæ Charybdis tam vorax?* Sidonius lib.9. epist. 6. *Sumptuositas domestica Charybdis abligurisset.* Idem in carmine ad Felicem de Charybdi:
Ructatos scopulos cauat profundo.
Hieronymus ad Heliodorum: *In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat.* Ouid.2.Amor.eleg.16.
Nec quas submersis ratibus saturata Charybdis
Euomit, & potas ore receptat aquas.
Tale quid repetit. 2.Remed. & 4. de Ponto eleg. 10. Apollon.4.Arg. πάντας ἀναβρόξασα, *omnes deuorans*. Cedrenus, εἰς Χάρυβδιν κατεπόθησαν: *in Charybdin absorpti sũt*. Sallust.in Fragm. *Charybdis, quæ fortè illata naufragia sorbens gurgitibus occultis*. Demũ in veter.gloss. Χάρυβδις, *vorago*. Id autem ductũ ex fabula, nã Charybdis fuisse fertur fœmina voracissima, ex Neptuno & Terra genita: quæ quia boues Herculis rapuit, fulminata est à Ioue, & præcipitata in mare: vnde seruat naturam pristinam, vorandi, & eructandi. Vnus ex antiquis quod sciam Catullus, id attributi Scyllæ dedit, eo versu,
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis.
quem imitatus est Sidonius:
Et Scyllæ rabidum vorantis inguen.
Qui duo mihi, & si qui alij inueniantur, parum rem istam, de qua loquor, videntur collineasse. Nam Scylla tantùm resonans, & fremens inducitur: Charybdis tota glutiens, & voraginosa. Itaque propriè & signatè Iustinus loquẽs de mari Siculo lib.4. *Nũc hîc fremitum feruentis æstus, nunc illic gemitũ in voragine desidentis exaudias.* Inde laudandus Horatius, qui meretricem rapacissimam, & voracissimam, atque auarissimam nominat Charybdin, Od.27.lib.1. *—ah miser*
Quãta laboras in Charybdi —Digne puer meliore flãma.
Est enim credibile eam meretricem habuisse vitia, quæ præmisi, cùm vocatur Charybdis.

5. ERIGIT] Quod Poëta, *erigit*: Oui. *reuomit*. Hom. ἐξεμέσειε, ἀναβρόξειε: *eiectaret, euomeret*. iterũ, ἀνίησιν, *remittit*. Sallust.apud Seru. *egerit*, & posset aliquis dubitare, an sic legendũ in Virg. ex oppositione cũ verbo *sorbet*.

Verbero & Pulso. 6. VERBERAT VNDA] Verberamus rem animatam, pulsamus inanimem: sed fit commutatio, nam & inanima verberantur, & pulsantur animata. Fusè hæc admodum Alex.lib.3. Gen. cap.19. pro Vlpiano, & contra Vallam, quem non nominat: Vt verò hic *verbero* de vnda, sic de imbre Plin. *Carthago in Africa exercetur halitu, & verberatur imbri.* Poëticam hyperbolem ita repræsentat Nonnus lib.1.
Πυργώθη δὲ θάλασσα, καὶ ὡμίλησεν Ὀλύμπῳ
Ἠλιβάτοις πελάγεσσιν, ἀερσιπόρῳ δὲ ῥεέθρῳ
Ἠέρος ἄβροχος ὄρνις ἐλούετο γείτονι πόντῳ:
Attollebatur mare, & miscebatur Olympo
Sublato pelago, aërem verò transeunte fluctu
Aeris immadida auis lauabatur in vicino ponto.
Pari ausu idem Nonnus lib. 1. loquens de Oceano, ἄστρα καταλύξειε: *inundet astra.*

Scyllæ descriptio. 7. SCYLLAM] Sequitur Scyllæ descriptio, quæ in Italia est. Hi duo versus expressi ex illis Odyss.12.
Μέσση μέν τε κατὰ σπείους κοίλοιο δέδυκεν,
Ἔξω δ' ἐξίσχει κεφαλὰς δεινοῖο βερέθρου:
Media quidem per speluncam cauam immergitur,

A *Foras autem porrigit capita ex horrendo barathro.*
Fingit vterque vates vastum quoddam animal, quod os exerat ex imis latebris & barathro, in quo est, & inde naues trahat ad perniciem. Pulchre me hercule Æschyl.in Prometh.expressit simile maris periculum.
——ἵνα
Τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος
Ἐχθρόξενος ναύτῃσι, μητρυιὰ νεῶν:
——vbi
Est aspera ponti Salmydessia maxilla,
Nautis infesta, & nouerca nauium.
Cum quo alludit Apollon. 4. Arg. qui Scyllæ longas dat maxillas, quibus exertis naues attraheret.
Μήπως σμερδαλέοισιν ἐπαΐξασα γένυσσιν:
Ne fortè concitata horrendis maxillis.
B verbũ *traho* Charybdi, nõ Scyllę dat Sallust.in Fragm. *Charybdis, quæ forte illata naufragia sorbens gurgitibus occultis millia sexaginta, Tauromenitana ad littora trahit.*

8. PRIMA, HOMINIS FACIES] Cur hic displiceat Seruij explicatio? qui *prima*, & *postrema* accipit numero multitudinis, pro primo, & postremo, Græcorum more, qui τὰ πρῶτα ἄνθρωπος. & τὰ ἔσχατα. inde in Seru. P. Daniel. post vtranque partem distinctio est, vt indicentur non debere adiici sequentib. nominibus. Homerus huic mõstro aliam dat formã Odyss.12.
Ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δεινὸν λελακυῖα.
Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς
Γίνεται, αὐτὴ δ' αὖτε πέλωρ κακόν· οὐδέ κέ τίς μιν
Γηθήσειεν ἰδών, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν.
Τῆς ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα πάντες ἄωροι.
C Ἓξ δέ τε οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ
Σμερδαλέη κεφαλή, ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες
Πυκνοὶ καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο:
Hic autem Scylla inhabitat grauiter vociferans,
Huius profectò vox quidem quanta catuli leonis
Fit: ipsa autem monstrum ingens, neque quisquam ipsam
Lætabitur conspicatus, neque si Deus obuiam veniret.
Huius vtique pedes duodecim sunt omnes fœdi,
Sex autem illi colla prælonga, in singulis autem
Horrendum caput, intus autem triplici ordine dentes
Densi, & frequentes, pleni nigræ mortis.
Super quæ Scal. illud impudẽs, *ne Deũ quidem, sine animi iactura occurrere posse: verùm Homerici Dij tales sũt.* Fabulam cõuersionémque Scyllæ breuiter percurro, Ouidiũ secutus in Meta. 14. Glaucus marinus Deus Scyllam amat, adit Circẽ, vt illius & herbarũ ope vicissim quoq; à Scylla ametur. Circe illum à Scylla dehortatur, sibi vult conciliare. Respuit Glaucus Circẽ, irascitur hæc in prælatam sibi, herbas parat, locũ maris venenis inficit, vbi Scylla lauari solita. venit hæc ex more, vtque aquam cõtigit, videt canes ad pubem nasci, mansit ibi conuersa in scopulum. Variant fabulæ, mihi satis aliquam sequi, vt soleo plerunque. Hic tamen adiungo verba interpretis Lycophronij, quæ scio tantùm Græcè in multis legi, Latinè sic sonant: *Scylla fera esse fingebatur in mari Thusco formam habens fœminæ vmbilico tenus, vtrinque canum capita, reliquũ corpus serpentinum. Sed veritas est ad Rhegium Siciliæ promontorium esse, quod mari imminet, in cuius imo multæ sũt & magnæ petræ, plenæ cauitatũ & antrorum, in quibus insunt maris mõstra.* Scyllę fabulæ. (D)

E 9. VIRGO] Cum forma virginis, quam Poëta, & alij dant Scyllæ, facit fragmentum Sallustij hoc: *Scyllã saxum esse simile formæ humanæ celebratæ procul visentibus.*

10. COMMISSA] Hoc iam illustrauit Delrius nouis Comment. in Herculem Oet. ex Manilio, Ausonio, Claudiano, Seneca; qui vsi ea loquendi forma, & in re simili; nã de feris, quæ constãt simili duarũ naturarum coniunctione. Lege etiam, quæ nos scripsimus Ecl.6. Admoneo ego Horatiũ in Poëtica ad Pisones repræsẽtasse Virgilianũ monstrũ, cùm ait, *vt turpiter atrum*

Desinat in piscem mulier formosa superne.
Similiter in illis, quæ sequuntur infrà,

Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum syluis appingit,fluctibus aprum,

attribuens aquea syluis, syluestria aquis,repræsentat illud Eclogæ,

Antè leues ergo pascentur in æquore cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces.

Canes Scyllæ,&c.

11. Lvporvm]In hoc monstro frequentior mentio canum.Ipse statim:*canibus resonantia saxa*.& 6.Ecl. *canibus marinis*.Ouidius:*statque canum rabies*.Accius in Anapæsticis de hoc monstro:

Ac vti curuo littore latrans.

Cur ergo hîc luporum mentio? Apetio mentem Poëtæ. Voluit variarum formarum confusionem repræsentare,vt viuidiùs monstri huius imaginem indicet. In quâ re Poëta sibi mirè (vt assolet) consentit. Nam in superiore parte dat huic monstro res duas, hominem, & virginem: in pube duas, canes,& lupos: in inferiore parte duas, delphinum,pistricem.

A 12. Metas lvstrare]Quis non videt sermonem ductum à Circo? vbi metæ, vbi circumflexio, vbi cursus?

13. Longos et circvmflectere cvrsvs]Latet in Virgilio pulchra Æschyli imitatio,vbi Prometheus in Tragœdia sui nominis, Io docens de itinere,sic inter alia, præcedente mētione Gryphum, & Arimasporum,qui feri populi,

Τούτοις σὺ μὴ πέλαζε, τηλουρὸν δὲ γῆν
Ἥξεις κελαινὸν φῦλον, &c.
Ad hos ne accede,sed per longinquam terram
Venies ad nigrum populum.

B Vult enim vt veniat ad Æthiopiam per dispendia, ne incidat in pericula ferarum gentium: & quæ hîc alia mens Poëtæ? Ita etiam Ouidius de nauibus Æneæ.14.Met.

—cùm iam prope littus adessent
Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.

[a] Præterea, si qua est Heleno prudentia: vati
Si qua fides: animum si veris implet Apollo:
Vnum illud tibi Nate Deâ, præq; omnibus vnum
Prædicam: & repetens iterúmque iterúmque monebo.
[b] Iunonis magnæ primùm prece Numen adora:
Iunoni cane vota libens: dominámque potentem
Supplicibus supera donis, sic denique victor
Trinacria fines Italos mittêre relicta.

ARGVMENTVM.

Monet etiam, vt Iunonem placet, Troianis aduersum Numen.

EXPLICATIO.

[a] SCivnt omnes inimicitias Iunonis cum Troianis,inde Helenus Æneam vehementer hortatur, vt illam reddat propitiam. Vtitur verò ante præceptum ipsum magno verborum apparatu per versus quatuor, vt intelligat Æneas magnum esse, quod præcipitur.Nam quale est audire.Si prudentia est Heleno, si fides, si Apollo in me vera loquitur: vnum tibi tantùm (quasi reliqua præ hoc nullius sint precij) prædicam, & hoc vnum præ omnibus: quin hoc vnum iterum & iterum repetam te admonens. Vide verò vt interpunxi primum versum,vt prudentia ad Helenum, fides ad vatem referatur.

[b] Sequitur iam præceptum pari verborum apparatu, nam ter repetit semper sub alia forma,vt ne excidat res commendata. Monet itaque vt adoret, vt canat illi vota, vt superet donis supplicibus. Ipsam verò vocat magnam Iunonem, potentem Dominam,dat illi Numen. Quo fine ista? vt victor Italiam attingat relicta Sicilia. Illud *supera donis* est, inuitam etiam & nolentem obliga,vt tibi sit mitis.

Notæ.

1. PRædicam] Vtrunque verbum ponitur synonymικῶς, *prædico*, & *moneo*, sicuti infrà in hoc libro:

Nec vates Helenus cùm multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus.

C Moneo enim verbum fuit augurum, & in eadem significatione assumptum,qua,prædico.in hoc iterum: *Contra iussa monent Heleni*.in 7. *sic Iuppiter ipse monebat*.in 8.

Moneo verbum augurum.

Carmentis nymphæ monita, & Deus auctor Apollo.

Hæc nota eò spectat, vt possis pro *prædico* dicere *moneo*, Virgilij exemplo.

Iterúmque iterúmque.

2. Itervmqve itervmqve]Hæc geminatio elegans est, ea vsus Virgilius etiam.2. Æn. & multi alij.Cùm verò notet Germanus ex 1.c.sumi hanc vocem non solùm pro δεύτερον,qua voce signantur,quæ fiunt secundo loco; sed ad sequentia quoque extendi,vt ea,quæ sæpius fiunt significentur, quod Græci D πάλιν. Cùm hoc(inquam)notet,quadrabit in hanc rem,locutionem hanc *iterúmque,iterúmque*,variari ab Latinis per istam *iterum, & sæpius*. Exemplum est in Tullio lib. 13. epist. vnde liquidum est, in Virgilio non tam δεύτερον,signari,quàm πάλιν,& sæpius,vt dicat.Semel,& sæpius te moneo. non semel, & iterum te moneo. Ista in Germani gratiam.

Iuno vna è Penatibus.

3. Ivnonis magnæ] Macrob. 3. Sat. cap. 4. ex coniunctis Poëtæ locis efficit Iunonem esse vnam è Penatibus. Nam cùm Penates esse dicantur θεοὶ μεγάλοι, θεοὶ χρηστοὶ: θεοὶ δυνατοὶ: Dij Magni, Dij boni, Dij potentes, omnia hæc Iunoni conuenire ex sententia E Poëtæ affirmat.Hîc *Iunonis Magnæ*.in 1. *Et bona Iuno*. hîc statim, *dominámque potentem*. Ad primum attributum pertinet illud Ouid.in Fast.

Penates μεγάλοι.

Monte sub Exquilio multis incæduus annis
Iunonis Magnæ nomine lucus erat.

Seruius id epitheti refert ad discrimen, quo Iuno *inferna* dicitur.

4. Cane vota] Seru. P. Dan. *Cane,de historia est, nam & bello Punico matrimi & patrimi cantauerunt Iunoni: & bene tria posuit,quæ ad religionem pertinent,prece,votis, donis*. Aliqui referunt verbum *cane* ad morem,

rem, quo olim veteres precabantur carminibus, firmántque Horatianis illis epist. 1. lib. 2. A

Castis cum pueris ignara puella mariti

Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?

5. DOMINAM] Ita Sophocles in Electra, δέσποιναν Ἄρτεμιν. Vide in 6. ad illud: *dominam Ditis*.

[a] Huc vbi delatus Cumæam accesseris vrbem,
Diuinósque lacus, & Auerna sonantia syluis,
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliísque notas, & nomina mandat.
[b] Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis: neque ab ordine cedunt.
Verùm eadem verso tenuis cùm cardine ventus
Impulit, & teneras turbauit ianua frondes:
Nunquam deinde cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat:
Inconsulti abeunt, sedémque odêre Sibyllæ.
[c] Hîc tibi NEQVA moræ fuerint dispendia tanti;
Quamuis increpitent socij, & vi cursus in altum
Vela vocet, possísq; sinus implere secundos:
Quin adeas vatem, precibúsque oracula poscas:
Ipsa canat, vocémque volens, atque ora resoluat.
[d] Illa tibi Italiæ populos, venturáque bella,
Et quocunque modo fugiásque ferásque laborem,
Expediet, cursúsque dabit venerata secundos.
[e] HÆC SVNT, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem FACTIS fer ad æthera Troiam.

ARGVMENTVM.

Vt Cumas veniat, Sibyllam adeat (cuius obiter in canendo ratio describitur) oraculum ab ea petat, quæ Italiam, belliq; Italici aperiet principium, exitúmque.

EXPLICATIO.

[a] MVLTA huius partis pertinent ad ea quæ dicuntur lib. 6. & inde huc reuocanda. Vocat *lacus diuinos*, vel à diuinante Sibylla, vel à fatidico Apolline, vel quia ipsi lacus sacri sunt Plutoni. Dicuntur *Auerna syluis sonare*, quia muta sunt, sed supplent syluæ strepitum. Itaque sonant non suo murmure, sed syluarum. Censebant enim gentiles C tacita esse inferni flumina. Aliam explicationem huic ex directo oppositam non probo. *Insana vates* est fatidica, ac plena numine. Illud *foliísque notas & carmina mandat* dictum, quia in foliis palmæ scribi fata à Sibylla ex Varrone adducit Seruius aliíque.

[b] Scribit latè Poëta, quæ facere solita esset Sibylla, cùm ad eã accederent petituri oracula. Clara omnia. Vocem *seclusa* Seruius accipit pro, inclusa. non placet. nam apta est verbi significatio, vt dicat, relinqui folia separata à se. Ideo *tenuis ventus*, quia hic satis ad *frondes teneras*. Cùm ait, *Ianua turbauit*, intellige ventum ingredientem per ianuam. Ideo *cauo saxo*, quia suprà *fata canit sub rupe*. Non curat *reuocare situs* frondium, in quos hæ digestæ: nec *iungere carmina*, quæ iam auolarunt disiuncta à se. *inconsulti abeunt*, id est, ἄχρηστοι, D quia non accepto oraculo discedunt, & ignari voluntatis Deorum.

[c] Sententia est. Sibyllam adi; neque tanti facias B celeritatem in nauigando, vt putes te ex hoc moræ dispendio accepturum aliquid detrimenti. Itaque morare, posce oracula, posce ipsa canat, neq; oraculum foliis committat, nam quid tuas spes committas foliis, & vento? pete vt ipsa resoluat vocem, resoluat ora; non per notas responsa det. Hæc tibi mora necessaria ad cursus expeditionem, etiam si socij increpitent in hanc tarditatem, cursúsque ipse nauticus natura sua amans celeritatis vela vocet, possísq; implere secundo vento secundos velorum sinus.

[d] Ratio cur istæ moræ faciendæ. Nam illa tibi *expediet* (declarabit) futura Italiæ bella; docebit te, vti fugiendus labor, vti ferendus: dabit tibi cursum secundum.

[e] Epilogus, quo ab honesto rerum summam hortatur. Fer ad æthera Troiam ingentem factis ingentibus.

NOTÆ.

1. CVMÆAM VRBEM] Cumæ vrbs maritima Italiæ, condita à Cumæis, & Chalcidensibus, ex Eubœa Hippoclis & Megasthenis ductu profectis: sed duces inter se conuenerant, vt altera gens vrbi nomen daret, alterius colonia diceretur. Et ita à Cumæis nomen loco datum; Et Chalcidensium dicta colonia. Liuio Cyma scribitur, non Cumæ, sicut & Ptolemæo Κύμη. Straboni Larissa vocatur; Stephano Amazonium, & Phriconitis, Herodoto in vita Homeri φρικωνὶς. & in Clion. φρικωνὶς, nisi hîc, aut ibi mendum; Xenophonti Ægyptia. Debes hæc partim Hortens. partim Ortel. Cumarum nomina.

2. DIVINÓSQVE LACVS] Lacum Lucrinum, & Auernum capiunt interpretes, qui ad Cumas siti.

 Quibus

Quibus in locis aiunt adhuc inueniri vestigia Homericæ necyomantiæ; nam ibi Styx, palus Acherusia, Acheron, &c. Nominat lacus *diuinos*, nam sicut nemora olim sacra dicta veteribus, syluæ, montes & multa huiusmodi: sic etiam lacus. Lucretius lib. 5.

—terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, simulacráque Diuûm.

Sic & lacus Iuturnæ magna superstitione cultus, & ex eo aqua petita & ad salubritatem, & ad sacrificia, testibus Seru. & Varrone: monuit Gifan. in Collect. ad Lucr. De Lucrino & Auerno, vide quæ ego latè in Georgicis.

Insanus.

3. INSANAM VATEM] Sunt qui accipiant, valde sanam. & ita etiam interpretantur Persium,

—ab insano multùm laudanda magistro.

Sed certius est, capi à Virgilio, non sanam, & furore percitam, ex numine quo plena est: & à Persio clamosum. Nam Martialis lib. 5. *clamoso magistro.* & lib. 9. epigrammate in ludimagistrum:

Mitior in magno clamor furit Amphitheatro.

Clamosi enim videntur insani. Ita. 2. G. *insanum forum* ab clamore.

Cumana rupes.

4. RVPE SVB IMA] Placitum verba adducere Gorop. Becan. ex Hispanicis lib. 4. *Virgilius, si quis alius mortalium, non in Homero tantùm, sed in omnibus etiam aliis, cum Poëtis, tum Historiæ scriptoribus, diligentissimè versatus, Æneam suum, quem ex Achille & Vlysse composuit, & vtriusque dotibus cumulauit, ad Inferos demisit circa Cumas & Baias, ad ipsum Auernum: vbi & ego Sibyllæ antrum intraui, & eius vidi sacellum: rem profectò vt Ogygia fere antiquitate nobilem, ita non indignam admiratione ob longam, & altam specum è rupe excauatam; ad cuius intima calidus vapor subeuntes non parum molestat.* Sed de hac rupe latiùs in 6. Hîc moneo, natam fortasse Gentilibus religionem, qua in antris & rupibus oracula statuebant à veteri more, quem docet Plato in Phædro, vbi ait, sapientes prisci æui δρυὸς καὶ πέτρας ἀκούειν ὑπ' εὐηθείας, εἰ μόνον ἀληθῆ λέγοιεν, *solitos audire præ inscitia oracula ex quercu, aut rupe, dummodo ista aperirent veritatem.* Dicit hoc loquens de quercubus Dodonæis.

Oracula ex quercu & rupe.

Sibyllæ etymon.

5. SIBYLLÆ] Quos Latini dicunt *Deos*, & Græci θεοὺς, Dores & Lacedæmonij vocabant σιοὺς. Sed in primis ita nominabant Castorem & Pollucem. Ari- A stophan. in Irena. ναὶ τὼ σιώ. vbi Scholiastes τοὺς Διοσκούρους οἱ Λακεδαιμόνιοι ἔλεγον σιοὺς. Putant itaque aliqui Sibyllas ita dictas Idiomate Lacedæmonio, quasi Thibyllas, aut θιβύλλας, vt per Sibyllas signentur paruæ quædam Deæ forma diminuente. In Xenoph. etiam lib. 4. Ἑλλ. vidi ναὶ τὼ σιώ, cùm intelligat Castorem & Pollucem.

6. DISPENDIA] Dispendium viæ, & compendium opponuntur. Ouid. 3. Met.

—per compendia montis
Præcipitata via est.

Manil. in 4.

Et vitia, & clades, damna & compendia rerum.

B quem versum sic legit Ludou. Carr.

Volens in sacris.

7. VOLENS] Aduertit Brisson. lib. 1. Form. vocem *volens* pertinere ad sacra, in quibus sollemne fuit, orare Deos, quorum Numen inuocabatur, vt essent volentes, atque inde intrusam hîc à Marone. Desumpsit ille ex Seruio, qui in hunc locum sic scribit: *volens quia cogi non potest, si nolit, vt in sacrificiis volens propitiúsque.* Sed quæ est vis vocis huius, *volens?* fortasse *facilis*, quod primo obuium vel *propitius*. nam binæ hæ voces Synonymicῶς adiunguntur. Liuius lib. 23. *Vos Ceres mater, ac Proserpina, precor, ceteríque superni inferníque Dij, vt nobis volentes propitij adsitis.* ita in aliis.

8. VENERATA] Quæ de hac voce & similibus Agellius admonet lib. 15. cap. 13, capienda sunt de participiis tantùm, iuxta mentem Budæi, & Iul. Scal. Quin C adhuc participia ipsa, si significatu passiuo reperiuntur, id certè est, quia veteribus in vsu fuerunt actiua quoque. itaque in hunc locum doctè ait Germ. *Nimirum veteres, venero & aduenero actiuè dicebant, quasi veniam oro, vt in Apuleium obseruauit Memmius.* Testimonium, quo Germanus caret, aduoco ex Plauto, qui in Trucul. *Date mihi huc stacten, atque ignem in aram, vt venerem Lucinam meam.* Hæc nota eò pertinet, vt intelligas nulla esse ea verba, quæ vulgo dicuntur communia: nam, si quod nunc vestigium est, inde est, quia veteribus ea omnia, quæ nunc dicuntur communia, fuerunt in actiua significatione: itaque potiùs appelles actiua & passiua, quàm communia. Consectarer id, nisi planè esset grammaticum.

Communia verba nulla sunt.

[a] Quæ postquam vates sic ore effatus amico est;
[b] Dona dehinc auro grauia, sectóque elephanto
Imperat ad naues ferri: stipátque carinis
Ingens argentum, Dodonæósque lebetas,
Loricam consertam hamis auróque trilicem,
[c] Et conum insignis galeæ, cristásque comantes,
Arma Neoptolemi. sunt & sua dona parenti.
[d] Addit equos addítque duces.
[e] Remigium supplet, socios simul instruit armis.

ARGVMENTVM.

Vaticinio finito Helenus magnis muneribus exornat Æneam, Anchisem, classem totam.

EXPLICATIO.

[a] RECTE *effatus* cum respectu ad fata; quæ cecinerat, ad quam rem commodè præcessit *vates*, nam vates fantur. In voce *ore* non est pleonas- D mus. apage istas redundantias ab hoc principe. Cecinit *ore* non notis, non signis, non foliis: talem se gessit, qualem potuisset Æneas optare, & qualem vellet Sibyllam habere, ideo attributum *amico*.

[b] Amplificat dona à materia, quia ex auro, quia ex ebore: à forma, quia ebur hoc sectum politúmque. Locutio poëtica est. Dona enim *grauia ex auro*, sunt dona ex auro graui, nisi quis velit, in alia materia additum auri pondus. Pergit, *stipátque carinis Ingens argentum*, hac sententia. Adducit ad carinas, confercítque multum pondus auri atque argenti, quod Tro-

ianis det dono. Quid præterea? *lebetas.* Hos à loco A commendat, erant enim *Dodonæi.* Ideo etiam *Dodonæi*, vt haberet Æneas ferrétque secum domesticum oraculum. Vide, quæ dicta. 2. Georg. Sequitur,

Loricam consertam hamis auróque trilicem.

Explico. Dedit illi loricam hamis consertam, cui per hamos discurrebant trina licia aurea; primum ad fortitudinem, alterum ad elegãtiam. Vel erit ἓν διὰ δυοῖν, hac sententia; Erat triplex ordo hamorum aureorum. Clarius. Lorica erat trilex hamis auróque, id est, hamis aureis. Exempla huius locutionis redundant in Virgilio.

c Post loricam, quæ ad tuendum corpus & pectus, sequitur ornamentum capitis. Dat enim Æneæ galeam, cui suus erat conus, cono cristæ, cristis comæ. Hæc est sententia, sed Maro suo more, id est, poëtico, B rem exornat. Galea dicitur *insignis* à cristis, quæ sunt in cono. Est *conus* pars illa in galea prominens, cui parti hærent cristæ. Postrema armorum commendatio, quòd essent *Neoptolemi.* nam hoc ipso gratiora Æneæ rationes coniicit quisque. Sequitur, *sunt & sua dona parenti.* Hoc ex decoro. Æneas enim iuuenis, & ipso militiæ feruore ardens, loricam & galeam accipit. Seniori Anchisæ alia ab his dantur, quæ ex decoro etiam tacentur. Nominaret Homerus, vt est eius ingenium, scipionem ad sustentandum corpus: Zibellinas vestes ad arcẽdum frigus. Sed res ista Scaligerum appellet, qui facundus in Homerum.

d An duces ad bellum? an verò duces, id est, magistros equorum? an duces maritimi cursus, qui necessarij ad Scyllam, & Charybdin? pendeo.

e Defuncti remiges supplentur, dantur armamenta sociis naualibus: longissimus sanè cursus & illos absumserat, & hæc corruperat. De discrimine remigum, & sociorum naualium, alibi loquor. Nolim per *arma* intelligas militaria, tantùm nautica.

NOTÆ.

1. DONA DEHINC] Mos veterum repræsentatur, qui abeuntes donis prosequebantur; qui alibi illustratur à nobis. vbi de viatico scripsimus. nunc addam Homeri locum ex Odyss. 13. cui omnino Virgilius institit, vbi à Phæacibus Vlysses discedit. sic enim Alcinous,

Ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμδυ τρίποδα μέγαν, ἠδὲ λέβητα
Ἀνδρακάς.
Sed age ei demus tripodem magnum, & lebetem
Viritim.

est iterum.

———φέρον δ' εὐήνορα χαλκόν,
Καὶ τὰ μὲν εὖ κατέθηχ' ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο,
Αὐτὸς ἰὼν διὰ νηὸς ὑπὸ ζυγὰ, μή τιν' ἑταίρων
Βλάπτοι ἐλαυνόντων, ὁπότε σπερχοίατ' ἐρετμοῖς:
———*ferebantque viros honestans æs,*
Et hæc quidem bene deposuit sacra vis Alcinoi,
Ipse iens per nauem sub transtris, ne aliquem sociorum
Læderet impellentium, quando incumberent remis.

Adduxi integra, nam statim necessaria erunt. In eodem libro.

———ἔδοσαν δέ οἱ ἄσπετα δῶρα,
Χαλκόν τε χρυσόν τε ἅλις ἐσθῆτά θ' ὑφαντήν,
Πόλλ' ὅσ' ἂν οὐδέποτε Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεύς:
———*Dederunt autem ei ingentia dona*
Æsque aurúmque multum, vestémque textam,
Multa, quot nunquam Troia extulisset Vlysses.

2. AVRO GRAVIA] Signatur pondus, ac perinde precium. Cicero. 1. Diuin. *patera aurea grauis.* Producit verò syllabam natura breuem consentientibus aliis Poëtis. Lucret. lib. 1.

———*aut aliquid nostra quo corpora aluntur.*

Ouid. lib. 13. Met.

Sic Hecuba postquam.

Horat.

Spartacum si qua potuit vagantem.

Exempla hæc in multis obuia.

3. SECTOQVE ELEPHANTO] Homer. Odyss. 18. πριστοῦ ἐλέφαντος.

4. STIPAT] Verbi proprietatem ad metaphoram elegranter traducit. Sunt enim qui putent *stipo* tanquam ductum à stupa, quæ pice illita obturat coniungítque rimas tabularum in nauibus. alij existimant verbi originem deduci à Græco στύφω, in quo etiam Poëta Græcorum metaphoram imitatur; iis enim στύφω non solùm est astringo, de acribus, & acerbis: sed inde etiam traducitur ad spissitudinem, & densitatem quandam. inde στυπτικὸς *astrictorius*, non de acribus solùm dicitur, sed est etiam spissandi vim habens. quamobrem Plinius illud Dioscoridis, πτελέας τὰ φύλλα, καὶ οἱ ἀκρέμονες, καὶ ὁ φλοιὸς στυπτικά, καὶ τραυμάτων κολλητικά, sic vertit, *vlmi folia, & cortex, & rami vim habent spissandi, & vulnera contrahendi.* Ergo hîc, stipatio erit coniunctio rerum pretiosissimarum vnum in locum. Seru. *Stipatores dicuntur, qui in nauibus componunt, à stipa.* quod verbi & apibus dat in 4. G. quæ mel agglutinant, conferciúntque. Præclarè autem monet Germ. expressum Homerum à Virgilio cum victoria, vti aliàs, nam vnico verbo *stipátque carinis* concisiùs extulit, prouidentiam illam, quam Homerus dat Alcinoo, qui metallica omnia munera, quibus abeuntem Vlyssem omnes viritim persecuti sunt, ita posuit composuítque in nauibus, vt nulli sociorum remigandi officium impedire, aut corrumpere possent. Versus suprà iam attuli.

Stipo.

Stipator, sermo nauticus.

Virgilius superat Homerum.

C

5. INGENS ARGENTVM] Ita Quintilian. declamat. 316. *ingens pondus argenti.* Citat Scholiastes Aristophanis in Auib. verba Androtionis, vbi fit mentio argenti dati ad viaticum; & aliarum impensarum, quæ necessariæ essent. διδόναι ἐφόδιον ἀργύρια, καὶ εἰς ἄλλο ὅτι ἂν δέοι ἀναλῶσαι. Datur verò argentum ingens ab homine Phryge Heleno, quod secum aduexerat ex Phrygia, vt credi potest. Est enim pars ea terrarum feracissima argenti. Ab Herodoto quidem lib. 5. dicuntur Lydi πολυαργυρώτατοι. & addit illos confines esse Phrygibus. vt videatur Maro locutus ex peculiari illius tractus nota.

Argentum ad viaticū.

D

6. DODONÆÓSQVE LEBETES] Non credo data vasa curandæ culinæ, sed honestiore officio abluendis manibus. Ita iam Seruius, & alij. Sed cur additum *Dodonæos*? Ad discrimen puto præcedentium. Quasi dicat. Dona alia fuêre aurea, alia argentea, alia eburnea, vni lebetes æris. Nam lebetes Dodonæ non nisi ex ære. Notum id fabulis, & vaticiniis Dodonæ, ac peluium satis decantatis. Ego tantùm adduco illibatum Aristidis locum in 2. Platonica. τῷ Δωδωναίῳ μὲν οὐκ ἂν εἰκάσαις αὐτοὺς χαλκείῳ, μὴ γὰρ ὦ Ζεῦ, ταῖς δ' ἐμπίσι ταῖς ἐν τῷ σκότῳ βομβούσαις: *non æri Dodonæo, ô Iuppiter, sed ne culicibus compares in tenebris perstrepentibus.* Vbi & obiter rationem attingit, propter sonitum. Sed hoc pendet ex fabulis illius oraculi.

Dodonæ lebetes ex ære.

E

7. LORICAM CONSERTAM HAMIS] Hæc fusè alibi scribuntur, explicantur, illustrantur. Græci θώρακα ἁλυσιδωτόν, κερωτόν, πολυάγκιστρον. Hîc ἐκ παρέργου te moneo legas caput 22. Leopardi lib. 9. emendatio. vbi enodat illud Iuuenalis sat. 14.

Dispositis prædiues hamis,

grammaticis ante illum non intellectum, séque torquentibus in expedienda quantitate Syllabica.

8. ADDIT] Præclarè. Notat enim Pollux lib. 1. verbis

verbis nauticis, quibus significantur onera, & vecturæ, sarcinæ, & reliqua huiusmodi, quæ nauibus imponuntur; his (inquam) verbis adiungendum esse

A verbum προσαναθεῖναι. quod & interpres Pollucis, & multi aliorum reddunt per verbum *addere*, & quidem in superioribus iam incluserat verbum ἐνθεῖναι.

[a] Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, FIERET vento mora nequa ferenti.
[b] Quem Phœbi interpres multo compellat honore.
[c] Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo,
[d] Cura Deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
[e] Ecce tibi Ausoniæ tellus, hanc arripe velis:
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.
[f] Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
[g] Vade, ait, ô felix nati pietate. quid vltra
Prouehor? & FANDO surgentes demoror Austros?

ARGVMENTVM.

Iubet Anchises classem ad cursum comparari, ad quem sermonem dirigit Helenus, multisque extollit, à coniugio Veneris, à Deorum cura, à pietate nati; hortatur demum ad capessendam Italiam.

EXPLICATIO.

[a] EX decoro seniori Anchisæ hæc semper cura datur, sic suprà idem Anchises,

—tum littore funem
Diripere, excussosq; iubet laxare rudentes.

Est *ventus ferens* secundus, & qui flat à puppi.

[b] In verbis *compello* & *appello* insunt blanditiæ. Dicit *multo honore*, propter elogia quæ sequuntur.

[c] Quantus tu, qui dignus Veneris *coniugio*? Nota verbum. stuprum fuit istud, nam coniux Veneris tantùm Vulcanus. sed velat Poëta honestis nominibus, quæ minùs decent dignitatem Anchisæ patris, Æneæ filij, Ascanij nepotis.

[d] Cur *Deûm cura*? quia bis ereptus Troiana ruina, semel sub Laomedonte, cùm Hercules vrbem excîdit; iterum cùm Græci.

[e] Respectum ad circuitum illum, quem iam suprà docuit. Ex Epiro enim Italia cernitur. Ergo. Ecce ea tellus, quæ tibi, quæ tuis fatis promissa: ea tibi arripienda, sed tamen priùs circumeunda maria, sic disponente necessitate fatorum.

[f] Ostendit agrum Lauinium, quem debeat arripere, iuuante per oracula Apolline. Quasi dicat. Pars illa Italiæ, non alia, arripienda est tibi, hanc enim Apollo pandit.

[g] Vix capias sermonis huius affectum, ita magnus est Poëta in indicandis sensibus animorum. Quæ hîc interpretes de vaticinio mortis Anchisæ, vix est vt probem.

NOTÆ.

1. VENTO FERENTI] De hoc alibi.

2. INTERPRES] Græcis Ἑρμῆς dicitur. sed eam vocem Græcis abripit Becanus lib. 1. Hierog. illique primos natales in Germania assignat, vbi *Herman* est publica cuiuspiam rei monitio, inde *Hermæ Mercurij*, id est, acerui lapidum, quibus viatores monerentur. Ab hac Germanæ vocis proprietate Græci Ἑρμῆν vocarunt *interpretem*, inde & ἑρμηνεύειν, pro *interpretari*, atque inde etiam sermo in tutela interpretis Mercurij, quia sermo communis rerum omnium monitor. Eadem audacia qua Ἑρμῆν Græcis, Ægyptiis quoque Thoot, & Latinis Mercurium adimit, transfert-

B que ad Germana incunabula. Etenim cùm triplex nomen sit huic Deo, nam Ægyptiis *Thoot* dicitur, Græcis Ἑρμῆς, id est, interpres; Latinis Mercurius à Mercibus, quibus præest: contendit ille hæc nomina neque in Ægypto, Græcia, aut Latio nata; sed has prouincias à Germanis ad se nomina hæc transtulisse singulas. Sed has, & similes Becani opiniones iam alij lacerarunt. Nos certè pleraque illius cum risu capimus. & Germanicam linguam ab Græca, Ægyptia, Latina ditatam credimus potiùs, quàm ipsa illas ditauerit.

3. COMPELLAT HONORE] Ductum fortasse ex Catullo qui in Nuptiis Pelei verbis honorificentissimis:

Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo.

C 4. CONIVGIO SVPERBO] Eurip. in Orest. Agamemnonem, ait, duxisse λέχος ἐπίσημον Clytæmnestræ, lectum nobilem, insignem, &, vt loquaris cum Marone, superbum. apud eundem in Androm. Peleus suum coniugium cum Thetide vocat, γενναῖα συγκοιμήματα, *concubitus nobiles*. Auctor hymnorum de eadem hac historia, ἀθανάτῃ παρέλεκτο θεᾷ βροτός: *Cum immortali Dea mortalis concubuit*. Adeundus totus hymnus ad Venerem. Sententia Virgilij eadem est cum Catulliana hac,

Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.

tantùm varius flexus. Est verò *Anchisa* vocatiuus Græcus, sic & Horat.

Aiacem Atrida velas cur?

D 5. CVRA DEVM] 4. Georg. Cura amatoria vox.

Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura.

in 10.

Ipse inter medios Veneris iustissima cura.

Tibull. lib. 3. *salue cura Deum*. Auson. Epig.

—superûm cura secunda Valens.

Sic Græci μέλημα, & μέλει μοι amatoria verba vsurpant. Reges enim & principes Deus tuetur. Pindarus Od. 5. Pyth. Reges sub tutela Dei.

Διός τοι νόος μέγας κυβερνᾷ
Δαίμον' ἀνδρῶν φίλων.

Iouis mens magna gubernat sortem virorum, qui sibi in precio. hinc Agamemnoni apud Homer. 1. Il. spes maxima exsurgit, nam cùm minitatus Achilles fuisset abiturum se Phthiam, & exercitum relicturum, prudenter respondit Agamemnon:

E —παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι
Οἵ κέ με τιμήσουσι. μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς:
—Apud me & alij erunt,
Qui me honorabunt, maximè autem prudens Iuppiter.

quampiam vocem, & dignam principe meritò laudat

dat Spondanus. Debet enim princeps intelligere se totum esse in custodia Dei, pius fuit Maro, qui Anchisen *Deûm curam* vocauit. pius Homerus qui id ipsum sensit de Agamemnone: impius Tacitus qui lib. 1. Hist. dixit, *Non esse curæ Deis securitatem nostram.* quam sententiam merito reprehendit Annibal Scotus, & Spondanus Iliad. 9. docet Homeri sententiam hanc fuisse, *Quidquid hominibus accidat, ex Dei voluntate fieri, sine qua nihil est hominibus concessum: adeo etiam non solùm generalium, vt Aristoteles, sed etiam particularium administratorem, & moderatorem Deum agnoscit.*

Troia ter capta. 6. BIS] Cassandra apud Lycophronem Troiam luget ter captam; quod explicans Hortens. duplici excidio iam nominato addit incursionem Amazonum, vel teste Homero, qui Iliad. 3. ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι, *irruerunt Amazones viris contrariæ.*

7. PANDIT APOLLO] Non malè huc conferas quæ de etymo Apollinis latè scribit Gorop. Bec. lib. 4. Hierog. qui rem, vt solet; auocans ad Cimbricam originem, ait, per Apollinem signari eum qui reuelat, quæ sunt in abdito. inde & Latinis voces, *aperio*, & *Aprilis*, ex qua notione præclarè Poëta *Apollo pandit*. Sed vt vera, quæ de pandente Apolline; ita suspecta, quæ de Cimbrica origine. Apollinis etymon.

8. FELIX NATI PIETATE] Par locus Terentij in Andr. vbi ait Simo se fortunásque suas ab omnibus laudari, & reddit rationem, *Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.* Quem ad locum aduocat Donatus istum Plauti consimilem: *Fortunatus, qui illum eduxit sibi.*

[a] Nec minùs Andromache digressu mœsta supremo
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem: nec cedit honori,
Textilibúsque onerat donis, ac talia fatur:
[b] Accipe & hæc, manuum tibi quæ monimenta mearum
Sint puer, & longum Andromaches testentur amorem
Coniugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
[c] SIC OCVLOS, sic ille manus, sic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.

ARGVMENTVM.

Affert Andromache dona Ascanio, quem cùm videt, subit imago Astyanactis filij cum grata animi & sensus recordatione.

EXPLICATIO.

[a] Πάθος à circumstantia temporis: ideo enim *mœsta*, quia *supremo digressu*. Inde etiam dona affert, quia tunc libentiùs ea dari solita, atque etiam (sic dicam) affectuosiùs. Dat ea verò Ascanio Andromache ex miro decoro, cuius hic vates semper retinentissimus. Nam sicut vir Helenus virum Æneam muneribus affecerat, sic femina Ascanium puerum, vel ex similitudine formæ Astyanactis, qua tangitur viso Ascanio. Quæ verò affert dona? *vestes picturatas auri subtemine*, id est, pictas textoria arte. Est enim subtemen filum illud, quod per stamina, id est, per stantia in longum fila hinc inde percurrit alterna sublatione & depressione: quo facto vtrunque pariter, & stamen & subtemen addensatur percussione pectinis, ac demum omnia formata iam in telam conuoluuntur iugo. Inde est vt subtemen dicatur pingere stamina aut formis animalium, aut rebus aliis. Deinde attulit *chlamydem Phrygiam*, & eam fortasse, qua vsus Astyanax. nam cui alteri reseruaret, nisi ad memoriam luctus? & congruè quidem Phrygia fœmina dat munus Phrygium. Sed quid est illud? *nec cedit honori.* variè varij, hæreo Iulio Scalig. qui ita explicat: *Si non superat, saltem æquat.* itaque non cedit Heleno in muneribus. Adimunt aliqui hoc hemistichium. Possunt per me. Absoluit. *Textilibúsque onerat donis,* ἐκ τῦ φρέποντος dantis. Quid enim det fœmina, nisi textilia. Et nota affectum *onerat* ex incredibili cupiditate dantis. Est etiam in istis *textilibus donis* declaratio superiorum. Quasi dicat. Dat vestes picturatas, dat Phrygiam chlamydem, omnia textilia.

[b] Accedunt ad dona etiam verba, & hæc quidem plena affectuum & emphaseon. Donat tibi, non quælibet, sed ego Andromache, quæ coniux Hectoris, quæ nurus Priami, & dono *monimenta manuum mearum.* Ideo verò *monimenta*, vt te amoris mei moneant, & *testentur amorem* istum satis *longum*, & in multos annos duraturum. Quo ipso longam quoque vitam obiter precatur Ascanio. Et *cape* (inquit) *dona extrema tuorum*, quos iam deinceps nunquam es visurus. vox *puer* signata ad amorem. Qui verò ille affectus?

O mihi sola mei super Astyanactis imago!

Satis videbatur *imago Astyanactis*, addit, *mei*, & *mihi*, & *sola*, nam nulla est reliqua, hoc enim est *super*. Quo loci cum magna emphasi ponitur aduerbium pro verbo, id est, *super*, pro, *superest*.

[c] Pergit in affectibus, atque ita, vt dum ipsa dolori suo indulget recordatione Astyanactis, Ascanium extollat comparans cum illo, qui futurus tanti imperij, nisi mors rapuisset, hæres. Itaque pariter & se dolore satiat, & Ascanium laudat; profusa in lacrymas, magnifica in laudes.

NOTÆ.

1. DIGRESSV SVPREMO] Sic apud Flaccum 2. Arg. Hypsipyle abeuntem Iasonem chlamyde exornat:

—*dixit lacrymans bæsuráque charo*
Dona duci promit chlamydem, textósque labores.

2. PICTVRATAS] Seruius accipit *pictas*, *decoratásq*, *pictura*. Germanus, in quem inclino, *textilia dona.* nam & Catullus dixit *linum catagraphon* quasi picturatum. & Lucretius: Pictæ vestes pro textilibus. Linum catagraphon.

Textilibus picturis ostróque rubenti.

& Homer. Odyss. 13. quem Poëta in toto hoc orationis

tionis cursu, vt aliàs visum adumbrat, sic ait, ἔδοσαν χρυσόν τε ἅλις ἐσθῆτά θ' ὑφαντήν: dederunt (Phæaces videlicet Vlyssi) aurúmque multum, vestémque textam. In Cedreno etiam sunt ὑφάσματα χρυσᾶ. demum videtur non posse aliter Poëta intelligi, cùm hæ vestes dicantur picturatæ *auri subtemine*: quibus omnino signatur ars textoria. Et Seruius, quem aliqui ab hac sententia separant, cur non huc trahendus? Hæc ego dixi consulens auctoritati Germani, cui semper soleo hærere, & aliorum. Sed quid si alia mens Poëtæ? Hæc videlicet. Discriminat Poëta inter vestes acu factas, & arte textoria. Primas signat istis.

Fert picturatas auri subtemine vestes.

alteras illis, *textilibúsque onerat donis*. Frustra enim diceret illud alterum de donis textilibus, si eadem intellexisset per *picturatas vestes*. Deinde pictura in hoc vate semper referenda ad acum, vt cùm ait in 9. *Pictus acu chlamydem*, & 11. *Pictus acu tunicas*. Cur non ergo & in hoc loco? Hinc fortasse lucem capit Cicero lib. 5. Tuscul. *collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto*. Vbi duplex commendatio tum à textura, tum ab acu. Et hoc est fortasse discrimen Lucretianum:

Pictura refertur ad acum.

Nexilis antè fuit vestis, quàm textile tegmen.

vbi quis scit, an per vestem nexilem intelligat illam, quæ fit acu? Hæc à me non certò asseuerata, sed cum formidine, nam video & locum Tullij fauere posse menti Germani, & Lucretium aliò trahi posse. Sed cui vsui dantur hæc textilia? vel, vestiendo corpori, in quod inclino. vel, ornandis mensis, quibus textilia in vsu. Apparet hoc tum ex loco Tullij iam adducto. tum ex isto Liuij lib. 39. *Lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia.* Hæc, & quæ sequuntur, capienda omnia de apparatu conuiuij, vel ex loco Plinij cap. 3. lib. 34. qui mirè adsonat Liuiano, vt apparebit adeunti, & quidem Plinius *triclinia ærata, abacosq́;*, &c.

Textilia ad vsum mensarum.

3. SVBTEMINE] Alij, *subtegmen* scribunt: alij, *subtemen*: alij, *substamen*: alij demum *substemen*. Vltimum probatur à Germano, quod sapere videatur Græcam originem, στήμων, & ὑποστήμων. Do obiter formam adagij hanc: *Addere vesti multum subteminis*, pro, delitiari, & luxuriare. Demosthenes de falsa legat. ἐσπαθᾶτο, hoc est, explicatore Vlpiano, ἐπεδαψιλεύετο. Aristophanes in Nubib. ὦ γύναι λίαν σπαθᾷς: O *mulier multùm deliciaris*. vtique, τρυφᾷς. Propriè enim σπαθᾶν dicitur de subtemine, & texturis. Vnde Græci σπαθητὸς χλαῖνα, σπαθητὸν ἱμάτιον, σπαθητὰ ὑφάσματα. Sumpsi hanc notulam ex interprete Demosthenis Vlpiano. Qui etiam addit eandem formam dici à Græcis hunc in modum. πολλὴν κρόκην ἐμβάλλειν τῇ ἐσθῆτι: *addere vesti multum croci*, id est, τρυφᾶν. Quid porro sit *subtemen*, iam explicui. Explicationi nostræ fauet omnino locus Ouidij lib. 6. Metam. vbi ait:

Addere vesti multum subteminis adag.

Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo,
Inseritur medium radijs subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt inserti pectine dentes.

4. PHRYGIAM] Intelligit vestem illam, quam primi Phryges facere docuerunt, qualémque nos Plinius docet lib. 8. cap. 48. his verbis: *pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natæ. acu facere id Phryges inuenerunt, ideóque Phrygiones appellati sunt.* Igitur per Phrygiam chlamydem, vestem intellige *pictam acu* à Phrygibus, siue *acu textam*, nam hoc verbum Tertull. vsurpat lib. de idololat. *neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an Phrygio detexat*, siue, *insutam*. idem scriptor de habitu muliebri: *Tyrij tingerent, & Phryges insuerent.* Hæ vestes Ægyptiis quoque in vsu ex nota Dal. in Pli. Martial.

Pictæ vestes. Phrygiones.

A *Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri.*

Et Lucan.

Quod Niliotis acus compressum pectine, serum
Soluit, & expanso laxauit stamina velo.

5. CHLAMYDEM] Notat in Sueton. Læuinus, chlamydem non solùm militare esse vestimentum, sed inter puerilia quoque ab Vlpiano apponi, nam hæc donabatur pueris ad faustum quoddam omen futuræ militiæ. Sueton. Tiber. loquens de pueritia Tiberij, cap. 6. *Munera, quibus à Pompeia Sexti Pompei sorore in Sicilia donatus est, chlamys, & fibula*, &c.

Chlamys etiam puerorum.

6. ACCIPE ET HÆC MANVVM, &c.] Imitatio Homeri est, apud quem Odyss. 15. Helena Telemachum donat vestibus, quas ipsa laborauerat, vt adolescens sui memoriam retineat. Sic Græcus vates.

B ——Ἑλένη δὲ παρίστατο φωριαμοῖσιν,
Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, οὓς κάμεν αὐτή:
——*Helena autem astitit thecis,*
Vbi erant vestes variegatæ, quas laborauerat ipsa.

& paucis interiectis:

Δῶρόν τοι καὶ ἐγώ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι
Μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν:
Donum tibi & ego fili dilecte hoc do,
Monimentum manuum Helenæ.

Et Odyss. 4. vbi Menelaus eidē Telemacho offert dona splendida, equos tres, currū politum, poculum ad libationem; quibus oblatis absoluit, ἐμέθεν μεμνημένος ἤματα πάντα, *vt memor sis mei diebus omnibus.*

7. SVPER] Sequor explicationem Turnebi lib. 23. cap. 5. qui ait, Virgilium hæsisse Græcorum imitationi, illi enim præuerbia pro verbis eleganter ponunt, vt

C μέτα, pro μέτεσι, & ἔπι, pro ἔπεσι, & πάρα, pro πάρεστι. sic Latini *super*, pro *superest*. Val. Flacc. l. 8. *nec spes vlla super.* Erit igitur sententia Poëtæ, ô imago, quæ mihi sola superest mei Astyanactis. eadem explicatio & mens Germ. quod par in re litteraria magnum. Non abit Propertius, qui, vt alij pro verbo, pro nomine eandem particulam adhibet. Nam lib. 1. eleg. 21. ita ait:

Super, pro superest.

Et quicumque super dispersa inuenerit ossa.

id est, quicumque superstes.

8. SIC OCVLOS, SIC ILLE MANVS, &c.] Habuit ante oculos Homerum, Odyss. 4.

Κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες,
Ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ', ἐφύπερθέ τε χαῖται:
Illius enim eiusmodi pedes, eiusmodíque manus,
D *Oculorúmque iactus, capútque, & superna coma.*

Quos versus conferens Iulius Scal. sic ait: *Quæ de Telemacho dicuntur ab Homero, longè maiori efficacia de Ascanio. mater enim loquitur orba filio, id quod Helena non poterat. Excusandus ille, laudandus hic. Diuina illa:*

Virgilius superat Homerum.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Quamquam Græcus ὀφθαλμῶν βολὰς *mirificè dixit. Non potuit Latinè noster, ac alio verbo alibi compensauit: gestum enim apposuit cùm dixit, ferebat. Et mirum, quod addit:*

Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.

vt augeat affectum memoriæ, ex repræsentatione rei, quæ non est, & esset. Scias tantùm ea verba non dici ab Helena, vt indicat Scaliger. sed à Menelao, qui illis signis conE iicit, Telemachum esse filium Vlyssis. Qui locus Homericus nescio quo fato doctos multos latuit, nam Iulius Scal. lib. 5. Poët. cap. 3. Macrob. 5. Satur. cap. 6. & Germ. in hunc locum, cùm versus adducant, librum tamen non nominant, cùm alias soleant. Et Vrsinus simili errore ait, illos legi Odyss. λ. leguntur verè Odyss. 4. Et Menelaï ore. Sed ista μνημονικὰ ἁμαρτήματα, nihil lædunt viros doctos. Adduco verba Quintiliani Declamat. 306. quæ cum Poëta consentiunt; *O quantos hæc ex alienis liberis cruciatus tulit?*

Blanditur aliquis puer : talis esset meus. Laudatur aliquis vultu speciosus : talis fuit ille, quem perdidi. Crescit quotidie dolor : iam in foro conspiceretur, iam militaret, iam illi vxorem quærerem. Aliquo etiam sapore ad Virgilium Statius. 1. Achill.

—sic ergo gradus, sic ora manúsque
Nate feres, comitésque modis imitabere fictis.

9. ET NVNC ÆQVALI TECVM, &c.] Ita Euripides in Ione.

Σοὶ ταυτὸν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχ᾽ ἂν μέτρον.
Tecum eandem pubertatis, si nunc esset, haberet mensuram.

Æquales principum.

10. ÆQVALI ÆVO] Attingit Poëta morem in A omni æuo frequentissimum, quo cum viris principibus, maximè cum liberis regum, nutriuntur aliorum liberi pari æuo, quibus assuescant, & quos, vt iam notos à prima pueritia, ad regni administrationem aduocent, cùm ipsi reges iam fuerint. Moris huius etiam meminit Aristides in oratione Eteonei, cùm de illo ait. κάλλιστος, καὶ μέγιστος, καὶ τελεώτατος τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ : *pulcherrimus, maximus, perfectissimus æqualium suorum.* Idem in 2. Platonica, Miltiadi & Themistocli æquales dat. Sic putemus Ascanium æqualem fuisse Astyanacti, qui ad spem regni nutriebatur. sic Æneam Hectori, sic Anchisem Priamo.

[a] Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis.
[b] VIVITE: felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua: NOS alia ex aliis in fata vocamur.
[c] Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum:
Arua neque Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda: effigiem Xanthi, Troiamq; videtis,
Quam vestræ fecêre manus: melioribus opto
Auspiciis, & quæ fuerit minùs obuia Graiis.
[d] Si quando Tybrim, vicinaq; Tybridis arua
Intraro, gentíque meæ data mœnia cernam:
Cognatas vrbes olim, populósque propinquos
Epiro Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus, vnam faciemus vtranque
Troiam animis: maneat nostros ea cura nepotes.

ARGVMENTVM.

Discedit cum lacrymis Æneas, felicésque vocat, qui iam vrbem condiderint: promittit gratum se fore, studiúmque in Epirenses homines, & sui & nepotum.

EXPLICATIO.

[a] MIrum si aliter accidisset. Soluti in fletus omnes sunt, etiam si tantùm repræsententur Æneę lacrymæ, vt præ ceteris pij. Et rectè *obortis lacrymis*, quia cadebant sponte, non inuitæ, atque adeo veræ lacrymæ.

[b] Versum hunc sic distinguo : *Viuite: felices quibus est fortuna peracta Iam sua.* Non : *Viuite felices, quibus,* &c. Itaque priùs precatur, vt viuant. Deinde ait, eos omnes felices esse, quibus peracta est sua fortuna : ac perinde relinquit subintelligendum, felices quoque esse Troianos, qui consederunt in Epiro, cùm illi suam fortunam iam peregerint. Si enim sententia esset, quam vulgus putat, dixisset *fortuna vestra,* non *sua.* Ergo, vos viuite. felices, qui ita vt vos; nos enim infelices satis, qui ex fatis adhuc vocamur in noua semper fata, perpetua calamitatum serie.

[c] Comparat felicitatem illorum, qui consederunt in Epiro, cum laboribus, qui sibi suísque accident, qui nondum sedes inuenere. Vobis (inquit) parta iam est quies, non mare arandum, non quærenda Italia, vt nobis, quæ semper fugit retro, semper cedit (sic nimirum explicat votum ardentissimum inueniendæ Italiæ.) videtis si non Xanthum, certè effigiem eius : si non magnam illam Troiam, vbi nati; at certè hanc Troiam, quam vos vestris manibus nasci fecistis. Opto autem, vt hæc vestra Troia condita fuerit melioribus auspiciis, quàm antiqua illa, id est, (ad- B dit se explicans) minùs exposita furori Græcorum.

[d] Perplexi aliquantulum isti versus, illos tironibus ita expedio. *Si* (ali) *quando intra* (ve)*ro Tybrin, aruáque vicina Tybridis, cernámque mœnia data* (fatis) *genti meæ: faciemus Troiam vtranque* (quam vos condidistis, & quam nos condemus) *vnam animis* (id est, vnanimem.) *Vtranque* dico *Troiam,* nimirum *vrbes olim cognatas, populósque propinquos* (in) *Epiro,* (& in) *Hesperia, quibus* (vrbibus & populis) *idem Dardanus* (est) *auctor, atque* (quibus inest) *idem casus* (miserrimus:) *ea cura maneat nepotes nostros.* Hac vocularum interpositione clara erit sententia nouitiis. Iam meo more illam explico. Dicit vtranque Troiam, & Epiroticam, & Italiam debere esse vnam animis, studio, voluntate. Huius rei ratio C quadtuplex. Prima, cognatio ipsa, nam omnes Troiani: secunda, propinquitas locorum, nam propinquæ sibi Italia, & Epirus: tertia, auctor idem vtrique genti, id est Dardanus : quarta, casus idem. nam Helenus atque Æneas variis casibus agitati sunt. Particula *olim* capienda hîc de tempore futuro, vt sæpe aliàs. vt sit *olim* in posterum.

NOTÆ.

1. DIGREDIENS LACRYMIS AFFABAR] Sic Cyzicus apud Valer. Flacc. lib. 3. cùm ab eo Iason discedit,

Ipse agit Æsonidæ iunctos ad littora gressus
Cyzicus, abscessu lacrymans.

Apud eundem lib. 2. cùm Argonautæ discedunt ab D Hypsipyle, similis tristitia & lacrymæ inducuntur,

Nec minùs Orphea tristis (Hypsipyle) *ceruice tuáque*
Æacide, & gemino coniux à Castore pendet:
Has inter lacrymas legitur piger vncus arenis.

Digredi, & Degredi vti discriminētur.

Opportunè autem monet Rittershus. in Opp. Cyneg. discrimen inter *digredi,* & *degredi*: vt prius sit discedere ex

re ex loco aliquo, posterius descendere de superiore loco, cui contrarium sit, ascendere. Sic Sallust. 4. Hist. *vt primùm Algus degressus est.* in Iugurth. *monte degrediens.* &c, *colle degredi.* Florus lib. 3. *ab arce degressus.* itaque malè confunditur horum verborum vsus.

2. PERACTA] Achilles Statius legit *parata.* Firmat Tibullianis versiculis. non satis ad gustum, omitto. Ego in integra sententia Propertianam imitationem inuenio. vt enim Æneas ait: Nos imus semper in noua fata, vos hîc viuite, qui iam felices: Ita Propertius lib. 1. eleg. 1. non dissimili sententia,

Ferte per extremas gentes, & ferte per vndas,
Qua non vlla meum fœmina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.

Labores sibi inuicem succedunt.

3. NOS ALIA EX ALIIS IN FATA VOCAMVR] Hesiod. in Theog.

ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτερος ἆθλος:
Labor grauissimus laborem excipit.

Homer. Il. 19.

—ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί:
—*vt me excipit malum ex malo semper.*

Eurip. in Hecub.

—προσκαλεῖ δ' ἐκεῖθεν αὖ
λύπη τις ἄλλη διάδοχος κακῶν κακοῖς:
—*rursum alia me molestia*
Aliò vocat, malisque succedunt mala.

iterum,

—πόνοι γὰρ καὶ πόνων
ἀνάγκαι κρείσσονες κυκλοῦνται.
—*labores enim & laboribus*
Necessitates maiores vndique circundant.

Et,

ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ, κακῶν κυρεῖ:
Prognata ab aliis alia contingunt mala.

Hæc Germ. tantùm Latina addidi, quibus semper is caret.

4. VOBIS PARTA QVIES] Locus hic cognationem habet cum eo. 1. Æn.

O fortunati quorum iam mœnia surgunt,
Æneas ait.

vt verò hîc *cedentia retro,* sic, in 5.

—*dum per mare magnum*
Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.

Virgilius se interdum æmulatur.

Poëta enim, vt aliis, sic sibi interdum insistit, séque ipse æmulatur.

Aro de mari.

5. ARANDVM] Pari venustate Ouidius. 1. Trist. *æquor aro.* & 1. Ponti: *sulcauimus æquor.* Fluxit hoc à Græcis. Aristides orat. 4. Sacror. serm. ὑπεναντία τοῖς ἀνέμοις πλέοντι, καὶ δὴ ἀροῦντι τὸ πέλαγος: *nauiganti aduerso vento, & quasi aranti pelagus.* Quæ verba præeunt ad explicationem Virgilii. Hoc certè verbum inferendum, cùm aduersa est nauigatio, vt in vate, & in adductis testimoniis Ouidii. Vt enim arare terram, laboriosum est, sic pelagus. neque enim in nauigatione prospera commodè vteris his vocibus. An alii vtantur in cursu prospero, nihil moror. Nonnus quidem lib. 1. vsurpat in nauigatione τέμνω, σχίζω, *seco, findo,* quæ sunt terræ. Et pro nauta ἀγρονόμον dixit, id est, *agricolam.* & pro nauigatione αὔλακα, id est, *sulcum.* Et lib. 2. pari venustate, κῦμα χαράσσων. Mæcenas apud Senecam ep. 104. *alueum lintribus arent.*

6. SEMPER CEDENTIA RETRO] Est hoc, quod in 6. *fugientis Italiæ.*

7. MELIORIBVS AVSPICIIS] Allusum ad morem Romanorum, quibus si prima hostia, aut primæ aues non fuissent ex voto, iterum auspicabantur. De hoc alibi.

Obuius, re hostilis.

8. MINVS OBVIA GRAIIS] Præclarè. Obuia enim sunt, quæ opposita in via obstant & impediunt, tales esse hostes solent. Ergo optat ne sint Graii obuii Troianis, nam horum illi hostes. Inde in 6. in sermone de hoste:

—*non illi quisquam se impune tulisset*
Obuius armato,

Est hoc, quod in eodem lib. dixit ore Æneæ. *quibus obstitit Ilium.* id est, quibus Ilium fuit aduersans, vtique obuium. Itaque eadem est vis, modò præpositioni adiungas viam, modò iter. vt *obuiam,* & *obiter.*

Obiter, & obuiam.

9. MANEAT NOSTROS EA CVRA NEPOTES] Relinquit posteris hanc curam concordiæ inter ciuitates Epiri, & Hesperiæ. locum hunc & superiora egregiè illustrat Nannius. 7. Miscell. ex Dionys. Halicar. lib. 1. Antiquitatum. Tametsi nos nihil ex Nannii fide, quòd minùs scriptoris verba apud ipsum intelligeremus. Poëtæ itaque quod factum est post multa secula, solent tanquam diuinando prædicere, vt suo poëmati gratiam quærant, & inde illud est, *maneat nostros nepotes hæc cura.* Scribit itaque Dionysius, Troianos Æneámque in nauigatione sua socios habuisse, & tanquam deductores vsque in Italiam Epirenses quosdam (Patronem Thurium scriptor in primis nominat.) Ab his itaque tanquam manu deducti sunt Troiani in Italiam, & ab illis recreati *huius autem meriti recordatione* (verba sunt Dionysii) *Romani Acarnanibus, Leucadem & Anactoriũ, cùm ademissent Corinthiis, in tempore largiti sunt, concessúmque vt Æniades recuperarent, & Echinadas insulas communiter cum Ætolis possiderent.* Acarnania autem pars est Epiri. En cura illa nepotum in exornandis Epirensibus propter collatum in Æneam beneficium. Vide an hîc illucescat superius illud, *addit equos, additque duces,* quasi deductores. Aduertit vlteriùs Nannius inductum id fuisse à Poëta, nam vota conditorum vim habent in vtranque partem, in bonum, vt vidisti: in malum. 4. Æn. vbi sic Dido imprecatur,

Romanorum cum Acarnanibus amicitia.

—*nullus amor populis, nec fœdera sunto,*
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,

& reliqua: quæ omnia secutus euentus est, atrocissima bellorum tempestate orta inter Carthaginienses & Romanos. Addit doctrinæ huic Modicius cap. 30. deductam à Romanis coloniam Buthrotum, atque ita omnino rata fuisse Æneæ vota optantis ex vtraque Troia vnam fieri. Ita enim Buthroti ciues habiti pro Romanis.

[a] Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta;
Vnde iter Italiam, cursúsque breuissimus vndis.
[b] Sol ruit interea, & montes vmbrantur opaci:
[c] Sternimur optatæ gremio telluris ad vndam,
Sortiti remos: passimq; in littore sicco
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
[d] Nec dum orbem medium nox horis acta subibat,
Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnes

Explorat

Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo;
e Arcturum, pluuiásque Hyadas, geminósque Triones,
f Armatúmque auro circumspicit Oriona.
g Postquam cuncta videt cælo constare sereno,
Dat clarum è puppi signum, nos castra mouemus,
Tentamúsque viam, & velorum pandimus alas.

ARGVMENTVM.

Soluunt Epiro, prælerlegunt montes Ceraunios, nocte aduentante descendunt in littus, somnos capiunt, sed signum dante Palinuro (cuius diligentia hîc commendatur) se iterum mari committunt.

EXPLICATIO.

a VBI soluunt ex Epiro, signatè ex Buthroto Ceraunios montes, aliàs Acroceraunios, præterlegunt. Sunt hi in fine Epiri ad Ionium mare, è regione Italiæ, sic dicti ab assidua fulminum iaculatione, cui expositi.

b Perinde ac si dicat. Ideo opaci, quia vmbrantur abeunte Sole. B

c Ait nocte adueniente descendisse in littus ad curanda cibo corpora, ad capiendos somnos. Sed priùs tamen, quàm corpus curant, remos sortiuntur, vt ad signum Palinuri statim surgant ad incumbendum in remos.

d Pulcra rerum oppositio. Strati erant milites dulci somno implicati: Palinurus ante noctem mediam iam surgit, ventos explorat, captat aërem, notat sidera.

e Notat *Arcturum* custodem illum vrsæ: notat *Hyadas*, has vocat pluuias: notans etymon vocis: dictæ enim ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est, *pluere*: notat *geminos triones*, id est boues duos, alio nomine, vrsam duplicem. Vide vt defendam hanc explicationem. 1. Æn. vbi habetur hic idem versus. vide etiam, quæ dixi in Georgicis. C

f Quia signum hoc ensiferum est.

g Nihil in cælo erat inconstans, nihil variū; omnia tranquilla, ad pacem serenitatémque composita. Ideo Palinurus signum dat ad surgendum, quo audito mouent *castra*, id est, classem, tentant maris viam, vela expandunt, quæ naui sunt instar alarum, quibus ea aduolat.

NOTÆ.

1. CERAVNIA] Cùm Poëtæ dicunt *Ceraunia*, vel *Acroceraunia*, credo id fieri Græcorum hellenismo, qui simpliciter quoque κεραύνια, nam illi subaudiunt ὄρη *montes*, quæ vox ipsis neutra est. Nam & scriptor Chrestomathiæ sic ait: Βαλλιακὴ πόλις, καὶ τὰ Κεραύνια ὄρη, καὶ Χάονες ἡ ἀρχὴ τοῦ Ἰονίου κόλπου: *Vrbs Valliaca, montes Ceraunij, & Chaones in initio sinus Ionij.* (Hellenismus)

2. CVRSVSQVE BREVISSIMVS] Traiectus huius breuitatem Hortensius ait contineri. 700. stadiorum latitudine, videlicet. 21. milliarium Germanicorum spatio: si demensio fiat ab Acrocerauniis vsque ad Hydruntem maritimum Italiæ oppidum.

3. VMBRANTVR] Illustret hunc locum Gulielm. Stuchius lib. 1. Antiquit. Conuiuial. cap. 11. Græci ad notandas horas, & tempus quodcunque, ad σκιὰν, id est, *vmbram*, confugiebant. & ad τὸ στοιχεῖον τῆς σκιᾶς (Vmbra notabātur horæ.) A *lineam vmbræ*. Inde non otiosè Virgilius, & hîc *vmbrantur montes*. & in 1. Ecl.

Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

Interpres Aristophan. ἐν Ἐκκλησιαζ. ad verba illa, ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον. ita ait, ἡ τοῦ ἡλίου σκιά, ὅταν ᾖ δέκα πηχῶν. θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτι ὀψέ: *quando solis vmbra fuerit decem cubitorum, hoc est, quando erit sero.* Lucianus in Gallo. συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁπόσων τὸ στοιχεῖον εἴη: *assiduè obseruans quot pedes haberet linea.* Et in Saturnalibus inter leges conuiuiales, λελούσθω μὲν ὁπόταν τὸ στοιχεῖον ἑξάπουν εἴη: *Lauari, cùm linea iam sex est pedum.* Eubuli versus apud Athen. lib. 1. omitto, vt multos.

4. CORPORA CVRAMVS] Totus hic locus videtur factus ad vmbram Ennij. 12. Annal.

Omnes mortales victores cædibus viuis
Lætantes vino curatos, somnus repente
In campo passim mollissimus perculit acris.

Ceterùm poëticum excursum de nautis, hisque fessis, ac dormientibus, & occidente Sole habet Nonnus lib. 3. his versibus,

Δυομένου Φαέθοντος, ἐπ' αἰγιαλοῖσι δὲ ναῦται
Ἀστορέας ψαμάθοισιν ἐπεστρέψαντο χαμεύνας:
Occidente Sole in littore nautæ
Instrata arenæ committebant cubilia.

5. SOPOR IRRIGAT ARTVS] Persius,

Hic satur irriguo mauult turgescere somno.

Sed similes locutiones iam alibi.

6. HAVD SEGNIS STRATO SVRGIT PALINVRVS] Imitatio Homeri est Odyss. 5.

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως
Ἥμενος· οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε
Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην,
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται, καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει:

Ceterùm ipse (Vlysses) temonem gubernabat artificiosè
Sedens, neque ei somnus palpebris incidebat,
Pleiadésque contemplanti, & tardè occidentem Booten,
Vrsamq́, quam & currum cognomento vocant,
Quæ ibidem vertitur, atque Orionem obseruat.

Virgilij versus perpendit Iul. Scal. lib. 3. Poët. cap. 16. (Gubernatoris nautici diligentia.) his verbis: Mira diligentia, cùm dicit, *omnes*: cum *explorat*, solertia: cùm *aërem*, communem omnibus, sibi proprium ascribit præceptorem, ars: cùm *notat sidera*, peritia: cùm addit *cuncta*, perfectio. Vt intelligas non immeritò Poëtarum Regē à nobis vtique Maronem D prædicari. Hæc ille, addítque in 5. ca. 3. Artem, atque intentum animum simul notauit per verbum *circumspicit*, sed & *aërem*, id est, auras ipsas ventum præuenientes miro modo dixit, *auribus captare.* Locus est in Dione Chrysost. orat. 3. vbi officium hoc describit circumstantiis ad Virgilianum Palinurum accommodatis, hunc in modum: *Gubernatori necesse est aspicere in mare, necesse suspicere ad cælum, necesse prospicere ad terram: quin & ea quæ sunt in profundo non licet ei ignorare, nisi velit in saxa incidere sub aquis latentia, aut arenarum congeries. Illi soli noctū quidem licet minus dormire, quàm natantibus: interdiu autem, sicubi breuem aliquem somnum suffuratur, hunc tamen suspensum habet & dubium:* (Orionis historia.)

biũ: vt sæpe exclamet aut velum contrahi, aut clauum sisti, aut aliud aliquid rerum nauticarum: vt dormiens ille magis gerat nauis curam, quàm alij, qui multùm vigilant. Esset fortasse locus hic Dionis, vt multa alia horum commentariorum, multis in maiore precio, si Græcis tantùm obstrepuissem. O quantum est in rebus inane! Eandem gubernatoris diligentiam, aliis dormientibus, Paulinus attingit epist. 4. 2.

A

Cunctis soporem suaserat tranquillitas,
Tantum gubernator vigil,
Lambente blandis classe securus vadis
Iter secabat spumeum.

Ad rem est Aristonymi sententia hæc moralis. κυβερνήτου μὲν ἔργον ἀγαθοῦ εἰς τὰς τῶν πνευμάτων μεταβολὰς ἁρμόζεσθαι. ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ πρὸς τὰς τῆς τύχης: *Gubernatoris boni officium ad ventorum mutationes se aptare; viri autem sapientis, ad fortunæ.*

B

7. Avribvs aera captat] Adnexa huic locutioni Plautina in Milite. vt enim Virgilius verbum *capto* venationis, dat auribus; ita Plautus & oculis & auribus venationem dat. *Viden' tu illam oculis venaturam facere, & aucupium auribus?* In eadem Comœd. *Speculabor ne quis venator adsit cum auritis plagis.*

8. Armatvmqve avro circvmspicit Oriona] Euripides in Ione Ὠρίωνα vocat ξιφήρη. vocem produxit Virgilius, vt Græci sæpe. Euripidem iam vidisti. Homerus quoque. 5. Odyss. τὸν Ὠρίωνα δοκεύει. ita & Lucanus:

Ensiferi nimiùm fulget latus Orionis.

Alij corripiunt. Ouidius:

—accinctúmque Oriona ferro.

C

Orionis historia.

Adducit verò Hortensius Euphorionis verba de Orionis natalibus, sed Græca tantùm, quibus omissis sic vertebamus in gratiam tironum: *Hyrieus Neptuni filius, & Alciona, vnius è filiabus Atlantis, viuebat in Tanagra Bœotia vrbe. Erat hic in hospites omnes humanissimus. Deósque adhuc ipsos aliquando domi excepit. Iuppiter itaque, Neptunus, & Mercurius humanitate hominis illecti, hortati sunt, aliquid vt à Dijs peteret. carebat filio, hunc petit, annuunt Dij, in pellémque bouis ipsis sacrificati semen omnes iaciunt, iubéntque sub terra occultet, eruátque iterum post menses decem. Facit hoc ille, & inde tum Vrion natus emersit, sic dictus à Deorum facto; mox verò propter Euphemismum vocatus est Orion. Venabatur hic vnà cum Diana: cuius pudicitiam violare cùm tentasset, irata Dea scorpion produxit, qui illum occidit mordens in talo. Misertus Iuppiter in cælum retulit, inde oriente scorpio Orion cadit.* Vide etiam quæ de Orione scripsi. 1. Æneid. ad illud,

D

Cùm subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

9. Dat clarvm e pvppi signvm] Phrasis Ennij est, & in re etiam nautica. 8. Ann.

Tonsas ante tenentes signum
Cùm dare cœpisset.

sed translata à militia. Ideo postea,

—nos castra mouemus.

Castra in re nautica.

10. Castra] Commutatio metaphorarum pulchra est, hîc *castra* de re nautica: in 2. *classem* de terrestri exercitu, *classibus hic locus*, adi. Sed firmo locum Virgilij: vt hîc *castra* in re nautica, ita lib. 4.

—faces in castra tulissem,

id est, in naues. & in 5.

—sic acer equo turbata petiuit
Castra,

vbi intelligit naualia. Attius Antenoridis:

Aut naues vrens castra mactabo in mare.

Propert. lib. 2. eleg. 8.

Feruere & Hectorea Dorica castra face.

vbi loquitur de ignibus, quibus Hector incendebat naues Græcorum. Vt verò Poëta *mouere castra*, ita Propert. el. 8. lib. 4.

Mutato voluit castra mouere toro.

Iuuenal. Sat. 6.

—Castra moueri,

& 8.

—Signa duces, & castra mouebant.

Xenophon ad idem explicandum ἀναζευγνύειν dixit. ita lib. 8. παιδ. οὕτω δὴ ἀνεζεύγνυε, & lib. 4. ἀναβ. καὶ ἀναζεύξαντες ἐπορεύοντο: *motis castris pergebant.*

Velorum origo.

11. Velorvm pandimvs alas] Putemus Virgilium instituisse primæ velorum origini. Hæc sumpta volunt exemplo auium: nam sicut istæ alis volant, ita naues alis suis, id est, velis. Lege Plinium lib. 10. c. 10. vbi ait miluios docuisse artem gubernandi flexibus caudarum. Lege quæ de hac re coniunxit Lilius lib. de Nauigiis cap. 3. & Spondanus in Homerum.

Alæ de nauibus.

Certè πτερὰ de nauibus dixerunt Hesiodus, Homerus, Lucianus. Et Æschylus in Agamemn. πτερύγων. Et Pindarus Od. 9. Olymp. ναὸς ὑπόπτερ. Qua voce vsus quoque Philo περὶ φυτουργ. vocans nauem ὑπόπτερον. Cassiodorus lib. 5. epist. 17. *alas nauium.* & lib. 1. epist. 35. *ratis tumentibus alata velis.* Ad hominem has alas traduxit Aristides orat. ad Neptunum. τὸν ἄνθρωπον ἁπλῶς εἰπεῖν πτηνὸν ἀπέδειξε. μόνον οὐχ ὡς πτεροῖς τισὶ διὰ τῆς θαλάττης χρώμενον, καὶ ταξάμενον μετὰ τῶν ἀνέμων φέρεσθαι: *vt vno verbo dicam, alatum fecit hominem, qui per mare quasi alis volaret, & cum ventis ferretur.*

Alatus homo.

Ab nauibus fluxit adagium, *opus est volare sine linteo.* Sunt qui huc trahant Lycophronem, qui in Alexandra de nauibus dixit, λευκὰ πτίλα: *albas alas.* Sed meliùs referetur ad παράσημον nauium, id est, insigne. de qua re vide Titium lib. 7. Locorum. Taceo hîc, quæ de timone dicta ab scriptoribus, quæ de rostris nauium: nam & ille à caudis auium sumptus, ista ab earum rostris. Plinius de cycnis dixit lib. 10. c. 23. *liburnicarum more rostrato impetu feruntur.* Ceterùm sententiæ Virgilij pandentis vela ad captandas auras similis locus Lucani:

—summáque tendens
Suppara, velorum perituras colligit auras.

[a] Iámque rubescebat stellis aurora fugatis:
Cùm procul obscuros colles, humilémque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates:
Italiam læto socij clamore salutant.
[b] Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, impleuítque mero, Diuósque vocauit
Stans celsa in puppi.
[c] Dij maris & terræ, tempestatúmque potentes,
Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.
[d] Crebrescunt optatæ auræ, portúsque patescit

Iam

Iam propior: templúmque apparet in arce Mineruæ.
Vela legunt socij, & proras ad littora torquent.
e Portus ab Eoo fluctu curuatur in arcum:
Obiectæ salsa spumant aspergine cautes:
Ipse latet, gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli: refugítque à littore templum.

ARGVMENTVM.

Albescente cælo Italiam à longinquo cernunt, salutant lætabundi, libat Anchises Dijs, appellunt ad portum, hic describitur.

EXPLICATIO.

a AD primam lucem aduentantis Auroræ vident ante oculos, nam hoc est *procul*, Italiam tot nauigationibus quæsitam, tot petitam oraculis. Sed ita vident, vt tantùm *obscuros* quosdam *colles*, atque *Italiam humilem*. Quippe è longinquo intuentibus hæc esse species debebat. Vult Hortensius per *colles obscuros* signari Iapygiam. & Nascimbænus Italiam dici *humilem*, quia ab ea parte non habet altos montes, & sita est in plano, vt dixit Seruius. Statim omnes erumpunt exultabundi, clamantes & salutantes Italiam. Iteratio vocis indicat gestientem animo lætitiam. Nescias quo decoro ea vox primùm Achati detur. Senex enim longinqua itineris fatigatione confectus intentior præ aliis erat. Ex qua etiam mente statim (nam omnia videt Virgilius) Anchises inducitur vocans Deos. Accedit & ratio alia. Iuuenes, qui in ea erant classe, putare poterant se tandem peruenturos ad Italiam, suppetente adhuc naturaliter æuo: non sic senes, quibus cùm quotidie fatum immineret, poterant suspicari nunquam se ad Italiam peruenturos: hinc intentiores in cursu, & lætiores visa Italia.

b Anchises è puppi, quæ pars nauis celsior, craterem vino implet ad summum, illi imponit coronam è floribus, Deos inuocat.

c Explicatio hæc ascribatur Nascimbæno. Deos marinos precatur, qui nauigat: tempestatem, vt prospere nauiget: terræ, quia terras inquirit.

d Anchisæ meritum. Petiuerat, *Dij spirate secundi*. Fit ita, nam *auræ optatæ crebrescunt*, qua auræ benignitate *patescit portus*, vt qui iam *propior*. & *apparet templum Mineruæ* quod erat *in arce*. Statim leguntur vela, itur remis ad littus. Est hoc quod supra: *vela cadunt, remis insurgimus*. Quod hic *torquent proras ad littora*, alibi: *ocyus aduertunt proras*.

e Describitur Italiæ portus, ad quem Troiani appulere. Descriptio verò petenda à re triplici, situ, forma, materia. Situs, nam ad orientem: forma, nam curuatus, obiectæ illi rupes in morem turrium, brachiorum, & murorum: materia, nam viui scopuli, viuæ cautes. Sententia itaque est. Portus ab ea parte, qua orientem respicit, curuatus est in arcum: illi obiectæ sunt cautes, in quas illisa aqua, spumat: hinc est, vt ipse lateat, nam scopuli (sunt hi, quos antè cautes dixerat) demittunt brachia muro gemino.

NOTÆ.

1. RVBESCEBAT] Vix nartes quos colores Poëtæ dent Auroræ, Virgilianos accipe. Hic *rubrum* dat; *roseum* in 6. *croceum* non semel: *pallidum* 1. Georg. in 12. *puniceum* in 7. *luteum*. Horum primum habes etiam in Ouidio 2. & 3. Met. & 4. Fast. In Silio l. 10. 12. 16. Lucan. lib. 2. Lucr. l. 4. Alterum l. 5. Silio lib. 2. & 9. Ouidio. 5. Fast. Claudiano in Honorio, Boëtio lib. 2. & 3. Tertium in Ausonio, Ouidio. 3. Met. & 3. Fast. Quartum in Statio. 6. Theb. Boëtio lib. 2. Quintum in Claudiano. 1. Rapt. Sextum in Ouidio. 7. Met. Dedi & firmaui Virgilianos colores. His adiice, Purpureum ex Ouidio 2. & 6. Met. & Statio. 3. Theb. Aureum ex Catullo, & Lucretio lib. 2. Rosidum ex Ausonio. seu potiùs Roscidum ex Silio lib. 2. & 15. Seneca in Thyeste. Nitidum ex Ouidio. 2. Met. & Silio lib. 5. Fulgidum ex Ouidio. 2. Met. Rutilum ex Silio lib. 16. Cæruleum ex Seneca in Furente. Igneum ex Statio 8. Theb.

Auroræ colores.

2. OBSCVROS COLLES] Est hoc, quod dixit Lucanus:

— & dubios cernit vanescre montes.

3. ITALIAM] Vt certissimum ita dictam, ita incertum vnde. Thucydides lib. 6. refert hoc nomen ad Arcadum Regulum. Hyginus ad ducem natum ex Penelope & Telegono. Halicarnasseus ad regem Siculorum, ij enim tres dicti sunt Italus. Timæus nomen ducit ab Italo boue ex armento Geryonis, & Hellanicus quòd boues optimos gignat Italia. Dicunt enim Italum sonare illis bouem. Cato etiam in Originib. ait, Hesperi fratrem dictum Italum.

Italia, vnde dicta.

4. MAGNVM CRATERA] Non frustra scientissimus Poëta craterem hunc appellat *magnum*. Petenda res ab Athenæo, cuius hæc sunt lib. 11. per initia, ἐν γὰρ τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις, οὔτε γραφαῖς, οὔτε ἐπὶ τῶν προτέρων εὑρήσομεν ποτήριον διαμέγεθες εἰργασμένον· πλὴν τῶν ἐπὶ τοῖς Ἡρωϊκοῖς. τὸ γὰρ ῥυτὸν ὀνομαζόμενον μόνοις τοῖς Ἥρωσιν ἀπεδίδοσαν: *Nos in Græciæ locis, neque in picturis, neque in antiquorum monumentis poculum magnum factum inueniemus, præterquam in heroicis. Solis enim heroibus id genus poculi tribuerunt, ac Rhyton appellarunt.* hæc ille. in eodem lib. post multa de Hercule sic loquitur: μεγάλοις ἔχαιρε ποτηρίοις ὁ ἥρως· διὰ τὸ μέγεθος παίζοντες οἱ ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς πλεῖν αὐτὸν ἐν τῷ ποτηρίῳ ἐμυθολόγησαν: *Gaudebat Heros magnis poculis, propter quam magnitudinem poëtæ atque historici illum in poculo nauigasse fabulati sunt.* Atqui Heros Anchises, qui ab Ioue originem ducebat, Heros Æneas, vt qui natus ex Venere. Bene ergo illis magnus crater datur. sed dices, cratera ait Poëta, non Rhyton: Nihil id impedit, cùm rem teneas, si vocem mutes. Præsertim cùm crateres magni admodum soliti sint mensis inferri, teste iterum eodem Poëta in 1. *Crateras magnos statuunt*. atque eodem Athenæo lib. 5. de pompa Ptolemæi Philadelphi, vbi inter reliquum apparatum conuiuialem, ἤγετο (inquit) κρατὴρ ἀργυροῦς ἑξακοσίους χωρῶν μετρητὰς ἐπὶ τετρακύκλου ἑλκόμενος ὑπὸ ἀνδρῶν ἑξακοσίων: *in curru quatuor rotarum à sexcentis hominibus crater argenteus ducebatur sexcentarum metretarum capax.*

Heroes magnis crateribus vtebantur.

5. CORONA INDVIT] Mihi certum *coronam* hic capiendam non de vino ad summum vsque exstante, sed verè de corona, quæ crateri imposita ex more veterum in sacris. nam & verbum *induo* difficilè ad vinum traducas, & deinde erit repetitio non necessaria,

Coronare pocula.

ſaria, quid enim opus erat, *impleuitque mero*, ſi induere *corona* eſſet ad ſummum vſque implere? Quæſtio alibi à me agitatur. nunc dicamus, & coronam florum crateri impoſitam, & vinum ad ſummum vſque ſuperfuſum.

6. Stans celsa in pvppi] In 8. etiam Auguſtus ſtat celſa in puppi, & Æneas in 4. ſomnos carpit celſa in puppi. Puppem enim honeſtiorem eſſe nauis partem Eraſmus Adag. *Si tu proreta*, firmat, & exemplo Virgilij, & Tullij hoc: *Quamobrem mi Quinte conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim.*

Puppis pars honeſtior nauis.

7. Dii maris et terræ, &c.] Maris Deos vocat, hîc *potentes tempeſtatum*. in 5.

Dij quibus imperium pelagi.

in 10.

Numen habere maris.

In his precibus expreſſus Pind. Od. 4. Pyth. ex mente Vrſini. nam quæ affert ex Homero, non ita ad rem. Itaque Pindarus,

—ἐπεὶ δὴ ἐμϐόλυ
Κρέμαϛαν ἀγκύρας ὕπερθεν,
Χρυσέαν χείρεσσι λαϐὼν φιάλαν
Ἀρχὸς ἐν πρύμνᾳ, πατέρ' ὐρανιδᾶν
Ἐγχεικέραυνον Ζῆνα, καὶ ὠκυπόρυς
Κυμάτων ῥιπὰς, ἀνέμων τ' ἐκάλει
Νύκτας τε, καὶ πόντυ κελεύθυς,
Ἄμαϛα τ' εὔφρονα, καὶ
Φιλίαν νόστοιο μοῖραν.

Poſtquam autem ſuper roſtrum anchoras appenderunt, auream manibus ſumens phialam dux in puppi, patrem cælitum fulmen pro telo habentem Iouem; & celeriter meantes fluctuum impetus, ventorúmque inuocabat, noctéſque & maris vias, dieſque lætificos, & optabilem reditus ſortem. Malè in Vrſin. legitur ἄρμαϛα, pro, ἄμαϛα, vitio typographi.

8. Crebrescvnt] Papin. lib. 4.

—patrióſque dolet crebreſcere ventos.

Crebreſco de ventis.

Seneca epiſt. 77. *quoties ventus increbruit, maiórque eſt, quàm expedit, antenna ſubmittitur.*

9. Portvsqve patescit iam propior] Ita hoc dictum, vt ſuprà,

—anguſti rareſcent clauſtra Pelori.

10. Templvmqve apparet in arce Minervæ] Dictum hoc ex veterum more, qui templa ædificabant in locis editis. Et quidem de templis vnius Iouis hoc iam notarunt, & firmarunt Natalis lib. 1. Mythol. cap. 10. & Antonius Delrius in Oetæum Senecæ; ex Apollonio lib. 2. Herodoto in Clion. ex Melantho in lib. de Sacrificiis, ex Seneca in Oetæo. Quibus adde Pindarum Od. 7. Olymp.

Templa in locis editis.

Ὦ Ζεῦ πάτερ νώτοισιν Ἀταϐυρίυ μεδέων:
O Iuppiter pater cacumini Ataburij dominans.

Et Demoſthenem in Haloneſo, ſiue potiùs Hegeſippum (nam huius eſſe orationem illam ſcribit Libanius) qui meminit Διὸς τῦ Ὀρείυ, *Iouis Montani*. Sed quidem non Iouis tantùm, ſed omnium fermè Deorum templa fuiſſe in locis excelſis conſtans eſt auctorum ſententia; neque eſt, cur hic mos trahatur tantùm ad Regem Deorum Iouem. Huic rei fauet etymon ædis (quæ vox ſignat templa Deorum) eſt enim dicta ædes, quòd poneretur in loco edito. Sed pergo ad firmamenta. In Virgilio hoc loco templum Palladis eſt in arce. Templi eiuſdem Deæ ædificati in promontorio ad Capreas meminit Seneca epiſt. 77. Quem in locum Lipſius Statium & Liuium aduocat loquentes de eodem templo. Pauſanias quoque in Arcadicis templum Palladis adducit ædificatum ab Vlyſſe in ſummo montis vertice. Dionyſius etiam lib. 1. ita ſcribit: *Hîc etiam eſt vetuſtum Mineruæ templum in arce exſtructum.* Adduxi de hac Dea tot teſtes, quia ea in Virgilio eſt. De reliquis breuiter. Templum Bacchi ἐπὶ τῦ ὄρεως τῦ ὑψηλοτάτων conſtituit Herodotus lib. 7. Iunonis, Liuius lib. 4. 1. *Promontorium eſt aduerſus Sicyonem, Iunonis, quam vocant Acræam, in altum excurrens.* Dianæ, cui nomen Calliſtæ, id eſt, Pulcherrimæ, Pauſanias in Arcadicis; Neptuni idem Pauſanias in eodem libro, Victoriæ lib. 1. Antiquit. Dionyſius, Laciniæ infrà Virgilius, Apollinis ſuprà in hoc libro. De incerto templo Ammianus lib. 24. *templum alti culminis arci vidimus ſuperpoſitum.* Ex hoc more ingens illa promiſſio Tydei ad Palladem apud Statium lib. 2.

Ædis etymon.

Aurea tunc mediis vrbis tibi templa dicabo
Collibus, Ionias quà deſpectare procellas
Dulce ſit.

Huic mori, quem aperui, adnexus alius Perſarum, qui cùm templis carerent, tamen ſuis Diis faciebant ſacra in locis editis. Sed hoc iam Briſſon. ex Strabone, Xenophonte, Herodoto, in libello aureo de Regno Perſico. Inde in ſacris litteris dicuntur ἱερεῖς τῶν ὑψηλῶν: *ſacerdotes excelſorum.* Cyrillus in Oſeam. ἔθυον γὰρ βυνῦς τε, καὶ ὄρη καταλαμϐάνοντες: *ſacrificabant enim colles & montes conſcendentes.*

11. Portvs ab Eoo, &c.] Adduxi ſententiam, hîc ſi quid dignum ad illuſtrationem. Vt hic *portus curuatus in arcum*, ſic Salluſt. in lib. Hiſt. loquens de Ponto: *ſpeciem efficit Scythici arcus.* Plinius lib. 4. cap. 12. de Ponto Euxino: *Magno littorum flexu, retro curuatus in cornu, ab his vtrinque porrigitur, vt ſit planè arcus Scythici forma.* De eodem iterum: *Scythici arcus formam efficit*, & lib. 6. cap. 13. de mare Caſpio: *vbi cœpit in latitudinem pandi lunatis obliquatur cornibus, velut ad Mæotin lacum ab ore diſcedens Scythici arcus, vt auctor eſt M. Varro, ſimilitudine.* Ammianus lib. 22. deſcribens extima Thraciarum, ſitúmque Pontici ſinus, ita ait: *in ſpeciem Scythici arcus neruo coagmentati geographiæ totius aſſenſione formatur.* Non abit ſimilis poſitura Thucydidis lib. 7. qui, vbi meminit loci maritimi, in quo eſſent naues, ait illum fuiſſe curuatum in ſpeciem Lunæ, χωρεὶς μηνοειδῆς. Pergo ad alia huius deſcriptionis. vt Noſter,

Arcus forma multis in portubus.

—ſalſa ſpumant aſpergine cautes,

Ennius in Andromeda:

—maria ſalſa ſpumant ſanguine.

Statius. 7. Theb.

—dirâque aſpergine latos
Mutat agros.

Tertull. de Pœnit. *aſperginem vnam aquæ.* vt hic *brachia* de portu, ſic Propertius lib. 3.

Brachia de portu.

Inde vbi Pirei capient me littora portus,
Scandam ego Theſeæ brachia longa viæ.

Et Herodotus lib. 1. τεῖχος ἑκάτερον τοὺς ἀγκῶνας εἰς τὸν ποταμὸν ἐλήλαται: *vterque murus exporrigit lacertos ad flumen.* Hirtius in bell. Hiſpanienſ. *brachia* dixit in ædificiis: *Cæſar munitionibus Ateguam oppugnare, & brachia circumducere cœpit.* Non diſſimile illud Xenoph. 5. ἀναϐ. qui in deſcriptione portus, αὐχὴν, ceruix. vt hîc forma illa cautium obiectarum, & ſcopulorum inſtar turrium, ſic. 1. Æn.

Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminíque minantur
In cælum ſcopuli.

vt hîc vndæ illiduntur franguntúrque; ſic ibi,

Inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.

vt demum hîc *latens portus ſub cautibus*, ſic ibi

—quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent.

Sed roget tandem aliquis, vbi hic portus Italiæ à Poëta deſcriptus? Seruius P. Dan. Calabriam accipit,

cipit, & templum illud conditum ait fuisse ab Idomeneo. Hortensius, portum Salentinum in Iapygia.

12. SPVMANT ASPERGINE CAVTES.] Dixit breuiter, quod multis Nazianzen. Orat. 28. Κύματα ταῖς γείτοσι πέτραις προσαράττοντα καὶ ἀποκρουόμενα εἰς ἄχνην ἀφρώδη καὶ ψιλὴν ἐσκορπίζετο: *Impingebant fluctus in vicina saxa, atque inde repulsi in spumosam ac tenuem asperginem dilabebantur.*

A 13. REFVGITQVE A LITTORE TEMPLVM] Templum quod intuentibus à longinquo in portu esse videbatur, cùm iam propius accedunt, longinquum est: hæc est enim natura, aut longius aut propius intuentium. Tale illud,

——terræq; vrbésque recedunt.

Et Prop. lib. 4. obseruatore Germ.

Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ.

[a] Quattuor hîc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum latè, candore niuali.
Et pater Anchises: Bellum ô terra hospita portas,
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.
[b] Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre;
Spes est pacis, ait [c]. tum Numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ouantes:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptisq; Heleni, dederat quæ maxima, rite
Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores.
[d] Haud mora, continuò perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obuertimus antennarum:
Graiugenûmque domos, suspectáque linquimus arua.

ARGVMENTVM.

A visis equis omen sumitur belli futuri, & secuturæ pacis. Precantur Palladem, sacra faciunt Iunoni: illam, quia ad eius littus appulerunt; huic, quia Argiua; & velato capite ex ritu. His perfectis soluunt inde Græcorum metu.

EXPLICATIO.

a. PRæbuit bellicosum animal omen futuri belli. Ait *omen* rectè. Nam hoc ex re subita accipiebatur, & veteres quidem admodum superstitiosè omnia vertebant in omen. Accipe *gramen* pro quocunque pastu, ex vsu poëtarum. Cùm ait *latè*, intellige equos palabundos. Dat Anchisæ iam seni peritiam augurandi, ex magno decoro. Est *terra hospita*, quæ nos hospitio excipit, quasi dicat. Bellone hospites tuos excipis? Signatè *minantur*, nam in auguriis *minæ Deorum* frequentissimæ, non minùs, ac iræ. C

b Eludit statim atrocitatem ominis, vertítque in melius, & bello pacem comparandam declarat. Quia videlicet hoc animal iugale est, ac perinde pacificum. Dictum *curru succedere*, pro, currui.

c Conuertunt se statim ad preces, precantúrque Palladem, nam is locus, ad quem appulerant, huic Deæ erat sacer. Est hîc *ouantes*, plenos gaudij & lætabundos, veluti parta victoria. Statim rem sacram ex præceptis Heleni, & rite facturi, velant capita *amictu Phrygio*, qui amictus purpureus erat, nam suprà,

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Sacra hæc fiunt in honorem Iunonis, vt idem Helenus non semel monuerat. Imo præceptum hoc fuerat omnium maximum. & *Argiuæ*, vt putaret ea, se ab Troianis coli etiam Argiuis fauentem, & inde iras poneret illorum pietate prospecta.

d Perfectis omnibus ex *ordine*, id est, rite, inde abeunt ex præcepto eiusdem Heleni, qui dixerat,

B *Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Graijs.*

Ita verò hîc obuertuntur antennæ ad futuram nauigationem, vt in 6. *obuertunt pelago proras.* Est antenna, quæ velum sustinet, inde eo quasi obuoluta est, quare hîc *velatæ antennæ.* Difficultatem rei gerendæ ipso versu expressit, imò superauit: difficiliùs enim quàm antennæ mouentur, currit hic versus,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

NOTÆ.

1. QVATTVOR HIC, &c.] Pendet hoc ex Homeri imitatione Odyss. 11.

Βοσκομένας δ' εὕρητε βόας, καὶ ἴφια μῆλα
Ἠελίου, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει:
Pascentes autem inuenietis boues, & pinguia pecora
Solis, qui omnia videt, & omnia audit, &c.

C Dicuntur hæc ad Vlyssem Tiresiæ ore. Tale quiddam apud Apollon. lib. 4. Arg. vbi Argonautis monstrum apparet, videlicet,

Ἐξ ἁλὸς ἤπειρόνδε πελώριος ἄνθορεν ἵππος
Ἀμφιλαφής, χρυσέῃσι μετήορος αὐχένα χαίταις:
Ex salo in continentem immanis exsiluit equus,
Peramplus, ceruice sublimis, aureis iubis.

Et quidem equum aptum esse, vt ex illo capiatur omen, satis liquidum ex versu onirocritico (Astrampsychi esse putant) isto, Equus ad omina.

Πῶλον βλέπειν τρέχοντα, μυστικὸν τόδε:
Pullum equinum currentem videre, arcanum quiddã est.

2. EQVOS IN GRAMINE VIDI] Videtur Maro morem attingere, & indicare hos equos fuisse D Deo alicui sacros, & credo Palladi. Primum hoc postulat imitatio Homeri, quam adduxi, qui boues illos sacros fuisse dicit Soli. Deinde color niueus, tales enim equi Diis sacrabantur, vt optimi: Philostratus quidem lib. 1. Icon. ait boues quasdam ὑπὲρ χιόνα λευκάς, *supra niuem candidas*, sacratas esse Apollini: imò addit sacratas, quia essent candidæ. Tertiò, quia illis visis, non templo tantùm, videntur Troiani admoniti fuisse

fuisse Palladis. Quartò, quia animalia sacra, ἄφετα, id est, demissa, dicebatur; atqui hîc nulla mentio custodis. Ita Philostratus in dicto loco, vt sacras dicat esse illas boues, exprimit voce, ἀνεῖται. Quintò demum, quia quæ sacra erant Diis, illæsa erant, nulla vis illis adhibebatur; atqui hîc nullius iniuriæ, aut vis mentio est, & credibile procul dubio milites in gregem equorum ruituros, nisi abstinuissent, religione Numinis, cui sacri equi illi. vtcunque mos certus est. Papin. lib. 7. cùm scribit:

Animalia Diis sacra.

Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite iugum belli quondam vastator Eoi
Currus Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber, in Aonios meritas demiserat agros.

Ad ritum hunc pertinent verba hæc Petron. in Satyr. *Vix ad casæ ostiolum processeram, cùm ecce tres anseres sacri, qui, vt puto, medio die solebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt, fœdóque ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem.* Demum superstitionis huius monimenta plurima, apud Herodot. in Calliop. de quibus sacris Soli: Auctorem hymni in Mercurium: Dictyn, lib. 1. Bell. Troiani, de Agamemnone, qui imprudens interfecit capream in luco Dianæ. Philostratum lib. 1. Icon. bis, semel vbi loquitur de fœtibus Mercurij, iterum vbi de venatione suum: Plutarchum de solertia animalium, vbi ait, mulum quendam propter ætatem adeptum vacationem: Suetonium in Iulio. Dignus est verò mos, quem scias. Animalibus sacris cuipiam Deo, nomen illius Dei Deæue inscribebatur, cui illa sacrabantur. Hic mos elici ex Pindaro potest Od. 3. Olym. nam Taygeta Nympha cùm dedicasset Dianæ auricornem ceruam, inscripsit, *sacram.* Verba sunt hæc non suo ordine, sed hinc inde conuulsa, χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν Ταϋγέτα ἀντιθεῖσα Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν, ἱράν: *auricornem ceruam fœminam Taygeta Dianæ dedicans, scripsit, sacram.* Sed apertissimè morem Philostratus lib. 2. de vita Apollonij aperit cap. 1. his verbis: *Accepi etiam in Pamphylia Pantheram captam fuisse, aureum torquẽ circa collum habentem, Armenijs literis huiusmodi inscriptum:* REX ARSACES DEO NISÆO. *regnabat autem temporibus illis in Armenia Arsaces, is, vt opinor, feram eximiã præ ceteris magnitudine Baccho sacrauit.* Demum Pausan. in Arcad. *ceruam vidisse dicitur, ei, quam Dominam nominant, Deæ sacram, confectam iam ætate cum torque, in quo incisæ erant litteræ: Hinnulus excipior soluente Agapenore Troiam.* Prædictis moribus annexus alius. Non solùm sacrabantur Diis animalia, sed loca quædam agrorum, destinata pascendis sacris feris. Clarè Plutarchus in Quæstionib. Naturalib. loquens de loco iuxta Siciliæ Ætnam. καὶ διὰ τοῦτο τιμῶντες, καὶ σεβόμενοι τὸ χωρίον ὡς ἄσυλον, οὐκ ἐπιτίθενται τοῖς ἐκεῖ νεμομένοις: *Ideoq́ illum locum colunt, & venerantur tanquam asylum, vbi non fiunt insidiæ pascentibus ibi animalibus.*

Animalibus sacris inscribebatur nomẽ Dei, cui sacra.

Animalium sacrorum loca.

3. ET PATER ANCHISES] Aiunt augurandi scientiam datam Anchisæ à Venere, cùm is cum Dea concubuit. Nam Ennius. 1. Annal.

Anchises augur.

Atque Anchises doctus, Venus quem pulchra Dearum
Fari donauit, diuinum pectus habere.

Næuius quoque lib. 3. bell. Punic. augurandi artem dat Anchisæ:

Postquam auim adspexit
Templo Anchises, sacra in
Mensa Penatium ordine
Ponuntur: immolabat
Auream victimam pulchram.

4. BELLVM Ô TERRA HOSPITA PORTAS] Ad symbolicam significationem belli repræsentati in equis pertinet, Crœsum apud Herodot. in Clion. portentum vidisse, nimirum suburbana omnia serpentibus oppleri, qui mox ab equis deuorarentur. Accepit ille è coniectoribus responsum, ὄφιν εἶναι γῆς παῖδα, ἵππον δὲ πολέμιον εἶναι: *colubrum terræ filium esse; equum hostem.* Lucretius quoque lib. 2. equorum prolem vocat *duellicam.* & Propertius lib. 4. eleg. 4.

Equi bellum indicant.

Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Statius lib. 7. Theb. de equis loquens, *pecus vtile bellis.* Silius lib. 2. *Bellatoris equi,* ad idem spectat illud Plutarch. ἐν Ῥωμ. quærentis, cur equus Marti immolaretur, ὅτι θυμοειδὲς, καὶ πολεμικὸν, καὶ Ἀρήϊον ὁ ἵππος ἐστί: *quia equus acer est, hosticus, Martius.* Obseruarunt iam hæc ante nos alij, sed quæ hîc omittenda non fuerunt, & in quæ verè nos incideramus nullo indicante. Horatius quoque Od. 3. lib. 3. equos Martis esse dixit, & ad Pisones, *equum certamine primum.* Inde Vopiscus in Probo, vt summam fore pacem declaret, rem ita commutat: *equus nascetur ad pacem, nulla erunt bella.*

5. SED TAMEN IIDEM OLIM CVRRV, &c.] Ad versus Poëtæ pertinet, in sacris symbolis effingi solitum frænatum equum, ad significandum hominem ferocitate exultantem, sed eundem tamen rationi obsequentem. Inde etiam apud Cic. in Offic. est, homines secundis rebus elatos debere duci in gyrum rationis, & doctrinæ; non aliter ac equi ferocientes domitoribus traduntur, vt faciliores deinde sint. Sed eget hic locus maiore luce. Certè equis & frenatis & iugo illigatis ad militares currus Romani vtebantur, & hi quoque equi erant omnino bellatores, acres, feruidi: &, tales nisi essent, repudiabantur. Id certissimum est, & facilè colliges ex versibus, qui habentur lib. 3. Georg.

Equorum significatio.

Nonne vides, cùm præcipiti certamine campum
Corripuêre, ruúntq́ effusi carcere currus.

Quibus & sequentibus versibus, qui multi, describuntur equi admodum militares, & feroces. Idem colliges ex versibus illis eiusdem libri,

Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

vide ibi, quæ ego de essedis Belgicis. Demum eodem libro notatũ mihi est testimoniis Symmachi, & aliorum, equos, qui apti ad militares currus, debere esse acres & feroces. Cùm hoc ita sit, cur Poëta pacem rimatur ab equis, cùm succedunt currui, & iugo militari, cùm isti pari ferocia cum aliis sint? Imo heroicis temporibus, vt plurimum, bellatum est curribus, vt patet ex tota Iliade, ex tota Æneide. His adductus puto aliam esse mentem Poëtæ. Vt dicat, militares equos signum esse belli: aratores, pacis. Est enim equus vtrique rei aptus, & bello & aratro. Ergo ait Anchises, cùm equi iugum etiam ferant colendæ terræ, spes est pacis. Etenim agricultura semper floret florente pace, deseritur vigente bello. Tullius pro Lege Manil. *Cùm hostium copiæ non longè absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur.* Ad sententiam, quam explicui, trahi potest locus lib. 1. Æn. vbi equi caput signat, gentem Carthaginis fore & *bello egregiam, & facilem victu.* Sunt enim multi, qui ibi intelligunt εὐφορίαν ex viso equo, ac terræ fertilitatem. Facit etiam Votum M. Catonis cap. 141. de re Rustica, vbi loquens de lustratione agrorum, preces dirigit ad Martem Deum bellorum, vt is vastitudinem, calamitates, intemperies ab agris prohibessit, defendat, auerruncet.

6. CVRRV SVCCEDERE SVETI] Adduxi iam in Georgicis auctores, qui de hac re. Hîc adiungo Aristidem orat. ad Mineruam, qui gloriam iunctorum ad currum equorum Erichthonio attribuit.

7. SPES

7. Spes est pacis] Cur ſpes pacis? non ſolùm quia hoc animal iugale eſt, hanc enim rationem clarè proponit Poëta: ſed etiam, quia de his equis dixerat, eſſe illos *candore niuali*, & hanc tantùm indicat. Pertinent ad hoc verſus Onirocritici iſti,

ἵππους μελαίνας, οὐ καλὸν πάντως βλέπειν·
ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις, ἀγγέλων φάσις·

Eſt ominoſa res atros videre equos:
Albos equos videre, fauſtus nuntius.

Ferunt quippe equos nigros difficiliùs frænos accipere, & domari, quàm candidos. Sed res iſta appeller ſuos magiſtros. Certè Goropius in Saxonicis ait: Saxones, priuſquam à Carolo Magno vincerentur, geſtaſſe pro inſigni equum nigrum: eoſdem iam victos commutaſſe inſigne hoc, in equum candidum.

8. Palladis armisonæ] Cicero ad Equit. *Tritonia armipotens.*

9. Et capita ante aras velamur] Apud Herodotum lib. 6. quidam ſacra facturus, immolatu- rúſque Ioui bouem, inducitur κατακαλυψάμενος, *velatus*. qui locus notandus contra illos, qui volunt hunc morem, tantùm fuiſſe Romanum. Scio eludi poſſe Herodoti verba. Præſertim ſi audiatur Scholiaſtes Pindari, cuius hæc ſunt, δίχα τινὸς ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματος· οὕτω γὰρ ἔθος ἦν θύειν: *Sine vllo tegumento in capite, hic enim mos ſacrorum.* Sed de Romano more duo ſunt teſtimonia Liuij. Primum lib. 10. vbi loquẽs de augure, ait, *capite velato victimam cædat, auguriumq́ ex arce capiat.* Alterum lib. 1. *Augur capite velato ſedem cepit, dextera manu baculum ſine modo aduncum tenens, quem lituum appellauerunt.*

Operto capite fiebant ſacra.

10. Amictu] Amictum hunc *Tutulum* dici Fulgentius eſt auctor: erat autem pallium, quo ſacerdotes acceſſuri ad ſacra, caput tegebant tutabantúrque, vnde & vocabulum. Adducit hoc Turn. lib. 26. cap. 10. idem ſentit Germ. & Adrianus Iunius. Addítque poſtremus eundem eſſe, quem hoc verſu Poëta vocat *amictum Phrygium*. Addas his non vulgarem eruditionem Magij. 1. Miſcell. cap. 14. qui à tutulo titulum deriuat; nam præterquam quòd tutulus erat amictus ſacrificantium, erat etiam ornamentum capitis flaminicarum, in altitudinem exſtructum: fiebat autem ex vitta purpurea innexa crinibus, cuius rei auctor Feſtus. *Quia ergo* (inquit Magius) *inſcriptiones librorum capitibus fiebant, non ſine ornamentis, & rubro colore, dictæ ſunt tituli, quaſi tutuli, à ſimilitudine ornamenti capitis flaminicarum.* Firmat illo Ouid.

Amictus. Tutulus.

Titulus librorum vnde dictus.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

& Martial. *Raſum pumice, purpuráque cultum.* Pugnat hoc etymum cum Marino Becichemo Epiſtolicarum quæſtionum Cent. 1. cap. 49. qui ait, titulum dictum, quaſi tutulum, quod factum, nomen, & memoriam tueatur auctoris: idem ſcripſit Alciatus. Magij ſententiam tuetur Dalecampius in Plinium. Idem video ſenſiſſe Maiorem Scaligerum lib. 1. Poëtic. cap. 9. vbi ait: *Titulus eſt inſcriptio nominis, non à tutando, vt aiebat Varro, ſed παρὰ τὸ τίειν. honor enim & titulus idem, nomen dico tam auctoris quàm fabulæ.*

11. Iunoni Argivæ] Iunonem Argis coli ſolitam præcipuo honore notius eſt quàm egeat explicatione, dictum aliquid. 1. Æn. ad illud,

Iuno Argiua.

—pro charis geſſerat Argis.

Et Pindarus quoque Nem. vocat:

Ἄργος Ἥρας δῶμα θεοπρεπές:
Argos Iunonis dignam ædem.

Antiqua inſcriptio in Tibure: IVNONI. ARGEIÆ. C. BLONDVS. PROCOS. Vide etiam Oden. 7. lib. 1. Horatij, & ibi interpretes.

12. Cornva] Vtrinque in antenna extremitates ſunt, dictæ ἀκροκέραια, à Latinis *cornua*. Tertull. lib. 3. aduerſus Marcion. *Nam in antenna, quæ crucis pars eſt, extremitates cornua vocantur.* Quin & in Gloſſis pro tota antenna inuenies, in quibus, κέρας πλοίου, *antenna*. Inde & antennæ *ceruchi* quoque dicuntur, quòd cornua habeant; meminêre Lucanus, & Valerius Flaccus. Poſterior, quæ alij cornua, vocauit brachia,

Cornua antennarum.

Pallida velifero quærentem brachia malo.

Sermo hic cornuum ad rem nauticam, ſed alia ratione, pertinet. Dicuntur enim naues diſponi in cornua. ἀνάγων ἐπὶ κέρας τὰς νέας, dixit Herodotus lib. 6. Antennarum partes tres facit Pollux lib. 1. illa, quæ hærent malo, ſunt in medio, dicuntur ἄμβολα, ſiue σύμβολα: partes, quæ vtrinque continent, ἀγκύλαι: extrema hinc inde, ἀκροκέραια.

[a] Hinc ſinus Herculei (ſi vera eſt fama) Tarenti
Cernitur, attollit ſe diua Lacinia contra,
Caulonisq; arces, & nauifragum Scylacæum.
[b] Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:
Et gemitum ingentem pelagi, pulſataq; ſaxa
Audimus longè, fractaſq; ad littora voces:
Exultantq; vada, atque æſtu miſcentur arenæ.
[c] Et pater Anchiſes, nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.
[d] Eripite ô ſocij, pariterq; inſurgite remis.
Haud minùs ac iuſſi faciunt: primuſq; rudentem
Contorſit læuas proram Palinurus ad vndas.
Læuam cuncta cohors remis ventíſque petiuit.
[e] Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad Manes imos deſcendimus vnda.
Ter ſcopuli clamorem inter caua ſaxa dedere:
Ter ſpumam eliſam, & rorantia vidimus aſtra.

ARGVMENTVM.

Apparent inde Tarentum, Iunonis Laciniæ templum, Caulo, Scylacæus, Ætna, Charybdis, Scylla: De extremis duabus fit à Poëta mentio copiosior.

EXPLICATIO.

a NArrat, quæ viderint Troiani in traiectu illo. Cernunt sinum Tarentinum, templum Iunonis Laciniæ, Caulonem. Lege de hoc Plinium, Strabonem, Melam. Cernunt Scylacæum, quod in ora Calabriæ, coniunctúmque cum Caulone. Hîc tu adnota, nihil relictum absque ornatu, quo nominum duritas temperetur. Vulgaris Poëta nihil hoc curans coniungeret plura nomina consertim & insipidè, quibus aures verberaret. Poëta ita conuestit, vt mirè exornet. Tarentum vocat Herculeum, dubius an ita debeat, & relinquit famæ: templum Iunonis exornat, tum quod in edito loco, tum quod situm è regione Tarenti: noluit simpliciter Caulonem, sed arces Caulonis: noluit tantùm Scylacæum, nisi adderet, nauifragum.

b Hic locus, & quæ sequuntur omnia, à nemine, quod sciam, perpensa sunt. Soleo dicere hunc esse vnum è difficillimis locis Virgilij, sed hoc potiùs incuria interpretum, quàm re ipsa. Sed iam ad rem. Aduertat diligens Virgilij lector, solere illum, cùm ad narrationem aliquam se accingit, priùs veluti semina breuiter iacere, mox recurrere ad narrationem latè explicandam. Id obseruauit Iulius Scal. id nos sæpissimè, id omnes sciunt, id indicat locus, in quo nunc sum. Cernitur è fluctibus Ætna mons, qui est in Sicilia: auditur ingens gemitus pelagi, saxa pulsata, fractæ voces ad littora; est hæc, ô lector, Scylla: exultant vada, arenæ æstu magno miscentur; hæc iam Charybdis est. Quippe notæ illæ saxorum sonantium, scopulorum, ac vocum, ducunt nos ad Scyllam; æstus, vada, arenæ, ad Charybdin. Itaque cùm Ætnam clarè posuisset, noluit Scyllam, & Charybdin, sed per notas. En iacta semina narrationis.

c Sequitur iam post semina explicatio lata, sed inuerso ordine. incipit quippe à Charybdi, & Scylla, hæc duo iunctim exhibens, in fine perueniet ad Ætnam. Sed explico iam duos versus, in quo nunc sum hunc in modum, repetens superiora, vt clarè teneas. Audimus gemitum pelagi, saxa pulsata, voces fractas, id est, Scyllam: videmus vada exultantia, æstum pelagi, id est, Charybdin. Post quæ Anchises. Hæc posterior, quæ vadis exultat, Charybdis est: illa prior, vbi scopuli & saxa, Scylla est. hos enim nobis scopulos canebat Helenus, hæc saxa. vbi nam cecinit? Audi;

Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.

Sonitus enim & clamor nota est Scyllæ; Charybdis tantùm vomitus, sorbitio, eructatio, æstus arenæ.

d Cùm se videant prope Scyllam, & Charybdin, flectunt ad læuam ex monitu Heleni, vt insulam circumeant, & effugiant vtrunque monstrum. Hîc tu nota celeritatem, qua omnia fiunt puncto temporis. Nam & Anchisæ sermoni verbum adimitur, non enim est, ait, dixit, aut simile: sed, vt in re subita, & quæ eget festinationis, *eripite*, in quo est imperium: & *socij*, vbi exhortatio petamica, & beneuola: & *insurgite remis*, quibus statuit, qui debeant eripere. Vix hoc dicto, iussa omnes faciunt, velis remísque incumbunt, dextram linquunt, læuam petunt: in quibus enitescit opera Palinuri. Per *proram rudentem* intellige sonantem stridentémque.

A e Similes hîc tenebræ, atque in superioribus, nisi discrimines, vti nos suprà. Ergo, cùm ad læuam tenderent, vt Scyllam Charybdínque fugerent, quæ erant in dextra, non poterunt omnino pericula illa euitare: nam pars ea maris tota est intractabilis ex vicinitate Scyllæ & Charybdis. Itaque ait: Experimur vtrunque malum Charybdis & Scyllæ. Charybdis, nam in cælum tollimur eructante illa nos; & ad manes & imum descendimus, subducente se atque aperiente aqua: Scyllæ, nam auditus à nobis clamor inter saxa, & scopulos, visa est spuma elisa, & rorantia astra. Itaque duo primi versus ad Charybdin pertinent; qui sequuntur duo ad Scyllam. Si quis istam in explicando longitudinem damnauerit, videat nos omnibus scribere. Et quidem hic locus fortasse fugit B doctos non paucos.

NOTÆ.

1. SI VERA EST FAMA] Id quod de fama interponit, annectendum cum Tarento Herculeo, perinde: hinc cernitur Tarentum Herculeum, si vera est fama, asserens, Tarentum esse Herculeum. Quare hoc? Scribit Aristoteles in naturæ miraculis Tarentum dictam Heracleam ab Hercule, qui Tarentinos bello domitos in potestatem redegit, & quia nouerat Maro, hoc, vt fabulosum, inter illa quæ fidem non capiunt, Aristotelem coniecisse, consultò interponit parenthesin. Sic explicat hunc locum C Eryt. & Iunius lib. 1. Animad. cap. 9. doctíque alij. Nam hic mos Poëtæ (alibi obseruaui) vt quoties de incertis dubitet, ait Seru. famam faciat auctorem. Quàm verò fabulosa sint, quæ de Tarento scribuntur, indicant multa quæ adducit Seru. Pet. Danielis: & quæ prolixè admodum Hottensius. Adi. Hinc possis adagij formam elicere *Tarentinæ fabulæ* de re mendacissima. *Tarenti fabulæ.*

2. DIVA LACINIA] Iunonem explicui, quæ dicta est Lacinia. eius item templum, Lacinium: celeberrimum omni antiquitate. Strabo lib. 6. τὸ Λακίνιον Ἥρας ἱερὸν πλούσιον ποτὲ ὑπάρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστόν: id est, *Lacinium Iunonis templum, superiore ætate locupletißimum, donísque frequentißimis plenum.* Inde illud Valerij Max. lib. 1. cap. 2. *Quintus autem Fuluius* D *Flaccus impune non tulit, quòd in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ faciebat, transtulit.* tanta erat templi huius religio. Accessit miraculum, quod lib. 2. scribit Plinius. nam in huius templi ara, quæ sub dio erat, cinis immobilis fuit, ventis vndique perflantibus. Inde Liuius lib. 24. *nobile templum Laciniæ Iunonis, sanctum omnibus circa populis.* Plinius lib. 35. cap. 9. scribit, tabulam illam egregiam, quam depinxit Zeuxis, quinque virginibus nudis inspectis, vt quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet, eo consilio factam ab Agrigentinis, & demandatam Zeuxidi, vt eam in templo Iunonis Laciniæ publicè dicarent. Sed Cicero lib. 2. de inuentione, factum id esse scribit à Crotoniatis, non ab Agrigentinis. Videtur autem Ciceronianum verosimilius, nam Strabo vbi sup. fere E proximos facit Crotoniatas Laciniæ Iunonis templo, ternis tantùm promontoriis Iapygum interpositis. Credibile est autem à proximis vrbibus susceptam fuisse eam curam Iunonis templi ornandi. Dionys. quoque ἐν περ. apertè constituit Λακινιάδος δόμον Ἥρης, *templum Iunonis Laciniæ*, in agro vrbis Κρότωνος, *Crotonis.* Ceterùm templum hoc dictum sic est à conditore Lacinio, vel à latrone Lacinio, quem interfecit Hercules, & inibi templum condidit, de qua re vide *Iuno Lacinia.* *Cicero defenditur contra Plinium.*

Seruium

Seruium. Lacinij templi meminit quoque Athen. lib.12.

3. NAVIFRAGVM] Sic legendum vult Turn. auctoritate Papinij, quem ait fuisse imitatorem Virgilij:

Proram nauifragis auidam concurrere saxis.

cui addo Auson. in Ephem.

Per mare nauifragum gradior pedes.

4. SCYLACÆVM] Sunt qui putent legendum Scyllæum, à Scylla. Sed verius est cum simplici, l, scribendam, & omnino corripi præcedentem vocalem. Respexit Poëta ad Scylacæum oppidum in ora Calabriæ, quod colligi ex Strabone potest lib. 6. Geograp. qui prope cum versu Maronis consentiês, illius infert mentionem simul cum Caulone. Scriptoris hæc sunt. *Post Sagram Caulonia extat, priùs Aulonia, quasi Vallonia à vicina conualle nominata, ab Achiuis ædificata, nunc autem vacua est; qui enim eam habitant, è Sicilia à barbaris eiecti illam ædificauêre Caulonian. Post hanc Sylletium Atheniensium colonia, eorum, Mnestei comites fuere, hoc tempore Scylatium vocatur. Tenentibus autem Crotoniatis; Dionysius Locris terminum statuit, ab vrbéque sinus ipse Scylaticus nomen accepit.* Scylacij, & Scyletij Plin. meminit lib.3.cap.10.

Scylacæum.

5. TRINACRIA] Id est, Ætna Sicula. Siciliam enim Trinactiam dictam à tribus ἄκροις, id est, promontoriis, sciunt omnes; Lilybæo, Pachino, Peloro. Ouid. 4. Fast.

Siciliæ promontoria tria.

Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor
Trinacris à positu nomen adepta loci.

Claudian. de consul. Mallij *Trifidam* dixit. Latini *Triquetram*. Græci τρίδειρον, quasi Tricollarem. & Orpheus in Arg. νῆσον τριγλώχινα, *insulam tricuspidem*. Strabo lib.6. ad angulos decurrit, Σικελία τρίγωνος τῷ σχήματι. Oppian. 1. Cyneg. ὄρος τρικάρηνον: *montem tricipitem*. alij τρικέφαλον, à tribus capitibus. Ouid. 13. Met. promontoria hæc *linguas* vocat, cùm ait:

Sicaniam, tribus hæc excurrit in æquora linguis.

Itaque eius forma effigiem habet litteræ. Δ. vnde & Auson. in Epig. *Triquetro coactu* Δ *litteram ducit.* & Pompon. Mela lib.2.cap.7. *ipsa ingens & tribus promontorijs in diuersa procurrens, Græcæ litteræ imaginem, quæ Delta dicitur, efficit.* Ita decurrant Poëtæ in nominanda Sicilia ad trina promontoria, scopulos, colla, cuspides, capita, angulos, linguas, demum ad Δ litteram. Horum promontoriorum Græci meminêre Polybius, Diodorus, Strabo, Dionysius, Stephanus: Latini, Mela, Marcianus, Plinius, Solinus, Claudianus. Ex quibus discas non solùm in recto scribi Pelorum, Pachynum (subaudita videlicet voce promontoriũ) sed etiam Pelorus, Pachynus. Compleo notitiam notis duabus. Prima est, dictam Siciliam, Trinacriam, non solùm à tribus ἄκροις, sed etiam iuxta alios, à Rege eius insulæ, quod scribit Eustathius in Dionys. adducítque verba hæc Sibyllæ: Ἣν ἔκτισε Τρίνακος ἥρως υἱὸς τοῦ Ποσειδῶνος: *Quam condidit Trinacus Neptuni filius maripotentis.* Auctam vrbibus intellige. Eiusdem rei meminit Scholiastes Apollonij lib. 4. Arg. Altera est, scribi ab Strabone, olim dictam Trinacriam, postea autem Trinacrin. Nam hoc nomen, ait ille, εὐφωνότερον, *consonantius est*. Lege etiam de hac re Græcas commentationes Biseti in Irenam Aristophaniam.

Sicilia cur dicta Trinacria.

6. PVLSATAQVE SAXA] Explicatio, quam adhibui, tota pendet ex nota auctorum, qui semper Scyllam signant per scopulum, saxum, petram, rupem; item per sonitus, latratus, clamorem, voces. Hanc rem ita firmo. Homerus Odyss. 12. Σκύλλη δ' ἐνὶ λελακυῖα: *Scylla inhabitat grauiter vociferans.* iterum de eadem τῆς φωνῆς. Strabo lib. 6. σκύλλαιον πέτρα ὑψηλή. *Scyllæum, saxum sublime.* Poëta etiam illi, humanam vocem dedit, pectus virginis: ex qua allusione, nunc voces, & gemitum, quæ humana sunt. Deinde nota vocem *saxa*, qua omnino allusio fit ad Scyllam, non ad Charybdin: nam sup. Scyllæ *speluncam* attribuit. & Homerus de eadem, Odyss. 12. σπέος κοίλοιο· *caua spelunca*. & iterum de sociis ibi assumptis.

Scyllæ nota.

—ἀσπαίροντες ἀείροντο ποτὶ πέτρας·
—palpitantes tollebantur ad petras.

iterum.

Σκύλλης σκοπέλῳ πεπλημένος·
Scyllæ scopulo [illegible] *nauigans.*

Hoc & Seruius vidit, nam inf. ad illud, *hæc saxa horrenda canebat*, ait: *pro Scylla saxa dicit horrenda.* Seneca Trag. in Thyest.

Scylla pulsatis resonat cauernis.

B itaque lector, quoties est mentio saxorum, scopulorum, rupium, speluncæ, gemitus, clamoris, sonitus, referendum est ad Scyllam, non ad Charybdin, ex frequentissima auctorum vsurpatione. Quin Pompon. Mela lib.2.cap. sic clarissimè:

Scylla saxum est, Charybdis mare.

& Plinius lib. 3. c. 8. *In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis mare vorticosum, ambo clara sæuitia.* Hoc idem affirmant, qui ea maria præternauigarunt. Et quidem in descriptione Ortel. vbi Scylla est, reperies *Scoglio*: vbi Charybdis, nihil: nam tantùm est vortex quidam æstúsque maris, naues absorbens. Vnde nescias, cur Euripides in Troad. Charybdi dederit petram. testimonium infrà adduco ad rem aliam.

7. EXVLTANTQVE VADA] Continet hic versus notas Charybdis. Vt hîc *vada exultant*, ita suprà de eadem, *erigit fluctus sub auras*, & infrà, *tollimur gurgite in cælum*. Ista etiam mistio arenarum in æstu, nihil est aliud, quàm feruor ille, sorbitióque toties celebrata de Charybdi. De hoc monstro Euripides in Troadibus,

Charybdis nota.

C

στενὸν δίαυλον ᾤκισαι πέτρας
δεινὴ Χάρυβδις.

Habitat fretum reciprocum petræ Charybdis formidanda. Demum hîc me errare non sinit Seruius, qui sic: *æstu miscentur arenæ: descripsit loca Charybdi vicina.* Neque Strabo, qui lib.6. dat Charybdi βάθος, συστροφὴν, δίνην: *profunditatem, circumductiones, vortices.* integer locus Latinè sic habet: *Ante vrbem paululum in traiectu Charybdis ostenditur, profundum quidem immensum, quo inundationes freti mirum in modum nauigia detrahunt, magnas per circumductiones & vortices præcipitata.* Nihil signatius ad loca omnia, in quibus Virgilius meminit Charybdis. Nam suprà,

D

— imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum.

Hîc,

Vada exultantia, mistio arenarum cum æstu.

Infrà:

Subducta ad manes imos descendimus vnda.

Petrus Apollonius lib. 4. Excid.

—vada cæca Charybdis.

Itaque lector, si qui auctores Charybdi dant sonitus, saxa, scopulos, latratus, & similia, insigniter errant. E Pertinet etiam insigniter ad plenam huius rei notitiam Nota illa, quam iam suprà dedi, ad verbum, *sorbet*.

8. HAVD MINVS AC IVSSI FACIVNT] Ita suprà in hoc lib.

Haud secus ac iussi faciunt.

hæc enim coniunctio, *secus ac: minùs ac.* veteribus fuit elegantissima.

9. TOLLIMVR IN CÆLVM] Explicui hos duos versus de Charybdi. Ita verè est, vel ex sententia Tibulli

bulli lib. 4. qui clarè Charybdin posuit, alludens ad versus Maronis.

Non violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.

Ceterùm sententiam Virgilij de nauibus iam sublatis in altum, iam in imum depressis, quis non attigit Poëtarum, gloriam inde quærens? Sed quis venire in certamen cum Virgilio possit? Triumphabunt de omnibus hi duo versus, in quibus sum. Audi Ouidium, qui in sua tempestate:

Fluctibus erigitur cælúmque æquare videtur
Pontus, & inductas aspergine tangere nubes:
Et modò, cùm fuluas ex imo vertit arenas,
Concolor est illis; Stygia modò nigrior vnda:
Sternitur interdum, spumísque sonantibus albet.

Propiora sunt ista eiusdem.

Et nunc sublimis veluti de vertice montis
Despicere in valles, imúmque Acheronta videtur:
Nunc, vbi demissum curuum circumstetit æquor,
Suspicere inferno summum de gurgite cælum.

Idem lepidulè in Tristibus.

Me miserum quanti montes voluuntur aquarum:
Iam iam tacturos sidera summa putes.
Quanta diducto subsidunt æquore valles,
Iam iam tacturas Tartara nigra putes.

Lucan. lib. 5. simili simulacro lusit:

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è summis præceps mare: cúmque trementes
Rursus hiant vndæ, vix eminet æquore malus:
Nubila tanguntur velis, & terra carina.

Latini in hac re æmulati sunt Græcos. Adduco Calabrum, qui lib. 14. ita.

Ὑψηλὸν φέρε κῦμα δι' ἠέρος, ἄλλοτε δ' αὖτε
Οἷα κατὰ κρημνοῖο κυλινδομένας φορέεσκον
Βύσσον ἐς ἠερόεντα. δὶν δέ τι ἄχετος αἰὲν
Ψάμμον ἀναδύεσκε διοιγομένοιο κλύδωνος:
Per aëra arduus efferebat fluctus, modò
Quasi per præcipitium deuolutas, abripiebat
In cæcum gurgitem: ac vehemens æstus subinde
Arenam hiante fluctu euomebat.

Poëtica imagine Achilles Alexandrinus lib. 3. *Assurgente fluctu nauis attollebatur, præterlabente verò & subsidente deprimebatur: è fluctibus alij montibus, alij voraginibus similes erant.* Pari imagine Ioan. Chrysost. hom. de Superb. & inani Gloria. θαλάττης κύματα, νῦν μὲν εἰς ὕψος ἄφατον αἰρόμενα, ἀθρόον δὲ πάλιν ταπεινούμενα. Et Maffæus lib. 2. antiquis par: *fluctus modò ad astra ferri, modò ad tartara pene ima subsidere.* Sed redeo post istas Poëtarum collationes tandem ad Poëtam. Cur ait,

Tollimur in cælum, &c.

cùm Troiani reliquerint ad dextram, Scyllam & Charybdin, ac totam insulam lustrauerint causa tan-

A tùm horum malorum euitandi? Subeat, me dixisse totam illam Siculi maris partem ex vicinitate Scyllæ & Charybdis esse intractabilem. Inde bene Seru. monuit, descripta hîc à Poëta loca Charybdi vicina: addo, & Scyllæ. Aduocat Seruius Sallustium ita scribens de Charybdi: *Sorbet vniuersa, quæ prehendit, & secundùm Sallustium, ea circa Taurominitanum littus egerit.* vide quàm longè. Est hoc, quod de eadem Charybdi scire auebat Seneca ep. 79. *An verum sit, quicquid illo freti turbine arreptum est, per multa millia trahi conditum, & circa Taurominitanum littus emergere.* vide quoque locum Strabonis lib. 6. Scribit etiam vir doctus Parrhas. in Claud. ex Polycreto, qui res Siculas cecinit: nusquam aliàs fretum, aut sæuius, aut concitatius esse quàm Siculum, vbi vndarum in se concur-
B rentium tanta est pugna, vt alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas; nunc hîc fremitum feruentis æstus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Ita vt Aristoteles hanc rem inter naturæ miracula constituat. Inde ergo hic Poëta, & tollimur in cælum, & descendimus in imos manes. & suprà.

Et gemitum ingentem pelagi pulsatáque saxa
Audimus longè, fractásque ad littora voces.

Et Claudianus ipse:

——— caput inde Pachyni
Respicit Ionias protentis rupibus iras.
Hinc latrat Getula Thetis, Lilybæáque pulsat
Brachia consurgens, hinc dedignata teneri
C *Concutit obiectum rabies Tyrrhena Pelorum.*

Addo demum verba Pompon. Melæ lib. 2. cap. 7. loquentis de freto Siculo: *Id angustum, & anceps alterno cursu modò in Thuscum, modò in Ionium pelagus perfluit, atrox, sæuum, & Scyllæ Charybdisq; sæuis nominibus inclytum.* Vides vt tempestates, & infamia illius freti in vicina maria excurrant. Ergo naues Æneæ ex vicinitate illa afflictæ sunt, nam ipsæ malum expertæ non sunt.

10. AD MANES] Philippus in epigramm.

Φορτὶς δ' ἐσύρετ' εἰς Ἀΐδαν πλανώμενος:
Manésque ad imos iam ferebatur ratis.

11. TER SCOPVLI, &c.] Malè interpretes hunc in locum adducunt versum Homericum,

Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιβδεῖ
D Δεινόν:
Ter enim eructat quotidie, ter verò absorbet
Horrendè.

Nam Homero de Charybdi est sermo, Virgilio verò de Scylla. Doleo hîc lapsum Iulium Scaligerum.

12. RORANTIA ASTRA] Sunt, vel irrorata cum interpretibus, vel veriùs, quæ ipsa aquam irrorarent. fingit enim Poëta sublatas vndas vsque ad sidera, inde iterum decidere. Neque verò putes exiguam intelligi aquam, imò multam. Nam Poëtæ ita hac voce vtuntur. Ouid. 3. Met. *rorantia fontibus antra.*

[a] Interea fessos ventus cum Sole reliquit,
Ignaríque viæ Cyclopum allabimur oris.
[b] Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis:
[c] Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollítque globos flammarum, & sidera lambit.
Interdum scopulos, auulsáque viscera montis

Erigit

Erigit eructans; liquefactáque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundóque exæstuat imo.

ARGVMENTVM.

Appellit classis per imprudentiam ad portum Cyclopum. Describitur mons Ætna, tum igne, & fumo horribilis; tum scopulis, & saxis inde eructatis, formidandus.

EXPLICATIO.

a VEntus Sólque vnà Troianos relinquunt, inde feruntur ad oras Cyclopum, vt qui in tenebris essent, & cursus ignari. Itaque nihil profuit, visam iam è fluctu Ætnam, vt sibi cauerent. nam nox & ignoratio locorum eò illos aduexit.

b Describit portum illum, ad quem per imprudentiam appulere Troiani. Tria de illo. primo immotam tranquillámque esse ibi aquam, quia non eò accedunt venti, qui turbent: deinde, esse ingentem capacémque: tertiò, esse proximum Ætnæ intonanti horrificis ruinis. In particula, *sed*, sententia est non vulgaris. quasi dicat. Nos portus ipse tutos reddebat, vt qui inaccessus à ventis; & erat commodus, vt qui ingens, sed terrebat Ætna. Huius rei occasione transit ad descriptionem montis Ætnæ, explicaturus quæ attigerat illo versu,

Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna.

c Sequitur luculenta Ætnæ descriptio, digna Virgilio, & cum mira rerum oppositione. Hoc enim ego addo operæ reliquorum interpretum, qui multa cùm viderint, de oppositione tacent. Prioribus tribus versibus ponit flammam & fumum, posterioribus tribus saxa liquefacta. Itaque interdum Ætna prorumpit nubem atram, turbinem piceum, fauillam candentem, globos flammarum; interdum scopulos, montis viscera, saxa liquefacta: vt verò priores tres definit illis verbis, *sidera lambit*; ita tres posteriores istis, *fundóque exæstuat imo*, veluti quærens oppositionem. quasi dicat. Quo Ætna altiores erigit flammas, eo æstuat profundiùs: quo supernè formidolosiùs attingit sidera pice, fauillis, flammis; eò infernè grauiùs gemit auulsis, eructatis, liquefactísque visceribus. Et vt nihil desit ad oppositionem, in tribus superioribus omnia sunt leuia, nubes, turbo, fauilla, flammæ: in tribus inferioribus omnia grauia, scopuli, montis viscera, saxa. Aperiam in Notis, quæ necessaria ad integram cognitionem horum versuum.

NOTÆ.

1. VENTVS CVM SOLE] Ita suprà Æneas,

—tendóque supinas
Ad cœlum cum voce manus.

quam Seruius elocutionem laudat, nam vno sermone duobus respondemus. Ita ex nota Passeratij Propertius lib. 2. eleg. 26. *cum Castore fratri.* & Catullus:

Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

2. PORTVS AB ACCESSV VENTORVM] Notat præclarè Iul. Scaliger, vti Poëta se ipse in descriptione portuum superauerit. Nam hic tantùm, (Virgilius se ipse superat.)

Portus ab accessu ventorum immotus.

operosius illud:

Portus ab Eoo fluctu curuatur in arcum.

Operosissimè adhuc in 1.

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit, &c.

3. IMMOTVS] Notauit iam Cælius Calcagnin. de A verb. & rer. significatione, vt portus verè dici possit, necessariò requiri, vt locus sit munitus conclusúsque, ne venti in naues debacchati possint. Quod firmat Virgiliano hoc.

4. HORRIFICIS IVXTA TONAT ÆTNA RVINIS] Agellius lib. 17. Noct. cap. 10. & Macrobius lib. 5. Sat. cap. 17. armarunt se multis calumniis in Diuinum vatem, illíque longè Pindarum prætulerunt; qui locum hunc de Ætna tractauit. Præmittendus ante omnia locus Pindari, qui habetur Od. 1. Pyth. præmissa enim Typhœi mentione, qui monte Siciliæ premitur, sic subdit.

—κίων
B Δ' οὐρανία συνέχει,
Νιφόεσσ' Αἴτνα πάνετες
Χιόνος ὀξείας τιθήνα.
Τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
Ἐκ μυχῶν παγαί. ποταμοὶ
Δ' ἁμέραις μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
Αἴθων'. ἀλλ' ἐν ὄρφναισι πέτρας
Φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεί-
αν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
Κεῖνο δ' Ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
Δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει. τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι:

Columnáque cælestis cohibet, niuosa Ætna, per totum an- C *num niuis acutæ nutrix. cuius ex penetralibus eructantur inaccessi ignis purissimi fontes: fluuiíque ignis interdiu effundunt fluentum fumi ardens: sed noctu rutila flamma volutata, saxa in profundam defert maris planitiem cum vehementi strepitu. Illud autem Vulcani reptile gurgites valde horrendos eiectat, prodigium quidem admirabile aspectu, miranda verò res & ijs, qui audiunt ab illis, qui transierunt.* Calumniæ ex Agel. sumptæ hæ sunt (nam Macrobium nihil moror, qui totus hæsit Agellio) Græcum commodè discriminasse tempora diei & noctis, interdiu fumare Ætnam, noctu flammigerare: Virgilium confudisse vtrunque tempus, nulla facta discretione. Deinde Græcum ex Græcis fontibus dixisse luculenter *ignes eructare, amnes ignium fluere, fumi flammarúmque volumina*, Virgilium *atram nubem, turbinem* D *piceum, fauillam.* Itaque illud Græci ῥόον καπνοῦ αἴθωνα, *fluuium fumi ardentem* nesciuit interpretari. Tertiò malè cum *atra nube*, & *piceo turbine* coniungi *fauillam candentem.* Quartò quod Pindarus dixit κρουνούς, id est, salientem ignis scatebram, fontémve; duriter & impropriè transtulisse per *globos flammarum.* Quintò Virgilius inaniter & vacanter *lambit sidera*. Sextò demum, Virgiliana illa *scopulos eructari, saxa erigi, liquefieri, gemere, glomerari*, neque à Pindaro scripta, neque fando audita, & monstrosissima esse omnium, quæ monstrosa sunt. Hæ sunt calumniæ. (Calumniæ contra Virgilium.) Sed scias, viros post Agellium maioris quàm ipse fuit, doctrinæ extitisse, qui Virgilium non solùm liberant ab illis, sed faciunt Pindaro longè maiorem. (Virgilius superat Pindarum.) Hi sunt Iulius Sca- E liger, Turnebus, Iouianus in Antonio, & omnes Virgilij interpretes. Nec enim Agellius vltra Grammaticum fuit, quod iam alij ante me senserunt. Has calumnias suis quamque locis seruabo, vt commodum duxero ad explicandum Vatem. Sed priùs tamen audiendæ, quas in ipsum Pindarum, qui nostro tam magnificè ab Agel. præfertur, conferat Scaliger: minus enim pugnæ erit depressa auctoritate hostis. In primis (Pindari errata.) quis

quis sapientum sine risu montem Ætnam dicat cæli columnam? Deinde quis sanus niuem vocet acutam? quod ante Pindarum nemo dixit, & postea imitatus est nemo. Tertiò falsum est, ignem Ætnæ fundi purissimum: neque excusent, sic dictum, quia igne lustremur; sanè verò bellus ignis lustratorius, qui ab inferis efflatur. Quartò, cùm prius dixerit, ignem eructari, malè postea diuisit in ignem, & fumum. Quintò malè erumpentem ignem dixit *reptile*, quæ vox datur rebus non se à terra attollentibus. Sextò quis admittat, *fontes emitti*? fons enim fundit, & emittit riuos, ipse semper manet. Septimò malè θαῦμα ἀκοῦσαι: *mirabile auditu*, neque enim θαῦμα de auditu dicitur, nam est tanquam θέαμα. itaque ad visum vox pertinet, non ad auditum. Hæc sunt fere, præter alia, quæ regeri in illum possunt. Iam ad rem Virgilij, qui prius verbum *tonat* præmisit, vt animos compleat admiratione, & horrore, comparétque ad perfectissimum monstrum, quod narrare occipit. Priùs tamen audi censuram Magni Senecæ ep. 79. qui cùm dicat, Ætnã fuisse sollemnem locum omnibus poëtis, & Ouidium, atque Cornelium Seuerum Ætnam *tractasse*, de Virgilio ait, Ætnam *impleuisse*. Quæ ergo calumniæ, si impleuit quicquid dicendum? Et quis obsecro dubitet auctoritatem Senecæ supra Agellium?

5. TONAT ÆTNA] Signatius quàm quoduis aliud. Non æquat Lucretius, qui lib. 1. *Ætnæa murmura flammarum*. Non idem lib. 6. cùm ait, *fundit, extrudit, voluit fumum*, & lib. 2. verbo alio:

Eximijs verò furit ignibus impetus Ætnæ.

Non Silius, qui *picea procella*. Non Claudianus, qui ait rotari inde tormenta, ignem ruere. Non Græci, in his Pindarus, qui ἐρεύγονται, προχέοντι, παγαί, ἀναπέμπει. Nam *eructo, effundo, strepitus, remitto*, non æquant tonitrua Maroniana. Non Aristoteles, qui in lib. de Mundo, dat ἐξαρριπίζει. Non Strabo, qui Pindarico verbo ἀναπέμπουσι. & ipse addit ἀναφυσῶσι.

6. INTERDVM] Hîc sita prima calumnia in vatem, qui *interdum* dixit confusè, non discriminans tempora diei & noctis. Rectissimè verò Noster *interdum*. neque enim globi illi flammarum aut noctu tantùm, aut interdiu cernuntur, sed vt vult natura ipsa (potiùs, rerum opifex Deus, qui tam monstrosam monti illi naturam attribuit) iam diu, iam noctu. etenim tempestates sic ex hiatu illo emittuntur, vt demitti aliàs è cælo solent: frustra autem in cælestibus quæras, an diu, an noctu potiùs, tonandum fulgurandúmque sit. Sanè qui Ætnam coram viderunt, iam diu, iam noctu accidere miracula illa, nullo seruato discrimine, asserunt. His iam alij Poëtam defenderunt. ego aliter conor, Pindarum explicans, vt loquatur iuxta id, quod oculis mortalium apparet. Ignis ea est natura, vt si noctu videatur, micantissimus lucentissimúsque appareat; si interdiu, fumus potiùs & caligo, quàm ignis, obstante videlicet luce diei. Hoc si est, vt credi probabiliter potest, nihil iam pugnat contra Virgilium Pindarus. Hoc magis verum esse apparet ex Strabone, qui lib. 6. narrans paria cum Pindaro, ait: νύκτωρ φέγγη φαίνεται λαμπρά. vbi verbum φαίνεται, tantùm notat, quod oculis appatet. Ad quam rem iuuant plurimùm, quæ dixi lib. 1. Georg. de stellis, quæ non cadunt è cælo, etiam si videantur cadere. Obiiciet aliquis, noctu visa Æneæ hæc monstra, quid tu discriminas? Nihil impedit, voluisse Virgilium rem aperire, vti ea solet accidere. Talia in poëtis obuia.

Virgilius defenditur.

A 7. PRORVMPIT] Actiuè: nam Lucretius passiuè lib. 6.

—prorumpitur in mare venti
Vis.

Vt verò incendium Ætnæ per verbum *prorumpo*: ita idem Lucretius lib. 1. per *erumpo*, cùm ait de eadem Ætna:

Faucibus eruptos iterum vt vis euomat ignes.

8. NVBEM] Vides vt globos ignis vocet *nubem*. Est enim vsitatissima commutatio metaphorarum inter elementa, cùm passim auctores, quæ vnius sunt elementi, alteri iucundissimè attribuant. Huius rei occasione dicam loca, in quæ incidi, vt auctorum pulcherrima monumenta altiùs insidant defixa in mentibus. Incipio ab Aqua. Dat hæc igni B suas locutiones. Aristoteles περὶ κόσμ. πυρὸς ποταμοὶ: *fluuius ignis*. Nazianzenus contra Iulianum loquens de incendio Ætnæ, ἀπίστῳ καὶ φοβερῷ ῥεύματι, *incredibili & metuendo fluxu*. Est enim *fluo* aquarum. Thucydides lib. 3. etiam de Ætna loquens ῥύαξ τοῦ πυρὸς, *proluuies ignis*. Philostratus quoque 2. Icon. flammæ dat ῥύακας δεινοὺς, *horribiles riuos*. In eodem ibidem sunt ποταμοὶ πυρὸς, vt etiam in Æschyli Prometheo. Idem Æschylus etiam in Prometheo dixit πυρὸς πηγὴν, *fontem ignis*. Philostratus lib. 1. Icon. πῦρ πλημμυρεῖ, *abundat ignis*. Eusebius in Hieroclem κρατῆρα πυρὸς, *voraginem ignis*. Est vorago aquarum, & torrentium. Aristides hymno in Iouem, πυρὸς ἀπόρροιαν, *ignis fluxum*. Callimachus ἀέναον πῦρ, *semper fluens ignis*. Aristoteles de vita & C morte, τὸ πῦρ ῥέον ὥσπερ ποταμὸς, *ignis fluens instar fluuij*. Euripides Medea, νᾶμα πυρὸς: *scaturigo ignis*. Catullus: *flamma dimanat*. Liuius lib. 30. *Effusa flamma, sparsa omnia incendio hausit*. Sunt enim verba aquarum haurio, effundo, spargo. Ibidem: *hausta flammis millia hominum*. A Virgilio lib. 4. Æn. dicitur *lumen spargi*, vt etiam à Lucretio lib. 2. Sidonius ad Felicem: *fluctuante flamma*. Paulinus Natali 9. Felicis: *vndantes flammas*. & Natali 10. *imber igneus*. Orosius lib. 7. cap. 9. *torrentibus flammarum*. Apuleius de Mundo: *flammarum fluenta*. Huc spectat, Amorem, qui ad ignem pertinet, exornari verbis aquarum. De illo Plautus Mostell. *permadefecit cor meum*. Ita Lucretius lib. 4. dat stillationem guttarum, cùm ait:

D *—Veneris dulcedinis in cor*
Stillauit gutta.

Elementa commutat metaphoras.

Non solùm autem Aqua exornat Ignem, sed etiam Aërem. Sic Virgilius de Mercurio dixit *tranat nubila*, vbi trano aquarum datur nubilis, id est aëri. Agellius lib. 2. cap. 30. *fluit aër*. Lucretius ante illum lib. 5. de aëre etiam dixit *fluere*. & lib. 1. loquens de ventis: *Nec ratione fluunt alia*. Huc pertinent illi, qui cælo dant mare, fretum, pelagus. Nam per cælum, vt plurimum, intelligunt aërem. Ita Plutarchus de Orbe Lunæ οὐράνιον πέλαγος, *cæleste pelagus*. Ennius Cressis: *cæli fretum*. Idem apud Varronem de aëre.

E *Quaq; freto caua cæruleo cortina receptat.*

Actius Atreo: *æquora cæli*. Lucretius etiam lib. 5. spatium aëris vocat mare, cùm ait:

Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter priuas mutatur in oras.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare.

Eadem aqua Terram exornat. Nam Cassiodorus libro 4. dixit *arenam velut liquida fluenta decurrere*. & Plutarchus opere περὶ πολυφ. ναυάγια γῆς, *naufragia*

fragia domorum, vbi fluentum, & naufragium, quæ pertinent ad aquas, attribuuntur arenis, & domibus, quæ sunt terrea. Vides vt vna Aqua illustret reliqua elementa, Aërem, Ignem, Terram, dans istis suas locutiones. Adduxi plura exempla de Aqua, quia ea in Virgilio est. Relinquo iam illa, & transeo ad Aërem, atque ignem. Hæc duo elementa etiam exornant reliqua. Nam Liuius lib.30. *afflati incendio*. Paulinus Natali.10. *Felicis scintillæ volitantes*. Strabo loquens de Ætna, πῦρ ἀναφυσᾶ, *ignis respirat*. Lucretius lib.2.dixit, *Chimæras spirantes flammam*. De tauris Colchicis, quibus Iason arauit terram, idẽ sæpe tradũt poëtæ. dicunt enim illos solitos spirare flãmas, ignes, scintillas. In his exemplis afflo, volito, respiro, quæ verba sunt Aëris, dantur igni. Quid ipse ignis? etiam hic suas locutiones aliis accommodat. Liuius lib.30. *Accensa vis venti*. Cassiodorus lib.1.epist.4. *flammeo liquore*, & lib.7. *Nilus exæstuat*. vbi accendo, flamma, æstus, dantur Vento; & Aquis. Dixi de aqua, Aëre, Igne, quæ suum sermonem communicant fratribus. Restat Terra. Hæc etiam suas locutiones dat ceteris. Nam Euripides Androm. tempestatem aquarum vocat ἄγριον *agrestem*. Cassiodorus lib.4. loquens de incendio Vesuuij, *terrenis nubibus, puluereis guttis*, & *pulueres rorat*. Radix arborum terrenum quid est, atqui Græci vocant elementa quatuor ῥιζώματα. Virgilius, Homerus, & multi alij de Aquis dixerunt *montem*, exornantes rem aquarum terrestri re. Propertius lib.2.eleg.2.

Et sciat indocilis currere Lympha vias.

& lib.4.eleg.2.

—Tiberinus iter faciebat.

vbi cursus, & iter, quæ terrarum sunt, dantur aquis. Vide quæ mihi iam notata in hoc lib. ad illud,

———trabe currimus æquor.

Non abit tralatio Arnobij lib.7. qui aërem, quem spiramus, vocat *cæli pastum*, & pabula quidem propriè ad Terram pertinent.

9. TVRBINE FVMANTEM PICEO. Hoc iam pertinet ad secundam calumniam, in qua soluenda nihil est negotij, etenim Virgilius proprietati rei, & naturæ institit, à qua longè abiit Pindarus. Itaque laudi dabis, quod calumniatores vitio. Etenim si flammarum volumina intueare, fumúmque, malè compares cum fluuio prolabenti, potiùs cum nube atra, & piceo turbine. Ergo Virgilius noluit interpretari Pindarum, sed emendare. (Virgilius emẽdat Pindarum.)

10. CANDENTE FAVILLA] Peruenimus ad tertiam calumniam, qua dicunt malè poni fauillam candentem cum rebus atris, ac piceis. Sanè hîc *candens* propriè sumitur pro feruenti, & relucenti; non pro candicanti, & albicanti. Et qui putant αἴθωνα non rectè à Latinis exprimi per *candens*, vtriusque linguæ ignari sunt, ait Scal. Et profectò Agellius calumniator sibi ipse contrarius est, ait enim: *Non enim fumare solent, neque atra esse, quæ sunt candentia: nisi si candente dixit peruulgatè & impropriè, pro feruenti fauilla, non pro ignea, & relucenti*. Sed obsecro quod vsu peruulgatum est, improprium non est. Sed esto adhuc *fauilla candens* pro candida diceretur, nonne alba est? & quid mirum est, albam fauillam vnà cum nube atra, & piceo turbine volitare? eo enim horridius spectaculum, quo confusius. Vide etiam, vti Iosephus Scaliger Virgilium defendat in Appendic. Virg. vbi vocat Phauorini & Agellij nugas meras, & vtrique dat ἀπελτερίαν. Nam cùm fauilla possit excitari ex ignibus pigris, sopitis, mortuis; atque etiã ex acribus, vegetis, viuidis: Virgilius, vt esse hanc alteram indicaret, non primam, *candentem* dixit. (Virgilius defenditur.)

11. ATTOLLITQVE GLOBOS FLAMMARVM] (Globus de flammis.) Quarta calumnia, quæ iam ex dictis soluta: est enim consonantius cum natura, vt flammarum volumina compares cum globis implicatis sursum tendentibus, quàm cum scatebris fontium deorsum prolabentibus. Ad hæc Poëta egregiè, vt solet, persistit in metaphora semel assumpta, nam qui hîc *globos*, statim, *glomerat*.

12. SIDERA LAMBIT] Dicebant quintò, inaniter & vacanter hoc dici: sanè dicebant, non probabant. Sed nonne vident flammæ motum persimilem esse vibrationi linguæ? Claudian. quoque. 1. Raptus: (Lambo de igne.)

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

Et Albinouanus ad Liuiam, loquens de flamma:

Æthera subiectis lambit, & astra comis.

Ad hæc, si hyperbolem reprehendunt, eadem opera reprehendant & Pindarum, qui Ætnam columnam cæli dixit, itaque necesse est flammam inde erumpentem non solùm lambere, sed penetrare sidera. Reprehendant Lucretium, qui lib.1. de Ætnæis ignibus:

Ad calúmq; ferant flammaï fulgura rursum.

13. INTERDVM SCOPVLOS, &c.] Est hoc obiectum vltimum, quo dicunt monstrosa hæc esse, & præter omnem veritatem. Sanè aliud res ipsa, & oculi docent: videntur enim sæpe in ipso littore pumices ab Ætna eiecti. Et pro Virg. est nubes testium, vix est enim, qui de incendiis Ætnæ loquatur, qui non etiam dicat, inde ignita saxa, & scopulos ardentes euolui. Lucret. lib.6. (Ætna eructat saxa ignita.)

Funditque ardorem longè, longéque fauillam
Differt, & crassa voluit caligine fumum;
Extruditque simul mirando pondere saxa.

Strabo. 6. Geog. vbi de Ætna loquitur. ὁ τότε μὲν ῥύακας ἀναπέμπονῦ, τότε δὲ φλόγας, ὁ λιγνῦς: ἄλλοτε δὲ ὁ μύδρυς ἀναφυσᾶν: *Nunc ignitos emittit riuos, nunc flammas, fumosásue fuligines: nunc ardentes exhalat lapides.* Arist. lib. de Mundo. de Lipara, Ætna, & insulis Æoliis, sic ait, μύδρυς διαρρίπτᾶσι διαπύρυς, *eructant ignitos scopulos*. Plin. lib.2. cap.103. illi dat eructationem *arenarum*. Silius lib.14.

—picedque procella
Semiambusta liquefactis saxa cauernis.

Claudian.1.Rap.

Quæ scopulos tormenta rotent, quæ tanta cauernas
Vis glomerat, quo fonte ruat Vulcanius ignis.

Parco aliis, & miror Agellium in tanta luce cæcutiuisse. Et, quod ad miraculum attinet, similia de Vesuuio apud plures inuenies, tum apud Cassiod. lib. 4. Var. epist. 50. Sed nulla sunt conferenda cum his, quæ ad nos adducta ex Peruano Regno in his litteris, quas nostri annuas vocant: vbi hiatus terræ ingentes leguntur, formidandæ voragines, cineris copia incredibilis, rotatorum lapidum infinitus numerus, emergentium è terra saxorum multitudo pene vltra humanam fidem, quæ ego, si hîc recenserem, possem plures paginas complere. Redeo ad Virgilium, qui signatissimè ad fabulam Enceladi sepulti in Ætna infert voces *viscera eructans*. Et (ex nota Scalig.) meliùs *gemitu* quàm Pind. σὺν πατάγῳ, *cum sonitu*, quia cum visceribus aptior *gemitus*: ad hæc, gemitus est ex repleto pectore, hoc namque est γέμειν. Rationem physicam, cur Ætna exæstuet his incendiis, inuenies in Iustino lib. 4. & in opere Cornelij Seueri, nam hoc opus huius esse, non Virgilij, disces vel ex Seneca in Epist. (Vesuuius mons. Peruani regni prodigia.)

14. FVNDOQVE EXÆSTVAT IMO] Præclarè extremis his, relinquit animis existimandum, quid intus lateat: quæ enim videri poterant cùm dixisset: quæ non videntur breuissimè complexus est, æstu illo

illo imi barathri, & fundi. quo, vt dixi, opinandum relinquit mortalibus, qui tumultus existant in imis Ætnæ fornacibus. Quod Virg. *exæstuat in fundo imo,* Callim. in hymno in Delum de gigante, quem ipse quoque in Ætna sepelit, sic extulit:

—Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
Σείονται μυχὰ πάντα:
—Ætnæo monte ignibus æstuante
Penetralia omnia quatiuntur.

Absolui hanc operam, sed teseruaui ad finem auctores duos; Æschylum, quem in mente credo Poëta habuit, cùm hæc scripsit; Et Claudianum, qui proculdubio Virgilium ipsum. Græcus in Prometh. vincto.

—βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων
Ξυμπίτνων, στένει βυθὸς,
Κελαινὸς δ' Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχὸς
Γᾶς.

A *—resonat maris fluctus*
Confluens, ingemiscit profunditas,
Et ater secessus Plutonis fremit
Subtus terram.

Claudiani hæc sunt.

Nunc mouet indigenas nimbos, piceáque grauatum
Fœdat nube diem, nunc motibus astra lacessit
Terrificis, damnísque suis incendia nutrit.
Sed quamuis nimio feruens exuberet æstu,
Scit niuibus seruare fidem, paritérque fauillis
Durescit glacies tanti secura vaporis.
Arcano defensa gelu, fumóque fideli,
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Hos versus præclarè examinat Scal. Adi, si placet, eius trutinam æquam verè & iustam. Silianis de eadem re parco, inuenies lib. 14. Punicorum; & Ouidianis, B quæ 15. Metam. & toti Seuero, qui de Ætna opus egregium.

[a] Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac: ingentemq; insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam exspirare caminis:
Et fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.
[b] Noctem illam tecti in syluis immania monstra
Perferimus: nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus: obscuro sed nubila cælo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

ARGVMENTVM.

Incendiorum Ætnæ causam petit à fabula Enceladi ibi sepulti: addit quàm incommodè ibi noctem eam Troiani duxerint audito Ætnæ fragore, & ex perpetuis horrentissimísque tenebris.

EXPLICATIO.

[a] VEras causas Ætnæi incendij vates ipse in Ætna, seu potiùs Cornelius Seuerus, persequitur. nunc illi placitum ad fabulas decurrere more Epicorum, quorum ipse est princeps. Enceladus (ait) ex eo loco flammas exspirat, atque dum se commouet in alterutram partem, efficit, vt Sicilia adfremat, atque immugiat.

[b] Finge ipse nautas locorum & regionis ignaros appellere noctu ad locum, vbi audiant tonitrua illa insonantis Ætnæ, videántque fumum & globos flammarum ex vicino loco eructatos. quid tum pauoris? Poëta hæc præclarè vocat *monstra* tanquam prodigia quædam insolentissima. Sequitur deinde causa superioris sententiæ. Ideo pauidi, quia nulli ignes astrorum, nec polus lucebat fulgore stellarum. Est enim *æthra* splendor, & lux ætheris. Pergit. Quin potiùs nox erat nubila in obscuro cælo, id est, ideo nox obscura, quia cælum nubilum. & eadem nox intempesta impediebat lunam nimbo quodam obsessam.

NOTÆ.

Enceladus, aut Typhœus sub Ætna.

1. ENCELADI] In fabula diuisi principes Græci, & Latini: qui iam Enceladũ, iam Typhœum latere narrant sub Ætna, ad cuius, vel huius, vel illius, motũ Ætna contremat, eiectétque formidandã illam ignium procellam. Omnes adducere, & longum, & C insuaue: aliquos, vtile tum ad comparationem Maronis, tum ad commodum volentis loca ipsa conferre. Æschylus de Typhœo in Prometh.

—φρένας γὰρ εἰς αὐτὰς τυπεὶς
Ἐφεψαλώθη κἀξεβροντήθη σθένος.
Καὶ νῦν ἀχρεῖον, καὶ παράορον δέμας
Κεῖται στενωποῦ πλησίον θαλασσίου
Ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο:
—nam in præcordiis ictus,
Deiectus, & tonitruo fractus est viribus.
Hinc nunc inutile & protensum corpus
Iacet iuxta angustias maritimas,
Sub radicibus Ætnæis ignescens.

Mox describit flammarum fluuios inde erumpentes, Typhœum ipsum ebullientem indignationes, eru- D ctantem procellas flammarum. Oppian. lib. 1. Venat. de Encelado.

Καὶ τρικάρηνον ὄρος, ὅθι τε σκέπας Ἐγκελάδοιο
Πορθεῖς αἰθερίοισιν ἐρευγομένοιο κεραυνοῦ,
Σικελίης Αἴτνης ἀνεκάχλασεν ἀέναον πῦρ:
Et tricipitem montem, qua tegumentum Enceladi
Flammis æthereis eructantis, fulminis
Siculæ Ætnæ bullit sempiternus ignis.

Adduxi Græcos duos, alterum pro Typhœo, alterum pro Encelado: totidem Latinos dabo partitione æqua: Val. 2. Arg. de Typhœo,

—trux ille eiectat adesi
Fundamenta iugi, pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem
Commouet experiens, gemitúque reponit inani.

E Pro Encelado Claudian. 1. Rap.

Ætna Giganteos nunquam tacitura triumphos,
Enceladi bustum, qui saucia membra reuinctus,
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur,
Et quoties detrectat onus ceruice rebelli

In

In dextrum læuúmque latus, tunc insula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus vrbes.

Alios si velis, adi pro Typhœo, Pindarum, Hesiodum, Nonnum, Euphorionem, Ouidium: pro Encelado, Callimachum, Orpheum, Smyrnæum, Seuerum, Lucanum, Sidonium. Philostratus lib. 2. Iconum, ita diuidit, vt dicat, Typhonem sepultum in Sicilia, Enceladum in Italia. Nazianzenus contra Iulianum, neutrum nominat, tantùm ait indefinitè. εἴτε τι ἄλλο τοῦτό ἐστιν, εἴτε ἄσθμα κολαζομένου γίγαντος: *Siue hoc aliud quidpiam est, siue gigantis, qui punitur anhelitus.*

Caminus. 2. CAMINIS] Græci ἰπνοὺς nominant. Scholiastes Aristophan. in Vesp. ἰπνὸς κυρίως ἡ κάμινος; adducítque Æschylum, qui cum relatu ad Ætnam ἰπνούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο.

B

3. MOTAT LATVS] Malè quidam legunt *mutat latus*, ducti auctoritate Papin. qui lib. 3.

—aut vbi tentat
Enceladus mutare latus.

Sed cùm doctissimus quisque (signo Germ. Scal. Turn. & huius nomenclaturæ alios) agnoscant, & legant *motat*, vel corrigendus Papinius est, vel contemnendus. Et sanè Callimachus (cuius imitationi hæsisse Virgilium volunt Germanus, & Vrsinus) degigante ibi sepulto, κινυμένοιο apertè dixit hymno in Delum, id est, *mouentis*, *motantis*. Seruius etiam ait, *motat* legendum, nam si *mutat*, dabitur quies, & refectio laboris. Poëtæ sententiam sic extulit Ouid. 15. Met.

C

Sæpe remoliri luctatur pondera terræ,
Oppidáque, & magnos deuoluere corpore montes.
Inde tremit tellus, & Rex pauet ipse silentum.

Claudian.

Et quoties detrectat onus ceruice rebelli, &c.

Sed melius profectò *latus*, quàm *ceruix*. Et, *motat*, quàm aliud quoduis: nam, *perpetuatio oneris frequentiam motionis excitat*, ait Scaliger. Puterimus quoque Senecam de Tranquillit. cap. 3. scripsisse, *Et versare se, & motare nondum fessum latus*. non, *mutare*.

4. INTREMERE OMNEM MVRMVRE TRINACRIAM] Adnecto hîc verba Philostrati lib. 2. Iconum, quæ admodum consentanea Virgilianis in toto hoc tractu. γίγαντα μὲν βεβλῆσθαί ποτε ἐνταῦθα· δυσθανατοῦντι δ' αὐτῷ τὴν νῆσον ἐπενεχθῆναι δεσμοῦ ἕνεκεν· εἴκειν δὲ μή πω αὐτὸν, ἀλλ' ἀναμάχεσθαι ὑπὸ τῇ γῇ ὄντα· καὶ τὸ πῦρ. τοῦτο σὺν ἀπειλῇ ἐκπνεῖν: *gigantem huc detrusum, ægréque morienti vinculi instar impositam insulam: at ipsum nondum cedere, sed sub humo existentem resistere; &, quod adhuc spiret, hunc ignem comminari.*

D

5. ET CÆLVM SVBTEXERE FVMO] Claudianus

A

hoc deprauauit (ait Scaliger) illis,

—& motibus astra lacessit.

Poëta imitatus videtur Lucretium lib. 6. qui de nebulis loquens, ait:

Suffundúntque sua cælum caligine.

& paucis interpositis:

Et quasi densando subtexit cærula nimbis.

& iterum lib. 5.

Corpore concreto subtexunt lumina cælum.

Tale quid Odyss. 5. ex nota Germ.

Νεφέεσσι περιστέφει οὐρανὸν εὐρὺν Ζεύς:
Nubibus obtexit cælum latum Iuppiter.

6. NAM NEQVE ERANT ASTRORVM IGNES] Ductus locus integer ex Homero lib. 9. Odyss. quem hîc dabo, ne diuellam.

Ἔνθα κατεπλέομεν, καί τις θεὸς ἡγεμόνευε
Νύκτα δι' ὀρφναίην· οὐδὲ προὐφαίνετ' ἰδέσθαι·
Ἀὴρ γὰρ περὶ νηυσὶ βαθεῖ' ἦν, οὐδὲ σελήνη
Οὐρανόθεν προὔφαινε· κατείχετο γὰρ νεφέεσσιν·
Ἔνθ' οὔτις τὴν νῆσον ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν:
Huc appulimus, atque aliquis Deus dux viæ fuit
Noctem per obscuram, non enim antea licebat videre.
Caligo enim circa naues densa erat, neque luna
E cælo lucebat: obscurata verò erat nubibus.
Hic nullus insulam vidit oculis.

7. ASTRORVM IGNES] De stellis *ignis*. Ita Horatius, — Ignis de stellis.

—micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Ita Cicero de Republ. *Datus est vobis animus ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellas vocant.*

8. ET LVNAM IN NIMBO NOX INTEMPESTA TENEBAT] Cursum suum Luna habet per cælum, ergo cùm in nimbo est, videatur cohiberi tenerique. Versus ipse ad lucem Ennij factus,

Cùm Superûm lumen nox intempesta tenebat.

Nox dicta est *intempesta*, quasi *intempestiua*, *inactuosa*, *carens actibus*, *per quos tempora dignoscimus*. Seruius. Sed quæ est nox intempesta? Variant auctores. ex fragmento Seruij apud Danielem media esse apparet, sic enim ibi nox diuiditur. *Sanè noctis septem tempora ponuntur. Crepusculum, quod & Vesper, & Fax, quo lumina incenduntur: Concubium, quo nos quieti damus: Intempesta, id est, media: Gallicinium, quo galli cantant: Conticinium, post cantum gallorum: Silentium, Aurora, vel Crepusculum: Matutinum, tempus quod ante Solem est.* Vtcunque sit, certè ea pars noctis signatur, in qua non idoneum tempus rebus gerendis: modò mediam noctem accipias, modò quamcunque partem mediæ proximam. — Nox intempesta. — Noctis diuisio.

[a] Postera iámque dies primo surgebat Eoo,
Humentemq; Aurora polo dimouerat vmbram:
[b] Cùm subitò è syluis, macie confecta suprema
Ignoti noua forma viri, miserandaq; cultu
Procedit, supplexq; manus ad littora tendit.
[c] Respicimus: dira illuuies, immissaq; barba,
Consertum tegmen spinis: at cetera Graius:
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
[d] Isque vbi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul: paulum aspectu conterritus hæsit,

Continuítque gradum: mox se se ad littora præceps
Cum fletu precibúsque tulit. per sidera testor,
Per Superos, atque hoc cæli spirabile lumen:
Tollite me Teucri: quascunque abducite terras:
Hoc sat erit. scio me Danaïs è classibus vnum:
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
e Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastóque immergite ponto.
SI PEREO, manibus hominum periisse iuuabit.

ARGVMENTVM.

Albente die, fit illis obuiam Græcus sordibus & squalore confitus: qui visis Troianis primò timet, se deinde illis committit, fassus priùs quis sit, & nullum mortis genus reformidans, dum ne ibi relinquatur à Cyclopibus interficiendus.

EXPLICATIO.

a Signat primum diluculum. ἠὼς *Aurora* est, inde tempus illud *Eoum*. Inde in Virgilio subaudiendum, tempore. Ideo verò primum Eoum, quia iam abierat vmbra, hæc *humens* dicitur ab nocte, quæ etiam humida.

b Varij casus poësin discriminant, inde hîc quæ sequuntur de Achæmenide. *Procedit* (inquit) *subitò è syluis noua forma ignoti viri.* quasi iam ab homine deformatus in feram transierit. Cur verò *noua forma*? quia *confecta macie suprema*, & *cultu miseranda.* Vt verò procedit, statim, *supplex tendit manus ad littora,* vbi nos.

c Adnecte hæc cum superioribus, & videbis nihil dici absolutius posse ad exprimendum habitum hominis pædore obsiti, squalore confecti, & forma omnino deformata. Vides nouam formam, & hanc pene in vitæ exitu, nam *confecta suprema macie.* huc accedit *illuuies*, quæ *dira*, & horrida: *barba*, quæ *promissa* prolixáque lugentium more, vtique videres hominem ἐπιβαλλόμενον, καὶ καθειμένον τὸν πώγωνα. tegmen verò vestimentúmque corporis *consertum* concinnatúmque è *spinis*, vt solent illi esse, qui ferino more in agris viuunt. *Cetera* si considerares *Graius* erat. Refer hoc ad sermonem, quo vtebatur, ad incessum, ad corporis mensuram, ad colorem barbæ, & ad reliqua, quibus solent nationes ab aliis distingui.

d Describit hominem hærentem ad visos hostes, dubitantémque an se se illis committat: post hanc moram satius ducens in illos incidere, quàm ibi degere, ad illos præceps decurrit, ratus fore, vt lacrymis precibúsque vincerentur. Sed quæ preces, & quàm validæ? *Testor*, obtestórque vos *per sidera, per Superos*, per aërem quem spiratis, ita explicat Scaliger illud *cæli spirabile lumen.* Quid verò tantis precibus? Vt tollatur, abducatúrque inde in quascunque terras. D nam hoc summum erit beneficium, & sibi satis. Sic infrà, *satis est gentem effugisse nefandam.* Quasi dicat. Tantùm peto, hîc non esse, *hoc sat erit*, nec cogito in quas alias oras abducar barbaras & incognitas. Mox fatetur se Græcum esse, bello Troiam petiisse. præoccupans videlicet, quæ possent obiici. Qui locus efficax ad hostilem iram retardandam: fit enim, vt vbi quis dicat, quæ in se sunt vitiosa, nihil alteri relinquat ad reprehensionem: quid quòd eodem affectu misericordia excitatur?

A e Hic quoque præoccupat supplicium. quasi dicat. Quo me vos supplicio dignum putatis pro tanta iniuria, pro tanto scelere? Si fingitis fluctus, si pontum, si hiatus vastos: en me, spargite in fluctus, ponto immergite, detrudite in barathrum. Reddit rationem. Nam perire manibus hominum iucundum est; non ferarum, vt sunt Cyclopes, quorum quotidie carnificinam operior. Perire malum est; sed aliud scilicet perire à fera, aliud ab homine. Extremus versus dupliciter potest exponi sententia discrepante, sed parum quidem, & quæ in idem recidit. Potest enim legi:

Si pereo manibus hominum, periisse iuuabit.

vel,

Si pereo, manibus hominum periisse iuuabit.

B

NOTÆ.

1. HVMENTEM] Val. Flaccus. 5. Arg.

—humentem lux soluerit vmbram.

Tale illud. 4. — Vmbra humens.

—quoties humentibus vmbris
Nox operit terras.

Neque aliter astra humentia vocauit Statius. 3. Theb. quàm propter noctem,

Nocte sub ancipiti quamuis humentibus astris.

Et ipsam adhuc Auroram Pacuu. apud Varr. lib. 4. — Aurora humens.

Exhalat auram terra, atque Auroram humidam.

C Alij sic legunt: *Terra exhalat auram, atque Auroram humidam humectam.* Alij: *Terra exhalat auram, atque aura rorem humida.* Dici veriùs fortasse possit, hoc attributi genus pendere à matutino rore. Cicer. 1. Diuin.

Cùm primùm gelidos rores Aurora remittit.

De qua re ego iam in 8. ecl.

2. IGNOTI NOVA FORMA] Vide, vt expendi, & confer alios cum Virgilio, ego hîc tibi nonnullos offeram, qui hanc partem egregiè assecuti sunt, sed an peruenerint ad vatem? dubites. Appianus in Hispanicis de Numantinis, postquam satis longam obsidionem perpessi. Δυσόρατοι, καὶ ἀλλόκοτοι πάμπαν ὀφθῆναι. οἷς τὰ μὲν σώματα ἦν ἀκάθαρτα, καὶ τριχῶν, καὶ ὀνύχων καὶ ὀρύπων, καὶ ῥύπου μεστά. ὀδώδεσαν δὲ χαλεπώτατον, καὶ ἐσθὴς αὐτοῖς ἐπέκειτο ἀτελὴς, πιναρὰ, καὶ ἥδε καὶ οὐχ ἧσσον δυσώδης. Beraldus reddit. *Fœdo corporis habitu, oris specie efferata, corporibus illuuie squaloréque obsitis, pilo immisso, vnguibus sordidis, ipsi olidi veste immunda, & lacera, nec minùs grauiter olente.* Liuius lib. 21. de militibus Anibalis ore Scipionis: *Effigies, imò vmbræ hominum; fame, frigore, illuuie, squalore enecti; confusi ac debilitati inter saxa rupésque: ad hæc, perusti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu, quassata fractáque arma.* Apul. 1. Florid. de Marsya tibicine: *vultu ferino, trux, hispidus, multibardus, spinis & pilis obsitus.* Philo Iudæus hominem hoc squalore affectum vocat in lib. de Nobilit. μακροὶ, φθινώδη. & in lib. de Exsecrationib. ἐκτεθέντα. & — Hominis squallore obsiti descriptiones.

ῥικνοὶ

ῥικνοὶ ἶνες, λεπτὴ δορά: *macrum, hærentem oßibus, colliquatum, cui fibræ exiles, cui cutis tenuis.* Basilius describens Gordium martyrem. ἀνὴρ ἀπηγριωμένος τὴν ὄψιν, διὰ τὴν χρονίαν ἐν τοῖς ὄρεσι δίαιταν, αὐχμηρὰν ἔχων τὴν κεφαλὴν, βαθὺς τὴν ὑπήνην, τὴν ἐσθῆτα ῥυπῶν, κατεσκληκὼς ἅπαν τὸ σῶμα: *Erat vir ille aspectu horridus; & quia in montibus diu vixerat, squallenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore toto aridus.* pulcherrima est Achill. Alexandrini in re simili hypotyposis: *E vestigio mulier quædam grauioribus catenis vincta, ligonem gestans, capillo detonso, corpore squalido, amictu lacero, atque districto, ad genua nobis prostrata.*

3. MANVS AD LITTORA TENDIT] Existimo, sapientissimum Poëtam, cùm Achæmenidem infert tendentem manus, alludere non solùm ad morem supplicum, sed ad alium quoque, quo veteres in amicitiæ signum sublatione manus vtebantur: nequid igitur Troiani metuerent, manus tollit Achæmenides, tendítque ad littora vbi erant Troiani, nam *tendendi* verbum cùm audis, sublationem quoque intellige. Nota sunt illa eiusdem Poëtæ lib. 10. — *Manus sublatio amicitiæ nota.*

Et duplices cum voce manus ad sidera tendit.

& 5.

Longæui palmas nequicquam ad sidera tendunt.

Redeo. Mos ille elucescit apud Xenophon. lib. 4. Cyri institutionis. πέμπει πρὸς αὐτοὺς προστάξας λέγειν, εἰ φίλοι εἰσὶν, ὡς τάχιστα ἀπαντᾶν τὰς δεξιὰς ἀνατείναντας: *misit ad eos cum mandatis, qui dicerent, vti, amici si essent, quàm primùm occurrerent sublatis dextris.* Is porro nuntius ad Hircanos mittitur, de quibus incertus erat Cyrus, sociíne an hospites essent.

4. DIRA ILLVVIES] Possum coniicere obuersatam vati ante oculos formam illam, quam Cicero in Oratore repræsentat ex vetere poëta.

Refugêre oculi, corpus macie extabuit,
Lacrymæ peredêre humore exsangues genas:
Situ nidoris, barba pædore horrida,
Atque intonsa infuscat pectus illuuie scabrum.

5. IMMISSAQVE BARBA] Fuit hæc nota reorum, & cur non inde huc traducta? Rei enim sordidati, squalidi, impexi, barba promissa. Vide vti huiusmodi hominem describat Dionysius lib. 6. Antiquitatum, Quintilianus declam. 260. Dio Chrysost. orat. 33. — *Barba immissa reorũ nota.*

6. CONSERTVM TEGMEN SPINIS] Omnes referunt ad amictum, & sic quoque explicui. sed quid si alia sit mens Poëtæ, vt nudum hominem describat, & pellem cutémque corporis (quam tegmen hîc vocet) dicat adhæsisse, insertámque, & veluti affixam esse tam deformati ac miselli hominis spinis. nam spinæ quoque ad homines pertinent, suntque totus ille vertebrarum humanarum contextus: atque adeo depingat nobis Achæmenidem tanquam ex ossibus & cute tantùm compaginatum præ longa fame, ac diuturna macie. iudicium aliis relinquo. Certè Calaber lib. 9. vbi situm deformitatémque Philoctetæ describit, inter alia ait, περὶ δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἔην: *oßibus pellis tantùm hærebat.* Atqui Calabro, vbi is de Philocteta loquitur, Poëtam adhæsisse, iam alij obseruarunt.

7. CÆTERA GRAIVS] Græcorum est, illi μὲν subaudiunt, Latinus quod velit. τὰ δ' ἄλλα μακάριος, Ἕλλην, καλὸς, λευκός. Ita Tacitus in vita Agricolæ: *egregius cætera.* Cicero pro Quinctio: *cætera pater familias, & prudens, & attentus.* — *Hellenismus.*

8. PER SIDERA TESTOR] Obsecratio per sidera frequens Virgilio. lib. 6. *per sidera iuro.* lib. 4. Æn. — *Obtestatio per sidera.*

Testatur moritura Deos & conscia fati
Sidera.

In 9.

— cælum hoc, & sidera conscia testor.

& 12.

— terram, mare, sidera iuro.

9. PER SVPEROS] Par locus in 2. Æn.

Quod te per superos, & conscia numina veri, &c.

Apud Horatium quoque lib. 1. epist. fit obsecratio, & obtestatio per Deos Penates.

10. TOLLITE ME TEVCRI, &c.] Similis ille affectus. 10.

Ferte ratem, sæuísque vadis immittite Syrtes.

Hæc, & ex superioribus multa adumbrata sunt à Sophoc. apud quem Philoctetes in Trag. sui nominis Neoptolemum orat, ne se deserat in illis locis, vbi à Græcis relictus, sed quocunque potiùs abducat.

Πρός νύν σε πατρὸς, πρός τε μητρὸς, ὦ τέκνον,
Πρός τ' εἴ τι σοι κατ' οἶκόν ἐστι προσφιλὲς,
Ἱκέτης ἱκνοῦμαι, μὴ λίπῃς μ' οὕτω μόνον
Ἔρημον ἐν κακοῖσι, τοῖς δ' οἵοις ὁρᾷς:

Nunc te per patrem matrémque O fili,
Per quicquid tibi domi est charum,
Supplex exoro, ne me relinquas sic solum
Desertúmque in his locis, quæ ipse vides.

11. SI SCELERIS TANTA EST INIVRIA NOSTRI] Scelus dicit, tum vt amplificet crimen, ac sic se insinuet in Troianos, qui non leue esse putabant Troiam ferro appetitam, tum, quia dixerat, Penates violatos. sed in voce *nostri* artificiosè minuit. perinde. non meum illud tantùm, sed omnium fuit scelus, communi errore deliqui. A quo non abeunt, quæ de communi omnium Romanorum crimine Tullius disserit, vt caussam Ligarij minuat.

[a] Dixerat: & genua amplexus, genibúsque volutans,
Hærebat. qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet fortuna, fateri.
[b] Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuueni: atque animum præsenti pignore firmat.
[c] Ille hæc deposita tandem formidine fatur.
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlyssi,
Nomine Achæmenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissétque vtinam fortuna) profectus.
[d] Hîc me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socij vasto Cyclopis in antro
Deseruêre. domus sanie dapibúsque cruentis

Intus opaca, ingens. ipse arduus: altáque pulsat
Sidera (Dii talem terris auertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.

ARGVMENTVM.

Deinde supplex ad genua procumbit: Troiani ab eo tria quærunt, respondet ille.

EXPLICATIO.

a Vix hæc dixerat, cùm statim more supplicum cepit genua Æneæ (nam de Ænea capiendus sermo proculdubio) amplecti, illis aduolui, imò illis sæpissime volutari, ac verò propiùs, illis hærescere. Subeat Lector, dictum suprà, *cum fletu precibúsque tulit.* Preces iam audisti, illis *per sidera testor,* &c. Iam est in fletu. Ista enim supplicum volutatio tota lacrymabunda est, & apta ad eliciendam misericordiam. Hæc cùm faceret, tria ab eo quæruntur. Primò, qua in parte Græciæ natus, nam hoc est, *quis sit?* Sit ne Argiuus, Itachus, Mycenæus, &c. Nescio, quî hoc aliqui ad nomen referant. Deinde, quod eius genus. Tertio, quæ tam dira calamitas illum agitet.

b Oppositio in vocibus. Dat *iuueni* manum, quia *pater.* Et quidem ex decoro magno inducitur Anchises senex cum hac humanitate erga hostem. *Firmat animum præsenti pignore.* Quod hoc pignus præsens? dedisse manum. nam præbitione manus continetur amoris & fidei pignus.

c Confirmatus respondet ad quæsita. Tria hæc fuerant, quis esset? quo satus genere? qua fortuna agitaretur. Satisfacit primo. Sum Ithacus, nam comes Vlyssis, eiúsque miles. Obiter aperit nomen suum. Satisfacit secundo. Sum genitus paupere Adamasto (atque vtinam eadem semper perseuerasset inopia) qua cogente paupertate contuli me ad Troiana arma.

d Satisfacit tertio. Quæritis fortunam? quàm ea aspera! Socij dum abeunt & Cyclopem fugiunt, hîc me linquunt. Sed excusentur, nam *immemores* hoc fecerunt, vt qui *trepidi.* calamitas quippe memoriam abstulit. Signat in hoc loco trepidatio non tam metum, quàm celeritatem fugæ, qua rerum omnium obliti. Ex occasione describit & domum Cyclopis, & Cyclopem ipsum: nam hæc pertinent ad fortunam, qua agitabatur. Ergo domus est & crudelis, & formidanda: crudelis sanie, dapibus, humano cibo; formidanda opacitate, & magnitudine. Cyclops verò ipse pati formidine, pari crudelitate. formidine, nam, vt domus eius ingens, ita ipse formidandus quoque magnitudine, nam ita est arduus, vt pulset sidera, neque facilè ab vllo cerni queat, neque facilè quantus sit oratione exprimi; crudelis, nam, vt eius domus tota est sanie plena, ita ipse totus plenus cruore, vt qui pascatur visceribus humanis, & sanguine. Parenthesis continet detestationem monstri.

NOTÆ.

1. GENVA AMPLEXVS] Creditum veteribus, pietatem quandam inesse genibus, atque inde supplicantes se se illis aduoluunt, hæréntque; amplectuntur, osculantur. Plin. lib. 11. cap. 45. *Hominis genibus quædam & religio inest, obseruatione gentium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt: hæc, vt aras,*

Genu sedes pietatis.

A *adorant. fortaßis quia inest iis vitalitas. Namque in ipsa genu vtriusque commissura; dextra læuáque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas est: qua perfossa, ceu iugulo, spiritus fugit.* Ergo ex hac religione (adducam exempla, nemini, quod sciam, libata) Agathias lib. 2. Hist. Καίσαρι δ' εἰλιχθεὶς περὶ γόνασι: *Cæsari aduolutus ad genua.* Philostratus lib. 2. de vitis Sophist. ξὺν πολλοῖς θωπεύμασι περιπίπτων τοῖς γόνασι τοῦ πατρὸς ἐδεῖτο: *cum multis adulationibus prouolutus genibus patris precabatur.* Demosthenes de falsa legat. προσπίπτει πρὸς τὰ γόνατα τῷ Ἰατροκλεῖ: *accidit ad genua Iatrocli.* Apud Dionysium lib. 4. inducitur Lucretia patris τῶν γονάτων λαβομένη. Quintilianus declamat. 260. *Rogant, & prouoluuntur ad genua.* De hoc more hactenus, cui vicini tres alij.

B Primus, non solùm genibus, sed pedibus etiam prouoluebantur. Cæs. 2. de Massiliensibus *vniuersi se ad pedes proijciunt, orántque.* Cic. Antequam, &c. *Quibus sigillatim sæpe supplex ad pedes iacui.* Prudent. in Apotheos. *soleas Iunonis lambere, plantis Herculis aduolui.* Inde humanitas Traiani laudata Plinio: *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis.* Et superbia Maximini vituperata Capitolino: *In salutationibus superbißimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes.* Hoc quoque factum in votis & religione. Huc allusum ab Ouid. 2. Amor. eleg. 13.

Pedibus aliorum prouoluebantur supplices.

——*Ipse feram ante tuos munera vota pedes.*

Alter, interdum qui supplicabat, contingebat manu altera genu, altera mentum illius, cui accidebat. Plin. lib. 11. cap. 45. *Antiquis Græciæ in supplicando mentum at-*

Mentũ contingebant, qui supplicabant.

C *tingere mos erat.* Homer. 1. Il.

——λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα·
——*apprehendit genua*
Sinistra, dextra autem mentum tenuit.

Inde Hecuba apud Eur. in Trag. sui nominis, vt Vlyssem inexorabilem esse probet, illi obiicit, quòd vultum auerterit, atque adeo reflexo capite, mulceri se non sit passus. ὡς μὴ προσθίγειν γενειάδος. Mos hic seruatus etiam cum fœminis, quod mirêre, hoc enim non est è pudore, sed certè seruatus. Hecuba ita loquitur ad Vlyssem:

ἥψω τῆς ἐμῆς, ὡς φῄς, χερὸς,
Καὶ τῆσδε γεραιᾶς προσπίτνων παρηίδος·
D *Attigisti meam, vt fateris, manum,*
Attigisti accidens hanc senilem genam.

Quin Dij quoque tangebantur hac parte corporis, nam Thetis. 1. Il. Ioui supplicabunda,

——λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα·
—— *apprehendit genua*
Sinistra manu, mentum dextera.

Sed hic mos, vt te iam docuit Plinius, non vltra Græciam, est enim contemptus à Latinis. Quis enim manum supponat mento viri grauis, pudicæ fœminæ, Dei maximi? Tertius, hoc ritu supplicantium interdum fiebat adoratio. Liu. lib. 30. *qui vbi in castra, & prætorium peruenerunt, more adorantium accepto, credo, ri-*

Adoratio supplicum.

E *tu ex ea regione, ex qua oriundi erant, procubuerunt.* Suet. in Vitell. cap. 2. *idem miri in adulando ingenij, primus C. Cæsarem adorari vt Deum instituit, cùm reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circumuerténsque se, deinde procumbens.* Habes ex

dictis

dictis mores quatuor. videlicet, supplicantes solitos A procumbere ad genua, ad pedes, manu mentum apprehendere, adorare. Sed quia explicans expendi, hos ad genua procubitus esse vnà cum lacrymis, & hæc est mens Poëtæ: huius rei testem accipe Liuium lib 34. *Legati, vbi hæc audiuerunt, flentes ad genua consulis prouoluuntur.* & Claudianum, qui. 1. Rap. loquens de Parcis:

Supplicum lacrymæ.

—genibúsque suas cum supplice fletu
Admouere manus.

Ioann. Chrysost. homil. de Peccato, & Confess. γονάτων ὑμῶν ἅπτομαι, καὶ δάκρυα ἐκχέω. Lucretia quoque apud Dionysium attingens genua patris, ἱκέτευε. Apuleius lib. 6. *Tum Psyche pedes eius aduoluta, & vberi fletu rigans Deæ vestigia, veniam postulabat.* Vela contraho, si B te tantùm ἐκ παρέργου adagialem formam admoneam, quam me docet Herodotus lib. 6. vbi loquens de cladibus Chiorum, inter alia ita ait: μετὰ δὲ ταῦτα, ἡ ναυμαχίη ὑπολαβοῦσα, ἐς γόνυ τὴν πόλιν ἔβαλε: *Post hæc, secuta est naualis pugna, quæ ciuitatem in genua deiecit.* Itaque βάλλειν ἐς γόνυ, erit prouerbialiter, *euertere*, pessumdare, affligere, accidere.

Ad genua deiicere, adag.

2. Qvi sit fari] Multa in hac narratione similima illis, quæ de Sinone habita. 2. Æn. tantùm verè ab Achæmenide, quæ fictè à Sinone. Non minimæ sit vtilitatis vtriusque loci comparatio.

3. Dextram dat ivveni] Dabant veteres manum alteri in signum amoris & beneuolentiæ, ex more iam multis obseruato. Ab Cedreno inducitur Alexander Magnus Iudæorum τὸν ἀρχιερέα δεξιωσάμενος. Eurip. Iphig. in Aul.

Dextera dabatur in signum amoris.

Ἄδελφέ, δὸς δεξιᾶς τῆς σῆς θιγεῖν:
Frater, da contingere tuam dexteram.

Addo etiam pacta hac ratione firmari. Interpres Aristoph. ad ea verba in Nubibus, τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν, *dexteram manum porrige*, sic ait, ἔθος ἦν ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις βεβαίαις, τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις: *Moris erat in fide, pactísque firmis, dexteras mutuò dare.*

Pacta firmabantur data dextera.

4. Atqve animvm præsenti pignore firmat] Ad hunc locum pertinent verba Curtij è lib. 5. hæc sub persona Darij iam morituri loquentis cum Polystrato: *Alexandro hoc fidei Regiæ, vnicum dextræ pignus, pro me dabis. Hæc dicentem accepta Polystrati manu vita destituit.* Nullum hîc aliud pignus, nisi manum dedisse. Ex his verbis notetur mos alius, videlicet præbitionem dexteræ mutuæ fieri solitam in obitu, maximo indicio fidei. Quò spectant hæc Taciti. 2. Ann. de obitu Germanici: *iurauêre amici dextram morientis contingentes.*

Pignus in dextra.

5. Svm patria ex Ithaca] Expressum ex Cratino, ἐν Ὀδυσσεῦσι, ex nota Vrsini,

Ἡμῖν Ἰθάκη πατρίς ἐστι,
Πλέομαι δ' ἅμα Ὀδυσσεῖ θείῳ:
Nobis patria est Ithaca,
Nauigamus cum diuino Vlysse.

Est hîc etiam latens Euripidis imitatio in Cycl. vbi Cyclops ipse Vlyssem, Græcósque alios interrogat, vnde nauigent? Cuiates sint? qua vrbe educati? cui Vlysses respondet, esse se genere Ithacenses, venire ab vrbe Troia vastata, ventis eò appulsos.

6. Infelicis Vlyssi] Credo allusum ad errores, quibus dux hic exercitus. Vnde πολύτροπος ab Homero. Nisi quis detorqueat ad præsentiam Troianorum, quos veritus Achæmenides non est ausus aliter ducem suum afficere.

7. Nomine] Legendum hîc *nomen* sunt qui seriò affirment.

8. Achæmenides] Contendit Nannius. 7. Miscell. à Poëta non *Achæmenides* scriptum; sed *Agamemnides*, vel, *Agamenides*. nam cùm Virgilius nullum nomen casu induxerit, & etymologia nulla Achæmenidem adiuuet, ipse eam rimatur ex his versibus, qui mox sequuntur,

Hîc me dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socij vasto Cyclopis in antro
Deseruêre.

Dictus itaque erit Agamemnides quòd nimium diu manserit in spelunca Polyphemi, dum socij abeunt. atque eadem ratione Parmenonem esse vocatum, quòd assiduè permanserit apud fores Thaidis, vnde scomma Gnathonis, *etiam tu hic stas Parmeno? eho? num nam, hîc relictus es custos, nequis fortè internuntius clam ad eam cursitet?* Ita quoque Agamemno, quòd tandiu in bello Troiano hæserit, nomen sortitus est, auctore Platone in Cratylo. Ex eodem fonte profluxerunt Meneptolemos, & Menecharmes, quòd in bello, & in pugna assidui essent. Ergo, ἄγαν, *valde*, est: μένω, *maneo*: inde Agamenides, non Achæmenides. sed hæc, quæ subtiliter dicta, parum valida ad mutandam lectionem tota antiquitate firmatam, difficiléque esset omnium nominum, quæ inferuntur à Virgilio, causas, & etymologiam rimari. Et cur non Achæmenides dici ἀπὸ τοῦ ἄχους, & μένω, possit? quòd in dolore mœroréque mansérit sociis abeuntibus. Quid quòd Herodotus lib. 7. C nomen Achæmenidis adducit, vt videatur sanè hoc nomen in antiqua Græcia vsitatum? Quamuis enim Persicum hominem adducat scriptor, sed non dubium quin forma nominis Græca sit.

Parmeno vnde dictus.

Agamemno vnde dictus.

Achemænidæ etymon.

9. Pavpere] Paupertas multis occasio militandi fuit. Sinon. 2. Æn.

Paupertas militiæ causa.

Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.

Terent. Heautont.

Cùm hîc egens profugeret aliquò militatum.

Plautus Trinum.

Sed si alienatur, actum est de collo meo,
Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina.

Cur Curius & Camillus egregij fuissent Imperatores, causam coniicit in paupertatem. Horatius lib. 1. Od. 12.

D *Hunc & incomptis Curium capillis*
Vtilem bello tulit & Camillum
Sæua paupertas.

Affine illud lib. 3. Od. 2.

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat.

Quasi vnà paupertas & militia condiscendæ sint.

10. Immemores socii, &c.] Est tacita Sophoclis imitatio in Philoctete, tacita (inquam) nam hîc socij trepidi, & immemores socium relinquunt: ibi Græci Philoctetem ipsum ex studio; &, quo, ne audiantur à misero, qui relinquebatur, taciti soluunt. Ad idem argumentum pertinent Catulliana, de Ariadne relicta à Theseo in littore.

E 11. Altaqve pvlsat sidera] Similis superior hyperbole,

—& sidera verberat vnda.

De Cyclopis magnitudine sic Homer. Odyss. 9.

Cyclopis magnitudo.

Ἐῴκει ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων:
Similis erat cacumini syluoso excelsorum montium.

Lege Iunium cent. 2. adag. vbi magna copia similis ὑπερβολῆς. Ego non pauca in Eclogis duplici in loco. Galenus libr. 3. de vsu partium cap. 14.

Cyclopi etiam dat ingentem insitatámque magnitudinem. πολλαπλάσιον τὸ μέγεθος ὄντι τοῦ Κύκλωπι.

12. Nec visu facilis] Actius in Philoctete:

Quem neque tueri contra, neque affari queas.

Ex cuius imitatione apparet, sententiam Poëtæ referendam ad timorem, vt dicat, nemo audebit, tam dirum monstrum, aut cernere, aut cum eo loqui. Sed possis quoque ad monstri magnitudinem, vt iam explicui. Verùm vt in re grammatica hæream, videat quæso vir doctus an *visu* & *dictu* sint casus sexti, an potiùs tertij? vt d icat, nec facilis est visui, nec affabilis dictui vlli, postulante sæpe locorum similitudine hanc rationem structionis. Nam Virg. qui dixit *mirabile visu*, idem ipse,

— oculis mirabile monstrum.

Vnde apparet *visu* dixisse, pro visui. Ergo, vt Poëta dicit, *parce metu*, pro, metui: cur non dicat *facilis visu, affabilis dictu*, pro, visui, & dictui? Nam quæ vulgus vocat supina vltima, iam docti explodunt. verè sunt nomina, aut à rectis vsitatis, vt venatu, à venatus: aut insitatis, vt dictu, quãuis in vsu nõ sit dictus, dictus, dictui. Suadet hoc ratio duplex. Hæc nomina sæpe cum adiecto inueniuntur. Quintil. lib. 8. *verba ipso auditu acerba*. Agell. lib. 12. *versus aßiduo memoratu dignos*. Stat. 9. Theb.

Supina vltima nulla sunt.

—longo defessa redibat
Venatu.

Prudent. in Perist. hym. 11.

Postquam composito satis instruxere paratu.

A Cic. sæpe, *rogatu, & accersitu tuo*. Deinde hæ voces cum alteris ita connectuntur, vt omnino esse nomina appareant. Liu. lib. 31. *id dictu, quàm re facilius*. Tacit. lib. 1. Hist. *lucos visu ac memoria deformes*. De lectione Virg. monent aliqui rectiùs legi *effabilis*, quàm *affabilis*. quod & aliis, & nobis placitum.

13. Visceribvs miserorvm] Eurip. Troad.

Cyclopibus humana esca.

—ὠμόβρος τ', ὀρειβάτης
Κύκλωψ.

—crudifagus, montanus
Cyclops.

Ennius lib. 9. Annal.

Cyclopis venter velut olim turserat alti
Carnibus humanis distentus.

Philostratus in Heroicis de Cyclope. λέοντος ὠμοῦ δίκην τοὺς ἀνθρώπους ἤσθιεν: *instar leonis sæui homines vorabat*. B Inde de Cyclopibus Homerus,

Οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν,
Ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται:
Qui neque manibus quicquam plantant, neque agros arant,
Sed quibus omnia nullo semine, nullo aratro producũtur.

Quia videlicet pascuntur hominibus. Quem locũ respexit Philostratus in Heroicis, ita scribens de Cyclopibus, οὓς λέγεται ἡ γῆ ἀργοὺς βόσκειν, φυτεύοντας οὐδὲν, οὐδὲ σπείροντας: *quos nec plantantes, nec serentes quicquam tellus otiosos dicitur pascere*. Locum Aristophanis, qui in Pluto ridet Philoxenum, quòd Polyphemum introduxerit pera, & herbis grauatum, cùm non is herbis, sed carnibus victitasset, iam Gerardus admonuit.

[a] Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, synieq; aspersa natarent
Limina: vidi, atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
[b] Havd impune quidem: nec talia passus Vlysses:
Oblitúsue sui est Ithacus discrimine tanto.
[c] Nam simul Expletvs dapibus, vinoq; sepultus,
Ceruicem inflexam posuit, iacuitq; per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitiq; vices, vnà vndique circum
Fundimur: & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis instar:
Et tandem læti sociorum vlciscimur vmbras.

ARGVMENTVM.

Describit Achæmenides Cyclopis tum crudelitatem, tum ingluuiem, duobus socijs Vlyßis interfectis, ac deuoratis. Deinde vti Vlysses vltus fuerit hanc cædem perfosso gigantis oculo.

EXPLICATIO.

[a] Repræsentat crudelitatem & ingluuiem Cyclopis ita viuidè, vt putes te cernere. Crudelitatem in arreptis corporibus fractísque ad saxum: ingluuiem, cùm mandit membra, quæ tabo fluunt, cùm artus tremunt sub dentibus.

[b] Non cessit Cyclopi impunis crudelitas, nam C Vlysses non passus est inultè illum hoc fecisse. neque in manifesto vitæ periculo oblitus est sui. Monui lib. 2. calliditatem & dolos Vlyssis infames fuisse præcipuè sub nomine *Ithaci*, quò hîc quoque videtur respectum: quasi dicat: Qui Ithacus, id est, qui vaferrimus, non potuit sibi deesse in hoc periculo.

[c] Scribit vti facta vltio sociorum, quos deuorauerat Cyclops. Post tam diras epulas ille se ad somnum composuit, ac totum pene antrum occupauit porrecti corporis magnitudine: quo in somno cœpit crapulam vomere, eructans saniem occisorum, & frusta carnium, vnà cum mero, quo se affatim ingurgitauerat. Tunc omnes, duce Vlysse, præmissa Deorũ inuocatione, ac laborẽ sortiti, circum illũ fundimur, oculúmque, quem vnicum tantùm habebat, eúmque latentem

tentem in fronte sub capillitio syluoso, acuto stipite terebramus. qui sanè oculus videbatur magnitudine Argolicum clypeum, aut orbem solis repræsentare. Ita demum socios vlciscimur, lætissimi rem pro votis accidisse.

NOTÆ.

1. VIDI EGOMET DVO DE NVMERO] Pertinent hæc ad crudelitatem. Historia, & imitatio sumpta ex Homero Odyss. 9.

Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ', ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον.
Ἤσθιε δ' ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε, σάρκας τε, καὶ ὀστέα μυελόεντα:
Duos autem corripiens, quemadmodum catulos, ad terram
Illisit, cerebrum autem humi effluebat, irrigabat autem terram.
Hos autem membratim resecans apparabat cœnam,
Deuorabat autem quemadmodum leo montanus, neque reliquit
Intestinaq́, carnesq́, & ossa medullis plena.

Virgilius superat Homerum.

Ait Scal. Virgilium rem per se atrocem verecundè & modestè narrasse heroïca dignitate: Homerum repræsentasse teterrimam carnificinam, quæque potiùs accederet ad satyricam licentiam, quàm ad maiestatem heroïcam: & tam atrocia miscuisse, vt videatur dicere causam apud iudicem. Inde est, vt crediderim Virgilium potiùs hæsisse Euripidi in Cyclope, vbi eadem historia habetur his versibus.

Ὡς δ' ἦν ἕτοιμα πάντα, τῷ θεοστυγεῖ
Ἅιδου μαγείρῳ, φῶτε συμμάρψας δύω:
Vt verò erant parata omnia, scelesto
Dabat coquo viros correptos duos.

& statim primo interfecto, cùm ad alterum accedit, ait Poëta:

Παίων πρὸς ὀξὺν γ' ὄνυχα πετραίου λίθου
Ἐγκέφαλον ἐξέρρανε:
Illidens ad acutam crepidinem asperi saxi
Cerebrum dispersit.

Cyclopis humana esca.

Extrema hæc indicant imitationem Virgilij. Cum respectu ad hanc historiam dixit Eurip. de epulis Cyclopis, *δείπνων ἀνοσίων*: *conuiuiorum impiorum*. iterum domum Cyclopis vocat *ἀνδροβρῶτα*, *viriuoram*. iterum, *βορὰν δυσσεβῆ*, *escam impiam*. Lucian. in dial. Dor. & Galat. *ὠμοφάγον, καὶ σιτούμενον τοὺς ἐπιδημήσαντας τῶν ξένων*: *Crudis victitantem, deuorantem hospites, qui appulerint.*

Cyclopis honor. adagium.

Notetur obiter adagij forma hæc, *afficere Cyclopis honore*. Nazianzen. orat. 2. contra Iulianum. *τὴν Κυκλώπειον ἐτίμας τιμήν*: *Cyclopis honore afficiebas.* Ductum ab historia Vlyssis, cui Cyclops respondit, illi se daturum honorem hunc, vt vltimum voraret. Vsurpabitur adagium ad rem infaustam.

Cyclopis voracitas.

2. VIDI ATRO CVM MEMBRA FLVENTIA TABO] Hæc iam ad ingluuiem. Non abeunt illa Epicharmi in Busiride de voracitate Herculis.

Πρᾶτον μὲν αἴκ' ἔσθοντ' ἴδῃς νιν, ἀποθάνοις.
Βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος,
Ψοφεῖ δ' ὁ γομφίος, τέτριγ' ὁ κυνόδων:
Primùm, si edentem videres illum, morereris præ metu.
Fremit intus guttur, strepit maxilla,
Resonat dens molaris, stridet caninus.

De Cyclope signatè Liu. Andron. in Odyss.

Cùm socios nostros mandisset impius Cyclops.

& Hom. Odyss. 9.

Αὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωψ μεγάλην ἐμπλήσατο νηδὺν,
Ἀνδρόμεα κρέ' ἔδων:

A *Sed postquam Cyclops magnum impleuerat ventrem,*
Humanas carnes edens.

Sed inprimis apud Eurip. multa sunt de voracitate Cyclopis in Trag. cui dedit nomen Cyclops idem. Ergo Vlysses ad Cyclopem,

——νηδὺν, καὶ γνάθον πλῆσαι σέθεν:
——ventrem & buccam implere tuam.

Cyclopes ipse sibi dat *γαστέρα ὑπτίαν* *ventrem supinum.* sic & Virg. *resupinum* inducit. Pergit Cyclops,

Ἃ 'γὼ οὔτινι θύω, πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ,
Καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων,

Præcesserant quippe *βοτὰ*, id est, *pecudes*. ait ergo:

Quas ego nulli sacrifico, nisi mihi, non Dijs,
Sed huic ventri meo Deorum maximo.

Chorus deinde Cyclopem vocat, *ἀθρείας φάρυγος*, *va-*
B *sti palati*. Inf.

Κόπτων, βρύχων, ἑφθὰ τε δαινύμενος
Μυσαροῖσιν ὀδοῦσιν
Ἀνθρώπων, θερμὰ ἀπ' ἀνθράκων κρέα:
Interficiens, mandens, & elixas edens
Nefarijs dentibus
Hominum calidas à prunis carnes.

3. OBLITVSVE SVI EST ITHACVS DISCRIMINE TANTO] De virtute Vlyssis in antro Cyclopis, vtque se ad obeundum facinus confirmarit, locus est apud Philostratum lib. 7. de vita Apollon. cap. 12.

4. CERVICEM INFLEXAM POSVIT] Eandem dormientis descriptionem habes apud Homer. his versibus,

———ἀνακλινθεὶς πέσεν ὕπτιος, αὐτὰρ ἔπειτα
C *Κεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα, κὰδ δέ μιν ὕπνος*
Ἥρει πανδαμάτωρ:
—recumbens cecidit supinus, cæterùm deinde
Iacebat inflexus crassam ceruicem, & illum somnus
Cepit omnia domans.

5. IACVITQVE PER ANTRVM] Hinc auctores colligunt magnitudinem Cyclopis, qui totum antrum occupasset. Ad quam rem pertinent Lucillij versus apud Crinitum lib. 17. cap. 3.

Cyclopis magnitudo.

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra patent: quorum in primis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes.

Virgilij prudentia.

Sed hæc ad *αὔξησιν*, dicta credamus. Ego in his rebus Virgilij prudentiam animaduerto, qui nunquam lo-
D quitur terminato numero, ne se ridendum det. Sed tantùm adducit quasdam hyperbolas poëtis vsitatas. Vt hic, *iacuítque per antrum*. & suprà:

———altaque pulsat Sidera.

& infrà:

———nec dum fluctus latera ardua tinxit.

& de omnibus Cyclopibus:

— cælo capita alta ferentes.

6. SANIEM ERVCTANS] Sumptum hoc ab Euripide,

Ἔνδον μὲν ἀνὴρ τῷ δ' ὕπνῳ παρειμένος
Τάχ' ἐξ ἀναιδοῦς φάρυγος ὠθήσει κρέα:
Intus quidem vir (Cyclops) solutus somno
Illico ex pudendis faucibus euomet carnes:

Quod de vino ait Virg. ex eodem quoque sumptum,
E nam suprà narrat idem Tragicus, vti vino propinatum fuerit ab Vlysse Cyclopi. Homerus quoque loco adducto,

——φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος,
Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι, ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων.
——è gutture ruebat vinum,
Frustáque humanæ carnis. hic autem eructabat vino grauatus.

Magna numina, quæ.

7. MAGNA PRECATI NVMINA] Non confundo in Marone *Numina magna* cum *Dijs Magnis*: cùm

Magni Dij, apud illum Penates sint vrbium custodes, A
de qua re dictum ad illud. 1. Æn.

Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus.

Magna verò *Numina* apud illum sunt Iuppiter, Neptunus, Apollo, &c. duodecim (inquam) satis nominati, mares sex, totidem fœminæ. Nam 2. Æn.

Apparent diræ facies, inimicaque Troiæ
Numina Magna Deûm.

Mox commemorat, Neptunum, Iunonem, Palladem, &c. Moueor etiam vt credam Magna Numina esse Iouem, aliósque huiusmodi ex supremis, versu illo,

Numina Magna Loci iussi veneramur.

En Loci Numina vocat Magna. Loci autem Deus Iuppiter esse proculdubio potuit, aut aliquis ex supremis. Nam in 8. B

Quis Deus (incertum est,) habitat Deus.

& mox subdit, Iouem sæpe ibi visum ab Arcadibus, putatúmque esse Deum illius loci, ad illum versum. eodem traho versum illum sup.

Numina Magna vocat, meritósque indicit honores.

item illum. 12.

—Melior Magnis data victima diuis.

neque enim in his versibus vlla necessitas, vt Deos Penates intelligamus.

8. Sortitiqve vices] Hanc dispositionem per vices ad inferendam vim giganti sumpsit proculdubio ex Eurip. loco iam adducto sub persona Chori, sic quærentis ab Vlysse:

Ἄγε τίς πρῶτος, τίς δ' ἐπὶ πρώτῳ C
Ταχθεὶς, δαλοῦ κώπην ὀχμάσας,
Κύκλωπος ἔσω βλεφάρων δοὺς
Λαμπρὰν ὄψιν διακναίσει;
Age, quis primus, quis secundus
Constitutus, torris remo super incumbens,
Cyclopis intra palpebras trudens
Clarum visum eradet?

Homer. quoque in eadem sententia,

—τοὺς ἄλλους κλήρῳ πεπαλάχθαι ἄνωγον:
—alios sorte sortiri iussi.

iterum,

Οἱ δ' ἔλαχον τοὺς ἄν κε καὶ ἤθελον αὐτὸς ἑλέσθαι
Τέσσαρες, αὐτὰρ ἐγὼ πέμπτος μετὰ τοῖσιν ἐλέγμην:
Illi sortiti sunt, quos voluissem ipse capere,
Quattuor, & ego quintus cum his electus sum. D

Hîc te moneo, Euripidem in adducto loco, cùm torrem nominauit κώπην, id est, *remum*, institisse Homero, qui similiter ex re nautica ad eandem rem metaphoram duxit. nam clauam, qua perfossus Cyclops, malo nauis comparauit. Vide quantulo verbo *sortitique vices* magnorum poëtarum sententiam magnus Poëta incluserit.

9. Latebat] Seru. latentem oculum accipit, dormientem. Germano visum, accipi posse, oculum fronti infossum, immersum, & abditum; nam hi, vt plurimùm, malefici & noxij putantur: quæ commentatio (ait) possit Polyphemo conuenire, qui immanitate & feritate à Poëta infamatur. Ego latentem capio capillitio multo ac denso, atque instar E sylux, sub quo propendente oculus lateat. Nam Philostratus de Polyphemo lib. 2. Icon. μίαν μὲν ὑπερτείνων ὀφρῦν τοῦ ὀφθαλμοῦ ἑνὸς ὄντος: *vnum quidem super vnico protendens oculo supercilium.* atque etiam dat illi χαίτην πίτυος δίκην: *comam instar pinus.*

10. Argolici Clypei, avt Phoebææ lampadis instar] Vtrunque ad formam oculi pertinet, quæ in orbem rotundata, & ad magnitudinem: alterum autem ad splendorem. Notum est discrimen Clypei, & Scuti. ille rotundus, & breuior: hoc oblongum, & maius. Clypeo respondet ἀσπὶς, ab aspide, qui serpens orbiculari sese forma inuoluit: scuto θυρεὸς ad similitudinem forium, quæ longiores quàm latiores esse solent. Ex quo discrimine procedunt, quæ Liuius scribit lib. 1. Primæ classi imperatum esse clypeum cum galea, ocreis, lorica: secundæ, pro clypeo scutum, & præter loricam eadem omnia, vbi Dionys. pro clypeo ἀσπίδα, pro scuto θυρεὸν, quia nimirum, qui clypeum gestarent, lorica egebant; qua non, qui scutum, vt qui hoc totum corpus protegerent, scribente etiam Poëta lib. 8.

Clypei, & scuti discrimen.

—scutis protecti corpora longis.

Quæ dixi, ascribantur diligentiæ magni Turnebi. adde Actium, qui in Agamemn. cælum clypeo comparans ait, *in altissimo cæli clypeo*, non dicturus, nisi clypeus rotundus esset. Homerus quoque dixit ἀσπίδα πάντοσε ἴσην: *clypeum vndique æqualem.* quæ æqualitas referenda ad rotunditatem. Eodem trahit Aldus in lib. Quæsit. Ælianum, qui ait, Macedonas vsos ἀσπίσι περιφερέσι. qua voce notatur circumferentia. Quæ dixi pertinent ad rotunditatem. Sed quoniam comparatio Virgilij etiam magnitudinem indicat, scias, clypeos, breues quidem esse, si cum scutis longis comparentur: sed verè magnos fuisse respectu habito ad parmas, quæ etiam fuerunt rotundæ, sed breuiores clypeis, quod expressè Nonius, & alij. & Poëta ipse. 8. Æn. Æneæ clypeum *ingentem* vocat, & Ouidius de Cyclope, imò ipse Cyclops:

Clypei quantitas.

Vnum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei.

Ergo habita ratione rotunditatis, comparauit Virgilius oculum Cyclopis cum clypeo, non cum scuto: & habita ratione magnitudinis, cum clypeo, non cum parma. Creuit sequenti æuo magnitudo clypei. Nam Hegesippus lib. 3. c. 24. iam sua ætate maiorem facit. Ita enim Titum Cæsarem inducit loquentem ad milites. *Progredimur in bellum muniti vndique, tegitur galea caput, lorica pectus, totum clypeo corpus: vbi feriat hostis Romanum militem reperire non potest, quem ferro tectum circumspicit.* Sed quid si clypei, saltem Argolici, veteribus fuere pari magnitudine, ita vt totum corpus tegerent? Etenim ex verbis istis Dionysij lib. 4. hoc satis colligitur. ὅπλα φέρειν ἐπέταξεν, ἀσπίδας Ἀργολικὰς, καὶ δόρατα, καὶ κράνη χάλκεα: *iussit milites ferre arma, clypeos Argolicos, hastas, galeas æreas.* Certè non tutum satis corpus militum, nisi clypei Argolici magni essent. Itaque præclarè Poëta ad signandam non solùm rotunditatem, sed magnitudinem oculi, dixit *instar clypei Argolici.* Porro de oculis Cyclopum Callimachus in hymno ad Dianam hyperbolicè nimium, nam vbi de Cyclopibus agit, non vni tantùm clypeo, sed quadruplici similes esse illorum oculos dixit, φάεα σάκει ἶσα τετραβοείῳ.

Clypeus Argolicus magnus.

11. Phoebææ lampadis] Ita & Lucretius solem vocat, *æternam mundi lampada.* Vterque vates (sic nonnullis visum) ad dogma Philosophicum, quod tribuebat soli igneam naturam, ita vt putarent esse aut saxum ignitum, aut ferrum candens.

12. Sociorvm vlciscimvr vmbras] Hos, duos fuisse Virgilius ait, Homerus quattuor. Sed vates Euripidem sequitur, qui etiam duos. Allusit verò ad morem illum, ad quem & Lucanus:

—vmbraque erraret Crassus inulta.

errare enim animæ fingebantur, neque peruenire ad destinatum locum, nisi sumpta esset vltio cædis per vim illatæ. Sed de hac re in 6.

a Sed

[a] Sed fugite ô miseri, fugite: atque ab littore funem
Rumpite.
[b] Nam qualis quantúsque cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque vbera pressat:
[c] Centum alij curua hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
[d] Tertia iam lunæ se cornua lumine complent:
Cùm vitam in syluis, inter deserta ferarum
Lustra domosq; traho: vastosq; ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumq; pedum, vocemq; tremisco.
[e] Victum infelicem baccas, lapidosaq; corna
Dant rami: & vulsis pascunt radicibus herbæ.
[f] Omnia collustrans, hanc primùm ad lttora classem
Conspexi venientem: huic me, quæcunque fuisset,
Addixi. SATIS est gentem effugisse nefandam.
[g] VOS animam hanc potiùs quocunque absumite letho.

ARGVMENTVM.

Monet Troianos vt fugiant, cùm non Polyphemus tantùm, sed plures alij Cyclopes pari feritate ibi habitent. Deinde narrat ipse, quod tempus ibi fuerit, quo pastus cibo, quo animo ad visam classem.

EXPLICATIO.

a VErsus totus celeritatem spitat, qua vult vt inde Troiani abeant. Quasi dicat. Fuga ista sit, non solutio à portu: & ideo funem rumpite, ne soluite, ne moræ in soluendo sint. Illud *fugite ô miseri.* perinde ac si dicat. miseti, nisi fugiatis.

b Mirè turbat orationem, vt signet metum, in quo est. Nam sententia esse debebat. Qualis quantúsque est Polyphemus in suo antro, cùm claudit pecudes, cùm pressat vbera; tantus talísque nobis apparet, aut quid simile. Sed amputat verbum, & orationem impetfectam relinquit. Video posse sententiam annecti cum sequentibus, ita vt nihil desit, sed nescio quî turbatio illa, quam explicui, potior ad rem.

B

c Qui superiora cum his annectunt, ita debent explicare. Qualis quantúsque in antro suo est Polyphemus; tales tantique centum alij Cyclopes habitant hæc littora, ertant his montibus. Vide verò, vti metum incutiat à multitudine Cyclopum. Non vnus Polyphemus, sed centum (numerus finitus pro indeterminato) alij hîc sunt. Habitant verò hæc littora, errant his montibus, non vt ille in antro inclusus. Est *vulgo* passim, obuiam. Hîc verò sermo totus est προληπτικός. Nam dici posset. Si cæcus Polyphemus, cur timendus? Soluit. non ille est solùm, sed alij multi.

C

d Signat tres menses, quibus vitam non tam ducit quàm trahit miserrimam. Habet verò oratio incrementum. Dirum est in syluis viuere; dirius in lustris, ac domibus ferarum; dirissimum Cyclopas cernere, tremuisse ad illorum vocem, ac sonitus pedum. Per *vastos* signatur magnitudo. Illud *ab rupe* non connecto cum Achæmenide, vt dicat, ego prospicio ab rupe. Apage vt ille rupes ascenderet visurus tam bella monstra, & fruiturus pulchro spectaculo. Sed dicit. Prospicio Cyclopas ab rupe, quam ipsi ascendunt, qua errant.

e Augetur infelicitas Achæmenidæ ex victus ratione, quo alitus. numerat baccas, corna, herbas. Vox

A

illa *infelicem*, non capienda tantùm vulgariter, vt dicat *victum infelicem*, id est, miserum. sed ea significatione, qua felices arbores infelicibus opponuntur. *Baccæ*, vox est generica conueniens fructibus, qui racematim cohærent.

f Quia *omnia*, ideo *col lustrans.* nam si de vno tantùm loco sermo esset, satis, lustro. Ait verò, præ cupiditate inde euadendi, nihil curate addictum se posse dici (hoc postea explico) nihil quæcumque mortis genera, quibus non corpus solùm obruatur, sed anima quoque absumatut. Sic hominibus natura insitum, vt genus mortis, quod proximum est, reliquis putent horribilius.

g Animam hanc *vilem* explicat Donat. in Hecyr. Terent.

NOTÆ.

1. FVNEM RVMPITE] Palum illũ, cui nauis illigata, Prymnesium dici, & tonsillam, Festus notauit. Ipsam illigationem dixere *supationem*. Est enim *supo* nauem prymnesio illigare. Attius Phœniss. apud Non. Prymnesiũ. Tonsilla. Supatio. Supo.

Abtórque proram, ac supa tortas copulas.

Contrarium erit *dissipo*, nam hoc verbum à *sipo* ortum, vt facilè apparet ex fragmentis Festi. Itaque propriè *dissipo* de naue dicitur, & inde vox ad alia traducitur. vt enim *ligo* & *soluo* opponuntur in re nautica, ita *supo* & *dissipo*. Habent affinitatem cum supo *suppara* vela nautica. Dissipo quid propriè.

2. NAM QVALIS QVANTVSQVE, &c.] Tria attingit de Cyclope, primo eius corporis vastitatem, deinde studium, tertiò locum. Ergo voces *qualis quantúsque* signant molem corporis ingentem, & eandem quam superiores illæ, Cyclopis magnitudo.

—ipse arduus, altáque pulsat
Sidera.

Hom. Odyss. 9. de eodem, ἀνὴρ πελώριος, *vir ingens*, & deinde, comparat montis cacumini, versum suprà attuli. De studio Cyclopis in pascendo grege, Hom. idem, Studium.

—ὃς ῥά τε μῆλα
Οἶος ποιμαίνεσκεν ἀπόπροθεν:
—qui pecora
Solus pascebat longè.

iterum,

ξεῖνον

—σεῖνον δ᾽ σηκοί
Ἀρνῶν ἠδ᾽ ἐρίφων. διακεκριμέναι δ᾽ ἕκασται
Ἔρχατο, χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δ᾽ αὖθ᾽ ἕρσαι:
——repleta erant stabula
Hœdorum, atque agnorum, separatæ verò singulæ
Inclusæ erant, separatim quidem agni seorsum iuniores,
Separatim recentes natæ.

Et,
—ἐνόμευε κατὰ πίονα μῆλα:
—pascebat per pascua pinguia pecora.

Eurip. Cyclop. ποίμνας Κύκλωπος, *greges Cyclopis.* Cyclops ipse apud Theocrit. βοτὰ χίλια βόσκω: *oues mille pasco.* Quod signatè Virg. attingit de pressandis vberibus, hoc quoque à Græco sumptum.
—ἄγγεα πάντα,
γαυλοί τε, σκαφίδες τε τετυγμένα, τοῖς ἐνάμελγεν:
—vasa omnia,
Mulctraliaque scaphæq; accōmodatæ, quibus mulgebat.
ibidem sæpe meminit τυρῶν casei Cyclopis. Apud Eurip. quærens Vlysses quis sit victus Cyclopum, respondet Silenus.
Γάλακτι, καὶ τυροῖσι, καὶ μήλων βορᾷ:
Lacte, & caseis, & ouium esu,

Esca. præcessit ζῶσι, viuunt. Philostrat. 2. Icon. de iisdem Cyclopibus. ὧν (προβάτων) τὸ γάλα, ποτόν τε ἡγοῦνται, καὶ ὄψον: *quarum* (pecudum) *lacte pro potu atque obsonio vtuntur.* Ipse Cyclops apud Ouid. 13. Met.
Lac mihi semper adest niueum: pars inde bibenda
Seruatur, partem liquefacta coagula durant.

Idem apud Theocrit. εἰδ. 11. κράτιστον γάλα πίνω: *optimum lac bibo.* Lucianus in Dial. Dor. & Galat. de Cyclope hoc ξυνήθης ἐστὶ τυρῷ, καὶ γάλακτι: *assueuit caseo & lacti.* Atqui verba ipsa sumpta ab Eurip. qui loquēs de re eadem Cyclopis ait, σπαργῶντας μοι τοὺς μαστοὺς χάλασον, quod idem est ac, pressare vbera. ad verbum: *turgentia mihi vbera laxato.* Quod ait illum solitum claudere pecudes, præter Homerum, attingit quoque Euripides, vbi Silenus in Cyc. queritur se destinatum mundandæ domui Cyclopis, & verrendæ, quo,
Καθαροῖσιν ἄντροις μῆλά τ᾽ εἰσδεχώμεθα,
Puris antris excipiamus oues.

iterum.
Εἰς αὐλὰν ποτ᾽ ἀμφιβαλεῖς
Ποιηρὰς λιπὼν νομὰς
Αἰτναίων εἴσω σκοπέλων:
In caulam tandem ingrederis,
Herbida relinquens pascua
Ætnæos intra scopulos.

Antrum. Tertio loco proponit locum, id est, antrum Cyclopis. Antrum hoc sic describit Homer.
Ἔνθα δ᾽ ἐπ᾽ ἐσχατιῇ σπέος εἴδομεν ἄγχι θαλάσσης
Ὑψηλὸν δάφνῃσι κατηρεφές. ἔνθα δὲ πολλὰ
Μῆλ᾽ ὄϊές τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκον. περὶ δ᾽ αὐλὴ
Ὑψηλὴ δέδμητο κατωρυχέεσσι λίθοισι,
Μακρῇσίν τε πίτυσσιν, ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν.
Ἔνθα δ᾽ ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος:
Hîc in extrema parte speluncam vidimus prope mare
Excelsam, lauris densam: hîc autem multa
Pecora, ouésque, & capræ quiescebant. iuxta autem aula
Excelsa ædificata erat excisis lapidibus,
Longisque pinis, & quercubus alticomis.
Hîc vir habitabat ingens.

Eurip. de domo Cyclopis loquens ait, Αἰτναίων σκοπέλων, *Ætnæorum scopulorum.* Cyclops ipse apud Ouid. 13. Met.
Sunt mihi pars montis viuo pendentia saxo
Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu,
Nec sentitur hyems.

A Et iterum Eurip. de omnibus, Κύκλωπες ἄντρ᾽ ἔχοντες: *Cyclopes antra incolentes.* Philostratus. 2. Icon. loquens de Cyclopibus. οἱ δ᾽ οὔτ᾽ ἀγορὰν γινώσκουσιν, οὔτε βουλευτήριον, οὔτ᾽ οἶκον, ἀλλὰ τὰ ῥήγματα ἐσοικισάμενοι τοῦ ὄρους: *Hi non forum, non curiam, non domum norunt: sed montium cauernas sibi domos faciunt.* Epithetum *lanigeras oues* expressum ab Accio in Bruto, *Pecus lanigerum eximia pulchritudine.* & à Lucret. lib. 5.
Lanigeræq; simul pecudes, & bucera secla.

Ouid. 13. Met. de eodem Cyclope:
Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.

3. Tertia iam lunæ] Sic Eurip. in Alcest. σελήνας δώδεκα ἐκπληρουμένας: *duodecim lunas completas.* Ouidius in epist.
Luna quater latuit, toto quater orbe recreuit.

B Et Propert.
Septima iam plena deducitur orbita luna.

4. Victum] Victus pro alimonia sumitur, quæ vox ducta à verbo *viuo*. sic etiam Zetam ad rem epularum traduci ex Plinio Iuniore obseruauit Vrsinus, non à verbo ζητέω, id est, *quæro*, sed, ἀπὸ τοῦ ζῆν, id est, *viuere.* Vide illum in Append. ad Triclin. Rom. vt plurimùm tamen Romani feliciùs voces inuenerunt ad cibos signandos, quàm Græci, quò spectant verba hæc Ciceronis in lib. de Sen. *bene enim maiores nostri accubationem epularum amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, meliùs quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, vt quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur.* alludit porro Cic. ad nomina συμπόσιον, & σύνδειπνον. Victus vide. Zeta.

C 5. Lapidosaque corna] Explicatio Seru. P. Danielis commoda esse videtur. ait *corna* dici *lapidosa*, id est, dura, quòd nascantur in saxis. Quæ verba caperem de cornis illis tantùm, quæ nata iis rupibus, vbi habitant Cyclopes; ab duritie enim soli illius, nihil nisi lapidosum, saxosúmque. Itaque ab inculto solo & aspero corna quoque inculta & aspera. Dixi hoc: nam Theoph. lib. 3. Hist. Plant. cap. 12. vbi agit de corno, de eius fructu sic loquitur. πυρῆνα δ᾽ ὁ καρπὸς ἔχει παραπλήσιον ἐλαίᾳ, καὶ ἐδώδιμος, γλυκὺς, καὶ εὐώδης: *fructus nucleum habet similem oliuæ, gustu dulcis gratúsque odore.* Sic etiam videtur Ouid. explicandus, 1. Met. illis versibus: Corna.
Contentíque cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,

D *Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis.*

Hi enim fructus, tametsi non accedant ad bonitatem, saporémque aliorum, qui mox exculta terra producti; tamen non alieni ab humano victu: accinente eodem Ouid. sub persona Polyphemi inuitantis Galateam:
Ipsa tuis manibus syluestri nata sub vmbra
Mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna,
Prunáque non solùm nigra liuentia succo,
Verùm etiam generosa, nouásque imitantia ceras.

6. Addixi] Ait Seru. verbum *addixi* signatè positum, quo desperatio exprimitur. Est enim vocabulum iuris, & vnum ex tribus prætoriis, quod sonat Addico verbum iuris.
E rem licitatione adiudicare, ἀποκηρύττειν, & κατακυρόω. Hæc forensis significatio ad alia quoque transfertur. Sic in disciplina augurum, aues dicuntur addicere, cùm firmant, & ratum faciunt augurium. Liuius, *Fabio auspicanti aues semel, atque iterum non addixere.* sic addicere opus redemptori, est, locare opus faciendum. & *addicta sententia* apud Tullium, est sententia vendita. Notam hanc Germani præterire hîc nolui. Sic etiam Achæmenides, ait se se Troianis addixisse. Et augurii.

[a] Vix ea fatus erat, ſummo cùm monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, & littora nota petentem:
[b] Monſtrum horrendum, informe, ingẽs cui lumen ademptum.
[c] Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Lanigeræ comitantur oues. ea ſola voluptas:
Solaménque mali de collo fiſtula pendet.
[d] Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit:
Luminis effoſſi fluidum lauit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu: graditúrque per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.
[e] Nos procul inde fugam trepidi celerare recepto
Supplice, ſic merito; tacitíque incîdere funem:
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
[f] Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit.
Verùm vbi nulla datur dextram affectare poteſtas,
Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo,
Clamorem immenſum tollit: quo pontus, & omnes
Intremuêre vndæ: penitúſque exterrita tellus
Italiæ: curuíſque immugiit Ætna cauernis.

ARGVMENTVM.

Inter hos ſermones Cyclops ipſe apparet agens pecudes. deſcribitur eius deformitas, aduentus ad vndas, vt lauet cruorem oculi. Trepidi fugiunt Troiani, perſentit ille, horribilem tollit vocem, qua vndæ tremunt, Italia terretur, Ætna confremit.

EXPLICATIO.

a IN hoc ſermonum ictu apparuit Cyclops cõfirmans toruitate corporis, quæ de illo dixerat Achæmenides. Narratio circumſtantiis illuſtratur. Clara omnia ſunt. Duo tantùm expende. Primùm carminum molem, quo intelligas illam, quæ in Cyclope fuit. Vide, quæ moles in illis *vaſta ſe mole mouentem Paſtorem Polyphemum.* Alterum dixiſſe Poëtam *nota littora* προληπτικῶς, nam cæcus, ducente nemine, nequiret aliter. ergo, nota vſu.

b Verſus iſte hærere nos cogit, nec facilè prætergredi. *Monſtrum* eſt, quia natura ſua Polyphemus monophthalmus: *horrendum*, quia aſpectu horribilis: *informe*, quia in tam vaſta mole nullus modus, nulla forma: *ingens* ſignat ipſam magnitudinem: cùm verò poſt omnia addit *ademptum lumen*, ſignat deformitatem nouam ſupra monſtroſitatem.

c Tria dat illi, pinum pro ſcipione ad ſuſtentandum corpus: oues, quæ in eius comitatu ad voluptatem: fiſtulam pendentem è collo ad ſolandas miſerias. Sed de hoc in Notis.

d Eſt in hoc verſu ἓν διὰ δυοῖν, id eſt, veniens ad æquora tetigit medios fluctus. Ex his quatuor verſibus expende magnitudinem Cyclopis. Eſt in altis fluctibus, quia *graditur per æquor medium*, nec tamen vndæ tingunt medium Cyclopem, latus enim ad medium fere eſt hominis. Itaque ludit poëta à mediis vndis ad medium hominem. Nota etiam, quàm propria illa de cruore, de dentibus, de gemitu.

e Obſeruet ſtudioſus Virgilij lector, qua pietate effingat Æneam ſuum etiam in hoſtes Græcos. & A quidem volunt viri ptimi nominis hoc ab illo ſtudioſè factum ad quærendas nouas blanditias Auguſto, qui mitiſſimus non in ſuos ſolùm, ſed in alios fuit. Hic verò genus ſuum ad Æneam, & Venerem referebat. Sed quare vocat *meritum?* quia eo docente periculum euadebant. Itaque bene meritus eſt Achæmenides de Troianis. Cùm ait *trepidi*, ſignat feſtinantes. Quæ pertinent ad præcipitantiam abeuntium, dicam in Notis.

f Sonitum vocis explicant aliqui, (innituntúrque Seruio,) ſonitum remorum. nam hîc de hominibus dici nequit, ſuprà enim, *tacitíque incîdere funem.* Et quidem vocem de aliis, quàm de homine dici, in Bucolicis dixi.

B g Cupiuit Cyclops in nos manum iniicere, & aſſequi. Sed cùm nequiret nos per Ionios fluctus fugientes æquare, tollit clamorem immenſum. Explicat verò, cur *immenſum* dixerit. nam ad illum pontus tremuit, Italia exterrita eſt, Ætna immugiit: & amplificans addit. Cum ponto vndæ omnes, Italia penitiſſima & remota, Ætna in imis cauernis. Quàm immenſus is clamor, qui vndas omnes, extremam Italiam, profunditatem Ætnæ penetrauit.

NOTÆ.

Cyclopis deformitas.

1. MONSTRVM HORRENDVM, &c.] Lucian. ſic deſcribit. ἄγριος, λάσιος, καὶ τὸ πάντων ἀμορφώτατον, μονόφθαλμος: *agreſtis, hiſpidus, quódque eſt omnium deformiſſimum, monoculus.* Ab Philoſtrato in Iconib. ἀγριώτατος dicitur, & ὀρειός τε, καὶ δεινός. & λάσιος πάντα. Quibus ſignantur ruſticitas, diritas, hirſuties. Ouid.

—nempe ille immitis, & ipſis
Horrendus ſyluis, & viſus ab hoſpite nullo
Impune, & magni cum Dîs contemptor Olympi.

Apparet hæc deformitas ex verſibus his eiuſdem vatis:

Iam rigidos pectis raſtris Polypheme capillos,
Iam libet hirſutam tibi falce recidere barbam.

Home

Homerica, vt quæ in promptu, & iam partim à me adducta, prætermitto. Frigent omnia præ Virgilio. A

Cyclopis baculus. 2. TRVNCA MANVM PINVS REGIT] Luserunt quoque Poëtæ in assignando Cyclopi baculo ingenti, quo inniteretur. Ouid.

Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit vsum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis.

Homer. eidem, licèt ad vsum alium, in manu dat

———ὄβριμον ἄχθος
ὕλης ἀζαλέης.
———*ingens pondus*
Syluæ aridæ.

Alibi dat illi, μέγα ῥόπαλον. Ad hanc rem pertinent, quæ Bocatius scribit, & commeminit Magius lib. 1. cap. 4. de cadauere Polyphemi, vt creditum est, reperto in antro, cuius in manu erat contus maior cuiusuis nauis malo, plumbúmque conti excessisse plusquam mille & quinquaginta libras. Lucillius quoque de conto Polyphemi, citante Crinito, B

—*huic porro maiu' bacillum*
Malus maximum sit quàm in naui, & corbita in illa.

sententiam Poëtæ sic exprimit Tib. lib. 2.

Et pedibus prætentat iter suspensa timore,
Explorat cæcas cui manus antè vias.

Lucan. lib. 4.

Dum labat, & fixo firmat vestigia pilo.

3. DE COLLO FISTVLA PENDET] Hemistichium hoc nonnulli ablegant à Virg. afferúntque pro argumento datam à Poëta vnam tantùm voluptatem Polyphemo. erit autem duplex, si addatur fistula. igitur sic legunt,

Lanigeræ comitantur oues, ea sola voluptas,
Solaménque mali.

Alij agnoscunt, inter quos Germ. & Turnebus lib. 28. cap. 15. firmátque vterque Manilij versibus: addit posterior decus quoddam seruatum à Poëta, nam pastoribus pro ornamento dabatur fistula. ergo Manilius lib. 5. Astron.

Pastorémque suum generant, cui fistula collo
Hæreat, & voces alterna per oscula ducat.

Hærere potes his duobus, tum propter auctoritatem Manilij, qui videtur Poëtam respexisse: tum quia nihil impedit adiici solamen fistulæ: cùm prior voluptas dicatur sola, non quòd verè sola, sed quòd potissima, & maxima. Demum, quia fistula vsum Polyphemum, & musica oblectatum aliunde scimus. Ouid.

Polyphemi fistula.
Sumptáque arundinibus compacta est fistula centum,
Senserunt toti pastoria sibila montes,
Senserunt vndæ.

dicuntur hæc de Polyphemo. Lucian. ὁ δὲ πολύφημος, τά τε ἄλλα, καὶ μουσικός ἐστι: *Polyphemus, præter alia, etiam est canendi peritus.* Cyclops idem apud Theocrit. ardens Galateam.

Συρίσδεν δ' ὡς οὔτις ἐπίσταμαι ὧδε Κυκλώπων:
Fistula verò meliùs canere noui, quàm vllus hîc Cyclopum.

Philostratus etiam lib. 2. Icon. loquens de Polyphemo. Καὶ ἡ μὲν σύριγξ ἔτι ὑπὸ μάλης, καὶ ἀτρεμεῖ. ἔστι δ' αὐτῷ ποιμενικὸν ᾆσμα: *& ipsa quidem fistula adhuc sub ala quiescit: estque ipsi pastoralis cantus.* Hæc mihi dicta in gratiam Turnebi, & Germani: sed ego tamen libenter adimerem, nam sententia clara esse videtur, cæco giganti vnam tantùm voluptatem, solatiúmque relictum, oues videlicet. Taciti imitationem aperio, vt enim Virg. de ouibus, *ea sola voluptas*, ita ille de Germania: *Frugiferarum arborum impatiens, pecorum fæcunda, eaq; sola, & gratissimæ opes.*

4. POSTQVAM ALTOS TETIGIT FLVCTVS] Habet locus hic similitudinem cum altero lib. 10.

—*quam magnus Orion*
Cùm pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet vndas.

Sed & Polyphemum per vndas maris peditem incedentem Eurip. infert, sic enim Cyclops ipse apud illum.

Δι' ἀμφιτρίτης τῆς δὲ προσβαίνων ποδί:
Per mare hoc ascendens pede.

Irati nota. 5. DENTIBVS INFRENDENS] Est hæc nota irati. Ita Plautus Trucul. *dentibus frendit, icit femur*, Non abeunt notæ istæ Senecæ lib. 1. cap. 1. vbi de irato: *Horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitus.* De nota illa, qua irati articulos manuum torquent, cuiusque Seneca in adducto testimonio commeminit, lege Ianum Dousam lib. 1. Præcidan. cap. 8. Redeo ad Poëtam. Dicunt, propiè *frendere* esse frangere. & inde Frendeo. dictos *nefrendes*, quasi nondum frêdentes, id est, frangentes. Ita inuenies in Paulo Festi decurtatore, & in Nefrendes vnde dicti. Isidoro lib. vltimo etymolog. cap. vltimo. Aliter ducit etymon Fulgentius. lege, & vnà Festum. Philostratus in Iconib. Cyclopi dat: καρχάρους ὀδόντας, *serratos dentes.*

6. MEDIVM] Vt hîc vox ista ad signandam profunditatem, ita Propertius lib. 1. eleg. 9.

Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.

Est verò gigantis magnitudo notata verbo,

Nec dum fluctus latera ardua tinxit.

Cui sententiæ par omnino illa Nonni lib. 2. Dionys. C

Φαίνετο γυμνωθεῖσα δ' ὕδατος ἄβροχος ὀσφύς:
Apparebant nudi ab aqua non madefacti lumbi.

Et rursum de gigante Typhone.

Βένθεϊ ταρσὰ πέπηγε, καὶ ἠέρι μίγνυτο γαστήρ:
In profundo maris plantam figebat, & venter aëri miscebatur.

7. NOS PROCVL INDE FVGAM, &c.] Obserua celeritatem fugientium mirè expressam; duo primi versus conuolant dactylicis. & verè obseruauit Hortens. variationem modi *celerare*, & *incidere* pro, celerabamus, & incidebamus, habere manifestam emphasin præcipitantiæ. Adde pronos incumbere in laborem, remis certare, verri æquora, funem incidi, non solui. Cùm Vlysses fugit à Cyclope, aliqua est Virgilius peratior rum. festinatio, sed, si cum præcipitatione Virgilij conferas, meræ sunt moræ. D

Οἱ δ' αἶψ' εἴσβαινον, καὶ ἐπὶ κληῗσι καθῖζον,
Ἑξῆς δ' ἑζόμενοι πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς:
Illi statim conscenderunt, & per transtra sederunt,
Ordine autem sedentes canum mare verberabant remis.

Dum sedent, dum conscendunt, dum transtra occupant, & hoc cum ordine, annus est. & quis tunc ordinem seruaret in fuga illa? Ad hæc mare verritur à Virgilio, ab Homero verberatur, quod difficilius ad cursum. Itaque si bene expendas, præter vocem *statim*, nulla alia est in Homero ad celeritatem. Quod Virg. *verrimus æquora remis*. Aus. in Mosel.

—*pulsantes verbere fluctum.*

8. INCIDERE FVNEM] Ad celeritatem: non, *soluere*, in quo moræ. Ita Marius apud Appianum lib. 1. Ciuil. E Syllam fugiens, τὸ πεῖσμα κόψας, καὶ τὸ ἱστίον πετάσας, ἐπέτρεψε τῇ τύχῃ: *perfracto fune, & vela dans ventis, fortunæ se commisit.* Ad sermonem nauticum aspirat Seneca ep. 17. *Si quid est, quo teneris, aut expedi, aut incide.*

9. AD SONITVM VOCIS, &c.] Ait Germ. dictum hoc ad imitationem Apollon. qui lib. 2. inducit Phineum cæcum auditu ductum ad classem Argonautarum.

Αὐτίκα δ' εἰσαΐων ἐνοπήν, καὶ δοῦπον ὁμίλου:
Vt audiuit vocem, & strepitum turbæ.

10. DEX

10. DEXTRAM AFFECTARE] Id est, dextram intendere, & cum affectu & auiditate iniicere, si posset nauem apprehendere. Interpretes. Addit verò Germ. expressum à Poëta Græcũ ὀρέξαι. itaque vt Græcis ὀρέγεσθαι, est, *affectare:* μάρπτειν, *appetere*, apprehendere, porrigere, extendere : sic Virgilius imitatione libera *affectare* in eandem sententiam aut nouauit, aut inuertit. firmat id longo admodum testimonio Eustathij: putátque fuisse omnino verbum luctatorum, aut arenæ. Est de hac re locus Plutarchi orat. 2. de Alexandro: Vbi dicit Leosthenes Alexandri exercitum errantem, mortuo ducé, fuisse similem, τῷ Κύκλωπι μετὰ τὴν τύφλωσιν ἐκτείνοντι πανταχοῦ τὰς χεῖρας, ἐπ' οὐδένα σκοπὸν φερομένας: *Cyclopi, qui amisso oculo manus intendebat, nullum ad certum scopum directas.*

Potiuit.

11. NEC POTIS] Dictum est, *potis*, pro, potis est, hoc autem pro, potest. Ab hoc nomine verbum formauit Plaut. in Amphit. *eum nunc potiuit pater seruitutis.* & in Rudente à compos cõpotiuit: *quæ in mari fluctuoso, piscatu vberi me compotiuit.* est *compotire*, voti compotem facere. Adeas Lips. 2. El. cap. 21. Fuit veteribus in vsu *pos*, vnde composita, *possum*, *impos*, *compos*. Inde θεοὶ δυνατοὶ dicuntur Varroni *potes Diui.*

Cõpotiuit.

Compos. vnde componatur.

Potes Dij.

Ionium mare vnde dictum.

12. IONIOS] Mare Ionium sic dictum, ex quo illud transmisit Io, scribit Æschyl. in Prom. vbi Prometheus ipse sic loquitur ad Ionem.

Χρόνον δὲ τὸν μέλλοντα πόντιος μυχὸς
(Σαφῶς ἐπίστασ') Ἰόνιος κληθήσεται,
Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς:
Qui deinde secessus maritimus
(Pro certo hoc scias) vocabitur Ionius,
In monimentum tui itineris omnibus hominibus.

13. CLAMOREM IMMENSVM TOLLIT] Fingit Poëta τερατολογίαν παραδοξότερον, ex clamore Cyclopis. Talem aduertes apud Homer. lib. 8. Odyss. ex disci sonitu, quem Vlysses iactauit, quo perterrefecit Phæacas,

Βόμβησεν δὲ λίθος, κατὰ δ' ἔπτηξαν ποτὶ γαίῃ
Φαίηκες δολιχήρετμοι ναυσίκλυτοι ἄνδρες
Λᾶος ὑπαὶ ῥιπῆς.
Insonuit lapis, procubuêre autem ad terram
Phæaces longis remis vtentes nauigandi periti viri
Lapidis ab impetu.

Sed vides discrimẽ. In primis Homerica ita dicta sunt, vt vel nolens dicas esse mendacium. itá ne iactus disci Vlyssei rotatus est, támque violenter, vt omnes pauidi ad sonitum resilientis lapidis procumberent perterrefacti? quod verò Poëta scribit de horrendo sonitu Cyclopis, nemini mirum videbitur, ex gigantis huius magnitudine. Deinde ad rem illam, quid faciunt epitheta de peritia Phæacum in re maritima? nihil tale in Marone inuenies: sed hoc est vitium Homeri, vt quo semel rem aliquam epitheto affecit, semper retineat, etiam extra rem. Noluit verò Virgilius imitari Homerum, qui ad fugam Vlyssis Cyclopem inducit, non clamantem, sed rotantem saxum, ex cuius iactu fluctus refluus, ferebatur ad littus. Ouidius vtrique vari hæsit; nam Polyphemum induxit & rotantem saxum, & horrendè clamantem. Quę ad clamorem pertinent, sunt:

Virgilius superat Homerum.

Tantáque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit: clamore perhorruit Ætna.

Cyclopis voci tonitrum dedit Philostratus lib. 7. de vita Apollon. nam de illo βροντᾷ ἡ φωνή. Nonnus lib. 2. paria inducit ad clamantem Typhœum. Nam in æstuante mari Siculo δεδόνητο πελωρίδες, *resonabant conchæ.* ἔβρεμον ὄχθαι, *fremebant ripæ.* ἐμυκήσαντο πέτραι, *mugiebant petræ.* ἔκτυπε ἀκτή, *sonabat littus.*

14. IMMVGIIT ÆTNA] Virg. vt hîc Ætnæ mugitum dat, sic aliàs discisso, & hianti solo: agitato etiam subterraneis ventis. exempla obuia Tertull. in Apolog. tonitribus dedit:

Mugitus de tonitru.

Sidera radiasse, & lumina floruisse, & tonitrua mugisse.

a At genus è syluis Cyclopum, & montibus altis,
Excitum ruit ad portus, & littora complent.
b Cernimus astantes nequicquam lumine toruo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cùm vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, sylua alta Iouis, lucúsve Dianæ.
c PRÆCIPITES metus acer agit quocunque rudentes
Excutere: & ventis intendere vela secundis.
d Contrà iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdin
Inter vtramque viam lethi discrimine paruo
Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro.
e Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori
Missus adest, viuo præteruehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarósque sinus, Tapsúmque iacentem.
f Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achæmenides, comes infelicis Vlyssi.

ARGVMENTVM.

Adsunt statim è cauernis Cyclopes alij ad vocem Polyphemi: describitur illorum deformitas, & comparatur vastitas. Troiani præ metu quocunq; volunt cursum dirigere, sed cauere tamen à freto Siculo: cùm subitò Boreas classem in tuto locat: præteruehuntur illi Patagium, Megaram, Tapsum.

EXPLICATIO.

a AD clamorem Polyphemi fratres accurrunt, si possint opportuni esse in re aliqua.

b Ideo *nequicquam*, quia nihil iam nocere poterant, cùm longè essent. Vocat *Ætnæos fratres*, quia *cælo capita alta ferentes.* (sed hoc in Notis) sed *cælo*, est ne tertius

tius casus, pro, in cælum, vt vult Seruius? An verò sextus? vt dicat, ferri capita in ipso cælo, vt suprà dixit, pulsari sidera à Clyclope. Sequitur comparatio, quam expendit Seruius. Nam quia præcedunt quercus, quæ Ioui sacræ, & cyparissi, quæ Dianæ infernæ; id est, Proserpinæ: ideo sequitur, *sylua alta Iouis, lucúsue Dianæ.* Est itaque integra sententia. Tales illi constiterant, quales consistunt quercus in sylua Iouis, quales cyparissi in luco Dianæ. Sed pro sexto casu placuit Poëtæ loqui per appositionem, vt dicunt, hac ratione: quales quercus, quæ sylua est Iouis; quales cyparissi, qui lucus Dianæ. A

c Metu coguntur quamcunque in partem nulla deliberatione cursum dirigere. Sed qui tunc venti essent secundi? Sanè metus instantis periculi à Cyclopibus, ita erat magnus, vt omnis ventus illis secundus videretur. B

d Pendet sententia ex superioribus. Metus cogebat nos sequi ventum quemcumque, sed obstabant iussa Heleni, qui præceperat, ne cuicunque vento crederemus, ne scilicet adigeremur inter Scyllam & Charybdin. Hoc habito sententia trium versuum hæc est. Contra certum est nobis dare lintea retro, quia iussa Heleni monent ne vela teneant cursus inter vtranque viam, videlicet inter Scyllam, atque Charybdin, paruo lethi discrimine, id est, vbi paruum mortis discrimen. Aliqui vocem *cursus* ponunt in recto multitudinis, hac sententia, vt cursus teneant viam, quod frigidum puto. Nam quid est, cursus tenent viam? Ego in quarto casu. Præcesserunt quippe *vela*. Ergo. Vela ex metu quocunque dabamus, sed consilium fuit, illa retro referre, ne illa ex monitu Heleni tenerent viam inter Scyllam & Charybdin. Hæc ita explicatissimè, quia is locus visus multis esse difficilis. Parcant viri. C

e Erant Troiani in eo animorum æstu, cùm subitò Diis volentibus Boreas afflauit à freto illo angusto Pelori, vbi erant Scylla, & Charybdis, qui classem inde expulit, collocauítque in parte maris tuta, ex voto nostro. Quo vento afflante transmitto felicissimè (ait Æneas) ostium fluminis Pantagiæ, sinum Megaricum, Tapsum oppidum humile. Viua saxa sunt, naturâ, non humanâ operâ parata.

f Occurrit προληπτικῶς. Vnde tu hæc nomina? Indicabat nobis Achæmenides ea littora errore iam sibi olim perlustrata cum suo duce, ac tum de nouo retrorsum relegens. Cur hîc Vlysses dicatur infelix, multis multi. & vnus Modicius plurimis. explica, vt ego iam suprà. D

NOTÆ.

1. AT GENVS E SYLVIS, &c.] Tale quid apud Homerum abeunte Vlysse,

Οἱ δὲ βοῆς ἀΐοντες ἐφοίτων ἄλλοθεν ἄλλος:

Illi autem vocem audientes accurrebant aliunde alius.

2. ÆTNÆOS FRATRES] Vocantur ita vel à loco, cuius erant incolæ; vel *Ætnæi*, id est, magno & procero corpore. Quicquid enim magnum esset, dictum est Ætnæum, vel à monte ipso, qui altus; vel à Cyclopibus eius incolis. Sic Αἰτναῖος κάνθαρος, *Ætnæus Scarabeus*, id est, magnus, apud Aristophan. in Pace. Nam clarè ille, Αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον. Quem in locum Scholiastes, ὑπερμεγέθη, μέγιστον γὰρ ὄρος ἡ Αἴτνα. Et Αἰτναῖα πῶλος, apud Sophocl. in Col. *Ætnæus pullus*, quod Hesychius exponit non solùm Σικελικὴν, sed etiam μεγάλην. (Ætnæum, pro magno.) E

3. CONIFERÆ] Fructus cupressi *conus* dicitur, quia in conum, & in metam desinit, & arbor ipsa κωνοειδής. (Conus.)

4. RVDENTES EXCVTERE] suprà,

—*excussósq; iubet laxare rudentes.*

Est hoc, quod Plato in Protagora, πάντα κάλων ἐκτείναντα.

5. INTENDERE VELA] Fugiunt itaque remis velisque. Vides hîc vela, remos suprà dedit initio huius fugæ. Demosthenes epist. 1. signans hoc, dixit, ἱστίοις καὶ κώπαις.

6. INTER VTRAMQVE VIAM] Hîc tu obiter prudentiam Virgilij præ Homerica expendas. Dixerat Helenus æquè euitandam Scyllam & Charybdin: & nunc quoque Æneas æquè vitat vtrunque malum. Homerus contra, nescias quare, ore Circes Odyss. 12. Vlyssem admonet, vt ad Scyllam potiùs cursum inflectat, quàm ad Charybdin: quia videlicet præstabat sex socios amittere in Scylla quàm integram classem absorberi à Charybdi. Et sic quidem accidit, nam inflexum est ad Scyllam, & sex socij deuorati. Nonne potuisset cursus dirigi via alia, qua salui omnes essent? quæ necessitas transeundi fretum illud? diuinent hîc interpretes aliquid philosophicum. (Virgilius superat Homerum.)

7. NI] Dictum hîc *ni* pro *ne* ex veterum elegantia notat Turnebus lib. 17. cap. 11. & Seruius, & Donatus in Terentium. Primus firmat versu Propertiano, alter Plautino, tertius Virgiliano, in quo sum. Produco Propertium, & Plautum. Prior, (Ni pro ne.)

Ni nos diuideret, quamuis diducere amantes
Non queat inuitos Iuppiter ipse duos.

Posterior: *Ni mala, ni stulta sis.* pro, ne mala sis, ne stulta. Sed rei huius lux magna ab inscriptionibus. Hanc Terentij Smetius, & Gruterus exhibent: *Quisquis es homo, & vos sodales meos cunctos rogo per Deos superos inferósque ni velitis ossa mea violare.* pro, ne velitis. Ita aliquando inuenies in lapidibus, columnis, cippis, sepulcris, ista. *Camina, Cauias, Distructus, Mircurius, Dumni, Pontifix, Vinia.* pro, *Camena, Caueas, Destructus, Mercurius, Dumne, Pontifex, Vinea.* Exempla huius rei pete ab his, quos iam indicaui. Sunt qui in Virgilio capiant *ni* pro *nisi*, vt etiam in Plauto, *ni mala, ni stulta sis*, id est, nisi esses mala. Hi verò reprehendunt Seruium, Donatum, Turnebum. Sed certè, quamuis in Plauto hoc efficiant, sed non video, quî commodè expediri locus Virgilij possit, nisi vt explicui. Et cur non Virgilius vsurpet rem vsitatissimam, vt indicaui iam ex inscriptionibus? Et adiicio auctores, in quibus tertia vocalis pro secunda frequentissimè. Nam *segeti, vesperi, frugi, ruri, parti*: pro: *segete, vespere, fruge, rure, parte.* Contra secũda pro tertia. Nam Ouidius *cæleste, perenne*, pro, cælesti, perenni. Vtrunque in epist. (I, pro, E.) (E, pro, I.)

Hoc mihi nam recolo fore vt à cæleste sagitta. Et,
Hument incultæ fonte perenne genæ.

Primum in Paride, alterum in Hermione. Scaliger etiam versum Catulli in epithal. Iuliæ, ita legit: *Quæ tibi sene seruiet*, pro *seni*. Inde *veam* pro *via*, atq; etiam *vellam* pro *villa*: quod discimus auctoritate Varronis lib. 1. de re Rust. cap. 2. Et veteres quidem *ensinuare* pro pro *insinuare*, vnde vox Hispana, *enseñar*.

8. VIVO] Aliter quàm Virgilius, sumit hanc vocem Pindarus Od. 4. Pyth. à quo petræ Symplegades dicuntur ζωαὶ *viuæ*, ab motu, quo concurrebant, ac si verè essent animatæ.

9. PANTAGIÆ] Hunc fluuium Seruius dictum esse existimat à sonitu, quasi patugiam, nam Græcis πάταγος *sonitus* est, & *strepitus*. Claudianus autem lib. 2. de Raptu, videtur deducere ἀπὸ τοῦ πάντα ἄγειν, quòd obuia quæque secum rapiat, sic enim canit, (Pantagia fluuius.)

—*& saxa rotantem*
Pantagiam.

10. MEGARÓSQVE SINVS] Est Megara oppidum (Megara.)

iuxta

iuxta Syracusas. Seruius. Plinius loquens de Sicilia lib.3.cap.8. *Megaris, amnis Pantagus.* Itaque vicinas situ res Virgilius coniunxit.

Tapsus. 11. TAPSVMQVE IACENTEM] Insula non longè à A Syracusis, dicta iacere, quia plana, & humilis, & pene par fluctibus. Seruius. Addit Horten. ipsam quoque sic dictam à verbo θάπτω, *sepelio*, quasi sepulta & obruta fluctibus.

ª Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum, nomen dixêre priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur vndis.
ᵇ Numina Magna loci iussi veneramur: & inde
Exsupero præpingue solum stagnantis Elori:
Hinc altas cautes, proiectáque saxa Pachyni
Radimus: & fatis nunquam concessa moueri
Apparet Camarina procul, campiq; Geloi,
Immanísque Gela fluuij cognomine dicta.
Arduus inde Agragas ostentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum:
Teq; datis linquo ventis palmosa Selinis:
Et vada dura lego saxis Lilybeia cæcis.

ARGVMENTVM.

Commeminit Arethusæ, & Alphei: & recenset loca, quæ classis legerit.

EXPLICATIO.

a Describit Ortygiam, quæ prætenta sinui Siciliæ, quæ contra Plemmyrium, in qua vno eodémque ore emergunt Alpheus fluuius Elidis, & fons Arethusæ.

b Venerantur Deum loci illius præsidem, cùm tamen ignorent quis sit. Inde transmittunt ostium Elori fluminis, Pachyni saxa: apparet Camarina, campi Geloi, Geláque immanis, quæ vrbs sic dicta est cognomine fluuij Gelæ: apparet Agragas, quod oppidum positum in loco edito, vbi quondam equi primæ notæ: Selinis linquitur, vbi palmæ nobiles: legitur Lilybeum, quod tertium promontorium Siciliæ, iuxta quod est vadosum mare insidúmque saxis ibi latentibus, quæ ideo cæca. Hoc facto circumita est insula; primo enim transmissus est Pelorus, mox Pachynus, tertiò Lilybeum: in quo excursu visa alia oppida, transmissa varia ostia, demum perlustrata tota Sicilia. Peculiaria quærenda in Notis.

NOTÆ.

1. SICANIO PRÆTENTA SINV, &c. Hæc alia est ab ea Ortygia, quæ magna inter Cycladas, quæque dicitur Delos notiore nomine. Possit autem quispiam putare hîc natam Dianam, non in ea, distinguente videlicet eo versiculo, qui reperitur in Orpheo & Homero, de partu Dianæ & Apollinis, (Dianæ natale solum.)

Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ:
Hanc (Latona peperit) in Ortygia, hunc in Delo aspera.

(Plemmyrii.) Cùm verò dicit *Plemmyrium vndosum* nominis rationem expressit, est enim nihil aliud Plemmyrium, quàm vndosum, ἀπὸ τοῦ πλημμυρέος. Sic suprà, *Actia littora.* Sed quid Plemmyrium? Quidam insulam esse statuunt, quidam fluuium, quidam promontorium. extremum hoc tam in Virgilio quàm in Thucydide B (huius locus habetur lib.7.) agnoscit Ortelius: quò (vt ait Seru.) perueniant vndæ Charybdis æstuantis. Ergo Ortygia hunc habet situm, vt posita sit, contra Plemmyrium, & obtenta prætentáque sinui Siciliæ.

(Alpheus fluuius. Arethusa.) 2. ALPHEVM FAMA EST, &c.] Alpheum Arethusámque emergere in insula Ortygia Strabo his verbis narrat, lib.6.Geogr. ἡ δ' Ὀρτυγία συνάπτει γεφύρᾳ πρὸς τὴν ἤπειρον οὖσα. Κρήνην δ' ἔχει τὴν Ἀρέθουσαν, ἐξιεῖσαν ποταμὸν εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν. μυθεύουσι δὲ τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον, ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου. διὰ δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ γῆς τὸ ῥεῖθρον ἔχοντα μέχρι πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν, εἶτ' ἐκδιδόντα πάλιν εἰς τὴν θάλατταν: *Ortygiam pons terræ coniungit. ea fontem habet Arethusam, quæ fluuiũ statìm emittit in pelagus. Hunc ipsum Alpheum esse traditum est in fabulis, qui cùm in Peloponneso sumat originem, per mare* C *sub terram vsque ad Arethusam fluenta perducat: deinde rursus hîc emergens excurrat in pelagus.* Reliqua, quæ ad hunc locum pertinent, satis fusè dicta in Gallo: hîc tantùm quæ pertinebant ad insulam Ortygiam. Ergo Arethusa emergit in hac insula, & vnà eodem ore, id est, fonte, Alpheus erumpit, & sic aquæ miscentur, confunduntúrque. Auctoribus, quos iam dedi in Gallo de Alpheo possis adiungere Philostratum lib.8. de vita Apollon. cap.6. vbi ait, illum excurrere per Siculum pelagus, πότιμον, dulcem, & potabilem. & Senecam lib.3. Nat. quæst. cap.26. & lib.6. cap.8.

(Elorus fluuius.) 3. STAGNANTIS ELORI] Fluuium hunc instar Nili campis effundi, & stagnare, eósque feraces reddere interpretes scribunt. *clamosum* appellauit Silius. Nomen flumini dedit Rex Elorus, qui illud ponte iunxit. Vel Elori quidam, qui Argis profecti oraculum D hoc acceperunt, ne amnem sine nomine transirent. illi contempto oraculo ad fluuium hunc peruenerunt, vbi submersi dederunt nomen amni. Sic iam alij ex Græcorum commentariis.

(Pachyni etymon.) 4. PROIECTAQVE SAXA PACHYNI] Est hoc alterum Siciliæ promontorium versus Austrum, dictum ab aëris crassitudine, nam Græcis παχὺς *crassus* est. saxa proiecta sunt procurrentia in mare. Aliis placet, abrupta. vide Macrob. lib.6. cap.4. & Isidorum lib.10.

5. RADIMVS] Copia veri poëtæ, *legimus, præternebimur, verrimus, radimus.* hæc enim quatuor vsurpat Noster. Latini hanc circumitionem in nauigando dicunt

Campso. *flecto*, & Græci κάμπτω. Inde verbum *Campso* apud Ennium. 10. Annal. *Leucatem campsant*. Est itaque κάμπτειν ἄκραν, aut campsare, aut flectere promontorium, cùm scopulos orásque præterlabimur non sine vitæ discrimine. quæ circumitio, & circumflexio fit radendo oras ipsas.

Camarina. 6. CAMARINA] Palus est & oppidum eiusdem nominis. ferunt ex hac palude ortam pestilentiam: consultum oraculum, an ea exhauriretur, respondit, μὴ κίνει Καμάριναν, ἀκίνητος παραμενέτω: *Ne moue Camarinam, immota permaneat*. Contempto hoc oraculo purgata est, & exsiccata palus: per quam deinde hostis aditum inuenit. & sic contemptus oraculi datæ pœnæ. Stephanus verba oraculi sic commutat. μὴ κίνει Καμάριναν, ἀκίνητον γὰρ ἄμεινον: *Ne moue Camarinam, quod immotum, id melius*. Hæc ex Suida, & interpretibus. Eadem prouerbij specie dixit Aristophanes in Vesp. κινεῖν τὴν χολήν, à quo accepit Horatius, (margin: Ne moue Camarinā.)

Bilem, sæpe iocum vestri mouêre tumultus.

Nam bilis cùm mouetur, semper in mouentis perniciem. Silius Virgilio hærens lib. 13. Pun.

Et cui non licitum fatis Camarina moueri.

Mitto hic rixas partim certantium, partim reprehendentium Virgilium, cur has vrbes nominarit, cùm nondum illæ essent conditæ Æneæ æuo. Potuit hoc vates. similia multa per prolepsin dicta à Græcis. Itaque non est necesse ad fluuios tantùm, aut paludes confugere, quæ tunc erant, vt docuit Alciat. 5. Parer. cap. 21. De hac figura, qua Poëtæ res anticipant, alibi à me dicitur.

Gela vrbs. 7. IMMANISQVE GELA] Nominat vrbem Gelam Siciliæ, & tam ipsa quàm campi Geloi, sic dicti sunt à fluuio cognomine. Quod scribit Thucydides lib. 6. per initia: Vbi ait Gelam vrbem in Sicilia conditam ab Antiphemo Rhodiensi, & Entimo Cretensi, atque ab Gela flumine vrbi nomen impositum. Ad totum hunc locum Virgilij animum videtur adiecisse Plinius, cùm lib. 3. cap. 8. multa oppida Siciliæ percurrat eodem fere ordine, quo hic Poëta. Sed cur vrbs Gela dicta immanis, nemo suppeditat. Fortè à mole vrbis, & magnitudine. Vide etiam an aliquid præstent verba hæc Solini cap. 11. *Gelonium stagnum tetro odore abigit proximantes*, est verò illi sermo de rebus Siciliæ.

8. AGRAGAS] Plin. dicto loco: *oppidum Agragas, quod Agrigentum nostri dixêre*. In codicibus, Plin. correctis Acragas legitur, non, Agragas. similiter apud Ptolemæum, Polybium, Xenophontem, Thucydidem Ἀκράγας, non Ἀγράγας. volunt & Thucydides, & Ælianus sic dictam vrbem à flumine Agragante. (margin: Agragas.)

9. GENERATOR EQVORVM] Nihil hîc aliud quæras, vbi Seruij lux hæc: *secundùm Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores reuertebantur. Legimus etiam aliud, cùm in Cappadocia greges equorum periissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento, & reparauere meliores.* Hactenus vulgaris. Addit nouus: *Quidam autem dicunt Hieronem Agrigentinum, vel, vt alij ferunt, Dionysium tyrannum Siciliæ, equos ad agonem Elidis Olympicum duxisse, & omnes vicisse.*

10. PALMOSA SELINIS] Dicta sic est à copia palmarum, quæ magna fuit in illo tractu, sicuti in tota Sicilia. quod scribit Cicer. 7. in Verr. *nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, & his miseri perditique alebantur.* Exhibet Vrsinus numisma argenteum ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ apud Ant. Aug. in cuius altera parte essent palmæ. (margin: Selinis.)

11. LILYBEIA] Non solùm promontorium est Lilybeum, quod notum: sed etiam ciuitas. Eutropius lib. 2. *contra Lilybeum ciuitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum.* (margin: Lilybeum.)

[a] Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora
Accipit. hîc pelagi tot tempestatibus actus,
HEV GENITOREM omnis curæ, casúsq; leuamen,
Amitto Anchisen. hîc me pater optime fessum
Deseris, HEV tantis nequicquam erepte periclis.
[b] Nec vates Helenus, cùm multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
[c] Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum:
Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.
[d] Sic pater Æneas intentis omnibus vnus
Fata renarrabat Diuûm, cursúsq; docebat.
Conticuit tandem, factóque hîc fine quieuit.

ARGVMENTVM.

Classis appellit Drepanum, Anchises moritur, Æneas finem facit dicendi.

EXPLICATIO.

[a] PArs hæc, quæ continet mortem Anchisæ, plena est magnis affectibus. Nam ora, vbi ille amissus, dicitur *illætabilis*. Anchises, qui amissus, *omnis curæ casúsque leuamen*: Apostrophe affectus auget tota plena emphaseωn; nullum enim verbum in ea absque emphasi tute expende. Ait *nequicquam*, quia non contigit seni attingere Italiam, itaque nequicquam seruatus est ereptúsque aliis periculis.

[b] Ait Macrobius hæc esse vehementer pathetica, nam indicat, omnia, quæ passus fuerat, minora visa, quàm patris mortem.

[c] Sunt hæc extrema verba longissimæ narrationis. Aduentus (inquit) in Drepanum, fuit extremus labor, & meta (vox traducta à circo.) ab Drepano petebam Italiam, sed tempestas me, veriùs Deus aliquis, ad Africam appulit.

[d] Allusum in hoc epilogo ad initium lib. 2. *Conticuêre omnes*, &c. Ibi *omnes conticuêre*, hîc ipse vnus *tandem conticuit*. Ibi, *omnes intenti tenebant ora*, hîc similiter *intentis omnibus*. Vtrobique *pater Æneas*. Illa, *Diuûm fata*, referri possunt ad ea quæ narrata secundo libro, *cursus*, necessariò ad tertium.

NOTÆ.

A

NOTÆ.

Drepani etymon.

1. DREPANI] Huius etymon aperit Apollon. lib. 4. Arg.

Ἀμφιλαφὴς, πίειρα, Κεραυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος,
Ἧ ὑπὸ δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις (ἵλατε Μοῦσαι,
Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς
Μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος:
Perampla, ferax, Ceraunia in mari est insula,
Vbi iacere falcem fama est (Musæ ignoscite,
Nolens refero antiquorum sermonem) qua patris
Pudenda crudeliter Saturnus secuit.

Itaque Saturnus patrato facinore, falcem iecit in eam partem Siciliæ, vbi nunc Drepanum. est autem Græcis δρέπανον *falx*. sed scias hæc multis fabulis deformata esse, mihi satis hæsisse Apollonio. qui plura volet, adeat Virgilij & Apollonij interpretes, enarratorem Lycophronis in Cassandra, Natalem lib. 2. Mythol. cap. 2. Qui fere omnes non solùm etymon referunt ad prædictam fabulam, sed etiam ad falcem, quam ibi à Vulcano Ceres accepit: & multa alia admiscent.

B

2. CASVSQVE LEVAMEN] Simile Propertius lib. 4. eleg. 12.

Te Lepide, & te Paule meum post fata leuamen.

& Martialis lib. 6.

Hic tibi curarum socius, blandúmque leuamen.

Anchises vbi mortuus.

3. AMITTO ANCHISEN] De loco vbi Anchises obierit, variè veteres. Maro hîc in Sicilia ait mortuum fuisse, quam sententiam aliorum quoque esse Eustathius scribit. Sunt qui dicant mortuum in Phrygia. Pausanias, in Laconia. Cato, venisse ad Italiam. Ista latè Muretus, Germanus, alij. Varietas in his nata fortasse (quod Rhodig. admonet lib. 17. cap. 20. ad finem) ex more veterum, qui pluribus in locis constituebant sepulchra excellentium virorum. quod firmat ipsissimo Anchisæ exemplo. Sed præstat audire verba Dionysij lib. 1. Antiquit. loquentis de Ænea, quæ traduci ad Anchisen possunt; *Sed si quos turbat, quòd multis in locis Æneæ sepulcra narrentur, ac monstrentur, cùm tamen nullo modo fieri posit, vt vnus & idem pluribus in locis sit sepultus; cogitent isti, hanc dubitationem communem ac vulgarem esse de multis, præcipuè verò de viris, qui fortunæ beneficio illustres quidem fuerunt, sed tamen vitam instabilem & vagam egerunt: & sciant, vnum quidem solùm fuisse locum, qui corpus ipsorum exceperit, sed apud multos monumenta eorum erecta esse, propter beneuolentiam illorum, qui vtilitatem aliquam ipsorum opera perceperunt.*

Æneæ sepulcra multa.

4. NEC VATES HELENVS] Hunc locum videtur imitatus Valer. Flacc. 3. Arg. apud quem sic Iason conqueritur de obitu Regis Cyzici à se per imprudentiam interfecti:

—tantumq; nefas mens conscia vatum
Conticuit, patriæ exitium crudele senectæ,
Et tot acerba canens. heu diuis visa sinistris
Regna mihi.

5. HINC ME DIGRESSVM] Æmulatur locum Odyss. 7. vbi Vlysses apud Alcinoum post narrata maris pericula, & casus suos, sic ait:

Νηχόμενος τὸ δὲ λαῖτμα, διέτμαγον, ὄφρα με γαίῃ
Ὑμετέρῃ ἐπέλασσε φέρων ἄνεμός τε, καὶ ὕδωρ:
Natans has vndas, transnaui, donec me terræ
Vestræ adegit ferens ventúsque & aqua.

& Odyss. 5.

Νῦν δ' ἐνθάδε κάββαλε δαίμων:
Nunc autem me Deus appulit.

Virgilius defenditur.

6. RENARRABAT] Non vacat præpositio, (hoc iam alij, sed hîc deesse non debet, quia ad defensionem Virgilij) nam tametsi, quæ continentur toto. 2. & 3. lib. vno orationis impetu dicta, & audita fuerint: sed ante illa credas multas narrationes ab Ænea factas de Troiano excidio, concisas tamen, nam illas interpellabat sæpius amans Dido. Hoc planum fit ex illis:

Iliacósque iterum demens audire labores
Exposcit, pendétque iterum narrantis ab ore.

C

Atque ex illis etiam:

Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longúmque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis, &c.


Hæc postrema rem planam faciunt, nam neque in 2. neque in 3. dictum aliquid de Memnone, aut de equis Diomedis, de quibus mox rogat. Hæc longiusculè dicta, nam ausi aliqui Virgilium reprehendere, conferentes in necessitatem solam metri, præpositionem, (re.) Itaque seorsim narrata multa, & mox publicè audientibus omnibus: vt meritò putet Germanus adumbratum à Virgilio locum Homeri. 12. Odyss. ad finem,

—τί τοι τάδε μυθολογεύω;
Ἤδη γάρ τοι χθιζὸς ἐμυθεόμην ἐνὶ οἴκῳ,

D

Σοί τε καὶ ἰφθίμῃ ἀλόχῳ:
—quid enim tibi dicam?
Iam enim ex parte enarraui in domo,
Tibique & castæ vxori.

FINIS LIBRI TERTII ÆNEIDOS.



P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER IV.

ARGVMENTVM.



ONTINET hic liber amores Didonis erga Æneam, sed modestissimè, vt decet Vatem Parthenium. Neque obtrudant Critici sumptum Apollonium ad imitationem. hoc scilicet Græculi. Nihil habet Virgilius commune cum Apollonio, nisi tantùm describi à Græco amores Medeæ erga Iasonem, à Latino Didonis erga Ænean. In reliquo longè dissimiles. Apollonius mera est vmbra, meræ nugæ, mera insipientia si cum Virgilio conferatur. Sed omitto hìc crisin, & pergo ad argumentum libri huius. Describitur primò amor Didonis, & amoris huius causæ, quem Dido cum sorore communicat, accipitque ab illa consilium nuptiarum, qua audita ardet vehementiùs Regina. Sequuntur Iunonis insidiæ, communicatæ quidem cum Venere, & intellectæ ab illa pari calliditate. Describitur postea apparatus ad venationem, vbi interueniente ex voto Iunonis tempestate, Æneas & Dido contendunt ad locum abditum, peragitúrque amoris opus prætextu coniugij. Factum hoc fama disseminat per totam Africam, perducítque illud ad aures Hiarbæ, qui nuptias Didonis ambierat, & contemptus destiterat. Queritur hic ad Iouem, auditur, mittitur Mercurius, qui Ænean ab Africa faciat discedere, & capere consilium Italiæ. Paret Ioui Mercurius, exponítque illius mandata Æneæ, qui statim profectionem parat. Præsentit Dido abitum, & grauiter cum illo expostulat, tuetur se ille numine, fatis, Deorum voluntate. Dido nihil vult audire ira & amore accensa, contemnit fata, abrumpit sermonem, discedit cum querelis. AEneas incumbit totus ad profectionem, ardet denuo Dido, sororémque summittit, quæ Aenean à profectione auertat. Vbi videt nihil proficere, mortem orat, odit lucem, accedunt dira omina, quibus capit mortis consilium, nihil hac de re cum sorore communicans, imò illam fallit prætextu sacrorum, quibus paratis, ea, imprecato priùs Aenea, mortem sibi gladio affert, soluítque animam ministerio Iridis. Hunc miserandum exitum præcedit Aeneæ abitus, ad monita Mercurij. Carthagine interim replentur omnia tumultu, comploratione, lacrymis.



a AT Regina graui iam dudum saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.
b MVLTA VIRI VIRTVS animo, multúsque recursat
Gentis honos. hærent infixi pectore vultus,
Verbáque: nec placidam membris dat cura quietem.

ARGVMENTVM. A

Dido amore priùs Æneæ saucia, iam nunc æstuat: adducuntur argumenta, quæ illam ad hunc amorem impulerint, veriùs ardorem; ea sunt Æneæ virtus, Troianæ gentis honos, vultus, verba.

EXPLICATIO.

a INcipit ab emphasi. hanc agnosce in particula *at*. ac si dicat. Æneas quidem quieuit ab oratione; at Dido magnis amoris fluctibus agitabatur. Vide verò vt omnes voces signatissimæ sint ad amorem,

rem, *cura, vulnus, ignis*, Illa est *saucia*, illud *alit*, hoc, *carpitur*. Quid adiuncta illa grauitatis, venarum, cæcitatis? *Iam dudum* est, ex quo tempore Æneas cepit narrare. *Cura* explica, amore, vt in multis aliis.

b Sequuntur causæ grauissimæ curæ, aliti vulneris, amoris cæci: videlicet, viri virtus, Troianæ gentis honor, formæ decus, verba ipsa plena suauitudine. Duo illa, virtus atque honor obuersantur animo, recurrunt recursantque identidem: forma verò, & verba hærent, & infixa, & in imo pectore. Inde natum, vt nulla quies miseræ, & signatè membris, quia venæ cum vulnere, pectus cum cura. Expende quiddam. Prius Regina capitur virtute viri, honore gentis: deinde amore, & verbis. quod ex decoro Reginæ. prius enim quod generosũ & nobile, deinde quod minus generosum.

NOTÆ.

1. AT] Non erret, qui putet, ortum huius vocis esse ab Græco ἀτὰρ, ex Latina apocope. Eadem enim vtrique voci vis. — *At, vnde ortum.*

2. GRAVI] Mars apud Anacreontem Cupidinis βελέμνῳ *sagitta* ictus, sic ipse loquitur ad Amorem percussorem, βαρὺ, ἆρον αὐτό: — *Grauitas de Amore.*

Grauis est, aufer illam.

Ouid. in Phæd.

Venit amor grauiùs, quo seriùs: vrimur intus.

& 9. Met.

Ipse tamen quamuis animi graue vulnus habebam,
Quamuis intus erat furor igneus.

Non abit à grauitate χαλεπότης, quam vocem Archilochus apud Stob. amori accommodauit, nam de illo, χαλεπῇσιν ὀδύνῃσιν. Quin Propertius Amorẽ ipsum grauem vocat lib. 3. eleg. 19. — *Amor grauis.*

Vt me longa graui soluat amore via.

& Od. 8.

Non sine amore graui fœmina nulla dolet.

vt & Horat. Od. 11. Epod.

Amore perculsum graui.

Ratio huius attributi peti potest ab eodem libro 2. eleg. 30.

Instat semper Amor supra caput, instat amanti;
Et grauis ipse super libera colla sedet.

Est enim tyrannus impotentissimus, adducitque homines in grauem seruitutem, atque eripit libertatem. Inde illud. 1. Ecl. — *Amor tyrannus.*

Quid facerem, neque seruitio me exire licebat.

3. SAVCIA] Hæc vox etiam de amore. Ouidius 1. Arg. — *Saucius de amore.*

Saucius ingemuit, telúmque volatile sensit.

Enn. Med.

Medea animo ægra, amore sæuo saucia.

habetur lib. 2. ad Herenn. Lucret. lib. 3. *saucia amore.* Nazianz. orat. 20. de amore loquens, ἔτως ἐπ' ἀλλήλοις ἐτρώθημεν: ita *ad inuicem sauciati sumus.* Apuleius lib. 2. de re amoris, *petulans, etiam saucius.*

4. VVLNVS] De amore frequenter. infrà, — *Vulnus de amore.*

—tacitum viuit sub pectore vulnus.

Ouid. 2. Rem.

Admonitu reuocatur Amor, vulnúsque nouatum
Scinditur.

Lucret. lib. 1.

———æterno deuinctus vulnere amoris.

Theocrit. εἰδ. 9.

Ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας:

Infestissimum habens sub pectore vulnus potentis Veneris.

sic *vulneror*. Ouid. 1. Rem.

A *Hic amor, & pax est, in qua malè vulneror vna.*

Itaque præclarè ait Apuleius lib. 10. easdem notas conuenire amantibus, quæ & ægrotis. Inde *vulnus, saucia*, in Virgilio, & mille alia. Subiicio verba: *iam cetera salutis vultúsque detrimenta & ægris, & amantibus examussim conuenire, nemo est qui nesciat: pallor deformis, marcentes oculi, lassa genua, quies turbida, & suspiritus cruciatus tarditate vehementior.*

5. ALIT] Valerius Flaccus. libr. 6. de Medea amante:

———& quas alit inscia curas.

6. VENIT] Putabant scilicet ex venis ad cor amorem transfundi. Inde hîc & mentio venarum in re amoris. Et Seneca in Hippol. *per venas meat.* Et Apuleius lib. 2. *Vbi primùm sagittam sæui Cupidinis in ima*

B *præcordia mea delapsam excepi.* quasi per venas in cor delapsam.

7. CÆCO] Occulto, & qui foris non apparet. Oui. quoque in Phæd. — *Cæcitas de amoris vulnere.*

Vrimur, & cæcum pectora vulnus habent.

Inde Propert. lib. 2. eleg. 4.

Quippe vbi nec causas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via est.

vbi causam reddit, cur vulnus hoc cæcum. Sic autem in re Amoris à Poëtis *cæcitas* dicitur, vt à Cæsare libr. 5. Gall. *cæcæ litteræ* cùm scribit: *tum cuidam ex equitibus Gallis magnis præmijs persuadet, vti ad Ciceronem epistolam deferat: hanc cæcis scriptam litteris mittit, ne intercepta epistola, nostra ab hostibus consilia cognoscantur.* sunt *cæcæ litteræ*, de quibus Ouid. loquitur: — *Cæcæ litteræ, quæ sint.*

Tuta quoque est, fallítque oculos à lacte recenti

C *Littera, carbonis puluere tange, leges.*

Porro Cæsaris locus ascribatur Titio lib. 4. locorum cap. 12. cùm priùs legeretur *Græcis litteris*. Ergo, vt in Cæsare *cæcæ litteræ*, sunt, explicante Ouidio, quæ fallunt oculos: sic in Virgilio *cæcus ignis* est, qui explicante Propertio, non habet apertos ictus. Eodem planè sensu dixit Virg. lib. 4. Georg. *spicula cæca.*

8. CARPITVR] Vult Delrius eodem sensu *carpendi* verbo vsum hîc Virgilium, quo Æschylus vsurpauit verbum ἐσθίω, Et Eurip. θοινάομαι. ille: — *Carpo.*

Φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός:
Phagedæna mihi carnes vorat pedis.

Alter:

Φαγέδαινα ἥ μου σάρκας θοινᾶται ποδός:
Phagedæna mihi carnes epulatur pedis.

D Quæ vtriusque Poëtæ metaphora approbata est, ab Arist. lib. de Poët. est phagedæna genus morbi. Cæterùm vsi alij hoc verbo, sensu eodem, quo Virgilius. De inuidia Ouid. 2. Met.

—carpítque, & carpitur vna.

Catull.

—illic mihi carpitur ætas.

Propert. lib. 3. eleg. 5.

Nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro.

In quibus, vt etiam in Virgilio, *carpi* est, confici, & minui: locutione ducta à floribus, qui, vt carpuntur, statim amittunt splendorem suum, & ex florida iuuentute, qua vernant, illico ad senectutem perueniunt.

E 9. IGNI] Ita Apollonius lib. 3. sagittam amoris vocat πυρὶ ἴκελον: *igni similem.* De hac peste Philo in Decalogo, πᾶν τὸ δίκην ἀσβέστου πυρὸς, ὧν ἂν προσάψηται, καταφλέγει: *Quicquid attigerit, more ignis adurit.*

10. VIRI VIRTVS] Præclarè, nam virtus à viro.

11. HÆRENT] Rectè. difficilè enim hic tyrannus auellitur, vbi semel per oculos in cor influxit. οὐκ ἔτι ἄπεισιν ἐκ τούτου τοῦ καταγωγίου. verba sunt Philostrati in epist. *non ampliùs abit ab hoc diuersorio.* Huius rei seges magna in Heliodoro, Achille Alexandrino, aliis. — *Amor hæret.*

12. INFIXI PECTORE] Hæc amoris ſedes. Artemidorus lib. 3. cap. 40. ἐὰν δὲ τὸ στῆθος γιγνόμενον, ἢ τῆς καρδίας, νέοις μὲν, καὶ ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶν, ἔρωτα σημαίνει: *Si in pectus aut cor vulnus fuerit inflictum, Iuuenibus quidem tum viris, tum fœminis, amorem ſignificat.* Catullus eandem aſſignat ſedem. Adducam locum integrum, quia ad eius lineas Virgilius hunc locum:

Nec priùs ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm toto concepit pectore flammam,
Funditus, atque imis exarſit tota medullis.

Idem in epithal. *Pectore vritur intimo.*

Amantes inſomnes.

13. NEC PLACIDAM MEMBRIS DAT CVRA QVIETEM] Nota amantis, nunquam ſomno quieſcere. Clitophon apud Achillem Alex. *Dolori ô Clinia par eſſe nequeo: amor enim ſuum in me furorem omnem effun-* A *dit, nullum ſomno locum omnino vt relinquat.* Ouid. in Canace:

Nec ſomni faciles, & nox erat annua nobis,
Et gemitus nullo læſa dolore dabam.
Nec cur hoc facerem poteram mihi reddere cauſam,
Nec noram, quid amans eſſet, at illud erat.

Inf. Virg.

—ſuſpenſam inſomnia terrent.

Græci amoris curam ἄυπνον vocant: *inſomnem.* Et παννάγρυπνον, *omnino inſomnem.* Nec alio ſenſu Catull. dixit

Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas:

nam ſpinæ amoris omnem abigunt quietem. B Heliodorus lib. 4. inter notas amantium adhibet etiam *Vigilias.*

[a] Poſtera Phœbæa luſtrabat lampade terras,
Humentémque Aurora polo dimouerat vmbram,
[b] Cùm ſic vnanimem alloquitur malè ſana ſororem.
[c] Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?
Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſe ſe ore ferens? QVAM forti pectore, & armis?

C

ARGVMENTVM.

Oritur lux craſtina: Dido amorem ſuum cum ſorore cōmunicat: Æneæ virtutem admiratur, ſtupet veriùs.

EXPLICATIO.

[a] PEriphraſis naſcentis diei ab Phœbo illuſtrante terras, ab vmbra diſcedente beneficio auroræ. Sed quoniam aurora antecedit ſolem, ſententiam concipe per ὕστερον πρότερον, quod frequentiſſimum: & obſerua acumen in temporibus. *Aurora dimouerat, Sol luſtrabat.* illa non perfecto, ſed pluſquàm perfecto tempore, quo iam omnino intelligas abactas tenebras: hic imperfecto, non perfecto, quo primos ictus radiantis Solis intelligas, nondum totum orbem (δίσκον Græci vocant, nos etiam rotam) patefactum. Sic enim Didonis curæ exprimuntur, quæ ad primos ſtatim radios ſororem adiit rem communicatura. vmbra *humens* dicitur ab humente nocte, ex abſentia ſolis.

[b] Amoris naturam innuit eminentiſſimus Poëta, qui tegi nequit ſilentio, ſed amat cōmunicationem, non quamcunque, ſed eorum, qui vnanimes, qui amici, qui alteri nos.

[c] Artificioſa oratio, in qua priùs quàm de amore ſuo fateatur, rem gerit per ambages pudibunda amātium more. Iſtæ enim quærendæ in turpi, quod aiunt, cauſa: & amor poſt aliqua inſinuandus, non ſtatim. Ergo antequam aliquid de ſuo amore, ait ſe in ſomnis terreri, admiratur nouum hoſpitem, laudat os eius militare, pectus fortiſſimum, arma fortiſſima, quia ſcilicet ſupra, *Multa viri virtus*, &c. Et hoc ſe verè reginam & heroïnam oſtentat, quæ non tam illecebris amoris ducatur quàm viri virtute.

NOTÆ.

1. POSTERA, &c.] Imitatur Poëta Homerum. Cùm enim Pallas Nauſicaæ in ſomnis apparuiſſet, illa ſtatim orto mane geſtiebat rem narrare: quod puellæ ſtudium expreſſit Græcus vates Odyſſ. 6. his verſibus:

Αὐτίκα δ' ἠὼς ἦλθεν εὔθρονος, ἥ μιν ἔγειρε
Ναυσικάαν εὔπεπλον, ἄφαρ δ' ἀπεθαύμασ' ὄνειρον.
Βῆ δ' ἴεναι διὰ δώμαθ' ἵν' ἀγγείλειε τοκεῦσι
Πατρὶ φίλῳ, καὶ μητρί:

Continuò Aurora aderat pulchra, quæ ipſam excitabat
Nauſicaam pulchris peplis, cæterùm admirata eſt ſomnium.
Feſtinabat ire per domos, vt annunciaret parentibus,
Patri charo, & matri.

Vt Virgilius, *poſtera aurora* pro die poſtero, ita Ouidius 1. Faſt. Aurora, & Lucifer pro die.

Non habet officium lucifer omnis idem.

D id eſt, dies omnis. Sed Poëtam tamen poſſis explicare verè de aurora ipſa, vt appareat Didonis ſtudium. Porro ſecundum verſum habes lib. 3. Æneidos. Videntur magni Poëtæ ſemper ſui ſimiles eſſe voluiſſe, & ſe ipſos quodammodo imitari, interdum integris quoque verſibus, quibus quaſi quibuſdam notis ac lineamentis, germani ac genuini ipſorum fœtus à ſuppoſititiis, ac nothis diſcernerentur: nam fœtus ſimilitudo fere ſolet parentem prodere. inde Homerus ſæpe ſuos verſus repetit, Virgilius, Oppianus, aliique, quorum iudicium magnum in re poëtica. Videndus Rittershuſius in Comm. in Opp. lib. 1. Cyn. & Iul. Scal. Hyper. cap. vlt.

2. MALE SANA] Vt Græcis κακῶς, ita Latinis *malè* Malè. E ſignificatum mutat ex adiunctis, quod iam alij obſeruarunt. Itaque notabis ignauiam militis, quæſtum auari, lenonis libidinem, amantium vulnera hâc vnica voculâ, omnia demum vitia.

3. ANNA SOROR, &c.] Nauſicaa apud Homerū, Odyſſ. 6. multa præmittit priuſquam fateatur, optare ſe Vlyſſem ad matrimonium.

Κλῦτέ μοι ἀμφίπολοι λευκώλενοι, ὄφρα τι εἴπω.
Οὐ πάντων ἀέκητι θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Φαιήκεσσ' ὅδ' ἀνὴρ ἐπιμίσγεται ἀντιθέοισι.
Πρόσθεν μὲν γὰρ δή μοι ἀεικέλιος δέατ' εἶναι.
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
Αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη,
Ενθάδε ναιετάων, καί οἱ ἅδοι αὐτόθι μίμνειν:

Audite me ancillæ pulchris lacertis, vt aliquid dicam:
Non omnibus inuitis Dijs, qui cælum tenent,
Ad Phæacas hic vir peruenerit diuinus.

Nam

Nam antea mihi nihili videbatur esse,
Nunc verò Dijs similis, qui cælum latum inhabitant.
Vtinam mihi talis maritus vocatus esset,
Hic habitans, & ipsi placeret hîc manere.

Eadem Nausicaa suprà magnis tergiuersationibus vsa est ad patrem, magnísque ambagibus ad nuptias, semper tamen abstinens nuptiarum nomine, adeò vt dicat Græcus vates,

—αἴδετο γὰρ θαλερὸν γάμον ἐξονομῆναι
Πατρὶ φίλῳ· ὁ δὲ πάντα νόει.
—verebatur enim floridas nuptias nominare
Patri charo, ille verò omnia intelligebat.

Ad hunc ergo modum Dido in hac oratione animum, quantum potest, celat, consilium tegit, nuptias detestatur, Sichæo se denuo obstringit, ita tamen hæc omnia facit, vt facilè soror amorem intelligat: quæ dixi perspicua erunt aureos versus adeunti. Nullam fortasse orationem huic similem reperies in hoc genere.

Amantes agitantur in somno.

4. QVÆ ME SVSPENSAM INSOMNIA TERRENT] Terrentur sæpe amantes, gaudent etiam in somnis, variósque affectus sentiunt. Poëta inf.

—agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas.

Anacreon lepidissimè confinxit se media nocte in somnis agitatum ab Amore, qui fores pulsauit, ingressúsque sagitta Poëtam perculit. Alibi idem sic scribit,

Ἐδόκουν ὄναρ τροχάζειν
Πτέρυγας φέρων ἐπ' ὤμων:
Videbar alas ferens in humeris
In somnis cursitare.

Apud Ouid. Sappho Phaoni:

Tu mihi cura Phaon, te somnia nostra reducunt.

Deinde:

Illic te inuenio, quamquam regionibus absis.

Laodomia Protes.

Aucupor in lecto mendace scalibe somnos.

Albinouanus ad Liuiam:

Et modò per somnos agitaris imagine falsa,
Téque tuo Drusum credis habere sinu.
Et subitò tentásque manu, sperásque receptum
Quæris & in vacui parte priore tori.

A Apollon. 3. Arg. quem omnino Virgilius expressit.

Δειλὴ ἐγών, οἷόν με βαρεῖς ἐφόβησαν ὄνειροι:
Misera ego, vt me graues terruerunt somni:

loquitur Medea. Plautus Mercat. *Sed amori accedunt etiam hæc insomnia, ærumna, error, terror, & fuga.* A Virgilio Propertius elegantissima imitatione libr. 4. eleg. 7.

Cùm mihi ab exequijs somnus penderet amoris.

Ita enim hic *somnus penderet*, & ille, *suspensam insomnia.*

Hospes de amantibus.

5. HOSPES] Catullus, & Homerus amantem hospitis nomine afficiunt. Latinus in Arg.

Nec malus hic celans dulci crudelia forma
B *Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes.*

Græcus Odyss. 11. ore Reginæ Aretæ:

Φαίηκες, πῶς ὔμμιν ἀνὴρ ὅδε φαίνεται εἶναι
Εἶδός τε, μέγεθός τε, ἰδὲ φρένας ἔνδον ἐΐσας;
Ξεῖνος δ' αὖτ' ἐμός ἐστιν.
Phæaces, quo pacto nobis vir ille apparet esse,
Formáque magnitudinéque, atque mente intus æquabili?
Hospes sanè meus est.

Et sanè *hospitem* verbum esse amantium, iam aperuerunt nostri æui eruditi aliqui.

6. QVEM SE SE ORE FERENS] Retuli ad os & formam militarem, qua illecta Dido; non ad lasciC uiam. nec muto. sed posset tamen ad hanc referri, quod, cur aliqui vehementer abnuant, non video. Nam suprà, *viri virtus recursat*, & *hærent infixi pectore vultus.* Ergo, cum relatu ad hærentes infixósque vultus, *quem se se ore ferens.* Itaque, sicuti ibi non dedecuit, neque hîc dedecebit. Accedit auctoritas Isidori lib. 9. cap. 7. ita explicantis Poëtam. *In eligendo marito quatuor spectari solent, virtus, genus, pulchritudo, sapientia. Ex his sapientia potentior est ad amoris affectum. Refert hæc quatuor Virgilius de Ænea, quòd his Dido impulsa est in amorem eius. Pulchritudine, quem se se ore ferens: virtute, quàm forti pectore, & armis: oratione;*

heu quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat!

genere;

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

[a] Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.
DEGENERES animos timor arguit. heu quibus ille
Iactatus fatis? quæ bella exhausta canebat?
[b] Si mihi non animo fixum, immotúmque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertæsum thalami, tædæq; fuisset,
[c] Huic vni forsan potui succumbere culpæ.

ARGVMENTVM.

Æneam esse Deorum genus probat ex militari virtute: aperit quid iam olim animo insederit, ex quo Sichæus obijt, atque obiter inclinatum studium ad nuptias Æneæ.

EXPLICATIO.

a EX dictis colligit, Æneam esse procreatum Deorum semine. & firmat, nam *Degeneres animos*, &c. Perinde ac si dicat: Sicut timor degenerem animum indicat, virtus è contrario genus probat: genus ergo Deorum Æneas, qui iactatus magnis faD tis, qui cecinit bella exhausta. Hære in hac voce. Sunt *bella exhausta* non inchoata tantùm, sed perfecta, & ad vltimum constantissimè perducta.

b Vide, vt celari amor nequeat; sensim enim Dido dilabitur ad animum suum aperiendum, ita tamen aperit, vt dissimulet. Sententia integra est. Nisi iam diu statuissem firmiter abstinere à nuptiis, neque vllo me vinculo matrimonij constringere, ex quo Sichæus obiit; si non iam exosa thalamum maritalem fuissem, forsitan possem huic culpæ succumbere. Illud *deceptam fefellit*, est, decepit & fefellit. Vide de hac re notam Gifanij in Collectan. ad Lucretium.

c Sententiam iam attuli. Sed vide vti hunc versum egregiè expendat Scaliger, à quo iam alij. Singula verba

verba habent emphasin, & pondus, nam vt faciem A amoris sui mollirer, *huic vni* dixit, quasi iustior sibi in hac re venia esset, quæ nulli alteri delicto locum esser datura: & *culpa* ait, non peccato, non crimini: nec tamen ait admissuram se, sed *potui*, & *forsan*, quod nihil habet certi: & *succumbere*, vt non sponte, sed amoris impetu, si id fecerit, factum esse videatur.

Notæ.

Genus Deorũ, adagium.

1. GENVS ESSE DEORVM] Adagij forma Plutarchus de fortuna Roman. λαμπρὰ μὲν τὰ σὰ ἔργα, καὶ μεγάλα, καὶ θεῖον ὡς ἀληθῶς ἐξέφηνας αἷμα καὶ γένος ὂν σεαυτήν: *Illustria sanè & magna tua sunt facta, & reuera docuisti te esse sanguinem & genus Deorum.* Talia B sunt illa ab Nostro frequentissima, vt in 6. *& mi genus ab Ioue summo.* Iterum,

Anchisa generate, Deûm certissima proles,

&:

—sate sanguine Diuûm
Tros Anchisiade.

Sed in his locis Poëta capiendus propriè. nam verè cum relatu ad Venerem.

2. ANIMO FIXVM] Est hoc, quod Demosthenes in Chersoneso, περιθεὶς ταῖς ψυχαῖς.

Nupta ligabatur vinclo cum cõiuge. Iuno Iuga. Iuno Socigena.

3. VINCLO SOCIARE IVGALI] Periphrasticè nuptias intelligit. Deinde cum allusione ad morem veterum vsurpat tres voces, *vinclum, sociare, iugali.* Noua enim nupta sponsúsque veteri ritu vinculis iungebantur, vitta nimirum quadam amiciebantur, quasi viderentur eidem iugo annecti: fiebat id ante aram *Iunonis Iugæ*, quæ sic dicta, quòd nubentes coniungeret: Græci Ζυγίαν à iungendo vocant. Martianus *Socigenam* appellat, quòd nubentes associet. Ita lege, non vt in vulgatis, *Sotigenam.* Non placet, qui *opigenam.* Quæ dixi de vitta, qua coniuges iungebantur, firmant multi; videndi è reliquis Alex. 2. Gen. cap. 5. & Lil. 3. Syntag. Tum, quæ nos infrà ad illud:

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Iugum nubentium.

Deltius tamen in Troad. Sen. dicit, scriptores posse accipi, non de vittis, sed verè de iugo, quod more vetere sponso, & sponsæ imponebatur: quam rem firmat ex Ser. & S. Isidoro. Hoc de iugo minùs credo. sed sciendum quoque in *vinclo iugali* metaphoram D duci à re rustica; vt enim boues eidem iugo annectuntur, sic coniuges dicuntur iugari, inde *coniugium*, & *coniux.* Plaut. Curc. *Iam ne ea fert iugum?* Horat. lib. 2. Od. 5.

—nondum subacta ferre iugum valet
Ceruice.

Eadem metaphora eleganter Oppian. lib. 4. Hal. dixit, ζεύγλην Ἀφροδίτης: *iugum Veneris.* Adde adhuc fieri posse allusionem ad amorem, tyrannum potentissimum, qui verè ligat & vinclo, & compede. Horat. lib. 1. Od. 33. *grata detinuit compede.* & lib. 4. Od. 11. *Tenêtque grata compede vinctum.*

4. PRIMVS AMOR] Placuit Maronianum hoc primùm Ouidio, deinde Propertio. Ait ille lib. 1. Metam.

Primus amor Phœbi Daphne Peneia.

& lib. 14.

—tu primus & vltimus illi
Ardor eris.

Ait hic lib. 1. eleg. 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

& eleg. 12.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

& lib. 1. el. 10.

O iucunda quies primo cum testis amori
Affueram.

5. PERTÆSVM THALAMI] Hac forma Cicero, *pertæsum est leuitatis.* & Plaut. *pertæsum est conuiuij, sermonis.* Vide verò copiam veri Poëtæ. Vocat coniugium, *vinclum iugale, thalamum, tædam.* Hoc extremo allusum ad tædas, & faces, quæ nuptis præferebantur.

Digamia infamis olim.

6. CVLPÆ] An quia secundæ nuptiæ infamiæ aliquid habent? an quia *culpa* simpliciter pro amore sumitur? vtrumque explico. Probat Cælius lib. 28. cap. 22. ex sancto Hieronymo digamiam fuisse adhuc ipsis ethnicis infamem. Vide illum, & adiice Seruij verba hæc: *bene culpæ potiùs quàm amori, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio, id est, fortunam muliebrem non coronabant bis nuptæ.* in lib. 1. Epigram. Græc. hoc legitur,

Εἴ τις ἅπαξ γήμας πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,
Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον:

C *Qui capit vxorem defuncta vxore secundam,*
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

Versio est clarissimi martyris Thomæ Mori. Hæc de prima explicatione. Sed videan in Poëta locum habeat altera, quam attuli, videlicet *culpam* simpliciter pro amore sumi. Statius. 2. Theb. in descriptione filiarum Adrasti, cùm illæ educebantur ad viros suos, quibus iungendæ legitimo matrimonio & primo essent à patre, vbi nulla culpa, nullum crimen, nulla intemperantia, sic ait:

Culpa pro amore.

Ibant insignes vultúque habitúque verendo,
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Deiectæq́ genas: tacitæ subit ille supremus
Virginitatis amor, primæq́ modestia culpæ
Confundit vultus.

Qui locus Statij vnicus ad hanc rem, & ex quo lucem afferes aliis Poëtis, in quibus simpliciter *culpam* pro amore possis interpretari. Ouid. 2. Ar.

Ludite, sed furto celetur culpa modesto.

Oenone Paridi:

Vim licèt appelles, & culpam nomine veles.

Helena eidem:

Et peream, si non inuitent omnia culpam.

Scio culpam aliàs sumi verè pro amore, in quo est culpa, vt cùm ait Propertius lib. 2. eleg. 30.

Communis culpa cur reus vnus agor?

Error de amore.

Inde Virgilio *error* quoque dicitur ecl. 8.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

& Propertius lib. 1. eleg. 3.

Quæ tibi sit felix, quoniam nouus incidit error.

[a] Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichæi
Coniugis, & sparsos fraterna cæde Penates,
SOLVS hic inflexit sensus, ANIMVMQVE labantem
Impulit: AGNOSCO veteris vestigia flammæ.
[b] Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,

Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam,
ANTE PVDOR quàm te violem, aut tua iura resoluam.
c ILLE meos, primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ILLE habeat secum, seruetq; sepulcro.

A

ARGVMENTVM.

Iam planè amorem suum fatetur, sed veluti resipiscens sibi acres Diras imprecatur, si pudorem violet: ac denuo suo se Sichæo obligat.

EXPLICATIO.

a HIc iam tandem illud fatetur, quod longa verborum ambage texerat, quod dum fatetur, Annam nominat, quasi hoc nemini esset (expendit Nascimb.) nisi sorori commissura. Quid verò fatetur? *Hic solus.* en laus Æneæ, in quo maius quiddam, quàm in aliis fuisse indicat amans femina, cùm ille solus se ad amandum, nemo alius, impulerit. Pergit. Hic solus *inflexit sensus*, quia ianua amoris sunt oculi, aures, & sensus reliqui. Inde ad animum amor penetrat, ideo *animúmque labantem Impulit*, id est, impulit, & fecit labare. Nam digamia quidam veluti lapsus & culpa. *Agnosco veteris vestigia flammæ*, videlicet cùm eram in adolescentia. Quæ intersita sunt de Sichæo habent magnam conquestionem, vbi vides *fata miseri coniugis*, id est, mortem. Sed non hæc satis, nam mors ista adiuncta cum sacrilegio, nam sparsi Penates sanguine; & cum parricidio, nam *fraterna cæde*. Itaque mors illa non simplex, sed in qua sacrilegium, & parricidium.

b Epilogus in quo est imprecatio, si se victam dedat, ficta tamen sunt omnia, & apta ingenio muliebri. Quid verò sibi imprecatur? diras horribiles. Prima, vt sibi *tellus dehiscat*, & hæc *ima*, cuius hiatu deglutiatur. Altera, vt se Iuppiter ad infernum adigat. Sed vide apparatum & pondus verborum. Primò *fulmen* aduocat, quod habet horrorem. Deinde, non *infernum* nominat, sed *vmbras*, quod tristius. Tertiò, has geminat. Quartò, illas afficit diro attributo à pallore, qui color in Manibus esse creditur, in defunctis certè apparet. Quintò, relictis vmbris, iam clarè *noctem* ponit, & hanc *profundam*, indicans Tartari profunditatem. Sextò, vult vt exerceat in se hanc carnificinam Iuppiter *omnipotens*, vt ille totam omnipotentiam adhibeat in se punienda, si peccet. Septimò maluit *adigat*, quàm aliud, in quo est dirum quiddam & horridum. Vide, quos sibi frænos imponat, quos terrores, vt vel inuita etiam & nolens peccare desinat, & pudorem violare. Et nota apostrophen ad Pudorem, quasi ad Deum pudicitiæ, inde verbum *violo*. sacra enim dicuntur violari. & quia *iura* dixit, ideo signatissimè, *resoluam*. Nihil his quatuor versibus dici absolutius potuit.

c Dicit, non esse iam sibi integrum & liberum dare alteri amorem suum. Igitur, ille qui primus me sibi iunxit coniugio, idem me abstulit, non relinquens locum alienis amoribus. Ergo hos *ille seruet*, & in *sepulcro*, ne inde effugiant. Non horret meus amor sepulcri cineres, dum sit vnà cum Sichæo. In pronomine *ille*, agnosce emphasin. Sed cur *iunxit*, non iunxi me, aut nupsi? Verecundiam hîc notat Nascimbænus, allusionémque ad Spartanam illam, quæ rogata, an rem habuisset cum viro: *Nequaquam* (inquit) *sed ille mecum.*

NOTÆ.

1. SPARSOS FRATERNA CÆDE PENATES] Hinc Propertius lib. 2.

Spargeréque alterna communes cæde Penates.

2. INFLEXIT] Dat hoc verbum sæpe amanti. Infra: Inflecto.

Esto, ægram nulli quondam flexere mariti.

Iterum:

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?

Ouid. in epist.

Sola virum flexit coniux.

3. ANIMVMQVE LABANTEM IMPVLIT] Ita 1. Æn.

—submersas obrue puppes,

B id est, submerge, & obrue. Iterum, *furentem Incendat Reginam*, id est, faciat furere, atque incendat. Et suprà, *suspensam terrent*, pro suspendunt, & terrent. Iterum, *deceptam fefellit*, pro decepit, & fefellit. Hæc obseruatio & vsus ita frequens est in Virgilio & aliis. vt iam desinat esse obseruatio. Cæterùm Virgilius ad gustum Plauti in Cistell. *Amor me lapsum animi ludificat.*

4. SED MIHI VEL TELLVS, &c.] Prouerbiale hoc. Homer. Il. 4. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών, *Tunc mihi dehiscat vasta tellus.* Quod hemistichium sæpe idem inculcat. Vsurparunt Cicero, Lucianus, Aristides: loca petenda ab Erasmo Chil. 3. cap. 59. Xenophontis loca huic persimilia Germanus aduocat: Homeri alium, Æschyli, atque Euripidis Vrsinus. Ego aduoco consentientem cum verbis Poëtæ locum Plutarchi ἐν τῷ Ἐρωτικῷ. ἡ δὲ γενναία γυνὴ πρὸς ἄνδρα νόμιμον συγκραθεῖσα δι' ἔρωτος, ἄρκτων ἂν ὑπομείνειε, καὶ δρακόντων περιβολὰς μᾶλλον, ἢ ψαῦσιν ἀνδρὸς ἀλλοτρίου, καὶ συγκατάκλισιν: *Generosa femina, quæ deuinxit se iusto viro, vrsorum potiùs & draconum amplexus sustinebit, quàm tractationem, & concubitum alterius viri.* Tellus mihi dehiscat, adag.

C

5. ADIGAT ME FVLMINE] Fortasse ex Euripide, qui in Andromache:

Ἀλλὰ κεραυνῷ πρόσθεν ὀλέσθαι.

6. PALLENTES VMBRAS] Hoc audito lege in Tibullo lib. 3. eleg. 1.

Parcite pallentes vmbras quicunque tenetis,
Duráque sortiti tertia regna Dei.

D vbi vulgo *pallentes vndas*. Sed non dubium quin retineri queat vetus lectio, nam Virg. lib. 6. *vada liuida*. & idem Tibullus lib. 3. eleg. 3.

—ignaua luridus Orcus aqua.

& clariùs eleg. 1. eiusdem libri,

—pallida Ditis aqua.

7. ANTE] Non vides, vt iam dixerit *priùs*, & nunc *antè*? Turneb. lib. 26. Aduers. cap. 5. ait à Virgilio dictum hoc ad imitationem Homeri, qui πρὶν geminat: sic est profectò, sed nollem diceret *geminatione non necessaria*: potiùs, venusta geminatione. Nam Paulus Iurisconsultus l. *in fraudem*, ita ait, *eius bona, qui sibi mortem consciuit, non antè ad fiscum cogentur, quàm priùs constiterit, cuius criminis gratia sibi manum intulerit.* Verba Pauli affert Germ. in Paral. Adiungo Sallustium, qui in Catil. *Ac priùs quàm legiones scriberentur,* E *multa antè capere, quæ bello vsui forent.* Cornelium Nepotem, qui in vita Attici: *Atque antea quidem morbi* Prius ante. Virgilius defenditur.

diuturnitatem molestè ferebat, priusquam hoc ei accideret, sed hunc leporem aliunde probo. Apuleius lib. 2. Af. coniungit, *tandem & denique*, ait enim: *& tandem denique deuorato pudore ad Milonem aio*. Sic & Ammianus lib. 26. *Tandem denique vtilitate rei perpensius cogitata*. Redeo ad Apuleium. Idem, *ergo & igitur*, cùm ait: *ergo igitur Fotis erat adeunda, déque nutu eius consilium, velut auspicium petendum*. Iterum: *ergo igitur senex ille: veritatis arbitrium in diuinam prouidentiam reponamus*. Liuius lib. 43. *In ante dies VIII. & VII. Calend. Octob.* vbi satis *in*, aut *ante*. Idem lib. 39. *Itaque ergo* eodem pene significato. Aristophanes in Pluto, πολὺ πάνυ. & in Irena, αὖθις πάλιν. Est hoc σχῆμα ἐκ παραλλήλου. Ab his exemplis non abit illud Apuleij lib. 1. Flor. *Priusquam tibias occiperet inflare, priùs quædam de se & Apolline barbare effutiuit*. Quis ergo dubitabit geminationes similes Latinis in deliciis habitas?

Tandem denique.

Ergo, igitur.

In, ante.

Itaq; ergo.

B

8. RESOLVO] Quia præcesserat *vinclum iugale*. Apronianus apud Pompon. Sabin. ait, Virgilium scripsisse *violo*, & *resoluo*: pro: *violem*, & *resoluam*. idem ex Aruntio, Carisio, & Diomede testantur alij. vt sit

A

persimile Terentianis illis: *omnia experiri certum est priùs, quàm pereo*. Illis item Pacuuianis in Iliona: *Dij, me etsi perdunt, tamen esse ad vitam expetunt: quod priùs, quàm pereo, spatium vlciscendi dabunt*. Firmant eandem lectionem ex lib. Seru. mſ. Alij ex Tullio, & Sallustio.

9. ILLE MEOS PRIMVS, &c.] Ad hanc sententiam, & multas, quæ præcesserunt de Didone abnuente alteras nuptias, pertinent versus Euripidis in Troadib.

Καί τοι λέγουσιν, ὡς μί' εὐφρόνη χαλᾷ
Τὸ δυσμενὲς γυναικὸς εἰς ἀνδρὸς λέχος.
Ἀπέπτυσ' αὐτὴν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος
Καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ', ἄλλον φιλεῖ:
Atqui dicunt, quòd vna nox laxet
Odium mulieris in viri torum.
Ego abominor eam, quæ priorem virum
Cùm amiserit, nouis connubijs alium amat.

Simile quiddam cum Virgilio Propertius libro 4. eleg. 12.

Seu memor ille mea contentus manserit vmbra.

ᵃ Sic effata, sinum lacrymis impleuit obortis.
ᵇ Anna refert. O luce magis dilecta sorori,
ᶜ Soláne perpetua mœrens carpêre iuuenta?
ᵈ NEC DVLCES natos, Veneris nec præmia noris?
ᵉ ID CINEREM, aut Manes credis curare sepultos?

ARGVMENTVM.

Orationem Didonis excipiunt lacrymæ, quibus illa efficacior. Suam incipit Anna, & captata priùs sorore, vt nuptias illi persuadeat, rem gerit duplici argumento: voluptatis, quæ capienda in iuuentute: opinionis, quæ sentit, nihil superesse post corpus; quam opinionem assumit, vt probet nullibi esse Sichæum, cui illa vult fidem seruare.

EXPLICATIO.

a EX ingenio mulierum, quæ lacrymis imperant, quibúsque supplent quidquid deest sermoni. Exprimitur etiam verecundia, nam quæ hæc tegit, lacrymæ indicant.

b Hac oratione vult Anna sorori persuadere nuptias, intellexit quippe sororis animum eò spectare. Colligit in ipso aditu beneuolentiam, & præclarè affectum accipit à luce, nam Dido sibi vmbras imprecata fuerat, & noctis tenebras.

c Efficit Anna hoc argumentum. Tu ne sola mœrore consumêris absque nuptiis, cùm omnes aliæ nubant feminæ, sciásque iuuentutem dicatam esse amoribus? Nam iccirco *iuuentam* hîc nominarā Nascimb. animaduertit. Vox *sola* duplicem potest habere sententiam. vel sola tu inter omnes: vel etiam, carens coniuge, & in solitudine. Extremum hoc aptius.

d Ita suadet à iucundo (notat Donatus) vt vtile adiungat; nam dicit prolis causa suscipiendas nuptias, vt non libidinis contemplatione videatur illam hortari. Veneris præmia sunt aut ipsimet nati, aut voluptates & oblectamenta coniugum. Sed apagè vt hæc nominaret pudoris amantissimus Poëta, & verè Parthenius.

E

e Hæc pars illis opponitur, quæ Dido de Sichæo dixerat, cuius curam amouet innixa opinioni Epicuri, quæ dicebat Manes esse fabulas, ac nihil superesse post mortem, vt desinat amare, quem sciat iam non esse. Ideò signatè *Manes sepultos*, quasi anima iam pe-

C

riisset, & vnà esset cum corpore eodem tumulo obruta. Et hoc ipso indicat, nullam fore Didonem post obitum. Perinde. Si nullus est iam Sichæus, si tu post mortem nulla eris, fruere voluptate, post mortem nihil time.

NOTÆ.

1. SINVM] Sinus, & cauitas est oculorum, & gremium inter complexum brachiorum, & pectoris. Seruius, & Turnebus capiunt Poëtam dè cauitate oculorum: meliùs, me iudice, Hortensius, & Germanus de gremio accipiunt. Sic enim vberiores fuisse Reginæ lacrymæ indicantur, nam & Græci

D

amorem πολυδάκρυον vocant: *multarum lacrymarum*. Potest etiam accipi *sinus* pro illo, qui est in vestibus, quas rotas madefecit vberrimis lacrymis.

2. LACRYMIS] Sic apud Val. Flacc. 2. Arg. Hypsipyle post orationem, qua affectum suum expressit Iasoni, in lacrymas desinit:

Lacrymæ ad exitum sermonis.

Ergo moras cælo, cursúmque tenentibus vndis
Debuimus, dixit lacrymans.

Idem lib. 7. sic ait de Medea:

Talia verba dabat, collapsáque flebat iniqua
In Veneris Medea sinus, pestémque latentem
Ossibus, atque imi monstrabat pectoris ignem.

Myrrha apud Ouid. 10. Met.

—conatáque sæpe fateri,
Sæpe tenet vocem, pudibundáque vestibus ora
Texit, & ô, dixit, felicem coniuge matrem.
Hactenus, & gemuit.

Liuius lib. 40. orationem Demetrij ad patrem Philippum in lacrymas absoluit: *Dicenti hæc lacrymæ simul spiritum & vocem intercluserunt*. Parem exitum habuit apud eundem lib. 44. oratio Gentij cuiusdam. Et Seriphus quidam apud Appianum in Libyc. Τοσαῦτ' εἰπὼν ἐπέκλαυσεν. Addunt videlicet lacrymæ vim præcedenti sermoni. ita Megara apud Theocrit. εἰδ. 26.

Ὣς ἄρ' ἔφη· τὰ δέ οἱ θαλερώτερα δάκρυα μήλων
Κόλπον ἐς ἱμερόεντα κατὰ βλεφάρων ἐχέοντο.

Sic

Sic dixit: ei autem pulcriores lacrymæ pomis
Sinum in suauem à palpebris fundebantur.

Præclarè Seneca ad Heluiam. *Cui nomini muliebri pene concessum est immoderatum in lacrymas ius.*

3. O LVCE MAGIS DILECTA] Hyperbole ista frequens vni Catullo. Is epig.*66. vita frater amabilior.* De Nupt.Pel.

Nate mihi longa iucundior vnice vita.

Et ad Mallium:

Coniugium vita dulcius atque anima.

Sed Poëta pro vita lucem posuit maiore affectu. Solent enim, qui amant, vocare lucem suam illos, quos amant. Ouidius.3.Art. (Lux pro vita.)

Lux mea, quaq; solent verba iuuare viros.

Propertius lib.2.eleg.12.

Nunc ad te, mea lux, veniet mea littora nauis.

4. SOLANE PERPETVA, &c.] Totum hunc Virgilij locum, & argumentum imitatur Seneca Tragicus, apud quem nutrix Hippolytum simili ratione confirmat.

Ætate fruere, mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc iuueni Venus.
Exultet animus, cur toro viduo iaces?
Tristem iuuentam solue: ne luxus rape,
Effunde habenas. optimos vitæ dies
Effluere prohibe. propria descripsit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?

Dilatauit Seneca, quæ pressit Virgilius, vt qui sententiam potiùs quàm verba quærat prudens in omnibus. Versus Statij conformatos ad Maronis sententiam hinc ademi, aliis libatos. Ante omnes Euripides in Alcest. dixerat:

Τί δ' οὐ γαμεῖς σὺ, ἀλλὰ χηρεύεις μόνος;
Quid non vxorem ducis, & solus consumeris viduitate?

Ad hoc argumentum spectant plurima, quæ dicta.2. Ecl. ad illud:

O formose puer, nimiùm ne crede colori.

5. CARPERE] Catullus ante Nostrum dixit, *ætas carpitur.*

6. VENERIS NEC PRÆMIA] Ex Homero (ait Seru.) nam Græcus, τὰ δῶρ' Ἀφροδίτης. Catull. in Hymenæo Iuliæ vocat *commodum* nuptiarum, quod (Præmia Veneris.)

A Virg. *præmium.* Hi duo modesti. Non ita Propertius, qui lib.1.eleg.13.

Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetæis gaudia prima iugis.

Pari & maiore sæpe immodestia Ouidius. Valer. Max. lib.4.cap.3. *Vsum Veneris.*

7. ID CINEREM, AVT MANES, &c.] Huius dogmatis sparsa plurima mentio apud Veteres. Seneca de consolatione ad Martiam, cap.19. *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, & reos, & libertate rerum tam laxa, vllos iterum tyrannos: luserunt ista poëtæ.* Idem epist.24. *Non sum tam ineptus, vt Epicuream cantilenam persequar, & dicam vanos esse inferorum* (Inferi veteribus, fabula.)

B *metus; nec Ixionem rota volui, nec saxum humeris Sisyphi trudi in aduersum, nec vllius viscera, & renasci quotidie, & carpi. Nemo tam puer est, vt Cerberum timeat, & laruarum habitum nudis ossibus cohærentium.* Ad hanc opinionem, itémque ad locum Virgilij allusit Petron. Arb. Sat. eodem vsus argumento, hoc verborum complexu: *& quid proderit hoc tibi, si soluta inedia fueris? si te viuam sepelieris? si antè, quàm fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? Id cinerem, aut Manes credis curare sepultos? vis tu reuiuiscere reluctantibus fatis extinctum?* In hoc argumento plurimus est Horatius, qui sæpe irridet inferorum pœnas, vt natas & inuentas ad terrendos pueros; alij item Poëtæ. & credibile est omnes desumpsisse ex Platone, qui lib. 1. de Rep. vocat *fabulas.* quæ dicuntur de inferis.

C Sed de hac re nos, credo, alibi: esse tamen inferos vera fides docet, & immanem tormentorum carnificinam, ac terribiles cruciatus aduersus maleficos: nec vlla posse excogitari tam atrocia mala, quæ possint cum illis conferri grauitate, multitudine, annorum æternitate, à qua nos Æternus ille liberet. Cùm ait *Manes*, vel accipit pro ipso cadauere, vt Plinius lib. 16. cap. 44. *Subest specus, in quo manes eius* (Scipionis Maioris) *custodire draco traditur.* & Propertius lib.2.eleg.8. (Manes pro cadauere.)

Exagitet nostros Manes, sectetur & vmbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.

vel capiendus Poëta ex opinione gentilium, qui partem hominis dicebant vnà condi in sepulcro cum ipso cadauere. De qua re loquor in 6.

[a] Esto: ægram nulli quondam flexêre mariti:
Non Libyæ, non antè Tyro. despectus Iarbas,
Ductoresq; alij, quos Africa terra triumphis
Diues alit: placitóne etiam pugnabis amori?
[b] Nec venit in mentem quorum consederis aruis?
Hinc Getulæ vrbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, & inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateq; furentes
Barcæi. quid bella Tyro surgentia dicam?
Germaniq; minas?

D

ARGVMENTVM.

Pergit Anna duplici argumento sororis animum ad nuptias vincere. Primum est: sicuti ægram te Sichæi morte nulli hactenus proci vicerunt, sic ille admittendus, qui iam placet. Alterum. considera quæ te vndique pericula circumsistant, quæ vt fugias, necesse est, vt tibi aliquem matrimonio adiungas, qui sit præsidio.

EXPLICATIO.

a SEntentia est. Esto, nulli te mariti, id est, proci, neque Libyæ, neque priùs in vrbe Tyro flexerint ad nuptias, ægram Sichæi morte: esto tibi despectus Iarbas fuerit, atque alij ductores Afri, atqui amori pugnabis iam placenti arridentíque? Perinde ac si dicat ex nota Donati. Sicuti alij petitores repulsi sunt fastidio tuo, quod iustum fuit in dolore iusto: sic

sic ille admittendus est, qui iam placet.

b Terret iam ni faciat, nouo vsa argumento. primò generatim versu isto,

Nec venit in mentem quorum consederis aruis?

Deinde distinctim, *Hinc Getulæ vrbes*, quod ad formidinem (ait Seru.) nam Getuli non in vrbibus habitabant, sed in mapalibus, & adiicit *genus insuperabile bello*. quæ ergo tua spes contra illos? Pergit. *cingunt te Numidæ*, qui *infreni* sunt. Si cingeris vndique, quî fugam parabis? quod esse extremum remedium in malis solet. Et esto fugias, nónne infreni fugam tuam assequentur? Hanc esse mentem Poëtæ ex Nota apparebit. Procedit. Cingit te *Syrtis*, quæ *inhospita*. quî ergo locus auxiliis aduocandis, si premaris bello? Præsertim cùm *regio* tota *deserta* sit *siti*, quam latè occupant *Barcæi furentes*. Itaque Syrtis inhospita, regio siticulosa, furentes barbari nullum ad te tuendam accedere auxilium permittent. Demum, *quid dicam bella surgentia* (è) *Tyro? quid germani* (Pygmalionis) *minas?* Necesse est itaque Dido, tibi aliquem nuptiis concilies, vt fratris furorem minásque effugias, quas iam tibi intentat ex vrbe Tyro.

NOTÆ.

1. TYRO] Nota diligenter interpunctionem meam, nam post Tyro, punctum loco: quam si mutes, non solùm Virgilij mentem non capies, sed pugnabis etiam contra fidem historiarum; vitio enim interpunctionis interpretes in errorem suum lapsi, dicentes, Iarbam ambiisse nuptias Didonis, cùm illa esset in vrbe Tyro; quod falsum est; & Iarbam quidem in Phœnicia fuisse, aut in vrbe Tyro, nullibi leges. nec mihi deest luculentus autor Germanus. Isq; ex Passeratio, qui, vti ego, interpungit: cum quo si erro, libenter erro.

Iarbæ historia. 2. IARBAS] Fuit hic Maurisiorum Rex, & Iouis filius, quo concedente Dido ciuitatem suam struxerat, mox cùm & nouæ vrbis dignitatem, & Didonis intelligeret, illius nuptias ambiit missis ad eam legatis; &, nisi faceret, minis. Rem primi intelligunt principes Carthaginis, pendent animi, quòd Reginam scirent esse μισόγαμον, à Sichæi morte: gerunt cum illa rem primùm dolo, deinde aperiunt, quæ Iarbas velit. hæret illa, & fusis lacrymis respondit, ituram se quò sua, & vrbis fata vocarent. trium mensium spatium poscit, quo in tempore pyram construit, veluti mariti Manes placatura: eo spatio elapso, pyram sumpto gladio ascendit, quo se transfixit, Iarbæ conatum, & votum eludens. hæsi narrationi Iustini lib. 18.

3. DVCTORESQVE ALII, &c.] Africam dicit diuitem fuisse triumphorum, & triumphantium copia insignem, ac perinde bellicosam innuit. Seruius nuper è membranis excussus: *triumphis diues: id est, bellicosa; & quidam dicunt Afros nunquam triumphasse: Plinius autē secundo historiæ Naturalis, & Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos inuenisse, quam sibi Romani postea vindicauerunt: Liuius autem Andronicus refert, eos de Romanis sæpius triumphasse, suásque porticus Romanis spolijs adornasse: meritò ergo diues triumphis.* Sed qua veritate hoc Seruius? imò Plinius lib. 7. cap. 56. loquens de Baccho: *diadema regium insigne, & triumphum inuenit.* Non ergo Afri. Iuuat Plinium Diodorus lib. 4. καταγαγεῖν θρίαμβον (de Baccho loquitur) τὸν ἁπάντων θρίαμβον ἐπὶ ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ. Dicit primum omnium triumphasse elephanto Indico. Ergo capiamus Poëtam de bellis feliciter sæpe gestis ab Afris, nullo respectu ad primam triumphi inuentionem. Nisi esset contra mentem Poëtæ, qui verè Afros vult

Bacchus triumphum inuenit.

A extollere, dici posset, vocem *triumphis* capi posse passiuè, vt non tam signarentur triumphi, quos Afri habuerunt; quàm triumphi, qui habiti sunt à Romanis de illis. Sic enim Propertius hanc vocem accipit lib. 3. eleg 4. cùm scripsit:

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces, parat vltima terra triumphos:
Tygris, & Euphrates sub tua iura fluent.

vbi India parat triumphos, non suos, sed de se habendos. Sed hoc, vt dixi, apparet esse contra mentem Poëtæ. Sed vide iam, quo elogio Virgilius Afros exornet: Afrorum elogia.

Ductoresque alij, quos Africa terra triumphis
Diues alit.

B Tertullianus lib. de Pal. sic eos insignit: *Principes semper Africæ viri Carthaginienses, vetustate nobiles, nouitate felices.* Apul. lib. 3. Flor. *Is laudator mihi apud principes Africæ viros extitit.* Videndus Mercer. in Tertull.

4. AFRICA TERRA] Pertinet ad hunc locum obseruatio Columnæ. Ità enim Poëta *terra Africa*, pro Africana, vt Cato, *terra Italia*, Tibullus, *terra Campania*, Lucillius & Catullus, *terra Iberia*, & *terra Celtiberia*. & poëta quidam apud Arist. 3. Rhetor. Ἀσίας ἀπὸ γαίης. Quin Ennius lib. 3. Sat. à quo Poëta, Africa terra, pro Africana.

Lati campi, quos gerit Africa terra politos.

5. PVGNABIT AMORI] Obseruat Albericus pleráque verba contentionis poni à Poëtis, Lucretio, Horatio, Catullo, Propertio cum tertio casu; sed in primis à Virgilio. Hîc *pugnabis amori*. Alibi, *tibi* C *certet Amyntas. Cui non certauerit vlla. Laudibus Italiæ certent. Manum committere Teucris. Stat conferre manum Æneæ. Nec cellis ideo contende Falernis.* Quin alij non Poëtæ, nam Plinius, *Albano vino æmulantur.* Ait autem *pugnabis*, quia difficile est amorem vincere. ad quam rem faciunt verba Achillis Alexandrini lib. 2. qui Amorem infert hac oratione vtētem ad quendam: *An tu igitur tantum tibi sumis, vt contra me arma feras, mihíque resistere audeas? mihi ad volandum pennæ, ad vulnerandum sagittæ, ad exurendum faces datæ sunt. Quonam te modo euasurum speras?* quam orationem hic etiam sermo præcesserat: *An non tu Amorem militari ornatu incedere, sagittásque & pharetram, iaculum, ignem, virilia, & audaciæ plena omnia esse prospicis?* Sed de vi amoris alibi dictum. Pugnandi verba cum tertio casu. Amoris vis.

D 6. NEC VENIT IN MENTEM] Tertullianus lib. 1. aduersum Marcionem:

Nec venit in mentem, quod vos à nomine Christi
Seductos ad Marcionis tulit infima nomen.

Liuius lib. 8. *Non venit in mentem pugnæ ad Regillum lacum?*

7. QVORVM CONSEDERIS ARVIS?] Lege Muretum lib. 14. Var. c. 11.

8. GENVS INSVPERABILE BELLO] Nam hæc fuit de Getulis opinio. Sallust. in Iugurt. *Africam initio habuere Getuli, & Libyes asperi incultíque: queîs cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiusquam regebantur: Vagi, palantes, quas nox coëgerat, sedes habebant.* Hæc nar- E ratio indicat mores immanes Getulorum, vt meritò Poëta dixerit, illos esse bello insuperabiles. Etenim sæpissime barbari, etiamsi minùs fortes, nescias qua ratione terrorem animis inferunt, vt nati videantur ad formidinem, & esse bello insuperabiles existimētur. De qua re opportuna sunt loca apud Cæs. lib. 1. Gal. & Curtium lib. 4. de rebus Alex. apud illum Romani timore terrentur, quòd audissent Germanos esse *ingenti magnitudine corporum*: & eo ipso, illos *incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicabant.* Apud hunc Macedones simili pauore occupantur, Getuli fortissimi. Barbari semper formidolosi.

tur, quòd intelligerent, *terribiles occursuras facies Scytharum Bactrianorúmque: hirta illis ora, & intonsas comas esse, præterea eximiam vastorum magnitudinem corporum.* & addit prudenter causam: *vanis & inanibus militem magis quàm iustis formidinis causis moueri.* Sapienter ergo Virgilius ex immanibus Getulorum moribus coniicit, illos esse bello insuperabiles: in quo repræsentat militum mores, qui illos esse acres bello plerunq; putant, quos esse immanes audierint.

9. NVMIDÆ INFRENI] Vel metaphoricè feroces, & bellicosi. Nam de illis Appianus in Libyc. εἰσὶ γὰρ Λιβύων οἱ Νομάδες ἐρρωστότατοι: *Sunt Numidæ Libycorum longè fortißimi.* Sed quamuis isti fortissimi prædicentur, Poëta tamen dixit verè, & nulla metaphora, *infreni*, quia Afri freno non vtebantur, sed virga equos regebant. Inde velociores ad cursum. Id multa probant. Lucan. lib. 4.

Afri non vtuntur fræno.

Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso,
Ora leui flectit, frenorum nescia, virga.

Quos versus memoriæ lapsu Lucretio attribuit Vrsinus; tum etiam Rittershusius in Opp. Credo quia in Vrsino citatum Lucretium viderat: adeo expedit, vt ipse oculatus cernas, quæ ab aliis citari vides. Redeo. Sil. lib. 1.

Hinc passim exultant Numidæ, gens inscia freni,
Queîs inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

Liuius lib. 45.

Numidæ equos conscendunt, equi sine frenis.

Opp. lib. 4. de venat. de equis Africanis sic,

——μὴ κάρτεϊ χειρῶν
Ἄρχονται ψελίοισι βιαζομένοιο χαλινοῦ.
Πείθονται δὲ λύγοισιν, ὅπη βροτὸς ἡγεμονεύει:

——non virtute manuum
Cobibentur lupatis violenti freni:
Sed obtemperant virgis quoquo homo duxerit.

Allusit Martial. lib. 9.

Et Massylæum virga gubernet equum.

fecerunt hoc Numidæ, vt suis equis impetum & ferocitatem augerent. ruunt quippe feroces, si absque freno. res clara, quam tamen firmant verba hæc Liuij è lib. 4. *magister equitum, & ipse nouat pugnam equestrem, frenos vt detrahant equis, imperat: & ipse princeps calcaribus subditis euectus, effreno equo in medios ignes infertur, & alij concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem.* & lib. 8. *Detraxit frænos equis, atque ita concitatos calcaribus permisit, vt sustinere eos nulla vis posset.* Id cum magna laude factum in Romano bello idem Liuius scribit lib. 40. apud quem ita Flaccus Prætor: *Permittite equos in cuneum hostium, quo nostros vrgent. Id cum maiore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis, quod sæpe Romanos equites cũ magna laude fecisse sua, memoria proditum est. Dicto paruerunt, detractísque frenis, &c.* Huius moris rationem aliam inuenies in auctore illo, qui scripsit de viris illustrib. (aliqui Plinio attribuunt.) Detrahebantur enim interdum freni, ne qua spes esset fugæ, reuocato equo. Obserua in fine: hanc vocem traductam à Græcis ad alia. Nam Nazianzenus ad Eudoxum felicitatem vocat ἀχαλινώτατον, Aristophanes, os ἀχάλινον. alij linguam etiam ἀχάλινον. Ab Græcis Latini sæpe. Cum more porro, quem firmaui de infrenis Africanis, adiunctus alius,

Infræni equi ferociores.

A quem non persequor, quia Poëta non attingit; tantùm profero Appianum in Libycis, qui ita: γυμνὸν τὸν ἵππον ἀναβαίνων, ὡς ἔθος ἐστὶ Νομάσι: *inscendens equum nudum, vt mos est Numidis.* Loquitur de Masinissa. itaque equis harum gentium nullum in ore frænum, in tergo operimentum.

Afri in nudis equis.

10. INHOSPITA SYRTIS] Non tam locum ipsum maris notari credo, quàm Afrorum feritatem, qui suis finibus hospites arcerent. nam & in 1.

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio probibemur arenæ?

quem locum adi. de Syrtibus dictum iam eodem lib. vt verò hîc in re maris *inhospita*. ita. 3. G.

Hospitari, de mari.

Vndáque iam tergo ferratos sustinet orbes,
B *Puppibus illa priùs patulis, nunc hospita plaustris.*

Ita in Tibullo lib. 4. vbi vulgo legitur *vnda Carystia*, Scaliger & Passeratius legunt *vnda perhospita*. & sic etiam scriptum in codice Cuiacij. Eodem pertinet vox Ponti Euxini, qui & priùs Ἄξενος, quæ binæ voces sumptæ ab hospitalitate.

11. SITI] Adi primam Eclogam ad illud,

——sitientes ibimus Afros.

12. BARCÆI] Fuerunt hi bellicosissimi, & omnis militaris peritiæ peritissimi: potuerunt plurimum olim in Africa, quod Turneb. lib. 22. Adu. cap. 26. probat, Æneæ Græci scriptoris, & Sophoclis autoritate. addit tamen & Virgilium, & Sophoclem conturbasse historiam temporum: nam Troianis temporibus nondum opes Barcæorum florebant. Hortensius, ex C Mnasea in rebus Libycis, tradit, Barcæos olim inprimis alendorum equorum studio deditos fuisse, adeo vt dicerentur docti à Neptuno equos currui subiungere, & à Minerua currum agere. sed illud inprimis ad mentem Virgilij facit, quod idem notat, & ante illum Pompon. Sabinus, nimirum Phœnices Libyam irrumpentes à Barcæis magno prælio fusos superatósque. Quis ergo dubitet, Barcæorum mentione magnam formidinem Reginæ illatam, quæ suorum historias sciret? Seruius ex Titiani Chirographia ait, Phœnices victos à Barcæis nauali certamine. Est apud Herodotum lib. 4. mentio Barcæorum lata.

Barcæi.

13. QVID BELLA TYRO SVRGENTIA, &c.] Faciunt ad mentem Poëtæ, quæ rerum Hispanicarum scriptores commemorant. Pygmalion enim sublato Sichæo venisse in Hispaniam fertur, *atque ad Turdu-* D *lorum partem eam, vbi Almunecar oppidum cernitur, vrbem Axim, seu Exim nomine condidisse. Inde commercio cum prouincialibus inito, atque Hispanicis copijs onusta classe reuersum in patriam. Repetita iterum, & tertiò ea nauigatione, Gadeis tenuisse nostri historici confirmant.* Attuli verba Patris Ioannis Marianæ è lib. 1. Hist. Hisp. cap. 15. scriptoris è nostra societate grauissimi: qui non solùm grauitate historiæ lucem, sed stilo (quo certat cum magnis illis, & antiquis Romæ luminibus) Hispanicis rebus dignitatem attulit, qua hactenus carebamus, ac iam gloriari possumus, talem res nostras scriptorem habere, quales Romanæ olim. Redeo ad Virgilium, qui profectò ex fide historiæ dixit, *bella Tyro surgentia, Germaníque minas*, cum respectu ad apparatus maritimos, quibus Pygmalion profectus Tyro, Hispaniæ partem tenuit Carthagini Didonis proximam.

Ioannis Marianæ elogium.

[a] DIIS equidem auspicibus reor, & Iunone secunda,
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
[b] Quam tu vrbem soror hanc cernes! quæ surgere regna
Coniugio tali! Teucrûm comitantibus armis

Punica se quantis attollet gloria rebus!
c TV MODO ò posce Deos veniam, sacrísque litatis
Indulge hospitio, causásque innecte morandi,
Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion,
Quassatæq; rates, & non tractabile cælum:

ARGVMENTVM.

Prædictis accumulat duplex argumentum, tum ex Deorum voluntate, qua Æneas ad eos portus præter spem appulit: tum ex futura claritate & gloria rerum Punicarum, quæ magna his nuptijs erit. Demum orationem absoluit cum hortatione rerum, quæ necessariæ ad moras Troianæ classis.

EXPLICATIO.

a DEos credo fecisse (ait Anna) tum auspices coniugiorum, tum Iunonem Coniugalem, vt huc Æneas appelleret coniugij tui causa: quia nimirum quæ præter spem accidunt, ea dicuntur diuinitus fieri.

b Excitat animum sororis ab spe futuræ claritatis. Quæ tunc erit hæc vrbs Æneæ coniugio? quæ regna assurgent, quàm munita & parata Troianorum armis contra Getulos, Numidas, Barcæos? quæ gloria accedet, quod decus rebus Punicis?

c Est iam in epilogo. Da operam rei Diuinæ, *Deorum veniam*, id est, pacem *posce* per sacrificium: ac iam *sacris litatis*, id est, feliciter consummato sacrificio, impetratáque venia, *indulge hospitio*, id est, da operam peramanter, & beneuolè tuo hospiti. Quasi dicat. Si facto sacrificio, videris te litauisse, tunc indulge hospitio. clara enim Deorum voluntas. Pergit. & *innecte causas morandi*. Has docet posse esse quatuor; videlicet, maris desæuientis iram, tempestates aquosi Orionis, nauium quassationem, cæli inclementiam.

NOTÆ.

1. DIIS EQVIDEM AVSPICIBVS] Deos *auspices* capio auctores & duces aduentus Troianorum, cum allusione tamen ad auspicia, quæ ante nuptias captabantur, nam is est animus Annæ, vt ad nuptias sororem alliciat. Nuptiæ, vt ait Seru. captatis fiebant auguriis. & Varro, citante eodem, *auspices in nuptijs appellatos*. Hoc satis ad rem indicandam, nam reliqua Varronis fœdata sunt. Clarè Cic. pro Cluent. *Nubit genero socrus nullis auspicijs*. Auspicia ergo ad matrimonia pertinuerunt. Erat etiam (nam & hoc ad rem facit) auspex in nuptiis, is cuius auctoritate potissimùm sollemnia nuptiarum peragebantur. Quam rem firmant verba hæc Tullij. 1. Diuinat. *Nihil fere quondam maioris rei, nisi auspicato, ne priuatim quidem gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa, nomen tamen tenent*. In eandem sententiam ita loquitur Val. Max. lib. 2. *Apud antiquos non solùm publicè, sed etiam priuatim, nihil gerebatur, nisi auspicio priùs sumpto: quo ex more nuptijs etiamnum auspices interponuntur: qui quamuis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia vsurpantur*. & Plaut. in Prologo Casinæ:

Argentum si quis dederit, vt ego suspicor,
Vltro ibit nuptum, non manebit auspices.

Quintilianus declam. 290. de nuptiis loquens sub persona alterius, *ipse auspices adhibui, optaui longam concordiam*; Tacitus lib. 15. Annal. *visi auspices duo, & ge-*

Auspicia nuptiarum.

Auspex nuptialis.

A *nialis torus, & faces nuptiales*. Symmachus lib. 2. epist. *Sororem Pompeiam olim viro maturam te auspice in manus optat accipere*. Claudian. in Ruffin.

—hac auspice tedæ
Oedipodem matri, natæ iunxere Thyesten.

De hoc capiendus Lucan. lib. 2.

—contentíque auspice Bruto.

Et Iuuenalis Satyr. 10.

—veniet cum signatoribus auspex.

Quòd auspex generatim auctor sit, & dux, satis Horat. indicat lib. 1. Od. 7.

Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.

id est, auctore, & hortatore.

Auspex pro auctore.

B 2. IVNONE SECVNDA] Ideo hanc, vt quæ præses Carthaginis, vt quæ etiam coniugiorum & nuptiarum. Habita enim inter Deos Coniugales. De his à me alibi. Nunc ante oculos locus Quintiliani declamat. 347. *vos profectò, Dij coniugales, hanc illi mentem dedistis, vt domum in dotem daret*, &c. Sed an aliquid latet in Virgilio? fortasse. Secunda omina felicissima erant (sic signatè loquor, non, *altera*, nam hæc infelicia) nõ semper prima. Ergo alludens ad hoc genus ominum, *secunda Iunone* dixit; sic lib. 1. quia infaustæ fuerunt nuptiæ cum Sichæo, ait,

Coniugales Dij.

Secunda omina.

—primísque iugarat
Ominibus.

C Itaque contendit Anna has nuptias felices fore, vt primæ infelices fuerunt: repræsentátque felicitatem voce ipsa Iunonis secundæ. Certè Propertius lib. 3. eleg. 20. timidus de omine, precatur hunc in modum:

Contineant nobis omina prima fidem.

3. QVAM TV VRBEM, &c.] Hæsit Virgilio Statius. 2. Theb.

Fors aderit lux illa tibi, qua mœnia cernes
Coniugis, & geminas ibis Regina per vrbes.

4. SACRISQVE LITATIS] Vt explicui, explicant hunc locum Delrius in Herc. Fur. Turn. lib. 24. Adu. cap. 26. Bar. Briss. lib. 1. Form. ac nonnulli interpretes. Docet Macrob. lib. 3. cap. 5. *litare* propriè esse, numen placare facto sacrificio. Nonius Marcell. inter *sacrifico*, & *lito*, discrimen hoc constituit, vt *sacrificare* sit veniam petere: *litare* autem propitiare, & votum impetrare. Verbum igitur *sacrifico* primo hemistichio periphrasticè intulisse Poëta credendus est, cùm dixit,

Litare, quid.

D *Tu modò posce Deos veniam.*

Verbum *lito* clarè expressit: cuius proculdubio ea est significatio, quam attuli. Seneca in Furen.

Nondum litasti nate, consumma sacrum.

Sueton. August. cap. 96. *circa Perusiam, sacrificio non litante, cùm augeri hostias imperasset*. Plaut. Pœnulo,

Si hercle istuc vnquam factum est, tum me Iuppiter
Faciat vt semper sacrificem, nec vnquam litem:

id est, nunquam obtineam. Idem Pœnulo:

Sex agnos immolaui, nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, vti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus.

Ouid. 15. Met. *Victima nulla litat*, id est, impetrat. Liuius lib. 27. *Per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ, diúque non impetrata pax Deûm*. in his locis, aliísque

que similibus *non litare*, est, numen non placare, neque aliquid impetrare. verè itaque Cicero lib. 2. Diuinat. *Quid, cùm pluribus Dijs immolatur, qui tandem euenit, vt litetur alijs, alijs non litetur?* vnde apud Poëtam,

—sacrísque litatis
Indulge hospitio,

re obtenta, & impetrato iam per sacrificium fauore hospiti tuo indulge: tutò poteris indulgere, vbi te litasse senseris, nam eo ipso Dij annuunt. Sed aduerte lector sententiam Seruij in hunc locum admittendam non esse, cùm ait: *Dijs litatis debuit dicere, non enim sacra, sed Deos litamus, id est, placamus: ergo nouè dixit.* Errat clarè. Nam *sacra litata* sunt, acceptata iam: sic ergo debuit dicere. Lucanus

—Neque enim tibi summe litaui
Iuppiter hoc sacrum.

Propert. *exta litare.* & Sueton. *victimas litare.* quin Plutarc. in Alex. ἐκαλλιέρησεν ἑαυτὸν τῷ πατρίῳ νόμῳ: *semetipsum litauit patrio ritu.* deinde *sacra litata* dicta sunt à Virg. ait Budæus, sicuti à Græcis καλλιερήματα. Xenophon, οὐδὲ ταῦτα ἐκαλλιέρει: *neque hæc litabantur.* Deinde debuit Seruius scire, Deos dici absolutè *sacra.* Itaque rigore illo, quo ipse vult, probè dixit Poëta *sacris litatis.* Hoc ego iam astruxi. 2. Æn. ad illud,

Sacra suósque tibi commendat Troia Penates.

Explicatio Giselini in Prudentium mihi non placet. eius nodum dissolui explicans. Porro illud Herodoti lib. 9. οὐ σφάγια χρηστά, multi explicant, *non litata.* Sicuti millies in Xenoph. οὐ καλὰ ἱερά.

Virgilius defenditur.

Litata sacra.

Sacra pro Diis.

5. DESÆVIT] Enixè contendunt aliqui huic verbo duplicem esse potestatem contrariam, vt sit ἀγριαίνεσθαι, atque etiam cessare ab ira. Ego alterum puto, tum quia incongruum contrariam potestatem esse vni voci, & quantum fieri possit amandandum hoc à Latino sermone, &, si hoc in nonnullis vocibus admittitur, credo hoc potiùs ad imperitiam nostram referendum, quàm ad disciplinam: tum etiam, quia nullum vidi exemplum, quod non possim explicare modo altero, id est, de cessatione irarum. Non enim video, cur Columella, Suetonius, & alij, qui adducuntur, non possint explicari de remissione irarum. Itaque in Poëta, *dum hyems desæuit*, est, dum tumor maris cessat. Ita in Sen. lib. 3. de Ir. cap. 1. *Dum tempestas prima desæuit.*

Desæuio, quid.

6. AQVOSVS ORION] Donec Orion occidat, qui secum imbres, & nimbos affert. præclarè: nam Ilioneus, cùm appulit Carthaginem, dixerat:

Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit.

ita Seru.

Orion aquosus.

7. QVASSATÆQVE RATES] Vox signata. ita 1. Æn. *quassatam classem.* Cum relatione ad naues explicandus Senec. epist. 30. *Bassum Aufidium, virum optimum, vidi quassum, ætati obluctantem.* Nam post pauca, *quemadmodum in naue*, &c.

Quassus de re nautica.

[a] His dictis incensum animum inflammauit amore,
Spémque dedit dubiæ menti, soluítque pudorem.
[b] Principio delubra adeunt, pacémque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœbóque, Patriq; Lyæo:
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.
[c] Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora Deûm pingues spatiatur ad aras,
Instaurátque diem donis; pecudúmque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

ARGVMENTVM.

Anna causam obtinet, sororem perpellit, à pudore auertit, nuptias suadet: deinde sacra peraguntur quatuor numinibus Cereri, Phœbo, Bacchus, Iunoni; fiunt omnia ex ritu: postremò in ipsis sacris Didonis studium ostenditur, & in consulendo auiditas.

EXPLICATIO.

[a] EST, *accensum inflammauit*, accendit, & inflammauit. nam similes locutiones in Virgilio obuiæ. nisi quis hîc incendium ad reginam referat, flammas tantùm ad Annam. Sequitur, *spémque dedit dubiæ menti*, tritum illud, animum dubium breui momento huc illuc rapi. Pergit. *soluítque pudorem*, qui maximum frænum continentiæ, quo fracto dignitas castitatis mirè periclitatur. Mitto hîc alludi ad solutas zonas.

[b] Adeunt delubra, Dido scilicet & Anna, hæc enim sorori se sociam dabat, quo, si opus, dubitantem confirmaret. & *exquirunt pacem per aras*, quia Anna, *Tu modò posce Deos veniam.* Faciunt verò sacra quatuor numinibus Cereri, Phœbo, Patri Lyæo, & ante omnes Iunoni, nam huic *vincla iugalia curæ.* Cur his præcipuè, non aliis, dicam in Notis: Poëta quippe tantùm clarè reddit causam postremæ Iunonis, & indicat primæ Cereris.

[c] Attingit varia sacra, quibus operam dedit Dido. Primùm ipsa vinum fudit inter cornua victimæ immolandæ: deinde *spatiatur ante ora* (id est, simulacra) *Deorum, ad aras*, quæ *pingues* victimarum sanguine. Ita Homerus vocauit πίονα νηόν, *templum pingue*: tertio *instaurat diem donis*, id est, aliis atque aliis subinde sacris iterum & sæpe repetitis conatur veluti diem producere, & ipsa diutius immorari; hæc credo mens explicere, & ipsa diutius immorari; hæc credo mens explicere, quartò ipsa auidissimè explorat pectoris Donati: quartò ipsa auidissimè explorat pectora aperta, & exta adhuc ex spirantia, vt successtora vix aperta, & exta adhuc ex spirantia, vt successiat. Quæ deesse lectori in Explicatione videbuntur, inueniet in Notis.

NOTÆ.

1. INCENSVM, &c.] Flamma, ardor, ignis, incendium, omnia sunt amatoria. Inf.

Heu furijs incensa feror.

Ouid. 1. Rem.

Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ.

Ignis de amore.

 Ibycus.

Ibycus apud Athen. ἔρως ἀδέμιαν κατάκοιτ⊕ ὤραν ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων Θρηΐκιος Βορέας: *Amor nunquam conquiescens fulgure incendit Thracios Boreas.* redundant exempla. Sacri etiam scriptores. Nam Ioan. Chrysost. homil. de Mulierib. γυναῖκα dixit φλέγουσαν λογισμόν: *fœminam vrentem rationem.*

2. SOLVITQVE PVDOREM] De Zona virginum, ad quam alludit, trita iam eruditio. Ego præter alios, indico tibi locum Philostrati lib. 7. de vita Apollonij cap. 3. Tantùm adduco verba Festi in Cingulo, quia inde mores aliqui cognosci possunt. Ait ille: *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis: vt sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctúsq; esset. Hunc Herculano nodo vinctum vir soluit ominis gratia: vt sic ille felix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit.* Quo tempore Zona solueretur, anxiè aliqui quærunt. Initio statim coniugij, Festus clarè docet. Eius verba sunt: *Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptijs, quòd initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.* Qui in hoc æuum erupêre eruditulі aliqui, autumant, non ipsa prima coniugij nocte, sed intumescente iam ventre. Quia tunc (inquiunt) soluebatur Zona, cùm capere iam aluum non poterat grauidarum. Habent isti cōtra se tum multos, tum inprimis Nonnum, qui lib. 1. loquens de concubitu primo, quem habuit Iuppiter cum Europa, ait, ἀπὸ στέρνοιο δὲ νύμφης Μίτρην παρθενίην ἔλυσε. Theocritus etiam de Ioue cum Europa eadem congressu, λῦσε δὲ οἱ μίτρην.

Zona virginum.

Zonæ virginalis solutio.

Iuno Cinxia.

3. PRINCIPIO DELVBRA ADEVNT] Magistro hæsit Stat. 3. Theb.

Principio fibris, pecudúmque in sanguine Diuos
Explorant.

4. PACEM] Germ. accipit. gratiam: vt etiam in 10. Æneid.

Pax pro gratia.

Si sine pace tua, atque inuito Numine Troes
Italiam petiêre, luant.

& Lucret. lib. 5.

—Diuûm pacem votis adit.

& ego ita capio Trebellium Pollionem in Gallienis: *Pax Deûm quæsita inspectis Sibyllæ libris.* & Tullium pro Rabir. Perduell. *Ab Ioue Op. Max. cæterisque Dijs immortalibus pacem ac veniam peto.* in Plauti Pœnulo, *Sunt hîc omnia, quæ ad Deûm pacem oportet adesse?* In sacris quidem frequentissima est Deorum pacatio. Tibullus lib. 4.

Paruáque cælestes pacauit mica.

Ouidius non semel dixit *pacificare.* Silius lib. 15. *pacificans Diuos.* Inde apud Ouidium *flammæ pacales.* lib. 1. Fast.

Thura sacerdotes pacalibus addite flammis.

5. PER ARAS] Ex ritu, quia connubia celebraturæ. Lactantius in. 2. Theb. *Apud antiquos iura nuptiarum ante aras numinum celebrari consueuisse.* Itaque ipse Papinius. 2. Theb.

Nuptiæ ante aras.

Viderat hoc coniux perituri vatis, & aras
Ante omnes, &c.

& Ouidius 5. Met. in nuptiis Persei & Andromedæ:

Pectora rupisset, nisi post altaria Phœbus
Isset, & (indignum) scelerato profuit ara.

Lege Realinum cap. 11. Annotat.

6. MACTANT LECTAS DE MORE BIDENTES] Omnia verba ad sacra pertinent: nam & *mactari* hostiæ dicebantur: & hæ *lectæ* & *de more*; ac demum *bidentes*. de his omnibus dicitur in hoc opere diuersis in locis.

7. LEGIFERÆ CERERI] Ceres dicta est Latinis *Legifera*, Græcis θεσμοφόρ⊕. & θεσμοθέτης Δημήτηρ. *leges ferens*. Sacra eius θεσμοφόρια, quasi *legum latio*. Ratio

A tio attributi. nam fingitur vnà cum frumento leges inuenisse. Ante hoc tempus sine lege homines vagabantur, quæ feritas interrupta est inuento vsu frumenti: ex agrorum enim diuisione nata sunt iura inter homines. Dido ergo nuptura, ac in nouo illo matrimonio, quod iam animo destinabat, leges conditura, quibus omnia firmarentur, inirenturque pacta cum Ænea, & mutua atque amica fœdera, optimè placat Deam leges ferentem. Ratio hæc mihi probatur, vt omnes aliæ omnium fere interpretum improbantur. Nam profectò mens Poëtæ, & horum sacrificiorum ratio tota incumbit, pertinétque ad nuptias, & inde sententia indaganda. Non ergo hîc Ceres placatur, quòd leges necessariæ ad vrbis conditionem: parcant Turnebi manes. Modò Dido nuptias

Ceres legifera.

B molitur, non vrbem. & cur non illæ necessariæ quoque ad nouum statum? nouas nuptias? ad noua fœdera cum Troianis? an quicquam agitatius fit, & tumultuosius, sæpe etiam impeditius in humana vita, quàm matrimonium? iugum arduum subitur: multa sunt explicanda, multa extricanda. Quod etiam aliqui volunt, placatam Cererem, quòd hæc nuptias exsecraretur post raptam Proserpinam, parum quoque probatur, nam ex attributo omnia videntur ad leges referenda. Nec recurro ad leges, quæ silent inter arma, & ideo Cereri, quæ in pace viget, fiunt sacra. neque ad leges æquales conuiuantium, quæ propriè Cereris, vt quæ fruges inuenit. Hæc enim omnia aliena à Poëta. Non displicere potest, quod attingit Seruius, hanc Deam placari, quòd prima

C omnium Ioui nupserit: sed hoc tamen mille fabulis deformatur.

8. PHOEBIQVE] Huic sacrum facit ob auspicia & auguria, quæ necessaria ad nuptias, vt illæ haberent felicem exitum: nam pater auspiciorum post Iouem Phœbus.

9. PATROQVE LYÆO] Sed quare Baccho? quia in Cereris sacris angustissimè is colebatur, vnde cùm illam placet, proximum huic Deæ numen videtur placandum. sic Turneb. lib. 24. Adu. cap 26. Seruius vult, quia is est liberatis vrbibus Deus. Mihi Donatus placet: *Libero, vt præstaret lætitiam sempiternam.* Nihil enim in animo his nuptiis potius habebat Dido, quàm vt post annos viduitatis tristissimos deinceps lætabunda viueret.

D 10. IVNONI ANTE OMNES] De Iunone, perspicua ratio, quia illi *vincla iugalia curæ.* inde Græcis Ζυγία, *iugalis*, & Γαμηλία, *nuptialis.* Romæ fuit *vicus iugarius*, vbi ara *Iunonis Iugæ.* In Hispello Sabinorum, vt creditur, castello antiqua est inscriptio ad Iunonem Iugalem, auctor Pyghius. Ouid. in Phyllid.

Iuno Iugalis.

Iunonémque toris quæ præsidet alma maritis.

Ab eodem in Hypsipyle Iuno vocatur pronuba. volunt Seruius, & Isidorus Iunonem dictam Ζυγίαν, à iugo impóni solito contrahentibus. Falluntur. Nam Dionysius, ἡ δὲ Ζυγία ἀπὸ τοῦ ζευγνύναι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι. Quibus ait sic dictam Iunonem, *quòd feminam viro coniungat.* Itaque non dubium, quin illud Plauti Curcull. *Iam ne ea fert iugum?* & illud Horatij:

E *Nondum subacta ferre iugum valet*
Ceruice,

Metaphoricè accipiatur, quod iam placitum Brissonio lib. singulari de ritu nuptiarum. Porro quinam alij essent Dij γαμήλιοι, doctè & latè numerat Pater Martin. Anton. Delrius, vir è nostra societate doctissimus, in principio nouorum Comment. in Senecam. Sunt principes Iuppiter & Iuno. Testimoniis illius adiice verba Dionys. Halic. de methodo oration. nuptial. Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζευγνῦντες τε καὶ συνδυάζοντες. οὕτω γὰρ ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων. ἡ δὲ Ζυγία

Nuptiales Dij.

ἀπὸ

ἀπὸ τῦ ζεύγνυναι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι: *Iuppiter enim & Iuno sunt primi coniungentes & copulantes: atque hic quidem vocatur omnium pater, hæc verò Zygia, quòd feminam mari coniungat.* De Iunone sola adice auctoritatem Aristidis in oratione prima. Sed quamuis Delrius multos inferat in hanc nomenclaturam, non dubium autem quin hac voce *Dij coniugales* capiendi sint quinque tantùm, nam hi potissimùm operam suam dabant in hac re, reliqui ex accidenti quodam. Quinque illi sunt. Iuppiter, Iuno, Venus, Peitho, Diana. Hi propriè γαμήλιοι, & τέλειοι. Reliqui iam aliis nominibus cognoscuntur.

11. VINCLA IVGALIA] Modos vocat Ouidius in epist. Phædræ.

Illa coit firma generis iunctura catena,
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.

Princeps sacra peragit.

12. IPSA] Vt quæ esset princeps ciuitatis. Nam hîc attingi morem illum, quo princeps sacra faceret, certum est. Varro lib. 5. de ling. Lat. ita ad hunc morem: *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agó ne? eo quòd interrogatur princeps ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Legi locum, vti legitur ab Iosep. Scal. in Coniectan.

Vacca quādo mactāda.

13. CANDENTIS VACCÆ] Fit allusio aliqua ad legem Numæ ex nota Nascim. Qua cautum erat (vt Plato tradit) ne mulieres ab obitu coniugis vsque ad decem menses nuptias repeterent: quæ verò infra id tempus vellent nubere, sacrificarent prægnantem vaccam. Epithetum *candentis* dictum non sine allusione ad felicitatem ominis: sicut enim Diis Inferis nigræ hostiæ, furuæ, atræ offeruntur; sic superis (quales iam commemorauit) candidæ, albæ, niueæ.

Probatio victimæ fuso vino.

14. MEDIA INTER CORNVA FVDIT] Pertinent hæc ad probationem victimæ. Mihi hoc non dubium, cuius sententiæ est Seruius, quem quidam immeritò reprehendit: nam probabatur victima fuso vino inter cornua, quod quamuis Poëta non nominet, sed de hoc capiendus. Apertè Ouid. nominauit 7. Metam.

Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud exspectato ciciderunt vulnere tauri.

Vbi non de sacrificio, sed de probatione tantùm est sermo. Fieri hoc ex ritu antiquissimo Ægyptiorum, satis me docet Herodotus lib. 2. vbi ait: ἐπὶ αὐτῦ οἶνον κατὰ τῦ ἱρηίυ ἐπισπείσαντες καὶ ἐπικαλέσαντες τὸν θεὸν, σφάζυσι: *supra eam* (pecudem) *libato contra templum vino, ac Deo inuocato, eam mactant.* Ad hunc locum pertinent, quæ latiùs dicam 6. Æneid. ad illud:

—frontique inuergit vina sacerdos.

Matronæ ante aras cū facibus.

15. PINGVES SPATIATVR AD ARAS] Ex Romano more, quo matronæ ante aras faculas tenentes gestu graui, saltationémque seueram & verecundam imitante mouebantur. quem Horatius quoque intellexit, cùm ad Pisones scripsit:

Vt festis matrona moueri iussa diebus.

Coronæ etymon.

Monuit hæc Turneb. lib. 23. Adu. cap. 3. cui adnecto D. Isidorum, qui lib. 19. Orig. cap. 30. loquens de etymo *coronæ*, sic ait: *Nomen Corona hac ex causa vocatum, quòd initio circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus, vel chori, est formata, & nominata Corona.* An hoc verum etymon, ambigo: tantùm morem firmo. Nonnihil ad morem verba Sallustij hæc, *saltare elegantiùs, quàm necesse est probæ.* Tametsi facilè eludi queant. An verò saltatio ista esset grauis, seuera, & verecunda, vt voluit Turnebus, possis ambigere. Nam Arnobius lib. 4. vbi ait, hos matronarum saltus fieri solitos sub personis Dearum, ita scribit: *Gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans saltatur Venus,*

Saltatio Romana.

& per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione Bacchari. Saltatur & Magna sacris compta cum infulis mater: & contra decus ætatis illa Pessinuntia Dyndimene in bubulci vnius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire. Satis aperiunt verba ista horum saltuum impudicos motus. Quid, quòd saltationes similes, vt plurimùm impudicæ? Talis illa Munatij Planci apud Paterculum, *Cùm cæruleus ac nudus, capútque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset.* Talis illa Neronis apud Sueton. *saltaturũ Virgilij Turnum.* Talis Horatiana de Cyclope. De hac mollicie fœminarum in saltibus locus est apud Senecam de Tranq. c. 15. Petron. Sat. *fractíque enerui corpore gressus.* In illis, *Spatiatur ante aras*, Macrobius agnoscit areas illas, quæ erant in Deorum delubris, de quibus locutus est Varro lib. 8. Rerum Diuinarum, vocans puras, quia videlicet erant vacuæ, vt ait Festus: vel sine ædificiis, vt ait Florentinus I.C. nam quid aliud est *spatiari ad aras*, quàm spatium lati itineris obambulare? Propertius lib. 2. eleg. 2. Virgilium expressit:

Areæ Deorum.

Dulichias Pallas spatiatur ad aras.

Idem eleg. 13. vsurpauit eandem vocem in re sacra:

Nec mea tum longa spatietur imagine pompa.

Instauro vox sacrorum.

16. INSTAVRATQVE] Verbum est sacrorum. Statius lib. 7.

—Da parue tuum trieteride multa
Instaurare diem.

Verba sunt Adrasti consecrantis puerum Archemorum. idem 1. Theb.

—epulásque recentes
Instaurare iubet.

Maro idem in sacro Herculis: *Instaurant epulas.* ad cuius imitationem Val. Flacc. 5. Arg.

Dixerat: instaurat mensas, pacémque reducit.

& Statius 2. Theb.

—immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festásque reponere mensas.

Exta spirantia consulebantur.

17. PECVDVMQVE RECLVSIS PECTORIBVS, &c.] Dicuntur hæc omnia ex Romano more, quo viuis adhuc animalibus, & exspirantibus, exta rapiebantur, vt ea celeriter consulerentur priùs quàm viscera, & sanguis frigerent. Silius lib. 1.

Ac fugientem animam properatis consulit extis.

Arnobius lib. 2. *Semicruda cœpistis, & leuiter animata porricere.* Malè in nonnullis *cremata*. Sunt enim exta leuiter animata, quæ Virgilius vocat, *spirantia.* Ad Arnobij locum coniungit Heraldus istum Zenonis Veronensis in sermone de Iona: *Non aris fœtentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexspectata morte rapti iecoris spirantes consulunt fibras.* Et ego locum alterum eiusdem Arnobij signatissimum, qui de sacrificiis gentilium ita loquitur lib. 7. *ex residuo spiritu exultantia adhuc corda, tremebundásque palpitantes in visceribus venas.* Atque etiam Cyrillum Alexandr. qui in Oseam reprehendens gentiles, ἢ τὺς ἐν ἥπατι σφαδασμὺς περιαρθρῶσιν οἱ δείλαιοι: *Aut palpitationes iecinoris speculabantur miseri.* Dixi de extis spirantibus, sed cur *inhiat*? Putabant veteres esse in extis aliquam vim, quæ declararet futura, ex horúmque habitu, colore, notis pericula vel commoda significari, denuntiari, ostendi. Tibull. lib. 2. eleg. 5. ad Apollinem:

—per te præsentit haruspex,
Lubrica signauit cùm Deus exta notis.

Magna inde in consulente auiditas, & idcirco Dido *inhians* inducitur. Huius rei locus est appositus apud Senec. in Oedip. apud quem Tiresias cæcus alienis oculis exta inspicit. & vix capies, qua auiditate ille de singulis notis requirat: cui satisfaciens Manto, situm,

colorem, totúmque habitum extorum ſcitè & appoſitè renunciat. Videndus Briſſ. lib. 1. Form. item locus Virgilij in 12.

——— & viſcera viuis
Eripiunt.

Extiſpiciū. in illis, *conſulit exta*, extiſpicium innuit, qua voce vſus Cicero. ſunt autem exta, quæ in victimis interiora extant, vt cor, pulmo, lien, iecur: dicta ſunt ab *extando*, nam Diis extantia eminentiáque proſecabantur. ſic fermè Feſtus. Plinius *præcordia* vocat lib. 30. hiſtor. *extiſpices* Græcis dicuntur σπλαγχνοσκόποι, & ἡπατοσκόποι.

ª Hev vatum ignaræ mentes. quid vota furentem,
Quid delubra iuuant? eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum viuit ſub pectore vulnus.
ᵇ Vritur infelix Dido: totáque vagatur
Vrbe furens: Qvalis conIecta cerua ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Neſcius. illa fugâ ſyluas ſaltuſq; peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

ARGVMENTVM.

Reprehendit vates & aruſpices, qui putent mederi ſe poſſe amori, veriùs furori Didonis: Deinde furorem hunc comparatione illuſtrat ceruæ à venatore percuſſæ.

EXPLICATIO.

ª Exclamatio in ſuperſtitionem aruſpicum, & vatum, qui omnes vani, vbi amor in præcipitium rapit. Ergo, *quid iuuant furentem vota*, nam præceſſerunt ſacrificia, *quid delubra*; nam iam, *principio delubra adeunt*. Ratio, cur ignari vates, cur iſta nihil proſint, quia *flamma eſt medullas*, id eſt, exedit. & vulnus viuit in corde, nam ſub pectore. Medullæ vt *molles* flammam concipiunt, vulnus vt *tacitum* repit latenter, & recrudeſcit.

ᵇ Hinc eſt neceſſe, vt non ſolùm vratur intus, vt verè vritur, ſed etiam vt flammæ ſe prodant, &, vt ſunt inquietæ & viuidæ, furentem agitent, faciántque vagantem vrbe tota. Sunt enim cauſa; & effectus. Nam quia intus vritur, ideo foris vagatur furens vrbe tota. Sequitur ad illuſtrandum Didonis amorem, meliùs furorem, comparatio ceruæ: quæ, vbi venenum per vulnus accepit, & lateri ſagitta hæſit, huc illuc per auia rapitur, ſyluas, montes, nemora. Eſt Dicte vrbs Cretæ nobilis. Arundo *lethalis* eſt plena veneno mortifero. Reliqua petenda à Notis.

Notæ.

Virgilius defenditur. 1. Hev, &c.] Fruſtra Critici quidam reprehendunt Virgilium. Dicunt, Poëtæ non licere exclamare ex propria perſona, quòd id nunquam Homerus fecerit. ratio nulla. An nihil epicis licitum, niſi quod Homerus præſcripſit? Nihil tale præcipit Ariſtoteles, nihil alij doctores Poëticæ: & nobis ſatis eſſe debet Virgilij auctoritas, quæ magna, locuples, & plena magiſterij: ille verè eſt magiſter Poëticæ, nemo alius. Nonne Poëtæ homines ſunt? cur non ergo ex propria perſona perturbari atque affici poſſunt? itaque exclament, admirentur, doleant: poſſunt omnia. Virgilio inſtitiſſe credamus Apuleium lib. 10. vbi in re ſimili: *Heu medicorum ignaræ mentes? quid venæ pulſus, quid caloris intemperantia, quid fatigatus anhelitus, & vtrinq; ſecus iactatæ crebriter laterum mutuæ viciſſitudines?* Sermo eſt de amante. Non abit Pliniana exclamatio lib. 7. cap. 40. *Heu vana & imprudens diligentia.* Non Lucretiana lib. 2.

O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca!

Vates gentilium ignari. 2. Vatvm ignaræ mentes] Ita de ſuis vatibus ſenſere ipſi etiam gentiles. Nam quid adducam Chriſtianos ſcriptores? Hieronymum, qui ſæpe illos reprehendit, Auguſtinum in libris Ciuit. Tertullianum, Cyrillum, qui in Oſeam, omnem ψευδομαντείαν ait dici in inſpiratis litteris μανίαν, *inſaniam*: Arnobium, alióſque. Multis itaque parcens, adducam verſus Ennij ex tragœdia, cui nomen Telamon, vbi in vates congerit quicquid ridiculum & inſanum eſt. Ait ille,

Non habeo denique nauis Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomnium.
Non enim ſunt hi aut ſcientia, aut arte diuini:
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq; harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt.
De his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera,
Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.

Amantes ... runt. 3. Fvrentem] Adducit Plutarchus ἐν τῷ ἐρωτικῷ, vnius Poëtæ carmina hunc in modum.

Οὐ Κύπρις μόνον, ἀλλ' ἔστι πολλῶν ὀνομάτων,
Αἰτιόνυμος, ἔστι μὲν Ἅδης, ἐστὶ δ' ἄφθιτος βία, ἐστὶ δὲ
λυσσώδης μανία:

non eſt Venus tantùm, ſed habet multa cognomina, orcus eſt, æterna vis, inſana rabies: inde eadem Dido: *inops animi* dicitur à Virgilio. Ouid. 2. Am. eleg. 9.

Turbine mentis agor.

Plutarch. ibid. τὴν δὲ ἐρωτικὴν μανίαν τοῦ ἀνθρώπου καθαψαμένην ἀληθῶς, καὶ διακαύσασαν, οὐ μοῦσά τις, οὐκ ἐπῳδὴ θελκτήριος, οὐ τόπου μεταβολὴ καθίστησι, ἀλλὰ καὶ παρόντες ἐρῶσι, καὶ ἀπόντες, ποθοῦσι: *Amatorium furorem, vbi ſeriò corripuit inflammauítque hominem, nulla iam Muſa, non carminis illecebræ placant, aut loci commutatio; ſed præſentes abſentéſque amore æſtuant.* Pulchre ergo Poëta vates reprehendit, qui putant mederi ſe poſſe amori Didûs. Ad eundem furorem Amoris facit inſigniter Mæcius in epig. contra Cupidinem, σωφροσύνης ὑβριστά, φρενοκλόπε, ληστὰ λογισμοῦ: *Prudentiæ corruptor, mentis ſurreptor, fur rationis.* Inducit Philoſtratus in Sophiſt. quendam παραπαίοντα ὑπὸ τοῦ ἐρᾶν. *delirantem præ amore.* Eſt etiam locus apud Platonem in Phædro, dignus qui expendatur. Nam cùm conſtituat ſpecies furoris quatuor, abſoluit, illam eſſe maximam, qua aman- *Furoris ſpecies quatuor.*

tes

tes occupantur. Subiicio Platonis verba. μαντικὴν A
ἐπίνοιαν Ἀπόλλωνος, Διονύσου δὲ τελεστικὴν, Μουσῶν δ' αὖ
ποιητικὴν, τετάρτην δ' Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος. ἐρωτικὴν
μανίαν ἐφήσαμέν γ' ἀρίστην εἶ). Vides, vt insaniam Amoris & Veneris præferat insaniæ illorum, qui afflantur à Phœbo in diuinationibus, ab Baccho in initiationibus, ab Musis in Poëtica,

Edo in re amoris.

4. EST] Ita pari metaphora Catull.

Me magnus edebat amor.

item:

——Misellæ

Ignes interiorem edunt medullam.

idem in Coma Bet.

Cùm penitus mœstas exedit cura medullas.

Poëta etiam in 6.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit. B

Voracitas de igne.

Huc pertinet, ignem & flammas dici à multis voraces. Ita Ammianus lib. 27. *vorax flamma vastabat.* Affectus similes huius pestis vide in Philone lib. περὶ δέκα λογίων. dat enim illi verba θρύπτει, ἐκλύει, διαφθείρει, & alia, quia omnia atterit, resoluit, absumit.

5. MOLLIS] Multi cum flamma adnectunt. Germanus tamen ex Passeratio vult, esse in quarto casu multitudinis, vt dicat, flamma exedit medullas mollis: nam Poëta videtur aspirasse ad Catulli imitationem, qui dixit: *ignis mollibus ardet in medullis, mollis* autem, pro, *molles*, dicitur, vt partis, omnis, pro, partes, omnes. Setu. quoque: *Vtrùm mollis flamma? an mollis medullas?* Hoc etiam vir æui huius longè doctissimus And. Schottus astruit in 5. Suasoriar. Senecæ ex adducto versu Catulli, & ex istis eiusdem. *Ignes* C *interiorem edunt medullam.*

Et: *Cùm penitus mœstas exedit cura medullas.*

6. TACITVM] Seneca de amante Phædra: *Terretur æstu tacito.* Copiosior idem ibidem:

——pectus insanum vapor

Amórque torret, intimas sæuus vorat

Penitus medullas, atque per venas meat

Visceribus ignis mersus, & venis latens,

Vt agiles altas flamma percurrit trabes.

Amoris sedes cor.

7. SVB PECTORE] Ergo in corde. sic puto; nam hoc vulnus illam habet sedem. Hesiodus in Scuto Herculis de amore Amphitryonis,

Τοῖος γὰρ κραδίην πόθος αἴνυτο ποιμένα λαῶν,

talis enim in corde cupiditas capiebat pastorem populorum.

Et de amoris vulnere Græcus poëta signatè, ὑποκάρ- D
διον ἕλκος. Non abit Catullianum:

Spinosas Erycina serens in pectore curas.

Nonnus lib. 15. Dionys. ait ἕλκος ἔρωτος, *amoris vulnus*, esse ὑπὸ φρένα βοσκόμενον πῦρ, *ignem depascentem sub mente.* Quo loci, vt puto, capiendus de corde. Nam lib. 16. Amor Bacchum feriens,

Εἰς κραδίην κατέπηξεν ὅλον βέλος:

In cor infixit totum telum.

8. QVALIS CONIECTA CERVA SAGITTA, &c.] Primùm monendus Lector, Virgilium non institisse Homericis vestigiis Iliad. λ. quod malè aliqui existimauerunt, in his Macrob. 5. Satur. cap. 6. Nam, vt aiunt Iul. Scal. & Nasc. nihil simile, nisi in cerua, & sagitta. Deinde vide, quibus comparationibus Poëtæ E alij furentem amorem expresserint, vt scias ipse rem similem amplificare, Poëtas conferre, Maroni victoriam dare. neque verò adducam omnes; nam hic labor infinitus. Pindarus hunc furorem exprimit comparatione sumpta ab homine, qui ab ape morsus liquescit: quod inuenies apud Athen. lib. 13. Anacreon, cum œstro,

Comparationes ad exprimendam vim amoris.

——με τύπτει μέσον ἧπαρ, ὥσπερ οἶστρος:

Ferit mihi medium cor quasi œstrus.

Ouid. 2. de Art.

In ferrum flammásq; ruit, positóque decore.

Et in Phæd.

Fertur, vt Aonij cornibus icta Dei.

Nunc feror, vt Bacchi furijs Eleides actæ,

Quæq; sub Idæo tympana colle mouent.

Aut quas Semideæ Dryades, Faunique bicornes,

Numine contactas attonuere suo.

Simonides in suis iambis, fœminam ait furere indomitè instar canis fœtæ suis catulis accubantis. Ouid. in Phæd.

Scilicet vt teneros lædunt iuga prima iuuencos,

Frenáque vix patitur de grege captus equus:

Sic malè, vixque subit primos rude pectus amores.

Et in Phaone:

Vror, vt indomitis ignem exercentibus Euris,

Fertilis accensis meßibus ardet ager.

ibid.

Me calor Ætnæo non minor igne tenet.

Plures parauetam, hæ tamen satis. Atqui inter omnes nescio quid lucis (grauitas certè excellit) in Virgiliana cerua. Primùm ad genus ceruorum confugit, quod vehementissimum in amando, & ex hoc, ad ceruam, vt meliùs quadret cum Didone: deinde *incautam* pastor aggreditur, vt Cupido Didonem, à qua is Deus ignorabatur. atque adeo pastor quoque *inscius*, vt *inscius incautam* feriat. tertiò, hæret in fœmina amoris stimulus, non aliter ac sagitta in latere ceruæ. nemo hoc attigit in suis comparationibus, &, si quispiam, ad nostri imitationem. Seneca in re alia in Her. Oet.

Virgilius superat poetas reliquos.

——Qualis impressa fugax

Taurus bipenni vulnus, & telum ferens,

Delubra vasto trepida mugitu replet.

Quartò demum cerua saltus peragrat, syluas, nemora: Dido furens vagatur tota vrbe. Vides vt nihil frustra. Ita alios tibi propone, vt hunc primo loco. ab aliorum comparationibus multa tutò poteris amputare, quæ necessaria non sunt, quæque amputata requiret nemo. Non abeat inobseruatum, hæsisse fortasse Nostrum Aristophani, qui in Lysistrata, vagantem per Eurotam, quassantem pedes, ardentem manibus comparat ceruæ. Omitto versus, quia multi.

Creta ferax ceruorum.

9. NEMORA INTER CRESSIA] In Creta ceruorum copia, inde eo potiùs confugit, quàm ad alia loca. In Creta etiam insignes sagittarij. Horatius dixit lib. 1. Od. 15.

——calami spicula Gnoßij.

& Propertius lib. 2. eleg. 12.

Et pharetra ex humero Gnoßia vtroque iacet.

Itaque commodè in vna Creta iunguntur & cerui, & sagittarij.

Volo de telis.

10. VOLATILE FERRVM] Sagittam. Poëta vetus apud Macrob. 6. Satur. cap. 5.

——volucrúmq; volatile telum.

Virg. ipse. 8. Æn.

——telísq; volatile ferrum

Spargitur.

Lucret. lib. 1.

——iaciátque volatile telum.

& lib. 4.

Antè fuit multo, quàm lucida tela volarent.

11. NESCIVS] Ignoratus à cerua, & inuisus, vt loquitur Sallustius. Sententiam Seruij sequor. Sunt qui *nescius* actiuè accipiant; optandum id quidem esset, sed, vt probent, non video. Deinde passiuè accipiendum esse, videtur effici imitatione Ouidij, qui. 9. Met.

Haud aliter graditur, quàm si venabula taurus

Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

vbi,

vbi *facti auctorem refugere*, idem est, ac *nescium pastorem ferire*: est ergo, *nescius*, qui, cùm ferit, non cernitur. Et negotio res quadrat, nam Cupido ignoratus quis A esset, Reginam vulnerauit. Neque video, cur non hæc vox, vt multa alia, vtramque significationem habere potuerit. rem exemplis firmat Seruius.

[a] Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,
[b] Sidoniásque ostentat opes, vrbémque paratam.
[c] Incipit effari, mediáque in voce resistit.
[d] Nunc eadem labente die conuiuia quærit,
[e] Iliacósque iterum demens audire labores
Exposcit, pendétque iterum narrantis ab ore.

B

ARGVMENTVM.

Enumerat argumenta plurima amoris à signis factísque.

EXPLICATIO.

a DVo dixerat Anna, & præmittenda sacra, & deinde indulgendum hospitio, quærendásque moras classis Troianæ: hoc posterius iam Dido exsequitur post hostias præmissas.

b Iactabunda de suis fortunis, quasi ambiens amatorem suum, ostendit opes, quas ex Phœnicia adduxerat. Pulcrè Scal. expendit hunc versum. Ostentat *opes*, & *vrbem paratam*. illas, quia conuenit hominem C inopem, opibus detineri. ipse de se dixerat,

Ipse eiectus, egens Libyæ deserta peragro.

&, *rerum omnium egenos*. hanc, quia profugus detinendus erat vrbe, & regno. Deinde quærenti nouas terras, & nouam vrbem condituro, vrbem ostentat iam paratam. Iam enim ille dixerat:

O fortunati, quorum iam mœnia surgunt.
&,
Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua.

c Affectus & effectus proprius amoris.

d Nam in his iocus, cantilatio, lusitatio, libera demum omnia.

e Ingens affectus. Vide quæ longo tractu sunt narrata 2. Æn. eadem iterum vult audire; non alio argumento, quàm vt dicente Ænea perfruatur. & *demens* ait, affectu commiserationis, vt suprà *infelix*. Sequitur. *pendétque iterum narrantis ab ore.* Affectum contemplandi agnoscit Iul. Scaliger: tu mecum hunc versum expende. Hoc habet peculiare Virgilius præter alios poëtas, vt cùm multa dixerit feruidè, cúmque lector putet nihil posse addi magnis affectibus, in illum demum erumpat, qui præteritos superet. hoc cùm sæpe contingat, tum maximè in hoc loco, vbi post magnos affectus, Reginam inducit ab Æneæ ore pendentem, quasi sui nesciam, nihil aliud cogitantem, nihil aliud intelligentem nisi vnum Æneam, verba eius, faciem, vultum, notas animi, & signa oculorum: omnino à se alienata. Alius quispiam fortasse in illud desineret,

Incipit effari, mediáque in voce resistit,

& hoc esse maximum putaret. sanè alij Poëtæ feruidi sunt, si illos secum conferas; frigidi, si cum Virgilio: vnum semper Horatium excipio, qui dignitatem Maronis affectúsque mirè exprimit, mirè æmulatur. Hæc, sicuti alia plurima, eò pertinent, vt Poëticam docearis ad diuini Vatis imitationem.

NOTÆ.

1. PER MOENIA DVCIT] Non simpliciter muros capias, sed omnem munitionem, turres, & propugnacula, quibus erat munita firmatáque Carthago: modò hæ munitiones essent in ambitu murorum, modò in media vrbe. An obsecro per extremum tantùm vrbis ambitum ducebat Æneam? quis sapiens dicat? quæ autem sint mœnia explicatum iam 2. Æneid.

2. INCIPIT EFFARI, &c.] Nullum maius amantis signum quàm inconstantia, & tædium rerum omnium, ita, vt quid velint, nescias. Seneca Tragicus in Hippolyto sic de Phædra: *Inconstantia, amoris nota.*

——Nil idem dubiæ placet,
Artúsque variè iactat incertus dolor.
Nunc vt soluto labitur moriens gradu,
Et vix labente sustinet collo caput,
Nec se quieti reddit, & somni immemor
Noctem querelis ducit: attolli iubet,
Iterúmque poni corpus: & solui comas,
Rursúsque fingi: semper impatiens sui
Mutatur habitus.

In lib. 7. Epig. Græc.

Ἀρνεῖται τὸν ἔρωτα Μελισσίας, ἀλλὰ τὸ σῶμα
Κέκραγεν, ὡς βελέων δεξαμένη φαρέτρην.
Καὶ βάσις ἀστατέουσα, καὶ ἄστατος ἄσθματος ὁρμή.

Amorem negat Melißias, sed corpus
Clamat multis iaculis percussum:
Gradus enim incertus est, & oris flatus incertus.

D Ouidius signatissimè ad Virgilium:

Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.

Propertius etiam in re amoris lib. 1. eleg. 5.

Et quæcunque voles fugient tibi verba querenti.

vbi *fugient verba*, est, abibunt cùm velis loqui, non occurrent succurréntque verba: ad eum modum, quo Virgilius, *vox fugit Mærin.* Igitur amans Dido insistit sermoni, absistítque: incerta est, dubia hæret, quid velit nescit.

3. LABENTE DIE] Signat Romanam cœnam, quæ ad extremum diei. Matutinum cibatum Græci dicunt ἀκράτισμα, quod sequebatur ἄριστον, tertium ἑσπέρισμα, quartũ δόρπον. Sed hæc mirè confusa sunt, & ita incerta in auctoribus, vt nihil sit, quod non facilè queat euerti. Alij cum acratismate coniungunt E ὀξαρνησισμόν, putantes eundem esse cibatum: sicuti & ἄριστον, & δειλινὸν βρῶμα, καὶ μεσημβρινόν. in extremis duobus, videlicet ἐν δείπνῳ, & δόρπῳ, omnes, vt plurimùm, video conuenire. Itaque in Virgilio ex Græcorum ritu δόρπον capias. Sed adeo, vt dixi, nihil certum, nam ex Eustathio lib. 2. Odyss. possis δεῖπνον capere. Scribit enim δεῖπνον dici παρὰ τὸ δεῖν τότε ὕπνου, *quòd tunc opus sit somno.* Quo satis indicatur δεῖπνον esse extremam comessationem. Firmat hoc versus Papinij in syluis: *Cibatuum discrimina.*

Iam

Iam moriente die rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Rogas.quî firmat? nam boni interpretes, in his Germanus, cuius litteræ mihi in precio, δεῖπνον Græcorum reddunt per cœnam. Ita vt δεῖπνον, & κοινὴ idem sint. Indicat etiam Galenus lib. 1. de Method. Therapeut. coniungens cum sero & vespertino cibatu verbum δεῖπνον. verba signata, εἰς ἑσπέραν συνδειπνοῦ-. Certè illud verum, tam per δεῖπνον, quàm per δόρπον semper extremas epulas signari. Cuius rei efficax est argumentum hoc Sacra mortuorum, ad occasum solis fiebant, vt cælestium ad exortum. Atqui mortuorum cœna dicebatur iam περίδειπνον auctoribus Polluce, & Suida: iam ἐπιδόρπιος θεὸς, & Homerus in re mortuorum dixit, δορπήσωμεν. Et quidem Pollux exclarè ait lib. 6. tertias epulas vocari δόρπα. & ad extremas epulas reiicit verba δορπήσασθαι, & ἐπιδορπήσασθαι. Sed quoniam in hac Nota memini ἀριστισμοῦ, non omittam Hispanam vocem *desayunar* duci posse ab Græco ἀριστισμοῦ, vt apparet ex similitudine. Vox Græca ducta est, vel ἀπὸ τοῦ ἀνίστημι, nam hic cibatus

Sacra mortuorum ad solis occ.

A sumebatur, statim ac fiebat surrectio è lecto: vel ἀπὸ τοῦ νηστεύειν, quòd sumeretur ieiuno corpore: imò ita solueretur ieiunium. quod etymon vicinum cum voce Hispanica.

4. ILIACOSQVE ITERVM, &c.] Eundem affectum Ouid. dat Calypsoni, quæ Vlyssem perditè amabat, in Arte:

Hæc Troiæ casus iterúmque iterúmque rogabat:
Ille referre aliter sæpe solebat idem.

Propertius quoque libro 2. tale quid in amore:

Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
Quem quæ scire timent, quærere plura iubent.

5. PENDETQVE ITERVM NARRANTIS AB ORE] Quintilianus declamat. 301. *Habes vxorem non ambitiosam, non exacturam comitatus, sed quæ tota ex tuo vultu pendeat.*

B Ouidius in epist.

Narrantis coniux pendet ab ore viri.

vetus inscriptio parasiti apud Salonem vrbem Dalmatiæ: *Iuuat vobiscum esse, ac ab ore meo pendulos detinere, vt iuuit semper.*

[a] Pòst vbi digressi, luménque obscura vicissim
Luna premit, suadéntque cadentia sidera somnos:
[b] Sola domo mœret vacua, stratísque relictis,
Incubat, ILLVM absens absentem audítque vidétque:
[c] Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
[d] Non cœptæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet: portúsve, aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæq;
Murorum ingentes æquatáque machina cælo.

ARGVMENTVM.

Sequuntur affectus alij, & effectus amoris, iam, vbi Regina sibi, amoríque suo nimiùm indulsit, ad perniciem inclinantes.

EXPLICATIO.

a QVi nam *digressi*? an, qui apparebant coram Regina vnusquisque ad cubiculū suum? An verò ipsamet Regina, ipse Æneas digressi sunt à conuiuio, aut triclinio, vbi repetita conuiuia? Sequitur, *Luménque obscura vicissim Luna premit.* Disce poëticè dicere alternam vicissitudinem diei & noctis, solis & lunæ. Pergit, *suadéntque cadentia sidera somnos.* De aduentante nocte capienda hæc videntur, vt ex contextu apparet, non de tempore matutino: si quis hoc capiat, non pugnem, cùm videam defendi posse. cōsulenda quæ scripsi. 2. Æn.

b Annectenda cum superioribus hunc in modum. Postquam digressi, postquam nox aduenit pulso die, postquam itum ad somnos suadentibus sideribus; tunc Dido *sola mœret in vacua domo*. Cur *sola*? an quia sine Ænea? nam statim sequitur *absens*. an quia *sola ipsa mœret*, cùm reliqui essent lætabundi? Cur *domo vacua*? an quia, ampla? an verò, vacua strepitu in nocturno silentio? Pergunt affectus Didonis. *stratísque relictis Incubat.* Sententia est. Illam reliquisse strata, id est, lectum, ac mox iterum repetiuisse eadem, & incubuisse. Itaque, incubuit iterum stratis priùs à se relictis. Etenim exprimitur instabilis mentis habitus, quo relictum lectum iterum repetebat. Alius affe-

C ctus, *illum absens absentem audítque vidétque*. Ita videlicet verba Æneæ auribus Reginæ, vultus oculis hæserant, vt absens cùm esset, putaret illum se audire, & videre.

c Detinet Ascanium non tam capta Ascanij imagine, quàm patris, quippe huius ille imago. Sed cur detinet? *si possit Amorem fallere infandum.* Propriè capio. volebat enim fallere eum, cuius astutias nemo facilè eloqui, aut assequi queat. Non placent, qui explicant nefarium.

d Effecta amoris quatuor. Primum, turres cœptæ intra vrbem ad munimen arcis, non iam assurgunt. Alterum, iuuentus non exercet arma, vt solebat. Tertium, portus, & reliqua maritima propugnacula intermittuntur. Quartum, reliqua opera, quæ ad muros fiebant, vt minæ, & tota demum machina, pendent,

D interrumpuntúrque.

NOTÆ.

1. SOLA DOMO MOERET VACVA] Est hic affectus ille, quem Ouidius expressit lib. 3. Am. eleg. 9.

Secubat in vacuo sola puella toro.

Quem Propert. lib. 1. eleg. 15.

Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.

Semper Virgilius modestiam amat. Vides vt hîc tantùm *domo vacua*, subticens de lecto, sed intelligendum relinquens, non vt Ouidius, & Propertius, qui clarè. Virgilij modestia.

2. STRATISQVE RELICTIS INCVBAT] Similis planè locus est apud Homerum lib. 24. Il. Inconstātia amantium.

ἄλλοτ᾽

Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνὴς, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστάς.

vbi vides, Achillem iam lateri incumbentem, iam supinum, iam pronum, iam rectum. Et apud Senecam epistol. 56. *Huc nempe versatur, atque illuc, somnum inter ægritudines leuem captans.* Et apud Heliodorum lib. 7. Hist. Æthiop. describentem Arsaces amorem depereuntis Theagenem. Adducam verba Stanislai interpretis: *Iacebat igitur tota nocte, subinde in alterum latus corpus obuertens, identidémque vehementiùs ingemiscens, nunc se erigens, nunc in strata labans, & magna ex parte veste sese nudans, & rursus repente in lectum corruens.* Ista amatorum in lecto inquies nata proculdubio ab noctibus, quas longissimas putant, cùm à suis absunt. Quem affectum attigit bis Propertius, bis Horatius. Prior lib. 1. eleg. 3. & 12. posterior epist. 1. lib. 1. & lib. 1. Od. 25. Est aliquid etiam in Apuleio ad hanc rem. & in Seneca de Tranquill. *Quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc atque illo modo componunt.* & in Iuuen. Sat. 3.

—cubat in faciem, mox deinde supinus.

Absentia amantium. 3. ILLVM ABSENS ABSENTEM AVDITQVE VIDETQVE] Qui amant, in absentia etiam videntur cernere, & audire, quos amant: cum illis etiam colloqui. Plutar. ἐν τῷ ἐρωτ. καὶ οὐχ ὥς τις εἶπεν, καὶ ποιητικαὶ φαντασίαι διὰ τὴν ἐνέργειαν ἐγρηγορότων ἐνύπνιά εἰσιν, ἀλλὰ μᾶλλον αἱ τῶν ἐρώντων διαλεγομένων, ὥσπερ παρόντας ἀσπαζομένων, ἐγκαλούντων: *Neque, vt quidam ait, Poëticæ sunt phantasiæ propter repræsentationem in somnis vigilantium, sed amantium sunt imaginationes, quòd colloquantur quasi cum præsentibus, amplexentur, expostulent.* ibid. παρόντες ἔρωτι καὶ ἀπόντες ποθοῦσι:

Præsentes absentésque amore æstuant.

Valerius Flaccus de Medea amante Iasonem 7. Argon.

Ergo iterum sensus varios super hospite voluens,
Mœret, & absenti nequicquam talia fatur:
Si tibi, &c.

Artemidorus lib. 1. cap. 1. numerans affectiones, inter alias, tum hanc. οἷον ἐρῶντα δοκεῖν ἅμα τοῖς παιδικοῖς εἶναι: *velut amantem videri sibi esse apud eos, quos amat.* De eadem Didone Ouid. in epist.

Æneásque oculis semper vigilantibus hæret,
Æneámque animo nóxque diésque refert.

Gremium locus delicatorum. 4. GREMIO] Locus hic delicatorum & mollium. Lucret. lib. 3.

In gremium qui sæpe tuum se reijcit.

In 1. eadem Dido *gremio fouet* Cupidinem. Lege, quæ A scripsi lib. 1. ad illud, *mediámque locauit.* Quæ enim ibi dicta sunt de imo loco, ad gremium pertinent. Propert. lib. 2. eleg. 13. dixit,

Me iuuat in gremio docta legisse puella.

Amor oblivionem facit. 5. NON COEPTÆ ASSVRGVNT TVRRES, &c.] Vix dici potest, vti Amor rerum omnium obliuionem inducat, vbi cuiuspiam mentem inuasit. Seneca in Hipp. sub persona Phædræ:

—Palladiæ telæ vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus,
Non colere donis templa votiuis libet.

Ad hoc argumentum pertinet Oda octaua libr. 1. Carm. Horat. vbi Sybaris postquam amare cœpit, vtiles alias exercitationes auersatus est. Item, quæ de Pamphilo Terentius in And. Et versus isti Claudiani B in Nuptiis Hon. & Mariæ:

Non illi venator equus, non spicula curæ,
Non iaculum torquere lubet: mens omnis oberrat
In vultus, quos fixit amor.

Et quæ Propertius de se lib. 2. eleg. 16.

Tot iam abiere dies, cùm me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa iuuat.

Monet autem Iul. Scal. lib. 3. Poët. cap. 26. in his *non cœptæ assurgunt turres*, constitui simulacrum quoddam excidij illius, quod aliquando euenturum esset Carthagini: sicuti cùm Æneam facit Poëta Carthaginis dominum, Didonémque illi omnia submittentem, repræsentat dominatum Romani imperij in Carthaginem.

Minæ murorum. 6. MINÆ] Partes murorum in quibus sunt propu- C gnatores, hostibúsque minantes, quæ ad emissionem telorum fenestratæ sunt. Rufinus in Iosepho: *In summo autem propugnaculis minísque erat ornata.* Et rursus: *Et minas quidem binis cubitis, propugnacula verò ternis habebant.* Ita Turn. lib. 3. Adu. cap. 14. Alij aliter explicant: quæ attuli ex Turnebo probat Germanus. Pro eadem re aduoco verba Ammiani lib. 24. loquentis de arce vrbis Pyrisaboræ: *Excellebant minæ murorum, bitumine & coctilibus laterculis fabricatæ, quo ædificij genere nihil tutius esse constat.* Quò enim ista firmitas, nisi contra hostes? Non abeunt à minis partes illæ murorum, quas in hunc modum describit S. Cyrillus Comment. in Sophoniam prophetam. ἀεὶ γάρ πως ἐν ταῖς τειχῶν περιβολαῖς ἀνέχουσιν αἱ γωνίαι, καὶ εἰς πύργους ἀνεστήκασι τῶν ἄλλων ὑψηλοτέρους: *Semper enim in murorum ambitibus anguli exsurgunt, & in turres se attollunt, quæ sunt reliquo muro altiores.* Istæ enim turres paratæ sunt propugnatoribus contra hostes.

[a] Quam simul ac tali persensit peste teneri
Chara Iouis coniux, nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
[b] EGREGIAM verò laudem, & spolia ampla refertis,
Túque puérque tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo diuûm si fœmina victa duorum est.
[c] Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
[d] Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potiùs pacem æternam, pactósque Hymenæos
Exercemus? habes tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxítque per ossa furorem.
[e] Communem hunc ergo populum, paribúsque regamus
Auspiciis: liceat Phrygio seruire marito,
Dotalésque tuæ Tyrios permittere dextræ.

ARGVMENTVM.

Sequuntur insidiæ Iunonis, quod ex decoro factum; vt imminuatur si quid labis Æneas contraxit. inducitur autem Iuno primum conatus Veneris irridens, deinde pacem cum ea componens, nuptias promittens: quod eo animo facit, vt iter Æneæ ab Italia auertat.

EXPLICATIO.

a VBi Iuno intellexit Didonis amorem exitialem (ideo, *peste*,) illámque æquè (Scholion est Scaligeri) aduersa fama atque amore laborare. Itaque famam, quod vnicum mulieribus frenum, nihil curabat, quominus amori suo, potiùs *furori* indulgeret: vt hoc itaque Iuno intellexit, *aggreditur* (verbum est militare, quo habitum sequentis orationis intelligas, quæ tota ad perniciem) Venerem. Vide verò versus huius flatum & pompam conuenientem Deorum reginæ, quæ *Iouis coniux*, & *Saturnia*. Neque enim frustra hoc Poëta, nisi vt dignitatem addat superbiámque dicenti in Venerem, nullo hîc attributo commendatam.

b Celebratissima Ironia. expendo tam orationem, quàm locum hunc. Oratio hæc est in genere deliberatiuo, finis vtilitas. initio est concitata, in fine remissa & tranquilla, vt facilè possit perspici facta versutissimo animo. persuasio est, vt positis simultatibus pax æterna firmetur, atque ex duabus gentibus vnus existat populus, qui à Venere simul & à Iunone regatur. hæc omnia eò tendunt, vt iter Æneæ in Italiam auertatur, nam hæc maior cura Iunonem coquebat. Incipit autem ab egregia ironia, quæ vultu, gestu, sermone, voce adiuuanda: vult Iuno conatus Veneris minuere, atque ostendere nullam laudem ab ea cōparatam, ducítque metaphoras à re militari. referre enim laudem & spolia dicuntur duces, milites. Igitur: putatis vos duo *referre* non *laudem* solùm, sed hanc *egregiam?* non *spolia* tantùm, sed hæc *ampla?* non *nomen* tantùm famámque, sed hanc *magnam & memorabilem?* quòd *fœmina*, & hæc *vna* sit *victa dolo duplicis Numinis*, Veneris scilicet, & Cupidinis? quasi magnum quiddam sit, voluptatum & blanditiarum Præsides fœminam vnam irretire voluptate, & blanditiis, quæ viros quoque atque adeo ipsos Deos solent expugnare. An vna mortalis, & fragilis fœmina possit resistere duobus Dijs, si ij præsertim voluptate armentur?

c Concitatam Ironiam, quæ vice fuit exordij, excipit tranquilla oratio. Scio te ô Venus veritam esse nostra mœnia, & habuisse suspectam Carthaginem. Quia Venus in 1. dixerat, *vereor, quò se Iunonia vertant Hospitia.*

d Dehortatur à veteri odio suadens *æternam pacem*, neque hanc solùm, sed coniugium, neque hoc simplex, sed pactum. id est, cum fœdere, sacris pactionibus. & de præsenti *exercemus*, vrgens Venerem. Ratio cur ita vrgeat. quia habes iam ex voto tuo amantem Didonem, imò ardentem, imò furentem, nam *traxit furorem per ossa.*

e Conclusio, qua vult Troianos simul & Carthaginienses vnum esse populum, illósque simul à Venere, & Iunone regi. Expende τὸ *liceat.* quasi dicat, non debuerat licere. Itaque irrisio est tecta. Nam cur liceat seruire marito Phrygio? id est, imbelli & effœminato, vt sunt Phryges? sed tamen nunc liceat. Liceat quoque (pari emphasi) peregrinum accipere amplam dotem, videlicet Tyrios, id est, Carthaginienses. Illud *dextræ tuæ* non sine indignatione, quod & Donatus aduertit.

NOTÆ.

1. PESTE] Mater Medeæ apud Val. Flacc. lib. 8. vbi cognouit filiæ amores: — Pestis de amore.

—cur tanta mihi non prodita pestis?

Sic. 1. Æn. de Didone amante:

pesti devota futuræ.

2. NEC FAMAM OBSTARE FVRORI] Amor affectus est potentior fama, nihil enim curat, vbi hæsit in animo. Hinc Didonis furori non obstat fama. — Amor famā poterit.

Iterum:

—te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sidera adibam,
Fama prior.

Hero Ouidiana:

Nunc malè res iunctæ calor & reuerentia pugnant;
Quid sequar in dubio est: hæc decet, ille iuuat.

Lucretius de insano amore:

Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.

Propert. lib. 2. eleg. 32.

Sed de me minus est, famæ iactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.

Inde idem lib. 1. eleg. 16.

Nec possum infamis dominæ defendere noctes.

& post pauca:

Nec tamen illa suæ reuocatur parcere flammæ.

Plutarch. ἐν τῷ ἐρωτ. Ἔρωτι δὲ μάχεσθαι χαλεπὸν (οὐ θυμῷ καθ' Ἡράκλειτον) ὅ,τι γὰρ ἂν θέλησι, καὶ ψυχῆς ὠνεῖται, καὶ χρημάτων, καὶ δόξης: *Amori autem (non iræ, vt dicebat Heraclitus) repugnare difficile est: qui quod cupit, vel vita, vel pecunia, vel fama redimit.* quia omnia offert, vt quod vult assequatur. & vide, vt extremo loco famam posuerit Plutarchus. Ad hanc rem traho illud Horat. Od. 27. lib. 3. *Vilis Europe*, &c. Cur, *vilis*? quia verè scriptum à Tacito, *contemptu famæ contemni virtutes.*

3. EGREGIAM, &c.] Par irrisio apud Dionysium lib. 8. apud quem ita Coriolanus. *Egregiam verò laudem mihi apud omnes mortales iterata proditio cognita afferret?* Dicit hoc, cùm suadebatur, vt Volscos desereret, qui iam Romam deseruerat. Sed ex Virgilio simile quiddam Liuius lib. 39. nam proculdubio cum respectu ad hunc locum Annibal volens venenum accipere, *Liberemus diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis exspectare longum censent: nec magnam, nec memorabilem ex inermi proditóque Flaminius victoriam feret.* Ouidius quoque. 10. Met.

———habebis
Hippomane victo magnum & memorabile nomen.

Est etiam in Propert. lib. 2. eleg. 9. irrisio non absimilis:

Figite certantes, atque hanc mihi soluite vitam,
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

Et eleg. 21. cum eadem irrisione dixit:

—has laudes ille maritus habet.

Nec non lib. 3. eleg. 7.

Infelix Aquilo raptæ timor Orithyiæ,
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?

4. VERÒ] Aduertit H. Stephanus in libello de Lipsij Latinit. hanc particulam seruire ironiæ, illámque adiuuare. Sic Terentius: *Mirum verò, impudenter mulier si facit meretrix.* vbi sententia est ironica. Nihil est mirum meretricem mulierem facere impudenter. — Verò seruit Ironiæ.

5. VNA DOLO DIVVM, &c.] Non abit à Maroniano illud Tibulli, loquentis cum Amore lib. 1.

Quid tibi sæue puer mecum est? an gloria magna est,
Insidias homini composuisse Deum?

Nota obiter, quos Deos colerent veteres, deceptores, vafros, cavillatores. hîc audis *dolos* Veneris & Cupidinis. Infrà, Iunonis:

Dii gentium pessimi.

—dolis risit Cytherea repertis.

in 1. Æn.

Simulata verba,

Cupidinis. reliqua poëtarum obserua ipse. Hîc audi Plinij verba lib. 2. cap. 7. irridentis Deos veterum: *Sed super omnem impudentiam adulteria inter ipsos fingi: mox iurgia, & odia: atque etiam furtorum esse & scelerum numina.* Sed cesso ab vbere materia.

6. Nec me adeo fallit] Id est, non me latet. Pari forma Lucretius lib. 1. *Nec me animi fallit.* Terentius Heaut. *Num me fefellit hosce id struere?* Latini hoc ab Græco λανθάνειν.

7. Carthaginis altæ] Vt in 1. *Romæ altæ.*

8. Avt qvo nvnc certamine tanto] Subaudi, opus est, vel, res geritur: vel quid simile.

Hymenæi fabula, & genus.

9. Hymenæos] Seruianæ Schedæ, quæ nuper prodierunt, Hymenæi fabulam hunc in modum narrant: *Hymenæus Atheniensis adeo pulcher fuit, vt adolescens puella putaretur: is cùm vnam virginem nobilem ipse mediocriter ortus adamasset, eiúsque nuptias desperaret, quod vnum poterat, sequendo puellam, amori satisfaciebat. sed cùm Atheniensium nobilissimæ virgines Eleusinæ Cereri sacra facerent, subito aduentu Pyratarum raptæ sunt; inter quas etiam Hymenæus, qui illò amatam fuerat secutus, tanquam puella raptus est. Sed cùm Pyratæ prædam per maria longa portassent, in desertam regionem delati, ac fatigati, somno se dederunt, quos cùm vniuersos occidisset Hymenæus, relictis ibi virginibus, Athenas reuersus est, petiitque à ciuibus, vt si virgines, quæ raptæ fuerant, reduxisset, dilectæ nuptias impetraret: quas cùm reduxisset, optatam in matrimonium virginem meruit: quod coniugium, quia felix fuerat, placuit omnibus Atheniensibus, omnibus nuptijs Hymenæi nomen interesse. Est etiam alia ratio vocabuli: nam Hymen quædam membrana quasi virginalis puellæ esse dicitur: qua rapta, quia desinat esse virgo, Hymenæi nuptiæ dictæ.* Hæc Seru. sed & in explicando genere mirè variant fabulæ. Catull. filium facit Vraniæ in Iul. & Mal. epithal.

—collis ô Heliconij
Cultor, Vraniæ genus.

Seneca in Med. Bacchi:

Candida Thyrsigeri proles generosa Lyæi.

Schedæ Seruianæ in illud huius lib.

Hîc Hymenæus erit,

Bacchi & Veneris. Claudianus Musa genitum scribit. Et Martianus Camœnâ; ille sic:

Hunc Musa genitum legit Cytherea ducémque
Præfecit thalamis.

Hic verò:

Tu quem psallentem thalamis, quem matre Camœna
Progenitum perhibent copula sacra Deûm.

Vterque, fortasse Vraniam intellexit Catullianam. Seruius dicto loco ait, ex sententia Cornelij Balbi, Hymenæum fuisse Magnetis filium, musicæ artis peritum, pulchritudine muliebri: qui, cùm nuptias Liberi patris, & Altheæ religiosis cantibus celebraret, exspirauit, & inde factum, vt nomen eius perpetuo carmine iungendis nuptiis celebraretur.

10. Per ossa] Videtur mihi Poëta hîc, & 1. Æn.

—atque ossibus implicet ignem,

& 3. G.

—cui versat in ossibus ignem
Durus amor,

voluisse recedere à vulgo Poëtarum, qui in re amo-

A ris ad medullas decurrunt. Hi sunt Plautus, Catullus, Tibullus, Propertius, alij. Itaque medullas non nominans, illas intelligit, adhibita duriore ossium materia ad αὔξησιν. Sed certè, vt speciosam reddat orationem, alibi *medullas* nominat.

11. Avspiciis] Quia auspicia deberent præcedere coniugia & nuptias more veteri, de quo iam in hoc libro: sed quid si in hoc loco sermonem trahit à militia? Cùm hîc verbum *rego* videam, non malè interpreter: *Regamus paribus auspicijs*, id est, paribus imperiis, vt metaphora ducatur à militia: auspicia enim præcipuæ obseruationis fuerunt in bello. Cic. 2. Diuin. *Rem bellicam maiores nostri administrari, nisi auspicato, noluerunt.* Inde in castris Augurale situm erat iuxta prætorium, & auspicium simpliciter pro imperio accipi Lipsius notauit 2. de Mil.

Auspicia in bello.

Augurale.

B Rom. Tacitus 3. Annalium, *Drusus vrbe egressus, repetendis auspicijs, mox ouans introijt*, id est, repetendo ac resumendo imperio, quod ingressu amiserat. nam ipsa auspicia fas non erat capere extra vrbem.

Phrygij mollissimi.

12. Phrygio] Habiti sunt Phryges mollissimi. Placitum subiicere Hortensij hanc notam: laudatissima mācipia è Phrygia mitti solere, testatur Athenæus: vnde in prouerbium abiit, vt homines barbaro seruilique ingenio, qui verberibus, non pudore meliores redduntur, *Phryx plagis emendatur*, φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων, καὶ διακονέστερος. Itaque cùm Iuno dicit, *seruire marito Phrygio*, non dubium est, quin ad gentis ingenia seruilia respexerit. Hæc il-

C le. Huc spectant verba hæc Donati: *Dixit, (Phrygio) subtili conuitio, quasi abiecto, & infimæ gentis homini.* De hac re alibi à nobis. Ad hunc locum Prudentius in 2. in Symmach.

—concessit & ipsa
Iuno suos Phrygijs seruire nepotibus Afros.

13. Servire] Ab imagine etiam seruitutis. Tibullus lib. 1. eleg. 2.

At mihi parce Venus, semper tibi dedita seruit
Mens mea.

Ab eadem Propertius lib. 1. eleg. 5.

Illa feros animis alligat vna viros.

Non abs re est, *cellas* dici pariter & de seruis, & de meretricibus, sicut & *seruire*. De cellis seruorum

Cellæ.

D exempla habet Lipsius: de cellis meretricum, habes Martialem lib. 11. epig. 46.

Intrasti quoties inscriptæ nomina cellæ.

& Senecam Rhetor. lib. 1. Controuers. *Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est: hactenus in te inquiri potest. Cæterùm nescio quid cellulam, & obscœnum lectum voces.* Iterum: *superpositus est cellæ tuæ titulus*, &, *intrauerunt cellam tuam gladiatores.*

14. Dotalesqve tvæ, &c.] Putat Seruius, qui nunc prodiit, allusum hîc ad genus nuptiarum, quæ fiebant per coëmptionem, (dictum iam de his alibi.) per coemptionem enim mulier ad coniugium accepta, ita in potestatem viri cedebat, vt liberis sustineret conditionem seruitutis. inde Poëta hîc intulit verbum *seruire*, sicut in 1. G.

Nuptiæ per coëmptionem.

E *—tibi seruiat vltima Thule:*

vbi res per coëmptionem fit. dicitur enim:

Téque sibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Deinde, quo omnis iste mos coëmptionis, dotis datæ taxatione expedirent, (quæ res dicebatur, in manum conuentio) subiungit:

Dotalésque tuæ Tyrios permittere dextræ.

nam quid est aliud *dextræ*, quàm in manum conuenire? sic fermè recens Seruius.

ª Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam,
Quò regnum Italiæ Libycas auerteret oras)
Sic contra eſt ingreſſa Venus ᵇ. Quis talia demens
Abnuat? aut tecum malit contendere bello?
ᶜ Si modò, quod memoras, factum fortuna ſequatur.
ᵈ SED FATIS incerta feror, ſi Iuppiter vnam
Eſſe velit Tyriis vrbem, Troiáque profectis,
Miſcerívé probet populos, aut fœdera iungi?
ᵉ TV CONIVX, tibi fas animum tentare precando.
Perge: ſequar. Tum ſic excepit regia Iuno.

A

ARGVMENTVM.

Sequens oratio Veneris pari calliditate eſt plena, pari fuco, quam Deam Sappho δολοπλόκον *vocat*, dolos nectentem. *Accipit Venus conditiones Iunonis, dummodo fata & Iuppiter probent, quod tamen ſcit fieri non poſſe.*

EXPLICATIO.

ª PErſenſit ſtatim Venus inſidias Iunonis, quæ tantùm volebat auertere regnum Italiæ ad oras Libycas, ad Africam (hîc enim debere ſubaudiri præpoſitionem *ad*, tum certum, tum Pierius iam monuit) ergo calliditatem calliditate excepit. Hære verò lector in eo hemiſtichio, *ſic contra eſt ingreſſa Venus:* Agnoſcit enim Seruius calliditatem, nam *ingredior* Vox eſt inſidiarum. Mihi videtur Poëta voluiſſe opponere hemiſtichium hoc doloſum & vulpinum, ac nulla pompa verborum ſtrepens integro illi verſui,

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

& inde notanter particula *contra*, quod aduertit Iul. Scal. Itaque furens Iuno inducitur, Venus aſtuta: illa *aggreditur* verbo militari, hæc *ingreditur* verbo inſidiarum: illa *talibus dictis*, hæc *ſic contra*: illa *Saturnia* ad commendationem, hæc ſimpliciter *Venus*, nullo attributo: illi demum inchoanti integer verſus datur, íſque ſtrepens; huic dimidiatus, nec pompoſus, in quo, excepta voce *contra*, quæ hîc omnino neceſſaria, nulla ſyllaba grandis, omnes exiles. diſce eſſe poëta. Placuit verò Poëtæ *olli* non illi, magno iudicio, nam illud grauius, & hic ſermo inter Deos eſt; quid quòd *olli* arrogantiam Iunonis repræſentat?

ᵇ Quis tibi niſi demens repugnet? niſi audax bello contendat? *tecum* ἐμφατικῶς.

ᶜ Fortuna modò faueat his cœptis, prouehat fauore ſuo factum, quod memoras. Satis indicat Venus ſe dolos Iunonis præſenſiſſe.

ᵈ Hocquoque doloſè: non enim incerta eſt, nam ipſa à Ioue audierat, regnum Æneæ fore in Italia, non in Libya.

ᵉ Ne occaſionem præbeat contentionis, conijcit rem totam ad ipſam Iunonem. Id verò, quia ſciebat non poſſe fieri, fatis aliter diſponentibus.

NOTÆ.

1. SIC CONTRA EST INGRESSA VENVS] Vult Vrſinus dicta hæc, ad Homeri imitationem. Il. 14.

Τὴν δ' αὖτε προσέειπε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη,
Οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἔοικε τεὸν ἔπος ἀρνήσασθαι.
Ζηνὸς γὰρ τοῦ ἀρίστου ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαύεις:
Hanc autem allocata eſt amans riſum Venus:
Non licet, neque decet tuum verbum negare,
Iouis enim optimi in vlnis cubas.

2. AVERTERET] Sunt qui præferant, *aduerteret*, hac ſententia, quò verteret ad oras Libyæ regnum Italiæ. Adeundus de ea lectione Pierius, & Seru. B Alij *auerteret* volunt, quod eſt inſidiarum, admonente Mureto in Catull. qui de Nupt.

Cùm læti iuuenes Argiuæ robora pubis
Auratam optantes Colchis auertere pellem.

inde fures dici *auerſores* poſſunt. Cic. *auerſum frumentum, auerſa pecunia.* Auerſores.

3. FOEDERA IVNGI] Signata vox, qua coniugium innuitur. Ita. 1. Æn. *Connubio iungam.* & in hoc lib.

Cui ſe pulcra viro dignetur iungere Dido.

Itaque in Poeta intellige fœdera coniugalia.

4. PERGE, SEQVAR] Eſt ſapor ad Sophoclem, qui in Antigon. ἀφορθοῖς, ἔγωγ' ἐφέψομαι: *tu prais, ego ſequar.*

C 5. EXCEPIT] Verbum inſidiarum, monente Seruio. Cicero ad Atticum lib. 4. *Admoniti ſumus, vt caueremus, ne exciperemur à Cæſare.* Inde in 3. *excipit incautum.* & 3. Ecl. *excipere inſidijs.* & Propertius lib. 2. eleg. 19. Excipio verbum inſidiarum.

Hæc igitur mihi ſit, lepores, audacia, molles
Excipere, & ſtricto figere auem calamo.

Inde Seneca epiſt. 48. captiunculas, & ſophiſmata philoſophorum vocat *exceptiones*, cùm ait: *Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab iſtis exceptionibus, & præſcriptionibus philoſophorum.* dici etiam poteſt ſimpliciter dictum ad Græcorum imitationem, qui ſæpiſſime ὑπολαβών, dicunt, cùm quis alteri reſpondet. Theocrit.

Εἶτα δ' ἀμοιβαίην ὑπελάμβανε Δάφνις ἀοιδάν:
Sic deinde Daphnis excepit cantum reſponſiuum.

D quo loci nullæ inſidiæ. ſic Val. 8. Arg.

——At ille
Excepit, blandoq́; prior ſic ore locutus.

ª MECVM erit iſte labor: NVNC, qua ratione, quod inſtat
Confieri poſſit, paucis, aduerte, docebo.
ᵇ Venatum Æneas, vnáque miſerrima Dido
In nemus ire parant: vbi primos craſtinus ortus

Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
[c] His ego nigrantem commista grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusq; indagine cingunt,
Desuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo.
[d] Diffugient comites, & nocte tegentur opaca.
[e] Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deuenient. adero: &, tua si mihi certa voluntas,
CONNVBIO iungam stabili, propriamq; dicabo.
[f] Hic Hymenæus erit. non aduersata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.

ARGVMENTVM.

Oratio hæc Iunonis bimembris est. pars prior clauditur primo hemistichio, quo de flectenda, aut exquirenda voluntate Iouis Dea negotium suscipit: posterior continet reliquum verborum tractum, vbi Iuno exponit quid ipsa factura, vt connubium celebretur; consilium autem ducitur ex occasione venationis, quam Dido & Æneas parauerant.

EXPLICATIO.

[a] Recipit in se laborem explorandæ voluntatis Iouis. Deinde est locus attentionis. Quasi dicat. Attende, & docebo te quî possint confici nuptiæ. hæ enim nunc instant, nam voluntatem Iouis ipsa aliàs explorabo.

[b] Sequitur narratio, in qua ab opportunitate ducit rationem consilij sui. Parant (inquit) Æneas & Dido venationem, vbi primùm illuxerit. Cur verò Dido *miserrima*? an quia misere Æneam deperibat? an quia nuptiæ istæ exitum habuerunt infelicem? vt malis. Signatè in *nemus*, non, montes, aut syluas. quia in hac venatione voluptas quæritur, quam signat nemus. Cur sol dicatur *Titan* alibi. Ait de sole, *extulerit ortus*, *orbem retexerit*, quia lux putabatur veteribus immersa Oceano, vnde eam Sol dicebatur efferre, atque ita orbem terrarum retegere tectum priùs tenebris.

[c] Exponit iam consilium excitandæ tempestatis in media venationis voluptate. Vide verò horrorem tempestatis graphicè descriptum. Vbi *nimbus*, & hic *nigrans*, cui *grando commista*. Ad hæc, *tonitrua*, quibus *cælum omne ciebitur*. Quo verò tempore excitabitur tempestas? dum *alæ* equitum *trepidant*, id est, festinant vario illo agitatorum cursu ac discursu: ac dum *cingunt saltus indagine* venatoria.

[d] Id quod necessarium in tempestate, vbi statim fuga: & quod opportunum ad rem, vt nemo scilicet videat Reginam, cùm ea se recipiat ad speluncam.

[e] Venient Dido, & Æneas ad eandem speluncam, quam scilicet fortuna offeret. *Adero*, propriè, nam Iunoni sunt vincla iugalia curæ. *&, si voluntas tua sit certa mihi*, propriè hoc quoque. Dea enim coniugij Iuno vult, vt assentiatur Dea amorum Venus, qua adiuuante, qua inspirante coniugia fiunt. Itaque: Hoc si velis ipsa, ego illos *iungam connubio stabili*, ac Didonem Æneæ *dicabo propriam*, id est, perpetuam. Hic versus satis explicatus. 1. Æn.

[f] Hymenæi tantùm in plurali sunt nuptiæ, in singulari pro nuptiis nondum vidi. Itaque, non ait, nuptiæ fient: sed supponit fore, cùm dicat ad fore Deum nuptiarum. Annuit Venus, deprehensis dolis, nolens aduersari Iunoni, tantùm risu dolos à se intellectos indicans. Risit verò, quia vidit inane esse con-

A silium Iunonis, cùm iter Æneæ in Italiam impediri non posset.

NOTÆ.

1. MECVM ERIT ISTE LABOR] Aristophanes in Lysistr.

> Εἰς ἐμὲ τράποιτο, μηδὲν ὀρκε φροντίσης:
> *Depone curam hanc, iste erit mecum labor.*

Sic reddidit Christian. Florens.

2. CONFIERI] Id est, confici. Nullus pleonasmus, vt malè Seru. vult, sed melius *confieri*, quàm *fieri*: vt enim pleniore sententia *conficio* quàm *facio*, dicimus, cùm sermo est de re magna: ita *confieri* hoc loco positum est meliùs, quàm *fieri*, de re magni momenti, (Virgilius defenditur.)
B videlicet de congressu Didonis & Æneæ, quem Iuno exoptaret vehementissimè, & Venus cuperet: quem magni Reges essent facturi Dido & Æneas; illa castissima, hic in Italiam destinatus à fatis, ex quo tamen congressu tota fatorum inuersio penderet, vt Iuno moliebatur: bene ergo ad rem tantam, tam magnam, tam difficilem *confieri* positum. Ita Simo apud Terentium Pamphili filij nuptias sperat confore, id est, confieri, vt interpretatur Donatus, cuius in eum locum hæc sunt: *Confore, id est, confieri, perfici: vnde confectum negotium dicitur, vel confecta res, quæ ad plenum perficitur. Virg.* (Confio.)

> *Nunc qua ratione, quod instat,*
> *Confieri possit.*

Idem verbum vsurpat Cæs. lib. 7. Gall. vbi sic de La-
C bieno loquitur: *Posteaquam id difficiliùs confieri animaduertit.* Prudentius Apoth. *lux confieret*. Adde (quod pulchrè Germ. monuit) Iunonem communicato consilio sibi Venerem adiungere συνεργόν, *adiutricem*, ad rem perficiendam: pulchrè ergo res non *fit*, sed *conficitur*, à duplici numine, nam Iuno promittit se adfore, si certa sit voluntas Veneris. ad eum modum Lucret. lib. 5.

> *Ne forte ex homine, & veterino semine equorum*
> *Confieri credas Centauros posse, nec esse.*

Græci συμπράττεσθαι, & συμπράκτωρ.

3. RADIIS] Ab hac radiorum iaculatione dictum Plato voluit Apollinem lucis Deum, vt Apollo sit ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, *à iaculandis radijs*. alij ἀπὸ τοῦ βάλλειν, *à iaciendo*, propter arcum & sagittas. sic (Apollinis etymon.)
D & ἑκάεργον dictum Apollinem, quòd longè operetur, id est, quòd longè spargat radios, Pindari interpres in Pyth. scribit. Pindarus ipse Od. 7. Olymp. de Sole. ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατὴρ: *Pater radiorum genitor*. Ab hoc item radiorum fulgure *auricomum* Latini dicunt, Græci χρυσοκόμην, & χρυσοχαίτην. scio ab aliis has voces aliter accipi.

4. TREPIDANT] Vsitatissimus Virgilij sermo, cui *trepidare* non est timere, sed esse festinum, acrem, (Trepido pro festino.)

alacrémque in re gerenda. Idem fere, quod Poëtis reliquis, & Nostro verbum *mico*, vt cùm folia micant in arboribus, hastæ in iactu, gladius in ictu.

Alæ in venatione.

5. ALÆ] Venatores instar alarum auis solent saltus cingere, ne abeant feræ. Facit insigniter ad hunc locum nota Ioannis Scopæ lib. 1. Collectan. cap. 23. vbi ait, reperisse in fragment. quatuor olim fuisse genera venatorum, videlicet *inuestigatores*, qui inuestigant ferarum vestigia: *indicatores*, qui latibula nouerunt: *insidiatores*, qui insidias & casses parant: *alatos*, qui equo succussanti, sensímque insultanti, terrent feras, ne aliorsum, quàm per medias tendiculas, fugam arripiant. Extrema locum istum illustrant: vt quæ dicuntur de insidiatoribus illud. 7.

Venatorum genera quatuor.

Insidijs cursuq; feras agitabat Iulus.

Verba Isidori lib. 10. in vno tantùm discrepant. Ait ille: *Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores, pressores.* Fortasse ab illis fragmentis corrigendus Isidorus.

Indago venatoria.

6. INDAGINE] Est indago series plagarum, quæ circum disponuntur in saltibus ad capiendas feras: Græci σοίχυς vocant, qua voce vsus Pollux, & Xenophon. & σοιχίζειν Xenophon, pro, *indagine cingere*. pro eodem περισοιχίζομαι, à qua metaphora Demosthen. Philipp. 1. κύκλῳ πανταχῆ μέλλοντας ὑμᾶς, καὶ καθημένους περισοιχίζεται: *cinget vos vbique indagine, desides ociosósque.* Quintilianus etiam ab hac re sumpto sermone in Declamat. *hac lege omnem malitiam veluti quadam indagine cinxerunt.* Locum ipsum, vbi tenduntur plagæ, ἀρκυοςάσιον Græci dicunt. C Aduerte lector, quod Virgilius hîc per verbum *cingo* dixit, Lucanum 6. Pharsf. dixisse verbo *claudo*. ait enim:

—saltus nemorosáque tesqua,
Et syluas, vastáque feras indagine claudit.

id est, περισοιχισμῷ περιβάλλει, explicatore Budæo, qui tamen Lucani locum sic legit, *indagine cingunt*, μνημονικῷ ἁμαρτήματι, vel deceptus Virgiliani carminis similitudine. Tibullus quoque libro 4. pari verbo:

Quis furor est? quæ mens densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?

est ea vox in Plinij Paneg. ad Traian. cum verbo *includo*. Delatores *in æternum repreßisti mille pœnarum indagine inclusos.* D In id quod dixi, omnes fere abeunt, esse (inquam) *indaginem* plagarum seriem, quibus saltus cinguntur à venatoribus ad capturam ferarum, inprimis Budæus. Seruius dixit, esse *ferarum inquisitionem*. quod & Germanus probat, tametsi præferat sententiam Budæi. Id ego probo testimonio Liuij lib. 7. *profectus agmine instructo, cùm præmis-* A *sus eques velut indagine dißipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit.* Hortensius dicit esse indagines, canes ipsos ab inuestigandis inquirendísque feris: verùm non puto.

7. INFVNDAM] Ex doctrina attribuit Iunoni nimbos, tempestatem, tonitrua. Græci Ἥραν, id est, Iunonem, *aërem* interpretantur, vbi fiunt tempestates. Cic. de Nat. Deorum: *Aër, vt Stoici disputant, interiectus inter cælum & mare, Iunonis nomine consecratus.* Ad idem pertinet, Iunonem ab Orpheo in hymno dici ἀερόμορφον, *aëream habentem faciem.* quia putabatur Iuno esse elementum aëris. Seruius hîc, *Aer est Iuno.* Rectè ergo promittit nimbum se & tempestatem immissuram, cælum etiam tonitribus concussuram, quò traho fabulam Vulcani, id est, ignis, qui B filius est Iouis ex Iunone: in aëre enim efficiuntur gignuntúrque ignes & fulmina, quæ erumpunt ex tonitru.

Iunoni aër sacratus.

8. SPELVNCAM DIDO] Hic versus videtur desumptus ab illo Homerico Odyss. 5.

ἷξον δ' ἄντρον γλαφυρὸν θεὸς ἠδὲ καὶ ἀνήρ:
Peruenerunt ad speluncam cauam Dea atque ipse vir.

9. HIC HYMENÆVS ERIT] Præcessit, vt vides, *connubio iungam stabili.* Ergo,

Hîc Hymenæus erit.

quasi hic Deus stabile faciat coniugium. Putemus itaque vatem Catullo institisse, qui in Carmine Nuptiali loquens cum Hespero, sed cum relatu ad Hymenæum, ita ait:

Qui desponsa tua firmes connubia flamma.

10. ANNVIT] Quod proprium Deorum.

Annuo Deorum.

11. RISIT CYTHEREA] Veneri risum signanter dat, qui huius Deæ proprius. Venerem *philomedeam*, id est, amantem risus, Homerus vocat Il. 20. & Auctor hymni ad Venerem. Suidas quoque, & Phornutus huius attributi meminerunt. Hesiodus ait, Venerem natam ridendo, inde est, vt dicta fuerit omnis risus, & lætitiæ amica. Horat. notanter lib. 1. Od. 2.

Venus ridens.

Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam iocus circum volat, & Cupido.

ridentem iocus comitetur necesse est. Anacreon,

Μᾶλλον δίδασκε παίζειν
Μετὰ χρυσῆς Ἀφροδίτης.
Quin doce me iocari
Vnà cum aurea Venere.

Ouidius huic risui *dulcedinem* dat in epist. Paridis:

Dulce Venus risit, nec te Pari munera tangant.

Cui tamen Horatius *perfidiam* lib. 3. Od. 27. *Perfidum ridens Venus.* Vterque bene vario affectu. Quare Venus dicta *Cytherea*, alibi.

[a] Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
[b] It portis iubare exorto delecta iuuentus:
[c] Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
[d] Massyliq; ruunt equites, & odora canum vis.
[e] Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant: ostroq; insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
[f] Tandem progreditur magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
[g] Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum:
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

ARGVMENTVM.

Describitur apparatus ad venationem, latè & pulchrè: Reginæ fastus & pompa, comitatus, vestis.

EXPLICATIO.

a Respicit ad Tithoni & Auroræ cõiugium. hæc enim illius amplexibus relictis fingebatur per Oceanum ad nos redire. Sic solet Maro sine ambitione attingere fabulas. Alij nihil putant dictum, nisi omnia exprimant, nihil supponanr.

b Cape vel Luciferum, cum Seruio, & aliis. vel cum Modicio, Solem. tam enim Lucifer, quàm Sol, dicti iubar.

c Apparatus ad venationem ex instrumentis, quæ necessaria ad capiendas feras, & vulnerandas. Retia & plagæ, ad capturam; venabula, ad vulnus.

d Apparatus alter equorum, & canum. Vtriq; suum elogium: illi Massyli, hi acres odoratu.

e Post apparatum venationis, vertit sermonem ad Reginam, quam Poeni proceres exspectabant in foribus. Illam *cunctantem* inducit ex decoro regio, ex natura fœminarum, ex affectu amantium. Aliqua ex his vidit Seruius. Ex decoro regio; nam proceres principem debent opperiri, non contra: ex natura fœminarum: nam illæ cunctabundæ in se ornandis: ex affectu amoris; nam cupiebat placere Æneæ, ideo Seruius, *morabatur studio placendi*. Si lubeat locupletare hunc locum, adi quæ diligenter congessit And. Tiraquel. lege 3. Connubial. num. 25. Sequitur *ostróque insignis*, &c. Equo, quo vehenda esset Regina, dat ex decoro & regio luxu, primò splendorem ex ornamentis, quæ aurea & purpurea; deinde notas quasdam ferocitatis, nam frenum mandebat, agebat spumas. Sed cur, ferox cùm sit, stat tamen? Vide Notam.

f Versus plenus fastus & superbiæ. Eo sensu *tandem* quo suprà *cunctantem*. Illud *magna stipante caterua* ex regio decoro, principes enim cum magno semper comitatu se dant in publicũ. Erat verò induta chlamyde coloris purpurei. hic enim color signatur cùm ait *Sidoniam*. Erat autem chlamydi limbus pictus & variegatus.

g Pergit in describendo ornatu Reginæ. Erat illi aurea pharetra, crines collecti in nodum aureum, fibula aurea subnectens vestem, ne diffflueret. Itaque omnia ex auro, pharetra, nodus, fibula.

NOTÆ.

1. OCEANVM INTEREA, &c.] Ex peritia artis venatoriæ hoc tempus assignat huic exercitationi, vt videas Maronem in nullo deesse. Homerus,

Venationis tempus.

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς
Βάν ῥ' ἴμεν ἐς θήρην ἠμὲν κύνες, ἠδὲ, &c.
Quando autem mane genita apparuit rosea Aurora,
Perrexerunt ire in venationem, & canes, atque, &c.

Oppian. 1. de venatione inter alia tempora, principe loco ait, Ἤματος ἱσταμένοιο, *die incipiente*. Et inf. Ἠὼς μὲν τέτακται πανδέξιος ἀγρευτῆρι: *Aurora quidem cùm explicatur, peropportuna est venatori.* Aurelius de venatione,

Venemur dum mane nouum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia seruant.

vbi obiter rationem vides. Quam etiam Seneca attingit in Hippol.

——— *veniet tempus*
Cùm latratu caua saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci

A *Captent aures, lustráque presso*
Quærant rostro; dum lux dubia est,
Dum signa, pedum roscida tellus
Impressa tenet.

Virgilius 1. Æn. initio diei fingit Venerem venatricis habitu Æneæ apparuisse.

2. IVBARE EXORTO] Luciferum signat, quem Græci φωσφόρον, Latini *luciferum* vocant, atque etiam iubar, quod iubar lucis fundat, auctore Seru. Varro etiam lib. 6. de ling. Lat. *Iubar dicitur stella Lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, vt leo in capite iubam.* & lib. 5. de stella Luciferi, ita ait: *eadem stella vocatur iubar, quòd iubata.* Apul. lib. 1. As. Virgilio, credo, hærens: *Et iam iubaris exortu cuncta collustrantur.* Si quispiam diceret, à Marone intelligi Solẽ, non diu pugnarem; B nam de eo quoque iubar dici video. Stat. 7. Theb. *Lædit aduersum Phœbi iubar.* & clariùs Apul. 4. *in meridiem prono iubare.* Ammianus lib. 28. *solis puro iubare.* Virgilius etiam ipse supra Solem indicauit, dicens fore hanc venationem retecto orbe radiis. sed libentiùs tamen acceperim de *Lucifero*, tum vt in gratiam Æneæ exeuntis ad venationem mentio fiat stellæ Veneris, tum quia Pacuuius, cui Virgilius institit, de Lucifero accepit, apud Varronem lib. 5. de ling. Lat. *Pastor exorto iubare, noctis decurso itinere.* Non enim pastores se in agros dant exorto tantùm sole, sed ad primos ictus diluculi. Puto, Ennium pro quacunque stella accepisse in Aiace: *Aliquod lumen, iubárve in cœlo cerno.*

Iubar, id est, Lucifer.

Iubar de Sole.

3 DELECTA IVVENTVS] Quid senes nominaC ret huic rei inutiles? sed iuuenes, & hos delectos. Xenophon lib. de venatione, venatorem probat, qui ætate viginti fere annos attingat, τὴν δὲ ἡλικίαν περὶ ἔτη εἴκοσι, additque speciem eius debere esse ἐλαφρὸν, καὶ ἰσχυρὸν, *agilem, & validam*. sed & ψυχὴν ἱκανὸν *animum patientem*. Rectè igitur & *iuuentus* & *delecta*. de Cyro altero idẽ Xenoph. lib. 1. ἀναβ. ἐπεὶ δὲ τῇ ἡλικίᾳ ἔπρεπε, καὶ φιλοθηρότατος ἦν, καὶ πρὸς τὰ θηρία μέντοι φιλοκινδυνότατος: *In adolescentiæ flore venandi maximo desiderio tenebatur, & in pugnando aduersus belluas pericula nulla defugiebat.* Pollux etiam de suo venatore. ἔστω δὲ νέος, κοῦφος, ἐλαφρὸς, δρομικὸς, ὀξὺς, φιλοκίνδυνος, φιλεργὸς, ἐθελεργὸς, φιλόπονος, ἀγωνιστὴς, θαρσαλέος, ἄγρυπνος, μὴ προαποκάμνων, μὴ προαπαγορεύων, μὴ πρὶν ἐλθεῖν ἐνδιδοὺς. D Vult videlicet venatorem esse, *iuuenem, agilem, promtum, velocem, acrem, amãtem periculorum, operosum, laboriosum, amantem laborum, certatorem, confidentem, peruigilem, indefatigatum, non tergiuersantem, non fugientem aduentum ferarum.*

Venatoris ætas.

4 RETIA RARA, &c.] De instrumentis, quæ ad feras vel capiendas vel feriendas necessaria, parergon dabo; si ea opera dici potest parergica, quæ si non huic loco tota necessaria, aliis tamen; cùm plurima ex his instrumentis quæ subdam, aliis in locis attingat Virgilius. Itaque ne tractationem diuellam, omnia in hunc locum placuit coniungere. Ergo instrumenta duplicia sunt, alia ad capturam, alia ad vulnera, neque enim absque maximo iudicio Poëta *retia & plagas* intulit pro priore genere; *venabula*, E pro posteriore. Primùm de illis dicam, quæ pertinent ad capturam; mox de iis, quæ ad vulnus: nam canes hîc omittam. incipio à retibus, & plagis Poëtæ. *Rete* Græcè ἄρκυς, (vnde ἀρκυστάσιον, & ἀρκυστάσιον locus, vbi tenduntur retia) maximum est instrumentum. huius meminit Philostrat. 1. Icon. & Xenoph. de venat. & ea laudat retia, quæ fiunt, ἐκ φασιανοῦ, ἢ Καρχηδονίου λεπτοῦ λίνου, *ex tenui lino Phasiano, aut Carthaginiensi.* Sunt, qui inter ἄρκυας, & δίκτυα ita discriminent; vt ἄρκυες sint & maiorum & minorum ferarum, præsertim ἄρκτων, *vrsorum*, à quibus & nomen accepere;

Instrumenta Venatorũ duplicia.

Rete venatorium.

δίκτυα

δίκτυα autem maiores tantùm plagæ. sed hoc discrimen non multùm curandum. quod & Rittershusius admonet in Oppian. Et Pollux quidem ait, δίκτυα esse generale nomen, ad signanda omnia, quæ plicantur. certè Suidas vnum per alterum explicat, ἄρκυς τὸ θηρευτικὸν δίκτυον: *Rete venatorius cassis*. Leonicerus Xenophontis interpres ἄρκυας vertit *Sagenas*; δίκτυα *retia*: contra Hadrian. Iunius δίκτυα *sagenas*. Plures in hoc video inclinare, vt ἄρκυας vertant *retia*: δίκτυα *casses*. Sequuntur *plagæ*: generale hoc nomen, quo significatur quicquid est insidiarum in venatione. Seruius tamen ait propriè dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam & summam partem: hoc si est verum, respondet illis, quas Græci vocant ἐπιδρομίδας, & ἐπιδρόμους. Sed Germanus *Plagæ*: ἄρκυες. Turnebus Poëtæ sententiam sic accipit, vt *retia rara* sint minora retia, vt casses & ἄρκυες: *Plagæ* autem maiora, id est, δίκτυα. sed in hac re nihil certum. Hæc de instrumentis, quæ Poëta attingit primo in genere. tendo ad alia, ac de singulis breuissimè. Homer. Il. 5. πανάγρον infert (alij πανάγραν vocant) retis genus, quasi πᾶσαν ἄγραν ἀγρεῖον, *omne genus prædæ capiens*. Meminit etiam Oppian. lib. 1. Cyneg. Idem certè, vel parum dissimile instrumentum πάνθηρα *Panthera*, qua voce vniuersa captura signatur. Xenophon ἐνόδια infert, genus retis, sic dictum, quòd in via occurrat. Idem βρόχους, id est, *laqueos*. Et περιδρόμους. sunt περίδρομοι funes, qui retibus inditi, illa vel expansa contrahunt, vel contracta expandunt. Idem lib. 3. ἐπιμ. θήρατρον venatorium rete adducit. *Tendicula* Latinis nomen est commune à tendendis insidiis feris. Videntur esse, *tendiculæ*, quæ à Xenoph. ποδοστράβαι. *De indagine* dictum suprà, quam aliqui eandem putant cum *Panthera*. de *Formidine* venatoria nihil hoc loco, cùm de ea Virgilius in Georg. vbi & nos. Artemidorus lib. 2. cap. 11, cùm nonnulla instrumenta afferat, quæ iam commemini, tum hæc præterea, στάλικες, ποδάγραι, νεφέλαι: *furcillæ, pedicæ, nubeculæ*. Sunt credo Artemidori νεφέλαι retia illa, quæ arrecta varris, id est, furcis venatoriis. Ac de his nubeculis intelligenda retia Lucani lib. 3.

Plagæ venatoriæ.

Panthera venatoria.

Tendicula.

Furcillæ, Pedicæ, Nubeculæ.

Aut dum dispositis attollat retia varris
Venator.

A Polluce multa ex dictis, tum præterea hæc numerantur, σαλίδες, σαλιδώματα, ἀρπεδόναι, ἕρκη, τόνος, ἀκρωλένια, κράσπεδα, μασοὶ, δακτύλιοι, χεῖλοι, βρόχοι, κεκρύφαλος, κορυφαῖον, χαλίδες, κύκλος, ἐμβόλια. Sed plurima ex his non tam retia sunt, quàm partes retiorum, vt intuenti Pollucem apparebit. Vide etiam, vt ille multis explicet, quid βρόχος propriè sit. Tenum genus laquei Plautus inducit. Vide eundem Pollucem lib. 10. cap. 31. Transeo ad instrumenta, quibus vulnus infligitur feris. *venabuli* Virg. hic, & in epist. Cic. meminit: *Præclara bestia venabulo transuerberatur*. huic respondet προβόλιον. Varro Sat. ὄνος πρὸς λύραν, *nempe sueis syluaticos in montibus sectaris venabulo, aut ceruos*. Quin ab hoc nomine venator, *quasi venabulator* ait Isidorus. προβολίς etiam meminit Philostratus lib. 1. Icon. Videtur Seneca in Hipp. hoc teli genus periphrasticè intellexisse:

Venabula venatoria.

Venatoris etymon.

Tu graue dextra læuaque simul
Robur lato dirige ferro:

nam latum ferrum huic dat Poëta. Homer. Odyss. 19. venanti Vlyssi ἔγχος dat, & δόρυ *hastam, lanceam*. Et lanceæ quidem etiam Ammianus meminit lib. 24. verba eius, *venatorijs lanceis*. & Plinius lib. 1. epist. *Ad retia sedebam. Erant in proximo non venabula, aut lanceæ: sed stylus, & pugillaris*. Apuleius lib. 8. *cape venabulum, ego sumo lanceam*. Σιγύνην, & Σαγήνην Oppianus adducit. 1. Cyn. hoc credo discrimine, vt *Sigyna* venato- A rium sit instrumentum; *Sagena* piscatorium, quod ex adiunctis facilè colligas. nam *syginam* vocat εὐρυκάρηνον *lato capite*, quo signatur iaculum lato quodam ferro: *sagenam* autem πολύγληνον, *multiforam*. Xenoph. lib. 1. Παιδ. venantibus Persis dat τόξα, *sagittas*. Philostratus lib. 1. Icon. venatoribus suum ἀκόντια, & λόγχας. Vocem alteram Cedrenus feris omnibus, nam generaliter λογχην κατὰ τοῦ θηρός. Iunior Philostratus Meleagro μάχαιραν. in venatione Vlyssis Odyss. 9. Homerus inducit καμπύλα τόξα, & αἰγανέας δολιχαύλους: *incuruos arcus, & aganeas longo ferro*. Sunt hæ Suidæ iacula parua ex ferro solido. Eustathio sunt hastæ leues, & longæ, dictæ παρὰ τὸ κατ' αἰγῶν ἵεσθαι, *quòd in capras mitterentur*. Oppian. lib. 1. Cyn. λαγωβόλου meminit, est hoc propriè *telum leporariũ*. & οἰστῶν *sagittarum*. Et his quidem Æneas. 1. Æn. ceruos ferit. Cedrenus venanti Basilio Imperatori βαρδούκιον attribuit, quo lupus cõfigitur. A Polluce adducuntur ξίφη, δρέπανα, ἀξίναι, *enses, falces, secures*, ad varios vsus venationis multa præterea instrumenta, quorum iam commemini. Præter multa alia instrumenta, duobus versibus hæc inducit Oppianus:

Sagena.

Æganea.

B

Φάσγανα, ξυπλῆγάς τε, λαγωοφόνον τε τρίαιναν,
Ἀγκυλίδας σκολιὰς, μολιβοσφιγέας τε κορώνας:
Gladios, securésque, & leporicidam tridentem,
Vncinos incuruos, plumbóque præfixas clauas.

Xenophon lib. 1. Παιδ. hæc infert instrumenta. ἐν κολεῷ κοπίδα, ἢ σάγαριν· ἔτι δὲ καὶ γέρρον, καὶ παλτὰ δύο. ὥστε τὸ μὲν ἀφιέναι, τῷ δ', ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι: *Copida aut sagarin inclusam in vagina. deinde scutum cum duobus paltis. quorum alterum mitterent; altero, si opus esset, cominus vterentur*. *Ames* pertica est, propriè tamen ad aucupium. eius Horat. meminit in epod. Od. 2. Et Palladius lib. 9. cap. 12. *Sibina* apud Ennium genus est iaculi venatorij. Natalis lib. 1. de Ven. multa instrumenta coniungit, tam quæ ad capturam ferarum pertinent, quàm quæ ad vulnus.

Copis.

Paltum.

C

Ames.

Sibina.

Inprimis laquei, pedicæ, longúmque panagrum
Adsint, & falx, & lato venabula ferro:
His addas amenta, leuis cum robore pennæ,
Pugnaces arcus, vallos furcásque bicornes,
Atque lagobolion, tum dextra flexile vimen,
Et quodcunque genus retis venatibus aptum.

Nihil hîc de aucupio, aut piscatione; tantùm attuli, quæ pertinerent ad venationem. de qua Virgilio est sermo. Restat, ostendam tibi hanc operam non omnino fuisse parergicam, cùm de his fere omnibus instrumentis, variis in locis Virgilius agat. Hîc vides *Retia, plagas, venabula*, ac perinde ἄρκυας, δίκτυα, προβόλια. In illis superioribus *saltúsque indagine cingunt*, sunt qui πανάγρον, & πάνθηραν capiant. In *plagis* iuxta sententiam Seruij agnoscis περιδρόμους, ἐπιδρόμους, ἐπιδρομίδας. in 1. Æn. *sagittas* habes: *pedicas* in 1. G. ibidem *damarum fixionem*, quod non ineptè referas ad *æganeas*. in eodem lib. ait Poëta,

D

Exacuunt alij vallos, furcásque bicornes.

quod etsi sciam ad aliud referri posse, tamen non insipidè ad instrumenta venatoria: &, qui hoc diceret, nihil esset, quo posset redargui.

E

5. ODORA CANVM VIS] Dictum *canum vis*, pro, canes. in voce *odora* signat miram sagacitatem, qua præditi sunt canes ad inuestigandum. Duo dixi: Primum *canum vim* dici pro canibus. est hæc Græcorum imitatio. Pindar. Od. 10. Olymp. βία Ἡρακλέος ἐκτίσατο, *Herculea vis cõstituit*. id est, Hercules. sic βία Πριάμοιο, pro Priamo. Inde Latini hauserunt. Lucret. lib. 4. *missa canum vis*. idem: *fortis equi vis*. Ennius: *festina virum vis*. Adi Turn. lib. 28. cap. 30. Alterum de canum sagacitate, quæ exprimitur voce *odora*: de qua re sparsa frequens mentio. nullum sanè est animal, quod possit

Hellenismus.

Canũ sagacitas in canibus.

Signa.

possit in hac re cum cane conferri. Andronicus:

Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

quo loci Delrius reponit *cæca*, nam si *certa*, cur dirigantur? Seneca in Hipp. canes vocat *nare sagaci*. Opp. lib. 4. Halieut. canem ἀξειον *sagacem*, sic egregiè describit.

— ἐν ὄρεσσι
Θηρὸς ἀπειχνεύει σκολιὴν βάσιν ἐξερεείνων
Ῥινὸς ὑπ' ἀγγελίῃ νημερτέϊ, καί τέ μιν ὦκα
Μάρψε·

—*in montibus*
Feræ inuestigat obliquum gressum perscrutans
Naris ex nuntio certo, & illam citò
Comprehendit.

Cicero 2. de Natur. *canum incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium.* sed præclarè admodum Seneca in Thyest.

Sic cùm feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur vmber, ac presso vias
Scrutatur ore, dum procul lento suem
Odore sentit: paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cùm propior fuit,
Ceruice tota pugnat, & gestu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.

Præclarè Philostratus libr. 1. Iconum vocat canes σκοπιώρεις, *speculatores.* quasi illi vni speculentur naribus, cùm reliqua animantia oculis. Id ipsum, sed clariùs, dixit Philo in lib. de Abraham. ὅπερ γὰρ ὄψις ἑτέροις, τοῦτο μυκτῆρες κυσὶ κυνηγετικοῖς, *venatoribus canibus sunt nares, quod oculi alijs animantibus.* Præclarè etiam Sidonius paneg. Auit. ait canes discere, vbi sint feræ, *interprete nare.* quasi in illis sit nasus, quod in hominibus lingua. Hæc eò pertinent, vt intelligas nasum in canibus omnium pene sensuum munera exercere. Clemens in Protrep. de illis. ὀσμαῖς ῥινηλατοῦντες ἐξιχνεύειν, quasi illis nasus sit vice pedum. Adeo autem hic sensus in cane necessarius, vt viri venatoriæ rei scientissimi putent ab hac exercitatione vacandum Zephyris flantibus, scribente Arist. in Problem. sectione. 26. quæst. 24. eo vento perflante canes minùs comperire ferarum vestigia propter fragrantiam odorum, quam ille excitat, vnde fit, vt odores ipsi confundantur. Theophrast. etiam τῶν ἦρος αἱ τῶν ἀνθῶν ὀσμαὶ παρενοχλοῦσι: *odores ex vernis floribus interturbant.* Hoc Oppianus, aliique scripserunt, quod tamen negat Dio Chrysostomus orat. 20. ait enim canem bene institutum non impediri ab inuestigandis feris, etiam si πολλαὶ ὀσμαὶ ἀπό τε τῶν καρπῶν, καὶ ἀνθῶν ἐμπλέκονται, *multi odores ex fructibus, & floribus misceantur.* Lege reliqua Dionis, quæ vnica ad naturam canum cognoscendam. Ad extremum moneo cum Iul. Scal. Poëtam egregiè finiisse hunc versum dictione monosyllaba, qua versum mobilem sustentaret. Porro canes destituti hoc sensu ἄρινες & ἄρινοι dicuntur à Xenophonte lib. de Venat. Exciderat, describi à Poëta canes inuestigatores, vel ex verbis Sen. ep. 76. *In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras: cursus, si consequi: audacia, si mordere, & inuadere.*

6. STAT SONIPES, &c.] Ad Virgilij imitationem Sedulius:

—*equi, phaleris qui pictus, & ostro*
Ore cruentatum mandenti concutit aurum.

Meliùs magistro suo Sedulius institit, quàm Silius, qui ita lib. 5. de equo Flaminij Cos.

Stat sonipes, vexatque ferox humentia fræna,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Illud *stat* dictum, nam tametsi spumas ageret, & frenum manderet, tamè in eodem vestigio stabat, quod vidit optimè Iul. Scal. contra vulgares interpretes, comparans Poëtæ loca, qui postea equum Ascanij

Canes speculatores.

Canibus nares pro sensibus reliquis.

Zephyro flãte non venãdum.

Equus stãs.

A *acrem* vocat, id est, promptum, & alacrem, & qualis esse debet equus bellicosi iuuenis: non ferocem ex farragine & hordeo, vt equus Elyssæ, qui spumas agens, tamen stat. Itaque Seruius, qui explicat, *stat, adest*, propter illud, *stare loco nescit*, Virgilij mentem non videtur tenuisse: nam re vera Poëta describit equum Reginæ non acrem ad bellum, nam hic nescit stare; sed tantùm ferocem ex farragine: quas notas in multis equis videas, qui cùm apti ad bellum non sint, & parum acres, tamen & mandunt, & spumant, & sonant pedibus, & feroces sunt præ crassitie. Græci κριθιᾶν dicunt, cùm iumenta è nimio pastu lasciuiunt, vt est apud Pollucem lib. 7. c. 5. vt autem *frena spumantia*, sic Nicander, ἀφρίζει χαλινοῖς, *spumat frenis.* Et Calab. lib. 4. χαλινὰ γενειάσιν ἀφρίζοντες δάπτον: *spumãtes mandebant frena.* Callimachus, χαλινοφάγων ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων, dicit: *spumam ab ore eiectari in morsu freni.*

B 7. STIPANTE] Signarè, nam cum respectu ad stipatores regios. Horat. lib. 1. Sat. 3.

Rex ibis, neque te quisquam stipator ineptum
Præter Crispinum sectabitur.

8. SIDONIAM] Vel quòd aduecta ex vrbe Sidone: vel (quod magis crediderim) quòd purpurea, nam apud Sidonas pimus fuit vsus purpuræ. & Athen. πορφυροῦς χλαμὺς dixit. Et Val. Flac. lib. 6. Arg. *chlamys ignea.* iterum:

Barbarica chlamys ardet acu.

quis hic ignis, & ardor, nisi à purpura? demum Poëta inf. *vestem purpuream* nominat: quæ hæc nisi chlamys? Germanus non ad colorem, sed ad artem refert,

C vt illud Lucani de Cleopatra in lib. 10.

Candida Sidonio pellucent pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine Serum
Soluit.

Sed cur non in Lucano *Sidonio filo* explicari potest purpureo? quæsita præsertim egregia oppositione, in candido pectore, & filo purpureo. Quid quòd Philostratus lib. 1. Icon. postquam adolescenti venatori assignauit chlamydem, subiicit, τὸ μὲν χρῶμα ἐκ φοινικῆς ἁλουργίας, ἣν ἐπαινοῦσι φοίνικες: *color quidem ex Phœnicea purpura, quam laudant Phœnices.* vbi ad artem nemo confugiat. In Philostrato etiam Iuniore leges χλαμύδα κροκοβαφῆ. locum statim adducam, cùm dicam de chlamyde.

9. CHLAMYDEM] Dat chlamydem fœminæ, &

D Reginæ: sic Agrippinæ Claudij Tacitus lib. 12. Ann. deinde amanti. Notat Pollux lib. 10. c. 27. Sappho in re amoris vsurpasse chlamydem. πρώτη δὲ φασὶ χλαμύδα ὠνόμασε Σαπφώ, ἐπὶ τοῦ ἔρωτος εἰποῦσα. Tertio, venatrici ex summa peritia, quod præclarè animaduertit Pet. Victor. lib. 2. Var. c. 21. ex Polluce, & Varr. ait prior, chlamydem vsui esse venatori sinistra manu implicatam, si aut feræ in eum insiliant, aut ipse pugnam cum illis capessat. Nec locum Pollucis, nec verba affert Victorius. Credo illum respicere ad verba hæc, quæ exstant lib. 4. ἐφαπτὶς, συστρεμμάτιόν τι φοινικοῦν, ἢ πορφυροῦν, ὃ περὶ τὴν χεῖρα εἶχον οἱ πολεμοῦντες, ἢ οἱ θηρῶντες: *Ephaptis velamē quoddam Phœniceum, aut purpureum, quod manibus circumuoluebant milites, aut venatores.*

E Clariùs idem Pollux lib. 5. χλαμὺς, ἣν δεῖ τῇ λαιᾷ χειρὶ περιελίττειν, ὁπότε μετέλθοι τὰ θηρία, ἢ προσμάχοιτο τοῖς θηρίοις: *Chlamys, quam sinistræ manui circumuoluat, si feras insequatur, aut cum ipsis pugnet.* Loquitur videlicet de instrumentis venatoris. Non dubium, quin duo hæc loca, extremum præsertim, Victorius respiciat. posterior lib. 4. Ling. Lat. ex Pacuuio in Hermiona: *Chlamyde contorta clypeat brachium.* Reperi ego Philostratum, qui 1. Icon. dat chlamydem adolescenti venatori. στολὴ τοῦ μειρακίου, χλαμὺς ἔχουσά τι ἀνέμου, καὶ κόλπου: *Indumentum adolescentulo est chlamys, venti aliquid ac sinus habens.*

Seruij error.

Chlamys purpurea.

Chlamys venatoria.

habens. Iunior etiam Philostratus in suis Iconibus loquens de Meleagro venatore. χλαμύδα τε κροκοβαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας, τὸ θηρίον ὑφίσταται: *chlamyde croco tincta ceruici inuoluta indutus belluam exspectat.* Sed quæ ratio? nemo suppeditat. Possis expiscari ex Aristide oratione in Mineruam. Vbi ait, etiam, si venatio pertineat ad Phœbum & Dianam, vt res ludicra: tamen præcipuè referendam esse ad Mineruam, quia venatio τῆς πολεμικῆς μόριον τέχνης, *pars est militaris doctrinæ.* Atqui chlamys tota est militaris. Possit etiam ratio alia duci. Nam venatores cùm se dent in viam, viatorum vtuntur veste. talis est chlamys. Apud Plautum enim in Mercat. adolescens Charinus profecturus vult sumere chlamydem, restiturus deponere. Et in Pœnulo, quidam villicus, qui se peregrinum & Spartanum assimulat, dicitur *chlamydatus.* Et in Pseudolo, leges:

Venatio militaris.

Chlamys indumentum ad viam.

Quis hic homo chlamydatus est, aut vnde est, aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis.

Limbus vestium.

10. LIMBO] Dixi pictum auro, nam Ouidius,

——quam limbus obibat
Aureus.

& purpura, nam hoc ex vsu aliarum vestium, vt prætextæ, cuius limbus non ex auro solùm, sed etiam ex purpura. Iuuat Pollux, qui lib. 4. χλαμὺς διάχρυσος, χρυσόπαστος, φοινικῆ: *Chlamys deaurata, auro intexta, purpurea.* Dicti à limbo *limbolarij,* qui vestium extremitates conficiunt.

Limbolarij.

11. CVI PHARETRA EX AVRO] Multi legunt *ex humero,* aut *humeris,* non aptè: docti plerique *auro:* in his Germ. Henr. Steph. Seruius recèns editus, & omnium acerrimè lectionem hanc tuetur Pierius: hos sequor libentissimè. Etenim Regina, pulcherrima esse studuit, vt Æneæ placeret, hic autem cultus mirificè congruit muliebri lasciuiæ. Vide nitorem: *aurea est pharetra, aurea est fibula, crines in aurum nodantur.* lectionē hanc firmant plura Virgilij loca huic quàm simillima. In 8.

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla

A

Auro innectuntur.

in 11.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida, tum croceam Chlamydémque sinúsque crepantes.
Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro.

in 7.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum.

vbi easdem voces *aurea, auro, aurum* subinde, vt in hoc loco repetit. Ouid. quoque:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ.

Profert etiam Pier. multorum codicum auctoritatem, in quibus scriptum, *cui pharetra ex auro.* Donati etiam: in cuius lectionis gratiam adiungo, quod obseruat Iul. Scal. solis tantùm Dianæ & Apollini licere pharetras gestare in humero, reliquis ad latus: cuius obseruantiæ decor periit, si in Didonis cultu proferas, *cui pharetra ex humero.* Hæc sic multis propter multorum codicum pertinaciam.

B

Comæ adpositititiæ.

12. CRINES NODANTVR IN AVRVM] Turnebus per *aurum* intelligit comas flauas adpositititias, quales sibi sæpe adiiciunt fœminæ mentito decore. sed cur non capi queant comæ natura flauæ? neque verò mihi displicent, quæ de reticulo, & crobylo Seruius scribit. Vt autem hîc Poëta *nodantur*, Homerus Il. 14. πλοκάμους ἔπλεξε φαεινούς: *capillos nexuit nitidos.* Nazianzenus orat. 11. dixit, βοστρύχων ἕλικες, καὶ σοφίσματα, *nodi crinium, & impostura.*

C

13. SVBNECTIT FIBVLA VESTEM] Ex more venantium fœminarum, quibus vestis substricta, ne impediantur. de fibula, déque hac veterum elegantia alibi. Nunc tantùm audi Philostratum Iuniorem, qui in Iconibus dat fibulam Atalantæ venatrici. τῆς ἐσθῆτος εἰς περόνας συνεχομένης: *veste ad fibulas contracta.* & dat rationem, διὰ τὸ ἔνεργον εἶναι, *vt sit prompta ad agendum.* Ait Pollux lib 7. c. 13. Vestes connecti solitas fibulis signatè circa humeros. περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διήρετο. Fibulam Nonnus intellexit li. 1. νεβρίδα σφίγξατέ μοι στέρνοισι: *ceruinam mihi astringite pectori.*

Fibula venantium fœminarum.

[a] Nec non & Phrygij comites, & lætus Iulus
Incedunt: ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque agmina iungit.
[b] QVALIS VBI hybernam Lyciam, Xanthíque fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo,
Instaurátque choros: mistíque altaria circum
Cretésque Dryopésque fremunt, pictíque Agathyrsi.
Ipse iugis Cynthi graditur, mollíque fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.

ARGVMENTVM.

Post Didonem inducuntur Troiani euntes ad venationem, Iülus etiam, & Æneas: comparatur hic cum Apolline egregiè satis.

EXPLICATIO.

[a] VT de Didone, *magna stipantè caterua,* ex decoro regio, ita pari vicissitudine Æneam sui comites prosequuntur, intérque eos Iülus, & ille *lætus,*

D

vt captus est puerorum, ideo de illa postea, *gaudet equo.* Erat verò Æneas omnium pulcherrimus. credibile est enim Venerem in eam curam incubuisse, vt Æneas specie esset pulcherrima, vt Dido caperetur.

[b] Comparat pulchritudinem Æneæ cum ea, quæ inest Apollini, cùm is Lyciam & Xanthum deserens ad matrem in Delum proficiscitur: quem choros ducentem Cretes sequuntur, Dryopes, Agathyrsi, misti omnes & conglobati ad altaria. Ipse interim Deus per iuga Cynthi graditur, vinciens fronde & auro fluentes comas, vnà cum telis ad humeros sonantibus.

bus. Post hanc comparationem Poëta, *haud illo segnior ibat Æneas*, id est, non illo minùs pulcher. perinde ac si dicat: æquè atque ille pulcher. Sic Seruius explicat, & laudat Scaliger. Ego tamen puto explicari alacritatem quandam & promptitudinem in incessu parem Apollineæ, quæ ipsa etiam ad pulchritudinem pertinet. Demum absoluit hoc epiphonemate: *tantum egregio decus enitet ore.* Præclarè, quia pulchritudo Æneæ tota cum decore, & maiestate.

NOTÆ.

1. IPSE ANTE ALIOS PVLCHERRIMVS OMNES] Ideo *pulcherrimus* vt caperetur Regina, & cum respectu proculdubio ad opinionem veterum, qui dicebant, debere Reges forma præstare, ac esse spectabiles dignitate oris, elegantia corporis. Locum istum Virgilij, & quæ dixi de regum pulchritudine ac forma illustrat Martinus Roa lib. 3. Singul. cap. 3. & 4. Possem multos adiicere, sed paucos addere, quos ille non attigit, non erit ingratum. Themisthius Euphrada in oratione de clementia Theodosij. καὶ οὕτως ἐστὶν ἀτεχνῶς ὁ μέγας βασιλεὺς, καὶ οὔτε χωλὸν, οὔτε κολοβὸν αὐτοῦ τὸ κάλλος, ἀλλ' ἄρτιον καὶ ὁλόκληρον: *Is certè magnus est Rex, cuius est forma, & species integra, omníque ex parte perfecta & absoluta.* Adduxi versionem Donzellini. Dionysius Halicarnass. lib. 2. Numam Regem laudat à formæ dignitate, & præstantia. Sicuti Cedrenus Tiberium Iustiniani successorem, quem ab oculorum pulchritudine vocat εὐόμματον, dat illi comam ξανθὴν, colorem λευκὸν, demum totum hominem vocat ἀνθηρὸν, quia floridus pulchritudine. Dio Chrysost. orat. 29. ἐγὼ οὖν πρῶτον εὐδαιμονίζω τοῦ κάλλους αὐτὸν, ὃ δὴ τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶν ἀγαθῶν ἀειδηλέστατον, καὶ ἥδιστον μὲν θεοῖς, ἥδιστον δὲ ἀνθρώποις: *Ego primùm illum* (laudat defunctum Melancomam) *beatum prædico ob pulchritudinem, quæ humanorum bonorum illustrißima & iucundißima est, tam Dijs quàm hominibus.* Iustinus lib. 13. ex pulchritudine & proceritate corporis ducit argumentum ad probandum omnes Alexandri amicos vulgo Reges existimari. Rationem, si quæras cur pulcritudo posita in laude regum, exhibet idem Dio in eadem oratione. Nam cùm in Rege fortitudo requiratur, & pulchritudo animos molliat, magnum est vnà cum fortitudine inueniri pulcritudinem. Nam pulcherrimos multos cùm videris, paucos fortes inuenies. Quod probat testimonio Ganymedis & Adonidis; atque etiam Achillis & Thesei: quorum duo illi, pulcherrimi, & non fortes; duo isti, fortes; quos tamen pulchritudo ad lasciuiam rapuit. Ideo Philostratus in Heroicis vtrunque coniungit, cùm ait cognitum Palamedem ab agricola propter speciem, εἶδος ille nominat, quæ species, καὶ καλὸν, καὶ ἀνδρεῖον, *& pulchra, & fortis.*

Reges debēt prestare forma.

2. QVALIS] Bene Poëta Æneam suum, quem tam pulchrum depingit, cum Apolline comparat, qui pulcherrimus esse existimabatur. inde Anacreon Bathyllum suum cùm depingi vult, pictorem hortatur, vt simillimum faciat Apollini, ita vt ex Apolline fieri Bathyllus possit, ac rursus ex Bathyllo redire Apollo. Et nescias quo studio veteres incubuerint in exornanda Apollinis pulchritudine. Apuleius lib. 1. Flor. illum facit *coma intonsum, genis gratum, glabellum corpore: crines eius præmulsis antiis, ac promulsis caproneis anteuentulos, & propendulos: corpus totum gratißimum, membra nitida.* dat illi *vestem textu tenuem, tactu mollem purpura radiantem.* demum *lyram auro fulgurantem, ebore candicantem, gemmis variegatam.* totus hic habitus ad lasciuiam: in quo aduertes Virgilij grauitatem, qui cùm pulcherrimum depinxerit, nihil tamen molle

Apollo pulcerrimus.

A intulit. inde est, vt noluerim, vocem illam *fluentem*, referre ad vnguentum. Vt autem veniam ad imitationem, scias Poëtam institisse Apollonio, cuius versus, quòd ab omnibus inculcentur, prætermitto: eos enim adducunt Germ. Nasc. Iul. Scal. Turn. Vrsinus. Diuersum ab interpretibus iter tenebo, & Virgilium primùm cum Homero conferam, deinde secum, vt vtrinque tu esse Poëta discas, Latini vatis æmulatione. Ego existimo Poëtam sæpe in æmulandis Græcis ita se gessisse, vt omnino omnia commutauerit, atque ita, vt nisi nimiùm sis perspicax, assequi nequeas. Hanc rem claram facient versus hi ex Il. 8.

Imitationis nouū genus.

Ὣς εἰπὼν, ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω,
Ὠκυπέτα, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε,
Χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ· εἷλε δ' ἱμάσθλην
B Χρυσείην, εὔτυκτον, ἑοῦ δ' ἐπεβήσετο δίφρου.
Μάστιξεν δ' ἐλάαν· τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην
Μεσσηγὺς γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος:
Sic fatus, currui adaptauit æripedes equos,
Celeres, aureis iubis comantes:
Aurum autem ipse induit circa corpus, accepit autem scuticam,
Auream, artificiosè factam. suum verò ascendit currum:
Verberauit autem, vt impelleret; hi autem non inuiti volarunt
Per medium terraq;, & cæli stellati.

Roges: hósne versus respexit Poëta? mihi pene certum, vide vt conferam. Græcus in re bellica apparatum bellicum dat Ioui, equos, currum, scuticam, aurum circa corpus: C Latinus in comparatione, quæ ad pacem spectat, ornat suum Apollinem fronde, auro, choris ministrorum; & quia illum comparat cum Ænea proficiscente ad venationem, non desunt tela in humeris, non in hostes, sed in feras: Tendit Græcus Iuppiter in Idam, vbi nutritus est, &, iuxta quosdam, natus: Latinus Phœbus in Delum, vbi natus, & nutritus. Ille cælum deserit, nescias quare, cùm inde potuisset spectare. Hic Lyciam, hibernam scilicet; tendítque in Delum, quia hæc materna; vtraque efficax ratio: in quo proculdubio victoria est Latini, cùm Græci nulla sit ratio, vt dixi, propter quam Iuppiter cælum deserat, cùm inde quoque acies spectare potuisset. Redeo ad viam. Ille volat, vt in curru, & qui per aërem: hic graditur, vt qui pedes it, & per terram. D Ille per mediū cęli & terræ, id est, per aërem; congruè, nam per loca ditionis suæ: hic etiam per loca sibi sacra, per Cynthi montis iuga. In Ioue interpretes αὐτοδιακονίαν agnoscunt: eandem in Phœbo vides. nam ipse premit crinem, ipse auro implicat. Hæc dicta, vt scias rem alienam, & quæ tui non est instituti, interdum imitari, quod fecit cum laude Virgilius. Mihi sæpissime contigit hærere vestigiis alicuius poëtæ veteris, atque ita hærere, vt nemo queat assequi. Hoc primum præceptum artis Poëticæ: alterum est, vt te ipse interdum imiteris, & experiaris conatus tuos, quod etiam fecit diuinus Poëta, non alia, credo, mente, quàm vt se Poëticæ artis magistrum maximum præberet. In 1. Æn. Didonem comparans cum Diana, sic E describit hanc Deam:

Virgilius ipse æmulatur.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humeris, gradiénsque Deas supereminet omnes.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Vide ergo vti Poëta in hoc 4. libro æmulatur, quæ ipse in primo scripsit. Inprimis hîc Apollo pulcherrimus describitur, ibi Diana soror pulcherrima: vagatur Apollo per fluenta Xanthi fluminis, Diana per alterius fluminis Eurotæ ripas: vagatur hic iugis Cynthi,

thi, illa similiter per iuga Cynthi: hic graditur, & illa graditur: hic choros instaurat, illa choros exercet: hũc Cretes, Dryopes, Agathyrsi, illam sequuntur mille Oreades, atque adeo millenarium hunc numerum supplet multitudo sacrificulorum: circa hũc miscentur, circa illam glomerantur: huic tela sonant humeris, illa humeris fert pharetram: hic inuisit maternam Delum, illa gaudio pertentat pectus Latonæ: denique hic comparatur cum Ænea, qui est ante alios pulcherrimus; illa cum Didone, quæ est forma pulcherrima: res ipsa loquitur, & nemo credo negabit sibi Poëtam magistrum, & discipulum. Nouit, quantùm existimo, Poëtæ mentem Claudianus, qui vtrumque numen sub Latonæ cura describit in Consulatu Probini. sed adhuc magni Poëtæ consilium animaduerte. In 1. Didonem comparat cum Diana, nulla tum comparatione exornato Ænea: hîc vicissim res geritur, comparatur Æneas cum Apolline, de Didone siletur: quia videlicet ibi inducit Æneam spectatorem Reginæ, & magna illius pulcritudine perfruentem; hîc contra Dido Ænea fruitur, spectátque auidissimè: ergo ibi illa pulcherrima, hîc ille pulcherrimus describatur necesse est. Ad extremum non ingratum tibi erit audire, vti ad Diuini vatis imitationem assurrexerit Bernardinus Parthenius, nam hæc res negotio meo conducit, qui hos commentarios eò præcipuè destino, vt doceam qua ratione imitandus sit Virgilius, quod profectò necunde melius potest cognosci, quàm ex his qui illum imitantur. Ait itaque ille:

At leuis adsis, at placidus veni,
Vt cùm in sororem te memorant sacro
Cœtu renidentem ambrosiis comis
Delon visere candidam.
Pæana lætum cùm tibi tinnula
Adstant canentes virginei chori
Voce assonantes, quam referunt cauæ
Rupes montibus auiis.

3. HYBERNAM LYCIAM, XANTHIQVE FLVENTA DESERIT] Ex Asia, vbi est Lycia, & Xanthus fluuius, in Delum insulam tendit. Opinio erat, Apollinem peregrinari, & sedem commutare, ac Delum migrare, illincque demigrare aliò, vt in Lyciam: proinde ἀποδημία & ἐπιδημία Apollinis dicebatur, id est, migratio ex vrbibus, & ad easdem aduentatio, ad quam rem Turneb. lib. 24. Adu. cap. 26. & Procopij testimonium affert, qui meminit celebritatis Delphorum actitatæ εἰς ἐπιδημίαν παρόντος Ἀπόλλωνος, *in aduentum præsentis Apollinis.* Et Æschyli, qui eiusdem ex Delo profectionem scribit. Cui adiungo verba Artemidori signatissima lib. 2. cap. 35. Ἀπόλλων ὁ Δελφικὸς ἀποδημίας καὶ κινήσεις εἴωθε σημαίνειν: *Apollo Delphicus peregrinationes & motiones significare consueuit.* Scribit etiam Apollonius lib. 1. & 2. Arg. Lyciam incoli ab Apolline certis anni temporibus. & Propertius lib. 4. eleg. 6.

[Margin: Apollinis peregrinatio.]

Cùm Phœbus linquens stantem se vindice Delon.

Porro Apollinem solitum sex mensibus hyemalibus responsa dare apud Pataram Lyciæ vrbem, & sex aliis apud Delum, & inde hîc scribi Lyciam deserere, & in Delum ire, Seruius scripsit. Apollinis certè Lycij, & Patarei crebra mentio. Homerus, Iliad. 4. εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι Λυκηγενέϊ: *voue Apollini Lycigenæ.* Stat. 1. Theb.

Phœbe pater, seu te Lyciæ Patarea niuosis
Exercent dumeta.

Horat. 3. Car. Od. 4.

——Qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalémque syluam
Delius, & Patareus Apollo.

A Non alia, credo, mente Horatius coniunxit *Delium*, &, *Patareum*, quàm ex peregrinatione illa ex Delo in Lyciam, & contrà suscepta. Certè ἀποδημίαι, & ἐπιδημίαι sollemnes fuerunt Diis aliis, quasi hac vna re Numen suum sancirent apud nationes omnes. Inde dicta Diana Pergæa, quòd à Perge Pamphyliæ oppido in alias partes sibi sacras peregrinationes susciperet. Quod potiùs placet, quàm referre ad errantem Lunam. Profectionem Neptuni ab Ægis ad Achiuos Homerus narrat, & ex illo commeminit Philostratus lib. 1. Icon. Deorum exemplo celebratissima sunt regum Persarum suscepta itinera à Babylone ad Susa, ad Bactra, de quibus Dio Chrys. orat. 6. Sed de Regibus Persarum diligentissimè iam Brissonius in libro aureo. Has Deorum ἀποδημίας & ἐπιδημίας Arnobius

[Margin: Deorũ peregrinationes.]

[Margin: Regũ Persarum itinera.]

B reprehendit lib. 6. aperiens gentium vulnera. Verba eius: *Hoc est enim proprium Deorum, complere omnia vi sua, non partiliter vspiam, sed vbique esse totos; non adesse, non abesse; non cœnatum ad Æthiopas pergere, & post dies bissenos priuatum ad domicilium redire.* Ex dictis illustrabis locum Horatij Od. 17. lib. 1. de Fauno mutante amœnum Lucretilem, cum Lycæo monte.

4. DELON MATERNAM] Nam Delos sacra erat Latonæ matri. Scribunt interpretes Pind. in Pyth. adultam Dianam occupasse Dicten in Creta, Apollinem verò, Lyciam: Delum autem, in qua nati erant, matri Latonæ concessisse. Seneca in Agam.

[Margin: Delos sacra Latonæ.]

——Tu maternam
Sistere Delon Lucina iubes.

Vulgo existimatur Delos dici *materna*, quòd ibi natus sit Apollo, à matre Latona: sed, quod adduxi,

C potius.

5. INSTAVRATQVE CHOROS] Renouat. sed in re sacra verbum sacrorum vsurpauit. Dictum autem hoc ex veterum opinione, apud quos Apollo saltator, & choros ductans inducebatur. Firmat hoc Athen. lib. 1. Pindari, & Homeri testimonio. ait Pind. ὀρχηστὰ ἀγλαΐας ἀνάσσων εὐρυφάρετρ' Ἄπολλον: *Saltator Rex splendoris, pharetratéque Apollo.* Homerus, vel alius, in hymno ad Apollinem cum eo loquens ait, ὕψι βιβάς: *altè saltans.* Huc pertinent verba hæc Pausan. lib. 3. *Spartanis, in foro Pythaënsis Apollinis, Dianæ, & Latonæ signa sunt. Chorus autem tota ea fori pars dicitur, ob eam causam, quòd gymnicis puerorum Ludis, (Gymnopædias ipsi vocãt,) qui maximè sollemnes sunt, puberes choros Apollini agitant.* His adiunge, quæ multæ lectionis Rhodi-

[Margin: Apollo saltator.]

D ginus affert lib. 5. Lect. Ant. cap. 3. Quæ non in eo solùm, sed iam in aliis reperiuntur. Et quidem generatim in re omni sacra induci solitos choros, notissimum est. Philo lib. 3. de vita Mosis, cùm Iudæi adorarunt iuuencum aureum, ita scribit: χορὺς ἀχορεύτους ἵσταν: *choreas inconditas statuerunt.* Quin in honorem veri Numinis, nam Exod. 15. post submersos hostes factæ sunt choreæ. De qua re loquens Philo, Mosen & sororem eius vocat ἡγεμόνας χορῶν: *duces chorearum.*

[Margin: Chori in re sacra.]

6. ALTARIA CIRCVM] Ita sæpe veterum sacra, non solùm ante altaria, sed circum illa. Philo in lib. de Temulentia, loquens de iuuenco aureo, quem Ægyptij colebant, περὶ ὃν χορὺς ἱστάντες οἱ φρενοβλαβεῖς ᾖδον:

E *circa quem insani choreas ducentes, carmen concinunt.* Idem scriptor lib. 1. de vita Mosis eundem morem in re alia, nam post inuentam aquam dulcis putei à pio populo, ita ait: τότε εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς ἆσμα καινὸν οἱ θεοφιλεῖς χορὺς, περὶ τὸ φρέαρ ἐν κύκλῳ στάντες ᾖδον εἰς τὸν κληρῦχον θεὸν, καὶ τῆς ἀληθοῦς ἡγεμόνα ἀποικίας: *Cum lætitia & gaudio ducentes choreas circa puteum canebant nouum carmen deo datori, & vero coloniæ illius deductori.*

7. CRETES] Coluerunt hi Apollinem religiosissimè, quod ex Hermippo docet Arati interpres, & dona ad

[Margin: Cretes coluerũt Apollinem.]

ad eum mittebant Delphos, nam & Tibull. scribit lib.4.

—etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit.

Porro de sententia Tibulliani huius versus crediderim potiùs standum Beroaldi quàm Turnebi explicationi in Annot. vt *homo Cres* Dædalus sit, non omnes Cretenses, sic locutus est Ausonius:

Præpetibus pennis super aëra vectus homo Cres.

Mouet me, nam statim Tibull. inducit Icarum,

— Phœbo gratissima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, vt puro testantur sidera cælo.

Dona Deorum.

Vt videatur Poëta, patrem & filium velle coniungere. De donis, quibus exteræ gentes Deos alibi degentes ornarent, locus est apud Heliodorum lib.1. Hist. Æthiop. vbi loquitur de naui, quam plenam donis Athenienses mittebant in Quinquatribus. & in Plutarcho de oraculis Pythiæ, vbi adducit θέρη χρυσᾶ, *messes aureas*, missas dono ab Myrinæis, & Apolloniatis. Notum est etiam votum illud Camilli, de mittendis donis ad Apollinem, cui voto implendo, cùm non satis esset auri Romæ, mulieres Romanæ ornamenta sua contulerunt. Plato etiam in Protagora loquens de septem sapientibus, obiter tangit, ἀπαρχὴν ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς: *primitias solitas offerri Apollini Delphico in eius templo.* Vide etiam quæ fusè idem Plato in Phædone per initia, de naui, quam Athenienses mittebant ad Apollinem Delium. Volui loca hæc indicare mihi obseruata, nam, vel ex explicatione Turnebi, animus Poëtæ est, has gentes coniungere, quæ choros Apollini sacros celebrabant, cùm venirent ad soluenda vota, & dona Deo.

Dryopes in Parnasso.

8. DRYOPES] Hos Parnassum incoluisse in Pausania reperi lib.5. per initia. Itaque inde credibile est illos occupatos Phœbi religione. Turnebus scribit idem se reperisse in Græcorum Grammaticis. Vide illum lib.24. cap.26.

Fremo in lætitia.

9. FREMVNT] Verbum *fremo* præterquam, quòd in sacris vsurpari vidi, continet etiam in se lætitiæ affectum, ad quam refero hunc locum Virg. 8. Æn.

Lætitia, plausúque via, ludísque fremebant.

in 9.

Lætitiáque fremunt.

Statius 1. Syl.

Hos inter fremitus, nouósque luxus.

Et infrà:

Illic agmina confremunt Syrorum.

Vtrumque in conuiuio.

10. PICTIQVE AGATHYRSI] De hac Agathyrsorum elegantia omitto locum Marcellini lib. 13. & Melæ lib. 2. quia iam alij occuparunt. & subiicio Solinum in Pol. cap. 25. *Gelonis Agathyrsi collimitantur cæruleo picti colore, fucatis in cærulum crinibus: neque hoc sine differentia, nam quanto quis alteri præstat, tanto propensiore nota tingitur, vt sit indicium humilitatis minùs pingi.* in quo fortè legendum *potiore nota*, vel quid simile. sed hac elegantia non hi solùm sed barbari alij delectati; quippe cutem notis quibusdam interpungebant. Oppianus in Cyn. Britannos vocat αἰολονώτους, *pictos humeris.* Tertull. de velandis virginibus *stigmata Britonum.* Paria de fœminis Britannorum glasto oblitis non vno in loco scribit Plinius. Cæsar. 5. Gallic. *omnes verò se Britanni glasto inficiunt.* Hoc etiam de Mossynis scribit Plinius lib. 6. cap. 4. Plutarchus de discrimine adulatoris & amici inter reliquas Ptolemæi Ægyptiorum regis mollities, dat illi καὶ κρίνων καὶ τυμπάνων ἐγχαράξεις, *liliorum ac tympanorum impressas in corpus notas.* Cui accinunt ista Athenæi lib. 5. loquentis de pompa Ptolemæi: μεθ' οὓς σάτυροι τεσσαράκοντα ἐστεφανωμένοι κισσίνοις χρυσοῖς στεφάνοις· τὰ δὲ σώματα οἱ μὲν ἐκέχριντο ὀστρείῳ, τινὲς δὲ μίλτῳ, καὶ χρώμασιν ἑτέροις: *Post hoc Satyri quadraginta sequebantur, aureis coronis insignes, efformatis in modum hederæ, quorum alijs erant corpora conchylio, alijs minio picta, varijs demum coloribus.*

Agathyrsi picti corpore.

Barbari corpus pingũt.

In nouo orbe Indos scimus hac re plurimùm delectari: quin solent illi perforato corpore varij coloris plumas inserere ad venustatem & elegantiam. Lege Notas Fuluij Vrsini ad Iulium Cæsarem, vbi Plinij, Melæ, & Iulij ipsius loca corrigit, reponens pro glasto vitrum, quæ herba est ad infectionem, Græci ὕαλον vocant. Adi etiam de re eadem Philandrum in Vitruuium. Signatè Cedrenus notans morem hunc esse barbarorum, ait, μετώποις ἐπιγραφῆναι βαρβαρικῶς. Hinc est, vt credam, morem hunc ortum à Troianis, quorũ nota apud Auctores barbaries est, vti & Phrygum omnium. Iuuat Herodoti locus lib.4. vbi loquẽs de populis barbaris Libyæ, ita ait: τὸ δὲ σῶμα μίλτῳ χρίονται. φασὶ δὲ εἶναι τῶν ἐκ Τροίης ἀνδρῶν: *Corpus minio tingunt, asserentes se à Troianis oriundos.* Sed, vt redeam ad Agathyrsos, pertinent ad illos, quæ ego iam de Gelonibus in Georgicis.

11. FLVENTEM] Sunt, qui vnguentum agnoscant, hoc enim fluere è capite dicebatur: sed hoc necesse non est; potest enim accipi simpliciter, sicut in 1. Æn.

—nodóque sinus collecta fluentes.

12. PREMIT CRINEM FINGENS] Est hoc, quod Propertius dixit lib.1. eleg.3. *formare capillos.* Pari verbo Suetonius in Nerone cap. 51. *comam in gradus formatam.* A Virgilio variis in locis habes *crinem innectere, componere, coërcere.* Ab Horatio *religare, coërcere.* Contrarium ab hoc est, crines errantes, dispersi, vagi, irreligati, indociles, & sine lege. De quibus omnibus obuia sunt poetarum testimonia.

Apollo auro delectatus.

13. AVRO] Credidit vetustas Apollinem impensè auro delectari præter cæteros Deos. Hinc omnia eius dicuntur esse aurea. Pindarus Od.14. Olymp. vocat hunc Deum χρυσότοξον. & de illo Od.2. Pyth. χρυσοχαίτας. & Od.5. illum dicit, χρυσάορα, & Od.5. Nem. χρυσέῳ πλήκτρῳ. Quibus vides datum illi arcum, crinem, ensem, plectrum, omnia aurea. Quin absolutè. Od.6. Pyth. vocat illum πολύχρυσον, & Od.9. χρύσεον, quòd totus sit aureus. Callimachus etiã in hymno dat Apollini vestem, fibulam, lyram, chordas, pharetram, calceos, omnia ex auro. Nonnus lib.4. dat Phœbo χρυσαυχέα μίτρην. Hanc rem firmãt, quæ de donis ingentibus missis ad hũc Deũ satis multa celebrant scriptores, & poëtæ. Cùm ait *ipse premit* nota αὐτοδιακονίαν Apollinis, quam Homerus in Ioue agnoscit lib.8. Il. & in Neptuno lib.13. Cùm ait, *implicat*, attingit morem non contemnendum. Comæ enim, vt essent decentes, includebantur in aureos anulos. hos tacuit Poëta, & satis duxit indicare istis, *implicat auro.* Clarè Martial.

Comæ inclusæ in anulos.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

Et Seneca de Breuit. vitæ c.12. *Quomodo excandescunt, si quid ex iuba decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt.* Quintilian. lib.12. *Ne intonsum caput, non in gradus, atque anulos comptum.* Obiicies, quomodo crinis implicatus in anulos, si tamen fluens? Hoc nihil est. Potest enim capillus effundi, etiam si illigatus. Sparsus, aut vagus capillus nullum nodum agnoscit, fluens tamen agnoscit. Clarè Sen. ep. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris, vel vt Scythæ solent, sparseris?* Vides, vt discriminet sparsionem ab effusione. Itaque ita fluebat crinis implicatus, vt 1. Æn. vestis fluit collecta nodo. Ait enim,

—nodóque sinus collecta fluentes.

14. TELA

Apollinis insigne. 14. Tela sonant humeris] Nota propria A Apollinis. Ouid. 2. Rem.

Phœbus adest, sonuêre lyræ, sonuêre pharetræ:
Signa Deum nosco per sua, Phœbus adest.

Arnobius lib. 1. *Arquitenentes Diana, & Apollo.* inde à Græcis τοξοφόρος dictus, quod Ouid. reddit, *Arcitenens.* Pindarus Od. 9. Pyth. hunc Deum vocat εὐρυφαρέτραν. Homerus. 1. Il.

Ἔκλαγξαν δ᾽ ἄρ᾽ ὀϊστοὶ ἐπ᾽ ὤμων χωομένοιο
Αὐτοῦ κινηθέντος:

Sonuerunt autem sagittæ in humeris irati
Cùm moueretur.

Porro de Phœbi pulcritudine, quam in toto hoc tractu attingit Poëta, lege Tibullum lib. 3. eleg. 4. & Propertium lib. 2. eleg. 31.

15. Enitet] Ita Horat. lib. 2. Od. 8.

—enitescis Pulchrior multo.

& lib. 1. Od. 19. *vrit me Glyceræ nitor.*

[a] Postquam altos ventum in montes, atque inuia lustra:
[b] Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ
Decurrere iugis: alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, montesq; relinquunt.
[c] At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, iamq; hos cursu, iam præterit illos:
Spumantémque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

ARGVMENTVM.

Ventum est tandem ad venationem, quam graphicè depingit caprarum cursu, & ceruorum fuga. In fine delectationis gratia puerilem Ascanij ostentationem inducit, & in eo venatoris studium.

EXPLICATIO.

a Commoda attributa, montes *alti*, lustra *inuia*, nam ferarum latibula plerumque implexa syluis, implicata saltibus.

b Viua admodum venationis hypotyposis. *Ecce* quasi impetu improuiso. Et vide proprietatem: captis dat saxa, & rupes, vt est eius animantis natura, quas ideo Plinius vocat rupicapras, & tam Virgilius quàm ille syluestres intelligunt. Vt verò capræ iugis montium decurrunt, ita cerui ex eorum natura transmittunt patentiora loca, atque agminatim sese agglomerant, fugiúntque in omnem partem relictis montibus. Ideo enim *glomerant*, quia agmina; ideo *puluerulenta*, quia *transmittunt campos*.

c Aptè inducit puerilem Ascanij ostentationem, ardorémque militarem, nam & equo exultat, & hoc acri: & maiora viribus appetit: nam contemptis capreis, & ceruis, quæ inertia pecora, optat sibi in viam dari *aprum*, & hunc *spumantem*: quo non contentus, *leonem* vult, & hunc *fuluum*. quibus magis indicatur puerilis animi auiditas, quæ feras appetit, spernit pecora. Cùm ait *dari*, non est, offerri, vt vulgares interpretes, sed verè dari, quia rem hanc habiturus est pro maximo dono fortunæ.

NOTÆ.

1. Transmittunt cursu campos] Ait Lesłæus, in Scotia ceruorum venationem exerceri solitam in altioribus montibus, non in campis. Vocem Virgilius à Lucretio sumpsit, qui *transmittere campos valido impetu.*

2. Cervi] Malè hîc nonnulli reprehendunt Virgilium, quòd in Africa ceruos esse dixerit, non hîc solùm sed etiam. 1. Æn. atqui constans est scriptorum opinio in Africa ceruos non esse. Hinc nonnulli occasionem nacti Virgilium lacerant, non mediocriter, neque aduertunt, quid egregiè, & præter omnes fe- B cerit, sed in quo defecerit. Sed sciant isti, non deesse luculentæ fidei auctores, qui eadem dicant, in his est Oppianus lib. 2. de Venat. qui egregius poëta, non Poëtam tamen, sed scriptorem agens, sic scribit ex versione Bodini, Cerui in Africa.

Finibus extremis Libyæ nutricis equorum
Serpentum legio feruet cristata per agros:
At cùm fusus arenoso sub culmine ceruus
Molles sub dio carpit per membra sopores:
Squammeus extemplo serpentum exercitus illum
Inuadit, morsus infig ens dente cruento,
Circumeúntque cutem fœda statione phalanges.

Oppiano accedat Philostratus li. 6. Apollonij cap. 12. vbi scribens quæ Apollonius iuxta Nilum viderit, quæque illi occurrerint, sic inter alia: ἔλαφοι δὲ, καὶ δορκάδες, καὶ στρουθοὶ, καὶ ὄνοι: *Cerui, capreæ, struthiones, asini.* & C infrà, feras quasdam ex ceruo & tauro mistas adducit. σύγκειται δὲ τὰ θήλεια ταῦτα, τὸ μὲν ἐλάφου τε καὶ ταύρου. ergo cum his existimemus ceruos in Africa esse. Scimus, Herodotum, Plinium, Aristotelem, & alios negare; nam Lucanum pro nobis stare credimus. esto itaque Herodotus, Aristoteles, & Plinius negent, quanta putas illa est auctoritas? Alius alium sequitur, & nemo cùm viderit, quod prior dicit, id esse verum credit. Notanda sunt verba Dalecampij viri doctissimi in locum hunc Plinij lib. 8. cap. 33. *Ceruos Africa propemodum sola non gignit.* in hunc itaque locum sic loquitur Dalecamp. *licèt cum Plinio id Aristoteles asserat, in Africa tamen ceruorum greges multos pasci notum est.* Nō hæc auderet vir doctissimus, nisi nosset. D Notanda quoque verba Brodæi lib. 8. Miscel. cap. 13. vbi ita scribit: *Cùm pleriq; rerum scriptores ceruos in Africa esse negarent, contraq; nonnulli ab his discreparent, aliquot annos vtra pars rectiùs sentiret, dubitaui. Nam tametsi complures Itali Galliq; homines ab Afris piratis excepti, qui in ea prouincia diu seruitutem seruiissent, se illic ceruos vidisse, mihi hac de re eos percontanti confirmassent, eis tamen nullam vnquam fidem habendam putaui. Cùm verò nuper in Ioannis Leonis commentarios hoc ipsum asserentis incidissem, in eam tandem sententiam inclino, vt ceruos in Africa gigni proculdubio sentiam.* Vides auctoritatem Brodæi, Leonis, captiuorum. Idem affirmat Albericus Gentilis lib. Virgilian. lectionum cap. 8. aitque, Virgilium habuisse pro re hac auctorem Timæum, qui eadem scribit. Dixi Lucanum pro nobis stare, nam lib. 9. tantùm ait,

— longè nascentis cornua cerui,

quasi insinuet in alia parte Africæ ceruos nasci, non ibi:nam sic etiam Oppianus dixerat, *in Libyæ finibus.* Ratio etiam fauet huic parti, nam cùm Africa serpentibus abundet, cum quibus cerui intestinas gerunt inimicitias(vt scriptores omnes tradunt,& oculi indices sunt) quî fieri potest, vt ea pars terrarum ceruis careat,in qua serpentes scatent?profectò cùm nullum sit efficacius remedium contra serpentes, quàm cerui, ibi esse debent, vbi infestam humano generi labem possint delere. Sed esto, nulla sit hæc ratio,nulla Oppiani,& Philostrati auctoritas,& aliorum:tamen Virgilij auctoritas tanta esse debet,vt satis sit illum dixisse;est enim credibile ex magno scriptore hausisse, vel ab his didicisse,qui vidissent. An qui nihil absque auctoritate & ratione, hoc tantum absque neutra? non credo:præsertim,cùm te Albericus docuerit, ducem huic opinioni Virgilio fuisse Timæum. Quid quòd dici potest, ceruos non fuisse in Africa,Herodoti & Aristotelis æuo (nam Plinium nihil moror, hic enim tantùm satis habuit sequi illos)postea verò fuisse, ad eum modum, quo ait Leslæus in libro de rebus Scotorum, nullos nunc esse vrsos in sylua Caledonia, cùm olim fuerit vrsorum refertissima:sicuti neque in Anglia esse lupos,quibus olim infestabatur.

3. MONTESQVE RELINQVVNT] Apparet hanc venationem exhibitam verno tempore, vel ex tempestate, quæ sequitur *commista grandine*, quæ nunquam hyemali tempore.Id si est verum, vt adducto tempestatis argumento credi debet, laudandus mirè est Poëta, qui nulla in re deficit. Vides enim vt ceruos constituit in montibus, nam hos tantùm relinquunt,vt sibi fuga consulant. Cerui enim per æstatem in montibus degunt, per hyemem in planis & campis. Audienda verba Dionis Chrysost. orat. 6. τὰς δὲ ἐλάφους,καὶ τοὺς λαγὼς,τοῦ μὲν ψύχους εἰς τὰ πεδία καὶ τὰ κοῖλα καταβαίνειν ἐκ τῶν ὀρῶν. κἀνταῦθα ὑποστέλλειν τοῖς ἀπηνέμοις καὶ προσηνέσι, τοῦ δὲ καύματος εἰς τὴν ὕλην ἀποχωρεῖν,καὶ τὰ βορειότατα τῶν χωρίων:*Cerui & lepores frigoris tempore in campos & caua loca ex montibus descendūt, atque inibi se se submittunt locis mitibus, miniméque ventosis:caloris verò tempore abeunt ad syluas, & ad loca Borea exposita.*Quæ dixi hîc de verno tempore,nihil est contra ea,quæ postea in hoc libro indicantur,vt cùm ait,*hiberno moliris sidere classem.*Nam venatio exhibita est statim per initia aduentus Æneæ in Africam:profectio inde facta post multum temporis. Sed quæstio ista elucidatur lib.5.Æn.

Cerui vbi degant.

4. ACRI GAVDET EQVO]Non feroci, & bellicoso;sed veloci, & rapido.Ita ego explico hunc locum innixus verbis Platonis lib.5.de Rep.vbi ita loquitur: *Equitare consuescant primis ab annis pueri:cùmque hoc didicerint,equis ad spectaculum belli ducentur,non ferocibus quidem,aut nimiùm bellicosis;sed quàm velocissimis,& habenis facilè obsequentibus.* Græca,quæ ad rem.ἐφ' ἵππων μὴ θυμοειδῶν, μηδὲ μαχητικῶν. ἀλλὰ ποδωκεστάτων, καὶ εὐηνιωτάτων.Est verò is equus,quem dono accepit ab Regina Ascanius,vt credi potest.huius mentio fit lib. 5.his versibus.

Extremus,formáque ante omnes pulcher Iülus,
Sidonio est inuectus equo,quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum,& pignus amoris.

De ætate,in qua nunc Ascanius, ita Horatius ad Pisones,

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis,canibúsque,& aprici gramine campi.

5. IAMQVE HOS CVRSV, IAM PRÆTERIT ILLOS]En imago venantis hominis, qui omnia cursu circumit nullo loco stabilis. Plinius in Paneg. Traiani:*lustrare saltus,excutere cubilibus feras,superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre.*

6. SPVMANTEM] Apri à Lucretio *spumigeri*, ab Seneca in Hipp. *spumei.* Seneca philosophus de ira lib. 1.cap. 1. *spumant apris ora.*Euripides de hac fera in Phœniss.ἀφρῷ διάβροχοι γενειάδας: *spuma madidi mentum.*

Apri spumantes.

7. OPTAT]Simpliciter cape.Nescio cui in mentem venit referre ad Xenophontem, vbi ait vouendum esse Apollini,& Dianæ numinibus venatorum. Expende hîc studium Ascanij in venatione. Longè aliter Horat.Od.24.lib.3.

— nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer
Venaríque timet,ludere doctior.

Cùm adiicit votum Ascanij optantis leonem è monte,nota propriè locutum Poëtam, nam hic locus huius feræ.Pollux lib.5.cùm variis feris varia domicilia assignet, adiicit: τῶν δὲ θηρίων τὰ μὲν εἰσιν ὄρεια ἐπὶ πλεῖστον,ὡς οἱ λέοντες: *Ferarum aliæ montanæ maximè sunt, vt leones.*

[a] Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit:insequitur commista grandine nimbus.
[b] Et Tyrij comites passim,& Troiana iuuentus,
Dardaniúsque nepos Veneris,diuersa per agros
Tecta metu petiêre : ruunt de montibus amnes.
[c] Speluncam Dido,Dux & Troianus,eamdem
Deueniunt. prima & Tellus,& pronuba Iuno
Dant signum:fulsêre ignes,& conscius æther
Connubij:summóque vlularunt vertice Nymphæ.
[d] ILLE DIES primus lethi,primúsque malorum
Causa fuit: neque enim specie,famáve mouetur,
Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
CONIVGIVM vocat,hoc prætexit nomine culpam.

ARGV

ARGVMENTVM.

Excitatur tempestas, venti infremunt, horrescit nimbus, grando insequitur, amnes ruunt, confugit quisque ad latebras. Dido & Æneas ad speluncam, vbi amori vacant. Sequuntur inde varia omina, & seminarium malorum. Dido errorem suum coniugij nomine cohonestat.

EXPLICATIO.

a ADest iam tempestas ex compacto Iunonis, vt per hanc occasionem Æneas & Dido celebrent nuptias furtiuas. Rem breuiter transigit, nam hîc tempestas tantùm quæsita ad occasionem. Lasciuiret vulgaris poëta nullo iudicio. Ait *misceri*, ad explicandam confusionem ventorum, à quibus subitò excitatum murmur in aëre, nam hîc cælum aër est. Ventorum murmura *nimbus* sequitur, imò *insequitur*, (in quo verbo est graue quiddam & molestum) neque hic simplex, sed admista grandine. Itaque omnia commista sunt, venti secum, pluuia & grando, & ideo nimbus.

b In subito malo, quisque statim præsidium, quod potuit, occupauit, & Tyrij & Troiani. Sed quare in nominando Ascanio periphrasis ista, *Dardanius nepos Veneris*? quia videlicet in hoc malo deesse Venus nepoti suo non potuit. *Tecta diuersa* sunt, ferarum latibula, arborum trunci, rupium cauitates. Absoluit, *ruunt de montibus amnes*, nam aucta tempestas momẽto temporis torrentes effecit.

c In eo tumultu Dido atque Æneas ad eandem speluncam deueniunt, vbi amoris opus perageretur, seclusis arbitris. Sequuntur statim signa, quibus firmẽtur nuptiæ. Tellus, & Iuno signum dant, Ignes fulgent atque æther; Nymphæ in montibus vlulant. Ego sic concipio, vt dicat. Tellus & Iuno dederunt signa, videlicet, vt ignes micarent rutilante æthere subito aliquo fulmine, quæ res tam ad Tellurem quàm ad Iunonem pertinet: exhalationes quippe, quæ sunt terræ, gignunt fulmen in aëre, qui Iunonis est.

d Dies hic fuit veluti seminarium malorum, & futuræ demum mortis. Nulla enim iam aut honestatis, aut famæ cura, quod frenum potentissimum in fœminis: hoc si abrumpant, actum de illis. Dido verò, vt culpam tegat, vtitur specioso coniugij nomine. Itaque non iam furtim exercet amores suos, sic explico *meditatur*, sed vocat coniugium. Sed hic prætextus tantùm culpæ fuit. Peregregiè autem Iul. Scal. perpendit, quæ hactenus narrata sunt de Didone. Propria fœminæ virtus pudor est, & pudicitia: pudor est metus reprehensionis; pudicitia, constans abstinentia à Venere prohibita; nam castitas est, abstinentia à quacunque Venere. Poëta luculentum fœmineæ virtutis exemplũ in Elissa constituit, ad quam expugnandam opus fuit Deo, & ipsomet Cupidine, & præsente, & virus per oscula inspirante: conueniunt etiam Iuno & Venus ad illum animum expugnandum, offerunt speluncam obscuram in loco solo ac deserto: his machinis ducta est ad voluptatem, neque enim satis, quòd Æneas natus Dea esset, quòd *os humerósque Deo similis*. victa tandem ita reprehensionem fugit, ita prohibitæ Veneris suspicionem amouet, vt amorem hunc non furtiuum appellet, sed verè coniugium, quare nunquam aliter loquitur de Ænea, atque de marito,

Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,

Et,

—agnosco veteris vestigia flammæ.

vt aut in Ænea Sichæum amet, aut Æneam in Sichæo. Quin concludit non se facturam, sed astra, & Dij impulerunt, non tantùm Anna. verbum *prætexit*, hoc loco respondere Græco ὑποκοσμίζεται Budæus obseruat.

NOTÆ.

1. SPELVNCAM DIDO, &c.] Verè parthenium, id est, virginalem Virgilium voces, qui tam verecundè amores hos tractauerit. Rem turpem tantùm suspicionibus reliquit, vitans omnem αἰσχρολογίαν. Meritò Iul. Scaliger Homerum reprehendit, qui ori Iunonis dat verbum ὀπτήω Il. 4. Virgilius itaque tantùm in antro constituit, alludens credo ad veterem illam maiorem pudicitiam, de qua Ouidius 2. Artis: — *Virgilij modestia.*

Tunc quoque cùm solem nondum prohibebat, & imbrem
Tegula, sed quercus tecta cibúmque dabat:
In nemore atque antris, non sub Ioue iuncta voluptas:
Tanta rudi populo cura pudoris erat.

ex hoc pudore natum Latinis verbum *fornicor*, quòd ad eam rem quærenda latibula, antra, fornices. Inde etiam verbum *furtum*, in hac re frequentissimum: vnde nata est iniusta illa querela impudici illius Arbitri, qui non iustus ad hanc rem arbiter, ait, in Satyr. *Quid autem non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet: luna innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit ad pabulum. quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potiùs quàm præmium erit?* — *Fornicor.* — *Furtum de Venere.*

2. PRIMA ET TELLVS] Id te inprimis præmonitum volo, nihil certi haberi posse vel ab interpretibus, vel ab aliis de his signis, quæ sequuntur, bonine ominis, an mali fuerint: ego existimo aliqua ex his fieri bono, aliqua malo omine. Quare ergo tellus dat signum? bono fortasse omine, nam ea nuptiis præesse traditur, & in auspiciis nuptiarum vocari, cui virgines, cùm ad maritum ducebantur, sacrificabant: malo etiam fortasse, nam iuxta Etruscam doctrinam, nihil tam incongruum nubentibus, quàm motus terræ, vel cæli: sic fermè Seru. Sed quare tellus dicitur *prima*? An quia illa patens Deorum fuit vnà cum cælo, & idcirco princeps, & prima? Hesiod. in Theog. — *Tellus præest nuptiis.* — *Tellus cur prima.*

Θεῶν γένος, οὓς γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτον:
Deorum genus, quos Tellus, & cælum latum genuerunt.

An quia, vt ait Turneb. ea prima in rerum omnium constitutione emersit ante omnia elementa; & extitit, si Hesiodo credimus, etiam ante cælum: itaque Telluri primatus originis tribuitur? An, vt vult Ger. dictum hoc, quia Telluri prima olim dignitas data, nam & Æschylus in Eumen. illam πρωτόμαντιν vocat, *primam vaticinantium*: Et Pind. Od. 11. Nem. Ἑστίαν *Vestam* vocat πρώταν θεῶν, *primam Deorum*. *Vesta* autem pro terra sumitur. Arist. etiam 2. Met. ait, Antiquos Theologos Poëtas venerandè admodum de Terra semper locutos, ita vt à cælo eam tanquam famulante ambiri crederent, & ceteris creatis rebus dignitate præstare. Ego, nisi me tantorum virorum auctoritas reuocaret, qui hæc mysteria agnoscunt, putarem simpliciter capiendum Poëtam, quia videlicet Tellus *prima* ordine, ante Iunonem etiam, signum edidit. sed quod hoc signum Telluris: assentitur Germanus Nannio, qui *motum terræ* accipit. Ego aliter iam explicui. Possis quodcunque pro libito. — *Vesta Deorum prima.*

3. PRONVBA IVNO] Nequeo illis assentiri, qui hîc per *Iunonem* capiunt terram, & per *signum* terrestre tonitrum, id est, mugitum. Nam tametsi probent Iu-

nonem sumi posse pro terra, ex Virgilio ipso, qui. 2. G. dicit Iouem descendere in gremium coniugis: sed hîc doctrina hæc parum apta. Nam ineptè, præcedente iam Tellure, nomen aliud subiicietur pro eadem. Præterea hic Iuno dat signum, nam ipsa suprà,

Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deuenient, adero.

Hîc iam ad speluncam deuentum, hîc iam ipsa adest.

4. FVLSERE IGNES] Fulmen innuitur, & malo (credo) omine. Innui fulmen dixi, ductus imitatione Claudiani, qui. 2. Rap. in confirmatione nuptiarum Plutonis & Proserpinæ, sic canit:

—Ni Iuppiter æthere summo
Pacificas rubri torsisset fulminis alas,
Confessus generum.

Itaque allusum ab vtroque Poëta ad *faces nuptiales*, quæ, cùm deessent, suffectæ sunt à cælo. Sed quare malo omine? nam in nuptiis hoc inprimis cauebatur à veteribus, ne motus cæli, aut terræ fieret, néve turbato cælo nuptiæ celebrarentur. adi Alex. 2. Gen. cap. 5. vt infelicem igitur horum amorum exitum Poëta significet, inducit turbatum cælum tempestate dira, crebros ignes, omnia denique parata ad minas. Itaque non probantur nuptiæ, sed indicantur esse contractæ.

Nuptiæ sereno cælo fiebant.

5. CONSCIVS ÆTHER] Dictum hoc ex veteri ritu, Germanus ex Passeratio admonet; solus enim aër erat conscius, cùm auspices adhiberentur, vt scribit Asconius in orat. Cicer. pro Cluent. existimo his attingi vel ritum aliquem, vel formam veterum in re nuptiali.

Vlulatio Nympharũ.

6. VLVLARVNT VERTICE NYMPHÆ] De hoc Nympharum vlulatu nihil habeo, quod statuam, bonóne an malo omine factus fuerit: sed neque, quæ hæ Nymphæ: Oreadésne, quæ montium? an aliæ quæpiam? an Furiæ ipsæ inferorum? in postremum inclino, atque ideo infelicitatem Didonis significari. Statius 7. Theb. *vlulo* ad prodigium, & præsagium retulit:

Et non assuetis pernox vlulauit Eleusis
Mensibus, & templis Sparte præsaga reclusis.

Et quidem Serú. voces ὀλολυγὴν, & ὀλολυγμὸν *vlulatum*, ad sacra refert. additque Poëtam medium sermonem elegisse, quo rem (vt ego interpretor) in incerto relinqueret. Nam *vlulo* & de re læta Lucano dictum,

A *—lætis vlulare triumphis,*

& de luctuosa, multis aliis. Nannius etiam ait, nihil hîc à Poëta vel approbatum, vel improbatum, & Virgilium non explicuisse, lugubritérne, an festiuiter accipiendus esset vlulatus. Hærens igitur vestigiis, & Seruij, & Nannij, existimo, per *Nymphas* intelligi Diras, quas Poëta tamen vocauit *Nymphas*, vt errorem amantium indicaret, qui cùm vlulantes Furias audiuissent, decepti voluptate, Nymphas se audiuisse putarunt; sed esse reuera Furias Virgilius voluit patefacere, cùm intulit verbum *vlulo*: atque adeo Nymphæ erant amantium opinione, re ipsa Furiæ vlulantes. id vt credam, facit imitatio Ouidij, apud quem Dido in epist. de hoc ipso loquens, ait:

Audieram voces, Nymphas vlulasse putaui:
Eumenides fatis signa dedêre meis.

B Sententia est. Audiui vlulantes Furias in meam perniciem, ego tamen mihi illudens, existimabam eas esse Nymphas: dementer, nam Nymphæ vlulare quî poterant? His adiunge, Poëtas nuptiis infaustis Furias sæpe inducere, quæ, pro cantu nuptiali, vlulent. Ouid. in Phyllid.

Pronuba Tisiphone thalamis vlulauit in illis:

quæ afferant faces suas funestas pro nuptialibus. idē in Hypsip.

At mihi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces.

Ergo in Virgilio *Nymphas* refer ad errorē amantium: *vlulo* ad veritatem. Vide etiam, an aliquid lucis capiat Virgilius ab Sancto Cyrillo Alex. in Oseam. vbi C enim ait Propheta, ὠλόλυζον ἐν ταῖς κοίταις αὐτῶν; *vlularunt in cubilibus suis*, ait per istum vlulatum intelligi φιλοσαρκίαν, καὶ ἀπόδειξιν αἰσχρῶν τρόπων, καὶ ῥοπὴν εἰς πορνείαν, *studia carnis, mores fœdos, propensionem ad fornicationem.*

7. ILLE DIES PRIMVS LETHI] Videtur hausisse ab Electra Sophoclis, vbi Electra ipsa,

Ὦ πασᾶν κείνα πλέον ἁμέ-
ρ' ἐλθοῦσ' ἐχθίστα δή μοι:

O omnium illum magis diem
Qui venit infestißimus mihi.

Mihi sic placitum. Muretus tamen vir doctus ducit locum Virgilij ab Thucydide lib. 2. apud quem Melesippus Lacedæmonius missus ad Athenienses, ne- D que auditus, dixit:

Ἡ δὲ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει.
Hic dies initium erit Græcis magnorum malorum.

[a] Extemplo Libyæ magnas it fama per vrbes:
[b] FAMA MALVM, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo.
[c] Parua metu primo, mox se se attollit in auras,
Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit.
[d] Illam Terra parens ira irritata Deorum
Extremam (vt perhibent) Cæo Enceladóque sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.
[e] Monstrum horrendum, ingēs: cui, quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræq; per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,

Turribus aut altis, aut magnas territat vrbes,

[f] TAM FICTI prauíque tenax, quàm nuntia veri.

ARGVMENTVM.

Describit famam ex occasione: primò eius virtutem & naturam: deinde eiusdem natales: tertiò monstrificam vim, horrorem, magnitudinem: multis hæc ornat, multa adiungit, quæ sine tædio inseri argumento nequeunt.

EXPLICATIO.

a Didonis facinus vix admissum in omnem Africam Fama statim detulit, vt est eius natura. & *per magnas vrbes*, in quibus multi ociosi aucupandis & spargendis rumoribus dediti.

b Ait Famam esse malum, quo nullum velocius. Probat, quia *viget mobilitate, eundo acquirit vires.* Quod hoc monstrum! Omnia labore fatigantur, minuuntur, decrescunt: Fama vna viget labore assiduo. B

c Est hæc natura Famæ, vt hæreat primùm, & parua sit, metuens scilicet redargui: mox se se in auras attollat, mundum occupet, & his non contenta, caput etiã condat inter nubila. Prudenter extremum hoc (ait Iouianus) nam cùm Fama multa euulget, quæ veráne, an falsa sint, non satis scias, illa dicitur caput condere inter nubila, quòd videlicet assequi nequeas veritatem illorum, quæ illa disseminat.

d Attingit iam natales primos Famæ. Quantũ ea est malũ, quæ soror gigantũ Cæi atque Enceladi, & genita ab irata irritatáq; matre, & nata quidẽ in vltionẽ Deorũ, contra ipsos dico Deos, ac demũ extremo partu: quasi non cõtenta Tellus tot monstra profudisse, Famã ediderit, malũ præteritis dirius, sænius, atrocius. C

e Tria dicit esse, *monstrum*, & *horrendum*, & *ingens*. Tenuerunt pauci; nam quæ sequuntur his tribus respondent. Monstrum est sanè illud, cui tot plumæ, oculi, linguæ, ora, aures: horrendum, nam volat per medium cæli (aërem intellige) pérque vmbram terræ, & cum stridore nunquam dormiens: Ingens, nam territat vrbes magnas. Regredior ad quasdam notulas. Dicitur habere plumas multas, nam quisque cùm rẽ enuntiat, suam addit plumam, faciens quantum in se est, celeriorem Famam. Pari tenore dantur illi tot oculi, linguæ, ora, aures. Dicitur habere oculos *subter*, quia (explicante Seruio) cùm ipsa omnia videat, videatur à nemine. Quare autem *volat nocte*? quia semper incipiens Fama obscura est, iam verò clarior facta tum conquiescit, ideo sequitur *luce sedet*. Sed *sedet* quidem vt *custos* ad speculandum de nouo, si quæ alia euulganda se offerant. Sedet verò in culminibus tectorum, turrium, vrbium tanquam in specula. D

f Est hoc veluti epiphonema. Hæret enim Fama his, quæ semel dixit, eáque euulgat tenaciter, modò ficta, praua, aut vera sint.

NOTÆ.

1. EXTEMPLO LIBYÆ] Nota mentem summi Poëtæ, rem in secreto admissam, in spelunca, seclusis arbitris, Fama statim euulgat. Sic sanè est vt Regum facta latete nequeant. Huius rei Lipsius coniungit locum communem aduocans Senecam, Claudianum, Plinium alterum. Addo Xenophontem, qui ad Regem Seuthen. lib. 7. ἀναβ. ὥστε οὐχ οἷόν τ' ἐστὶ λανθάνειν, οὔτε ἄν τι καλὸν, οὔτε ἄν τι αἰσχρὸν ποιήσῃς: *Quo fit, vt occultum esse nequeat, siue aliquod honestum, seu turpe facinus admittis.* Et Ælianum lib. 12. Var. Hist. qui ad rem hanc ita loquitur, ἀφίκετο ὖν τοῦ εἰς Ἀσπασίαν ἔρωτος, καὶ εἰς Ἰωνίαν, τὸ κλέος, καὶ εἰς τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν. πεπλήρωτο δὲ καὶ ἡ Πελοπόννησος τῶν ὑπὲρ Κύρου τε, καὶ ἐκείνης λόγων: *Regis* E

A *in Aspasiam amor, non per Ioniam solùm, sed per vniuersam Græciam fama celebratus est: itémque Peloponnesus plena sermonibus de Cyro & Aspasia.*

2. FAMA] Ex occasione adducit descriptionem famæ grauem, & luculentam, cum qua, quam conferas, non facilè inuenies: ex eadem occasione alias tibi adduco vtiles ad imitandum, sed cum sale Critico. Inprimis Ouid. domum famæ, verè ipsam Famam, sic describit in 12. Metam.

Famæ descriptiones

Orbe locus medio est inter terrásque fretúmque,
Cælestésque plagas triplicis confinia mundi,
Vnde quod est vsquam, quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetrátque cauas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summáque domum sibi legit in arce:
Innumerósque aditus, ac mille foramina tectis B
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte diéque patet: tota est ex ære sonanti:
Tota fremit, vocésque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nulláque silentia parte.
Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura vocis,
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, vndis
Esse solent: qualémve sonum, cùm Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus eúntque:
Mistáque cum veris passim commenta vagantur,
Millia rumorum, confusáque verba volutant.
E quibus, hi vacuas complent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt aliò, mensuráq; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor.
Illic credulitas, illic temerarius Error,
Vanáque Lætitia est, consternatíque Timores, C
Seditióque ruens, dubióque auctore Susurri.
Ipsa quid in cælo rerum, pelagóque geratur,
Et tellure videt, totúmque inquirit in orbem.

Non dubiũ, quin multa ex his acuta, sed vides, quantum defecerit à suo magistro. Impropriè Fama videt *quid geratur* in cælo, nam quando inde ad nos allati rumores? & quidem fama, tam vera quàm falsa loquitur: quid ergo nobis falsum è cælo? deinde non semel, quæ dixerat, repetit, si bene expendas: tertiò, cur seditio ministra est famæ? Martis potiùs & Bellonæ: nam eo modo, quo illa Famæ inseruit, plures aliæ essent administræ. Quartò desiderari grauitatem vides. Quintò, si nullæ portæ, cur sunt limina? Satis enim erat dixisse aditus, & foramina. Sextò, si intus est æs sonans, & fremitus, quî nullus clamor, & tantùm murmura? Vix enim à sonitu clamorem separes. Septimò, oportuisset explicare consentienter ad Famã, quæ esset turba illa atriorum, nam si homines intelligat, non decuit cum fictis personis Fama, Lætitia, Terroribus, Credulitate, adiungere homines. Transeo ad Statium. 3. Theb. qui Famam pinxit ante Martis currum volantem hunc in modum, D

——At vigil omni
Fama sono, varios rerum succincta tumultus
Anteuolat currum, flatúque impulsa gementum
Alipedum, trepidas denso cum murmure plumas
Excutit. vrget enim stimulis auriga cruentis
Facta infecta loqui.

E In *trepidas plumas*, hæsit Virgilio, qui *Parua metu primo*, sed qui multo signatiùs. Eandem partem Claudian. contra Alaricum sic expressit:

Famáque nigrantes succincta pauoribus alas.

Aduerte lector, quæ Statius *trepidas alas*, Claudian. *succincta pauoribus alas*. Inseram alias minutulas descriptiones. Ouid. 9. Met.

——Quæ veris addere falsa
Gaudet.

Statius 2.Theb. *monstrum* vocat, vt Virg.

——quæ tanta licentia monstro?
Quis furor est? iam bella canit, &c.

quem locum Statij adi, nam ibi omnino Virgilium imitatur, vbi Famam inducit disseminantem vbique nouos generos Adrasti, Tydeum & Polynicem: quorum Tydeus Deiphilem, Polynices Argiam duxit. Lucanus lib. 1. timorem illum, de quo iam, sic attingit:

——sic quisque pauendo
Dat vires Famæ; nullóque auctore malorum,
Quæ finxere timent.

Descriptiunculæ aliæ sparsæ plurimæ apud Poëtas.

3. MALVM] Explicat Tertullianus in Apologetico, cur Fama dicatur malum. Lege illum.

Fama velocissima est. 4. QVO NON ALIVD VELOCIVS VLLVM] Ita verè est. Eadem sententia est in Philone de Legat. φήμης οὐδὲν ὠκύτερον: *nihil Fama velocius*. Ait Iustinus lib. 2. *Tantam famæ velocitatem fuisse, vt cùm matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento, de victoria nuntiatum sit.* Silius lib. 4. de hac re:

——diros canit improba motus,
Et gliscit gressu, volucrique citatior Euro.

Famæ natura. 5. PARVA METV PRIMO, MOX, &c.] Liuius lib. 28. signatè ad rem hanc: *Scipio graui morbo implicitus, grauiore tamen fama, cùm ad id quisque, quod audierat, insita hominibus libidine alendi de industria rumores, adiiceret aliquid, prouinciam omnem, ac maximè longinqua eius turbauit.* Et Iustinus lib. 2. de eadem natura Famæ: *in maius, sicuti mos est, omnia extollent.* Cedrenus quoque signatissimè loquens de Fama. εἰώθασι γὰρ αὐτὴ τὰ μικρὰ μεγεθύνειν, καὶ τὰ πράγματα τὸ φοβερώτερον ἐξαγγέλλειν: *solet parua amplificare, & facta terribilius narrare.* Inde est vt Liuius lib. 27. Famæ attribuat confecta bella, nam hæc, etiam si falsa, tamen, quia credita, magnum habet pondus. Verba Liuij. *Fama bellum conficit, & parua momenta in spem metúmue impellunt animos.* Ab Liuio Seneca ep. 13. *Illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, Fama.* Videtur verò mihi Poëta, cùm ait, Famam esse initio paruam, alludere, ad susurros & murmura, quæ sunt veluti Famæ incunabula. Ouidius de illa in Met.

Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura vocis:

Catullus etiam dixit, *Fama susurrat.*

6. ET CAPVT INTER NVBILA CONDIT] Homerus priùs de Contentione dixerat. Il. 4.

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει:
Quæ parua quidem primùm attollitur: sed postea
In cælo firmauit caput, & super terram ingreditur.

Calumnias, quæ contra Virgilium sunt apud Macrobium lib. 5. Sat. cap. 13. quòd non bene Homero hæserit, interpretes omnes diluunt, sed acerrimè Iouianus in Dial. cui nomen *Antonius*, quem adi doctè & latè loquentem. Ego tibi tantùm Iulij Scalig. verba adducam è lib. 5. Poët. vbi sic loquitur,

Virgilius defenditur. *Clamant quòd Maro de fama dixit, eam inter nubila caput condere: cùm tamen Homerus, vnde ipse accepit, in cælo caput Eridis constituat. Iam tibi pro me respondeo. Non sum imitatus. Nolo imitari. Non est verum, Contentionem ponere caput in cælo. Ridiculum est. Fatuum est: Homericum est, Græculum est: Virgilianum non est. Romanum non est. Præterea latet eos vis iudicij Maroniani: abscondit enim Famæ caput nubibus, propterea quòd Famæ caput, id est, auctor rumorum fere incertus est. Et dixit, nubila, non cælum: quia ad nubes vsque peruenire à terra clamor potest.* Sed ante hunc

A multis antè seculis Virgilium defenderat imitatione sua Valerius Flacc. qui dixerat, Famam non esse Diuam poli, & Iouem illam arcuisse à regionibus ætheris. Versus isti sunt lib. 2.

Quam Pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentémque metus placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
Non Erebi, non diua poli, terrásque fatigat
Qua datur: audentem primi spernuntque, fugántque:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.

Cedant oblatratores tantorum ac doctorum hominum iudiciis. Porro sumptam quoque sententiam Maronis ex Callim. Muretus vidit libro 1. Var. cap. 18.

B ἴθματα μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' ὀλύμπῳ,
Ingressu terram, capite cælum attingit.

Sed adhuc censuram Scaligeri damnantis Homerum, quòd Contentionis caput in cælo constituerit, adiuuo auctoritate Aristidis, qui oratione de concordia ad ciuitates Asiaticas Homerum reprehendit. ἐγὼ δ' οὐρανοῦ μὲν ψαύειν Ἔριν οὐκ ἔχω ὅπως συγχωρῶ. *Sed vtrùm cælum attingat Contentio, equidem dicere non possum.* & addit rationem, quia portæ Iouis omnem molestiam arcent. Dio etiam Chrysostomus, etiam si non clarè, fatuitatem Homeri indicat orat. 12.

7. ILLAM TERRA PARENS, &c.] Vlta est (ait Seru.) Fama Terram matrem, & fratres gigantes, quia Deorum delicta euulgauit. de Ceo, & Encelado gigantibus dictum aliis locis.

C 8. LINGVÆ] Has Famæ etiam dat Ammianus lib. 21. quibus fidem exaggerat. Famæ linguæ.

9. ORA] Os de Fama. Tacitus 14. Annal. *Hæc in ore Famæ credentium otio agebantur.* Ora.

10. SVBRIGIT AVRES] Languidum erat *erigit*, ergo *subrigit*: nam hoc verbo acuties quædam innuitur, qua aures attolluntur. Vtitur eo verbo Seneca 5. de Benef. Plin. Tertull. coniunxit loca Delrius. Terentius dixit, *arrige aures.* Aures.

11. NOCTE VOLAT] Ita in 3. *Fama volat.* & in 7. *volitans Fama.* Vt etiam in 9. addito attributo, *volitans Fama pennata.* Inde Vulgus dictum à volãdo, quia Fama, quæ pennata & volans fingitur, primum omnium occupat vulgi ora, & per illud volat. Inde signatè. 2. Æn. Alæ. Vulgi etymon.

D *——spargere voces*
In vulgum ambiguas.

Dixi, dici vulgus à volando, nam te in hanc mentem inducet Lucretius, qui: *Fulgura peruolgant cælum*, id est, peruolitant. Vetus etiam Poëta apud Varr.

Alcyonum ritu littus peruolgans feror.

id est, peruolitans.

12. SVMMI CVLMINE TECTI] Ouidius,

——summáque domum sibi legit in arce.

13. ET MAGNAS TERRITAT VRBES] Silius lib. 4.

Fama per Ausonias turbatas spargitur vrbes.

Et inf.

E *Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.*

Valer. Flacc. de Fama lib. 2. *quatit oppida.*

14. TAM FICTI PRAVIQVE, &c.] Tacitus 4. Hist. *veráque & falsa.* Silius lib. 6.

Vera ac ficta simul spargebat Fama per vrbes.

Liuius lib. 34. *falsa mista veris ferens.* Ouid. 9. Met. de Fama:

——quæ veris addere falsa
Gaudet.

Est hoc, quod postea alio flexu:

facta

—facta atque infecta canebat.
Et quod idem Ouidius:
Mistáque cum veris passim commenta vagantur,
Millia rumorum, confusáque verba volutant.
Minutius etiam famæ dat *fingere*. Xenoph. in Hippar. ψευδαγγελίας nominat hos fictos rumores.

[a] Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat.
[b] Venisse Æneam Troiano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido.
[c] Nunc hyemem inter se luxu, quàm longa, fouere,
Regnorum immemores, turpiq; cupidine captos.
[d] Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.

ARGVMENTVM.

Didonis & Æneæ factum Fama disseminat, multa ipsa addit, vt moris est.

EXPLICATIO.

[a] POST descriptam Famam, descendit ad rumores, quos ea de Didone & Ænea dissipauit. *Replebat* verò *populos sermone multiplici*, quia canebat *facta pariter atque infecta. & gaudens*, tum quia homines nouis rebus delectantur (ait Nascimb.) tum quia (visum mihi) nacta amplam & nobilem materiam, quam disseminaret de magnis regibus.

[b] Quid verò disseminat? venisse Æneam Troianum hominem, cui se Dido dat in coniugium. Præclarè Poëta vulgo attribuit rumorem, ne sit necesse Famam induci loquentem cum Iarba, quod hîc esset frigidum, & ineptum: sed quàm libenter vulgares poëtæ captarent hanc occasionem? Respuit Maro magno iudicio. Expende quæpiam. *Cui* quasi peregrino & exotico, est emphasis. *Pulchra Dido* etiam emphaticè. Quæ potuisset cuiuis etiam magno Afrorum principi placere propter pulcritudinem. Vel Ironicè. Nam quid aliud faceret pulchra fœmina? istæ enim sæpe lasciuæ. *Dignetur* quasi superior inferiori. *Iungere se* vox signata ad coniugium.

[c] Hyemem (dicebat Fama) luxu fouent, & ducunt turpiter cum voluptate, quàm longa est hyems ipsa. Vterque oblitus regni, alter Italici, alter Africani. Effectus proprius luxuriæ, quæ, vbi animum abripit, nihil aliud sinit curare impotentissimo dominatu.

[d] Ideo *fœda*, quia fœditatem spargebat. Et est veluti epiphonema totius rumoris.

NOTÆ.

Famæ natura.

1. MVLTIPLICI] Est hoc quod Statius. 3. Theb.
—Geminátque acceptos Fama pauores.
Lucanus lib. 1.
Innumeras soluit falsa in præconia linguas.
Ammianus lib. 31. *Fama rumorum nutrix.* De eadem Ouid. lib. 9. Met.
—è minimo sua per mendacia crescit.
& 12.
—mensuráque ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor.

Pariter, atque.

2. PARITER, ATQVE.] Consecutio vocum ex vetere elegantia obseruata Godescalco. Ita Sallust. Iugurth. *vultu, colore, ac motu corporis pariter atque animo varius.* Martial. lib. 1.
Sus vitam pariter perdidit, atque dedit.

Famæ natura.

3. FACTA ATQVE INFECTA CANEBAT] Statius. 3. Theb. de eadem fama: *facta, infecta loqui.* De eadem Flacc. 2. Arg.
—Digna atque indigna canentem.
Tertullianus in Apolog. ait Famam dictam Virgilio malum, *quia plurimùm mendax, quia ne tum quidem, cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, retrahens, adiiciens, demutans de veritate.* Verè itaque;
—facta atque infecta canebat.
Lucanus etiam lib. 1.
Vana quoque ad veros accessit Fama timores.

4. VENISSE ÆNEAM] Videtur totum hunc locum habuisse ante oculos Liuius, cùm lib. 26. ad finem, de Allucio Hispano: *His lætus donis honoribúsque dimissus domum, impleuit populares laudibus & meritis Scipionis. Venisse Deis simillimum iuuenem, vincentem omnia cùm armis tum benignitate & beneficijs.*

5 QVAM LONGA] Pari forma Ouidius,
Et vacuus somno noctem, quàm longa, peregi.

Famæ diuinitas apud veteres.

6 DEA] Famæ olim aræ, & templa. Pausanias in Atticis: *Est sua apud illos Pudori, Famæ, Alacritati ara.* iterum, aram illi dicatam scribit, vnà cum *Pudore, Misericordia, Impetu.* Plutarchus etiam de fortuna Romanorum illi templum assignat vnà cum omine. Statius 2. Theb.
Nec minùs Ogygias eadem Dea turbida terras
Insilit.
Et 3. eiusdem operis:
Terga comásque Deæ Scythica pater increpat hasta.
Vtrobique sermo est de Fama. Hesiod. lib. 2. ἔργ. καὶ ἡμερ. de Fama loquens, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή: *Dea & ipsa est.* Dio Chrysostomus orat. 37. Aristides in 2. Platonica. Demosthenes de falsa legat. & Æschines contra Timarchum, omnes θεὸν nominant, & omnes Hesiodum aduocant. Postremus etiam in orat. contra Demosthenem ita scribit. καὶ τῇ μὲν φήμῃ δημοσίᾳ θύομεν, ὡς θεῷ: *ac Famæ quidem sacra publicè facimus, vt Deæ.* Homerus sæpe ὄσσαν nominat, quæ vox signat diuinum rumorem. Et Aristides orat. de non agendis Comœdiis κληδόνι dat βωμοὺς, *aras.*

[a] Protinus ad Regem cursus detorquet Iarbam,
Incenditq; animum dictis, atque aggerat iras:
[b] Hic Ammone satus rapta Garamantide Nympha,
Templa Ioui centum latis immania regnis,

Centum aras posuit, vigilemq; sacrauerat ignem,
Excubias Diuûm æternas, pecudúmque cruore
Pingue solum, & variis florentia limina sertis.
[c] Isque amens animi, & rumore accensus amaro
Dicitur ante aras, media inter Numina Diuûm,
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

ARGVMENTVM.

Fama, veriùs vulgus, rem omnem ad Iarbam perfert. Huius genus & religio describitur: deinde ira, & dolor, demum preces ad Iouem Patrem.

EXPLICATIO.

[a] Eadem celeritate, qua ad alios, ad Iarbam quoque delatus rumor. Suprà *extemplo*, nunc *protinus* consentaneè ad celeritatem Famæ. Ergo illa *detorquet cursum*, sed non sub aliqua persona. Vulgus enim defert, vulgus incendit animum, vulgus iras aggerat. Ij nimirum, qui è vulgo rumorem sparserunt, inde postea *rumore incensus amaro*.

[b] Digreditur ad Iarbæ genus, & religionem. Genus. Fuit filius Nymphæ Garamantidis, quam Iuppiter Ammon raptam à patre Garamante compressit. Fuit Garamas filius Apollinis, si Seruio credimus. Religio. Ædificauit in honorem Ammonis patris templa cētum, aras centum, singulas in templis singulis. Ad hæc in omnibus ignem æternum, æternas excubias Deorum. Explico. Sacrauit in templis æternū ignem, ad quem essent æternæ quoque excubiæ seruando igni, quæ omnia in honorem Deorum. Pergit religio Iarbæ. Templa hæc multis victimis sacrauerat, multis floribus. Ab sanguine pecudum *solum pingue*, ab floribus *florentia limina*. Sunt *templa immania* ingentia.

[c] Quare *amens animi*? quia Fama *iras aggerauit*. quare *incensus rumore amaro*? quia eadem *incendit animum dictis*. Itaque hic versus proculdubio respondet superiori. & vtroque includitur duplex affectus potentissimus in hominibus, ira & dolor. Quos affectus zelotypia genuit in Iarba. Quid verò furens, quid dolens? Procidit ante aras, intérque Deorum numina, & simulacra, supplicabundúsque supinis manibus, multis dolorem suum, & irarum causas exprompsit.

NOTÆ.

Ammonis fabulæ.

1. AMMONE] Ammonis Iouis (Alij Hammonis) historia mille fabulis deformata est. Pausanias lib. 4. scribit, à pastore, qui Ammon dictus, conditum templum Ioui in Africa, & inde nomen Ioui quoque mansisse. Hyginus in fabul. narrat, Bacchum, cùm in Indiam proficisceretur, rogasse à Ioue, vt in cælum reciperet arietem, qui sibi aquam monstrauerat in eo itinere; quod cùm factum esset, Liber templum ædificauit Ioui, cui esset caput arietinum, inde hic Deus *corniger* à Poëtis dictus: Ammon autem, quòd aries visus fuerit in arenosa Libya, nam Græcis ἄμμος, idem quod ψάμμος. Ad quod etymon allusit Propertius lib. 4. eleg. 1.

Hoc neque arenosum Libyci Iouis explicat antrum.

Herodotus lib. 2. aliam adducit originem, sed in re fabulosa satis aliquid attigisse. Erat hoc templum apud Garamantas Africæ. inde Deus ipse dictus *Garamanticus*, Silio lib. 14.

Deus Garamanticus.

A *Fer pater afflictis, fer, ait, Garamantice vates,*
Rebus opem.

Habes templi huius luculentam descriptionem in Lucano, lib. 9.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Iuppiter (vt memorant) sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis crinibus Ammon.
Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis,
Quamuis Æthiopum populis, Arabúmque beatis
Gentibus, atque Indis vnus sit Iuppiter Ammon.
B *Pauper adhuc Deus est, nullis violata per æuum*
Diuitijs delubra tenens, morúmque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.

Postrema hæc Lucani de paupertate Ammonis, non consentiunt cum his, quæ ante illum scripsit Curtius lib. 4. de Reb. Alex. *Id quod pro Deo, non eandem effigiem habebat, quam vulgo Dijs artifices accommodauerunt. Vmbilico maximè similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus: hunc, cùm responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes, cum multis argenteis pateris ab vtroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ virginésque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, vt certum edat oraculum.* His vidisti diuitias Ammonis, & obiter cultum, quo ab illo oraculum petitur. (Ammō Iupiter an pauper.)

C 2. TEMPLA IOVI CENTVM] Quî credas? & tamen astruunt nonnulli, & verè de centum templis intelligi Poëtam volunt. Sed ego recurro, vel cum Seru. & Turn. ad finitum numerum pro infinito, more Græco: vel cum Germ. ad mysteria huius numeri. Centenarius enim numerus veteribus mysticus fuit, & inde vt plurimùm religioni attributus. de cuius numeri mysteriis pluribus differit Iulianus in epist. ad Serapionem. (Centenarius numerus mysticus.) Græca omittam, quòd plura interpretis verba adducam: *Homerus mihi quidem videtur non leuiter, neque sine causa in poëmate suo clypeum è centum loris Ioui tribuisse: verùm magna aliqua, & abdita ratione istud dicendo inuoluit, quoniam videlicet perfectissimo Deo perfectißimum numerum accommodabat* (ride interim insani Apostatæ stultitiam) *eúmque numerum,* D *quo maximè exornari posset: aut quia mundum vniuersum, quem clypei forma propter rotunditatem comprehendit, non alius numerus describit, quàm centenarius, circuli centenario accommodat intelligentiam eius, qui in vniuerso intelligitur. Eadem ratione centimanus Briareus iuxta ipsum Iouem collocatur, & cum patre certat, quasi perfectum eius robur perfecto numero exprimatur. Quin & Pindarus Thebanus cùm Typhœi cædem in illo triumphali carmine celebrat, & maximi huius gigantis robur maximo Deorum Regi attribuit, non alio nomine eum magnificè adeo commendat, quàm quòd gigantem centeno capite horrendum vno ictu afflixerit, atque prostrauerit: tanquam nullus alius gigas manum cum Ioue conserere potuerit, nisi quem solum mater centum capitibus armarat: neque vllus Deus præter Iouem tanta victoria dignus esset. Simonides* E *Poëta Lyricus magnæ laudis loco Apollinem* ἑκατὸν *appellat, & quasi hac vna sacra nota eius cognomen exornat,*

quòd Pythonem serpentem centum sagittis, vt ait, confecerit: imo magis, ac sæpius se ἑκατὸν, quàm Pythium appellari gaudet, quòd illo cognomine tanquam hæreditatis alicuius titulo exornetur. Iam illa ipsa Iouis nutrix Creta, quasi Iouis educati & suscepti mercede, centum vrbium numero ornata est. Thebas etiam ἑκατόμπυλας nominat Homerus, propterea quòd centum portis maxima esset dignitas, ac pulchritudo. Taceo Deorum Hecatombas, templa Hecatompeda, aras centena basi, centenarios andronas, centiiugera arua, & cætera diuina aut humana, quæ huius numeri appellatione cōtinentur. Iste ipse numerus & belli, & pacis ordines decorat, centurias militares exhilarat: iudicum appellationem, quæ pari ratione continetur, honorat. Ac me quidem, cùm plura possem dicere, lex epistolæ prohibet : & me ratio breuitatis, cui debeo consulere: & certè Iuliani locum prætermisissem, nisi ille ad id, de quo ago, illustris esset. Tantùm addam ex eadem forte mente capiendum illud. 1. Æn.

—centúmque Sabæo

Thure calent aræ,

de Paphia Venere. videndus etiam locus Platonis in illud lib. 6. *centum errant annos.*

Ignis peruigil. 3. VIGILEMQVE SACRAVERAT IGNEM] Dictum ex veritate, non ex ornamento poëtico. Plutarchus de Defectu orac. *Cùm autem nuper apud Ammonem fuisset, cætera quidem non se valde admiratum dicebat*, περὶ δὲ τοῦ λύχνου τοῦ ἀσβέστου διηγεῖτο λόγον ἄξιον σπουδῆς, *de lucerna autem perpetuo ardente rem narrabat dignam animaduersione.* Sed & ignis peruigil in multis aliis locis fuit, & semper summa religione. In Prytaneis Græciæ, in templo Cereris, & Proserpinæ, cuius rei auctor Pausan. in Arcadicis: in aris Carnei Apollinis, nam de eo Callimachus, ἀεὶ ἀέναον πῦρ: *ignis semper durans.* Romæ quoque, Troiæ, Delphis, multísque aliis sacrariis. Omitto Persarum ignem perpetuum. Vide quæ iam ego. 2. Æn. Hîc audi formas Auctorum. Virgilius vocat *vigilem.* Propertius, & Statius. 2. Theb. *peruigilem.* Liuius lib. 5. & Noster. 2. Æn. *æternum.* Cicero 2. Leg. *sempiternum.* Arnobius lib. 2. *Vestæ ignis perpetuos focos.* & lib. 4. *perpetui ignes.* Græci ἄσβεστον, *inexstinctum.* Dionysius lib. 1. & Plutarchus περὶ τοῦ εἶ ἐν Δελφ. vterque. πῦρ ἀθάνατον *ignem immortalem.* Socrates lib. 7. Hist. Ecclesiast. c. 8. διηνεκὲς καιόμενον πῦρ, *ignem perpetuò ardentem.* Aristophanes in Lysistrata. τουτὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν ἕκατι, καὶ ζῇ: *Hic viuit ignis, atque adhuc vigil videt.* Ab Silio dicuntur *flammæ semper lucentes.* Cur ignis æternus tanta religione asseruatus ab antiquis, petendæ ex Plutarcho causæ lib. 7. Sympos.

Excubiæ Deorum. 4. EXCVBIAS] Quàm istæ deberent esse diligentes, satis indicat Liuij historia lib. 28. apud quem exstincto igne *cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij Pontificis.* Distinctionem Seruij lib. 9. Æn. hanc, *Excubiæ diurnæ sunt, vigiliæ nocturnæ*, euertit hic locus, vbi *excubiæ* sunt tam diurnæ, quàm nocturnæ, vt etiam *ignis vigil* est, qui diu noctúque seruabatur. In Glossis est, *Excubitum*, ἐγκοίτησις, quæ vox potiùs te ad noctem ducit quàm ad diem. (Seruij error.)

Sacra veterū triplicia. 5. PECVDVMQVE CRVORE] Mos fuit veteribus Deos suos colere, vel effuso tantùm cruore, & mactatis victimis: vel tantùm floribus, sertísque: vel vtroque, & cruore, & floribus. Primi generis exemplum satis clarum in Saturni sacris. Alterius, in Paphia Venere, & in ara Apollinis, quæ in Delo fuit, de qua re dictum. 1. & 3. Æn. Extremi, in hac ara Ammonis. Neque enim hîc putarem confugiendum ad communem ritum, quo flores & serta appendebantur Deorum liminibus in celebritatibus, sed ad signata sacra, quæ floribus peragebantur, vt satis potest patere ex his quæ dixi. 1. Æn. ad illud:

Thure calent aræ, sertísque recentibus halant.

Serta in honorem Deorum. 6. SERTIS] Non vtcunque flores in sacris apud veteres, sed sæpe intexti formatíque in modum coronarum. Ouidius. 4. Fast.

Et tegat ornatas longa corona fores.

& 4. Met.

Sertáque dependent tectis.

Tibullus lib. 2. eleg. 2.

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cùm decorent sanctas florea serta comas.

Et lib. 1. eleg. 1.

Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corolla
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Serta ad fores amicarū. Mos hic non solùm rebus sacris in vsu fuit, sed etiam profanis, & inprimis amatoriis. Ouid. 2. de Remed.

Effice nocturna frangatur ianua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.

Propertius lib. 1. eleg. 16.

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.

Tibull. l. 2. eleg. 2.

Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cùm posti florida serta darem.

7. AMENS ANIMI] Græca constructio, testibus Budæo, Lamb. Scalig. Sed ego libenter subaudirem *amens dolore animi.*

8. MVLTA] Grammatici aduerbialiter capiunt, pro *multis.* Sic pleraque alia, vt *crebra ferit*, pro, crebro. Sic πολλὰ Græcorum pro πολύ. Sed vehementer inclino, vt in vtraque lingua præpositio subaudiatur, à Græcis κατὰ, à Latinis, quam ipsi volent. Sed hæc quæstio appellet suos Grammaticos, & inprimis viri docti Mineruam, & inprimis Budæum.

Supinæ manus, quæ. 9. SVPINIS] Supinæ manus sunt, non sublatæ, non expansæ, non porrectæ, sed conuersæ ad cælum palmæ. Galenus enim lib. 1. de vsu Part. vt explicet sursum conuersam palmam ad continendam aquam, ne effluat, vocat ὑπτίαν τὴν χεῖρα, *manum supinam.* Est enim ὕπτιος Græcis, quod Latinis *supinum.* Hic ergo mos receptissimus in precibus. Horat. 3. Carm.

Cælo supinas si tuleris manus.

Liuius lib. 6. Bell. Pun. *vndique matronæ in publicum effusæ, circa Deûm delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cælum ac Deos tendentes.* Virg. item,

—Tendóque supinas
Ad cælum cum voce manus.

Hic habitus interdum ad homines. Petron. Satyr. *Lycas trepidans ad me supinas porrigit manus.*

[a] Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.
[b] ASPICIS HÆC? An te genitor, cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?
[c] Fœmina, quæ nostris errans in finibus, vrbem
Exiguam pretio posuit: cui littus arandum,

Cuíque

Cuíque loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit; ac dominum Ænean in regna recepit?
d Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu
Mæonia mentum mitra, crinémque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famámque fouemus inanem.

ARGVMENTVM.

Sequitur oratio Iarbæ expostulatoria in Iouem, exprobratoria in Didonem, contumeliosa in Æneam, & in omnes irata.

EXPLICATIO.

a INcipit ab commemoratione officiorum in Iouem, tum vt illum sibi conciliet, tum vt dissimulanter ingratum accuset. Porro irrisiones quasdam, quas quidam inferunt, non putamus esse ex consuetudine Poëtæ, qui de Diis semper religiosissimè loquitur. Officia, quæ commemorat, sunt, celebrari ab Mauritanis epulas in honorem Iouis, & post eas, nam hoc est *epulata*, libari vinum, idque toris pictis. Seruit epithetum totius orationis argumento. Qui omnia potes, cur fers tantum facinus?

b Conficit Iarbas argumentum hoc expostulatorium. Hæc vel aspicis, vel non aspicis: si aspicis, iniquus, qui non punis (nam hoc proculdubio subaudiendum, sed omissum ex magno iudicio) si non aspicis, non tu es Deus, frustra te horremus, cæci sunt tui ignes, inania murmura tonitruorum: potiùs terror, & illusio animorum, qua nos decipis, & te esse aliquem exspectamus, nullus cùm sis. Expende amaram illam interrogationem, *Aspicis hæc?* Explica *ignes cæcos* deceptorios inducentésque ad errorem, quo homines decepti putant esse Iouem, cùm nullus sit. Interpretes referunt ad causam Physicam. non placent; Iam te monui, nullas hîc esse irrisiones. Intelligit Iarbas Iouem esse potentissimum, sed affectum hunc dolor & ira eliciunt. Posset enim quispiam similia cum vero Numine. Cur Deus peccata non punis? Cur non affligis sceleratos, homicidas, improbos? Nunquid tua fulmina terror tantùm sunt, & murmur inane?

c Sequitur altera orationis pars, exprobratoria in Didonem; commemorat enim beneficia, quæ illa ab se acceperit, quibus tamen illa non respondit, in hoc quippe posita exprobratio. Ita verò exprobrat, vt mirè attenuet personam Didonis, attollat suam. Attenuat illam à sexu, nam *fœmina*: à fortuna, nam *errans*. Et cùm vrbem constructam à Regina negare non possit, extenuat, quippe *exiguam & pretio*, non ergo aut gratia meruit, aut virtute occupauit. & *litus*, & *arandum*, non enim nisi summa inopia ad hoc cogimur. & *dedimus leges loci*, quod sapit seruilem & infelicem animum. Attollit suam, nam errabat illa *in nostris finibus, dedimus littus arandum, dedimus leges loci*. Quid verò illa tam humilis in tam magnum principem? *Reppulit nostra connubia*, omnia cum emphasi. quasi dicat: respuit indigenam, recepit precarium. Sed & *nostra* nobilium est sermo. Quid verò me repulso? *recepit Æneam dominum in regna*. Hinc pendet omnis affectus doloris. Ego rex, & finitimus, repellor: recipitur exul, & incognitus. Aliqua, quæ hîc expendi, debes Scaligero.

d Restat pars extrema contumeliosa in Æneam. *ille* mollis, effœminatus, lasciuus, nimirum alter *Paris*,

A *cum comitatu semiuiro*, quippe Phryges mollissimi mortalium sunt habiti, & à quibus (ait Seruius) puerorum stupra inceperunt. *subnixus mentum crinémque madentem mitra Mæonia*, habens subnixum, id est subligatum mentum crinémque mitra fœminarum, crinis verò totus est madidus ab vnguento. Ergo hic tam mollis, quia alter Paris: quia cum semiuiris, quia cum mitra fœminea & vnguentis, *potitur rapto*. Explico. vt primus Paris potitus est rapta Helena, ita hic alter Didone rapta. Vel, Seruium sequere. *Rapto*, id est, stupro, nam raptus est illicitus coitus. Quid verò nos? *ferimus munera templis tuis*, & ita *fouemus inanem famam*: nam alimus errorem vulgi, qui te Deum putat. Aduerte, nunquam de se loqui, nisi numero multitudinis cum respectu ad exprobrationem Didonis, & contumelias Æneæ. Præclarè verò notat Iulius Scaliger, ab irato homine relinqui orationem

B pendentem, nihil enim concludit; tantùm desinit in exprobrationem.

NOTÆ.

1. MAVRVSIA GENS] Mauritania. Vitruuius lib. 8. cap. 2. Maurusij.

Maurusia, quam nostri Mauritaniam appellant, Strabo lib. vltimo scribit, qui à Græcis *Maurusij* appellantur, à Romanis & indigenis *Mauros* dici. Horum elogium vide apud Ælianum lib. 14. de Animalib. cap. 5.

2. PICTIS] Pictura in mensis, lectis, in omnibus denique, quæ ad apparatum conuiuialem pertinent, ex Picturæ mensarum.

C more veterum fuit. Virg. 1. Æn.

——Toris iussi discumbere pictis.

Athen. lib. 2. vbi de stratis tapetibúsque mensarum scribit, picturam quoque illis admiscet, cuius picturæ egregios artifices laudat, Acesam & Heliconē. Idem lib. 5. in apparatu conuiuij Ptolemæi Philadelphi, περιστρώματα ποικίλα διαπρεπῆ ταῖς τέχναις ἐπῆν: *Aderant peristromata picturata, elaborata egregia arte*. nam varietas ad picturam pertinet. Ouid. in Med.

Accipit hospitio iuuenes Æëta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graia toros.

Apul. 2. As. ad conuiuiũ profert, *vitrum affabre sigillatum, crystallum impictum*. Qui mos in Italia etiam floruit. Cic. de Siculo tyranno: *Collocari iussit hominem in*

D *aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo magnificis operibus picto*. & Romæ inprimis. Martial. lib. 14. in Cœnatoria:

Non fora sunt nobis, non sunt vadimonia nota,
Hoc opus est, pictis occubuisse toris.

Lampridius in Heliogab. *picta mantilia* infert, his verbis, quæ tibi morem indicabunt non negligendum: Mantilia picta edulis.
Exhibuit parasitis cœnas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulijs picta, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus. Et nota tam 1. Æn. quàm hîc toros Afrorum pictos dici. ad quam rem præclarè Germ. in lib. 1. Æn. *Tyrij vtique tapetibus & stragulis acu pictis, & picturatis promiscuè vtebantur, suppetente ipsis quidem murice, & concha indigena, operis*

ris autem arte à Phrygibus traducta, vnde & Phrygiones. porro de Phrygum pictura, alibi.

Lenæus Bacchus vnde.

3. LENÆVM] Bacchicum. ληνὸς est lacus, vbi premũtur vuæ: sunt qui referant ad instrumentum, vbi exprimuntur. Ait Cedrenus περὶ τοῖς Μαυρουσίοις οὔτε οἶνος, οὔτε ἔλαιον, οὔτε σῖτος γεωργεῖται· ἀλλὰ κριθὰς, καὶ ὀλύρας ὡς ἄλογα ζῶα ἐσθίουσι ὠμὰς. Ait videlicet, nihil apud Maurusios prouenire in agris vini, olei, frumenti: tantùm ab incolis edi olyras quasdam, & hordeum, elixa instar pecorum. Itaque credamus libationes vini summa impensa constitisse Maurusiis, nam scilicet vino aliunde ascito. Quæ res seruit argumento Iarbæ, ita fortiùs commendantis suam in colendo Ioue diligentiam.

Iuppiter ἐπόψιος.

4. ASPICIS HÆC? &c.] Locum Euripidis, in Hippolyto, quem imitatur, iam Nascimbænus præoccupauit. Alterum eiusdem in Hecuba alij. Tu obserua respectum ad Iouem Ἐπόψιον.

Iarbas filius Iouis.

5. GENITOR] Peculiariter cape, nam Iarbas filius Iouis non communi illa ratione, qua Iouem veteribus dici γεννήτορα Theon Arati interpres obseruat.

6. NEQVICQVAM HORREMVS] Putat Turn. allusum ad doctrinam Epicureorum, de qua Lucret. lib. 6. qui putabant ab Ioue non mitti fulmina. monuerat ante illum Seruius.

7. TERRIFICANT ANIMOS] Lucretius etiam de fulminibus,

Terrifico quatiunt sonitu cælestia templa.

& Silius lib. 17.

Vt cùm fulminibus permista tonitrua mundum
Terrificant.

Locum Lucretij è lib. 5. de metu fulminum, vt præoccupatum, omitto. & moneo illi institisse Silium etiam lib. 5. Vide quæ latè dicta. 1. G. ad illud,

Ipse pater media nimborum in nube corusca.

8. ET INANIA MVRMVRA MISCENT] Hæsit præceptori Claudian. lib. 1. Rap.

—quòd non Cyclopea tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus auras.

Aperio ad quam rem Poëta luserit. Opinio erat apud veteres, & clarè scribit Artemidorus lib. 2. c. 8. fulgure citra tonitrum significari vanum timorem. Verba eius, ἀστραπὴ δὲ χωρὶς βροντῆς φόβον μάταιον σημαίνει. Ergo Poëta ad hanc opinionem alludens, ait: Nũquid ignes tui miscent inania murmura? nequaquã. nam si murmura, non iam vanus & inanis timor; cùm hic exsistat ab ignibus tantùm absque tonitru. Eadem mente locutus Paulinus epist. 41. de vero Numine,

Fulgur absque tonitru.

Qui tonitru summi quatit ignea culmina cæli,
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet.

9. PRECIO] Ita in 1. *Mercatique solum.* Sed Liuius lib. 44. precium amouet, & preces ponit, nam de hac re loquens ita: *Aduenis, quantum secto bouis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad vrbem communiendam precario datum.*

10. ARANDVM] Allusum ad morem, quem alibi aperio: qui vrbem ædificabant, priùs aratro metiebantur spatium futuræ vrbis.

11. CONNVBIA NOSTRA] Pari maiestate Numanus in 9.

En qui nostra sibi bello connubia poscunt.

12. DOMINVM] Allusum vel ad blanditias illius æui, vel ad consuetudinem, qua maritus dicebatur Dominus; in vtroque inest contumelia. Qui aliis blandiebantur, *dominos*, vocabant, quo illos suos esse Reges innuebant. Hoc genus blandimenti Augustus respuit, de quo in eius vita Sueton. c. 53. *Domini appellationem vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Cùm, spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo: O do-*

Dominus vox blandimenti.

A *minum æquum & bonum. & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu vultúque indecoras adulationes repressit.* Admisit Heliogabalus, mutato tamen sexu, in quo maius dedecus, nam cùm audiret ab adulatoribus, κύριε αὐτοκράτωρ χαῖρε: *Domine imperator salue*: respondit, μή με λέγε κύριον, ἐγὼ γὰρ κυρία εἰμί. *Ne me dic dominum, ego enim sum domina*: narrat Xiphil. Apertè ad hunc morem Martial.

E seruo scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dominum appellas Sosibiane patrem.

Quæ enim Sosibianus blandiendo dicebat, Martialis detorsit ad contumeliam seruitutis. Apud Cedrenum Imperatores sæpissimè dicuntur *domini*. vt cùm de Leone ait synonymicè δεσπότου καὶ βασιλέως. Igitur Æneas in regnum acceptus, hoc blandimenti genere, atque indecora adulatione accipiebatur à Didone: & credibile est hanc esse mentem Poëtæ, cùm hoc profectum sit ab Iarba, qui acerbo erat animo in Didonem, atque Æneam. Deinde dici potest, simpliciter hîc per *dominum* intelligi *maritum*, vt apud multos alios. Lucretia apud Ouid. 2. Fastor.

B

Dominus de marito.

Mittenda est domino, iam nunc properate puellæ,
Quamprimum nostra facta lacerna manu.

Apud eundem Cydippe:

Elige de vacuis, quam non sibi vendicet alter:
Si nescis, dominum res habet ista suum.

Huc spectat sententia Pittaci, vnius è septẽ, γυναικὸς ἄρχε: *dominare vxori.* inde Euripides sapientem mulierem *seruam* vocat.

Πᾶσα γὰρ δούλη πέφυκεν ἀνδρὸς ἡ σώφρων γυνή:
Quæ sapiens mulier, nata est seruire marito,

C sed adhuc in hac sententia inesse quoque contumeliam puto, quod ab animo Iarbæ alienum non est: quippe veteres sæpe nuptialibus vocibus vtebantur ad contumeliam, quod etiam. M. Anton. Muretus notauit, firmauitque exemplis in comment. ad Catull. cui tu adde, non solùm ea, quæ ipse recenset, sed alia multa cognationis & necessitudinis nomina, qualia sunt, *frater, soror, vir, dominus*: de quibus eruditè aliqui nostri æui scripserunt.

Nuptiales voces contumeliosæ sæpe.

13. RECEPIT] Pro accepit, ex vsu Poëtarum: Catull. in Nup. Pel. *talem ipse recepit.* Et aliorum, quod iam ex Tullio Passerat. in Catullum.

Recipio pro accipio.

14. ET NVNC] Dici hoc cum stomacho iam idem Passeratius animaduertit, vt illud Propertij libro 2. eleg. 21.

D *Et nunc inter eos tu sermo es.*

15. PARIS] Hæc fuit enim Paridis opinio, vt mollis, lasciuúsque haberetur, ad quam rem facit illud Æliani lib. 9. Var. histor. c. 38. Cùm Alexander magnus venisset Ilium, & quidam illi ostenderet Alexandri Priami filij lyram, ille respondit, Malle se lyram Achillis videre, qua ille fortium virorum laudes cecinisset, nam τὴν Πάριδος τί ἄρα ᾖσεν ἡ λύρα, εἰ μὴ μέλη μοιχικὰ, καὶ οἷα αἱρεῖν γυναῖκας θέλγειν: *Paridis lyra quid cecinit aliud quàm adulterijs accommodata carmina, & fœminis captandis demulcendisque magis conuenientia?*

Paris mollissimus.

16. SEMIVIRO] Vox plena contumeliæ. Æschines de fals. legat. ita alloquitur aduersarium Demosthenem: ὁμολόγησον ἀνδρόγυνος εἶναι, καὶ μὴ ἐλεύθερος: *Fatere*

Semiuir, vox contumeliæ.

E *te esse semiuirum, non ingenuum.* Respicit Æschines ad morem, quo serui destinabantur exercendis operibus fœminarum.

Serui fœminea exercebant.

17. MOEONIA MENTVM MITRA] Mitram gestabant Mœonij, Lydij, Sidonij. De Mœoniis probat hic locus Poëtæ. De Lydiis Propert. lib. 3. eleg. 5.

Mitra quibus in vsu.

Cingat Bassaricas Lydia mitra comas.

& lib. 4. eleg. 7.

Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

De Sidoniis idem lib. 2. eleg. 29.

Quæ

Quæ cùm Sidonia nocturna ligamina mitra
Soluerit.

A

Ab his gentibus credibile accepisse Troianos vicinos. Inde lucem dabis eidem Propertio libro 4. eleg.2.

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi.

Nam Bacchus potissimè cultus in his orbis partibus. Quia verò mitram, vt plurimùm, gestabant mulieres, inde illa probrosa viris, quod Turneb. firmat Luciani loco, vbi Iuno Ioui vult obiicere Bacchi mollitiem, μίτρᾳ ἀναδεδεμένος τὴν κόμην: *mitra comam illigatus.* qui etiam ibi per contumeliam θηλυμίτρης vocatur, quòd mitram gestaret fœminarum. Cùm autem Poëta Iarbæ ore dicat Æneam vsum vnguentis, mirè præmisit, illum esse alterum Paridem, ad quàm rem inprimis faciunt verba Athen. ex lib. 1. Ὅμηρος δὲ τὴν τοῦ μύρου φύσιν εἰδώς, οὐκ εἰσήγαγε μύροις ἀλειφομένους τοὺς Ἥρωας, πλὴν τὸν Πάριν; *Homerus naturam vnguenti cùm cognouisset, neminem Heroum infert vnguentis vsum, præter Paridem.* Ergo Æneas, qui comparatur mollicie cum Paride, crine est madido. Illud quoque obseruabis; scriptores ad vsum vnguenti significandum eo verbo sæpe vsos. Martial.

Mitra probrosa.

B

Paris vnguētis vsus.

Et Cilices nimbis hîc maduere suis.

Madidus ad vnguenta.

idem;

Hoc rogo, non melius quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?

Virg. etiam,

——crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Quo in opprobrio hoc fuerit, satis indicat Cicer. in Catil. *Qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura.* Et post reditum: *Primum processit, qua auctoritate vir? vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo.* Et Suetonius in Vespas. cap. 8. *Adolescentulum fragrantem vnguento, cùm sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima increpauit, mallem halium oboluisses, litterasque reuocauit.*

Vnguenta probrosa.

18. RAPTO POTITVR] Tale quid Tibull. lib. 1. eleg. 5.

Omnia persolui, fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.

19. NOS MVNERA TEMPLIS, &c.] Simillima querela Niciæ apud Thucydidē lib. 7. νῦν ἐν τῷ αὐτῷ κινδύνῳ τοῖς φαυλοτάτοις αἰωροῦμαι, καίτοι πολλὰ μὲν ἐς θεοὺς νόμιμα δεδιῄτημαι, πολλὰ δὲ ἐς ἀνθρώπους δίκαια, καὶ ἀνεπίφθονα: *Nunc pari periculo cum miserrimis versor, quamquam multo cultu Deos, multa iustitia ac bonitate prosecutus sum.*

[a] Talibus orantem dictis, arásque tenentem,
Audiit omnipotens, oculósque ad mœnia torsit
Regia, & OBLITOS famæ melioris amantes.
[b] Tunc sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
[c] Vade, age, Nate, voca Zephyros, & labere pennis:
[d] Dardaniúmque ducem, Tyria Carthagine, qui nunc
Exspectat, fatísque datas non respicit vrbes,
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.

ARGVMENTVM.

Iarbæ preces audiuntur, irascitur Iuppiter, Mercurium aduocat, qui nuntium perferat ad Æneam. in quo obiter notabis decorum Æneæ seruatum, cùm ad illum mittatur Deorum nuntius.

EXPLICATIO.

[a] DIxerat Iarbas initio orationis, *Iuppiter omnipotens*, itaque nunc consequenter, *Audijt omnipotens.* Quin irascitur, nam *torsit oculos ad mœnia.* Signatè *amantes* non coniuges, vt innuat causam irarum, quasi dicat: Stuprum vidit, non coniugium. *oblitos famæ melioris*, quia suprà dixerat de Didone; illam non moueri fama. Quippe voluptas (blandum malum) illos reddidit sui immemores.

[b] Nam hic Deorum nuntius, Iouis inprimis.

[c] Totus versus celeritatem exspirat. illum expende. audis enim: *vade, & age, & voca Zephyros*, quibus veharis: neque his contentus, *pennas* adde, quibus delabaris. ipse versus Iouis mentem indicat, qui quamprimum voluit, vt illi malo occurreretur. Inde etiam suo nuntio Mercurio paucissima præbet mandata. Deinde, vt hæc mandata celerrimè perferantur, iubet, hortatur, blanditur, quod vidit Seru. Iubet, cùm ait, *vade*: hortatur, *Age*: blanditur, *Nate.*

[d] Clara omnia, tantùm considera verba tria, *exspectat, vrbes, fatis.* in primo notat ignauiam Æneæ, nam *exspectat* quasi otiosus. in altero pulchre opponit singularem plurali, quasi notans indignitatem Æneæ,

C

qui vnam vrbem pluribus præferret. tertio assignat causam legationis: fata enim aliter destinabant.

NOTÆ.

1. ARASQVE TENENTEM] De hoc more alibi.

2. AVDIIT] Signatè, impetrauit enim Iarbas. Audior, est, impetro. Seneca in Oedip.

Audiri, pro impetrare.

Latrauit Hecates turba, ter valles cauæ
Sonuere mœstum, tota succusso solo
Pulsata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi.

Statius:

Iam nequeo tolerare moram, cassúsne sacerdos
Audior?

D

Et deinde,

Audiris genitor, corpúsque exsangue propinquat.

3. OCVLÓSQVE AD MOENIA TORSIT] Inde ipsa mox Dido:

——iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis Pater aspicit æquis.

4. OBLITOS FAMÆ] Ita postea de se Dido:

Amor famæ proterit.

Exstinctus pudor, & qua sola sidera adibam,
Fama prior.

Est hoc quod Propertius de re etiam amoris libr. 2. eleg. 32.

Rumor & in tota non bonus vrbe fuit.

& lib. 1. eleg. 16.

Non tamen illa suæ reuocatur parcere famæ.

& lib. 2. eleg. 5.

——quamuis contemnas murmura famæ.

& lib.4. eleg.5.

Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lasciuo cogeret Antinoo.

Dido de se apud Ouidium fatetur perdidisse se *meriti famam*. Inde Catullus ad Hymenæum,

Nil potest sine te Venus
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere.

Etenim cùm rumor, vt est natura famæ, omnia euulget, nescias qua procacitate dissipat aliorum libidines, & impudicitias: ita vt statim malè audiat, qui castus non est. Hinc surditas illa optata Tibullo libr. 4.

Rumor ait, crebrò nostram peccare puellam;
Nunc ego me surdis auribus esse velim.

& Propert. lib.2. eleg.16.

Turpis amor surdis auribus esse solet.

& eleg.20.

De te quodcunque ad surdas mihi dicitur aures.

A 5. MERCVRIVM] Hunc mittit nuntium, nam Mercurius præses sermonis. Apto huc verba Arnobij lib. 3. *Mercurius quasi quidam Medicurrius dictus est, & quòd inter loquentes duos media currat, & reciprocetur oratio, nominis huius concinnata est qualitas.* Mercurij etymon.

6. VADE, AGE, NATE, &c.] Insistit Homericæ imitationi Odyss. 5. & 6. Il. loca obuia. Sed ita insistit, vt vincat. Clarum cuilibet expendeti loca. Nam in Græco ars nulla, cùm nullum verbum signatum vel ad celeritatem, vel ad curam mandatorum, sed omnia obuia, vt dici à quoquam possent, non ab Ioue. adeo Homerus indiligens. Sed quare *Zephyros* aduocet? An species pro genere? Fortasse etiam bono omine *Zephyros* nominat. Dicitur *Zephyrus* à ferenda vita, atqui B suo nuntio Mercurius salutem affert Æneæ. sed quid, si ventum occidentalem nominat, quia vult Mercurium ab ea mundi plaga Carthaginem petere, vbi maternus auus Atlas? postremum hoc Hortensij est. Sed primum præfero. Nam Statius. 1. Theb. Notis ait portatum Mercurium. Virgilius superat Homerum. Homeri indiligentia.

Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Graiûmque ideo bis vendicat armis:
[b] Sed fore, qui grauidam imperiis, bellóque frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
[c] SI NVLLA accendit tantarum gloria rerum,
NEC super ipse sua molitur laude laborem,
ASCANIÓNE Pater Romanas inuidet arces?
[d] Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lauinia respicit arua?
[e] Nauiget: hæc summa est: hîc nostri nuntius esto.

ARGVMENTVM.

Continentur his versibus, quæ velit Iuppiter dici ad Æneam.

EXPLICATIO.

[a] PEriphrasis Veneris. Vtraque vox signata, prior ad generationem, cui præest: posterior ad venustatem. nam Venus quid nisi venusta tota, & pulchra? Alij aliter originantur. Sententia integra. *Non promisit nobis illum talem genitrix, nec ideo vendicat illum bis ab armis Graiûm*, id est, eripit, semel à Diomede, iterum ab Achille, vt nunc indulgeat voluptatibus.

[b] Imò promisit illum fore talem, *qui regeret Italiam imperijs grauidam, frementem bello.* Quî grandius posset laudari Italia? Illa parens fuit Imperatorum, ideo *grauidam imperijs*: & bellicosissima, ideo *bello frementem.* Hic partus imminebat iam à tempore ipsius Æneæ, cuius hîc est occulta laus. Nam ad magna qui nisi magni? Pergit. Promisit talem fore, *qui proderet*, id est, propagaret *genus* ortum *ab alto Teucri sanguine.* Demum, *qui mitteret orbem totum sub leges.* Respectum ad Augusti imperium tecta quadam adulatione.

[c] Si ipse nulla gloria inflammatur, nec putat de laude sua laborandum, cur pater filio segetem gloriæ adimit? Plena omnia emphaseωn. Paternè debet inuidere filio arces Romanas? In his Turnebus inuenit artificium singulare ad adulationem excogitatum. Quasi, non tam Æneæ significetur quæri Italia, quàm Iulo, ac perinde familiæ Iuliorum.

C [d] Vult ne sibi mali aliquid struere? cur esse vult inter hostes? quin potiùs speret Italiam, aspirétque ad illam. Dicit hoc Iuppiter præoccupans fututas inimicitias inter Romam & Carthaginem.

[e] Hæc summa mandati, & prolata cum graui imperio, neque absque nota iracundiæ.

NOTÆ.

1. GRAIVMQVE IDEO BIS VENDICAT] Il. 5. Venus liberat à Diomede, Venus Æneá liberat.

Ἡ μὲν ἑὸν φίλον υἱὸν ὑπεξέφερεν ἐκ πολέμοιο:
Hæc quidem suum dilectum filium subduxit è bello.

Res ibi latè. Ab Achille autem Il.20. non Venus, sed D Neptunus Æneam liberat, quod multis narrat Græcus vates. Et Neptunus ipse. 5. Æn.

——Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam, nec Dijs, nec viribus æquis,
Nube caua eripui.

Sed credendum factum hoc fuisse Veneris precibus, qui res filij curabat: Inde Iuppiter factum Veneri attribuit, & Neptunum omittit. Ex multis interpretationibus hanc prætuli, tu quam voles, scatent interpretes. Profectò locus Homericus, quem subiiciam, indicat referendum hunc locum ad Neptunum, nam ibi sermo est de posteritate Æneæ. dictum autem *vendicat* præsens pro præterito, qualia in Poëtis centena. in Georgic. *Cæúmque Iapetúmque creat.*

2. GRAVIDAM IMPERIIS] Pro, grauidam imperatoribus, quæ loquutio non infrequens. Sic ex obser- Imperium pro imperatore.

uatione Passeratij in Propertium, dicuntur *hospitium*, *seruitium*, *coniugium*, *exilium*, *regnum*, pro hospite, seruo, coniuge, exule, rege. Adiungo Senecam in Oedip. qui exsequias dixit, pro his qui exsequias peragunt. Nam in peste ita ait: A

Quin luctu in ipso luctus exoritur nouus,
Suaq; circa funus exsequiæ cadunt.

Ita ergo, imperium, pro imperatore. Italorum porro laudes bellicas habes lib. 2. Georg. ab illo loco:

Hæc genus acre virum, Marsos, pubémque Sabellam, &c.

Vbi nos multa. Quæ ibi dicta sunt, illustrari possunt etiam perlustrata elegia. 22. Propertij, quam habet lib. 3.

Æneæ posteri. 3. ITALIAM REGERET] Capiendum hoc de posteris Æneæ, nemo negabit, qui Homeri locum videat Iliad. 20. vbi Neptunus volens Æneam eripere à mortis periculo, in quod fuerat ab Achille adductus, his vtitur ad alios Deos spectatores certaminis.

Ἀλλ᾽ ἄγεθ᾽ ἡμεῖς πέρ μιν ὑπ᾽ ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν,
Μή πως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἴκεν Ἀχιλλεὺς
Τόνδε κατακτείνῃ, μόριμον δέ οἵ ἐστ᾽ ἀλέασθαι,
Ὄφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ, καὶ ἄφαντος ὄληται
Δαρδάνου, ὃν Κρονίδης περὶ πάντων φίλατο παίδων,
Οἳ ἕθεν ἐξεγένοντο γυναικῶν τε θνητάων.
Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων.
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Sed agite, nos saltem ipsum à morte subducamus,
Ne forte & Saturnides irascatur, si Achilles
Hunc interimat. fatale autem est ei euitare,
Vt ne sine semine genus, & prorsus exstinctum pereat
Dardani, quem Iuppiter præ omnibus dilexit liberis,
Qui ex se nati sunt, mulieribúsque mortalibus.
Iam enim Priami genus odit Saturnius.
Nunc autem iam Æneæ vis Troianis imperabit,
Et filij filiorum, qui quidem in posterum nati fuerint.

Tantùm Virgilius rem commutauit, & Æneam Romanis præcinuit regnaturum, non Troianis. B

4. PRODERET] Terent. And. *credo, impetrabo vt aliquot saltem nuptijs prodat dies.* sic enim legendum hunc locum, non, *protrahat*, notat Henr. Steph. quod firmat Nonij, & Donati auctoritate: Donatus verò auctoritate Lucilij. Eodem significato hîc Virgilius.

5. SVPER] id est, pro sua laude, Græcanicum. sic & Demosthen. ὑπὲρ τοῦ στεφάνου, *pro corona.* Seru. Super, id est, pro.

6. NVNTIVS] Ἄγγελος. Orpheus in Hym.

Κλῦθί μευ Ἑρμεία Διὸς ἄγγελε:

Eundem dictum ἄγγελον Hesychius obseruat.

Dixerat: ille patris Magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimítque, & lumina morte resignat.

C

ARGVMENTVM.

Paret Ioui Mercurius: describitur huius apparatus: hic duplex, talaria pedum, & virga manu: vterque ab effectis prædicatur.

EXPLICATIO.

Explicatio tota pendet ex Notis, ideo hîc breuiter. Initio apparet πρέπον ex obedientia inferioris Numinis ad superius. Nihil enim respondet Mercurius, orationi paret, vt 1. Æn. Amor,

Paret Amor dictis charæ genitricis.

Sed qui apparatus ad iter? Talaria in pedibus, virga in manibus. Illa aurea sunt, portántque illum sublimem supra æquora, supra terram, vnà cum ventis, quia videlicet Mercurius non solùm fertur talaribus, sed etiam ventis. Virgæ virtutes quinque connumerat. sunt illæ. Mercurius illa *animas orco euocat*, *in orcum mittit*, *dat somnos*, *adimit somnos*, *resignat oculos in morte.* D

NOTÆ.

1. DIXERAT: ILLE PATRIS, &c.] In his quæ sequuntur, Homerum adumbrat Odyss. 5.

Ὣς ἔφατ᾽· οὐδ᾽ ἀπίθησε διάκτορος Ἀργειφόντης.
Αὐτίκ᾽ ἔπειθ᾽ ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
Ἀμβρόσια, χρύσεια. τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ᾽ ὑγρὴν,
Ἠδ᾽ ἐπ᾽ ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῆς ἀνέμοιο.
Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ᾽ ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
Ὧν ἐθέλει· τοὺς δ᾽ αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Sic ait: neque renuit internuntius Mercurius,
Statim deinde pedibus subligauit pulchra talaria,
Immortalia, aurea, quæ ipsum ferebant siue per mare,
Siue per immensam terram pariter cum flamine venti.
Cepit autem virgam, qua virorum oculos demulcet,
Quorumcumque vult, eos autem ipsos sopitos excitat.

Habentur iidem versus Iliados vltimo. Statius 1. Theb. Vtrique Poëtarum principi sic instituit,

Paret Atlantiades dictis genitoris, & inde
Summa pedum properè plantaribus illigat alis,
Obnubítque comas, & temperat astra galero.
Tum dextræ virgam inseruit: qua pellere dulces,
Aut suadere iterum somnos: qua nigra subire
Tartara, & exsangues animare assueuerat vmbras.

2. TALARIA] Sunt hæc calceamenta alata Mercurij. πέδιλα Græcis, quòd pedibus necterentur, Latinis talaria, quòd talis. Val. Flacc. lib. 1. nominat, *plantaria*, cùm ait, Talaria Mercurij. Plantaria.

——*Aërij plantaria vellet*
Perseos.

Papin. *Alas plantares.* inde est, vt apud Athen. lib. 7. Mercurij πτερὰ *alas*, de Talaribus accipiam. Vbi enim infra

insanissimas quorundam opiniones ponit, qui se Deos putabant, de quopiam sic scribit: ἄλλος δέ τις, ὡς Ἑρμῆς, χλαμύδα ἔχων, κηρύκειον, πρὸς δὲ τοῖς πτερά: *Alius quispiam Mercurium (se faciebat) habens chlamydem, caduceum, alas insuper.* Sicut & Artemidorum lib. 2. qui hunc Deum vocat πτηνὸν, & Dionem Chrysost. qui orat. 32. πτερόπουν. Quia de alis pedum frequentior mentio. Fulgentius: *Pennata talaria habet, quòd negotiantium pedes vbique pergendo quasi pennati sunt.* Vides, vt vnà cum talaribus *pedes* coniungat: quia talaria erant in pedibus. Orpheus in hymno illum vocat πτηνοπέδιλον. Ouid. 1. Met. signatè:

Alæ Mercurij in pedibus.

Parua mora est: alas pedibus, virgámque potentem
Somniferam sumpsisse manu.

Et 5. Fast. *alato pede*: ait enim:

Pacis & armorum, superis imísque Deorum,
Arbiter, alato qui pede carpis iter.

eundem *Alipedem* vocat: *Alipedis de stirpe Dei*, & Virgilius hîc *pedibus talaria nectit*. Minutius clarè: *pedibus Mercurius alatis, Pan vngulatis, Saturnus compeditis.* Et Philo de Legat. πέδιλα Ἑρμῆς ὑποδεῖται πτερῶν τάρσους ἔχοντα: *Mercurij pedibus alata subligantur talaria.* Ergo cùm *alas* Mercurij audiam nulla adiectione, ad talaria non inuitus confugiam. Non negem tamen dari etiam alas galero Mercurij. Nam ipse Deus apud Plautum in prologo Amph. *Ego has habebo hîc vsque in petaso pinnulas.* Has Apuleius dedit comis, testimonium alibi adduco. Inde Sidonius Paneg. ad Auit. de hoc Deo:

In galero, & comis.

Nunc plantis, nunc fronte volat.

Qui humeris Mercurij dant alas, omnino errant.

3. AVREA] Ex decoro Dei. Homerus quoque Mercurio dat χρύσεια πέδιλα, *aurea talaria*. Apul. lib. 10. Af. *aureas pinnulas*. Martialis, *auream virgam*: cùm ait,

Aurea cui torto virga dracone nitet.

sicut & Horat.

—virgáque leuem coerces
Aureâ turbam.

Ab eadem virga aurea Homerus hunc Deum vocat χρυσόρραπιν. & Homeri imitator Pindarus Od. 4. Pyth. Ἑρμῆς χρυσόρραπις. Sic ab eodem Homero non semel apparatus Iouis totus aureus describitur, aliorum item Deorum. nec non apud Virg. variis in locis, de quo & nos alicubi. Putabant enim veteres hac vna re maximè suis Diis conciliari maiestatem, quod natum ex metalli huius splendore, honore, dignitate.

Aureus Deorum apparatus.

4. SVBLIMEM ALIS] Coniungo ita. Talaria alis suis portant illum sublimem. Non portant sublimem alis.

5. PARITER CVM FLAMINE] Nam videlicet ventis etiam ferri fingebatur. Papin. 1. Theb. Iouis ore:

—Quare impiger alas
Portantes præcede Notos Cyllenia proles.

& inf. auram simpliciter posuit,

Desiluit, tenuique exceptus inhorruit aura.

& iterum 2. Theb.

—Tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionij stratis adlapsus.

Virga Mercurij.

6. VIRGAM] Descriptis talaribus, quæ in pedibus; transit ad virgam, quæ in manu. De huius origine, materia, forma, nominibus, mythologia, breuem affero dissertatiunculam. De vorigine hæc habét fabulæ. Mercurius Apollini Lyram dono dedit, & ab eo inuicem virgam accepit, quam cùm manu teneret

Virgæ origo.

A Mercurius; accidit vt in Arcadiam proficiscens dracones duos videret comparatos ad pugnam, volentésque dimicare, tum ille virgam inter vtrunque coniecit, quo facto illi discesserunt: inde est, vt huius Dei virga pacis symbolam sustineat. Sic fermè Hyginus in Poëtico Astronomico, cap. de Lyra. Quibus adde ex Plin. lib. 29. cap. 3. serpentes caducei, de quibus dicam in forma, cristatos non fuisse. causa. Nam, cùm illi insigne sint pacis, si cristati essent, bellum indicarent, cristæ enim militarium sunt galearum. De materia, quæ aurea, dictum suprà. Porro forma pendet ab origine, quam iam adduxi. Insunt serpentes duo masculus & fœmina, quæ medio corporum complexu efficiunt nodum Herculanum: ab eo supernæ partes sic ad osculum reuocantur, vt flexu circulum efficiant: infernæ simili flexu ad caducei

Materia.
Serpentes Mercurij.

B capulum reuocantur, qua parte item caudæ coeunt vtriusque. Sic fermè Macrob. 1. Satur. cap. 19. & ab eo alij. Videndus Eras. in adagio *cassioticus nodus*. Inde ab Arnobio lib. 4. dicitur, *gestator affabilium colubrarum.* Nomina tria inuenio *virgam, caduceum, vimen*. Homer. Odyss.

—ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν
Καλήν, χρυσείην.

tenebat autem virgam in manibus pulchram, auream. hîc Virgilius, Stat. Martial. aliíque plures. *Caduceum* quoque plurimi: inde Arnobio lib. 3. *caduceator* dictus, *caduceator ille Cyllenius in algido fusus monte.* Inde vetus inscriptio tumuli in vrbe Patauij, vocat hunc Deum *caduceatum*. Ea sic habet: *Abite hinc*

Caduceum.

C *pessimi fures vos, quid vestris vultis cum oculis emissitijs, abite hinc vestro cum Mercurio petasato caduceatóque.* Apul. lib. 10. Af. *virgam & caduceum* coniunxit: *Puer luculentus, nudus, nisi quòd ephebi chlamyde sinistrum tegebat humerum, flauis crinibus conspicuus, inter comas eius aureæ pinnulæ simul coniunctæ prominebant cum caduceo, & virgula.* Papin. 2. Theb. *vimen* indigetat, vbi enim ait ab hoc Deo sopitum Cerberum. sic scribit:

Vimē Mercurij.

Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens,
Ferrea tergemino domuisset lumina somno.

Quod attinet ad Mythologiam, cuíque est liberum. Ego existimo, per virgam Mercurij genus aliquod carminis significatum, quo ille vsus esse creditur ad

Virga Mercurij quid significet.

D somnum inferendum, & ad demulcendum siue oculos, siue curas mortalium. Mouet me Apuleij locus. 2. Flor. qui virgam facit vel instrumentum musicum, vel genus carminis. eius hæc sunt, *Pro his præoptare me fateor, vno carthario calamo, me reficere Poëmata omnig enus apta, virgæ, lyræ, socco, cothurno.* Inde huic Deo apud Ouid. Argum demulsuro & tradituro somno, ceteris remotis,

—Tantummodo virga retenta est,

Et addit,

Hac agit, vt pastor per deuia rura capellas,
Dum venit, adductas, & structis cantat auenis.

Adiuuat, hanc virgam, Mercurio dono datam ab Apolline Musicæ parente. Nodum autem serpen-

E tium (nam hoc ad Mythologiam spectat) vocarunt *Herculanum* à virtute Herculis, innuentes, fœdera, quorum nuntius est Mercurius, non oportere dissolui, verùm debere valere plurimùm. Extrema hæc de nodo Erasmus attigit.

Herculanus nodus.

7. HAC ANIMAS ILLE EVOCAT ORCO, &c.] Priores duas virtutes virgæ Mercurij Petronius intulit in Satyr. *Mercurius enim, qui animas ducere & reducere solet.* Et Prudentius in Symmachum his versibus:

Virgæ Mercurij virtutes quatuor.

Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ
Traditur exstinctæ sumptæ moderamine virgæ
In lucem reuocasse animas, Cocytia lethi
Iura resignasse, sursum reuolantibus vmbris:
Ast alias damnasse neci, penitúsque latenti
Immersisse Chao.

Mercurius deductor animarum. Emissarius.

Inde Græci πομπέα vocant, & πομπαῖον, & ψυχόπομπον, quòd animas in infernum mitteret. Et *emissarium*. S. Ambros. quod notauit Lilius. Hesychius vocat ψυχαγωγὸν, quòd animas ducat. alij, quòd mortuos, νεκραγωγὸν, & νεκρόπομπον. Ex dictis illustrabis Horatium Od. 10. lib. 1. qui ad Mercurium,

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgáque leuem coerces
Aurea turbam.

Et eundem Od. 24. ab eo loco,

Non vanæ redeat sanguis imagini,

lege quæ sequuntur. Posteriores duas Papinius. 1. Theb.

Tum dextræ virgam inseruit, qua pellere dulces,
Et suadere iterum somnos.

Mercurius vnde dictus Cyllenius.

Omnes ab Homero videntur accepisse: locum iam attuli. Sophocles in Aiace, de Mercurio, κοιμίσαι dixit. Ab hac vna re sunt qui putent Mercurium dictum *Cyllenium*, quòd nimirum somnum animantibus conciliet. vt qui potestatem κυλλάδων habeat, sunt autem κυλλάδες sinus oculorum. & κυλλοιδιᾶν, est, cùm palpebræ intumescunt ex nimio, aut etiam ex minimo somno. inde fortasse acumen Claudiani lib. 1. Rap.

—Cyllenius astitit ales,
Somniferam quatiens virgam.

Videtur enim ex hac obseruatione duo hæc vicina coniunxisse.

Euoco, vox Magiæ.

8. Evocat] Signatè, nam hoc verbum magiæ est, & δύναμιν quandam, atque imperium signat. Inde Magis tribuitur. Medea apud Senecam:

Secreta nudo nemora lustraui pede,
Et euocaui nubibus siccis aquas.

De Mercurio autem Prudentius in Symmachum,

—Thessalicæ doctissimus ille magiæ.

9. Pallentes] Quî anima capax palloris? Per animam ergo simulacrum illud, vmbrámque intelligit, quod Seruius notat, de qua re mihi latè sermo habebitur in 6. Æn.

Plutonis virga.

A 10. Alias svb tristia tartara mittit] Quod omnes Mercurio, & virgæ eius, Pindarus Od. 9. Olymp. attribuit Plutoni; eiúsque virgæ,

Οὐδ' Ἀΐδας ἀκί-
νητον ἔχε ῥάβδον,
Βροτέα σώμαθ' ᾇ κατάγει
Κοίλαν πρὸς ἀγυιὰν
Θνασκόντων.

Nec Pluto immotam habebat virgam, qua mortalia corpora deducit ad cauum vicum morientium. Sed quando sum in hac potestate Mercurij trahentis homines ad mortem, dignus est, qui sciatur, Atheniensium mos, apud quos damnati morte, non omnes die vno efferebantur ad supplicium, sed sorte quadam dies

Mercurius dicebatur damnatus ad mortem.

B mortis illis contingebat. Miser ille, cui sors primum contingebat, dicebatur Mercurius. Notauit hoc Scholiastes Aristophanis in Irena. verba signata sunt. ὅθεν καὶ τὸν πρῶτον κληρούμενον, Ἑρμῆν φησὶ καλεῖν δεῖ. Erat mos alius huic affinis apud Græcos, quem narrat Iulius Pollux lib. 8. Erat in ianua carceris depictus Mercurius, quem στροφαῖον, quasi ianitorem vocabant.

Resigno, pro, aperio.

11. Et lvmina morte resignat] Explica. aperit lumina in rogo, in quo allusum ad morem Romanorum. Mortuis in rogo oculi aperiebantur, qui antè domi clausi fuissent. Plin. lib. 11. cap. 37.

Mortuis oculi aperiebantur in rogo.

Morientibus illos operire, rursúsque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est: ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectare fas sit, & cælo non ostendi

C *nefas.* Visum ergo Poëtæ cum allusione ad hunc morem, attribuere rem hanc Mercurio, & eius virgæ. hoc Plinij testimonio sentit Turnebus, *resignare* esse aperire, & explodit Seruij interpretationem. Sed Turnebum ita explicantem ineptire ait Iosephus Castalio, & ait accipiendum Poëtam eo sensu, quo Prudentius dixit Plutonem resignasse iura lethi. Immeritò tamen ita accipitur Turnebus. Firmat enim Germanus mentem eius, nam & Varroni in re mortuorum, *sigillo* est oculos occludo, *resigno* ergo erit aperio, quasi resigillo. Verba Varronis sunt: *Contra lex Mæuia est in pietate, ne filij patribus sigillent oculos.*

Sigillo de mortuis.

Et ego firmo, nam sententia illâ, qua Prudentius dixit, *resignare*, iam Virgilius, *animas euocat orco*. Itaque idem est, euocatio Virgilij, & resignatio Prudentij. Quid ergo iterum Virgilius repetat? Soluit nodum hunc Iosephus, quia illud *& lumina morte re-*

D *signat*, tantùm est expositio præcedentis. Hoc nihil est. Nam si quatuor præmissa, cur vnius tantùm facta expositio?

Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila. iámque volans, apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur, & imbri:
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

ARGVMENTVM.

Deuolat Mercurius: ex occasione inducitur descriptio Atlátis de quo loquitur vt de homine, cũ respectu ad metamorphosin.

EXPLICATIO.

VT sessor agit equum, quo vehitur, ita Mercurius *ventos agit*, idque auxilio virgæ, quasi illa, vt fræ-

E no, vteretur ad ventos moderandos, ad trananda nubila. Et, quia descendit de cælo in Atlantem, subiicit descriptionem Atlantis. Qui, quia & vir, & mons ex fabulis, accipit à Poëta quædam, quæ & viro & monti conueniant: talia sunt, *latera, vertex, apex, caput.* Pari consecutione descriptio diuiditur in ea quæ Atlas habet, vt mons; in ea, quæ habet vt vir. vt mons

durus

durus est, fulcit cælum vertice, habet pinos. vt homo, *humeros, mentum, barbam.* Nam alia, vt dixi, communia sunt. Tota verò descriptio tendit ad explicandam & altitudinem, & asperitatem montis. Quia altissimus habet, *ardua latera, fulcit cælum vertice, habet caput cinctum nubibus, pulsatur vento, pulsatur imbri.* Est asperrimus, *ab niue infusa, ab fluminibus præcipitatis, ab glacie, qua totus riget, atque horret.* Peculiaria quærenda in Notis.

NOTÆ.

1. TVRBIDA TRANAT NVBILA] Statius de eodem lib. 1.

—ingenti designat nubila gyro.

Atlantis descriptiones. 2. IAMQVE VOLANS, APICEM, &c.] Descriptionem hanc Atlantis Silius imitatur lib. 1. Punic.

Nec patitur nomen proferri longiùs Atlas:
Atlas subducto tracturus vertice cælum,
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriasque
Erigit æternum compages ardua ceruix.
Canet barba gelu frontémque immanibus vmbris
Pinea sylua premit, vastant caua tempora venti,
Nimbosóque ruunt spumantia flumina rictu.
Tum geminæ laterum fauces maria alta fatigant.

Ab hac descriptione non alieni sunt Ouidij versus, 4. Met. qui loquuntur de transformatione ipsa:

Quantus erat mons factus Atlas. nam barba comæq;
In syluas abeunt: iuga sunt humeríque manúsque:
Quod caput antè fuit, summo est in monte cacumen:
Ossa lapis fiunt. tum partes altus in omnes
Creuit in immensum (sic Dij statuistis) & omne
Cum tot sideribus cælum requieuit in illo.

Atlas mons. 3. ATLANTIS DVRI] Signat asperitatem saxosi montis. illum Plin. *asperum, squalentem* vocat. Solinus hærens Plinianis vestigiis, vt assolet, *Rupibus asperatur, squalet ieiunio.* Ab duritie & firmitate vocat Atlantem Plato in Phædone ἰσχυρότερον, καὶ ἀθανατώτερον: *robustiorem, immortaliorem.*

Atlātis mōtis altitudo. 4. COELVM QVI VERTICE FVLCIT] Hyperbolicè signatur altitudo montis. Herodot. in Melpom. ἔχεται δὲ τοῦ ἁλὸς τούτου ὄρος, τῷ οὔνομα Ἄτλας· ἔστι δὲ στεινὸν, καὶ κυκλοτερὲς πάντη. ὑψηλὸν δὲ οὕτω δή τι λέγεται, ὡς τὰς κορυφὰς αὐτοῦ οὐκ οἷά τε εἶναι ἰδέσθαι. τοῦτο κίονα τοῦ οὐρανοῦ λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι εἶναι: *Exstat in hoc mari mons, cui nomen Atlas est autem angustus, & vndique circumteres. Ita verò sublimis esse dicitur, vt illius cacumen cerni nequeat. Hunc incolæ cæli columnam esse dicunt.* Verba, quæ in medio desiderantur, afferam ad rem aliam. Redeo. Plin. lib. 5. cap. 1. *E medijs hunc (Atlantem) arenis in cælum attolli prodiderunt.* & infr. *Elati super nubila atque in viciniam lunaris circuli.* Ab hac altitudine agnoscunt medici inter partes hominis Atlantem, sub quo est eminentia illa, quam Græci dicunt λοφίαν, ἀσφάλειαν, λοφαδίαν. Vide Pollucem lib. 2. Hyperbolem suam Maro à Græcis sumpsit. Apud Æschylum in Prometh. Atlas dicitur cælum ὤμοιν ἐρείδων: *humeris sustinens.* Ab Hesiod. in Theog. Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει: *Atlas latum cælum fert.* Ab Nonno lib. 2. Atlas inducitur μογεροῖς ὤμοισι φέρων οὐρανὸν, *fulciens cælum laboriosis humeris.* Eundem vocat:

Atlas pars humani corporis.

Αἰθέρος ἑλίξοντα παλινδίνητον ἀνάγκην:
Ætheris mouentem reuolutam necessitatem.

Et lib. 3. dat illi attritos humeros præpondere, ὤμοις θλιβομένοισι. Hîc ego quiddam non vulgare. Sciunt omnes, prægrandes statuas, quæ statui solent in ædibus principum, vocari & *Atlantes*, & *Telamones.* Vt notum hoc, ita ignotum, cur dicantur *Telamones.* Putant enim ita dici aut ab Telamone Aiacis patre,

A aut ab ipsissimo Aiace Telamonio. Nam hi (inquiunt) fuerunt grandi corpore. Non ita est. Vt enim grandes istæ statuæ dicuntur Atlantes ab altitudine Atlantis, ita etiam Telamones ab altitudine eiusdem Atlantis. Nam Atlas Latino nomine dictus est Telamo ab Ennio. Seruius in verba illa. 1. Æn. Atlas dicitur etiam Telamo.

—docuit quæ maximus Atlas,

ita ait: *Atlas Græcum est, sicut & Nilus: nam Ennius dicit Nilum, Melonem vocari; Atlantem verò, Telamonem.*

5. ATLANTIS, CINCTVM] Ipsa vocis geminatione videtur se accingere ad rem magnam denarrandam. Quod etiam, vt vidisti, imitatus est Silius. Fabulam breuiter percurram. Fuit Atlas Rex Mauritaniæ rerum omnium scientia, inprimis siderum, peritissimus. de quo Homerus Odyss. 1. Atlantis fabula.

B

*—*ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε, καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι:
—sustinet autem columnas ipse
Longas, quæ terrámque, & cælum amplectuntur.

Eadem fere Æschylus in Prometh. ἕστηκε κίον' οὐρανοῦ τε, καὶ χθονὸς: *sustinuit columnam cæli, & terræ.* Hoc capiendum allegoricè: nam fabulosum confictum itaque, illum sustinere columnam cæli, & terræ, quòd rerum cælestium, & astronomicarum scientissimus fuerit. id dictum primò de Ægyptio Atlante Tzetzes scribit Hist. 1. 5. Chil. quod Græci deinde ad Libycum transtulerunt. Alij fabulam aliò detorquent, & dictum id aiunt propter montem Atlantem Mauritaniæ huic homini cognominem, qui mons quòd altissimus sit, dictus est, cælum sustinere: in quem montem (dicunt fabulæ) conuersus est Atlas ipse viso Medusæ capite, quod Perseus gestabat. Alia pleraque narrantur, sed fabulis adhibendus modus.

C

6. PINIFERVM CAPVT] A pinis, quas sustinet. Pineta solent montes vestire, præsertim sitos in locis æstuosis, qualis Africa. inde à pinorum multitudine dictus mons Atlas habere *caput piniferum.* Sed contra est Plin. qui lib. 5. cap. 1. *imas radices densis altísque repletas syluis incognito genere arborum.* non ergo pinus? Tria dico. Primum, Virgilij auctoritatem contra Plinium validam esse, &, si me consulis, fortiorem: itaque in re discordi starem pro Virgilio, cui & Silius hæsit. Versus iam attuli. Deinde vide, an defendi Virgilius possit, qui *caput*, id est, verticem summum montis pineto conserit, cùm Plin. radices tantùm incognito illo arborum genere. & in hoc quidem monte similia alia. Solin. cap. 37. *Quà ad Oceanum extenditur, cui à se nomen dedit, manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet ieiunio, humo nuda, nec herbida: quà Africam contra versus est, opimus nascentibus sponte frugibus, arboribus proceris opacissimus.* Paria Plin. narrat. Tertio demum potuit Poëta in incognita sylua ad eam arborem confugere, quæ in montibus frequens. hoc ipso laudandus. Pineta in montibus.

D

7. NIX] Herodot. in Melpom. οὐδέποτε γὰρ αὐτὰς (præcessit, κορυφὰς) ἀπολείπει νέφεα, οὔτε θέρεος, οὔτε χειμῶνος: *Neque vnquam vertex niuibus caret, vel per æstatem, vel per hyemem.* Inde à Græcis, νιφόβολος Ἄτλας, *niuibus obrutus.* Plin. lib. 5. cap. 1. *verticem altis, etiam æstate, operiri niuibus.* Solin. *vertex semper niualis.* Nix Atlātis.

E

8. HVMEROS] Mihi non dubium, quin Plinius, vt est sedulus Virgilij imitator, respexerit ad hunc locum, cùm montes generatim describens, illis humanas partes attribuit. Verba eius produco è lib. 2. c. 44. *Montiũ verò flexus, crebríq; vertices, & conflexa cubito, aut*

confracta in humeros iuga, concaui vallium sinus, scindunt inæqualiter inde resultantem aëra, quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit. Vides verticem, cubitum, humeros, sinus, voces.

Flumina Atlantis.

9. Flumina] Nam feruntur inde aliqua flumina ortum habere. Solin. cap. 37. *Amnes circa eum non tacendi.* mox nominat Asanum, & Nigrum. ille enim locus corrigendus videtur ex Plin. quod vidit Ioan. Camers. Plin. lib. 5. cap. 1. *Scatebris fontium riguum.* Solin. iterum. *qua ad Oceanum extenditur manat fontibus.* Silius:

Nimbosóque ruunt spumantia flumina rictu.

10. Præcipitant] Se præcipitant flumina. Præclarè. Donat. *expressè dixit, præcipitant: magnitudo enim* A *aquarum, & niuium, & altitudinis, aliter ostendi non poterant.*

11. Senis] Allusum ad ætatem, & ad niues. Claudian.

Perpetuáque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprij spectator ponderis Atlas.

12. Glacie riget horrida barba] Scitè admodum. Nam rigor glaciei est, horror barbitij inculti. Ergo, barba, cuius est horror; asperatur glacie, cuius est rigor. Inde mira verborum dispositio. Iunguntur enim, *glacie riget,* & *barba horrida.* Hæ minimæ Notæ ducent Lectorem ad imitationem tanti vatis.

Hîc primùm paribus nitens Cyllenius alis,
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad vndas
Misit, Avi similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos humilis volat æquora iuxta.
Haud aliter terras inter, cælúmque volabat,
Littus arenosum Libyæ ventósque secabat,
Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

ARGVMENTVM.

Sistit in Atlante Mercurius, inde in Libyam descendit: volatus eius comparatione illustratur.

EXPLICATIO.

Ait, Mercurium nulla facta quiete & intermissione totum aërem transuolasse à cælo vsque ad Atlantem, vbi *constitit nitens alis,* id est, constitit in pedes, vbi alæ eius. Inde *præceps* descendit ad Carthaginem, quæ vrbs sita ad vndas maris, ideo *misit se ad vndas.* Sequitur comparatio. Misit se similis illi aui, quæ humilis volat iuxta ipsa æquora, circum littora, circum scopulos pisculentos, vt inde rapinæ aliquid obtineat. Accommodat deinde comparationem, in qua accommodatione nominat *littus,* & *ventos.* quòd similem fecerit aui illi, quæ *volat,* & ad *littora.*

Notæ.

1. Paribus] Æquatis pennis, atque adeo volatu leni, & tranquillo. Ita alibi,

—in cælum paribus se sustulit alis.

2. Nitens] Signata vox in volatu. Ouidius 2. Pont.

Et quot aues motis nituntur in aëre pennis.

Lucret. lib. 6.

Nitor, nixus, conamen:

ait enim,

Claudicat extemplo pennarum nisus inanis,
Et conamen vtrinque alarum proditur omne,
Hîc vbi nixari nequeunt, insistere & alis.

Porro *nictari* legunt, sed Gifanius *nixari* mauult.

Mercurius vnde dictus Cyllenius.

3. Cyllenius] Mercurius. Hunc nutritum in Cyllenio Arcadiæ monte scribunt fabulæ, & in vltimum Odyss. id notant Grammatistæ: inde hic Deus *Arcas* vocatur. Papin. *vocalis citharæ repertor Arcas.* sunt qui ἀπὸ τῶν κυλλάδων ducant, *finibus oculorum,* de quo suprà. Festus ab eloquentia ducit, cuius inuentor fuisse hic Deus traditur; rem omnem sine manibus conficiens, qui autem carent manibus κυλλοὶ vocantur. habet hoc enim sermo eloquentiæ, vt dictione persuadeat, non B telo, non manu. Lilium adi in 9. Syntag. In re fabulosa hæc excerpsisse satis.

4. Constitit] Locus totus sumptus ab Homero est, Odyss. 5. vbi loquens de Mercurio.

Πιερίην δ' ἐπιβὰς ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ.
Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς,
Ὥστε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
Ἰχθῦς ἀγρώσσων πτ. δεύεται ἅλμῃ.
Pieria inscensa se misit ab æthere in vndas,
Deinde laro similis volitat iuxta æquora summa,
Qui maris indomiti sinuosa ad littora sæpe
Captando pisces aspergine tingitur vndæ.

5. Avi similis] Laro ex Homerica imitatione. C Nonnulli hîc *mergum* accipiunt, & obstinatè defendunt, nam hæc auis non altè volat, sed ad ipsa littora, vbi piscium esca. Ego iudicium Nannij, & Germani sequor, qui *laron* intelligunt. & ratio indicat. nam re vera Poëta ad Homeri exemplum properauit. Et verba illius laro conueniunt, larósque Mercurio dicatur, dicitur enim quasi λάλος, atque adeo illi Deo ascribitur, qui artifex est loquendi: quod astruitur ex Eustathio. Nihilominùs tamen nomen subticuit. nã in reddenda hac voce quis non laborat? Laron Homeri putant alij fulicam, alij gaueam, alij herodion, alij ciconiam, alij Ibidem. noluit autem Maro hanc litem suam facere. Notarunt hoc multi, inprimis Nann. 7. Miscell. Ego existimauerim Poëtam contentum fuisse descriptione huius auis, & de nomine nihil curasse: est enim in Virgilio mira eruditio, sed D nulla eius ostentatio; sic in 1. abstinet à nomine *fluctus decimi,* tantùm circumscribit illis verbis *præruptus aquæ mons.* quod vidit Iul. Scal. & quidem circumscriptiones vsitatæ sunt Poëtis. & in hoc loco facilè auis poterat peti ab Homero. Dicunt aliqui repudiatam hanc vocem, quia indigna heroicæ maiestati. Non omnino admitto. Nam vt formica & alia animalcula non sunt indigna magnis vatibus, cur laros esset? Sed obseruo tamen magnos scriptores solere interdũ abstinere ab animalculis exiguis, credo ex dignitate historiæ. cur non idem faciant & meliore iure vates heroici ad eandem dignitatem retinendam? Exemplum sit apicula, quam noluit Liuius nominare in oratione Manlij Conf. loquentis de Gallis lib. 38. hunc in modum: *Si primum impetum, quem feruido ingenio*

Larus auis sacra Mercurio.

Virgilius eruditionis non ostentator.

Scriptores abstinent ab animalculis.

genio, & cæca ira effundunt, sustinueritis, fluunt sudore, & lassitudine membra, labant arma: mollia corpora, molles, vbi ira consedit, animos sol, puluis, sitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt. Mihi non dubium quin omnia dicta cum respectu ad apes. Quæris verba clariora? Ecce idem Liuius lib. 23. *Glorientur Romani, te ad vnum modò ictum vigentem, velut iaculo emisso torpere.* Ecce Curtius li. 4. Darij ore: *Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quæ, vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet.* His exemplis puto, voluisse Virgilium abstinere ab auicula, consulentem heroicæ dignitati: etiam si posset, & sciret ipse nominando, eandem dignitatem retinere.

6. PISCOSOS SCOPVLOS.] Solent pisces amare cauitates rupium inter aquas, & eò se recipere. Est hoc, quod Callistratus in libro statuarum dixit de feris maritimis, ἐν θαλάττης μυχοῖς νέμεσθαι: *pascuntur in cauitatibus maris.*

7. VENTOSQVE SECABAT.] Ita de auibus Calli- A stratus eodem loco, τὸν αἰθέρα τέμνουσαι. Redundant exempla Homeri, & aliorum.

8. MATERNO VENIENS AB AVO.] Quæret quispiam, cur per Atlantem descenderit Mercurius ad Æneam, cùm breuiore posset via; dispendium enim itineris, non compendium quæsiuit. Obiicit hoc Turneb. respondétque, Mercurium id fecisse, vt Atlantem inuiseret, à quo stirpem ducebat, erat enim illi auus: inde signatè *materno veniens ab auo*, quod capiendum etiam de descensu ipso montis, non solùm de origine, quæsiuit enim vocem communem. Sic Sidonius Apollin. Panegyr. ad Auitum.

Iamque vt conueniant superi, Tegeaticus Arcas,
Nunc plantis, nunc fonte volat, vix contigit arua,
Et toto descendit auo.

B Dicta hæc sunt ad imitationem Virgilij: quod Maro *veniens*: ille, *descendit*, signatius. Quæ Sidonii imitatio facit, vt non debeat hic versus adimi, vt volunt aliqui.

Vt primùm alatis tetigit magalia plantis,
Æneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conspicit: atque illi stellatus iaspide fulua
Ensis erat, Tyrióque ardebat murice læna,
Demissa ex humeris: diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.

ARGVMENTVM.

Describitur ex occasione Æneæ cultus, qui duplex, ensis, & læna: vterque commendatur.

EXPLICATIO.

VT primùm Mercurius tetigit Africanum littus, Æneam conspexit *fundantem arces*, idest, excitantem, & *nouantem tecta*, id est, incipientem de nouo *arces* sibi, *tecta* ciuibus. Qui verò Æneæ cultus? planè regius. Erat illi ad latus ensis, cuius capulus, vagina, totus demum erat distinctus, tanquam stellis, fulua iaspide: erat *ex humeris demissa læna*, & hæc tota intermicabat, veriùs *ardebat Tyrio murice*, qui splendidissimus. Dederat verò tam ensem quàm vestem Dido Æneæ, vt diuitias & amorem ostenderet. Diuitias in iaspide, & purpura: amorem, nam ipsamet Dido operam suam in vestem contulerat, discernens discriminánsque telas purpureas auro tenui. Itaque vestis ea tota erat ex auro, & purpura.

NOTÆ.

1. MAGALIA] Vox propria in re Africana. de qua alibi.

2. STELLATVS IASPIDE FVLVA] Ex multis interpretationibus prætuli, quam vidisti, vt videlicet non solùm capulus, sed totus ensis intelligatur distinctus iaspide, tanquam stellis, quæ stellæ essent in modum clauiculorum dispersæ per totum ensem, & omnes ex iaspide. Tum quia Poëta nihil discriminans, ait *ensis*. tum, quia hoc consentiens cum elegantia veterum. (Gladiorum elegantia.) Plinius lib. 33. cap. 12. *Et quid hæc attinet colligere, cùm capuli militum, ebore etiam fastidito, calentur argento, vaginæ batillis, baltei laminis crepitent?* Homer. Il. 2. de Agamemnone,

Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.
Aptauit humeris, clauis gladium argentatis.

vbi, cùm *clauis* dicat, totum gladium intelligit. Et Il. 11. de eodem Rege,

C Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος, ἐν δέ οἱ ἧλοι
Χρύσειοι πάμφαινον: ἀτὰρ περὶ κουλεὸν ἦεν
Ἀργύρεον, χρυσέοισιν ἀορτήρεσσιν ἀρηρός:
Circa autem humeros posuit ensem, in eo verò claui
Aurei relucebant: sed vagina circumdabat
Argentea, aureis loris coaptata.

Liuius de Samnitibus, *Auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant.* Tertull. de habitu virgin. *latent in cingulis smaragdi, & Cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit.* ergo ex hoc more totum ensem crediderim discriminatum iaspide, tanquam stellis, capulum (inquam) & vaginam. sicut autem Maro *stellatum* facit Æneæ ensem, sic Trebellius in Salonino militares balteos *constellatos* facit. Et Caius Memmius de triumpho Catulli, citante Seruio, *Syriaci calceoli gemmarum* D *stellati coloribus.* Et in genere admoneo per stellas multis olim rebus quæsitum splendorem. (Stellis comparata ornamenta.) Xiphilinus, vela, quæ expandi Nero iussit ad arcendū solem aureis stellis interstincta, ait: ἀστέρες δὲ χρυσοῖ περιεξ ἐπέλαμπον: *Circum verò vndique aureæ stellæ.* Athen. lib. 11. illud Homeri de vase Nestoris, χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, *aureis clauis transfixum.* sic explicat, ἔχει ἀστέρας, οὓς ἥλοις ὁ Ποιητὴς ἀπεικάζει, διὰ τὸ τοὺς ἀστέρας περιφερεῖς εἶναι τοῖς ἥλοις ὁμοίως: *Astra habet, quæ Poëta clauis comparat, quòd hæc circularia sint instar clauorum.* Ouidius. 1. Metam. *stellantes gemmas* dixit. & Ammianus lib. 19. *armis stellantibus.* Iuuenalis videtur Poëtam explicuisse tantùm de vagina, non de toto ense, cùm ait Satyr. 5.

Quas in vaginæ fronte solebat
E *Ponere zelotypo iuuenis prælatus Iarbæ.*

Hanc explicationem amat Turnebus. Posset iuuari verbis Sen. ep. 76. *Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur.* Quæ iam dixi potiora puto, si autem ab his recedendum esset, existimarem totum capulum fuisse ex iaspidis quodam genere, cui sunt notæ quædam rutilæ instar stellarum. (Iaspidis genus.) Plinius disertè lib. 37. cap. 9. *Hæc stellata rutilis punctis est.* agit porro de generibus iaspidum. Et quidem de ornatu tantùm capulorum varia est ornamentio. (Capuli ensium ornamenta.) De capulo capio Statium lib. 4. vbi Dircæi tiensi,

ensi, qui erat gener Adrasti, Sphingem dat:

Aspera vulnifico subter latus ense riget sphinx.

& Heliodorum lib. 2. vbi ait, gladium Thyamidis habuisse cælatam aquilam in ebore. & Aristophanem in Lysistrato scribentem, οὐ στήσομαι λέαινα ἐπὶ τυροκνήστιδος: *Non statuar leana in gladio.* Dicit hoc, nam leænæ erant in capulis geniculatæ, ne, si rectæ, comminuerentur. Ait itaque, Non stabo ad placitum viri, vt me pessumdet, sicut neque leæna stat in capulis. Vide etiã ad rem de qua loquor Ælian. lib. 3. Var. hist. ca. 45. Ex dictis in hac Nota, præsertim ex Athenæo explicante Homericos clauos per stellas, ego explico verba Clementis lib. 2. Pædag. c. 11. vbi reprehendens arrogantiam fœminarum, ait: τοῖς ἥλοις ἑλικοειδῶς τοῖς καττύμασιν ἐγκατακρούειν ἀξιοῦσιν: *Clauos circumcirca soleis infigere æquum censent.* vbi, per *clauos*, capio stellulas, quæ habent figuras clauorum. Vnde præclarè Iustin. lib. 38. *Argenti certè aurique tantum, vt etiam gregarij milites auro caligas figerent.* vbi signatè *figerent* ex natura clauorum. Certè caligæ, vt hoc ne nescias, calceamenta sunt, non braccæ, vt censet vulgus. Probarem, si res Virgilij esset. Itaque idem dicit Iustinus, quod Clemens.

3. FVLVA] Plinius inter genera Iaspidum *fuluum* nominat.

4. ARDEBAT MVRICE] Ideo *ardebat*, quia infecta *Tyrio murice*. Itaque quamuis purpura communi significato non dicat flagrantem, & splendentem colorem, vt alibi ostensum: sed certè Tyria semper fuit splendida, & coccinea, vt alibi quoque à me. Inde Tibullus lib. 4. loquens de Messala, *(Purpura Tyria.)*

—— fulgentem Tyrio sub temine vestem.

Ideo *fulgentem*, quia *Tyrio sub temine*. Obiter explicabis Velleium, qui de eodem Messala, *fulgentissimus iuuenis*. Certè à purpura, quam gestabat, vt ex Tibullo habes. Fabulam de pisciculo murice, & cane Herculeo, quis ignorat? Scias tamen contra Pollucem in Onomastico, & alios asseuerantes illud de pisce, stare auctoritatem Nazianzeni contra Iulianum, qui nihil de Hercule, aut pisce scribens, tantùm ait, canem pastoris cuiusdam exedisse muricem, ac perinde tinctis labiis pastori florem indicasse, vnde nata est purpura. Itaque ex eius narratione elicies, muricem, quem canis edit, fuisse florem repertum à cane pecuario, eo loci, quo pastor agebat gregem. *(Purpuræ inuentio.)*

5. LÆNA] Sic dicta est aphæresi τοῦ, χ, Græcè enim χλαῖνα, ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, *calefacere*. fuit enim vestis crassa, & villosa ad arcendũ frigus hiberno tempore: inde Suidas interpretatur ἱμάτιον παχὺ, καὶ χειμερινὸν, *crassam, & hibernam vestem.* & Had. Iunius δασὺν σάγον, *densum sagum.* id ipsum indicat adagium, in eos, qui vtuntur rebus non suo tempore: ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις: *in æstate deteris lænam.* Martialis originem Græcam verbi χλιαίνω attigit lib. 14. in læna. *(Læna, quæ vestis, & vnde dicta.)* *(In æstate lænam. adag.)*

Tempore brumali non multùm leuia prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

(scio Varronem ab lana ducere etymon, sed docti eam aphæresin, quam dixi, agnoscunt.) Inde ergo est, vt bene interpretes opinentur per vestem ipsam à Virgilio indicari hibernum tempus; aliter non suum ducem læna indueret. Inde illud,

—— hiberno moliris sidere classem.

Et,

Dum pelago desæuit hyems.

Vsus lænæ in sacris notus est, sed parum ad hunc locum pertinens, nescio enim cur hîc interpretes ad sacra confugiant, dicántque Æneam læna indui, vt esse sacerdos indicetur: fuit quidem, sed in hoc loco, id verò nego. Potiùs crediderim læna indui, regio insigni, nam læna regia fuit. Plutar. in Numa. Καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, Ἰόβας φησὶν χλαίνας εἶναι: *etenim, quas gestabant Reges lænas, Iuba chlænas ait esse.* Adiuuat color purpureus, qui regius fuit. Demum Æneæ ornatus totus exspirat regium & pretiosum cultum. vt verò hîc *Tyriam lænam*; sic Homerus Il. 9. χλαῖναν φοινικόεσσαν, *lænam puniceam.* Nota demum, quàm aptè hic color detur amanti Æneæ. verbis illis *demissa ex humeris*, Seru. amatorium cultum notat: Nascimbænus credit expressum Romanum morem in gestanda chlamyde, quem ex statuis firmat. *(Læna ad sacra.)* *(Læna regiũ indumentũ.)*

[a] Continuò inuadit: Tu nunc Cathaginis altæ
Fundamenta locas, pulchrámque vxorius vrbem
Exstruis, heu regni RERVMQVE oblite tuarum!
[b] Ipse Deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cælum & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre iubet celeres mandata per auras.
[c] Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
[d] SI TE nulla mouet tantarum gloria rerum,
NEC super ipse tua moliris laude laborem:
ASCANIVM surgentem, & spes hæredis Iuli
Respice, cui Regnum Italiæ, Romanáque tellus
Debentur. [e] tali Cyllenius ore locutus,
Mortales visus medio sermone reliquit;
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

ARGVMENTVM.

Exponit Mercurius Æneæ quicquid mandatum sibi à Ioue fuerat. Oratio reprehensionem continet; eò enim verba & argumenta destinantur, vt Æneam facti pudeat. Discedit Mercurius nulla excusatione exspectata.

EXPLICATIO.

[a] IDeo *inuadit*, vt acerbitate verbi præsignificet habitum futuræ orationis. Quæ verò oratio? *Tu nunc*, &c. Omnia pene verba emphasin habent. *Tu*, qui à Græcis ereptus? qui filius Veneris? qui nepos Iouis? cui promissa Italia? *Nunc*, in ipso gloriæ cursu, & Italiæ aditu: ipsemet *locas fundamenta vrbis altæ*, quæ

quæ tibi,& tuis hostilis erit? *vxoriúsque exstruis vrbem?* Acerbè. Facis, quæ tibi vxor præscribit; non, quæ faceret is vir, quem fata destinant ad magna imperia. vxorius omnino es. *Pulchram*, fortasse Ironicè, cum allusione ad pulchriorem Romam. *Heu* te miserum, oblitus es *regni tui*,& *rerum tuarum*. Regni, nam alterius vrbis fundamenta locas: rerum tuarum, cùm te totum, non ad tui, sed ad vxoris arbitrium componis.

b Explicat à quo missus venerit, ídque periphrasticè, *ipse regnator Deûm, qui torquet numine cælum & terras*, quo maiorem terrorẽ Æneæ incutiat ex descripta persona Iouis; *mittit me tibi de claro Olympo, ipse iubet ferre mandata hæc per auras celeres.* Arripit hîc verba Iouis, *celeres defer mea dicta per auras.*

c Dixerat Iuppiter,

Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?

Ergo legatus,

Quid struis, aut qua spe Libycis teris ocia terris?

Atque ita Libycæ terræ, erunt inimicæ & hostiles. Quasi dicat: Quæ insania est, esse te otiosum inter hostes? quæ hæc tam amens spes? Ista verò eiusdem versus assumptione indicat Poëta eminentissimus legato nihil addendum in perferendis mandatis.

d. Si te nulla rerum tantarum existimatio, nulla spes mouet: si ita segnis es, vt nihil ipse pro tua laude moliaris, nihil labores; filium respice, atque illius spes, cui Italia, (magnum quiddam) cui Roma ipsa (maius hoc) fatis debetur. Obseruo in his, Poëtam non contentum dixisse *Ascanium* addidisse *Iulum*, cum respectu ad Iulium Cæsarem: cum quo nomine spes iunxit hereditaris; nam gentilitium nomen (quale est Iulius ab Iulo) hæreditas sequebatur.

e. Hæc locutus Mercurius euanuit, neque ampliùs visus est Æneæ, nam hoc est, *reliquit mortales visus*. Illud, *reliquit medio in sermone* præclarè dictum. Est sermo vicissitudo quædam loquentium, & confabulatio duorum, vel plurium. Erit ergo medius sermo, cùm quis non exspectans responsum abit. Ita Seruius.

NOTÆ.

1. INVADIT] Dixi non semel, hunc meum laborem destinari tam explicationi Virgilianæ, quã præceptionibus Poëticis, quæ omnino hauriendæ sunt ex Virgilio, quas ex eo meliùs disces, si illi animum des, quàm ex illis, qui ipsas præceptiones scripserunt, Aristotelem intelligo, alióśque. Hæc igitur tibi lector studiose præceptio hæreat, vt verbum aliquod non commune, & obuium, sed exquisitum & inuestigatum præcedat orationes, si quas miscueris tuæ Poësi. Hîc Mercurius in Æneam inuehitur, ergo *inuadit*. Vulgaris Poëta contentus esset his, *ait*, *inquit*, *dicit*, *incipit*. Vidisti suprà orationem Iunonis in Venerem, quæ plena calumniarum: ergo, (Verbum ante sermonẽ.)

Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.

Dido infrà Æneam tanquam reum *compellat*, & quæ oratio sequatur, vides:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas?

Rectè ergo compellat illum, quem perfidiæ reum appellat. Iunonem Æoli auxilium implorantem præcedit ille versus,

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est,

Ilioneus suam illam orationem, quæ tota destinatur ad placandam Didonem, incipit *placido* pectore, quo indicatur futuræ orationis habitus, quod Seru. etiam notauit. lacrymas matris Euryali præcedunt illa,

— cælum dehinc questibus implet.

Numani iactantiam & superbiam in hoc,

Ibat & ingenti se se clamore ferebat.

A Iunonis ferocitatem in. 10.

—tum Regia Iuno
Acta furore graui.

Latinus in 12. respondet *sedato corde*, cùm vult sedare tumorem Turni. de Ænea in. 11. volente concedere Rutulis cadauera ad sepulturam, dicitur priùs,

Quos bonus Æneas haud aspernanda precantes
Prosequitur venia, & verbis hæc insuper addit.

Possem plura coniungere ex Marone, hæc tamen satis ad obseruationem, qua carent alij Poëtæ. Lucanus in. 1. orationem Cæsaris, quæ continet querelam de iniquitate inimicorum suorum, incipit vulgari verbo, *ait*, hunc in modum,

Bellorum, ô socij, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, &c.

B Nemo hîc aliquid requirat: & tamen, si cum Virgilio conferas, deest aliquid. Hic finis, ne potiùs videamur alios carpere, quàm Virgilij imitationem proponere.

2. VXORIVS] Hanc reprehensionis acerbitatem ductam ab Ennio sunt qui autument. Apud quem leguntur versus isti in Alexand.

Volans de cælo cum corona & tænijs
Hominem appellat. quid lasciuis stolide, non intelligo.

Putant videlicet hîc induci Deum aliquem, qui reprehendat Paridem de rapta aliena coniuge. Porro voce ipsa ad mollitudinem signandam vsi sunt Horatius, & Seneca Rhet. lib. 1. Controu. Quem hic *vxorium*, Catullus *deditum* dixit, ex Nota Schotti: *Deditus vir adulteræ.*

3. FVNDAMENTA] Dicuntur hæc à fundendo, hinc iaci Latinis quoque, & Græcis θέμεθλα. (Fundamenta, vnde dicta.)

C 4. RERVMQVE OBLITE TVARVM] Papin. 7. Theb.

Heu nimiùm mitis, rerúmque oblite tuarum.

5. IPSE.] Sunt qui putent voculam *ipse* redundare in Poëtis. absit, vt in Virgilio. Scias lector, veteres, cùm Iouem nominabant, aut aliud è numinibus, aut Deos in communi, solitos cælum ipsum digito indicare, aut templum, in quo esset Numen, ad quam rem habita consideratione dicebant, *ipse Iuppiter, ipsi Dij, ipsa Numina*, quasi Deum ipsum digito indicantes. ergo cùm Mercurius dicit, (Ipse, in poëtis non redũdat.)

Ipse Deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator,

D Cælum suspexit, & extulit digitum, quasi illo Iouem monstraret. similia tibi passim occurrent. Huc pertinet mos Brissonio obseruatus ex Homeri interprete Il. *n*. quo Heroes manibus in cælum sublatis Iouem, ceteróśque Deos cælestes precabantur; marinos, ad mare porrectis; manes & inferos, terra percussa. Sæpissime etiam vocula *ipse* orationem continuat. Aduoco exemplum. sermo est summo Poëtæ de apibus: ne ergo toties apes nominet, *ipsæ*, *aut ipsis*, *aut ipsas*, ait, quod Hispanè *el suso dicho*, &c. (Precatio vti fieret ad Deos.)

6. IPSE DEVM TIBI, &c.] Versus iste Homericus est, Il. 11.

Ζεύς με πατὴρ προέηκε τεῖν τάδε μυθήσασθαι·
Iuppiter me pater misit tibi hæc dicere.

E 7. CLARO] Seruius acumen inuenit. nam *Olympus* dictus quasi ὁλολαμπής, *totus splendidus, totus lucens.* inde ergo *claro olympo*, vt illud, (Olympi etymon.)

Plemmyrium vndosum.

8 TERIS OTIA TERRIS.] Allusum ad etymen, vt in. 12. *sermonésque serit.* Nam *terra* à terendo dicta. Quod Virgil. *teris otia*, Tibull. lib. 4. dixit *peragit otia.* (Terræ etymon.)

9 ORE LOCVTVS.] Non est pleonasmus. *tali ore* est, tali sermone, tali voce, & coniungit cum altero sensu, quo gratior est locutio, ait enim, *ore locutus, visus fugit.*

10 RELIQVIT.] Quo Æneam cogitabundum relinquat,

quat, quóque magis hæreat præcedens oratio, sermonem medium subitò abrumpit, euanescit, neque exspectat responsum, quod Donatus egregiè considerauit. Est hoc etiam præceptum Poëticum. etenim si Æneas responderet, diceret, se vxorium non esse, substitisse paululum hyemis tempore, & reficiendis ratibus: se Carthaginem tempestate compulsum, non voluntate. Nescias autem, qua ratione quis pigrior redditur ad rem peragendam, quàm iubetur, si videat admitti, vel audiri tantùm suas excusationes: quod secus accidit, si nihil ab illo audias, sed te statim subtrahas eius conspectui, eius oculis: relinquis enim illum in æstu curarum, ac sollicitum, & cum conatu ad rem, quam iubes, peragendam. vidit hoc proculdubio vigilantissimus Poëta. Ex eadem obseruatione Dido infrà, cùm grauiter Æneam reprehendat, illum relinquit anxium & solicitum de responsione, quam ipsa non exspectat. ait enim:

Præceptum poëticum.

His medium dictis sermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit, séque ex oculis auertit, & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere.

[a] At verò Æneas aspectu obmutuit amens,
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcésque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, IMPERIOQVE Deorum.
[b] Heu quid agat? quo nunc Reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?
ATQVE animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc:
In partésque rapit varias, pérque omnia versat.

ARGVMENTVM.

Stupet Æneas ad tantum nuntium, abire optat Carthagine, in æstu est curarum, anxiúsque, quanam maximè ratione extorqueat assensum à Didone.

EXPLICATIO.

[a] Attende Poëta, qui ad carminis gloriam aspiras, quàm graphicè Virgilius affectus exprimat hominis, qui à Ioue arduum nuntium accepit, & de re maxima. Obmutescit, consternatur, horrent comæ, & arriguntur, vox hæret faucibus, nihil loquitur, solùm abire ardet. nec abire tãtùm, sed veriùs fugere. ardet enim *abire fuga*: non tardatur dulcedine illius loci, attonitus est, totúsque ἐμβρόντητος tanto monitu, tanto imperio Deorum; & Iouis, qui misit, & Mercurij, qui missus.

[b] Sequuntur affectus alij superioribus similes, sed ex diuersa causa. Quid agat? quo genere sermonis ambiat Reginam furentem amore? quo exordio vtatur? ex his affectibus necesse est in consilio æstuet, neque reperiat, qua in parte conquiescat, in quámve inclinet. Illud *Ambire affatu*, est, *verbis circumuenire*, ait Iul. Scal.

NOTÆ.

1. ASPECTV AMENS] Consternatus aspectu, idque ad imitationem Lucretij, auctoribus Gifanio, & Turnebo.

Monitus de oraculis.

2. MONITV] Non dubium, quin *monitus* sæpe sumatur pro prædictione & oraculo. Infrà in hoc lib.

Multáque præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. In. 7.
Hæc responsa patris Dauni, monitúsque silenti
Nocte datos.

Plinius Paneg. Traiani: *vna erat in limine mora, consultare aues, reuererique Numinum monitus.* Ergo in hoc loco censuerim torqueri posse vocem ad hanc significationem, vt dicat, Æneam tanto oraculo attonitum.

Animi celeritas.

3. ANIMVM CELEREM] An aliquid animo, & cogitatione celerius? Cic. 1. Tusc, *Nulla est celeritas, quæ possit cum animi celeritate comparari: qui, si manet incorruptus, suíque similis, necesse est, ita feratur, vt penetret, & diuidat omne cælum, in quo nubes, imbres, ventíque coguntur.* Aristot. in libello περὶ ἀτόμων γραμμῶν, de lineis insecabilibus: *ταχίστη γὰρ ἡ τῆς διανοίας κίνησις: velocißimus est animi motus.* Nazianzenus orat. 26. ait, mentem nullo loco concludi, omnia perlustrare, omnia peruagari: & comparat cum oculo, qui, tantillus cùm sit, omnia pertingit. Et in epist. ad Olympium, τοῖς πτηνοῖς τάχει τῆς διανοίας, quibus menti dat volucrem celeritatem. Philo etiam Iudæus περὶ φυτουργ. ὄμματα ψυχῶν πτερωθέντα dixit: *oculos animarum volucres.* Thales, τάχιστον νοῦς, διὰ παντὸς γὰρ τρέχει: *Celerrimum quidpiam mens, omnia enim percurrit.* Omitto Cæsarium dialogo. 3. qui de hac re non strictè. Seneca. 2. de Ben. animum vocat *sideribus velociorem.* Homer. Odyss. 7. vt explicet celeritatem nauium, comparat cum ala, & cogitatione:

Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα.

4. DIVIDIT] Ex Catullo in Carm. Nupt.

Nos aliò mentes, aliò diuisimus aures.

5. IN PARTES, &c.] Multis, toto inquam hoc versu, reddit Homericum μερμηρίζω. Alij ad idem μερίζομαι. Cyrill. Alexand. in Ionam, μερίζονται τὰς γνώμας. id est, διαποροῦσι.

[a] Hæc alternanti potior sententia visa est.
Mnesthea, Sergestúmque vocat fortémque Cloanthum:
Classem aptent taciti, socios ad littora cogant:
Arma parent: &, quæ sit rebus causa nouandis,
Dissimulent: sese interea, quando optima Dido
Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi

Tempo

Tempora, qui rebus dexter modus. ocyus omnes
Imperio læti parent, ac iussa facessunt.

ARGVMENTVM.

Communicat cum socijs Æneas consilium suum ad profectionem: quædam illis relinquit, quædam sibi assumit perficienda. parent duces.

EXPLICATIO.

a Inter varios animi motus, & æstus cogitationum, deliberat quid faciendum, optimo ducis exemplo, qui ita abripitur curis, vt non consilio. Tria verò deliberat. Classem aptari, cogi socios ad littora, parari arma. His tribus modum addit, & rationem, qua velit fieri, nimirum tacitè & dissimulanter. ergo, aptanda classis, qua vehantur; cogendi socij, qui seruentur; patanda arma, si illis opus aduersum Pœnorum vim, & Reginæ impetum: dissimulanter facienda omnia, quò minore fiant impendio. Cùm verò ducibus alia præscripserit, sibi maximam negotij partem relinquit, videlicet Didonis animi expugnationem. Est *alternanti*, modò hoc modò illud cogitanti, fluctuanti planè: *Tempora mollissima* sunt opportuna. Sed friget hoc, nequeas enim Poëtæ verbum alio simili explicare. adeo ille optimum elegit.

b Erant milites in vrbe Carthagine lautè & splendidè accepti, in otio, in quiete: & tamen inde abituri cùm sint, otium relicturi, labores subituri, læti pa-A rent: Disce obedientiam. Posterius est explicatio prioris. Quasi dicat. Quia parent, ideo facessunt iussa.

NOTÆ.

1. HÆC ALTERNANTI] Homericus versus Iliad. 10.

Ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή:
Hæc autem illi in animo optima visa est sententia.

ergo ex hac imitatione verba Poëtæ coniungenda sic sunt, *sententia hæc visa est potior alternanti*, non, *sententia visa est potior alternanti hæc.*

2. OPTIMA DIDO] Adhuc optima, ait Seruius: quod explico, adhuc bona & propitia ex ignoratio-B ne, necdum irata: sed libentiùs retulerim ad beneficia, vt dicat, optima in nos beneficiis, quibus tam magnis cumulati ab ea sumus.

3. TENTATVRVM ADITVS] Victorius, *Tentare aditus, & tempora*, reddit, καιρὸν λαμβάνειν. sic & Latini dicunt, *tempus capere.*

4. QVIS REBVS DEXTER MODVS] Pindarus Od. 13. Olymp.

Ἕπεται δ᾽ ἐν ἑκάστῳ μέτρον. νοῆ-
σαι δὲ καιρὸς ἄριστος,
Consentaneus est autem in quacunque re modus;
Quam intelligere, opportunitas est optima.

a At Regina dolos (QVIS fallere possit amantem?)
Præsensit, motúsque excepit prima futuros.
b OMNIA tuta timens. eadem impia fama furenti
Detulit, armari classem, cursumq; parari.
c Sæuit inops animi, totámque incensa per vrbem
Bacchatur: QVALIS commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cythæron.
d Tandem his Æneam compellat vocibus vltro:

ARGVMENTVM.

Præsentit Regina prima omnium Æneæ dolos, fama ipsa nuntium perferente: bacchatur, furítque instar Thyadum Bacchicarum.

EXPLICATIO.

a Vide an amor suspicax? quis enim fallat eum, qui amat? Itaque Dido statim *præsensit dolos*, id est, occultam illam nauigandi rationem, quam Æneas astruebat. *Excepit motus*, nam vix se commouerant, cùm intimos sensus penetrauit, & assecuta est futura.

b Duplex causa cognitionis celerrimæ: vna interna, externa altera. Interna, *omnia tuta timens*. Nam quæ tuta sunt, timebat, inde omnia timebat, scholion est Scaligeri. Externa, *eadem impia fama*, &c. Et nota consentaneè loqui ad superiora. Timor internus respicit præsensionem, quæ item interna: fama externa motus externos, quibus iam classis parabatur.

c Adhibentur furoris notæ tres, *sæuitia, incensio, bacchatio*. Affectus isti augentur commiseratione hac, *inops animi*. Ex occasione autem verbi *bacchor* quod C præcessit, subiungitur comparatio ad explicandum furorem Reginæ. Ita enim Dido furit, vt Thyas, vbi hanc audito Bacchi nomine incitant Orgia Trieterica, in nocturnis sacris Cythæronis.

d Vt irata, nam qui irati, hi prouocant. Anteuertit ergo Dido consilium Æneæ, qui dixerat se *tentaturum aditus. compellat* verò illum, vt reum. Sed cur *tandem*, cùm cognito profectionis apparatu statim illa Æneam compellauerit? verè statim irruit, sed paruæ etiam moræ visæ sunt amanti fœminæ tempus longissimum. Expendent hoc, qui amarunt.

NOTÆ.

1. QVIS FALLERE POSSIT AMANTEM?] Nam hoc nihil suspicacius. Oenone ad D Paridem: Amãtes suspiciosi.

Vnde hæc compererim tam bene, quæris? amo.

2. OMNIA TVTA TIMENS] Allusum fortasse ad prouerbium, ἀδεὲς δέος δέδιας, *inanem metum metuisti*. Amantes timidi.
Ouidius 7. Metam.

—sed cuncta timemus amantes.

Quis non scit Ouidianum versiculum?

Res est solliciti plena timoris amor.

Timo

Timorem hunc bis de se fatetur impensè amans Propertius. Nam lib.1.eleg.11.ait: A

Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri, culpa timoris erit.

Et lib.2.eleg.6.

Omnia me lædunt, timidus sum, ignosce timori.

3. EADEM] Rectum singularem capio cum Seruio, non pluralem accusatiuum cum Nascimb. Itaque, Eadem fama, quæ ad Iarbam, rem quoque ad Didonem pertulit. Sed non iurgor.

4. IMPIA FAMA] Quia iam tum ab accepto nuntio Dido sibi mortem destinarit, quæ contra pietatem. *impia* ergo *fama*, quæ naturalem pietatem summouet, & cogit mori. Variè interpretes explicant. Non quæro anxiè.

5. ARMARI CLASSEM] Armamentis velísque nauticis aptari, instrui. Propter illud, *classem aptent.* B

6. CVRSVMQVE PARARI] Propter illud,

—sociósque ad littora cogant.

7. INCENSA] Inter notas Medeæ amantis furentísque Seneca,

Flammata facies spiritum ex alto citat.

Vides verò hîc Didonem sæuientem animi, incensam, bacchâtem. Cur non hîc quadrent versus Eurip. in Med. qui cùm præmiserit imbellem esse feminam, subiicit:

Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα:
Despecta læso forte cùm furit toro,
Nulli cruenta cedit animi audacia.

8. BACCHATVR] Aptè datur amanti fœminæ, non solùm propter furorem, sed etiam quia Amor est quædam ebrietas. Apud Athen. lib.5. Plato in Charmide Socratem inducit μεθυσκόμενον τῷ ἔρωτι: *ebrium amore.* Faciunt ad hanc rem verba hæc Pausan. in Attic. ex interpretatione Romuli Amas. *Xanthippo assistit Anacreon Teius, qui primus post Lesbiam Sappho magnam carminum suorum partem in exprimendis amoribus consumpsit: habitus eius est veluti hominis per ebrietatem cantantis.* De hac amoris ebrietate frequens mentio apud Poëtas. Huc pertinent, quæ 1. Æn. ad illud, C

Amor ebrietas quędam.

—longúmque bibebat amorem.

Amãtes fœminæ comparãtur Baccharum furori.

9. QVALIS, &c.] Comparatio vsitata aliis ad exprimendum hunc furorem. Ouid. 1. Art. de Turpi amore Pasiphaës in Taurum:

In nemus & saltus thalamo Regina relicto
Fertur, vt Aonio concita Baccha Deo.

& lib.2. de fœmina impatienter amante:

In ferrum flammásque ruit, positóque decore
Fertur, vt Aonij cornibus icta Dei.

Et lib.3. eiusdem etiam operis, postquam Procris audiuit Cephalum captum alterius amore,

—per medias sparsis furibunda capillis
Euolat, vt thyrso concita Baccha, vias.

Seneca in Medea, de eadem furẽte in suis amoribus:

Incerta, qualis entheos cursus tulit,
Cùm iam recepto Mænas insanit Deo,
Pindi niualis vertice, aut Nysæ iugis:
Talis recursat huc & huc motu effero.

Pacuuius in Teucro:

Flexanima tanquam lymphata, vt Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

10. COMMOTIS] Commota sacra accipio, nam bacchantes secum ferebant Bacchi effigiem, quam loco commouebant, vbi erat posita. Nisi quis dicat esse sacra hæc cymbala commota ad sonitum edendum, quo sonitu audito furebant Thyades. Nam Horat. lib.3. Od.15.

Commota sacra.

Pulso Thyas vti concita tympano.

11. THYAS] Ministra Bacchi, propriè sacrificula, ἀπὸ τοῦ θύω, alij ἀπὸ τοῦ θεῖν, à cursibus, & furoribus.

Thyadum etymon.

12. TRIETERICA] Festa sunt Bacchi triennio quoque celebrari solita. Alij vocant *triennalia.* Ouid. 9. Met. vocauit, triennia.

Trieterica.

Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Idem flexu isto:

Tertia quæ solito tempore bruma refert.

Sunt hæc instituta in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus suscepit. De orgiis dictum iam in Georgicis. Versus veteris Poëtæ, quem ibi aduocaui ex Clemente, illustrabit Horatium dicentem:

Odi profanum vulgus, & arceo.

Respicit quippe ad etymon ἔργειν.

13. NOCTVRNVS] Dictum cum respectu ad sacra Bacchi vocata nyctelia, quia nocturna, de quibus alibi, quæ in Cythærone noctu peragebantur. Cur hæc sacra noctu celebrarentur, ratione habita ad mythologiam, lege Antonium Clarum lib. sing. in leges.

Nyctelia.

[a] DISSIMVLARE etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas? tacitúsque mea decedere terra?
[b] Nec te noster amor, nec te data dextera quondam:
[c] Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
[d] Quin etiam hiberno moliris sidere classem:
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum
Crudelis. quid? si non arua aliena, domósq;
Ignotas peteres? Et Troia antiqua maneret?
Troia per vndosum peteretur classibus æquor?
[e] Méne fugis? per ego has lacrymas, DEXTRAMQVE tuam te,
Quando aliud mihi iam miseræ nihil ipsa reliqui:
PER CONNVBIA nostra, per inceptos Hymenæos,
SI BENE quid de te merui, FVIT AVT tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis, & istam
Oro (si quis adhuc PRECIBVS locus) exue mentem.
[f] Te propter Libycæ gentes, Nomadúmq; tyranni
Odere: infensi Tyrij: te propter eundem

Exstinctus pudor,& QVA SOLA sidera adibam,
Fama prior.cui me moribundam deseris hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
g Quid moror?an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat?aut captam ducat Getulus Iarbas?
h Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles:si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas,qui te tantùm ore referret:
Non equidem omnino capta,aut deserta viderer.

ARGVMENTVM.

Sequitur oratio Didonis, & verò querela,eáque amara, in qua cùm primùm perfidum, sceleratum, ingratum appellet, mox ad preces confugit,sua in eum beneficia commemorans. in fine affectus commouet ex miseria,in qua relinquitur. In cuius orationis explicatione hærebo maximè vestigijs Iul.Scal.lib.3.Poët.cap.24. Sciendum,sumptum nonnihil ad imitationem Apollonium lib. 4. Argon.vbi est expostulatio Medeæ cum Iasone.

EXPLICATIO.

a VT præsentis orationis argumentum meliùs complectaris,scias,tria inprimis duobus versibus vitia obiici Æneæ,perfidiæ,sceleris,ingratitudinis.perfidum apertè nominat: sceleratum intelligit, cùm vocat nefarium:ingratum illis verbis, *tacitúsque mea decedere terra.* Deinde per septem versus sequentes probat esse perfidum, sceleratum,ingratum. Hæc prima est pars orationis.secunda incipit ab eo versu: *Mene fugis?*&c.ac per versus vndecim validissimis argumentis conatur expugnare Æneæ animum. tertia pars continetur reliquo versuum tractu, vbi miri affectus,& quouis argumento fortiores. Hæc generatim dici possunt, tametsi multa obiter inserantur. Expende iam duos primos versus. In quibus nullum verbum absque contumelia. Est hîc dissimulatio, quæ semper viciosa:est confidentia, quæ etiam in vitio, in eo verbo *sperasti*:est audacia in verbo,*posse*:noluit sceleratum,sed nefarium,quæsita grauiore voce; sed ab amante & furente fœmina quod verbum remoueas:notat fugacem,cùm ait,*tacitus decedere*,quasi ea non tam profectio, quàm fuga sit: demum cum emphasi *mea terra*, quæ te excepit, & à qua in te tot beneficia profecta:Est etiam nota imprudentiæ.quasi dicat.Non vides me nolente non posse te decedere mea Carthagine? Vide quot vitia.Ergo tu dissimulator,confidens,audax, nefarius,fugax,ingratus, imprudens.Iacta sunt fundamenta his tot vitiis:sed præcipua,vt initio dixi, tria sunt, quæ obiicit,perfidiam, scelus,ingratitudinem.

b Perfidum vocauerat, probat esse perfidum, qui amorem mutuum, & datam dexteram parum curet. Expende,*Noster amor*:ergo mutuus : ego non opprimo, non debes opprimere. *Data dextera*,quasi dicat, Non solùm mihi mutuum dedisti amorem,sed etiam dexteram mutui amoris indicem. Tu ergo perfidus, & violator fidei,qui hæc negligis. Nota illud, non te amor noster *tenet*. Est enim verbum hoc ambiguum, *non te tenet noster amor*, id est, non moraris. Itaque cùm velit Dido extremum hoc dicere, insinuat illud primum, non ausa affirmare. Nam quis dicat libenter,*non me amas*, nisi in aperto furore. Pari ambiguitate postea Æneas (affero hoc loco, quia hîc meliùs

A ad cognoscendam mentem Poëtæ) respondet: *Hic amor,hæc patria est.* Quasi dicat,Italia est meus amor, non tu. Itaque cùm primum velit dicere,extremum insinuat. Nam quis clarè dicat, *non te amo*,nisi etiam in aperto furore, & cùm iam res geritur petulanter, & contumeliosè?

c Sceleratum dixerat, cùm nefarium vocauit, probat iam esse sceleratum. Scelus enim semper in se inuoluit crimen homicidij & cædis: sed pro scelere maluit *nefas*,vt dixi, quæsita voce ad augendum crimen: nefas enim inuoluit crimen in religionem, & ideo atrocius scelere.tu ergo nefarius, tu sceleratus, quem tenere ipsa nequeo moritura crudeli funere. quod enim maius nefas, quod scelus maius, quàm, spreta religione & fide, (en nefas,) me ad mortem crudeliter compellere?(en scelus.)

B d Tacitum fugacémque dixerat.iam ad hoc tendit, & vult hanc fugam dissuadere, sibi consulens per speciem alienæ vtilitatis. conficit sic.Non vides tibi perniciem parari, qui per hyemem, per medios Aquilones, non legens littora,sed altum secans,te ad fugam comparas? tu ergo in te crudelis, non in me tantùm,tu pertinax,tu obstinatus.Ait *moliris* signatè, vt indicet, quàm difficile sit nauigare per hyemem, vt ita dissuadeat fugam. Ait *Aquilonibus*,eligens ventum omnium atrocissimum, & in plurali ad augendum metum. Ergo,per altum, & cum Aquilonibus, & hiberno tempore non debuisses Troiam petere, etiam si ea floreret staretque incolumis, vt antiquitus ante acceptam cladem fuit; quanto minùs aliena arua,ignotas domos? Si enim Troia non adiretur cũ

C tanto periculo, cur Italia?

e Hactenus hæsit in perfidia,scelere, fuga,cum omni verborum atrocitate:quæ sequuntur, leniora erunt, vt flectat. *Me*, ἐμφατικῶς,quæ te tot beneficiis complexa sum? *fugis*, non exspectans tempus profectionis.Sequuntur obtestationes. *Per lacrymas,per dextrã*, lacrymas meas, dextram tuam. Vtrunque propriè, nã & lacrymæ fœminarum sunt, & vir fortis per dextrã adiurandus erat.Id istud etiam amori conuenit.Nam quid mihi reliquum præter meas lacrymas, præter dextram tuam?his ego te imploro,hac tu me adiuua. Pergit.*Per connubia nostra*.An satis hoc?addit auspicia nuptialia,quæ lætiora,& iucundiora, ideo *per Hymenæos*:& hos *inceptos* cum graui dolore. quasi dicat, Inceptum amorem abrumpis ipso statim initio,cùm ille est fortissimus. Sequitur, *si bene quid de te merui*,

D quasi inuita, & nolens beneficia obiiciat. *fuit aut tibi quicquam Dulce meum*: velat modestissimè rem coniugum,tantùm indicata voluptate.Sed quid tandem post tot obtestationes?Illud vnum,*Miserere*.Quis dubitet illam obtenturam,quod tanto artificio quæsierat, nisi Deus aliquis obstinati viri aures præclusisset?*Domus*, quasi non sui solùm,sed totius domus interitus agatur.*Labentis*,nam distracto coniugio dissolui domus debuisset. Concludit hanc partem obse-

 cratoriam

oratoriam illis, *exsue oro istam mentem, si quis adhuc locus precibus.*

f Produnt auctores (vidi in Hortensio) hos versus pronuntiatos à Poëta coram Augusto cum magnis affectibus, ingenti omnium, qui aderant, admiratione. Ergo, narrat iam pericula, in quæ coniecta, quòd vnum Æneam omnibus præposuerit. *Odere me gentes*, plurali numero, quia multi vnam oppugnant, & propter vnum Æneam. *Libycæ*, magnum quiddam hoc est in Libya habitanti. *Nomadúmque tyranni*, maius hoc, quàm si dixisset, *Nomades*. Est enim tyranni nomen odiosum, & cum quo coniunctum est ius maleficij. *Tyrij infensi sunt*, auget orationem, nam hi coniuncti genere cum Didone. Non solùm incurri propter te in odium Afrorum, sed in odium meorum. Quid tandem? *pudor exstinctus est propter te vnum*. Hærebat hoc faucibus, neque verecundia sinebat loqui, sed tandem victa hæc, & prolatum id, quod firmissimum, ad causam. Neque verò solùm exstinctus pudor secreto est, sed etiam euulgatum est facinus, & exstincta etiam *fama* quouis auro preciosior, *qua sola sidera adibā*, id est, tollebar in cælū, celebrabárque. Ab hac rerum commemoratione erumpit in illud, *Hospes* quasi iam non maritus, *cui deseris me* de præsenti, & obiicit nomen desertoris, à quo vehementer abhorret animus militaris. Sic Turnus eundem vocat *desertorem Asiæ* signata quadam contumelia. *moribundam*, mirifica ars. Suprà dixerat, *moritura*, cum respectu ad futura, nunc *moribundam* quod grauius, nam & hoc præsentius, & iam in oculis. Quod sequitur, dolentissimè,

Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.

quia iam esse vis hospes.

g Hactenus recensuit mala præterita, in quæ incurrit propter Æneam: nunc se accingit ad denarrāda futura, quæ manent, si deseratur. Quid est, quòd sine te, & abs te deserta velim viuere? An morer *dum frater Pygmalion destruet mea mœnia*? Quàm esset miserum videre regnum suum euersum, & à fratre? Sed vide, vt crescat oratio, *aut captam ducat Getulus Iarbas*: Quanto est acerbius viuam capi, & duci in triūphum?

h Conatur vt saltem fugam Æneas differat vsque ad procreationem sobolis. Nam ita neque capta ab Iarba, neque omnino deserta videbitur, si habeat ab Ænea viro Æneam filium, qui in aula colludat, qui referat patrem *tantùm ore*. Præclarè ore tantùm vult similem, non animo, crudelitate, perfidia. Considera adhuc verba duo, *ante fugam*, nunquam enim de hac profectione loquitur, nisi nomine fugæ, aut desertionis. Alterum, non capta aut deserta *viderer*: quasi dicat, essem quidem capta aut deserta, sed non viderer, & hoc mihi satis ad solatium. Vt autem incepit ex abrupto, sic desinit in abruptum. An tu putas Lector similem inuenturum te orationem huic? fertur ea lecta Sanctus Augustinus abiisse in lacrymas.

NOTÆ.

1. DISSIMVLARE, &c.] Scias in tota hac oratione, cùm multa, tum maximè elucere tres affectus, *verecundiam, mœrorem, iram*. Adducam tibi in memoriam locum Achillis Alexandrini è lib. 2. vbi loquens de Leucippe amante, ait: *verecundiam, mœrorem, iram, tres esse animi fluctus: nam verecundia illabens in oculos, illis adimit libertatem: mœror in pectus diffusus animi ardorem exstinguit: ira verò circum cor adlatrans rationem insania obruit.* Ad hos itaque affectus, omnia pene verba ac sententiæ orationis huius reduci possunt. Verecundia est, vbicunque coniugium, & res coniugij aliis verbis velat. Vt illud, — *Verecundia, mœror, ira in amantibus.*

A *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*
Dulce meum.

item illis:

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles,

& quæ sequuntur. Quibus planè inuitat, ne eat, donec sobolem esse certò sciat. Imo, si bene rem consideres, nihil aliud hic Dido efficit, quàm amatum ipsum ambire, in cuius tamen ore adeo elucet verecundia, vt nihil turpe videas. Ad mœrorem reduco statum illum miserrimum, quem ipsa sibi fingit, si deseratur ab Ænea. Quæ ad iram pertinent, perspicua sunt, *perfidum* enim, & *crudelem*, ac *nefarium* vocat.

2. TACITVS] In Grammatica obseruabis debuisse dicere, *tacitum posse decedere*, iuxta Latinos canones; B sed maluit Græcam constructionem obseruatore Budæo. — *Hellenismus.*

3. TENET] Sermo amatorius. Hæc formula *tenet me amica, aut amicus*, amatoria omnino est, & Brissonianis addenda. in 1. ecl. — *Tenet me, forma amatoria.*

Dum me Galatea tenebat.

Ouid. 2. Art.

Non satis inuenisse tibi est me vate puellam:
Arte mea capta est, arte tenenda mea est.

Phyllis Demophoonti:

Quid precor infelix? iam te tenet altera coniux.

Briseis Achilli:

Te tenet in tepido mollis amica sinu.

Huic consimilis alia, *Habet me*, & vtrique contraria, *Reliquit me*, de quibus dictum alibi.

4. HIBERNO SIDERE] Tempore, sed illud maluit, C quasi non maria tantùm, sed cælestem vim contemnat. Putat autem Brissonius, & celebrat Germanus, Poëtam alludere ad morem Romanum, quo post Calendas Nouembris censebatur intempestiua esse nauigatio, & mare claudi. ergo hæc procedunt ex omine iam obseruato, quo vult Dido Æneam à nauigando deterrere. Idem argumentum continent versus Ouidiani in epistola Didonis ad Æneam, & Propertiani lib. 1. eleg. 8. vbi ex maris periculis deterretur nauigatio. vterque poëta Poëtæ principis vestigia persequitur. — *Maria quando claudebantur.*

5. ET MEDIIS PROPERAS AQVILONIBVS, &c.] Affectus veri amoris, quo, qui amant, timent pericula eorum, quos amant, siue ij maria adeant, siue bella, aut quiduis aliud. Phyllis Demophoonti: — *Amantes timēt amatorū pericula.*

D *Interdum timui, ne dum vada tendis ad Hebri,*
Mersa foret canâ naufraga puppis aquâ.

Deianira Herculi.

Ipsa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes, aprósque, auidósque leones
Iactor, & hæsuros cerno per ossa canes.

Medea Iasoni.

Ante oculos taurique meos, segetésque nefandæ,
Ante meos oculos peruigil anguis erat.

Laodamia Protesilao.

Sed timeo: quotiésque subit miserabile bellum,
More niuis lacrymæ sole madentis eunt.
E *Ilion, & Tenedos, Simoësque, & Xanthus, & Ida,*
Nomina sunt ipso pene timenda sono.

Ergo Dido timet cursum Æneæ per hyemem, per medios Aquilones, vnde certum naufragium conijci, & certa mors poterat.

6. MENE FVGIS?] Vide vt ab ira se, ad lenitatem amorémque traduxerit, qui duo affectus in amante potentissimi, &, quamuis contrarij, mutuò se adiuuantes. Ad hanc rem vnicus locus est Achillis Alexan. lib. 6. de Cleitophonte & Leucippe. adduco verba interpretis: *Amor autem atque ira faces animi duæ sunt:* — *Ira, & lenitas simul in amantibus.*

sunt: suum enim ira ignem habet, amori quidem natura contrarium, potentia verò persimilem: nam altera odio, alter beneuolentia prosequi cogit: vicina enim vtriusque ardoris sedes est, illa enim in iecore, hic in corde inhabitat. Hominem igitur ambo cùm occupauerint, animus eius libra quadam fit, qua vtriusque ignis expenditur, atque alter alterum impellere conatur. Plerumque autem amor superior euadit, cùm scilicet, quod concupierat, adipiscitur. Sin autem negligi se animaduertat, iram sibi auxilio aduocat, quæ, vt pote vicina, vocanti præsto adest, vndque tum ambo ignem exsuscitant. Hæc expressa in Poëta vides. Quàm illa amara!

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas, tacitúsque mea decedere terra,

& reliqua. Quàm verò plena amoris, & lenitatis hæc!

Méne fugis? per ego has lacrymas, dextrámque tuam te, &c.

Hoc aliàs obseruabis. nam hæc oratio, in qua nunc sum, è medio ad finem tota est plena blanditiarum, amorum, lenitatum. Cùm autem videat amor non efficere, quod conabatur, vicinam iram aduocat, & erumpit in illam verborum atrocitatem:

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

Ex hoc affectu Hypsipyle apud Ouid.

Cor dolet, atque ira mistus abundat amor.

Tacitus quoque lib. 13. Ann. vbi amores scribit Octauij Sagittæ erga Pontiam, sic ait: *Tum, vt assolet, in amore, & ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio.* Aperio hîc poëtæ nouitio obseruationem meam. Solet Virgilius verbis vulgaribus aut admirationem, aut interrogationem adiungere, atque ita dignitatem addere. Aduoco exemplum. Vulgarissimum verbum est *fugio*, & nulla speciositate ab aliis illatum. Nihil, aut certè parum, te mouent Catullus, Tibullus, Propertius, cùm scribunt: Primus, [Margin: Præceptum poëticum.]

Puella namq; quæ meo è sinu fugit.

Alter,

Et senis amplexus culta puella fugit.

Tertius,

Non tamen illa meos fugit auara sinus.

At multùm Virgilius, cùm ait, *Méne fugis?* & in Ecl.

Quem fugis ah demens?

His notulis ducendus est Lector ad imitationem huius vatis.

7. PER EGO HAS] Vide vocum interpositionem. Notat Turnebus Græcos quoque ea in iuramentis delectatos, nam Euripides, Ναὶ πρός σε τῆς σῆς δεξιᾶς. Ad verbum est: *Oro per te tuam dexteram.* pro, *Oro te per tuam dexteram.* Exprimit autem τὸ, ait Delrius, addo, & πρὸς. Eurip. in Aulid. Πρὸς γενειάδος, πρὸς σῆς δεξιᾶς, πρός τε μητέρος: *Per mentum, per dextram tuam, pérque matrem.* In demonstratiuo *has* peculiaris est affectus. Nutrix ad Deianiram apud Senecam in Oetæo: [Margin: Hellenismus.]

Per has aniles ecce te supplex comas,
Fessúmque curis pectus, & chara vbera
Precor.

Cic. pro Lig. eâ particulâ affectus auget: *vidésne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brochorum domum, hunc L. Martium, C. Cesetium, L. Cornificium, hosce omnes equites Rom. qui adsunt veste mutata, non solùm notos tibi, verumetiam probatos viros, qui tecum fuerunt.* Vbi enim quis aliquid gerit δεικτικῶς, nescias quos miros & nouos affectus excitat. ergo per *has lacrymas*, quas cernis ipse: & quibus præsentibus, frustra aduocem alium testem amoris mei.

A 8. LACRYMAS] Quàm in istas proni, qui amant! Ouid. 3. Art. [Margin: Amantes proni in lacrymas.]

Quò non ars penetrat? discunt lacrymare decenter:
Quóque volunt, plorant tempore: quóque modo.

His loquuntur, qui amant: idem in Bris.

Sed tamen hæ lacrymæ pondera vocis habent.

His rem gerunt: ibid.

Sis licèt immitis, matrísque ferocior vndis,
Vt taceam, lacrymis comminuêre meis.

His decipiunt: Medea Iasoni,

Vidi etiam lacrymas. an & est pars fraudis in illis?

His blandiuntur, vt hîc Dido. Est verò similis obtestatio apud Sen. Rhet. lib. 5. Controu. *Per has lacrymas, per hunc squallorem, per hæc necessaria omnibus periclitantibus instrumenta.*

B 9. HOSPES] Latet hîc emphasis non vulgaris. Est enim indignum cogi ad mortem ab hospite, in quem exprompta humanitatis argumenta. Cum pari emphasi Propertius lib. 2. eleg. 21.

Colchida sic hospes quondam decepit Iason.

& eleg. 34.

Hospes in hospitium Menelao venit adulter.

10. QVANDO ALIVD MIHI IAM MISERÆ, &c.] Euripidem imitatur Virgilius. Apud illum enim Clytæmnestra in Iphig. in Aul. cum Achille loquens, nihil sibi facit reliquum, quàm obsecrationem, qua confugit ad illius genua. Adducam interpretationem Erasmi, Græcis nunc parcam.

Pérque mentum, pérque dextram, pérque genetricem Deam,
C *Quando me solum profectò nomen exstinxit tuum,*
Hoc oportet te tuerier, alia non superest mihi
Ara, quò refugere possim, genua præterquam ad tua.
Quippe cui non adsit vllus hîc amicus, vnde mi
Adferendæ opis aut salutis vlla spes arrideat.

11. PER CONNVBIA NOSTRA, &c.] Obtestationes amantium sæpè à re ipsa coniugali sumptæ. Ouid. 3. Am. eleg. 10. [Margin: Amantium obtestationes.]

Parce per ô lecti socialia iura.

Hic affectus potentissimus putatur, nam vbi in memoriam reducis primos illos amores, facis alterum meminisse blanditiarum. Huc refer similes alias obtestationes. Ouid. in historia Myrrhæ.

Instat anus, canósque suos, & inania nudans
Vbera, per cunas, alimentáque prima precatur.

D Iustinus lib. 16.

Cùm vitam etiam per vbera materna deprecaretur.

Versus ipse expressus est ex Catulliano hoc:

Sed connubia læta, sed optatos Hymenæos.

12. QVID DE TE MERVI] Apud Græcos sæpissime τὶ indicat quid magnum atque amplum, affectatione quadam exiguitatis. Ab illorum fontibus Latini. Itaque non dubium, quin hîc per particulam *quid* significetur quiddam magnum, sed cum affectatione exiguitatis. Sed de hoc in Eclogis. [Margin: Quid.]

13. DVLCE] Pindarus Od. 1. Olymp. φιλίας δῶρα Κυπρίας: *Amica Veneris dona.* Clarius Od. 6. γλυκείας Ἀφροδίτας: *Dulcis Veneris.*

14. TE PROPTER] Eiusdem argumenti est illud Phyllidis ad Demophoontem:

E *At mea despecti fugiunt connubia Thraces,*
Quòd feror externum præposuisse meis.

& Medeæ ad Iasonem:

Proditus est genitor: regnum patriámque reliqui:
Munus, in exilio quòd licet esse, tuli.

Magnum argumentum amoris suos contemnere, quod fecit Phyllis; genitorem prodere, & patriam relinquere, quod Medea: non hæc satis diuino viro, incurri in odium Libycarum gentium, Nomadum tyrannorum, Tyriorum adhuc, propter te vnum ô

 Ænea,

Ænea, atque adeo & meos prodidi, & externos prouocaui.

Nomades, aut Numidæ. 15. NOMADVM] Nomades, vel Numidæ, sunt populi Africæ dicti ἀπὸ τοῦ νέμειν, *à pascendo*: nullum enim locum certum habebant, sed errabant post greges. Currus quidem domicilia erant, & papiliones, vbi illos nox oppressisset. Simile quiddam de Allobiis narrat Clem. Alex. lib. 1. Strom. qui neque vrbes habitant, nec domos, aut tecta habent: arborum induūtur corticibus, & glandes arborúmque baccas comedunt, & aquam bibunt manibus: non nuptias, non liberorum norunt procreationem. Paria etiam Dionysius lib. 1. de Aboriginibus, quos sic dictos ait, quasi Aberrigenes, quia errones, & sine mœnibus. Et de Scythis Herodotus in Melpomene, atque Philostratus lib. 7. vitæ Apollon. c. 12.

Aborigenes vnde dicti.

16. EXSTINCTVS PVDOR] Exstinctum pudorem eleganti metaphora Apul. extulit lib. 2. Af. *deuorato pudore*. Ibidem ait: *restinguere pudoris ignauiam*: in quo allusum ad Poëtam, qui *exstinctum pudorem*, dixit. Huius metaphoræ hanc existimo esse rationem. Propriè exstingui dicuntur ignea & flammea: atqui pudor eius est naturæ, vt cùm primùm hominem occupauerit, eius vultum superfundat notis ruboris ignei atque incensi: bene ergo qui caret pudore, exstinguere illum dicitur.

Deuorare pudorem. Exstingui de pudore, cur?

17. HOC SOLVM NOMEN] Sic apud Senecam in Furen. Iuno se *sororem* Iouis vocat, quasi non iam vxor. Æneas ita, non iam maritus, sed hospes.

18. SALTEM] Dixerat *captam* se fore ab Iarba. deinde, si saltem à te filium suscepissem, non viderer capta, aut deserta. Cum hac itaque seruitutis imagine optimè quadrat vocula *saltem*, quæ erat seruorum captorúmque in bello. Seruij verba sunt: *Est sermo tractus à captiuis, qui cùm frequentiùs ab hostibus captarentur, dicebant, sublatis omnibus salutem concede. Inde per synæresin hic natus est sermo, vt in contemptu rerum multarum petituri aliquid saltem dicamus, quasi quod negari minimè debeat, cùm extremum aliquid petitur, inde necessitate additur saltem, veluti salutem, postremò poscentes vel salutem si aliter non potest.* Ergo Dido, quæ se captam fingit, rectè vsurpat hunc sermonem. Sumpsit Seruius à Donato, qui Adelph. ita ait: *saltem* τὸ ἔσχατον, *natúmque à captiuis, qui nihil aliud præter salutem à victore petant.* & Andr. *Desperatis rebus solam petentes salutem hoc verbo vtimur.* & firmat verbo Virgiliano, *Extremam hanc oro veniam.* Et ego verbis Val. Max. apud quem Coriolanus li. 4. ad hanc rem alludens, omnia contempsit *præter vnius hospitis captiui salutem.* Lege Agellium lib. 12. c. 14. Non agnoscet hanc originem, qui putat dicendum *saltim* non *saltem*: is credo est Muretus, nisi excidit.

Saltem quid propriè.

Fœminæ auidæ prolis. 19. SI QVA MIHI, &c.] Studium obtinendæ prolis magnum in fœmina, inde plausus ille captatus ab Hypsipyle:

Nunc etiam peperi, gratare ambobus Iason.

videndus And. Tiraq. in leg. Conn. qui de hac re latè.

20. PARVVLVS] Sumptum credo ex Catullo, qui in Nuptiis Iul. & Mal.

Torquatus volo paruulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

Ætatum decorum. 21. LVDERET ÆNEAS] Ex infantis decoro, in quo seruando Virgilij opera enituit. Excellit Maro in attribuendo decoro ætatibus; quam rem cognosces facilè, si eius loca conferas. Hîc infantem notat: ergo:

—Paruulus aula
Luderet Æneas.

nam lusus proprius huius ætatis, non sermo; quia infans; non alia studia, quia ea non fert illa ætatula. Reliqua in vno Ascanio videamus. Ætas adultior in studia cuiusque generis impensiùs incumbit. soluta tamen studia illa esse oportet, & animi gratia potiùs, quàm seueriore quæsita cultu. Ergo,

—Puer Ascanius medijs in vallibus acri
Gaudet equo, iámque hos cursu, iam præterit illos,
Spumantémque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Nihil hîc serium vides, tantùm gestientem puerum, & exsultantem, dum alij venarentur; neque expendentem periculum apri, aut leonis, tantùm illos optantem. Idem Ascanius in 7. maturior factus iam venatur, & ceruum figit:

Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius, curuo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti Deus absfuit: actáque multo
Pérque vterum sonitu, pérque ilia venit arundo.

Et notanda prudentia Poëtæ, non leonem figit Ascanius, aut aprum, nam hæ feræ vltra captum: non leporem, aut cuniculum, nam extra gloriam. ergo ceruum, in quo gloria, & quem tutò potuit. Aliquis nulla consideratione induceret leonem interfectum. Pergo in ætate. Hîc Ascanius iam grandior Numanum in bello interficit, non comminus congressus, nam quis hoc crederet? sed eminus coniecta sagitta, quod facilius, præsertim ope Apollinis. Demum Poëta illum iam grandiorem è castris educit. Lege Horatium ad Pisones ab eo versu,

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

vbi in multis Maronem signat, vt videatur Horatius coniunxisse præceptionem illam ex variis Virgilij locis obseruatis. Sed redeo ad verbum *ludo*, de quo scias, tametsi ἐν παρέργῳ, illo signari ἀφροδισιασμόν: est enim verbum amantium.

22. ORE REFERRET] Id in primis optant parentes. Homerus. ἐοικότα τέκνα γονεῦσι: *filij similes parentibus.* inculcata Græculis elementariis, quæ Sanctus Basilius attingit in epistola ad S. Greg. quæ incipit, ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολήν. Vide vt explicui voculam *tantùm*, secutus interpretes, qui ante me. Sed est fortasse melior alia, & acutior explicatio. Non *tantùm ore*, sed *tantùm te*. vt dicat, vellem filium, qui ore referat te tantùm, non me. Vt illud Catulli in epithal. Iuliæ: *sit suo similis patri.* Et illud Ouidij: Parentes optât liberos sibi similes.

Et nimiùm similes tibi sunt, & imagine tangor:
Et quoties video, lumina nostra tument.

Et eiusdem:

Fallere non norunt, cetera patris habent.

Nam cùm filij similes sunt patri, omnis abest adulterij suspicio. Sic Martialis in Cinnam lib. 6. epig. 39.

Sed in grabatis tegetibúsque concepti
Materna produnt capitibus suis furta.

Quia videlicet non patri similes.

23. CAPTA, AVT DESERTA] Multi captiui sunt, non tamen deserti, quia non sine spe auxilij: multi item deserti, sed non capti: sed Dido & capta, & deserta sine Ænea, aut eius imagine. Ita Pierius. quæ explicatio firmat lectionem *ac*, non, *aut*. vt dicat, *capta, ac deserta*. Tu obserua ab re militari ad amorem traductas locutiones. De primo quoque Propertius lib. 2. eleg. 3.

Nec te tam facies, quamuis sit candida, cepit.

De altero Catullus loquens de Ariadna:

Desertam in sola miseram se cernit arena.

a Dixerat

[a] Dixerat: ille IOVIS monitis immota tenebat
Lumina: & obnixus curam sub corde premebat.
[b] Tandem pauca refert. Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam Regina negabo
Promeritam: neque me meminisse pigebit Elissæ,
DVM memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.
[c] PRO RE pauca loquar. nec ego hanc abscondere furto
Speraui, ne finge, fugam: nec coniugis vnquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
[d] Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte meas componere curas:
Vrbem Troianam primùm, dulcésque meorum
Relliquias colerem, & Priami tecta alta manerent:
[e] Et recidiua manu posuissem Pergama victis.
[f] Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.
[g] HIC AMOR, hæc patria est. Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæq; aspectus detinet vrbis:
Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Inuidia est? & nos fas extera quærere Regna.
[h] ME PATRIS Anchisæ, quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago:
[i] ME puer Ascanius, CAPITISQVE iniuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus aruis.
[k] Nunc etiam interpres Diuûm Ioue missus ab ipso
(Testor vtrunque caput) celeres mandata per auras
Detulit: ipse Deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocémque his auribus hausi.
[l] Desine méque tuis incendere, téque, querelis:
Italiam non sponte sequor.

ARGVMENTVM.

In hac oratione Æneas Didonem captat, obiecta diluit; quid ipse vellet, aperit, si esset sui iuris: à pari comparatione rerum ipsius Didonis vehementer vrget. se monitorum patris, commodorum filij, Deorum voluntatis rationem habere docet in hac profectione. desinit in ingentem affectum.

EXPLICATIO.

[a] IN vocula *ille*, emphasis non vulgaris. Multa Elissa dixerat, quæ vel lapidem possent, aut ferrum commouere, ille tamen vir fortis hæret in sententia. Vide constantiam. Non tollit oculos, ne flectatur. Audiuerat blandam cantilenam amoris: si oculos attolleret, & Didonem videret, pulcherrimámque illam formam, fortassis non potuisset duplici malo obsistere: itaque qui dominari auribus non potuit, oculis vult dominari, neque illam cernere. Secum ipse obluctabatur obstinatè, vt rem corde tegeret, & vultu alium se ostentaret. Nollet, credo, loqui, & fortassis hæc mens Poëtæ, cùm ait, *obnixus*: sed victus est, vt qui homo, vt qui amauerat.

A [b] Leuauit æstum curarũ, quas premebat sub corde, respondens pauca. Quæ verò illa? Non negabo accepisse à te tam multa officia, quàm multa ipsa enarrare numerando queas: neque in posterum ero immemor, quamdiu viuam. Cur *Regina*? tum vt colligat beneuolentiam, tum potiùs, vt se subtrahat nuptiis, quas Dido obiecerat, quæ cum Ænea, vt cum coniuge loquebatur, sed ille cum illa vt cum Regina. Atque remouens nomen coniugij, se pariter subtrahit crimini impietatis. quis enim coniugem sine impietate deserat, ait Iulius Scaliger? Qui etiam examinat, cur se in posterum fore memorem polliceatur. Hoc enim ipso negat gratiam in præsenti se posse referre, ne cogatur manere, & ideo reiicit in futurum quod satis esse debet inter ciues bene institutos. Sed cur signatè, *non me pigebit meminisse*? Sic concipe. Nul-B la me pigritia tenebit, cùm tua beneficia animo occurrerint: statim enim prompta quadam & alacri recordatione ero, cùm nomen tuum audiuero: exultabo ad nomen tuum promptissimè.

[c] Captata Didone, ad causam diluendam descẽdit, & crimina, quæ obiectabantur. Initio respondet illis, *sperasti tacitus decedere mea terra*? Ergo, quæ illa tantùm rogando obiecerat, hic negando tantùm repellit. Nunquam ego tibi matrimonio coniunctus.

iunctus. vel dic Regina quando nobis tædæ prælatæ? A quando prætentæ? hoc enim signum nuptiarum. Ne ergo mihi illa obiice,

Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos.

Nunquam ego descendi in pacta coniugij.

d Ratio efficax ad Didonis animum permouendum. Nemo est exul, qui non priùs ciuitatem suam coleret, quàm alienam. inde ait, *Primum colerem vrbem Troianam.* Deinde nemo est, qui non regis sui, boni præsertim, qualis fuit Priamus, memoriam non retineat animo, ideo, *& Priami tecta alta manerent.* In quibus obiter elucet ingens quædam magnitudo animi, qua Æneas pro restauranda Regis sui memoria, nihil non subiturus esset, nam qualis quantúsque labor Troiam denuo reædificare?

e Exspirant hæc pietatem erga miseros victos. & loquitur cum perfectissimo tempore, vt indicet promptitudinem, qua iam omnia peregisset. B

f Confert profectionem suam ad Deos, quod argumentum validissimum. Nemo enim iustè queri potest se præ Deo contemni, cùm huic semper parendum, ideo *iussêre.*

g Perinde acsi dicat. Hic amor, vbi est patria: hæc autem est Italia ex diuino monitu, ibi ergo esse amor debet. Sequitur locus à comparatione parium hic. Si te, Phœnicia cùm sis, detinet oblectátque vrbs, quæ in Libya; cur non vis Troiani tendant in Italiam verbis illis,

Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Inuidia est?

ait Scaliger animari sententiam, ac si dicat: *Non quasi hîc nos velis, sed quasi ibi nos nolis.* Sed cur *fas*? Hæc vox dicitur de fatis, Diis, Numinibus. Ergo, *fas est nos quærere regna extera*, erit, fata quoque nos vocant ad regna externa, sicuti te. Ait Nascimb. repeti sæpe caninam litteram ad explicandam difficultatem nauigandi, & quærendi regna externa. Non abnuet, qui videat obseruationes Iouiani de studio Poëtæ in quærendis his vocibus. C

h Sententia est. Anchisæ imago me nocte prima, me nocte extrema in somnis admonet, quin terret turbato vultu. Innuit fatigari se noctem integram paternis monitis.

i Ascanio meo laboro. pulchrè: aufert enim à se ambitionem, quam nefas erat potiorem esse amicitia. & puerum vocat, quasi ille, vt puer, laborare pro se nihil possit, & paterna hæc debeat esse cura. deinde, est contra ius, ne pater filio suo gloriam quærat, illúmque regno fraudet & possessione, quam fata destinant. demum *charum* dicit, affectum iungens. perinde. Mitto esse puerum, pro quo laborandum: esse filium, atque ideo paternæ curæ: sed est etiam charus. quæ ratio efficax in ore patris, qui prolem vnicè solet diligere. Dictum autem hoc in gratiam familiæ Iuliæ, cui fatis debere imperium Poëta canit, Turnebus vidit, atque adeo cum blandimento quodam quærendæ gratiæ Cæsaris. Hactenus profectionem suam reiicit in paternos monitus, in vtilitatem filij, restabat supremum quiddam, & vrgentissimum, quod sequitur. D

k Apertè aperit, sibi iussum à Ioue, & ab *ipso Ioue* cum emphasi, cui quis resistat? & Mercurium fuisse internuntium, qui non nisi ad res magnas mitti soleat, quem quî negligat Æneas? vt sibi credatur, iurat per caput suum, & Didonis. & firmat cum graui verborum pondere se vidisse Mercurium, se audiuisse. Duæ enim fenestræ potissimùm animorum sunt, visus, & auditus. Itaque nullum passus ludibrium sum in somnis, nam mihi vigilanti visus Mercurius *manifesto lumine*: hausta eius vox *his auribus*. Hîc docti emphasin agnoscant, non pleonasmum cum Seruio. In illis quoque *ipse vidi* emphasis est, quasi nolit alterius testimonio niti.

l Nulla fingi potuit commodior peroratio proposito. Tecum viuerem iucundissimè, sed non sum meus, regunt me fata, quare ne me vrge. Sunt tui affectus potentissimi ad voluntatem meam mouendam, incendendum animum; sed tota vis fatorum resistit.

NOTÆ.

1. CVRAM SVB CORDE PREMEBAT] Hoc maximè indicium sapientis. Amabat Æneas, sed tegebat in corde. Audi Appianum in Syriacis. λύπας μὲν ἐν, καὶ ὀργάς, καὶ ἐπιμελείας ἄλλας ὁμολογεῖσθαι, ἔρωτα δὲ ἐπικρύπτεσθαι πρὸς τῶν σωφρόνων. Dicit mœrores, iras, curas alias à sapientibus manifestari, amorem intus tegi. Loquitur de Antiocho Sotere, qui nouercam suam Stratonicam Seleuci patris vxorem deperibat. *Amor tegendus à sapiente.*

2. NVNQVAM REGINA] Inuenio occultam Eurip. imitationem in Troadib. vbi Menelaus Helenam nominans, abstinet à nomine vxoris, & Lacænam vocat:

Ἥκω γὰρ τὴν Λάκαιναν (οὐ γὰρ ἡδέως
Οὔνομα δάμαρτος, ἥ ποτ' ἦν ἐμή, λέγω)
Ἄξων.
Venio Lacænam istam (non enim libenter
Nomine vxoris, quæ mihi erat, appello)
Abducturus.

3. NEC ME MEMINISSE PIGEBIT ELISSÆ, DVM, &c.] Pari affectu Homericus Achilles erga suum Patroclum. Il. 22.

—τοῦ δ' οὐκ ἐπιλήσομαι ὄφρ' ἂν ἔγωγε
Ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ:
—*huius autem non obliuiscar, quoad ego*
Viuis interero & mihi chara genua moueantur.

Admetus erga suam Alcestidem apud Eurip.

—ἂν αἰὼν οὑμὸς ἀντέχῃ,
—*dum durauerit æuum meum.*

Nero ad Senecam præceptorem suum apud Tacit. 14. Ann. *Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt.* Sophocl. in Electra, ὄφρα μ' ἔχῃ βίος: *quamdiu me vita tenebit.* Dio Chrysostom. orat. 39. ἂν ἐμπνέω, *dum spirauero*: Est hoc, quod Paulinus epist. 40. *Claudente donec continebor corpore.* Quod Cicero lib. 3. Nat. *dum quidem spirare potero.*

4. PRÆTENDI TÆDAS] Tædæ nubentibus præferebantur. Ouid. in nuptiis Orphei: *Tædæ nuptiales.*

Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Vsque fuit, nullósque inuenit motibus ignes.

Festus: *Rapi solet fax, qua prælucente noua nupta deducta est ab vtriusque amicis*, &c. Plaut. Cas. *Huic lucebis nouæ nuptæ facem.* Sunt, qui iam notauerint has faces fuisse quinque, non plures, neque pauciores, ex more veterum. Tu lege Plutarchum ἐν Αἰτίοις. In antiqua Græcia moris fuisse, vt has faces præferrent matres sponsi, & sponsæ, vir nostri æui doctissimus Mart. Delrius probat triplici testimonio Eurip. qui in Phœniss. *Faces nuptiales quinque. Faces qui præferrent.* E

Ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει μητρὶ μακαρίᾳ:
Ego neque igneas accendi faces
In nuptijs sollemnes, vt beatam matrem decet.

In Troadib. cùm Cassandra furore percita sibi ipsa facem præferret, Hecuba mater dixit:

Παράδος ἐμοὶ φῶς, οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς
Μαινὰς θράσσο':
Trade mihi lumen, non enim ritè præfers facem
Furore percita Mænas.

In

In Iphig. Aul. cùm Agamemno dixisset, curaturum se omnia quæ ad filiæ nuptias pertinerent, & inter alia, ἐγὼ παρέξω φῶς, *ego præbebo facem*, Clytæmnestra subintulit, οὐχ ὁ νόμος οὗτος: *Haud moris est hoc.* Addit & verba hæc Scholiastæ Apollonij τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων, ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν, ἔθος ἦν: *olim moris fuit, matres faces præferre in nuptijs nubentium.* Et ego verba hæc Scholiastæ Eurip. in Phœniss. ἔθος ἦν τὴν νύμφην ὑπὸ τῆς μητρὸς τοῦ γαμοῦντος μετὰ λαμπάδος εἰσάγεσθαι. Sed quamuis hoc aliquando viro doctissimo concedamus, sed non tamen concedendum semper: efficio hoc testimonio Hesiodi in Herculis Scuto:

—πολὺς ὑμέναιος ὀρώρει.
Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε
Χερσὶν ἐνὶ δμωῶν, αἳ μὲν γλαΐαις τεθαλυῖαι
Πρόσθ' ἔκιον:
—*multus Hymenæus oriebatur.*
Longè autem ab ardentibus facibus lumen inuoluebatur
In manibus ancillarum, quæ splendoribus floridæ
Anteibant.

Ceterùm signatissimus est locus Eurip. in Hip. Cor. ad quem allusit Virgilius,

Νῦν δ' ὅρκιον σοι Ζῆνα, καὶ πέδον χθονὸς
Ὄμνυμι, τῶν σῶν μήποθ' ἅψασθαι γάμων,
Μηδ' ἂν θελῆσαι, μηδ' εἰς ἔννοιαν λαβεῖν:
Nunc autem per Iouem, qui iuramentis præest, & terram
Iuro, me tuas nunquam tentasse nuptias,
Neque illis animum adiecisse.

Faces cur præferrētur nubentibus. Aperio hîc rationem moris, cur videlicet faces præferrentur vxoribus? Notarunt Sex Pompeius, Seruius ex Varrone, aliique, olim nuptias noctu celebrari solitas, inde prælatæ faces: quæ consuetudo permansit, etiam si fierent postea clara luce. Signatissimus est ad hanc rem locus Valerij Maximi lib. 1. cap. 6. vbi sic ait: *Cæcilia Metelli dum sororis filiæ adultæ ætatis virgini, more prisco, nocte connubia nuptialia petit, omen ipsa fecit.*

5. ME, SI FATA MEIS, &c.] Obseruat H. Stephan. lib. Sched. cap. 11. has locutiones *ducere vitam suis auspicijs*, &, *componere vitam sua sponte*, esse easdem cum illa *sibi viuere*, qua vsi Horatius in epist. & Ouidius. 3. Trist. eleg. 4. quódque Plato τὰ ἑαυτοῦ πράττειν. Sunt autem, qui putent hîc *auspicijs meis* traductum ab Imperatoribus Romanis: quibus, nisi consultis auspiciis, prælium committere mos non fuit. Vt hoc verum, ita falsum, capiendum Poëtam cum eo respectu. Quid enim in re nuptiarum ad imperatores confugiam, cùm auspicia propria sint nuptiarum? vt etiam auspex? De qua re iam mihi in hoc libro.

Recidiuum. 6. RECIDIVA] Quasi redeuntia. quod enim restituitur, quasi recidere, & redire videtur. Tertull. redeuntem annum *recidiuum* vocat: *Reciprocarum frugum, & viuidorum elementorum, & recidiui anni fidem argumentatur.* Hæc Turn. lib. 29. cap. 24. Locutio sumitur ab arboribus, quæ cæsæ repullulant. Inde & morbi recidiui. Græcè possis dicere ὑποστρέφοντα, id est, recidiua. Nam Hippocrates lib. 2. Aphoris. morbos recidiuos vocat ὑποστροφάς. Virgilium imitatur Seneca in Troad. *Recidiua ponas Pergama*: & Virgilius Euripidem, Τροίαν πεσοῦσαν ὀρθώσαιμι.

Apollo Grynæus. 7. GRYNÆVS APOLLO] Monet Alciat. lib. 5. Parerg. cap. 22. Grynæum Apollinem esse Delium, & hunc à Poëta intelligi, nam Grynæi Apollinis oraculum in Delo fuit, vt auctor est Parthenius. Adi quæ dicta in 6. Ecl. vbi mentio fit nemoris Grynæi.

Apollo Lycius. 8. LYCIÆ] Antipater Stoicus Lycium Apollinem nuncupatum scribit ἀπὸ τοῦ λευκαίνεσθαι πάντα φωτί-

A ζοντος ἡλίου, *quòd omnia albescant illucescente sole.* Diodorus hanc nomenclaturam reiicit ad virum Lycum nomine, qui cùm in Lyciam venisset, templum ibi Apollini penes Xanthum fluuium condidit. Alij malunt ἀπὸ τοῦ λύκου, *lupo.* quia nimirum primam illam lucem, quæ præcedit solis exortum, λύκον veteres appellauêre, à lupo, quia tum lupus cernens se in viam dat. Hoc de lupo quidam aliter interpretantur, nam Lycopolitana Thebaidos Ægypti ciuitas pari religione Apollinem, & Lupum colebat, in vtroque Solem venerans: quia hoc animal rapit & consumit omnia in modum Solis, ac plurimum oculorum acie videns tenebras nocturnas euincit. Nō dissidet ab hac, Cleanthis sententia, qui Lycium Apollinem appellatum ait, quòd veluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque B humorem radiis rapit. Ad originem Lycij Apollinis cum hoc respectu ad lupum pertinet in primis, quod narrat Pausan. Corinth. *Lycium Apollinem huiusmodi de causa dedicauit Danaüs. Cùm Argos venisset, de regno cum Gelanore Stheneli filio contendit: ac, cùm eorum vterque ad populum multa, & ea maximè probabilia, & iuri consentanea dixisset; nec omnino, quæ Gelanor afferebat, minùs æqua viderentur, causa ampliata est in crastinum. Postero die prima luce in boum gregem in pomerio pascentium lupus impetum fecit, atque is taurum ipsum gregis ducem adortus est: Visum est Argiuis, Gelanori cum tauro; cum lupo esse Danao aptissimam conuenientiæ rationem. Quòd scilicet, vti lupus animal est homini minimè familiare: sic propemodum ad id temporis nulla fuisset Danaüs Argiuorum vsus consuetudine. Quare cùm taurum lupus confecisset,* C *è renata Argiui Danao imperium adiudicarunt. Tunc Danaüs lupum ab Apolline missum interpretatus, Lycij Apollinis ædem dicauit.* Plura vide apud lib. 7. Synt. nobis inde aliqua libata, aliqua addita, aliqua petita ex fontibus, & multa prætermissa. Sed quando sumus in Lycio Apolline, non parum prodesse existimauimus ad eius cognitionem, quæ Seruius recèns editus scribit, non vulgaris ille & mutilus. Qui postquam ait per *Lycias sortes* intelligi Apollinem, subdit: *Siue de Lycio, quem vicit, & victoriæ suæ testimonium hoc nomen induit: siue quòd est λευκός, à candore, idem enim & Sol creditur: siue quòd transfiguratus in lupum cum Cyrene concubuit, & inde eadem prouincia Lycia vocata: siue quòd in lupi habitu Thebanos occiderit: siue quòd lupus ei primum post interemptum Pythonem, ex eo loco, qui appellatur Tempe,* D *aurum attulit: siue quòd pastoralis Deus lupos interemerit.* Multa alia subdit, quæ & Seruij diligentiam commendant, & mutilatoris condemnant audaciam. Sed in re tam varia, possumus etiam credere Lycias sortes & oracula sumpta à piscibus, si fidem historiis, aut fabulis damus. Fuit enim in Myris Lyciæ vrbe fons sacer Apollini, in quo pisces diuinabant, pérque eos voluntas Apollinis innotescebat. Plin. lib. 32. cap. 2. *In Lyciæ Myris in fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fistula euocati (pisces) veniunt ad auguriū. diripere eos carnes obiectas, lætum est consultātibus: caudis abigere, dirum.* idem pluribus Athen. scribit lib. 11. vtcunque sit, Lycij Apollinis magna præ aliis simulacris religio. adeo vt Pindarus Od. 13. Olymp. dicat, Λυκαίου βωμὸς ἄναξ: *Lycæi ara Regina.*

Lupus cultus vt Deus.

Apollinis Lycij origo.

Pisces diuinantes.

E 9. SI TE CARTHAGINIS ARCES, &c.] Ad principis sui imitationem Pap. 1. Theb: inducit Iunonem expostulantem cum Ioue hunc in modum:

———*tibi templi*
Gratus honos: placet Ida nocens, mentitáque Manes
Creta tuos: me Tantaleis consistere tectis
Quæ tandem inuidia est?

10. QVOTIES HVMENTIBVS VMBRIS] Sumpta hæc ex Hom. Il. 23. vbi Achilles:

Παννυχίη γάρ μοι Πατρόκλῆος δειλοῖο

 ψυχὴ

Ψυχὴ ἐφεστήκει γοόωσά τε μυρομένη τε:
Pernox enim mihi Patrocli infelicis
Anima astitit plorânsque lamentânsque.

In Poëta Seruius agnoscit pleonasmum, nam idem esse ait, *quoties nox operit terras*, & *quoties astra ignea surgunt*. non facilè concedam. In illis,

—quoties humentibus vmbris
Nox operit terras,

signatur prima nox: in illis *quoties astra ignea surgunt*, extrema, & summum mane. Inprimis hi versus facti sunt ad Homeri imitationem, itaque, quod ille παννυχίη dixit, Poëta duplici tempore discriminauit. Deinde, somnia visa prima nocte, non semper, potiùs raro, vera fuerunt: verissima, quæ extrema nocte apparebant. quod firmo. 5. Æn. vbi expressus locus. Nullam itaque fidem faceret Æneas, si tantum diceret, patrem sibi prima nocte apparuisse: quod cùm videret, addidit; atque etiam,

—quoties astra ignea surgunt.

Virgilius defenditur.

Tertio mihi est efficax ratio, Poëtam nunquam in pleonasmos incidisse, cur ergo hîc? Occurres, multos esse: hos tibi, quosquos numeres, non concedo. in his commentariis omnes euerti, vt quos non putem esse è dignitate Virgilij, nam bis eandem sententiam dicere nusquam, & nunquam fuit in precio. Roges ergo, quî extrema nox significetur verbis istis,

—quoties astra ignea surgunt?

Stellæ in medio suo cursu subita aduentantis diei luce disparent, & omnino euanescunt. Hanc inanitatem videtur Poëta concepisse verbo *surgo*, quasi tunc à loco, in quo erant, surgant abeántque. Finge hominem subitò in aërem tolli, & euanescere: ille dicetur surrexisse, euanuisséque. Sic videtur contingere cùm stellæ euanescunt, vt videantur abire in interius cælum, & latere. Si aliqua in hac re difficultas, potiùs illam deuorem, quàm fatear, Poëtam bis eandem rem dicere. Adde verba de occasu & ortu siderum non ita clara apud scriptores. Germanus, cuius maximum iudicium in re omni, verba illa 2. Æn.

—& iam nox humida cælo
Præcipitat, suadéntque cadentia sidera somnos:

accipit de summo mane, abeunte iam nocte: & tamen idem eadem verba in 4. Æn. cogitur accipere de aduentante nocte ex contextu Poëtæ.

Phobetor somnifilius.

11. TERRET IMAGO] Referendum ad terrorem somni, à quo terrore somno dabatur filius φοβήτωρ, id est, terrefactor. cuius Ouid. in Met. meminit:

Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat.

Stellæ naturæ igneæ.

12. ASTRA IGNEA] Putantur astra esse ἔμπυρα, id est, naturæ igneæ. Adeundus Plutarch. lib. 2. de Placit. Philosoph. cap. 15. vbi latè. Plinius lib. 2. cap. 5. *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea esse: ignium summum: inde tot stellarum collucentium illos oculos.* Diogen. Laert. ex communi philosophorum omnium mente ait, stellas ignem esse, ex quarum temperata commistione cuncta super terram nascantur. Inde Poëtæ frequentissimè ignes pro stellis ponunt. Veritas alia est. Constant enim cælesti & incorruptibili materia, densiore tamen, & ideo splendidiore.

13. INTERPRES DIVVM] Nam hic Deus dictus Ἑρμῆς, quia ἑρμηνεὺς, id est, interpres.

14. TESTOR VTRVMQVE CAPVT] Meum, & tuum. hoc liquidius, hoc verius, & iudicium requiro in his, qui hoc ad caput Iouis & Mercurij referunt. tritum enim iuramentum per capita hominum, à quo more cur Poëta discrepet nulla ratione? Apul. 3. As. *Adiuro enim tuum mihi charissimum caput, nulli me prorsus, ac ne tibi quidem ipsi aduersanti posse credere, quòd quicquam in meam cogitaueris perniciem.* Catull. de Coma Beren. *Adiuro téque tuúmque caput.* Sil. lib. 10.

Iuraméntum per capita.

Pérque caput nullo leuius mihi Numine patris
Magnanimi iuro.

Briseis apud Ouid. in epist.

Pérque tuum nostrúmque caput, quod iunximus vnà,
Iuro.

Adde Virgilio præisse Apollonium lib. 3. Arg. qui duo etiam capita constituit forma quadam iuramenti.

ἴστω νῦν τόδε σεῖο φίλον κάρα, ἠδ' ἐμὸν αὐτῆς:
Sciat nunc hoc caput tuum dilectum, & meum.

Demum Poëta ipse infrà:

Testor chara Deos, & te germana, tuúmque
Dulce caput.

Est hæc forma eadem cum illa, qua vsus Augustus apud Appianum lib. 5. Ciuil. loquens cum L. Antonio, licèt aliis verbis concepta, δι' ἐμαυτὸν, καὶ διὰ σε ὦ Λεύκιε: *Per me ipsum, per te Luci.* Hanc iurandi rationem confirmat illa, quæ per capillum fiebat. Apul. 3. *Adiuro per dulcem istum capilli tui nodulum, quo meum vinxisti spiritum.* Forma ista, ὦ φίλη κεφαλή, *O charum caput*, ad amorem frequentissima est Græcis. Eam vidi in 2. Platonica Aristidis, in Basilio lib. de spiritu sancto cap. 1. ὦ φίλη κεφαλή, καὶ τιμιωτάτη μοὶ πασῶν, Ἀμφιλόχιε: In epistolis Synesij sæpissime.

Iuraméntum per capillũ. O charum caput.

15. IPSE DEVM] Allusio ad Homericum Il. vlt. αὐτὸς ἀκουσα θεοῦ.

16. AVRIBVS HAVSI] Aures dictas ab hauriendo multi autumant, in his Lactant. lib. de Opificio Dei: ad quod etymon videatur quoque hîc Poëta allusisse. Sed tamen, vt οὖς auris, nonnullis Grammaricis ducitur à verbo ἀΐω, audio: sic veriùs, aures ab audiendo. Varro lib. 5. ling. Lat. ab aueo ducit: *quòd (inquit ille) auribus auemus discere.* Addit: *Ennius videtur etymon ostendere velle in Alexandro, cùm ait: Iam dudum ab ludis animus atque aures auent, auidè exspectantes nuntium.* Ceterùm Horatius, Propertius, Ouidius tacitè Maronis opes furantur. Vt enim Maro vocem aquarum *haurio* coniungit cum auribus: ita ille cum *bibo* pari aquarum verbo. Primus lib. 2. Od. 13.

Aurium etymon.

Densum humeris bibit aure vulgus.

Secundus lib. 3. eleg. 6.

Incipe, suspensis auribus ista bibam.

Tertius lib. 3. Trist. eleg. 5.

Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.

id est, bibi auribus verba. Non hinc abit Cicero, qui lib. 2. Attic. epist. 14. dixit *sitientes aures.* Nec Iuuenalis, qui Sat. 7.

—miseram vinosus inebriet aurem.

Nec Varro qui Eumenidib. *fartis auribus dape, atque ebrijs.* In quibus omnibus dantur auribus verba, quæ pertinent ad gustum. Agnoui in Virgilio non pleonasmum, sed emphasin. verè. Sic in Valer. Maxim. lib. 5. cap. 4. *Auribus ista tam præclara exempla Romana ciuitas accepit, illa vidit oculis.* Vbi *auribus, & oculis* ἐμφατικῶς.

17. DESINE MEQVE TVIS, &c.] Fit allusio ad Sophoclem in Antig. vbi Creon:

Παῦσαι, πρὶν ὀργῆς καμὲ μεστῶσαι:
Desine, priusquam me iræ dicendo repleas.

18. INCENDERE] Ita in re pari Catull. in Nupt. Pelei:

Nostros vt luctus, nostræq; incendia mentis.

Talia

a Talia dicentem iam dudum auersa tuetur,
Huc illuc voluens oculos, totúmque pererrat
Luminibus tacitis, & sic accensa precatur:
b Nec tibi diua parens: generis nec Dardanus auctor
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

ARGVMENTVM.

Dido furore accenditur in Æneam, cui neque mater sit Venus, nec auctor generis Dardanus: sed pro matre tigres Hyrcaniæ, pro patre Caucasus horrens rupibus.

EXPLICATIO.

a ITa ab illo auersa erat, vt in omnem partem oculos ageret, illúmque identidem sæpe totum lustraret, vix credens illum esse Æneam, quem pium, quem mitem putauerat. Ait *iam dudum*, quia ab initio auersa fuit, vt primùm vidit parari excusationem, neque velle illum suis monitis acquiescere. *huc illuc voluens oculos*, vt quæ sui impos. *pererrat*, perfectius, quàm, errat, quia *totum*, & quia sæpe. *tacitis luminibus*, est hypallage, pro, ipsa tacita perlustrat, sed attribuit oculis affectum, vt qui indices sint animorum. *precatur*, quia sequens oratio (qua nihil dici potest truculentius) tota ad diras tendit & imprecationes, quas Æneæ contingere iam nunc vult, iam nunc precatur.

b O perfide, nec te Venus genuit; quî enim Dea amorum, & fœderum coniugalium generaret immitem, & perfidum? nec tui generis auctor est illustris ille, & multis nominibus celebratus Dardanus, nam proles similis patri est, non tu illi. Igitur pro Dardano tibi pater est Caucasus, mons Scythiæ; pro matre Hyrcanæ tigres: ille horrens cautibus suam in te transfudit duriciem; tigres, ferino lacte sæuitiam docuerunt. Ergo, nec Dea natus es, sed ne Dardano quidem genitus, quod facilius esse potuit. Atqui hæc est illa Dido, quæ dixerat,

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

ídque validis argumentis firmauerat.

NOTÆ.

Intuitio eorũ, qui odio alios habẽt.

1. AVERSA TVETVR] Signat credo toruitatem illam oculorum, & iniquitatem, qua tuentur cum odio illi, qui priùs amarunt. Ad id ipsum exprimendum *vultus iniquus* dixit Ouid. 1. Art. vbi enim sermo est de Pasiphaë, quæ taurum amabat, atque iccirco in vaccam tauri irascebatur, sic scribit,

Ah quoties vultu vaccam spectauit iniquo!
Et dixit: domino cur placet ista meo?

& 2. Art. iratæ fœminæ toruitatem dat oculorum,

Quem videat lacrymans, quem toruis spectet ocellis.

Anacreon quoque Bathyllo subirascenti dat, μέλαν ὄμμα γοργὸν: *oculum nigrum, & trucem*, qualis nimirum erat Gorgoni. in re etiam amatoria dixit Petron. in Satyr. *Ego mœstus, & impatiens fœderis noui, non cibum, non potionem capiebam: sed obliquis trucibúsque oculis vtrunque spectabam.* Ad hoc pertinet, quod Plutarc. scribit in Disputatione erotica: ait enim, Leontidem, cùm obuersis oculis aspiceret amatorem, qui efferebatur ad tumulum, obriguisse in lapidem, ac post multos annos illam ipsam statuam παρακύπτουσαν appellatam, id est, obliquis oculis intuentem. Sophocles in Antig. ἀγρίοις ὄσσοισι παπτήνας, *agrestibus oculis*

A *intuens.* Aristoph. in Vesp. κλέπτον βλέπει, *furtiuè cernit.* Et in Lysistrata ὑποβλέψας, vbi præpositio ducit te ad furtiuam intuitionẽ. Ergo, vt exprimas oculos illius, qui odium habet, dices, intueri *auersè, iniquè, toruè, obliquè, oculis trucibus*, γοργῶς, παρακύπτειν, ἀγρίως, κλέπτον, ὑποβλέπειν. Hic est maximus fructus, qui decerpi potest ex collatione auctorum. Separaui ab aliis verba Liuij lib. 9. quæ apta, vt affectus similes in Didone concipias. Ait ille: *Silentium illud obstinatum, fixósque in terram oculos, & surdas ad omnia solatia aures, & pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse.* Et quidem peculiarem fuisse semper amantium intuitionem, siue illi irati essent, siue lenes & placidi, ex Anacreõte facilè colliges: scribit enim, equos signis cognosci, Parthos tiaris.

B Ἐγὼ δὲ (subdit) τοὺς ἐρῶντας
Ἰδὼν ἐπίσταμαι εὐθύς:
Amantes ego tamen,
Videns cognosco statim.

2. HVC ILLVC VOLVENS OCVLOS] Medea simili affectu occupata apud Val. Flaccum lib. 7.

Oculos incerta tenet.

3. ACCENSA] Verbis Æneæ Didonis ira æstuauit. Philostratus lib. 8. Apollon. cap. 3. χολὴν δέ ἐπὶ ἥπατι κειμένην, ὀργὴ μὲν ἀνίστησι, φόβος δὲ ὑπάγουσιν ἐς τὰ κοῖλα τοῦ ἥπατος. ὑπὸ μὲν δὴ τῶν παροξυνόντων ζέσασα, καὶ μηδὲ τῷ ἑαυτῆς ἀγγείῳ φορητὸς οὖσα ὑπτίῳ ἐπιχεῖται τῷ ἥπατι: *Choleram in hepate iacentem iracundia excitat, timor autem eandem in cauas hepatis partes subducit. Quòd si quis ipsam irritauerit, adeo efferuet, vt suo vase contineri cùm*
C *nequeat, impotẽs supino hepati superfundatur.* Sed cur ita æstuauit? Nam fœmina, nam amans. Aristotel. enim. 2. Rhet. cùm multos nominet, qui obnoxij sunt iræ, tum ab illo inducuntur κάμνοντες, καὶ ἐρῶντες: *imbecilli, & amantes.* Et addit rationem, ἐπιθυμοῦντες, καὶ μὴ κατορθοῦντες. Quia videlicet, qui aliquid cupiunt, neque præ imbecillitate assequuntur, ὀργίλοι εἰσί, καὶ εὐπαρόρμητοι. Iræ causa.

4. NEC TIBI DIVA PARENS, &c.] In eadem hac sententia exprimenda Poëtæ alij felices etiam fuerunt: sed vt hoc affirmaui, ita ausim quoque affirmare, Virgilium superari à nemine, nec æquari, imò omnes vinci. Adducam plures, quàm soleo, & ad extum criticum salem contra illos, & victoriam Virgilij contra omnes. Ergo Catull. Arg. Virgilius superat poëtas reliquos.

Quæ nam te genuit sola sub rupe leæna?
D *Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis?*
Quæ Syrtis? quæ Scylla vorax? quæ vasta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci præmia vitæ?

Ouidius 8. Metam. Vtrique vati sic hæsit.

Non genitrix Europa tibi est, sed inhospita Syrtis,
Armeniæq; tigres, austróque agitata Charybdis.
Nec Ioue tu natus, nec mater imagine tauri
Lusa tua est, generis falsa est ea fabula, verùm
Et ferus, & captus nullius amore iuuencæ,
Qui te progenuit, taurus fuit.

Dido ipsa apud Ouid.

Te lapis, & montes, innatáque rupibus altis
Robora, te sæuæ progenuere feræ.

Ariadne ad Theseum:

Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius:

Filius: auctores, saxa fretúmque tui.

Vide locum pulcherrimum eiusdem Ouidij lib. 1. Trist. eleg. 7. Seneca in Oet.

Quæ cautes Scythiæ? quis genuit lapis?
Num Titana ferunt? te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia,
Quæ virgata tibi præbuit vbera.

Sed confer iam Poëtam cum Græcis. Æschyl. Prometheo,

Σιδηρόφρωντε κἀκ πέτρας εἰργασμένος·
Ferri habes mentem, factus ex petra es.

Decrescit oratio, fortius enim ferrum petra. Consultius Theocritus eidyll. 26.

Πέτρας ὅγ' ἔχων νόον, ἢὲ σιδήρω
Καρτερὸν ἐν στήθεσιν:
—Petræ habens mentem, aut ferri,
Robur in pectoribus.

Idem eidyll. 28.

Ἄγριε παῖ, καὶ στυγνὲ, κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας,
Λαΐνε παῖ, καὶ ἔρωτος ἀνάξιε:
Agrestis puer, & inuise, malæ germen leænæ,
Puer lapidee, & indigne amoribus.

Homer. Il. 16.

Νηλεὲς, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς,
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής:
O immitis, non vtique tibi pater erat eques Peleus,
Nec Thetis mater: cæruleum autem te peperit mare,
Petræq; altæ, quia tibi mens est sæua.

Eurip. in Bacch.

Τίς ἄρα νιν ἔτικτεν;
Οὐ γὰρ ἐξ αἵματος
Γυναικῶν ἔφυ.
Λεαίνας δέ γε, τινὸς ἢ Γοργόνων
Λιβυσσᾶν γένος:
Quis nam illum peperit?
Non enim ex sanguine
Mulierum natus est.
Sed leænæ, aut alicuius Gorgonum
Libycarum est genus.

Idem pereleganter aliis rebus eandem sententiam concepit in Troad. Sic enim Andromacha loquens de Helena,

Πολλῶν γὰρ πατέρων φημί σ' ἐκπεφυκέναι,
Ἀλάστορος μὲν πρῶτον, εἶτα δὲ Φθόνου,
Φόνου τε, θανάτου θ', ὅσα γῆ τρέφει κακά.
Οὐ γάρ ποτ' αὐχῶ Ζῆνά γ' ἐκφῦναι σ' ἐγὼ
Πολλοῖσι κῆρα βαρβάροις, Ἕλλησί τε:
Ex multis patribus te natam esse dico.
Ex Alastore primùm, deinde ex Inuidia,
Ex Cæde, & Morte, & quæcunque tellus alit mala.
Non enim dicam Iouem produxisse te ego,
Multis perniciem barbaris Græcísque.

Pari affectu sed in contrarium Ouid. 9. Met.

—nec enim de tigride natus,
Nec rapidos silices, solidúmve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ:

A *Vincetur.*

Et Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in duro stat tibi corde silex.

Lusêre pari gloria alij non poëtæ. Philostratus in epistol. οὐκ ἦσθα συγκείμενος ἐξ ἀέρος, καὶ τῶν ὅσα τούτοις κίρναται· ἀλλ' ἐξ ἀδάμαντος, καὶ πέτρας, καὶ στυγός: *Non tu ex aëre compositus es, neque ex ijs quæ his miscentur, sed ex adamante, saxo, styge.* Alibi, Σκύθης μοὶ δοκεῖς, καὶ βάρβαρος, ἀπ' ἐκείνου τοῦ βωμοῦ καὶ τῶν ἀξένων θυμάτων: *Mihi quidem Scytha videris, & barbarus, ab illa ara & inhospitalibus sacrificijs.* Specie prouerbij dixit Plutarch. de consolatione ad vxorem. καί τοι οὐδὲ αὐτὸς ἀπὸ δρυὸς, οὔτ' ἀπὸ πέτρης ἐγενόμην: *non sum genitus quercu, non petra.* Et de solertia animal. ait illud Homericum,

B γλαυκὴ τέ σε ἔτικτε θάλασσα, dici πρὸς τὸ ἀνήμερον, καὶ ἄμικτον, *in immitem atque insociabilem,* & reddit rationem, ὡς μηδὲν τῆς θαλάσσης ἀνοίκου, μηδὲ πρᾶον φερούσης: *nam mare, nihil beneuolum, nihil mansuetum procreat.* Hanc operam non ociosam putauit, qui tentat conatus suos, ad gloriam Poëticæ aspiraturus. Ex omnibus, qui par sit Virgilio, neminem video. Sed nec Catullum. Roges cur ita censeam? quia nemo eo iudicio, quo Maro. Hic enim strictissimè. Non tibi mater Venus, non pater Dardanus, pro patre tibi est Caucasus, pro matre Tigres. Homerus, vt ab hoc incipiam, ita. Non tibi pater Peleus, non mater Thetis: pro matre tibi est vnda, & petræ. Vbi ergo Homere, qui sit pater pro Peleo? & cur binæ matres vnda & petra (nam has signas vel ipso genere) pro vna Thetide? In

C Catullianis vides patrem desiderari, vbi tamen matres suppetunt, leæna, vnda, Syrtis, Scylla, Charybdis. In Ouidianis primis est magnum vitium, nam post tot matres (& fuisset satis vna) cùm patrem subiiciat, recurrit iterum ad matrem. Sed hoc vitium solens in illo præ lasciuia ingenij, qua sæpissime recurrit ad præoccupata. Prima Euripidis carent patre: postrema matre, & abundat patribus. Nam ibi patres signari, certum vel ex generibus, ἀλάστωρ, φθόνος, φόνος, θάνατος. Potius esset, patrem vnum, matrem alteram assignari, & his opponi duo item immania pro patre, & matre. Æschylea quo vitio laborarent iam in excursu aperuimus. Alios omitto. His vides victorem omnium Virgilium. Adiungo alia pro clariore victoria. Non enim caret animaduer-

D sione dici de Ænea, esse natum monte, & nutritum tigribus, cùm de eius fratre Cupidine dictum fuerit. 8. ecl.

Nunc scio quid sit Amor. duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis, edunt.

Notat etiam pulchre Iul. Scal. Poëtam egregiè vnà cum Caucasi genitura adiunxisse lactis nutritionem, nam lac non multùm abest à seminis natura: est enim sanguis discoctus, alter in mammillis, alter in testiculis. Vide etiam, quæ doctè Agell. lib. 12. Noct. cap. 1.

[a] Nam quid dissimulo? aut quæ me ad maiora reseruo?
[b] Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?
[c] Quæ quibus anteferam? iam iam nec Maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis Pater aspicit æquis.
[d] Nusquam tuta fides, eiectum littore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui:
Amissam classem, socios à morte reduxi.

[e] Heu furiis incensa feror. nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres Diuûm fert horrida iussa per auras.
Scilicet is Superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello.

ARGVMENTVM.

Sequuntur signa quatuor natalium, quæ obiecerat: querela in Iouem & Iunonem, nuptiarum præsides: exprobratio beneficiorum quinque, quibus Æneam affecerat: ludibrium firmißimi argumenti, quod à Deorum voluntate sumptum.

EXPLICATIO.

a Posset quispiam Didoni obiicere: Cur Æneam dicis cautibus genitum? cur Caucaso? cur nutritum tigribus? cur perfidum? Caue Dido hominem laceres. flectetur, homo est. Huic obiectioni videtur illa respondere. Nam cur hoc non dicam? cur dissimulem dolorem meum? ferreus est, non homo; nunquam flectetur, nihil ab eo possum sperare. Nolo me ad maiores preces reseruare. noui iam hominem, durus est, nihil faciet.

b Probat à signis Æneæ ferocitatem, & illam Caucaseam & ferinam naturam. Genitus est Caucaso, lactatus tigribus, nam ego fleui, ille ne ingemuit quidem: non flexit oculos, vt est ferreus: non lacrymas, vt immanis: non est tactus misericordia erga amantem. In istis crebræ, & abruptæ, & breues sententiæ iratum animum indicant. Omnia explet Virgilius, percurrens omnia humanitatis loca, quibus Æneas caruit. tantùm eget lectore attento. Illa: *num lacrymas victus dedit*, possunt habere sententiam duplicem. vel, Nec victus est meis rationibus, nec fleuit. Hoc verius, & certius. Vel, Victus quidem est meis rationibus, non fleuit tamen. Hoc sæuius, & immanius.

c Ἀπορητικὸς λόγος ad sæuitiam Æneæ explicandam. Ergo ita magnum est, *non gemuisse illum, non flexisse oculos, non lacrymas dedisse, non miseratum*, vt quæ quibus præferam, ignotem. Mala ipsa paria sunt, ordinationéque compararionis æquantur. Pergit. *Iam iam nec maxima Iuno*, &c. Quibus exsaturata in Æneam, Deos quoque incusat, qui nullam gerere rerum curam videantur, nec mortalium facta aspicere. Putat Hortensius dirigi hoc ad vindictam. ac si diceret Dido: Obtestor Iouem, & Iunonem, vt ista aliquando æquis oculis aspiciant, & ingratitudinem tuam vlciscantur sua æquitate. Non placet. Imo hæc est sententia. Vterque debuisset res meas respicere: Iuno, vt cui sacra Carthago; Iuppiter, vt qui pater; & vterque quia coniugiis præest. Sed cur epithetum *Saturnius* in hac conquestione? cum relatione (ait Scaliger) ad Saturni incommoda, quod astrum pestilens, & omni maius fortuna mala. Ergo, Iuppiter, non quicunque, sed *Saturnius*, id est, nocens, aspicit hæc oculis iniquis. Idem Seruius admonet.

d Transit deinde ad querelas, & cum Ænea expostulat de ingrato animo. Incipit. *Nusquam tuta fides.* Ac si dicat. Verum illud est, ratam vbique esse fidem, nullam potiùs. Non tutum est, quenquam in fidem recipere, aut de quoquam benemereri, pro fide enim inuenies perfidiam. Terentius, *Quid credas? aut cui credas?* Pergit ad beneficia exprobranda. hæc quinque sunt: *Excepi illum eiectum littore, excepi egentem, locaui in parte regni, amissam classem reduxi, & socios à morte.* Expende hæc quinque. *Excepi eiectum littore*, vt verè naufragum, nam naufragi dicuntur eiecti. *Excepi egentem*, quia oppressum inopia subleuaui. *Locaui in parte regni*, contra omnem humanum morem (ait Scal.) ideo demens, nam regnum non duos capit. *Reduxi classem amissam*, ad quam rem necessarij magni sumptus. *Reduxi socios à morte.* Hîc non solùm obiicit priuata beneficia, sed etiam communia sociorum, quia Æneas non priuata persona. Igitur reponere mihi gratiam debes propter socios, quia tu eorum Rex. Ita extremum hoc Scaliger.

e Præclarè oblocutura in Deos, furoris excusationem præfatur. Quid verò in Deos? Cùm non habeat, quî possit horum auctoritatem refellere, deludit argumenta risu tantùm, secuta Dido sectam Epicureorum, qui dicebant, Deos non curare hæc inferiora. Ideo,

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.

In quo versu, vt vides, exiles & tenues vocales dominantur confertim. Magna quidem res erat, *Nuntius ab Ioue missus, Apollo Grynæus, sortes Lyciæ.* Hæc vt extenuet, tot confertæ vocales exiles: vidit hoc Iulius Scaliger. Inde etiam frequentes dactylici, qui versum extenuent, subinfert: *neque te teneo, neque dicta refello.* Non ausa videlicet contra Deos loqui.

NOTÆ.

1. NVM FLETV INGEMVIT NOSTRO?] Aspirauit Flacc. 7. Arg. vbi Medea ad Iasonem:

Hei mihi, cur nullos stringunt tua lumina fletus?

2. NVM LVMINA FLEXIT?] Propter illud, *immota tenebat Lumina.*

3. MISERATVS] Verbum hoc frequens in ore amatorum. 2. ecl. *Nil nostri miserere.* Phædra suo Hippolyto: — *Miseror de amantibus.*

Nobilitas sub amore iacet, miserere priorum,
Et mihi si non vis parcere, parce meis.

Et suæ Cydippæ Acontius:

Iuncta salus nostra est: miserere meique tuique.

Theocrit. Idyll. 15. Ἵλαο νῦν φίλ᾽ Ἄδωνι: *Miserere nunc dilecte Adoni.* Inde in amatoribus signatissimum est epithetum apud Poëtas, qui illos dicunt *miseros, & miserrimos*, non Latini solùm, sed & Græci. Anacreon se τλήμονα signanter nominat. exempla abundant. Catull. dixit, — *Amatores miseri.*

——— *misellæ*
Ignes interiorem edunt medullam.

Ita enim hic affectus est vehemens, vt misericordia plerunque mouearis in hominem ea peste occupatum.

4. IAM IAM NEC MAXIMA IVNO, &c.] Accius in Antigona: — *Dij amantes negligebant.*

Iam iam neque Dij regunt,
Neque profectò Deum Summus Rex omnibus curat.

Quæ verba videtur ante oculos habuisse Poëta. Tale illud Iarbæ ad Iouem: *Aspicis hæc*, &c. Eiusdem argumenti est illud Albinouani ad Liuiam:

Cùm rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Et

Et Ouid.3.Amor.eleg.3.

Esse Deos credámne? fidem iurata fefellit.

Eodem pertinet longus excursus Claudiani in Ruffin.ab eo loco:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem
Curarent Superi terras? an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Iuppiter Nuptialis. Rectè autem ait Germ. Iouem & Iunonem hîc inferri, quia γαμήλιοι, id est, *nuptiales.* Nam & Æschylus in Eumenid. & Plutarch. meminerunt, non solùm Iunonis τελείας, sed & Iouis τελείου. sunt autem Dij τέλειοι nuptiarum præsides.

Amatores infidi. 5. NVSQVAM TVTA FIDES] Est hoc, quod Propertius, lib.2.eleg.34.

Expertus dico, nemo est in amore fidelis.

Quod Catull. in Nupt. Pelei:

Nulla viri speret sermones esse fideles,

Terentium explicans dedi. Verba ista, *Nusquam tuta fides*, ita aliqui explicant, *neque in re*, *neque in persona.*

Exprobratio amantium. 6. EIECTVM LITTORE] Hoc genus argumenti frequentissimum in Poëtis, præsertim sub personis illorum, qui amarunt alios. Apud Eurip. Medea sic Iasoni exprobrat:

Ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Ταυτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος:
Seruaui te, vt sciunt Græci quotquot
Vnà tecum Argoam ratem ascenderunt.

Eadem apud Ouid.

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas,
Hac fruar, hæc de te gaudia sola feram.

mox singula obiicit cum acerbitate. Apud Catull. Ariadne de Theseo:

Certè ego te in medio versantem turbine lethi
Eripui, & potiùs germanum amittere creui,
Quàm tibi fallaci supremo in tempore deesse.

Oenone Paridi:

Nondum tantus eras, cùm te contenta marito
Edita de magno Flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides (adsit reuerentia vero)
Seruus eras: seruo nubere Nympha tuli.

vsitatum & hoc argumentum aliis à Poëtis. In declamatione Libanica Medea sic commemorat beneficia, quibus affecerat Iasonem: ἔσβεσε τὸ πῦρ, ἤνεγκαν οἱ ταῦροι τὸν ζυγόν, εἶξεν ἀρότρῳ γῆ πάντων στερροτέρα, καθεύδων ὤφθη δράκων, ὅπω πρότερον τοῦ παθών: *Exstinctus est ignis, tauri iugum duxerunt, cessit aratro solum longè durissimum, sopitus draco est visus, quod nunquam antea.* In scriptoribus quoque id sæpe reperias. His in genere firmatur ipsa argumentandi ratio; pergo ad signata verba Poëtæ.

7. LITTORE, EGENTEM] Non satis eiectum, additur, *littore*, vbi nihil subsidij poterat sperari, nam vt est in exemplis Rhetorum, τὰ περὶ θάλασσαν φοβερά, ἐρημίαι οὖσαι: *formidanda loca iuxta mare vbi solitudo.* Ita Adagium. Iul.Scal. Distinguendum verò, vbi nos distinguimus, obseruant aliqui, vel similitudine Terentiani loci. *Apud Andrum eiectus, tum ille egens.* itaque legendũ, *excepi eiectũ littore, egentẽ: non, excepi eiectũ, littore egentem.*

8. REGNI DEMENS IN PARTE LOCAVI] Ab hoc beneficio non dissidet illud, quo Phyllis ornauit Demophoonta, quódque ipsa latè exprobrat apud Ouid.

Quæ tibi subieci latissima Regna Lycurgi,
Nomine fœmineo vix satis apta regi:
Quà patet vmbrosum Rhodope glacialis ad Æmum,
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

Nubendi mos in confarreatione. In verbis ipsis morem inuenit non vulgarem non vulgaris Seruius; ait enim: *sanè etiam hîc mentio ceremoniarum inducitur. Mos enim apud veteres fuit Flamini*

A *& Flaminicæ vt per farreationem in nuptias conuenirent, sellas duas iugatas ouili pelle super iniecta poni, eius ouis, quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica residerent: quod Dido meminit, cùm queritur, se ab Ænea contra ius nexus maritalis deseri: his verbis;*

Regni demens in parte locaui.

locata enim vxor dicitur, quòd simul cum eo sedeat, dum confarreatur. Hinc capies vulgarem loquendi modum, quo dicimus, *locare vxorem.* Vxor locata, vnde dicta.

9. AMISSAM CLASSEM] Hoc satis fuit vati. Poëta aliquis vulgaris laxasset hîc habenas, & diceret, refeci classem, qua me desereres, & multa in hunc modum. parciùs Noster. hoc enim cogitandum reliquit, nam & dolor illud supprimebat. sic Iul.Scal. quibus B verbis Ouidium tacitè reprehendit, apud quem Phyllis:

Ah, laceras etiam puppes furiosa refeci,
Vt qua desererer, firma carina foret.

10. IVSSA] Non malè interpreteris, *fata.* obseruaui enim, iussa & fata eadem esse, cùm de Diis est sermo. Iussa pro fatis. Idipsum confirmat attributũ. nam hîc iussa *horrida*, sicuti fata in 11.

——eadem horrida belli
Fata vocant.

& versus ille superior,

Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.

ad quem hîc allusum.

11. SCILICET IS SVPERIS LABOR EST] Dixi hîc attingi dogma Epicureorum, qui dicebant Deos Epicureorum dogma. C non implicari mortalium curis. Ex qua opinione Lucretius ita scripsit lib. 1.

Omnis enim per se Diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, seiunctáque longè.

Probat hoc Lucretius,

Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Idem ex eadem opinione de Diis loquens:

Quídue noui potuit tanto post antè quietos
Illicere.

& Æschyl. in Agamem.

Οὐκ ἔφα τις θεοὺς βροτῶν
Ἀξιοῦσθαι μέλειν.

D *Nemo dixit Deos curare res mortalium.* & Plin.lib.2.cap. 7. *Irridendum verò, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est summum. An ne tam tristi, atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusue?* Pari Epicureorum dogmate dictum ab Horatio *quietis ordinibus Deorum.* & ab Cedreno de Deo, ἡσυχάζων ἥδεται ἐν τῇ ἀκροτάτῃ εὐφροσύνῃ: *quietus lætatur in summa voluptate.* Est etiam in Virgilio Euripidis imitatio, quam Germ. animaduertit. Dissoluit Dido valida argumenta Æneæ, qui pro se Deos attulerat, aítque, hunc laborem nunquam susceptum Diis, qui in quiete summa viuunt, neque sollicitantur humanis casibus. Ergo, in Troadibus Helena, cùm malè audiret adulterij nomine, quòd Menelaum reliquisset, & secuta esset Paridem, adducit pro se iudicium trium Dearum, atque E adeo culpam in illas confert, præsertim in Venerem, quæ fecerit, vt Paridi daretur in nuptias. Dissoluit hoc Hecuba, & dicit, falsum hoc esse, & tantùm fabulam. Nam Iuno, & Pallas cur certassent de pulchritudine? cùm illa non posset accipere præstantiorem maritum Ioue, hæc verò virginitatem vouisset? sed nec Venus in terram descenderet, quæ potiùs voluisset manere ἥσυχος ἐν οὐρανῷ: *quieta in cælo.* Multis admodum hæc Euripides.

[a] I, ſequere Italiam ventis: pete Regna per vndas.
[b] Spero equidem mediis (SI QVID pia Numina poſſunt)
SVPPLICIA hauſurum ſcopulis, & nomine DIDO
Sæpe vocaturum. SEQVAR atris ignibus abſens:
[c] Et cùm frigida mors anima ſeduxerit artus,
OMNIBVS vmbra locis adero: DABIS improbe pœnas.
[d] Audiam: & hæc MANES veniet mihi fama ſub imos.
[e] His medium dictis ſermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit, ſéque ex oculis auertit, & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. ſuſcipiunt famulæ, collapſáque membra
Marmoreo referunt thalamo, ſtratiſque reponunt.

ARGVMENTVM.

Imprecatur Æneæ vltionem, dirúmque exitum à mari, à Dijs, à ſe. abrumpit ſermonem, fugit, collabitur, ſuſcipitur à famulis, & reponitur ſtratis.

EXPLICATIO.

[a] DEſperat iam, contemnit, abiicit. Abi ingrate, perfide, nefarie. Sequere Italiam, ſed ventis ô imprudens: pete Regna, ſed per vndas, ô amens. Quæ tua imprudentia, quæ amentia, vt Italiam ſequi, & Regna, velis per ventos, per vndas, toties ventorum, & vndarum iracundiam expertus? Eſt etiam aliud, quod expendas. Spes tua ſimilis eſt vento, similis eſt fluxæ, & labili vndæ: quæ ergo illa? cum his B conueniunt verba *ſequere*, & *pete*: perinde. ſequeris quidem, nunquam aſſequeris: petes, nunquam tenebis.

[b] Iam dirè ominatur, & ſpetat fore, vt in media nauigatione pereat. Sed cur potiùs ſperat, quàm credit, aut putat? *ſpero*, nam hæc me ſpes alit, & recreat in malis. Quid verò ſperat? Primum *hauſurum te ſupplicia in ſcopulis*. Præclarè, nam verè ſupplicium hauriet, qui in vndis peribit: nam & vndas & mortem hauriet. Deinde ſperat *nomine Dido ſæpe vocaturum*. vocabis me tum, cùm in vndis pereas, meo nomine. O Dido (cape in Poëta vel quartum, vel quintum caſum) tu me enecas, tu me perdis. Quid verò ego tum? C *ſequar atris ignibus abſens*. Tum, cùm me voces, ſequar te ego atris ignibus. nam tu ipſe imaginaberis me abſentem, quaſi te facibus perſequar præſens. placet hæc mens Donati. variè interpretes. vtcunque ſit, non capiam, de mortua Didone, cùm ſtatim ſequatur, *Et cùm frigida mors*, &c. Ergo ait, vocabis me, & tunc putabis errore mentis, me tibi occurrere cū facibus, ac te agitare, vt ſolent furiæ nocentes homines. hactenus dixit, quid putaturus ſit Æneas per errorem: ſequitur deinde, quid verè accidat. Seruaui ad exitum parentheſin, *ſi quid pia numina poſſunt*. Atqui tu Dido riſeras Deorum curas erga mortales? Nulla ſolutio, niſi inconſtantia amoris, variúſque iuxta illum affectus animi.

[c] Loquitur ex doctrina veterum, qua putabant animas iniuſtè occiſorum redire, & homicidas ſuos D vexare. Ergo tibi poſt mortem meam occurram, vexabo, agitabo. Aderit tibi paſſim mea vmbra cum terrore. In illis *mors ſeduxerit artus anima*, eſt hypallage, nam anima verè ſeducitur & ſeparatur. Illa, *dabis improbe pœnas*, habent cauſam, & effectum. Dabis pœnas, quia improbus.

A [d] Quæret quiſpiam quî audiet? quî fama veniet? nonne ipſa viſura? dixerat enim, *omnibus vmbra locis adero*. Referendum hoc ad diſtinctionem illam, quam veteres agnoſcebant diuidentes mortuum in cadauer, quod latet ſub terra: animam, quæ adibat Manes: vmbram, imaginem, ſimulacrum, quod vel cadauer, vel animam comitabatur; vel ab vtroque ſeparabatur. de quo latè. 6. Æn.

[e] Vide quàm perturbatè & tragicè omnia fiant. Dido ſubitò ſermonem abrumpit, Æneas in æſtu cogitationum manet: Dido fugit, & quamuis ægra, tamen potis eſt greſſus mouere ad fugam, ſuppeditante vires ipſo calore iracundiæ: vt tamen ablata eſt ab oculis, tum deficit, collabitur, exanimatur: à famulis ſuſcipitur, reponitur in ſtratis. hæc omnis tragœdia puncto fit temporis. Vide verò quàm acris oratio Didonis, qui virum fortem Æneam in metum adduxerit, cunctabundúmque reddiderit. Ille enim præ metu cunctabatur reſpondere, neque dum poterat. Totus hic locus fugit Nebriſſenſem.

NOTÆ.

1. I:] Aliqui hîc emphaſin agnoſcunt, quaſi nolit, vt eat, ſed tantùm id dicat ex indignatione. Sed ego libentiùs putauerim alluſum ad Romanam locutionem, vt dicat I, id eſt, peri inſane inter vndas & ventos, dum Italiam ſequaris. Feſtus, *Abitionem antiqui dicebant mortem*. Ad quæ verba ſic Ioſ. Scal. *Abijt dicebant, pro perijt*. Tertullianus. *Si de aliquo iam pridem defuncto tanquam viuo quis requirat, præ manu occurrit, abijt iam, & reuerti debet*. verum eſt, hanc locutionem natam ad euitandam δυσφημίαν. ſed nihil inconuenit, eam quoque vſurpatam hoc loci. Hinc ego ſuſpicor traducta eſſe ad mortem pleraque verba compoſita ab *eo*, *is*, qualia ſunt, *perire*, *interire*, *obire*. Cùm enim ſimplex antiquis fuerit mori, quid mirum compoſita habeant eandem poteſtatem. Græci quoque οἴχεσθαι, quod eſt *ire*, pro mori vſurpant. Laudo itaque Lipſium, qui illud Senecæ de Vit. Beat. capit. 7. *Summum bonum immortale eſt, neſcit exire*, explicat, *perire*, nam inde *exitium*. Quod Senecæ teſtimonium firmat, quæ iam præmiſi. Notátque Opſopæus *abire* fuiſſe mori, quamuis in multis corruptè *obire* legatur.

Ire pro mori.

Compoſita verbi eo, is, cur ad mortem.

2. SVPPLICIA HAVSVRVM] Suppliciū extremum eſt, non aliud, vt falſi multi. Erythræus legit *hauſurum ſupplicio*, motus fortaſſe inſolentia vocis, nam frequentius, hauſturum. Sed ego nihil muto, nam Poëta non diſcedit à natura mortis, quæ in aquis contingit,

git, quasi vnà cum vndis mortem quoque hauriat, sicuti vnà cum vino bibi Amor dicitur. 1. Æn. agnosce in hoc loco eruditionem Poëtæ. Dirissimè Dido imprecatur his carminibus, vultque vt Æneas tanquam periurus mediis fluctibus obruatur. putabant enim veteres hoc supplicij genus paratum esse à Numine, iis qui fidem violassent, præsertim qui amorem læsissent. Sic Propert. lib. 1. ad Cynthiam scribit:

Amantibus periuris paratū in vndis supplicium.

Fortis & in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcare pruinas?
Tu potes insolitas Cynthia ferre niues?

hoc enim referendum est ad periurium, & violatam amanti fidem; nam subdit infrà,

Sed quocunque modo de me periura mereris.

Itaque sententia est, tu cùm periura sis, audes te tamen mari tradere, in quo loco periurium vindicatur. sed eadem Dido apud Ouidium & morem huius imprecationis attingit, & illius causam his versibus:

Nec violasse fidem tentantibus æquora prodest,
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipuè cùm læsus Amor, quia mater amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Neque verò solùm violati amoris crimen, sed quæcunque alia flagitia in mari vindicabantur. sic Seneca in Medea,

Mare flagitia omnia vendicat.

Quisquis intrauit scopulos vagantes
Et tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religauit ora,
Raptor externi rediturus auri,
Exitu diro temerata ponti
Iura piauit.
Exigit pœnas mare prouocatum.

Dido, quartus casus.

3. Dido] Inclino, vt sit quartus casus, Græca forma, qua vsus & Liuius lib. 4.2. *litterásque eis dat ad Praxo hospitam.*

Amantes in morte suos vocant.

4. Sæpe vocaturum] Ita enim solent naufragi in extremo discrimine. Illustrat diligenter Passeratius. Ouidius 11. Metam.

— Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est.

iterum,

—sed plurima nantis in ore
Alcyone coniux, illam meminitque refértque.

Et adhuc,

Oráque nostra tuum frustra clamantia nomen
Implerunt fluctus.

Demum:

Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Alcyonen, ipsísque immurmurat vndis.

vides quater inculcari morem hunc in eadem fabula. In fabula etiam Icari idem Poëta:

Oráque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua.

Ita etiam Propertius lib. 2. eleg. 26.

At tu vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.

Neque abit illud eiusdem lib. 1. eleg. 17.

Illa meum extremo clamasset puluere nomen.

Mors, cur frigida.

5. Frigida mors] Quia reddit frigidos: *Mors non est aliud quàm caloris ex omni parte defectio. Algidissimi perinde sunt exanimes, vt etiam si tentes aciem nouacularum his admouere, obtuderint ex effuso rigore.* Hæc Plutarc. in lib. περὶ τοῦ πότερον ὕδωρ ἢ πῦρ χρησιμώτερον: Græca sunt: θάνατος δ' οὐκ ἄλλό τι, ἢ ἔκλειψις θερμοῦ παντελὰς· ψυχρότατοι γίνουν οἱ νεκροὶ, καὶ τὰς ἀκμὰς εἴτις

A ἐπιχειροίη τῶν ξυρῶν ἀπαμβλύνουσι δι' ὑπερβολὴν ψυχρότητος.

6. Anima sedvxerit artvs] Ab hac forma non abit illa Plauti Rudent. *vitam corporis secludere.*

7. Omnibvs vmbra locis adero] Ad hanc rem allusisse Homerum Iliad. 11. vult Spondanus, vbi Elpenor petit ab Vlysse, vti se tumulet, quod, ni faciat, sic minatur,

Mortui sæpe viuis occurrunt, & vexant.

—μή τοι τι θεῶν μήνιμα γένωμαι:
—ne qua tibi Deorum indignatio fiam.

Ad hoc pertinet quod Plutarch. scribit de sera vindicta, de Pausania Lacedæmoniorum Rege, qui ab anima puellæ vexatus dicitur sine intermissione, quam ipse Byzantij occiderat. Bodinus etiam narrat, quendam perpessum B similia ab anima vxoris, quam ira percitus occidisset. Apud Suet. in Neron. cap. 34. ipsemet Nero est *sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tedis ardentibus.* Idem Othon. cap. 7. *dicitur ea nocte per quietem pauefactus gemitus maximos dedisse, repertúsque à concursantibus humi ante lectum iacens per omnia piaculorum genera Manes Galbæ, à quo deturbari expellíque se viderat, propitiare tentasse.* Eadem Dido apud Ouid.

Coniugis ante oculos decepta stabit imago
Tristis, & effusis sanguinolenta comis.

Et in Ibin:

Tum quoque factorum veniam memor vmbra tuorum,
Insequar & vultus ossea forma tuos.

C Apud Liu. lib. 25. L. Martius hac maximè superstitione milites suos ad bellum concitat, cùm ait: *Scipiones me ambo dies noctésque curis insomniísque agitant, & excitant sæpe somno, neu se, neu inuictos per octo annos in his terris milites suos, commilitones vestros, neu Remp. patiar inultam.* Et de Philippo rege Macedonum, qui insontem interfecit filium Demetrium, ita Liuius lib. 40. *Animo ægrum magis fuisse, quàm corpore constat, curísque & vigilijs, cùm identidem species & vmbra insontis interempti filij eum diris agitarent.* Idem Liuius lib. 3. *Manésque Virginiæ mortuæ quàm viuæ felicioris, per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte, tandem quieuerunt.* Sen. 3. Controu. *Dij manes Popilij senis, occisi, & inultæ patris vmbra Cicero te persequuntur.* Agnoscit Horatius Od. 5. Epod.

D *Quin vbi perire iussus exspirauero,*
Nocturnus occurram furor,
Petámque vultus vmbra curuis vnguibus,
Quæ vis Deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordijs
Pauore somnos auferam.

Et Quintilianus declamat. 314. *Tu forsitan cùm miserum patrem trucidares, tollentem ad sidera manus, risisti. Inane hoc supra nos, vacuumq; cura cælestium putabas. Sunt illa verò, quæ extremo miseri spiritu dicebantur: Dabis mihi scelerate pœnas, persequar quandoque, & occurram.* Cùm verò Plato in Phædone dixerit, pollutas & impuras animas, cùm è corpore discesserint, circa monumenta & sepulcra vagari: huius auctoritate freti quidam putant, eorum, qui mortem sibi consciuerunt, vt Dido ipsa, post fatum, animas cadaueribus E magis vinciri, & adhærescere, & inde nata Lemurum, & vmbrarum terriculamenta. Ex hac ergo opinione, Virgilium dixisse,

Lemurum terriculamenta vnde nata.

Et cùm frigida mors anima seduxerit artus
Omnibus vmbra locis adero,

Brodæus vult, quod ex eo quoque Dalecamp. amplectitur lib. 7. in Pl. cap. 52.

8. Seqve ex ocvlis avertit, et avfert] Est hoc, quod Philostratus dixit lib. 1. Sophistar. κλέπτων ἑαυτὸν ὀφθαλμῶν τι, καὶ ὤτων.

9. COLLAPSAQVE MEMBRA] Homerus A Odyss.4.

Τὴν δ' ἄχος ἀμφεχύθη θυμοφθόρον, οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη
Δίφρῳ ἐφέζεσθαι:
Hanc dolor circumfudit animum crucians, neque amplius sustinuit
In sella sedere.

Lucanus 8.Pharf.

Obuia nox miseræ cælum lucémque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia neruis
Membra relicta labant: riguerunt corda, diúque
Spe mortis depressa iacet.

Ouid. in epist.

Lux quoque tecum abyt: tenebrísque exanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandæuus Acastus,
Vix mater gelida mœsta refecit aqua.

Tria quæ adduxi fœminarum sunt, quæ impensè amarunt, non minùs ac Dido, Penelopes, Corneliæ, Laodamiæ.

10. MARMOREO] Πρέπον regiæ magnificentiæ.

ᵃ At pius Æneas quamquam lenire dolentem
SOLANDO cupit, & dictis auertere curas,
Multa gemens, magnóque ANIMVM labefactus amore,
IVSSA tamen Diuûm exsequitur, classémque reuisit.
ᵇ Tum verò Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naues: natat vncta carina:
Frondentésque ferunt ramos, & robora syluis
Infabricata, fugæ studio.
ᶜ Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes:
ᵈ AC VELVTI ingentem formicæ farris aceruum
Cùm populant, HYEMIS memores, tectóque reponunt:
It nigrum campis agmen, prædámque per herbas
Conuectant calle angusto. pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
CASTIGANTQVE moras. OPERE omnis semita feruet.

ARGVMENTVM.

Incumbit totus Æneas, quamuis mœrens dolénsque, in Deorum voluntatem. paratur classis ad profectionem. studium militare illustratur comparatione formicarum.

EXPLICATIO.

ᵃ QVamuis Æneas voluerit dolentem animum Didonis lenire, & eius curas auertere, vt qui pius, dolens quoque ipse (nam hoc est, *multa gemens*) & pari cura occupatus (nam hoc est, *labefactus animum amore magno*) non idcirco tamẽ intermittit Deorum mandata, imò exsequitur, & classem sæpe inuisit (hoc enim est, *reuisit*) vt excitet ad profectionem, acuátque milites ad diligentiam. Itaque, qui blandè quoque amabat, vt qui homo; tamen promptè parebat, vt vir. Attende Lector, vt explicui: eosdem enim affectus tribuit Æneæ, quos Didoni. Dolebat illa, hic gemebat: illa curis premebatur, hic habebat animum labefactatum magno amore. sed vir erat, & sibi imperabat, & ideo quamuis ipse quoque duplici affectu occupatus, eosdem tamen volebat à Regina auertere.

ᵇ Tum verò Troiani nauiter incumbunt, vt ad præsentiam sui ducis, qui vrgebat, qui reuisebat. Sed in quo apparet incumbentium studium? audi, *deducunt ex toto littore in mare celsas naues, natat vncta carina:* vnctæ fuerant naues in sicco littore, iam deductæ expeditæ sunt, & natant. Itaque non exspectant, D vt naues in sicco reficiantur, sed fugiendi studio ferunt ramos adhuc *frondentes*, & robora adhuc *infabricata*, vt in ipsis aquis aptentur trabes, quibus classis queat refici ad nauigandum.

ᶜ Non satis *migrare*, additum *ruere* ad maiorem celeritatem. B Videor cernere sedulitatem illam nautarum, qua confluunt vndique ad naues, cùm solituræ: & epibatarum, ne illæ abeant, se relictis.

ᵈ Sequitur comparatiò ad explicandum studium euntium ad naues. Magnis rebus sæpe formicæ documento fuerunt: sic nunc etiam docent sedulitatem nauticam. In tota comparatione elucet tum diligentia formicarum, tum labor, vt illa quadret negotio. Vide enim qua diligentia eant, redeant, populentur, reponant, cogant, castigent, in feruore sint: vide quo labore eat agmen, vt conuectent prædam, & calle angusto, vt trudant frumenta grandia, vt obnitantur humeris. Hæc si examines, aduoca Græciam totam cum suo principe Homero, & videbis cum his non posse conferri totam Iliadem, totam Odys- C seam. Si quæ hîc non satis expensa, adiiciam in Notis.

NOTÆ.

1. DOLENTEM] Sollemne verbum agnosco, quod datum amatoribus creberrimè, illorum enim cura *dolor* nuncupata. Ouid. 2. de Art. *doluit Calypso.* & 2. Rem. *si quid dolebis.* iterum: *Quid Menelaë doles?* & in epist. *sic Helene doleat.* obuium hoc. Bene ergo Henr. Steph. illud Anacreontis, σὺ δὲ καρδίην πονήσεις, amatorio verbo reddidit, *At cor tibi dolebit.* Doleo, amātium.

2. IVSSA EXSEQVITVR] In Virgilio synonyma sunt, *iussa exsequi, capessere, facere.* Hîc vides primum, duo reliqua habentur. 1. Æn. *mibi iussa capessere fas est.* D *Et iam iussa facit.*

3. DEDVCVNT] Quod omnes hoc verbo, Attius in Myrmidonib. *classes trahere in salum.* De oppositione inter *deducere*, & *subducere*, καθέλκειν, & ἀνέλκειν, alibi iam.

4. NATAT] Ita Catullus, Tibullus, Propertius, dant hoc Nato de nauibus.

hoc verbum nauibus. Primus in nupt. Pel. alter lib. 1. eleg. 5. tertius lib. 2. eleg. 26.

Apostrophe inter narrãdum.

5. CERNAS] Solet Virgilius sæpe inter narrandum orationem ad aliquem dirigere. sic hîc, *cernas migrantes*. in 8.

—totúmque instructo Marte videres
Feruere Leucatem.

iterum:

— Credas innare reuulsas
Cycladas.

& 3. G. *incassum videas gestire.* Id verò ad Homeri imitationem Il. 3. φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι. Iliad. 5. Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης. Iliad. 4. ἴδης Ἀγαμέμνονα: *Dixisses furiosum aliquem esse. Tydiden non agnosceres. videres Agamemnonem.* Notauit Macrob. 5. sat. c. 14.

Formicarũ studium.

6. AC VELVTI INGENTEM, &c.] In hoc initio comparationis adducam aliorum operam. Formicarum studium multi expresserunt. sed quis Poëtam æquat? adeo nil molitur ineptè. Phocylides in sua Parænesi, citante & vertente Hortensio:

Μύρμηκες γαίης μυχάτοις προλελοιπότες οἴκους
Ἔρχονται βιότοιο κεχρημένοι, ὁππότ' ἄρουραι
Λήια κειράμενοι καρπῶν πλήθουσιν ἀλωαί.
Οἱ δ' αὐτοὶ πυροῖο νεοτριβέες ἄχθος ἔχουσιν,
Ἢ κριθῶν, αἰεὶ δὲ φορέοντα διώκει.
Ἐκ θέρεος ποτὶ χεῖμα βορὴν σφετέρην ἐπάγοντες,
Ἄτρυτον φῦλον δ' ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον:

Formicæ obscuris antris æstate relictis
Descendunt, dulci victus ratione carentes.
Quando rura iacent demessis frugibus alba
Tonsa suis, complent vacua horrea fructibus agres.
Triticeum quarum hæ tritum nuper graue pondus
Conuectant humeris, & hordea: & vsque ferentem
Sectatur, quæ gestat onus: victúmque cibúmque
Ad brumam gelidam cogunt æstate sub antrum;
Infractum genus, & modicum, multíque laboris.

Apollonius lib. 4. sedulitatem quoque Argonautarum cũ formicis & muscis comparat. de formicis sic:

Ὡς δ' ὁπότε σεινὴν περὶ χήραμον εἱλίσσονται
Γειομόροι μύρμηκες ὁμιλαδόν:

Vt cùm formica per angustum callem agminatim versantur.

qui illas præclarè γειομόρους vocat, quòd veri sint coloni. nam hi quid aliud faciunt, quàm sibi in reliquum annum victum prouidere? Ouid. 1. Art.

Vt redit, itq; frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum cùm vehit ore cibum.

sed audiendi, præter Poëtas, Aristoteles & Plinius, maximi naturæ mystæ, qui ipsi quoque hanc sedulitatem describunt. Græcus lib. 9. Hist. Animal. cap. 38. ἡ μὲν οὖν τῶν μυρμήκων ἐργασία πᾶσιν ἐστὶν ἐπιπολῆς ἰδεῖν, ὡς ἀεὶ μίαν ἀτραπὸν πάντες βαδίζουσι, καὶ τὴν ἀπόθεσιν τῆς τροφῆς, καὶ ταμιείαν. ἐργάζονται γὰρ καὶ ταῖς νυξὶ ταῖς πανσελήνοις: *Iam formicarum labor omnibus in promptu est: vt eadem semita semper inambulent, & cibaria recondant, ac cellas ad penum faciant, etiam noctibus plena luna laborem exercentibus.* Latinus lib. 11. cap. 30. *Iam in opere qui labor? quæ sedulitas? & quoniam ex diuerso conuehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. quæ tunc earum concursatio? quàm diligens cum obuijs quædam collocutio atque percontatio? Silices itinere earum attritos videmus, & in opere semitam factam: ne quis dubitet qualibet in re quid possit quantulacunque assiduitas.* Post hos auditos recurre ad Virgilium, cuius versus, vel millies repetiti, tædium non dabunt. Rectè autem videtur sensisse Germ. formicas præ se ferre rationẽ popularis status, sicut apes Regni. Nam apes quidem Arist. sub principe & imperio constituit. 1. Animal. formicarum autem sodalitia ἄνευ ἡγεμόνος, *sine principe.*

Formicæ repræsentant popularem statum.

A 7. FARRIS ACERVVM] Præclarè. Nam hæc vox olim generalis ad triticum, hordeum, frumentum. Itaque cuiuscunque aceruí populatrices intelligit. Phocylides dedit βίοτον, καρπὸν, λήιον, πυρὸν, κριθάς: *victum, fructum, segetem, triticum, hordeum.* Plutarchus quoque de solertia Animal. πυρόν. Aristoteles τροφὴν, *cibaria.* Dio Chrysost. orat. 40. εἰσφερόμενοι σῖτον, *inferentes frumentum.* Hîc obiter scias etymon huius animalculi. Dicta enim *formica*, vt quibusdam placet, à ferenda mica, id est, grano. Nam mica, granum est, vt apparet in auctoribus, qui micam thuris, aut salis offerunt ad sacra: qui sanè nihil aliud quàm granum capiunt.

Far, vox generica.

Formicæ etymon. Mica, quid sit.

8. HYEMIS MEMORES] Est formica *non incauta futuri*, ait Horat. 1. serm. Sat. 1. vbi illam pro exem-
B plo proponit. Ælian. lib. 1. Var. Hist. cap. 12. ἔχουσι δὲ καὶ οἱ μύρμηκες, ὡς ἀκούω, μαντικῆς τινα αἴσθησιν: *Habent autem formicæ, vt audio, quendam sensum futurorum.* Plutarchus dat προκατάληψιν, ἐπίνοιαν, σύνεσιν: *præsensionem, consilium, intelligentiam*, loquens videlicet de ratione, qua in futurum prouideant victui. Paulinus epist. 26. *Formica vitæ prouida.* Inde etiam epist. 21. *solertem* vocat.

Formica præsentiens futura.

9. TECTOQVE REPONVNT] Aristoteles illis dat lib. 9. hist. animal. cap. 38. ταμιείαν, id est, repositionem ciborum, & cellam promptuariam. & Ælianus ait illas, θησαυρίζειν, καὶ ἑαυτοῖς ἀποταμιεύεσθαι τοὺς πυρούς: *Thesaurizare, ac reponere sibi frumentum, tanquam in cellam promptuariam.* Plutarchus, cùm dicat tres esse formicis cauitates in singulis forami-
C nibus: primam, vbi sit commune earum domicilium; tertiam, vbi mortuæ sepeliantur; secundam assignat cellæ promptuariæ, ipse vocat ἐδώδιμον ταμιεῖον, alibi eisdem dat, ἀποκειμένους καρπούς, *fructus repositos.* Gregor. etiam Nazianzen. orat. 34. illis dat ταμιεῖα τε, καὶ ταμίας, καὶ θησαυρισμὸν τροφῆς τῷ καιρῷ σύμμετρον: *penu, præfectos penoris, reposita cibaria, quæ respondeant temporibus.* Galenus lib. 1. de vsu part. θησαυρούς δέ τινας, καὶ λαβυρίνθους δημιουργεῖν οἱ μύρμηκες: *thesauros quosdam, & labyrinthos formicas fabricari.*

Formicarũ penu.

10. IT NIGRVM CAMPIS AGMEN] Hoc hemistichium prius fuit Actij, deinde Ennij, tertio Virgilij. Primus de Indis protulit, secundus de elephantis, tertius de formicis. Quid significent visæ in somnis
D formicæ, quia μέλανες, id est, nigræ, Artemidorus aperit lib. 3. cap. 6.

11. CONVECTANT] Non conuehunt, quia non semel, sed *conuectant*, quia sæpius itant more prædantium militum, quos,

Formicarũ labor.

Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Ad hæc tarditas Spondæorum *conuectant calle angusto*, laborem formicarum, fatigationémque signat. Nasc. sed & illud quoque accedit incommodi, vt prædas ferant *calle angusto*, ergo & onere, & angustiis viarum premuntur: ideo ad hanc difficultatem exprimendam sequuntur verba *obnitor*, & *trudo.*

12. CALLE ANGVSTO] Semitam periphrasticè
E innuit. Varro lib. 4. Ling. Latin. *Qua ibant ab itu iter appellarunt: qua angustè semita, vt semi iter dictum.* Et Poëtam accipiendum de semita, liquidum. Nam ipse statim quasi explicans angustum callem, subiicit, *opere omnis semita feruet.* Et quia per angustum callem, ideo de illis Dio Chrysost. orat. 40. πυκνοὶ βαδίζοντες, quia eundo se addensant. Ausonius in epist. ex Virgil. *Angustas feruere vias.*

Semita vnde dicta.

13. GRANDIA] Actius in Meleagro: *Fruges perhibent pergrandescere.* Alij legunt, *grandescere.* Pacuuius in Dulorestе: *Nec grandiri frugum fœtum posse, nec*

Grandesco de frugib.

mitescere. Plinius lib.18.cap.30.*crescente luna frumenta grandescunt.* signat autem voce *grandia* Poëta vires formicarum. Plin. *Si quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullis portione vires esse maiores.* Ælianus illas vocat φιλοπόνους, à labore. A

14. OBNIXÆ] Plinius ab Nostro: *humeris obnixa*, loquens etiam de formicis.

Formicarũ disciplina.

15. PARS AGMINA COGVNT CASTIGANTQVE MORAS] Pertinent hæc ad disciplinam illarum. De hac disciplina Dio Chrysost. orat. 40. Ita illas conuenire inter se, vt nulla aliam vexet, prætereant omnes, & succurrant inuicem. οὐδέ ποτε ἠνώχλησαν ἀλλήλους, ἀλλὰ πάνυ πράως ἐντυγχάνουσι, καὶ παρίασι, καὶ βοηθοῦσιν ἀλλήλοις: Alibi in eadem oratione ait, illas sibi mutuò cedere, τῶν ὁδῶν ἐκτρέπονται, cùm sunt in via. Idem repetit oratione. 48. sed alia forma, παραχωροῦσιν ἀλλήλοις τῶν ὁδῶν. Aitque de illis, βάρη μεταλαμβάνουσι, quia vnæ suscipiunt aliarum onera. Plutarchus in opere, An seni regenda Resp. formicis Rempublicam attribuit, non minùs, quàm apibus. Ad eandem disciplinam spectant verba hæc Nazianzeni orat. 34. πῶς πῶ μυρμήκων τἄλλά τε ὅσα περὶ ὁδῶν, καὶ ἡγουμένων, καὶ τῆς ἐν τοῖς ἔργοις εὐταξίας ἔγνωμεν ἱστορούμενα: *Taceo alia quæ scripta de formicarum viis, ducibus, disciplina.* Dissidet in ducibus ab Aristotele: hic enim cùm de formicis multa, tamen ait ipse ζῷα ἄναρχα, *animalia sine duce.* & hac in re Aristoteles illas opponit apibus, quæ habent Reges. Sed de hac re ego iam lib. 4. Georg. starem in hac lite pro Aristotele contra Nazianzenum, nam cùm multa deprehensa fuerint de formicis, nemo tamen deprehendit, an aliqua illis imperitet: sed ita res in communi geritur ab omnibus, vt omnes publicæ vtilitati consulant, nulla priuatim. ideo signatè Poëta, B

> —*pars agmina cogunt*
> *Castigántque moras,&c.*

Et quidem Salomon. 6. Prouerb. formicis adimit ὑπάρχοντα, ἀναγκάζοντα, δεσπότην: *principem, coactorem, dominum.*

16. OPERE OMNIS SEMITA FERVET] De more hoc habet Maro, vt comparationes absoluat aliquo epiphonemate. Hîc postquam iam audisti Virgilij comparationem, volo, ô Poëta, si quis hæc legis, præceptione quadam erudiaris ad tui principis imitationem. Cùm formicæ sint humile quiddam, ita Poëta illarum laborem extollit, vt optimè negotio quadrent, militari (inquam) concursationi, & molimini. Certum est comparationes assumi à Poëtis ad susceptæ rei declarationem. Vis explicare irruentis militis furorem, aptè induces leonis virtutem euntis ad prædam, nihil hîc difficile, nam leonis fortitudo magna, & eximia: & eo ipso, quòd eam comparationem assumas, extollis virtutem militis, audaciam, magnitudinem animi: ac declaras, quo ille impetu irruat aduersus hostem suum. Vbi ergo difficultas? si ad rem magnam declarandam assumas rem tenuem. Tunc ergo imitare Virgilium, qui rem formicarum ita extollit, vt non indignæ videantur susceptæ rei. Facit illas populatrices, dat agmen, & prædarum conuectationem: trudunt frumenta, & hæc grandia, obnituntur humeris: ad hæc, cogunt agmina, moras castigant, omnis semita feruet labore. Ergo nihil indignũ patitur miles, si conferatur cum formicis, sed populatricibus: cum minimis bestiolis, sed agminatim eũtibus per campum, prædam conuectantibus, trudentibus, obnitentibus: demũ, si miles militarẽ habet disciplinam, videat quoque formicas cogere sua agmina, & castigare tardãtes. C

Præceptum poëticũ de comparationibus.

> [a] Quis tibi tunc Dido cernenti talia sensus?
> Quósve dabas gemitus? cùm littora feruere latè
> Prospiceres arce ex summa, totúmque videres
> Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
> [b] IMPROBE AMOR quid non mortalia pectora cogis!
> [c] Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
> Cogitur, & supplex ANIMOS submittere amori,
> [d] NE QVID inexpertum frustra moritura relinquat.

ARGVMENTVM.

Duplex apostrophe, altera ad Didonem, altera in Amorem: illa conquestionis, hæc indignationis.

EXPLICATIO.

a QVÆ tua mens ô Dido? qui animus? qui sensus? qui gemitus? cùm videres cõcursantes ad naues, clamantes ad littora? Nihil aptius dici potuit ad repræsentandum viuum dolorem Reginæ. Expendat, qui amauit. Hinc, credo, toties repetita Poëtæ verba vnius sensus: *cernenti, prospiceres, videres, ante oculos.*

b Hic locus ex superiore ortus. Considerata enim infelicitate Didonis, quæ tota est ab Amore pertinaciter insistente, in ipsum Amorem indignabundus conuertitur: atque adeo hæc posterior apostrophe indignationis respondet priori, quæ tota fuit commiserationis.

c Meritò Poëta admiratur vim Amoris. Illa Dido, quæ amens furore in omnem linguæ intemperantiam soluta fuerat, quæ nulli contumeliæ pepercerat, quæ à se repulerat, *i, sequere Italiam*, illa nunc iterum it in lacrymas, tentat, precatur, supplex est. Quis dubitet, hinc Amoris naturam meliùs intelligi, quàm ex integris voluminibus philosophorum? Quæ priùs superbissima fuerat, ea nunc *cogitur.* Ad quam vocem sic Iul. Scal. *Mirum verbum; liber enim nullus amans est, neque suus, sed sibi alienus.* Ad quam verò rem? ad lacrymas, quas Asclepiades libro 7. Epig. præclarè vocat amantium imbrem. Deinde ad nouas preces. Tertio est *supplex*, vbi Scal. ait esse odiosum verbum, sed nullam indignitatem perpendit, qui amat; Demum, summittit animum Amori, quia negligit suum decorum. D

d Causa, cur tentet iterum, cur det lacrymas, cur summissa, cur supplex. E

NOTÆ.

1. QVIS TIBI TVNC DIDO, &c.] Locũ Euripidis huic similẽ Germanus habet, Demosthenis Vrsinus, Teren

Terentij Seruius. Adi. Ego in Sedulium incidi, & nollem, adeo ille mihi diſplicet. Ait. 2. lib.

Quis tibi tunc lanio cernenti talia ſenſus?
Quóſve dabas fremitus? cùm vulnera feruere latè
Proſpiceres arce ex ſumma, vaſtúmque videres
Miſceri ante oculos tantis plangoribus æquor?

Hoc non eſt imitari ſed furari. Ideo verò adduxi, vt tibi odium huius imitationis ingenerem.

2. Gemitvs] Anacreon Martem amoris ſagitta ictum ἀναστενάξαντα inducit, *ingemiſcentem.*

3. Cvm prospiceres, &c.] In hoc affectu plurimus eſt Ouid. Phyllis Demophoonti,

Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhæret,
Cùm premeret portus claſſis itura meos.

Renouat hunc affectum in epiſtolis Oenones ad Paridem, Laodamiæ ad Proteſilaum, Ariadnæ ad Theſeum. adi. ſed extremæ heroinæ furores elegantiſſimè exſecutus eſt Catull.

Namq; fluentiſono proſpectans littore Diæ
Theſea cedentem celeri cum claſſe tuetur
Indomitos Ariadna gerens in corde furores.

4. Improbe Amor] Apud Apollon. lib. 4. ſimilis eſt exclamatio in Amorem, ſed prolixior. ibi eum vocat σχέτλιον, μέγα πῆμα, μέγα στύγος. quia Amor hominem adducit in omnem miſeriam, exitium, odium. *Amoris mala.* Additque, ex eo, tanquam ex malorum omnium officina, procedere ἔριδας, στοναχάς, γόους, ἄλγεα: *contentiones, gemitus, luctus, dolores.* Eſt autem *improbus*, vel nequam, vel pertinax. *Improbus quid ſit.* primum poteſt defendi. nam improbitas ſæpe ad nequitiam & impudentiam refertur. Quintiliano de Clar. orat. *os improbum*, eſt, impudens, & inuerecundum. C Poëta ipſe Ecl. 8. Amorem vocat *improbum*, id eſt, laſciuum & impudicum & in hoc ſenſu Petron. *improbitatem* accepit. & Ariſtænetus φαυλότητα, & Plutarch in Diſput amat. πρᾶξιν φαύλην, vbi agit de Iſmenedora, ex qua mente locum illum bene reddit interpres: *Nam Iſmenedora quid fecit in ciuitate verecundius? quando penetrauit in domum eius vel dictũ turpe, vel facti ea aſperſa fuit ſuſpicione improbi?* Alterum quoque defendi poteſt, nam improbitas pertinacia quædam eſt, quæ inſiſtit, inhærétque, neque laſſatur. Inde Virg.

Labor improbus omnia vincit.

A Inclino in hoc poſterius, nam quæ ſequuntur eò pertinent: cogitur enim Dido iterum rogare, & eſſe pertinax in precibus.

5. Qvid non mortalia pectora cogis?] Ouid. 9 Met.

—miſerere fatentis amorem,
Et non faſſura niſi cogeret vltimus ardor.

Et ſup. in eodem lib.

—poteriſne loqui, poteriſne fateri?
Coget Amor potero.

Anacreon de Amore, βροτοὺς δαμάζει, *mortales domat.* vbi hic regnat (ait idem)

Γένος οὐδὲν εἰς ἔρωτα,
Σοφίη, τρόπος πατεῖται.
Nulla eſt ratio generis:
B *Sapientia & virtus iacent.*

ſed quid mirum, ita homines cogat, qui eſt θεῶν δυνάστης, ait idem Anac. *Deorum tyrannus.* qui θεῶν ἄρχει, ait Sophoc. *Dijs imperat.* *Amor tyrannus eſt.* Cuius olim ſtatuæ ſubſcriptum,

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis:
Penſa dedi Alcidæ, Bacchum ſeruire coëgi.

vbi quatuor magna Numina victa dicuntur ab Amore, Sol, Neptunus, Hercules, Bacchus: à quo numero non eximas Iouem: nam in Troadib. Eurip. ore Helenæ. *Amor ſupra reliqua numina.*

Ὃς τῶν ἄλλων δαιμόνων ἔχει κράτος,
Κείνης δὲ δοῦλός ἐστι.
Qui in alios Deos imperium habet,
Huius eſt ſeruus.

C loquitur de matre Venere. Meritò ergo Tibull. lib. 1. eleg. 6.

Iuſſit Amor: contra quis ferat arma Deos.

6. Cogitvr] Sibi reſpondet Poëta, Amor cogit, Dido cogitur. Ita huius tyranni vis explicatur. Ibycus apud Platonem in Parmenide, εἰς τὸν ἔρωτα ἀναγκάζεσθαι, *ad Amorem cogi.* Inde quoque Ouidius in Cydipp.

Cogere cur potiùs quàm perſuadere volebas,
Si poteram audita conditione capi?

7. Ne qvid inexpertvm, &c.] Ab Poëta accepit Liuius lib. 25. *Tamen, nequid inexpertum relinqueret, transfugas Syracuſanos. &c.*

[a] Anna, vides toto properari littore circum:
Vndique conuenêre: vocat iam carbaſus auras:
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.
[b] Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre ſoror potero. miſeræ hoc tamen vnum
Exſequere Anna mihi: ſolam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus:
Sola viri molles aditus, & Tempora nôras.
[c] I ſoror, atque hoſtem Svpplex affare ſuperbum.

ARGVMENTVM.

Cùm Dido ex ſignis inſtantem fugam colligit, Annam precatur Æneam precetur.

EXPLICATIO.

[a] Signa quinque inſtantis fugæ, videlicet, properatio per littus, conuentus ex locis pluribus in vnum, expanſio velorum ad excipiendos ventos, lætitia nautarum, coronæ iam in puppibus.

[b] Sententia eſt. Si tantum dolorem, quem nunc patior, ſperare potui, potero etiam perferre: quo inſinuat, non poſſe ſe perferre, quia id non potuit ſperare. Alij, & ſanè docti, aliter interpretantur, ſed me illi in ſententiam ſuam non ducunt, ſi erro, non defugio pœnam. Dicit *potui.* nam quis crederet, poſſe aliquando contingere, vt Æneas tot meritis ornatus, fugeret? Ergo hoc nequiit ſperare, (nam mala quoque ſperamus.) Sequitur *miſeræ hoc tamen vnum Exſequere Anna mihi.* Eſto poſſim perferre, vel non poſſim; tu tamen Anna hoc vnum (nihil aliud) pro me exſequere. Rectè enim ſuſpicatur Germanus, Didonem aggredi ſororem hoc axiomate, quo conſilium ſuum

suum dissimulet, eámque celet, séque in omnem euentum paratam esse illi persuadeat. In voce *misera* nota est forma infelicium amantium. Sequitur ratio, cur rem hanc credat sorori. Nam ille (inquit) perfidus te solam colebat, tibi mentem intimam credebat, tu sciebas quando esset opportunè conueniendus.

c Huc destinatæ tot ambages, quibus aggressa est sororem; & magno orationis circuitu hoc tantum quæsitum. Properant, conueniunt, expassa sunt vela, læti sunt, coronas imposuerunt: si potuissem perferre hunc dolorem, non possum: si credidissem, non credideram: te colebat, tibi se credebat, aditus noras: Ergo, I, affare. Magnus est Maro. Opponuntur *supplex*, & *superbus*, qua antithesi insinuari à Poëta aduersus superbos & duros homines vtendum esse omni animi demissione Nascimb. monuit.

NOTÆ.

Naues coronabantur.

1. IMPOSVERE CORONAS] Mos hic sollemnis veteribus. auctores multi. Sueton. Vitell. cap. 10. vehebatur *per flumina delicatissimis nauigijs, & variarum coronarum genere redimitis.* Propertius eleg. 7. lib. 4.

Ecce coronato pars altera vecta phasello,
Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.

Ouid.

Torta coronatæ soluunt retinacula puppes.

Val. Flacc. 1. Arg.

Visa coronatæ fulgens tutela carinæ.

Ex Græcis quoque is mos apparet. Auctor hymni in Bacchum, πάντες γὰρ σκαλμοὶ στεφάνους ἔχον. *Omnes scalmi coronas habuerunt*, sed nisi me auctores fallunt, nec faciunt, duplex fuit tempus huius moris, alterum incipiente nauigatione, quæ mens Virgilij, & Ouidij, ex adductis: alterum desinente. Ouid. 2. Rem.

Hoc opus exegi, fessæ date serta carinæ.

& Virgil. 1. G.

Ceu pressæ cùm iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Ex hac mente capiendum illud Propert. 3. lib.

Ecce coronatæ portum tetigêre carinæ,

quasi iam ad ingressum portus coronæ fuerint impositæ decursa nauigatione. Huc pertinent verba hæc Ambrosij in Exham. *Omnes puppes, quæ peruectæ fuerint, coronantur, vbi palma merces, victoria pretium regressionis est.* & Vitruuij lib. 2. c. 8. *Rhodij cùm prospexissent suas naues laureatas venire, opinantes ciues victores reuerti.* Sed roget aliquis. Propriè ne loquitur? an cum tropo? Primum crediderim hoc argumento: nam tametsi alij varient, & dicant in genere iam naues coronatas, iam in specie carinas, puppes, scalmos: sed faciunt cum tropo, metro exigente. Atqui Ambros. *puppes*, vbi nulla necessitas recurrendi ad tropum. Plato etiam in Phædone per initia, eius nauis, quæ ad Delum mittebatur ex voto Atheniensium, ait coronatam puppim, ἐπειδὰν ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος στέψῃ τὴν πρύμναν τοῦ πλοίου: *Cùm sacerdos Apollinis puppem nauis coronauerit.* itaque propriè Silium capio lib. 11.

Puppes nauium coronabantur.

——lauro redimita subibat
Optatos puppis portus.

2. SPERARE] H. Stephan. in lib. de Latin. Lips. credit legendum *spectare*, & firmat exemplari quodam. Sed nihil mutandum in tanta exemplarium concordia, & veterum codicum auctoritate. In hoc verbo nullam agnosco ἀκυρολογίαν, satis iam probaui 1. Æn. Hîc adiungo Suidam, qui ait, Atticos dixisse spem de quauis exspectatione. & Augustinum lib. 16. Ciuit. cap. 24.

Afflictio, quæ sub Antichristo futura speratur.

Spes, etiam in timore.

A 3. ILLE] Notat Donatus in And. Terent. hanc particulam poni amatoriè de nota certáque persona. Ita ibi Terent.

Ille, de amatibus.

Datúrne illa Pamphilo nuptum?

Ita & Propert. lib. 1. eleg. 5.

Molliter irasci non solet illa mihi.

& eleg. 17.

Illa meum extremo clamasset puluere nomen.

Ita Virgilius:

Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruétque sepulcro.

Redundant in Ouidio exempla, & in omnibus.

4. TE COLERE] An in verbo *colere* latet aliquid? Hoc verbum pro *amare*, interdum veteres dixerunt, sicut *cultores*, pro, *amatores*. Petron. Satyr. *Imo (inquam ego,) per formam tuam te rogo ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere.* Itaque huic verbo vis eadem, quæ Terentiano in And. *vt consuetum facilè amorem cerneres.* Quo verbo vsus quoque Propertius, cùm ait lib. 1. eleg. 1. *assueto amore.* Admonet verò Dousa virtutem vocis referendam non ad eam culturam, qua reges & maiores solemus prosequi, sed ad eam, qua Numina & cælestes. hoc enim genus hominum, qui amantes dicuntur, inani quadam vanitate decepti, religiosam quandam venerationem adhibent iis, quos amant. Id verò indicant verba hæc Petron. quæ sequuntur statim post iam adducta, *Inuenies religiosum, si te adorari permiseris: ac ne me iudices ad hoc templum gratis accedere, dono tibi fratrem meum.* Adiuuo Notam Dousæ, primo auctoritate Clementis lib. 2. Pædag. cap. 11. vbi loquens de gemmis, quibus fœminæ calceamenta adornant, ita ait: *verè turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea donaria.* Græcè, ἀναθήματα. Indicat sanè fœminas à suis cultoribus non aliter ornari, quàm Deorum imagines, in quorum genibus, & pedibus appendebantur anathemata, vnde Iuuenal.

Colo, pro amo.

B

Amantes religiosi in amatos.

C

Genua incerare Deorum.

Sed si quis integra Clementis optat, audiat, αἰσχρὰ γὰρ ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα, ἐφ' οἷς ἐστι τὰ χρυσᾶ ἀναθήματα. Deinde iuuo Dousam. nam *violo*, quod religionis est, datur his, qui amores pessundant & contemnunt. Tibull. lib. 1. eleg. 6.

Parcite, quam custodit amor, violare puellam:
Ne pigeat magno pòst didicisse malo.

D & eleg. 3.

Illic sit quicunque meos violauit amores.

Ergo quis sciat, an hîc Dido aliquid suspicetur de zelotypia, vsque sit obscuro verbo, & ambiguo, indicans Annæ riualitatem, quæ ad se virum pellexerit? præsertim cùm addat *perfidus*, perinde, in me perfidus, quia riualis meus, & tui cultor.

5. MOLLES ADITVS] Ita sup. *mollissima fandi tempora* Est hoc, quod Ouidius. 1. Trist. eleg. 1. dixit *cuncta mitia.* hoc disticho:

Si poteris vacuo tradi, si cuncta videbis
Mitia, si vires fregerit ira suas.

Quod Tibullus flexu isto:

Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.

6. HOSTEM] Simpliciter capit. vel etiam pro hospite, vsa Dido tecto quodam sermone, & pleno ambagium, vt sæpe aliàs. veteres enim hostem pro hospite sumpserunt, quod hîc Seru. admonet. Plaut. Asin. Ac. 1. Sc. vltima,

Hostis pro hospite.

E

——Tibi ego misi mulierem,
Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

Festus:

Hostimentum beneficij pensatio.

Hostimentum.

idem: *Redhostire est gratiam referre. nam & hostire pro æquare posuerunt.* iterum: *Redhostire referre gratiã.* quod

Redhostire, quid.

probat testimonio Næuij, Accij, Ennij, Pacuuij. Erat itaque veteribus *hostire*, æquare: *hostimentum*, æquatio paris cum pari: *hostis*, qui gratiam æquabat. & inde quoque pro hospite sumebatur, vt vult Seru. quia hospitis est gratiam æquare suo hospiti. cœptum est autem nomen sumi pro inimico, nam is quoque par pari refert. Dixi *hostem* sumi pro hospite: addo etiam, *hospitem* pro hoste. quod Seruius ex Herodoto probat, qui ait: Persas, qui erant hostes Græcorum, A appellatos ξένους, id est, *hospites*, à Lacedæmoniis. Græca Herodoti ex Vrania adducit Ios. Scal. ξείνους γὰρ ἐκάλεον τοὺς βαρβάρους. qui autem nunc hostes, olim perduelles dicebantur. Ergo Dido tecto quodam sermone vtitur, & hostem suum orari vult, id est, hospitem. nihil hoc mirum, cùm multa alia ambiguè dicat, vt quæ velit consilium suum celari suæ sorori, vt vult Germ. Attuli etiam ego hæc Seruianæ explicationis causa.

Hospes pro hoste.

[a] Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuraui, classémve ad Pergama misi:
Nec patris Anchisæ cineres, manésve reuelli:
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quò ruit? EXTREMVM hoc miseræ det manus amanti:
Exspectet facilémque fugam, ventósque ferentes.
[b] Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro:
Nec pulcro vt Latio careat, regnúmque relinquat,
[c] TEMPVS inane peto, REQVIEM spatiúmque furori:
[d] DVM mea me victam doceat fortuna dolere.
[e] Extremam hanc oro veniam (miserere sororis)
Quam mihi cùm dederis, cumulatam morte relinquam.

ARGVMENTVM.

Instruit illam precibus, quæ perferendæ ad Æneam.

EXPLICATIO.

[a] NOn hostis fui, non impia: hostis, quia nunquam inij consilium cum Græcis de euertenda Troia: impia, quia non reuelli cineres Anchisæ; cur ergo meis precibus duras aures occludit? patiatur illas demitti in aures & influere. Præscribit his sorori petitionis modum. Pergit. *Quò ruit*? quasi amens & præceps, nihil huius maris considerata natura. *Extremum hoc miseræ det munus amanti.* Quæ extrema petuntur, impetrari solent. Det ergo extremum hoc. Cui? *amanti*, quod efficax. *miseræ*, quod efficacissimum. Si verò obstinatus nihil curat me amantem miseram, sibi saltem consulat, exspectet tempus mitius ad fugam, exspectet ventos, vt fuga sit facilis, venti ferant.

[b] Præclarè ad mouendum animum, nam comparatione rerum, quas non petit, declarat concessu esse facile, quod vult. Ergo, nec quæro coniugium, nec vt careat Latio: coniugium, nam iam ipse illud prodidit (Aduerte, nunquam loqui de Ænea, nisi vt de proditore, desertore, fugace) non, vt Latio careat, nam hoc pulchrum, beatúmque, ac felix regnum. Ideo verò hæc duo non peto, nam meus amor totus in illius commodum destinatur.

[c] Hæc summa petitionis, & quo tota oratio destinatur, ad hanc rem præmissæ tot ambages. Ergo, *peto tẽpus*, & hoc *inane*, nam illud erit exigui commodi, cùm caritura sim voluptate matrimonij. *peto requiem*, *spatiúmque*, non amoribus, non blanditiis, sed *furori* meo mitigando.

[d] Versus scriptus magno iudicio. Sententia. Tantùm volo, vt meus amor desinat esse furor, & transeat in dolorem, quæ res lenior, & toleratu facilior. Hoc est enim. Fortuna mea docebit dolere me victam. Solet enim primo impetu esse furor, qui postea assuetudine est dolor.

[e] Epilogus plenus affectuum. Oro te ô soror hanc B extremam gratiam: plenissimè, quæ pro me feceris, cumulabo, & cùm ipsa moriar, nihil insolutum permanebit. Potest etiam esse alia sententia. Reliquam gratiam, quam mihi feceris, cumulatam morte etiam mea; nam, si opus fuerit, moriar pro te. Ergo, *miserere sororis*, quæ afflicta est, quæ petit exigua, quæ petit extrema, quæ cumulabit omnia vel morte ipsa. Sed quid si adimendum tanquam glossema illud, *miserere sororis*. & tunc iam erit alia sententia. Referetur enim illud, *Extremam hanc oro veniam*, ad Æneam, non ad Annam. ita aliqui putant. Sed non adimo, ne cogar etiam sequentem versum adimere, vt isti volunt.

NOTÆ.

C I. AVLIDE] Tria inuenio loca in quibus dicatur Græcorum exercitus coniurasse de euertenda Troia: Aulidem, de qua Hom. Il. 2.

Græcis Troianorbi coniurarint.

—ὅτ' ἐς Αὐλίδα νῆες Ἀχαιῶν
Ἠγερέθοντο, κακὰ Πριάμῳ, καὶ Τρωσὶ φέρουσαι:
—*Cùm in Aulidem naues Græcorum*
Conuenerunt, malum Priamo, & Troianis ferentes.

Aulis.

Est autem Aulis iuxta interpretem Apoll. lib. 4. πόλις Βοιωτίας κατ' ἀντικρὺ τῆς Εὐβοίας κειμένη: *Ciuitas Boëotiæ sita è regione Eubœæ.* Strabo lib. 9. non in Aulidem, ait, angustum portum tantæ classi, exercitum appulisse, sed in alterum maiorem, qui esset proximus vico cuidam Tanagræorum. Tertiam sententiam efficit Pausan. qui in Corinthiac. *Hoc in loco Græcos tradit* (Lycæas poëta) *ad Troiam ituros coniurasse, non antè se ab eo bello discessuros, quàm aut Ilium expugnassent, aut in* D *pugna mortem oppetijssent.* agit autem scriptor de loco, vbi erat Pelasgi sepulcrum. Simili argumento, quo hîc Poëta, vsi alij. Eurip. in Androm. sub persona eiusdem.

Πιθοῦ, τί καίνεις μ'; ἀντὶ τοῦ; ποίαν πόλιν
Προὔδωκα; τίνα σῶν ἔκτανον παίδων ἐγώ;
Ποῖον δ' ἔπρησα δῶμ';
Audi, cur occidis me? quamobrem? quam ciuitatem
Prodidi? quem ego interfeci tuorum filiorum?
Quam domum succendi?

Iterum,

Τίν⊕ μ' ἕκατι κτείνετ' ἀσεβεῖς ὁδὸς
ἱκοντ⊂ητοίας ὄλλυμαι πρὸς αἰτίας;
Cuius me gratia occiditis pias vias
Venientem? qualem ob causam pereo?

Circe ad Vlyssem. 1. Rem.

Quæ tibi causa fugæ? non hic noua Troia resurgit:
Non aliquis socios rursus ad arma vocat.

Oenone ad Paridem:

Non ego cum Danais arma cruenta fero.

Silius lib. 6.

Non ego Amyclæum ductorem in prælia misi,
Nec nostris tua sunt circumdata colla catenis.

Petron. Satyr.

Huc ades & Bacchi tutor, Dryadúmque voluptas,
Et timidas admitte preces: non sanguine tristi
Perfusus venio, non templis impius hostis
Admoui dextram: sed inops, & rebus egenis
Attritus.

Postrema aliter legit Ian. Dousa. Est in Nazianzeno locus simillimus cursui poëtico. Fingit enim Trinitatem sanctissimam ita loquentem cum populo Arianorum. Τίνα δῆμον ἐπήγαγόν σοι θράσει φερόμενοι; τίνας ὁπλίτας παρέταξα; τίνα στρατηγὸν θυμῷ ζέοντα; *Quem populum in te immisi furentem audacia? quos milites instruxi? quem belli ducem ira inflammatum?* Ceterùm ad Virgilianam coniurationem habitam in Aulide existimo allusisse Horatium Od. 15. lib. 1. vbi de Helenæ & Paridis coniugio,

Quam multo repetet Græcia milite
Coniurata tuas rumpere nuptias.

Manes, qui. 2. Nec patris Anchisæ, &c.] Manes, animæ sunt mortuorum, & si sententiam S. Augustini in lib. de Ciu. sequaris, mortuorum Heroum. putabantur autem animæ sua cadauera comitari in sepulchris. ergo extracto cadauere & lacerato, Manes quoque reuelli inde credebantur. Non reuelli (ait Dido) cineres, ac perinde neque manes, qui comitantur suos cineres. Putat Seru. ex sententia Varr. allusum ad facinus Diomedis, qui Anchisæ ossa in Phrygia eruit, secúmque abstulit, quæ mox tamen oraculo admonitus Æneæ reddidit, cùm multa aduersa pertulisset. Inde ait in 5. dictum

Diomedis facinus.

——salute recepti
Nequicquam cineres.

sed simpliciùs credo capiendum, vt vult Turneb. lib. 14. Adu. cap. 21. Habebatur enim sceleratissimum sepulcra violari, & dissipari cineres. Sic Horat. epist. Od. 16.

Sepulcra in religione.

Quæq; carent ventis, & solibus ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

Dicit hoc, nam putabatur Romulus sepultus Romæ post rostra, quamuis frequentior opinio in astra retulisset. Claudianus de Bel. Get. alludens ad Horatium.

——procul arceat altus
Iuppiter, vt delubra Numæ, sedémque Quirini
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit, & arcanum tanti deprendere regni.

vix dici potest, qua cura & sanctitate veteres illi colerent suos mortuos. Hos Plutar. diuinæ naturæ consortes vocat de Consol. ad Apoll. vbi sic de illis permagnificè: *Nemo bonus lamentis, sed hymnis dignus est, & laudationibus: non luctu, sed honorifica recordatione: neque lacrymis à dolore exortis, sed festiuis primitijs,* εἴγε ὁ μεταλλαχὼς θειότερόν τινα βίον μετείληφεν. *siquidem defunctus diuinam quandam assecutus est vitam.* Leges Solonis de mortuis hæ sanctissimæ habebantur: *Nemo conuicia in defunctos iecerit: nemo sepulcra vastato.* Est etiam huius rei perelegans Plinij locus lib. 2. c. 63. vbi

Mortui culti à veteribus.

A loquens de terra, ait: *nos nascentes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper, ac nouissimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè mater operiens, nullo magis sacramento quàm quo nos quoque sacros facit.* Ergo Poëtam de hac religione in mortuos capias. nam Anchisem peruenisse in Italiam, & obiisse in filij comitatu, Virgilius canit, vbi nulla esse potuit vis Diomedis præsente filio Ænea: & sibi Poëta mirè esset contrarius, si sequeretur sententiam illorum, qui asserunt, Anchisen sepultum in Ilio.

3. Mea dicta] Explica, preces meas, ex Catullo, qui epig. 66.

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis,
Effluxisse meo forte putes animo.

4. Exspectet facilemque fugam] Eiusdẽ B affectus & sententiæ plena sunt illa Ouidij sub persona Didonis ad eundem Æneam:

Quò fugis? obstat hyems, hyemis mihi gratia prosit;
Aspice vt euersas concitat Eurus aquas.

iterum:

Dum freta mitescunt, & amor dum temperat vsum.

sic ea Circes ad Vlyssem. 1. Rem.

Et freta mota vides, & debes illa timere.
Vtilior velis postmodo ventus erit.

5. Ventosque ferentes] Ferens ventus, φέρων ἄνεμ⊕ est, qui à puppe impellit, & ideo propitius. Seneca: *si illum afficiunt diuitiæ, vt nauigantem secundus, ac ferens ventus.* Plin. Paneg. Traiani: *venti ferentes & breues cursus optentur.* Pindarus Od. 1. Pyth. *ferentem ventum* dixit, οὖρον πομπαῖον, *ducentem,* Græci alij, non solùm ἄνεμον φέροντα, sed etiam, ἄνεμον φορόν. Ventus ferens.

C 6. Prodidit] Ita Propertius ex hoc loco in re simili dixit, *faces prodere,* lib. 2. eleg. 7. Prodere faces, quid.

Quam possem nuptæ prodere in ore faces.

vulgò malè *perdere.* vt enim *prodere coniugium,* ita *faces prodere.*

7. Dum mea me victam, &c.] Eodem affectu dixit eadem Dido apud Ouid.

Dum freta mitescunt, & amor dum temperat vsum,
Fortiter ediscam tristia posse pati.

Et Circe ad Vlyssem,

Ne properes oro, spatium pro munere posco:
Quid minùs optari per mea vota potest?

Et Tacit. lib. 13. Ann. sic scribit de amoribus Octauij D Sagittæ erga Pontiam: *Octauius contrà modò conqueri, modò minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. Ac, postquam spernebatur, noctem vnam ad solatium poscit, qua delinitus modum in posterum adhiberet.* Non abeunt verba Senecæ ad Heluiam. *Exspectabam itaque dum ipse dolor vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se ac tractari pateretur.* Præclarè, nam, vt idem postea addit, loquens de dolore: *ferox enim, & aduersus omne remedium contumax est.*

8. Veniam] Assentior Germano existimanti, hic *veniam* esse beneficium, & gratiam: & respondere E verbis Euripidis, qui in Oreste ait: σὺ νῦν χάριν μοι, τὸν φόβον λύσασα, δός: *Tu nunc mihi hanc gratiam da, metum soluens.* Et quia Seru. hic: *veniam, beneficium, iuxta morem antiquum.* Turnebus quoque norat, *dare veniam* esse, non solùm ignoscere, sed etiam permittere, concedere, sinere. quia Plaut. in Trin. Venia, pro beneficio.

——quia res quædam est, quam volo
Ego me abs te exorare.

Ph. Quid id est? veniam iam dare gestio.

a Talibus

[a] Talibus orabat: taléſque miſerrima fletus
Fértque refertq; ſoror. ſed nullis ille mouetur
Fletibus, AVT VOCES vllas tractabilis audit.
FATA OBSTANT, placidáſque viri DEVS OBSTRVIT aures.
[b] AC VELVTI annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes:
Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit:
[c] Haud ſecus aſſiduis hinc atque hinc vocibus Heros
Tunditur, & magno perſentit pectore curas.
MENS immota manet: LACRYMÆ voluuntur inanes.

ARGVMENTVM.

Fert Anna, ſed nihil proficit: quæ res apta comparatione explicatur arboris immotæ ad flatus ventorum, cui ſimilis Æneas ad fletus ſororum.

EXPLICATIO.

[a] NOn hîc capienda mutua viciſſitudo ad Æneam, & contrà; ita vt ſicut Didonis fletus ad Æneam perferebantur, ſic huius ad illam. Non hoc dicit, ſed, fertque refertque Anna ſæpiſſime eoſdem fletus Didonis ad Æneam. Hic tamen omnia reſpuit, tractari ſe non ſinit, nam virum fortem fruſtra fletibus aggrediaris: ratione vincendus. Ratio, cur nihil moueatur, *Fata obſtant*, &c. Dictum hoc ad excuſationem Æneæ, mitiſſimi quidem & pientiſſimi. Sed quid hic faceret fatis obſtantibus? placidæ illi aures, ſed quas Deus obſtruebat. Sed cur Anna *miſerrima*? quia in eius nunc caput redundat conſilium, quod dederat ſorori de retinendo Ænea, contrahendis nuptiis: videt enim nihil omnino factum, inanes fuiſſe ſpes illas, quas magnas concepetat.

[b] Sententia integra eſt. Quemadmodum Boreæ Alpini certant flatibus hinc inde annoſam quercum eruere, neque tamen proficiunt, nam illa hæret firmis radicibus, tantùm frondes decutiuntur: ſic ſorores ſuis lacrymis & vocibus Æneam obtundunt, ſed hic tamen firmo eſt animo, tantùm inanes lacrymæ voluuntur. Hæc ſententia. Explico quædam, quæ neceſſaria, *valido cum robore* ad quercum pertinet, non ad ventos. Itaque non dicit, Venti, quibus robur validum, certant in quercum: Imò, Venti certant in quercum, cui robur validum. Hoc liquidum ex diſpoſitione verborum iſta, *annoſam valido cum robore quercum*. Sed cur *Boreæ* in plurali? quia geminæ ſorores vnum oppugnant. Cur *eruere*? non euertere, aut frangere? quia conabantur ſorores, vt Æneas non ſolùm ad tempus mutaretur; ſed ita, vt nunquam iterum in mentem abeundi repullulaſceret. Sic videor explicuiſſe. Pergit. *It ſtridor*, ſcilicet agitatione arboris, ramorum, frondium,

—& altè:
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes.

Cauſa & effectus à concuſſione ſtipitis ſubſtratio frondium. & *altè conſternunt*, id eſt, copioſè implent terram, vt lacrymæ vbertim excidunt Æneæ ad fletus ſororum, vt ad flatus ventorum frondes. *Ipſa hæret ſcopulis*, &c. Sunt hîc ſignatæ voces cum duplici oppoſitione verticis, & radicis; cæli, & tartari. vt vertice tendit ad cælum, ita radice ad tartara. Expende ampliùs, vt vertice tendit non ad auras, ſed *ad auras ætherias*, id eſt, cælum: ita radice, non ad infernum ſed *ad tartarum*, quæ pars inferno profundior. & quia *auras* in plurali, ideo etiam *tartara*. & nota mediam vocem *tendit* quæſitam opportunè, quæ quadret aſcenſui & deſcenſui.

[c] Accommodat comparationem negotio. quia *tunditur, ſentit curas*. & quia *aſſiduè tunditur*, non ſentit, ſed *perſentit*. Sed verè Heros eſt, qui nullis mouetur, tametſi curas perſentiat, vt qui homo, vt qui amauerat. Et quia *Heros*, ideo, *mens immota manet*, vt quercus hæret ſcopulis: *lacrymæ voluuntur*, vt frondes conſternunt terram, ſed illæ quidem *inanes*, & nihil profuturæ.

NOTÆ.

1. SED NVLLIS ILLE MOVETVR FLETIBVS] Simillima his Ouidius habet. 1. Remed. de Vlyſſe diſcedente, qui Circes querelas accepetat:

Illa loquebatur, nauem ſoluebat Vlyſſes:
Irrita cum vinclis verba tulêre noti.

Simillima Horatius Od. 7. lib. 3.

—ſcopulis ſurdior Icari
Voces audit adhuc integer.

2. PLACIDAS AVRES] Eſt hoc, quod Ammianus dixit lib. 21. *æquis auribus & ſecundis*, & quod lib. 27. accipere aliquid *placidis mentibus*.

3. AC VELVTI, &c.] De Homeri & Virgilij comparatione, hîc dicendum latè, vt huius opera appareat maior, excellentior, illuſtrior. Ille itaque. 12. Iliad.

Ἕσταϲαν, ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι,
Αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
Ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι:
Stabant, ſicut quando quercus ſtant in montibus proceræ,
Quæ ventum ſuſtinent, & pluuiam per dies omnes,
Radicibus magnis latè diffuſis firmatæ.

In primis, quanto meliùs flantes Boreæ vnam impetunt quercum, quàm ἄνεμος δρύας. deinde, quod ille, ὑψικάρηνοι, hic, *annoſa*, & *robur validum*, quod magis rei quadrat. quo enim annoſior arbor, eo altiùs agit radices; & validior eſt ad ſuſtinendas ventorum procellas. Tertiò, quod ille, μίμνουσι ἄνεμον, καὶ ὑετόν: hic membris amplificatis, propoſitáque rei natura copioſè vertit. etenim ſæuiente Borea arbor huc illuc agitatur, ſtrident ſuſurro rami, decutiuntur folia. Virgilius ſuperat Homerum.

A Quartò demum, non ita Homericæ arbores firmatæ sunt radicibus latè diffusis; quantum Virgiliana, non diffusis, sed tendentibus ad tartarum, hyperbolicè, cùm etiam hæreant in ipsis scopulis. Aliqua ex his suppeditauit Hortens. sed Homerus idem luculentior exsistit. Iliad. 6. Occubuerat in bello Cebriones Troianus quem ad se Hector, ad se contra Patroclus conabatur rapere; Hector, vt amicum defunctum retineret; Patroclus, vt hostis cadauere potiretur. Ad hanc ergo contentionem explicandam sic Græcus vates.

Ὡς δ' Εὖρός τε, Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
Οὔρεος ἐν βήσσης, βαθέην πολεμιζέμεν ὕλην.
Φηγόν τε, μελίην τε, τανύφλοιόν τε κράνειαν,
Αἵ τε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζες
Ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων:
Sicut autem Eurúsque Notúsque certant inter se
Montis in conuallibus altam concutere syluam,
Fagúmque fraxinúmque, corticosamq; cornum,
Quæ inter se quatiunt extensos ramos
Sono magno, fragor autem fit dum franguntur.

Homeri defectus. Deficit in his omnibus Homerus non mediocriter. Primùm, cùm contendant Græci & Troiani, vt Cebrione potiantur, & Græci, sint Eurus; Troiani, Notus, vel contrà; quæ est sylua illa, de qua contenditur, ac tot arbores nominatæ? vnúsne homo? non hoc aptè. Audi Virgilium: vnam quercum, id est, vnum Æneam, Boreæ tundunt, id est, duæ sorores. Deinde, hanc comparationem præcessit, Cebrionem ab Hectore capite trahi, à Patroclo pede, vbi nulla pugna, sed rixa quædam, ad quam non aptè inducta C tanta ventorum conflictio. longè meliore iudicio Poëta, qui eam intulit, vt Æneæ constantiam ab Elissa & Anna oppugnari declararet: atque adeo, sicuti quercus oppugnata potior est quauis iniuria, sic Æneas omni firmitate constans. Sic fermè censet Iul. Scal. Assurrexerit ad Poëtæ imitationem Bernard. Parrhen.

Vel qualis alto in vertice Mænali
Annosa pinus, quam Boreæ truces
Frustra reluctantem sonoro
Turbine corripuisse gaudent.

4. ANNOSAM] Sic in 6. vlmus, & in 10. ornus. & Q. Serenus:

Annosa rubros si legeris arbore vermes.

5. ALPINI BOREÆ] Cæl. Rhod. lib. 15. Ant. cap. 7. Alpinos hîc accipit Hyperboreos: nam Posidonius, & B Protarchus scripserunt, Riphæos, & Alpes eosdem dici montes, qui ab Hyperboreis incoluntur. Adi illum, vbi nonnulla alia in hanc sententiam. Itaque Alpini sunt Hyperborei, aut Riphæi. quod etiam placuit Iano Parrhasio in Claudianum. Alpini pro Hyperboreis.

6. HÆRET SCOPVLIS] Signat firmitatem arboris, quæ adhuc in scopulis egit radices. Homines ipsos Demosthenes προβόλοις comparat, id est, *scopulis*. Ita scribens in Chersoneso. ἀλλ' ἀνάγκη τούτοις ὥσπερ προβόλοις προσπταίοντας: *Necesse est in istos impingere tanquam in scopulos.* Et nota in summo semper Poëta peritiam rei rusticæ, nam in arboribus, cùm multa commendentur, tum inprimis, κόμη πολλή, στερεὸν τὸ πρέμνον, καὶ αἱ ῥίζαι ἐν βάθει, καὶ διασείοντες οἱ ἄνεμοι: *Coma densa, stirps firma ac stabilis, radices in profundum actæ, ventorum agitatio.* Verba sunt Æliani lib. 2. Var. Hist. cap. 14. Quæ omnia huic suæ quercui Maro attribuit. Virgilij peritia.

[a] Tum verò infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: TÆDET cæli conuexa tueri.
[b] Quo magis incœptum peragat, lucémque relinquat,
[c] Vidit, thuricremis cùm dona imponeret aris
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem:
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
[d] Præterea, fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niueis, & festa fronde reuinctum.
Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Visa viri, nox cùm terras obscura teneret.
[e] Solaq; culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
[f] Multaq; præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas, semperq; relinqui
Sola sibi: semper longam incomitata videtur
Ire viam: & Tyrios deserta quærere terra.

D

ARGVMENTVM.

Dido mortem orat, odit lucem: cuius impetum adiuuant sex omina inauspicata, atricies laticis, Sichæi voces, bubonis cantus, vatum monita, Æneas in somnis vexans, abominanda solitudo.

EXPLICATIO.

a Causa, & effectus, desperans enim ex terrore fatorum sibi imminentium *orat mortem.* Inde odit, quæ vitam sequuntur, nec vult tueri conuexa cæli, verè cælum ipsum, & cæli claritatem, sed placuit Poëtæ locutio illa de conuexitate.

b Hanc

ᵇ Hanc voluntatem moriendi ostenta sex adiuuant. Hic versus totus pendet ex superiore quadam veluti oppositione quæsita. Multa adiuuant, vt *peragat inceptum*, mortis, illam quæ *mortem orat*: multa, vt *lucem relinquat* illam, quam *tædet tueri cæli conuexa*.

ᶜ Primum ostentum nigror, atriciésque laticis in sacrificio; explicatiùs, vini in cruorem conuersio. Pars enim posterior in Poëta explicatio est prioris. Hoc nulli indicauit, neque *sorori ipsi*, ἐμφατικῶς, cui alia omnia solebat.

ᵈ Alterum ostentum. Habebat in ædibus sepulcrum Sichæi (sic explica templum) cum magno cultu vittarum, & frondium. hinc in silentio noctis (quod facit ad terrorem) auditæ sunt voces, quibus Sichæus coniugem vocauit.

ᵉ Tertium de bubone, vide verò, vt res sit composita ad magnum terrorem. Non audiebatur bubo, sed querebatur, quod tristius: & *sæpe*, nam querelæ iteratæ: & *ferali carmine*, quod est mortuorum: hæ verò querelæ veriùs erant *voces*, quæ miseram Reginam ad fatum vocabant: hæ *longæ* ducebantur, & cum *fletu*. Quid non his horridum, & triste capis?

ᶠ Sequuntur quartum, quintum, & sextum prodigium. Horrificant illam, id est, implent horrore, quæ priùs vates dixerant: cùm enim omnia secum repeteret, quæ audierat à vatibus, trahebat omnia in suam perniciem. Æneas etiam, qui placidus natura, ac verè pius, visus in somnis, apparet illi esse ferus sæuúsque, agens turbánsque furentem dolore, & amore. Demum solitudo illam terret, quam sibi ipsa fingit.

NOTÆ.

Amātes infelices. 1. INFELIX] Ita eadem de se:

Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.

Theocrit. σχέτλιοι οἱ φιλέοντες, *miseri amantes.* Nihil hoc consector, ne paginas impleam. Nam qui non locuti de infelicitate amantium?

Mortis elogia. 2. MORTEM ORAT] Quod vltimum confugium in malis omnibus. qua mente Seneca Epist. 70. eam vocat *portum.* Eurip. *pharmacum.* Sophoc. *medicum.* Vterque Græcus apud Stob. Sallust. in Catil. *requiem.* Cic. 4. inuect. in eundem, *quietem.* Tiberius apud Suetonium *gratiam.* cuidam enim citissimè volenti mori, respondit, *nondum tecum in gratiam redij.* Ad hanc rem consentaneè dixit Lycus tyrannus apud Senecam in Furent. *Miserum veta perire, felicem iube.* vbi sententia est, felicitatem esse mori, miseriam viuere. Horat. etiam Sat. 9. lib. 1. *felices* vocat mortuos: *Omnes composui felices.* Plinius lib. 28. cap. 1. ita scribit: *Quapropter hoc primum quisque in remedijs animi sui habeat ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiua morte.* Seneca lib. 3. de Ir. cap. 15. vocat *malorum finem, libertatem, effugium seruitutis.* & de Tranquill. *beneficium.* & de Consolat. ad Polyb. c. 29. *felicitatem.* sumpsit fortasse ab Horatio. Sed in Consolat. ad Marciam, c. 20. vberrimus est in laudanda morte. ibi illam vocat, *optimum inuentum naturæ*, excurritque latissimè. Dignus est locus, qui legatur. Vide etiam Plinium lib. 25. c. 3. Ioann. Chrysost. homil. de Morte. οὐ τὸ ἀποθανεῖν κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἀποθανεῖν κακῶς: *Non malum est mori, sed mori malè.*

Conuexum, quid. 3. CÆLI CONVEXA] Est totum hoc cauum inter cælum & terram, explicatore Turneb. lib. 30. cap. 27. nam Iustin. lib. 2. de Xerxe ait: *Montes in planum deducebat, & conuexa vallium æquabat*, id est, vallium cauitates. & Poëta ipse.

Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata.

A Sunt qui referant ad cauum ipsius cæli, pro quo conuexum dixerit. est enim in omni περιφερείᾳ (ait Arist. 1. de Mor. ad Nicom.) id est, circumferentia, τὸ κυρτὸν, καὶ τὸ κοῖλον, *conuexum, & concauum*: exterior pars, conuexitas est; interior, cauitas; quas voces Poëtæ more suo commutant:

Lux, pro vita. 4. LVCEM] Hîc pro vita. Catullus:

Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

5. RELINQVAT] Ennius 3. Annal.

Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit.

Et Lucretius lib. 3.

Lumina qui linquunt moribundi.

& Lucillius in epig.

Τοὺς καταλείψαντας γλυκερὸν φάος.

B 6. THVRICREMIS] Lucretius lib. 2.

Thuricremas propter mactatus incidit aras.

Sic dictæ aræ, quòd in his thus adoleatur.

7. IMPONERET] Vox sacrorum, quod iam firmarunt & Brissonius in Formulis, & Iosephus Scaliger in Coniectan.

Vini in sanguinē commutatio. 8. IN OBSCOENVM SE VERTERE VINA CRVOREM] Similem mutationem vini in cruorem inter aduersa prodigia Valer. commemorat lib. 1. cap. 7. loquens de Xerxe: *Priusquam Athenas deleret, Lacedæmonis inuadendæ consilium agitanti admirabile inter cœnam prodigium incidit: infusum namque pateræ eius vinum in sanguinem, nec semel, sed iterum, & tertiò conuersum est.*

9. TEMPLVM] Non hîc simpliciter *templum* capio
C ea significatione, quæ obuia. si enim templum aliquod permagnificum in Regia fuisset, aliqua iam credo præcessisset mentio. Igitur *templum* veteres posuerunt pro quouis loco, tractu, aut habitatione Deorum, aut hominum: quod Varr. docuit lib. 6. de Lin. Lat. per initia. verba eius: *Quaqua intuerant oculi, à tuendo templum primò dictum.* firmant sententiam Varronis Delrius in Hercul. Furen. Nou. Com. & Gif. in Lucret. Sed & posterior ait à Virgilio hoc loco positum templum pro sepulcro Sichæi, idémque obseruauit Hortens. Sic etiam ego accipio, & firmo ex Arnobio lib. 6. cuius hæc sunt. *Quid quòd multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigijs, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres, atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas?* Ab Lyco-
D phrone templum Iunonis Hoplosmiæ (quò narrat se recepisse Diomedem, vt seruaretur) vocatur τύμβος, *sepulcrum.* Quem in locum ita scribit Tzetzes. καὶ Δοῦρις φησὶν ἐν τῷ περὶ ἀγώνων, τοὺς βωμοὺς τάφους καλεῖσθαι: *ait Duris in libro certaminum, aras vocari sepulcra.* Ac perinde etiam templa. Inde Prudentius in Symmachum:

Templum, quid. Templi etymon. Templum pro sepulcro.

——tot templa Deûm, quot in vrbe sepulcra
Heroum, numerare licet.

Ergo Virgilius sepulcrum Sichæi, quod Dido habebat in suis ædibus, & religiosè colebat, templum vocat. Inde ego explico Claudiani locum de Bello Getico,

Procul arceat altus
E *Iuppiter, vt delubra Numæ, sedémque Quirini*
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit.

Vbi *delubra Numæ* sunt, sepulcra Numæ, vel ex Horatio Od. 16. Epod. quem apertè Claudianus imitatur. dixerat verò Horat.

Quæque carent ventis & solibus ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

Video Claudianum posse accipi simplicius, sed non inuenustè trahitur ad sepulcra.

10. QVOD

10. QVOD HONORE COLEBAT] Hunc cultum erga coniugem referunt Germ.& Nann.ad apotheosin Sichæi:neque enim solùm in publica lætitia Deorum templa ramis & fasciis ornabantur: sed & pari ritu & cultu sacra familiaria & domestica administrabantur.Huc Nann.confert illud Ouid.in Epist.

Pérque trium fortes animas(mea Numina)fratrum,
Qui bene pro patria,cum patriáque iacent.

& ego illa Eurip.in Suppl.sub persona chori:

——παιδὸς ἐν οἴκοις
Κεῖται μνήματα, πένθιμοι
Κουραί, καὶ στέφανοι κόμαις.
——In ædibus filij
Sunt monumenta,lugubres
Tonsuræ,& coronæ in comis.

B Seruij explicationem idem Nann. & Turneb. eludunt,vt quæ Poëtæ non satisfaciat.

11. VELLERIBVS] Turn.lib.22.cap.12.reiecta priùs Seruij explicatione, accipit Poëtam de more, quo templa veteribus ornari vittis consueuerant.nam Papin.lib.4.syluar.dixit:

Tépla vittis ornabantur.

Pande fores superûm, vittatáque templa Sabæis
Nubibus,& pecudum fibris spirantibus imple.

Sed morem alium signatiorem ad Poëtam docet me Cæcilius Comicus in Androgyno, quo videlicet sepulcra mortuorum vittis ornabantur. ait enim: *sepulcrum plenum tæniarum est, ita vt assolet.* Has tænias Scal. in Fest. explicat de fasciis, quibus inuoluebantur mortui, quásque κειρίας vocabant. Plutarch. in Philopœmene docet defunctorum vrnas tæniis cingi,& redimiri. Varr.lib.6.Ling.Lat. *itaque nunc cùm ad sepulcrum frondes & flores ferunt, lanas addunt.* Eò spectant verba ista Ammiani lib. 16. *suasitq́ consarcinatis mendaciis læsæ maiestatis arcessere maritum insontem, & fingere, quòd velamen purpureum à Diocletiani sepulcro furatus quibusdam consciis occultabat.* Hinc iam perspicuè Poëtam capies; cùm enim sepulcrum Sichæi templum vocauerit, consequenter illi dat fascias, tegumenta, vellera. nam sepulcra quoque ita ornabantur. itaque non tam de templo cum Turnebo accipe, quàm mecum de sepulcro, vt satis firmaui ex Cæcilio, Festo, Varrone, Ammiano, Plutarcho. Non dubium certè, quin omnia siue sepulcra,siue templa, siue Deorum simulacra, vittis laneis ornarentur. Ad quem morem pertinet locus Cyrilli Alexand. in Amos, vbi sic Deum loquentem inducit. ἀλλὰ τετίμηκα μὲν ἐγώ, καθίκοντο δὲ δυσβουλίας εἰς τοῦτο αὐτοί, ὡς τὰ ἱμάτια αὐτῶν δεσμεύοντες σχοινίοις παραπετάσματα ποιεῖν ἐχόμενα τοῦ θυσιαστηρίου: *Ego illos honestaui, illi verò eò insipientiæ deuenerunt, vt vestimenta sua ligantes funibus, velamina facerent adhærentia altari.* Eundem morem, & Virgilij locum Ouid.respexit,apud quem Dido eadem sic loquitur:

Sepulcra vittis ornabantur.
Tęnię mortuorum.
Vrnæ defunctorum tæniis cingebantur.
C
Vittæ laneæ in vsu sacrorum.
D

Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus,
Oppositæ frondes,velleráq alba tegunt.

Perpendenti, vnde nata esset hæc consuetudo, occurrebat, originem fortasse duci ab ea consuetudine, qua veteres illigabant vinculis Deorum simulacra, ne hostili carmine auocarentur. quem morem Tyrios habuisse Curtius docet lib.4. de Gest. Alex.Magni eo loci, vbi latè agit de expugnatione Tyri.Docent & alij multi. Et eò fortasse allusum à Liuio lib. 40. cùm ait: *Lanáque cum integumentis, quæ Ioui opposita fuit, decidit.* Sed Liuium satius est referre ad cultum & stemma, quàm ad vincula. Scias quoque hîc ἐκ παρέργου Deos vinctos non solùm lana, sed ferro,ac plumbo.Inde Prudentius lib.1.in Symmach.

Lanarum in templis origo.
E
Deorum simulacra plumbo illigabantur.

——suffuso figunt vestigia plumbo.

Quem ad locum Iuretus Arnobium, aliósque adducit idem scribentes. Sed redeo ad vellera.Potuit itaque à Diis consuetudo deriuari ad sepulcra, & templa: vt quemadmodum illi, sic templa laneis vittis vincirentur. Possit aliquis moris huius originem ducere à Matre Pessinuntia, quæ velleribus contexit pinum illam,sub qua Atys sibi virilia desecuit.Quam rem ita repræsentant verba Arnobij lib. 5. *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumuoluitis stipitem? nónne illarum repetitio lanarum est, quibus iam deficientem contexit, & teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus?* Etenim, vt ferax est superstitio, potuit hinc propagari ritus ad fouenda frigentia mortuorum membra in sepulcris.

12. FESTA FRONDE] De more, quo in celebritatibus veteres vterentur ramis arborum, alibi loquor. Porro ad hunc locum signata est explicatio Nannij 7. Miscell. qui cùm videat vnà cum velleribus frondes, versum hunc refert ad stemmata, quibus Dij coli solebant.*Est* autem *stemma*, vt apparet ex interprete Sophoc. in Oedip. Tyran. *lana ramo circumuoluta.* eius sunt: στέμμα ἐστὶ προσειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ. Ad hæc stemmata trahit ille verba hæc Iul. Obseq. de Prodigiis: *In lectisternio Iouis, terræ motu, Deorum capita se conuerterunt, lana cum integumentis, quæ Ioui erant apposita,decidit.* Et ego versum Papin.lib.12. Theb. loquentis de templo Misericordiæ:

Stemma, quid.

Vittatæ laurus,& supplicis arbor oliuæ.

& possit aliquis duos Lucani lib.2.

Festa coronato non pendent limine serta,
Infulaq in geminos discurrit candida postes.

possit & locum Propertij lib.4.eleg.10.

Deuia puniceæ velabant limina vittæ,
Putris adorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multáque cantantes vmbra tegebat aues.

Possit (inquam) nam Propertius coniungit vittas, & frondes.Tu in Marone, quod malis,accipe:coniunge vittas cum frondibus, & stemmata Nannij intellige: vel separa cum Turnebo, ita vt dicat,& velleribus, & frondibus cultum adhibitum.

13. HINC EXAVDIRI VOCES] Simile Cæcinæ accidisse narrat Tacit.lib.1. Ann.his verbis: *Ducem terruit dira quies: nam Quintilium Varum, sanguine oblitum,& paludibus emersum cernere,& audire visus est,velut vocantem,non tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse.* Ouid.de eadem Didone:

Hinc ego me sensi noto quater ore citari:
Ipse sono tenui dixit,Elissa,veni.

sed quare Ouid. *tenui sono.* Explicabo cum tua venia lector,etiam si hoc non ad Virgilium. Manes amare credebãtur silentium,inde illis murmur potiùs quàm vox data.Quare idem Ouid. de vmbra Remi.5 Fast.

Silentium Manium. Murmur de manibus.

Vmbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Theocritus de Hyla iam rapto Idyll.13.

Ἀραιὰ δ᾽ ἵκετο φωνή:
Tenuis autem venit vox.

Cassiodorus lib. 4. epist.22. *conticescat pœnale murmur animarum.* inde Manes *silentes* dicti proprio attributo.Magi autem Magæque omnes (quod genus Manibus & vmbris proximum.) hac nota sæpe insigniti auctoribus. Apul.lib.2. Magus reuocans defunctum ad vitam:

Incrementa solis augusti tacitus imprecatus.

& in 1.

Magico susurramine amnes agiles reuerti.

Et lib.3.de Pamphile sese in bubonem transformante: *cum lucerna secretò colloquuta.* Val.Flacc.7. Arg. de Medea:

——questúque fatigat
Tartara,pulsat humum,manibusq immurmurat vncis.

Qq Inde

Inde eundem explica eodem lib. & de eadem Medea loquentem:

Et iam iam magico per opaca silentia Colchis
Cœperat ire sono.

Vbi magicus sonus, est, tacitus, immurmurans,& susurrans.Prudentius lib.1.contra Symmach.

Murmure nam magico tenues excire figuras.

sed fortasse non hoc πάρεργον omnino fuerit. nam ait Dido, *visa sum audire*, &c. veluti addubitans. quæ dubitatio,an audierit,videtur emergere ex tenuitate vocis vocantis.

14. Mox cvm] Laudat hanc vocum transpositionem Christianus Florens in Irenam Aristophanis, vocátque Virgilium,verecundum Partheniam.Alius nihil pensi habens mutaret committens cacophaton.

Virgilij verecundia.

15. Bvbo] Quatuor mihi illusttanda,primum consimilia bubonis omina:deinde de eius cantu, quem *feralem* Poëta vocat:tertiò de loco, nam è *culminibus*. demum, cur hîc *sola* dicatur. & ad finem de *incendiaria aue*, quæ bubonem quoque tangit. Luctuosum semper bubonem fuisse, multa & dira eius omina confirmant,apud scriptores,& Poëtas. Scribit Lamprid. in Commodo, bubonem deprehensum supra cubiculum Commodi,& Romæ, & Lanuuij, quod prodigium secuta est eius mors.Apud Xiphil.in Augusto bellum Actiacum præcedit volatus Bubonis in ædem Concordiæ. Plin.lib.10.cap.12. *Capitolij cellam ipsam intrauit Popellio Istro,& L.Pedanio* COSS.*propter quod Nonis Martijs vrbs lustrata est eo anno.* Quid Poëtæ?Ouid.15.Met.

Bubo luctuosa auis.

Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo.

Lucan.5.

Et lætæ iurantur aues bubone sinistro.

Claudian in Eutrop.lib.2.

——infestóque iubet bubone moueri
Agmina.

Demum hanc voluctem destinatam iam inde fœdis ominibus,Ouid.canit in Transform.lib.5.

Fœdáque fit volucris,venturi præscia luctus,
Ignauus bubo:dirum mortalibus omen.

Quò pertinent verba hæc Plin.dicto loco:*Bubo funebris,& maximè abominatus,publicis præcipuè auspicijs,deserta incolit, nec tantùm desolata,sed dira etiam, & inaccessa,noctis monstrum.* Transeo ad cantum,de quo nemo plura,quàm Virgilius: illum enim vocat *feralem, querulum,luctuosum.* Plinij adducta hoc sequitur: *nec cantu aliquo vocalis,sed gemitu.* Sen. in Furen. *Hîc vultur,illic luctifer bubo gemit.* Apul.2.Flor.*Canunt carmine galli expergifico, bubones gemulo.* Et 3. As.*Fit bubo Pamphile,sic edito stridore querulo*,&c.Lucilius apud Festum bubones vocat *Noctiluges.* Obseruat Seruius,dictum à Virg. *ferali carmine*, nam bubo non semper malus est,sed tantùm,cùm canit,quia fletum imitatur; nam tacens felicitatem ostendit. An hoc verum,alij videri nt. Certè in Xiphil.volatus, dirum est omen: & in Plin.ingressus in Capitolium,quæ validè pugnant in Seruium. Artemidorus etiam lib.3. cap.66.loquens de auibus ominosis, intérque eas de bubone, ait, si istæ aues immigrent in aliquam domum,triste augurium solitudinis portendi. Vbi nihil de cantu loquitur. Ait etiam in tempestatem,aut prædones venturum, qui eas tantùm viderit. Isidorus quoque lib.12. cap.7. de hac aue:*Cùm in vrbe visa fuerit, solitudinem significare dicunt.* Sed ex quo loco omen suum edit? quod mihi tertiò proposui.Plerunque auditur in ipsis domibus. inde hîc Poëta *culminibus.* Ouidius 7. Met.

Bubonis cantus.

Seruij error.

Bubo ex quo loco omen canat.

——tectóque profanus

A *Incubuit bubo.*

Plin.

Itaque in vrbibus dirum ostentum est.

Lamprid.deprehensum supra cubiculum, dixit. Seruius,qui exstat è fragmentis:*Sanè bubo si cuius ædes insederit,& vocem miserit,mortem significare dicitur.* Ammianus lib. 30. *Bubo culminibus regij lauacri considens, occentánsque funebria.* apud Plin.dicto loco Capitolij cellam intrauit. Xiphilin. de prodigiis mortis Augusti. βουλῆς τε ἐπὶ τῇ νόσῳ αὐτοῦ ἐπαγγελθείσης, ἵν' εὐχὰς ποιήσωνται, τότε συνέδριον κεκλεισμένον εὑρέθη, καὶ βύας ὑπὲρ αὐτοῦ καθήμενος ἔβυξε: *Decernente Senatu,vt in eius morbo supplicationes fierent, curia reperta est clausa:& bubo cecinit, qui super eam consederat.* Cedrenus bubonum luem ἐν τῇ πόλει constituit. Ergo bubo frequentiùs in ædi-B bus,domibus,tectis, culminibus, cellis, cubiculis videtur infaustum omen fecisse; quàm in agris, arboribus,solitudinibus.Scio Plin.scribere:*priuatorum domibus insidentem:plurimis scio non fuisse feralem.*Sed hoc adhuc Poëtam firmat, nam *priuatorum*,ait: non ergo Regum, vt Didonis. Inde verba ista Suetonij in Claudio, *instituit, vt diræ aui in Capitolio visa,obsecratio haberetur*, de bubone capienda censeo, non de alia aui. Denique quod quartum erat, bubo dicitur, *sola*,quòd ea in tenebris canat absque aliarum auium consortio,quod ad horrorem pertinet. Sunt qui hîc legant *sera*,in his Non. Marcell. & videtur amplecti Pierius,dicitque dictum id esse epitheto proprio inauspicatæ volucris,ad eum modum,quo in 5.

Bubo, cur sola.

Seráque terrifici cecinerunt omina vates.

C quem locum adi:Satisfeci promissis.Sed bubonis occasione non dubitem quæstionem proponere, & innixus doctorum iudicio absoluere, at breuiter tamen. Tentauit sæpe viros doctissimos quæstio, quænam *auis incendiaria*? sed desinant quærere. Nullam hanc esse credimus,si tu esse aliquam putes in singulari.Est generatim auis incendiaria,quæ è busto, atq; incendio carbones defert in ædes aliquas, quod antiquis abominandum omen. ergo bubo esse potest incendiaria,aliæ item. Satis,quæ dixi,videntur probare verba Plin.lib.10.cap.13.*Inauspicata est & incendiaria auis,propterquam sæpenumero lustratam vrbem in Annalibus inuenimus:sicut L.Cassio,C.Mario* COSS. *quo anno & bubone viso lustrata est. Quæ sit auis ea nec reperitur,nec traditur.Quidam ita interpretantur, incendia-D riam esse, quæcunque apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus. Alij spinturnicem eam vocant:sed hæc ipsa quæ esset inter aues,qui se scire diceret,non inueni.*sed clarissimè Seruius,qui exstat ex schedis. ait enim: *Sanè bubo,si ædes insederit, & vocem miserit,mortem significare dicitur:si autem de busto sudem ad tectum detulerit,incendium ædibus portendere.*Bene ergo Plin,cùm loqueretur de incendiaria aue,subintulit,viso bubone lustratam vrbem,perinde ac si dicat,bubonem quoque esse incendiariam. Inde est,vt præclarè dicat,hanc spinturnicem quoque vocari.in quo,vt declarat in Fest.Scal. ad Græcam vocem confugit. σπινθὴρ enim est ignis strictura, ac scintilla. Igitur quæcunque ex rogo,aut altari carbones detulerit, incendiariam puta ab incendio,spinturnicem παρὰ τὸ σπινθῆρα.Præclaréque,vt E omnia,Poëta bubonem assumpsit, qui infaustus, qui incendiarius. vt primo significaretur mors Didonis; altero, vrbis incendium, quod secutum abeunte Æneæ:audies enim in 5.

Incendiaria auis,quæ.

Spinturnix quæ auis.

Mœnia respiciens,quæ iam infelicis Vlyssi
Collucent flammis.

16. Longas in fletvm dvcere voces] Hinc Propertius, magnus & frequens Virgilij imitator,lib.1.eleg.10.

In longam ducere verba moram.

Quo

Quo verſiculo etiam hæſit Ecl.9.

Noſtros in longum ducis amores.

& lib. 4. eleg. 10. de bobus Herculis mugientibus *longo mugitu.*

Amantes agitantur cũ dormiunt.

17. AGIT IPSE FVRENTEM,&c.] Thebani apud Stat.lib.7. aduentante hoſte, inter dormiendum etiã timore agitantur:

—Si tenuis demiſit lumina ſomnus,
Bella gerunt, modò lucra moræ, modò tædia vitæ
Attoniti, lucémque timent, lucemq; precantur.

Signatior Valer.Flacc.7. Arg. de amante Medea:

—ſtratoq; graues proiecerat artus,
Si veniat miſerata quies: cùm ſæuior ipſe
Turbat agitque ſopor.

Huc pertinent verſus auctoris Octauiæ:

Quæcunq; mentis agitat infeſtus vigor,
Ea per quietem ſacer, & arcanus refert,
Velóxque ſenſus. coniugem, thalamos, rogos
Vidiſſe te miraris, amplexu noui
Hærens mariti.

Nonnus quoque in Dionyſiacis, ait, ſomnum eſſe opus ὅπερ τελέει τις ἐν ἤματι: *quod quis interdiu efficit.* quod mox exemplis probat bubulci, venatoris, aratoris: quorum primus dormiens agit boues in paſcua, alter videt retia, tertius terram arat. Apti ad hanc rem, ſed multi verſus Petronij Arbitri.

Solitudo abominanda regibus.

18. SEMPERQVE RELINQVI SOLA SIBI] Solitudo abominanda eſt Regibus, qui ſemper eſſe ſolent in comitatu, qui ſuorum Principum latus tuentur; qui ſi abeſſet, nullus eſſet regius cultus. Ergo putat Dido, iam relinqui *ſolam*, ire *incomitatam*, Tyrios quærere terra *deſerta*: vides *ſolitudinem*, *incomitatum*,

A *deſertionem*. Inde putabant veteres, columbas omen facere Regibus, quia nunquam ſolæ volant. Hinc Reges, cùm ſibi pœnitentiam indicunt, ſoli ſunt. Iuſtinus Imperator audita clade Antiochiæ, *multos dies* (ait Auctor Miſcellæ lib. 15.) *in luctu ſedens ſolitarius tranſegit, etiam ſi dies feſti adeſſent, quibus ſolitus eſſet cum ſplendore procedere ad Eccleſiam.* Eandem ſolitudinem pene agnoſco in Auguſto apud Suetonium, audita clade Variana. Latinus apud Noſtrum,

Sepſit ſe tectis, rerúmque reliquit habenas.

Locum hunc Poëtæ, & affectum Didonis æmulatus videtur Val. Flacc. 2. Argon. cùm Iaſon diſceſſit ab Hypſipyle:

Columbæ omen faciũt regibus.

Exoritur nouus vrbe dolor, planctúſque, per omnes
It facies antiqua domos: ſibi mœnia linqui
B *En iterum.*

Sed Poëta ipſe videtur imitatus verſus Veſtalis apud Ennium, quos citant nonnulli, in his Vrſinus:

Nam me viſus homo pulcher per amœna ſalicta,
Et ripas raptare, locóſque nouos, ita ſola
Poſt illa germana ſoror errare videbar,
Tardáque veſtigare, & quærere te, neque poſſe
Corde capeſſere, ſemita nulla pedem ſtabilibat.

His adiungo locũ Eurip. in Suppl. vbi Iphis Euadnæ pater princeps magnus & in magno luctu.

———ἐρημίαν ἴδω
Πολλῶν μελάθρων, ἀπορίαν τ' ἐμῷ βίῳ:
—ſolitudinem videbo
Ædium multarum, & egeſtatem meæ vitæ.

C Cum ſolitudine adiungit Dido errorem, peregrinationem, fugam. Plautus quoque Mercat. inter alias miſerias amatorum: *inſomnia, ærumna, error, terror, fuga.*

EVMENIDVM veluti demens videt agmina Pentheus,
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas.
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Cùm fugit, vltricéſque ſedent in limine Diræ.

ARGVMENTVM.

Eandem vates comparat cum furoribus Penthei & Oreſtis.

FVrentem Didonem comparat præclarè cum Pentheo primùm, cuius furiæ notiſſimæ. hic Furiarum agminibus agitatus putabat ſe videre Solem duplicem, & Thebas duplices. Deinde cum Oreſte, qui ob interfectam matrem vexatus quoque à Furiis eſt, & ab matre ipſa, quæ in eius os incurrebat ſæpe cum facibus & ſerpentibus: qua re nihil agitatius in ſcenis Tragicorum.

NOTÆ.

Penthei fabula.

1. PENTHEVS] Huius fabulam multi attigêre; in qua ne morer, tantùm adducam verba Pauſ. in in Corinth. *Pentheum, aiunt, cùm Liberum Patrem multis contumeliis vexaret, & alia inſolenter facere auſum, & poſtremo, vt fœminarum operta ſacra ſpecularetur, ad Cythæronem profectum, in arborem aſcendiſſe, atque inde omnia conſpicatum. Quod cùm Bacchæ animaduertiſſent, impetu facto viuentem eum laceraſſe, ac membratim diſcerpſiſſe.* Videndus idem in Bœotiis. Hic ergo Bacchi contemptor, adhuc ante lacerationem ſuam, fingebatur, præſertim in tragœdiis Græcorum, pati occur-

D ſantes furias, quoſdam etiam errores mentis, vnde hîc ſignarè *demens*. Vnus cùm eſſet Sol, vnæ Thebæ; putabat ſe videre Solem geminum, Thebas duplices. Ea fuit apud ignaros etiam virtutis, ſacrarum rerum religio, vt ſuorum Numinum contemptores tam atroci pœna multarent. Sententiam autem ſuam Poëta ex Eurip. proculdubio hauſit in Bacchis, vbi Pentheus ipſe ſic loquitur:

Καὶ μὴν ὁρᾷν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ,
Δισσὰς δὲ Θήβας.
Videre videor iam duos ſoles mihi,
Duplicéſque Thebas.

Quæ dixi de Euripidis imitatione, approbant Muret. 7. Var. Naſc. Germ. Heru. in Collect. ad Clem. Vrſin. aliíque. Attuli hos teſtes, nam Seruius vult alluſum

E ad Pacuuium, qui Pentheum furentem induxit. Sed hoc generale quiddam eſt: quod nos ſequimur ſpecialiùs, diſtinctiùs, ſignatiùs. Apud eũdem Eurip. Cyclopi ebrio, οὐρανὸς συμμεμιγμένος δοκεῖ τῇ γῇ φέρεσθαι: *videtur cælum cum terra miſceri, & vnà rapi.* Simpliciter autem cape *agmina*: nam Seruianum illud, *agmina: impetus*: quis doctus probet? cùm videat, de furiis ſæpe *agmen* dici, *aciem*, *bellum*, & ſimilia. Ad hæc Penthei error aptè exprimitur, qui errore deceptus non putaret tres ſolùm eſſe furias, quæ ſe aggrederentur, ſed plures, ſed agmen integrum. & hæc fortaſſe mens Poëtæ. Similem deceptionem paſſi multi præter Pentheum, cui illam Eurip. & Maro attribuunt. Statius. 7. Theb.

Pauidorum deceptiones.

7. Theb. cuiius pauenti, & metu terrefacto homini: vbi enim Pauorem Martis comitem describit, obiter attingit quid pauidis accidat:

Si geminos Soles, ruiturâque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere syluas
Ah miseri vidisse putent.

Phœbadū.

Seneca in Agamemn. Phæbadi occupatæ ab Apolline sub persona Cassandræ:

Sed ecce gemino Sole præfulget dies,
Geminúmque duplices Argos attollit domos.

Ebriorum.

in his Virgilio hæsit. Nonnus in Dionys. ebriis lib. enim. 15. ait:

Καὶ βλεφάροις δοκέεσκον ἰδεῖν διδυμόζυγον ὕδωρ:
Putant se oculis duplicem aquam cernere.

B

& lib. 16.

Καὶ διδύμην ἐδόκησεν ἰδεῖν πολυχανδέα λίμνην,
Ὄμματα δινεύων. βαρυνομένου δὲ καρήνου
Δέρκετο θηροβότου διπλούμενα νῶτα κολώνης:

Duplicem putabat se paludem magnam cernere,
Oculos circum rotans, capite verò grauato
Cernebat duplicia iuga montis pascui.

Calaber, furenti, lib. μ.

Μαινομένῳ δ' ἴκελος, καὶ ἔδρακε δίπλοα πάντα:
Furenti similis duplicia omnia cernebat.

Huius rei rationem in ebriis Aristoteles assignat in Probl. sect. 3. quæst. 10. Lucretius quoque lib. 4. his versibus:

C

At si fortè oculo manus vni subdita subter
Pressit eum, quodam sensu fit vti videantur
Omnia quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum flagrantia lumina flammis,
Bináque per totas ædes geminare supellex,
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Videndus Hieronym. Fracast. lib. 2. de Intellect. Non abeunt aliorum errores, vt cùm Athamas, & Agaue putarunt suosmet liberos esse ceruos, & leones, quod fabulæ narrant, & meminit Plutarchus lib. de superstitione. Seruaui ad exitum verba Ammiani lib. 20. explicantis qua ratione videatur Sol geminus. Verba illius: *Sol geminus ita videri existimatur, si erecta celsiùs solito nubes, æternorúmque ignium propinquitate collucens, orbis alterius claritudinem tanquam è specula puriore formauerit.*

Sol geminus vti videatur.

D

Orestis fabula.

2. ORESTES] Sequitur alterum exemplum. Orestis fabulas, quàm longæ illæ, vide apud alios. tibi satis scire, hunc matri Clytæmnestræ necem obtulisse, ob quam agitatus diu est à furiis, nec expiari facinus potuit, donec adiit Tauricam Chersonesum. Neque verò solùm furiæ, sed mater quoque ipsa (veriùs matris simulacrum, & spectrum) filium exagitabat, armata facibus, incincta colubris. Vult Muretus Poëtam contendisse ad locum Æschyli. Alij ad hunc Eurip. in Oreste, vbi ipsemet loquens, ait,

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε μὴ 'πίσειέ μοι
Τὰς αἱματωποὺς, καὶ δρακοντώδεις κόρας.
Αὗται γὰρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μου:
O mater rogo te ne immiseris in me

A

Puellas cruentis oculis, & vipereas.
Ipsæ ipsæ me propiùs impetunt.

Est autem *Agamemnonius* filius Agamemnonis, sed quis ignorat? non ita solet esse ociosus vates, credendum poni epithetum ad indicandam causam huius euentus, quia nulla alia inuectus in matrem est, nisi vt patrem Agamemnonem vlcisceretur. ipse de se apud Eurip.

Virgilius nihil ociosum.

Ἀνόσια μὲν δρῶν, ἀλλὰ τιμωρῶν πατρί:
Impiè feci: sed vltus sum patrem.

Ad hoc argumentum spectant, quæ dicta suprà ad illud;

Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

Quintilianus etiam declamat. 314. ita: *Non sine causa videlicet vetus illa & antiqua ætas tradidit, eos qui aliquod commiserunt scelus, Furijs agitari, & per totum orbem agi. vt nomina mentita sint, vt aliquid fabulæ fingant; ab aliquo tamen exemplo ista experimenta venerunt.* De Constante, qui Theodosium fratrem interfecerat, ait Cedrenus, fraternis vmbris inquietatum, ac sedes permutantem abiisse in Siciliam. Ab eodem inducitur simili malo βασανιζόμενος Imperator Michaëlus Paphlagonius.

3. VLTRICESQVE SEDENT IN LIMINE DIRÆ] Cùm Orestes sæpius Diris agitaretur, illud sibi remedium erat, vt sacra adiret, à Pacuuio enim inducitur Pyladis admonitu ingressus in templum Apollinis ad euitandas furias; inde si exiret, inuadebatur. Ergo Diræ, id est, Furiæ, sedent in limine, vt egredientem corripiant. Addunt Germ. & Turn. approbárque Henr. Steph. respectum ad Tragœdiam Æschyli, cui titulus Eumenides: quæ tota destinatur, vt Orestes conclusus sit obsessúsque à Furiis, Delphis in æde Apollinis, ne inde possit confugere ad templum Mineruæ indicatum ab Apolline, vbi expiandus esset. Optimè monuit Alciat. lib. 7. Par. cap. 6. adumbrari his morem, quo facinorosi salui sunt, si ad templa confugiunt. Hîc te admonitum velim ab hac Orestis fabula Furias traxisse nomen nouum, & vocatas fuisse Eumenidas. Longè à vero abeunt Grammatistæ Seru. & Eustat. qui in hoc nomine agnoscunt antiphrasin. Εὐμενὴς, & εὐμένεια Græcis *Clementia* est, *placiditásque*: aiunt ergo hi duo, dictas Eumenidas, id est, placidas, à contrario sensu, quia immites. Non sic est. Imo beneuolæ & verè placidæ ab auentu, cui destinatur Tragœdia ea Æschyli, cuius argumentum, vt Græcè habetur, subiiciam, quod rem aperiat. Ὀρέστης ἐν Δελφοῖς πολιορκούμενος ὑπὸ τῶν Ἐριννύων, βουλῇ Ἀπόλλωνος παραγένετο εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς· ἧς βουλῇ νικήσας κατῆλθεν εἰς Ἄργος, τὰς δ' Ἐριννύας πραΰνας προσηγόρευσεν Εὐμενίδας: *Cùm Erinnyes Delphis Orestem obsiderent, consilio Apollinis profectus est Athenas ad templum Mineruæ: cuius Deæ consilio victor, inde Argos abijt, vbi Erinnyas placans, Eumenidas appellauit.* Philostratus in Epist. ἤδη καὶ τὰς Ἐριννῦς Εὐμενίδας καλοῦμεν, ὡς τὸ σκυθρωπὸν ἀρνουμένας: *Erinnyas vocamus Eumenidas toruitatem detrahentes.* Intelligendus quippe Philostratus ex fabula Orestis. Sed de hoc docti iam consentiunt contra Seruium & Eustathium.

Eumenides vnde dictæ.

Ergo, vbi concepit furias euicta dolore,
Decreuítque mori: TEMPVS secum ipsa modúmque
Exigit: & mœstam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, AC SPEM fronte serenat.

ARGVMENTVM.

Decernit Dido mori, tegit consilium, sororem inuadit verbis & vultu ad lætitiam conformatis.

EXPLICATIO.

Ætiologia, quia dolore victa, ideo decernit mori. & quidem multi in contemptu amoris sibi mortem attulerunt: docent historiæ, & plures fabulæ Ouidianæ. Quo verò auferat omnem suspicionem ipsa priùs secum, post multas agitationes, exactè constituit quo tempore, & quo mortis genere deberet vitam finire. In verbo *aggredi* indicatur conatus quidam ad rem magnam. sic sæpe verbum *aggredi* vsurpant auctores.

NOTÆ.

1. CONSILIVM VVLTV TEGIT] Inducit Didonem fortissimam in exequendo, quod semel animo destinarat: nulla verò maior virtutis huius nota, quàm texisse consilium vultu, vt is non proderet, quod animus moliebatur. Tib.

—difficile est imitari gaudia falsa:
Difficile est tristi fingere mente iocum.

Cæs. 1. Gall. *Nonnulli pudore adducti, vt timoris suspicionem vitarent, remanebant: ij neque vultum fingere, neque interdum lacrymas tenere poterant.* Nazarius: *Fingit quidem timor gaudium, sed intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, vt in speculo frontium imago exstat animorum.* Senec. Tragicus in Herc. Oetæo,

——licèt ipsa neges
A *Vultus loquitur quodcunque negas.*

& in Agamemn.

Licèt ipsa sileas, totus in vultu est dolor.

Seneca ad Marciam: *Fudisti lacrymas clam, & gemitus deuorasti quidem; non tamen hilari fronte texisti.* Dido his omnibus fortior, ita tegit consilium vultu, vt nullum indicium apparuerit latentis cogitationis de futura morte: quia videlicet ita fortiter decernit mori, vt nolit impediri. Putat Delrius Virgilium hæsisse Sophocli, apud quem Aiax fingit recessisse se à priore sententia, Tecmessæ remouendæ causa, ne se interficere volenti impedimento foret. Sic & Medea apud Sen. vult auertere præsentem Iasonem ab atrocitate rerum, quas moliebatur:

B *—Illud voce iam extrema peto:*
Ne, si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: sed melior tibi
Memoria nostri subeat: hæc ira data
Obliterentur.

Apud eundem Atreus iram tegit in fratrem Thyestem, amplectitur, osculatur, ficte omnia. Horatij locum Od. 37. lib. 1. de Cleopatra Læuinus expendit ad eum modum, quo ego Virgilij: nam cùm iam illa mori constituisset, tamen quod vitæ superfuit sereno vultu transmisit, videlicet,

Ausa & iacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, &c.

C Auctor Panegyr. ad Theodos. *Procedebamus in publicum non nostra fortuna vultu.* Vt verò hic *spem fronte serenat*, ita lib. 1. Æn. *spem vultu simulat.* quem locum adi. Apuleius lib. 8. *vultu gaudium tegit, frontem asseuerat, dolorem simulat.*

[a] Inueni germana viam (gratare sorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me soluat amantem.
[b] Oceani finem iuxta, Solémque cadentem,
Vltimus Æthiopum locus est: vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
[c] Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos: epulásque draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos:
Spargens humida mella, soporiferúmque papauer.
[d] Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit: ast aliis duras immittere curas:
[e] Sistere aquam fluuiis, & vertere sidera retro:
Nocturnósque ciet Manes. mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

ARGVMENTVM.

Aperit illi, quam rationem inuenerit medendo morbo, qua tota pendet ex arte magica, cuius rei occasione recenset magiæ effectus.

EXPLICATIO.

a QVasi nemini alij nisi germanæ esset dictura, cum nemine communicatura. Eodem affectu, *Anna, fatebor enim, &c.* Ergo, tibi aperio, nemini alij, *viam inueni*, locus docilitatis, *quæ mihi reddat* restituat *eum*, non nominat; vel, vt notum, vel, vt fastidiens. vel *soluat me illo*, quasi parata ad vtranque fortunam, neque hoc pro illo eligens, vt sic meliùs sororem decipiat. Ergo, *gratare* mihi, gratulare.

b Narrationem suam Dido variis circumstantiis D verisimilem facit, vt à sorore credatur: à loco, à persona, à natione, à dignitate, ab officio, à professione Magæ. Quæ omnia satis Poëta aperit in consequentibus. Hi tres versus, in quibus sum, ad locum pertinent. Scio (inquit) locum, vbi habitant vltimi Æthiopes, qui locus situs iuxta Oceanum, ad occasum Solis, vbi est Atlas ille cælum fulciens. Cur tot notæ ad locum indicandum? vt credat soror. aliter non ita otiosus esset Poëta. Peculiaria in Notis.

c Transit ad personam, nationem, dignitatem, officium. Hîc (inquit) indicatum mihi est, esse Magam, en persona: eaque ex gente Massylorum, en natio: ea præposita est templo Hesperidum ad seruanda poma aurea, en dignitas: habet ibi Maga hæc draconem sibi parentem ad custodiam auri, cui dat fruges papaueraceas, quibus mel admistum, en officium.

 d Restat

d Restat professio. Promittit hæc, se soluere curas amoris, quibus velit; aliis immittere, quibus item velit. Itaque illa pro libidine hunc soluit ab amore; illum ad amandum cogit.

e Occasione amoris, quæ mens præcipua, persequitur quędam, quæ pertinent ad potestatem Magarum, atque ea attribuit huic vni Magæ. Sistit illa aquam fluuiorum, facit vt retro redeant sidera, commonet animas æterna nocte conditas: (aliquis possit etiam capere Deos ipsos inferorum) quas dum commouet, terra immugit, omni descendunt è diuulsis montibus. Itaque duplex signum commotionis Manium; nam & solum mugit; deinde ita concusso solo omni præcipitantur. Ita explicamus Maronem. Nam ad res terræ quî redeat; qui iam aquas, quæ sunt in terra, posuerat? Faceret hoc vulgaris Poëta, non hic Princeps. Itaque primùm homines posuit, ab hominibus ad aquas transiit, quæ sunt in terra, inde ad cælum, inde ad infernum.

NOTÆ.

1. VIAM] Ficta hæc amoris ratio, & excogitata à Didone tantùm ad fallendam Annam, neque enim sapientissimus Poëta putat, amorem esse conciliandũ herbis, veneficiis, re Magica: nam quamuis possit conciliari, vt dictum mihi alibi ex Arist. aliisque, sed is amor non firmus, non stabilis. docte Ouid. lib. 1. de Rem.

Amor herbis cõciliatus non est firmus.

Me duce non tumulo prodire iubebitur vmbra,
Non anus infami carmine rumpet humum.

& post aliqua, quæ in hanc sententiam præmittit, exemplis his firmat:

Quid tibi Phasiacæ iuuerunt gramina terræ,
Cùm cuperes patria Colchi manere domo?
Quid tibi profuerunt Circe Perseides herbæ,
Cùm tibi Neritias abstulit aura rates?

Alibi idem præceptor:

Ergo quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Deme veneficijs carminibúsque fidem.

Et 2. de Art.

Sunt qui præcipiant herbas Satureia nocentes
Sumere: iudicijs ista venena meis.

Grator, pro gratulor.

2. GRATARE SORORI] Hoc verbo pro gratulor vsos non solùm Poëtas, sed scriptores, alij iam obseruarunt. Nam Tacitus. 1. Hist. *proximi militum gratabundi.* & Liuius libro 9. *inuicem inter se gratantes.*

Venus verticordia.

3. QVÆ MIHI REDDAT EVM, &c.] Hoc versu putat Lactantius, siue Luctatius in 5. Theb. allusum ad Venerem cognominatam *verticordiam*, quæ sic dicta, quòd curas inferret, auferrétque à cordibus humanis. Huius Deæ plures meminere, præsertim Val. Max. lib. 8. quam Ouid. 4. Fast. sic circumscripsit:

Templa iubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet.

4. SOLVA] Infrà,

Hæc se carminibus promittit soluere mentes.

Tibull.

—eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis soluere posse meos.

in re quoque amoris Sappho vsurpauit verbum λύω, *soluo.* ait enim: ἐλθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον ἐκ μεριμνᾶν:

O fauens adsis quoque nunc, meúmque
Soluito curis animum molestis.

Hanc rem verbo alio Poëtæ exprimunt. Nam Virgilius etiam in sacris Magicis ecl. 8.

A *Coniugis vt magicis sanos auertere sacris*
Experiar sensus.

& Propertius lib. 1. eleg. 1. decurrens ad hæc incantamina, ita:

En agedum dominæ mentem conuertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.

Huc spectat, Venerem à Pausania Atticis dici ἐπιστροφίαν, quòd *vertat homines.* Sed quidem de verticordia Venere qui non locuti? Lege Liuium, Valerium, Plinium, Ouidium in Fastis.

Æthiopia duplex.

5. VLTIMVS ÆTHIOPVM LOCVS EST] Duplex est Æthiopia, Plin. lib. 5. cap. 8. *verissima opinione eorum, qui desertis Africæ duas Æthiopias superponunt, & ante omnes Homeri, qui bipartitos tradit Æthiopas ad Orientem occasúmq; versos.* Poëtæ sermo est de Occidentali,

B hanc enim signat, cùm ait, *Solémque cadentem.* Æschylus quoque in Prometh. hanc partem signat, cùm ait de Atlante πρὸς ἑσπέρους τόπους, *ad locos occiduos.*

Atlas cælum sustinet.

6. TORQVET] Non explicandum simpliciter *sustinet*, sed designatur cæli totius sphærica circularísque reuolutio: quod autem hîc *torquet humero*, sup. *vertice fulcit.* Æschylus in Prometh.

Ἕστηκε κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
ὤμοις ἐρείδων:
Stetit columnam cæli ac terræ
Fulciens humeris.

ibidem:

—οὐράνιον τε πόλον
Νώτοις ὑποστενάζει:

C *supportat dorso cælestem polum.* in Græco epigr. οὐρανὸν ἔχειν ὤμοις, de eodem dictum, *cælum humeris habere.* Virg. verbo *ferendi* expressit in 6. cùm dixit, *Cælifer Atlas.* Eodem pertinet ab Statio dictum, *astriferum*, ab aliis *stelliferum.* Ab Arnobio lib. 2. *gestatorem, baiulum, destinam cæli.* Sidonius,

—vertice continet Atlas.

Alij & passim, *sustinet.* Ennius,

Qui cælum versat stellis fulgentibus aptum.

ad huius credo imitationem Virgilius, *torquet.* Habent enim cognationem *verso*, & *torqueo.* & nota non dici à Poëta, cælum, sed *axem* signatè, ad imitationem credo Æschyli, qui οὐράνιόν τε πόλον. Et quidem tortio illa ad axes fit.

7. STELLIS ARDENTIBVS APTVM] Turneb. lib.

D 22. Aduer. cap. 23. hanc vocem non refert ad humerum, sed ad stellas, hac sententia, vt dicat Poëta cælum esse stellis confixum, consertúmque, ídque auctore Lucretio, qui lib. 5. priùs dixit,

—stellísque micantibus æthera fixum.

Apto, pro colligo.

Qui locus (ait) eandem, quam Maro sententiam exprimit, atque est pro interprete. eodem pertinet Germani nota, hoc verbum veteribus esse colligare. Lucret.

Sic vbi non erimus, cùm corporis atque animaï
Discidium fuerit, quibus è sumus vniter apti.

idem lib. 5.

Ex ineunte æuo coniuncta, atque vniter apta.

Eò me & Apulei locus ducit lib. de dogmate Platonis, qui sic: *hæc autem inuicem ex se apta, & connexa esse.*

E vbi synonymum *connexa* explicat, quid sit *apta.* Est hoc, quod lib. de Mundo dixit, *cælum confixum vaporatis & radiantibus stellis.* Scias hîc quæsitam Poëtæ imitationem Ennij, qui lib. 1.

Qui cælum versat stellis fulgentibus aptum.

& 3.

Cælum prospexit stellis fulgentibus aptum.

& 9.

Hic nox processit stellis ardentibus apta.

eandem fortè sententiam complexus est idem Ennius,

nius, alio verborum ambitu in Hectoris Lytris:

O magna templa cælitum,

Commista stellis splendidis. Sunt tamen viri iudicij in re litteraria boni, qui in omnibus locis, vbi locutio hæc reperitur, scribant *haptum* cum aspiratione, ducentes à Græco ἅπτω, *incendo*, vt sententia sit, cælum esse inflammatum incensúmque stellis ardentibus. Video hoc respui non debere. sed inclino in ea, quæ iam præmisi. Nam Lucretij, & aliorum multa eò me ducunt, vt nihil de his flammis augurari possim.

Haptus.

8. MASSYLÆ GENTIS] Massylorum cùm bis, & iterum Virgilius meminerit, in hoc loco aliquid mihi delibandum. Populi sunt Africæ, meminit Plin. lib. 5. cap. 4. aliíque Geographi, loca obuia. horum feritas describitur Dionys. ἐν περ. his versibus interpretis Rhemnij:

Massyli Afrorum.

Saltibus hos duris asper, syluisq; vagantes
Victus alit sæuo quæsitus more ferarum:
Scilicet ignaros terras proscindere aratris,
Agricolásque boues plaustris domitare sonoris.

Porro vrbem Gallorum Græci *Massaliam* vocát, quod in Plin. aduertit Dalecamp. lib. 3. cap. 4. aliíque, non Massyliam, & hoc apud illos est discrimen inter Gallicam & Africanam: apud Latinos fortasse in ipsa scriptione, nã Gallorum, *Massilia* dicitur, Afrorum *Massylia*: sed neque hoc seruari video, nam Africanam quoque docti *Massiliam* scribunt: certius discrimen est in re ipsa, nam Gallica, vrbs est; Africana non tam vrbs vna, quàm populi, & nationes. testis Plinius lib. 5. cap. 4. ad finem. an verò adagium illud πλεύσειας ἐς τὴν Μασσαλίαν, *Nauiges in Massiliam*, capiundum sit de Africana, vt vult Erasmus, video hærere doctos. certè Rittershusius de Gallica intelligit, quæ originem habuit à Phocensium colonis, non de Africana, cui subscriberem. Videndus ille in lib. 3. Hal. Oppiani pag. 282. ne eadem quæ ille huc conferam. Vidit autem Poëta prudenter (monuit Nasc.) oportere hanc Magam deduci ex his populis, vt qui in Africa essent: ne, si aliunde acciuisset, videlicet ex oriente, vbi ars hæc plurimùm valuit, parum probabile videretur sorori. neque iccirco errauit Poëta, nam tametsi ars hæc ortum habuerit in Oriente, inprimis in Perside, vt ait Plin. lib. 30. cap. 1. tamen *in tantum fastigij adoleuit, vt hodiéque etiam in magna parte gentium præualeat*: verba sunt eiusdem.

Hesperides, & illarum hortus.

9. HESPERIDVM] Fuerunt Hesperides filiæ Hesperi fratris Atlantis: Eubulus filias facit ipsius Atlantis: Nomina, Ægle, Arethusa, Hespertusa. Habuerũt hortos ad Lixum oppidum Mauritaniæ, vt ait Plin. lib. 19. cap. 4. ad finẽ. ibi anguis vigil, ibi aurea mala, ibi sacerdos hæc, quæ anguẽ curabat. Quid his fabulis significetur, aperire non est meũ: videndus Natal. lib. 7. Diodorus lib. 5. Biblioth. Plin. vbi sup. Tantum afferã verba Solini: *De hortis Hesperidũ & peruigili dracone, ne famæ licentia vulneretur, fides & ratio hæc est. Flexuoso meatu æstuarium è mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur. Itaque quod hortos appellauere circundat. Vnde pomorum custodem interpretantes struxerunt iter ad mendacium fabulandi.* Vide, quæ scribit Apollodorus lib. 2. Varro lib. 1. Rust. cap. 1. quæ Hyginus, & Palæphatus in fabulis, quæ Pausanias Corinthiac. & Eliac. Mihi enim, vt non semel monui, modum in fabulis imposui.

Draco Hesperidum.

10. DRACONI] Draconis huius Hesiod. meminit in Theogon. quem prognatum ait Ceto & Phorco. Et Lucanus lib. 9. his versibus:

Atque insopiti quondam tutela draconis
Hesperidum pauper spoliatus frondibus hortus,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens.

Præclarè autem draco, qui dictus est ἀπὸ τὸ δέρκεσθαι, *à videndo*, præponitur custodiæ pomorum, atque adeo signatè *draco*, non serpens, non anguis, &c. Draco quoque aureum pecus Æetæ seruauit: de quo Apollon. lib. 2. & Larini Poëtæ passim. Apud Euripidem quoque in Phœniss. inducitur δράκων signatè, non serpens, aut anguis. qui consequenter dicitur,

——δεργμάτων κόραισι
Πολυπλάνοις ἐπισκοπῶν:
Oculorum pupillis multiuagis obseruans.

Sed cur Draco præponitur auri custodiæ? Audienda verba Philostrati lib. 2. Icon. *Collem hunc circumnauigabilem draco habitat, thesauri cuiusdam (puto) custos, qui humo conditus iacet: hæc enim fera auro beneuola, & quicquid auri viderit, amare ac fouere dicitur. Itaque pellem apud Colchos, & Hesperidum mala, quòd aurea viderentur, duo insomnes continebant dracones, sibique ipsis vindicabant. Et Palladis draco, qui adhuc arcẽ habitat, Atheniensium populum auri causa mihi amare videtur. quod illi in cicadas, vt capiti ornamento essent, transformabant.* Audienda etiam verba Festi hæc: *Dracones ἀπὸ τοῦ δράκειν, id est, videre. clarißimam enim dicuntur habere oculorum aciem. Qua ex causa incubantes eos thesauris custodia causa finxerunt antiqui.* Adde Macrobium lib. 1. Satur. cap 20.

Draco, cur auri custodiæ præponatur.

11. SPARGENS HVMIDA MELLA, SOPORIFERVMQVE PAPAVER.] Hîc se interpretes cruciant. frustra referam, quæ illi. Mihi satis explicatio & auctoritas P. Victorij lib. 4. Var. cap. 3. & Turn. in Aduers. duplici in loco, quod par in re litteraria ter maximum. Quæritur itaque qui cibatus hic conueniat draconi peruigili? papauer somnum conciliat, quid somnus ad vigiliam? satisfacio lectori ex mente Vict. & Turn. ferus erat & truculentus draco, atque adeo sine periculo Magæ alendus: itaque papauer melli adiungitur, quo asperum ingenium mitigaretur: nam papauer, quod aliis veternum induceret, peruigili draconi languorem solùm, & tarditatem adferebat, quominus sæuiret. Ergo demulcendus fuit melle, quo locum illum amaret; papauere aliquantulum sopiendus, quo facilè tractari curaríque posset; sic fere illi. Aliqua addit posterior, quæ necessaria non putamus. Prior sententiam suam firmat, exemplo Regis Turcarum, qui Tigrim alebat ita immitem, vt neque catenis vincta tutò posset tractari: quare cùm aliquò conuehenda esset, curatores succum mandragoræ præbere solebant, quæ somnum inducit. His adiungenda quæ præclarè Germ. notat ex Plinio, solitos veteres ad secundam mensam in panificiis & liborum confectione, tosto papaueris semine, melle, ouóque effuso massam quandam dulciariam compingere, & condire: ad quam verisimile sit Poetam alludere. Ne autem ipse sim asymbolos, tripliciter Poetam defendo. Primò, soliti veteres in omni dulciario, non sacchraro vti, vt nos, quod nondum nossent, sed ad omne condimentum quærere saporem mellis: ad quam rem credendum allusisse Poëtam. Lucret. lib. 1:

Draconis peruigilis cibatus.

Dulciaria massa veterum.

Virgilius defenditur. Mellita veteribus in vsu.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore.

Val. quoque Flacc. 1. Arg. epulas draconis temperat melle,

Et dabit hesterno liuentia mella veneno.

sic etiam 6. Æn. Cerbero offertur *offa melle soporata*. Deinde addo defensionem aliam Poëtæ. Quis enim neget non posse ab illo attingi artem magiæ, cùm de Maga sit sermo? Itaque volebat hæc artem suam exercere in draconem peruigilem, illúmque sopire, quæ

Potestas Magæ in draconem.

quæ maior victoria. Ad eum modum, quo apud Ouidium.7.Met.succis & veneficiis Medeæ sopitur draco peruigil, & somnus venit in oculos ignotos. Eadem Medea apud eundem de dracone Colchico,

Flammea subduxi medicato lumina somno.

& apud Senecam,

Sopite primùm cantibus serpens meis.

Valerius quoque Flaccus lib.8.de eadem Medea:

———aduerso luctantia lumina cantu
Obruit.

& statim;

—ardentes donec sopor occupat iras.

Probant ista, paria quoque voluisse Magam Virgilianam. Tertio demum assumo ad defensionem Virgilij morem antiquorum, qui nihil vnquam mellitum conficiebant, quod non esset sparsum papauere. B Quod, præter Scholiastas Græcorum, video etiam adnotasse Florentem Christianum in Irenam Aristophaniam, vnde ille lucem dat Petronio. Ex more ergo Poëta mellitis suis inspergit papauer.

Papauer in mellitis omnibus.

12. SOPORIFERVMQVE PAPAVER] Q. Serenus Samonicus: *amica papauera somno.*

13. CARMINIBVS PROMITTIT SOLVERE MENTES] Signatè *promittit*, quasi nescia Dido, an posset soluere quod promittebat. Apud Nemesianum ita pastor quidam queritur,

Quid prodest, quòd me peregrini mater Amyntæ
Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo
Lustraret, cinerésq; auersa effudit in amnem,
Incendens viuo crepitantes sulphure lauros,
Cùm sic in Meroë totis simul ignibus arsi.

Et Tibullus lib.1. pari sententia,

Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus, aut herba soluere posse meos.

Ceterum versum, in quo sum, Cælius illustrat lib.9. cap.23. Adi ipse, atque etiam Muretum lib.1. Var.cap.4. & Plinium lib.28.cap.2. agitantem quæstionem, an valeant aliquid verba, & incantamenta carminum. Certè Hippocrates in lib. de Morbo sacro, impios vocat eos, qui hanc artem profitentur, vt qui malè de Deo sentiant, cùm putent se posse malum aliquod propulsare contra voluntatem Deorum. Verbis Virgilianis simillima ista Philostrati lib.1. de vitis Sophist. ἐπήγγελλεν, ὡς οὐδὲν ὅτῳ δεινὸν ἐρώντων ἄχθος, ὃ μὴ ἐξέλοι τῆς γνώμης: *professus est, nullum dolorem amantum tam esse grauem, quem non è mente expelleret.* Delrius putat hanc solutionem Virgilij capiendam de ab- A alienatione quadam, & exstasi, quam Plato agnoscit, quæ dæmonum opera solet euenire. Ergo simpliciùs capio. Dicuntur amantes solui amore, vt è contrario, illo vinciri. Ita Horatius lib.1.Od.33. *Venus grata detinuit compede.* Ideo Tibullus lib.2.eleg.2. Solui amore.

Flauaq; coniugio vincula portet Amor.

Et Noster lib.8.

Tum pater æterno fatur deuinctus amore.

14. DVRAS CVRAS] Bene Seruius. affectu, quo ipsa passa est.

15. SISTERE AQVAM FLVVIIS, &c.] Sub persona mulieris magæ Poëta describit ipsius artis magicæ vim & potestatem: sed vide, qua sobrietate, quinque tantùm versibus, ab eo, *Hæc se carminibus*, &c. rem totam absoluit. & quot alij insumunt? Tantùm tibi loca indicabo. Vide Apuleium lib.1. ab eo. Virgilij sobrietas.

Magico susurramine amnes agiles reuerti, &c.

iterum,

Saga diuinipotens.

Tu reliqua. Ouidium 1.Amor.eleg.8.

Illa magas artes, &c.

& de Medea in Epist.

Illa refrænat aquas, &c.

Eundem latissimè in Metamorphosi, ab eo versu:

Quorum ope cùm volui ripis mirantibus amnes.

Claudianum lib.1.in Ruffinum, inde:

Sæpius horrendos Manes.

Lucanum in 6. per plures paginas. Iterum Ouidium de Circe.14.Met. ab illis,

Exsiliere loco, dictu mirabile, syluæ.

C Senecam in Oet. ab illis:

Vernare iussi frigore in medio nemus.

Petronium lib.2. vbi quæpiam maga ita incipit:

Quicquid in orbe vides, paret mihi.

Et pergit multis. Tibullum lib.1.eleg.2. Apollonium lib.3. commemorantem potentiam Medeæ, ab illis:

Τοῖσι καὶ ἀκαμάτοιο πυρὸς μειλίσσεται ἀτμή.

In promptu etiam sunt, quæ de eadem Medea Valerius Flaccus lib.6. & quæ Propertius lib.1. eleg.1. Hos si adeas, multa tibi erunt ridenda, ideo à me hinc amputata, & tantùm indicata, & hoc pene piguit. In nullo enim illorum est Virgilij sobrietas. Sanè qui hanc magicam satis fusè explicant, videntur circulatores quidam, qui vicatim sua pharmaca venditant. Ne tibi musæ talem dederint mentem, vt insanus, non vates videaris. Ita enim Scaliger loquitur, reprehendens Lucanum.

[a] Testor chara Deos, & te germana, tuúmque
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.
[b] Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exsuuiásque omnes, lectumq; iugalem
Quo perij, super imponas: abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet, monstratq; sacerdos.
[c] Hæc effata silet, pallor simul occupat ora.
[d] Non tamen Anna nouis prætexere funera sacris
Germanam credit: nec tantos mente furores
Concipit, aut grauiora timet, quàm morte Sichæi.
Ergo iussa parat.

D

ARGVMENTVM.

Testatur, inuitè se ad Magiã accedere: mandat Anna quid velit fieri: non hæc capit sororis animum, & consilium cadit.

EXPLICATIO.

a Excusat se à necessitate, vt quæ non ex animi sui sententia Magicas artes aggrediatur, sed quia

quia aliter nequeat amoris malo occurrere; atque adeo inuita accingitur ad eas artes. Testatur verò principe loco Deos, deinde ipsam Annam, quæ sibi charissima.

b Vbi iam animaduertit factum sibi fidem à sorore de Maga, iubet fieri quæ sequuntur. Ergo, *Tu secreta* ab aliis *pyram erige* futuro sacro, tum *sub auras*, tum *tecto interiore*, quod pertinet ad cautionem. Super pyram impone *viri arma*, noluit nominare Æneam ex odio iam insito. *quæ impius reliquit fixa thalamo*, an quia gladium furenti reliquit, ideo impius? an quia reliquit Reginam in medio furoris æstu, omnis ipse humanitatis & pietatis expers? hoc præfert Nascimb. Impone etiam *exsuuias omnes Æneæ*, vt vestes, tum *lectum iugalem*, id est, coniugij, *quo perij*, causa cur velit hunc aboleri: & qui mirum ipse pereat, cùm ego in illo perierim? Ratio cur iusserit superiora, ducta ab imperio Magæ, iubet illa aboleri omnia, quæ sunt Æneæ. quare? quia is *nefandus*.

c Vicinitas vocum *effata silet*, quæsita ex studio, quasi non sui compos Regina, in medio sermone cogeretur silere, dominante impotentissimo doloris affectu. Ac statim pallore quodam suffusa est, qui comes silentij: credo, ab imagine futuræ mortis.

d Viso Didonis pallore, qui veluti præsagium, & index ad mortem, non iccirco Anna credit sororem velle per vim cadere specie prætextúque sacrificij. Duplex ratio, cur hoc non crediderit: Primo, quia non concipit mente tantos furores. videlicet non concipit mente, quæ sibi integra & sana, furores alienationémque sororis. Deinde, si moriente Sichæo non sibi Dido manus intulit, quis crederet id futurum abeunte Ænea? His persuasa *iussa parat*.

NOTÆ.

1. DVLCE CAPVT] Pertinet hoc ad amoris vim, quo sororem complectebatur. sic Propertius specie quadam iuramenti lib. 4.

Necte dulce caput mater Scribonia læsi.

Et Hypsipyle ad Iasonem apud Valerium Flaccum 2. Arg.

Iámne placet primo deducere vela sereno
Charius ô mihi patre caput?

2. ACCINGIER] Pro, accingi, more poëtico, & ex Græca imitatione, qui sæpe verbis addunt syllabas. vult Nasc. occultè innui morem Romanorum: qui, cùm multa varij generis sacra, artésque multiplices suscepissent, magicam semper artem neglexerunt, & veluti profanam detestati sunt. Accingi ad rem aliquam Latini dicunt Græcorum imitatione. Homer. Il. 11. [Magicā detestati Romani.]

Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν
Ἀργείους·

A *Atrides autem clamauit, & armari iussit*
Argiuos.

ζώννυσθαι autem, *cingi*, est. Quin hoc verbum signatum in re Magarum. Apuleius lib. 9. *Ad expugnandam domus tenacem disciplinam totis accingitur viribus.* Et infrà Dido inducitur *in veste recincta*. [Accingi, verbum magarum.]

3. SVB AVRAS] Videndus Vitruuius. Veteribus enim in honore & vsu fuerunt ædificia hypæthra, id est, subdialia. [Hypæthra.]

4. ARMA] Intellige ensem, quem dederat Æneas dono Didoni: & allusum fortasse occultè ad Græcum illud δῶρα ἄδωρα. factúmque Aiacis, & Hectoris Iliad. 7. de quo alibi opportunius. sed quare, vt gladium nominaret, *arma* generaliùs dixit? ne videlicet gladij mentione, mortis consilium proderetur. Ita Seru.

B

5. EXSVVIAS] Vide an illustrari is locus possit iis quæ diximus. 8. Ecl. ad illud,

Has olim exsuuias mihi perfidus ille reliquit
Pignora chara sui.

Nam hìc quoque sacra fiunt venefica.

6. LECTVMQVE IVGALEM] Genialem accipio, quem Aristophanes in Auib. vocat λέχος γαμήλιον. Romanis in vsu fuit, vt hunc in posterum semper asseruarent, & religiosè colerent tanquam coniugij monumentum, & quasi pignus. Huius apud scriptores nonnulla mentio. Cicero pro Cluentio: *Lectum illum genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari, & sterni expulsa atque exturbata filia, iussit.* Lampridius in Alexandro, inter omina imperij ponit, *quòd tabula Traiani imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pararet, in lectum decidit.* Igitur Dido non vult, vt is seruetur, sed cum aliis exsuuiis aboleatur, quòd iam omnia amoris pignora & monumenta coniugij auersetur. Is lectus *aduersus* quoque est dictus, nam moris fuit, vt in atrio asseruaretur ex aduerso ianuæ, à qua positura nomen accepit. Asconius in Milonian. *Omni vi ianua expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduersum vxoris eius Corneliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt.* Videndus Lips. 1 Elect. cap. 17. & Ios. Scal. in Festum. qui ex hoc more Propertio lucem dant. [Lectus iugalis, & genialis.] [C] [Lectus Aduersus.]

D

7. PRÆTEXERE FVNERA SACRIS] Est *prætexere funera sacris*, prætegere, & prætendere, explicatore Iul. Scal. est autem sermonis quædam commutatio, nam potiùs prætexebat prætendebátque sacrum futuro funeri, quia videlicet vtebatur obtentu quodam, prætentu, specie, occasione, simulatione, nomine, colore, causa, titulo, prætextu sacrorum ad futuram cædem. Tot enim vocibus vox vna à doctis explicatur. Videndus Budæus in Comm. à pag. 681. per plures, vbi significationem verbi *prætexo* explicat. [Prætexo, quid sit.]

a At Regina pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta,
b Intenditq; locum sertis & fronde coronat
Funerea: super exsuuias, ensemq; relictum,
Effigiemq; toro locat, haud ignara futuri.
c Stant aræ circum: & crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Erebúmque, Chaósque,
Tergeminámque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.

ARGVMENTVM.

Pyra erigitur, ornatur, adest Maga, inclamátque inferna Numina.

EXPLICATIO.

a PRæcessit sermo ille ad Annam,

Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige.

Hic itaque *penetrali in sede*, quod ibi *tecto interiore.* Sed ex qua materia erecta est & constructa pyra? Ex duplici: *tædis, atque ilice secta.* Ex tædis, quæ ex pinu, aut picea, vnde tædæ laudatissimæ; atque etiam ex ilice. Alij vnam materiam assignant, atque explicant, tædis sectis ex ilice. Non placent. Nam cur omittatur picea, quæ potissima in omni pyra?

b Totum locum pyræ, verè ipsam pyram illigat implicátque coronis variarum arborum, ex more sacrorum, tum imprimis adhibet funeream frondem. Interpretes cupressum, & probè, capiunt, verè verbenas cupressinas. Imponit super pyram exsuuias omnes Æneæ, ensem, effigiémque eius, quia sacerdos, vt Dido ipsa mentita erat,

Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet.

Nominat verò torum, nam torus ipse, id est, lectus iugalis pyræ quoque impositus, & in lecto exsuuiæ, ensis, effigies. Absoluit, *haud ignara futuri.* Nemo alius, præter ipsam, sciebat, quò destinata hæc sacra. Non, vt solueretur amore, aut redderetur amanti, vt mentita fuerat; sed morti suæ, sed deuotioni, imprecationíque Æneæ: ideo sciens quod futurum, locauerat ibi, quæ absumi vellet ad vim imprecatoriam.

c Sunt aræ circum pyram, quæ necessariæ ad imprecationes. Aderat sacerdos Massylia effusis crinibus & incomptis ex more. Intonabat hæc formidando sono Deos plurimos quosquos poterat, & suggerebat memoria, intérque illos Erebum, Chaos, Hecatem, Dianam. Quæ hîc desunt, habes in Notis.

NOTÆ.

1. SVB AVRAS] Hunc locum mihi Apuleius aperit lib.3.Met. Peragitur hîc, vt vides, species quædam veneficij & incantationis, quo prætextu Dido vtitur ad auertendam sororem à suspicione: atqui hæc veneficia solebant fieri sub auras, in loco vndique perflabili. Apul. verba sunt. *Sic noctis initio, priusquam cœna te reciperes, Pamphile mea iam væcors animi tectum scandulare conscendit, quod altrinsecus ædium patore perflabili nudatum, ad omnes orientales, ceterósque aspectus peruium, maximè his artibus suis commodatum secretò colit,* &c. Vnde etiam capies, cur Poëta dixerit *in sede penetrali*, nimirum propter secretum, cuius etiam Apul. meminit.

2. INTENDITQVE LOCVM SERTIS] Nam nullum fere sacrum absque vsu coronarum. Catullus in Aty:

Mihi floridis corollis redimita domus erat. (Coronæ in sacris.)

Arnob. lib.7.

Etiam Dij sertis coronis afficiuntur, & floribus.

Pro quo testimonio monearis, non illum dicere, sertis, & coronis, abiunctim, sed coniunctim: coronas enim sertas vocat, id est, intersertas intertextásque. redeo. Tacitus, 4. Hist. *vndecimo Calend. Iulias, serena luce, spacium omne, quod templo dicabatur, euinctum vittis coronísque.* De peculiaribus sacris, quæ omnia fere cum coronis, taceo, ne hîc te impediam eruditione

A non necessaria. Tantùm scias ad Virgilij locum pertinere, quæ de coronis mortuorum sparsa in plerisque, hîc enim sacra funeris peraguntur. Propertius lib.3.

—sertísque sepulcrum
Ornabit. (Coronæ mortuorū.)

Antoninus Imperator apud Herodian. lib.4. Achillis tumulum coronis exornat. Anacreon ode in rosam. τὸ δὲ καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ, τὸ δὲ καὶ νεκροῖς ἀμύνει: *Hæc & ægrotantibus satis est, & mortuis auxiliatur.* quod de sepulcris mortuorum Dalecampius capit. Ad eandem rem traho morem, quo mortui ad sepulcrum coronati efferebantur. (Mortui coronati efferebantur.) De quo more Plin. lib.21. cap.3. Cic. pro Flacc. loquens de Castritio. Et Aristophan. ἐν Ἐκκλησιαζούσαις. quos tres auctores ad hanc rem alij obseruarunt, & coniunxerunt: quibus ego addo Eurip. in

B Phœniss. Vbi Creon mortis pœnam comminatur coronanti cadauer Polynicis. Idem in Troad. bis in eundem morem loquitur, vbi enim sermo est de Astyanacte filio Hectoris præcipitato, Talthybius sic ait ad Hecubam:

— πέπλοισιν ὡς περιστείλῃς νεκρὸν,
Στεφάνοις θ'.

—peplis vt adornes cadauer,
Coronísque.

iterum Hecuba ipsa:

Ἔχει γὰρ οἷα δεῖ γε νερτέρων στέφη:
Habet enim qualia conuenit inferorum serta.

Sophocl. in Antig.

C Χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει:
Libationibus ter libatis mortuum coronat.

Ergo sicuti alij, & sepulcra, & mortuos coronis exornabant, sic Dido pyram sui funeris.

3. EFFIGIEMQVE TORO LOCAT] Ait Scal. allusum ad morem Magarum, quæ certas statuas fingebant, & eas fasciis, tæniis, vittísque religabant, vt deuouerent. Hoc potiùs sequor, quàm illorum sententiam, qui hîc affectum amoris intelligunt, ita vt ne in morte quidem Dido vellet discedere à suo Ænea. hoc (inquam) non placet, sed rem totam refero ad deuotionem, ex qua etiam fit, vt exsuuias omnes, & ensem velit eadem pyra absumi. Non ineptè traducas ad hunc locum aliqua quæ de imaginibus istis magarum dicta iam mihi 8. Ecl.

D 4. ARÆ] Commodè. potiùs quàm altaria. Nam istæ aræ excitatæ πρὸς ἀρὰς, καὶ κατάρας, καὶ εὐχάς. ad exsecrationes contra Æneam, vnde *aræ* dictæ. (Aræ, vnde dictæ.)

5. CRINES EFFVSA SACERDOS] Hic habitus Magarum. (Magarum habitus.) Talem exhibent Apollonius, Ouidius, Seneca, Valerius, Medeam: talem Horatius Canidiam. Apud Lucanum tamen Maga non effuso est crine. nam de illa:

Et coma vipereis substringitur horrida sertis.

6. TERCENTVM] Non refero ad Hecatem cum Seruio, neque Iano Parrhas. qui comm. ad Claudian. illum defendit: non enim puto moris esse Virgiliani, vt iterum recurreret ad Hecatem. sed dico cum Hortensio, trecenta diuersorum Deorum nomina inuocata à Maga, & addo, numerum certum pro incerto

E positum. Ergo plures Deos ad terrorem nominat Maga, intérque eos Erebum, Chaos, Hecatem.

7. TONAT ORE] Redundantiam agnoscunt aliqui, nam quî debuisset tonare (aiunt) nisi ore? non ego, nam sententia est, humano ore diuinipotens (vt loquitur Apul.) tonat maga. Itaque humana cùm esset, & humano ore vteretur, tamen tonabat. Neque hoc abit à mente Seru. qui ait: *tonat* peritè dixit: aliquibus enim sacris imitabantur tonitrua.

8. EREBVMQVE CHAOSQVE] In *Erebo* videtur includi

includi quantum impurorum spirituum esset in inferno: in *Chao* reliqua aliarum rerum congeries confusa, quæ est in illis tenebris: nam dixit, inclamata tercentum nomina. vel simpliciter cape.

Hecate cur tergemina. 9. TERGEMINAMQVE HECATEM] Dixisse hoc potuit, vt notat Turneb. lib. 27. cap. 5. quod & Germano placet, quia Hecate triformis pingi solebat, & trium animalium nominibus vocari gaudebat, tauri, canis, leænæ, cuius rei testem adducit Porphyrium. ἡ δὲ Ἑκάτη ταῦρος, κύων, λέαινα. si verò alios sequaris, dicta est tergemina à triplici capite, quæ diuidens Orpheus in Argon. dextrum equo dat, sinistrum cani, medium homini. Narrat Pausan. Alcamanem primùm omnium Atheniensibus fecisse triplex signum Hecates. Inde dicta τρίμορφος, τριπρόσωπος, τρισοκέφαλος. B Huius præterea frequens mentio in Poëtis. Claudi. de Rap.

Ecce procul ternis Hecate variata figuris.

Ouid.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes.

idem:

Túque triceps Hecate.

Non desunt, qui Tergeminam Hecaten referant ad numerum centenarium ter repetitum: sed me illi in sententiam non ducunt.

Dianæ nomina. 10. TRIA VIRGINIS ORA DIANÆ] Nihil dicit distinctum à superiore Numine, sed non ideo tamen pleonasmum efficit. sententia est. Inuocabat Maga Hecaten iam tergeminam, iam Dianam, cui triplex os. Itaque vnius Numinis diuersa nomina intonabat, omnia ad horrorem. Diana enim, Luna, Hecate, A siue Proserpina, idem Numen, potestates diuersæ. Interpres Aristophan. in Pluto. τὴν ἐν ταῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν σελήνην, καὶ Ἄρτεμιδα, καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι: *Colebant illam olim in triuijs, quòd ea vocaretur Luna, Diana, Hecate.* & Hippocrates Hecatem ἐνόδιον à triuiis vocat in libr. de Morbo sacro. Præclarè scripsit Prudentius lib. I. in Symm.

Denique cùm Luna est, sublustri splendet amictu:
Cùm succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniux.

Hæc tria ora referenda fortasse ad triplicem formam Lunæ, plenæ, mediæ, falcatæ in cornua, πανσελήνου, διχοτόμου, μηνοειδοῦς. adi Lil. vel si mauis, refer ad lunam incipientem, plenam, desinentem. Adi Seruium, qui B emersit ex schedis. Dianam Orpheus Arg. τρισοκέφαλον vocat: Lycophrō τρίμορφον, & τριαύχενα. Athen. lib. 7. τριοδῖτιν, & τριπρόσωπον. Artemid. lib. 2. cap. 42. etiam τριπρόσωπον: *Triplicis capitis, formæ, colli, viæ, faciei.* Antiqua inscriptio in ædibus Colotianis:

— triplicis cultor venerande Dianæ.

Apollinis tria nomina. Gratum parergon in hunc locum Germ. inserit, videlicet ipsum Apollinem Dianæ fratrem triplex quoque habere nomen à triplici potestate, iuxta sententiam Porphyrij. nam apud superos Sol dicitur, in terris liber Pater, in infernis Apollo. inde & tria illius simulacra insignita esse lyrâ. quæ exprimit cælestem harmoniam: gryphe, quo terrenus nutus, vt ait Seruius, indicatur: sagittis, quibus notatur Deus infernus noxius.

[a] Sparserat & latices simulatos fontis Auerni:
[b] Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni:
[c] Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor.
[d] Ipsa mola, manibúsque piis altaria iuxta
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur moritura Deos, & conscia fati
Sidera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, iustúmque memórque, precatur.

ARGVMENTVM.

Deinde comparat, quæ necessaria ad sacra, & se ad eadem Dido.

EXPLICATIO.

[a] CVm hæc sacra ficta essent, tantùm decipiendæ sorori, sparsit Dido (nam de ea est sermo, vt apparet ex præcedentibus) aquam, quam dixit esse Auerni, cùm non esset.

[b] Deinde quæruntur herbæ, quibus notæ quatuor necessariæ ad sacra illa: vt *messæ essent ad lunam*, vt *ahenis falcibus*, vt *pubentes lanugine*, vt cum *lacte nigri veneni*. id est, quibus esset succus venenosus. Inuenit acumen Macrobius, nam lac, quod album, nigrum vocatur.

[c] Quæritur etiam Caruncula illa, quæ adnascitur in fronte pulli equini (vocant Hippomanes) quam Poëta amorem vocat matri præreptum: quia ea caruncula est, quasi philtrum, quo equæ amant pullos suos.

C [d] Hactenus quid gestum, quid quæsitum à Maga: redit iam ad Didonem, cui molam dat in manu, nuditatem vnius pedis, qui liber à vinculis, iunctionem solutionémque vestis. Hoc habitu testatur Deos: sidera fatorum conscia: numen illud, si quod iustum est, atque ita memor rerum humanarum, vt habeat curæ eos, qui in amore non respondent ad vindictam & vltionem tantæ perfidiæ.

NOTÆ.

I. SIMVLATOS] Vt explicui, omnes fere explicant, quibus possis hærere. Sed vide, an alia mens Poëtæ. Sparsit aquas simulatas, non decipiendæ sorori, nam verè ipsa intellexit, non esse aquas illas D Auerni; sed seruatus est mos sacrorum, in quibus si vera facilè comparari non poterant, satis erant commentitia & ficta. atque hæc credebantur vim habere. Expressè Seruius ait, simulationem in sacris accipi pro veris. & in hoc loco ita scribit: *In sacris, vt suprà diximus, quæ exhiberi non poterant, simulabantur, & erant pro veris.* Inde fœminæ sacrorum, dictæ Simulata in sacris. *Fictrices,*

Fictrices. Veratrices. *Fictrices*, & *Veratrices*, quòd multa fingerent, quasi vera dicerent. In sexta synodo aniculæ quædam incantatrices, dicuntur signatè, *virtutem & sanctificationem simulantes*. Vnde cùm Horatius dixit Od. 9. Epod.

——spargens Auernales aquas,

Auernales aquæ, quæ sint. explica de aquis simulatis fictísque, tanquam veræ Auerni essent. In hanc sententiam nonnulla loquitur Alex. Neapol. lib. 3. Gen. cap. 13. Et ego alibi de his sacris, quæ vim habebant, etiam si ficta essent, vnde putamus posse locum istum illustrari. Et quidem infrà Dido:

Dic corpus properet fluuiali spargere lympha.

Non ergo necessariæ veræ Auernales. Ad hoc pertinet locus Dionysij lib. 1. Antiq. vbi ait, prisco more in Italia solitas immolari humanas victimas, quem Hercules commutauit factis simulacris ad humanam formam. Adi locum. Quid tam certum, quàm boues ad sacra debere esse intactos: atqui Xenoph. 6. ἀναβ. καὶ πρόβατα μὲν οὐκέτι ἦν, βοῦς δ᾽ ὑφ᾽ ἁμάξης πριάμενοι ἐθύοντο: *Nullæ iam reliquæ pecudes erant, itaque boues de plaustris empti, sacrificatíque sunt*. Sed redeo ad aquas. De his capi Propertius potest lib. 4. eleg. 3.

Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est, nupsi non comitante Deo.

& eleg. 1. eiusdem libri.

Vmbráque nec magicis mortua prodit aquis.

2. FALCIBVS AHENIS] Non hoc frustrà: nam vim æri medicatam inesse credebant, sic Ouidius 7. Met.

Partim succidit curuamine falcis ahenæ.

Æs in vsu magiæ. Hinc magnus æris vsus apud veteres in re sacra, & potissimùm in omni magia, quod scribit interpres Theocriti in Pharmaceutria. Inde est, vt æs adhiberetur in deliquiis lunæ, purius enim habebatur ceteris metallis, καὶ ἀπελαστικὸν τῶν μιασμάτων, id est, *pollutionum expiatorium*. Sophocles in Tragœdia cui titulus Rhizotomi, ait, Medeam herbas secantem, succos illarum refudisse in cados æneos: herbas verò subsecuisse æneis falcibus. Cæl. Rhod. lib. 19. 10. ex Macrobio, & aliis. & quidem Macrobius contendisse Virgilium ait ad imitationem Sophoclis. Falces quoque ipsas incantatas esse debere ex Magarum disciplina Ouid. docet in Hypsipyle:

Diráque cantata pabula falce metit.

3. MESSÆ AD LVNAM] Circumstantia, quæ in vsu magico. Lunaria omnia in vsu magiæ. Lunaria enim omnia vim habebant magicam. Stat. 2. Theb.

——Hæc circum spumis lunaribus vngit
Callidus.

Lunam enim præesse veneficiis veteres existimabant, & herbas inficere venenosa spuma. Lucanus, lib. 6.

Donec suppositas propior despumet in herbas.

& Val. Flacc. 6. Arg.

Quamuis Atbracio lunam spumare veneno
Sciret.

Ascribantur ista Turnebo.

4. PVBENTES HERBÆ] Pubentes herbæ, quæ. Multi adultas intelligunt. reiicit Turneb. lib. 26. cap. 5. & lanosas intelligit, lanuginosas, ac villosas. nam & in veneficiis viri, qui incantabantur, maiorem vim censebant habere si barbati essent, quàm si leues & impubetes. sic & in 12. *puberibus caulē folijs*, explicat foliis lanuginosis, nam & Dictamno hæc folia attribuit Dioscorides. Ita etiā explicat Iunius de Coma cap. 6. reprehendítque Seruium interpretantem *viridiores*. Metaphora ducitur à pubertate adolescentium. Tertull. lib. 1. aduers. Marcionem:

Mirificos tribuit succos pubentibus herbis.

sed ea in primis vsi Græci. Theophrastus sæpe φυτὰ χνοώδη, καὶ χνοάζοντα vocat, *plantas lanuginosas*. & Aristoph. δρόσος, καὶ χνοῦς, ὥσπερ μήλοισιν, ἐπήνθει: *Ros & lanugo tanquam malis super florescebat*. Comici locus est in Nubib. Nota cum Seru. reciprocam metaphoram: herbæ ab hominibus *pubentes* dicuntur. homines ab herbis *florentes*. Eleganter hanc pubertatem ad rem inanimem transtulit Eurip. in Alcest. ἡβᾷ τὸ κακὸν: *pubescit tua calamitas*. Ceterùm gentiles sua incantamina sæpissime herbis exercebant. Trita sunt veneficia Medeæ, Circes, & aliarum. Vide etiam locum Sancti Augustini lib. 2. de doctrin. Christiana cap. 29.

5. NIGRI CVM LACTE VENENI] Aliqui hîc intelligunt periphrasin papaueris syluestris. abnuo. Quæ dixi de succo venenato, potiora sunt. Eò me ducit nigrities. Sic Propertius lib. 2. eleg. 27. de venenato poculo:

Neu subeant labris pocula nigra tuis.

Eadem mens eiusdem lib. 4. eleg. 7.

Sensi ego cùm insidijs pallida vina bibi.

Quæ enim Scaliger in extremum hunc locum de vino inferio, intelligens τὰς χοὰς, minimè placent. vocat enim Propertius *vina pallida*, veneno infecta vina. Quod affine explicationi nostræ ad illud ecl. 6. *pallentes ruminat herbas*.

6. QVÆRITVR ET NASCENTIS EQVI, &c.] Hippomanes tria significat. Hippomanes tria significat: primùm herbam in Arcadia nascentem, de qua Theocritus in Pharm. ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ᾽ Ἀρκάσι: *Hippomanes herba est apud Arcades*. Herbam, Agitant aliqui quæstionem, an φυτὸν Theocriti positum sit ἀντὶ τοῦ φύματος. nihil illa ad me. adi Pierium lib. 4. Hierog. Deinde significat Carunculam nigram, Equi carunculam, fronti pulli recèns nati adhærescentem, de qua sic Plin. lib. 8. cap. 42. *Et sanè equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, si quis præreptum habeat.* Quæ verba & Poëtam explicant, & partim ab eo expressa sunt. Simillima hæc Arist. lib. 6. de Hist. Anim. ὅταν δὲ τέκῃ ὁ ἵππος, τότε χόριον εὐθὺς κατεσθίει, καὶ ἀποτρώγει τοῦ πώλου ὃ ἐπιφύεται ἐπὶ τοῦ μετώπου τούτων τῶν πώλων ὃ καλεῖται ἱππομανὲς, ἔστι δὲ τὸ μέγεθος ἔλαττον μικρὸν ἰσχάδος, τὴν δ᾽ ἰδέαν πλατὺ, περιφερὲς, μέλαν: *Cùm equa peperit, statim secundas deuorat, abrodítque, quod pulli fronti adnascitur, Hippomanes nuncupant. est autem magnitudine minus parua carica, specie latum, rotundum, nigrum.* Addítque Pharmaceutrias illud quærere & colligere. αἱ φαρμακίδες ζητοῦσι, καὶ συλλέγουσι. Vide eundem Aristotelem lib. 8. eiusdem histor. cap. 24. ad finem. De eodem hoc Ouid. 2. de Art.

Dátque quod à teneri fronte reuellit equi.

Et Iuuenal. Sat. 6.

Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.

& postea:

Tanti partus equæ quanti vna venefica constat.

Virus equæ. tertio demum significat virus quoddam, quod ex equæ pudendo ad Venerem concitatæ fluit, veneficiis expetitum. de quo iam à me in Georgicis. Vide etiam Plinium lib. 28. cap. 11. ad finem. & Ouidium. 1. Amor. eleg. 8. & de medicamine faciei. Ergo, caruncula illa, dicitur amor reuulsus de frōte equi nascentis, & matri præreptus: quasi dicat, explicatore Turn. philtrum matri præripitur, quo pullum suum amat. In eandem sententiam loquitur Lucan. lib. 6.

——turgentia succo
Frontis amaturæ subducunt pocula fœtæ.

Ælian. lib. 14. de Hist. Animal. cap. 17. οὐ γὰρ ἔτι θηλάζει ἡ μήτηρ αὐτὸν, τὸ γνώρισμα ἀφῃρημένον, καὶ τῆς εὐνοίας οὐκ ἔχοντα τὴν ὑπόθεσιν: *Pullum non nutrit, cui ablata insignis illa beneuolentiæ & amoris nota.* Et suprà dixerat, id quod

quod inprimis ad mentem Poëtæ pertinet, abripi solitam hanc carunculam ad tendendas amatoribus insidias. ἴσασι δ᾽ ἄρ᾽ ἱπποφορβοὶ τοῦτο καὶ καλῶς. καὶ ἐάν ποτε δεηθῶσι τῦ προειρημένε βρέφους εἰς ἐπιβουλὴν τινος, ὡς ἐξάψαι οἱ ἔρωτα, τὴν ἵππον κύουσαν παραφυλάττουσι, καὶ ὅταν τέκῃ, παραχρῆμα ἁρπάζουσι τὸ πῶλιον, καὶ ἀποκόπτουσι τὴν προειρημένην σάρκα: *Habent hoc penitus pastores cognitum, ac si quando illo egeant, vt alicui moliantur amatorias insidias, & ad Venerem inflamment, diligenter obseruant tempus partus, ac statim ab illo hippomanes rapiunt, & prædictam carunculam abscindunt.* Porro in Æliano πῶλιον verti *Hippomanes*, admonitus Dalecampij nota in cap. 9. Plin. lib. 28. contra quàm interpretes soleant. Sed hærent aliqui, cur Poëtæ quæsitum philtrum, cùm quæri amuletum debuisset? etenim Dido excutere Æneæ amorem & amoliri, non conciliare voluit. Atqui Hippomanes seruire amori conciliando, non abolendo, nonnulla ex dictis docent, tum præcipuè hæc Æliani dicto loco. ὅτις δ᾽ ἂν κατά τινα ἐπιβουλὴν ἀνὴρ ἐκείνε γεύσηται τῦ βρέφους, ἔρωτι καὶ μάλα γε ἀκρατεῖ συνέχεται, καὶ ἐμφρύγεται, καὶ βοᾷ, καὶ ἀκατασχέτως ὁρμᾷ, multáque alia in hanc sententiam, id est, *Si quis autem per insidias carunculam illam gustauerit, constringitur intemperanti amore, exæstuat, vociferatur, & effrenatè ac furenter rapitur.* Ergo Turn. huic difficultati satisfaciens, ait: Hippomanes conciliationi seruire ex arte magica & cum medicamento adhibitum, secus si exuratur, & hoc voluit Dido. Sed cùm nullius auctoritate nitatur, placet potiùs mens aliorum. Itaque dicamus, comparari in his sacris Hippomanes, quo amor conciliatur, non quòd redire in gratiam Æneæ Dido vellet, sed quia, id se velle, fidem facere volebat sorori: quod ex superioribus perspicuum,

Inueni Germana viam (gratare sorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me soluat amantem.

Posse sic succurri Poëtæ Germanus indicat, cùm post Turnebi, hanc afferat solutionem. Ego aliter expedio. Solebāt in sacris magicis (qualia hîc repræsentat Virgilius) aduri venenata. vnde ipse *nigri cum lacte venenum*, vbi intelligit herbas plenas succo malefico. Quis ergo neget vim noxiam & venenatam equinæ carunculæ? cùm scribat Suetonius in Caligula cap. 50. & Iosephus lib. 21. Antiq. Caium potionatum à Cæsonia vxore hoc medicamento, versúmque in furorem. Dixi hoc scribere Suetonium, & Iosephum. quia tametsi taceant de Hippomane, de hoc intelligendi sunt, interprete Iuuenale, qui Sat. 6. clarè scripsit:

Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli Infudit.

Dixit *tremuli pulli*, quod Virgilius *nascentis equi.*

7. IPSA MOLA, &c.] Agnosco in hoc versu ἓν διὰ δυοῖν. quasi dicat. Ipsa erat iuxta altaria cum mola in manibus.

8. VNUM EXUTA PEDEM VINCLIS] Dicit, pedem vnum fuisse nudum, etiam si tantùm vincla nominet. Itaque non ait, laxum fuisse calceum, quia sine vinculis: sed detractum calceum. Hoc indicant loca paria. Ouid. 3. Fast.

Rumpebant magni vincula parua pedes.

id est, paruos calceos. Idem. 3. Met. *vincla duæ pedibus demunt.* id est, calceos. Tibull. lib. 1. eleg. 5.

Vinclaque de niueo detrahet ipse pede.

vt hos versiculos alij suppeditarunt, ita nemo aut interpretum, aut aliorum, qui in palæstra eruditionis versantur, Virgilij locum. Tritus est mos de sacris, quæ fierent nudis pedibus, quæ iccirco Nudipedalia vocantur, & auctoribus, quos alij inuenere, adiungo ego Aristidem orat. 2. sacror. sermonum. vbi bis repetit hunc morem in sacris. In priore loco ἀνυπόδητον ait in re sacra, in posteriore ἀνυποδησίαι. & Tertulliaanum, qui in Apologet.

Nudipedalia populo denunciatis.

Sed ego ad rem signare de vno tantùm pede nudo in sacris. Hoc enim postulat Virgilij locus, & hoc dico neminem attigisse. Moris huius mentionem reperi in Artemid. lib. 4. cap. 65. vbi Mercurium vocat μονοκρήπιδα, ab vna tantùm crepida. Additque, Deum hunc, cùm iret ad interficiendam Medusam, τὸ ἕτερον μόνον ἔχειν τῶν ὑποδημάτων: *habuisse tantum alterum calceamentum.* Habes ex hoc testimonio hunc habitum fuisse Deorum, ac perinde ad religionem pertinere. Sed quid de aliis? Pindarus Od. 4. Pyth. Iasoni dat πέδιλον δεξιτερῷ μόνον ποδὶ, *calceū vnum dextro tantùm pedi.* vt etiam Philostratus in Epist. vbi exhibet, καὶ τὸν Αἴαντα, καὶ τὸν Ἀχιλλέα ἀνυποδήτους, καὶ τὸν Ἰάσονα ἐξ ἡμισείας: *Aiacem, & Achillem excalceatos, & Iasonem dimidia parte.* id est, vnico tantùm pede, vt mox ipse explicat, qui & originem adducit, cur ita Iason inducatur. Sed quid de sacris? Christianus Florens in Vespas Aristophanias præceptum illud Pythagoræ, quod inter eius symbola legitur, *Nudis pedibus rem sacram facito, & adorato*, determinat ad vnum tantùm pedem. Verba viri docti: *Inter Pythagoræ præcepta istud etiam fuit, dextrum pedem in calceum præmitte, læuum in ποδόνιπτρον, id est, peluim, vel pelluuium.* & ita lucem dat Aristophani, qui tantùm, φέρε καὶ τὸν ἕτερον, id est, tantùm, τὸν εὐώνυμον, *sinistrum.* & hunc excalceatum, nam hic mittendus in ποδόνιπτρον. vt videas consentire cum illo, quod de Iasone præmissum. Iuuenalis Sat. 6. loquens de Iudæis.

Obseruant vbi festa mero pede sabbatha Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

vbi cùm dicat *mero pede* fortassis vnum tantùm intelligit, vt iam illi, qui de ritibus Iudæorum loquuntur (& hi sunt Iosephus lib. 11. Antiq. atque etiam Hegesippus loquentes de Berenice) etiam si nudos dicant pedes absolutè, fortasse (inquam) intelligendi erunt de vno tantùm, vel explicatore Iuuenale, qui *mero pede.* Vtor etiam ad rem meam versibus Ouidij lib. 7. Metam. vbi de Medea eunte ad peragenda sacra magica ita loquitur.

Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudis humeris infusa capillos.

Qui sanè versus cùm videantur facti ad imitationem Virgilij ex illis *vestes recinctas*, cur non dicam, *nudum pedem* Ouidij referendum ad illud, *vnum exsuta pedem*? Pari enim elegantia, & nullo carminis incommodo potuisset dicere *nuda pedes*, si vtrunque intelligeret. De eadem Medea etiam in re sacra, & magica ita ait Seneca, ipsam loquentem inducens:

Tibi more gentis vinculo soluens pedem
Secreta nudo nemora lustraui pede.

Cur non etiam hic de vnico capiendus? His puro affatim explicari Virgilium. Sed roges, qui duorum pedum nudus? sinistrum puto. quod ex excursu huius Notæ potuisti animaduertere. Adiuuat ratio, nam cùm hæc sacra destinentur ad infelices exitus, & sinistra omnia infelicia sint, liquet perinde sinistrum pedem fuisse nudum. Neque contra hoc est, scribi ab Thucydide lib. 3. καὶ τὸν ἀριστερὸν μόνον πόδα ὑποδεδεμένοι: *erant sinistro tantùm pede calceati.* Nam hîc non habita ratio religionis, sed firmitatis; subiicit enim, ἀσφαλείας ἕνεκα τῆς πρὸς τὸν πηλόν. Nam cùm hærerent in luto, non essent ita fortes aduersum illud, si essent dextro pede calceati. Quid quòd sinistrum pedem ad religionem pertinere elicies ex facto Cæsaris apud Senecam lib. 2. de Beneficiis, capite 12. Ibi enim Cæsar sinistrum pedem dat osculandum Senatori, Persicā seruitutem inducens. Scimus autē, Persas hac ratione Reges suos adorasse. Opus est Senecæ, adiro.

Virgilius defenditur.

Nudipedalia.

Pes vnus nudus in sacris.

Pes sinister nudus in sacris.

Recinctio vestium in sacris.

9. IN VESTE RECINCTA] Ad hunc morem pertinent verba Seruij. *Solent enim & resolutoria sacrificia ab aruspicibus fieri.* quod firmat peculiaribus sacris. nam addit: *Ad Iunonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.* iterum: *In sacris nihil esse solet præligatum, præcipuè eius, quæ amore vult solui.* Hoc item in quibusdam sacris seruatum ait Festus in voce *exesto*; vbi ita ait: *Exesto, extra exsto: sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier, virgo exesto.* Ex hoc more Ariostus non indignus, qui cuilibet operi inseratur, ita cecinit Cantu. 3.

——onde vna Donna vscio
Discinta, è scalza, è sciolte hauea lechiome.

10. NON ÆQVO FOEDERE AMANTES, &c.] Sunt A qui putent, hîc allusum ad Numen illud dictum ἀντέρως, qui eos vlciscitur, qui in amore non respondent; vel qui amores resoluit, cuique curæ est iniquus amor. Eius frequens mentio. Adi, quæ doctè scripsit Lilius syntag. 13. in Cupidine ad finem. Et hîc tu scias ex nota Barn. Briss. lib. 4. Form. Poëtam allusisse ad formam illam perculsi ex æquo fœderis, cuius Liuius sæpe meminit. lib. 7. *vt qui ex æquo nos in amicitiam venisse meminissemus.* & lib. 23. *quod fœdus æquum dedimus.* ceterùm ad maiorem versus huius declarationem, vide quæ dicentur ad illud. 11. Æn.

Fœdus ex æquo.

—& fœderis æquas
Dicamus leges.

[a] Nox erat: & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras: syluæq; & sæua quierant
Æquora: cùm medio voluuntur sidera lapsu.
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres,
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent: somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
[b] At non infœlix animi Phœnissa, nec vnquam
Soluitur in somnos: OCVLISVE, aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curæ: rursusq; RESVRGENS
Sæuit amor, magnoq; irarum fluctuat æstu.
[c] Sic adeo insistit, secumq; ita corde volutat.

ARGVMENTVM.

Nox, quæ hominibus soporem, silentium agris, quietem cæteris animantibus; vni Elissæ vigilias affert, querelas, curas.

EXPLICATIO.

[a] SEquitur descriptio noctis & somni amœnissima, quam expendam, nam explicatio facilis, vnico tractu. In primis moduli ita sunt dulces, vt quemuis ad somnos incitent, nisi is affectu Didonis æstuet: dulcedinem deprehendes ex mira temperaturâ spondæorum, dactylorúmque, quibus Poëta auribus subblanditur; itaque neque præcipitantur versus pluribus dactylicis, neque tardantur spondæis: ad hæc, vt plurimùm, sunt vocales soni tenuioris; grandioris verò ita insertæ, vt non abeant à modulo lenitatis. Sed præcipuè in hac descriptione ordinem considero non vulgarem, & dignum quem omnes sciant. Tota descriptio septem versibus continetur, primi tres generales sunt; quattuor reliqui illos explicant. ergo ait: fessa corpora soporem carpunt per terras, syluæ quiescunt, æquora quiescunt, idque media nocte. Videamus hæc quî explicet? Carpunt corpora somnos, quia omnis ager tacet: quiescunt syluæ, quia, pecudes, volucres, & feræ, quæ agunt in dumetis: quiescunt æquora, quia subinde quæ habitant lacus liquidos: demum in corporibus fessis sunt corda laborum oblita, & ad soporem placidū curæ leniuntur, & ad volutationem cursumque siderum est positio & substratio corporum. Itaque silentium agrorum omnium, respondet taciturnitati terrarum: pecudes, & volucres, & feræ, quæ degunt inter dumeta, syluis: quæ in lacubus, æquoribus: corda oblita, corporibus fessis; lenimen curarum, placiditati somni: verbum *positæ*, verbo *voluuntur*. Placet B Maro, & nescias cur placeat. Adi iam descriptiones reliquorum, & præ hac sordere omnes videbuntur. Quas, ne hîc integras repetam, inuenies Græcas Apollonij, Anacreontis, Smyrnæi in Vrsino; Latinas Silij, Papinij, Ouid. in Iul. Scalig. Ex quibus ego, aliísque desumam, quæ tantùm necessaria ad explicationem illustrationémque vatis; ab integris abstinebo.

[b] Quod hîc verbum? nullum reperias signatum, nam quæ sequuntur inuitè huc trahas. Igitur oratio præcedentibus verbis fulcitur, quod optimè excogitatum à summo vate ad æstum Didonis explicãdum. perinde. Mortales fessi somnos carpebant, omnia tacebant, quiescebántque, miseri lenibant curas & corda: Dido interim nullo cæterorum oblectamento C perfundebatur, quin suis curis æquabat superabátque aliorum voluptates: vigilans erat, secum sermocinans, præ dolore inquieta, curis lacera, corde exulcerata: Et, vt bene ait Scal. Elissæ curas affert nox, quæ aliis somnum. Addit, *Curæ ingeminant, rursúsque,* &c. vide quot affectus in vna Elissa, cura, sæuitia, ira, fluctus, æstus. Et sunt hæ causæ superiorum. Ideo non soluitur in somnos, non accipit noctem; quia curæ se ingeminant, quia amor rursus sæuit, & fluctuat æstu irarum.

[c] Comparat se Poëta hoc versu ad explicandum, vti Elissa eruperit in querelas, dum alij omnes tacent somno oppressi, videlicet non capiens tot sæuientis amoris & irarum fluctus. ergo, insistit inhærétque D plurimùm eidem cogitationi, & sæpe rem eandem secum voluit.

NOTÆ.

1. CARPEBANT FESSA SOPOREM] Pati forma dictum ab Homer. Odyss. 10. ἀωτεῖν ὕπνον, Germ. credit, nam ἀωτεῖν, & ἀωτεύειν est *flores legere, & car*

& carpere. Non omittenda comparatio diuini vatis & Apollonij, ad hanc enim rem accommodem operam Nasc. ait Græcus,

—ὕπνοιο δ' ἤ τις ὁδίτης,
Ἤδη καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο:

Viator, & Ianitor somnum desiderabant. vt hanc explicem, præmitto Apollonium sic absoluisse: *Atqui Medeam non dulcis capiebat somnus.* vide iam discrimen. plus est omnino fessa omnia animantia dormire, & vnam Didonem vigilare; quàm vigilantem Medeam comparare cupientibus dormire. Ad hæc meminisse præcipuè viatoris, & ianitoris non ita magnum, quàm inferre fessos omnes dormientes. in quo vates fortè respexit illud Anacreontis,

Virgilius superat Apollonium.

Μερόπων δὲ φῦλα πάντα
Κέαται πόνῳ δαμέντα:
Hominum gentes omnes
Domitæ labore iacent.

Quod enim hic, φῦλα δαμέντα, Virg. *fessa corpora.*

2. SYLVÆQVE ET SÆVA QVIERANT ÆQVORA] Poëta ipse in 7.

—postquam alta quierunt
Æquora.

Apertiùs metaphoram vsurpauit Pap. 5. sylu. verbo *acclinandi*, cùm ait:

Non trucibus fluuijs idem sonus, occidit horror
Æquoris, & terris maria acclinata quiescunt.

Poëtæ enim inanimis naturis attribuunt animatorum affectus, atqui quiesco humanos somnos indicat. Cæterùm sententia Poëtæ desumpta est, vt credo, ex Hesiodo, qui in Theog. de somno sic loquitur,

—γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἥσυχος ἀνστρέφεται, καὶ μείλιχος ἀνθρώποισι.
—Tellurémque & mare latum
Quietus percurrit, ac placidus hominibus.

3. CVM MEDIO VOLVVNTVR SIDERA LAPSV] Signat mediam noctem. Neque enim satis erat, Didonem vigilem esse incipiente nocte, nisi vigilias quoque perduceret ad noctem mediam. Ait Ioachim. Camerar. in Problem. tempestates vt plurimùm mutari ex doctrina astrologorum medio tempore aut diei, aut noctis. Itaque nox ista tota est quieta contra quàm fieri in multis aliis soleat, exceptura videlicet querelas & curas Reginæ. Itaque omnes mortales erant, non partem noctis, sed ὅλην τὴν νύκτα κοιμώμενοι, vt loquitur Cyrill. Alexand. in Oseam. Cum quiete, quam hîc in cælo constituit, alludit præclarè locus Nonni lib. 2. qui noctem describens, principem partem descriptionis dat cælo. Vide ab eo loco:

Tempestates quo tempore.

Νὺξ μὲν ἔην, φρουραὶ δὲ πολυστίχες ἦσαν Ὀλύμπου:
Nox quidem erat, excubiæ verò turmatim erant circa cælum.

4. CVM TACET OMNIS AGER] Apollonius quoque in sua descriptione, σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην: *Tenuit noctem nigram silentium.* & inf. Poëta: *nocte silenti.* Ex qua obseruatione Pap. 1. Achil. *mutum orbem* dixit:

—totis vbi somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumq; amplectitur orbem.

& in 10. Theb. in Somni Regia:

Ocia vestibulo, preßísque silentia pennis
Muta sedent.

In Poëta verbum *tacet* referri potest, vel ad volucres, & pecudes, quæ in silentio sunt: vel ad ventorum flatum cessantem, nam & hoc verbum ventis datur. Petron. Satyr. sic Magam inducit loquentem:

Taceo de ventis.

—zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes.

5. PECVDES PICTÆQVE VOLVCRES] Apollonius vt suum somnum peculiaribus casibus discriminarer.

Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
Ἠχήεις:
Neque canum latratus in ciuitate audiebatur, neque tumultus
Clamosus.

Varro Atacinus,

Desierant latrare canes, vrbésque silebant,
Omnia noctis erant placida composta quiete.

Stat. 5. sylu.

— tacet omne pecus, volucrésque, feræq;

habuit in mente Virgilium. idem. 1. Theb.

Iam volucres pecudésque tacent.

& Ouid. in Somni Regia. 11. Met.

—nec voce silentia rumpunt
Sollicitíve canes, canibúsque sagacior anser,
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami.

Petron. in Fragm.

Ecce tacent voces hominum, strepitúsque viarum,
Et volucrum cantus, turbáque fida canum.

6. PICTÆ] Varietatem omnium auium signat, in quibus varij colores: nam picturam pro varietate sumi alibi admonemus. Oppian. 2. Cyn. ἀνθοκόμοις οἰωνοῖσι: *floridis auibus.* quod proculdubio ductum à varia florum pictura.

Floridum de auibus.

7. QVÆQVE LACVS LATE LIQVIDOS, &c.] Notanda exornatio, volucres pictæ sunt, lacus liquidi, rura, vbi degunt feræ, dumetis aspera. omnia propriè. Aspirauit ad Virgilium Silius 7. Pun.

Cuncta per & terras, & lati stagna profundi
Condiderat somnus.

Latinis pro exemplo esse potuit Hesiodus, quem iam adduxi. Sed signatè lacus dicuntur *liquidi* cum acumine. Nam hi, vt plurimùm, turbidi, quia cænosi. Sed tunc liquidi, premente somno illas bestiolas, quæ solent turbare stagna.

8. SOMNO POSITÆ] Notetur locutio ad somnum indicandum. Eadem etiam vsus Propertius lib. 1. eleg 3.

Subiecto leuiter positam tentare lacerto.

Quæ locutio ducta à mortuis, qui dicuntur *positi*, est enim nota similitudo inter somnum & mortem.

Pono, cur de dormientibus.

9. LENIBANT CVRAS, ET CORDA OBLITA LABORVM] Lenibant pro leniebant, ex vsu veterum. Sic Lucret. lib. 5.

—mare fluctibus sæpe coortis
Sæuibat,

pro sæuiebat. Et Catull. de Nupt. Pel. *custodibant.* idem alibi: *audibant.* Cæterùm tale quiddam Eurip. in Bacch. ὕπνου τε λήθην τῶν καθημέραν κακῶν Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων: *Dat malis somni nocturnam obliuionem, nullum enim aliud remedium laborum.* & Calab. μ. de somno quoque loquens, πόνου δ' ἐπιλήθετ' ἀνήρ: *laboris obliuiscitur vir.* Sic & Statius. 1. Theb.

Somnus remediũ malorum.

—iam somnus auaris
Inserpit curis, pronúsque per aëra mutat
Grata laboratæ referens obliuia vitæ.

Apud Eurip. Orestes in tragœdia sui nominis vnà cum somno obliuionem coniungit, & vtrique agit gratias. quæ ad obliuionem pertinent hæc sunt:

Ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφή,
Καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός!
O veneranda obliuio malorum quàm sapiens es,
Et miseris quàm optanda Dea!

Et quidem noctem, finem laborum afferre, ex Calabro & Critia notat Vrsinus, ex infinitis Delrius in Senecam. Sed qui abstinui ab integris veterum, non grauabor apponere vnam recentioris Bernard. Parthen.

then. quæ etiam si longè absit à Virgiliana, tamen laudandus conatus:

Nunc quoniam latè terra, & templa ardua cæli
Conticuêre, silent venti, pictásque volucres
Tectaque frondosis sylvis animalia passim
Exercet dulcis per grata silentia somnus:
Stellarum taciturna caput nox fulua corona
Percurrit fuscis cæli spacia ampla quadrigis,
Tuta silent, nullo pulsantur littora fluctu.

10. At non infelix, &c.] Tale quid Calaber lib.3. de Thetide lugente filium.

Ἀλλ᾽ οὐχ ὕπνος ἔμαρπτε θεὴν Θέτιν:
At non cepit somnus Thetin celerem. & lib.7.
Ἀλλ᾽ οὐ Δηϊδάμειαν ἐπήρατος ὕπνος ἔμαρπτε:
At non Deidamiam amabilis somnus cepit.

Apollonius lib.3.

Ἀλλὰ μάλ᾽ οὐ Μήδειαν ἐπὶ γλυκερὸς λάβεν ὕπνος:
At non Medeam dulcis accepit somnus.

& Homerus Il. 2. cùm Deos alios, & homines dormientes inducat, subdit:

—Δία δ᾽ οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος:
—*Iouem autem non tenuit sopor altus.*

Imo nullus, aut iucundus: poterat enim dormire, & non altè dormire: nisi quis pro Homero, *suauis* interpretetur. Ad Virg. assurgere voluit Sil. nam post reliquorum mortalium somnum:

At non Sidonium curis flagrantia corda
Ductorem, vigilésque metus haurire sinebant
Dona soporifera noctis.

Est *infelix animi* constructio Hellenica. (Hellenismus.)

11. Phoenissa] Duplex forma harum vocum est in auctoribus, vel in, issa, vt Phœnissa, Libyssa: vel in, æna, vt Scythæna apud Aristophanem in Lysistrata; Lacæna, apud omnes.

12. Nec vnquam solvitur in somnos] Affectum hunc, quo amantibus somnus negatur, multi, præter eos, quos iam attuli, attigerunt. Val. Flacc. 7. Arg. de Medea: (Amantes insomnes.)

Nulla quies animo, nullus sopor, arida mens est.

Nemes. 2. Ecl. de pastore, qui puellam deperibat:

—*nec placido memini concedere somno.*

13. Pectore] Quia Arist. lib. de Som. & Vigil. medici etiam potissimas somni partes, & functiones cerebro pectoríque tribuunt. Sic Ouid.

—*mulcentem pectora somnum.*

Debes hanc illustrationem Germano.

14. Ingeminant curæ] Est hoc fermè, quod Tibull. lib. 4. *cura nouatur.*

15. Rursusque resurgens] Nota poëticam locutionem. videbatur enim dicturus Maro, *rursus surgens*, sed voluit *rursus resurgens*, videlicet ad αὔξησιν. Non abeunt similes locutiones obseruatæ Passeratio. Nam Terent. in prologo Hecyræ, *iterum referre.* Propertius lib. 2. eleg. 18. *iterum redire.* In quibus videtur vacare *iterum.*

16. Magnóque irarum fluctuat æstu] Fluctus in affectu iræ, vt & Lucretius lib. 3. (Fluctus in affectu iræ.)

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Oppian. lib. 3. Hal.

—νόος δέ οἱ ἠΰτε κῦμα
Εἱλεῖται:

mens ipsi voluitur instar fluctus. Et in re amoris Catullus:

—*magnis curarum fluctuat vndis.*

Apul. *æstu pelagi similiter fluctuat Psyche.*

[a] En, quid agam? rursúsne procos irrisa priores
Experiar? Nomadúmque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
[b] Iliacas igitur classes, atque vltima Teucrûm
Iussa sequar? quia ne auxilio iuuat antè leuatos?
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
[c] Quis me autem (fac velle) sinet? ratibúsque superbis
Irrisam accipiet? nescis heu perdita; necdum
Laomedontææ sentis periuria gentis?
[d] Quid tum? sola fugâ nautas comitabor ouantes?
An Tyriis omníque manu stipata meorum
Insequar? &, quos Sidonia vix vrbe reuelli,
Rursus agam pelago? & ventis dare vela iubebo?
[e] Quin morere, vt merita es, ferróque auerte dolorem.
[f] Tu lacrymis euicta meis, tu prima furentem
His germana malis oneras, atque obiicis hosti.
[g] Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more feræ? tales nec tangere curas?
[h] Non seruata fides cineri promissa Sichæo.

ARGVMENTVM.

Post suscepta tria consilia & refutata, quartum eligit moriendi, cuius culpam in Annam, & in se conicit.

EXPLICATIO.

[a] Dicam in hoc initio de tota oratione, quæ mirè pathetica, hærens filo Iul. Cæs. Scaligeri lib. 3. Poëticæ, qui incomparabilis Poëtæ mentem semper assecutus est vir ipse incomparabilis. Elissæ amantis oratio tam varia est, quàm varius amoris circuitus. triplex ea inprimis, omitto alias, non tanti momenti: prima suasoria ad Æneam,

Dissimulare etiam sperasti, &c.

secunda exprobratoria, *Nec tibi diua parens.* de quibus iam dictum suprà. Tertia, quam nunc aggredimur, tota tumultuans in deliberatione ab animo spe spoliato.

liato. in qua ideo interceptæ sententiæ, concisæ, contortæ. Fertur, refertur, rapitur. Crebræ interrogationes, consiliorum mutationes, petitio, repetitio, correctio. Incipit autem miserorum more per interrogationem, *quid agam?* an sic manendum? non potest. instant enim gentes Libycæ. An illæ suppliciter adeundæ? quî fiet? Contemptæ à me, fastus mei memores flecti nollent. An cum Troianis abeundum? At frustra tentabitur, ingrati enim sunt, obliti veterum beneficiorum, cùm me inuitam relinquunt. Me in regno meo contemptui habuere, in suo quid facient? quin, non recipient. Iccirco dixit *superbas rates*, & se *irrisam*, eósque *Laomedontiadas*, periuros scilicet. An extrema audenda mihi, ipsíque bello persequendi? At hoc quid est consilij? Equidem ciues hosce vix è Sidonia vrbe reuelli è manibus tyranni, quonam igitur animo obiectem rursus eos, vel belli, vel pelagi periculis? Igitur concludit, *morere*. Hæc visa mihi necessaria ad integram orationem. Ipse iam per partes, vt soleo, digeram. Nec deerunt quæ vtiliter addam Scaligerianæ operæ. In voce *irrisa* latet causa. perinde. Experiar ne rursus priores procos irrisa iam à Troianis? Pergit. *Petam supplex connubia Nomadum?* habet omnia emphasin, pathos, conquestionem. Ego ne fœmina petam connubia? fœminæ enim ambiri solent, non ipsæ ambire. Ego ne Regina supplex accidam ad pedes Nomadum, qui barbari, qui à me toties contempti? Illud contra castitatem est, hoc contra regiam dignitatem.

b Repulsa à primo consilio proponit alterum, ab eundi cum Troianis. Accipio *vltima iussa* decretum vltimum abeundi. Variè interpres. Redeo. Euertit per ironiam susceptum consilium. perinde. Quasi verò iuuerit me, profueritque leuasse eos antè auxilio? quasi ipsi memores sint beneficiorum, & ego bene apud illos posuerim tantorum beneficiorum gratiam? Nihil profectò minus. nihil enim iuuat, me eos auxiliis subleuasse, quia ipsi ingrati, & immemores.

c Pergit in eodem consilio, vrgétque hac ratione. Etiam si ingrati sint, volo me tamen ingratis dare comitem. Euertit sic. Si tu velis, illi nolint, illi non sinent. Ratio duplex, quia superbi, quia periuri sunt. Ideo Laomedontæi. Nescis heu perdita (ipsa secum loquitur) quid dicas. Non solùm sunt superbi, nam si hoc tantùm essent, vinci humilitate tua possent: sed sunt periuri, à quibus quid speres?

d Reiectis duobus consiliis tertium proponit hac diuisione. Comitabórne illos supplex vsque ad Italiam? an insequar cum hostili exercitu? Huius consilij partes reiicit, priorem vt turpem, posteriorem vt difficilem. Euersio prioris. Non possum illos comitari, quia *sola, fuga, nautas, ouantes*. Quî enim *sola*, quæ sum Regina? quî *fugiam*, quod indignum? quî *nautas*, qui ideo viles homines? quî *ouantes*, qui me ducant in triumphum? Vide quàm leuiter soleat Maro percurri. Euersio posterioris. Non possum insequi cum hostili exercitu. Nam quî rursus obiectem maris periculis, quos vix ac tanto negotio reuelli à Tyro?

e Propositis solutísque argumentis deliberat sibi moriendum. Ratio duplex, & quia mereor; inducit enim suæ desperationi colorem, ait Scal. & vt dolorem auertam.

f Causam desperationis à se reiicit in sororem, sed ita tamen vt in se quoque conuertat. Nam tu me hosti obiicis, sed vt euicta meis lacrymis, sed vt furori medereris.

g Perstat in sui reprehensione, quòd nuptias experiuerit non seruata fide Sichæo coniugi. Iulius Scaliger agnoscit hîc modum quendam reticentiæ, qui non tam defectu, quàm ex quadam circuitione excitat pleniorem intellectionem. Nam ita se Dido reprehendit, vt dicat circuitu quodam se excusans, vitam, quam ipsa optabat, esse ferarum ac brutorum vitam; hanc autem hominum, ac propterea non damnandam.

h Desinit in suum Sichæum, se reprehendens. Sententia est. *Fides promissa Sichæo, non seruata est cineri eius.* Quæ sententia cùm clara sit, nescio cur se multi crucient, vel proferentes vetustos codices, in quibus est *Sichæi*, non *Sichæo*. Vel dicunt dici *Sichæo* pro *Sichæio*.

NOTÆ.

1. EN QVID AGAM? &c.] Similis diaporesis, & dialogismus frequẽs omnibus oratoribus, scriptoribus, Poëtis. Cic. pro Murœn. magna copia locum hũc exornauit, *Si hunc vestris sententiis afflixeritis, quò se miser vertet? domum ne? vt eam imaginem clarißimi viri parentis sui, quam paucis antè diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentémque videat? An ad matrem? quæ misera modò consulem osculata filium suum, nunc cruciatur & solicita est, ne eundem paulo pòst spoliatum omni dignitate conspiciat? Ibit igitur in exilium miser? quò? ad orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? at habet magnum dolorem, vnde cum honore discesserit, eôdem cum ignominia reuerti. An se in contrariam partem terrarum abdet? vt Gallia Cisalpina, quam nuper summo cum imperio libentißimè viderit, eundem lugentem, mœrentem & exulem videat?* Liuius lib. 22. *Illud etiam in tali consilio animaduertendum vobis censeam P.C. si tam duri oris esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis, cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet? qui nos hospitum numero habuit captiuos. an barbaro, ac Pœno? qui vtrùm auarior, an crudelior sit, vix existimari potest?* Andromacha apud Eurip. in tragœdia sui nominis.

Τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν ἡδύ; πρὸς τί χρὴ βλέπειν;
Πρὸς τὰς παρούσας, ἢ παρελθούσας τύχας;
Quid tum mihi viuere dulce? ad quid respiciam?
Ad præsentésne, aut ad præteritas fortunas?

Ariadna apud Catull. relicta à Theseo,

Nam quò me referam? quali spe perdita nitar?
Idæósne petam montes? an gurgite vasto
Discernens pontum truculentum vbi diuidit æquor?
An patris auxilium sperem? quémne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde sequuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Qui refugit lentos incuruans gurgite remos.

Oratore vno, scriptore altero contentus, Poëtam attuli duplicem, vt qui poëtam interpretor. His disce similes diaporeses poëmati tuo aspergere, vnà cum solutionibus aliter non illæ iucundæ sunt: ideo à me quatuor luculentæ adductæ, vt qui quæram, Lector, tuam imitationem.

2. RVRSVSNE PROCOS IRRISA PRIORES] Similem & elegantem orationem inuenies in Liuio lib. 40. in oratione Persei coram Philippo patre, aduersum fratrem Demetrium.

3. MARITOS] Non nupsit, etiam si maritos vocet. Ita quoque Propertius accepit lib. 1. eleg. 2. — Maritus etiã de non coniuge.

Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Auecta externis Hippodamia rotis.

4. QVIA NE] Particulam *ne*, quæ videtur sententiam perturbare, monet Turneb. lib. 28. cap. 1. solitam adiici à veteribus Latinis, cùm interrogatio fit, ad conciliandum solum orationi ornamentum, cuius rei testes producit Plautum, ac Terentium: illum in Cistell. — Quia ne.

Cistell. *Quæ ne inficias eat?* hunc in Phorm. *Quod ne ego perscripsi porro illis, quibus debui?* Huius rei ignoratione ait Turn. hoc Maronis nunquam satis explicari. Alij *quia ne* explicant, reuera: in his Seruius.

5. FAC VELLE] Est hoc, quod Terent. Phorm. *pone esse.* Quod Cicero variis in locis: *da esse, finge esse, fac esse.*

6. RATIBVSQVE SVPERBIS] Aliqui commodiùs certè legunt, *ratibúsne superbis.*

7. LAOMEDONTEÆ] Ab vno Laomedonte, qui periurus in Deos fuit (historia satis est nota) Troianos omnes periuros putat. Habes multa similia. Paris propter vnicam Helenam, cuius formam ipse cõpertam habet, totam Græciam καλλιγύναικα vocat: *ferentem pulchras fœminas.* Menelaus ob vnius Paridis perfidiam, Priamidas ὑπερφιάλους καὶ ἀπίστους dicit: *Fœdifragos, & infideles.* B Homerus ipse Vlyssem ob vnius Troiæ euersionem πολίπορθον appellat: *euersorem vrbium.* Hæc iam aliis obseruata.

8. VIX VRBE REVELLI] Quî vix, si 1. Æn.

Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni, &c.

Quî ergo vix reuulsi, si ipsi sponte conuolarunt? Duplex solutio. Prior vulgaris. vix dictum cum respectu ad tempus, non ad difficultatem. Quasi dicat. Nunc fermè reuulsi sunt, & iterum committam pelago. Non placet, nam *reuelli* difficultatem indicat. Posterior Scaligeri. Vix conueniunt, & vix reuelluntur, nulla hîc pugna. Quia non conuenirent nisi metu, aut odio tyranni compulsi. Quis enim aliter patriam desereret? *vrbs Sidonia* est Tyros.

9. MORERE] Vides, vt reiectis aliis argumentis, eat in vltimum remedium mortis. Plautus in Rudent.

A *Neque est melius morte in malis rebus miseris.* Sallustius in Catil. ore Cæsaris ait, *mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.* Coniungit Clemens lib. 6. Stroma. cap. 1. Platonem & Menandrum, asserentes mortem esse munus Deorum. Mors munus.

10. THALAMI EXPERTEM] Est hoc, quod duplici flexu Horatius: *Nuptiarum expers, marito cruda.*

11. DEGERE MORE FERÆ] Putant interpretes, allusum à Poëta ad genus quoddam ferarum (Seruius ex Plin. in Naturali Historia, lyncas nominat, in quem locum nondum incidi) quod amisso coniuge, aliis deinde non iungitur: vt vt sit de lyncibus; quando se Dido incusat, quòd post mortem Sichæi iterum nuptias quæsierit, apta erunt ad hanc mentem verba hæc. Plutarch. in Gryllo: *Penelopes tuæ castitatem innumeræ cornices crocitantes ridiculam esse ostendent, atque contemptui exponent, quarum vniuscuiusque si moriatur mas, viduitatem non per exiguum tempus, sed per nouem ætates hominum seruant.* Græca, quæ ad rem. ὧν ἑκάστης ἂν ἀποθάνῃ ἄῤῥην, οὐκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλ' ἐννέα χηρεύσει γενεὰς ἀνθρώπων. Aliquis possit putare allusum ad taurum ἀτιμαγελοῦντα. Certè simpliciùs capi Poëta potest de feris multis, quæ horridæ, ac separatæ à suorum consortio. Non autem inutiliter, etiam si extra commentationem Virgilij, admonebitur adolescens de antiqua significatione verbi *dego.* erat priscis idem, quod minuo. Nonius Marcell. *Degere est etiam minuere. Plautus Aulularia: nunc ego istum soror laborem degam, & diminuam tibi. Degere est detrahere. Plautus Epidico. Degetur corium de tergo meo.* hæc ille. hæc significatio fortasse inde nata est, quasi deagere. id est, amouere, & amandare. Dego, olim pro minuo.

[a] Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
[b] Æneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
[c] Huic se forma Dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursúsque ita visa monere est,
[d] Omnia Mercurio similis, vocémque colorémque,
Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.
[e] Nate Deâ, POTES HOC sub casu ducere somnos?
NEC QVÆ circumstent te deinde pericula cernis
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?
[f] Illa dolos, dirúmque nefas in pectore versat
Certa mori: varióque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, DVM præcipitare potestas?
[g] Iam mare turbari, trabibus sæuásque videbis
Collucere faces, iam feruere littora flammis,
Si te his attigerit terris aurora morantem.
[h] Eia age, rumpe moras: VARIVM, & mutabile semper,
Fœmina. sic fatus nocti se immiscuit atræ.

ARGVMENTVM.

Dum Dido in eo curarum æstu versatur, dormienti Æneæ apparet Mercurij imago, quæ ducem concitat ad fugam præcipitem argumento duplici, & imminentis timore periculi, & nauigandi occasione.

EXPLICATIO.

a VEluti epiphonema superioris orationis. Ideo verò *rumpebat questus è pectore,* vt signetur doloris abstrusi atque altè repositi magnitudo.

C b Dicta hæc cum quadam oppositione præteriti status, quem Didoni attribuerat. Illa insomnis erat, hic dormiens: illa anxia de abitione huius, hic eundi certus. Sed quî dux, & cui res tanta commissa ab Ioue, ab Iouis nuntio, somnos carpebat? excusatio, *rebus iam rite paratis.*

c Vnum præuidere nequiuerat Æneas, quid ardoris lateret in animo Elissæ, quid furiarum, quid irarum. Ad quam rem indicandam oportuit mitti Deũ, aut Dei imaginem, vt moneretur.

a Constructio tota est Græcorum, atque vt in istis subaudienda est præpositio κατ',ita Latinis *iuxta*, aut quæuis alia, Budæo monitore, & doctis aliis. Itaque sententia hæc erit. Erat forma hæc similis iuxta omnia Mercurio, videlicet, iuxta vocem, colorem, crines, membra. An hîc verè Mercurius Æneæ apparuerit; an visus tantùm apparuisse per ludibrium somni: in ancipiti est.

e Duplex ratio, cur statim Æneæ nauigandum, cur non immorandum. Prima à malis, quæ imminent, si moram fecerit. In verbis ætiologia est: videlicet, Ideo non cernis pericula, quia demens. In illis *hoc sub casu*, sermo est emphaticus. quasi, magno, & periculoso. Altera à temporis opportunitate, nam spirant Zephyri, qui secundi sunt ad nauigandum. Nec aliud iam est argumentum: nam quæ sequuntur, omnia huc referenda. Etenim more suo Poëta generatim rem proposuit, in quam mox recurrit augens, explicans, amplificans.

f Explicat iam superiores rationes. Circumstant te magna pericula, quia Regina versat in pectore contra te dolos, nefas, fluctuátque irarum æstu: Zephyri secundi sunt, da ergo te in fugam præceps, dum potes, spirantibus Zephyris. Ista longè abeunt à mente omnium interpretum. Sed me illi non mouent. Nec cedam facilè ex consuetudine, quam in Poëta sæpe obseruaui, qui duo cùm præmittit, statim recurrit explicans eadem. Id liquidiùs apparebit ex sequenti explicatione.

g Rediuit seorsim ad vtrunque argumentum, iam nunc coniunctim hac ratione: spirant venti; si maneas, mare turbabitur, vt accidere plerunque solet: circumstant te pericula, quibus nisi præcaues, videbis subitò faces collucere accensis trabibus, & littora flammis feruere. Itaque tota sententia pendet ex collocatione incisi, quod ego post verbum *turbari*, & ante *trabibus* constituo. atque adeo non dicit: *iam mare turbari trabibus, &c.* sed *iam mare turbari, trabibus sæuósque videbis, &c.* Ergò, integra mens Poëtæ est: Circumstant te pericula, venti sunt secundi. quæ pericula? doli, nefas, iræ Elissæ: qui venti? ita secundi, vt non abire vtcunque, sed præcipitare te possis. ergo abi, nam aliter, & mare turbabitur tempestate, & flammæ contra te collucebunt, atque adeo nulla hinc erit eundi potestas & propter tempestatem, & propter periculum flammarum, quæ duo te oppriment si moraris in crastinum; *ergo age rumpe moras.* Hanc meam explicationem, & incisi illius contra omnia exemplaria commutationem multa adiuuant. Primùm sententia, quæ argutior: deinde oppositio in vocibus, quæ venustior, nam sicuti littora feruent flammis, sic faces collucent trabibus: itaque vtramque sententiam comitatur ablatiuus quidam: similia enim vsitata Poëtæ diligens lector obseruabit. Tertiò apertè mecum facit ipse euentus, nam in 5. post flammas, quæ latè lucent, statim in exordio nauigationis mare turbatur, & excitatur tempestas fœda, vnda inhorrescit tenebris, nimbi cingunt æthérem, & Palinurus desperat Italiam contingere. Hæc tempestas si Æneam in portu opprimeret, quî posset inde euadere? an eo cælo, illis tenebris se se in pelagus daret? Aliquid ad hanc mentem iuuant verba Seruij, nam statim in illud, *corripit è somno corpus*, sic ait: *corripit: omen futuræ tempestatis.* quod hoc omen, nisi turbandum mare? quam vt tempestatem fugiat, celerrimè è somno surgit. Quartò demum, nam *mare turbatum*, est, tempestate agitatum: nescias verò tu, quî ex tranquillo procellosum reddatur pelagus, solùm quòd trabes, id est, naues accipiat. Ergo capiamus trabes de accensis facibus, quod à more Poëtarum non abit, qui furiis trabes dant, pinus, taxos, & arbores integras. exempla obuia, & nos ad rem aliam alicubi nonnulla iungimus. etenim si trabes capias de nauigiis, nulla tum hæc Didoni, nihil ad hanc rem præcedens, nihil secutum: quod profectò non est è more Virgilij.

h Post argumenta hortatur ad fugæ necessitatem verbis concitatissimis, cuius hortationis rationem adhibet ex innata fœminis inconstantia. Præclarè illud, *rumpe moras ne te morantem.* Quo verò sollicitiorem relinquat, disparet responso nullo exspectato. Vt etiam.2.Æn.

Dixerat, & spissis noctis se condidit vmbris,

Et sup. idem Mercurius, *euanuit ex oculis in tenuem auram.*

NOTÆ.

1. CELSA IN PVPPI,] Propertius libro 2. eleg. 26.

Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.

2. HVIC SE FORMA DEI, &c.] Similis successus habetur Il.23.

Ἦλθε δ᾽ ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο,
Πάντ᾽ αὐτῷ μέγεθός τε, καὶ ὄμματα καλ᾽ εἰκυῖα,
Καὶ φωνήν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστω:
Superuenit autem anima Patrocli miseri,
Omnibus ipsi magnitudinéque, & oculis pulchris similis,
Et voce, & tales circa corpus vestes induta erat.

& 2.Il. vbi sic loquitur Agamemn.

Κλῦτε φίλοι, θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος
Ἀμβροσίην διὰ νύκτα· μάλιστα δὲ Νέστορι δίῳ,
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ᾽ ἄγχιστα ἐῴκει:
Audite amici, diuinum mihi in somno venit somnium
Intempestam per noctem, maximè autem Nestori diuino,
Formáque magnitudinéque, habitúque simile erat.

3. OMNIA MERCVRIO SIMILIS] Agnoscit hîc Isidorus characterismum. Est hîc descriptio figuræ alicuius expressa.

4. CRINES FLAVOS] Positi flaui crines in pulchritudine etiam à viris. Scribit Athenæus lib. 12.c.20. Demetrium, qui venustus ipse & formosus volebat esse, studiosè flauiciem affectauisse in capillis.

5. MEMBRA DECORA] Ideo ait Seruius, quia is Deus palæstræ. nam Horat. Mercurius cur iuuenis.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentes
Voce formasti catus, & decoræ
More palæstræ.

Sed simpliciùs capi possit Poëta. nam hic Deus semper florida iuuentute pingebatur, fortasse quia eloquentia florens & florida ars.

6. NATE DEA] Aduertit Nascim. hunc principem militarem semper dici *Natum Deâ* à principe poëticæ, quoties opus est singulari prudentia & consilio, quæ virtutes præcipuè in Diis sunt. Ita in 1.

Nate Deâ, quæ nunc animo sententia surgit?

7. CIRCVMSTENT] Huic respondet περιστέω. Inde contrà Polybius (ait Budæus) τοῦ βίου ἀπραξίαν vocat ῥᾳστώνην ἀπερίστατον, vt cui nihil circumstet incommodi. verbum περιστέω Homerus Odyss.14. explicuit hoc flexu, περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστη.

8. ZEPHYROS SPIRARE SECVNDOS] Ζεφύρων πνεόντων dixit Aristides in Ægyptiaca. Zephyrorum signata sæpe est mentio in auctoribus, cùm sermo est de secundo flatu. Nunc mihi antè oculos Heliodorus lib.6. Hist. Æthiop. quibus flantibus peruium est mare. Quis sit ventus secundus alibi. Nunc obseruo, Zephyri secundi.

Ventus secundus, prouerb.

seruo, id verbi traductum ad alia schemate quodam A prouerbiali. vt cùm Aristophanes in Lysistr. dixit,

Χωρεῖτ' ὀργῇ, καὶ μὴ τίγνεσθ'· ἔτι γὰρ νῦν οὔρια θεῖτε:

Ite iræ, nusquam adite, namq́ secunda curritis aura.

Ita Pindarus Od. 4. Pyth. οὖρον ὕμνων, *secundum ventum hymnorum.* & Od. 13. Olymp. Ξενοφῶντος δαίμονος οὖρον: *ventum secundum genij Xenophontis.* Seneca de vita Beat. cap. 22. *Sic illum afficiunt diuitiæ & exhilarant, vt nauigantem secundus & ferens ventus.*

Fœmina dirum malam.

9. ILLA DOLOS DIRVMQVE NEFAS] Ad sententiam Poëtæ accedunt illa Hesiodi in Theog. qui ait, genus fœminarum esse ὀλώϊον *perniciosum.* καὶ πῆμα μέγα: *& ingens nocumentum.* & inf.

—κακὸν θνητοῖσι γυναῖκας

Ζεὺς ὑψιβρεμέτης θῆκε:

—*Rem malam mortalibus mulieres*

Iuppiter altitonans dedit.

Perniciem autem, quæ à fœminis in viros manat, explicat ille eleganti hac comparatione. Nam quemadmodum, ait, apes vtilissimæ sunt mortalibus, quæ tamen fucos alunt, perniciosum genus animalium: sic homines vtilissimi sunt, fœminæ nocuæ, quæ vnà cum illis degunt. Vetus Poëta apud Lips. 1. Elect. *Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens.* Plaut. Mil. Glor.

—*quid peius muliere, atque audacius?*

10. SI TE HIS ATTIGERIT TERRIS AVRORA] Sententiam suam Poëta hausit per imitationem ex Homero, Euripide, Calabro. Ait primus Il. 18.

—εἰ δ' ἄμμε κιχήσεται ἐνθάδ' ἐόντας

Αὔριον ὁρμηθεὶς σὺν τεύχεσιν, &c.

—*si autem nos offenderit hic exsistentes*

Cras impetum faciens cum armis.

Alter in Medea Creontis ore minitantis Medeæ ipsi, vt abeat:

—προὐνέπω δέ σοι

Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ,

Θανῇ:

—*Prædico autem tibi,*

Si te consequens lampas viderit Dei,

Morieris.

Tertius lib. 13.

Οὐδέ σε δία κιχήσεται ἠριγένεια

Ζωὸν ἔτ' ἐν Τρώεσσι:

Neque te diua offenderit Aurora

Viuum inter Troianos.

His adiungo Senecam & Ennium, vtrunque de Medea, & Creontis ore: prior ait:

—*capite supplicium lues,*

Clarus priusquam Phœbus attollat diem,

Nisi cedis Isthmo.

posterior:

B *Si te secundo lumine hìc offendero.*

Vterque Euripidi hæsit.

11. VARIVM, ET MVTABILE] De vniuerso certè hominum genere Nazianz. orat. 1. ἄνθρωπον, τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον: *Hominem, animal omnium maximè mutabile, & varium.* De fœminis Tibullus:

Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen.

Ouid. 1. de Arte contra illas:

Fallite fallentes, ex magna parte profanum

Sunt genus: in laqueos, quos posuêre, cadant.

Hanc mutabilitatem per res maris Poëtæ explicant, nam mari nihil mutabilius. Plautus Asinar. de fœminis:

Mare haud est mare, vos mare acerrimum.

C Scio aliam esse mentem Plauti. Propius est illud Horatij lib. 1. ad 5.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,

Qui semper vacuam, semper amabilem

Sperat, nescius auræ

Fallacis.

Hesiod. in ἔργ. dixit,

Ὃς δὲ γυναικὶ πέποιθε, πέποιθ' ὅγε φιλήτῃσι:

Qui mulieri credidit, hic latronibus credidit.

[a] Tum verò Æneas subitis exterritus vmbris,
Corripit è somno corpus, sociósque fatigat.
[b] Præcipites VIGILATE viri, & considite transtris,
Soluite vela citi: Deus æthere missus ab alto,
Festinare fugam, tortósque incidere funes
Ecce iterum stimulat. SEQVIMVR te Sancte Deorum
Quisquis es, imperióque iterum paremus ouantes.
[c] ADSIS ô, placidúsque iuues, & sidera cælo
Dextra feras. dixit: vaginâque eripit ensem
Fulmineum: strictóque ferit retinacula ferro.
[d] Idem omnes simul ardor habet: rapiúntque ruúntque:
Littora deseruere: latet sub classibus æquor.
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

ARGVMENTVM.

Surgit è somno Æneas, hortatur suos, committit se Numini, præcidit funes, eodem ardore milites sunt, littus deseritur, nauigatur.

EXPLICATIO.

[a] SPirant ista celeritatem, surgit *exterritus, corripit corpus, fatigat socios.*

D [b] Tria iubet, & modum adhibet, vigilent, considant transtris, soluant vela: modus, vt præcipites, vt citi. Nullum est exordium, nam celeritas nihil finit præmitti: nisi vice exordij sit vox *viri*, quæ nata ad laudem. Vt verò læti pareant subiicit auctoritatem Numinis. Ac statim eadem celeritate, qua surrexerat, qua imperauerat, qua monuerat, se se conuertit ad cælestem nuntium, nihil examinans, an Iuppiter, an Mercurius, an alius quispiam. Nihil præmittens ad exordium, tantùm promittens se obedientem fore, ac re-

ve ne promittens quidem, sed statim *sequimur*. Nec solùm, sequimur, sed promptè etiam, nam *ouantes*.

c Oratio breuissima ad Numen, quod apparuerat. *Ades*, iuua placidus, fer dextra sidera. nihil amplius patiuntur angustiæ temporis. Eadem celeritate ensis non educitur, sed *eripitur*: funes, quibus naues illigatæ ad littora, non soluuntur, sed inciduntur, sed secantur. Ensis verò instar est fulminis; adeo omnia celerrimè.

d Ducis ardor transiit ad milites. Itaque *idem ardor* (vox signata ad celeritatem) *habet omnes simul*. id est, cunctos. *omnes* enim, & *cuncti*, non idem, vt putat vulgus. Sed *omnes simul* & *cuncti* idem. Habes iam alio loco quid obseruauerim. Redeo. Itaque non dicit, *idem simul ardor habet omnes*, sed *idem ardor habet omnes simul*. Sequitur, *rapiuntque ruuntque*. Vide an hæc concitata? Ac puncto temporis littus deseritur, mare plenum est nauibus, torquentur spumæ, verruntur maria. Pro toto hoc cursu carminum dicam breuiter, mihi non satis dignè occurrisse, quî potuerim explicare celeritatem, quam Poëta hîc repræsentauit. & nemo credo interpretans assequatur. Vide quo animi, & carminum ardore absoluerit rem difficilem, plenam per se tædij, moræ, implicationis, laboris. Quid implicatius primo illo cursu nautarum, cùm soluunt? dum conuehuntur, & parantur omnia, dum fit conscensio, annus est: sed hunc annum momento temporis haurit Poëta. Vide quàm multa dicta, quàm multa facta carminibus decem & tribus. Surgit Æneas è somno: hortatur suos, vigilent, confidant, soluant. præcidit argumenta reliqua, & vno tantùm Numinis vtitur. Post breuem hortationem ad suos: eadem breuitate se ad Numen conuertit, sequitur, & patet. petit vt adsit, vt iuuet, vt ferat dextra sidera. Vix hoc dicto, gladium stringit, ferit funes. eodem ardore sunt milites. rapiunt, ruunt, littus deserunt, sunt in mari, remis dant operam. itaque, qui initio sunt in littore, & somno torpidi, iam, sub instans pene, nauigant superatis ingentibus difficultatibus, quæ solent interuenire. Disce esse poëta: eò enim destinaui hunc sermonis cursum.

NOTÆ.

1. EXTERRITVS VMBRIS] Bene concipit locum istum Nascimb. Ad præsentiam Numinis visi in somnis, fulsit ille locus magno splendore: nam hic semper comes in Deorum aduentu. Abiit hic splendor vnà cum Deo, inde succedentes vmbræ duci horrorem incutiunt. Sed possint etiam fortasse veriùs capi hîc vmbræ pro imagine, quæ apparuit, quasi non tam Deus ipse, quàm eius imago. Fiet hoc verisimile legenti quæ de vmbris, simulacris, imaginibus dico in 6. lib. Æn.

2. CORRIPIT E SOMNO CORPVS] Ab Lucretio, qui lib. 3. *corripere è somno corpus*. & lib. 4. loquens de canibus:

—volucrémque soporem
Discutere, & corpus de terra corripere instant.

Pari aura. 3. Æn. *corripio è stratis corpus*.

3. DEVS ÆTHERE MISSVS AB ALTO] Auctorem suggerit eorum, quæ imperat, nimirum Deum. quod diuinitus excogitatum ratione tripla. Primò, ne dux ipse præceps videatur, qui tam præcipitanter imperat. Deinde, nam in re omni magnum habet pondus auctoritas Numinis: & eo ipso religionem incutit Æneas militibus, vt festinè pareant. Tertiò consulit breuitati rei, & magnitudini periculorum, & ideo amputatis aliis, eam rationem suggerit, quæ validissima. Suprà in sermone, quem habuit Æneas

A ad Elissam, post multas rationes, quas præmisit, quibus probauerat, sibi necessariò abeundum Carthagine, illam demum extremo loco intulit, quæ firmissima omnium.

Nunc etiam interpres Diuûm Ioue missus, &c.

ibi ergo cùm res per otium agatur, locus est non solùm illi, sed aliis, quæ præmittuntur: non hîc contigit illud otij, & ideo multis reiectis, quæ firmissima afferri poterant, illud tantùm infertur, quod firmius omnibus. Ad hanc otij parsimoniam referas concursum dactylorum, festinationem syllabarum, ipsorum carminum conuolantem impetum. Quid celerius hoc carmine?

Soluite vela citi, Deus æthere missus ab alto.

Tu alias expendes.

B 4. TORTOS] Ita in re nautica Catull. de nupt. Pel.

Candidáque intorti sustollant vela rudentes.

Attius Phœniss. apud Nonium: *Abtórque proram, ac supa tortas copulas*. id est, funes nauticos abrumpe. Videtur verò mihi Æneas explicare verba Mercurij. Præceperat hic *rumpe moras*. Subiicit dux, *iubet Deus fugam festinare, funes incidere*. Essent enim moræ, si solueret funes Æneas. Ergo, *rumpe moras*, id est, rumpe funes nauticos: quo verbo vsus in 3.

Sed fugite ô miseri, fugite, atque ab littore funem
Rumpite.

Inde statim,

———strictóque ferit retinacula ferro.

5. SEQVIMVR TE] Pia vox & digna principe. frustra enim aliquid facient, Deum nisi sequantur, &, vt ait Pindarus, εἰ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται. *Nisi Deus principibus gubernator fuerit*. Pulchrè admonet in Homerum Spondanus Il. 8. fictum à vate esse, vt Diomedes, quamuis fortissimus, ab acie fugeret, quòd illi Nestor dixisset, ἦ οὐ γινώσκεις ὅτι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή; *An non cognoscis quòd à Ioue non sequitur auxilium*? fictum hoc, inquam, ait, *Quia Deo repugnare nemini vnquam tutum*. ex hac religione dictum apud Xenophontem παιδ. ζ. βροντὴ δεξιὰ ἐφθέγξατο, ὁ δ' εἶπεν, ἑψόμεθά σοι ὦ Ζεῦ μέγιστε, καὶ ὡρμᾶτο: *Dextrum intonuit. & ille, sequemur te Iuppiter Max. ac statim iuit concitus*. Xenoph. locum ad Virg. adiunxit Germ. Principes se qui debent ducem Deū.

6. SANCTE DEORVM] Genus loquendi Græcum, quale illud apud Homerum, δῖα θεάων, quod imitatus Hellenismus.

D est Ennius hoc versu.

Respondit Iuno Saturnia sancta Dearum.

Cæterùm Deos in precationibus sanctos appellari consueuisse Briss. notat lib. 1. for. aduocátque & hunc Maronis versum, Liuium, Tullium, alios.

7. QVISQVIS ES] Huic similis est ea formula *siue Deus, siue Dea*. vtriusque meminit Briss. lib. 1. Form. dicítque religionem in vtraque seruatam à veteribus. verebantur enim ne alium pro alio Deum nominando falsa religione populum alligarent, quod Agellius tradit lib. 2. c. 28. Placent hæc præ Seruianis, in quibus videas alludi ad Mercurium cælestem, terrenum, inferum. Hîc enim non dubium quin ea forma è cælis esset. ergo *quisquis es*, quia nescit verè, quis ille fuerit, qui apparuit: tantùm se formam similem Mercurio

E vidisse narrauit hoc & idem Seru. agnoscit.

8. ADSIS Ô] Hinc Statius. 1. Theb.

Adsis ô memor hospitij, Iunoniáque arma
Dexter ames.

9. PLACIDVSQVE IVVES] Affinis illa Scipionis ituri per maria precatio ad Neptunum, apud Silium lib. 15.

Emicat, ac prima stans Scipio puppe, profatur,
Diue tridente potens, cuius maria ire per alta
Ordimur, si iusta paro, decurrere classi,

Da

Da pater, & nostros ne sperne iuuare labores,
Per pontum pia bella vebo.

10. DEXTRA FERAS] Fausta, in 8.

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

11. ERIPIT ENSEM] Expendi hîc duplicem circumstantiam celeritatis: ab ense, qui non eductus, sed ereptus: à funibus, qui non soluti, sed incisi. Hæc vtraque celeritas à duplici historico repræsentata est: gladij, à Tacit. 1. Ann. apud quem Germanicus, *clamitans ferrum à latere diripuit, elatúmque deferebat in pectus, ni proximi prehensam dextram vi attinuissent.* funis, à Liuio lib. 28. *Trahunt scalas, orasque, & anchoras, ne in molientibus mora esset, præcidunt.* vbi *oras* nonnulli capiunt pro funibus nauticis. tu adi Lil. de Nauig. cap. 15. sententiam suam Poëta per imitationem ab Homero hausit, apud quem dux ipse Vlysses Odyss. 10.

Oræ, pro funibus.

Τόφρα δ' ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,
Τῷ ἀπὸ πείσματ' ἔκοψα νεὸς κυανοπρώροιο:

Interea ego gladium acutum extraxi à femore,
Eo funes abscidi nauis nigra prora.

Ab eodem suam Apollon. lib. 4. Arg.

—ὁ δὲ ξίφος ἐκ κολεοῖο
Σπασσάμενος πρυμναῖα νεὼς ἀπὸ πείσματ' ἔκοψεν:

—ipse verò ensem è vagina
Extrahens nauticos nauis funes dissecuit.

Porro retinaculum pro fune nautico Liuius quoque dixit: *Pluribus retinaculis validis parte superiore ripæ religatum.* vt verò hîc *ensem fulmineum*, sic in 9.

Retinaculũ de fune nautico.
Fulmineus ensis cur.

———ac rotat ensem
Fulmineum.

explico rapidum, præcipitem, vel candentem, fulgentémque: gladius enim strictus, dici solet splendescere. Nisi velis referre, quod non abhorrens, ad vstionem: Chalybs enim adurit. sic certè dentes aprorum fulminei dicuntur, quòd exurant, quod Xenophon ἐν κυν. scripsit, & Pollux lib. 5. Onomast. inde Ouid.

Fulmen ab ore venit, frondésque afflatibus ardent.

A 12. RETINACVLA] Suprà vocauit *funes*. vocantur etiam *oræ*. Itaque *oram soluere* est funem soluere. Qua voce vsus Quintilianus in epistola, quam ipse operi suo præfigit: *Sed si tantopere efflagitantur, quàm tu affirmas, permittamus vela ventis, & oram soluentibus bene precemur.* Vsus etiam ante illum Liuius, quod iam alij obseruarunt.

Oram soluere, quid.

13. RAPIVNTQVE, RVVNTQVE] Tale illud. 9. Æn.

Immanem Teucri molem voluúntque ruúntque.

& illud Isocratis ad Philipp. ἄγονται δὲ, καὶ φέρονται τῆς νυκτὸς, καὶ τῆς ἡμέρας: *aguntur feruntúrque nocte & die.* Præcipitantiam hanc soluendi ita repræsentat Xenoph. lib. 1. Ἑλλ. τάς τε ἀγκύρας ἀπέκοπτον, καὶ ἐγειρόμενοι, ἐβοήθουν τεταραγμένοι.

B 14. LATET SVB CLASSIBVS ÆQVOR] Est hoc, quod Sidonius Paneg. ad Maiorian. de classe Cleopatræ: *Actiacas abscondit aquas.* Pari verbo Lucanus lib. 3. *Absconditque fretum classis.* Manilius libro 3. Astron.

Latet æquor classibus.

—& pontum sub classe latentem.

Seneca Agamem.

Splendétque classe pelagus, & pariter latet.

Orosius lib. 2. cap. 10. loquens de clade Xerxis victi: *exiguo contemptum latere nauigio, sub quo ipsum pelagus antè latuisset.* Omnes istæ locutiones signant nauium multitudinem. Demosthenes in Chersoneso verbo implendi extulit ἐμπλήσετε τὴν θάλατταν. vt & Æschylus in Pers. θάλασσαν ναυαγίων πλήθουσαν. Nautico itaque verbo dixit Sen. ep. 16. *Terram marmoribus abscondas.*

C 15. ADNIXI TORQVENT SPVMAS] Nam ita remus agitur, vt videantur fluctus torqueri. Sophocles in Aiace dixit ita, ἑλίσσων πλάταν: *torquens remum.* voces in Nostro signatæ sunt ad exprimendum conatum nautarum, *adnixi*, & *torquent.* Accedit copia spondæorum. Rem similem iam credo in 3. Æn. illustraui.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
[b] Regina è speculis vt primùm albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis:
[c] Littoráque, & vacuos sensit sine remige portus.
[d] Térque quatérque manu pectus percussa decorum,
Flauentésque abscissa comas: pro Iuppiter ibit
Hic, ait, ET NOSTRIS illuserit aduena regnis?
[e] Non arma expedient, totáque ex vrbe sequentur?
Diripiéntque rates alij naualibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
[f] Quid loquor? aut vbi sum? quæ mentem insania mutat?
[g] Infelix Dido nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cùm sceptra dabas: EN DEXTRA fidésque,
QVEM secum patrios aiunt portare Penates:
QVEM subiisse humeris confectum ætate parentem.
[h] Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere? non socios? non ipsum absumere ferro
Ascanium? patriísque epulandum apponere mensis?
[i] Verùm ANCEPS pugnæ fuerat fortuna: fuisset:
QVEM metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessémq; foros flammis: natumq; patrémque
Cum genere exstinxem: memet super ipsa dedissem.

ARGV

ARGVMENTVM.

Videt Elissa nauigantes, & acerbissimo dolore occupata pectus ferit, diuellit comas, in querelas indignabunda erumpit, quibus variè fertur, refertur, iam Æneæ, iam sibi irata.

EXPLICATIO.

a PRima *Aurora* est initium Auroræ nascentis. *Nouo lumine* capias vel vulgariter, vel ex opinione illorum, qui putabant, Solem quotidie perire, quotidie reuiuiscere. *Croceum cubile* interpretor splendidum, illustre. Tithoni fabula obuia est.

b *E speculis*, vt verè aut amans, aut irata. *lucem albescere*, quia hic color in prima Aurora, & nouo lumine, *æquatis velis* aut feliciter plenis, aut (in quod inclino) paribus omnium nauium velis. Sed hoc postea. *procedere*, verbum dignitatis, ita astra, Dij.

c Vtque sensit littora vacua, & portus vacuos sine remige. Libenter retulerim hæc ad sensum aurium. Incepit enim dolor à sensu oculorum, quibus vidit abeuntes Troianos, recruduit ab altero aurium, quæ carebant noto & grato nautarum strepitu.

d Ad hoc spectaculum sequuntur doloris notæ duæ, percussio crebra pectoris, & comarum reuulsio. Has notas sequitur oratio omni interpretatione superior; plena contumeliarũ in Æneam, querelarum, amentiæ, furoris, indignationis. A qua quidem interpreti abstinendum esset, ne supinè maculet, quæ tam laboriosè excogitata sunt à Poëta: sed lege officij cogimur. Ergo abruptè incipit, concitatè, truculenter, sæuè. Iouem an aduocet? an obtestetur? an exclamet? an increpet? nescias. ita multa latent sensa animi. Ideo verò ad illum sermonem dirigit eunte infido hospite, ad quem direxerat eodem veniente; direxerat enim in. 1.

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

verba reliqua plena sunt ἐμφάσεων. *Hic*, vilissimus ridiculúsque impostor. *aduena* cum contemptu, vnde recrudescit indignatio acceptæ iniuriæ. Tale illud. 7. Æn.

Exulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris.

& est quasi antithetum *aduena nostris regnis*, nam peregrinus & Rex prope contraria sunt.

e Qui expedient? qui sequentur? Nemo hîc agit signatè, omnia scilicet furore perturbante. tantùm vltioni intenta fœmina, qui vlcisci debeant non nominat. diripere rates ex naualibus, est, deducere ex naualibus armatas naues ad insequendum hostem, sed non finit furor rem dicere solito verbo, sed raptim omnia. Vix animo cogitauerat vltionem, cùm statim vult rem sequi. Aderat nemo, & tanquam cum præsentibus loquitur, sensum omnem abripiente dolore. Troiani velis remísque nauigabant: sic Dido vela vult dari, remos impelli, vt occupetur nauigantium auxilium. Deinde, est aliud quod obserues. illi procedunt velis æquatis; vide lentitiem: illa à citis vela vult dari; vide festinationem. illi adnixi torquent spumas; vide difficultatem: illa vult remos impelli; vide expeditionem. vt videlicet celeritas Afrorum in persequendo suppleat, quicquid in nauigando transmissum à Troianis. ita verò versus festinus est, vt etiam impeditus quodam modo, ad signandam turbationem Reginæ, sese præ iracundia impedientis.

f Redit ad se ex tam præcipiti amentia. Nescit quid loquatur, vbi sit, quæ ista amentia.

g Aliqui codices hîc interrogant. Nihil necesse est. nam sententia est, ô Dido misera iam te fata pertra- A hunt ad exitium tuum. Debuisses fatis prouidere, cùm dabas sceptra. Sequitur, *en dextra fidésque*, &c. oratio tota ironica, quasi nihil tale fecerit Æneas, non Deos secum Troia eduxerit, non patrem humeris.

h *Diuellere abreptum*, est, abripere, ac diuellere. Expende omnia, & videbis nihil potuisse dici truculentius, sæuius, ferocius. Indignata enim varias attingit cædes, quibus voluisset Æneam obruere, è veterum siue fabulis, siue historiis petitas. cùm optat corpus diuellere, & vndis spargere, ad Absyrtum respicit: cùm socios interfecisse, credo, ad fabulam sociorum Vlyssis, quam audierat ab ipso Ænea: cùm filium dedisse patri deuorandum, ad historiam Atrei & Thyestæ; vel ad Ityos fabulam. Ita singulari indignatione multorum pœnas vult in vnum caput B recidisse.

i Occurrit sibi προληπτικῶς, obiiciendo belli dubium exitum, *verùm anceps pugnæ fuerat fortuna*, & concedit obiectum *fuisset*. Nam si tandem moritura, quid metui? Quin ego ipsa nullo vsa milite faces tulissem, ego sola inuasissem castra. Quis hic furor, qui non sinit fœminam periculi magnitudinem expauescere? Naues incendissem, extinxissem natum Ascanium, patrem Æneam. & natum priusquam patrem, vt pater ipse cerneret oculis atrocem filij carnificinam: Sic totum genus aboleuissem, ac me tandem super ipsa dedissem. Etenim sicut suprà in aliorum interitu allusit ad fabulas, sic credibile in suo quoque ad fabulam Althææ allusum, quæ cùm incenso fatali torre C filium Meleagrum consumpsisset, in eundem rogum se præcipitem dedit pœnitens etiam si serò.

NOTÆ.

1. NOVO] Sunt qui hîc confugiant ad opinionem veterum, qui putabant Solem quotidie mori, quotidie nasci. Dicuntque hos quotidianos ortus per nouitatem explicari. Vt etiam à Tibullo lib. 4. (Sol nouus.)

Centum fecundos Titan renouauerit annos.

& à Nostro aliis locis, vbi nominat Solem nouum. Hoc veteres dicebant *recentari*. Agellius lib. 15. cap. 25. ita ait: *Cneus Matius vir eruditissimus, in Mimiambis suis non absurdè, neque absonè finxit, recentatur. pro eo* D *quod Græci dicunt* ἀνανεῦται. Deinde adhibet Matij versus: (Recentari, quid.)

Iam iam albicascit Phœbus, & recentatur
Commune lumen hominibus, voluptásque.

Sed quamuis opinio illa veterum multis in precio sit ad explicanda plurima Poëtarum loca, mihi tamen simpliciter multi illorum videntur capiendi, ita vt *Sol nouus*, nullus sit alius, quàm exoriens. Credamus autem Virgilium allusisse. 3. Geor. ad antiquum verbum *recentari*, cùm dixit, *Sole recens orto*. Et quidem Matium quoque simpliciter capio de exoriente Sole.

2. SPARGEBAT] Ita de luce Lucret. lib. 2.

Primum Aurora nouo cùm spargit lumine terras.

E Quem proculdubio Poëta reddit. Ita in. 12. dies ...
...rique (Animus naturæ igneæ.)

———*spargebat lumine montes.*

Boëtius lib. 2. de Phœbo, *lucem spargere cœ*... ...ec locutio,
Flacc. 6. Arg. in oratione ad hunc D... ...tamen igni con-
...ueniunt, igni dantur:

——*tua lumina toto*
... dixit, id est, accensas. Ac-

Sparge mari.

In his omnibus ab ...*m*, pro exstincto: eius enim ex-
turæ, sermo d... Meleagro,
tralatio... *m vitæ finem, ac fati internecionem fore*
...*leagro, cùm torris esset interfectus flammeus.*
...ic ferme Muretus lib. 7. Var. Lect. cap. 6.

 a Sol

Lucretius quoque lib. 2. *liquidi fons luminis.* Nazianzenus orat. 19. πηγαῖς φωτὸς, *fontibus lucis.* & orat. 40. φωτὸς ἀπόρροι, *luminis riuulus.* Philo lib. 1. de vita Mosis, flammam illam, qua arsit rubus, ait erupisse, καθάπερ ἀπό τινος πηγῆς ἀνομβρούσης, *tanquam ab scatente fonte.* Æschyl. in Pers. λευκαθεῖσα ἡλίου ἀκτῖνας.

3. REGINA E SPECVLIS] Morem amantium dissimulanter attingit. Solent hi, cùm discedunt quos amant, altiores & eminentiores partes conscendere, vt inde vel cedentes intueantur. Sic Catull. Argon. Ariadnam Reginam inducit in discessu Thesei, conscendentem præruptos montes,

Vnde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.

Hoc ipsum apud Ouid. eadem fatetur,

Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi.

Et superiùs dixerat:

Mons fuit, apparent frutices in vertice rari,
Nunc scopulus raucis pendet adesus aquis:
Ascendo, vires animus dabat, atque ita latè
Æquora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum crudeliter vsa)
Vidi præcipiti carbasa tensa noto.

Huc refer vigilias illas & crebras speculationes Heronis ex edito turris loco ad inspectandum Leandrum. Similiter & cùm amati redibant ex longinquo loco id ipsum ab amatoribus fiebat, sic Oenone redeuntem ex Græcia Paridem ex edito loco prospectat apud Ouid.

Aspicit immensum moles natiua profundum:
Mons fuit, æquoreis illa resistit aquis.
Hinc ego vela tuæ prospexi prima carinæ.

Ad Poëtæ versum allusit Ouid. 1. Rem.

Nec moriens Dido summa vidisset ab arce
Dardanias ventis vela dedisse rates.

Album cælum quando dicatur. 4. ALBESCERE] Cælum album, aut lux albescens, est, cùm iam prope fugatis astris lux diei in cælo apparet in aduentu Auroræ, sed ita tamen lux apparet, vt nondum oriens incanduerit, incalueritque roseo illo colore, qui præuius ante Solem. Inde est, vt Aurora *alba* vocetur Poëtis, & λευκόπεπλος, id est, *albis vestibus.* Eidem Theocritus in Hyla equos albos dat,

Auroræ equi albi.

Οὐδ' ὅκχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχῃ ἐς Διὸς ἀώς:

Neque quando Aurora equis albis recurrit in ædes Iouis.

Tibullus:

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Leucothea pro Aurora. Poëtæ passim Græci & Latini pro Aurora Leucotheam assumunt, id est, *albam Deam.* Ennius. 1. Ann.

Ex in candida se radijs dedit icta foras lux.

& lib. 6. *vt primum tenebris abiectis inalbebat dies.* Calaber lib. 1.

Ἠὼς μαρμαρέοισιν ἀγαλλομένη φρένας ἵπποις:

Aurora equis candidis animum oblectans. Eurip. in Iphig. λευκαίνει τόδε φῶς, ἤδη λάμπουσ' ἠώς: *Albescit autem lux, atque splendens Aurora.* Sed referendum fortasse generaliùs ad omnem lucem, quam albam vocant. sic Aristoteles passim, astra alba, lumen, & lucem, quod ex eo monuit Germ. & λευκόπωλος epithetum est Solis, diei, lucis, id est, *habens albos equos.* Æschyl. in Pers. λευκόπωλον ἡμέραν dixit, & λευκὸν ἦμαρ. Damasc. oratione de Transfig. ὡς φῶς λευκαίνεται ἱμάτια: *vestimenta vt lux albescunt.* Ita ego credo: nam & Mattius apud Agell. lib. 15. non de Aurora, sed de ipso Sole: *Iam iam albicascit Phœbus.* & Pacuuius in Chryse: *Solisq; exortu capessit candorem, occasu nigret.* Attius in Phœniss. de exortu Solis, qui post Auroram:

Lux alba.

Solis currus candidus.

Sol qui micantem candido curru, atque equis
Flammam citatis feruido ardore explicas.

Vetus Poëta apud Censorinum:

Ore beato lumine volitans qui per cælũ candidus equitas.

A Ita & Ennius:

Interea Sol albus recessit ad infera noctis.

5. ÆQVATIS CLASSEM PROCEDERE VELIS] Allusum ad νῆας ἐΐσας Homeri, *æquales naues,* quas Eustathius interpretatur, quòd æquè eant, & æquis lateribus. Ita, iunctæ frõtes, & æquata rostra in 5. vbi nõ dubiũ, quin intelligãtur naues ipsæ pares & iunctæ inter se. Sic etiam æquata vela accipienda sunt. Astruo hoc, quia contra Turnebum. Ait in 5. de nauibus: Æquata vela, quæ sint.

—nunc vnà ambæ, iunctisque feruntur
Frontibus. Ait ibidem:
—post hos æquo discrimine Pistris
Centaurúsque locum tendunt superare priorem.

Ait rursum,

Et fors æquatis cepissent præmia rostris.

B Non abludunt quæpiam alia, quæ habentur in eo libro. Ex quibus, & ex his, quæ iam attuli, fit liquidum, *æquata vela* in hoc libro, accipienda, vt dixi, & præsertim ex Homero. Aliqui tamen, in his Turnebus lib. 25. c. 21. (quos visum non sequi) intelligunt *æquata vela,* cùm aura in vtramque veli partem æquata & secunda incidit, non quæ in dexteram tantùm partem, vel sinistram afflat: æquatas auras, siue æquata vela Catull. intelligit epigramm. 4. cùm scribit,

—siue vtrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

id est, si secundus ventus solum veli sinum impleret, neque dextra tantùm aut sinistra afflaret. Aura enim quæ in vtrumque pedem incidit, siue vtranque partem veli, obliquæ & transuersæ opponitur.

C 6. PECTVS PERCVSSA] Regina Hecuba apud Eurip. in Troad. Percussio pectoris, doloris nota.

—τὰ δέ σοι δίδομεν
Πλήγματα κρατὸς, στέρνων τε κτύπους:
—*Hos tibi damus*
Ictus capitis, & pectorum planctus.

Eandem hortatur chorus, vt idem faciat,

Ἄρασσ', ἄρασσε χερὶ κάρα, πιτύλους δίδους χερός:
Percute, percute manu caput, ictus impingens manu.

Et in Phœniss. chorus quoque præsentes admonet, vt admoueant, ἐπὶ κρᾶτα κτύπους, ictus in caput. Sophocles in Aiace de re simili χερόπληκτοι δ' ἐν στέρνοις: *percussi in pectoribus.* Hanc notam doloris Liuius dat lib. 25. Romanis militibus, vbi in Hispania cæso vtroque Scipione viderunt se ad bellum duci à nouo duce L.

D Martio. *Cæterùm postquam signum pugnæ propositum ab nouo duce milites viderunt: recordati quos paulo antè imperatores habuissent, quibúsque & ducibus & copijs freti prodire ad pugnam soliti essent, flere omnes repentè, & offensare capita.* Et T. Ampio Flauiano Tacitus lib. 3. Hist. *Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerunq; stratus lacera veste, pectus atq; ora singultu quatiẽs.*

7. FLAVENTES] De eadem inferiùs:

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem.

Frequentissimum hoc epithetum poëtis ad explicandam comarũ pulchritudinem. Horat. 1. Carm. Od. 5. Flauor comarum.

Cui flauam religas comam.

& de Lucretia Ouid. 2. Fast.

Forma placet, niueúsque color, flauíque capilli.

Inest enim in flauore quædam rutilitas instar auri.

E Vsurparunt hoc priùs Græci. Homerus enim Menelaon, ξανθὸν appellat, *flauum.* Notant verò interpretes, dictum id esse ab Homero, ἀντὶ τοῦ καλοῦ. quòd esset pulcher & formosus. Quod Virgilius, & alij *comas flauas,* Catullus in Nuptiis Pelei eleganter; *flauo vertice.*

8. ABSCISSA COMAS] Supplices apud Eurip. sub persona Chori, Comarum scissio in dolo[re].

—κατὰ μὲν ὄνυξιν
Ἠλοκισμεθα:
—*vnguibus quidem*

Dila

Dilaniata sumus.

Hecuba apud Homerum in magno dolore τίλλε κόμην, *vulsit comam.* Sophocles in Aiace post adductum locum de percussione pectoris, ita subiicit, καὶ πολιᾶς ἀμύγματα χαίτας: *& cana fragmenta comæ.* Apul. 2. As. *Occurrit ad latus quidam mœstus lacrymis, genialem caniciem reuellens senex, & manibus ambabus inuadens torum, voce contenta quidem, sed assiduis singultibus impedita.* Theseus apud Sen. in Hippol.

—capitis exsuuias cape,
Laceraq; frontis accipe abscissam comam.

Vetus Poëta apud Cic. 3. Tusc. *Scindens dolore identidem intonsam comam.* Mater quoque Euryali, *scissa comam.*

9. Pro Ivppiter ibit, &c.] Ad has furias, & iras Didonis, allusum à Petronio.

Quis, furor, exclamat, pacem conuertit in arma?
Quid nostra meruere manus? non Troius hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridæ:
Nec Medea furens fraterno sanguine pugnat:
Sed contemptus amor vires habet.

Coniũctiones tardant orationem. 10. Ferte citi flammas, &c.] Demit coniunctiones ad properantiam. Obseruat enim Vlpianus in 1. Olynth. Demosthenem, vt notaret tardos progressus Philippi, fecisse tardam orationem particulis. Verba Demosthenis sunt: *Primùm Amphipoli capta, postea Pydna, mox Potidæa, denique Methone, postremò Thessaliam inuasit.* Debuisset (inquit Vlpian.) si eius potentiam voluisset exaggerare, sic dicere: *Amphipolim, Pydnam, Potidæam, Methonem, Illyrios, Thraciam cepit.* Virgiliano versui in præcipitantia, similis iste Aristophanicus in Pluto,

ἴτ', ἐγκονεῖτε, σπεύδεθ', ὡς ὁ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν.
Ite, properate, currite, non hic vllus morandi locus.

Aliqua festinantia Propertius lib. 3. eleg. 4.

Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ.

11. Qvid loqvor, &c.] Adumbratur forsan Eurip. in Hipp. vbi Phædra, insana priùs priuigni amore, mox resipiscens ait,

Δύστανος ἐγώ, τί ποτ' εἰργασάμην;
Ποῖ παρεπλάγχθην γνώμας ἀγαθᾶς;
Ἐμάνην, ἔπεσον δαίμονος ἄτᾳ.
Φεῦ, φεῦ τλήμων.
Μαῖα πάλιν μου κρύψον κεφαλάν,
Αἰδούμεθα γὰρ τὰ λελεγμένα μοι:
Infelix ego, quidnam egi?
Quò aberraui à mente bona?
Insaniui, corrui dæmonis ira.
Heu, heu infelix.
Nutrix mecum obtege caput,
Pudent enim quæ dixi.

Impetus verò carminis non abit à furore, quo idem Eurip. in Alcest. dixit. Ποῖ βῶ; ποῖ στῶ; τί λέγω; τί δὲ μή; *Quò eam? vbi stem? quid dicam? quid non dicam?* iterum: τίν' ἂν προσείποιμι; τοῦ δὲ προσρηθεὶς ὕπο: *Quem alloquar? quis me alloquetur?*

12. Nvnc te fata impia tangvnt] Dixi demendam hinc interrogationem, ita est. Hoc enim efficit Sophoclis imitatio hæc in Electr.

Ὦ πόλις, ὦ γενεὰ
Τάλαινα, νῦν σε
Μοῖρα καθημερία
Φθίνει, φθίνει:
O ciuitas, ô genus
Miseram, nunc te
Fatum quotidianum
Trahit ad exitium.

13. Tvnc decvit, cvm, &c.] Ex hoc loco Claudianus. 2. in Eutrop.

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas, veteri post obruta morbo

A *Corpora, Pæonias nequicquam admoueris herbas.*

14. En dextra fidesqve] Iungit fidem cũ dextera, quia hanc sedem Fidei veteres existimarunt, sicut genua Misericordiæ. De hoc ego alibi. Dextra sedes Fidei.

15. Aivnt] Non oblita est Dido sui decoris in medio irarum. nam cùm Æneam mendacij coarguat, contenta est verbo *aiunt*, neque dicit, mentitum illum fuisse, quod verbum longè esse debet à Regibus. Quam partem decoris non seruat Naso, nam sic apud illum apertè Dido:

—quid Dij meruère penates?
Ignibus ereptos obruet vnda Deos.
Sed neque fers tecum, nec quæ mihi perfide iactas,
Presserunt humeros sacra paterque tuos:
Omnia mentiris.

B Nec mihi quispiam Homerum obiiciat, qui magnis Heroibus hanc vocem tribuit, nam similiter dicam illum non seruasse personarum decus, & grauitatem. Homerus non seruat decorum.

16. Non potvi abreptvm, &c.] Latet fortasse in Poëta elegans Euripidis imitatio in Med. vides enim vt primùm Elissa ira æstuauit, deinde resipuit, *Quid loquor, aut vbi sum?* postea verò iterum iræ recrudescunt. Sic Medea primùm decernit liberos interficere; deinde vt cernit blanda puerorum ora, & risu placida, ad se redit, & impiam abiicit cogitationem: mox tamen resumuntur iræ, & omnino vult, vt extremam subeant necessitatem. Locus, quia longissimus, à me prætermittitur.

17. Fvisset] Non mouetur dubio belli exitu, & periculo. Non abhorrent, ex Nota Victorij, ab hac sententia verba Aristotelis. 2. Rhetor. οὐκ οἴονται γὰρ παθεῖν ἂν
C οἱ ἤδη πεπονθέναι νομίζοντες τὰ δεινά: *Non putant autem se aliquid mali accipere posse, qui existimant se iam perpessos grauia mala.*

18. Faces in castra tvlissem] Intelligit naualia, quæ tamen vocat castra. Lege quæ iam dedi lib. 3. ad illud: Castra de nauibus.

Dat clarum è puppi signum, nos castra mouemus.

19. Foros] Fori spacia sunt in nauibus apertiora. Alij interpretantur concaua nauium latera. Sic dicti à ferendo onere. Adi Lilium de Nauig. cap. 11. Cum toto hoc Virgilij loco habet similitudinem aliquam ille Apollonij lib. 4. Fori nauiũ.

———ἱετο δ' ἦγε
Νῆα καταφλέξασα, διὰ τ' ἔμπεδα πάντα κεάσαι,
D Ἐν δὲ πεσεῖν αὐτὴ μαλερῷ πυρί:
———*optabátque ipsa*
Nauem comburere, opésque cunctas cremare,
Incideréque ipsa voraci igne.

Ponit quippe æstum Medeæ ad abeuntem Iasonem. Abstineo sæpissime (hoc volo Lector sciat) ab Apollonio, offensus eius languore, inertia, tenuitate: est enim totus plebeius, vulgaris, iners.

20. Natvmqve patrem, &c.] Similem huic furorem Getæ dat Comicus Adelph.

—seni animam primùm
Exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum
Lacerarem modis, &c.

Sed cur & Comicus & Epicus verbum *exstinguo*
E transtulere ad animam? Credebant veteres plerique animum esse naturæ igneæ, inde nata hæc locutio, exstinxissem natum & patrem, quæ tamen igni conuenit. Similiter quæ animo conueniunt, igni dantur: sic Horatius, *lucernas viuas*, dixit, id est, accensas. Accius, *torrem interfectum*, pro exstincto: eius enim exstant hi versus Meleagro, Animus naturæ igneæ.

Tum suum vitæ finem, ac fati internecionem fore
Meleagro, cùm torris esset interfectus flammeus.

sic ferme Muretus lib. 7. Var. Lect. cap. 6.

[a] Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras:
Túque harum interpres curarum, & conscia Iuno:
Nocturnísque Hecate triuiis vlulata per vrbes:
Et Diræ vltrices, ET DII morientis Elissæ,
Accipite hæc, meritúmque malis aduertite Numen:
Et nostras audite preces: [b] si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est:
Et si FATA Iouis poscunt: hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret: videátque indigna suorum
Funera: nec, cùm se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, Regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediáque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos ô Tyrij stirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis: CINERIQVE hæc mittite nostro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera sunto.
EXORIARE aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios, ferróque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsíque nepotes.

ARGVMENTVM.

Eodem impetu orationis, conuersa priùs ad Numina, acerbissimas Diras Æneæ, eiúsque posteris imprecatur.

EXPLICATIO.

[a] VVlt Æneæ imprecari in extremo vitæ exitu, vt hosti acerbissimo. Præcedit imprecationes inuocatio Numinum, Solis, Iunonis, Hecates, Dirarum, Deorum qui mortem afferunt, vt illæ ratæ sint, firmæ, stabiles. Ideo ait, *aduertite, audite*. Peculiaria in Notis.

[b] Sequuntur imprecationes multæ. Et quia rem potissimè reseruo ad Notas, hîc tantùm paraphrasin dabo. Si necesse est fatorum lege, vt debeat ad Italiam peruenire, ibi bello affligatur, patiatur exilium, auellatur ab complexu Iuli, imploret aliorum opem, videat indignam suorum cædem. (explico. Nihil illi mereantur, & tamen cadant, vt ille dolorem hauriat.) Si quando contingat pacem cum hostibus inire, subeat pacem iniquam, factam non suo, sed hostis commodo; non fruatur regno, non vita: mors illi contingat ante fatalem diem, ac tum nullus sit honor tumulo, iaceátque in arena inhumatus, quo sit infelice vita exitus infelicior. Hæc ego imprecor, ita animam fundo, obsignans hasce imprecationes morte mea. Vos verò ô Tyrij mei exercete pertinacissimè odia in hanc gentem, in omnes posteros. Vt verò alij ad tumulum, serta, vnguenta, & flores afferunt; existimate nihil fore gratius meo cineri his odiis. Nullus sit amor vtrique populo, nulla fœdera: vtinam, ex meis ossibus oriatur aliquis, qui Troianos ferro ignique persequatur, ídque contingat nulla temporis intermissione. Sint nostra littora contraria illorum littoribus, illorum vndæ nostris fluctibus, arma ar-
A mis. Discordiæ istæ durent in omnem posteritatem. Nihil hîc volui expendere, quia vt plurimùm, in hoc tractu cum expensione imitatio coniuncta.

NOTÆ.

1. SOL QVI TERRARVM, &c.] Credibile est, contendisse Virgilium ad exemplum Soph. in Aiace: vbi Aiax ipse iã moriturus, Atridísque imprecatus, ad solem dirigit sermonem, hunc in modum,

Σὺ δ᾽ ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν
Ἥλιε, πατρῴαν τὴν ἐμὴν ὅταν χθόνα
Ἴδῃς ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν,
Ἄγγειλον ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ᾽ ἐμὸν
Γέροντι πατρὶ, τῇ τε δυστήνῳ τροφῷ:
B *At tu per altum qui regis currum æthera*
Aurate Sol, patriam vbi conspicies
Meam, aurea paulisper lora reprime,
Equorúmque habenas, & hoc denuntia
Triste fatum, hásque crudeles miserias,
Senique patri, nutricíque miserrimæ.

Ex hac imitatione apparet, eo consilio aduocatum Solem ab Elissa ante diras, vt hæ quocunque terrarum perueniant, Sole ipso, qui videt, nuntium perferente. Nam aliter, quî ad diras Sol inuocetur? Hic animus est Poetæ. verba verò, & sententia inniti videntur imitatione Ennij, cuius versus in Med. hi leguntur:

Iuppiter, túque adeo summe Sol,
Qui res omnes inspicis,
Quíque tuo lumine,
C *Mare, terram, ac cælum*
Contueris: hoc facinus dispice,
Priusquam fit, prohibe scelus.

Non abeunt illa Proculi:

Κλῦθι πυρὸς νοεροῦ βασιλεῦ χρυσήνιε Τιτάν,
Κλῦθι φάους ταμία:

Audi

Audi flammarum Titan Rex, qui aurea equorum
Lora tenes, lucis quæstor.

In his notabis Soli dari oculos: Nam Sophoc. εἶδης. Enn. *Inspicis, contueris.* Hoc alij dixerunt. Theodectes apud Stob. Serm. 8.

Soli dantur oculi.

Ὦ καλλιφεγγῆ λαμπάδ' εἱλίσσων φλογὸς
Ἥλιε, ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας,
Εἶδες;
O qui pulchrè splendentem lampada versans flammeam
Sol, omnibus mortalibus sidus optatum,
Vidisti? &c.

Notus Homeri versus,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις·
Sol, qui omnia cernis, omnia audis.

Sophocl. in Colon. ὁ πάντα λεύσσων ἥλιος: *Sol omnia videns.* Ab Hesiodo Sol dicitur esse Iouis oculus. & Pisidas illum dixit esse,
Τὸ κοινὸν ὄμμα, τὴν πανοπτρίαν κόρην·
Communem oculum, peruidentem omnia.

vocem κόρην ad pupillam oculorum refer. Pindarus Od. 9. Pyth. multa ad hanc rem Chironis ore. Artemidorus lib. 2. cap. extremo, ad finem vocat hunc ἐπόπτην, καὶ φύλακα πάντων: *inspectorem, & custodem omnium.* Non alia mente dicitur à Philostrato in epistol. ξένος, *peregrinus.* Medea apud Senec. in Tragœd. sui nominis
Spectat hoc nostri sator
Sol generis.

Ergo in Virgilio verbum *lustras*, non vulgariter capias tantùm pro illustras, sed etiam, pro, cernis, vides. Hæc est Germani mens maximi interpretum: nam ad hunc locum adducit versum Homericum, quem iam dedi. & Græcis solem dici πανδερκῆ, *omnia intuentem.* & Lucret.
Sic vigiles mundi magnum & versatile templum
Sol & Luna suo lustratis lumine circum.

Ad hoc idem pertinent multa, quæ iam præmisi in hac Nota. tum Aristides, qui in elogio Romæ,
Πάντ' ἐφορῶν ἥλιος,
& in Monodia Smyrnæ, ὦ πάντ' ἐφορῶν ἥλιε. Æschylus in Prometh. τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου. Plinius lib. 2. c. 6. *omnia intuens, omnia etiam exaudiens.* Valerius Flac. 5. Arg. *omnituens.* Anastasius Sinaïta in Hexamero ait dictum Apollinem, quasi ἀπὸ ὅλων ἥλιον, quòd omnia obeat. Dixi initio huius Notæ, quæ esset mens Poëtæ. hîc addo posse esse aliam ex Sophocle, apud quem Aiax moriturus Solem alloquitur, non iterùm alloquuturus. Cur non huc trahi possit Dido Virgiliana? versus Sophoclei sunt,
Σὲ δ' ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας,
Καὶ τὸν διφρευτὴν ἥλιον προσεννέπω,
Πανύστατον δὴ κοὔποτ' αὖθις ὕστερον.
Te verò splendida diei præsens lux,
Et aurigatorem Solem nunc alloquor,
Extremum sanè, & nunquam posthac iterum.

2. FLAMMIS] Fortasse ex ea opinione, qua creditum veteribus nihil esse aliud solem, quàm facem in cælo, & propriam ignis materiam. Vetus poëta in tragœdia, cui nomen Teuthras: *Flammeam per æthram altè feruidam ferri facem.* Ennius in Medea: *Sol qui candentem cœlo sublimat facem* Eurip. Phœniss.

Flammæ, & fax cur de Sole.

Ἥλιε θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα·
O Sol circumrotans ignem equis velocibus.

3. TVQVE HARVM INTERPRES] Iuno vna est Deorum γαμηλίων, *nuptialium*, ideo conscia, sed quare interpres? quia videlicet Iuppiter ira res in vniuersum administrabat, vt rei cuilibet peculiaria Numina destinasset. oracula Apollini mandauerat, ideo ille interpres voluntatis Iouis: Inde illud,
Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo.

Iuno cur dicta interpres.

A sic ergo, quæ ad nuptias pertinebant mandata, γαμηλίοις, ac perinde etiam Iunoni. Sic ego hunc locum explicuerim, nisi quid altiùs lateat.

4. NOCTVRNISQVE HECATE, &c.] Ideo Hecate ad sequentes Diras inuocatur; quia Dij inferorum putabantur esse præsides vltionum, & torquendorum hominum. Alij rationes alias adhibent. Hæc autem Dea nocturnis sacris colebatur ex religione, sicuti alij Dij Inferi. veneficæ illi operari solebant in triuiis. ideo ea Τελοδῖτις, à Græcis dicta; à Latinis *Triuia.* Cum vlulatu autem veneficæ sacra faciebāt. Horat. lib. 1. Satyr. 8. *Cum Sagana maiore vlulantem.* Apul. lib. 11. As. *Seu nocturnis vlulatibus horrenda Proserpina.* nam videlicet Hecate Proserpina censebatur. sic explicat hunc locum Turn. *vlulata* hîc est, cui vlulatur.

Vlulatus in sacris Magarum.

B Cogimur autem fateri, triuia hîc accipi, pro iis, quæ sunt in vrbe, non quæ extra. ne secum Poëta pugnet: de iisdem, vt autumō, capiendus Catull.

Triuium etiā in vrbe.

Omnibus in triuijs vulgetur fabula passim.
dicit enim fabulam vulgandam plebeculæ circumforaneæ. Vt dixi, medebimur meliùs Poëtæ, quàm si sequamur Seru. explicantem: *Nocturnis. Non triuijs, sed per nocturnum tempus.* Alius capiet, ego enim non capio.

5. ET DIRÆ VLTRICES] Inuocat Furias, vt vlciscantur tantum facinus. Inde signatum epithetum.

6. ET DII MORIENTIS ELISSÆ] Intelligit θεοὺς ἀναιρετικούς, qui mortem inferunt.

7. ADVERTITE NVMEN] Non dubitaui legere *aduertite*, etiamsi multi, *auertite.* Primùm, nam Pierius C ait, in exemplaribus longè pluribus & probatioribus legi *aduertite.* Deinde, quia, vt ait Nasc. sic rectiùs procedit sententia: nam quæ Troianis imprecatur mala, videtur velle Dido rata fieri à Diis, atque ineuitabilia. Ergo, aduertite Numen vestrum malis & perfidis Troianis, *meritum*, quod ipsi merentur, sic autem dictum *aduertere Numen malis*, vt in 6. *pedémque aduertere ripæ.* Tertiò denique hoc videtur efficere imitatio Ouidij, qui inducens Altheam in Met. Furias in nati exitium vocantem, ait:
Pœnarúmque Deæ triplices furialibus, inquit,
Eumenides sacris vultus aduertite vestros.

8. SI TANGERE PORTVS, &c.] Hinc Diræ incipiunt, & sæuissimæ imprecationes, si disponentibus D fatis, & Iouis voluntate, necessarium est, vt Æneas tandem ad Italiam perueniat, neque vndis, quod ego mallem, mergatur, ita illi aduersa omnia accidant, vt, &c. Abstinet præ odio ab Æneæ nomine, & periphrasticè *caput infandum* vocat, quod hîc, *necesse est adnare terris*, Hom. μοῖρα ἱκέσθαι; *fatum est peruenire.* Placet in hoc initio adiungere ad Virgilium Poëtas alios Græcos, & Latinos, quod faciunt alij. Sed nostra opera alia longè ab illorum erit. Comparabo enim in fine omnia omnium loca cum vno Virgilio, vt inde teneas poëticam præceptionem. videbísque vnum omnium munia expleuisse. Adeò hic vates supra omnes. An scilicet aliquid vtilius locorum inter se comparatione? sic nimirum insident in animis nostris simulacra quædam Græcæ & Latinæ eloquentiæ. Euri-E rip. in Troad.

Imprecationes.

—μηδὲ γαῖαν
Ποτ' ἔλθοι Λάκαιναν,
Πατρῷόν τε θάλαμον ἑστίας·
Μηδὲ πόλιν Πιτάνας
Χαλκόπυλόν τε θεᾶς·
—neque ad terram
Vnquam veniat Spartanam,
Patriúmque thalamum laris,
Neque ad ciuitatem Pitanæ,

Et areas portas Dea.

Vt hoc exemplum imiteris, propone tibi ante oculos, quæ chara sunt illi, cui imprecaris, vt illis priuetur. Idem affectus lucet apud Sophocl. in Electra.

Οἷς ὁ μέγας θεὸς Ὀλύμπιος
Ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι.
Μηδέποτ᾽ ἀγλαΐας ἀποναίατο,
Τοιάδ᾽ ἀνύσαντες ἔργα:

Quibus magnus Deus Olympius
Pœnas instigat meritas pati.
Ne aliquando perfruantur gloria,
Hæc qui fecerunt.

Ab eodem Sophocle in Aiace imitabere modum imprecandi, nimirum impetum furorémque: ait enim post aliqua, quæ prætermitto:

Ἴτ᾽ ὦ ταχεῖαι ποίνιμοί τ᾽ Ἐρινύες,
Γεύεσθε, μὴ φείδεσθε πανδήμου στρατοῦ:

Ite ô celeres vindices furiæ,
Gustate, nemini parcite totius exercitus.

Iaciuntur hæc contra Atridas. Ab eodem in Oedip. Tyr. disces, κάθαρμα facere & piacularem hominem, quem deuoues.

Μήτ᾽ εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινά,
Μήτ᾽ ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.
Ὠθεῖν δ᾽ ἀπ᾽ οἴκων πάντας, ὡς μιάσματος
Τοῦδ᾽ ἡμῖν ὄντος:

Iube nemo illum tecto excipiat, nemo alloquatur,
Ne Deorum sacra, ne litationes
Participet, ne lustralibus purgetur.
Omnes illum à vestris ædibus propellere,
Et euitare instar piaculi.

Ab ipsissimo disces quoque tuas calamitates calamitosissimus ipse in alios coniicere. Nam in Oedip. Colon. Oedipus ipse, mortalium omnium infortunatissimus, sic aduersus Creontem:

——μὴ γὰρ αἵδε δαίμονες
Θεῖέν μ᾽ ἄφωνον τῆσδε γῆς ἀρᾶς ἔτι·
Ὅς γ᾽ ἄρ σε κ᾽ αὐτὸν, καὶ γένος τὸ σὸν, θεῶν
Ὁ πάντα λεύσσων Ἥλιος, δοίη βίον
Τοιοῦτον οἷον κἀμὲ γηρᾶναί ποτε:

——neque me soli huius Numina
Mutum reddent, quominus in te Diras comprecer,
Ideo te & genus tuum, Deorum
Qui solus cuncta cernit Sol, talem vitam tribuat
Qualem me tandem contigit habere in senio.

Eodem affectu prolatæ sunt Diræ à Cambyse moriẽte, apud Herodotum lib. 3. vbi postquam precatus est multa bona, facientibus quæ ipse dixisset; contrà, multa imprecatus mala non facientibus, sic demum concludit, insistens Diris, καὶ προσέτι τούτοισι τὸ τέλος Περσέων ἑκάστῳ ἐπιγενέσθαι, οἷον ἐμοὶ ἐπιγέγονε: *Et præterea vnicuique Persarum eum finem, qualis mihi contigit.* Nimirum infelicem, & miserandum. Homericæ Diræ Il. 9. plenæ sunt horroris, formidinis, sæuitiæ. Sic enim loquitur Phœnix.

——πατὴρ δ᾽ ἐμὸς αὐτίκ᾽ ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ᾽ ἐπεκέκλετ᾽ Ἐρινῦς,
Μήποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα, θεοὶ δ᾽ ἐτέλειον ἐπαράς,
Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια:

—pater autem meus statim suspicatus,
Multa imprecatus est. odiosas verò inuocabat Furias,
Ne vnquam genibus meis imponerem dilectum filium
Ex me genitum. Dij autem perfecerunt imprecationes,
Iuppitérque Infernus, & dura Proserpina.

Sed quæ Odyss. 9. continentur ore Polyphemi aduersum Vlyssem, signatissimæ sunt ad mentem Virgilij.

A Κλῦθι Ποσείδαον γαιήοχε κυανοχαῖτα,
Εἰ ἐτεόν γε σός εἰμι, πατὴρ δ᾽ ἐμὸς αὔχεαι εἶναι.
Δὸς μὴ Ὀδυσσῆα πτολιπόρθιον οἴκαδ᾽ ἱκέσθαι
Υἱὸν Λαέρτεω, Ἰθάκῃ ἔνι οἰκί᾽ ἔχοντα.
Ἀλλ᾽ εἴ οἱ μοῖρ᾽ ἐστὶ φίλους τ᾽ ἰδέειν, καὶ ἱκέσθαι
Οἶκον ἐϋκτίμενον, καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
Ὀψὲ κακῶς ἔλθοι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους,
Νηὸς ἐπ᾽ ἀλλοτρίης, εὕροι δ᾽ ἐν πήματα οἴκῳ:

Audi Neptune terram continens, nigra cæsarie,
Si tuus sum, pater autem meus gloriaris esse,
Da vt non Vlysses vrbium euersor in patriam veniat,
Filius Laertæ in Ithaca domum habens,
At si illi fatale est amicósque videre, & peruenire
Domum ad bene ædificatam, & suam in patriam terram,
B *Serò malè veniat, postquam perdiderit omnes socios*
Naue in aliena, inueniat detrimentum domi.

Confer nũc cum his omnibus Virgilium, & inuenies sic illum omnibus institisse, vt omnes longè superauerit. Imprecanda ex præcepto Eurip. quæ carissima alicui sunt; ergo *auellatur Iüli complexu, videat indigna suorum funera, cadat ante diem.* Necessarius furor ad Diras, atqui tota oratio Didonis ita furore insanit, vt nihil aut furiosius, aut insanius. Piacularis esse debet, quem deuoues, audi, *vexetur ab omnibus, extorris sit, imploret auxilium, & iuuet nemo; nunquam regno fruatur, nunquam optata luce; nullum cum eo fœdus, nullus amor, omnes in illum odia exercete.* An tu reperies hominem hoc magis exsecrabilem? Iam si imprecans suas C calamitates, in alium coniicit, non defuit sibi Poëta, nam, *cadat ante diem, vt ego cado; mittite hæc munera nostro cineri: vt ille mecum nullum amorem, nullum fœdus, aut fidem seruauit; sic cum illo nemo.* Si Homerica horrorem incutiunt, quanto hæc magis? *Inhumatus iaceat, exoriatur vltor sæuissimus ex meis ossibus, qui ferro & igne vastet illius posteros: imprecor littora contraria littoribus, vndas vndis, fluctus fluctibus, arma armis: pugnent inter se nepotes.* Huc conferri reliqua poterant, omnia enim horribilia. Vltimo loco adduxi locum ex Odyss. quem præclarè expressit illis, *si necesse est, vt infandum caput terras attingat, si id fata poscunt, vt vexetur,* &c. Vides vt ex omnibus ita aliquid sumpserit, vt omnes superauerit. Talem te Poëtam volo. Sed cur non hîc aliquid ex Latinorum oraculis? Seneca in D Oedip.

Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exulem tellus ferat:
Thalamis pudendis doleat, & prole impia.
Hic & parentem dextera perimat sua, &c.

Ariadna apud Catull. sic loquitur cum furiis.

Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funestet séque suósque.

Stat. 1. Theb.

Dij sontes animas, angustáque Tartara pœnis
Qui regitis, túque vmbrifero Styx liuida fundo
Quam video, multúmque mihi consueta vocari
Annue Tisiphone, peruersáque vota secunda, &c.

Sunt enim longissima. Val. Flacc. 1. Arg.

E *—sacer effera raptet*
Corda pauor: nec sola mei grauia affore nati
Arma ratémque putet: classésque & pontica signa,
Atque indignatos temerato littore Reges
Mente agitet, &c.

tu reliqua. Hypsipyle apud Ouid.

Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque succuba nostri
Mœreat, & leges sentiat ipsa suas.
Vtq; ego destituor coniux, matérque duorum,
A totidem natis orba sit, atque viro.

Reliqua prolixa, & prolixiora, quæ idem in Ibin.

Horatio

Virgilius superat reliquos poëtas.

Horatio quoque suæ sunt Diræ. sed ego iam vela contraham. quæ dixi, quæque in hunc modum aliquando dicam, necessaria omnino, tum ad Poëtæ diligentiam commendandam, tum ad indicandam orationem veræ imitationis: quod genus præceptionis vtilissimum. An alienus ab hoc est labor Budæi in Comm. an aliorum doctorum, quorum magna seges erupit in hoc seculum? Hæc dixi ad excusationem longitudinis, qua scio me non egere apud eos, qui verè docti.

Dei voluntas. 9. Et si fata Iovis poscunt] Nam videlicet firmum esse debet & stabile quod Iuppiter semel destinauit. Homerus Iliad. 1.

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή:

Iouis autem perficiebatur voluntas.

Hesiod. in Erg.

Διὸς μεγάλοιο ἕκητι:

Iouis magni voluntate.

neque verò contrarium est, quod idem Poëta canit. 3. Æn.

—sic fata Deûm Rex

Sortitur, voluítque vices, is vertitur ordo.

conuersiones enim fatorum eò spectant, vt demum id adimpleatur, quod tandem prædefinitum.

10. Hic Terminus hæret] Id est, si immutabile hoc est, nec aliter potest euenire, vt agrorum terminos mouere & mutare non licet. est hæc amœna traductio, nam termini altè panguntur, & eos transilire & violare nefas est. placuit eadem traductio Lucret. lib. 6.

Altè terminus hærens.

& lib. 2.

Quandoquidem vita depactus terminus altè.

Termini religio apud veteres. Ab hac terminorum religione natum, vt Numa eius boues sacros esse iusserit, qui terminum exarasset. Religionem Termini sumpsere à Græcis Romani. Apud Platonem enim lib. 8. Leg. ita leges: *Nemo fines atque terminos agri moueat, nec ciuis vicini, nec finitimi peregrini, si agri extrema possideat. Sed putet id esse verum, quod dici solet, hic immobilia mouet: malítque vnusquisq; saxum ingens mouere, quàm paruum lapidem iure iurando à Dijs firmatum, quo amicitiæ & inimicitiæ terminentur. Alterius enim Iuppiter* ὁμόφυλος, *alterius Iuppiter* ξένιος *testis est: qui hostili prœlio semper insurgunt.* Hîc tu obseruabis verba quibus eandem rem dicant auctores. quod enim Virgilio est *hærens terminus*, Lucretio fuit *depactus*, quod verbi in Liuio quoque reperies. Tibullo *fixus*. lib. 1.

—Non fixus in agris

Qui regeret certis finibus arua lapis.

Terminus coronabatur, vngebatúrque. Siculo Flacco *defixus*. sic enim de ritu figendi Terminos: *Fossis factis defixuri eos erant, vnguento, velaminibúsque, & coronis eos coronabant.* Ouid. *defossus*. 2. Fast.

Termine, siue lapis, siue es defossus in aruis

Stipes.

Poëta quispiam apud Aristidem in Paraphthegmate, ἀντιπέρβλητος φιλήπηγευτρος. Porro verba Siculi adducta illustrant Prudentiũ scribentem lib. 2. in Sym. de Termino,

—quem cingere sueuerat error

Fasciolis:

Ouidium sic scribentem:

Te duo diuersa domini de parte coronant,

Bináq; serta tibi, bináq; dona ferent.

Termini religio vnde. In exitu admoneo, allusum à Poëta non tantùm ad religionem in genere omnium terminorum, qui sancti habebantur; sed signatè ad Romanam historiam. Cùm L. Tarquinius Rex vellet templum ædificare ex voto Ioui, Iunoni, Mineruæ, essentque in eo spatio, quod destinatum est fabricæ, multæ Deorum aliorum aræ, quæ necessariò inde amouendæ, & transferendæ aliò, Dij reliqui cesserunt facilè: Terminus tantùm, & Iuuentus nullis augurum sacrificiis, aut precibus, aut vi cedere inde voluerunt, sed pertinaciter hæserunt in eodem loco. Quod pro bono omine captum à Romanis: significabatur enim, fore vt Romanæ vrbis termini nunquam mouerentur, neque eius gloria senio vllo absumeretur. Ita horum Deorum aræ eodem templi ambitu comprehensæ sunt. Rem hanc latè narrant Romani scriptores. ego vni insisti Dionysio lib. 3. Antiq.

11. At bello avdacis popvli vexatvs] Habuisse has diras exitum in bello Latino interpretes admonent. Vexatus est τρυχόμενος, κακοπαθούμενος, καταπονούμενος.

12. Finibvs extorris] Similes diræ Eumenis, quibus deuouit exercitum suum proditorem, apud Iustinum lib. 4. *vltima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico, vt inopes extorrésque omne æuum in hoc castrensi exilio agatis, deuorèntque vos arma vestra, quibus plures vestros, quàm hostium duces absumpsistis.* Explica *finibus*, regionibus, prouinciis, per synecdochen, vt, *finibus arceret, finibus expulsum patrijs.*

13. Complexv avvlsvs Ivli] Videlicet relicto Ascanio, ad Euandrum contendit auxilium petiturus. Quod hîc *auelli complexu*, in 6. *subtrahi*, in 8. *diuelli*. sic:

—Téque amplexu ne subtrahe nostro.

Et,

Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vsquam

Gnate tuo.

Ouid. 9. Met. *Arcet ab amplexu*. Græcè ἀποσπασθῆναι.

14. Sed cadat ante diem] Putant interpretes hîc allusum ad mortem Æneæ, qui lapsus in Numicum fluuium disparuit à mortalibus.

15. Tvm vos ô Tyrii, &c.] Respectum ad bella Punica, quæ quàm intestinis odiis exercita, sciunt omnes, & satis docet Liuius per libros decem.

16. Nvllvs amor popvlis, nec foedera svnto] Non dubium, quin respectum ad fœdera Punica toties fracta. Silius lib. 1. Punic.

Iuratúmq; Ioui fœdus conuentáque patrum

Sidonij fregere duces, atque impius ensis

Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

17. Exoriare aliqvis] Nemo dubitet dictum id esse propter Annibalem acerrimum hostem Romanorum, ἐλέγετο γὰρ (inquit Appianus in Ibericis) καὶ παῖς ὢν ἔτι, ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὁρκωθῆναι ἐπὶ ἐμπύρων, ἄσπεισος ἐχθρὸς ἔσεσθαι Ῥωμαίοις, ὅτε εἰς πολιτείαν παρέλθοι: *Ferebatur is adhuc puer* (sermo est de Annibale) *à patre iure iurando adactus, incensis aris, se cùm primùm ad Remp. accessisset, Romanorum hostem sempiternum fore.* Liuius lib. 21. *Fama etiam, Annibalem, annorum fermè nouem, pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hispaniam, cùm perfecto Africo bello exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iure iurando adactum, se, cùm primùm posset, hostem fore populo Romano.*

18. Nostris ex ossibvs] Omitto hîc quæ aliqui commenti de generatione humana, vnde putant hunc locum posse illustrari. Ego enim puto, neque huic æstui sermonis aptam esse hanc commentationem: neque veritati, cùm Dido neminem ex se genuerit. Itaque neque locus hic Aristotelis lib. 3. de hist. Animal. cap. 2. in quem incidi, vbi meminit venarum, quæ tendunt διὰ τοῦ νωτιαίου μυελοῦ εἰς τοὺς ὄρχεις, per spinam dorsi ad testes. neque alia loca, quæ alij indicant, ad rem Virgilij pertinent.

19. Nunc olim, &c.] Seruius lib. 1. Æn. cùm scribit vocem *olim* tria tempora signare, pro futuro adhibet carmen hoc, in quo sum. Sed ego commodè retulerim ad præteritum, ita vt tria tempora vnico versu complectatur vates. sicuti Horat. lib. 2. Carm. Od. 10.

—non simile nunc, & olim, sic erit.

vbi assentiri illis nequeo, qui duo tantùm tempora constituunt, cùm venustum sit, breui carmine, neque adhuc integro, tria tempora designari. Ergo ait Horat. non simile nunc est, non simile olim fuit, non simile deinceps erit. Quòd si dicas, apud Maronem nullum esse posse locum his imprecationibus, si illæ ad præteritum tempus referantur: respondebo, inde apparere magis Reginæ insaniam, erumpentis præ doloris magnitudine, in id quod nequiret fieri. sic enim dolor magis exprimitur, & furentis indignatio. Pindarus Od. 10. Olymp. ita hæc tria tempora vnico versiculo, Ἀρχαῖσι δὲ προτέραις ἑπόμενοι, καὶ νῦν. vbi, ἑπόμενοι futurum repræsentat, nam consequi futurum est. ἀρχαῖσι καὶ προτέροις antecedens, νῦν præsens. Plato lib. 10. Leg. τῶν τε ὄντων, καὶ γεγονότων, καὶ ἐσομένων. Plutatchus in Conui. septem Sapient. τὸ γεγονὸς, τὸ ἐνεστὸς, τὸ μέλλον. & de Iside, γεγονὸς, ὄν, ἐσόμενον. Nazianz. orat. 38. loquens de Deo, ἦν, ἔστι, ἔσται. Et in carmine quopiam sic extulit: γενόμην, εἰμὶ, ἔσομαι. Philo de sacrificio Abel, πάλαι, νῦν, αὖθις. Auctor ad Herennium lib. 2. *præteritum, instans, consequens.* Sedulius lib. 2.

Tria tẽpora.

Semper adest, sempérque fuit, sempérque manebit.

20. Littora littoribus contraria] Est hoc, quod de Carthagine in. 1.

—Italiam contra, Tiberináque longè Ostia.

Adi.

21. Arma armis] Non vulgariter capio, signat verè diuersa armorum genera, quibus vsi Romani, & quibus Pœni. Adduco pro exemplo pilum, & lanceam. quoties enim in Liuio mentio est armorum, quibus pugnarent Romani, sæpe in ore habet pilum: quoties verò, quibus Pœni, lanceam vsurpat. De pilo nihil adhibere exemplorum necessum est, vt quod notum. De lancea hæc sunt lib. 22. Deccarius quidam ad Thrasymenum, Flaminium Consulem *lancea transfixit.* & lib. 27. vbi à Pœnis Marcellus Consul interficitur: *sed postquam vulneratos ambos Consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre,* &c. Inde Lucanus in exordio sui operis proponit se cantaturum, vt quod non minimum esset,

—pares aquilas, & pila minantia pilis.

22. Pugnent ipsique nepotes] Vult, vt odium adolescat augeatúrque in omnem posteritatem. Ad eum modum apud Lucan. lib. 9. Cornelia vxor Pompeij loquens cum Sexto, inimicitias indicit Cæsareo generi:

Excipite ô nati bellum ciuile, nec vnquam
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,
Cæsaribus regnare vacet: vel sceptra, vel vrbes
Libertate sua validas impellite fama
Nominis: has vobis partes, hæc arma relinquo.

[a] Hæc ait: & partes animum versabat in omnes,
Inuisam quærens quàm primùm abrumpere lucem.
[b] Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,
(Namque suam patria antiqua cinis ater habebat)
Annam chara mihi nutrix huc siste sororem,
Dic corpus properet fluuiali spargere lympha:
Et pecudes secum, & monstrata piacula ducat.
[c] Sic veniat. túque ipsa pia tege tempora vitta.
[d] Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui,
Perficere est animus, finémque imponere curis,
[e] Dardaniíque rogum capitis permittere flammæ.
[f] Sic ait: illa gradum studio celerabat anili.

ARGVMENTVM.

Iubet afferri, quæ necessaria esse ad sacra illa, mentita fuerat.

EXPLICATIO.

[a] Exprimitur viuidè æstus curarum, quæ cùm illam in omnem partem raperent, demum quiescebant in imponendo vitæ exitu.

[b] Dat mandata ad Barcen Sichæi nutricem, nam sua iam obierat in vrbe Tyro. Iubet verò, vt sororem accersat, quæ secum afferat aquam, & hanc signatè fluuialem, & signatè ad spargendum. Vtrunque è more: deinde *pecudes*, quæ mactandæ; *piacula*, quæ Maga indicarat, id est, reliqua purgamina, quæ superstitiosa antiquitas cognouit.

[c] Variè verba ista *sic veniat* interpretes. Credamus, post mandata adhibitum modum, quo illa peragenda, ad eum modum, quo. 2. Æn. exprimitur mos iacentis cadaueris, eo versu:

Sic ô sic positum affati discedite corpus.

Seruius ad temporis ictum & occasionem videtur referre. nam ait: *Sic veniat: ne præmitteret, aut præcederet.* Sequitur, quid ipsa debeat nutrix sibi afferre. vittam videlicet, & hanc piam, vt in re sacra, & hanc tegendis temporibus ex more.

[d] Cui Deo facta hæc sacra? Plutoni. hic enim est Iuppiter Stygius. Cui fini? soluendis amoribus. Ait *perficere,* quia *incepta.*

[e] Subobscurè hæc interpretes, & in quibus legendis hæreas. Scias, *rogum* propriè esse *exstructionem lignorum.* est ergo sententia. animus est flammis tradere rogum, id est, exstructa ligna: clarius, ligna incendere. Nihil est enim aliud, *rogum flammæ tradere*, quàm struem lignorum flammæ tradere. Sed deinde, quare rogus dicitur esse Æneæ? quia videlicet inter composita ligna erant etiam omnia Æneæ monumenta, quæ flammis abolenda fore mentita fuerat Dido: intérque ea monumenta Æneæ effigies, quam signat per caput Dardanium, persistens in eadem periphrasi, qua suprà dixit, *infandum caput*, ídque odio Æneæ: consul

consultò enim abstinet ab illius nomine. Et obiter attingit locutionem Romanam, qua ad mortem significandam, ad *caput* potissimùm decurrebant. Tales sunt formæ illæ toti antiquitati vsurpatæ: *damnare capitis, arcessere capitis*, θανάτου δίκην ὀφλισκάνειν, θανάτου τιμᾶσθαι. Dido enim, quantum in se erat, capitis Æneam damnabat. vel dicetur rogus esse Æneæ, quia in illius perniciem destinatus ex præmissis imprecationibus.

f Id est, properabat, vt anuum est sedulitas, vel significat studium illud sine effectu fuisse, cùm studeret properare, sed anile studium esset, neque voto succederet conatus. sic explicat Donatus in Eunuchum. Terent. in illum locum, *video, sed nihil promoues*. Monuit Turnebus.

A Thylesij de coloribus. Horribilis color ater est. omnino velut anthrax, id est, carbo, nam propriè est carbonis exstincti. Quare scitè Terent. *Tam excoctam reddam, atque atram, quàm est carbo.* & inde à Virg. cinis dictus ater, & fauilla atra. Sanguis præterea caloris atque coloris ignei particeps, effusus ac frigefactus amisso rubore, tanquam in carbonem mutatus, ater ab omnibus vocatur. dicitur & mors atra, quia cadauer exstincto calore vitali, quo corpus alitur, atrum relinquitur, vt est carbo. Quid quòd dies atri, eadem de causa dicti fuerunt? Qui enim luctum afferebant, carbonibus: vt contra dies læti scrupis gypseis signabantur. ex quo Horat.

Ater color.

Creta, an carbone notandi?

B 5. FLVVIALI] Vide quæ ego iam latè. 2. Æn. ad illud,

Donec me flumine viuo Abluero.

6. SPARGERE] Sparsio propria fuit sacrorum. sic in. 6.

Sparsit rore leui.

Horat. epod. Od. 5.

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Auernales aquas.

Addit Seru. *Sparsionem* signatè esse, cùm sacra fiunt Diis inferis. *ablutionem* cum Superis. Hoc ipsum Macrob. scribit lib. 3. Sat. cap. 1.

Sparsio de sacris inferorum. Ablutio de sacris superûm.

7. MONSTRATA PIACVLA] Hæc tantùm in genere. Fortasse inter ea iecur chamæleontis, de quo Plinius lib. 28. cap. 8. *præterea iocinore amatoria dissolui.*

C 8. TEGE TEMPORA VITTA] Coronas capitibus sacrificantium adhibitas, alibi dico. Hîc notabis vittas matronarum fuisse. Inde anus vitta iubetur tegi. & Horat. Od. 14. lib. 3.

Supplice vitta
Virginum matres.

Est verò hoc vltimum mandatum, & conueniunt interpretes, data tot mandata nutrici, vt dum omnia comparantur, moræ fierent, quibus se Dido conficeret.

9. FINEMQVE IMPONERE CVRIS] Inferis rem diuinam facit, vt scribit Turn. lib. 21. cap. 22. nam censebant veteres sacris infernis amores & curas solui. patere hoc ex Silio potest lib. 8. cuius hæc sunt,

Sacris infernis amores soluebatur.

D *Nigro fortè Ioui, cui tertia regna laborant,*
Atque atri sociæ thalami, noua sacra parabam,
Queîs ægram mentem, & trepidantia corda leuares
Infelix germana thori.

Sacra igitur inferna soluendis amoribus simulauit, consilium moriendi dissimulans.

10. PERMITTERE] Notant Grammatici, discrimen inter *committo*, & *permitto*. Vt illud sit cum spe aliqua euadendi è periculo, istud absque spe. Aduoco exemplum. *Ratem pelago committimus*, cum præsumptione euadendi. *Ratem pelago permittimus*, quasi ibi degluttiendam. Hoc si est (quod non multùm curo, sed sequar nunc Grammaticos) præclarè Poëta hîc *flammæ permittere*, quia suprà,

Cõmitto & permitto vti discriminentur.

—abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet, monstratque sacerdos.

NOTÆ.

1. INVISAM ABRVMPERE LVCEM] Ideo *abrumpere*, quia contra fata, & ante diem. Tale illud Lucret. lib. 3.

—vita
Percipit humanos odium, lucisque videndæ.

Eurip. in Oreste, πνεῦμ᾽ ἀπορρῆξαι. in Iphig. βίον ἀπορρήξειν. in Hercul. ψυχορραγεῖν: *Spiritum, vitam, animam abrumpere.* integra iunxit Germ. *lucem inuisam*, explica. *inuisam vitam*. Etenim verba lucis & luminis, ad significationem vitæ sæpe trahuntur. Eurip. Iphig. in Aul. τὸ φῶς τόδ᾽ ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν: *lucem tueri est hominibus dulcissimum*. Apud Græcos βλέπειν simpliciter dicuntur, qui viuunt. Eurip. in Alcest. θανεῖν πρὸ κείνου, μηκέτι εἰς ὁρᾶν φάος: *mori pro illo, nec deinde lumen cernere*. In eadem Trag. φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ φίλον: *Chara lux hæc Deo, chara*, vtrobique sermo est de vita. Et in Phœniss. sub persona Oedipi,

Lux pro vita.

—πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν:
—priusquam ad lumen venirem matris ex vtero.

ibidem quærens Iocasta, an viuat filius Polynices, ait, λεύσσει φάος; *videt lumen?* cui statim respondet nuntius. ζῇ, *viuit*. Ergo præclarè Poëta, quia *lucem* dixit, addidit *inuisam*, persistens in eodem sensu oculorum.

2. BARCEN] Vrbis in Libya conditæ, quæ dicta Βάρκη, Herodotus meminit lib. 4. vt videatur Poeta confugisse ad nomen in ea prouincia notum. Næ illi insipidi sunt, qui in nominibus fingendis nulla dubitantur ratione aut cognationis, aut allusionis, aut alliterationis, aut conuersionis, demum alicuius proprietatis, propter quam quadret fictum nomen fictæ personæ.

Barce vrbs.

3. NVTRICEM SICHÆI] Attende. Retinuerat Dido nutricem Sichæi. Cur non hîc putem repræsentari officium boni Principis, ac patris familias, qui defuncti aut patris, aut filij aut coniugis famulitium retinent? Næ illi ingrati sunt, qui cùm primùm defuncto patre, hæreditatem adeunt, nouos famulos adsciscunt, paternos excludunt, quorum sæpe aut consilio, aut opera, aut labore opes illæ creuerant.

4. CINIS ATER] Sic dixit ad mortem signandam, quia crematorum cinis pro cadauere seruabatur. Ad atriciem, quam dat cineri, apta est nota hæc Anton.

a At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciem, maculísque trementes
Interfusa genas, & PALLIDA morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos, ensemq; recludit

Dardanium, Non hos quæsitum munus in vsus.
b Hîc postquam Iliacas vestes, notúmque cubile
Conspexit: paulum lacrymis, & mente morata,
Incubuítque thoro, dixitq; nouissima verba:

ARGVMENTVM.

Conscendit ad rogum, & cubile, vbi dirus exitus peragendus. exornantur omnia magnis affectibus.

EXPLICATIO.

a Ætiologia est. Ideo *trepida*, ideo *effera*, quia cœptat immania. Itaque trepidatio referenda ad inceptationem, feritas ad immanitatem & audaciam. Ita explicuit iam Scaliger. Sequuntur tres notæ instantis furoris, *acies oculorum sanguinea*, *interfusa maculæ in genis*, *pallor in ore*. Tremebant quippe genæ ex vario discursu sanguinis. maculæ illæ erant rubor non continuus, quia contrarium est naturæ, vt idem sibi noceat, iccirco in pugna animi, pugna quoque humorum. Itaque audacem color vnus, pauidam alius subibat, & ideo *interfusa maculis*. Inter tot verò maculas pallor validior erat ob futuram mortem. Ita affecta *irrumpit* vt *furibunda* interiorem altámque ædium partem, vbi ensem nudat, quod munus non in hos vsus. vide πάθος admirabile.

b Confer quæ præcesserunt cum his, & orationem semper magnis affectibus crescentem inuenies: *irrumpit limina* vbi cædes patranda, en primum limen doloris, attigisse limina: ibi *rogos* videt, vbi Æneæ imago, en alter gradus: tertius, & vtroque maior, *ensis nudatio*: quarto *conspicit vestes Iliacas, & cubile notum*: nimia amoris assuetudine: ad hoc spectaculum lacrymas vbertim fudit, & suspensa constitit, quæ lacrymæ & suspensio moram aliquam attulerunt futuræ cædi: quinto demum *lectum* videt, qui gradus doloris vltimus, cui incubuit, & vbi dixit extrema verba ante ictum.

NOTÆ.

1. Sangvineam volvens aciem] Aciei sanguineæ respondere αἱμαλωπὰς κόρας Euripidis in Orest. Germanus vult. sed certè ibi κόρας esse furias vero similius est. Euripidis idem in Herc. furentis Herculis inter alias, notam præcipuam in oculis constituit,

Ἐν στροφαῖσιν ὀμμάτων ἐφθαρμένος:
Oculorum intorsione peruersus.

de hoste suo Cic. *Ardebant oculi*. De serpentibus iratis. 2. Æn.

Ardentes oculos suffecti sanguine & igni.

Oculorum ardor in nota furoris. Sic verè accidit, vt in oculis statim appareat furoris nota. in Alcestide moritura, apud Eur. statim nota in oculis apparet, tametsi diuersa illa,

Σκοτία δ' ἐπ' ὄσσοισι νὺξ ἐφέρπει:
Tenebricosa oculis nox obrepit.

iterum:

—σκοτεινὸν ὄμμα μου βαρύνεται
—tenebris premuntur oculi.

2. Macvlisqve, &c.] Est hoc, quod Propertius dixit, lib. 1. eleg. 5.

Et timor informem ducet in ore notam.

3. Pallida morte fvtvra] Lucan. lib. 7.

—multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciésque simillima fato.

Ensis munus. 4. Mvnvs] Notum munus apud poëtas, & sæpius

A vsurpatum, nimirum donare ense. Sic apud Valer. Flaccum. 2. Arg. Hypsipyle donat Iasonem paterno ense:

Tunc ensem, notúmque ferens insigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis, mediaq; vt puluere pugnæ
Sit comes.

Apud eundem lib. 3. Percosia reliquis donis, quibus affecit Iasonem,

—patria telum insuperabile dextra
Addidit.

idem Iaso lib. 5. ab Rege Colchorum accipit,

—accinctum gemmis fulgentibus ensem.

Sed in Flacco aut vir viro, aut viro fœmina gladium donat: efficacior ad affectum Virgilius: nam vir fœminæ. Ad hanc Virgilij historiam grauiter allusit Sen.
B in Herc. Oet. vbi Deïanira cùm se vellet interficere, sic inter alia:

Eligere nescis anime cui telo incubes:
Vtinam esset, vtinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis.

Quemadmodum enim Dido se interfecit ense relicto ab Ænea, sic illa optat tale quid accidisset sibi. Cùm addit de hoc munere, *non quæsitum in hos vsus*, fit fortasse aliqua allusio ad munera Hectoris, & Aiacis. Lege Eras. Ch. 1. cent. 3. cap. 35.

5. Incvbvitqve toro] Admonent Vrs. Germ. & Pet. Victor. lib. 5. cap. 14. contendisse Vatem ad exemplum Sophocl. in Trachin. vbi nutricis ore narratur exitus Deianiræ. Versus sunt viginti ab eo, ἐπεὶ γὰρ ᾔδει, vsque ad illum, πλευρὰν ὑφ' ἧπαρ. qui ideo à
C me prætermittuntur, tantùm sententiam complectar: *Irruit in thalamos Herculis, insternit stragula mariti lecto, insilit, sedet, lacrymatur, loquitur. Vale ô lectule, nunquam me iterum excipies: hæc locuta pectus nudat, ferrum adigit, accurrit nutrix, & alij, aspiciunt transuerberatum gladio ad hepar, & præcordia.* Breuior est locus Eurip. in Alcest. vbi Alcestis ipsa pro Admeti coniuge moritura thalamum ingreditur, & viso mariti lecto loquitur perinde atque Dido,

Κἄπειτα θάλαμον εἰσπεσοῦσα, καὶ λέχος,
Ἐνταῦθα δὴ δάκρυσε, καὶ λέγει τάδε,
Ὦ λέκτρον, &c.

Irrumpens deinde in thalamum, & lectum,
Ibi lacrymata est, & dixit,
O lecte, &c.

D Græcis Latinos adiungo, è quorum monumentis apparet, verè à Poëta morem attingi. Solebant enim, qui amauerant, vocante iam extrema necessitate, tragœdias suas, & fœdos exitus peragere in lectis, quibus assueuerant. Huius moris lux multa in Petronij Satyrico, ab illis verbis, *consedit puer super lectum, & manantes lacrymas pollice expressit. perturbatus ego habitu fratris*. Reliquis parco, vt pudori parcam. Adi furias Ariadnæ apud Ouid. in Epist. quas concepit ex repetito lecto, & eundem Vatem lib. 2. Rem. ab eo versu: Tragœdiæ amantium, vbi.

Et loca sæpe nocent, &c.

Sed ad hanc rem signatissimus est locus Euripidis, apud quem Alcestis moritura ingentem luctum excitat in cubiculo & thalamo: lege ab eo loco,

Κύνει δὲ προσπίτνουσα, πᾶν δὲ δέμνιον
Ὀφθαλμοτέγκτῳ δεύεται πλημμυρίδι:
Osculatur aduoluta, totum verò cubile
Rigabat inundatione ex oculis vbertim manante.

a Dul

[a] Dulces exsuuiæ, dum fata Deúsque sinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exsoluite curis:
[b] VIXI: ET, quem dederat cursum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
[c] VRBEM præclaram statui: MEA mœnia vidi:
[d] Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.
[e] FELIX, heu nimiùm felix, si littora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.
[f] Dixit: & os impressa toro, moriemur inultæ?
[g] Sed moriamur, ait. SIC SIC iuuat ire sub vmbras.
[h] Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus: & nostræ secum ferat omina mortis.

ARGVMENTVM.

Extrema verba Elissæ, quibus præteritam felicitatem, & præsentem calamitatem repræsentat: affectus duplex, in prioribus, dulcedinis & suauitatis; in posterioribus, furoris & vltionis.

EXPLICATIO.

[a] PRæclarè monuit Iul. Scal. hanc extremam orationem Didonis esse omni succo suauiorem, omni nectare & ambrosia potiorem. Quam censuram esse optimam satis indicant duo primi versus huius orationis.

[b] Magnus affectus *vixi*, quasi dicat, iam deinde non viuam. Sed maior, qui sequitur, *peregi cursum, quem fortuna dederat*. Quasi dicat. Non mihi vitæ limitem Dij, cælum, aut fata constituerunt: sed fortuna, quæ amens; cui nulla virtutis, aut iustitiæ ratio; quæ pro libidine, non ex merito, huic longam vitam, alij breuem dat. clariùs. Si vitam mihi Dij statuissent, qui merita mortalium agnoscunt, longam darent pro meis meritis: at mihi vni fortuna, cæca rerum moderatrix, viuendi terminos constituit: quid ergo mirum, medium abrumpat cursum? Maximus adhuc, qui sequitur de imagine iam itura ad inferos. Sed vide fugam doloris, non sub inferos, sed *sub terras*, non anima, sed *imago*.

[c] Enumerat felicem elapsi temporis fortunam, vt inde præsentis infelicis deformitas maior appareat. Nulla est tautologia. duo enim dicit, & statui vrbem, & ad perfectionem perduxi, nam ea quoque cincta est mœnibus. expende. vrbem vidi, & hanc præclaram: mœnia non alterius, sed mea: quæ hæc felicitas?

[d] Altera felicitas, quæ duplicem quoque inuoluit, sicut versus superior. Abstuli à fratre Pygmalione aurum, cuius cupiditate incensus virum meū Sichæum interfecerat, ac perinde & ab illo pœnas sumpsi, & vlta sum virum: quæ enim auaro maior pœna, quàm pecuniam perdere, propter quam deliquerat? sic explicat hunc locum Seru. in illud. 1. Æn.

—portantur auari
Pygmalionis opes pelago,

& verè: nisi enim de hac vltione, & pœnis capias, nihil aliud reperies in historia Didonis.

[e] Hæc infelicitas superiores felicitates deformat. & nota parcimoniam Vatis. alius quispiam hîc lasciuiret oratione, & longè commemoraret secutas calamitates. Virgilius tantùm pro infelicitate constituit nauium appulsum, ex qua facilè reliquæ intelligan-
A tur: neque enim tempus nunc postulabat, vt miseræ Didoni omnes refricarentur.

[f] Dubitari potest, quis hic affectus? & ex quo fonte ortus? duplex fortasse mens Poëtæ. vel dici potest impressum os toro, ne inter moriendum in aliquid erumperet indignum se: quod expressum à more ducum ac militum, de quo alibi. quò trahi possunt verba sequentia *moriemur inultæ*? quasi aliquid voluerit dicere atrox, & sæuum; sed se represserit. secundò, factum id esse potuit ad animi ferocitatem indicandam perciti furoris rabie.

[g] Quasi. Quæ esse potest digna vltio tanto flagitio? mori volo, nec enim aliter elui scelus potest. Pergit,

Sic sic iuuat ire sub vmbras.

Quasi. Alij placidiùs mitiùsque morientur, mihi sic
B ire conuenit truculenter, & dirè.

[h] Haurire oculis, pro, videre, vt dignam Poëta phrasin Iul. Scal. obseruauit. animam *ignem* vocat, sed ex qua opinione lib. 6. aperietur. Vult verò Dido, vt mors sua, triste sit Æneæ omen, videátque perfidus oberrantem ante se vmbram Didonis, quod suprà comminata fuerat:

Et cùm frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

NOTÆ.

1. DVLCES EXSVVIÆ] Quæ istæ exsuuiæ? nimirum reliquiæ ab Ænea, vestes Iliacæ, en-
C sis, lectus genialis, & c. est hîc etiam locus communis à commutatione rerum & fortunæ. in verbo *accipite* mihi non dubium, quin ad sacra respectum. Dido enim sacrum se velle exsoluere, semper testata est. Sed & sacrum hoc Deorum Manium fuit, & in simili verbum hoc vsurpauit Ouid. 8. Metam. **Accipio, vox sacrorum.**

Vos modò fraterni Manes, animaq; recentes
Officium sentite meum, magnoq; paratas
Accipite inferias.

Adeundus Briss. 1. Form. vbi multis firmat, verbum hoc sollemne in sacris fuisse. Est etiam hîc affectus amantium, qui sæpissime alloqui cum inanimis solent, vbi voluptas primùm captata. Ita Propertius, & Catullus, sed in gaudio tamen. Ille lib. 2. eleg. 15.

D *O me felicem, ô nox mihi candida, & ô tu*
Lectule delicijs facte beate meis.

Hic in Hymen. Iuliæ:

O cubile, quod omine
Candido pede lectuli.

2. EXSOLVITE CVRIS] Respectum ad illud, *vel eo me soluat amantem*. Sed ibi sub distinctione, nam coram Anna, & vt tegeret consilium,

[...] mihi reddat eum, vel eo me soluat amantem.

Hic

Hîc vbi sola est, animum clarè aperit, *méque his exsoluite curis*. Non, reddite mihi eum. Ait *exsoluite*, quia θάνατ☉ ἐστὶ διάλυσις ψυχῆς, καὶ σώματ☉: *mors est solutio animæ & corporis*. Inde postea Iris,

Téque isto corpore soluo.

Vixit, pro mortuus est. 3. VIXI] Atrox verbum *morior*, ideo *vixi*. Qui enim vixit, mortuus iam est. Fugit verbi huius atrocitatem Laodamia, scribens ad Protesilaum. Vbi in fine ita iurat,

Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris:
Siue (quod heu timeo) siue superstes eris.

Vbi sententia est. Ero comes tibi siue mortuo, siue viuenti. Non ausa mortuum dicere, tantum posuit, *quod heu timeo*. Fugit Cicero, auctore Plutarcho in eius vita: Qui significans interfectos iam esse socios Catilinæ, clara voce dixit, ἔζησαν, *vixerunt*. Fugit Tibullus:

Siue erimus, seu nos fata fuisse velint.

& Plautus Bacchidib.

Vixisse, nimio satius est, quàm viuere.

In hac locutione morem Romanum agnoscit Plutarchus, nam dicto loco ita subiicit: ἔθω δὲ Ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι τὸ τεθνάναι σημαίνουσι. *Ita Romani mori significant, mali ominis verbum euitantes.*

4. CVRSVM] Inuenit Victorius Tullianam imitationem, nam in Miloniana legitur: *vestras, & vestrorũ ordinum concursationes, studia, sermones, quemcunque cursum fortuna dederit, secum se ablaturum esse dicit.* Ita ille legit, non *casum*, vt vitiosè in nonnullis. Sed quid est? *peregi cursum, quem dederat fortuna.* Audienda verba Seruij in hunc locum ista: *Tribus humana vita continetur. Natura, cui vltra centum & viginti solstitiales annos concessum non est. Fato, cui nonaginti anni, hoc est, tres Saturni casus exitium creant: nisi fortè aliarum stellarum benignitas etiam tertium eius superet cursum. Fortuna, id est, casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinsecus sunt, vt ad ruinam, incendia, naufragia, venena.* Hac adhibita distinctione, subiicit, bene Poëtam dixisse, *peregi cursum, quem dederat fortuna*, quasi excludens Naturam, & Fatum. Vt & Cicero in Antonium:

Naturalis, Fatalis, Fortuita mors.

Multa mihi imminere videbantur præter Naturam, prætérque fatum. id est, multa imminere à Fortuna. Est hoc, quod infrà, de eadem Didone Virgilius:

Nam quia nec Fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem. id est, non Fato, non Natura, sed Fortuna. Seruiana distinctio eadem credo est, cum illa, quam ego obseruaueram in Virgilio, qui res attribuit Fortunæ, Fato, Deo. Nam Naturam sub Dei nomine contineri iam olim Philosophi veteres monuerunt, cùm nihil aliud sit Natura, quàm quæ Deus constituit initio conditi orbis. Sed subiicio obseruata Virgilij loca. Hîc ait:

Dulces exsuuia dum Fata Deúsque sinebant.

& postea subiicit Fortunam, quam omiserat, cùm ait:

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna, peregi.

Suprà etiam in hoc libro,

Si modò quod memoras fatum, Fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, an Iuppiter vnam
Esse velit Tyrijs vrbem, Troiáque profectis.

Quo loci *Iouem* pro Deo posuit. Non multum abit diuisio Macrobij lib. 1. Sat. cap. 19. qui nascenti cuipiam adesse numerat Deos Præstites, Δαίμονα, Τύχην, Ἀνάγκην: *Deum, Fortunam, Fatum.* Verum est, addi ab illo Ἔρωτα, & aliam eius esse mentem, & harum vocum explicationem. Sed in hac re cuique sua lubentia esse potest.

Imago animæ. 5. MAGNA IMAGO] Cur imago? cur magna? Dictum primùm ex opinione illa, qua veteres cense[ba]nt idolum quoddam ac simulacrum tantù[m] [no]stri ad inferos descendere, vt ex Ennio scribit Lucret. lib. 1. his versibus:

Etsi præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Locus Ennij ita habet. 1. Annal.

— Acherusia templa,
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Dixi, cur imago. restat alterum, cur Magna? Recurre ad ea, quæ ego iam. 2. Æn. ad illud De Creusa,

Et notâ maior imago.

Et adde hîc rationem aliã coniectandi ab ea, quam ibi aperui. Creditum est veteribus, vmbram illius, qui magno fuisset corpore, maiorem esse facta analogia ad illos, qui fuissent paruo corpore, quorum perinde vmbræ paruæ erant. Ex hac analogia Delrius explicat illud Senecæ: Mortuorum vmbræ cur magnæ.

Et vos meorum liberi magni greges
Vmbra minores.

Videlicet ex analogia filiorum ad patrem Priamum. Sed ego in Seneca non tam quantitatem accipio, quàm qualitatem, id est dignitatem, qua filiorum vmbræ dicantur minores, respectu Priami, cuius vmbra dignitate est maior vmbris liberorum. & in Virgilio recurro, ad κατάπληξιν, de qua locutus sum. 2. Æn. Quam κατάπληξιν iuuat Plinij locus lib. 7. epist. 27. vbi, cùm dixerit, imaginem Africæ humana grandiorem apparuisse Curtio Ruffo, addit signatè, *perterrito*.

6. VRBEM, MOENIA] Vtiliter versus huius occasione admonebitur iuuentus quid propriè vrbs sit, quando Poëta vnà cum vrbe coniunxit mœnia. Vrbem veteres mœnium ambitu præfiniebant, quantum scilicet aratro fuerat designatum: quidquid esset extra mœnia, vrbs non erat: inde esse aliquis Romæ poterat, & non in vrbe: nam suburbana & continentia ædificia Romæ esse dicebantur, non tamen in vrbe. Paulus I.C. *Vrbs appellatio muris, Roma autem continentibus ædificijs finitur, quod latiùs patet.* Inde est, vt cùm tribuni, quibus non licebat ab vrbe diem integrum abesse, ante mediam noctem in suburbana appulissent, nec tamen intra mœnia penetrassent, legi fecisse fraudem existimarentur: quòd Romæ, non in vrbe fuissent. Comitia enim centuriata, quæ in Campo Martio cogebantur, non in vrbe, sed Romæ haberi dicebantur, quòd intra vrbem procinctum esse exercitum non licebat. Itaque Poëta non repetit idẽ bis, vt malè aliqui volunt. Ex eo Ouidius in epist. Didonis ad Æneam, Vrbs, quid propriè.

Vrbem constitui, latéque patentia fixi
Mœnia finitimis inuidiosa locis.

7. VLTA VIRVM] Blanditur locus Plutarchi de virtutibus mulierum, de Camma nobili fœmina, quę virum suum vlta, læta ad illum moriens descendit. Repetit ἐν ἐρωτικῷ. Adi.

8. FELIX, HEV NIMIVM, &c.] In sententia institit Catullo, apud quem Ariadna:

Iuppiter Omnipotens, vtinam non tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent littora puppes.

Et vterque fortasse Ennio, apud quem Medea:

Vtinam ne in nemore Peliaco securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes:
Neue inde nauis inchoanda exordium
Cœpisset. nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore sæuo saucia.

Et omnes adhuc, sed præsertim Ennius, Euripidi in Med. per initia, cuius hæc sunt ex versione aliena:

Vtinam

Vtinam Pelasgis littus Argo ad Colchicum
Non transnauasset Cyaneas Symplegadas:
Nec strata saltu pinus olim Pelio
Cecidisset: acta nec virorum fortium
Dextris, tulisset arietis spolium aurei
Pelia imperante: non hera excelsam mea
Medea Iolchen appulisset, Iasonis
Amore sæuo pectus ægrum saucia.

A

Et adhuc totus hic locus Poëtæ, vmbra quædam videtur alterius eiusdem Eurip. in Phœniss. ad finem, vbi Oedipus commemoratis felicitatibus pristinis, desinit in infelicitatem exilij.

Ὦ πάτρας κλεινοὶ πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
Ὃς τὰ κλεινὰ αἰνίγματ' ἔγνω, καὶ μέγιστος ἦν ἀνήρ,
Ὃς μόνος σφιγγὸς κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη.
Νῦν δ' ἄτιμος, οἰκτρὸς, ἐξελαύνομαι χθονός:
O patriæ inclyti ciues cernite, ego ille Oedipus,
Qui inclyta ænigmata nouit, & maximus fuit vir:
Qui Solus Sphingis deuici sanguinariæ vires,
Nunc indecorus, miserabilis, exturbor patria.

B

Nazianzenus in tragœdia, cui titulus Χριστὸς πάσχων, ita Græcis suis instituit. Scio, qui negent opus hoc esse Nazianzeni. Sed ad rem.

Εἴθ' ὤφελ' ἐν λειμῶνι μήδ' ἕρπειν ὄφις,
Μηδ' ἐν νάπαισι τοῦ δὲ ὑφεδρεύειν δράκων
Ἀγκυλομήτας:
O vtinam in horto callidus nunquam & vafer
Reptasset anguis, nec dolos in saltibus
Struxisset huius fraudis artifex draco.

9. Os IMPRESSA TORO] Expressus hinc Apuleianus affectus lib. 8. *At illa, vt primùm mœsta quieuerat, toro faciem impressa*, &c. Et lib. 3. Flor. *iacebatque incubans toro*. Atque etiam Propertianus lib. 1. eleg. 3.

Molliter impresso conor adire toro.

A phrasi Virgiliana extat illa Ouid. 2. Fast.

Vtq; torum pressit, ferrum Lucretia mecum est.

10. MORIEMVR INVLTÆ? SED MORIAMVR, AIT] Non dubium, quin ex hoc loco Propertius libr. 1. eleg. 8.

Sic igitur prima moriere ætate Properti?
Sed morere: interitu gaudeat illa tuo.

Vide verò, vti doleat mori se inultam: vt enim, τὸ τιμωρεῖσθαι ἡδὺ, *iucunda est vltio* (ait Aristotel. lib. 1. Rhetor.) ita acerbissimum carere hoc bono. Nam vt ibidem ait, ἡ γὰρ δίκη, καὶ κόλασις, ἴασις: *pœna, & vltio medicina est doloris*. Ergo, dolebat Dido carere se hac iucunditate, hac medela.

ᵃ Dixerat: atque illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites, ensémque cruore
Spumantem, sparsásque manus. ᵇ it clamor ad alta
Atria: concussam bacchatur fama per vrbem:
Lamentis gemitúque, & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt: resonat magnis plangoribus æther:
ᶜ NON ALITER, quàm si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros: flammæque furentes
Culmina pérque hominum voluantur, perq; Deorum.

C

ARGVMENTVM.

Cadit se Dido: sequitur luctus & planctus non alius ab eo, qui esset capta Carthagine.

EXPLICATIO.

a IN hoc ictu temporis sibi ferrum applicuit, pectúsque transfodit. Huius ictus triplex nota, videlicet, collapsio membrorum; gladius cruore spumeus; manus sparsæ iactatæque huc illuc, vt mos est morientium.

b Exhibet mirus Poëta rem pene tragicam, tanto rerum & verborum apparatu, quem necesse erat consequi atrocem mortem Reginæ. oratio semper crescit Primùm enim intra atria Regiæ auditur clamor: mox fama per vrbem bacchatur: ex vrbe lamenta penetrant in ædes vniuscuiusque, (sic enim Poëtam intelligo, neque enim illud, *tecta fremunt*, accipio de ædibus ipsius Reginæ. non is est Poëta, qui postquam ab atriis Reginæ ad vrbem exiit, iterum ad Regiam redeat.) demum voces omnium dissonæ in cælum eunt. Hos affectus augent, quæ mox sequuntur, *Non aliter*, &c. Sed quibus verbis hæ sententiæ exprimuntur? Audis clamorem in atriis, bacchantem famam, tecta frementia, resonantem ætherem. Adde adiuncta alia, quæ etiam horrida. quid enim non mali concipies ex vrbe concussa, ex lamentis, gemitu, vlulatu, plangoribus? Hæc enim tam insueta debebant non nisi casum tam insuetum consequi.

NOTÆ.

1. COLLAPSAM] Nunquam credo in hoc opere admonui, & nihil dixisse nefas duxerim, si qui sunt, qui nesciant: hanc videlicet mortem Didonis, propter amores Æneæ confictam à Maximo Vate, ad quærendam venustatem suo poëmati tam eleganti fictione. Æneam Dido nunquam nouit, nunquam Didonem Æneas. Illa se interfecit, ne consentiret nuptiis Iarbæ, qui Rex Maurorum & iuuentute & amore ardens expetebat thalamos Elissæ; quem vt vitaret, sibi vim attulit: adeo castissimæ fœminæ, pudicitiæ & Sichæi amor inhæserat. Sed ea fuit Diuini vatis auctoritas, vt quod semel in vulgus edidit, multi pro certo habuerint contra fidem historiarum & temporum. verè scripsit Ausonius in imaginem Didus: Didoniæ mortis vera causa.

D

Namq; nec Æneas vidit me Troius vnquam,
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis.

Quem nos imitati aliquando,

E

Æneas nostras nunquam peruenit ad aures,
Nec tetigit Libycas Dardana classis aquas.

Eandem sententiam continet distichum ex Græco epigrammate vulgatissimo,

Οὐδὲ γὰρ Αἰνείαν ποτ' ἐσέδρακον, οὐδὲ χρόνοισι
Τροίης πορθομένης ἤλυθεν ἐς Λιβύην.

Quod epigramma cùm multi reddiderint, tantùm adiiciam Marulli versionem, imò dilatationem sententiæ.

Tu qui me casúsque meos in imagine parua
Aspicis,& digito tristia facta refers:
Vera hæc effigies,nec vera est,hospes,Elissæ:
Sed non vera necis causa,pudendus amor.
Nec mihi Phryx nocuit , nec enim Phryga nouimus vllum:
Cura sed antiqui casta tenáxque thori.
Quam ne coniugio Libyci violare tyranni
Cogerer,hac cecidi fortiter vsa manu.
At vos ô vates,si sunt hæc præmia laudi,
Quæ feret incesti fœmina adulterij?

Euripidis auctoritas.

Non dissimilis à Virgiliano mendacio fuit auctoritas Euripidis,de quo sic scribit Ælian.lib.5.Var.Hist.cap. extremo:*Quidam dicunt , falsum esse rumorem , qui de Medea fertur. Non enim illam liberis suis mortem intulisse,sed Corinthios. Fabulam verò , & actum de Colchide confictam esse ab Euripide,rogantibus Corinthijs:& à mendacio veritatem superatam,propter Poëtæ præstantiam. Pro scelere verò in pueros patrato etiamnum fama est , Corinthios expiatoria sacrificia eis offerre , & ea quasi tributum referre.* Verum est, Cedrenum in historia affirmare, Æneam venisse ad Didonem , eámque agnouisse.Sed hoc,vt falsum,eleuandum.

2. It clamor ad alta,&c.]Conferam Poëtam priùs secum. vide vt in 2. Æn. rem eandem dixerit:

At domus interior gemitu , miseróque tumultu
Miscetur:penitúsque cauæ plangoribus ædes
Fœmineis vlulant:ferit aurea sidera clamor.

Tantum discrimen,quòd in 2.vnius Regiæ,in hoc 4. vniuersæ vrbis tumultus describitur. Deinde cum C Eurip.in Phœniss.vbi describitur luctus,planctúsque qui esset Thebis , cùm Sphinx aliquem raperet , & occideret.

Ἰάλεμοι δὲ ματέρων,
Ἰάλεμοι δὲ παρθένων
Ἐστέναζον οἴκοις
Ἤϊον βοὰν,
Ἤϊον μέλος,
Ἄλλος ἄλλον ἐπωτότυζε διαδοχαῖς ἀνὰ πόλιν.
Βροντᾷ δὲ στεναγμὸς,
Ἰαχᾷ τ' ἦν ὅμοιος,
Ὁπότε πόλεως ἀφανίσειεν
Ἁ πτερῦσσα παρθένος τίν' ἀνδρῶν.

Orbatæ matres,
Orbatæ virgines
Gemebant domi
Lamentabilem vociferationem,
Lamentabile melos.
Alius alium inuicem in ciuitate deflebat.
Tonitru verò luctus,
Et vociferatio erat similis,
Quando à ciuitate abriperet
Volucris virgo virorum aliquem.

Tertiò, præter morem meum, cum historicis. Herodianus lib.2.in obitu Pertinacis sic: ἐπειδὴ δὲ διεφοίτησεν εἰς τὸν δῆμον ἡ τοῦ βασιλέως ἀναίρεσις, ταραχή τε, καὶ πένθος πάντας κατεῖχε, διέθεόν τε ἐνθουσιῶσιν ἐοικότες, κίνησίς τε ἄλογος κατεῖχε τὸν δῆμον:*Vbi cæsi Regis fama populum occupauit , tumultu omnia & luctu complebantur , discurrebant omnes furentibus similes , quid facerent nihil certi consilij occurrebat.* Sed in hac locorum comparatione adducam historiam,ad quam mihi visus Poëta alludere. Turbationem ex clade,quam passa est in Sicilia Carthago ipsa, regnante ibi Ionilco , vt ait Orosius;siue Amilcone,vt Iustinus;siue Imilcone,vt Græci nominant;ita describit Orosius lib.4.cap.6. *Cuius mali nuntius , cùm attonitam repentino luctu Carthaginem repleuisset, non secus ac si capta esset, turbata ciuitas fuit. Omnia vlulatibus personabant , clausa vbique*

Carthaginis turbatio.

A *cuncta priuata publicáque officia damnata. Vniuersi ad portam decurrunt , egredientésque de nauibus, paucos , qui cladi superfuerant , de suis percontabantur. Postquam de clade suorum dicentibus illis , vel gementibus,miseri intelligunt,tunc toto littore plangentium voces,tunc infelicium matrum vlulatus,& flebiles querelæ audiebantur.Inter hæc procedit & ipse de naue sua Imperator,sordida seruilique tunica discinctus , ad cuius conspectum plangentium iunguntur agmina. Ipse quoque manus ad cælum tendens , nunc suam, nunc publicam infelicitatem accusat , & deflet. Ad postremum vociferans per vrbem , tandem ingressus domum,cunctos,qui lacrymantes prosequebantur,vltimo dimisit eloquio. Ac deinde obseratis ianuis, exclusisque etiam filijs,gladio dolorem vitámque finiuit.* Volui ista inserere, etiam si multis , nam videtur omnino repræsentasse B hanc historiam Virgilius turbatione Carthaginis, fœminarum vlulatibus,cunctorum discursibus,morte demum ipsius Reginæ , quæ se gladio transuerberauit.Cur credam in Sinone repræsentatum Marciũ, in Priamo Pompeium , quæ iam docti, & non Carthaginem in ipsa Carthagine ?

Comparatio sumpta ab vrbibus captis.

3. Non aliter, qvam,&c.]Similis comparatio ad magnam cladem explicandam vsurpata quoque aliis. Liuio lib. 23. Magij nobilissimi Capuanorum ore,cùm is vinctus traheretur : *Foro medio,luce clara, videntibus vobis,nulli Campanorum secundus , vinctus ad mortem rapior.Quid violentius Capua capta fieret?* Iterum eodem lib.cùm Samnites hostes essent Romanis, & amici Annibali,sic ad Annibalem conqueruntur:*Ita sumus aliquoties hac ætate deuastati, vt M.Marcellus, non* C *Annibal vicisse ad Cannas videatur.* Locrenses etiã cùm de acceptis iniuriis à Pleminio coram senatu conqueruntur lib.29. sic inter alia : *Vix ratio iniri potest, vter casus ciuitatis sit detestabilior,cùm hostes bello vrbem cepere,an cùm exitiabilis tyrannus vi atque armis oppressit. Omnia, quæ captæ vrbes patiuntur , passi sumus , & nunc cùm maximè patimur,P.C. omnia quæ crudelissimi atque importunissimi tyranni scelera in oppressos ciues edunt, Pleminius in nos,liberósque nostros,& coniuges edidit.* Itaque ait, se passos & quæ hostes,& quæ tyranni,mala inferunt vrbibus.eodem lib. *Carthagini prope vt capta tumultus fuit.* Inde idem Liuius lib.1.ad explicandum excidium Albæ , stuporémque ciuium : *Non quidem fuit tumultus ille,nec pauor, qualis captarum esse vrbium solet.*& post aliqua,*sed silentium triste*,&c. Iustinus lib. D 19. de ipsamet Carthagine post acceptam insignem cladem : *omnia vlulatibus , non secus ac si ipsa vrbs capta esset,personabant.* Sed mitto Latinos, & versor in Græcis. Dionys.lib. 6. *Magna plebis multitudo se se effundebat,erátque non secus ac capta vrbe commiseratio, & vlulatus eorum, qui remanebant.* Aristides loquens de euersione Smyrnæ,comparat hanc cladem cum Troiana,Atheniensi,Thebana. ὢ παιδιὰ μὲν Ἰλίου πόρθησις, παιδιὰ δὲ Ἀθηναίων ἐν Σικελίᾳ συμφοραὶ , καὶ κατασκαφαὶ Θηβῶν : *ô lusus quidem Troiæ excidium,lusus Atheniensium in Sicilia calamitates,& Thebanorum direptiones.* Prima & tertia calamitas facit ad rem,de qua loquor.Idem in 2.Platonica, vt rem exaggeret,ait videri prope vrbem captam. παραπλήσιοι δὲ μάλιστά πως ὄντως ὥσπερ ἂν εἰ ἑαλωκυίας τῆς πόλεως κατὰ κράτος. Appianus lib.4.Ciuil. E καὶ βοαὶ, καὶ διαδρομαὶ μετ' οἰμωγῆς ὡς ἐν ἁλισκομένῃ πόλει:*Clamores, & discursus cum eiulatu veluti in capta vrbe.*Homer.Il.22.

—— ἀμφὶ δὲ λαοὶ
Κωκυτῷ τ' εἴχοντο, καὶ οἰμωγῇ κατὰ ἄστυ.
Τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον ὡσεὶ ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης:

—— circúmque populi
Eiulatu tenebantur,& ploratu per vrbem.
Huic autem maximè erat simile , ac si totum

Ilium

Ilium altum igne [illegible] vertice.

Lusêre etiam Poëtæ Latini pari modo. Catullus in carmine Nuptiali:

Quid faciunt hostes capta crudelius vrbe?

Ouid.in epist.Hermion.

Quid grauius capta Lacedæmone serua tulissem?

Propert.lib.4.eleg.

Spectaclum capta non minus vrbe fuit.

Finem imponat Seneca, qui volens explicare regnum Crudelitatis, hac vna re explicat lib.1.de Clemen.cap.26. *Quale eius regnum est? non aliud, quàm captarum vrbium forma, & terribilis facies publici metus.*

4. QVAM SI] Harum quatuor vocum coniunctionem, *Non aliter quàm si*, obseruat & laudat vt ele-

A gantem Godescal. Probat ex Ouidio, Suetonio, Papiniano, Vlpiano, Pōponio, Caio. Sciat verò Lector, in fine huius tractus historiam. Poëta, vt vides, tantùm meminit ictus, quem sibi Regina intulit, de pyra nihil loquitur, contentus iam illam struxisse. Sed verè ita res est disposita, vt iuxta pyram se interfecerit, vt scilicet collabens ex vulnere, exciperetur igne: ita videlicet se mactandam obtulit, vt solebant victimæ, quæ post ictum, cremabantur igne, aut totæ, aut partes quædam earum. Orosius clarè lib.4. cap.23. cùm dixerit vxorem Asdrubalis illius, qui extremus omnium Imperator fuit Carthaginiensium, vitam finiisse, coniectam in incendium; notat eundem exitum habuisse nouissimam Reginam Carthaginis cum prima.

[a] Audiit exanimis, trepidóque, exterrita, cursu,
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac MORIENTEM nomine clamat.
[b] HOC ILLVD germana fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
[c] Quid primùm deserta querar? comitémne sororem
Spreuisti moriens? eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
[d] His etiam struxi manibus, patriósque vocaui
Voce Deos, sic te vt posita crudelis abessem?
[e] EXSTINXTI te, méque soror, populúmque, patrémque,
Sidonios, vrbémque tuam: date vulnera lymphis
Abluam: &, EXTREMVS si quis super halitus errat,
Ore legam. sic fata gradus euaserat altos:
[f] Semianimémque sinu germanam amplexa fouebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.

ARGVMENTVM.

Audit Anna & aduolat cum maximis notis doloris, sororem inclamat, queritur se deceptam, desertam, spretam: vult vnà commori, narrat quæ damna sequantur hanc cædem, demum desinit in ingentem affectum.

EXPLICATIO.

[a] EXpende. Fit Anna exanimis audiens exanimatam sororem, quàm præclarè! hoc nuntio exterrita, non hæret, (quem affectum alius potiorem putasset) sed ruit, neque enim tantus terror impediit, quominus conuolaret, si posset opem afferre. ruit verò per medios ciues, quo magis extollitur successus hic tragicus: est enim quiddam magnum
C cernere primatem fœminam conuolantem per impeditas ciuium turbas. iam si consideres eam fœdantem ora vnguibus, & pugnis pectora, sororémque suam inclamantem, hoc porro τραγικώτατον.

[b] Oratio plena magnis affectibus. nullum exordium, vt in re trepida, & abrupta. statim querelæ incipiunt. ô *germana*, signatè ad rem. si nemo à nemine capiendus fraude, multo minùs germanam à germana. ex qua mente additum, *petebas me fraude*? deinde, *hoc parabant rogus, ignes, aræ?* perinde ac si dicat. esto germanam germana falleres, sed quis putaret prætextu religionis includi dolos, fraudes?

[c] Continent hæc magnum affectum, & in primis verbum *spreuisti*. quasi dicat. cùm deserta sim à comi-

B te & sorore, quid primum ex his querar? sed non tam acerbum deseri me, quàm sperni me. Talis, vt ego sum, comes, talis soror spernenda non fuit. Sequitur, *eadem me ad fata vocasses*, &c. Nosce mentem Poëtæ: præcesserat, comes tibi eram, soror eram. ergo, vocasses me ad fata eadem, vt comitem: idem dolor hausisset ambas, vt sorores. Itaque iungenda fui tibi, vel vt comes, vel vt soror.

[d] Transfert iam in se facti culpam ad maiorem exaggerationem doloris. Ego rogos struxi, ego Deos ad sacrum hoc vocaui ex more, vt abessem à te posita, id est, carerem te mortua.

[e] Numerat nocumenta, quæ secuta mortem Didonis. Non te solum exstinxisti, sed me, sed populum,
sed patres (Senatum Carthaginiensem) sed vrbem totam. Sequitur, *date, vulnera lymphis abluam*. id est,
concedite, vt abluam lymphis vulnera (hoc potiùs
placet, quàm hypallagen agnoscere, nam pari sententia sequitur) date, vt legam ore extremum habitum. Hæc dicens, simul euaserat ad locum, vbi erat pyra.

[f] Fiunt omnia παθητικὰ, καὶ τραγικὰ, & consona præterito dolori. Quæ enim iam iactata vocibus, hîc re firmantur. Duo dixerat: primum velle se legere ore spiritum. Ergo,

Semianimémque sinu germanam amplexa fouebat,

exceptura halitum. Alterum, velle se abluere vulnera. Ergo, *atros siccabat veste cruores*. Neque enim aliam potuit ablutionem adhibere in tam subito rerum tumultu.

NOTÆ.

1. AVDIIT EXANIMIS, &c.] Vidisti vt expendi, audi iam Homerum loquentem suo more.

—λίγ' ἐκώκυε, χερσὶ δ' ἀμύσσε
Στήθεά τ' ἠδ' ἁπαλὴν δειρὴν, ἰδὲ καλὰ πρόσωπα:
—stridulè lamentabatur, manibus autem laniabat
Pectoráque, & tenerum collum, & pulchram faciem.

Vt verò hîc ad collabentem sororem Anna accurrit, sic tale quiddam in Tacito. 2. Ann. in exitu Libonis: *Ad gemitum collabentis adcurrere liberti, & cæde visa miles abstitit.*

Fœminæ impotentes in dolore.

2. VNGVIBVS ORA SOROR FOEDANS] Hæc doloris nota cùm frequentissima sit omnibus, tum multo fœminis frequentior, quæ sibi impotenter dominantur. Propertius lib. 1. eleg. 9.

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida vesana verberat ora manu.

& post pauca, *Fœdauítque comas.* Fœminæ Troianæ apud Euripidem & Senecam se multùm verberant, vt Ariadne apud Catullum in se & in capillos sæua, atque etiam mater Euryali apud Virgilium, apud Ouidium Lucretia. Sed quæ non vsæ hoc furore?

3. MORIENTEM NOMINE CLAMAT] Sollemnis hæc inclamatio in mortuis, & alibi iam obseruata in hoc opere.

4. HOC ILLVD GERMANA FVIT] Pari emphasi Terentius And. *At at, hoc illud est.*

5. EADEM ME AD FATA VOCASSES] Institit Euripidi Virgilius, nam in Oreste Electra.

Πῶς ἂν ξίφος νῷ ταυτὸν, εἰ θέμις, κτάνοι,
Καὶ μνῆμα δέξαιθ' ἕν:
O si gladius nos idem, id si fas esset, interficeret,
O si sepulcrum idem acciperet.

& Virgilio Ouidius 8. Met. in voto communi Philemonis & Baucidis:

Auferat hora duos eadem, nec coniugis vnquam
Busta meæ videam.

Euripidem & Ouidium Germanus adiungit, & ego locum alterum eiusdem tragœdiæ: sic enim Electra loquitur ad fratrem Orestem:

Οὐ ἔστι. σύν σοι κατθανεῖν ἀρήσομαι,
Καὶ ζῆν. ἔχει γὰρ ταυτόν. ἢν σὺ κατθάνῃς,
Γυνὴ τί δράσω; πῶς μόνη σωθήσομαι,
Ἀνάδελφος, ἀπάτωρ, ἄφιλος;
Non sic erit. vnà tecum cupio commori,
Et viuere. idem est enim. si ipse moriaris,
Mulier quid faciam? quî sola sospes ero
Sine fratre, patre, amico?

6. VOCE] Non est pleonasmus. Poterat enim tacitè vocare ex ritu aliquorum sacrorum. ergo modus significatur, quo vocauit vociferans.

7. POSITA] Positio forma fuit loquendi, qua mortui signabantur. Sup. 2. Æn.

Sic ô sic positum affati discedite corpus.

& in 11.

Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior.

Quæ forma sepulcralis à Græcis ducitur, quibus τιθέναι, & τίθεσθαι est tumulo condere, & componi. de hoc nos alibi latius.

Exstinguo, de fato violento.

8. EXSTINXTI TE MEQVE SOROR] Aptissima duplex Germani nota. verbum σβεννύναι, *exstinguere*, semper Aristoteles refert ad fatum violentum: μάρανσιν *tabefactionem, marcorem*, ad mortem, quæ natura accidit, & iam in senio. Deinde, vt Poëta, *exstinxsti méque, téque*, sic in Epig. ἔκτανες, ὡς ἔθανες: *occidisti, vt cecidisti*. Eurip. in Oreste sub persona Electræ.

A Ἔκτανες, ἔθανες ὦ
Τεκομένα με
Μᾶτερ· ἀπὸ δ' ὤλεσας
Πατέρα, τέκνα τε τάδε,
Σέθεν ἀφ' αἵματος.
Occidisti, cecidisti ô
Quæ me peperisti
Mater: perdidisti
Patrem, liberósque hosce
Cæde tua.

Sophocl. Antig. θανὼν ὀλεῖ: *moriens perdit.* & in Elect.

Ὀρέστα φίλταθ' ὥς μ' ἀπώλεσας θανών;
Orestes charissime, vt me moriens perdidisti?

sic fere ille, tantùm Euripidi integra addidi.

9. VVLNERA LYMPHIS ABLVAM] Ex quo more hoc dictum, satis fusè in 6.

B

Morientium spiritus à cognatis excipiebatur.

10. ORE LEGAM] Ex more veterum, quo cognati, aut amici, qui mortuo assidebant, illum complectebantur, os ori adiungentes, quasi extremum spiritum & flatum excepturi. Cic. 7. in Verr. *Matres miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Plinius lib. 28. c. 1. *ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantémque (sanguinem) & vnà ipsam animam ex osculo vulnerum.* Huius plurima est apud Latinos mentio, apud Græcos non ita frequens: nunc Theocritus subit, cuius versus adiungam, quòd neminem viderim, qui Græco testimonio morem hunc firmet. Igitur Idyll. 23. Venus Adonim suum deplorans:

C Τοσσοῦτόν με φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλαμα.
Πνεῦμα τεὸν ῥεύσῃ τὸ δ' ἐμὸν γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω,
Ἐκ δὲ πίω τὸν ἔρωτα:
Tantùm me osculare, quantum viuat osculum.
Spiritus tuus effluet, quod dulce philtrum hauriam,
Amorémque ebibam.

Et Eurip. in Phœniss. vbi Antigone mortuum fratrem deplorans, huc allusit, cùm dixit,

Ὦ φίλτατ', ἀλλὰ στόμα γε σὸν προσπτύξομαι:
O amantissime, quin os tuum applicabo ori.

Excipias hinc doctissimum virum Germanum, qui ad hunc locum adducit illud ex Græc. Epig. Ἐμοῖς χείλεσιν χείλεα θεὶς ἀπνευστὶ ψυχὴν τὰν ἐν ἐμοὶ φρόασε· *labris meis apponens tua, vnico haustu animam ebibe.* Tantùm iam nota, qua forma verborum sententia eadem

D dicta à plurimis. Virg. hîc, & Seneca in Fur. *legere halitum, spiritum.* Donatus in hunc locum, *colligere*, Cic. vbi sup. Ouid. 3. de Arte in historia Cephali, Albinouanus de morte Drusi, Iustinus lib. 23. de vxore Agathoclis, Quintilianus declamatione. 6. omnes hi verbum *excipio* vsurparunt. Statius ter meminit huius moris, & diuersa semper forma. 2. Sylu.

—*frigida lambis*
Oscula.

& lib. 5.

Sociósque amplectitur artus,
Hærentémque animam non tristis in ora mariti
Transtulit.

Et 12. Theb.

E —*ignem miseræ post vltima quærunt*
Oscula.

In Plinio vidisti *sorberi*. Sen. verbum, *trado* vsurpat ep. 78. *Non iudicabam me, cùm illos superstites relinquerem, mori: non effundere spiritum mihi videbar, sed tradere.*

Gradus in pyris mortuorum.

11. GRADVS] Seruius hos gradus refert, ad eos qui essent in pyra, ad quam per gradus ascendebatur: nam in 6. de Miseni funere,

—*caloque educere certant.*

Hæc explicatio, si tibi illa placet, iuuabitur Herodiani loco lib. 4. vbi agitur de pyra funeris Seueri.

ἑκατέ

Ἐκπλέρωθεν δὲ βάθρα τινὰ σύγκειται ἐν κλίμακος σχήματι: Vtrinque gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem.

Mihi certè videtur capiendus simpliciter locus; nam in sublimi ædium parte, constructa erat pyra, vt ex superioribus perspicuum.

12. GERMANAM AMPLEXA FOVEBAT] Hos affectus sic tractauit Papinius. 5. sylu. de Pietate in Priscillam:

Nunc implet sæuo viduos clamore Penates,
Nunc ferrum laxare cupit, nunc ardua tendit
In loca; vix retinent comites. nunc ore ligato
Incubat amissæ, mersúmque in corde dolorem
Sæuus agit.

Comptior & breuior fuit Maro, sicut in 11. in luctu Euandri:

——Pheretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrymánsque geménsque.

Similem notam doloris dat Dionysius lib. 4. patri Lucretiæ, cùm ea concidit, nam & filiam *complexu fouet, & nomine sæpius vocat.* & eandem Collatino, de quo postea, *Cùm Collatinus Lucretiam in medio iacentem vidisset, & patrem eam amplectentem, ingenti gemitu edito, ipsam mortuam amplexus, osculabatur, & sæpius nomine vocabat, & cum ea, vt cum viua, colloquebatur, impos mentis præ dolore.* Ab his affectibus & notis amoris non abit Terentianum illud in And. *Reijcit se in eum flens quàm familiariter.*

[a] Illa graues oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore vulnus.
[b] Ter sese attollens, cubitoq; innixa, leuauit:
Ter reuoluta toro est: oculísque errantibus alto
Quæsiuit cælo lucem, ingemuítque reperta.
[c] Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilésque obitus, Irim demisit Olympo:
Quæ LVCTANTEM animam, nexósq; resolueret artus.
[d] Nam quia nec fato, MERITA nec morte peribat,
Sed MISERA ante diem, subitoq; accensa furore:
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.
[e] Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis,
Mille trahens varios aduerso sole colores
Deuolat, & supra caput astitit. hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, téque isto corpore soluo:
Sic ait: & dextra crinem secat. omnis & vnà
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

ARGVMENTVM.

Luctatur exitura Didonis anima, donec missa ab Iunone Iris crinem secat, Ditíque consecrat, quo facto placidè demum obit.

EXPLICATIO.

[a] POst clamores sororis recurrit ad Didonem. Quæ ideo *conata* est oculos attollere, quia iam *graues*: opus enim fuit conamine in tanta grauitate, sed statim *deficit* cum oppositione ad verbum *attollere*. Ratio, nam *vulnus infixum sub pectore* signat cor; *stridet* signat prorumpentem vbertim cruorem cum feruore & æstu.

[b] Miri versus ad explicandam difficultatem animæ exeuntis è corpore: eius præsertim, quem conscientia stimulat ob manus sibi violenter illatas. Vides enim vt ter se attollat, ter relabatur, oculi exerrent, lucem quærat, ingemiscat reperta. Sed cur hoc extremum? An quia lucem noluisset inuenire, vt quam tædebat vitæ? an quia doluisset amittere lucem, quam amabat? Sic sæpe accidit. Abripit homines impetus, quò se abripi, momento temporis dolent, deferuescente ira. Explicatio altera Seruij est: ait enim: *ostendit morientes sua improbare desideria.*

[c] Iuno dicta est à iuuando non solùm eos, qui ex vtero in lucem exeunt, sed qui rursus ex luce abeunt ad sepulcrum: itaque præest omni iuuamini. Inde forsitan epithetum *omnipotens*, quod non obuium. Ergo, *Iuno miserata laborem longum, obitúsque difficiles.* Ac si dicat, ideo longus labor, quia obitus difficiles. *demisit Olympo Irin.* nam hæc semper præsto est illi ad omnia: *quæ resolueret animam luctantem, artúsque nexos.* Ducta tralatio à palæstra. inest enim lucta quædam inter ægritudinem, & animam: volente hac retineri conseruaríque in corpore tanquam in veteri, & familiari domicilio; contra illa extrudente, & impellente per vim exire. Nec aliter fortasse ab Hispanis nostris vulgari idiomate vsurpatur verbum ἀγωνίζομαι de morientibus: nam quod maius periculum? quod maius prælium, ac contentio?

[d] Mors fatalis est, quæ contingit natura fatóq; non aliqua violentia: mors merita, quam scelera afferunt, & quæuis intemperantia, merentur enim scelerati cadere. Ergo Dido cadit non fato, quia ante diem violento ictu rapta: non morte merita, quia tantùm accensa furore subito. Hinc est, vt nondum Proserpina crinem abstulisset, quod necessariũ ad mortem.

[e] Consultissimè in morte Reginæ Afrorum inducitur hic apparatus à Poëta totius decori obseruantissimo. Iuno imperat, descendit Iris venustissimis coloribus induta, adstat supra caput, secat crinem, fert illum ad Plutonem, vt cui est sacer, soluit Reginam à corpore. Inde factum vt obeat placidissimè: quanto enim difficilior priùs obitus insecto crine, tãto postea placidior. Hanc placiditatem versus ipse repræsentat.

NOTÆ.

1. ILLA GRAVES OCVLOS,&c.] Hanc sententiam videtur imitatus Pap.5. syluarum, vbi Priscilla moriens vnam tantùm mariti vocem agnouisse dicitur:

Iámque cadunt vultus, oculísq; nouißimus horror,
Obtusæq; aures, nisi cùm vox sola mariti
Noscitur. illum vnum media de morte reuersa
Mens videt, illum ægris circundat fortiter vlnis
Immotas obuersa genas.

Simile quiddam Eteocles iam moriens, apud Eurip. in Phœniss.

—στέρνων δ' ἄπο
φύσημ' ἀνεὶς δύσλυτον Ἐτεοκλῆς ἄναξ
Ἤκουσε μητρὸς κἀπιθεὶς ὑγρὰν χέρα,
φωνὴν μὲν οὐκ ἀφῆκεν· ὀμμάτων δ' ἄπο
Προσεῖπε δακρύοις.

—*è pectoribus*
Spiritum grauem Rex Eteocles emisit,
Matrémque audiuit: manuq; tristi adposita,
Vocem quidem non emisit: oculorum tantùm
Lacrymæ sermonis vicem habuerunt.

In Declamatione 247. ita Quintilianus: *At voce eius audita certè oculos sustulit. Si nihil aliud, hoc certè solatij tulit, non mori se tanquam damnatum.* Simillimus loco Quintiliani locus Senecæ Rhet. Cont.12. *Vt intraui, cadentes iam oculos ad nomen meum erexit, fugientémque animam retinuit.* Clarissimè ad Virgilium Ouid. 4. Metam.

—*oculos in morte grauatos*
Pyramus erexit, visáq; recondidit illa.

2. OCVLOS CONATA ATTOLLERE] Ita in 5. de Palinuro, *attollens lumina.* Prior Lucr. lib.1.

Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus.

3. INFIXVM] Coniungit Germanus hunc in modum, *vulnus infixum sub pectore*, non, *stridet sub pectore.* Quia lib. 3. epig. πῆξε δ' ὑπὸ σπλάγχνοισιν ἑὸν ξίφος. Et, ὥστε ὑπὸ σπλάγχνοις πλατὺ φάσγανον. Qua verborum forma gladius dicitur infixus sub pectore.

4. TER SE SE ATTOLLENS] Imitatio Apollonij est.3.Arg.

Τρὶς μὲν ἐπεγρέθη, τρὶς δ' ἔσχετο, τέτρατον αὖθις
Λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα:
Ter conata est, ter cessit, quarto rursus
Lectis pronã incubuit reuoluta.

Herodian. lib. 1. ὑπὸ δ' ἀσθενείας καὶ ἀθυμίας αὖθις ὑπτιάζειν: *languore & imbecillitate rursus in lectum supinus relabebatur.* Illud *cubito innixa* reddidit ex Apollonio, qui sic, ἐρεισαμένη λαιῇ ἐπὶ χειρί: *Innixa manui læuæ.* vt Poëta *quærens lucem*, sic ad illius imitationem Sen. in Oet. de Nesso Centauro moriente, *ille iam quærens diem*: & quispiam apud Val.Flacc.lib.6.

—*tandem dulces iam cassus in auras*
Respicit, ac nulla cælum reparabile gaza.

5. CVBITOQVE INNIXA LEVAVIT] Est hoc, quod Petronius *erectus in cubitum.* Quod Propertius lib.1. eleg.16. *nixa lacerto.* Ab Nostro Ouid. 11. Metam. loquens de Deo Somno, *Cubitóque leuatus.*

6. QVÆSIVIT CÆLO LVCEM] Ammianus lib.16. *Semineces labente iam spiritu lucis vsuram oculis morientibus inquirebant,*

7. DIFFICILES OBITVS] Huic generi mortis videtur opponi *mitis obitus*, dicente Tacito 3. Annal. *Vipsania excessit vna omnium Agrippæ liberorum miti obitu*, id est, citra vim, & ex fato.

8. NEXOS] Ita Græci membra σύνδεσμα, vt quæ veluti illigata vinculis. atque etiam ἄψεα, παρὰ τὸ ἅπτεσθαι, quòd nectantur innectantúrque. Et inde [illegible] quæsita oppositio cum verbo *resoluo*, etiam ex G[illegible] fonte. nam λύω quoque refertur ad exitum solutionémque animæ è corpore.

9. NAM QVIA NEC FATO,&c.] Naturalem mortem & fatalem eandem esse Tullio Agellius notauit lib.13. Noc. cap.1. sicut & Demostheni τὸν εἱμαρμένον, καὶ αὐτόματον θάνατον. Inde Velleio *fatali morte extingui* est, naturali morte cadere, & vi nulla. Quod Tibullus lib.1. eleg.3. *fatales expleuimus annos.* Gloss. *fatali sorte*, ἰδίῳ θανάτῳ. Est hoc, quod iam ex Demosthene, αὐτόματον θάνατον. vt verò Poëta meminit mortis, quæ ex fato, & quæ ex furore: sic Eurip. in Phœniss. de morte Polynicis & Eteoclis,

Ἀπόλμενοι, ἀπώλετο ὁ φόνος,
Ἕνεκεν Ἐριννύων·
Non ex fato, non ex fato hæc cædes,
B *Sed ex Furijs.*

Porro illud *ante diem* præclarè illustrat Spondanus; vbi enim Hom. 1. Iliad. ait,

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων:
Multas autem fortes animas orco ante tempus præmisit
Heroum.

sic fermè scribit: illud πρὸ ociosum non est, significat enim πρὸ τοῦ δέοντος, πρὸ τοῦ μοιριδίου: id est, Heroas ante fatum interfectos, id enim imaginamur accidere in morte violenta. Hoc Cicero dixit.1.Phil. & Agellius expendit, *multa autem impendere videntur præter naturam etiam, prætérque fatum.* Arist. in Probl. sec.1.q.6. παρὰ φύσιν: *præter naturam*, dixit, quod Virg. *ante diem.* & Sophocl. Antig. τοῦ χρόνου πρόσθεν θανοῦμαι: *obeo ante tempus.* & Æschyl. πρὸ μοίρας: *ante fatum.* Demum voce vnica, qui immatura decedit morte, πρόμοιρος dicitur. De hoc mortium discrimine loquitur Arist. περὶ ἀναπνοῆς. θάνατος δ' ἐστιν, ὁ μὲν βίαιος, ὁ δὲ κατὰ φύσιν: *Mors autem est aut violenta, aut secundùm naturam.* Timæus etiam Platonicus. θάνατος ὁ μὲν κατὰ νόσους καὶ τραύματα γινόμενος, ἀλγεινὸς καὶ βίαιος: ὁ δὲ μετὰ γῆρας ἰὼν ἐπὶ τέλος, κατὰ φύσιν: *Dolorifica & violenta mors, quæ accidit ex morbis & vulneribus: secundùm naturam, quæ in senectute ad finem venit.* Mors duplex.

10. NONDVM ILLI,&c.] Loquitur Poëta ex opinione veterum, qui existimabant, eos qui morti essent proximi, à Proserpina primùm tonderi, & his quasi primitiis Orco initiari; neque aliter posse obire suum diem. Inde apud Euripidem aut Charon, aut mors (non Mercurius, vt dixit Seruius vulgaris, nam in recenter edito nihil tale reperias. Quantam iacturam honoris sui Seruius fecit propter audaciam decurtatoris!) inducitur Alcestidis comam secans, his versibus: Sectio crinium ante obitum.

Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅιδου δόμους.
Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα:
Descendit hæc mulier ad Plutonis domus.
Pergo autem ad eam, vt initiem gladio:
Sacer enim ille est Dijs Inferis,
Cui hic gladius capitis sacrarit crinem.

Quæ verba explicans Scholiastes, ait: ὡς ἔθους ὄντος τὸν θάνατον τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν: *Ex consuetudine, qua mors comam secabat morituri:* Statius item lib.2.Syl. de Glaucia iam moriente, sic canit:

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

& Horat. lib.1. Carm. Od.28.

Mista senum ac iuuenum densentur funera: nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Ad rem hanc videtur allusisse Martial. lib.3. epig.43.

Non omnes fallis. scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

& lib.1.

& lib.1. vbi loquens de sue quæ peperit illato vulnere, ita ait,

Experta est numen moriens vtriusque Dianæ.

Tibullus quoque lib.3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

& Horatius Sat.5.lib.2.

—sed me

Imperiosa vocat Proserpina, viue valéque.

Vix est aliquis inter eruditos, qui non hanc rem attigerit. Turnebum intelligo, Canterum, Muretum, Germanum, alios. Ioulanus in suo Melisseo:

—truncatque rigentia pensa

Immitis lachesis, crinémque è vertice vellit

Purpureum.

Crines notant vires. Addit Cant. hanc consuetudinem inniti veterum opinioni, qui existimabant, per crines vires cuiusque ac robur constare, atque adeò his ablatis in alterius iam potestatem eos venire, à qua re non abhorrent exempla veneficarum, quas aiunt nullis tormentis domari, donec defectus fuerit capillus: victimis etiam olim setæ capitis in sacrificiis ferro abscindebantur. Ad quam rem nonnihil Turn. monuit lib. 19. cap.17.

Flaui crines nota impudicitiæ. 11. FLAVVM] Scribit Iunius Comment. de Coma cap.9. indicari Didonem ex flauo crine parum pudicam, nam flaua coma olim habita meritoria. Probat ex Euripide, apud quem Electra commordens matrem Clytæmnestram, illi obiicit ξανθὸν πλόκαμον. Idem etiam Euripides de Amore,

Φιλεῖ κάτοπτρα, καὶ κόμης ξανθίσματα.

Amat specula, & crinium flauitiem.

Ex Iuuenale, qui de Messalina impudica, Sat.6.

—nigrum flauo crinem abscondente galero.

Ex Horatio, qui nobili scorto Pyrrhæ dat *flauam comam*. Hæc etiam si vera sint, tamen non credo hanc notam impudicitiæ inustam Didoni à Poëta, sed potiùs refero ad decorum & dignitatem, qua flaui crines, vtique aurei, dâtur primatibus fœminis, & adhuc ipsis virginibus, & adhuc ipsis Diis, Phœbo, Mercurio, Baccho, quod probare magna copia Poëtarum facile esset, loca enim vbique obuia.

Damno, pro destino. 12. DAMNAVERAT] Id est, destinauerat, aduerti enim hanc vim huic voci datam à poëtis. Stat. lib.17.

—propellunt acies, se seq; sub armis

Ostentant, subeunt campo, qui proximus vrbi

Damnatus bellis patet exspectátque furores.

13. IRIS CROCEIS, &c.] Ad sententiam Poëtæ tria mihi explicanda, cur Iris roscida? cur illi mille colores dentur, intérque hos croceus? cur eos dicatur trahere ab sole aduerso? in quibus explicandis hærebo Aristoteli 3. Meteor. cap.4. & Plutarcho lib.3. de Placit. Philosoph. cap.5. Roscidum idem est quod rorulentum à rore, atqui in cælesti arcu multa est mentio guttarum stillarúmque, quod ex his Plutarchi facilè apparet. δεῖ γὰρ ἐπινοῆσαι τὴν ὑγρὰν ἀναθυμίασιν εἰς νέφος μεταβάλλεσθαι, εἶτα ἐκ τοῦ κατὰ βραχὺ εἰς μικρὰς ῥανίδας νοτιζούσας. ὅταν οὖν ὁ ἥλιος γένηται εἰς δυσμάς, ἀνάγκη πᾶσαν ἶριν ἀντικρὺς ἡλίου φαίνεσθαι, ὅτε ἡ ὄψις προσπεσοῦσα ταῖς ῥανίσιν ἀνακλᾶται, ὥστε γίνεσθαι τὴν ἶριν. εἰσὶ δ' αἱ ῥανίδες οὐ σχήματος μορφῆς, ἀλλὰ χρώματος: *Sciendum vaporem humidum mutari in nubem, quæ sensim deinde in guttas paruas dissoluatur. Sol igitur cùm ad occasum accedit, necesse est Iris ex aduerso Solis appareat, cùm videlicet visus noster, qui in guttas illas inciderat, reflectitur, vt Iris fuit. Sunt autem stillæ istæ non figuræ forma sed coloris.* Arist. quoque ait, tunc arcum formari, cùm συνιστῇ εἰς ψακάδας ὁ ἐν τοῖς νέφεσιν ἀὴρ μήπω δ' ὕῃ: *Aër nubibus comprehensus in guttas coactus est, neque dum effusi imbres.* Ammianus etiã lib.20. ait, Irim conformari ex halitibus terræ calidioribus, & humoris spiraminibus cõglobatis in nubes, ac exinde disiectis dispersísque in paruas aspergines. Tendo ad varietatem colorum: tres tantùm Plutarchus agnoscit, πρῶτον φοινικοῦν, τὸ δὲ δεύτερον ἁλουργὲς καὶ πορφυροῦν, τὸ δὲ τρίτον κυάνεον καὶ πράσινον: *primum puniceum; alterum violaceum, siue purpureum; tertium cæruleum, siue viridem.* Iridis colores. Arist. sic indigetat, φοινικοῦν, πράσινον, ἁλουργόν: *puniceum, viridem, violaceum.* Additque hos tantùm colores esse in arcu, & quod mirère, ἀνάγκη τρίχρωμόν τε εἶναι αὐτήν, καὶ τούτοις τοῖς χρώμασι κεχρῶσθαι μόνοις: *necesse est cælestem arcum tribus tantùm coloribus, & his, non aliis, debere infici.* Itaque rem ad necessitatem reuocat. Sed ex vicinitate tamen colorum ait, plures his apparere. Inde est, inquit, vt ξανθὸν quoque, id est, *flauus color*, appareat, quòd videlicet flauus medius sit inter puniceum & viridem. initio quoque illius tractationis λαμπρὸν, id est, *candidum*, assignauit, & hunc διὰ τοῦ μέλανος, quòd color splendidus per atrum appareat. Ab Nonno lib.2. dicitur πολύχροος, *multicolor.* & posteà colores quatuor coniungit hoc versu:

Χλωρὰ μελαινομένῳ ῥοδοειδέϊ λευκὰ κεράσσας:

Viridia nigricanti roseo colori candida commiscens.

Sanctus Cyprianus dat illi purpureum, & viridem, cùm canit in Sodomis:

Frænandis varium pluuiis mandauerat arcum,

Purpureo & viridi signantem nubila limbo.

Cæsarius *rubrum, cæruleum, viridem*: habetur hoc dialogo. 2. Ammianus lib. 20. quinque. Eius verba: *Cuius species quantum mortalis oculus contuetur, prima lutea visitur, secunda flauescens vel fulua, punicea tertia, quarta purpurea, postrema cæruleo concreta & viridi.* Inde ergo est, vt Poëtæ mille colores dent arcui, & Virg. signatè *croceum* hîc, & in 9. *roseum*:

Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est,

nisi quis hoc referat ad oris pulchritudinem. Pap.5. sylu. *picturatum* vocat:

Quæq; cadit liquidas Iunonia virgo per auras,


Et picturato pluuium ligat aëra gyro.

Tertium quod promisi, clarum adeunti nominatos auctores, qui aiunt arcum fieri ex reflexione radiorum solis, cùm is aduersus & oppositus nubi.

14. SVPRA CAPVT ADSTITIT] Reddit Homericum Odyss.4. στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς.

Anima veteribus aër. 15. ATQVE IN VENTOS VITA RECESSIT] Videtur loqui ex opinione illorum, qui putabant, animam esse nihil aliud quàm aërem, ac perinde exeuntem illam è corpore omnino euanescere. Hanc opinionem Orpheo attribuit Aristoteles lib.1. de Anim. cap. extremo, φησὶ γὰρ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι, ἀναπνεόντων φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων. Sed illam ibi expugnat, vt etiam Plato in Phædone, vbi ait: *Ex huiusmodi quidem educatione & exercitatione, non est cur metuat, ô Simmia & Cebes, ne cùm recedat à corpore, distrahatur & dissipetur, omnísque in ventos vita recedat, & supersit nihil quicquam.* Extrema sic habent Græcè: ὑπὸ τῶν ἀνέμων διαφυσηθεῖσα, καὶ διαπτομένη οἴχηται, καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ᾖ. Certè Poëtæ quibus παράδοξα plerunque arrident, iam pro sua hanc opinionem vsurparunt, cùm sæpe dicant efflatam animam in obitibus. Quin alii non Poëtæ, nam Philostratus lib.2. de vitis Sophist. πνεῦμα ἀφῆκεν, *emisit flatum.* & Ammianus lib. 19. *Alii confossis mucronibus prostrati, animis in ventum solutis, proiiciebantur exstincti.* Sed dici tamen potest, Poëtas non consensisse monstrosæ opinioni, sed tantùm hæsisse vulgari locutioni.

Finis lib.4. Æneidos.



P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER V.

ARGVMENTVM.

NAVIGANT *Troiani Carthagine Italiam versus, sed tempestate inuaduntur in ipso initio cursus: itaque, Palinuro monente, deflectunt ad Siciliam; occurrit illis Acestes cum muneribus. Capit Æneas consilium de sacris Anchisæ peragendis, proponitque militibus, ac numerat quatuor certamina; excitaturque ad illa peragenda omine anguis, qui apparuit inter sacra. Adest iam ludorum dies, conueniunt spectatores & certatores, locantur præmia in medio, tuba signum dat. Initur primo loco certamen naualis pugnæ; principes huius pugnæ sunt Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus: horum nauigia, Pristis, Chimæra, Centaurus, Scylla. Prosiliunt omnes ad cursum sonante tuba; in initio gloria prima est Gyæ, sed cadit ab illa gubernatoris culpa, & præmium Cloanthus obtinet; alternat deinde victoria inter Mnestheum & Gyan, sed obtinet Mnestheus, non Gyas, Sergestus extremo est loco: afficiuntur omnes præmio. Post nauale certamen sequitur cursus, conueniunt certatores multi, nominantur cum elogiis, proponuntur omnibus præmia, in communi, sed tribus victoribus separata. Curritur totis viribus, & cùm initio victoria fuerit Nisi, casu delapsa est ad Euryalum, qui princeps fuit in cursu, post illum Helymus, tertio loco Diores. Proponitur tertium certamen cæstuum, assignantur præmia victori, & victo. Dat se Dares iactabundè ad pugnam, opponitur illi Entellus senior, cuius tandem est victoria, pessimè multato Darete: datur vtrique propositum præmium. Succedit quartum certamen sagittariorum, suspenditur columba ex malo nautico, ad quam volucrem destinandi ictus. Fuit sors prima Hippocoontis; secunda, Mnesthei; tertia, Eurytionis; quarta, Acestæ: primus, malum figit; secundus, rumpit vincula; tertius, volantem auem transfigit; sagitta quarti in ignem vertitur transcurrentem instar cometæ, ad quod prodigium reliqui stupescunt, & Æneas omen accipit. Restat certamen vltimum puerorum. Hi Troiam ludunt ductantibus turmas Priamo, Aty, Iülo. Sub finem ludi, malè semper Iuno animata in Troianos, Irim mittit, quæ persuadeat fœminis (erant istæ remotiore loco à viris) nauium incendium, vt ita spes eundi in Italiam præcidatur. Itaque vruntur naues, perfertur nuntius ad AEneam, Ascanius eò aduolat, & agminatim Teucri, flammæ grassantur, remedium nullum, nisi in precibus: has vt AEneas fudit, flammæ exstinguntur, cadente imbre de cælo, supersuntque incolumes naues tantùm quatuor. Hoc successu coniicitur Æneas in æstum curarum, dubitans an Italiam pergat, an resistat in Sicilia. Apparet illi paterna imago, monetque vti fortes ad Italiam perducat, imbelles relinquat in Sicilia. Fit ita, conditur vrbs Acesta, vt habeant, qui relinquuntur, domicilium. Abeunt fortes cum duce Ænea. Venus interim de nato sollicita adit Neptunum, & questa primùm de Iunone, petit à Deo maris facilem Aeneæ in Italiam transmissionem, acquiescit Neptunus petitioni, & placat maria, vt facilis sit nauigatio. Nauigat ergo in Italiam Aeneas felicissimè, vno tantùm Palinuro morte absumpto in eo cursu.*



a NTEREA medium Æneas iam classe tenebat
Certus iter: fluctúsque atros Aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elissæ
Collucent flammis. b Quæ tantum accenderit ignem
Causa, latet. DVRI magno sed amore dolores
Polluto, notúmque FVRENS quid fœmina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

ARGVMENTVM.

Nauigant Troiani Carthagine: ex cuius incendio æstimant quid possit violatus amor, quid furens fœmina.

EXPLICATIO.

a Consurgit ex hoc initio nõ modicum πάθος. Dido se interficit, thalamus exundat sanguine, Regia clamoribus, vrbs tota incẽdio, Æneas interim *certus eundi*, *iam classe iter tenebat medium*, *secabátque fluctus atros ab Aquilone*, *respiciens mœnia*, *quæ collucent flammis Elissæ iam infelicis*. Vide etiam, quàm magna repræsententur, & illa formidanda. In mari est tempestas, flammæ in vrbe. Accedunt πάθη ab respectante Ænea, ab Didone infelice.

b Non caret difficultate sententia horum versuum. Vide interpretes. Mihi visum posse explicari Poëtam subordinatis dictionibus, vt hîc repræsentabo. *Latet causa, quæ tantum ignem accenderit. Sed pectora Teucrorum ducunt* (id est æstimant) *per augurium triste* flammarum, quas vident, *quid possint dolores duri amore magno polluto* (violato) deinde *que notum* illis est, *quid possit fœmina furens* amore contemptúve. Itaque sententia erit, Troianos secum ducere, & æstimare, quid possit violatus & contemptus amor, quid possit furens fœmina: & hoc æstimant per flammas, quas vident, quæque illis sunt augurium triste. Nam quantus ille furor, qui potuit incendere vrbem florentissimam? Id si non placeat, sic concipe. Duri dolores magno de amore violato concepti: notitia item, quã norunt, quò fœminæ furor euadere soleat, hæc inquam Teucrorum pectora per triste augurium deducunt, id est, triste aliquid augurari faciunt de rebus, aut vita Didonis.

NOTÆ.

1. INTEREA, &c.] Tale initium Valerij Flacci. 2. Arg.

Interea scelerum luctúsque ignarus Iason
Alta secat.

2. ITER] De mari, ex commutatione metaphorarum inter elementa. ita in 3. *trabe currimus æquor.* Cicero de Finibus *maria ambulare, peragrare.*

3. FLVCTVSQVE ATROS] Non de vera atritie fluctuum Poëtam loqui explicat lib. 3. Var. Hieronym. Mercur. Mare sanè læuore suo, ac planicie, vti est aqua omnis, album esse apparet: sed cùm læuor amittitur, & planum esse desinit, ita vt altera pars depressa, altera eminens videatur, tunc nigredo & atricies succedit, ex fractione radiorum. etenim tunc & lumen dissipatur, & ex aquarum illa alternatione vmbræ superinducuntur, inde fit vt atrum appareat: dicente in libro de Colorib. Aristotele: ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὕδωρ μέλαν φαίνεται, ὅταν τραχυνθῇ, καθάπερ ἡ τῆς θαλάττης φρίκη. διὰ γὰρ τὴν τῆς ἐπιφανείας τραχύτητα ὀλίγων τῶν αὐγῶν προσπιπτουσῶν, καὶ διασπωμένου τοῦ φωτὸς, τὸ σκιερὸν μέλαν φαίνεται. — Nigri fluctus in tẽpestate.

A *Similiter autem & aqua nigra apparet quando asperata sit, veluti in maris æstu. Nam ob superficiei asperitatem cùm pauci radij incidant, ac lumen diuellatur, quod vmbrosum est, nigrum videtur.* De asperitate, qua hîc loquitur Arist. capienda illa eiusdem Vatis,

Et glacialis hyems Aquilonibus asperat vndas.

Ergo Aquilo iam his fluctibus depressis, iam his eleuatis, reddebat mare atrum. Fortè hinc non abeat veteribus *Aquilum fluctum* esse μέλαν ὕδωρ; quod monuit in Fest. Iosephus Scal. quia videlicet atricies hæc efficitur ab Aquilone mare euertente. Neque illud interpretis Homeri. 3. Odyss. reddentis rationem, cur Homerus, Neptuno immolatos ταύρους παμμέλανας, dixerit. Reddens, inquam, hanc rationem, ait, Tauros Neptuno deberi propter sæuitiam, nigros verò propter colorem, qui fit ex aquarum profunditate sæuiente mare. Hinc iam se aperiunt Poëtarum multorum loca. Nam Horatius Od. 27. lib. 3. — Aquilus fluctus. — Tauri nigri Neptuno sacri.

B

Æquoris nigri fremitum.

Ouid. 11. Met. loquens de ponto,

Stygia modò nigrior vnda.

Propert. eleg. 7. lib. 3.

Cùm moribunda niger clauderet ora liquor.

4. SECABAT] Eustathius Homericum διατμῆξαι κῦμα explicat ἀντὶ τοῦ πλεῦσαι, καὶ διανήξασθαι.

5. MOENIA RESPICIENS] Reuocanda in hunc locum, quæ dicta 3. Georg. ad illud,

Et stabula aspectans regnis excessit auitis.

Etenim hîc Æneas vrbem illam respectat à qua ereptus Deorum beneficio. De Augusto Seneca. 1. de Clem. c. 11. *In adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit ad quæ inuitus oculos retorquebat.*

C

6. COLLVCENT FLAMMIS] Sententia facta ad Homerica vestigia, Il. 2. ἔκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. Pindarus quoque πυρὶ λαμπομένας dixit. vt verò sinistri aliquid vult Poëta Teucros auguratos ex flammæ fulgore, ita & Eurip.

Κάπνῳ δ' ἐσήμαιν' ἄστυ πολεμίων ὕπο.

Duo primi dicunt, longè splendorem, & ignem videri: postremus, fumo significari vrbem esse sub hostibus.

7. NOTVMQVE FVRENS QVID FOEMINA POSSIT] Non abs re, & mente Poëtæ fecero, si hîc coniunxero communem locum de fœminarum audacia in adeundis facinoribus, déque his, quæ consequuntur intemperantem & perniciosum earum amorem. Eurip. in Androm. cùm dixerit, data mortalibus à Diis remedia contra serpentes & viperas, subinfert. — Fœminarū vitia.

D

Οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξεύρηκέ πω
Κακῆς.

Sed nemo tamen Deorum remedia inuenit contra mulierem
Malam.

Ibidem Andromache ipsa,

Γυναῖκες ἐσμὲν ἄπορον κακόν:
Mulieres sumus sæuum malum.

Et Medea:

Γυναῖκες κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται:
Mulieres malorum omnium artifices sapientissimæ.

Et Oreste:

Δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας:
Potentes sunt fœminæ ad inueniendos dolos.

Venus machinatrix.

Pausanias in Arcadic. meminit Veneris cognomento machinatricis, quia nullum est fraudum genus, nullum quantumuis atrox facinus, quod ea causa non adeatur. In hunc perniciosum amorē conijcit Apoll. 4. loquens cum ipso Cupidine, *ἔριδας, στοναχὰς, γόους, ἄλγεα: contentiones, gemitus, luctus, dolores.* Menander, *θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν γυνή, Thesaurus malorum est mulier.*

Fœminarũ amor perniciosus.

Tritum, bellum per decennium propter vnam Helenen. Cui adnecte duo alia decennalia item bella, prius Thebanorum cum Phocensibus propter Thennonem raptam à Phocensi quodam, quod narrat Duris lib. 2. posterius apud Athen. lib. 13. ex Callisthene propter Megisthonem à Cyrrhæis raptam, quod non finitum, nisi euersa post annos decem Cyrrha. Verè dixit Anacr.

—νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον καὶ πῦρ καλή τις οὖσα.
Ferrum & ignem vincit si qua est pulcra.

Anaxilas apud Athen. lib. 3. scribit, *neque dracenam, neque chimæram flammivomam, neque Charybdin, neque tricipitem Scyllam Ponticam canem, neque Sphingem, Hydram, leænam, viperam, neque volucre Harpyiarum genus, neque vllam demum bestiam diritate sua conferri posse cum fœmina.* Hom. 4. Odyss.

Ὡς οὐκ αἰνότερον, καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός:
Vsque adeò nihil improbius muliereq; peius.

Quæ damna amor hic in omni æuo attulerit, quas vrbes euerterit, grauiter Philo persequitur, in lib. illo, quo docet, deterius potiori insidiari. Achill. Alex. lib. 1. multa in hanc rem infert, ac latissimo fœminarum catalogo Eriphyles, Philomelæ, Sthenobœæ, Aëropes, Prognes, aliarúmque calamitates adducit, quarum culpa in fœminis residet, & sic demum concludit, *O mulieres ad omne semper flagitium paratas: quæ ijs, quos diligunt, æquè perniciosæ sunt, atque ijs quos oderunt.* Quadrat Ouidiana illa. 2. Amorum,

—nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæq; foret.
Fœmina syluestres Lapithas, populúmque biformem
Turpiter apposito vertit in arma mero.
Fœmina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit in regno iuste Latine tuo.
Fœmina Romanis, etiam nunc orbe recenti,
Immisit soceros armáque sæua dedit,

Propertius, cum stomacho, lib. 2. eleg. 1.

Vna meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

Catonem apud Liuium lib. 34. fœminam vocat,
Impotens natura & indomitum animal.
& Seneca de Constan. Sapient.
Impudens animal.

[a] Vt pelagus tenuêre rates: nec iam ampliùs vlla
Apparet tellus, cælum vndique & vndique pontus:
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyemémque ferens, & inhorruit vnda tenebris.
[b] Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus,
Colligere arma iubet, validísque incumbere remis,
Obliquátque sinus in ventum, ac talia fatur:
[c] Magnanime Ænea, non, si mihi Iuppiter Auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo.
[d] Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti: atque in nubem cogitur aër.
[e] Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm
Sufficimus. SVPERAT quoniam fortuna, sequamur:
Quóque vocat, vertamus iter. nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis, portúsque Sicanos,
Si modo rite memor seruata remetior astra.

ARGVMENTVM.

In alto cùm essent, & Italiam versus, tempestate inuaduntur: ad eam peruincendam se comparat Palinurus; nihil cùm prosit, admonet sequendam fortunam, relinquendum cursum, eundum ad Siciliam.

EXPLICATIO.

[a] VBi prouectæ naues in altum sunt, id enim est pelagus. Inde sequitur, non iam tellus apparet, tantùm cælum vndique, & pontus vndique. Ergo in alto cùm essent, tempestate Æneas inuaditur. ...ox & hyems ponto incubant, vndæ tenebris inhorrescunt.

[b] Dat primas dolotis partes gubernatori ex magno iudicio, ideo *ipse ἐμφατικῶς*. Itaque primus conqueritur, cur tanti nimbi cælum cinxerint: conuertit se deinde indignabundus ad Neptunum. Fiunt hæc verbis paucissimis, etiam si magnus dolor, nam tempestas vrgebat. Ideo statim iubet vela colligi, remis incumbi, obliquari in sinum vela, omnia contra vim tempestatis.

[c] Statim ad Æneam conuersus ait, se de salute & Italia desperare, etiam spondente Ioue. Præclarè, nam hoc hominum genus proteruum vel in Deos, & procax.

[d] Ratio prima cur desperet. Quia venti fremunt etiam

etiam in transuersa vela.id est, in vela obliquata insinus. Itaque remedium illud obliquationis nullum fuit. quia venti quoque inde flabant pertinaciter. Ratio altera, quia venti consurgunt à vespere, & eò erat cursus. Nam Italia sita est venientibus ab oriente ad occasum, vbi nox, & vesper surgunt. Ergo, non spero posse me Italiam contingere, nam ea pars tota est atra tempestate, & inde venti surgunt. Ratio tertia, quia non solùm ea pars atra est turbine, sed aër totus addensatur in nubes, itaque vndique malum imminet.

Ab his rationibus statuit non posse iri obuiam vẽto, ideo monet, vt fortunam sequantur, deflectant ad Siciliam, vbi est Eryx Æneæ frater.

NOTÆ.

Pelagus, quid.

1. PELAGVS] Explicui altum, nam hoc est pelagus. Argumento sunt pisces pelagij, qui opponuntur littoralibus. Lege Plinium lib. 9. cap. 29. & Turnebum lib. 14. cap. 4. Sed & Poëta se explicat, nam 3. Æn.

Postquam altum tenuêre rates.

& Philo in Flaccũ apertè δι᾽ πελάγους, & ab illo signari mare altũ, liquidum est, nã opponit has duas voces, δι᾽ πελάγους, & κατὰ γῆν. Thucydides etiam lib. 8. naues petentes altum, ait ἀπαράσαι ἐς τὸ πέλαγος. Vegetius lib. 4. cap. 46. quod omnes altum, aut pelagus, vocat etiam *apertum mare*, & opponit littoribus.

Apertum mare.

Cæruleus pro atro.

2. CÆRVLEVS] Id est, ater, more Græcorum. Hom. in 1. Il.

Καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·

Et cæruleis superciliis annuit Saturnides.

quod valet, nigris, consensu Græcorum Grammaticorum. sic in 6.

Cærulea subuectat corpora cymba.

id est atra & nigra. Hic versus,

Olli cæruleus supra caput astitit imber,

modico flexu factus in 3. ita,

Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber.

3. NOCTEM HYEMEMQVE FERENS] Φέρων νύκτα μέλαιναν, est in Homero.

4. INHORRVIT] Pacuuius:

Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbûm
Occæcat nigror.

Attius apud Nonium:

Vt tristes turbinum toleraret hyemes mare cùm horret fluctibus.

sed hæc in 3. satis expensa.

Gubernator quis.

5. GVBERNATOR] Vox propria nauem administrantis. Maximus Tyrius dissertat. 27. Κυβερνήτης ἀγαθὸς, καὶ εὔστοχος: *sciens prouidúsque gubernator*. obuia hæc vox in Græcis omnibus, & Latinis. Docet nos Aristides, gubernatorem nequaquam inter nautas numerandum, imò his illum præesse. Quoties enim incidit in hæc nomina, & sæpe incidit, semper ita loquitur, vt illius in hos principatum agnoscat, vt cùm ait in prima Platonica, εἰ κυβερνῆται τῶν ναυτῶν ἄρχουσι: *imperant gubernatores nautis*: in eadem, ἀκούουσι μὲν οἱ ναῦται, λέγει δὲ ὁ κυβερνήτης: *audiunt nautæ, gubernator loquitur*. Quæ verba abire possunt in parœmiam, & id putabit, qui legat reliqua Aristidis. A Polluce etiã lib. 1. gubernator dicitur τῆς νεὼς ἡγεμών, ὁ ναυτῶν ἄρχων. *Dux nauis, princeps nautarum.*

Adagium.

Puppis locus gubernatoris.

6. PVPPI] Hic locus gubernatoris. in Catone, Cicero, *similes sunt, vt siquis gubernatorem in nauigando agere nihil dicat, cùm alij malos scandant, alij per foros cursitent,*

A *alij sentinam exhauriant, ille autem clauum tenens sedeat in puppi.* Ouidius in Epist. Sapphus.

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido.

Quianam.

7. QVIANAM] Sic legunt Probus, Priscianus, Erythræus, Seruius, aliique. vt sententia sit, cur tanti nimbi cinxerunt æthera? hic enim *quianam*, dictum esse pro cur, aduerbio interrogantis, omnes suprà dicti volunt. hanc lectionem vetustissimi omnes codices adhibent, vt latè in suo indice Erythræus, latiùs Pierii in variis lectionibus Virgilianis. Charisius etiam inter aduerbia interrogandi, recenset *quianam*, adducto hoc Maronis carmine. Festus quoque: *Quianam pro quare, & cur, ponitur.* Firmátque hoc Næuiano carmine de Bell. Pun.

Summe Deûm Regnator quianam genuisti?

B Atqui Iouianus omnes eludit, dicítque legendum *heu quinam tanti*, & sic scriptum esse à Marone, cui tamen non astipulamur, primò propter turbam eorum, qui aliter legunt: deinde, propter vetustatem codicum antiquorum: tertiò, quia eodem aduerbio, & in eadem sententia Poëta lib. 10. vsus,

Cælicolæ magni, quianam sententia vobis
Versa retro.

id est, cur versa retro sententia est? quartò, quia Quintilianus lib. 8. acerrimi vir ingenij, sic loquitur: *proprijs dignitatem dat antiquitas, eòque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius est vsus, olli, & quianam.* Quintò, quia versus Virgilij factus videtur ad imitationem Enniani illius:

Heu quianam dictis nostris sententia flexa est?

C sic enim versum legendum admonet Ios. Scal. in Festum: quo eodem versu Virgilianam lectionem firmat Hieron. Columna. Demum quia commoda est sententia, si legas, quianam. Palinurus enim cùm diram tempestatem vidit, quærit quid Troiani commeruerint? quid peccauerint? cur tanti nimbi cælum obtexerint? quid Neptunus paret aduersum pietatem Æneæ? Læuinus ait, particulam, *nam*, addi ornatus gratia.

Arma in re nautica quæ sint.

8. ARMA] Discat tandem iuuentus, quæ sint arma, siue armamenta, in re nautica, non omnia nautarum instrumenta, sed tantùm vela, funes, rudentes, & talia huiusmodi. Virgilius hîc apertè discriminat, & arma, id est, vela, iubet colligi, remis incumbi. itaque remi non sunt arma, vsu Græcorum, & Latinorum. secus

D sentit vulgus, &, quod mirere, Henr. Steph. voce ὅπλα, sic ait: *de nauticis quoque armis dicitur, vt sunt remi, conti, & huiusmodi, vt apud Virg. armis spoliata nauis.* Odyss. ζ.

νηῶν ὅπλα μελαινάων.

Odyss. λ.

ὅπλα πονησάμενοι κατὰ νῆα.

& Odyss. β.

Telemachus suos remiges iubet ὅπλων ἅπτεσθαι: hæc ille, sed verè labitur vir doctus. testimonia, quæ coniungit, capi possunt, & capiuntur de velis, neque in Homero aliquid est, quo necessariò ducamur ad remos, aut contos. Statui hoc probare, parcat lector si longus videar; hoc enim interesse iuuentutis arbitror.

E Testimonium Virgilij nihil efficit, cùm de velis quoque accipi possit, quin verbum *spolio* aptius traducas ad lintea, quàm ad lignea. Quæ ex Homero adducit, examinanda omnia. Odyss. ζ. hæc habentur.

Ἔνθα δὲ νηῶν ὅπλα μελαινάων ἀλέγουσι
Πείσματα, καὶ σπεῖρας, καὶ ἀποξύνουσιν ἐρετμά:
Ibi verò nauium armamenta nigrarum curant,
Rudentes, & spiras, & poliunt remos.

Vbi, cur non accipi armamenta illa de rudentibus, & spiris possint, non de remis? vt duo dicat vates, & lincurata, & ligna polita. Odyss. λ. sic ait:

Ἡμεῖς

Ἡμεῖς δ' ὅπλα ἕκαστα πονησάμενοι κτ̀ νῆα
Ἥμεθα· τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν·
Τῆς δὲ πανημερίης τέταθ' ἱστία ποντοπορούσης·
Nos autem armis singulis ordinatis per nauem,
Sedimus: hanc ventúsque gubernatórque dirigebat.
Huius autem tota die extendebantur vela per pontum iter facientis.

In his nulla mentio remorum, cur ergo ad illos confugiam? Odyss. 6. quo maximè fulcro nititur Henr. Stephanus, sic Homerus scribit,

Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν
Ὅπλων ἅπτεσθαι· τοὶ δ' ὀτρύνοντος ἄκουσαν,
Ἱστὸν δ' εἰλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης
Στῆσαν ἀείραντες, κτ̀ δὲ προτόνοισιν ἔδησαν,
Ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσιν.
Ἔπλησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστίον·
Telemachus autem socios hortatus iussit
Arma aptare, hi verò adhortantem audiuerunt.
Malum autem abiegnum cauam intra basem
Constituerunt eleuantes, rudentibus autem colligarunt:
Traxerunt autem vela alba bene tortis loris.
Impleuit autem ventus medium velum.

Non videas hîc remiges aptatos remis, potiùs velificatores ad cursum comparatos: rudentes parantur, trahuntur vela, implentur vento. Faciunt præclarè verba Plinij lib. 19. cap. 1. in fine explicantis Homerum. *Thoracibus lineis paucos pugnasse testis est Homerus. Hinc fuisse & nauium armamenta apud eundem interpretantur eruditiores, quoniam cùm sparta dixit, significauerit sata.* Vides vocari *armamenta*, quæ sunt spartea, & linea. Quæ dixi agnoscunt viri non pauci, neque è plebe, & in his Iunius, Turnebus, Germanus. Qui tametsi rem non agitent, sed cùm de hac re loquuntur, nihil de remis in ore habent, tantùm de armamentis, & velis: primus in Nomencl. signatè, *arma velorum sinus dicit Virgilius.* Alter lib. 19. cap. 29. adducto hoc Virgilij versu, subdit: *imitatione Græcorum à Marone dictum est, qui armamenta veláque ὅπλα etiam vocant*, firmátque hoc versu Theocriti:

Κουφότερ' ὦ παῖδες ποιεῖσθ' ὅπλα, πλάξιμος οὖρος·
Leuiora facite ô pueri arma, est enim secundus ad nauigandum ventus.

Postremus Turnebo hæret. Ad idem conducit, voces Græcas, quibus vela significantur, omnes desumi à vestibus & linteis, nunquam à ligneis: tales sunt ἱστίον, ἄρμενον, ὀθόνη, φάρσον, λαῖφος, λίνον. Dicam itaque arma vel armamenta in re nautica semper esse referenda ad vela, ad funes, ad rudentes: nunquam ad remos, nisi testimonium aliquod alluceat, quo ad remos ducar necessariò: tum, si quod obuium, & erit fortasse, manus dedam. Hæc postquam scripseram, vidi in And. Schotto litterarum maximo professore, verba, quibus ea quæ dixi, maximè firmantur. Adducit ille in lib. 3. Contr. Senecæ hæc quæ in Græcorum naualibus legibus leguntur: Ἐὰν δέ τις κλέψῃ σκεύη πλοίου ἤτι ἐν τῷ πλοίῳ χρηματιζόντων, τελέσι σχοινίων τε καννάβινων, ἢ ἀρμένων, ἢ διφθέρων, καὶ λοιπῶν, διπλᾶ ἀποδιδότων, ὁ τὰ σῦλα ποιήσας τὰς ζημίας: *Si quis armamenta nauis, aut quid aliud naui necessarium subduxerit, veluti funes cannabinos, aut vela, aut cilicia, aut simile quid, damnum passo in duplum reponito.* Vides, vt, explicatis armis, nihil ligneum inferatur, non malus, non rostrum, non remus: sed omnia lintea. Nec me mouet, scribi à Polluce rostrum æreum inter arma nauis, nullo enim firmat auctore. Inter ναυτικὰ σκεύη, annumera omnia, non inter ναυτικὰ ὅπλα. Notet deinde meus lector, sicuti arma, quæ militaria sunt transferuntur ad rem nauticam, sic ex eodem fo[ntе] verbum *colligo*, quo milites vtebantur in v[as]orum (Colligere vasa.)

A conclamatione. Liui. lib. 27. *extinctis ignibus vigilia prima, dato signo, vt vasa colligerent.* & lib. 21. *iussis militibus vasa silentio colligere.* Cicero 6. in Verr. *ille ex Sicilia castra iam mouerat, & vasa collegerat.* Eòdem accedit, verbum *iubendi* militare quoque esse, vt inferes ex posteriore Liuij testimonio, & ex eodem lib. 9. *Consul vbi armatos paratósque videt, signa extra vrbem proferri iussit.* Sil. lib. 12. (Iubeo, verbũ militare.)

———castris aulæa mouere
Signa iubet ductor.

Itaque *arma, colligere, iubet*, militaria omnia. Nam hoc habet Virg. vt cui metaphoræ semel institit, eidem venustè hæreat.

9. OBLIQVATQVE SINVS IN VENTVM] Sinus hîc vocat vela, quæ non omnino collecta, nam repugnat hæc obliquatio. itaque bene Seru. *colligere arma, vela contrahere non penitus deponere, nam dicit, obliquátque sinus in ventum.* Ergo. Palinurus obliqua tendit vela, vt videlicet ventus colligatur non secundus, & ne de recto cursu auferatur nauis venti impotentia. Obliquatio autem sinus fit, non patiendo vtramque veli partem æquatam esse, quod fit altero fune reducto, altero producto. Itaque velum torquetur, & transfertur in latus, ne plenè accipiat ventum secundum, & quia id fit ministerio pedis, eo videlicet prolato, nam pede velum tenditur, inde fit, vt prolatus pes, & obliquatio sinus, idem sit. Cæcilius, (Obliquare sinus velorum.) (B) (Pes in re nautica.)

Venerio cursu veni prolato pede vsque ad Saphonem.

id est, sinu obliquato. & Plinius lib. 2. cap. 47. *iisdem autem ventis in contrarium nauigatur prolatis pedibus.* debes hoc Turn. Ex qua obseruatione lucem dabis Lucano, lib. 5. qui vtramque rem coniunxit, & obliquationem, & pedem: (C)

— totósque rudentes
Laxauêre sinus, & flexo nauita cornu
Obliquat læuo pede carbasa.

Obliquationi oppones ex nota Pollucis lib. 1. πάντα τὰ ἱστία ἀναπεπταμένα, ὑποδεξάμενα πάντα ἄνεμον: *Vela omni ex parte expassa, ventum omnem excipientia.* Galenus lib. 1. de vsu Partium cap. 19. πλαγίων νεῶν dixit, signans obliquitatem. πλαγίων ἐχουσῶν τὸν ἄνεμον νεῶν.

10. MAGNANIME] Cur hoc epithetum præ alio? nuntiat tristia, ergo animum attollit duci, comparátque ad calamitatem, perinde, ac si dicat, magnanimum te volo in hoc incommodo fortunæ.

(D) 11. NON, SI MIHI IVPPITER AVCTOR SPONDEAT, HOC SPEREM, &c.] Pulchre ait Scal. his Palinurum mortem suam vaticinio prædixisse, nam Italiam non contigit, aut manibus tantùm, & cadauere contigit. Nec minùs pulcre Seruius *eleganter gubernatorem ostendit priùs omnia tentare, quàm ad confessionem descendat.* Præcessit quippe collectio velorum, studium remigum, sinus obliquatio. quo facto, victum esse fatetur. locus ipse similis illi. 2. Æn.

—non si ipse meus nunc afforet Hector.

Tibullus lib. 4.

Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.

12. IN NVBEM COGITVR AER] Phrasis poëtica ad explicandam densitatem cæli obtenebrati. Papinius lib. 1. Theb. elegantissimè id ipsum expressit verbo, *inglomero* & *volumen*, cùm ait: (Aër in nubē cogitur.) (Inglomero de nubib.)

(E) *— plurimus Auster*
Inglomerat noctem, & tenebrosa volumina torquet.

id ipsum Maro expressit verbo *inuoluo*, sic,

Inuoluêre diem nimbi, & nox humida cælum
Abstulit.

Horatius Od. 13. Epod.

Horrida tempestas cælum contraxit.

Sed locum Virgilij illustrati Albericus ex Apuleio, Seneca, Plinio. Ait primus lib. de mundo: *ventus est multum*

multum & vehemens in vnum coacti aëris flumen. Alter lib. 3. Nat. Quæst. *si ventus est fluens aër, & flumen est fluens aqua.* Tertius lib. 8. *ventus est fluctus aëris.* his fit, vt ventus cùm fluit, dicatur aër: cùm cogitur, dicatur aqua. Hoc tantùm attigit Virgilius, tres reliqui dixerunt clarè. Aër dictus aqua.

13. NEC LITTORA LONGE FIDA REOR FRATERNA ERYCIS] Ea loca iam perlustrauerat Palinurus, cùm Drepanum cum classe appulit, vbi defunctus Anchises. sed inde cùm læti ad Italiam soluissent, esséntque prope illam, nimirum in Tyrrheno æquore, vt habetur lib. 1. per initia, vi tempestatis coacti sunt retro ad Africam redire. Iam nunc ex Africa iterum renauigant in Italiam, sed tempestate iterum compellente nequeunt rectum cursum tene- A te, & conuertuntur ad Drepanum, vbi peragitur Anchisæ apotheosis, & funerales ludi. Ex hac igitur pristinarum rerum memoria Palinurus loquitur. Vocat verò Siciliam *fraterna Erycis littora*, quia ibi regnarat Eryx, qui filius Veneris, & Butæ. Fuit Butes filius Amyci Regis Bebryciorum, superati à Polluce in certamine cæstuum, in Argonautarum expeditione. Itaque Butes, patre interfecto, in Siciliam fugit, vbi à Lycaste nobili scorto propter formæ decus amatus, ex ea sustulit filium Erycem. Hanc Lycastem, appellatam deinde fuisse Venerem, ob eximiam pulcritudinem, auctores produnt. Hæc interpretes, præsertim Hortens. qui multa addit. mihi semper visum his fabulis modum statuere. Diodorus lib. 4. *Eryx Veneris, ac Butæ Regis filius.* Erycis genus. Butes.

a Tum pius Æneas, Equidem sic poscere ventos
Iam dudum, & frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an sit mihi gratior vlla;
Quóque magis fessas optem dimittere naues,
Quàm quæ Dardanium tellus mihi seruat Acestem?
Et patris Anchisæ tumulo complectitur ossa?
b Hæc vbi dicta, petunt portus: & vela secundi
Intendunt Zephyri, fertur cita gurgite classis,
Et tandem læti notæ aduertuntur arenæ.

ARGVMENTVM.

Annuit Æneas Palinuro ratione triplici, deflectit in Siciliam classis.

EXPLICATIO.

a PRobat Palinuri consilium, & nequit aliter, vento semper pertinaciter flante. Ratio triplex, cur victus eat in sententiam Palinuri. Prima, quia frustra obnituntur contra tempestatem, & venti id poscunt, id est, volunt, explicatore Brodæo lib. 9. Miscell. cap. 20. vbi reprehendit meritò interpretem, qui explicat, aduersari. Altera ratio, cur libenter auertatur à cursu Italiæ, diuertátque ad Drepanum Siciliæ, quia ibi Acestes Dardanius. Tertia, quia ibi tumulus Anchisæ. Itaque Æneam mouet vis venti, amicitia erga Acestem, pietas erga patrem.

b It iam in semel deliberata, nam relinquit Italiæ B cursum, diuertit ad Drepanum, Zephyri flant secundi, atque ita classis fertur citissimè. Ait *notæ arenæ*, quia iam fuerant in Sicilia, atque etiam Drepani.

NOTÆ.

1. TVMVLO, &c.] Hic versus factus ad imitationem Lucretij lib. 1.

Morte obita quorum tumulo complectitur ossa.

2. SECVNDI] Inest in his omen quoddam. Quippe Dij videntur plaudere voluntati Æneæ diuertentis ad Siciliam: nam iam tum secundi venti cœperunt flare, & læti Troiani tendere ad locum non destinatum sibi, sed veluti oblatum Deorum volun- C tate.

3. ARENÆ] Eleganter, pro littore. ita. 1. Æn. Arena pro littore.

——*hospitio prohibemur arenæ.*

&:

Potiuntur Troës arena.

At procul excelso miratus vertice montis
Aduentum, sociásque rates, occurrit Acestes,
Horridus in iaculis, & pelle Libystidis Vrsæ:
Troïa Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, & gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

ARGVMENTVM.

Cui venienti Acestes occurrit cum muneribus, Troianus origine.

EXPLICATIO.

ADmirationem in Aceste successus parit. poterat enim suspicari classem esse in Italia, vt qui ne- D sciret tempestate delatam esse in Africam. Ex occasione describitur Acestis habitus, genus, humanitas: habitus, nam cum iaculis, & pelle Vrsæ Libycæ: genus, nam filius Egestæ Troianæ fœminæ, & Crinisi amnis Siculi: humanitas, nam Troianos rusticanis diuitiis solatus est. hoc videlicet primũ Troiani excepti cõuiuio sunt ab Aceste, non tam sumptuoso, quàm ad laborem statim subleuandum opportuno.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. PROCVL] Hoc exemplo, vt multis aliis Virgilianis, firmantur, quæ dicta iam lib. 3. Æn. per initia. Neque enim *procul* apposuit Virgilius eo significato, quo vulgus accipit.

2. PELLE LIBYSTIDIS VRSÆ] Hoc epithetum in 8. repetit, quod non otiosè à Poëta scribitur, nam & Libya feris abundat, & inde pulcerrimæ solebant pelles adferri. hæc Turnebus, adducitque Hesychium, cuius hæc sunt, δέρμα Λιβυκὸν, ὡς κάλλιστον: *pellis Libyca quàm optima.* Adde, videri Virgilium contendisse ad Orphei exemplum, qui dixit,

Ἀλλ' ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα.
Sed pectoribus inducit vrsi pellem hispidam.

Quo exemplo efficitur, Virgilium de vrsa verè capiendum, & id simplicius, & verius. Africani Vrsi scriptoribus celebrati. Herodotus in Melpomene de Libya, quæ πρὸς τὴν ἠῶ. καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσί, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε, καὶ ἄρκτοι: *Et leones apud hos sunt, & elephanti, & vrsi.* Solinus, cap. 29. *Numidici vrsi forma cæteris præstant, rabie dumtaxat, & villis profundioribus* Iuuen.

Profuit ergo nihil misero, quòd cominus Vrsos
Figebat Numidas.

Martial.

Quòd freno Libyci domantur vrsi.

Lipsius. 2. Elect. cap. 4. Strabonem addit, qui sic de Mauris: *pedites elephantum pellibus pro clypeis vtuntur, leonum autem, pardalium, vrsorum, induuntur, & indormiunt.* Hi omnes, vt vides, vrsos proclamant in Africa nasci. Contra hos omnes Plinij pugnat auctoritas. Qui lib. 8. cap. 35. & 58. ait, vrsos non gigni in Africa, miratúrque, & stupet ad vocem hanc *vrsos Numidicos.* multi Plinium explodunt. defendit Lipsius dicto loco, & vult probare, in Africa vrsos non nasci, neque Virgilium de vrsis capiendum. Secus sentimus, & ita agitanda quæstio, quæ sanè vtilis ad Virgilij, & Poëtarum reliquorum, & scriptorum omnium cognitionem, qui in Africa vrsos constituunt. Dicit itaque Lips. Romanos olim, cùm peregrina ad eos vehebantur, solitos stupere, & illis dare nomina non propria, sed obuium è vicino suo rure. Sic elephantum, quem nunquam viderant, cum boue compararunt, & bouem dixerunt, cum additione, lucam. sic struthionem dixerunt, passerem marinum; Camelopardalim, ouem feram: igitur ait, leones à Romanis, cùm primum ad eos aducti sunt, appellatos vrsos Africanos, vel Numidicos, ab vrso, fera illis notissima. Atque adeo omnes, qui vrsos Africanos nominant, capiendos de leone. Eiusdem est sententiæ Iul. Cæsar Bulungerus de venat. c. 19. lib. 1. *putem (ait) Libycos vrsos dici leones.* Iuuat hanc sententiam Seru. cuius hæc sunt in hunc locum, *aut re vera vrsæ, aut fera Africana.* His ille tuetur Plinium. Sed obsecro si hoc verum est, non sciuit Plinius leones dici, vrsos Numidicos? si enim sciret, non tantopere ad eam vocem stupuisset: intellexissétque, vrsos Numidicos in Actis, leones esse: videt hoc Lipsius, & inscitiæ Plinium damnat. Nihil iam profuit in vno defendisse, cùm in altero damnet. Neque mihi possum persuadere, Plinium ignotasse modum loquendi vsurpatum à Marone, Iuuenale, Martiale, & vulgo à Romanis omnibus; cadere enim in Plinium hic error non potuit. Itaque, dum Plinium vendicat ab errore, maiore implicat; Romani omnes leonem vocabant, vrsum Numidicum, & nesciuit hoc Plinius? nugæ: perinde ac si mihi aliquis vellet intrudere, ignorasse Plinium, elephantem dictum à Romanis,

A bouem lucam, quod ipse asserit lib. 8. cap. 6. & ignorasse Camelopardalem dici, ouem feram. quod ipse quoque ait lib. 8. cap. 18. Deinde, si apud Maronem Libystis vrsa est leæna; & apud Martialem & Iuuenalem Numidici & Libyci vrsi, leones sunt, quid ad Herodotum & Strabonem, qui & leones & vrsos, facta distinctione Africanos commemorant? videt hoc quoque, & respondet pauculos fortasse vrsos esse in montana aliqua parte Africæ. sed hoc suffugium est, vt apparet. Existimemus itaque in Africa vrsos esse. Quid igitur ad Plinium? Nam ignorasse illum, quæ Strabo, & Herodotus scripserant, quis credat? videat lector an illud dicere potuerit Plinius, cùm ex eo contrarium videatur elici? quod sic efficio. In eodem capite, quo negat, vrsos esse in

B Africa, sic de vrsis loquitur, *exeuntes, herbam quandam Aron nomine, laxandis intestinis, alioqui concretis, deuorant.* Atqui idemmet de hac herba sic loquitur lib. 19. cap. 5. sub finem *est inter genera, & quod in Ægypto Aron vocant, Scillæ proximum amplitudine, folijs lapbati, caule recto decem cubitorum, baculi crassitudine.* Aron autem Plinius nullum nisi Ægyptium adducit, nam lib. 24. vbi de Aro loquitur, sermonem refert ad id quod dixerat lib. 19. vbi de Ægyptio solùm scripserat. Atqui Ægyptus in Africa est. certum est ergo, Plinij vrsos Aron edere ad intestina laxanda, & non aliud, ex sententia eiusdem, nisi Africanum, cùm alterius nullius Plinius meminerit, neque hanc herbam alibi constituat. Nescio, an me fallant digiti. Non nego Arum alibi nasci, sed Plinianum, id scilicet nego. Est & pro me locus Symmachi lib. 2. epist. 75. ad Flauianum, vbi loquens de Romanis ludis, & vocans leonem, feram Libycam, apertè ab vrsis discriminat. verba eius sunt: *Interea nos vrsis sæpe promissis, & diu speratis sub ipso articulo numeris indigemus. vix enim paucos catulos laceratos inedia & labore suscepimus. Et de leonibus fama conticuit, quorum aduentus posset efficere, vt vrsorum defectum congressio Libyca compensaret.* id est, congressio leonum Libycorum. Nam certè ita de leonibus loquitur sæpe Symmachus, quod & obseruauit Iuretus in notis ad illum. Quæ de Elephante, Struthione, camelopardali afferuntur, nihil pertinent ad leonem. Illæ enim feræ serò admodum Romanis cognitæ, & aliquæ nostro etiam æuo raræ: sed princeps ferarum leo quando Romanis ignotus? quando illi genti mortalium? itaque qui non viderunt, sciunt tamen esse leonem. Assentiamus verò Lipsio; Africanos vrsos paucos esse, sed qui satis ad defensionem Virgilij. Vrsi enim non degunt in ardentissimis locis. In Africa verò locos esse amœnissimos, & temperatos, & vario arborum genere consitos multorum testimoniis discimus. Quæ de numo quodam afferuntur, nihil mouebunt illum, qui sciat, in Italia, Romæ in primis, lucri gratia tales confingi, abdi, mox erui situ plenos, ad fallendos cupidos antiquitatis. Ergo non audacis erit putare in Plinij loco debere legi, *Vros Numidicos.* Inde autem stupor Plinij, & admiratio, nam vri esse Numidici quî possunt, cùm solùm nasci in Germania sciamus? vri ex Cæsare. 6. Gal. habetur. sed roges: vrine venerunt ad Romanos ludos? venire certè potuerunt, præsertim cùm dicat Cæsar in vrorum venatione plurimùm exerceri solitos Germanos adolescentes, & ab illis studiosè interfici, & plurimos vros capi. itaque quamuis ferum animal, tamen facile captu est. Huc accedit à Iano Duza, & Hadriano Iunio, doctissimo vtroque, in Martiale legi,

Namque grauem gemino cornu sic extulit vrum.

non *vrsum*, vt vulgus legit. Sentit igitur & Duza, & Iunius venire solitum hoc animal ad Romanos ludos.

Aron, herba.

Vri.

dos. Et certè is credet, qui considerauerit Romanorum exquisitum studium in adducendis nouis semper feris, & inuisis, ad eos ludos. Similis error potuit facilè irrepere in posteriore Plinij loco. Has nobis moras lector condonet, & audiat coniecturam aliam, qua existimamus Virgilium de vera vrsa capiendum. Est in fabulis, & nos ex Seru. adducimus. 1. Æn. Acestem natum ex Egesta compressa à Criniso conuerso in vrsum. Quis scit igitur, an ad hos natales Virg. alluserit? Cur autem non adiumenta à fabulis assumam ad veritatem indagandam? ad quas sæpe poëtæ recurrunt, & Virgilius sæpissime.

Acestæ genus.

3. CRINISO] Petenda hæc ex lib. 1. Æn. ad illud,

Troianóque à sanguine clarus Acestes.

4. AMICIS] Aliquis hîc amet, *amicos*.

Postera cùm primo stellas oriente fugarat
Clara dies, socios in cœtum littore ab omni
Aduocat Æneas, tumuliq; ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à sanguine Diuûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis;
Ex quo relliquias, diuiniq; ossa parentis
Condidimus terra, mœstásque sacrauimus aras.
Iamq; dies (ni fallor) adest, QVEM SEMPER acerbum,
Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.
Hunc ego Getulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicóve mari deprensus, & vrbe Mycenæ;
Annua vota tamen, sollemnésque ordine pompas
Exsequerer, struerémque suis altaria donis.

ARGVMENTVM.

Sequenti die quàm ad portum Æneas appulit, proponit consilium suum de sacris Anchisæ peragendis.

EXPLICATIO.

Parentis cura pium hominem ante omnia premebat. itaque vix pedem Drepani fixerat, cùm sequenti die summo mane socios in locum vnum coniungit, quibus ex aggerato tumulo proponit, adesse diem, ac tunc compleri annum, quo Anchises fuerit terra conditus: qui dies tum acerbus propter magnitudinem doloris, tum in honore habendus propter apotheosin patris. Additque se semper annua vota, sollemnes pompas patri exstructurum, cumulaturúmque donis altaria, etiam si esset inter Syrtes Afrorum, qui immanissimi; inter ipsos Græcos, qui acerbissimi hostes.

NOTÆ.

1. FVGARAT] Pindarus Od. 1. Olymp. solem, ait, lucere ἐρήμας δι' αἰθέρος, *per desertum ætherem*, nimirum fugatis reliquis sideribus suo splendore. Eadem sententia locutus est Valer. Flacc. lib. 3.

Tertia iam gelidas Tithonia soluerat vndas,
Exueratq; polum.

Sic hîc Maro stellas fugatas inducit ad diei claritatem. & 3.

Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis.

Pari sententia Horatius lib. 3. Od. 12.

Dum rediens fugat astra Phœbus.

Aliter explicat Leonicerus locum Pindari, sed hanc esse, quam dixi, illius mentem, auctorem habeo Plutarchum, de Isid. & Osir. vbi sic ait. ἐπεὶ δ' ἡμέρας φῶς ἓν μέν ἐστι, καὶ ἁπλοῦν, καὶ τὸν ἥλιον ὁ Πίνδαρος ὁρᾶσθαι φησὶν ἐρήμας διὰ αἰθέρος: *Quando diei lumen vnum est, & simplex, ac solem Pindarus conspici ait per desertum æthera.*

2. TVMVLIQVE EX AGGERE FATVR] Morem hunc militarem alibi exorno.

3. GENVS ALTO A SANGVINE DIVVM] Quia *Dardanidæ* ideo *genus Diuûm*. Nam Iouis filius Dardanus, & Electræ, quæ etiam ex Diis.

4. ANNVVS EXACTIS, &c.] Contendit Æneas instaurandos esse patri honores, ac funus renouandum: nimirum Græcorum consuetudine; quæ cùm aliàs, tum maximè Lysiæ oratione innotescit. Is enim orationem habuit luculentam & grauem ad populum Atheniensem, non quidem pro tumulandis his militibus, qui cecidissent in bello, sed pro instaurandis honoribus illorum virtuti, postquam iam essent tumulati. τίς γὰρ ἂν ἢ λόγος, ἢ χρόνος, ἢ ῥήτωρ ἱκανὸς γένοιτο μηνύσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀνδρῶν ἀρετήν; *Quæ enim oratio, quod tempus, quis Rhetor satis esse queat laudandis fortissimis viris, qui hoc loci tumulati sunt?* iterum, ἀνάγκη τοῖς ἀρχαίοις ἔθεσι χρῆσθαι, καὶ θεραπεύοντας τὸν πάτριον νόμον ὀλοφύρεσθαι τοὺς θαπτομένους: *Necesse est priscos ritus seruemus, ac iuxta patriam legem deploremus sepultos.* Ex hoc more Thucydides lib. 3. in oratione Platæensium, ἀποβλέψατε γὰρ ἐς πατέρων τῶν ὑμετέρων θήκας, οὓς ἀποθανόντας ὑπὸ Μήδων, καὶ ταφέντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ, ἐτιμῶμεν κατ' ἔτος ἕκαστον: *Cernite parentum vestrorum sepulcra, quos à Medis interfectos, & in nostra terra sitos, quotannis publicè honestamus.* Sic apud Homerum Achilles mortuo Patroclo ludos instituit, & Statius. 6. Theb. Archemori tumulo, & de annuo honore signatè Tibullus,

Mortuorum sacra annua.

Annua constructo serta dabit tumulo.

Hæc de more. Sed illustro locutionem. *Annuus orbis*, nihil est aliud, quàm annus, sed est poëtica dilatatio. ita apud Tibullum lib. 4. *æstiuum orbem*, id est, æstatem. Qua locutione vsus idem Tibullus lib. 1. eleg. 2.

Orbis annuus.

Cùm libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Cùm libet, æstiuo conuocat orbe niues.

id est æstate. ita enim legendum in Tibullo. Ad eum modum Horatius lib. 3. Od. 23. *pomifero anno* est, quod idem lib. 4. Od. 7. *pomifer autumnus*. Ergo ex imitatione

tarione Poëtarum dices, orbis, aut annus hybernus, æstiuus, vernus, autumnalis: pro hyeme, æstate, vere, autumno. Non abit in 6. dici, *frigidus annus*, pro hyeme.

5. ARAS] Nullus hic tropus, propriè loquitur, & signatè *aras* dicit, nam hæ duæ erant, ex more veteri. firmaui alibi. sic in apotheosi Daphnidis, aut Cæsaris:

Aræ duæ in apotheosi.

——en quattuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duóque altaria Phœbo.

Læuinus per *aras* intelligit sepulcrum ipsum, sicut apud Ouid. Met.

Ante sepulcrales infelix astitit aras.

& Suetonium in Neron. cap. 50. *In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante lunense ara, circumseptum est lapide Thasio.* Sed quæ dixi potiora, vt quæ ex more præcipuo apotheoseon.

6. QVEM SEMPER ACERBVM, &c.] Cùm dicat Æneas, patris funus semper sibi in honore, semper in mœrore futurum, non aberunt ab hac sententia aliæ aliorum, qui diuersa peruenustè amplectuntur. Sophoclis in Antig.

Ἀλλ' ἡδέως ἔμοιγε, κἀλγεινῶς ἅμα:
Sed iucundè mihi certè, & dolenter simul.

Et in Electr.

Ἤχθηρα, κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ,
Odi amauique in die vno.

Euripides in Phœniss.

Ἓν ἦμαρ μ' ὤλβισεν; ἓν δ' ἀπώλεσεν:
Vna dies me beauit, vna perdidit.

Neque abeunt, quæ iactantur de Medea amante, simul ac sæuiente ad visos liberos: quæ res appellet Græca epigrammata. Quid Latini? luserunt pari venustate. Tacitus. 2. Annal. *Magnáque illic imago tristium lætorúmque.* & 4. Hist. *Isq; præcipuus illi dies magnæ offensæ initium, & magnæ gloriæ fuit.* Plautus Epidic. *Perdidisti, & repperisti me soror.* Ouidius: *tu non inuenta, reperta es.* Habent istæ sententiæ acumen non ingratum. Sed nulla mihi videtur comparanda neque grauitate, neque venustate, cum ista,

Iamq; dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.

7. HONORATVM] Crediderim referendum ad manes Heroum, qui honorati dicebantur. Nemes. 1. Ecl.

Manus heroum.

Quare age si qua tibi Melibœi gratia viuit,
Dicat honoratos prædulcis tibia Manes.

8. GETVLIS SYRTIBVS] Syrtes magna & parua circa Africam sunt in mari Mediterraneo, loca nimirum vadosa, & noxia nauigantibus. de quibus dictum alibi. ideo autem ad signandam rem Afrorum, ad Getulos potiùs quàm ad alios confugit, quia hi noti morum feritate, & primi deinde Afrorum, scribente Sallust. in Iugurth. *Africam initio habuêre Getuli, & Libyes, asperi incultíque: queis cibus caro ferina, atque humi pabulum, vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiusquam regebantur: vagi, palantes, quas nox collegerat, sedes habebant.* In exemplaribus Ptolemæi correctissimis habetur hæc vox cum diphthongo, *Gætulia.*

Getuli Afrorum.

9. DEPRENSVS] Verbum hoc referendum ad tempestatem apud classicos auctores, Germanus monet. Horat. Od. 16. lib. 2. *prensus Ægæo* dixit. Et Seneca de vit. Beat. c. 14. *Deprehensi in mari Syrtico.* & Pedo Albin. apud Senec. 1. Suas. *ratibus prensis.*

10. VRBE MYCENÆ] Lege hîc Seruium. Legunt aliqui, *vrbe Mycena.* Alij, *vrbe Mycenis.* Præfero, *vrbe Mycenæ.* Sic in carmine obscœno:

Dodone tibi Iuppiter sacrata est,
Iunoni Samos, & Mycena diues.

vel, vt alij, *& Mycena ditis.*

11. POMPAS EXSEQVERER] Signatæ voces, nam & *pompa* ad funera pertinuit, & exsequiæ mortuorum sunt. Itaque verbo ipso exsequias signat. Sicut & Terentius Andria, *funus portatur, nos sequimur.* Poëtæ vulgares, nisi clarè dicant *exsequias*, nō sibi satisfaciunt. Disce à Virgilio & Terentio. ille *exsequerer.* hic *sequimur.* Redeo. Isidorus lib. 11. *Exsequiæ, cadauer dum portatur, imo ipsa pompa & comitatus sequentium cadauer.* Varro dixit *exsequiaria.*

Exsequiæ.

12. DONIS] Dona superorum esse numinum; munera inferorum, Seruius admonet.

Dona, & Munera, vt distinguantur.

[a] Nunc vltro ad cineres ipsius, & ossa parentis
(Haud equidem sine mente, reor, sine numine Diuûm)
Adsumus, & portus delati intramus amicos.
[b] Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:
[c] Poscamus ventos, atque hæc me sacra quotannis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
[d] Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in naues: adhibete Penates
Et patrios epulis & quos colit hospes Acestes.
[e] Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiísque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis:
Quíque pedum cursu valet, & qui viribus audax:
Aut iaculo incedit melior, leuibúsve sagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu.
[f] Cuncti adsint, meritæq; expectent præmia palmæ,
Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.

ARGVMENTVM.

Confert in Deos appulsum suum ad eum portum: vult patrem prosequi diuinis honoribus, & apotheosi: enumerat certamina quatuor: fauorem imperat.

EXPLICATIO.

a Pergit Æneas, dicitque, Deos fuisse aduentus sui in Siciliam auctores. Vocat portus eos *amicos* propter Acestem.

b Hortatur iam ad celebrandam apotheosin Anchisæ.

c Quam ad rem poscendi venti? Ad certamen fortasse nauticum, quod iam instabat. Vel, vt alij volunt, ad futuram nauigationem. in quod inclinem. Nam venti, quî necessarij ad ludos, qui peracti intra portum, & remorum tantùm auxilio? Pergit. *atque hæc me sacra*, &c. Sententia est. vtinam ipse Anchises velit me quotannis ferre hæc sacra, vrbe posita, templis dicatis sibi. Id est, post vrbem positam, post dicata templa.

d Circumstantia ad perficienda sacra ex Acestis liberalitate, qui vt cognatus Troianorum dabat *Capita boum, bina munera in naues.* id est boues duos nauibus singulis. Inde admonet adhibendos ad hæc sacra & Penates patrios, & Acestis.

e Absoluit cum ingenti pollicitatione celebrandi apotheosin ad diem nonum. Atque enumerat quatuor certamina, quæ editurus in honorem patris, principe loco nauticum, deinde certamen cursus (Silius lib. 16. vocat *certamina plantæ*) tertio iaculorum, quarto cæstuum. Porro Troiæ non meminit, quod vltimum, & quintum certamen, nam hoc, non tam ab Ænea, quàm ab Ascanio exhibitum. Dubitet aliquis, verba illa, *& qui viribus audax*, ad quod certamen pertineant. Refert Seru. Dan. vel ad omnia, vel ad luctationem, quæ non exhibita. Neutrum credo: non primum, quia, cur eo magis loci posita pars illa pertinens ad omnia certamina, quàm aut initio, aut in fine? non alterum, quia non sic solet esse obliuiosus Maro. ergo refero ad cursum, ad quem cur non necessariæ audacia & vires? iudicet, qui in simili certamine constitutus fuit. Sed quid illud? *incedit*: placet Nasc. Hoc genus hominum victoriam adepti incedunt per ora hominum magnificè, suásque victorias ostentant. aptè itaque iuncta, *incedit melior.*

f Definit cum admonitiuncula, qua paratos iubet esse, poscit fauorem, atque, vt sacris operaturus, caput ramis adornat.

NOTÆ.

1. HAVD EQVIDEM SINE MENTE, &c.] Vertit in religionem, quod casu accidisse videbatur. appulerat eò classis tempestatis vi, aitque, id accidisse mente Diuûm, & numine. Hæc olim veteribus seruata ars ad militares animos commouendos. Exemplum suppetit Curtius lib. 4. apud quem deficiente luna, & condente nitorem suum, ac fœdata rubore quodam sanguinis, cùm inde milites animo deficerent, vocati sunt Magi ab Alexandro, & iussi expromere, quod sentirent: tacent illi, quod sciebant natura accidisse in Luna, & rem vertunt in religionem, qua re plurimùm erecti sunt animi militum. Omittitur locus, quia longiusculus.

2. HONOREM] Capias per *honorem* sacra, ex consuetudine sermonis Latij, & obseruatione Briss. hoc alibi. Et ex mea, non sacra vtcunque, sed sacra mortuo- *Honor de sacris defunctorum.*

A rum, de quibus hic sermo. Honor enim de sacris mortuorum sæpissimè. Sic suprà,

— quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.

Valerius Max. lib. 4. c. 1.

Huic exsequiarum illum honorem vocis adiecit.

3. SACRA] Eruditè notat Turnebus, Æneam multis in locis quinti huius libri parenti suo apotheosin fecisse, id est, telationem in superos, atque hæc omnia Romano more seruato. Nam & hîc templa se pollicetur facturum, & quotannis laturum sacra. addit lectisternium, cùm ait,

—adhibete penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.

B Sed & sacrum Nouendiale,

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Constituit etiam ludos funebres, & more Romano Naumachiam,

Prima citæ Teucris ponam certamina classis.

& quia in sacris faciendis iubebant ore faueri, dicit *ore fauete omnes.* sic certè vsitatum veteribus, vt suos mortuos diuinis honoribus prosequerentur. Liuius, lib. 29. de Philopœmene Achæorum duce sic dicit, *Sepultus ab vniuerso Achaïco est consilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, vt ne diuinis quidem abstineretur.* *Defunctorū apotheosis.*

4. BOVM] Sic apud Homerum Patroclo fit ab Achille apotheosis, cæsis bobus. Vt hîc, *dat numero in*

C *naues*, sic alibi, *in naues partitur.*

5. PATRIOS] Hîc non πατρίοις capias, sed πατρῴους. Penates (inquam) vrbis patriæ Troiæ, non paternos. Discussa hæc lib. 1. ad illud,

Non nos aut ferro Libycos populare Penates.

6. EPVLIS] Signat lectisternium ex mente Turnebi, & aliorū. Ex quorundam, cœnam adhiberi solitam in honorem mortuorum, quam veteres vocant *funebrem.* & Apul. signatè *feralem.* cùm ait. 4. Flor. *cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent.* Et vulgus *silicernium.* Sed esto proculdubio à Turnebo. Nam cœna funebris, feralis, & silicernium, quod idem, communibus mortuis adhibebatur, lectisternia Diis, in quorum numerum hic Anchises refertur. Indicat præter alia vox *epulæ*, qua vsus poëta. Tertullian. Apolog. *quo*

D *differt ab epulo Iouis silicernium*, &c. vbi cœnam funebrem vulgarium mortuorum à lectisternio Iouis vocibus ipsis discriminat. *Lectisternium.* *Mortuorum cœna.* *Epulum in defunctis, quid.*

7. QVOS COLIT HOSPES ACESTES] Ambigas de quibus Penatibus capiendus sit Poëta: esse enim possunt, vel Siculi, contra Seru. P. Dan. nam Acestes Siciliæ Rex fuit: vel Drepanitani, ita vt patrij vrbium Penates intelligantur, iuxta illa, quæ dicta. 1. Æn. vel demum domestici; in quod qui inclinet, non malè inclinet, propter mentionem hospitis.

8. SI] Hac particula non hîc notari conditionem, sed tempus, Ant. Muret. admonet in Catull. vt in 6. *Si, de tempore.*

—si lumina vitæ
Attigerint.

E & Catullus ipse:

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia.

9. NONA] Moris fuit Romani, quem tacitè attingit Poëta, vt, post nouem à defuncto homine dies, nouendialia sacra fierent. inde *nouendiales dissipare pulueres*, de Canidia dixit Horatius 17. Epod. quòd, quo die religiosè solebant coli mortui sacris, & ludis, venefica impiè illorum cineres solita esset dissipare, & violare busta. Sed illud moris fuit, vt interdum per nouem dies pararentur quæ necessaria essent sepul- *Nouendialia sacra.*

turæ, ac tum demum condeetur defunctus. Stat. 6 Theb.

Roscida iam nouies cælo dimiserat astra
Lucifer, & totidem lunæ præuenerat ignes
Mutato nocturnus equo.

Attingit porro hunc morem: nam mox subdit,

Mirum opus, accelerante manu stat saxea moles,
Templum ingens cineri.

Nam videlicet dabat operam, vt moles sepulcri tum perfecta esset. Donat. in Phorm. *in nuptijs septimus dies instaurationem voti habet, vt in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Græci sacrificia illa, atque epulas, quæ peragebantur nono die post defunctum hominem, dicebant ἔννατα. Subtexe his morem non negligendum. Ante nouendiale sacrum dicebatur defunctus *positus supra terram.* Inde lucem accipiunt verba Varronis, lib. 3. de vita populi Romani, cùm ait: *Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum: vt dum supra terram esset, ricinijs lugerent, funere ipso pullis pallijs amictæ.* Vbi funus separat ab eo, quod est supra terram. Adi in Coniectaneis Scaligerum. Hunc morem fuisse quoque ex ritu Græcorum alij obseruarunt. Sed ego inde lucem do Plutarchi loco de Consolat. ad Apollonium, vbi ita scribit: *Æschines ita Demosthenem accusat, septimo à morte filiæ die, antequam luctu defunctus esset, aut mortuæ iusta persoluisset, coronatus albatúsque rem sacram fecit, legésque violauit improbus vnica amissa filia, quæ prima eum patrem appellarat.* Vbi iusta illa nondum mortuæ persoluta de nono die capienda, à quo spatio dies duos ademit Demosthenes. Obserua etiam, nouendiale propriè esse sacrum, quod fit nouem continuis diebus, quam rem non signat dies nona Virgilij. Consule Læuinum in Comment. ad Horatium: Cæterùm integro Maronis loco Silius institit lib. 16. his versibus,

Positus defunctus quã diu dicebatur.

Mente fauete pari, atque aures aduertite vestras,
Septima cùm Solis renouabitur orbita cælo,
Quíque armis ferróque valent, quíque arte regendi
Quadriiugos pollent currus, queîs vincere planta
Spes est, & studium iaculis impellere ventos,
Adsint, & pulcræ certent de laude coronæ:
Præmia digna dabo, & Tyria spolia inclyta præda,
Nec quisquam nostri discedet muneris expers.

Certamina in honorem mortuorũ.

10. PONAM CERTAMINA] In honorem mortuorum edi certamina, notius est quàm vt multis indigeat. Lysias in oratione funebri pro Atheniensibus bello abreptis, ἀγῶνες τίθενται ἐπὶ αὐτοῖς ῥώμης, καὶ σοφίας, καὶ πλούτου: *in ipsorum laudes certamina sunt constituta virium, sapientiæ, atque opum.* Obiter adnota, constituta quoque fuisse certamina sapientiæ in laudem mortuorum, quod dici existimo propter certamina, ac cenotaphia edi solita ad laudandos mortuos, vt iam hinc etiam lux accedat quintæ Eclogæ, in qua pastores Menalcas, & Mopsus certaturi conueniunt, ac prædicaturi pro suo quisque genio virtutem defuncti Daphnidis. Ludos funebres sæpissime infert Liuius, sed imprimis lib. 28. vbi ait, Scipionem, patris, & patrui, gladiatorum spectaculo ludos funebres addidisse: sed & Homerus, & Orpheus ludos funebres exhibent, quo & Patroclus, & Cycicus honestentur, ille ab Achille, hic ab Iasone. Quin non alia origo gladiatorij muneris, quàm res mortuorum.

11. CVNCTI ADSINT] Vt hîc cunctos adesse ad certamen denuntiat, ita Achilles apud Homerum. 23. Il. in suo certamine.

Ἄλλοι δὲ στέλλεσθε κατὰ στρατὸν, ὅστις Ἀχαιῶν
Ἵπποισίν τε πέποιθε, καὶ ἅρμασι κολλητοῖσιν:
Vos verò alij accingimini per exercitum quicunque
Achiuorum
Equis fidit, & curribus compactis.

Fauor in sacris.

12. ORE FAVETE OMNES] De fauore hîc latiusculè. Fauor sollemnis fuit vox sacrorum, à theatris, & scenis petita, si Apuleio lib. 1. Flor. credo sic scribenti: *Si mimus est, riseris: funere, plus timueris: si comœdia est, faueris: si philosophus, didiceris.* Inde lucem accipit Plautus in prologo Amphit. qui suos spectatores, *fauitores* vocat,

Fauitores in theatris.

Virtute ambire oportet, non fauitoribus,
Sat habet fauitorum semper, qui rectè facit.

Fauor in re mortuorũ.

Sed quid si poëta plus vidit, quàm alij? Fuit enim id verbi vsurpatum quoque in re mortuorum. Vetus inscriptio apud Salonam vrbem Dalmatiæ in tumulo parasiti. ADESTE. MIHI. ET. FAVETE. EDICTOQVE. HVIC. VOS. SVBSCRIBITE. ET. OBSIGNATE. His tamen missis; difficilis est quæstio eruditis nostris de potestate horum verborum *fauete linguis*, aut *fauete ore*, nonnullis fauorem hunc ad silentium trahentibus, ita vt hac verborum forma imperaretur taciturnitas: aliis secus sentientibus, videlicet imperari non merum perpetuúmque silentium, sed tum silentium tempestiuum, tum etiam vt in tempore & opportunitate faustè & feliciter acclamaretur. Ego, vt negare non possum aliquando silentium imperatum in sacris, ita dico languidè plurima auctorum loca explicari, si de silentio intelligantur. Primum firmo auctoritate Aristophan. in θεσμ. vbi Cerealium sacra præcedit sermo hic Euripidis ore:

Fauere linguis, quid sit.

Fauere de silentio.

Σῖγα, μελῳδεῖν ἂν παρασκευάζεται.
Tace, modulatio apparatur.

Iterum ore Serui.

Εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς
Στόμα συγκλείσας, ἐπιδημεῖ γὰρ
Θίασος μουσῶν ἔνδον μελάθρων
Τῶν δεσποσύνων μελοποιῶν:
Ἐχέτω δὲ πνοὰς νήνεμος αἰθὴρ,
Κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω
Γλαυκόν.
Bene ominans totus sit populus,
Os concludens, approperat enim
Tripudium Musarum intra atria
Herilia musica.
Contineat flatus suos tranquillus æther,
Neque resonent maris fluctus
Cærulei.

Senecæ sic scribentis ad Gallionem de vita beata, c. 26. *Quoties mentio sacrarum litterarum interuenerit, fauete linguis. Hoc verbum, non, vt plerique existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt rite peragi possit sacrũ, nulla voce mala obstrepente.* Et Seruij hunc in locum dicentis: *Apto sermone vsus est & sacrificio, & ludis. Nam in sacris taciturnitas necessaria est, quod etiam præco magistratu sacrificante dicebat, fauere linguis, fauere vocibus, hoc est, bona omina habete, aut tacete. In ludis quoque necessarius fauor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dicit. fauet autem ore quis per taciturnitatem.* Demum Donati in eundem hunc locum: *In sacris, ore fauete, est, silentium commodate.* Idem scripsit in prologo And. Terent. Alterum, nimirum languidè explicari loca auctorum, si de silentio intelligantur, aperiunt hæc Ouidij lib. 15. Met.

Fauere de voce.

—— cognouit Numina custos
Euinctus vitta crines albente sacerdos,
En Deus est, Deus est! animis linguisque fauete
Quisquis ades, dixit: sis ô pulcerrime visus
Vtiliter, populósque iuues tua sacra colentes.
Quisquis adest, visum veneratur numen, & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piúmque
Æneadæ præstant & mente & voce fauorem.

Cassiod.

Cassiod.lib.1. 43. *Huic ergo P. C. tot ac talibus meritis prælucenti fauete linguis.fauete colloquijs : erit quoque beneuolentiæ laus, vt, cùm dignis caritatem impenditis, ad exemplum ceteros incitetis.* Dicit enim ad horum exemplum,alios bene quoque acclamaturos.Deinde cùm ea forma verborum aliquando peteretur,vt infausta ab auditoribus proferrentur , quis neget verba fuisse necessaria? aliter nequitet iudicari, an bona vel mala fieret ominatio. Clarè Ouidius in Ibin:

Nulla mora est in me,peragam rata vota sacerdos,
Quisquis ades,sacris ore fauete meis.
Quisquis ades sacris,lugubria dicite verba.

Tertio, εὐφημία, & τὸ εὐφημεῖν opponuntur τῇ δυσφημίᾳ,& τῷ δυσφημεῖν,vnde apud Sophocl.εὔφημα φώνει, B & in Epig.εὔφημος γλῶσσα, in quibus necessaria vox. Ex hac doctrina Lipsf.2. Elect.cap.10. lucem dat Vopisco in Aureliani vita. adducam locum,quia eo firmantur , quæ dixi. *Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse , donasse etiam populo Romano tunicas albas* A *manicatas , lineas Afras , atque Ægyptias,ipsúmque primum donasse oraria populo Romano , quibus vteretur ad fauorem.* Vbi *oraria ad fauorem* erant, quidpiam quod ori adiungeretur , induceretúrve ad vocem augendam,intendendam,dirigendam.Ego itaque Poëtam, cùm dixerit non solùm *fauete*, sed,*ore fauete*, traho ad hoc alterum,non ad silentium.

13. CINGITE TEMPORA RAMIS] Ex more sacrorum,quo, qui ea peragerent, coronabantur. Tertull.de corona militis. *Ipsæ denique fores,ipsæ hostiæ, & aræ,ipsi ministri, & sacerdotes eorum coronantur.* Seru.in hunc locum : *Ex Romano more. Nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat.* Phrasis ipsa,*cingite tempora*,est in Horatio & Tibullo.Prior lib.1.Od.7. Coronæ in sacris.

Tempora populea fertur cinxisse corona.

Posterior lib.2.eleg.1.

—Et spicis tempora cinge Ceres.

Noster quoque.1.Geor.

—cingens materna tempora myrto.

[a] Sic fatus, velat materna tempora myrto:
Hoc Helymus facit,hoc æui maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius. sequitur quos cetera pubes.
[b] Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
[c] Hîc duo rite mero libans Carchesia Baccho,
Fundit humi,duo lacte nouo, duo sanguine sacro:
Purpureósque iacit flores,ac talia fatur:
[d] Salue sancte parens, iterum saluete recepti
Nequicquam cineres, animæque vmbræq; paternæ.
[e] Non licuit fines Italos, fataliaque arua,
Nec tecum Ausonium (quicunque est) quærere Tybrim.

C

ARGVMENTVM.

Coronat se myrto,faciunt hoc reliqui, it ad tumulum, libat funditque inferias tres, flores iacit, patrem salutat, affectus mouet.

EXPLICATIO.

a PRæit Æneas ad sacra,velans caput myrto,quæ sacra matri Veneri. Hoc idem ad eius exemplum faciunt omnes, ætas (inquam)omnis, viri, senes,pueri. Vir Helymus,senex Acestes,puer Ascanius.

b Pergit mox ad tumulum. Vide comitatum : hac enim frequentia induci oportebat principem omniū Æneam.

c Postquam accessit ad tumulum, sequuntur inferiæ (Græci dicunt χοὰς) fudit Æneas vinum meracum,lac,sanguinem:vniuscuiusque bina pocula.Addidit inferiis flores. Est *libans fundit* libat, & fundit. Est *rite* purè,explicatore Scaligero.

d Voces omnes signatæ sunt , neque fusæ tantùm currente vena.*Salue* vox est apotheoseon,vt & *sancte*. Ideo *recepti cineres iterum* , quia post tempus insumptum Carthagine, iterum Drepanum rediit. *Nequicquam* παθητικῶς.Ereptus enim Anchises fuerat à Troiano incendio,vt Italiam videret:sed frustra,ereptus, nam non vidit, ideo sequitur,*Non licuit*,&c. Cur *animæq; vmbræq;*,dicam in Notis.

e O vim fatorum.*Non licuit*, post tot errores *quærere tecum*(plena omnia ἐμφάσεων)*fines Italos, arua fatalia, Tibrim Ausonium*. & quia nunquam viderat , addit ἐκ μεγάλε πάθες,*quicunque est*.

NOTÆ.

1. VELAT MATERNA TEMPORA MYRTO] Nam myrtus sacra est Veneri,inde hæc Dea, quæ plerumque rosis ; myrto interdum coronatur. De ea Ouid.3. Art. Myrtus sacra Veneri.

Dixit,& è myrto(myrto nam vincta capillos
Constiterat)folium granáque pauca dedit.

Quare autem myrtus sacra sit Veneri, satis fusè aperit Seru.Petri Daniel.quem adi, illa omnia in vulgaribus desiderantur. Seruianis adde causam aliam, quam attingit Nicander in Alexipharm. videlicet ideo sacratam Veneri,quia ea coronata prodierit ad D certamen pulchritudinis,victoriámque reportauerit. Ab hac victoria iam hæc planta dicata huic Deæ. Et quia dicata illi, dictum est à Philostrato lib.2. Icon. Ἀφροδίτην ἐλεφαντίνην ἁπαλαῖς μυρρινῶσιν ἄλσεσιν ἁπαλαὶ κόραι: *Eburneam Venerem in mollibus myrtetis molles canunt puellæ*. Dici etiam possit,ideo sacram esse Veneri hanc plantam , quia sacra dicatáque coniugiis, quod satis indicat Plinius lib.29.cap.15. *Myrti species Catoni Coniugula,fortasse*(addit) *à coniugiis*.inde Passeratius lucem dat Catullo,qui Iuliam nubentem cum myrto comparat. Vide quæpiam in illo ad hanc rem. Neque verò solùm quòd myrtus esset Veneris , Æneas coronatur,sed re vera,quòd hæc olim planta in honore esset ad conficiendas coronas. quod indicat epithetum myrtis datum à Theophrasto 5. Plant. & Antiphane in Cretensibus,à quibus στεφανώτιδες , coronariæ vocantur. Antiphanem Athenæus lib. 3. adducit.Pindarus Od.8.Isthm.quoque. Myrtus dicata coniugiis.

——ἀ-
λίκων τῷ τις ἀέρων
Ἀμφὶ παγκρατίῳ Κλεάνδρῳ
Πλεκέτω μυρσίνας ςέφανον.

Coætaneorum aliquis nectat coronam myrti splendidam Cleandro ob victoriam pancratij. Inde Horatius Od.4. lib.1.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto.

Naucratites corona. Hîc te admoneo, fortasse allusionem fieri ad Naucratitæ coronæ genus, quæ è myrto conficiebatur, & data est à Venere, & post nauigationis tempestatem. Lege Athen.lib. vltimo. Iudicabis enim fortasse viso Athenæo ad eam rem Poëtam animum adiecisse. Sed parce lector, rimor ampliùs mentem Poëtæ. Præmitto verba Scholiastæ Aristophanis in Vespis. μυρρίναις γὰρ ἐςεφανοῦντο οἱ ἄρχοντες: *Principes coronabantur myrto.* Myrto principes coronati. Cur non ergo putem Æneæ Principi ex hoc more datam myrti coronam? Inde ibi Bdelycleon ad exposcendam pacem Deorum, & Deorum sacra peragenda, vult afferri necessaria, intérque ea myrtos. Tria numerat, πῦρ, μυρρίνας, λιβανωτὸν: *ignem, myrtum, thus.* Notátque Scholiastes, adeo propriam fuisse coronam hanc principum in sacris, vt sit μυρρινᾶν idem quod, ἀρχῆς ἐπιθυμεῖν. sententia est, μυρρινᾶν esse appetere principatum. Inde Christianus Florens explicat factum Harmodij, & Aristogitonis, qui cæsuri tyrannum, gladium in myrti frondibus occuluerunt, quasi viderentur, honorem non cædem adferre principi.

2. ÆVI MATVRVS] Duplex est Græcorum imitatio, nam & locutio, & verba Hellenica sunt. Hellenismus. Primum mihi tum multi, tum imprimis Budæus suppeditat, qui genitiuum pendentem ab adiectiuo reiicit in Græcos fontes. itaque cùm ista occurrant, æui maturus, tenax recti, boni studiosus, & infinita alia, puta te loqui Græca locutione. Maturum de ætate. Alterum Turn.lib.22. cap.12. nam & Hesychius πεπείραν pro anu Græcos dixisse scribit. Sed & Aristopha. ait:

Οὐ γὰρ ἐν νέοις τὸ σοφὸν ἔνεςι, ἀλλ' ἐν πεπείροις:
Non est sapientia in iuuenibus, sed in senibus.

est autem propriè πέπειρος, concoctus, & maturus, à πέπτω, id est, coquo. Græcum id imitari etiam sunt Horat.ad Pisones, *maturusq; senex.* Et Auctor de morte Drusi,

Quid numeras annos? vixi maturior annis.

id est, senior. nam sequitur,

Acta senem faciunt, hæc numeranda tibi.

Ætas progressa, altior, exita. Est verò ætas matura: quam Suetonius in Claudio appellat *progressam*, quam Apuleius *altiorem.* lib. 1. quam Agellius lib.3.c.15. *exitam*, ex correctione Lipsij lib.1.Elect.cap.21.

3. PVBES] Hîc *pubem* capio, vt 1.Æn.

—puppésque tuæ, pubésque tuorum.

Transfer in hunc locum, quæ ibi.

4. MAGNA COMITANTE CATERVA] Adde ad sententiam præpositionem *cum*, nam ab ea procul dubio pendet casus ille, si Budæo credo, Iuli. Scaligero, Franc. Brocensi, Thomæ Linacro, aliísque doctis. Ablatiuus absolutus exploditur. quibus quis abnuat? imò quis Tullio, Liuio, Plauto? Primus ex Ennio: *dóque volentibus cum magnis Dijs.* Alter l.23. *agite cum Dijs bene iuuantibus.* Tertius in Pers.

Sequere hac mea gnata cum Dijs volentibus.

Mitto alios. iuuat ratio, imò admiratio, nam quis credat, casum illum necunde regi? idem existimato de aliis, qui vulgò dicuntur absoluti casus. Cùm audis, *peracto bello, cœna facta, relicta domo,* subaudi, à: hac sententia, à peracto bello, à cœna facta, à relicta domo: id est, post peractum bellum, &c. Cuius locutionis forma sparsa plurima in auctoribus, quos ego pr[æ]tereo, ne grammaticum agam. A Cùm audis, *Tullio Consule, Rege Alexandro, dominante Cæsare*, subintellige, *sub:* quæ etiam locutio frequentissima.

5. MERO] Ex more vetere merum fundebatur in honorem defunctorum. Merũ in honorẽ defunctorum. Sed hoc alibi. Hîc tantùm noto, fortasse Poëtas, qui merum exhibent in honorem defunctorum, intelligere, vinum recèns expressum, & planè musteum. Nam Thucydides lib.3. in re mortuorum, ait offerri illis ἀπαρχὰς *primitias.* Primitiæ defunctis. Nihil autem magis ad primitias vini accedens, quàm in vino mustum. Video ista eludi posse.

6. CARCHESIA] Duo hîc dicam. primùm de forma Carchesij; alterum, vnde ductum nomen. Formam Carchesij forma. Athenæus exhibet lib.11. ex Callixeno. Ποτήριόν ἐςιν ἐπιμηκες συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς, ὦτα ἔχον μέχρι τοῦ πυθμένος καθήκοντα: *Carchesium procerum, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis, à summo ad infimum pertingentibus.* B sic vertit Macrob. lib.5.Satur.cap.21. Sed perperam: nam quî mediocriter ansatum est poculum, cuius ansæ pertingunt à summo ad infimum? Tu sic vertas cum Dalecampio: *Est poculum oblongum, in medio leniter compressum, auribus vtrinque ad fundum vsque descendentibus.* Paulo aliter Casaubonus in Animaduers. ad Athen. Hæc de forma: sed vnde ductum nomen? Carchesij nomẽ vnde. certè à re nautica, vt pleraque alia pocula: Est enim Carchesium summa pars mali. Inde signatè Seneca in Oedip.

Summa ligat vittis Carchesia.

Et Cinna in Smyrna,

Atque anquina regit stabilem firmissima cursum
C *Lucida qua fulgent summi Carchesia mali.*

Apollonij enarrator in lib.1. Argon. sic ait: Ἠλακάτη δὲ λέγεται τὸ λεπτότατον καὶ ἀκρότατον μέρος τοῦ ἱςοῦ κατ' Ἐρατοσθένην, ὑπὲρ ὅ ἐςι τὸ καρχήσιον: *tenuissima ac summa pars mali dicitur Elacate secundùm Eratosthenem, supra quam est Carchesium.* Malum enim in tres partes diuiditur; Mali nautici diuisio. inferior dicitur *pterna*, media *trachelos*, summa *carchesium.* Sic Macrob.5. Saturn. cap.21. cuius tamen sententia fœdata est duplici errore, nam ibi pro *mali* inuenies, veli: pro *pterna*, patera. emaculandus error ex verbis Asclepiadis apud Athen. lib. 11. ad quem Macrobius aspirat. sic verò ille: τοῦ γὰρ ἱςοῦ τὸ κατώτατον, πτέρνα καλεῖται· τὸ δ' οἷον εἰς μέσον, τράχηλος· τὸ δὲ πρὸς τῷ τέλει, καρχήσιον: D *Mali pars ima pterna vocatur; quæ verò est tanquam media, trachelos: quæ superna, ad extremum desinit, carchesium.* Adi Guliel. Philand. in lib.10.cap.8. Vitruu. Ergo carchesium dictum est vasculum, quod habeat similitudinem cum ea mali parte, quæ item carchesium dicitur. Athen. lib.11. *Vetustissimum poculum fuit carchesium, quandoquidem Iuppiter congressus cum Alcmena, concubitus mercedem carchesium dedit, vt refert Herodotus Heracleotes secunda Historia. Asclepiades Myrlean. appellatum fuisse prodit à quodam nauium armamento.* Græca, quæ ad rem pertinent, hæc sunt: Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς κεκλῆσθαί φησι τοῦτο ἀπό τινος ἐν τῇ νηῒ κατασκευάσματος. Habes iam formam carchesij, & vnde hoc dictum, hoc promiseram. quibus addidi triplicem illam diuisionem mali, quam & firmaui. Ac, vt nihil mihi arrogem, nonnulla ex his ex Baysio sumpsi: conferet, si volet lector, quæ ego addiderim. E

7. LACTE] Mortuis lacte sacra fiebant, præsertim in apotheosi, sic in 3. in funere Polydori: Lac in sacris defunctor.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

& Ecloga.5. in apotheosi Cæsaris,

Pocula vina nouo spumantia lacte quotannis.

Iis etiam inferis. Tibull. lib.3. eleg.5.

Interea nigras pecudes promittite diti,
Et niuei lactis pocula mista mero.

De his

De his plura ad versum illum 3. Æn. vbi & explicatum est, cur hîc lac dicatur nouum.

8. SANGVINE] Cur sanguis fundatur in exequiis inferorum, dixi iam. 3. Æn. ad illud:

Sanguinis & sacri pateras.

Tu hîc obserua perpetuam attributorum exornationem. Bacchus enim dicitur merus, lac nouum, sanguis sacer.

9. FLORES] Notus est mos, quo sepulcra floribus ornabantur: de hoc alibi.

10. SALVE] Heroum mortuorum manes hac voce *salue*, quam Poëta intulit, salutari solitos Brisson. notauit. Nam & Plin. lib. 7. cap. 30. Ciceronem mortuum sic alloquitur: *Salue primùm omnium parens patriæ appellate.* & Sil. lib. vltimo, Scipionem. — Salue, in sacris defunctorum.

Salue inuicte parens, non concessure Quirino.

Addo ego, eundem morem apud Græcos fuisse: Athen. enim lib. 1. in Cleonis cantoris statua insculptum fuisse epigramma scribit, quod hoc versu claudebatur:

Χαῖρε Κλέων Θήβας πατρίδ᾽ ἐπαγλείας:

Salue Cleon Thebas condecorans patriam.

Idem colligi potest ex epitaphio, quod in Theonis monauli honorem Dyillus inscripsit, éstque apud eundem Athen. lib. 4. extrema illius sunt, *εἴπατε, χαῖρε Θέων: Dicite salue Theon.*

11. ANIMÆQVE VMBRÆQVE] Discriminat animam ab vmbra imitatione forsitan Lucretij, qui lib. 1. inter simulacra, & animam, differentiam statuit, vt illa inferos petant; anima immunis sit huius descensus: — Anima, & vmbra, vti distinguantur.

Et si præterea, tamen esse Acherusia templa,
Ennius æternis exponit versibus edens,
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris:
Vnde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem.

Sed ad hanc rem faciunt imprimis, quæ dicam 6. Æn. Adi indicem in hominis diuisione. Sed cur animæ, & vmbræ in plurali? Poteris confugere ad animas, intelligentem, sentientem, nutrientem: quibus sua quoque vmbra respondeat. Seruius quatuor animas statuit. Adi. Sed cur non hîc confugiam ad tropum? quo potuit vti Poëta sermone magnificentiore. est enim magnificentius, *animæq; vmbræq; paternæ*, quàm, animáque vmbráque.

[a] Dixerat hæc: adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapsúsq; per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro
Squammam incendebat fulgor, CEV nubibus arcus
Mille trahit varios aduerso sole colores.
[b] Obstupuit visu Æneas. ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula serpens,
Libauitq; dapes, rursúsq; innoxius imo
Successit tumulo: & depasta altaria liquit.

ARGVMENTVM.

Exit anguis ab tumulo, quem Poëta à magnitudine, & pulcritudine describit, & cum cælesti arcu comparat. Ille libatis dapibus iterum se ad tumulum recepit.

EXPLICATIO.

a DEscribitur magnitudo anguis, qui emicuit ex tumulo, ab septem gyris, ab septem voluminibus: deinde pulcritudo ab notis cæruleis, quæ erant in tergo: à fulgore, qui instar auri, squammarum maculas accendebat: à similitudine arcus cœlestis contrahentis in nubibus varios multiplicésque colores, ex aduerso sole. Caue verò putes illa *cæruleæ notæ* esse in casu singulari, est enim rectus pluralis hac sententia. Cui notæ cæruleæ erant per terga, & fulgor maculosus auro incendebat squammam.

b Sequitur Æneæ stupor ad hoc prodigium. Quid verò tum anguis? Accessit serpendo ad pateras, vbi cibus; ad pocula, vbi merum. ac libatis depastísque omnibus, sese in tumulum abdidit, nullo illorum, qui aderant, nocumento. Duo obserues. Primum, opponit agmen longum septenis gyris. Itaque cùm apparuit, voluminosus apparuit: cùm voluit libare, iam tum se in longitudinem exporrexit. Alterum, serpens hic est obrepens. vt dicat, *anguis serpens.*

NOTÆ.

1. LVBRICVS] Ex anguis natura. Sic in 1.

Lubrica conuoluit sublato pectore terga.

Hic verò successus similis est illi, quem ex Sisenna adducit Tullius lib. 1. Diuin. ait enim, Sylla in agro Nolano immolante, ab infima ara subitò anguem emersisse.

2. ADYTIS CVM LVBRICVS ANGVIS] Sumptum hoc ex naturæ obseruatione, traditur enim serpens nasci ex spina hominis mortui, & fuisse hæc apud Ouidium. 15. Met. Pythagoræ opinio, dicente illo, — Anguis ex spina hominis.

Sunt qui cùm clauso putrefacta est spina sepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.

& Plin. lib. 10. cap. 6. *Anguem ex medulla hominis spinæ gigni accepimus à multis*, Plutarchus quoque in Cleomene ait, angues gigni ex medulla hominum, non minùs ac apes ex bobus corruptis, vespas ex equis, scarabeos ex asinis. Huc videtur doctus Poëta allusisse, cùm dicat serpentem prodiisse ex sepulcro Anchisæ. Quod aliàs quoque visum. ferunt enim serpentem emicuisse ex sepulcro Caroli Magni Francorum Regis, & tale quiddam apud Silium legitur, tumulum verò vocat adytum, quia ibi altare erectum, ibi ara, cuius mox meminit. Et cùm infrà dicat Poëta,

—rursúsque innoxius imo
Sucessit tumulo,

Videtur effici, anguem exiisse de tumulo. Idem scribit Isidorus cap. 4. lib. 12. aduocans Pythagoram; &

Ouidium. Faciunt insigniter verba Philostrati in Heroicis, vbi cùm dicat repertum fuisse mortuum duodecim cubitorum sepulcro effosso, adiicit inuentum in eius caluaria draconem fuisse. Græca eius sunt: τό δέγε κράνιον ῴκει δράκων. Accedit ratio alia, cur hîc anguem Poëta eduxerit. Nam angues sacros esse Heroibus antiquitas prodidit. Quod expresse Artemidorus scripsit lib. 2. cap. 13. & inde ait, viso dracone Regem significari. δράκων ὁρώμενος βασιλέα σημαίνει. Huc pertinent, quæ de Aiace Locrensi scribit Philostratus in Heroicis: εἶναι δ' αὐτῷ καὶ χειροήθη δράκοντα, πεντάπηχυν τὸ μῆκος· ὃν ξυμπίνειν τε, καὶ ξυνεῖναι τῷ Αἴαντι, τῶν ὁδῶν ἡγεῖσθαι, καὶ ξυνομαρτεῖν, οἷον κύνα: *fuisse ipsi mansuetum Draconem septem cubitorum longitudine, vnà cum Aiace & bibentem, & versantem, viásque præeuntem, atque vt canis consequentem.* & quæ Plinius lib. 16. cap. 44. loquens de Africano Maiore. *Subest specus, in quo manes eius custodire draco traditur.* Et Plutarchus in Cleomene, vbi ait; visum draconem, capiti defuncti ducis circumplicatum, tegentémque eius faciem, ne à volucribus læderetur, & absoluit, draconem à veteribus consecratum fuisse Heroïbus. Οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν.

Anguis sacer heroïbus.

Draco regē signat.

3. AMPLEXVS PLACIDE TVMVLVM] Angues apud Virgilium iam infausta ominantur, iam auspicantur felicia (mitto quid apud alios poëtas, nunc Virgilium explico) in 2. Æn. angues visuntur cum iubis sanguineis, ardentibus oculis igni, & sanguine suffectis, ad quorum intuitum exangues diffugiunt Troiani, ac demum post Laocoontem filiósque interemptos, nouus pauor per omnium se insinuat pectora: Vides omnia horrenda, & timida. Contrà in hoc loco anguis lubricus ex imis adytis prodit, qui placidè Anchisæ tumulum complectitur auro totus intermicans: quo omine confirmatus Æneas,

Angues iam infausta, iam felicia ominantur.

——inceptos genitori instaurat honores.

Vides omnia placida, & tranquilla. Crediderim hanc ominum diuersitatem, quam genti Troianorum Poëta attribuerit, referendam esse ad eorum originem, & prima initia nascentis Troiæ, quæ petenda ex Pindaro sunt. Od. 8. Olym. vbi ait, extructo iam muro Troiano ab Apolline, Neptuno, & Æaco, tres statim dracones in nouam turrim insiliisse, ex quibus duo quidem mortui sunt, tertius irruit cum clamore ingenti, ac duobus mortuis superstes extitit. Quod augurium statim Apollo explicat, dicítque eam vrbem felicem fore, infelicémque: porro id totum felix fore, cui manus admouissent Apollo, & Neptunus: id verò infelix, cui Æacus. quod dicit propter Achillem Æacidem Troiæ potissimum euersorem. Extendit autem Maro hoc omen non ad mœnia solùm, sed ad gentem, vt veluti Troiani eidem omini subiiciantur, quo condita est vrbs. Inde Romani ab Troianis orti dracones inter militaria signa asciuerunt, credo felicitatem sequuti: nam quis vetat hanc esse originem militarium draconum in Romanorum signis? Lipsius lib. 4. de Milit. Rom. à Scythis putat, vel à Persis in Romanas legiones translatos dracones, nam draco his gentibus militare signum: probabile admodum hoc, sed quod dixi, probabile etiam. Multi enim mores in Romanos irrepserunt ex Troianis, à quibus illi orti. Video hæc coniectura tantùm niti. Sed cur non cuique in hac re liberum sequi, quod velit?

Troiæ nascentis omen.

Dracones inter signa militaria.

4. CÆRVLEÆ CVI TERGA NOTÆ] Est hoc fermè quod Homerus. 2. Il. ἐπὶ νῶτα δαφοινός, *rubens dorso.* Pindarus Od. 8. Olymp. dixit, δράκοντας γλαυκοὺς, *Dracones cæruleos.* & Od. 8. Pyth. δράκοντα ποικίλον, *Draconem variegatum.* & Od. 10. de solo capite, ποικίλον κάρα δρακόντων. Plinius lib. 8. cap. 23. ad picturam confugit, *aliis squammas esse, aliis picturas.* Sed & de omnibus feris in genere lib. 7. cap. 1. *Tigrium pantherarúmque maculas, & tot animalium picturas.* Subaudiui autem in Poëta præpositionem *per.* Aliter quî te explices? Itaque agnosce constructionem Græcorum, qui sæpissime ponunt accusatiuum pendentem à tacita præpositione. Cùm Aristoteles libro de Mundo dixit, ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην, subaudi κατὰ δίκην.

Hellenismus.

5. ARCVS] De hoc iam alibi.

6. AGMINE] Vide. 2. Æn. ad illud, *illi agmine certo.* vbi sermo est de serpentibus.

7. LIBAVITQVE DAPES] Turnebus locum hunc Horatij,

——vernásque procaces
Pasco libatis dapibus,

refert ad antiquorum pietatem: qui partem cœnæ Lari, Diísque donabant, & in focum mittebant Lari sacrum: & ait hoc esse, libare dapes. Quæ interpretatio non repugnat huic loco ex mente Germ. quòd quodammodo serpens genius famulúsve Anchisæ libarit dapes, ac veluti Diis manibus sacrarit. Sed addit idem Germ. locum quoque simpliciter capi posse, vt dicat, libauit, id est, leuiter degustauit. Vt illud. 1. Æn.

Libare dapes, quid.

——laticum libauit honorem,
Primáque libato summo tenus attigit ore.

ac sic respondeat sequenti versui,

——depasta altaria liquit.

Seruius ait, has dapes dici *silicernium* quasi silicenium, id est, super silicem positas.

Silicernium.

8. SVCCESSIT TVMVLO] Tale quid in Pausaniæ lib. 1. inuenies. *Cùm itaque ad montem, quem pœcilum appellant, appropinquassent* (Chalcinus & Dætus) *draconem offendisse celeri se lapsu in latebras demittentem: ibi eos rem diuinam Apollini fecisse.* Artemidorus lib. 4. cap. 69. dixit, ἱερὸς γὰρ ὁ δράκων, καὶ μύσης, καὶ πᾶσι μυστηρίοις παρών: *Draco enim sacer est, & mystes, præsénsque omnibus mysteriis.* Alibi ait, hoc animal esse particeps diuinæ naturæ, quod non exteriorum membrorum adminiculo, sed spiritu quodam ac virtute intus latente impellatur. Inde sæpissime hoc animal ad res sacras assumptum à Gentilibus.

Anguis adhibitus ad sacra gentium.

9. LIQVIT] Draconem dictum ἀπὸ δεδορκέναι, scilicet ab acuto viso, alii iam adnotarunt, & mihi id certum. Theophilus tamen lib. 2. ad Autolycum ducit hoc nomen ἀπὸ τοῦ δεδρακέναι, *à fugiendo,* cùm videlicet fugit à Deo in primæua mundi constitutione. Admonui hoc loci, vbi fuga est serpentis.

Draconis etymon.

[a] Hoc magis inceptos genitori instaurat honores:
Incertus, geniúmne loci, famulúmne parentis
Esse putet. cædit quinas de more bidentes,
Tótque sues, totidem nigrantes terga iuuencos,
Vináque fundebat pateris, animamq́; vocabat
Anchisæ magni, manésq; Acheronte remissos.

[b] Nec

b Nec non & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerantq; aras, mactantq; iuuencos.
c Ordine ahena locant alij, fusiq; per herbam
Subiiciunt verubus prunas, & viscera torrent.

ARGVMENTVM.

Hoc omine excitatus dux hostias cædit, vinum fundit, patris manes vocat: Ducem milites imitantur, tum etiam comparant, quæ necessaria ad epulas, quæ hîc tantùm assæ exhibentur.

EXPLICATIO.

a DVbitat Æneas, an anguis ille sit genius loci, id est, loci illius Deus sub ea forma apparēs: an verò parentis Anchisę famulus: vtcumque verò eo omine excitatus pergit, vúltque de integro sacrificare Anchisæ, nam hoc est, *instaurare honores.* Respicit quippe ad ea, quæ præcesserunt, iam fuderat merum, lac, sanguinem. Ergo *instaurat*, id est, renouat. Nam *cædit bidentes*, & has *quinas de more.* cædit sues quinos, iuuencos quinos, & hos nigrantes per terga ex ritu Deorum Manium. Deinde fundit iterum vina (en instaurationem) vocat animam parentis, vocat manes remissos Acheronte. Qui hi manes, profectò anguis ille, qui è tumulo exierat. Acheron non est solùm flumen inferorum, sed ipsi etiam inferi. Et hoc postremo significato Turnebus accipit hunc locum.

b Vide quo ardore alij incumbant in sacra, sequuti suum Principem. Verba omnia sacrorum sunt *ferre dona, onerare aras, mactare.* De quibus sparsa in his commentariis mentio.

c Intelligit lebetes per *ahena*: cui vsui illi adhibeantur, dicam in notis, vt etiam de aliis, quæ attinguntur his duobus versibus.

NOTÆ.

1. GENIVMNE LOCI] Per genium loci intelligendus est is Deus, qui loco præsidet, & ignotus est aduenis. in 7. cùm primùm Æneas Italiam attigit,

—frondenti tempora ramo
Implicat, & geniúmque loci, primámque Deorum
Tellurem, nymphásque & adhuc ignota precatur
Flumina.

Genij locorum.

Nam Genij non solùm erant hominum, sed etiam vrbium, & locorum. hæc erat veterum superstitio, quam defendit Symmachus, quémque iccirco reprehendit Prudentius lib. 2. aduersus illum,

At tuus hic vrbis Genius, dicas, volo, quando
Cœpit adhuc parua primùm se infundere Romæ?

& iterum,

Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis vnum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos geniorum millia multa
Fingere.

Geniorum discrimen.

Hîc tu obiter scias Geniorum discrimen inter profanos & Ecclesiasticos auctores. illi pro bono & malo Deo indiscriminatim accipiunt. Dicebant enim cuique duplicem esse genium, & bonum, & malum: quem Horatius album, & atrum appellat episto. 2. lib. 2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,

A *Naturæ Deus humanæ, mortalis in vnum*
Quodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

Eadem Plutarchus scribit, de Tranquillit. animi, ex sententia Empedoclis, his verbis: διττοί τινες ἕκαστον ἡμῶν γενόμενον παραλαμβάνουσι, καὶ κατάρχονται μοῖραι, καὶ δαίμονες: *Duplex fatum, & Genius accipit, gubernátque vnumquemque nostrum cùm nascimur.* Et quidem in lib. de Isid. & Osirid. Genios vocat bonos & malos: χρηστοὺς καὶ φαύλους. Ecclesiastici pro malo tantùm sumunt, omnino pro ipso dæmone, qui detrusus è cælo est in ipsum barathrum in primæua illa angelorum contentione. Tertull. in Apolog. *Nescitis Genios Dæmones dici, & inde diminutiua voce dæmonia?* iterum: *cæterùm dæmonas, id est, Genios adiurare consueuimus.* Lactantius lib. 2. cap. 15. *Hi spiritus contaminati, ac perditi, per omnem* B *terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidijs, fraudibus, dolis, erroribus complent. adhærent enim singulis hominibus, & omnes hostiatim domos occupant, ac sibi geniorum nomen adsumunt, sic enim Latino sermone, dæmones interpretantur.* Non omittam, pertinere vnicè ad mentem Poëtæ dubitantis, an serpens ille esset genius, locum Plutarchi ἐν ἐρωτικ. vbi ait, arrepente fortasse angue inter duos Ægyptios, statim illos putauisse, esse genium bonum, cœperúntque contendere vtrius esset. Illud Persij, *Pinge duos angues*, de geniis locorum multi accipiunt.

Genij dæmones sunt.

Anguis sacer heroïbus.

2. FAMVLVMNE PARENTIS] Famulum parentis dicit, nam Heroïbus sacer erat draco, vt ex hoc loco cōiectura fit, atque etiam ex Artemidoro, perspicuè. C postquam enim multos Deos intulit, quibus sacer est draco, Heroas quoque connumerat. Locum suprà attuli. Scribit etiam Plutarchus in Cleomene, serpentes attributos esse, & dicatos Heroïbus. Pertinent omnino ad hanc rem, quæ iam attuli de angue Aiacis Locrensis ex Philostrato.

3. QVINAS DE MORE] Sic dispono, non, cædit de more bidentes quinas. Nam videtur Poëta alludere ad numerum ouium, suum, iuuencorum. atque adeo indicat, in hoc genere sacrificij ea tantùm animalia assumi solita ad victimam. apud veteres enim in rebus omnibus, maximè in sacris, numeri magna ratio habebatur. Itaque non ad libitum hostiæ assumebantur. inde illud in hoc eodem libro,

Numeri ratio in sacris.

D *Tres Eryci vitulos, & tempestatibus agnam.*

& in 6. Sibylla,

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Bidētes vnde dictæ.

4. BIDENTES] Dictas quasi biennes volunt grammatici, quòd aptæ essent oues ad sacrum, cùm erant annorum duorum. Sic Seruius lib. 4. Æn. Agellius lib. 16. cap. 6. quos sequitur Delrius in Oedip. Senecæ in nouis commentariis. Id ipsum firmat Lilius Syntagm. 17. sed certè hoc parum probatur Scaligero in Coniectan. sic enim biennes dicerentur, non bidentes. igitur bidentes ait dici, quòd deberent habere dentes duos eminulos & longiores; aliter ineptæ erant ad sacrificia, & ἀτελεῖς. Quòd hæc sit huius vocis significatio, inde aperit. nam apud veteres ambidentes vocabantur. Itaque necesse erat, vt ad sacrum haberent dentes duos longiores aliis, quemadmodum & in tauro τελείῳ, vt diuersa haberet, & patentia cornua, vnde Patales boues dicebantur ad

Patales boues.

sacrū

sacrificium apti. Requiri autem hunc duplicem dentem Seruius quoque ipse, & Grammatici alij fatentur, etiam si originentur aliter. Seruius dicto loco: *Sunt in ouibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent, nec in omnibus, sed in his quæ sunt aptæ sacrificijs, inueniuntur.* Igitur bidentes dictæ, quòd habeant hos duos dentes, & tales requirantur ad sacrum, non quòd biennes. Festus: *Bidentes autem sunt oues duos dentes longiores ceteris habentes.* Perperam itaque aliqui pro priore sententia adducunt Festum. Hyginus apud Agellium dicto loco: *Quæ bidens est hostia, oportet habeat dentes octo: sed ex his duo ceteris altiores*, &c. Quis non ergo hæreat Scaligerianis, quæ omnino verosimillima? addit idem in Festum, bidentes Homero μεθῶας dici, quæ neque agnæ sunt, quia illæ nondum dentes ediderunt: neque adasiæ, quia iam eiecerunt. Lege Plinium lib. 8. c. 51.

Suouetaurilia.

5. TOTQVE SVES] Rectè videtur existimasse Turn. allusum à Poëta ad sacra suouetaurilia, quibus immolabantur sues, oues, boues. Ad vocem terga, signatè Budæus subaudit Græcam præpositionem κατὰ, tu quam Latinam voles.

6. VINAQVE FVNDEBAT] Ex Homero Iliad. 23.

> Οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν
> Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο:
> *Haustum vinum fundebat humi, irrigabat terram,*
> *Animam vocans Patrocli miseri.*

Assa in conuiuiis Virgilianis.

7. AHENA] Hæc non ad elixandas carnes, adhibentur à Marone, vt nonnulli putant, nunquam enim tale quidpiam in suis conuiuiis ille infert. in 1. Æn. apertè assas dat carnes, cùm ait,

> *Pars in frusta secant, verubúsque trementia figunt.*

hic etiam:

> *Subijciunt verubus prunas, & viscera torrent.*

in 8. tantùm,

> *Viscera tosta ferunt taurorum.*

Heroes assis semper victitarunt.

Crediderim tamen, in conuiuio Didonis elixas carnes datas, cùm illud ad voluptatem, & regiam magnificentiam paratum fuerit, tametsi neque ibi Maro hoc nominet. Itaque aspirauit omnino Poëta ad veterem morem Heroum, qui semper tostis assisve vescebantur, non elixis: nam hoc putabant molle esse admodum, & delicatum. Qui mos Platonis loco confirmatur lib. 3. de Rep. quem alibi tantùm indicaui. Οἶσθα γὰρ ὅτι ἐπὶ στρατιᾶς ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν, οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς. ἃ δὴ μάλιστα ἂν εἴη στρατιώταις εὔπορα, πανταχοῦ γὰρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, αὐτῷ τῷ πυρὶ χρῆσθαι εὐπορώτερον, ἢ ἀγγεῖα ξυμπεριφέρειν: *Nosti enim quemadmodum in belli expeditionibus, in Heroum conuiuijs, neque pisces ipsis parat* (sermo est de Homero, ad cuius locum respicit 2. Iliad.) *quamquam ipsi in Hellesponto mari essent, neque elixas carnes, sed assas, quæ faciliùs à militibus præparentur: vbique enim facilius est, vt vt vno dicam verbo, ipso igni vti, quàm vasa circumferre.* Hoc habito existimo hîc, & in 1. Æn. ahena adhiberi à Marone, vt milites se lauarent, quod voluit Seruius. 1. Æn. quem morem firmarunt multi, ideo omitto: video enim hanc operam diligentissimè præstitam ab Vrsino in Triclinium Romanum Petri Ciaconij. Auctoribus, quos ille aduocat, adiunge etiam Philostratum lib. 8. Apollonij cap. 5. vbi signatè pedum meminit. Dici etiam posset, (quæro hic, lector, occasionem vtcumque oblatam ad explicandam sententiam meam) ahena hîc adhibita calido potui comparando ex more, quo in vsu fuit ad conuiuia aqua calida, imo (si Lipsio. 1. Elect. cap. 4. credas) in deliciis. In qua tamen Lipsij opinione video adhuc hærere doctos. Quis credat, calidam puram putámque in deliciis fuisse? In medicina certè semper fuit.

Calida aqua an olim in potu.

A Sed quid ad omnia testimonia, quæ pro calida afferuntur? Placet multis solutio Hieronymi Mercurialis lib. 1. Variar. cap. 8. dicentis, frigidam gelidámve dici, quæ niuibus aut quauis alia ratione frigefacta esset: calidam, caldámve, quæ communis. Sed certè, quamuis hæc de calida, minùs probari possint, tamen id necessariò fatendum est de ea, quæ decocta dicitur, & Neronis maximè nomine celebratur, esse videlicet non quæ feruorem retineret, sed quæ niuibus esset aut alia quauis ratione frigefacta: dicente Iuuenale Sat. 5.

Decocta aquá quæ

> *Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.*

Et Martiale,

> *Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis;*
> *Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?*

B Plinius lib. 19. c. 4. *Seruatur algor æstibus, excogitatúrque, vt alienis mensibus, nix algeat: Decoquunt alij aquas, mox & illas hiemant.* Plurarchus clarè 6. Symp. Quæst. 4. vbi & rationem reddit: Πᾶν ὕδωρ προθερμανθὲν ψύχεται μᾶλλον, ὥσπερ τὸ τοῖς βασιλεῦσι παρασκευαζόμενον, ὅταν ἑψηθῇ μέχρι ζέσεως, περισωρεύουσι τῷ ἀγγείῳ χιόνα πολλὴν, καὶ γίνεται ψυχρότερον: *Omnis aqua priùs calefacta magis refrigeratur, vt ea, quæ imperatoribus paratur, igni admota dum ferueat, vase dein multa niue accumulata circumdato, frigidior redditur.* Vides cur decocta in pretio esset, non quia calida biberetur: imò, quia sic frigidior. Aliquid etiam ad hanc rem commeminit idem Plutarchus in opere de sanitate tuenda. Philo etiam in lib. περὶ φυτουργ. ita clarè reprehendens luxuriam potandi. Κἂν διαμέλλωσιν ἀγανακτοῦντες, ὅτι τὸ θερμὸν λεγόμενον παρὰ αὐτοῖς ποτὸν περιψύχουσι: *irascuntur cessantibus* C *dum caldam, quam vocant, frigefaciunt.* Est ergo decocta, quæ priùs cocta ad salubriratem cùm sit, deinde ad frigus reducitur. Inde Herodotus scribit lib. 1. Regem Persarum, solitum ferre, aquam Choaspis fluminis decoctam, quocumque iret: nam ex eo bibebat flumine. Quis dicat, hanc aquam semper retinuisse feruorem per multa terrarum spacia? ille certè solùm sanitati consulebat, non calori. Ex hac doctrina explico verba Taciti lib. 13. Annal. *innoxia adhuc, & præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico: dein postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum.* Quæ verba malè ad calidam Lipsius torquet. Fraus enim fuit, calidam offerri Britannico: quæ, calida erat, erat respuenda, vt videlicet tunc D prægustator sine noxa libaret: quo facto, quasi negligentiùs fuisset frigefacta, nix adducitur, vt fieret frigida, inter quas moras venenum affunditur, iam absque periculo prægustatoris. Non enim necessarium fuit iterum libare frigidam, cùm iam eandem libasset calidam. Testimonia alia, quibus Lipsius innititur, & quæ idē scribit de thermopoliis, eludi possunt his, quæ scribit Hieronymus Mercurialis adducto loco. Nemo enim mihi persuadebit, aquam calidam puram putámque fuisse in deliciis hominibus Romanis, impensè gustui suo obtemperantibus, & palato seruientibus, vel dicant mihi, qui sic explicant auctores, an ipsi nunc in deliciis habeant? A Polluce quæstio hæc agitatur lib. 9. Sed nihil ille extricat.

Viscera in conuiuiis

8. VISCERA] Viscerum meminit, nam hæc in præ- E cipuo erant honore conuiuiis veteribus. Lege Athen. lib. 3. vbi moris huius plura inuenies vestigia; inibi enim intestina sæpius conuiuiis data nominat, viscera, omasum, quæque cum his annecti solent, nimirum rostra animalium, pedes, crura, capita, linguas. Porrò epulum, quod celebratum in honorem defunctorum Pollux vocat περίδειπνον: verba eius, περίδειπνον, ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσιν ἑστίασις. *Peridipnum, epulum dicatum defunctis.* Suidas etiam περίδειπνον τῶν νεκρῶν dixit. itaque τὸ περιδειπνεῖν erit *celebrare conuiuium mortuorum,*

vtique

vtique epulum parentale. Ab aliis dicitur δαὶς ἐπιτάφιος, quasi *epulum sepulcrale*: & τάφος ἐπιδόρπιος, quia hæc cœna fieri consueuit sub vesperam. Sed de his ritibus iam alij copiosiùs. Hæc silere noluimus, quia in ea quoque nemine indicante incideramus. Porrò Cicero lib. 2. Leg. Græcum περίδειπνον ex parte reddidit, cùm de re mortuorum loquens nominet compotationem.

[a] Exspectata dies aderat, nonámque serena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant:
[b] Famáque finitimos, & clari nomen Acestæ
Excierant. læto complerant littora cœtu,
Visuri Æneadas, pars & certare parati.
[c] Munera principio ante oculos circóque locantur:
In medio sacri tripodes, viridésque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armáque, & ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta.
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

ARGVMENTVM.

Adest ludorum dies, conueniunt & spectatores, & certatores: locantur præmia in medio, tuba signum dat.

EXPLICATIO.

[a] Adest iam dies nona ludis destinata. Diem hanc feliciorem reddit circumstantia solis micantis, pura quadam & serena luce. Itaque in verbis omen est.

[b] Duplex causa concursus, fama certantium, Acestæ nomen. Placet enim hoc præ illo, *fama, & nomen Acestæ*. Nam quid bis dicat, quod semel potuit? Ergo *fama* ad Æneam spectat, qui ibi hospes nouus: *nomen* ad Acestem, qui ibi Rex vetus. Inde in effectu sequitur, *visuri Æneadas*.

[c] Proponuntur certatoribus præmia ante oculos, vt illorum studia visis illis accendantur. Poëta septem numerat, tripodas, coronas, palmas, arma, vestes purpureas, argentum, aurum. Quo facto tuba insonat. Itaque vides duplicem ardorem immitti certatoribus, vnum ab præmiis, alterum ab sonitu tubæ: præmia oculos, tuba aures, complent; & omnia animos excitant. Tripodes vocantur *sacri* (hæc Notula Læuini est) vel quia seruiunt his certaminibus, quæ sacra: vel, quia illis templa ornabantur.

NOTÆ.

1. EXSPECTATA DIES ADERAT] Tale illud Statij:

Dicta dies aderat.

& Virg.

Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant.

[margin: gilius su... Home... m.]

Hîc ego longum discrimen inter Virgilium & Homerum video. Videas lector, vti animos excitet ad hanc celebritatem Latinus Poëta. Adest dies exspectata votis certantium: vehunt Auroram equi Phaëthontis, quod dictum est ad magnificentiam: non deest omen, nam serena est lux: fama rem spargit, commouet alios Acestæ claritas: complentur littora certatoribus, spectatoribus. Quid non hæc promittunt? Græci merum ieiunium inuenies lib. 23. Il.

2. NONAM] Quamuis Poëta possit explicari simpliciter, sed non dubium quin alluserit ad morem veterum, quibus in vsu fuit plerunque, vt mortuus dies septem seruaretur, octauo incenderetur, nono sepeliretur. Vnde & Horat.

Nouendiales pulueres.

[margin: Premia in medio.]

Ludi quoque funerales, *nouendiales* sunt dicti. Et sacra ipsa *nouendialia*. Ac demum post nonum diem, quo cineres tumulo condebantur, decimo purgabantur. inde & denicales feriæ, vel ἀπὸ τὸ νεκρὸν, vel à numero decimo.

[margin: Denicales feriæ.]

3. SERENA] Dixi iam, hîc omen indicari. Et iubet addas, respectum fortasse à Poëta, captandi & blandiendi sui Augusti studiosissimo, ad celebritatem illam ludorum Augusti, quæ serena admodum & clara enituit, post noctem tempestate & nimbis horridam: qui successus ansam præbuit disticho illi pleno blanditiarum,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

4. PHAETHONTIS] Græcis φαέθω est *splendeo*, inde participium φαέθων, *splendens*, solis epithetum apud Homer. Odyss. 11.

[margin: Phaëthon adiectiuum Solis.]

Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.
Sol Phaëthon aspicit radijs.

vbi Phaëthon splendens est, sed hoc adiectiuum traductum est à Poëta ad solem ipsum significandum: nam hîc pro vero illo Phaëthonte Solis filio accipi non crediderim. sic neque apud alios, Silium lib. 13.

Lux gratos Phaëthontis equos auertit.

Talia multa sunt apud Latinos. Germanus adiectiuum est, sic frater germanus, soror germana. & tamen sæpe absolutè ponitur vice quadam substantiæ. 1. Æn.

[margin: Germanus, adiectiuum.]

Germanum fugiens.

Ergo equi Phaëthontis erunt, equi lucentis, subaudita voce, solis. quasi lucentissimorum omnium lucentissimus sit Sol, qui à Pind. Od. 7. Olymp. vocatur

—φαυσίμβροτος
Δαίμων Ὑπεριονίδας:
—*illuminator mortalium Deus Hyperionides.*

5. EQVI] Qui equi solis? & qui numerus? variant Poëtæ, quorum ista est opera. Ouid. quatuor nominat,

Interea volucres, Pyrois, Eoüs, & Aëthon
Solis equi, quartúsque Phlegon, hinnitibus auras
Flammigeris implent.

Martialis duos tantùm:

Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus & Aëthon
Frena volunt.

à Fulgentio in Mytholog. quatuor etiam commemorantur,

morantur, sed diuersi à superioribus, *Erythræus, Actæon, Lampos, Philogeus.*

Præmia ante oculos certatorum.

6. VEHEBANT] Signatè; non ferebant, aut obuium aliud. Præcessit *equi*, signat itaque equorum vehiculum.

7. ANTE OCVLOS] Expendi dictum hoc, vt accenderentur studia certatorum. qua nota Homerus caret, qui tantùm frigidè ἔκφερ᾽ ἄεθλα, *afferebat præmia.* Pari nota cum Virgilio Sanctus Chrysostomus, in sermone de illo, *Diligamus etiam persequentes*, ita ait: *Nam quemadmodum Reges in equorum cursu atque certamine, in ipso agone coronas, vestes, ceteráque munera ante certantium oculos ponunt: sic & Dominus in medio stadio præmia locauit.* Satis verò fuit Poëtæ ad inuitandum animum dicere *ante oculos*, & præterea aliqua connumerare, non omnia vsque ad satietatem, vt Homerus. Sed quid si alia inuitatio, quam Poëta siluit? Fuit in vetere Græcorum more scribere in columna præmia, quæ parata erant certatoribus. Vlpianus in orat. Demosthenis contra Leptinem. στήλη, ξύλον, ἢ λίθος τετράγωνος, εἰς ὃν ἐγέγραπτο τὰ τῶν δωρεῶν: *Columna, lignum erat, aut lapis quadratus, vbi inscripta erant præmia.* Nihil obfuit aperuisse hunc morem, etiam si Poëta non attingat.

Præmia in columna scribebãtur.

Præmia in medio.

8. CIRCOQVE LOCANTVR IN MEDIO] Ex more. Præmia enim in medio locabantur. Demosthenes. 1. Philipp. ταῦτα μὲν ἐστὶν ἅπαντα τὰ χωρία, ἆθλα τοῦ πολέμου, κείμενα ἐν μέσῳ: *Vniuersa hæc loca sita in medio sunt tanquam belli præmia.* Vbi aliud agens morem attingit. In eum locum clariùs Enarrator: ἐκ μεταφορᾶς τῶν κειμένων τοῖς παλαίουσιν ἄθλων ἐν μέσῳ: *sumpta est translatio à præmio, quod pugilibus in medio ponitur.* Attigit & morem istum Nonnus lib. 19. Dionysiac.

Μείονα δὲ κρατῆρα μέσῳ παρέθηκαν ἀγῶνι:

Constituerunt paruum craterem in medio certamine. videtur Nonnus explicuisse Homerum lib. 23. Il. qui tantùm de præmiis loquens, κεῖτ᾽ ἐν ἀγῶνι. & Nonnus addidit explicans, μέσῳ.

Tripus præmium.

9. TRIPODES] Hesiodus in scuto, tripodem constituit pro præmio certantium.

Τοῖσι δὲ καὶ προὔκειτο μέγας τρίπος ἐντὸς ἀγῶνος,
Χρύσειος, κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο.

Istis autem & propositus erat magnus tripus intra certamen,
Aureus, inclytum opus solertis Vulcani.

Athenæus etiam lib. 5. ἐφέροντο Δελφικοὶ τρίποδες, ἆθλα τοῖς τῶν ἀθλητῶν χορηγοῖς: *ferebantur Tripodes Delphici, præmia ducibus athletarum.* idem lib. 6. ἐπὶ δὲ τρίποδος, ὃς ἦν εἷς τῶν ἐπὶ Πατρόκλῳ ἄθλων τεθέντων: *in tripode autem, quod vnum erat ex præmiis propositis in Patroclo.* Horat. Od. 8. lib. 4. *Donarem tripodas præmia fortium.* Ascanius. 9. Æn. promittit, *geminos tripodas.* Plutarchus ideo de gloria Atheniensium τρίποδας vocat ἐπινικίους, quasi victoriales dicas, quòd sint præmia victoriarum. Nec mirum; habiti enim semper tripodes in magna & pretiosa suppellectili. Xiphilinus de Nerone: ὡς πολυτελείας τῶν ἄλλων αἰτιώμενος, πεντακοσίους τρίποδας κεδρίνου ξύλου ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους εἶχε: *Qui luxum aliorum damnabat, quingentos tripodas habuit de ligno cedrino pedibus eburneis, similes & pares inter se.* Ceterùm Hadrian. Iunius lib. 2. cap. 3. Animaduers. accipit in Virgilio tripodes pro lebetibus. hæreo, nam Pind. apertè discriminat Od. 1. Isthm. in sermone etiam de præmiis certatorum. Ait enim:

Tripodes in honore.

Tripodes à lebetibus.

Ἔντ᾽ ἀέθλοισι θίγον πλείστων ἀγώνων,
Καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον,
Καὶ λεβήτεσσιν φιαλαῖσί τε χρυσοῦ,
Γευόμενοι στεφάνων νικαφόρων:

In ludis sollemnibus certamina plura attigerunt, & tripodibus ornauerunt domum, & lebetibus, & phialis aureis, adepti fructum coronarum victricium. Ergo nota alia in tripode, alia in lebete: tripus enim tantùm signat triplum illum pedem: lebes communior vox, & generalior. Deinde Homerus. 23. Il. constituens præmia certaminis, ita ait:

Νηῶν δ᾽ ἔκφερ᾽ ἄεθλα, λέβητάς τε, τρίποδάς τε:

E nauibus autem efferebat præmia lebetésque, tripodésque.

Non dicturus, si res eadem. Quo versu eluditur argumentum Iunij. Ait enim dici ab Homero Il. 23. ἄπυρον λέβητα, quem in 9. dixerat ἄπυρον τρίποδα. Nam cur non credam in diuersis locis discriminatam sententiam, cùm in eodem versu discriminetur? Addit Iunius, duo esse genera tripodum; alterum, ἐμπυριβήτην, qui igni imponeretur: alterum, ἄπυρον, in quo vinum dilueretur, neque seruiret arti coquinariæ; & de hoc extremo capiendum. Sed vide Lector, an ex Herodoti lib. 1. aliud alluceat. Ait ille: ἐν γὰρ τῷ ἀγῶνι τοῦ Τριοπίου Ἀπόλλωνος ἐτίθεσαν τὸ πάλαι τρίποδας χαλκέους τοῖσι νικῶσι. καὶ τούτους χρῆν τοὺς λαμβάνοντας ἐκ τοῦ ἱροῦ μὴ ἐκφέρειν, ἀλλ᾽ αὐτοῦ ἀνατιθέναι τῷ θεῷ: *in certamine Apollinis Triopij tripodes ærei victoribus constituebantur: quos acceptos non è sacro efferre, sed Deo ipsi donare ibidem oportebat.* His indicatur, tripodas certaminis, neque diluendo vino seruisse, cùm rei tantùm sacræ dicarentur. Nisi quis dicat, singularem fuisse morem, quem attingit Herodotus, neque Poëtam de illo capiendum. Contra quam rem fortiter facit, vocari sacros à Poëta; quo satis indicat, nulli vini vsui destinatos. Et cùm hoc videret Iunius, quippe qui dicat, eos dici sacros, vt ἀναθηματικούς, quia ad ædium sacrarum ornatum conuerti possent: Cùm hoc (inquam) viderit, nesciò cur confugerit ad illud de diluendo vino. In fine moneo non omittendam explicationem Caroli Paschalij, lib. 6. de Coronis cap. 12. qui tripodes accipit non pro præmio, sed pro loco vbi præmia posita: vt dicat poëta,

Tripodum genus duplex.

Tripodes viridésque coronæ,

id est, super tripodibus coronæ. Firmat ex vetere more, quo præmia Olympicorum ponebantur super tripode æneo. Athen. quidem lib. 5. ait, coronas aureas virigineas positas fuisse super Delphicis tripodibus, & Pausanias lib. 5. super mensa constituit præmia.

Coronæ inter præmia.

10. CORONÆ] Inter certantium præmia coronæ habuere principem locum. Harum sæpe mentio in Pindaro, dum tollit suos certatores. satis mihi locus ex Od. 8. Olymp.

Ἕκτος οἷς ἤδη στέφανος περίκειται φυλλοφόρων ἀπ᾽ ἀγώνων:

sexta quibus iam corona circumposita est frondiferis ex certaminibus. Apud Xenoph. 1. ἀναβ. Cyrus: ὑμῶν δὲ τῶν Ἑλλήνων καὶ στέφανον ἑκάστῳ χρυσοῦν δώσω. Adeo coronæ propriæ erant athletarum, vt dicat prouerbialiter Xenoph. apud Pollucem lib. 3. ἐταινίουν, καὶ προσῄεσαν ὥσπερ ἀθλητῇ: *Coronabant, & tanquam ad athletam accedebant.*

11. PALMÆ PRETIVM VICTORIBVS] Monent interpretes, verba hæc *pretium victoribus* annecti non modò palmis, sed aliis præmiis, & prioribus, & posterioribus. secus sentio, & puto ex studio Poëtæ factũ, vti cum palmis iungantur, volentis indicare morem veterem, quo palma potissimum erat præmium Hieronicarum, adeo vt cùm victores alij aliis præmiis ornarentur, omnibus semper palma esset comes, quærente sic Plutarcho lib. 8. Sympos. quæst. 4. διὰ τί τῶν ἱερῶν ἀγώνων ἄλλος ἄλλον ἔχει στέφανον, τὸν δὲ φοίνικα πάντες; *Cur sacrorum certaminum aliud aliã habet coronam, palma est communis omnibus?* Quò pertinent verba hæc Pollucis: ὁ δὲ νικήσας τὰ ἆθλα, ἀνείλετο τὸν στέφανον, ἀνείλετο τὴν ῥάβδον τοῦ φοίνικος, ἢ τὸν φοίνικα ἔλαβεν: *Victor pro præmio auferebat*

Palma præmium potissimum.

auferebat coronam, tum etiam ramum palmæ, aut palmam capiebat. Quibus indicat, vnà cum corona, palmam quoque datam. Ergo signatè ait Poëta, vnam palmam pretium fuisse victoribus. Sed roges, quid signet Poëta per palmas? an ramum palmæ? an coronam ex palma? quod ma lis ipse. nam ramum datum vides ex Polluce: contrà palmeam coronam Pausanias in Arcadicis infert, οἱ δ᾽ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον: *plura certamina coronam palmæ habent.* Et addit, Theseum redeuntem ex Creta certamen fecisse in honorem Apollinis in Delo, ac tum ipsum coronasse victores suos palma. ἐν Δύλῳ ἀγῶνα ποιήσαντα τῷ Ἀπόλλωνι. στεφανοῦν δ᾽ αὐτὸν τοὺς νικῶντας τῷ φοίνικι. Qua certè nota Aristides in oratione de Romæ laudibus dixit: στεφανίτας ἀγῶνας: *certamina coronaria.* Sed ego tamen in primum inclinem: nam videtur Poëta ramum innuere, cùm facta mentione coronarum ad palmam tendat. Iuuat etiam Liuij locus lib. 10. qui post mentionem coronarum, palmas nominat. Istæ ergo in manu, non in capite. verba eius sunt. *Eodem anno coronati primùm ob res bello bene gestas, ludos Romanos spectauerunt: palmæque, tum primùm translato à Græcia more, victoribus datæ.* Iuuat apertiùs locus Pind. Od. 1. Isthm.

Coronæ ex palma.

B

Πυθόθεν, Ὀλυμπιάδων ἐξαιρέτοις
Ἀλφεοῦ ἔρνεσι φράξαι
Χεῖρα.

Ex Pythone, & Olympiadum eximijs Alphei ramis munire manum.

12. ARMA] Adducit Lilius. 2. Syntag. ex Pindaro, in honorem Iouis Lycæi ludos solitos celebrari, in quibus præmia fuere arma ærea.

Arma inter præmia.

13. OSTRO PERFVSÆ VESTES] Videtur innui genus illud purpuræ nigricantis, & saturatæ. Nam perfundi ostro, quid est aliud quàm saturari?

A

14. ARGENTI AVRIQVE TALENTA] Ex more veterum, quibus id in vsu fuit. Athenæus lib. 10. per initia ex Nicolao Peripatetico scribit, à Mithridate Rege Pontico certamen edendi ac bibendi propositum, ἦν δὲ τὸ ἆθλον τάλαντον ἀργυρίου: *Erat autem præmium talentum. argenti* idem factum ab Alexandro scribit eodem libro. Homerus quoque inter sua præmia,

Aurum argentúmque inter præmia.

Τῷ δὲ τετάρτῳ θῆκε δύο χρυσοῖο τάλαντα:
Constituit quarto duo auri talenta.

Pausanias in Achaicis, vbi meminit Apollinis Theoxenij apud Pellenæos, ait, in honorem Apollinis fieri Theoxenia, vbi victoribus præmium esset argentum. Quæ scripsi in hac nota, nihil pugnant contra illa, quæ ego iam lib. 3. G. nam ibi signatè locutus sum de præmiis Olympicis, non aliorum certatorum.

15. TVBA] Sacri hi sunt ludi, & facti in Apotheosin Anchisæ: doctè igitur illis tuba adhibetur, sacrum instrumentum. Artemidorus lib. 1. cap. 58. σαλπίζειν δοκεῖν σάλπιγγι τῇ ἱερᾷ: *videri sacrâ tubâ canere.* Alludit Calpurnius in Eclogis,

Tubæ vsus in re sacra.

Inter sacra tubas, non inter bella sonare.

Inde tibicinum in sacris frequens mentio. Sed & in omnibus ludis sollemnis fuit vsus tubæ. In Gladiatorio Quintil. *Sonabant clangore ferali tubæ.* In Scenico Sen. ep. 84. *Cauea æneatoribus cincta est.* Sed de hac re adi Lips. Saturn.

16. COMMISSOS] Verbum id propriè gladiatorum fuit, quo secutor cum Retiario, Threx cum Myrmillone committebantur, & sic alij. Præclarè admodum Seneca ad Marciam detorsit vocem ad rem aliam. Testimonium eius alibi adduco in hoc libro.

Committo, gladiatorũ.

17. MEDIO CANIT AGGERE] Iam te Bulengerus de Circo Romano docuit, tubicines in medio aggere collocatos ad signum dandum.

Prima pares ineunt grauibus certamina remis
Quattuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi,
Ingentémque Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.
Sergestúsque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna, Scyllâque Cloanthus
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.

ARGVMENTVM.

C

Numerantur naualis pugnæ principes quatuor, Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus: & eorum nauigia, Pristis, Chimæra, Centaurus, Scylla.

EXPLICATIO.

QVÆ sunt in hoc tractu, tota pendent ab Notis. ideo breuiter explicationem absoluam. Incipit itaque ab nauali certamine, in quo describendo maiores moras, quàm in aliis trahit: fuit hoc enim reliquis speciosius. Quatuor, vt vides, certatores nominantur, & naues quatuor. Ita omnia circumstantiis distinguuntur, vt mira sit poësis. Duces laudãtur à posterorum nobilitate, quorũ ipsi fuerunt capita: Mnestheus, Memmiorum (nã Poëta *Memmi*, pro, *Memmij*) Sergestus, Sergiorum; Cloanthus, Cluentiorum, tacuit Geganios, qui à Gya; sed supplet hoc maiore & ornatiore nauis illius narratione. Dixi de ducibus, vide iam ornatum nauium. Pristis Mnesthei velox est, nam ibi actes, & feruidi remiges. Chimæra Gyæ ingens, & ingenti mole, quasi opus vrbis, & quia hæc moles. ideo non vtcunque agitur, sed impellitur, & ab iuuenibus, quia valentissimi, ideo *pubes Dardana.* cùm ait *triplici versu, & remi terno ordine,* triennium signat: Centaurus Sergesti *magna* est: Cloãthi Scylla *cærulea.*

NOTÆ.

1. PARES] Vix statuas, quare hæ naues pares dicantur. Diuersè interpretes, quos sequi potes, & me, si lubeat, qui hanc æqualitatem ad remos refero relictis interpretibus. Itaque existimo, triremes omnes induci à Poëta, & similes Chimæræ, quod ne in omnibus repeteret, initio pares dixit. Nam etiam si naues quatuor inter se nonnullis rebus discreparent, certè in numero remorum pares esse debuerunt, cùm hîc certamen sit de velocitate, & in certamen, nisi remis paribus, nulla se daret. Neque impedit Pristin velocem dici, Chimæræ molem da-

ri ob magnitudinem, nam hæc illius velocitatem æquabat impulsu parium remorum. Et quidem Baysius monet, Pristin triremem fuisse, nam cùm Chimæra, cui præerat Gyas, fuisset triremis, non esset æqua, & par contentio, si Pristis paucioribus aut pluribus remis ageretur. Idem credendum de Centauro, & Scylla.

2. PRISTIN] Duplex ratio potest reddi, cur Poëta confugerit ad hæc nomina, nam, vt vides, naues quattuor appellat, Pristin, Chimæram, Centaurum, Scyllam. Prior desumitur à forma ipsa, ita vt dicamus, nauem Mnesthei similem fuisse forma Pristi, marinæ belluæ; nauem Gyæ, Chimæræ; nauem Sergesti, Centauro; nauem Cloanthi, Scyllæ. Abit in hanc sententiam Ios. Scal. in Festum ad vocem *Balena*. posterior ab insigni, quod Græci vocant παράσημον. Naues enim aut in puppi, aut in prora insigne quoddam gestabant, (de quo more latiùs in 10.) vnde nomen sumebant. Ergo nauis Mnesthei belluam Pristin pro insigni fortasse habuit, vnde & nomen accepit. Eadem esto ratio de tribus reliquis, quibus insigne erant Chimæra, Centaurus, Scylla. Hæc ratio cùm aliis tum imprimis Baysio placet. Huius iam belluæ, iam nauigij sparsa mentio in Auctoribus. de bellua Suidas, Πρῆστις εἶδος κήτους θαλασσίου: *Pristis species ceti marini*: Oppian. lib. 1. Hali. δαφοινὴ Πρῆστις: *Cruenta pristis*. Et Plin. lib. 9. cap. 4. *Maximum animal in Indico mari pristis, & balena est*. de nauigio Polyb. lib. 17. πέντε λέμβους ἔχων, καὶ μίαν πρίστιν, ἐφ' ἧς αὐτὸς ἐπέπλει: *habens quinque lembos, & vnam pristin, qua vehebatur*. Et Liuius lib. 44. *Adiecta ad hunc numerum quinque pristes erant*. Porrò de scriptura, quid tandem statuas? Alij scribunt, *pristis*, alij *pistris*, sunt qui *pistrix*. In Græco quoque discrimen, nam Suidas πρίστις, Oppianus πρῆστις. Doctiores in id abeunt vt πρίστις Græcè, Latinè *pristis* scribant, ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα, ab secandis fluctibus, quod in hunc locum Seruius. in Cicerone reperies vocem *pistricis*, in Arato. vnde etiam probanda scriptura hæc, *pistrix*. Sanè in Festo nonnulli *pistricem* agnoscunt. negat Scal. qui *pistricem* ineptissimè, pro *pristin*, poni ait. Tu vide Hadrianum Iunium lib. 2. Animaduers. cap. 13. Delrium in Nouis commentar. ad Hippolytum Senecæ versu. 1046. Rittershusium in lib. 1. Halieut. Oppiani. Hi tres latè de orthographia. Mitto Lilium, & alios.

Insigne nauium.

Pristis bellua marina.

Pristis nauigium.

Pristis etymon.

3. GENVS A QVO NOMINE MEMMI] A Mnestheo Troiano ait ortum duxisse Memmiorum familiam, & quidem magnæ Romanorum familiæ ortum duxêre à Troianis. Inde Iuuen. Sat. 1.

> *—iubet à præcone vocari*
> *Ipsos Troiugenas.*

Ita interpres.

Memmij à Mnestheo.

4. GYAS] A Gya ortum est in Romana vrbe Geganiorum genus imprimis splendidum. quorum frequenter mentionem Liuius infert, præsertim M. Geganij, qui censor fuit cum. C. Furio, vt colligitur ex oratione Sempronij lib. 9. idémque tertiùm Consul. Horum etiam nobilitas vel ex eo intelligitur, quod Dionys. Halic. lib. 3. scribit, Geganiorum familiam Romæ fuisse ad magistratus gerendos.

Geganij.

5. VRBIS OPVS] Ea fuit Chimæræ magnitudo, vt vrbem diceres. Ab locutione hac non abit ea lib. 8.

> *—pelago credas innare reuulsas*
> *Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.*

6. VERSV] Vocem hanc in re nautica reperies in Liuio lib. 43. *Regiam vnam (nauem) inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant*. Et lib. 45. *Paulus ipse post dies paucos regia naue ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant*, &c. Cæterùm his verbis Poëta proculdubio triremem signat. Id enim efficiunt voces istæ, *triplex versus, ternus ordo*. Sed difficile hoc imprimis est. Sanè Brodæus lib. 3. Miscell. cap. 4. negat omnino, Æneam nauibus transmisisse ad Italiam, nam post Troianum excidium triremes primùm Corinthi structas fuisse scribit Thucydides. verba eius, quæ in Brodæo desiderantur, sunt: καὶ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον τῆς Ἑλλάδος ἐναυπηγηθῆναι· φαίνεται δὲ καὶ Σαμίοις Ἀμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιήσας τέσσαρας: *Triremes primùm apud Corinthum in Græcia ædificatæ sunt. videtur autem & Samijs Aminocles Corinthius naupegus naues quatuor ædificasse*. Ad hunc locum respexit Plinius lib. 7. cap. 56. cùm scripsit: *Triremem Thucydides Aminoclem Corinthium*. Redeo ad Brodæum, qui eodem argumento contendit falsa quoque esse, quæ de suo Vlysse Homerus scribit, nimirum illum in Oceanum penetrasse; nam Homerica (vt ille ait) nauigia aperta & aphracta, forísque carentia, infirmiora erant, ac depressiora, quàm vt æstum Oceani quirent perferre. Additque Vlyssiponem Portugaliæ nequaquam esse Homerici Vlyssis, quod non extra fidem est, vt multos Hercules fuisse remur. ita non vnum Vlyssem putare. Pariter, quæ ex quorundam sententia ait Tacitus, ἀσκιπύργιον ab Vlysse conditum. Nam per Hispanicum, Gallicum, Britannicum Oceanum peruagari, & penetrare in Germanicum, structæ est classis, non lembi à paucis remigibus agitati. Sic fermè Brodæus: cõtra quem Spondanus in Hom. ait, non esse temere discedendum ab auctoritate Homeri, & Strabonis, qui Homericam illam peregrinationem confirmat. Albericus etiam libro Virgilianar. lection. cap. 8. à Virgilio stat contra Brodæum. Cui addo, fere ignorari formam nauigiorum, quibus Æneas in Italiam, & in Oceanum Hispaniæ Vlysses transmiserit, ac propterea minus statui aliquid posse in Virgilium, & Homerum. Deinde, si consulas quæ Bayf. scripsit libro de re nauali per initia, & quæ Lilius de re nautica cap. 1. videbis, nauium originem adeo incertam esse, vt nihil possis decernere. Sed esto, Æneas in Italiam non transmiserit nauibus, an ideo errauit Virgilius? ne puta. Vt enim ait Turnebus, lib. 14. Aduers. cap. 4. hanc eandem quæstionem agitans, poëtæ non perinde historiæ fidem exequi solent, apud quos crebri sunt ἀναχρονισμοί. Sed ad Poëtæ illustrationem non omittenda nota hæc interpretum. Cùm quatuor istæ naues triplici ordine remorum instructæ essent, in vna tantùm Chimæra vocem illam assumi, in reliquis sileri: nimirum cum allusione ad Chimæram, monstrum triforme. Non dissimili sensu Turni galea, in qua Chimæram fuisse Virgilius ait, triplici ornatur crista, cùm scribit,

Versus de naui.

Triremes quando primùm constructæ.

Vlyssiponis conditor.

Virgilius defenditur.

> *Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram*
> *Sustinet.*

7. DOMVS SERGIA] Fuit hæc Romæ amplissima. L. Sergij Fidenatis Plin. meminit lib. 4. qui Consul fuit vnà cum. M. Geganio. Fortitudinem militarem pene incredibilem M. Sergij, cuius pronepos fuit Catilina, Plinius lib. 7. cap. 28. mirè extollit.

Sergij.

8. CENTAVRO MAGNA] Monet, me annuente, Erythræus, vim Græcam expressam esse à Poëta, epitheto illo *magna*, nam Græci intentiua particula, βου, vterentur, dicerentque βουκένταυρος, ad cuius linguæ imitationem Veneti Ducariam suam, aut Senatoriam nauim pictura & auro præfulgentem appellant Bucentoro, quasi Bucentaurum.

a Est procul in pelago saxum spumantia contra
Littora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt vbi sidera Cori:
Tranquillo silet, immotaq; attollitur vnda
Campus, & apricis statio gratissima mergis.
b Hîc viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.

ARGVMENTVM.

Describitur saxum, vbi Æneas metam constituit.

EXPLICATIO.

a DEscribit saxum metæ hac sententia. Hic scopulus hyberno tempore, & sæuientibus fluctibus totus latet, vndis submersus: contrà, cùm mare est placidum, & vnda immota, tunc ipse attollitur, & longè eminet. Campum tunc appelles, nam planiciem efficit, ad quam mergi confugiunt, qui cùm sæpius mergantur, locos amant Soli expositos, & apricos.

b In hoc saxo constituit Æneas metam iliceam, quæ pro signo esset nautis, vt scirent vnde reuertendum, vbi circumflectenda nauigia.

NOTÆ.

1. PROCVL] Caue, vt hîc pro longè accipias. an illi peterent longinquum pelagus ad hoc certamen? non sic est. ad ipsum littus peracta est pugna. Repetenda huc, quæ dixi. 3. Æn. ad illud:

Terra procul vastis colitur Mauortia campis.

Procul, quid. Sed & quæ ibi dicta sunt, iuuant versus isti Ausonij in Epigramm. de Crœso & Diogene.

Effigiem Rex Crœse tuam ditissime Regum
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Constitit vtque procul; solito maiore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi diuitiæ? &c.

Ex his, & quæ sequuntur, clarè apparet loqui Diogenem cum Crœso, quem habebat proximum, atque adeo ibi *procul* tantùm est, pro oculis. Iuuant clarè verba Donati explicantis hunc locum his verbis, *erat autem positum non longè.*

2. SAXVM] Ad Maroniani huius saxi descriptionem & imitationem aspirauit Sidon. Apollin. lib. 2. epist. 2. his verbis: *In medio profundi breuis insula, vbi supra molares naturaliter aggeratos per impasta puncta remorum naualibus trita gyris meta protuberat, ad quam se iucunda ludentium naufragia collidunt: nam moris illic fuit senioribus nostris agonem Drepaniticum Troianæ superstitionis imitari.* Sed Virgilius ipse ad Homerum Il. 23. Quos versus omitto, sunt octo. lege. Hoc fuit ingenij Maronis, vt præstantissimè transferret ad cursum naualem, quæ Homerus scripserat de terrestri cursu. Ideo alias circumstantias in Græco, alias in Latino reperias. Nam, vt bene ait Donatus: *Ad imaginem ludorum Circensium composuit nauale certamen. Naues habuit pro quadrigis, pro aurigis verò eos, quorum nomina superiùs comprehendit: spatium pelagi pro Circi spatio: saxum ad vicem metæ.*

Olim. 3. OLIM] Cape hîc indefinitè pro quocunque tempore.

4. HYBERNI CONDVNT VBI SIDERA CORI] Signat tempestatem à conditis sideribus ex ventorum procellis. Sed quàm longè à vulgo illam signat! A Et nota crescentem orationem. Quid mirum saxum submersum sit fluctibus, cùm ipsa etiam sidera condantur? Has tot minas, spumas, tumores, fluctus, opponit tranquillitati, silentio, campo, stationi. Clara hæc omnia, tantùm ad *campum*, quem hîc opponit tumentibus fluctibus. inspicienda quæ de ea voce dixi in Georgicis.

5. METAM] Tractum à Circo Romano, in quo metam Græci dicunt τέρμα, καμπτῆρα, γραμμὴν: *terminum, flexionem, lineam.* Latini Cretam, & calcem dixêre, quòd hæc apta designandis spatiis. Inde Latinis idem est *currere vltra calcem*, quod Græcis, vltra plantas, aut oleas, ἔξω τῶν ἐλαιῶν, nimirum ab oleis Olympicis, quibus stadium cingebatur. Sed & Pacuuius vocem B Græcam assumpsit, campterémque appellauit à flexu: *extremum inter campterem ipsum prætergreditur.* Vide ista latiùs in Bulengero, Fabro, interpretibus Horatij, Polluce lib. 3. in aliis. Ad has metas trahunt multi Persij locum ex Satyra. 3. & præsertim ad metas, quæ constituebantur in naumachia, quod affinius Virgilio. Persij versus sunt,

Creta, & Calx, de Circo.

Currere vltra calcem.

Campter.

Discitéque ô miseri, & causas cognoscite rerum:
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus: aut meta quàm mollis flexus, & vnda.

Ita legunt non pauci docti, cùm priùs *vnde* aduerbialiter legeretur. Vide Clauerium, & Autumnum. Vocat verò metam Poëta hoc loco *signum.* est hoc aliud ab eo, quod in re etiam Circi *signum.* vocant scriptores: quibus signum est mappa missa agitatoribus ad soluendum è carceribus. De quo signo ita Ennius:

Signũ Circi. Mappa in Circo.

C

Expectant, veluti Consul cùm mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad Carceris oras,
Quam mox emittat pictis è faucibus currus.

Martialis:

Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam.

Propertius lib. 3. eleg. 9.

Dexteráque immissis da mihi signa rotis.

Attigit & Liuius hunc morem lib. 8. *Quia L. Plancius Prætor graui morbo fortè implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret.* Atque etiam Seneca. 2. de Ira, c. 8. *Velut signo dato ad fas nefasq; miscendum coorti sunt.* Ex his testimoniis potuisti notare, signum hoc datum iam à D Consule, iam à Prætore. Itaque hoc ad magistratus pertinuit. Horum potestatem, vt multa alia, fœdauit Nero, de quo Suetonius cap. 22. *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit, positóque in hortis inter seruitia & sordidam plebem rudimento, vniuersorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, vnde magistratus solent.* Quæres, quid sit, mappam mittere. Nihil profectò aliud, quàm paruum linteolum manu iacere in aërem, quo signo facto quadrigæ erumpebant. Lege Rubenium lib. 1. Elector. cap. 30. & vide ibi Iconismum missionis mappæ. Cedrenus μανδίλια vocat, *mantilia*, & eum, qui mantile ... proiectum arriperet, adornarétque certamen,

Mappã mittere.

μαππάριον. Sic & Tertull. *mappa missa*. Suetonium iam A præmisi, qui *liberto mittente mappam*.

6. LONGOS CIRCVMFLECTERE CVRSVS] Rectè videntur aliqui monuisse, his verbis à Poëta non obscurè signari morem illum, quo meta septies lustrabatur, nam videlicet circa metam septies quadrigæ flectebantur, dicente Propertio lib. 2.

Aut priùs infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triuerit arte rota?

De qua re iam lib. 1. Georg. Quod Poëta *cursus circumflectere*, Theocritus εἰδ. κε.

—περὶ νύσσαν
Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχόν.

Homer. Iliad. 23. περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν. Ennius hærens huic sermoni, *campsare promontorium* dixit. quod Græci ἄκραν κάμπτειν. Campso.

ᵃ Tum loca sorte legunt: ipsíque in puppibus auro
Ductores longè effulgent, ostroq; decori.
ᵇ Cætera populea velatur fronde iuuentus:
ᶜ Nudatosq; humeros oleo perfusa, nitescit.
ᵈ Considunt transtris, intentaq; brachia remis
Intenti exspectant signum: exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans, LAVDVMQVE arrecta cupido.

ARGVMENTVM.

Loca per sortes ductores capiunt, qui auro & purpura splendidi: iuuentus cætera coronatur populo, oleo inungitur, ad remos consistit, exspectat signum.

EXPLICATIO.

ᵃ DEdit sors locum cuique nauium, non principum dignitas, nam ea omnes pares. Principes verò ipsi Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus, ex magno decoro inducuntur auro & purpura prælucentes.

ᵇ Præclatè iuuentus, quæ ad victoriam aspirat, coronatur populo, quæ arbor victoriæ omen habet, ex quo illa coronatus est Hercules. Rationes alias alij suppeditabunt.

ᶜ Signatè humeri remigum inunguntur ad remos agiliùs versandos. ait *nudatos humeros*, quia hic habitus remigum, est, *nitescit perfusa oleo humeros*, idem quod, nitescit perfusa oleo per humeros. Nam cùm Græci in his locutionibus κατὰ subaudiant, nobis relinquunt locum subaudiendi, quàm aptiùs possimus.

ᵈ Sedent in transtris omnes simul remiges, ideo signatè *Considunt*. Vide verò, vt explicem quæ sequuntur: *Brachia* remigum *intenta remis exspectant signum intenti*, id est, illius qui præerat huic negotio, illius qui daturus signum. Sequuntur notæ duæ comparantium se ad certamen, *pauor*, & *cupido*: in quibus poësis mira. Nam *pauor* & *pulsat*, & *haurit corda exsultantia*: & *cupido* tota est ad laudem *arrecta*.

NOTÆ.

Sortitio in Circo. 1. SORTE] Cùm hîc sit sermo de nautis in mari quasi in Circo currentibus, alludit proculdubio ad sortitionem, quæ erat in Circo. De hac Sidon. in Narbone:

Et iam te vrna petit, ciétque rauca
Acclamatio sibilans coronæ.

Tertull. de Spectac. *Tardus illi prætor, semper oculi in vrna eius cum sortibus volutantur.* Sed quærendum ad Vatis explicationem, quid nam sors daret? Constabat ludus Circi multis missibus (hos narrare non est nunc negotij mei) erat ergo sortis beneficium, qui primo missu, secundo, tertio, &c. essent agitaturi. Dices, nihil hinc ad Poëtam, quia vnus tantùm datus est missus nauium. verum hoc, sed oportuit illa prælibasse, tum ad Sidonij, & Tertulliani explicationem: tum, quia verè sors Circi ita accipienda est, vt explicui, atque etiam ad ea quæ mox dicam. Pergo iam ad sigli-

B tam rē Poëtæ. Erat in Circo alter locus sortibus. Tendebatur enim linea in rectum, quam scriptores etiam vocant, *regulam*. Consistebant agitatores ordine in ea linea, exspectantes signum ad cursum. Erat igitur sortis beneficium quis primo loco consisteret, quis secundo, quis tertio, quis quarto. Itaque omnes aurigæ simul prorumpebant in circum, sed illi sors fauebat, qui egrediebatur è primo loco, nam huic breuius spatium decurrendum erat, vt veniret ad circumflexionem metæ. Quæ dixi, docent Cassiod. lib. 3. Var. 51. *Alba linea non longè ab ostijs in vtrumque podium, quasi regula directa producitur, vti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur.* Statius. 6. Theb. Regula in Circo. Sortis beneficium in Circo.

Et iam sortitus Proteus versarat ahena
Casside, iamque locus cuique est, & liminis ordo.

C Hæc mihi firmata: nam vir sanè doctus Bulengerus in lib. de Circo Romano ait, non omnes aurigas simul prorumpere in Circum, sed vnum post alium: & sortis esse beneficium, vt hic prior, ille posterior egrederetur. Loca auctorum, quibus id probat, nihil credo efficiunt: nam capienda vel de priore illa sorte missuum, vel de posteriore, id est, de ordine, quo consisterent in carceribus egressuri ad Circum. Iuuat vehementer, quæ contra illum dixi, locus Pausaniæ libro sexto, quem adducam, quia necessarius, ad rem, de qua ago. *Prima omnium ea submittuntur repagula, quæ vtrinque intenta fuerant. Tum qui ea in parte sustinebantur equi, statim se in pedes dant: ij, cùm ad alterum equorum ordinem accesserint, eodem modo & illis remittuntur repagula. Idem fit omni ex carcerum parte, vsque dum ad ipsum proræ rostrum exæquata fuerit cursus condi-* D *tio. Ibi equis in liberiorem se iam campum effundentibus, & aurigarum se ostentat solertia, & quadrupedum pernicitas.* nihil clarius ad hunc morem. Iuuat etiam locus Statij. 6. Theb. qui de cursura gymnica ita scribit:

Vt ruit, atque æquum summisit regula limen,
Corripuêre leues spatium, campoq; refulsit
Nuda cohors.

Vide, vt *regulam* nominet, & *æquum limen*. Non æquum profectò, si vnus exiret post alium. Ordinem hunc appellat Symmach. lib. 10. epist. 22. *quadrigarum distributionem, in qua sibi tum fortunatior videtur, cui euectionem mox vrna tribuebat.* Alij legunt *electionem*: verius credo: redeo. Vnum tantùm est validum testimonium pro Bulengero, nimirum vetus quidam Poëta, qui ait:

Isti vbi panduntur, funduntq; repagula cursus,
Vnus & ante omnes cogitur ire prior.

Sed hîc Poëta vel capiendus de eo, qui primo loco consisteret in regula, nam eo ipso prior aliis venturus

rus esset ad metam; vel certè eleuandus, vt qui innominatus, & fortasse ab ocioso aliquo ascitus falsò in nomenclaturam veterum. Verba etiam Symmachi, quæ sequuntur pòst adducta, *par, vel potior erat, quem sors fecisset extremum*, capienda de extremo in linea illa, quam adhibui. Ergo naues Virgilij egressæ sunt ad cursum, non vna post aliam: sed omnes simul tanquam è linea, ita tamen, vt sors daret vni earum locum illum primum, qui futurus vicinior ad metam, quæ erat in scopulo. Neque verò contra me est Homer. Il. 23. quamuis dicat, primam sortem agitandi fuisse Antilochi; alteram, Eumeli; tertiam, Menelaj; quartam, Merionæ: non enim ideo sequitur vnum post alium exiturum ad cursum: sed capiendus eo modo, quo explicui. nam statim ait, στὰν δὲ μεταστοιχεί, *steterunt autem ex ordine.* Et iterum,

Οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποιιν μάστιγας ἄειραν
Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν.
Hi autem simul omnes super equos flagella sustulerunt,
Percusseruntque flagellis.

Signatè ait ἅμα, id est, *simul*: vt vnà omnes exiisse intelligas. Demum Virgilius ipse, cùm statim naues exeunt, sic ait;

Inde vbi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluêre suis.

Erant ergo longo quodam ordine, tanquam in linea, aut regula, non vna post aliam. Hæc sic longiusculè fuerunt agitanda, tum propter auctoritatem docti viri: tum præcipuè propter explicationem Virgilij, atque etiam propter locum scripturæ, cuius explicatio & illustratio hinc pendet; quod suo loco indicabitur. Nam quid misceam sacra profanis, dum commentor? Hanc lineam *fauces pictas* appellat Ennius apud Tullium lib. 1. Diuinat. Versus Ennij sunt:

——veluti Consul cùm mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad Carceris oras,
Qua mox emittat pictis ex faucibus currus.

Fauces pictę in Circo.

quia ducta, & veluti picta è gypso, Græci γραμμήν. Et omnes indicant βαλβῖδα, & ὕσπληγα. Prima vox vbique obuia, altera in Cedreno pag. 454. Multi κανόνα, & Pindarus τέρμα.

2. POPVLEA FRONDE] Ennius dixerat, *populea frons.*

3. HVMEROS OLEO PERFVSA] Hæc loquendi forma aliis vsurpata, non solùm Poëtis. Plin. lib. 7. cap. 28. *vulneratus humerum, ac femur.* Morem, quo se certatores oleo perungerent, alibi attingo.

4. TRANSTRIS] Sunt transtra sedilia, aut tabulæ (banchi vulgo) in quibus sedent remiges. dicuntur & *iuga*, Græcis ζυγά, inde Zygij remiges eiusdem transtri, & Zygites, qui sedet in media naui.

Transtra, quid. Iuga nauiũ.

5. INTENTAQVE BRACHIA REMIS INTENTI EXSPECTANT SIGNVM] Vulgus ita explicat. Ipsi intenti exspectant signum habentes brachia intenta remis. Possis ita. Sed venustior est sententia, quam adhibui explicàs. Debes illam Ludouico Carrioni, lib. 1. Emendat. cap. 10. Adduco pro argumento imitationem Ennij lib. 8. Annal. quam iam aperuerunt &

A Carr. ipse, & Columna: ait,

——tonsámque tenentes
Parerent, exspectarent portisculus signum
Cùm dare cepisset.

Itaque, quod Ennius dixit, *exspectarent signum, quod daret portisculus*, Virgilius reddidit, *exspectant signum intenti.* Obiter scis, dici *portisculum* illum, qui daret signum remigibus ad remigandum. Qua voce vsus quoque Laberius: *Nec palmarum cursus, nec portisculi.* Græci dicunt κελευστὴν. Isidorus, & alij, qui dicunt portisculum esse malleum, quo remigibus signum dabatur, vel falsi sunt, vel egent correctione. Verè fuit *portisculus* in naue, qui præco in spectaculis, & rebus aliis. Itaque, vt hic fauentiam in sacris fauebat, ita ille remigibus modum dabat. De qua re vide Notam Scaligeri in Festum. verum est, signum dari à Portisculo vel malleo, quæ res Isidorum decepit; vel pertica. Videtur portisculus respondere Græcorum Trierarchis, nam hi in remiges imperium habebant. Sed latius erat munus Trierarchorum, nam non solùm imperabant remigibus, sed etiam illorum victum procurabant. Ex æquo (vt credo) respondebit portisculo, quem nos *Comitem* vocamus, vulgus *Comitrem.*

Portisculus, quis.

B

Trierarchi nauium, qui.

Comes nauium.

6. EXVLTANTIAQVE HAVRIT, &c.] Allusum in hac re à Poëta ad studium circi, in quo populus intentissimus erat ad signum quod dabatur, cùm è carceribus mittendi essent equi. Tertullian. de spectac. *Dehinc ad signum anxij pendent, vnius dementiæ vna vox est, misit, dicunt. & nunciant inuicem, quod simul ab omnibus visum est.* Silius etiam sic graphicè lib. 16.

Circi studiũ.

C

Fluctuat æquoreo fremitu, rabieque furentum
Carceribus nondum reseratis mobile vulgus,
Atque fores oculis, & limina seruat equorum.
Iámque vbi prolato sonuêre repagula signo,
Tollitur in cælum furiali turbine clamor.

Homerus etiam in suis ludis tale quiddam his verbis:

——πάταγε δὲ θυμὸς ἑκάστου
Νίκης ἱεμένων.
——palpitabat autem animus vniuscuiusque
Victoria cupidorum.

Et Sidonius in Narbon.

Raucus corda ferit fauor fauentum.

Adi etiam, quæ scripsi, 3. Georg. aduersum illum:

Cùm spes arrecta iuuenum, exsultantiaque haurit
Corda pauor pulsans, laudúmque arrecta cupido.

D

ad quem locum hîc respicit. vt verò Virgilius *exsultantia corda*: ita Philostratus lib. 1. de vitis Sophistar. ἐς πάλσιν ἄγει τὴν καρδίαν: *ducit cor in saltum.* Plato etiam in Timæo, loquens de corde, ait, πηδήσει. Sen. 2. de ira: *cor exsiluit.* Huc pertinent, quos *salissatores* vocat Isidor. lib. 8. Orig. cap. 9. Sunt hi, quibus pars aliqua corporis exsilit, vt cùm Theocritus εἰδ. 3. dixit,

Salissatores.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός.
Salit mihi dexter oculus.

Ex quo saltu illi aut prosperum, aut triste quidpiam diuinabant. Inde est, vt salissatores grauiter reprehendat S. August. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 20.

[a] Inde vbi clara dedit sonitum tuba: finibus omnes,
Haud mora, prosiluêre suis, ferit æthera clamor
Nauticus: adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumq; dehiscit
Conuulsum remis, rostrisq; tridentibus æquor.
[b] NON TAM præcipites biiugo certamine campum
Corripuêre, ruuntq; effusi carcere currus.
NEC SIC immissis aurigæ vndantia lora

Concussere iugis, proníque in verbera pendent,
[c] Tum plausu fremitúque virûm, studiísque fauentum
Consonat omne nemus, vocémque inclusa volutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.

ARGVMENTVM.

Tuba insonat, prosiliunt ad cursum naues, celeusma tollitur, spumat & conuellitur mare: Illustrantur omnia comparatione petita à Romano circo.

EXPLICATIO.

a Sententia clara est, quid morer in ea explicanda? tantum expende. Sonat tuba dactylicis, nullus enim spondæus in istis, *inde vbi clara dedit sonitum tuba.* Factum hoc ad indicandam celeritatem prosilientium. Nam, si in tuba essent tarda molimina, videretur inferri torpor certatoribus. Ideo de istis pari alacritate, & nullis spondæis,

—finibus omnes, Haud mora, prosiluêre suis.

vbi frequentissimæ vocales cum hiatu, quasi illis aperiatur via per maria. Non dissident quæ sequuntur, nam celeusma ita attollitur, *ferit æthera clamor Nauticus.* In versandis tantùm remis fiunt moræ, nam necessariæ, ideo freta *adductis spumant* brachiis. Sequitur mira poësis de sulcis factis in mare, de mare ipso dehiscente ac conuulso remis rostrísque.

b In comparatione par celeritas, imò volatus. Nam de curribus *præcipites, corripuêre, ruunt, effusi.* Pertinent hæc ad pernicitatem, qua naues comparantur cum curribus. Quid verò ipsi nauium ductores? non secus rem gerunt, atque aurigæ, qui *proni pendent in verbera, immissis iugis, loris vndantibus.*

c Diuina hæc; cùm enim præmittat tria, videlicet plausum, fremitum, studia, sequuntur tria, nimirum, *nemus consonat, littora volutant vocem, colles resultant clamore:* & omnia propriè. Nam sonitum nemoris possis referre ad plausum, ex vicinitate vtriusque vocis in significato: Vocem volutatam ad fremitum virorum: resultantes colles clamore, ad studia fauentium cum clamoribus. Possis Græciam totam conferre cum his versibus. & certè non illa satis.

NOTÆ.

Tuba in vsu Circi.

1. TVBA] Ex Romano more, quo in Circo tuba signum dabatur ad emissiones equorum. Plin. lib. 2. epistol. *qui nunquam castra viderunt, nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt.* Stat. 6. Theb.

Insonuit contra Tyrrhenum murmur, & omnes
Exsiliere loco.

Sidonius in Narbone,

Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas,
Effudit celeres in arua currus.

Hieronym. in vita S. Hilarionis capi de tuba potest ex aliorum consensu, etiam si non nominet. *igitur dato signo hi aduolant, isti præpediuntur, sub horum curru rotæ feruent.* Non bene Nascimbænus monet, inter Græcos non fuisse vsum tubæ in spectaculis, quia Homer. Il. 23. in suis nihil tale meminerit, sed tantùm incipiat his,

Οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποισιν μάστιγας ἄειραν:
Hi autem simul omnes super equos flagella sustulerunt.

Quamuis enim Homer. morem hunc siluerit, sed &

A apud alios eius mentio, Sophoclem in Electra, vbi pædagogi ore agit de Oreste in ludis Delphicis,

Ὅς τ' ᾖσθετ' ἀνδρὸς ὀρθίων κηρυγμάτων
Δρόμον προκηρύξαντος.
Cùm sensit hominis alta præconia
Cursum præmonentis.

Quem locum de tubicine accipit Petrus Faber lib. 1. Agon. cap. 30. Sed clarè apud Papin. 3. Syluar. vbi agit de agonibus à Pollio institutis ad Herculem Surrentinum:

—Phrygióque è vertice Graias
Addicis Misene tubas.

Clarè quoque Philostratus in Polem. ἡ δὲ ἰδέα τῶν Πολέμωνος λόγων θερμὴ καὶ ἐναγώνιος καὶ τορὸν ἠχοῦσα, ὥσπερ ἡ Ὀλυμπικὴ σάλπιγξ: *At species Polemonis orationum*

B *feruens erat, & pugnax, & vehementer sonans, quemadmodum Olympica tuba.* Nota autem, vt tubæ det claritatem in sonitu, quia hæc directa, Ouidius: Tubæ claritas in sonitu.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

& inde raucedo in cornibus, quia flexa in illis materia, in 8. Cornuum raucedo.

—rauco strepuerunt cornua cantu.

2. ADDVCTIS] Exprimit actum illum, quo remiges remum ad se adducunt, quò fortiùs incumbant. Tale quid Latini in equitatione, cùm equus adductis habenis sistitur: in arcu, vt fortiùs tendatur: in hasta, vt longiùs mittatur: in mille aliis. Obserua etiam in Poëta exprimi ingentem conatum remigum. Recurre ad illud. 3. Æn. Adduco.

Adnixi torquent spumas.

C 3. LACERTIS] Quid propriè hi sint, vix statuas, discrepantibus auctoribus. Alij putant, esse summam brachij partem ab scapulis ad cubitum. Alij contrà, imam, hoc est, à cubito ad carpum. quod Ant. Delrius monuit in Actium. Had. quoque Iuni. imam partem explicat. Vulgi sententia probabilior, quæ accipit summam partem. pro qua Ouid. Lacertus quid sit.

—laudat digitósque manúsque
Brachiáque, & nudos media plus parte lacertos.

& lib. 6.

Qui locus est iuguli medius, summique lacerti.

Innuit certè partem longè à carpo. Hoc idem fatebitur, qui legat Galenum lib. 1. de vsu Partium ca-

D pite 17.

4. INFINDVNT PARITER SVLCOS] A re rustica. Val. Flacc. lib. 1.

—volat immissis caua pinus habenis,
Infinditque salum.

Sidon. in Burgo:

—pontúmque in flumine sulcas. Sulcus de mari.

Prudent. Cathem. hymno. 5.

Qui pontum rapidis æstibus inuium
Persulcare vetas.

Cum sulcis cognata ea metaphora, qua maria dicuntur arari, 2. & 3. Æn.

5. ROSTRISQVE TRIDENTIBVS] Sunt qui malint *rostris stridentibus.* sed lectionem, quam repræsento (præter quam, quòd ea doctis plausibilis) iuuat Val. Flacc. lib. 1. Argon. Rostra nauium.

—volat immissis caua pinus habenis,
Infinditque salum, & spumas vomit ære tridenti.

itaque rostri species tridens erat, aut trisulca, ad vndas faciliùs secandas, ad proterendas hostiles naues.

Rostro

Rostrorum nauium tam frequens mentio, vt putidum sit consectari. Ad Catull. forte allusit Virgil. A

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor.

6. NON TAM PRÆCIPITES] Sumpta est ab Homero comparatio, qui Odyss. 13. sic canit:

Ἡ δ' ὥς τ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι,
Πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης,
Ὑψόσ' ἀειρόμενοι ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον.
Ὣς ἄρα τῆς πρύμνη μὲν ἀείρετο:

Illa autem sicut in campo quadriiuges masculi equi,
Omnes simul incitati à verberibus scuticæ
Altè eleuati celeriter emetiuntur viam:
Sic quidem huius puppis tollebatur, &c.

Reuocanda in hunc locum, quæ dicta sunt. 1. Georg. per extrema. Hîc tantùm vide, vti Poëta rem exornet tam pulchra hypotyposi, vt putes te cernere effusos ad spatium cursus, aurigas cum habenis, eósque pronos in verbera. Itaque in hunc locum apta est comparatio illa quam inter Homerum, & Virg. adducit Iul. Scal. Homerica hæc sunt. 23. Il. B

Μάστιγι δ' αἰὲν ἔλαυνε κατωμαδόν· αἱ δ' ἄρα ἵπποι
Ὑψόσ' ἀειρέσθην ῥίμφα πρήσσοντε κέλευθον:

Flagello autem semper agitabat per humeros: ipsíque equi
In altum tollebantur leuiter percurrentes viam.

Virgilius superat Homerum.

Ergo ait Scal. Nihil infelicius, quàm μάστιγι αἰὲν ἔλαυνεν. Nam continuatio & equorum diminuit opinionem, & contemptum facit verberum. Frequentibus interuallis stimuli plus proficiunt. Quod verò admirantur Græci, ὑψόσ' ἀειρέσθην, pessimum est: extento C namque, &, vt milites loquuntur, clauso cursu, non subsiliente opus est. Quare diuinus vir, *vndantia lora*, hoc enim pro flagro, & *præcipites*, & *corripuêre campum*, idque in præterito, ad celeritatem. Et *ruunt*, quasi in deuexa, adeo celeres sunt. Illa verò *pronique in verbera pendent*, supra omnem Homerum sunt. Hæc Scaliger. Macrobius etiam locum hunc sic tractat: *Maro & currus de carcere ruentes, & campos corripiendo præcipites mira celeritate descripsit: Et accepto breui semine de Homerico flagro, pinxit aurigas concutientes lora vndantia, & pronos in verbera pendentes: nec vllam quadrigarum partem intactam reliquit, vt esset illius certaminis plena descriptio.* Sed ego hîc non prætermittam elegantem descriptionem Sidon. Apoll. in Narbone, vbi exprimit, & quæ præcedunt cursum equorum, & cursum D ipsum, his versibus:

Equorum cursus in circo, descriptio.

Illi ad claustra fremunt, repagulísque
Incumbunt simul, ac per obseratas —
Transfumant tabulas, Et ante cursum
Campus flatibus occupatur absens.
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardescunt, saliunt, timent, timentur,
Nec gressum cohibent, sed inquieto
Duratum pede stipitem flagellant.
Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arua currus.
Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulsa Scythico sagitta neruo,
Non sulcus rapidè cadentis astri,
Non fundis balearibus rotata
Vnquam sic liquidos poli meatus
Rumpit plumbea glandium procella.
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto puluere sordidatur aër.
Instant verberibus simul regentes,
Iámque & pectora prona de couinno
Extensi rapiuntur, & iugales
Trans armos feriunt vacante tergo.

In hac Poëtarum comparatione indignè videbor facere, nisi Virgilium ipsum ad certamen adduco: qui supra omnem musam, sic in lib. 3. Georg.

Nonne vides, cùm præcipiti certamine campum
Corripuêre, ruúntque effusi carcere currus:
Cùm spes arrectæ iuuenum, exsultantiáque haurit
Corda pauor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi feruidus axis:
Iámque humiles, iámque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras:
Nec mora, nec requies: at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur: humescunt spumis, flatúque sequentum:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.

Hîc ego tamen pro Homero dicam, (vt ad illum redeam) alium esse locum apud hunc vatem, quem fortasse posses ad Virgilij comparationem adducere. Malè enim geritur à Grammaticis, qui interdum soleant deteriora Homeri loca adducere in contemptionem Virgilij; prætermittere, quæ ille studiosiùs dedit, & bono fauente genio. Locus, quem dico, habetur Il. 23. quem iam attuli ad prædictum Virgilij locum. 3. Georg. demum obserua, non bene constitui discrimen illud inter carcerem & carceres: vt ille sit reorum custodia, hi circi. nam, vt vides, Virg. de circo loquens, dixit *carcere*, non, *carceribus*: Et Enn. 1. Annal. de circo quoque:

———*omnes auidè spectant ad carceris oras.*

Vndare, ad quæ traducatur.

7. VNDANTIA LORA] Vndare lora dicit, vt Plautus Epid. *vndantem chlamydem.* vt Propertius, *fluitare* de velis, quæ in theatro:

Et modò iam pleno fluitantia vela theatro.

& ante illum de iisdem Lucretius,

———*cogúntque suo fluitare colore.*

& Ouid. 2. de Arte transfert ad lora, cùm ait:

Aspice vt in curru modò det fluitantia rector
Lora, modò admissos arte retentet equos.

Antiquissimus scriptor Aristeas loquens de velo Hierosolymitano, *Aura velum subintrans, illud ad summum vsque crispantibus sinibus in vndarum morem motat.* Vegetius lib. 4. cap. 6. loquens de ciliciis, quæ prætenduntur ante murum, verbo simili dixit, *fluctuare*. Ad humanum corpus traduxit Apul. lib. 3. *membra tremulo succussu quatit, queis luniter fluctuantibus* Eodem lib. dixit *labys vndantibus* appellat vndantia labia asini, cùm iam morsicationem apparabant, & se explicabant ad decerpendum rosas. Hîc ego obseruo diligentiam Virgilij, qui metaphoræ aquarum, quam simul arripuit, tenaciter hæsit, ad illustrandum equorum cursum. Nam currus sunt *effusi*, lora *vndantia*, iuga *immissa*. Hoc enim extremum aquarum quoque est, nam Ouid.

Immitto de aquis.

Aspice vt admissas concitet Hebrus aquas.

Traho etiam huc voces *præcipites*, & *ruunt*, quæ commodissimè dicentur de aquis. Cur verò tot verba eiusdem elementi? quia certamen equorum comparatur cum certamine nautico.

8. PRONIQVE IN VERBERA PENDENT] Nullus satis sermo occurrit, quo possim tantum hunc affectum explicare. Is est Virgilius, quem sæpissime sentiendo magis debeas meditari, quàm interpretari E loquendo. Sanè neque illa Homerica. Iliad. 23.

πολὺς δ' ἀνεκήκιεν ἱδρὼς
Ἵππων ἔκ τε λόφων, καὶ ἀπὸ στέρνοιο χαμᾶζε:

———*multúsque exilijt sudor*
Equorum, éxque summis ceruicibus, & à pectore in terram.

Neque illa Sidonij in Narbone,

Instabant alij manu atque voce,
Passim & deciduis in arua guttis
Rectorum, alipedúmque sudor ibat,

Ita mihi aperiunt fatigationem equorum, atque hemistichium hoc Virgilij, vbi nullum otium in rectoribus, nullum in equis tempus vacuum à metu. Aliquid ad rem Virgilij Homerus, cùm ait, ἐφ' ἵπποισιν μάστιγας ἄειραν: *super equos flagella sustulerunt.* Sed est aliud, quod hîc notes. sicut suprà in præterito *corripuêre*, & deinde in præsenti, *ruunt*: ita nunc quoque, *concussêre*, & deinde, *pendent*. Nam, quemadmodum equi, qui corripuêre ab ipsis carceribus cursum, iam nunc ruunt: ita aurigæ, qui initio concussêre lora ad illos excitandos, iam nunc sine vlla intermissione pendent semper in verbera. Adeo sibi Poeta est consonus. Pulchre Propert. lib. 4. el. 8. verbum hoc cum oppositione adhibuit,

Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit.

vbi cùm sedeat, tamen pendet. Xenoph. 3. ἀναβ. ἐφ' ἵππων κρέμανται: *pendent ab equis.*

9. TVM PLAVSV FREMITVQVE, &c.] His verbis alludit Poeta ad circi clamores, & studia. Vix autem dici potest, quæ illa fuerint, iccirco Iuuenalis, clamosum circum vocauit.

Clamores Circi.

—clamoso insistere circo.

Et Martial. lib. 10. epig. 54.

Ille ego sum Scorpus clamosi gloria circi.

Sed tria peculiariter Maro infert, plausum, fremitum, studia fauentium. Plausum apud Silium lib. 16. in re simili videas,

Plausus Circi.

Euolat ante omnes, ventos post terga relinquit,
Conclamant plausúque fremunt, votique peractam
Maiorem credunt præcepto limite partem.

Fremitus, furor, insania, immoderatio.

Ad fremitum, quem etiam in Silio vidisti, referri potest furor, quem Circo dat Tertullianus, de habitu muliebri, *Circi furoribus, arena atrocitatibus.* Et lib. de spectac. *in Circo propriè furor præsidet.* Ausonius eid. 13. *furiosi Circi.* Item insania, quam Minutius: *in ludis curulibus quis non horreat populum in se rixantis insaniam?* Atque etiam immoderatio & intemperantia, quas Saluianus lib. 6. de gubernat. Dei. illius verba sunt: *Quidquid immundiciarum est, hoc exercetur in theatris; quidquid luxuriarum, in palæstris: quidquid immoderationis, in Circis: quidquid furoris, in caueis. Alibi est impudicitia, alibi lasciuia, alibi intemperantia, alibi insania.* De fauore demum astantium, atque studio, Plin. lib. 9. epist. *nunc fauent panno, studium fauórque transiuit, & repentè agitatores relinquent illos equos, quorum clamitant nomina.* Dionys. Hal. lib. 3. in pugna illa, quæ habita ab Horatiis & Curiatiis: *Hactenus quies, & silentium in vtroque exercitu fuerat. Postea verò frequentes acclamationes inter vtrosque exortæ sunt, nunc his, nunc illis vicissim suos propugnatores adhortantibus, & Deos in vota vocantibus, & gemitus edentibus, & crebras voces variarum affectionum plenas, quales in certaminibus audiri solent, emittentibus.* Et Sidonius in Narbone,

Fauor.

Raucus corda ferit fauor fauentum.

Ad omnia demum referas locum eiusdem Sidonij hunc,

Miscet cuncta fragor resuscitatus,
Quantum non cyparissifer Lycæus,
Quantum non nemorosa tollit Ossa,
Crebras inquietata per procellas;
Quantum nec reboant volutæ ab austro
Doris, Trinacris, aut voraginoso
Quæ vallat sale Bosphorum Propontis.

Et hunc Cassiodori lib. 3. epist. 51. *Hoc tantùm dicimus, omnimodis stupendum, quòd illic supra cetera spectacula feruor animorum inconsulta grauitate rapiatur. Transit Prasinus, pars populi mœret: præcedit Venetus, & potior turba ciuitatis affligitur: nihil proficientes, feruenter insultant: nihil patientes, grauiter vulnerantur: Et ad inanes contentiones sic descenditur, tanquam de statu periclitantis patriæ laboretur.* Et multa quæ sunt in Arnobio lib. 7. Nam Statius, Silius, & poetæ alij pleni sunt. Neque verò omittam locum Cæsarij fratris Nazianzeni dialog. 1. vbertim loquentis de hoc fauore, atque explicantis qua ratione daretur is fauor. Scio esse, qui negent, Nazarium illum, qui dialogos illos conscripsit, qui nunc circumferuntur, esse fratrem Nazianzeni. Sed ad rem nihil, & ego ad rem. Ait ille: *Libet illos imitari, qui ludos equestres perlubenter spectant. Solent hi cursuum in certaminibus, ad eos quos fauore suo complectuntur, tametsi ad summam illi celeritatem nihil reliqui faciant, victoris tamen studio de sellis gradibúsque superioribus, quasi toto cum viscerum motu, acclamatione vti: oculísque vnà cum cursu circumactis aurigam (vti quidem arbitrantur ipsi) maiorem ad impetum excitant. Quin & equos acclamando & hortantur, próque flagello manum ad eos protendunt, & indice digito proximos sibi feriunt. Neque malas tantùm fricant, sed nonnunquam & dentem exacuunt, & vultu minantur, & totos se ad studij cursores erigunt, digitísque gesticulando, quæ facere sibi ad consequendum præmium videntur, indicant.* Volui integra, quia hæc ad rem, de qua loquor, signandam, apta. Scias tandem plausum hunc apud veteres in sacris certaminibus pro præmio etiam fuisse ante inuentas coronas. Clemens Alex. lib. 2. Pædag. *in certaminibus autem primum fuit donum Athletarum; secundò, plausus & excitatio; tertiò, foliorum sparsio; vltima autem fuit corona, cùm Græciæ post tempora Medica magna ad delicias facta esset accessio.*

Plausus in certaminibus pro præmio.

10. CONSONAT OMNE NEMVS, &c.] Locus huic similis est in 8.

— inde repente
Impulit, impulsu quo maximus intonat æther,
Dissultant ripæ, refluítque exterritus amnis.

Tale quid sæpe occurret in Virgilio, sæpe in Homero.

[a] Effugit ante alios, primúsque elabitur vndis
Turbam inter fremitúmque Gyas. [b] quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. [c] post hos æquo discrimine Pristis,
Centaurúsque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc vnà ambæ, iunctísque feruntur
Frontibus, & longæ sulcant vada salsa carinæ.

ARGVMENTVM.

Describitur exitus primus nauium ad cursum, celeritas, contentio: gloria prima est Gyæ.

EXPLICATIO.

PLacitum vati ad delectationem, qua semper vult capere suos lectores, variare hîc nomina. Iraque

Itaque iam Gyan, & Cloanthum inducit, qui Chimæra & Scylla ferebantur, iam omissis ductoribus, Pristin & Centaurum nominat pro Mnestheo, pro Sergesto. Sed iam ad sententiam. Fuit gloria prima Gyæ, qui reliquis promptior in primo exitu, signata verba, *effugit, elabitur*.

b Secunda gloria in exeundo, Cloanthi fuit. Nam tametsi illius nauis Scylla melior esset Chimæra Gyæ, remorum substantia, tamen lignorum genere, quibus fabricata erat, & pondere erat tardior. Hæc mens Donati. Clariùs, præstabat remis, tardabatur pondere. Cùm ait *tenet*, subaudi aut mare, aut victoriam. Vide infrà, *& nunc Pristis habet*.

c Pristis & Centaurus, naues Mnesthei, & Sergesti, contendebant inter se superare locum priorem, id est, vtra esset prior. Itaque de tertio loco contendebant, explicatoribus Seruio, & Donato. Neque enim tunc isti duo aspirabant ad gloriam Gyæ, & Cloanthi. Erat verò iam Pristis victrix, iam Centaurus, iam simul ambæ ferebantur, sulcabántque maria.

NOTÆ.

1. PRISTIS HABET] Scripsi *habet*, non *abit*, vt in vulgatis. Nam imprimis hæc phrasis Virgilij esse videtur, ad signandum res nauticas: vt nauticam victoriam, portum, mare, &c. ita in 10. — Habet in victoria.

—Æneïa puppis
Prima tenet.

Subaudi, mare. suprà, *pondere pinus, Tarda tenet.* infrà: *metámque tenebat.* iterum: *propiora tenentem.* Et Pind. A Od. 4. Nem. hærens huic locutioni, ait de corde suo, *ἔχει ἅλμα, habet mare.* Deinde, quia Poëta videatur alicui fortasse alludere ad locutionem illam *habet*, qua vsi veteres in comparata victoria, quáque vsus Virg. in 12. Tertiò, quia Pierius eam inuenisse testatur in antiquis codicibus.

2. IVNCTIS FRONTIBVS] Sæpe Noster eandem sententiam habet vario flexu. Quod enim hic *iunctis frontibus*, in hoc libro postea, *æquatis rostris*: & iterum, *æquatis velis*. Quæ verba etiam sunt in 4. Æn. Liuius etiam lib. 36. *æqua fronte ad pugnam accedere*.

3. LONGÆ SVLCANT VADA SALSA CARINÆ] Non displicet ea lectio, quam ex Romano codice repræsentat Pierius,

Et longa sulcant vada salsa carina.

B Cùm carina sit trabs intima, qua nauis fundatur, dicente Ouid. — Carina, quid

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Et Cæsare lib. 1. Ciuil. *Carinæ primùm ac statumina ex leui materia fiebant; reliquum corpus nauium viminibus contextum corijs integebatur.* Vide Lilium de Nauig. c. 11. ita vt non dicat, carinas sulcare, sed naues suis carinis. Iuuat imitatio Catulli, qui priùs dixit,

Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi.

& Virg. ipse in 10.

—longa sulcat maria alta carina.

Cùm ait *vada salsa*, allusum ad sali etymon, vt sæpe alibi, vt cùm ait, *salsos fluctus*. Nam θάλασσαν dictam volunt à voce σάλος, & hanc ab ἁλὸς. ita etiam *mare* Latinum à voce Syrorum *marath*, quæ illis sonat amarum. — Maris etymon.

a Iámque propinquabant scopulo, metámque tenebant;
b Cùm princeps, medióque Gyas in gurgite victor,
Rectorem nauis compellat voce Menoeten:
Quò tantùm mihi dexter abis? huc dirige cursum:
Littus ama, & læuas stringat sine palmula cautes:
Altum alij teneant. dixit: sed cæca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas.
Quò diuersus abis? iterum pete saxa Menœte,
Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce, Cloanthum
Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter nauémque Gyæ, scopulósque sonantes
Radit iter læuum interior, subitúsque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.

ARGVMENTVM.

Cadit Gyas à gloria, nautici rectoris culpa, qui metu scopuli sinistram fugit, vbi erat meta, dextram petit, & apertum pelagus: locum Gyæ, & victoriam, Cloanthus, facto breuiore gyro, occupat.

EXPLICATIO.

a QVia nimirum Æneas metam constituerat in scopulo.

b Amittit gloriam suam Gyas culpa Menœtæ nauarchi sui, qui sanè Menœtes vt ad littus, ad saxa, vtique ad læuam accederet, nullis vocibus sui principis adduci potuit: Itaque nauem ad dextram detorsit cum magno incommodo victoriæ, ad quam Gyas aspirabat. Hæc vtcúmque explicui, aperiam enim C sententiam clarissimè, Nota. 6. vbi dicam quid *dextrum*, quid *sinistrum*, in his ludis. Cur Cloanthus dicatur *interior*.

NOTÆ.

1. QVO TANTVM MIHI DEXTER ABIS?] Illud *mihi* ex Latij venustate. Liuius lib. 2. *pulset tum mihi lictorem, qui sciet ius de tergo.* Redundant exempla.

2. LITTVS AMA] Explicat Seruius optimè de ea specie littoris, quæ esset in scopulo, vbi erat meta, nam quicquid aqua alluitur, littus est.

3. PALMVLA] Remus est, siue extrema remi latitudo. Græci partes tres remi faciunt: Enchiridion, quod & manubrium, aut capulus: vracos, quæ media pars remi: pteram, & tarsum, quæ & palmula. Vide Lilium — Palmula. — Remi partes tres.

Lilium de Nauig. cap. 13. vsus est hac voce Catull. A quoque:

—siue palmulis

Opus foret volare, siue linteo.

& Minutius: *signum sanè crucis naturaliter visimus in naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur.* Herodotus lib. 8. signans palmulas, dixit, ταρσὲς τῶν κωπέων. Dicta verò est ea pars remi palmula, ad similitudinem manus humanæ, quòd in modum palmæ protensa: à qua proprietate Apul. 2. Florid. sic indigetat extimam partem plumarum, cùm ait: *color psittaco viridis, & intimis plumulis, & extimis palmulis.* Scias quoque Catullo eam remi partem *palmam* vocatam:

Palma in remo.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

4. Quo diversus abis] Libitum notam adducere Iulij Scalig. è lib. 3. Poet. cap. 16. vbi scribens, qua B peritia Virgil. tractauerit mores opificum, de nautis hunc fermè in modum loquitur. Nautis peculiare est, duri vt sint, sæpe etiam pertinaces. sic sanè Menœtes appellatus, & monitus à suo principe, parere noluit. Est pessimum hoc hominum genus. Deum ipsum pro ludo in tranquillo cursu; in aduerso, pro hoste habent. Audias sæpe contumelias in cælum, & βλάσφημα, à quibus non abit illud Palinuri:

Nautarum mores.

—non si mihi Iuppiter auctor

Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo.

Imperiosam quoque pernosam nauticam in Charonte notabis,

Quisquis es armatus, qui nostra ad limina tendis,

Fare age, quid venias. C

Satis erat: addidit, *iam isthinc.* & amplius: *& comprime gressum.* Nihil sanè præterea potuit, nisi diceret, *Abi.* Coniunxi hæc vnum in locum, quia ad eandem rem pertinent, vt scias ipse mores imitari eius personæ, de qua tibi est sermo, idque ad Virgilij imitationem. Cæterùm in hac reprehensione Gyæ, imitatio est Homeri, apud quem Menelaus in suo cursu grauiter semel atque iterum Antilochum accipit,

Ἀντίλοχ', ἀφραδέως ἱππάζεαι· ἀλλ' ἀνέχ' ἵππους:

Antiloche temere aurigaris, retine equos.

Et,

Ἀντίλοχ', οὔτις σεῖο βροτῶν ὀλοώτερος ἄλλος:

Antiloche nullus te hominum perniciosior alius.

5. Ecce Cloanthvm] Hîc Cloanthus eripit, & occupat Gyæ victoriam. Dixi has voces, nam vtraque D propria huius rei. In tabula marmorea in domo Cechinorum de Diocle gloriosissimo in re Circi supra mortales omnes, vt ex ea tabula apparet, *eripuit, ne vicit.* iterum, *occupauit, & vicit.*

6. Interior] Difficilis est locus, in quo sum, & interpretes, quos vidi, ieiuni sunt. Ex his, quæ hîc dicam, non solùm is locus lucem capiet, sed superiora omnia de dextra, de sinistra, de metis, de saxis, de littore, quod peti à Menœte Gyas volebat. Prætermittam hîc, quæ ad circum pertinent, cùm ea locus hic non postulet, tantùm ex illo sumam, quæ necessaria ad Virgilium. In primis tibi situm Maronianæ metæ aperio, & vnde, & qua ratione egressæ naues. Finge, ita naues habuisse aduersum se metam, vt illarum puppes E terram respicerent: deinde cogita cursum inceptum ab dextra, ita vt sinistra esset meta. Inde fiebat, vt duæ naues cùm currerent, illa sinistra ire diceretur, quæ propior esset metæ: illa contra dextra, quæ ab illa remotior. Ab hac positura omnia clara: quantum enim fieri potuit, formata est in aqua Circi ratio. Ergo pars sinistra ea erat, quæ metæ proxima: pars dextra, quæ remotior. Inde est, vt Gyas Menœtem tam serió monuerit, vt dextram & altum relinqueret, quia ea de cursio nihil ad laudem, & victoriam: sinistram peteret, cautes stringeret, ne saxa fugeret metæ, nam hæc pars tota ad victoriam. Hoc habito, explico quid sit cursus ille interior, quem hîc Cloanthus tenet. Præclarè Turneb. lib. 14. cap. 4. & Bulengerus de Circo cap. 29. accipiunt interiorem pro sinisteriore, breuioréque. Nam meta ad sinistram erat in Romano Circo. Inde bene Silius lib. 16. vtramque vocem coniunxit,

Interior pro sinisterior, in Romano Circo.

Sed læuo interior stringebat tramite metam.

vbi simul audis voces duas, interior, & læuus trames. sic explicandus Ouidius. 3. Amor. eleg. 2.

Nunc stringam metas interiore rota:

id est, sinisteriore. & ibidem,

Me miserum! metam spatioso circuit orbe.

Quid facis? admoto protinus axe subi.

Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ,

Tende precor valida lora sinistra manu.

vbi spatiosum orbem, proculdubio intelligit dextram partem, quæ abibat à meta, & id deflet, petitque, vt lora sinistra fortiter tendat. sinistro enim equo tendenda erant lora, quia breuiore spatio decurrebat, sicuti laxanda dextero. Ita etiam capiendus idem lib. 2. Amor.

Interior curru meta terenda meo.

id est, sinisterior. Statius iccirco *compendia* metæ vocat, loquens de equo sinistro; sic enim lib. 6.

Sperauit flexæ circum compendia metæ.

Et Ouidius. 3. Am.

Metáque feruenti circumeunda rota.

Lucanus etiam lib. 8.

—læuum cùm circuit axem,

Cogit inoffensa currus accedere meta.

Istæ enim voces *compendia, flexus, circuitus*, vnicè quadrant sinistræ rotæ. Allusit Seneca, de Tranquillit. *Non in cursu tantùm, circíque certamine, sed in his spatijs vitæ interiùs flectendum est.* Allusit Horatius Sat. 6. lib. 2.

Siue Aquilo radit terras, seu bruma niualem

Interiore diem gyro trahit.

Sol enim in hyeme breuiorem habet cursum, & illi veluti pro meta est terra. Doctissimè verò addit Turn. in circo accipi interiorem pro sinistro, tantùm casu quodam metæ stantis ad sinistram: non quia interior idem sit, quod sinister. Ergo scias lector, interius, idem esse, quod sinistrum, tantùm in Romano circo, & in hoc nauali cursu: aliàs non item, nam interius idem est quod dextrum: & exterius, idem quod sinistrum. Hæc est mens Turnebi lib. 14. cap. 24. & Lipsij lib. 2. Elect. cap. 2. litterarum humaniorum principum. Censet enim posterior: *Romano ritu cùm duo incederent, non ad ipsum latus æquabiliter eos isse, & pari velut iugo, sed anteiisse dimidiatim alterum; altero adhæsim subsequente: ita (inquam) vt is qui honore honestiorem vellet alterum, leuiter & in parte præiret, tanquam si viam faceret, tanquam si innixui se præberet, tanquam si ductorem & custodem, prorsus ad illud instar, quo hodie in Italia Hispaniaque deduci mos est fœminas summates. Ab hoc ritu, & situ omnia iam clara. iure enim exterior, qui ad sinistram, respectu ad sequentem, & hic interior comparatus ad priorem.* Ex hac igitur positura, Ouidij versus isti explicandi, ex lib. 5. Fastorum, vbi de honore, qui habebatur seniori, sic loquitur:

Interior pro dexterior.

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis,

Ibat: & interior, si comes vnus erat.

Item illud Horat. lib. 1. Sat. 5.

—nec tamen illi

Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

Cui statim respondetur,

Vis ne tegam spurco Dama latus?

hoc est; vis, vt ego exterior, & ad sinistram sim: spurcus verò

verò Dama interior, & ad dextram? Nam tegere, & claudere latus inferioris est, & vilioris, dicente Iuuenale, A

Diuitis hic serui claudit latus.

Et quidem ex Suetonio, atque Eutropio clarum faciam, *latus tegere*, esse idem, quod esse ad sinistram. Prior in Claudio.cap.24.ita scribit: *Aulo Plautio etiam ouationem decreuit, ingressóque vrbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reuertenti, latus texit.* vel, vt alij legunt, *latus clausit*, ad rem nihil. Hoc idem posterior narrans, ita ait: *Tam ciuilis circa quosdam amicos extitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregiè fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium laeuus incederet.* Nihil clarius. Hinc tu explicabis Valerium lib.4.cap.7.vbi nihil discriminans, ait, *Hephæstione gratißimo sibi latus suum*(Alexandri)*tegente.* &, si quem alium obuium repereris. Huius distinctionis, quam adhibui, ignoratio in errorem pertraxit Goropium Becanum lib.3.Hieroglyph. Nam cùm videret in circo interius accipi pro sinistro, exterius pro dextro, putauit idem esse in sermone honoris, & dignitatis. & malè omnino Turnebum reprehendit, sed tale quiddam expertus ipse est, qui Lipsium contra se habet. In errore Goropij est etiam Iosephus Castalio in Var.Lectionib. Verum est tamen Turnebi ingenium in aliquo defecisse, in eo præsertim quòd malè interpretetur, & corrumpat versiculum illum Ouidij,

Latus tegere, quid sit.

——interior, si comes vnus erat.

Vult enim legi *exterior*, malè omnino. Quæ Goropius ait, de sinistro loco, quem ille putat fuisse honestiorem dextro, reseruo ad locum alium. Summa eorum, quæ dixi & probaui, est, in sermone honoris, idem esse interius, & dextrum; exterius, & sinistrum: in sermone verò Circi idem esse interius, & sinistrum; exterius, & dextrum. Hoc ita certum, vt certius nihil. Addo etiam sermonem Circi vsurpatum in fidibus. Nam *intus canere* idem est, quod sinistra canere: *extra canere* idem, quod dextra. B

Intus canere.

7. METIS TENET ÆQVORA TVTA RELICTIS] Hæc fuit felicitas Cloanthi, vt citiùs ad metam perueniret, quia interior iuit, id est, sinisterior: itaque euasit inter nauem Gyæ, & inter scopulos, qui erant ad saxum illud, vbi sita erat meta: euasit verò in pelagus iam expeditum, & liberum.

[a] Tum verò exarsit iuueni dolor ossibus ingens:
[b] Nec lacrymis caruêre genæ, segnemq; Menœtem
OBLITVS decorisq; sui, sociúmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
[c] Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturq; viros, clauumq; ad littora torquet.
[d] At grauis vt fundo vix tandem redditus imo est
Iam senior, madidaq; fluens in veste Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaq; in rupe resedit.
[e] Illum & labentem Teucri, & risêre natantem:
Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

ARGVMENTVM.

Ardet Gyas dolore, lacrymatur præ indignatione, amens & ferox Menœtem in vndas præcipitat, ipse agit nauem: emergit ex vndis Menœtes, sedet in rupe, fluctus vomit, ridetur à turba.

EXPLICATIO.

[a] EXprimitur vis doloris ab ardore, & ossibus, in quæ ille penetrabat, imò quæ absumebat. Nec deest attributum ad rem eandem.

[b] Accedunt lacrymæ ad dolorem, accedit furor. Nam socium salutis suæ (quæ maior hac insania?) præcipitem deturbat in pelagus. *& oblitus decoris*, quia est indignum principe homine, vt pœnam ipse ab alio, aut supplicium sumat suis manibus.

[c] Rem gerit ipse pro Menœte tum gubernando, tum hortando. Conatúrque clauum torquere ad littora, id est, ad scopulos, vbi erat meta, vnde Menœtes fugerat. Iam enim monui, littus in Poëta esse scopulum, vbi meta. nam aliter nullatenus res potest expediri.

[d] Mira hypothesis hominis ab vnda emergentis. Rem circumstantiæ exornant, quas tute expendes.

[e] Non fuit prætermittendum (ait Nascimb.) quin vulgi spectantis mos indicaretur, vt huic loco quæreretur festiuitas. C

NOTÆ.

1. EXARSIT IVVENI DOLOR OSSIBVS] Explicat Scal.lib.3.Poet.cap.15. quàm obseruantissimus ætatum omnium Virgilius fuerit, vbi in eas incideret, illis ea attribuens, quæ cuiusque essent. Coniungam hîc quæ ad iuuentutem pertinent: hanc enim partem in præcipua commentariorum pono, vt scias cum laude & gloria imitari hunc principem. Iuuenis frequentissimè ferox, atque etiam violentus. Ferox Turnus etiam Furiæ exprobrat senectutem: deinde ad arma vniuersum concitat Latium. Itaque eum ardentem appellat Poëta, vt in 12. D

Iuuenum mores.

Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit.

sic audax est Lausus, atque etiam Æneæ insultat. Pallas quoque nihil metuit Turni vim, laudis est cupidus, cùm eius petit spolia, & in 8. sedentibus aliis,

——raptóque volat telo obuius ipse.

Iam iuuentus rarò statuit modum appetentiæ suæ. Euander de se,

——mihi mens iuuenili ardebat amore.

Ad hæc, iuuenes faciles sunt in ira, prompti in vltione, ac parati. Hîc Gyæ *exarsit iuueni dolor ossibus ingens*, ira hactenus. Vide quid sequatur: *Nec lacrymis caruêre genæ.* Indignatione enim citiùs quàm

pieta

pietate iuueni excidunt lacrymæ. Addit illico vltionem:

Oblitus decorísque sui, sociúmque salutis
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Alia, quæ ad hanc ætatem spectant, vide apud Scal.

Dolor, stimulus est ad res omnes.

2. Dolor] Quemadmodum pudor, ita & dolor stimulus est ad res omnes. De pudore erit postea exemplum in Entello. De dolore, vides hîc Gyam concitatum in omnem intemperantiam. Præclarè itaque Nazianzenus orat. 19. dolores laborésque vocauit, ἐρετικόν. Nihil enim non inuenit, nihil non molitur, qui dolet, qui patitur. & orat. 17. τολμηρὸν δέ με ποιεῖ τὸ ἀλγεῖν: *audacem me facit dolor.* Præclarè dixit Orosius lib. 2. cap. 16. *Expers consilij furor, dolorem virtutem putat: quantúmque meditatur ira, tantum promittit audacia.* Quæ verba vnicè quadrant rebus Gyæ. Præclarè etiam Sen. ep. 70. *Vides, quemadmodum extrema quoque mancipia, vbi illis stimulos adegit dolor, excitentur.*

3. Nec lacrymis, &c.] Similis affectus in certamine Homerico. vbi enim princeps vnus illius cursus se videt superari, erumpit in lacrymas præ iracundia,

Τοῖο δ' ἀπ' ὀφθαλμῶν χύτο δάκρυα χωομένοιο:
Huius verò ab oculis fundebantur lacrymæ irati.

Iterum, an de eodem, excidit,

—τῶ δ' οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν:
—eíque oculi
Lacrymis impleti sunt.

4. Socivmqve salvtis] Verè Il. 23. scripsit Homerus,

Οἶσθ' οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσι·
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις:

A *Scis qualia iuuenis viri peccata sunt,*
Acutior namque mens, imbecille verò consilium.

Nihil consilij in facto Gyæ, nam & salutis suæ socium præcipitat, suæ etiam dignitatis oblitus (quod iam attigi) ipsemet contra decorum præcipitat. Terent. Eun. *si ego digna hac contumelia sum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen.* Non placent, qui hîc capiunt *sociûm*, pro, sociorum.

Gubernaculum.

5. Gvbernaclo] Propriè vox nautica, & inde ad alia translata. Pindarus apud Platon. lib. 1. de rep. ἐλπὶς ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ: *Spes quæ maximè versabilem mentem mortalium gubernat.* Apertè ad mare alludit, quod πολύστροφον.

6. Salsos rident revomentem] Tale quid B Vlysses apud Homerum. 5. Odyss.

Ὀψὲ δ' δὴ ἀνέδυ· στόματος δ' ἀπὸ ἐξέπτυσεν
Πικρήν, ἥ οἱ πολλὴ ἀπὸ κρατὸς κελάρυζεν.
Tandem emersit, ex ore autem euomuit salsuginem
Amaram, quæ ei copiosa à capite defluebat.

Vt hîc *salsos fluctus*, sic suprà, *vada salsa*. Et in 7.

—salsa spumant aspergine cautes.

Accius in Philoctet.

Heu quis salsis fluctibus mandet
Me ex sublimi vertice saxi.

Homer. Odyss. 15. θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ. Vt verò hîc *fluctus reuomere*, ita Arist. ἀποπτύζει τὴν θαλάσσαν. Porro hanc γελωτοποιΐαν multis effert vnus Xenophon. Nam lib. 2. παιδ. γέλωτα μηχανώμενος. Ibidem, γέλωτα C παρέχεις. & statim, γέλωτα ἐξαγάγοι. Iam illa, γελωτοποιεῖν, & γέλωτα ποιεῖν, trita sunt in eodem, & aliis. Apud eundem 4. ἀναβ. excitatur in ludis gymnicis πολλὴ κραυγὴ, καὶ γέλως, *multus clamor & risus.*

[a] Hîc læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheóq; Gyam superare morantem:
Sergestus capit antè locum, scopulóque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior, partem rostro premit æmula Pristis.
[b] At media socios incedens naue per ipsos
Hortatur Mnestheus: nunc nunc insurgite remis
Hectorei socij, Troiæ quos sorte suprema
Delegi comites: Nvnc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis Syrtibus vsi,
Ionióque mari, Maleæq; sequacibus vndis.
[c] Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo
(Quamquam ô) sed Svperent, quibus hoc Neptune dedisti.
[d] Extremos pudeat rediisse: Hoc vincite ciues,
Et prohibete nefas [e]. olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahitúrque solum. tum creber anhelitus artus,
Aridáque ora quatit: sudor fluit vndique riuis.

ARGVMENTVM.

Sergestus quoque, & Mnestheus Gyan anteire student: prior est Sergestus, sed Mnestheus remiges suos acriter concitat, præteritarum rerum gloria; pudore, si extremi sint: incumbunt illi perquam strenuè.

EXPLICATIO.

[a] Hæc tantùm lectore egent, sed vt explicem cogis tu tiro. Cecidit Gyas à gloria, hanc illi Cloanthus arripuit. Itaque iam secundus est, qui primus fuerat. Sed ad hunc secundum gradum, qui misero fuerat reliquus, Sergestus quoque & Mnestheus

stheus aspirant. Ibat ante Mnestheum Sergestus, propinquior scopulo, in quo erat meta, sed ita tamen, vt non toto nauigio superaret, sed esset prior parte tantùm quadam, nam Pristis Mnesthei si non toto corpore, saltem rostro partem Centauri æquabat, qua vehebatur Sergestus. Ita toto conatu pro laude certabatur inter Centaurum, & Pristin: hoc est, inter Sergestum, & Mnestheum.

b Vbi vidit Mnestheus fieri posse, vt Centaurum Sergesti præcederet, essetque in secundo loco, propiórque Cloantho, remiges suos acriter exhortatur. Ratio triplex est, sumptáque à virtute ipsorummet remigum, & laude. Incumbite in remos acriter, vt decet viros, non è vulgo, sed qui *Hectorei socij*, en prima: sed *quos delegi comites suprema sorte Troiæ*, abiectis aliis; itaque vos estis socij Hectoris, Mnesthei comites, en altera: sed quos iam Getulia suis Syrtibus, iam mare suis periculis satis exercuit, en tertia. Ergo promite nunc vires illas, quas cum Hectore ostentastis per decennium in acie, quas mecum in extrema expugnatione Troiæ, quas in mari aduersus procellas.

c Ingens emphasis in voce *Mnestheus*. quasi dicat, Ego qui Mnestheus sum, ac perinde qui debuissem vincere, & primum locum tenere, non iam Mnestheus, neque pro loco primo, neque certo pro victoria. Dixi aliquando in Virgilio multa sentiendo magis quàm loquendo explicanda. In horum numerum affectum hunc includo, *quamquam ô.* expende ipse quid intus lateat: Addit. *Sed superent quibus hoc Neptune dedisti.* Expendit Scaliger, in tanto ardore iuuenis non defuisse pietatem. itaque abstinet ab ea victoria, quæ non ex Numine.

d Est vox ista, *Extremos pudeat rediisse* (ait Scaliger) magni, & cordati viri. Illud, *hoc vincite ciues*, est, vel (vt omnes concipiunt) Vincite & contendite, ne extremi sitis: vel (vt ego) hanc vnam mihi victoriam date, hoc vnum vincite, nihil aliud. Sequitur, *& prohibete nefas.* Nihil hîc nefarium, sed ad excitandos animos. quasi nefas, rediisse extremos, non vincere.

e Sequuntur versus diuini, quibus studium certaménque remigum ita magnum significatur, vt nullum esse maius possit. Verba prima quasi causa sunt eorum, quæ sequuntur. nam quia summum est certamen, quo vsi remiges, inde *puppis tremit*, *solum subtrahitur*, ad vastas videlicet grandésque vires remigum. est *anhelitus*, est *sudor*. Ille *creber*, hic *quatit*. Optimo iudicio Poëta voluit non *incumbo*, sed *procumbo*. vt habitum remigum exprimeret, qui proni, & inclinati ad opus. Ait *ora arida*, quia *sudor fluit vndique riuis*. Quippe ex copioso sudore factum, vt essent ora arida. Et quis non videt acumen? in riuis est ariditas. Centena hæc in Marone, si habeas oculos.

NOTÆ.

1. HORTATVR MNESTHEVS] Oratio facta est proculdubio ad imitationem Homeri Il. 23. apud quem Antilochus in equestri certamine equos patris sui Nestoris, sed quibus ipse ferebatur, ad cursum concitat quàm alacriter. Græcos versus prætermitto, Oebani affero:

—Tertius ibat
Nestorides, affatus equos hac voce paternos:
Currite, ferte citi currum, properate, quid obstet
Quominus Atriden ego consequar axe citato?
(Nam neque Tydiden cui vires innuba Pallas
Sufficit, & decus hoc tribuit, superare laborem:)
Dedecus hoc tantùm ne vos contingat, vt isthæc
Fœmina deuictos Æthe post terga relinquat.
Quòd nisi victores eritis (mihi credite) posthac
Ampliùs haud quaquam caros vos Nestor habebit.
Quin etiam ferro interimet, si præmia tardi
Vltima nos referamus, & hoc vincamur honore:
Accelerate igitur, volucri præuertite cursu,
Et loca præripite ante alios angusta viarum,
Per quæ ego vos ducens celeres moderabor habenas,
Doctus equûm domitor, nec me via fallet euntem.

Iam Comparo. Antilochus cùm alios velit superare, vnum excipit Diomedem, quòd is à Pallade adiutus: Mnestheus similiter, cùm gloriam velit Sergesto præcedenti se abripere, non tamen vult primum locum Cloanthi, quia videt esse impossibile. Itaque vires certatori, non animus defecit, quod satis indicat verbis illis, *quamquam ô.* Deinde par successus orationis vtriusque, nam & Antilochus Menelaum præteriit, & proximus fuit post Diomedem; sic & Mnestheus Sergestum superat, & proximus est Cloantho. Hæc fortasse paria, imparia reliqua. Mnestheus enim suos milites à præterita gloria acuit; à victoriis, quas adepti sunt, signatè à maritimis. Nam qui in Syrtibus Afrorum fuissent, qui in mari Ionio, qui in vndis Maleæ, cur nunc desperent post incolumitatem à tot periculis? His omnibus Græcus caret, tantùm à pudore rem gerit, & in posterum comminatur, hac ratione. Pudor sit equos mares superari à fœmina: nisi vincitis, chari non eritis Nestori, quin occidemini. Pro his Latinus, pudor sit, nefas sit rediisse extremos. Iam illud *Hectorei socij*, quàm magnum incitamentum! illud item, *Troiæ quos sorte suprema Delegi comites.* Adiunge repetitionem, quæ hîc pene necessaria ad excitandum ardorem in milite. Hæc dicta pro tota oratione. Virgilius superat Homerum.

2. HECTOREI SOCII] Poëticè confundit nomina, nam hîc non dubium, quin remiges intelligat: atqui socij nauales à remigibus diuersi fuerunt, sicuti etiam à militibus naualibus. Itaque diuersi hi omnes, remiges, socij nauales, milites nauales. Remiges, naues trahunt; socij, reliqua armamenta parant, administrãt, moderantur; milites pugnant. Doctrinam, & exempla quibus hæc firmes, latè suppetit Lazius lib. 6. Cõment. cap. 6. sed vt dixi, Poëta rem confundit, nam socios nominans, remos dat. quam tamen doctrinam exactè seruat lib. 3. Æn. vbi discriminans, ait: Remiges, Socij, Milites, diuersi omnes in re maris.

Remigium supplet, socios simul instruit armis.

& iterum:

Vela legunt socij, & proras ad littora torquent.

vbi sociis signatè dat vela, non remos. Remisi te iam ad Lazium, sed ego non grauabor testimonium Liuij lib. 37. subiungere, quo Lazius non vtitur, & quo nihil clarius ad hanc doctrinam: *ita non milites solùm, sed etiam nauales socios, remigum turbam, quibus quisque poterat telis, armatos in prælium eduxit.* Vides, vt apertè discriminet milites, socios, remiges. Ex multis testimoniis, quæ vir doctus congessit, nullum cum hoc conferas. vt verò parentium munera discriminata sunt, ita imperantium. Qua de re illustris est Philonis locus, & illibatus in lib. περὶ καταστάσεως ἀρχόντων. vbi discriminat inter ναύαρχον, ναύκληρον, κυβερνήτην. primum vocat principem ἐπιβατικοῦ, καὶ πληρωμάτων, *epibatarum, & classiarij militis*: alterum φορτίδων, καὶ ὁλκάδων, *mercium, & onerum.* tertium πλωτήρων *nautarum.* Sed cesso ab hac re, quæ non Virgilij: Philonis certè locum nolui prætetire. Videat Lector, an distinctio Ioannis Chrysostomi homil. de laudibus Pauli, eadem sit cum distinctione Philonis. πάντα αὐτὸς ὤν, καὶ ναύτης, καὶ κυβερνήτης, καὶ πρωρεύς: *Omnia vnus erat, nauta, gubernator, proreta.*

3. NVNC ILLAS PROMITE VIRES] Hoc genus argumenti crebrum ducibus exercituum apud scriptores. Illi enim sæpe solent militibus suis ardorem iniicere, reuocantes in memoriam, quæ iam iidem milites gesserint cum laude & gloria, ne tunc animis cadant. Annibal apud Liu. lib. 21. *vt viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano, terminísque vltimis terrarum, per tot ferocißimos Hispaniæ, & Galliæ populos, vincentes huc peruenistis.* His vult efficere, pugnandum acriter cum Romanis, quando iam Hispanos, Gallósque perdomuerint. Apud eundem lib. 4. Mamercus Æmilius Dictator milites exhortans, ait: *eosdem & Romanos, & hostes esse, qui per tot secula fuerint: eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere: se quoque eundem Dictatorem Mamercum Æmilium esse: qui antè Veientium Fidenatiúmque adiunctis Faliscis ad Nomentum exercitus fuderit.* Apud Curtium lib. 3. & 4. Alexander eadem proponit suis militibus, nimirum Macedonas in Europa fuisse magnorum bellorum victores, atque adeo sperandum fore, vt Asiam quoque subiicerent.

4. SYRTIBVS] Adierant quippe Troiani Syrtes in tempestate, quæ habetur. 1. Æn. Getulæ Syrtes, sunt Africanæ. Ionij maris transmissi mentio fit in lib. 3.

5. MALEÆQVE SEQVACIBVS VNDIS] Maleam promontorium esse Peloponnesi ad sinum Laconicum, certum est ex Ptolemæo, & Plinio, & quamuis in 3. lib. vbi continetur nauigatio Æneæ, nulla fit mentio huius maris ab Ænea transmissi, tamen per eam partem, aut circa illam, tenuisse Æneam cursum, certum est consideranti ducis huius nauigationem. Ex natura huius maris locutus videtur Poëta, cùm vndas illius *sequaces* dicit, quasi insequantur, insectentúrque nauigantes. & quidem periculosam esse eam nauigationem indicat vetus parœmia, Μαλέαν δὲ κάμψας, ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε: *Maleam legens, quæ sunt domi, obliuiscere.* Deinde epigramma Græcum lib. 3. Malea.

Μαλέου τυφλαὶ καμπτομένου σπιλάδες:

Maleæ curuæ saxa cæca.

Tum etiam versus Homerici Odyss. 9. in quibus Vlysses ait, se citiùs peruenturum in patriam terram, nisi tempestatem esset passus, cùm Maleam circumflecteret. Erasm. vult Virgilium, Poëtásque alios, quos ipse adducit, ad parœmiam allusisse. In syllaba ne hæreas, nam Græci non solùm Μάλειαν dicunt, sed etiam Μαλέαν, adimentibus Poëtis postpositiuam, vt tutò corripiant, cùm velint, sic πλατεῖα, & πλατέα: sic infinita alia.

6. SOLVM] Solum sæpe significat, quicquiquid alteri rei substernitur, & veluti pro fundamento est; Vel dicas, solum esse, quod Dialectici vocant superficiem cuiusque rei. sic mare *solum* dicitur Virgilio: sic cælum Ouidio, Solum, quid sit.

Astra tenent cæleste solum, formæq; Deorum.

sic & apud Aristot. (obseruatore Germano) ὑποκείμενον, quæ vox signat quicquid subiacet, accipitur pro quocumque fundamento, siue terreum sit, siue aqueum, siue aërium, vnde & ab interpretibus *solum* redditur. Isidorus accipiens, vt solet, à Grammaticis, ita definit lib. 11. cap. 1. *Solum dicitur omne, quod aliquid sustinet, quasi solidum: vnde & terra solum, quòd cuncta sustineat, & solum pedis; quòd totam corporis molem portet.* Et notabis non tantùm solum communem esse vocem mari, & cælo, sed fretum, sed æquor. Ennius apud Nonium: Fretum, & Æquor de quibus dicantur.

Crassa puluis oritur, omnem peruolgat cæli fretum.

Accius in Atreo:

Sed quid tonitru turbida toruo
Concussa repente æquora cæli
Sensimus sonare?

7. SVDOR FLVIT VNDIQVE] Hæsit Homer. 16. Iliad.

——ἱδρώς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔρρεεν:

Vndique ex membris fluebat sudor multus.

Ennius. 15. Annal. dixit:

Totum sudor habet corpus, multúmque laborat.

Loquitur de Cælio, quem hostes plurimi circumuenêre in acie.

[a] ATTVLIT ipse viris optatum casus honorem.
[b] Namque furens animi, dum proram ad saxa suburget
Interior, spatióque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
[c] Concussæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuêre, illisáque prora pependit.
[d] Consurgunt nautæ, & magno clamore morantur,
Ferratásque sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt, fractósque legunt in gurgite remos.
[e] At lætus Mnestheus, successúque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventísque vocatis,
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
[f] QVALIS spelunca subitò commota columba,
Cui domus, & dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plausúmque exterrita pennis
Dat tecto ingentem, mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas:
[g] Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat vltima Pristis

Æquora,

Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem.
[h] Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, breuibúſque vadis, fruſtráque vocantem
Auxilia, ET FRACTIS diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſámque ingenti mole Chimæram
Conſequitur. CEDIT, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.

ARGVMENTVM.

Vincunt fauente fortuna, aduerſante eadem Sergeſto: dum enim hic hæret in ſcopulis, & facto naufragio moras trahit, interim Mneſtheus & ſocij præcedunt alacres: ſucceſſus comparatione illuſtratur.

EXPLICATIO.

[a] COncitati remiges oratione Mneſthei, victoriam obtinent. Nautarum ſtudium, & Mneſthei fortunam iuuit infelix ſucceſſus Sergeſti, hunc narrare aggreditur.

[b] Ibat Sergeſtus interior, id eſt, breuiore ſpatio, quàm Mneſtheus, ad metam. Præ furore autem animi, atque ardore victoriæ, forſitan hæſit in ſcopulis, qui erant ad metam, illi enim in mare excurrebant, vnde Poëtæ dicuntur *ſaxa procurrentia*.

[c] Signatur per hyperbolem impetus delatæ nauis, cùm & ipſi ſcopuli concuſſi fuerint. Vide verò vt nauis miſerandum in modum laceretur: *remi crepuêre*, quia *obnixi*. (notatur impetus) *in murice* & hoc *acuto*. Deinde *prora illiſa pependit*. quo ſpectaculo in nauibus nullum miſerabilius.

[d] Vide iam remiges cogitantes, non de victoria, ſed de ſalute. Ita certè fit in exercitibus. Cùm integra eſt acies, animi ſunt in victoria, nemo cogitat de fuga, eunt alacres: vbi proteruntur & peſſum dantur, ſubitò videas conuerſos animos ab ardore pugnæ ad ſalutem tuendam. Adeo nihil eſt, quod non hic vates eminentiſſimè contineat. Sed iam ad penſum: *Conſurgunt nautæ*, relinquentes remos: *morantur clamore magno*, qualem credibile eſt excitatum in eo infortunio: *expediunt ſudes*, & *contos*, quæ inſtrumenta neceſſaria ad ſalutem; illas *ferratas*, hos *acuta cuſpide*. Deinde *legunt in gurgite remos fractos*, ſic ordina, non *fractos in gurgite*. nam illi fracti ad cautes.

[e] Vide varietatem poëſeos, ab vnius infelicitate ad alterius felicitatem. Sergeſtus *infelix* fuit, Mneſtheus *lætus*. Ille *hæſit*, hic factus eſt, *acrior* alacriórque. Illius *remi fracti*, hic pergit *agmine remorum*. Ad moras illius, nam *morantur* dixit, opponit huius celeritatem, quæ auxilio remorum, & ventorum. Ille miſerrimus eſt *in gurgite, in ſaxis, in ſpatio iniquo*; hic *petit prona maria, apertum pelagus*.

[f] Dicit, columbam initio volatus, cùm primùm exterretur, plauſum edere, & ſtrepitum, quod ex natura eius animantis, cùm tamen deinceps tranquilliſſimè conuolet: ſic nauem Mneſthei primùm ſe ſe expediuiſſe cum aliqua (id credo innuitur) difficultate inter moras naufragiúmque Sergeſti, cùm tamen deinceps aperto æquore & tranquilliſſimè conuolauerit. Perpende quæpiam. *Dulces nidi*, propter amorem prolis, qua nihil dulcius. Egregiè vſurpat vocem, *pumice*, ad locum plenum foraminum & hiatuum, in quibus ſunt nidi. Cùm ait, *latebroſo*, adumbrat Homeri χήραμον. Cùm *plauſum ingentem*, naturam huius volucris. quis non audit ingentem ſtrepitum, cùm ea volare incipit? Certè quo tranquillior in reliquo volatu, eo ſtrepitantior in primo. Ideo poſtea quaſi opponens, *lapſa*, & *quieto aëre*, & *iter liquidum*, & *radit*. In quibus omnibus mira tranquillitas. Iam quis non videt acumen illud? *celeres neque commouet alas*. In ſumma celeritate non eſt commotio. Quid pulcriùs potuit? ſic ſuprà, in ariditate ſudor.

[g] Accommodat rei comparationem. Sic Mneſtheus (inquit) fugit; parum, fugit, imo ſic Mneſtheus volat. Itaque non contentus *fuga ſecat*, addidit *volantem*. Inueniunt hîc miſerrima ingenia tautologiam. Pudeat. imò *fugit*, cum reſpectu ad auem, quæ exterrita è tecto volauit, eſt enim fuga territi: & *volat*, vt deinde columba volauit per aërem liquidum.

[h] Pergit accommodatio. Vt columba fugit tectum, ſic Mneſtheus deſerit Sergeſti locum iniquum, vbi luctatio cum ſcopulis, cum vadis, vbi fruſtra auxilia vocantur, vbi fractis remis noua ars addiſcitur currendi per maria. Progredior. Vt columba labitur iam per quietum aërem, ita Mneſtheus aſſequitur Gyan, & Chimæram eius conſequitur. Hæc quippe nauis *cedit* iam, & fatiſcit, ratio, *quoniam ſpoliata eſt magiſtro* Menœte.

NOTÆ.

1. INTERIOR] Quæ dixi ſuprà de voce hac firmant, & Cæl. Rhod. lib. 9. Lect. cap. 10. Et in hunc locum Germ. ex Turnebo: qui addit huic loco reſpondere illud. 11. de Camilla:

——magnúmque agitata per orbem
Eludit gyro interior, ſequitúrque ſequentem.

Quia in perſequendo & agitando hoſte, quem gyris & obequitationibus vexabat, ſemper & arte & potiore loco videretur centrum orbis, & interiora tenere.

2. SPATIO] Quis non agnoſcit ſermonem circi? Pudor eſt hoc conſectari.

3. PROCVRRENTIBVS] Latentes accipio, omnino ὕφαλα. quæ & Græci dicunt πέτρας προέχούσας, προχειμένας, προβεβλημένας. In Philone de opificio mundi vidi προκεχυμένας.

4. MVRICE] Murex eſt, ſaxi acumen eminens, Seruio explicatore: Hiſpanis *Roca*, Græcis κλῶμαξ, inde κλωμακώδης τόπος, *confragoſus, & præruptus locus*. Eſt etiam ferrea illa machinula, Græcis τρίβολος, quæ defodi in terram ſolet, ad equos lacerandos, habétque duos, aut tres, pluréſve protentos aculeos. Non ſatis liquet, an hæc belli machina ab eminente illo murice nomen acceperit, an contra. Credibile tamen eſt, primam eſſe ſcopuli ſignificationem, cùm opus naturæ ſit, à qua artificiatus, & militaris tribulus dictus ſit. Plinij locum è lib. 19. cap. 1. cùm ait, Cenſorium Catonem cenſuiſſe, Romanum forum muricibus ſternendum, alij trahunt ad artificiatos ferreos murices, alij ad acutos & aſperos lapides. Murex.

5. PRORA PEPENDIT] Tale quid de naue Tarchontis:

——dorſo dum pendet iniquo.

Vide naufragis in 1.

Hi summo in fluctu pendent.

6. CVSPIDE] Isidorus lib.8.cap.7. *Contus ferrum non habet, sed tantùm cuspide acuta est.* Alij obuij.

Prona maria, quæ.

7. PRONA] Quid *prona maria*? quid *pelagus apertum*? Ad primum, cùm maria æqua sint, vnde & dicta æquora, & fluentum in eis nullum, nisi in fretis, aut euripis: reliquum est, vt prona tantùm dicantur, quasi secunda: cùm videlicet nihil volantem nauem impedit, non fluctus, non ventus, ac si ea prono & secundo amne flueret. Ergo sicut tumens pelagus *aduersum* est, ita quietum *pronum*. Ista opposuit Plin. lib.2. cap. 70. *in alia aduerso, in alia prono mari.* Nam illud Seruianum *prona, id est, vicina littoribus,* qui verum, cùm addatur, cursum habitum per apertum pelagus? Ad alterum cùm occlusum mare sit, cautibus saxísque impeditum, Mnestheus autem ita feliciter cursum tenuerit, vt remotior à rupibus in eas non impegerit, optimè dicitur decurrere aperto pelago; sic Od. 5. Pyth. Pind.

Aperta maria, quæ.

Ἀλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων:

Maris profundam viam aperiens.

verbum enim ἀνοίγειν, quo vsus Pindar. est ex arctis locis euadere in liberius mare. Id verbi obuium in Xenoph. Nā lib.1.ἑλλ. ἤνοιγε πρὸς τὸ Ῥοίτειον, *circa Rhœteum in mare spatiosius prodijt.* Iterum, καθελκύσαντες τὰς τριήρεις, ὡς ἕκαστος ἤνοιγεν, *deductis triremibus inuecti sunt, vti quisque sibi viam in altum aperuit.* & sæpe aliàs.

8. QVALIS] Tractat hunc locum Homer. Il.21. subiungam hîc & Homeri, & Latini cum Græco comparationem. Ergo ille,

—θεὰ φύγεν, ὥστε πέλεια,
Ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην
Χηραμὸν (οὐδ' ἄρα τῇ γε ἁλώμεναι αἴσιμον ἦεν)
Ὡς ἣ δακρυόεσσα φύγεν:

—Dea fugit, velut columba,
Quæ quidem ab accipitre in cauam volauit petram
In latebram (neque enim illi capi fatale erat)
Sic hæc lacrymabunda fugit.

Virgilius superat Homerum.

Vides quàm hæc sint ieiuna. Longe alius apparatus Latini est, amplificatio, dilatatio, exornatio. Deinde, qualis ille receptus columbæ? nonne accipiter quoque in petram destinet cursum suum ad prædam faciendam? in petram enim, etiamsi cauam, nullum est confugium, cùm aditus idem raptori esse possit, qui fuit columbæ. Longè aliter natura his animantibus, quàm Homerus, prouidit: scimus enim confugisse præ metu ad humanos sinus. Huic ergo comparationi ita hæsit Virgilius, vt omnino contrariam viam tenuerit: Homerus enim ex aruis in nidum inducit columbam volantem; contrà Virgilius ex nido educit & spelunca in arua. Obserua etiam Virgilij ingenium. Nauis, & omnia quæ nauis sunt, magnam habent cognationem cum auibus, vt alibi explico: inde ergo ad rem nauis explicandam auis assumitur.

Metaphorarum commētatio inter elementa.

9. RADIT ITER] *Rado* de terra dicitur, & hîc ad aërem transfertur, sicuti alibi ad aquam. *Iter* quoque de terra dicitur, & tamen hîc aëri tribuitur. est enim frequens commutatio metaphorarum inter elementa, ita vt quæ aquæ, aut ignis sunt, dentur aëri, & è

A contra, mutua quadam elementorum omnium vicissitudine. Tractaui alibi hunc locum latissimè, sed hîc dabo nonnihil exemplorum, in quæ postea legendo incidi. Euripides in Medea, νᾶμα παμφάγου πυρὸς: *scaturigo fluxúsque ignis omnia deuorantis.* Idem Andromache χείματος γὰρ ἀγρίου τυχὼν: *incidens in tempestatem agrestem.* id est, sæuam. Pollux lib.1. λέγοις δ' ἂν τὰς ναῦς καὶ πορεία θαλάττια, καὶ ὀχήματα θαλάττια: *vocabis naues marina itinera, & vehicula marina.* Theocritus εἰδ.23. πνεῦμα τεὸν ῥεύσει: *spiritus tuus fluet.* Vide etiam Pindari locum; quem adduco lib.3. Ibi enim audies ignium eructationem, amnes flammarum & similia, vbi multa inuenies Græcorum testimonia. simili ratione Latini. Plinius lib.2.c.106. *riuos ignium.* Prudentius in Peristeph. hymn.1. *ore flammas sorbuit.*

B Martialis, *bibit ore fauillas.* Cassiodorus lib.1.c.2 *fluuios puluereos, flamma fluctuante, terrenis nubibus.* Inde ferenda in Plinio lectio illa vulgaris lib.2. cap.43. *quoniam ventus non aliud intelligatur, quàm fluctus aëris.* Cùm tamen in mss. sit *flatus aëris.* hæc satis ad exempla plurima iam adhibita lib.3. Æn.

10. VLTIMA] Obseruo, credo, alicubi, vltimum æquè dici de vtroque extremo, verbi gratia, anni vltimi ætatis, sunt anni & pueritiæ, & senectutis. Cicero enim dixit, *pueritiæ memoriam recordari vltimam.* de altero exempla abundant, & hîc ita capiendus Virgilius. Ceterùm hæret Poëta in sermone Circi. Ita enim hic *secat vltima*, vt Eurip. Antig.

Vltimum de re duplici.

——ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμήν:
—venimus ad summam lineam.

C & Sen. ep.26. *Decrepitos, & extrema tangentes.*

11. VOLANTEM] Loquendi formam ab Ennio arripuit, qui lib.14. Ann.

Volo, de nauib.

Labitur vncta carina, volat super impetus vndas.

& Fuluius Antias;

——volitat super æquora classis.

ita & 3. Æn.

——pelagóque volamus.

Valer.1. Argon.

——volat immissis caua pinus habenis.

12. BREVIBVSQVE VADIS] Cùm audis *breuia* in sermone maris, semper subaudi, *vada.* Nam idem Poëta, qui in 1. *In breuia, & syrtes vrget,* hîc *vadis breuibus.*

Breuia, adiectiua vox.

13. DISCENTEM CVRRERE] Obseruandum vbique est iudicium Virgilij. in primo Æneidos, vbi
D deforme naufragium describitur, nullum verbum cum risu audias, nullum cum ioco, cùm Homerus tamen, & alij in re simili facetiis sint pleni. Contrà hic, vbi naufragium describitur, sed in ludicro, & in plausu, locum dat risui, & oblectationi. Ergo facetè ait, Sergestum nunc addiscere fractis remis currere. Cum eodem iudicio suprà,

Illum & labentem Teucri, & risêre natantem:
Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

Simile quid in suis ludis Homerus de equis Diomedis,

Ἄνευ κέντροιο θέοντες,
Sine stimulo currentes.

14. INGENTI MOLE CHIMÆRAM] Ita suprà,

Ingentémque Gyas ingenti mole Chimæram
Vrbis opus.

[a] Solus iámque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, & summis adnixus viribus vrget.
[b] Tum verò ingeminat clamor, Cunctíque sequentem
Instigant studiis: resonat clamoribus æther.
[c] Hi proprium decus, & partum indignantur honorem

Ni teneant,

Ni teneant, VITAMQVE volunt pro laude pacisci.
[d] Hos successus alit; POSSVNT, quia posse videntur.
[e] Et fors æquatis cepissent præmia rostris,
Ni palmas ponto tendens vtrasque Cloanthus,
FVDISSETQVE preces, DIVOSQVE in vota vocasset.

ARGVMENTVM.

Ex successu superati Sergesti, & Gyæ, aspirat Mnestheus ad gloriā Cloanthi: hic cōtra vult tueri decus semel partum.

EXPLICATIO.

a VIde, quò spes victoriæ in Mnestheo assurrexerit. Bene dixit Seneca Rhetor l. 5. Controu. per initia, etiā si non his verbis, semper mortalibus spem esse reliquā. Erat Cloanthus iā in ipso pene victoriæ fine, erat in exitu gloriæ, & eò tamē aspirat Mnestheus; Cloāthum petit, hūc vrget, summas intendens vires.

b Tantam spem accendit vulgi clamor, fauor spectatorum, studium omnium. Omnia ita magna, vt etiam æther ipse insonaret. Hoc ad αὔξησιν.

c Quippe Cloanthus & socij ægre ferunt, sibi è manibus victoriam abripi, ac *decus* iam pene *partum*, & veluti *proprium*. Atque ita *volunt pacisci vitam pro laude*: idest, ex conceptu Scaligeri, *mutare ex pacto vitam cum laude, eligere mortem pro laude.*

d Mnestheus contrà, & qui cum illo, ex successu, quo Sergestum vicerant, sperabant quoque fore, vt Cloāthum fortasse aut superarent, aut certè æquarent. sententiam nota dignam Marone, *possunt, quia posse videntur.* ita certè sæpissime fit in conatibus.

e Quî *æquatis rostris*? nonne potiùs, superatis? sententiam accipe. cepissent par præmium æquatis rostris. ad hanc enim solùm gloriam aspirabat Mnestheus, non vt superaret, nam hoc spetare amentis & temerarij esset, cùm iam Cloanthus esset in ipso pene exitu & fine victoriæ. inde suprà Mnestheus idem:

Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo.

Contra vim Mnesthei nihil iam habet Cloanthus, quod opponat, nisi vota, & preces.

NOTÆ.

1. INSTIGANT STVDIIS] Sententiam ex Homero hausit, apud quem Græci Vlyssem excitant hortantúrque, vt victoriam Aiaci præripiat, qui in cursu præcedebat,

—ἴαχον δ' ἐπὶ πάντες Ἀχαιοὶ
Νίκης ἱεμένῳ, μάλα δὲ σπεύδοντι κέλευον:
—Acclamabant verò omnes Achiui
Victoriæ cupido, valde autē festinantem hortabātur.

Ad fauorem hunc refer verba Pind. od. 9. Olymp.

Διήρχετο κύκλον, ὅσσᾳ Βοᾷ!
Pertransibat circulum, quanto cum clamore!

A Apud eundem od. 4. Pyth. Græci excitant fauore suo Iasonem sudantem in laboribus Colchorum, nam viro forti amicas manus porrigunt, coronis tegunt, excipiunt blandis sermonibus. Græca sunt, ὤρεγον χεῖρας, στεφάνοισι ἔρεπτον, μειλιχίοις λόγοις ἀγαπάζοντα. Quo fauore ille excitatus ex labore taurorum perrexit alacer ad vincendū laborē serpentis. Allusit Seneca l. 2. de ira c. 2. *Efferuescimus ad aliena certamina.*

2. VITAMQVE VOLVNT PRO LAVDE PACISCI] Sententiam istam illustrat Isocrates, in oratione ad Philippū ab eo loco, ἐνθυμοῦ δ' ὅτι, &c. Omitto. Latinè sic sonant: *Cogites velim mortales corpus omnes nos habere, sed gloria, laudibus, fama perpetuitate*
B *fieri compotes immortalitatis: cuius cupiditate omnes vires exerendæ, nulli labores, nulla pericula recusanda. Priuatorum hominum aliquos cernas, & eos quidem optimos: qui cùm vitæ charitatem nulla re alia permutatam velint, adipiscendi honesti nominis gratia in bellis occumbere velint.* Est ad Virgilium signatissimus locus Silij. lib. 7.

—vel morte emisse volebant
Spectari Fabio.

Huc pertinent plurima exempla militum, qui, vt laudem consequerentur, non dubitarunt occumbere in bellis coram oculis spectantium ducum. id scilicet egregium rati facinus ad laudem.

3. POSSVNT, QVIA POSSE VIDENTVR] Non multùm abit illud Isocratis in Archidamo. ἔστι δ' οὐδὲν ἀνέλ-
C πιστον ἐκ τῶν νυνὶ παρόντων συμβῆναί τι τῶν μὴ παρόντων: *Neque verò desperandum, ex his, quæ nunc adsunt, fore vt aliqua contingant, quæ nō adsunt.* Viri præsertim excelso animo, si putent se posse tandem rē perficere, quā moliuntur, tum acriùs incalescunt & inflammantur viribus.

4. PALMAS PONTO TENDENS] Notat Homeri interpres Il. 7. solitos esse Heroas manibus in cælum sublatis Iouem ceterósque Deos Cælestes precari: marinos, ad mare porrectis: manes & inferos, terra percussa. Primi generis exempla ita multa sunt, vt nullum nolim: alterius sustinet hic Cloanthus, qui dicturus, *Dij quibus imperium pelagi*, priùs manus
D tendit ad pontum: Tertij generis exemplum est in Papin. 1. Theb. eo loci, quo infert Oedipum precantem manes, & solum pulsantem hunc in modum:

Precationes ad diuersa numina.

—manibúsque cruentis
Pulsat inane solum, sæuáque ita voce precatur:
Dij sontes animas, angustáque Tartara pœnis
Qui regitis. Alicui placebit (augusta) id est, veneranda. Redeo. Qui plura volet, adeat Brissonium.

[a] DII quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus: extáque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
[b] Dixit: eúmque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum, Phorcíque chorus, Panopeáque virgo.
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit: illa noto citiùs volucríque sagitta
Ad terram fugit, & portu se condidit alto.

ARGVMENTVM.

Precatur maris Numina, reum se voti facit, auditur, à Dijs iuuatur, portum occupat feliciter.

EXPLICATIO.

a SEquitur Cloanthi votum ad Deos maris. Continet hoc votum, taurum, exta, vina: & locum,

nam taurum in littore; exta & vina, in fluctus. Omnia ex more, non res solùm, sed etiam verba.

b Auditur Cloanthus à Dijs marinis, ipse in primis Neptunus manu propria euntem nauem impulit: quo facto non iam ire est visa, sed volare citiùs Noto & sagitta; donec ad metam peruenit, & portui successit lustrato iam & circumito scopulo, vbi erat meta.

NOTÆ.

1. DII, QVIBVS IMPERIVM.] Dicam aliquid de toto hoc loco. Facit hîc Cloanthus sacrũ Dijs maris, quod sacrum his verbis promittit, taurũ constituam in littore, exta in fluctus porriciam, fundam vina. Nonnulla horum Liuius, & Appian. attigere. ille lib. 29. hic lib. 5. Ciuil. Ille Scipionẽ infert, hic Cæsarẽ, litantes Dijs maris. Sed neq; precatio ea, quæ ante sacrificiũ præmissa est ab Ænea, prætermissa à Liuio est. sic enim præmittit Scipionẽ loquentẽ: *Dij Deæque, qui maria terrasq; colitis, vos precor quæsóque, quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur póstque gerentur*, &c. multa enim alia infert in hac precatione. Similis est ea precatio Iasonis tempestate oppressi apud Valerium Flacc. l. 1.

Dij quibus vndarum tempestatísque sonoræ
Imperium, & magno penitus par regia cœlo,
Túque fretum,

& reliqua. & ante illos Apollonij, lib. 4. in his:

Ἠρ᾽ ἅμα δ᾽ εὐχωλῆσιν ἐς ὕδατα λαιμοτομήσας
Ἧκε κατὰ πρύμνης.
Ille preces fundens iugulauit in æquoris vndam,
Mox de puppe iacit.

Pindarus quoque ode. 6. Olymp. hanc habet precationem ad Neptunum maris Deum, C

—φιλέων
Δέσποτα ποντόμεδον
Εὐθὺν δὲ πλόον, καμάτων
Ἐκτὸς ἐόντα δίδο.

Amans me Neptune regnator maris, rectam nauigationem, quæ sit extra ærumnas, da. Hæc de vniuerso loco.

2. CANDENTEM IN LITTORE TAVRVM] Signatissima omnia, nam in triplici voce mos triplex. Nam Neptuno taurus sacrificatur; & is in littore, nam in honorem Dei littoralis; & is candidus, nam hîc vota promittuntur pro victoria. Itaque nihil pugnant contra Poëtam, quæ dixi lib. 3. Ænei. de tauro nigro mactando in honorem Neptuni. Nam in hoc loco victorialis victima promittitur, & ideo ad hũc locum D pertinẽt quæ ego latè. 2. Georg. de tauris triũphatiũ.

3. CONSTITVAM] Hoc verbũ sollemne esse in re simili iã obseruauit Briss. 1. Form. Sic & Ascanius in 9.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

4. VOTI REVS] Est is, qui suscepto voto se numini obligat. Vox traducta est à foro.

Porricio. 5. PORRICIAM] Sic legendum, non *proiiciam*, cum indoctis: sed nec, *prosiciam* cum nonnullis: longè itaque meliùs, doctiúsque, atque ex more veteri *porriciam*. In explicandis prosectis, & porrectis multus est Brissonius. Adi illum. Sanè *imponere*, & *exta dare* idem est quod porricere. Vtique ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέναι, quæ verba sunt Dionys. Hal. lib. 7. sed huius verbi frequentissima mẽtio in hoc more. Liuius l. 29. *in mare porricit.* Varro lib. 1. rei rustic. cap. 29. *Exta* E *Deis cùm dabant, porricere dicebant.* Arnobius lib. 2. *cùm, Romulo Pompilióque regnantibus, percocta planè & madida cremarentur Deis exta, nonne Rege sub Tullo semicruda cœpistis, & leuiter animata porricere, prisca obseruatione contempta?* Næuius apud Nonium:

Simul exta porricerent atrocia ministratores.

Dicit atrocia, quæ alij cruda. Val. Flacc. 2. ad hoc ipsum exprimendum, verbum *inuergo* infert, vsitatum ad rem aliam:

Tum pelago vina inuergens dux talibus infit.

A Sermo est de Iasone. Seruius *porriciam* explicat, *porrò iaciam*. Quæ Macrobius scripsit lib. 3. Satur. cap. 2. in promptu sunt. Non multũm abit hoc verbũ à polluctis sacrorum, nisi quòd *porricio*, vt plurimùm, ad mare pertinuit: *pollucta* ad quæuis alia libamina.

6 VINA] Huius rei in simili facto meminêre alij. Ouid. lib. 11. Met. apud quem Peleus Achillis pater monstro perterritus,

—Deos pelagi vino super æquore fuso,
Et pecoris fibras, & fumo thuris adorat.

Val. Flacc. lib. 1.

Ipse ter æquoreo libans carchesia Patri. Virg. infrà:
Porricit in fluctus & vina liquentia fundit.

7. PHORCIQVE CHORVS] Phorci chorũ Plinius appellauit, Virgiliana fortasse imitatione. De Phorco B lege Lilium. Sed quis hic chorus? vel intellige Græas Græ. quæ habitæ sunt à veteribus in numero nympharũ, & fuere Phorci filiæ. Vide eundẽ Lilium. vel intellige, nymphas alias maris, quæ marinum Deum comitantur. Sed quare Panopæam abiunxit à reliquo choro? placeat Seruij explicatio nihil nunc aliud occurrenti. hanc separari, vt reliquæ Nereides non esse Virgines intelligantur.

8. PATER] Cùm sermo sit de Neptuno, credo Poëtam allusisse ad opinionem veterum, qui mare vocarunt rerum omnium genitorem. Sic etiam explica verba Attij in Eurysace apud Varronẽ: *super Oceani stagna alta patris terrarum anfracta reuisam.* Sed de hac re iam ego in Georg. Mare, reru genitor.

9. PORTVNVS] Idem qui Palæmon. Ouid. 6. Fast.

Quem nos Portumnum, sua lingua Palæmona dicit.

Adde, eundem dici Melicertam. Fuerunt apud veteres Deorum multi duplicis nominis, sicuti Romulus dictus quoque est Quirinus; & Ino Matuta. De qua re vide Alex. 6. Genial. cap. 4. Sed ego hîc dissentio ab omnibus interpretibus, & per Portunum, non Palæmona intelligo, sed Neptunum ipsum, qui Portunus quoque dictus est sursum à Palæmone, quod probat vir doctus Lilius, qui tamen de Virgilio nihil. Itaque Martianus: Dij cum duplici nomine. Portunus de Neptuno.

Portuni trifidam suspirans flagitat hastam.

Et Cicero de Nat. Deor. lib. 2. inquit hunc Deum, & Neptunum & Portunum dictum; Neptunum, à nando, Portunum, à portu. Sed locus est apertissimus in Apuleio lib. 4. *Portunus cæruleis barbis hispidus, & grauis piscoso sinu Salacia, auriga paruulus Delphini Palæmon, iam passim maria persulcantes.* ecce vti Portunũ à Palæmone diuersum facit, illum dominum, & hunc aurigam; atque etiam Portuno Salaciam adiungit, quæ Neptuni vxor fuisse dicitur. Augustinus. 7. Ciuit. *iam vtique habeat Salaciam vxorem Neptunus, quã inferiorem aquam maris esse dixerunt.* Hæc præmisisse ex alieno labore oportuit. Iam ad rem meam. Dico itaque in Virgilio capiẽdum Neptunum. Dices. esto Portunus pro Neptuno accipiatur, quæ res cogit vt hîc Neptunus intelligatur, non Palæmon? nam nimirum, Patrem vocat, quod Palæmoni cõuenire non potest, qui semper puer infertur à Poëtis: & Apuleius, vt vidisti, paruulum vocauit, & Pausanias in Attic. puerum: vbi enim historiam Inus narrat, inter alia subdit; *Ino se in mare de Moluride petra abiecisse, & puerum à Delphine exceptum, cùm in Corinthiorum Isthmum fuisset expositus, mutato nomine ex Melicerte Palæmonem appellatum.* idem in Corinthiacis: *fuit* (inquit) *hoc ipso in loco de Melicerta ara; eò enim à Delphine euectum puerum memorant.* Adde, perpetuo quodam epitheto Neptunum appellari Patrem. Seneca in Agamemn. Salacia Neptuni vxor. Neptunus dictus pater.

Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus. Et in Oedip.
Per regna iuro — per te pater Neptune, qui fluctu breui
Vtrinque nostro geminus alludis solo. Iuuen. sat. 13.

Pérque

Pérque tuum pater Aegai Neptune tridentem.
Ante omnes Varro in fragmento:
Te Neptune pater cui flumina cana sonanti
Cuncta salo resonant.

10. PORTV]Non me hoc turbat, vt putē hîc signatè fieri allusionem ad Portunum(Palęmonem inquam) A præsidem portuum. Nam cur non is quoque Neptunus? ita enim Neptunus, per Deos sibi subditos rem gerebat, vt omnibus partibus maris præsideret. Imò argumentum conuersim reddo. Quia enim dicturus *portu*, ideo reliquit nomen Neptuni, & confugit ad Portunum.

[a] Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridíque advelat tempora lauro:
[b] Muneráque in naues ternos aptare iuuencos,
Vináque, & argenti magnum dat ferre talentum:
Ipsis præcipuos victoribus addit honores.
[c] Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
[d] Intextúsque puer frondosa regius Ida
Veloces iaculo ceruos, cursúque fatigat,
Acer, anhelanti similis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
Longæui palmas nequicquam ad sidera tollunt
Custodes, sæuítque canum latratus in auras.

ARGVMENTVM.

Vocat Æneas certatores, victorem declarat Cloanthum, dat illi coronam ex lauro, impartitur munera nauium omnium remigibus, vni Cloantho chlamydem, cuius describitur textus, ars, materia.

EXPLICATIO.

a QVo maior sit victoris gloria, cunctos iubet vocari, vt cuncti sint honoris spectatores: vocatis iam *declarat Cloanthum victorem*. non sua, sed *præconis voce*, & *magna*, vt ad omnium aures perueniat, vt solent præcones vociferari. Hoc per præconem: ipse verò Æneas manu sua (sic credendum) *advelat lauro viridi* Cloanthi *tempora*.

b Præter munera, quibus affecit ipsos victores, nauibus assignauit iuuencos ternos, vina, argenti ralentum: itaque voluit, vt remiges quoque & nauarchi, qui vnà insudauerant, participes essent lætitię. Ista remigibus & nauarchis: victoribus verò ἐξαιρέτως donat καὶ κατ' ἐξοχὴν, hoc est enim *præcipuos honores*. Sed qui hi victores? certè Cloanthus, Mnestheus, Gyas. Nam Sergestus non victor, sed victus. & illi potiùs ex *promisso*, quàm ex victoria datum præmium. Inde est vt illa *munera in naues* capiã tantùm de nauibus Cloanthi, Mnesthei, Gyæ. Nam hi præsentes, non Sergestus. & *terni iuuenci* non sunt, terni singulis nauibus, sed cuilibet vnicus, & ideo terni, quia naues tres.

c Pergit ad præmium, quod datum victori omnium Cloantho, hæc est chlamys. Describitur huius materia, efficiens, forma. Materia, nam ex auro, & purpura: efficiēs, nam hęc purpura facta ab artificibus insulæ Melibœæ: forma, nam hæc purpura instar fluuij duplicis per vestem fluitabat vario cursu recursúque. Quæ pertinent ad purpuram capienda tantùm de ora, & fimbria. Sed hoc clarius in Notis.

d Quæ sequuntur, omnia pertinent ad formam. Placuit verò Poëtæ historiam Ganymedis intexere huic operi ex magno iudicio. Celebrat enim princeps Troiæ Æneas principis pueri Troiani successum, non confugiens ad alienas historias.

NOTÆ.

1. EX MORE] Quo ex more? scias variatum fuisse in circo Rom. circa rem hãc. Aliquãdo enim præ- B mium accipiebant cursores, & victores nominabantur ad ipsas metas, confectis inibi legitimis spaciis. Aliquando item ad carceres redibant, vt coronarentur. posterius hoc Statius. 6. Th. sequitur, & Homerus. 23. Il. atque hîc etiam Maro: quod insinuat, cùm ait Æneam vocasse ad se certatores: si enim data essenr præmia ad Ilicem, quæ erat pro meta, expressiùs illud attigisset. Sed de vtroque hoc more, tu, si placet, Bulēgerum adi de Circo Rom. cap. 28.

2. PRÆCONIS VOCE] Adludit ad consuetudinem Olympicorum, in quibus iubebanr per præconem pronuntiari. Firmat morem Pindarus. Od. 5. Olymp. Præco in ludis.

Ον πατέρ' Ακρων' ἐκάρυξε.

Suum patrem Acronem præconis voce pronunciauit.

Et Philo in lib. de Abraham, sic scribens: *tanquam in* C *certamine sacro victorem ornat amplißimo præconio*. Græca signata, κηρύγματι λαμπροτάτῳ. Ioannes Chrysost. Homil. de Morte. *Si enim athletam, postquam vicit, non præco ab inferiore loco, sed Rex desuper ipsum victorem in Olympijs pronuntiasset*. Hoc ipso morem firmat. Scias ex sententia aliquorum, cui non assentio, hunc vsum præconum in ludis, sumptum non ex Romana militia, sed ex Græca: nulli enim præcones fuêre in militia Romana. Indicat Liuij locus. lib. 41. *Cùm per præconem, sic Græcis mos est, suadendi, si quis vellet, potestas à magistratibus facta esset, &c.* Tu adi Lipsium. lib. 5. Mil. Rom. Neque tibi nubem obducat Liuij locus lib. 33. hic, *Romani ad spectaculum consederunt, & præco cum tibicine, vt mos est, in mediam arenam processit*. Nam scriptorem si adeas, videbis hæc gesta in Græcia, & apud D Græcos, & Gręcorum more. Sed certè quamuis in Militia Romana præcones non fuerint; ad vsum tamen fori fuisse illos dubitabit nemo, qui viderit inscriptiones. Vicaroli non procul ab vrbe Romana, lapis est in quo præter alia, hæc ad rem signata, *L. Aratius Phœbus Decurialis Decur. Iuliæ præco*. In Musæo Cardinalis Carpensis: *M. Liuius M. Liuij auctus præco de Subura Liuiæ Donatæ liber*. In palatio etiam Crepanicensi, haud procul à Rotunda est ænea tabula continens parrem legis de augendo numero viarorum, præconumque. Sed & qui viderit auctores: Sueron. in August. cap. 84. *Nonnunquam informatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est*. & in Tiberio, *Citatum per præconem, in carcerem rapi iussit*. & sexcenta alia. Fuit etiam

etiam vsus præconum ad vocandos designatos è candidatis. Sen.ep.118. *Quàm putas esse iucundum tribubus vocatis, cùm candidati in templis suis pendeant*: & post pauca. *Omnes attoniti vocem præconis exspectant.* Ergo cur dicam cum Lipsio à Militia Græca sumptum præconium ad ludos Romanos? & non potiùs à foro Romano, & Comitio ad ludos Romanos? Vide verò, vt victores præconis voce declarentur, & coram omnibus, nam *cunctis vocatis*. Ad quam rem pertinet insigniter locus Senecæ lib.2. de Benefic. *Præcipiunt itaque omnes auctores sapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam secretò. Palam, quæ consequi gloriosum est, vt militaria dona, & honores, & quicquid aliud notitia pulcrius fit.* Ioann. etiam Chrysostomus homil. de Superbia, Regem, qui præmia diuidit in certaminibus, inducit ἐν μέσῳ καθήμενον, in medio considentem.

Laurus victori nauali datur.

3. AD VELAT TEMPORA LAVRO] Victorē naualem lauro ornat Æneas: Augustus apud Dionem corona oleagina. τοῖς ναυκρατήσασι ϛέφανον ἐλαίας ἔδωκε. *ijs qui nauali certamine vicissent, coronam oleaginam dedit.* Apud Appianum. li. 5. leges, ϛεφάμενος δάφνῃ, σύμβολον νίκης: *coronatus lauro, quod signum victoriæ.* Monet Nascimb. id factum manu præconis, non Æneæ, ex illo Ciceronis: lib.5. epist.12. *præcones ludorum gymnicorum, qui cum ceteris coronas imposuerint victoribus, &c.* Sed ego nihil hæc moror, & puto id factū manu propria Æneæ. Nam aliter sententia extorquetur. Qui dicunt impositam à præcone, non satis tenent vim orationis actiuæ, neque discrimen huius ad passiuam. Legant isti docti viri & Hispani Mineruam. Ego hîc nihil, ne longas rixas cum Grammaticis moueam.

Helenismus.

4. APTARE] Phrasis ista, *dat aptare, dat ferre*, Græcanica est, pro, dat vt aptentur, vt ferantur. Sed quid tandem, *dat vt aptentur*? subolet nonnihil Græcorum, quibus ἅπτομαι est, hærere, coniungi, & contingere: vt dicat, *da loque le toca acada naue.* Id si non placeat, recurre ad lectionem eorum, qui *optare* legunt, id est, eligere, nam *aptare* significatu Latino non purè hîc videtur quadrare. Sed potiùs tamen hoc deuorem, quàm legam *optare*. Nam in hac distributione Æneæ nulla optio. Et quidem frequentissimum in Latinis vocibus recurrere ad Græca significata relicto Latio. Ennij *indignas turres* pro, magnas, quis capiet, nisi cum respectu ad Græcum δείκνυμι? De qua voce vide me Ecl.10. & 2. G. Nihil ergo mirum est, referre Latinum *aptare* ad Græcum ἅπτομαι?

Apto à Græca voce.

Talentum magnum.

5. MAGNVM TALENTVM] Quid est *talentum magnum*? Aliqui variè discriminant. Mihi plurimùm probatur, Poëtam simpliciter locutum fuisse, cum discrimine tantùm ad alia pondera, quæ minora. Sic & Plautum capio in Mostellaria.

Si hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis præsentaria,
Nunquam accipiet.

Ratio, cur hoc putem, est; quia Virgilius videtur contendisse ad Homeri exemplum, apud quem talentum videtur non fuisse ita magnum præmium, cùm in certamine duo auri talenta quarto loco proponantur, primum ancillæ, post alterum tripodis, post tertium equæ. Itaque vt *annus magnus* in Virgilio est non ille, de quo Macrobius, sed vulgaris duodecim mensium. sic videtur capi posse *talentum magnum*. Si quis verò scrupulosiùs rem agitet tam in Virgilio, quàm in Plauto, sciat, quoties in auctoribus occurrit *talentum*, nulla re addita, de minore Attico sermonem capiendum, quod valet minas 60, ducatos aureos 600. drachmas 6000. Si verò addatur *magnum talentum*, debere intelligi magnum talentum Atticum, quod præcedenti summæ addit rationem epitriti, id est, tertiariam, vt sint minæ 80, ducati aurei 800. drachmæ 8000. & de hoc iuxta omnes capiendi, Virg. & Plau-

A tus. Porro reliqua talēta suis iā nominibus discernuntur, Assyrium, Ægyptium, Hebræum, & plura alia de quibus, præter Budæum, adeundus Couarrubias, atque etiam Pollux lib.9.

6. IPSIS PRÆCIPVOS DVCTORIBVS, &c.] Habitus hic ordo primi, secundi, tertij victoris vt liquidum in excursu. quod tractum ex Militia Romana, in qua dati honores iuxta gradum facinoris. Appianus in Ibericis. τῷ μὲν ἐς τὸ τεῖχος ἀναβάντι πρώτῳ μέγιϛα, τῷ δ' ἑξῆς τὰ ἡμίσεα τούτων, τῷ δὲ τρίτῳ τὰ τρίτα, καὶ τοῖς ἄλλοις κατὰ λόγον. *Militibus præmia distribuit, qui primus murum ascenderet, amplissima: secundo, dimidia ab his; tertio tertia; ac mox alijs pro cuiusque merito.* Sic itaque Æneas Cloanthum, qui primus fuit victor, & primum nominat, & præmio afficit; deinde illum, qui tenuit
B virtute secundum locum; & sic de aliis.

7. CHLAMYDEM] Chlamys indumentum fuit non imperatorium solùm, sed vulgo militare, iccirco vni datur ductorum, & non solum agnoscitur esse Æneæ: similiter in 11. Arcentis filius stabat

Chlamys indumentum imperatorium, & militare.

Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera:

qui non exercitus imperator. Inde Græcis χλαμὺς dicitur non solùm ϛρατηγική, id est, imperatoria; sed etiam ϛρατιωτική, id est, militaris. Accedit Varronis auctoritas, qui paludamenta cùm definit, esse ait, *insignia & ornamenta militaria*: militaria dixit, non imperatoria. Paludamentum autem, & chlamydem, eandem rem esse monuerunt Bayfius, Lazius, Lipsius. Primus de re vestiaria cap.7. alter lib.8. comment. tertius 2. de Milit. Rom. Nam Plinius Agrippinam Claudij
C in emissione lacus Fucini præsidentem, *paludamento auro textili* induit. & Tacitus 12. Annal. In ea ipsa re: *Chlamyde aurea.* si quæras, quod ergo discrimen inter imperatorem, & militem? respondet Lipsius in imperatorio paludamento, colorem fuisse eximium, & quidem è cocco, appellátque illud Plinij, *coccum imperatorijs dicatum paludamentis.* & illud Silij,

Paludamentum, & chlamys idem.

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

Quæ de chlamyde Cedrenus, ego hîc nolo.

8. QVAM—CIRCVM] Hæc vox, & quæ sequitur de duplici Mæandro innuit vestem illam, quam veteres prætextā vocarunt, cuius ora & circuitus prætextus erat purpura. Inde Græci περιπόρφυρον dixerunt. Id priùs coniectaueram, quàm vidissem in Turnebo lib.14. cap. 4. verba hæc ad hunc locum Virgilij: *Ve-*
D *stem prætextam significat, eandémque Phrygiam. Nam acu pingere Phryges inuenere, vt Plinius refert lib.8. cap.48.*

Prætexta

9. PLVRIMA PVRPVRA] Crediderim significari genus tincturæ non leuiter factæ, sed cum saturitate, ita vt tinctio bis, aut ter repeteretur. Dico ergo, *plurimam purpurā* nō esse simplicē purpurā, sed vel dibaphā, quæ bis tincta esset, cuius meminit Plinius. In quam mentem trahit me Sidonij locus, quem infrà adducā, qui loquens de purpurea Melibœa, vsurpat verbum *recoquo*, quasi pluries tinctam dicat. Vel si mauis, intelligit Poëta periphrasticè coccum. Hoc enim interest inter purpuram, & coccum, vt illa dilutior sit, hic saturatior. Hanc rei naturam voce hac *plurima* expressit Virg. Roges nonne Chlamys purpurea? dicente Athenæo χλαμὺς πορφυρᾶς. & Herodiano lib.4. χλα-
E μύδα ἁλουργῆ, vbi loquitur de Antonino procedente ad tumulum Alexandri. Et Plutarcho in Crasso, φοινικίδα vsurpante pro Chlamyde? Si ergo Chlamys tota purpurea, & circuitus ipse purpureus, quæ est sententia? Torquet me hoc telum, & recurro ad discrimē, quod iam apposui. Chlamys ipsa dilutior, circuitus & ora crassior ac nigricantior; ad eum modum, quo textus fit ex auro, duplici materia supra primam assurgente, vulgo *brocado de tres altos.* Itaque ora, quæ instar Mæandri fluminis bis recurrebat, fuit vel ex dibapha, vel ex cocco; vestis reliqua ex simplici purpura:

Chlamys fuit purpurea.

purpura. Hoc necessariò fatendum, nam & Chlamys & purpurea fuit, & in hac ipse circuitus: vt clarè liquet ex Poëta, atque etiam ex Seruio, qui, *erat in Chlamyde flexuosa, & in se remeabilis purpura, in modum Mæandri fluminis.* Potest esse & alia commodissima solutio, quam pete, ne ego hîc repetam, ab his, quæ ego iam latè lib. 4. Geor. ad ea verba, *violæ sublucet purpura nigra.*

10. MÆANDRO] Duo hîc explicanda, primum de ipso Mæandro multis recursibus flexuoso. Sed hoc iam tritum. Tibi obuij erunt Poëtæ omnes, qui de huius amnis flexibus passim. Adi etiam Pausaniam in Arcadic. Plinium lib. 5. cap. 29. Herodotum lib. 2. Dionem Chrysost. orat. 35. in quo etiam inuenies elogia huius fluminis. Nam quale illud? Μαίανδρος πολὺ πάντων τῶν ποταμῶν θειότατος, καὶ σοφώτατος: *Mæandrus omnium fluuiorum longè diuinissimus, ac sapientissimus.* Alterum de ipso genere vestis, quod à Mæandro dictum Mæandricum, & hoc profectò Poëta signat. Ergo Tertullian. de pallio: *prorsus si quis Mæandrico flexu delicatam vestem humi protrahat.* Legebatur priùs *Mænadrico fluxu*, sed Pamelius reposuit *Mæandrico*, Mercerius *flexu*. Redeo. Festus de eodem vestis genere: *Mæandrus genus picturæ, dictum à similitudine flexus amnis, qui appellatur Mæandrus.* in Iconibus sæpe inuenitur hic fluuius, supráque eum taurus insignis cornibus. Credit autem Antonius Aug. Dial. 3. de Iconibus, his Iconibus hoc vestis genus vtraque ea re declarari: vt vnda curua est, vt curua sunt cornua, ita & vestis ipsa. Quin, picturæ quoque in lacunaribus dicuntur Mæandri. vide demum, an ad hoc genus vestis pertineat *vestis vndulata* apud Plinium, vbi tamen aliqui *vngulata* reponunt, lib. 8. cap. 48. Adagij forma dixit Ammian. lib. 30. de duce quodam copiarum: *vt peregrinus & insuetus Mæandros faciebat, & gyros.*

Mæandri fluminis elogium. — *Mæandricũ genus indumenti.* — *Mæandri in lacunaribus.* — *Adagium.*

11. MELIBOEA] Sic dicta est purpura ab insula, in qua tinctio illius celebris. Festus: *Melibœa purpura à nomine Insulæ, in qua tingitur, est dicta.* Illius mentio apud Lucretium. lib. 2.

Melibœa purpura.

Iam tibi barbaricæ vestes, Melibœáque fulgens
Purpura Thessalico concharum tincta colore.

& Sidonium epist.

Rutilum toreuma bysso,
Rutilásque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat vnda.

12. CVCVRRIT] Præclarè hanc voculam illustrat Germanus ex Homero, Apollonio, Euripide, Epigrammate Græco. Primus 6. de annulo θέει. Alter lib. 3. de spirula, ἐπιδέδρομε. Tertius limbos, fimbrias, ambitus, & ornamenta vocat περιδρόμους. Demum lib. 5. Epigramm. de capillo errante per humeros dicitur ἐπιδεδρομὼς ὤμοις.

Curro ad quos vsus.

13. INTEXTVSQVE PVER] Elegantiæ fuit veterum vestibus, tapetibúsque, & aliis huiusmodi figuras hominum, & animalium intertexere. sic in Georgicis:

Figuræ intextæ vestibus.

Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Auson. in Gratiar. Action. *Palmatam tibi misi, in qua diuus Constantius parens noster intextus est.* Verba sunt Gratiani Imp. ad Ausonium ipsum. De veste Xerxis ita Curtius: *Pallam auro distinctam, aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant.* Herodotus lib. 3. θώρηκα λίνεον, καὶ ζώων ἐνυφασμένων συχνῶν: *thoracem lineum, cui intexta animalia plurima.* Ammianus lib. 14. de vestibus Romanorum: *effigiata in species animalium*

A *multiformes.* Appianus in Libycis exhibet purpuram ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων: *Cui aurea sidera intertexta.* Philostratus lib. 2. Icon. καὶ θηρίων τερατώδεις μορφὰς, οἷα ποικίλλουσι βάρβαροι: *belluarum monstrosas formas, quales barbari in Vestibus distingunt.* Nero in velis, quæ suspendit ad arcendum solem, seipsum iussit intexi. Xiphilinus: τά γε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκει ἁλουργὰ ἦν, καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο: *Vela etiam quæ per aërem expansa ad arcendum solem, purpurea erant, ínque ijs medijs Nero acu pictus, currum agitans.* Athen. lib. 5. ἐφαπτίδες κάλλισται εἰκόνας ἔχουσαι τῶν βασιλέων ἐνυφασμένας: *Pulcherrima saga deorum imagines intextas habebant.* & lib. 12. scribit Demetrio Regi Chlamydem fuisse, cui *intextus erat polus, in quo erant stellæ ex auro,* B *ac duodecim signa Zodiaci.* Huius demum moris mentio semper frequens. Reliquis parco, non omittens locum Sidonij Apollin. in Epithal. Polemij.

At parte ex alia textrino prima Mineruæ
Palla Iouis rutilat, cuius bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat stamina murex.
Ebria non solùm spirat conchylia sandix,
Insertum nam fulgur habet, filóque rigenti
Ardebat grauidum de fragmine fulminis ostrum.
Hîc viridis patrio Glaucus pendebat amictu:
Vndabant hîc arte sinus, fictóque timore
Mersabat pandas tempestas tecta carinas.
Amphitryonadi surgebat tertia vestis.
Paruulus hîc gemino cinctus serpente nouercæ
C *Inscius arridet monstris, ludúmque putando,*
Insidias dum nescit, amat: vultúque dolentis
Extingui deflet, quos ipse interficit angues.

Virgilij locum videtur imitatus Val. Flacc. lib. 2. Arg. vbi Hypsipyle Iasonem donat veste,

Pars & frondosæ raptus expresserat Idæ,
Illustrémque fugam pueri: mox æthere latus
Adstabat mensis: quin & Iouis armiger ipse
Accipit à Phrygio iam pocula blanda ministro.

Morem hunc in Christianis grauiter reprehendit Asterius Amaseæ Episcop. homilia de diuite & Lazaro. Ait enim eò præcessisse audaciam, vt etiam Christum dominum, & discipulos eius, vestibus intexerent. Debes fragmentum Asterij Rubenio. In eo fragmento locus est illustrando Virgilio aptus, nam D persequens figuras vestium, ἐκεῖ λέοντες, καὶ παρδάλεις, ἄρκτοι, καὶ κύνες, ὗλαι, καὶ πέτραι, καὶ ἄνδρες θηροκτόνοι. Atqui Virgilius, vt vides, suæ vesti venatores, & canes intexit.

14. FRONDOSA IDA] Idam frondosam appellat, & Ganymedem in ea venantem infert, vtrúnque doctè; nam is mons, & peramœnus erat, & venatu abundans. Quare Homer. Il. 14. montem hunc vocat, & πολυπίδακα, & μητέρα θηρῶν: *irriguum, ac ferarum matrem.* Qua in re Homerus laudatorem habet Strabonem lib. 13. præsertim in eo, quod pertinet ad virorem loci, & vbertatem aquarum. sic enim scribit, πλῆθος ποταμῶν, οἳ ἀπ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ἄλλα προφέρει: *Multitudo fluuiorum, qui profluunt ab Idæis montibus.* E & mox, πολυπίδακον ἢ τὴν Ἴδην ἰδίως οἴονται λέγεσθαι διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐξ αὐτῆς ῥεόντων ποταμῶν: *Idam propriè multifontem dici existimant propter fluminum multitudinem ex ea profluentium.* Horatius lib. 3. Odyss. 2. *aquosa Ida.* In tanta igitur aquarum abundantia necessaria viriditas, & frondium luxuries. Ouid. lib. 1. Art.

Ida frondosa, & venatu abundans.

Forte sub vmbrosis nemorosæ vallibus Idæ.

Quin ait Pausan. in Phocicis, *loca condensa arboribus veteribus fuisse cognominata, Idas.* Ait etiam Poëta, Ganymedem

Idæ, dicta loca, vbi arbores.

nymedem raptum in monte Ida, quod etiam Horatius scribit lib. 3. Od. 2. & consentiunt alij Poëtæ. Sumpsere omnes ab Homero. Lege Herodianum in Commodo, & quæ ego iam lib. 1. & 3. Æneid. per initia vtriusque libri.

Aquila Iouis armiger.

15. IOVIS ARMIGER] Aquilam signat, quæ Iouis armiger. Rationem hanc adhibet Plinius lib. 2. cap. 55. fulmen non percutit *è volucribus aquilam, quæ ob hoc armiger huius teli fingitur.* Præpes (monente Turn.) idem esse videtur, qui præuolans armiger. Potest etiam obseruari, præpetes aues dici, cùm earum rapacitas vult significari, quod & in hunc locum congruit. Hoc præter Turnebum, placuit Dalecampio. Raptus Ganymedis iam aquilæ tribuitur, iam Diis in communi; iam signatè Ioui. Primum sustinet hîc Virgilius. Alterum Homerus Il. 20.

Præpetes aues.

Ganymedis raptus.

Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ, Διὶ οἰνοχοεύειν:
Quem superi rapuêre, Ioui vt misceret.

Postremum Apollonius lib. 3. Γανυμήδεα, τόν ῥά ποτε Ζεὺς Οὐρανῷ ἐγκατένασσεν, *Ganymedem, quem Iuppiter in* A *cælum rapuit.* Cùm verò addit canes sæuire, præclarè, & cum acumine. vt enim indicet, frustra canes latrare in eo raptu, ait illos sæuire in auras. quo quid stultius? Simile quiddam passim reperies in symbolis de cane lattãte in lunã. Cęterùm venustissimi hi Poëtæ versus ansam præbuêre pictoribus, in quorum tabulis videas, ad raptum Ganymedis addi seniores admiratione stupẽtes, & pauidos: equos prioribus elatos pedibus, quasi viam facere per auras velint: canes turbatos, latrantésque. qualem tabulam sæpe vidimus Madriti in Regia Philippi omnium principum maximi. Similem picturam celebratam veteribus credibile est, dicente Plauto in Menæch. *Dic mihi nunquid tu vidisti tabulam pictam in pariete, vbi aquila catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum?* Ad Virgilij imitationem Papin. lib. 1. Theb. ita scripsit, B

Hinc Phrygius fuluis venator tollitur alis,
Gargara desidunt surgenti, & Troia recedit,
Stant mœsti comites, frustráq; sonantia laxant
Ora canes, vmbrásque petunt, & nubila latrant.

[a] At, qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Leuibus huic hamis consertam auroq; trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor, apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus, & tutamen in armis:
Vix illam famuli Phegeus Sagarísque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleus cursu palantes Trôas agebat.
[b] Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiáque argento perfecta, atque aspera signis.

ARGVMENTVM.

Donatur deinde Mnestheus lorica; hæc commendatur à materia, à forma, à possessoribus vetere & nouo, à pondere: donantur tertio loco Gyæ lebetes, & cymbia.

EXPLICATIO.

[a] FIt transitus in particula *at*, ad Mnestheum alterum principem è certatoribus, & cum significatione non vulgari. quasi dicat: Cloantho, qui adeptus est victoriam precibus & votis, data est Chlamys, quæ etiamsi militaris, tamẽ cum textu auri, cum purpura, cum Mæandris, cum fabula Ganymedis; quæ omnia indicant degenerantem quandam virtutem: at viro illi, qui, non precibus, sed virtute obtinuit secundum locum, datur lorica hamis & auro conserta; id est, hamis aureis. Et hæc trilix, nam hami erant triplicati, atque instar liciorum. qui etiam politi, & leuigati. Hanc Æneas ipse Demoleo in victoria detraxerat, qua indutus Demoleus afferebat exitium & vastitatem Phrygibus. Extrema hæc iam pertinent ad commendationem loricæ. Est hæc commendatio quincuplex. Prima, quòd allatura esset Mnestheo non gloriam solùm ac decus, sed etiam tuitionem: altera, quòd Æneæ tunc esset, qua laus non modica: tertia, quòd priùs Demolei fuisset, viri fortissimi: quatta, quòd in certamine, eóque decennali, & ante mœnia Troiana, erepta esset hosti, gloriosissimi spolij loco: quinta, quòd eo esset pondere propter multiplicem innexionem liciorum hamorúmque, vt vix illã ferrent famuli duo. In parti- C cula, *at*, cùm ait, *indutus at olim*, &c. eadẽ vis ac suprà. Perinde ac si dicat. Vix loricam ferebant duo famuli, cùm tamen Demoleus indutus illa Trôas ageret, in fugámque verteret.

[b] Tertius Gyas accipit pro præmio & pretio duos lebetes, cymbia etiam duo (credi enim potest, duo quoque hæc fuisse.) Commendatio lebetum, quia *ex ære.* Cymbiorum, quia *ex argento.* en materia. & cum *signis asperis*, hoc ad formam pertinet. & omnia *perfecta.*

NOTÆ.

1. VIRTVTE] Mox dicit *viro*, vt sententia sit. Donat viro propter virtutem. Itaque virum cum D virtute conungit, nam à viro dicta est virtus, quod virum. Hinc Romani Imperatores in nummis, sed præsertim Domitianus, & Gallienus, in suis virtutem excudi iubebant in auersa parte, instar Amazonis cuiusdam, galea insignem, parazonio præcinctam, pede etiam mundi orbem proculcantem, quæ omnia militaria sunt, viriliáque ornamenta. Erat Parazonium gladius perquam latus, & absque mucrone: gestabatur à tribunis militaribus, vel teste Martiale,

Parazonium.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris:
Arma tribunitium cingere digna latus.

sic dictus est, quòd penderet de zona.

2. HAMIS CONSERTAM, AVROQVE TRILICEM] Explicandæ distinctiùs duæ voces *hamis*, & *trilicem.* Loricas hamatas Græci vocant ἀλυσιδωτοὺς, quasi catenatas. sed quare hamatas Latini? quia spiqulæ illæ innexæ mediam tantùm sui partem ostendunt,

Hamatæ loricæ.

dunt, quæ est instar hamulorum. Horum in loricis creberrima mentio. Sidonius Paneg. ad Anthem.

—nec sutilis illi
Circulus impactis loricam texuit hamis.

Alij pro hamis dicunt catenas, propius ad Græcos. Lucanus lib. 7.

—qua torta graues lorica catenas
Opponit.

Statius lib. 12.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ.

Trilices. Ista Iam Lipsius monuit lib. 3. de Milit. Cum verò *trilicem*, quæsitum est ad firmitatem: erat enim triplex series annulorum, aut squammarum. Silius lib. 2.

———textam nodis auróque trilicem
Loricam.

Statius lib. 7.

—ter insuto seruant ingentia ferro
Pectora.

In his omnibus metaphora eadem, in idem enim recidit, siue à textura sumas locutionem, siue à sutura, siue à liciis: primo hæsit Silius, alteri Statius, tertio Virgilius, & plurimi. Non placet explicatio Turnebi lib. 29. cap. 35. agnoscentis in loricis trilicibus vera licia præter hamos & squammas ferreas. Sermo totus est metaphoricus, neque in his loricis vlla licia; tantùm dictæ trilices, quia instar triplicis licij haberent triplicem seriem hamorum. Nam alij Poëtæ (adduxi aliquos) cùm hanc rem nominant, hamos, aut catenas, aut spiras, aut squammas nominant, & ex ferro dicunt exsistere illum triplicem ordinem.

3. QVAM DEMOLEO DETRAXERAT] Rectè putat Germanus, Virgilio loricam ornatam ad imitationem loci huius Homerici lib. Il. 15.

—πυκνός δέ οἱ ἤρκεσε θώρηξ,
Τόν ῥ' ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα· τόν ποτε Φυλεὺς
Ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος·
Ξεῖνος γάρ οἱ ἔδωκεν ἄναξ ἀνδρῶν Εὐφήτης
Ἐς πόλεμον φορέειν δηΐων ἀνδρῶν ἀλεωρήν:
—densus autem ei profuit thorax,
Quem portabat concauitatibus aptatum, quem quondam Phyleus
Duxit ex Ephyra fluuio à Selleente.
Hospes enim ei dedit Rex virorum Euphetes
In bellum ferre, hostilium virorum munimen.

Occasione versus Homerici lubens celebro egregiam operam Antonij Augustini in corrigendo versiculo Martialis. Ecce, vti inter commendationes thoracis, vna est, ductum à Selleente flumine, quod vtique capiendum de temperatura, qua huius fluminis aqua idonea erat conficiendis armis. Dicebat itaque vir doctus legendum in Martiale,

Videbis altam Liciane Bilbilim,
Armis, & aquis nobilem:

non equis, vt parum aptè vulgo legitur. nulla enim fuit equorum gloria in Bilbili, magna verò in conficiendis armis, ad quorum temperaturam idonea in primis est eius oppidi aqua, & ideo cum armis aquas celebrat, & dicit patriam suam nobilem esse armorum opificio, & illorum temperatura ab aquis prouemiente.

Donat habere, militaris forma. 4. DONAT HABERE] Videtur Poëta allusisse ad veterem formam Romanorum, qua illi benemeritos milites præmio donabant; quod facilè colligas ex verbis istis Valerij lib. 8. cap. 15. *Nec tacitè hæc Scipio tulit. nam equiti, habebis, inquit, donum viri diuitis, quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. idem vt audiuit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat, alacer gaudio abijt.* In qua forma verba habeo, & dono, vt præcipua inferuntur. Poëta etiam ipse,

—armáque Lauso
Donat habere humeris.

Quibus consimile illud Homeri,

—δίδου δ' ὅγε τεύχεα καλὰ Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ:
Dedit pulchra arma Troianis in vrbem ferre.

5. LEBETAS] Lebetes olim dati in præmium sunt viris fortibus, ex quo more hæc Maro. Homer. Odyss. 15. Lebetes in præmium.

———δώσει δέ τι ἕν γε φέρεσθαι,
Ἠέ τινα τριπόδων εὐχάλκων, ἠὲ λεβήτων:
—dabit autem aliquid vnum ferri,
Aut aliquem tripodum bene æratorum, aut lebetum.

Agamemnon quoque Il. 19. Achillem donat viginti lebetibus. Quod & Ouidius transtulit,

Viginti fuluos operoso ex ære lebetes.

hoc ad Achillem Briseis. Sed de hoc lib. 9. ad illud,

Et tripodas geminos.

Lebetũ duo genera. Cùm autem ex Athenæi lib. 2. sciamus duo esse genera lebetum ἐμπυριβήτας, & ἀναθηματικά, putat Turneb. lib. 26. cap. 17. Maronem explicandum esse de Anathematicis; nam hi lebetes in ornamento erant, & non admouebantur igni, sicuti, ἐμπυριβῆται. Sed de hac re ego iam alibi.

6. CYMBIA] Vasa sunt in formam Cymbæ nauticæ. horum meminit Athenæus ex pluribus. vide, quæ dicta sunt lib. 3. ad illud,

—spumantia cymbia lacte.

Cymbia in præmium. Hîc tantùm aduerte, Cymbium à Poëta non absque veterum imitatione propositum esse ad præmium certantium, cuius rei vestigium est in Athenæi lib. 11. *οὐ κυμβίοισι πεπολέμηκε Εὐριπίδης: non cymbijs decertauit Euripides.* quod enim ab hoc factum negat, morem aperit. Et nota ingenium Maronis, qui seruata omni proprietate, illum cymbio donat, qui extremum cursum in mari tenuerat, è tribus ductoribus, cùm primo tamen militarem chlamydem, alteri loricam dedisset; quo sanè voluit declarare, postremum hunc tanquam imbellem fœmineo præmio ornandum: reprehendit enim Midiam Demosthenes, in oratione contra illum, quòd is cymbio vteretur, poculo non satis castrensi, sed molli & fœmineo, adde etiã, per se molle esse præmium, vas ad bibendum, præsertim si cum Chlamyde, & lorica conferatur.

Vasa aspera. 7. ASPERA SIGNIS] Cælata variis imaginibus, quæ tractanti manui asperitatem inducant. Contrà, vasa nullis formis effigiata, leuia esse dicuntur. Iuuenal. Satyr. 9. & 10. vocat *argentum purum*. verba eius. *argenti vascula puri.* Vt etiam Plin. lib. 3. epist. 1. *Apponitur cœna nõ minùs nitida, quàm frugi, in argento puro & antiquo.* Fuit hoc è more veteri, vt vasa haberẽtur in pretio, quæ aspera essent, & simulacris Deorum ornata. Athen. lib. 6. vasis meminit habentis toreumata efformata in modum draconum. Idem lib. 5. crateris cuiusdam ex argento, sexcentarum metretarum capacis, qui sub labris, & auribus, animalia haberet torno elaborata. Et lib. 11. *κέρας, ἔκπωμα ἀργυροῦν, & περιτορνές: cornu, poculum argenteum, atque asperum.* Vide quæ latè & doctè de numo aspero scribit Turnebus lib. 18. cap. 28. ea enim pertinent ad vasa signis asperata. Ego etiam de hac re in Bucolicis.

a Iámque adeo donati omnes, opibusq; superbi
Puniceis ibant euincti tempora tæniis:

Cùm

Cùm sæuo è scopulo multa vix arte reuulsus,
Amissis remis, atque ordine debilis vno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
b QVALIS sæpe viæ deprensus in aggere serpens
Ærea quem obliquum rota transiit, aut grauis ictu
Seminecem liquit saxo, lacerumq; viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardénsque oculis, & sibila colla
Arduus attollens, pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seq; in sua membra plicantem.
c Tali remigio nauis se tarda mouebat,
Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis.
d Sergestum Æneas promisso munere donat,
Seruatam ob nauem lætus, sociosq; reductos.
e Olli serua datur operum haud ignara Mineruæ,
Cressa genus Pholoë, geminíque sub vbere nati.

ARGVMENTVM.

Victoribus affectis præmio, tandem Sergestus aduenit naue lacera, ridetur à turba, eius nauis serpenti comparatur, ipse præmium accipit.

EXPLICATIO.

a HAbent hæc iucundam varietatem. Eunt victores cum donis, & coronis, atque eodem tempore Sergestus miser agit nauem irrisam, & sine honore, quam vix potuit reuellere ab scopulo, in quem se induerat: scopulum *sæuum* dicit, id est, durum, interprete Nonio. Eámque agit,

Amissis remis, atque ordine debilis vno.

id est, amisso vno ordine remorum. Dixi suprà, has quatuor certatorum naues fuisse triremes, hoc est, triplici remigum ordine. Horum vnum amiserat nauis Sergesti. Itaque claudicantem nauem cum risu Troiani accipiunt, non aliter atque in coronis fieri solet, si quis adueniat cum insigni aliqua deformitate corporis.

b Sententia est, nauem ita se tardè commouisse, vt solet serpens, quem aut rota currus, aut saxum viatoris contriuit in cauda postuma. Sic enim intelligendus Poëta, vt comparatio negotio aptetur. Habes obiter elegantem hypotyposin colubri, cùm ferox est illato vulnere. Nam cùm pars caudæ, quæ tota lacera est, & clauda, nexet se in nodos, plicet se in spiras; tum pars illa, quæ ad caput, & sana est, ferocissima est, ardent oculi, caput attollitur, & cum minis & sibilis. Est *retentat*, tentat se sæpius, conatúrque ad motum. *Serpens obliquus* est, exporrectus transuersim,

c Hunc in modum nauis tarda erat remigio, nam videlicet debilis & clauda vno ordine, cùm tamen vela, & quæ erant supera, omnia essent sana, ideo *plenis subit ostia velis*. ita sanè serpens claudus erat ad caudam, sanus ad caput. Ideo hoc sublatum, ille repens. Nota acumen ex oppositione *tarda remigio*. Nam remigium quidem ad celeritatem est, non ad tarditatem.

d Quasi non ex merito, ideo *promisso munere*. Neque tam illius cura habita, vt victi, quàm quia seruata nauis, recuperati socij. Ideo *lætus donat*.

e Triplex præmij commendatio. Erat serua sciens

A texturæ lanificijque, erat Cretensis genere, erant illi sub vbere infantes gemini. Acumen inuenit Turnebus lib. 26. cap. 17. Datur enim serua ob seruatam nauem. Possis etiam dicere, homini imbelli datam in præmium fœminam.

NOTÆ.

1. EVINCTI TEMPORA TÆNIIS] Præmiis reliquis, & muneribus additus quoque est honos coronarum. Sunt qui *tænis* scribant, & tænam agnoscant; alij *tænijs* malunt contractione quadam, vt illud lib. 8.

—thalamóque hæc coniugis aureo.

in voce *ibant* agnosce fastum incedentium. Sed quod B genus coronarum à Marone signatur? Seruius: *Puniceis tænis, vittis roseis. & significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus, & discoloribus fascijs: & sicut dicit Varro, magni honoris sunt*. & Donatus: *tænis purpureis: vittis rubeis*. Habes ex vtroque interprete, tænias esse vittas. Dico itaque, Cloanthum, Mnestheum, Gyan (nam hos intelligit, *omnes* cùm dicit) fronde primùm coronatos fuisse, vel lauro, vt Cloanthus: vel oliua, vt Mnestheus: nam infrà: Coronæ lemniscatæ.

—viridi Mnestheus euinctus oliua.

Frondibus additæ sunt fasciolæ, quas alij tænias, alij vittas, alij lemniscos vocant. Hoc genus coronarum multi confirmant. in primis versus Theocriti in Pharmaceutria,

C Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος
Πάντοτε πορφυρέῃσι περιζωστῆρσιν ἑλικτάν:
In capite autem habens populum, Herculi sacram plantam,
Vndique purpureis lemniscis inuolutam.

Deinde auctoritas Thucydidis lib. 4. τὸν Βρασίδαν τά τ' ἄλλα καλῶς ἐδέξαντο, καὶ δημοσίᾳ μὲν χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέδησαν, ὡς ἐλευθεροῦντα τὴν Ἑλλάδα, ἰδίᾳ τ' ἐταινίουν τε, καὶ προσήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ: *Brasidam cùm in cæteris honestè acceperunt, tum verò & publicè corona aurea redimierunt, tanquam Græciæ liberatorem: & priuatim tænijs coronarunt, ac veluti athletam frequentarunt*. Tertiò, Plutarchi in Pericle, ταινίαις καὶ στεφάνοις ἀνέδουν αὐτόν: *tænijs & coronis est ornatus*. Quartò, Plinii lib. 21. cap. 3. *Crassus diues primus argento auróque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesserunt & lemnisci, quos adijci ipsarum coronarum honos erat*. Scias hos lemniscos, aut tænias, addi

solere

solere non coronis modò, sed palmis, quod ex Cicerone pro Roscio Turnebus animaduertit, vbi *palma lemniscata*. Et ex Ausonio, qui ait:

Et quæ iam dudum tibi palma poëtica floret,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Ego verò in locum Philonis incidi id firmantis. Ait ille in lib. de Perfugis: φοίνιξ μὲν καὶ ταινίαις οἱ παντελοῦς ἀρετῆς ἐπιφερόμενοι τὰ ἆθλα κοσμοῦνται: *Palma & lemniscis ornantur, qui perfectæ virtutis reportant præmia.* Quæ dixi de lemniscis coronarũ, vera esse puto. Sed possent etiam hîc tæniæ abusione quadam vocis accipi pro sertis rosarum, sicuti à Tertulliano accipiũtur lib. de corona militis: vbi *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus post deuictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum: dat & Priapo tænias idem.* vbi notat Pamelius, Tertullianum abuti ea voce pro sertis ad instar vittarum, nam vt ex Lilio & Vero discimus, Priapus coronabatur his, quæ erant hortensia.

Tæniæ pro sertis.

2. Irrisam sine honore ratem] Cur placitum Poëtæ tanto dedecore Sergestum afficere, non alium, refero ad Catilinam, qui à Sergesto genus ducebat. Erat hæc historia Virgilij æuo recentissima, & ideo cùm in quemuis aliorum posset, in Sergestum contumeliam detorsit.

3. Aggere] Ait *agger viæ*, nam viæ publicæ, vt quæ militari labore erant munitæ, exaggerabantur, vt imber deflueret, minúsque lutulentæ redderentur. Proinde agger pro via vsurpatur; quod iam Turnebus monuit lib. 11. cap. 6. ex Sidonio:

Agger pro via.

Antiquus tibi ne teratur agger:
Cuius per spatium satis vetustum
Nomen Cæsareum viget columnis.

& epist. 5. lib. 1. *ad vsque aggerem calcabili silice crustarum crypticis arcubus fornicauit.* id est, ad vsque viam. Seru. etiam: *agger est media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus strata.*

4. Clauda] Iucunda est metaphora, qua serpentem *claudum* vocat, cui non sunt pedes. Sic naues Tacit. 2. Annal. dicuntur *claudæ*. & Lucretio lib. 4. *clauda nauigia*. Sic & Liuius. *Claudas mutilatásque naues* dicit. Idem Lucretius & pennis auium, & ingenio hominum, & libræ hoc verbi attribuit. dixit enim,

Claudus ad quas res.

Claudicat extemplo pennarum nisus inanis.

& lib. 3. *Claudicat ingenium*. & lib. 4.

Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum.

Plurimus est Cicero in hac metaphora, cuius hæc sunt. *claudicare in officio, vitia vocis, & ineptijs claudicare. vita claudicat, oratio mancam, ac debilem præturam.*

5. Ostia] Hîc sunt portus. Illustrabis superiorem tractum Poëtæ versibus illis Lucretij lib. 3.

Ostium pro portu.

Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem
Serpentem cauda, & procero corpore vtrinque
Sit libitum in multas partes discindere ferro,
Omnia iam seorsum cernes ancisa recenti
Vulnere tortari, & terram conspergere tabo,
Ipsam séque retro partem petere ore priorem,
Vulneris ardenti vt morsu premat icta dolore,

6. Mvnere donat] Fuit hæc liberalitas Æneæ in A signis, vt omnes donatos vellet; etiam Sergestum, cuius extrema, aut nulla palma in hoc certamine: similiter in cursu, qui mox sequitur certamen nauticum, Nisum *præstanti munere donat*, qui extremum locum tenuit. Eadem Æneæ liberalitas elucet in 3. certamine, vbi:

——geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittísque iuuencum,
Ensem atque insignem galeam solatia victo.

facit ad hoc laus Belisarij, quæ ex incerto scriptore est apud Suidam. *in milites omnium mortalium beneficentißimus fuit. nam & eorum, qui infeliciter pugnauerant, vulnera multis pecunijs solabatur; & qui prosperè, armillas & torques præmia donabat.* Sed & sapientia Æneæ hoc loco: (nota est Iulij Scal.) repræsentat illam B Senatus in Cannensi clade: nam sicut Sergesto præmium datur non victori, sed qui socios seruauerat; ita in ea clade, cùm Paulus Consul occubuisset in acie, Varro autem alter Consul fugisset, tamen huic tantæ cladis magna ex parte auctori, redeunti itum est obuiam cum magna frequentia, & gratiæ actæ, quòd de Rep. non desperasset. cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret. Habentur hæc in Liuio lib. 23. Addo institum à Poëta Homericis vestigiis. nam lib. 23. Il.

Λοῖσθος ἀνὴρ ὤριστος ἐλαύνει μώνυχας ἵππους,
Ἀλλ' ἄγε δή οἱ δῶμεν ἀέθλιον:
Vltimus vir optimus impellit solidungulos equos,
Quare age, ei demus præmium.

7. Serva datvr] Fœminas datas pro præmio vi- C ctoribus; satis indicat Euripides, qui sub persona Herculis in Alcestide:

Fœminæ in præmium.

Δίδωμι τήνδε σοῖσι πρόσπολον δόμοις·
Πολλῶν δὲ μόχθων ἦλθε χεῖρας εἰς ἐμάς·
Ἀγῶνα γὰρ πάνδημον εὑρίσκω τινὰς
Τιθέντας ἀθληταῖσιν, ἄξιον πόνου,
Ὅθεν κομίζω τήνδε, νικητήρια
Λαβών.

Do hanc ancillam tuæ familiæ.
Venit autem in manus meas cum multis laboribus.
Inuenio enim aliquos publicum certamen
Proponentes athletis, dignum labore:
Vnde abduco hanc, præmium victoriæ
Accipiens.

D Sed Virg. omnino ad Homeri locum Il. 23. hunc respexit:

Ἀνδρὶ δὲ νικηθέντι γυναῖκ' ἐς μέσσον ἔθηκε·
Πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα:
Viro autem victo mulierem in medium posuit.
Multa autem sciebat opera.

8. Opervm] Ex Græcorum fonte, quibus etiam ἔργα transferuntur ad lanificium, & texturam. Aduocant omnes illud Homeri 6. Iliad. ἔργα γυναικῶν Σιδονίων: *opera fœminarum Sidoniarum.* & Il. 23. γυναῖκα ἔργα εἰδυῖαν: *fœminam scientem operum.* Inde & Minerua ipsa inuentrix lanificij, dicta est ἐργάνη. Fœminæ etiam ab hac arte dicuntur *operosæ* elogij loco.

Opus de lanificio.

Hoc pius Æneas misso certamine, tendit
Gramineum in campum: quem collibus vndique curuis
Cingebant syluæ, mediaq; in valle theatri
Circus erat. quò se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoq; resedit.
Hic, qui fortè velint rapido contendere cursu,
Inuitat pretiis animos, & præmia ponit.

ARGVMENTVM.

Post certamen nauale sequitur cursus. Describitur locus, in quo est exercitus: eò se Æneas confert, & cursores inuitat præmijs.

EXPLICATIO.

PErgit Æneas ad locum, vbi peragendum secundum certamen cursus. Describitur hic locus. Prima pars descriptionis, nam campus *gramineus*. Pars altera, *quem collibus vndique curuis Cingebant syluæ*. Quæ hîc de mutatione ait Seruius, non videntur necessaria ad sententiam Virgilij. Pars tertia, nam locus ille formatus erat in modum circi in media quadam theatri valle. Coniunge omnia. Locus erat herbosus gramine, cinctus syluis, ad speciem circi. Ergo *huc Æneas tulit se medium cum multis millibus, resedítque in cõsessu exstructo*. Huc cùm venisset, cœpit hortari ad cursum animos illorum, qui aderant, inuitamento præmiorum.

NOTÆ.

1. GRAMINEVM] Cur hîc diuinè de gramine? & dicam respectum esse ad coronas eius herbæ? simpliciter capiendus Poëta.

Circensium origo.

2. CIRCVS] Circenses ludi, qui adulto imperio celebrati sunt magna populi sollemnitate, & hilari cõcursatione, videntur initium habuisse ex cursu, specie Pentathli (est enim pentathlum quod in se continet cæstum, cursum, saltum, discum, luctam: Græci indigetant, πυγμὴν, δρόμον, ἅλμα, δίσκον, πάλην. & certatores ipsos πύκτας, δρομεῖς, ἁλτικοὺς, δισκοβόλους, παλαιστάς.) nam ad cursum, vti apparet ex Poëta in hoc carmine, locus quidam eligebatur circulari forma: atque adeo quamuis hîc neque metam audiamus, neque alia quæ mox fuerunt in Romano circo, satis sit tamen audire nomen circi, & infra nomen spatij, cùm ait, *corripiunt spatia*, atque etiam nomen carcerum, quos circumscribit Poëta, cùm subdit, *liménque relinquunt Effusi nimbo similes*. hanc doctrinam iuuat Pindarus Od. 2. Olymp. qui, quos Romani missus appellant, ipse cursus vocat, credo respiciens ad initia nascentis circi. vbi enim Theronem laudat, non solùm propter victoriam curru adeptam in Olympiis, sed in Isthmiis, obiter Isthmia ait confici τεθρίππων δυωδεκα δρόμων, *duodecim quadrigarum cursibus*, id est, missibus, vt ego interpretor; & Od. 3. Olym. Olympia quoque certamina constare ait duodecim cursibus equorum.

Pentathlũ.

Struo de militarib. tribunalib.

3. EXSTRVCTO] Allusum ad militaria tribunalia, quæ ducibus ex aggesto & exstructo cespite attollebantur ad conciones, de quibus loquar lib. 12. Hîc tantùm adducam locum Ammiani, quia id verbi vsurpat ex lib. 26. *Progressus Valentinianus in campum, permissúsque tribunal ascendere celsiùs structum*, &c.

Cursus origo.

4. CVRSV] Auctor est Pausanias, Eleos primos omnium sine vllo veteris memoriæ exemplo instituisse certamen cursus, sicut & luctæ. Multa qui scire velit de hoc gymnico certamine, adeat Petri Fabri Agonistica, & Hieronymum Mercurialem de Re Gymnast. atque etiam Vuolfangum Lazium. hi enim complexi sunt, quæ multis alij. sententia simillima est Homericis istis Iliad. 23.

Καὶ τὸ Ἀχιλλεὺς θῆκεν ἀέθλιον οὗ ἑτάροιο,
Ὅστις ἐλαφρότατος ποσὶ κραιπνοῖσι πέλοιτο:

Et hoc Achilles posuit præmium sui socij,
Quicunque leuißimis pedibus velocißimus esset.

[a] Vndique conueniunt Teucri mistíque Sicani:
[b] Nisus & Euryalus primi.
Euryalus forma insignis, viridíque iuuenta,
Nisus AMORE PIO pueri. quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius simul, & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegeæ de sanguine gentis.
Tum duo Trinacrij iuuenes Helymus, Panopésque,
Assueti syluis, comites senioris Acestæ:
Multi præterea quos fama obscura recondit.

ARGVMENTVM.

Conueniunt illi, quorum singulis elogia perpolitè aßignat.

EXPLICATIO.

[a] QVia multi, & vnà Teucri, & Sicani, ideo *conueniunt* signatè, non, veniunt.

[b] A confusa Teucrorum & Sicanorum mentione, discriminat iam, qui Teucri, qui Sicani. Primos Teucrorum memorat Nisum & Euryalum. Hoc habet eximiè Virgilius, vt, quoties plurima nomina subinfert, aliqua interponat leuando tædio nominum. Est enim tum ieiuna oratio, tum plena tædij, cùm multa nomina vnico tractu perpetim audiuntur, nulla re interposita, in quo sæpe Homerus peccat. Vide in his versibus, quàm multa sint ad iucunditatem composita. In Euryalo formam corporis laudat, in Niso amorem erga Euryalum, in Diore regiam stirpem, in Salio & Patrone genus, in adolescentibus Trinacriis studium venandi. Quàm insipida esset oratio, si diceret: Nisus, Euryalus, Diores, Salius, Patron, Helymus, Panopes.

NOTÆ.

1. SICANI] Cùm gentium migrationes magna ex parte fabulosæ sint, omnibus cupientibus in se gloriam redundare, & aliarum gentium originem sibi ascribere; non in numero fabularum ponendum existimamus, magnam partem Siciliæ ab Hispanis originem ducere, & ab nostris rebus eam insulam fuisse nobilitatam, & nuncupatam Sicaniam. Quam rem scribit Thucydides lib. 6. cùm enim sermonem

Sicani ab Hispanis.

de Sicilia inchoauerit, hunc in modum prosequitur. Σικανοὶ δὲ μετ' αὐτοὺς πρῶτοι φαίνονται ἐνοικισάμενοι, ὡς μὲν αὐτοί φασι, καὶ πρότεροι, διὰ τὸ αὐτόχθονες εἶναι, ὡς δὲ ἡ ἀλήθεια εὑρίσκεται, Ἴβηρες ὄντες, καὶ ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ ποταμοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ, καὶ ἀπ' αὐτῶν Σικανία τότε ἡ νῆσος ἐκαλεῖτο, πρότερον Τρινακρία καλουμένη: *Post hos* (præcesserat mentio Cyclopum & Læstrygonum) *Sicani primi dicuntur inhabitasse eam Insulam, atque, vt ipsi prædicant, omnium primi, dicunt enim se indigenas eius Insulæ fuisse. Sed veritas est, Sicanos Iberos fuisse, & à flumine Sicano, quod est in Iberia, nomen traxisse. itaque ab Iberis dicta est Sicania, quæ priùs Trinacria.* Dionys. Halicarnasseus lib.1. de Sicilia loquens, ita ait: *Eam Sicani, gens Hispana, tenebant; qui à Liguribus fugati non multo antè suas sedes ibi posuerant. Atque hi fecerunt, vt de suo nomine Insula ista vocaretur, quæ priùs à forma triangula Trinacria nominabatur.* Itaque opinionem illam antiquorum, quam etiam Diodorus lib.5. commeminit his verbis, *Sicanos autem, qui in ea antiquitus habitarunt, indigenas esse, præcipui scriptores tradunt*, euertit Thucydides: non enim αὐτόχθονες Siciliæ fuerunt Sicani, sed oriundi ab Iberis. Itaque verè Ioan. Mariana rerum Hispanicarum scriptor lib.1. cap.11. vbi narrat Siculum proficiscentem diuertisse in Siciliam, ait: *Ei Insulæ, quæ Trinacria erat, noua nomina facta, Sicilia à Rege Siculo, Sicania ab Hispanis, quos ad retinendum eius Insulæ imperium reliquit.* Ab his historiis lux datur Silio lib. 14. ita de Sicilia scribenti:

Post dirum Antiphatæ sceptrum, & Cyclopea regna,
Vomere verterunt primùm noua rura Sicano.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Ascitum patrio, terræ imposuêre vacanti.
Mox Ligurum pubes Siculo ductore, nouauit
Possessis bello mutata vocabula regnis:
Nec res dedecori fuit, aut mutasse pudebat
Sicanum Siculo nomen.

Sicoris fluuius. Si quæras, quis fluuius Sicanus in Hispania? is est, quẽ deinde Romani vocarunt Sicorim, nos Segre Ilerdæ fluuium, qui, quia Ilerdam præterfluit, à Vibio Ilerda quoque indigetatur. Sequor in hoc præter sex septẽue scriptores nostros, quatuor Italos, Bocatium, Marineum Siculum, Volaterranũ, & Leandrum Albert.

2. VIRIDIQVE IVVENTA] Hanc notam ascribe Læuino in Horatium. Vt Græci χλωρὸν, aut χλοερὸν dicunt, pro ἀκμάζειν, teste Suida, Hesychio, aliis, ita Latinis *viror*. Hîc Virg. *viridi iuuenta*. Ouid. *viride æuũ*. Horat. *virent genua*. Idem. *Donec virenti canities abest*. Ad eum modum *flos*, & *florere* de ætate sunt frequentissima. Plura istis ille.

3. DIORES] Alterius Dioræ viri iam, & militaris cõmeminit Poëta in bello Latino 11. Æneid. quem Turnus interfecit vnà cum fratre Amyco.

4. SALIVS] Vult Turneb. lib.26. c.17. hæc nomina, & patriam, quam cuique assignat Poëta, non pro libidine posita, sed omnino respectum ad fidem historiarum. Nam teste Varrone, Salius Arcas fuit, & venit in Italiam cum Ænea, & præterea saltationem instituit Saliorum, qui sacri erant Marti Gradiuo. Patron autem Acarnan fuit, qui in Aluntinis consedit, vt ab Halicarnasseo notatum est. Hoc idem video Germano placuisse. Gens Tegea est gens Arcadiæ, ab Tegea eius prouinciæ oppido. Non iniucunda nota Nascim. eo videlicet versu,

Alter ab Arcadia Tegeæ de sanguine gentis,

latere emphasim, & alludi ad virtutem Tegeatium, quæ olim magna, & contra Lacedæmonios enituit.

5. HELYMVS, PANOPESQVE] In his laudat venandi studium, & ideo comites Acestis, qui præclarus venator, de quo Poëta,

Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsæ.

sed cur Helymum Trinacrium facit? Illustrandus locus ex fide historiæ, in qua versatissimus fuit Virgilius, & te fallet, nisi oculatus sis. scribit Thucydides lib.6. Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου, τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν: *capto Ilio Troianorum quidam, cùm à Græcis fugerent, appulêre ad Siciliam, & collocatis sedibus in finibus Sicanorum omnes appellati sunt Helymi.* Ergo nomen Helymi Siculi sũptũ ex nomine generali, quo tũ Siculi afficiebãtur. Helymi, qui.

6. MVLTI PRÆTEREA, &c.] Dictũ hoc Macrobius obseruat ex imitatione Ennij, qui priùs. *Multi alij aduentant, paupertas quorum obscurat nomina.*

a Æneas quibus in mediis sic deinde locutus.
b Accipite hæc animis, lætásque aduertite mentes.
c NEMO ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Cnosia bina dabo læuato lucida ferro,
Spicula, cælatámque argento ferre bipennem.
d Omnibus hic erit vnus honos, tres præmia primi
Accipient, flauáque caput nectentur oliua.
e Primus equum phaleris insignem victor habeto.
f Alter Amazoniam pharetram, plenámque sagittis
Threiciis: lato quam circumplectitur auro
Baltheus, & tereti subnectit fibula gemma.
g Tertius Argolica hac galea contentus abito.

ARGVMENTVM.

Proponit omnibus præmia communia, tribus victoribus separata.

EXPLICATIO.

a EXplica. *Quibus Æneas* positus *in medijs omniũ, deinde locutus* est *sic.* vel *in quibus medijs Æneas* positus, &c.

b *Accipite*. Est, audite. *Lætæ mẽtes*, sũt alacres & prõptæ.

c Promittit se omnibus daturum præmium, tam victoribus, quàm victis. Itaq; omnes cursores habebũt duo spicula Cretensia, quæ laudatissima, (est enim Cnosos, vrbs Cretæ) quæ etiam commendat à nitore, nam erunt *lucida ferro læuato*, id est, læuigato: deinde habebunt bipẽnem, quam commendat à materia & arte: à materia, nam ex argento; ab arte, nam addita argento cælatura. Ita explicandus hic locus, non enim dicit, cælatam fuisse argento.

d Cùm omnibus tam victis, quàm victoribus, daturus sit bina spicula, & bipennem, promittit deinde tribus primis peculiaria præmia, ita verò peculiaria, vt corona tamen futura sit communis tribus primis, ideo sequitur *flauaq; caput nectentur oliua.*

e Numerat iam præmia trium singulorum, & omnia cum elogio. Primo victori assignat *equum insignem phaleris.* Non minùs certè versus phaleratus, quàm ipse equus.

f Alteri pharetram, & sagittas; illam *Amazoniam*: nam ea forma, quæ vsæ Amazones; has *Threicias*, nam Amazones, cùm aliis locis, tum potissimè in Thracia consederunt. Sed quod ornamentum pharetræ? Hâc (inquit) *balteus circumplectitur auro lato, & fibula subnectit gemma tereti.* Dices, alterum ergo otiosum, aut complexus baltei, aut fibula? Explico. Balteus pharetram tenebat complexu suo, fibula balteum ipsum nectebat suo morsu. Sic mihi visus posse expediri Poëta. Itaque fibula nihil ad pharetram. Alij aliter, non pugnem.

g Tertiò galea Argolica, & *hac* δεικτικῶς, & quia paruum munus (ait Seruius) ideo *contentus abito.*

NOTÆ.

1. NEMO EX HOC NVMERO] Vertit verba Euripidis in Hecuba, οὐ δή ἀδώρητος ἔσται. Pertinent ad hunc versum verba Iulij Scaligeri lib. 3. cap. 12. quæ ego non grauabor adiungere: *Quòd si memineris quàm ex æquo & bono fert iudicium in ludis, admirabere profectò diuini viri dexteritatem. Nam qui aduersa fortuna impediti non vicêre, eos nihilominus afficit donis. vt maximus Poëta maximum virum etiam fortunæ dominum ostentet, aut saltem moderatorem. Quin etiam cùm in certaminibus laborent omnes, non videtur decere id sine præmio effici debere. Nam victoria vnius tantùm est, labor omnium. Ergo præmium victori esto, victis solatium: quapropter & illa verba dixit magnanima; ac Deo digna:*

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Donatus, militare. Vox *donatus* militaris est, & inde huc illata à scientissimo vate. Pars veteris inscriptionis, quam profert Smetius, sic habet: *C. Papilio donato donis militaribus à Diuo Hadriano ob Iudaicam expeditionem.* Alia sic: *Cn. Domitio donato ab Imperatore Vespasiano Aug. & T. Cæsar. Aug. F. coronis, Murali, Vallari, aureis hastis puris,* &c. Inde suprà Poëta: *Iamq; adeo donati omnes.* & Liuius lib. 39. *multi omnium ordinum donati militaribus donis.* Plin. lib. 7. cap. 28. *donatus hastis puris duodeviginti.*

2. OMNIBVS] Notanda oppositio, in qua plurimus est Poëta. frequenter enim vnitatem coniungit cum voce, quæ multitudinem signet. 2. Æn.

Collectis omnibus vna
Defuit. 4. G.
Omnibus vna quies operum.

iterum, *mens omnibus vna.* & in 1. *terris magis omnibus vnam.* Non dubitauerim, Liuium lib. 6. ex obseruatione Virgilij dixisse, vbi sermo est de Manlio: *adeo in vno omnibus satis auxilij fuisse, nullam opem in tam multis vni esse?* & iterum ad Camillum, *cede vnus omnibus.*

Hellenismus. 3. CAPVT NECTENTVR] Explica, nectentur ad caput. Sequor libenter iudicium Budæi, qui inde vult casum pendere ad Græcorum imitationem, qui in simili constructione subaudiunt κατά.

Oliua in coronis certaminum. 4. OLIVA] Ex more, quo oliua in coronis certaminum. de Psaumide Pind. Od. 4. Olymp.

—ὃς ἐλαίᾳ στεφανωθεὶς
Πισάτιδι, κῦδος ὄρσαι
Σπεύδει Καμαρίνᾳ:

A *qui oliua coronatus Pisæa, decus excitare properat Camarina.* &c.

Κόσμον ἐπὶ στεφάνοισι χρυσέας ἐλαίας
Ἀδυμελῆ κελαδήσω.

Ornamentum ob coronam aureæ oliuæ blandiloquum cantabo. & Od. 1. Nem.

—θαμὰ δὴ Ὀλυμ-
πιάδων φύλλοις ἐλαιᾶν
Χρυσέοισι μιχθέντα.

se folijs aureis Olympicarum oliuarum immiscentem. vocat *flauam*, ab Æschylo, qui in Persis, ξανθῆς ἐλαίας. Cum flauore alludit aureus color, quo hanc modo arborem bis affecit Pind. Hoc epitheti plerunque Virg. attribuit rebus Syluestribus. 1. G. farris. 4. G. cultis 7. Æn. aruis. 1. G. Cereri Deæ frugum. Quæ B etiam ab Hom. Δημήτηρ ξανθή. Ab eadem proprietate Troiæ fluuius Ξανθὸς dicitur, quòd oues flauas efficiat. Hîc ἐν παρέργῳ scias, non solùm, Olea coronatos victores, sed illa Reges accipi solitos. Docet te hoc Ioann. Chrysost. homil. de non contemnenda Ecclesia Dei. Καθάπερ ἄνθρωποι κλάδους ἐλαιῶν ἐκκόψαντες ἐπιτείνουσι τοῖς βασιλεῦσι: *Quemadmodum homines ramos olearũ recisos regibus protendunt.* Et addit rationem, esse hanc arborem symbolum ἐλέους, καὶ φιλανθρωπίας, *misericordiæ, & humanitatis.*

5. EQVVM PHALERIS INSIGNEM] Considera hîc iudicium Virgilij, dignum quod admirere. Cùm hoc certamen de celeritate sit, aptissima proponit præmia, & tota ad celeritatem spectantia. Primo cursori promisit equum, qui velox ad cursum. Alteri phare- Virgilij iudicium.
C tram, & sagittas, quæ etiam veloces. Tertio galeam tantummodo, in quo allusum ad velitem, & volantem militem. Non vidit hæc Homerus, qui primo Homerus sine iudicio. cursori promisit cratera argenteũ, qui caperet ἓξ μέτρα, *sex mensuras.* Alteri βοῦν μέγαν, καὶ πίονα δημῷ: *bouem magnum, & pinguem adipe.* Tertio ἡμιτάλαντον χρυσοῦ, *semitalentum auri.* Quid hæc præmia ad velocitatem? Deinde obserua in Magno Poëta, in præmiis ipsis discriminari gradus, & dignitates militiæ, equitem, sagittarium, velitem: ideo primo equus promittitur, alteri sagittæ, tertio galea. Phaleræ præmia sunt militaria, ideo huc inductæ. Lux ab lapidibus. In oppido quodam Phaliscorum: *Q. Albio donis donato ab Diuo Traiano Aug. torquibus, armillis, phaleris, bello Parthico.* Phaleræ, militare præmium. Taurini in Pedemontio: *C. Gauio donis donato à Diuo*
D *Claudio bello Britannico, torquibus, armillis, phaleris, corona aurea.* & lux quoque à Liuio lib. 39. *Pro concione postero die laudati, donatiq; à Calpurnio equites phaleris.* Sed intelligas has phaleras semper fuisse ad vsum equorum, quod alibi firmo. Apud Xenoph. lib. 1. ἀναβ. Cyrus, non ille Magnus, dat in munus ἵππον χρυσοχάλινον. quod alludit cum Poëta, qui non tantùm phaleras, sed equum phaleratum.

6. AMAZONIAM PHARETRAM] Est pharetra, theca sagittarum, ἀπὸ τοῦ φέρειν. Sed vnde in potestatem Æneæ pharetræ & sagittæ Amazonũ? Respondet ex historia duplici, & satis nota. Scimus primò ex Homeri Scholiaste in lib. 3. Iliad. Amazonas ante bellum Troianum populabundas in Phrygiam irrupisse. De-
E inde certum ex omnibus scriptoribus Troiani belli, has fœminas venisse Troiam in auxilium Priami cõtra Græcos. Ergo vel ab inimicis erepta spolia, vel ab amicis relicta munera.

7. AVRO] Ex more & elegantia veterum, quibus Baltei ornatus. balteus militaris ornatus auro. Persius:

Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Protegit.

Spartianus in historia Hadriani, virtutẽ huius commendans, sic ait: *Exẽplo etiam virtutis suæ ceteros adhortatus, cùm etiam vicena millia pedibus armatus ambularet,*

vestem

A *vestem humilimam frequenter acciperet, & sine auro balteum sumeret.* Liuius lib. 9. *aurata vaginæ, aurata baltea illis erant.* Cedrenus Chosrois ζώνην, id est, baltheum, χρυσῆν, vocat, καὶ διάλιθον, *aureum, gemmatúmque.*

Argolica galea. 8. ARGOLICA] Quemadmodum pharetram ab Amazonibus, ita galeam à Græcis aduocat, vt par quodammodo sit commẽdatio. Sed quæ hæc Argolica galea? vel quam ipse in pugna, sic credi potest, cuipiam Græcorum ademit victor, in Troiana obsidione, vel respectum ad formam est; alias enim notas habuit galea Græcorum, quàm Troianorum, quod ex eodem discimus Poëta in 2. vbi Choræbus, ne à Græcis vt hostis haberetur, galeam, clypeum, ensem, sibi accommodat, Argiua omnia. Nota igitur aliqua in Græca galea, vnde hæc distincta à Troiana. Fortasse iubæ discrimen dabant: id insinuatur eo versu,

——orit̃urque miserrima cædes

Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.

Græca arma in Italiam. Admoneo obiter, Græca arma in Italiam, ac perinde in Romanam belli disciplinam penetrasse, cuius rei fortasse origo prima Æneas. Is enim, & qui cum eo adducti sunt, Græca arma in Italiam intulerunt, à Græcis spolij loco erepta. Partem huius rei Diomedi damus, aliisq; qui à Troiano bello in Italia sedes fixerunt. spectacula certè, palæstras, ludos, aliáque huiusmodi commigrasse ex Græcia in Italiam scimus; quod argumentum non mediocre de armis.

9. GALEA] Galeam Varro à galero deducit. sunt qui ἀπὸ τῆς γαλέης, fele, aut mustella. dicúntque Galeam propriè esse, quæ à feris petitur. Isidorus certè sic discernit, *caßis de lamina est; galea de corio.* pro quo facit Tacitus de Germanis sic scribens, *vix vni, alterive caßis, aut galea,* vbi manifestè abiungit. Statius lib. 7. videtur adiuuare adductum etymon, — Caßidis, & Galeæ discrimen.

Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum.

Ista iam Lipsius lib. 3. Milit. Rom.

10. CONTENTVS ABITO] Explicationem Seruij de paruo munere, quam iam attuli, sequantur verba hæc Nonij: *contentus, cui res etiam parua abundè est.* Propert. lib. 3. eleg. 3. — Contentus, de paruo.

B *Contentus niueis semper vectabere cycnis.*

Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.

vbi Passeratius: *Rectè hic, contentus cycnis, quia parui vectores, præ equis.* Sic idem Propertius eodem lib. eleg. 7.

Quòd si contentus patrio boue verteret agros.

Sic M. Curius apud Val. Max. cap. 4. populari dono *contentus* fuit, spretis magnis præmiis. In Cedreno de re parua est ἐπιχαίρων pag. 394. Iuuen. Sat. 14.

Viuite contenti casulis, & collibus istis.

[a] Hæc vbi dicta: locum capiunt, signóque repente
Corripiunt spacia audito, liménque relinquunt,
Effusi nimbo similes, simul vltima signant.
[b] Primus abit, longéque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo sed proximus interuallo,
Insequitur Salius: spacio pòst deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalúmque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcémque terit iam calce Diores,
Incumbens humeris: spatia & si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguúmque relinquat.
[c] Iámque fere spatio extremo, fessíque sub ipsum
Finem aduentabant; leui cùm sanguine Nisus
Labitur infelix, cæsis vt forte iuuencis
Fusus humi, viridésque super madefecerat herbas.
Hîc iuuenis iam victor ouans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit immundóque fimo, sacróque cruore.
[d] Non tamen Euryali, NON ILLE oblitus amorum,
Nam sese opposuit Salio, per lubrica surgens:
Ille autem spissa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, & MVNERE victor amici
Prima tenet, plausúque volat, fremitúque secundo.
Pòst Helymus subit, & nunc tertia palma Diores.

C

ARGVMENTVM.

Curritur. it primus Nisus, deinde Salius, tertius Euryalus, quartus Helymus, quintus & pene par Helymo Diores. Cadit Nisus in cursu, qui consequi palmam cùm nequeat, proximum sibi Salium obiectu corporis ad ruinam compellit, vt Euryali sit victoria. Inde mutata est omniũ fortuna, principẽ locũ obtinẽte Euryalo, alterũ Helymo, tertiũ Diore.

EXPLICATIO.

[a] CLARA omnia. Nota celeritatẽ cursorũ ex dactylicis volatibus, qui crebri: ex vocalibus hiantibus, quasi illis aperiatur via ad cursurã: ex cõparatione cũ nimbo, cuius instar effusi. Sed quid illud: *simul vltima signãt.* Nihil amplius requiro, vbi est Seruij

 duplex

duplex interpretatio hæc: *vltima signant: intuentes & notantes vltima spacia, id est, finem auiditate vincendi, & deest, visu. vt Cicero, notat & designat oculis. Aut, signant vltima cumulorum, scilicet summitatem signant vestigijs, vt alibi: vix summa vestigia signat arena.* Vestigium signatum cursu ἴχνος δρομαῖον vocat Xenoph.

A

b Omnium victor initio cursus Nisus fuit, *longè enim emicat ante omnia aliorum corpora.* Ideo de illo grande elogiũ, *ocyor ventis, & alis fulminis.* Niso ita fuit Salius *proximus*, vt *longo interuallo*. Non ita Euryalus Salio, notat enim vicinitatem, cùm ait, *post deinde*. Post Euryalum Helymus. Postremus fuit Diores, sed ita postremus, vt tamen volaret, & calce suo Helymi calcem attereret ex æquo cum illo, & ad latus currens, non à tergo: incumbebat enim humeris Helymi. Ita verò vrgebat, vt si spacij plus ad currendum suppeteret, transiret, relinqueretque ambiguum, id est, explicante Turnebo, ambigentem de cursus palma, vt dicat Poëta, Si plus spacij superesset, Diores Helymum præteriret, qui secum iuris in cursu ambigui fuit.

B

c Ornat Poësin suam diuinus præceptor variis casibus è bono in malum, è malo in bonum. Nam Nisi infelicitas aliis fuit commodo. Sententia verò est, Nisum iam prope finem cursus cecidisse lapsum lapsantémque in sanguine læui, id est lubrico, vbi hic sanguis erat humi fusus, herbásque madefecerat, ac lubricas reddiderat, ab iuuencis ibi fortasse cæsis. Ibi itaque cùm esset pene iam victor atque ouans, presso solo vestigia ceperunt titubare, donec tandem concidit in fimo boum, & cruore sacrificij.

d In summa miseria non est Nisus oblitus Euryali, quem mirè amabat. Itaque opponens se currenti Salio, traxit illum ad ruinam. Quo facto iam Euryalus amici munere ante alios emicat, vt priùs Nisus, volat, tenet prima, acclamante populo, & fauente plausu. Sic iam factum, vt tertius esset Diores in exitu cursus, qui initio vltimus: cumulata ad lapsum Nisi omnium fortuna.

NOTÆ.

1. LOCVM CAPIVNT] Est hoc quod, Homerus 23. Il. στὰν δὲ μεταστοιχεί: *steterunt autem ordine.* Eadem hîc contentio cum Bulengero, ac suprà ad illud, *Tum loca sorte legunt.* Ait enim, non omnes simul exiuisse ad cursum. Sed ita hoc capiendum, vt iam suprà eodem etiam pertinent, quæ habes sequēti nota.

2. LIMENQVE RELINQVVNT] Seruius explicans *limen*, ait: *aut regulam, aut signum de creta factum.* Cùm verò Poëta in his ludis alludat sæpe ad circum, quod res ipsa, & multorum docet auctoritas, Seruianæ explicationi fauet locus Plinij lib. 35. cap. 17. *Creta argentaria appellatur, nitorem argento reddens: est & vilissima, qua circum producere ad victoriæ notam instituere maiores.* In quibus mētio fit cretæ circi. Seneca quoque in epistolis scribit, cretam in circo antiquis vocatam fuisse carceres. Itaque Poëta *limen* pro linea, aut regula, aut carceribus posuit, sicut Tertullian. lib. de pudicitia, *eundem limitem liminis figimus*: & Statius 6. Theb.

—idmque locus cuique est, & liminis ordo.

Limen in Circo, quid.

Scias quoque cretæ, aut calcis vsum fuisse non solùm ad carceres circi, sed etiam ad metam. Inde Varro dixit: *Nemini fortuna currum missum à carcere intimo labi inoffensum per æquor candidum ad calcem finit.* & Cicero in Catone Maiore, *Quasi decurso vitæ spacio ad carceres à calce reuocari.* Quemadmodum autem calx, & creta, & linea, apud Latinos pro ea sumitur, quæ est non modò in carceribus, sed in meta: ita apud Græcos νύσση sumitur non modò pro meta, cuius rei obuia exempla: sed etiam pro carceribus, quod manifestè liquet ex verbis Homeri istis Iliad. 23.

Creta ad carceres, & ad metam.

Τοῖσι δ' ἀπὸ νύσσης τέτατο δρόμος:

His autem à carceribus extensus est cursus.

Et quidem mirum est, exemplum, ita in perspicuo positum, fugisse lexicorum magistros. Cùm enim capiāt νύσσην, de ea, quæ ad metam; de carceribus silent: nam Tussanus, qui aliquid de carceribus, nullo exēplo firmat. Nazianzenus enim, quē aduocat, capiendus tantùm de meta est. Demum obseruādus flexus alius, quo Enn. 1. Ann. carceres circi vocat *fauces*, cùm ait,

Fauces de carceribus.

—omnes auidè spectant ad carceris oras,

Quam mox emittat pictis ex faucibus currus.

vbi *pictæ fauces*, me interprete, nihil sunt aliud, quàm linea ducta, & veluti picta ex alba creta. Ergo, cùm duplex fuerit linea & in carceribus, & in meta, liquidum quid velit Sen. ep. 49. cùm dixit numero multitudinis: *admoueri lineas sentio.* indicat enim breuitatem vitæ, cuius angustum est spatium à natiuitate ad mortem.

3. EMICAT] Signat promptitudinem, & celeritatem cursoris incredibilem, non aliam ac cometæ, qui vix apparet, cùm iam longè ab initio emicat: ita Nisus vix abierat, cùm iam longè emicuit.

4. VENTIS ET FVLMINIS OCYOR ALIS] Alibi, *Euro ocyor.* alibi:

———ventos æquante sagitta.

Hi tropi iucundi sunt. non ingratus est ille Hesiodi in Scuto,

—ὁ δ' ὥστε νόημ' ἐπωτᾶτο:

—ille autem vt mens volabat.

C

sermo est de Perseo. Apud Statium. 1. Theb. Tisiphone vocatur *igne Iouis citatior.* id est, fulmine. Plinius lib. 2. cap. 54. Virgilio hæsit: *spiritum ocyorem fulmine.*

5. CALCEMQVE TERIT IAM CALCE DIORES] Putant multi eadem dici sententia, qua Homerus de Vlysse currente post Antilochum dixerat,

—Ὀδυσσεὺς θέεν ἐγγύθεν, αὐτὰρ ὄπισθεν

ἴχνια τύπτε πόδεσσι, πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι:

—Vlysses currebat prope, atque à tergo

Vestigia premebat pedibus, antequam puluis circumfunderetur.

Sed putant, & non sic est. Potiora affert, & veriora Virgilius, quod videt Iul. Scal. in Critico. Homerus itaque constituit suum cursorem alteri à tergo instantem, Virgilius non à tergo, sed à latere, & pari linea. Verba Scaligeri sunt, *In cursu pari æquata linea vtriusque calcibus ita dirigebatur, vt calces inter se attererent. Ac sanè cùm currimus certatim, nunquam quenquam sequimur, neque enim vllum antecedentem præcurrere, aut superare possemus, si in eius vestigia pedes poneremus: sed à latere cursum continuamus, quemadmodum ipsis in carceribus constiteramus. Neque si par sit in duobus celeritas, alter alterius occupare cursus lineam audeat, sic enim ex curua linea plus spacij faciendum sumeret, non sine periculo suo magno. Quamobrem Homerus quoque dixit, στὰν δὲ μεταστοιχεί, steterunt autem ordine. in 12. aliter, trepidíque pedem pede feruidus vrget.* His nihil veriùs. Neque moror Nascimbænum, qui & Scaligerum reprehendit, & ait, Virgilium paria cum Homero dixisse.

Virgilius superat Homerum.

D

6. INCVMBENS HVMERIS] Seru. *Aut humero Helymi, aut currentis est gestus.* Placet prius, quia aliqualis Homeri imitatio, qui de Vlysse currente post Antilochum,

E

Κὰδ δ' ἄρα οἱ κεφαλῆς χέ' ἀϋτμένα δῖος Ὀδυσσεύς:

Inque eius caput fundebat halitum diuus Vlysses.

& Statius ad vtriusque imitationem,

—quem deinde gradu premit horridus Idas,

Inspiratque humero, flatúque & pectoris vmbra

Terga premit.

7. TRANSEAT AMBIGVVMQVE RELINQVAT] verbum

Transeo de circo.

verbum *transeo* Circi est. Cassiodor. lib. 3. epi. 51. *transit prasinus, pars populi mæret.* Sid. in Narbone, A

Vt meta vlterior remisit omnes,
Fit collega tuus prior duobus,
Qui te transierant.

Sed & *relinqui*, in certaminibus est, superari, vinci, quod in Lucretium Gifanius, & in Virgilium Germanus monuerunt. sic Græci ἀπολείπεσθαι, & ab Isocrate in primis νενικηκότες dicũtur ἀπολελοιπότες. Victores dicebantur antecedere. Seneca 2. de Ben. c. 25. hærens in imagine cursus, *magna illi celeritate opus est, magna contentione, vt consequatur antecedentem.* & lib. 5. cap. 3. *Cursor metam prior contingit, velocitate alium, non animo, antecessit.* Porrò in voce *ambiguum*, institit quodammodo Poëta Homero, Il. 23.

Relinqui, pro vinci.

Καί νύ κεν ἢ παρέλασσ', ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν:
Et certè præuertisset, vel ambiguum fecisset certamen.

iterum,

Τῷ κέν μιν παρέλασσ', οὐδ' ἀμφήριστον ἔθηκεν:
Sic ipsum prætergisset, neque dubiam rem posuisset.

8. Cæsis vt] Explicui particulam *vt* per, vbi. Interpretes hoc non suppeditant. Et cur pudeat à Lambino sumpsisse? Obseruat hic in Od. 17. lib. 1. eam particulam apud bonos auctores valere idem quod, *vbi*, & præsertim in hoc loco Virgilij. Erit ergo sententia. ibi lapsus est, vt, id est, vbi, erat sanguis fusus, quem leuem vocat: nam vt ait Donatus illum terra non biberat, & inter herbas congelatus superarat. Sic Catull.

Vt, pro vbi.

Verùm totius vt lacus putidæq; paludis
Liuidissima, maximéque est profunda vorago.

id est vbi. Terentius: *Mater consequitur iam vt limen exirem, ad genua accidit.* id est, vbi, aut, cùm exirem limen. Possis quoque capere vulgariter, vt dicat. Labitur in sanguine, vt fortè erat fusus.

9. Titvbata] Est hoc quod Plautus Mercat. *Genua hunc cursorem deserunt.*

10. Immvndoqve fimo] In hoc casu Nisi respectum omnino ad Homeri locum, apud quem in simili certamine Aiax concidit,

Ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλον ἐπαΐξεσθαι ἄεθλον,
Ἔνθ' Αἴας μὲν ὄλισθε θέων. βλάψεν γὰρ Ἀθήνη,
Τῇ ῥα βοῶν κέχυτ' ὄνθος ἀποκταμένων ἐριμύκων,
Οὓς ἐπὶ Πατρόκλῳ πέφνεν πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.
Ἐν δ' ὄνθου βοέου πλῆτο στόμα τε, ῥῖνάς τε.

Sed cùm iam mox erant assecuturi præmium,
Tunc Aiax quidem lapsus est currẽs; læsit enim Minerua:
Vbi boum fusus erat fimus interfectorum, valde mugientium,
Quos ob Patroclum mactarat pedibus velox Achilles.
Ibi fimo bouino impletus est ósque naresque.

11. Prima tenet] Quæ sunt hæc prima spatia, quæ victor occupat? Recurre ad ea, quæ iam dixi, de linea fieri solita non modò ad carceres, sed ad metam, qua occupata victores iam esse credebantur. Pind. Od. 9. Pyth.

—ποτὶ γραμμᾷ μὲν αὐτὰν στᾶσε κοσμήσαις, τέλος ἔμμεν ἄκρον.

ipsam cùm exornasset, collocauit ad lineam, terminus vt esset extremus. Lege quæ doctè & latè Petrus Faber lib. 2. Agonist. cap. 7.

12. Palma Diores] Victoriam vocat palmam, vt infrà, *palmam mouet ordine nemo.* iterum: B

Palma, pro victoria.

Amissa solus palma superabat Acestes. & lib. 7.
Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos.

his locis aliisque *palma* victoria est. Tractum à consuetudine veterum, nam cùm certatoribus alia, atque alia præmia darentur, tum fere omnibus palma: itaque nullum præmium frequentius, inde ipsa sumpta pro Victoria. Plutarchus lib. 8. Sympos. quærit, διὰ τί τῶν ἱερῶν ἀγώνων ἄλλος ἄλλον ἔχει στέφανον, τὸν δὲ φοίνικα πάντες. Pausanias in Arcadicis: οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον: *multa autem certamina palmæ coronam assequuntur.* longum fuerit ludos recensere, in quibus ea daretur: dabatur enim hieronicis omnibus apud Græcos, triumphatoribus apud Romanos, quibus etiam in precio, & præmio palmata vestis: dabatur in ludo gladiatorio. Sueton. in Caio. *Mymillonem ferrea fica confodit, & more Victorum cum palma discurrit.* Quare autem omnibus fere victoribus hæc arbos daretur in præmium, si quis quærat, non ignobilis erit hæc ratio. nam sicuti palma æui est longissimi, sic victorum gloria æterna esse debet. sed subiiciam integrum Pausaniæ locum ex Arcadic. *ludis sanè multis palmæ corona decernitur. Victores vtique cuncti vbique locorum palmam manu præferunt. Huius rei huiusmodi traditur initium fuisse. Theseum aiunt è Creta reducem Deli ludos fecisse, Victorésque palma coronasse.* Possit, qui velit, in explicando Poëta confugere ad ea, quæ iam ego. 7. Eclog. ad illud, C

Palma commune præmium.

Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.

vt dicat. Diores erat tertia Victoria.

a Hîc totum caueæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet:
Ereptumq; dolo reddi sibi poscit honorem.
b Tvtatvr favor Euryalum, lacrymæq; decoræ,
Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.
c Adiuuat, & magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ, frustraq; ad præmia venit
Vltima, si primi Salio redduntur honores.
d Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent pueri, & palmam mouet ordine nemo.
e Me liceat casum miserari insontis amici:
Sic fatus, tergum Getuli immane leonis
Dat Salio villis onerosum, atque vnguibus aureis.
f Hîc Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret: quæ munera Niso
Digna dabis, primam merui qui laude coronam,

Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset?
Et simul his dictis faciem ostentabat, & vdo
Turpia membra fimo. risit pater optimus olli.
g Et clypeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum:
Hoc iuuenem egregium præstanti munere donat.

ARGVMENTVM.

Vociferatur Salius, iniquè sibi præmium eripi Nisi dolo. Iuuant Euryalum pulchritudo eius, & Diores. Donat Æneas constitutis præmijs victores tres: nouis deinde, atque extra ordinem, Salium, & Nisum.

EXPLICATIO.

a Salius, qui Nisi dolo, præmium sibi eripi dolebat, conuertit se vociferabundus ad patres spectatores, qui primi, & principes in eo consessu, supplicans pro honore.

b Contrà pro Euryalo est fauor omnium, quem ille & lacrymis, & virtute conciliabat: quæ sanè virtus eo gratior efficaciórque ad mouendos animos, quo adolescens formosior. Nam pulchritudo cuius non animum expugnet?

c Iuuat Diores causam Euryali, nam si hic princeps sit trium in accipiendis præmiis, ipse erit vltimus, & abibit donatus: si verò princeps sit Salius, ipse iam excludetur, & neque erit vltimus.

d Placuit Æneæ in hoc animorum dissidio, tres, Euryalum, Helymum, Diorem afficere, statutis præmiis: Euryalum equo phalerato, Helymum pharetra Amazonia, Diorem Galea Argolica. Id enim est, quod ait, *vestra munera manent vobis certa, & palmam mouet ordine nemo.*

e Vt tamen erat pius, noluit Salium indonatum relinquere: ratio, quia & amicus, & insons. Non enim fas fuit carere illum honore, Nisi fraude. Itaque iubet afferri *tergum leonis*, id est, indumentum instar Thoracis militaris factum ex leonis pelle, ex more, quo viri fortes donis talibus ornabantur. Est verò duplex commendatio, naturalis & artificiata: nam villis leonis additi ab arte vngues aurei.

f Vbi vidit Nisus donatum alium extra tres primos, petit etiam sibi præmium dari. Ratio duplex. Prima, nam *te lapsorum miseret* (miserescit.) Altera, nam *merui primam coronam*, sed abstulit fortuna, quæ mihi inimica: vt verò efficaciùs moueret, faciem fimo inquinatam ostentabat, & corpus reliquum. Cui Æneas cum fauore arrisit.

g Ergo donat illum clypeo, quem ait fuisse fabricam Didymaonis. In voce *artes* obseruo excellentiam Clypei. Numerus enim multitudinis indicat laudem non vulgarem, quasi in eo efformando omnes artes consumpserit & pene exhauserit Didymaon. *donat* ergo *iuuenem egregium præstanti munere*, videlicet militarem iuuentam militari munere. Sæpe Homerus peccat, nihil pensi habens quo quemque afficiat munere. Sed quid illud?

Neptuni sacro Danais de poste refixum.

In Troiano excidio templa etiam Deorum profanata, à Græcis, & sacra omnia violata, quod hîc obiter tangit Poëta, nullam occasionem prætermittens nominis Græci infamandi.

NOTÆ.

1. CAVEÆ] Cauea dicebatur & quæ in theatro, & quæ in amphitheatro, ipsum nimirum ædificij cauum: prior locus scenis dicatus fuit, posterior cædibus. Clarius: theatrum dictum est cauea, & amphitheatrum cauea. De theatro capiendus Cicero de Amicit. *qui clamores tota cauea nuper in hospitis & amici mei M. Pacuuij fuerunt noua fabula, cùm ignorante Rege, vter esset Orestes, Pylades se esse Orestem diceret, vt pro illo necaretur*, &c. Et Arnobius lib. 4. *assurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus, atque plausibus.* Videndus etiam Suetonius in Clau. cap. 21. De Amphitheatro Prudentius: Cauea de theatro & amphitheatro.

Quid puluis caueæ semper funebris, & illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?

& in Peristeph. hym. 6.

Intrant interea locum rotunda
Conclusum cauea: madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat.
Cùm spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, & fremit voluptas.

Tertull. contra Marcionem dixit *caueæ sæuientis*, cum allusione ad cædes. Ergo cauea non solùm dicta est de amphitheatro, quod quidam enixè contendunt, sed etiam de theatro. Inde lucem accipit Tertullianus lib. de spectaculis, qui clauditur his verbis: *Cæterùm qualia illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? credo, Circo & vtraque cauea, & omni studio gratiora.* sic legit Pamelius. & innuit Lipsius, non *caula*. Quin in theatro mentio est plurium cauearum, dicente Tullio lib. de Senectute. *Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea spectat, delectatur tamen etiam, qui in vltima. Sic adolescentia*, &c. Ab his locis, metaphoricè quilibet circus, aut consessus coniunctus in modum Theatri, dicitur cauea, & hac translatione vsus Poëta hoc loco. Demum addo caueam dici in venatione Romana locum, vbi asseruatæ feræ. Stat. 2. Sylu. Caueæ plures in theatro. Cauea de venatione.

——stat cardine aperto
Infelix cauea, & clausis circum vndique portis,
Hoc licuisse nefas, pauidi timuêre leones.

& vbi interfectæ, vt ex altero Prudentij testimonio clarè elicias. Neque scio, cur Lips. de Amphitheatro cap. 9. Statium referat tantùm ad portam, qua emissæ feræ.

2. TVTATVR] Tale quid in Statio,

——Accessit lacrymarum gratia formæ.

Euryali pulchritudo hîc, & in nono extollitur. fuit hæc (vt credi potest) eximia, & veteribus admiranda, quod etiam Ibycus prodidit, qui sic apud Athen. Euryali pulcritudo.

Εὐρύαλε γλαυκέων χαρίτων θάλος καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις, ἅτ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν: *Euryale cæsiarum gratiarum germen pulchricomarum cura, te certè Venus, & blandis oculis Suadela, roseis in floribus educarunt.* Illud *veniens* explicat Nanius in epistola ad Pison. *crescens.* ita etiam illud Ecl.

Venientis sibilus Austri. ita & Horat.

Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit, id est, creuit.

3. PVERI] Quia præcessit *pater*. qua ratione sæpe Græci παῖδας referunt ad γέροντας.

4. PALMAM MOVET ORDINE NEMO] Dixi data hîc præmia tribus primis. Euryalo equum: Helymo baltheum, pharetram, sagittas: Diori galeam. Sed roget aliquis, qui potuit Nisi dolus prodesse Euryalo in detrimentum Salij? sunt qui in hac re Maronem damnent, tanquam iudicij parum limati. Tuetur Alciatus lib. 6. Parerg. cap. 21. In militaribus concertationibus ad formulam prouocationis semper attendendum est. Nihil itaque obstabit siue quis victoriam dolo aliquo, siue virtute consequatur, quod lib. 9. Symposiacωn Glaucias præclarè disserit apud Plutarchum. *Semper (ait ille) in Senatus consultibus, legibus, contractibus, confessionibus, ad verba, quibus conclusa sunt, est maximè aduertendum.* Neque desunt magnorum hominum iudicia, qui hoc confirmauerint. Apud Homerum enim 3. Il. ita certamen inter Paridem & Menelaum conuenit,

Virgilius defenditur.

Flauum Alexandrum si interficiat Menelaus,
Res habeat, Helenámque suas deportet in ædes.

Accidit autem, vt cùm Paris esse inferior cœpisset, ope & dolo Veneris ereptus inde sit, ac propterea Menelaus nec res habuit, neque vxorem: cautum enim non fuerat, vt victori Menelao hæc restituerentur, sed si perduellem interfecisset. Similiter Statius, & Silius: vterque lib. 9. ille Theb. hic Punic. in aliorum personis idem senserunt: *Vterque enim* (verba sunt Alciati, insero hîc quia aperiunt iudicium Maronianum) *imitatus est illis in certaminibus Virgilium, sed vt res ipsa indicat, satis infeliciter, & longo post ipsum interuallo: vt mirum sit voluisse eos tam pertinaciter sequi, quod assequi non poterant vel ipsis iudicibus.*

Virgilius superat Siliũ, & Statiũ.

5. CASVM MISERARI] Latet hîc imitatio Homer. Il. 23. vbi Achilles Eumelum noluit indonatum dimittere, tametsi fracto à Minerua curru, præteritus à concertatoribus in Agonali certamine fuisset. Hoc iam alij viderunt.

6. GETVLI] Getulia, vti totius Africæ ferocissimos homines, ita & leones tulit. De huius regionis ferocitate, natura, moribus, legendus Sallustius in Iugurth. Ergo, quia leo Getulus, ideo *tergum immane* velit aliquis. Sed placet tamen, vt referas immanitatem ad magnitudinem pellis leoninæ.

Leones Getuli.

7. ET TE LAPSORVM MISERET] Sic Antilochus ad Achillem. Il. 23.

Εἰ δέ μιν οἰκτείρεις, καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ:
Si autem ipsum miseraris, & tibi gratum est animo.

8. NISO] Agnoscit hîc emphasin Nascimb. vt apud Horatium:

Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.

vbi *Teucro*, non, me: ita *Niso*, non, mihi.

9. RISIT] Ita Achilles ad Antilochum. 23. Il.

Ὣς φάτο· μείδησεν δὲ ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς:
Sic dixit. risit autem velox diuus Achilles.

Non rideret, nisi esset velox. Nausea. Rideo. Et infrà Aiacem loquentem de suo risu (de quo viro, ὄνθον ἀποπτύοντα, *expuentem fimum*) sequitur omnium risus,

Homeri inscitia.

Οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν:
Hi autem omnes super ipso suauiter riserunt.

10. NEPTVNI SACRO] Morem, quo Deorum templis arma dicabantur, affigebantur, suspendebantur, quémque hîc attingit Poëta, alibi persequor. Cùm dicat Poëta *clypeum refixum de sacro poste*, credamus ad illum allusisse Horatium Od. 28. lib. 1.

—quamuis clypeo Troiana refixo.

& epist. 2. lib. 1.

Sub duce qui templis Parthorum signa refixit.

11. IVVENEM DONAT] Datur Niso præmium, fauore, vt vides, Æneæ; non merito: qui tamen primus nomen dederat ad certamen. dixit enim, *Nisus, & Euryalus primi.* Itaque non debuisset reportare. Apto hîc verba Aristidis in 1. Platonica, ὁρῶ δὲ ὅτι κἀν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν, &c. sed omitto Græca. Latinè sic sonat: *Quin etiam in gymnicis certaminibus video, non eos, qui primi nomen dederint, Victoriam reportare: verùm qui id, ad quod nomen dederint, optimè factis comprobarint. Idque ita vbique obtinet, vt in ipsis quoque præmijs, adeóque cursus ipsius, non ijs qui initio retulerint, sed qui præterierint signum, detur.*

Post vbi confecti cursus, & dona peregit:
Nunc, si cui virtus, animúsque in pectore præsens,
Adsit; & euinctis attollat brachia palmis.
Sic ait: & geminum pugnæ proponit honorem,
Victori velatum auro, vittisq; iuuencum:
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.

ARGVMENTVM.

Proponitur tertium certamen cæstuum, assignantur præmia victori, & victo.

EXPLICATIO.

FIt transitio ad tertium certamen. In verbis *præsens*, & *adsit*, est acumen ex affinitate significationis vocis vtriusque. Itaque ait: Sicui est animus præsens, id est, virilis, & fortis: adsit, id est, audeat. In illis *euinctis attollat brachia palmis*, signat cæstus, de quibus postea, his enim manus vinciebantur. Statim proponit præmia duo, vnum victori, alterum victo; vtrunque exornat: iuuencum victoris ab auro, & vittis: galeam victi ab insigni, id est, à cristis: sic enim capio: nam galeæ insignes, cristatæ sunt. Ensi nullum dat elogium.

NOTÆ.

1. PVGNÆ] Pugna nomen est polysemum, atque adeo quamuis strictè sumptum distinguatur à cæstibus, vt etiam ait Hieron. Mercur. in Agonist. tamen hîc ad cæstuum significationem trahitur. non enim dubium, quin de cæstibus loquatur Poëta.

Pugna, polysemum.

2. VELATVM AVRO VITTISQVE] Allusum ad ornatum sacrificij. Tauri enim & auro ornati, & vittis producebantur ad sacrum. De quo more ad illud 9. Æn.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

Hîc tantùm obseruabis datum hoc pro munere: cui rei similis locus Liuij lib. 7. *Consul aduocata concione P.*

Taurus pro præmio.

Detij non cœptas solùm antè, sed cumulatas noua virtute laudes peragit. Et præter militaria alia dona, aurea corona eum & centum bobus, eximióque vno albo, optimo, auratis cornibus donat.

3. IVVENCVM] Facit donum militare. Liuius lib. 7. in historia Coruini, *Consul concione aduocata laudatum tribunum decem bobus, aureáque corona donat.* & lib. 26. post expugnatam Nouam Carthaginem: *Ante omnes* (Scipio) *C. Lælium, præfectum classis, & omni genere laudis sibimet ipse æquauit, & corona aurea, ac triginta bobus donauit.*

4. SOLATIA VICTO] Prudentiam Æneæ & versum hunc suprà iam dedi. Institit verò Poëta imitationi Homeri Iliad. 23. vbi in pugilatu non solùm victoris, sed victi quoque ratio habetur. Locus, & quia aliis dictus, mihi siletur. Illud non silendum, bis eandem rem in eo loco repeti nulla necessitate; semel Poëtæ, deinde Achillis ore.

a Nec mora: continuò vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnóque virûm se murmure tollit;
b Solus qui Paridem solitus contendere contra:
c Idémque ad tumulum, quo maximus accubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.

ARGVMENTVM.

Dat se Dares iactabundè ad pugnam & dupliciter commendatur.

EXPLICATIO.

a INdicatur alacritas in Darete ad pugnam, cùm ait, *nec mora.* & iactantia in illis, *vastis viribus*, cum allusione ad vastum & magnum corpus. Illud *tollit se magno murmure* est, explicatore Scaligero, effert se secundo murmure.

b Prima Daretis commendatio. Capiendus Poëta de iuuenili quapiam exercitatione, quæ habita inter Troianos ipsos, nam Dares non hostis fuit Paridis. Quæras, quæ hæc commendatio, cùm Paris imbellis sæpe describatur? Duo in Paride contraria: amor quo perditè amauit Helenam; virtus satis magna, qua sæpe afflixit Græcos. Neque alterum nocet alteri. Vtriusque rei exempla redundant in Iliade.

c Commendatio altera, qua Dares, in ludo funebri, qui habitus ad tumulum Hectoris, perculit Buten, qui aliorum victor, qui immani corpore, qui se superbissimè ferebat, (efferebat,) quòd ab Amyco Rege Bebryciorum optimo pugillatore, genus duceret: hunc (inquam) tot nominibus commendatum *perculit, & extendit in arena moribundum*, id est, *semimortuũ*. Nam illud Seruij interpretamentum, *moribundum*, id est, *morti similem*, rectè videtur oppugnasse Beroaldus in Annot. in Seruium.

NOTÆ.

1. NEC MORA: CONTINVÒ] Ducta hæc ad Homericum filum,

Ὣς ἔφατ'. ὤρνυτο δ' αὐτίκ' ἀνὴρ ἠΰστε, μέγαστε,
Εἰδὼς πυγμαχίης ὑιὸς Πανοπῆος Ἐπειός:

Sic dixit, prodijt autem statim vir amplúsque magnúsque
Sciens pugillaris pugnæ filius Panopei Epeus.

2. BVTEN] Alterius Butæ, qui filius Pandionis, Athenarum regis, (vnde ἐτεοβουτάδαι nomen familiæ illustris apud Athenienses) Stephanus meminit.

3. IMMANI CORPORE] Signat molem corporis Butæ, qui prope ad belluam accedebat: est hæc ratio idoneè excogitata à Poëtis ad augendam orationem. quin Liuius lib. 7. Gallum illum, quem T. Manlius interfecit, *belluam* vocat.

4. AMYCI] Fuit Amycus Rex Bebryciorum, Neptuni filius, & pugillatu insignis, hunc Pollux in lucta interfecit, & ideo Pollucem Ἀμυκοφόνον, *Amyci interfectorem* vocat Oppian. lib. 1. Cyneg. Amyci sæuitiem, aspectum, horrorem, arma potissimè describit Theocritus in Dioscuris, his versibus, lectori vel propter elegantiam obtrudendis. (Amyci genus.)

Ἔνθα δ' ἀνὴρ ὑπέροπλος ἐνήμενος ἐνδιάασκε
Δεινὸς ἰδεῖν, σκληραῖσι τεθλασμένος οὔατα πυγμαῖς.
Στήθεα δ' ἐσφαίρωτο πελώρια, καὶ πλατὺ νῶτον
Σαρκὶ σιδαρείῃ, σφυρήλατος οἷα κολοσσός.
Ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον
Ἕστασαν, ἠΰτε πέτροι ὀλοίτροχοι, οὕστε κυλίνδων
Χειμάρρους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις.
Αὐτὰρ ὑπὲρ νώτοιο, καὶ αὐχένος ᾐωρεῖτο
Ἄκρων δέρμα λέοντος ἀφημμένον ἐκ ποδεώνων.

Ibi vir immanis sedem habens sub dio manebat.
Sæuus aspectu, cui duris cæstibus aures erant fractæ,
Pectus eminebat rotundum instar globi, & latum dorsum,
Carne ferrea; quasi malleis fabricatus instar colossi.
Inualidis autem brachijs musculi sub summo humero
Extabant, velut scopuli rotundi, quos voluens
Torrens fluuius magnis circumpoliuit gurgitibus.
A dorso verò & collo pendebat
Pellis leonis, ab extremis suspensa pedibus.

Scribit autem Clemens lib. 1. Strom. hunc Amycum primum omnium lora pugilum, id est cæstus, excogitasse.

5. MORIBVNDVM EXTENDIT] Ita Theocrit. 23. εἰδ.

—αὐτὰρ ὁ πληγεὶς
Ὕπτιος ἐν φύλλοισι τεθαλόσιν ἐξετανύσθη:

—at ille sauciatus
Supinus in folijs virentibus extensus iacuit.

iterum,

—πᾶς δ' ἐπὶ γαῖαν
Κεῖτ' ἀλλοφρονέων:

—totus verò humi
Iacebat exanimis.

sermo est de Amyco interfecto à Polluce. Rectè verò ait Germ. Lucanum dixisse lib. 5. verbo *explico*, quod Virgilius verbo *extendo*, cùm scripsit: (Explico, pro extendo.)

—rudibus Pæan Pythona sagittis
Explicuit.

a Talis

[a] Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:
Ostendítque humeros latos, alternaq; iactat
Brachia, protendens, & verberat ictibus auras.
[b] Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibúsque inducere cæstus.
[c] Ergo alacris, cunctósque putans excedere pugna,
Æneæ stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum læua taurum cornu tenet, atque ita fatur:
[d] Nate Dea, si nemo audet se credere pugnæ.
Quæ finis standi? quò me decet vsque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddíque viro promissa iubebant.

ARGVMENTVM.

Eiusdem arrogantia describitur, militarísque ostentatio, & facto & verbis: Troiani fauent iactabundo.

EXPLICATIO.

[a] Notæ quatuor ferocientis & ostentabundi iuuenis, attollit caput, ostendit humeros, iactat & protendit brachia, auras verberat stolidè.

[b] Adeo cunctos terruerat ostentatio inanis. Mirum enim in tanto exercitu reperiri neminem, qui cum Darete depugnaret cæstibus.

[c] Ergo Dares non plus morarum traxit, dedit verò notas magnæ amentiæ. Fuit enim *alacris*, quasi parta victoria, putans se alios excedere: deinde *taurum manu tenet* arrogantissimè, quasi rem propriam. Sed huius stoliditatem satis signat Poëta verbo illo *putans*: innuit enim Daretis πεποίθησιν ex notione huius verbi, quam alibi aperui. Cùm ait *stetit ante pedes*, caue putes illum procubuisse. Non enim est hoc à verbi huius significato: neque hoc in Daretem caderet, qui tum arrogantissimus.

[d] Si nemo vult mecum pugnare, quo fine, ô Ænea, hîc stamus, tempúsque terimus? quid me tandiu suspensum tenes? Iube me ducere hoc præmium, quod iam manu teneo (læua videlicet tenebat taurum è cornu.) Inclinauit in Dareta Troianorum assensus, tanquam in victorem; ideo, *reddi*, quasi rem debitam.

NOTÆ.

1. TALIS] Tale quiddam Liuius lib. 7. & alij Romani scriptores, de duobus Gallis, qui suo quisque bello fortissimum quempiam Romanorum ad singulare certamen prouocarunt. Primum T. Mãlius Torquatus interfecit; alterum M. Valerius Coruinus. Tale etiam & Apollonius de Polluce pugnante cæstibus aduersus Amycum. de Amyco ipso aduersus Pollucem Theocritus, & de Epeo Homerus. 23. Il. ij enim omnes ad hunc fere modum, quo hic Dares, vires suas ostentarunt. Sed hanc ostentationem insaniam vocat Pindar. Od. 9. Olymp.

Τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν
Μανίαισιν ὑποκρέκει:
Gloriari intempestiuè
Insanijs consonat.

Posseтque Dareti obiici, quod statim idem vates,

Μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτα:
Né nunc talia stridas.

A quoniam videlicet habiturus es in certamine superatorem.

2. VERBERAT ICTIBVS AVRAS.] Sic Homer. Il. 13. ἠέρα τύψε: *aërem verberauit.* & Græci sæpe, ἀέρα δαίρειν: *aërem cædere, verberare.* Vnde & δῆρις, contentio, pugna. Ista German. Sed & credibile adumbratum à Poëta morem gladiatorum, qui ante pugnam in arena, ipsi priùs se exercebant, verberantes aërem. Hoc prælusorium certamen attingit, & explicat Plato lib. 8. leg. ab illis verbis, ἢ πύκται γε ὄντες, &c. Sed adhibeo tantùm Latina: *vel si pugiles essemus, nonne pluribus antè diebus pugnare didicissemus, omnia facientes, quibus in vero certamine, vbi ad victoriam contenditur, vti oporteat, quàm proximè ad id, quod simile est, accedentes.* Locum hunc

Verberare aërem.

Prælusoriũ certamen.

B tractat Nazianz. orat. 20. describens inane studium, qui, nihil cùm faciant, in ipso certamine, tamen gestibus corporis omnia administrant. Intérque alia, quæ multa adhibet, tum hoc, παίουσι τὸν ἀέρα: *feriunt aërem.* & orat. 21. de Athletis ἀπείροις, id est, *imperitis*, ita ait: οἳ τὸν ἀέρα πλείω παίοντες, ἢ τὰ σώματα, τῶν ἄθλων ἀποτυγχάνουσι: *aërem potiùs ferientes, quàm corpora frustrantur præmio.* & orat. 32. μικροῦ τὸν ἀέρα παίομεν: *propemodum aërem verberamus.* Inter exercitationes militum Vegetius lib. 2. cap. 11. *saltus quoque, & ictus facere pariter assuescant.* Eodem pertinet Græca parœmia, ἀέρος πληγή. Hanc exercitationem, hoc præludium, hanc inanẽ aëris verberationẽ, proprio verbo Seneca dixit *ventilare* ep. 117. *Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis,*

Ventilare quid.

C *ventilare. Remoue ista lusoria arma, decretorijs opus est.* Cũ quo Senecæ loco congruit locus Damascen. orat. de Transfig. ἐνθυμότερον πως πρὸς τοὺς ἀγῶνας σαλπίζονται, οὐκ ἀνθρώποις παραταττόμενοι, οὐδὲ ἀέρα δαίροντες: *Maioribus animis ad certamina se comparant, non aduersus homines aciẽ instruentes, non aërem verberantes.* Itaque is ventilat arma, is auras verberat, qui potiùs ludit, quàm pugnet. Ab hac re credo martyrem Tyrannus apud Prudent. hymno. 10. Peristeph. ventilatorem vocat,

Tu ventilator vrbis, & vulgi leuis
Procella, mentes inquietas nobiles.

Nam & gladiatores cùm se ad veros ictus comparabant, dicebantur ventilatores. Eò refero Plautum Epid. *Perij. Austrum perculi.* Quæ lectio Plauti firmari

Ventilatores de gladiatoribus.

D videtur hoc ipso, quod de frustranea auræ verberatione dicit Virgilius. Scio admitti quoque posse non ineptè, lectionem eam, *plaustrum perculi.* Redeo. Ad exprimendum idem inane studium confer illud eiusdem Bacchidib. *Perij, hirundo alas verberat.* quod dictum prouerbiali forma, vbi hirundo visco illita frustra alas commouet. Hoc idem de passere dixit Ioan. Chrysost. homil. de Pœnitent. qui semel laqueo comprehensus εἰκῆ, καὶ μάτην πτερύσσεται: *frustra, & incassum alas commouet.* Non abit illud Plauti eiusdem Curcul.

Hirundo alas verberat. adag.

Noli

Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum. Prudent. Psyc. alio verbo extulit:

Dum sese ostentat, clypeo dum territat auras.

Tale quid Pollux lib. 3. qui de athletis σκιαμαχεῖν, *cum vmbra pugnare.* Virg.

—frustra ferro diuerberat vmbras.

Est hoc planè, quod 3. G. de tauro, *ventósque lacessit.* Quod Catull. de Nupt. Pelei:

—nequicquam iactantem cornua ventis.

Cæstus qui sint. 3. CÆSTVS] Hîc de Cæstibus; nam hîc primo occurrunt. Sunt cæstus lora, quibus manus pugilum, & brachia, & præsertim extremæ partes brachiorum, quæ manui adiacent, innectebantur, vt si qui hoc tempore pugilatu decertare vellent, chirothecis manus munirent, quo & firmiorem ictum inferrent, neque manum læderent, & sine noxa sustinerent aduersarij petitionem. Cæstus ex eo vocatos opinatur Turn. quòd lora illa suta essent, quasi sit κεστὸς ἱμὰς, *sutile lorum*, vt Græci loquuntur, vnde & nomen etiam cingulo Veneris, quod sutile sit: hi diphthongum adimant necesse est. Alij à cædendo ducunt, & cæstus scribunt, non cestus, in his Aldus, & Gerardus. Crudos suprà vocauit Virgilius, sicut & Arnob. lib. 1. & 7. quòd fasciæ istæ bubulæ ex crudis coriis constarent. Cæstus significat Maro cùm dicit, (Vnde dicti.)

—& paribus palmas amborum innexuit armis.

& suprà,

——euinctis attollat brachia palmis.

iterum,

Duroq; intendere brachia tergo.

iterum,

Terga boum plumbo insuto, ferróque rigebant.

Extrema hæc indicant insutos innexósque fuisse cæstibus veluti clauiculos ex ferro, & plumbo, quo aduersarius caperet detrimentum maius. Similes cæstuum periphrases occurrunt in Theocrito εἰδ. 23.

Χεῖρας ἐπεσφίγξαντο μέσοις βοέοισιν ἱμᾶσιν:

Manus cingentem medijs bubulis loris.

iterum,

Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν σπείραισιν ἐκαρτύναντο βοείαις
Χεῖρας:

Illi igitur cùm spiris bubulis muniuissent
Manus.

Pollux lib. 3. χεῖρες ὡπλισμέναι, ὁπλίστιδες. Et Pind. Od. 6. Nem.

Χεῖρας ἱμάντι δεθεὶς,

Manus loro vinctus.

Et Plato 8. Legum de hac re loquens, ἱμάντας dixit, significans lora. Hæc ita latè debuerunt firmari propter pertinacem nonnullorum sententiam, qui in describendis cæstibus nescio quas fingūt clauas, aut plumbeas massas, vt, cùm ait Gerardus in Plutum Aristophaniam: *Cæstus dictus est à cædendo. erat autem lorum à crudo corio confectum, cui massa plumbea insita erat.* Apertè errat, vt & alij, quos non nomino. Nam cæstus tantùm erant, quos iam explicui initio huius notæ. Qui istud de ferrea claua, decepti fortasse sunt loco isto Eustathij Homerici interpretis. οἱ τῶν πυγμάτων ἱμάντες οἱ βόειοι περὶ τὰς χεῖρας, αὐτοῖς εἰλοῦντο συνεργαζόμενοί τι ταῖς πληγαῖς, καὶ τοὺς δακτύλους δὲ συνέχοντες, καὶ ὡσεί τινα κορύνην σφαιροῦντες γεῤῥῶς: *Pugilum lora bubula manibus ipsis inuoluebantur, plagas multùm adiuuantia, digitos autem simul continebant, & quasi clauam quandam rotunda forma durè faciebant.* Hoc (inquam) loco decepti sunt, non enim cæstus erant clauæ. neque hoc dicit Eustathius, sed, ὡσεί τινα κορύνην, *quasi clauam quandam.* Tantùm enim erant coria ista assuta clauis ferreis, aut plumbeis: quod apertè Virgilius:

——ingentia septem
Terga boum plumbo insuto, ferróque rigebant.

A & Papinius lib. 6.

——nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum.

Deinde illud quod postea habetur in hoc libro,

——Troianos exsue cæstus.

& verba Valerij 4. Arg.

——quos potes indue cæstus,

omnino notant chirothecam, non clauam ferream. Plato etiam 8. legum, loquens de cæstibus σφαίρας nominat, à quo fortasse Eustathius dixit in adductis verbis σφαιροῦντες. qui velit scire exactè (nam res ista oculorum est) formam cæstuum, adeat typum illorum, quos in sua Gymnastica fecit excudi vir doctus Hieronymus Mercurialis. Vbi videbit tantùm bubulas chirotechas manui & parti primæ brachiorum circumdatas, illásque clauis ferreis munitas. Absolui rem, tria tantùm moneo. Primum, hanc cæstuum pugnam ad pugilatum strictè sumptum referri à Lazio lib. 10. comment. cap. 13. Nam tametsi latè & generatim dicantur pugiles pugno pugnantes, tamen strictè capiendi illi, qui depugnant cæstibus, dicente Tullio. 2. Tuscul. *Pugiles cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem.* Alterum, me vertisse verba illa Eustathij, συνεργαζόμενοί τι ταῖς πληγαῖς, *plagas multùm adiuuantia.* non vt alij, qui ita, *plagas nonnihil adiuuantia.* Nihil enim est certius, quàm illud fuisse maximum munimen manibus. Itaque, τὶ, Eustathij, accipio ad eum modum, quo 8. Eclog. explicui verba, *nescio, quid certè est.* Tertium, hos cæstus interdum excurrisse per brachia, quod colligas ex adductis versibus Virgilij, in quibus meminit brachiorum, ex Propertio lib. 3. Eleg. 14. (B; Cæstus pertinent ad pugilatum.)

C

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.

Versus iste Propertij mihi aliud in memoriam reuocat, quod te moneo. Præcedit versum hunc iste,

Et patitur duro vulnera pancratio. & statim. *Nunc ligat*, &c. Vides vt discriminet inter pancratium, & cæstus. Seneca quoque lib. 5. de Ben. cap. 3 *Lacedæmonij vetant suos pancratio, aut cæstu decernere.* Quod ergo discrimen? Pancratiastes (ait Lips.) nudis manibus pugnísque nexus miscet, pedibus ac toto corpore rem gerit, vnde nomen habuit. Vtique πάμμαχος. Cæstus verò manus armat chirothecis illis, quas iam latè aperui.

4. ALACRIS] Pari forma Terent. Enn. *quid tu es tristis? quidve es alacris?* & Ennius: *acris somnus.* & Cicero, *Locus celebris.* atque etiam, *annus salubris.* Itaque eleganter cum nomine mare, efferes terminationem in (is,) non solum in (er.) (D)

5. TAVRVM CORNV TENET] Pari fermè arrogantia Epeus apud Homer. Il. 23.

Ἅψατο δ' ἡμιόνου ταλαεργοῦ φώνησέν τε·
Ἆσσον ἴτω ὅστις δέπας οἴσεται ἀμφικύπελλον,
Ἡμίονον δ' οὔ φημι τιν' ἀξέμεν ἄλλον Ἀχαιῶν:

Attigit autem mulam operosam, dixítque:
Prope veniat quicunque poculum feret rotundum,
Mulam autem non puto aliquem abducturum Achiuorum.

6. QVÆ FINIS] Fœmineo genere enuntiat, vt Lucretius lib. 1. & Horatius bis terve.

E 7. IVBEBANT] Vox notanda. Nam quî iubebant? quî imperabant Æneæ? Ergo hæc vox traducta ab militaribus exhortationibus: milites enim dicuntur iubere, cùm animos faciunt plausu, fauore, fremitu. Hinc itaque arrepta Vati, & aliis. Quibus *iubere* est suadere. Sic 3. Æn. (Iubeo, verbum militare.)

Sed votis precibúsque iubent exposcere pacem.

Et in fine huius libri, *ignorare iubes.* Inde illud tritum, *iubeo te flere*, id est, volo vt fleas. & illud Comicorum: *iubeo te saluere*, id est, volo vt salueas.

Hic

Hîc grauis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus vt viridante toro consederat herbæ,
Entelle heroum quondam fortissime frustra,
TANTANE tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? VBI nunc nobis Deus ille magister
Nequicquam memoratus Eryx? vbi fama per omnem
Trinacriam? & spolia illa tuis pendentia tectis?

ARGVMENTVM.

Acestes senem Entellum corripit, ferentem inanes glorias iuuenis ostentabundi.

EXPLICATIO.

POtuit Acestes Entellum reprehendere faciliùs, quàm alij, vt qui princeps Siciliæ: dedit verò occasionem arrogantia Daretis, ac præterea erat Acestes Entello proximus. Obiurgationis quadruplex est ratio, præterita Entelli virtus, spectatus magister, præsens fama, spolia hostilia. Ergo ait Acestes: Cur fers Entelle tibi pretium tantum, & gloriam eripi, qui olim fortissimus Heroum? cui Eryx magister in pugilatu? cuius fama sparsa per totam Siciliam? cuius è tectis pendent spolia? Ista omnia frustranea sunt, & à te nequicquam magnis laudibus memorata, nisi surgis, nisi vincis.

NOTÆ.

Castigo, quid.

1. DICTIS CASTIGAT] Admonet Henriq. Stephanus in lib. quem Nizolio-Didascalum appellat, idcirco additum à Poëta *dictis*, pro increpare, & obiurgare, nam alioquin, ait, *castigo* simpliciter dictum referendum esset ad verbera. Obiter moneo, dignum esse librum illum Henrici Steph. qui legatur, tametsi non tam acriter castigandus sit Nizolius. Annecte verò *grauis dictis*. itaque grauitas referenda ad obiurgationem, non ad auctoritatem Acestæ.

Iudices ludorum, quo loci siti.

2. TORO CONSEDERAT HERBÆ] Quare *toro herbæ*? Lux ab Iulio Scaligero lib.1. Poëtic. cap.21. Ne iudicibus ludorum affluente turba, obiectu corporum conspectus adimeretur, aggestis cespitibus editiorem locum sibi puluillis auctis faciebant, & eam ob causam medius locus depressior fuit, ac propterea cauea dictus. Addo, verba Virgilij signatissima esse ad tori etymon indicandum. Torus enim dictus est, quòd fieret primùm ex torta herba, ideo ait *toro herbæ*. Propertius quoque lib.3. eleg.13.

Tori etymon.

Altaque natiuo creuerat herba toro.

Toralia.

Inde stragula, quæ sternebantur supra torum, dicebantur *toralia*. Vide quæ de hac re latè Ciaconius de Triclin. Rom. & commentatores in Horat. ad illud lib.1. epist. *Ne turpe toral*, atque item 2. Serm. ad illud, *illota toralia*. sed & etymon ipsum alij indicant. Plin. lib. 8. cap. 48. *Antiquis enim torus è stramento erat.* Tib. lib. 2. eleg. 5.

At sibi quisque dapes, & festas extruet altè
Cespitibus mensas, cespitibúsque torum.

Apul. lib. 5. *Psyche teneris, & herbosis locis in ipso toro graminis suaue recubans.* Vides, vt vnà cum toro coniungebantur stramenta, cespites, loca herbosa graminis.

3. ENTELLE] Lubitum transcribere Turnebi verba lib.26. cap.17. *Entellus ille, qui cum Darete ad pugilatum*

A *committitur, Entellæ, Siciliæ vrbi, vocabulum indidit. Ita siquis antiquos peruolitet scriptores, nullum fere in Marone reperiet nomen, non ex antiqua depromptum historia. Sed cùm illa antiquitatis monumenta non ita essent obliuione ex hominum memoria deleta, vt hodie, fiebat vt Maronis poëma magna eruditione præditum, gloria floreret, & laude ferretur ingenti: nunc nobis illa doctrinæ vestigia non comparent, ita & ingenio & laudi Poëtæ minùs fauemus, quo minùs intelligimus quod in eo sit prædicandum.* Nón omittenda hæc fuerunt, quæ luculenta in laudem Virgilij; & quæ nostris commentariis excusationem afferant, si aliquando penuria obliteratæ iam antiquitatis, minùs Poëtam illustramus. In Plinij certè l.3. c. 8. *Entellinos* legas, vbi populos Siciliæ percurrit.

Entella vrbs Siciliæ.

Virgilius defenditur.

B 4. FRVSTRA] Hæc vox ita componenda, *frustra quondam fortissime.* non, vt volunt Seruius, & Donatus. à me est Nascimbænus. itaque ait: frustra olim fuisti fortissimus, si nunc sinis patienter tam præclara dona duci à Darete absque vlla pugna. Nec dissimilis sententia Homeri lib.7. Il.

Ὤ μοι ἀπειλητῆρες Ἀχαΐδες, οὐκέτ᾽ Ἀχαιοί:
Hei mihi minaces Achiuæ, neque ampliùs Achiui.

Quo sensu Maro in 9. *ô verè Phrygiæ, neque enim Phryges.* Demum hæc explicatio sequentibus firmatur; nam vt hic *frustra fortissimus*; ita statim,

Nequicquam memoratus Eryx.

Parelcon.

5. NOBIS] Hoc παρέλκον, & similia frequentissima Græcis, & Latinis. Oppian. 1. Cyneg.

C Τοὔνεκά μοι δέμας ὧδε κεραοσάμενοι φοιτώντων:
Itaque, mihi corpore ita temperato proficiscantur.

Horat. epist. 3. lib. 1.

Quid mihi Celsus agit.

sed vtriusque linguæ quæ non redundant exempla?

Eryx Rex Siciliæ.

6. ERYX] Fuit hic Rex Siciliæ, egregius cæstuum decertator, vt qui à parentibus veluti iure quodam hæreditario eam artem traxisset. Amycus enim Rex Bebryciorum, & qui primus cæstibus pugnauit, Buten genuit, Butes Erycem. Ab Eryce artem pugilicam didicerat Entellus. Ait ergo: frustra gloriaris de magistro. Vocat hunc *Deum* more vsitato ethnicorum: magnos enim viros ita appellabant. Possis ad Erycis apotheosin referre.

Spolia in domibus.

7. SPOLIA PENDENTIA TECTIS] Dictum hoc ex Romano more, & superbiæ. Sen. lib. 1. Controu.

D *Hic impetus, hic ardor animi domum tuam trinis hostium spolijs adornauit.* Plin. lib. 35. cap. 2. *Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spolijs, quæ nec emptori refigere liceret: triumphabántque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Porro in Plinio alij legunt *refringere* non *refigere*: ad rem nihil. Ex Græco item. Homer. lib. 13. Iliad.

Τὸν δ᾽ αὖ Μηριόνης πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα,
Καί τοι ἐμοὶ παρά τε κλισίῃ καὶ νηῒ μελαίνῃ
Πολλ᾽ ἔναρα Τρώων.
Hunc autem rursus Meriones prudēs contrà allocutus est:
Et mihi apud tentorium, & nauem nigram sunt
Multa spolia Troianorum.

[a] Ille sub hæc. Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigéntque effœtæ in corpore vires.
[b] Si mihi, quæ quondam fuerat, quaq; improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa iuuenta;
[c] Haud equidem pretio inductus pulchróque iuuenco,
Venissem: nec dona moror: sic deinde loquutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit: quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duróque intendere brachia tergo.
[d] Obstupuêre animi. tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto, ferróque rigebant.
[e] Ante omnes stupet ipse Dares, longéque recusat.
Magnanimúsque Anchisiades & pondus & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.

ARGVMENTVM.

Excusat se ab senecta Entellus, optat iuuentutem, & annos feruidos: surgit proijcítque in medium cæstus, quos gerebat ipse, quibúsque olim vsus Eryx: stupent omnnes ad pondus immane.

EXPLICATIO.

[a] Ait, non abesse stimulos laudis, & gloriæ: sed præ senectute consumptas vires. Tractum *hebet* à gladiis vsu hebetibus: *effœtæ* ab animantibus multo partu delassatis.

[b] Affectus optantis primam iuuentutem, augetur B mirè repetitione illa *si, si*. Obiter carpit Daretem, nam *improbus*, nam *exsultabundus*, nam *fidens*. Improbitas notat pertinaciam illam in petendo,

Quæ finis standi? quò me decet vsque teneri?

Exsultantia, versus illos, *ostendítque humeros*, &c. Confidentia, verba illa, *si nemo audet se credere pugnæ*. Et in omnibus simul notatur Daretis ἀδολεσχία, καὶ ἄνθρωπος ἀνακυφιζόμενος. æquè enim & garrientem, & superbientem vides.

[c] Sed laude, sed gloria, qui longè meliores stimuli. Cùm ait, *inductus pretio, iuuencóque*, est alterum explicatio alterius, id est, inductus pretio iuuenci. Tale quiddam in Lucretio iam obseruauit Gifanius. Sequitur, *nec dona moror*. Nihil pendo, nihili æstimo. Hęc loquutio frequentissima est Terentio, & Plauto. Hæc cùm dixisset Entellus, proiecit in medium cæstus vtriusque manus, nam hoc est *Geminos*: cæstus videlicet, quos Eryx manibus & brachiis aptabat ad pugnam.

[d] Hic ipse stupor indicat magnitudinem cæstuum. Est verò triplex ratio stuporis. Prima, confecti erant, & consuti cæstus ex septem tergoribus boum, vt septemplices posses vocare: secunda, non septem tantùm tergora impensa erant, sed ea ingentia, & magna; ita vt tantá pene, quanta sunt tergora, absumpta essent: tertia, insutum erat his cæstibus ferrum, & plumbum, vnde illis rigor. Ait ergo: Obstupuere animi visis septem tergoribus tantorum boum, & his ingentibus, & quibus magnus rigor ab assuto ferro, ac plumbo. Itaque non satis duxit dicere, *septem terga*, sed addidit, *tantorum*, ad maiorem stuporem. Neque abiret à vero; qui putaret latere in Poëta Epiphonema, cui conficiendo seruit particula, tantus, a,
A m. Ac si diceret. Tanti boues impensi erant in eam fabricam? vt illud,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Sed multis rem leuem, ne cui imponat auctoritas Seruij, qui explicat *obstupuêre animi tantorum*. Nec desunt, qui illi faueant. Potius est vt dicat Poëta, *tantorum boum*, non *animi tantorum*, à me sunt meliores interpretes, & omnium maximus Germanus.

[e] Ideo *ante omnes*, quia propior periculo. Est *longè* idem quod, valdè, interpretibus Seruio, & Nonio. Sed verò Æneas *magnanimus*, qui aliis præ metu stupentibus, ipse solus versaret facilè immanem illam fabricam cæstuum. Et obiter illius vires commendantur, qui facilè huc illuc commoueret immane pondus.

NOTÆ.

1. Svb] Hîc notat tempus, vt in Cicer. in epist. *cùm recitasset litteras Lepidi, sub eas statim recitatæ sunt tuæ*. Sed de hoc iam alij. qui & exempla contulerunt. Sub, de tempore.

2. Sed enim gelidvs, &c.] Virgilium cum Homero, & Liuio comparo. Græcus Poëta lib. 11. Iliad. sub persona Nestoris.

—οὐ γὰρ ἐμὴ ἴς
Ἔσθ' οἵη πάρος ἔσκεν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσιν.
Εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη,
Ὡς ὁπότε, &c.
C —*non enim mea vis*
Est, qualis antea fuit in agilibus membris.
Vtinam sic ætate florerem, robur verò mihi firmum esset,
Sicut quando, &c.

Iterum Nestor idem Il. 23.

Οὐ γὰρ ἔτ' ἔμπεδα γυῖα, φίλος, πόδες, οὐδέ τε χεῖρες
Ὤμων ἀμφοτέρωθεν ἐπαΐσσονται ἐλαφραί:
Non enim ampliùs firma membra, ô chare, pedes, neque manus
Ab humeris vtrinque mouentur agiles.

Romanus scriptor sub persona P. Licinij Calui. lib. 5. *Me iam non eundem, sed vmbram noménque P. Licinij relictum videtis. Vires corporis affectæ, sensus oculorum, atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus.* Hærebam, an legendum in Liuio, *vires corporis effœtæ*, cùm videatur respicere ad hunc locum Virgilij. Sed nihil muto, cùm idem Liuius lib. 9. de Herennio Samnite: *In corpore affecto vigebat vis animi, consiliúque.*

3. Tar

3. Tardante senecta] Legendus Aristoteles A lib.2.Rhetor.vbi ait frigere sanguinem in senibus, & gignere spiritus tardiores. Ad totum etiam hunc Virgilij locum pertinet hic Plutarchi lib.3.sympos.quæst. 3.vbi adducit etymon γερόντων. *Porro senibus deesse suum proprium humorem, principio ipsum Græcum eorum nomen videtur indicare. Gerontes enim dicti sunt, οὐ γὰρ ὡς ῥέοντες εἰς γῆν, ἀλλ' ὡς γεώδεις, non tanquam fluentes ad terram, sed quòd verè terrei.* Ab hoc defectu sanguinis Propertius, & Catullus illustrantur. Prior lib.4.eleg.1.

Cùm pater in nati tremulus ceruice pependit:

Posterior, in Hymen. Iuliæ,

Tremulus parens.

Hic enim tremor est ab gelato sanguine in senibus. Apud Liuium æmulatores Camilli iactant illius consilia iam frigere, vt in sene, nec esse iam bellatorem, sed cunctatorem. Sed de hac re iam ego. 2. G. ad illud,

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

4. Frigentque effoetæ in corpore vires] Est hoc fermè, quod Attius Teucro apud Non. *Quamquam annisq; & ætate hoc corpus putret.* Et in Erigona, *Quamquam exangue est corpus mihi, atque annis putret.*

5. Si mihi, quæ quondam, &c.] Similem locum tractarunt multi. Apud Homer. Il.23. ita loquitur Nestor,

Εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη,
Ὡς ὁπότε κρείοντ' Ἀμαρυγκέα θάπτον Ἐπειοί:
Vtinam ita pubescerem, robúrque mihi firmum esset,
Vt cùm Regem Amaryngea sepelierunt Epei.

Præcidi multa, quæ satis verbosè iactantur ab hoc sene. Locum alterum eiusdem Nestoris iam indicaui. Virgilij quoque locum sic tractat Valer. Flaccus lib.1.

—ô si mihi sanguis
Quantus erat, cùm signifero cratere Nisantem
Non leuiore tholum manus hæc compescuit auro.

Iterum Peliam sic infert loquentem cum Iasone,

Si mihi quæ quondam vires, vel pendere pœnas
Colchida iam, & Regis caput hîc, atque arma videres.

Nec dissimilis est locus in 8. Æn. vbi Euander ait, non se passurum, vti Pallas filius mitteretur ad bellum, si sibi pristinæ vires essent. Ad hanc rem pertinent fortasse verba Dionis lib.5. vbi sermo est de detrectantibus militiam, *eorum, qui nondum annos triginta quinque expleuissent, quintum quemque; seniorum verò, decimumquemque sorte duxit, quibus bona ademit, & deinde* B *affecit dedecore.* vides disparem pœnam, & quintumquenque iuniorum allectum ad illam, cùm decimus quisque tantùm seniorum: nam videlicet illi exultare quodam modo debebant ad bella, & ideo in maiore noxa. Attigit Seneca in Oedip. locum, quem tracto, vbi Tiresias,

—si foret viridis mihi,
Calidúsque sanguis.

6. In medium geminos] Hæc & multa alia apparent facta ad imitationem Apollonij lib. 2. Argon.

7. Brachia] Monet Iul. Scalig. lib.1. Poet.cap.22. cæstus initio breuiores fuisse: mox ne excuterentur ictibus, maiores fieri cœptos, ita vt non solùm manum occuparent, sed cubitum, brachia, humeros. C Inde & Propertius in cæstibus, brachiorum quoque meminit:

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris.

[a] Tum senior tales referebat pectore voces:
[b] Quid? si quis cæstus, ipsius & Herculis arma
Vidisset, tristemq; hoc ipso in littore pugnam?
[c] Hæc Germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
[d] Sanguine cernis adhuc, sparsoq; infecta cerebro.
[e] His magnum Alcidem contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula nec dum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
[f] Sed si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes:
ÆQVEMVS pugnas, Erycis tibi terga remitto:
Solue metus: & tu Troianos exsue cæstus:
[g] Hæc fatus duplicem ex humeris reiecit amictum:
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosq;
Exuit, atque ingens media consistit arena.
[h] Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.

ARGVMENTVM.

Laudat Entellus cæstus à possessore Eryce, facta comparatione cum Hercule, etiam si ab hoc victus Eryx: infert alia, quæ ad rem. Æneas vtrique pugili dat cæstus pares.

EXPLICATIO.

a Ne cape vulgariter *referebat*, pro, dicebat, sed pro respondebat. Respondemus enim ple- D runque quasi relato & repetito sermone alterius. Quæ hîc Seruius latè de voce *senior*, non ducimus necessaria. Germanum lege.

b Obstupescitis cæstus Erycis? quid si cerneretis Herculeos, quibus ipse Eryx interfectus? Sic dictum hîc *arma, & cæstus*, vt suprà *pretio, pulchróque iuuenco*, hac sententia: Cæstus, nam hæc erant arma Herculis. Vide Seruium. Illud *tristémque hoc ipso in littore pugnam*, pendet ex historia. Hercules ex Hispania in Italiam venit cum magna præda boum. Taurus vnus ex Rhegio in Siciliam transnauit, Eryx interceptum suo

armento immiscuit, sciuit Hercules, concessit eò, pugnauit cum Eryce, & rer repetito certamine, in extremo interfecit Erycem. Lege Diodorum lib. 4.

c Recurre ad illud huius libri, *nec littora longè Fida reor fraterna Erycis*.

d Me etiam tacente, cæstus ipsi infecti sanguine indicabunt crudelitatem gesti certaminis inter Herculem, atque Erycem. Donatus. Sed cuius hic sanguis? cuius cerebri narratur sparsio? Non Herculis, quippe victoris: sed victi, qui se tegendo cæstus infecerat. Seruius. Si quis autem velit mentionem fieri aliorum, quos Eryx ipse interfecerat, non pugnem.

e Laus cæstuum, laus Entelli. Cæstuum, quia in illis satis spei habuit Eryx, posse se pugnare contra Herculem; neque impedit victum fuisse in certamine. Entelli, quia adhuc iuuenis vtebatur cæstibus, quibus vit Eryx. Est *senecta æmula*, explicante Seruio, *aduersa virtuti*. quasi dicat, senectutem esse aduersam & inimicam viribus pristinis.

f Sententia rota clara est, sed notulæ necessariæ, quæ pro expensione. *Dares Troius* cum oppositione ad se, quia Entellus ipse Siculus. Ideo *recusat*, quia viderat Daretem obstupentem ante alios. De Ænea *pio*, quia verè pius, qui noluit Troianum adolescentem conii cere in apertum vitæ discrimen. Ideo Acestes *auctor*, quia ille excitator hortatórque Entello ad eam pugnam. *Remitto terga Erycis*, est, cedo ac renuncio cæstibus Erycis, quos habeo: pugnam, ne time, æquabimus, tu exsue cæstus Troianos, vt ego Siculos.

g Vt suprà Dares illis versibus, *ostendítque humeros latos*, &c. ostentabundus exsiluit; sic nunc Entellus reiecto amictu (quare hunc vocet *duplicem* dicam in notis) ostentat artus, membra, ossa, lacertos, magna omnia, & ideo ipse ingens.

h Allusum in his ad leges certaminum singularium; nostri satis barbarè *duellos* vocant. In his paria omnia à iudicibus distribuuntur, etiam sol ipse, & solis lux. Nota acumen in verbis, quem *satum*, eundem *patrem* vocat.

NOTÆ.

Canicies senum.

1. TEMPORIBVS] In his apparet statim indicium senectutis. Aristoteles de Generat. Animal. lib. 5. cap. 4. τὰς δὲ κροτάφους πολιοῦνται πρώτον: *tempora primo canescunt*. Hac maximè nota cogniti, & describi senes. Sophocles in Antigon.

——ἐξ ὅτου λευκὴν ἐγὼ
Τήνδ' ἐκ μελαίνης ἀμφιβάλλομαι τρίχα:
—ex quo albos ego
Hos ex nigro induor capillos.

& Propert. lib. 3. eleg. 5.

Atque vbi iam Venerem grauis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas.

2. REMITTO] Vt explicui, explicat Germanus, vt & Martialem lib. 9.

Loricam, clypeúmque tibi, galeámque remitto,
Tutus vt inuadat prælia, nudus eat.

& Horatium,

Atride magis apta tibi tua dono remitto.

3. DVPLICEM] Capi potest locus dupliciter, vel de veste, quam sibi ademit, vt nudus esset ad gymnasticam exercitationem, quæ tamen vestis duplex ex more, quo heroës illi veterum semper duplicibus induuntur. Sic in Homero Odyss. 19. inuenies chlænam διπλῆν, & vestem δίπλακα. & in Euripide de indumento διπλοῦς. & in Plutarcho in Amatorio διβολίαν. omnia à duplicitate. Hæc testimonia vberiùs

Heroës duplicibus induebantur.

A Germanus exhibet. Vel capi potest signare de cæstibus, qui ita magni, vt humerorum renus induerentur, ex more, quem iam aperui, & firmaui Propertij loco. quos vocat duplices, quasi assutos ex corio duplici ad firmitatem. Neque impedit suprà dici *septem terga*. Nam hoc dictum ad αὔξησιν nemo negabit. Itaque in vtraque voce hyperbole esse apparet. Nam neque *terga*, neque *septem*. Quomodo enim ita aptari ad manus possent istæ chirothecæ? Ex duplici hoc interpretamento, ego primo hæreo.

4. REIECIT AMICTVM] Satis explicatur à Poëta modus, & promptitudo, qua se pugiles nudant aptántque ad pugnam. Hunc modum ita adhibitum inuenies in Lysistrata Aristophanis:

B
Καὶ μὴν ὁρῶ, καὶ τούσδε τοὺς αὐτόχθονας,
Ὥσπερ παλαιστὰς ἄνδρας ἀπὸ τῶν γαστέρων
Θοἰμάτι' ἀποστέλλοντας, ὥστε φαίνεται
Ἀσκητικὸν τὸ χρῆμα τοῦ νοσήματος:
At verò & istos intueor Aborigenes,
Quinquertionum more de finibus suas
Retrahere vestes, prorsus hoc morbi genus
Videtur esse exercitamenti vicem.

5. MAGNOS MEMBRORVM ARTVS] Discrimen inter artus, & membra notum, & iam alij. Omitto. Hîc tu nota describi à Poëta habitum pugilum, qui, vt & in genere omnes Quinquertiones, erant magno, & lato corpore. & hæc, vnica illorum nota, vt ex multis obseruaui. Hîc enim Entello dat Poëta *magnos membrorum artus, magna ossa, lacertósque*. & suprà Dares,

Athletæ magno corpore.

C
Ostendit humeros latos.

Quid alij? Hippocrates aphorismo 3. lib. 1. dat athletis εὐεξίαν ἐπ' ἄκρον: *plenam corporis habitudinem*. Plutarchus de sanitate tuenda loquens cum respectu ad παλαιστικὴν ἰσχὺν, *virtutem athleticam*, ait σαρκώδη, καὶ πυκνὴν, *carnosam, & densatam*. Aristophanes in Vespis in sermone de quodam quinquertione, πλευρὰν βαρυτάτην: *latus amplissimum*. Huc pertinent verba eiusdem in Lysistrata,

Ὡς δ' εὐχροεῖς, ὡς δὲ σφριγᾷ τὸ σῶμά σου.
Κἂν ταῦρον ἄγχοις.
Vt corpus habitum pollet, vt nitet cutis.
Vel taurum strangules.

D
Quæ verba explicat Christianus Florens dicta cum respectu ad Milonem athletam; qui tauros strangulabat, & vorabat. quasi athletis conueniant εὐχροεῖν, καὶ σφριγᾶν, id est, explicatore Bisetto, εὐσωματεῖν, καὶ καλὴν δὴ τοῦ χροιὰν ἔχειν. Philostratus lib. 6. vitæ Apollonij cap. 14. cùm dicat de quopiam habuisse corpus robustum, addit, ὡς τοῖς ἀσκοῦσι τὸ σῶμα, *sicuti his, qui exercent corpus*. Aristides in elogio de vrbe Roma, ait conuenire ad ludos publicos & coronaria certamina, τοὺς ἄριστα πεφυκότας, καὶ τοῖς σώμασι πρέχοντας: *bene habitos, & præstantes corporibus*. Talem certatorem describit Philo in opere ὅτι πᾶς σπουδ. ἐλεύθ. his verbis: ὑπὸ πυκνότητος σαρκῶν πεπιλημένον, στρυφνὸν, ναστὸν, ὄντως γέμοντα πνεύματος ἀθλητικοῦ, δι' ὅλου νευρωμένον, οἷα πέτρον, καὶ σίδηρον, &c. *Carnosum, neruosum, musculosum, refertúmque spiritu verè athletico, tanquam saxum, ferrúmve*. Vide quæ in Iconibus Philostratus Iunior attribuit Meleagro Venatori; illa enim omnia in Athletas quadrant. Sicuti & verba Cedreni de Magno Constantino, εὐρύτερος τοὺς ὤμους, καὶ παχὺς τὸν αὐχένα: *latus humeris, ceruice crassus*. ac propterea ait dictũ τραχηλᾶν, quasi ceruicosũ. & verba Sen. ep. 80. qui hærens sermoni pugilũ, vt adeunti apparebit, ait: *quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos humerósq; miramur*. Hippocrat. in Aphor. attribuit γυμναστικοῖσιν εὐεξίας.

E

Et

Et in lib. de Prisca Medicina ait, Gymnastas maximè A incumbere reficiendis viribus corporis, vt videlicet quisque se ipso quotidie euadat robustior, καὶ ἰσχυρότερος ἑωυτοῦ ἔσαι. Inde prouerbij loco vsurpata eidem Hippocrati, & Galeno forma hæc, διάθεσις ἀθλητική, pro pingui quadam habitudine corporis: Hippocrati quidem in lib. de Alimento, Galeno autem ἐν τῷ προτρεπτικῷ λόγῳ πρὸς τὰς τέχνας. & lib. περὶ εὐεξίας. & aliis locis. Pollux lib. 3. inter verba athletica ponit ἀναγκοφαγῆσαι. Sed signatissimus est locus Valerij Flacci lib. 4. de Amyco Bebryciorum, qui pugilatu cæstuum præstabat.

Ingentes humeros, spaciosáque pectoris ossa
Protulit, horrendósque toris informibus artus.

Sed vide qua ambitione Vlyssem suum Homerus proferat lib. 18. Odyss.

—φαῖνε δὲ μηροὺς
Καλούς τε, μεγάλους τε· φάνεν δέ οἱ εὐρέες ὦμοι,
Στήθεά τε, στιβαροί τε βραχίονες·

—ostendit autem crura
Pulchráque magnáque; apparuerunt autem & lati humeri,
Pectoráque, fortiáque brachia.

6. MAGNA OSSA LACERTOSQVE] Laudo Hieronymum Colúnam, qui probè hunc locum. Instituit Virgilius Ennio lib. 17. Annal. qui sic,

—magna ossa lacertique
Apparent homini.

Vt enim Ennius rem extulit versu hypermetro ad indicandam vastitatem ossium: ita & Virgilius.

[a] Constitit in digitos extemplo arrectus vterque,
Brachiáque ad superas interritus extulit auras.
Abduxêre retro longè capita ardua ab ictu,
Immiscentq; manus manibus, pugnámque lacessunt.
[b] Ille pedum melior motu, fretusq; iuuenta;
Hic membris, & mole valens: sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
[c] Multa viri nequicquam inter se vulnera iactant.
[d] Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus: errátque aures, & tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub vulnere malæ.
[e] Stat grauis Entellus, nisuq; immotus eodem,
Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit.
[f] Ille, VELVT celsam oppugnat qui molibus vrbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis:
NVNC HOS, nunc illos aditus, omnémque pererrat
Arte locum, & variis assultibus irritus vrget.

ARGVMENTVM.

Describitur pugnæ initium, & progressus, virtus vtriusque pugilis, & pugnandi ratio: adhibentur comparationes.

EXPLICATIO.

a ITa describit initium pugnæ, & primum illum ardorem, vt te quoque post tam longa sæcula faciat timere. Ipse certè videor vtrunque pugilem videre non absque horrore arrectum in digitos, & attollentem brachia. Et obserua quiddam non vulgare ex affinitate multarum vocum, quæ pertinent ad partes hominis. Vides enim digitos, brachia, capita, manus. Quasi his vocibus velit indicare, vti pugiles totum corpus compararent ad certamen.

b Præstabat Dares ætate, Entellus virtute membrorum, nisi esset tardior senectute, inde infirmior vis in genibus, crebrior in pectore anhelitus, quo tam vasta moles quatiebatur.

c Poëticè admodum *iactare vulnera inter se.* pro, vicissim pugnis, & ictibus cædere. Et *nequicquam*, quia non semper pugilibus ictus contingit ex voto, imo præter votum frequentius.

d Viuida descriptio pugnæ. Per *cauum latus* capio partes illas, quæ ad costas. Ergo duplicem caussam constituit, quam duplex effectus consequitur. Desti- B nantur enim ictus in latus, ideo dantur sonitus è pectore: destinantur ad tempora & circum aures, ideo malæ crepitant. Seruius *vulnere* accipit pro ictibus.

e Adhibetur ratio pugnandi vtriusque. Entellus præ grauitate sua erat immotus eodem in nisu ac parua corporis declinatione (sic capiendus Poëta) & præsertim oculis vigilantissimis ictus cauebat.

f. Vt Entellum senem in eodem statu, atque immobilem fixit: ita Daretem iuuenem hac illac pererrantem, locum omnem circumeuntem: quin rem comparatione illustrat imperatoris vrbem aliquam obsidentis, & tentandis aditus ad illam omnes. Tu in Virgilio quiddam obserues non vulgare. Vtrique pugili comparationem dat, qua explicet rationem pugnandi vtriusque. Hoc interest discriminis, quòd Daretis comparatio clara, Entelli obscura; sed eam C sumi ab homine gladiatore, satis indicat verbum *exit*, *vigilantes oculi, nisus immotus, declinatio facta corpore.* Itaque intellige Entelli pugnam comparari, etiam si non videas particulas, veluti, sicuti, & similes. Quod in Virgilio vnicè obseruandum: respondet enim sibi sæpissime, & non aduertitur.

NOTÆ.

1. CONSTITIT] Indicatur hoc verbo habitus pugnãtiũ. Donat⁹ enim de hoc verbo in Adeph. Terétij: Consisto.

est audacter, & constanter stare. Plautus Curcull. *Neque quisquam in foro vobiscum audet consistere.*

2. In digitos] Adde *pedum*, nam horum sunt digiti, nō manuum, vel ex Apollonio, quem postea adducam. Homer. Il. 23. pugiles Epeum & Euryalum comparans, sic incipit:

Τὼ δὲ ζωσαμένω βήτην ἐς μέσσον ἀγῶνα·
Ἄντα δ' ἀνασχομένω χερσὶ στιβαρῇσιν ἅμ' ἄμφω
Σύν ῥ' ἔπεσον, σὺν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν:

Hi autem accincti iuerunt in medium certamen:
Ex aduerso autem eleuatis manibus validis, simul ambo
Congressi sunt, atque ipsis graues manus commistæ sunt.

Et iterum, Aiacem & Diomedem:

Ἐς μέσον ἀμφοτέρων συνίτην μεμαῶτε μάχεσθαι,
Δεινὸν δερκομένω:

In medium vtrorumque congressi sunt promptè pugnare,
Horrendè aspicientes.

Apollon. lib. 2. Amycum & Pollucem,

Ἔνθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς
Βουτύπος οἷα πόδεσσι τανύσσατο:

Dicit Amycum in pedes summos exstitisse, instar illius, qui bouem cædit. Theocritus εἰδ. 23. eosdem,

Ἐς μέσον συνάγον, φόνον ἀλλάλοισι πνέοντες:

In medium congressi sunt, cædem sibi mutuò spirantes.

Liuius lib. 7. ante pugnam singularem Manlij Torquati & Galli, hanc excitat attentionem: *vbi constitêre inter duas acies, tot circa mortalium animis spe metúque pendentibus,* &c. Horum nemo, vt vides, Virgilium assequitur. Dixi accipiendos digitos pedum, nam, vt vidisti, Apollonius, ἀκροτάτοισι πόδεσσι. Et Philo in lib. de Cherub. describens pugilem, & eius habitum, inter alia: πολλάκις δὲ καὶ δακτύλοις ποδῶν ἄκροις ἐπιβεβηκὼς πρὸς ὕψος αὑτὸν ἐξάρας: *sæpe erectus in summos pedum digitos attollit se.* Et Ioannes Chrysost. repræsentans pugilem homil. de Superbia. Τί τοίνυν τὸν αὐχένα ἀνατείνεις, εἰπέ μοι; τί βαδίζεις ἐπ' ἄκρων ὀνύχων; *Quid igitur ceruicem extendis, dic mihi? quid summis vnguibus incedis?* Nec muto, hoc enim postulat sententia Virgilij. Quamuis videam scribi à Platone in primo Alcibiade: *si ergo quærerent Athenienses, aduersus quos in palæstra summis digitis, reliquo corpore intacto, & quemadmodum certandum sit, ecquid ipse melius, quàm Gymnasij magister consuleres?* Plato quidem capiendus de manibus, vel ex Græco ἀκροχειρίζεσθαι: Sed Virgilij (vt dixi) sententia aliud postulat. Plato quidem tantùm allusit ad ἀκροχειρισμὸν, de quo Pollux lib. 2. μελέτη τις ἐν παγκρατίῳ.

3. Brachiaque] Nihil aliud dicit, quàm vtrumque certatorem ex disciplina athletarum neruos corporis extendisse: hoc enim significat ista brachiorum porrectione. Itaque recti sunt, prætendunt attolluntque brachia, ac perinde extendunt neruos. Theocr. de Hercule parante se ad luctam,

ὁ δέ οἱ ἐπὶ νεῦρα τανυσθεὶς
Μυῶν, ἐξ ὑπάτοιο βραχίονος ὀρθὸς ἀνέστη.

Ille autem neruos extendens
Musculorum, rectus constitit summis brachijs.

4. Immiscent] Huic verbo inter Græcos respondet λυγίζω. Nam Scholiastes Aristophanis in Vespis, ad ea verba, πλάδραν λυγίζοντες. ita. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν παλαιόντων: *metaphora à luctatoribus.* Nam hi nexis manibus solent aduersarium præhendere.

5. Ille pedum melior motu] Ab simili distributione non abeunt Liuij loca. lib. enim 28. duorum fratrum patruelium singulare certamen scripturus, præmittit: *Robore maior, minor flore ætatis ferox.* & lib. 29. de duplici exercitu Romano, & Africano, sic: *Pugna Romana stabilis, & suo & armorum pondere incumbentium in hostem: concursatio & velocitas il-* A *lius maior, quàm vis.* & libro 7. de Romano, & Samnitico exercitu: *Samnitibus ferociam augebant noua res gesta, & paucos ante dies geminata victoria: Romanis contra quadringentorum annorum decora, & conditæ vrbi æqualis victoria.* & lib. 37. *Robore nauium, & virtute militum Romani longè Rhodios præstabant. Rhodiæ naues agilitate, & arte gubernatorum, & scientia remigum.* Longiora sunt, quæ de comparatione Scipionis, & Quintij, sed his quoque simillima, Liuius idem scribit lib. 35.

6. Genva labant] Præclarè. Assumit enim partem illam, quæ præcipuè spectanda in his, qui exercent gymnastica. Aristophan. in Vesp. τὰ γόνατ' ἔκτεινε καὶ γυμναστικῶς: *genua extendit, & gymnasticè,* &c. Et hanc partem athletæ petebant, vt apparet ex Plauto in Captiu. vbi, cùm Hegio ridens Ergasilum iactantem minas, dixisset, *hic homo pugilatum incipit:* subiecit postea Ergasilus, *tum genu, vt quemque icero, ad terram dabo.* & ex Galeno lib. 3. de vsu part. cap. 15. vbi ait adolescenti luctanti in palæstra auulsam à ligamentis molam (pars est humani corporis) recessisse à genu, abiisseque sursum ad femur. Ergo Virgilius optimè, vt lassatam virtutem indicet, ad genua decurrit, quæ in athletis spectanda. Cùm enim in genibus alioquin vis sit magna, & præcipuum robur; tamen casu aliquo consternati, aut senectute debiles, ea maximè parte deficiunt. Prioris rei exemplum Ouid. suppeditat, loquens de Myrrha in Metam. lib. 10. Genua in athletis spectanda.

—at illi
Poplite succiduo genua intremuêre.

& Horat.

Et corde, & genibus tremit.

& Lucretius lib. 2.

Muta metu, terram genibus summissa petebat,

loquitur de Iphigenia. & Sen. ep. 11.

Quibusdam tremunt genua dicturis.

Posterioris hîc Maro. Porro ex hoc loco Colvius Apuleium lib. 10. corrigit, vt dicat *lapsa genua,* vbi vulgo legitur, lassa. Credo itaque cum respectu ad athletas dixisse Horatium Od. 13. Epod. *Dúmque virent genua.* Athletis vicini milites: itaque Seneca lib. 2. de Ira cap. 3. *Signo pugnæ dato, ferocissimo militi paululum genua tremuerunt.*

7. Anhelitus] Homerus in suis pugilibus ad sudorem decurrit, vt Nestor ad anhelitum. Il. 23.

—ἔρρεε δ' ἱδρὼς
Πάντοθεν ἐκ μελέων:

—fluebátque sudor
Vndique ex membris.

iterum,

κατὰ δὲ νότιος ῥέεν ἱδρώς:

Humidus autem defluebat sudor.

Apuleius lib. 9. dixit: *producit hominem crebros anhelitus ægre efflantem.* Quæ verba Virgilium explicant. Ideo enim quatiuntur artus, quia crebri anhelitus. Seneca ep. 56. cum allusione ad gymnastas dixit, *gemitus, retentum spiritum, sibilos, acerbissimas respirationes.* Hippocrat. de ratione victus in morbis acutis, creberrum anhelitum ita explicat, τὸ πολὺ καὶ πυκνὸν πνεῦμα.

8. Vvlnera] Tertullianus in Scorpiaco pugnam cæstuum notat verbo *dilaniandi,* cùm ait: *pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant.* Hanc lanienam per *vulnera* expressit Maro. Idem Tertull. in lib. de Spectac. signatè: *cicatrices cæstuum.* Pari nota Artemidor. lib. 1. cap. 63. loquens enim de pugilatu, ita subiicit. τὸ γὰρ ἄσχημον γίνεται τὸ πρόσωπον, καὶ αἷμα ἀποκρίνεται: *nam inde indecora facies redditur, & sanguis effluit.*

Aures petitæ pugilibus.

9. AVRES] Hæc pars faciei petita in duro hoc ludo, vti apparet ex Philostrato in Heroicis. ἐτέθλαστο δὲ τὰ ὦτα, οὐχ ὑπὸ πάλης: *fractus erat aures, non ob luctam.* Negans quippe rem indicat. Tertullianus de Spectac. *ticatrices cæstuum, & callos pugnorum, & aurium fungos.* Demum studium erat totius faciei deformandæ. Tertullian. eodem libro: *pugnos, & calces, & colaphos, & omnem petulantiam manus, & quamcunque humani oris, id est, diuinæ imaginis depugnationem.*

Crepito ad dentes.

10. CREPITANT] Crepitatio ista referenda ad dentes, qui sub malis stridebant vi ictuum. Nam crepitus dentium est. Hesiodus in Scuto, ὀδόντων καναχή: *dentium crepitatio.* Theocritus in pugna Amyci & Pollucis, εἰδ. 27.

Λαιῇ δὲ στόμα τύψε, πυκνοὶ δ' ἀράβησαν ὀδόντες:
Sinistra autem os verberauit, densi autem resonuerunt dentes.

B

Apollonius de eadem pugna,

——βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων
ἄσπετος.

suberat autem ingens crepitus dentium. De dentibus quoque capias Homerum Il. 23. cùm in suo pugilatu ait: δεινὸς δὲ χρόμαδος γενύων γένετ': *factus est crepitus maxillarum.* Plautus clarè sub persona Ergasili Captiu. cum respectu ad pugilatum, vt legenti apparet, ita signatè: *Dentilegos omnes mortales faciam, quemcunque offendero.* Seneca in Oedip. tectè, vt Noster, de Sphinge, *Crepuere malæ.* Sen. ep. 56. cum aspectu ad gymnastas: *Audio crepitum illisæ manus humeris.*

Grauis, pro bellicoso.

11. GRAVIS ENTELLVS] Quare *grauis*? vel quòd iam ætate senescente, & mole corporis, grauis esset, & id primum occurrit, placétque. Vel fortè grauis, id est, bellicosus fortísque. hoc magis reconditum, neque verò displicet. Quæres vnde? Lucianus in Harmonide, vbi scribit varios sonitus inesse tibiæ, Doriis dat σεμνὸν, id est, *grauem sonum.* Atqui de eadem re Apuleius loquens. 1. Florid. ait: *Dorium bellicosum.* vides vt σεμνὸν Luciani, sit Apuleio *bellicosum.* quæ significatio aliis quoque locis potest conuenire. in 10. sic Maro,

C

It grauis Auletes, centenáque arbore fluctum
Verberat assurgens.

Neque enim hic saltem dubitem *grauem* interpretari militarem, & bellicosum. Quæ Apulei acceptio cōsonet cum verbis Athenæi lib. 14. vbi sic scribit: ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς, καὶ οὐ διακεχυμένον, οὐδ' ἱλαρὸν, ἀλλὰ σκυθρωπὸν, καὶ σφοδρόν: *Dorica harmonia virile quiddam, & magnificum præfert, non effusum atque hilare; sed triste ac vehemens.* Adiunge verbum *sto* quod etiam militare. Plaut. Milit. *in statu stat senex, vt adoriatur mœchum.* & sexcenta alia. Quin verbum hoc esse gladiatorum satis indicat Seneca lib. de Constant. Sapient. cap. 16. *Quæris, quid inter duos intersit? quod inter gladiatores fortissimos, quorum alter premit vulnus, & stat in gradu: alter,* &c. De gladiatoribus accipe eundem de Consolat. ad Polybium cap. 25. *Omnes sciunt, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: vtrum ne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.*

Sto, militare verbum.

D

Exire, verbũ gladiatorũ.

12. EXIT] Exire, pro vitare, & declinare ictus, tum Seruius, ac Macrobius; tum docti post illos reliqui interpretantur. Sumpta est vox è ludo gladiatorum, qui exire aduersariorum petitiones dicebantur. Manilius quoque lib. 5.

Ille cito metu rigidos eludere cæstus,
Nunc exire leues missos.

Silius lib. 14.

——*bonus ille per artem*
Crudo luctari pelago, atque exire procellas.

Lucret. lib. 5.

Nam transuersa feros exibant dentis adactus
Iumenta.

& de Tarchonte Noster,

——*vim viribus exit.*

Alij verbi huius potestatem vocibus aliis extulere, omnibus fermè ex eodem ludo desumptis. Cicer. in Cat. *Quamdiu nos furor iste tuus eludet?* Prudent.

Eludo.

Cur mihi fas non sit lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas iactu præeunte sagittas?

Ludo.

Cicero in Catone. *Quot ego tuas petitiones ita coniectas, vt vitari posse non viderentur, parua quadam declinatione, &, vt aiunt, corpore excessi?* Sic legit Gifan. sed Turn. & alij, *effugi.* Præfero, *excessi*: nam hoc signatius ad rem gladiatoriam, quam proculdubio Cicero respicit. Ex qua etiam imagine Sen. ep. 75. *Nemo manum conserit cum excedente, nemo exeuntem ferit.* Silius lib. 7.

——*euasit Germanica tela.*

Tacitus lib. 19. dicit *custodias elabi.* & in vita Agricolæ: *locorum difficultates eluctatus.* Porrò, *vitare*, & *declinare*, obuia. Plato lib. 1. Reipub. per verbum φυλάττεσθαι, cùm ait. πυκτικῇ φυλάξασθαι. Possis referre ad Latinum *caueo.* Idem 7. Leg. multis. Inducit enim ἀλεώσεις πληγῶν, βολῶν ἐκνεύσεσι, ὑπείξει, ἐκπηδήσεις ἐν ὕψει, ταπεινώσεις. Quibus verbis signantur cautiones plagarum, declinationes, retrocessiones, saltus in altum, submissiones humi. Itaque eleganter, & cum antiquitatis sapore dices: *eludere, exire, ludere, excedere, euadere, elabi, eluctari, vitare, declinare difficultatem aliquam, tela, insidias,* &c. Adijce Platonica omnia. & præterea *subduco*, quod cum respectu ad gymnasticam vsurpat Sen. ep. 78. Erat enim gladiatorum disciplina, vt exeundo, ac veluti eludendo aduersariorum ictus, rem suam conficerent, nimirum adducentes aduersarium ad languorem, & lassitudinem. Ex quo more (vt hoc auctuarij loco addam) Ianus Dousa lib. 1. Præcid. c. 9. explicat illud Martialis,

Euado. Elabor. Eluctor. Vito. Declino.

Hermes vincere, nec ferire doctus.

vbi ait, malè scribi à nonnullis *sed ferire.* Ad hunc morem allusit Petron. Satyr.

Nam sanè & sapiens, cùm tempus, iurgia flectit.
Et qui non iugulat, victor abire solet.

Itaque ars erat, non ferire aduersarium, tantùm exire, & eludere, ac sic vincere sibi cauendo. Præclarè itaque Seneca lib. 2. de Ira cap. 14. loquens de ludo gymnico: *Ira perturbat artem, & qua noceat tantùm, non qua caueat, aspicit.* Doctè ergo Noster, *exit*, & *oculis vigilantibus.*

13. OPPVGNAT] Propriùs videtur Virgilius suum Dareta comparare cum duce obsidere mœnia, quàm Apollonius suum Amycum cum fluctu impetente nauem. Maior enim affinitas in Virgilianis. Valerius Flaccus totus fuit Homeri: nam in pugna Amyci & Pollucis comparationes è mari eruit.

a Ostendit dextram insurgens Entellus, & altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celerique elapsus corpore cessit.
b Entellus vires in ventum effudit, & vltro
Ipse grauis, grauitérque ad terram pondere vasto

Concidit. [c]. VT QVONDAM caua concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus
[d] Consurgunt studiis Teucri, & Trinacria pubes,
It clamor cælo: primúsque accurrit Acestes,
Æquæuúmque ab humo miserans attollit amicum.
[e] At non tardatus casu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, ET VIM suscitat ira.
[f] TVM PVDOR incendit vires, & conscia virtus,
Præcipitémque Daren ardens agit æquore toto,
[g] Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. QVAM multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: sic densis ictibus heros
Creber vtraque manu pulsat versátque Daretar.

A Extremo sic coniunge: *creber manu vtraque pulsat versátque densis ictibus.* Non, *pulsat manu vtraque.*

ARGVMENTVM.

Cadit in pugna Entellus, fit strepitus, ab Aceste erigitur, redit acrior ad pugnam, vincit Daretem. Perspersa est comparatio duplex, altera cadentis Entelli; altera Daretis victi.

EXPLICATIO.

[a] OMnia signatè ex pugilum certamine. Nam ista, *ostendit, insurgens, altè extulit,* indicant iactantiam athleticam. Nec minùs Daretis cautio artem gymnasticam, præsertim in illis *preuidit, elapsus, cessit.* Quantum enim Entellus ostentabundus; tantum Dares vitabundus.

[b] Elabente quippe Darete, vt erat velocissimus motu pedum, factum vt Entellus inaniter vires omnes in ventum effunderet, atque, vt erat grauis, concideret grauiter præ vasto pondere. Est *vltro* suo nutu, & impellente nemine.

[c] Sequitur comparatio, vbi præclarè pinus dicitur *caua,* id est, vitiosa, cum allusione ad senilem ætatem Entelli. Est Erymanthus mons Arcadiæ, Ida Troiæ.

[d] Omnia ex decoro. Iuuentus clamorem edit, & excitat crepitus: senex exercet misericordiam cum sene: apparet simul studium Troianorum, & Siculorum; quia certabant Troianus, & Siculus; & quæque gens suo fauebat.

[e] Respondent sibi hi duo versus. Redit acrior ad pugnam, non tardatus casu, suscitat vim ira non territus. Nam qui acer est, eo ipso promptus: qui iratus, eo ipso absque metu.

[f] Cùm semper pudor rubicundum quiddam & flammeum ad faciē extrahat, reddátque vultum ἐρυθριῶντα, rectè Poëta *pudor incendit.* & quia *incendit,* ideo postea *ardens.*

[g] Vide verò an vllam possis hypotyposin cum ista conferre? Non grando ipsa crebriùs crepitat. Dextra ictus ingeminat, sinistra ingeminat, nulla est mora, nulla est requies, densi sunt ictus, miser Dares agitur, præcipitatur, pulsatur, versatur. Assumitur omnis comparatio ad attollendam rem, vt superior. Sic iræ leonum, quæ maximæ, attollunt iras hominum, quæ non ita magnæ: sic sedulitas formicarum, quæ etiam maxima, sedulitatem hominum, quæ non ita magna. Atqui hoc loco, vt iam insinuaui, Entelli præcipitantia, & crebri ictus, videntur superare crepitantem insonantémque grandinem in culminibus. Adeo magnus est Poëta Virgilius, dignissimus, quem tota posteritas admiretur, cui se submittat Græcorum fastus.

NOTÆ.

1. A VERTICE] Videlicet ipsiusmet Daretis, aut Entelli, aut, si mauis absque vllius respectu, *por lo alto.* Sed Entelli crediderim inferentis ictum, nam apud Prudent. in Psyc. Superbia dicitur gladium librare ab aure sua: (A vertice.)

Vertitur ad capulum manus improba, & ense corusco
Connixa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediúmque ferit librata cerebrum.

2. GRAVIS] Vt Poëta *grauis, grauiter,* ita Homerus Il. 16. de Cebrione μέγας μεγαλωστί. A frustratione ictus Entelli, non abit illa Galli pugnantis cum Torquato apud Liuium lib. 7. *Gallus velut moles supernè imminens proiecto læua scuto in aduenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem deiecit.* Similem ruinam cuiusdam Æthiopis pugnantis singulari certamine cum Theagene narrat Heliodorus lib. 10. hist. Æthiop. Homerus quoque in suo pugilatu alterum pugilum concidentem inducit. Et quidem nota pulueris, quæ dari solet luctatoribus, vt cùm ait Aristid. in 2. Platonica, ἄνδρα οὕτως αὐχμῶντα, καὶ κεκονισμένον κάλλιον, ἢ τῶν παλαισάντων, καὶ τῶν γυμναστικῶν: *Virum tam squalidum, & quouis luctatore, vel gymnasta magis puluere conspersum.* Hæc (inquam) nota puluens data gymnastis, non solùm quòd pugnarent in arena; sed veriùs propter similes casus, & ruinas.

B

3. VT CONCIDIT, &c.] In hac comparatione crebri omnes & Græci, & Latini. Hesiod. in Scuto. (Comparationes ab cadente arbore.)

C

Ἤριπε δ᾽ ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπε:
Concidit, vt cùm aliqua quercus concidit.

Homer. 16. Iliad.

Ἤριπε δ᾽ ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, ἢ ἀχερωῒς
Ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήν τ᾽ οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
Ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι, νήϊον εἶναι:

Cecidit autem, veluti cùm aliqua quercus cecidit, vel populus,
Vel pinus alta, quam in montibus fabri viri
Exciderunt securibus recens acutis, lignum nauibus aptum vt esset.

Homerum (ait Scaliger) Virgilius sua comparatione obruit. & Il. 13. (Virgilius superat Homerum.)

Ὁ δ᾽ αὖτ᾽ ἔπεσεν μελίη ὥς:
Hic vt fraxinus cecidit.

Calaber lib. 1. ruinam Amazonis cadentis in bello hac comparatione illustrat.

Ἡ δ᾽

Ἡ δ' ἔπεσεν μελίῃ ἐναλίγκιος: ἥντ' ἐν ὄρεσσι
Δρυοτόμοι τέμνουσιν ὑπείροχον, ἡ δ' ἀλεγεινὸν
Ῥοῖζον ὁμῶς, καὶ δοῦπον ἐρεσσομένη προΐησι:
Ὣς ἡ ἀνοιμώξασα πέσεν:
Concidit similis fraxino, quam in montibus
Agricolæ secant ingentem, at illa magnum
Stridorem simul, atque strepitum concisa edit:
Ita illa gemens concidit.

Similes Græcorum comparationes aliis locis adduco. Pergo ad Latinos, Senecam Tragicum in Furente:

Totus ad terram ruit,
Vt cæsa syluis ornus.

Horatium lib.4. Od.6. vbi de Achille ita ait:

Ille mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Concidit latè, posuítque collum in
Puluere Teucro.

Statium lib.9. Theb.

——Getico qualis procumbit in Hæmo,
Seu Boreæ furijs, putri seu robore quercus
Cælo mista comas.

Petrus etiam Apollonius cadentem in bello hominem magnæ molis ita comparat:

Tam grauiter, subitóque solent in montibus altis
Annosas Euri insani dimittere pinus
Auulsa radice simul.

4. IT CLAMOR CÆLO] Pari forma in 12.

——it tristis ad æthera clamor.

Alia forma Ennius 8. Annal.

Clamor ad cælum voluendus per æthera vagit.

Quem tamen versum ad Virgilij formam ita legit Scaliger,

Clamor it ad cælum, volitátque per æquora vagor.

Sed Virgilius Homerum omnino transtulit, αὐτὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν.

Pugilatus lex.

5. AB HVMO ATTOLLIT] Rectè monet Germanus lege pugilatus licuisse prostratum collapsúmque alleuare, & erigere, alioqui casu Entelli victoriam Daretis fuisse. Cuius rei argumenta multa: nam apud Theocrit. Amycus, cùm priùs cecidisset, de nouo consurgit ad pugnam.

Ἔνθα μάχη δεινὰ πάλιν γένετ' ὀρθωθέντος:
Ibi pugna aspera iterum excitata est, cùm se iterum erexisset.

apud Homer. 7. Il. cadentem Hectorem in singulari pugna cum Aiace

——ὤρθωσεν Ἀπόλλων:
——erexit Apollo.

Vbi discessum fuit incerta dubiáque victoria. Etquidem apud Ouidium 13. Met. Aiax ait,

A *——non sum superatus ab illo.*

si enim cadere esset è victoria, dixisset clarè, superaui illum, quando Hector ceciderat. Et Il.23.

——αὐτὰρ μεγάθυμος Ἐπειὸς
Χερσὶ λαβὼν ὤρθωσε.
——sed magnanimus Epeus
Manibus prehendens erexit.

Calab. etiam lib.6.

Μὶν ἔγειρεν ἀπὸ χθονὸς:
Ipsum è terra erexit.

Locus Senecæ lib.5. de Ben. c.3. rem aperit. *Luctator ter abiectus perdidit palmam.* Non ergo semel, aut bis. Vnde idem Sen. ep. 80. confirmans ad laborum patientiam, hærénsque sermoni pugilum, ait: *Quanto faciliùs animus corroborari poßit, vt fortunæ ictus inuictus excipiat, vt proiectus, vt conculcatus exsurgat.* Et ep.13. repræ-
B sentans eandem pugilum imaginem, ita ait: *ille qui fudit sanguinem suum, cuius dentes crepuerunt sub pugno, ille qui supplantatus aduersarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior rèsurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam.*

6. ACRIOR AD PVGNAM REDIT] Rem similem comparatione hac Homerus illustrat, Il. 23.

Ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ φρικὸς Βορέω ἀναπάλλεται ἰχθὺς
Θῖν' ἐπὶ φυκιόεντι, μέλαν δέ ἑ κῦμα κάλυψεν:
Ὣς πληγεὶς ἀνέπαλτ':
Ac veluti quando à stridore Boreæ resilit piscis
Littore in algoso, nigra autem ipsum vnda operuit:
Sic percussus resilijt.

Dicas Senecam ep.13. ex Virgilij loco ita scripsisse, hæ-
C rentem in sermone pugilum: *Sæpe iam fortuna supra te fuit: nec tamen tradidisti te, sed subsilijsti, & acrior restitisti. Multum enim adijcit sibi virtus lacessita.*

7. PVDOR] Est hic magnus stimulus ad vires recuperandas, & languentem animum excitandum. Liuius lib. 2. *Nunc indignatio, nunc pudor pectora versare,* &c. & lib.3. *Tantúmque hos pudor, quàm alios laudes excitabant.* & lib.7. *Itaque tantos pudor stimulos admouit, vt ruerent in hostium tela, alienatis à memoria periculi animis.*

Pudor stimulus ad gloriam.

8. NEC MORA, NEC REQVIES] Sumptum à Lucretio lib.4.

Nec mora nec requies inter datur vlla fluendi.

Alio flexu Ennius.15. Ann. ita extulit, loquens de re belli: *Nec respirandi fit copia.* Hæsit verò Virg his Theo-
D criti,

Αἰεὶ δ' ὀξυτέρῳ πιτύλῳ δαλεῖτο πρόσωπον
Μέχρι συνηλοίησε παρήϊα:
Semper acriore pugnorum ingeminatione lædebat faciem,
Donec contudit genas.

[a] Tum pater Æneas procedere longiùs iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis,
Sed finem imposuit pugnæ, fessúmque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
[b] Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
[c] NON VIRES alias, conuersáque Numina sentis?
[d] CEDE DEO. Dixítque, & prælia voce diremit.
[e] Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Iactantémque vtroque caput, crassúmque cruorem
Ore eiectantem, mistósque in sanguine dentes,
Ducunt ad naues. [f] galeámque ensémque vocati
Accipiunt: palmam Entello, taurúmque relinquunt.

ARGVMENTVM.

Cohibetur à furore Entellus, illi Dares subtrahitur, qui & à socijs ad naues ducitur, ægro & malè multato corpore: datur vtrique præmium propositum.

EXPLICATIO.

a Dicitur hîc Æneas *pater* & affectu, & auctoritate. nam & Daretis saluti consulit, ideo affectu: & Entellum cohibet, quod in tanto iræ feruore nemo fortasse alius, ideo auctoritate. Vide affectum in illis, *non passus iras longiùs procedere, non passus Entellum sæuire animis.* Vide auctoritatem in illis, *imposuit finem pugnæ, eripuit fessum Dareta.* Sic solet hic ingeniorum apex Maro coniungere res, quæ videntur minùs cognatæ. Hîc enim cum affectu misericordiæ magna est principis auctoritas, & vtraque re pater.

b Eadem, quæ nunc dicebam, hîc etiam elucent. *Infelix*, hoc dolenter, & cum affectu, atque omnino παθητικῶς. *quæ tanta animum dementia cepit*, hoc cum summa auctoritate.

c Nec à te vires, nec Dij sunt. Refero sententiam ad proximè præcedens carmen. Non *sentis vires alias*, ideo tu infelix: non *conuersa numina*, ideo tu demens.

d Videtur simpliciter capiendus Poëta hac sententia. Cede Deo te non iuuanti, quia dixerat, conuersa Numina. Qui hîc pro deo capiunt rationem, nescio an ad rem. Sequitur, *dixitque, & prælia voce diremit*, id est, ait Iul. Scaliger, dixítque, & dicendo prælia diremit. Adi illum lib. 4. Poëtic. cap. 29. vbi plures & similes Poëtæ locutiones explicat, ac defendit à Criticis, qui volunt hunc vatem inaniter aliquando voces repetere.

e Vide vt lacerum hominem egregiè pingat. vt tu solus Poëta Maro! vt nemo præter te! si tecum saltem conferatur. Quæ hæc admiratio roget aliquis? Nonne vides, lector, sibi hunc virum mirè consentientem? Entelli superiores iras, cùm dextra sinistráque ictus ingeminabat; cùm, instar grandinis sæuiebant densis ictibus; cùm Dareta ardenter agebat, pulsabat, versabat, præcipitabat: has (inquam) sæuas iras nonne sequi debebat hæc carnificina? Trahit miserrimus ægra genua, iactat caput vtroque, eiectat cruorem ore, & vnà cum cruore dentes. Sed expende adhuc alia. Quia *æquales*, ideo *fidi*. nam qui tibi fidi, nisi qui vnà tecum nutriti, & alij? Nota etiam acumen, *ducunt trahentem genua*. Is enim ab aliis ducitur, qui se ipse vix trahit. Est etiam elegantia ex affinitate vocum, iactat caput, & eiectat cruorem.

f Considera verba. Ideo *vocati* ait Macrobius lib. 4. cap. 1. *quasi non sponte socij accepturi munus, quod erat damnum verecundiæ.* & *accipiunt* pro Darete, quia hic non sui compos præ vulneribus. quid verò accipiunt? *ensem galeámque.* aduertit enim Iulius Scal. lib. 3. Poëtic. cap. 12. victum Dareta luculentiore auctum dono, quàm victorem Entellum: vt ostendatur virtus sibi ipsi & præmium, & pretium esse. Iccirco in legibus proposita sunt criminibus supplicia, virtutibus nihil. In verbo *relinquunt* inuenio notam pudoris. Quasi dicat. Vocati accipiunt hoc præmium, pudibundi relinquunt illud. Sed quid relinquunt? *taurum*, nam hoc præmium ab initio victori propositum.

NOTÆ.

1. PROCEDERE] Sunt qui legant *producere*: sed venustius est, & magis poëticum *procedere*.

A Nam Græci προχωρεῖν ὀργὰς. & προχωρεῖν πρὸς ὀργὰς, & μάχην. Sic Lucianus, πρᾶγμα μὲ πρὸς μάχην προὐχώρησε: *Res ad pugnam processit.*

& Aristoph. in Ran.

> Νῦν γὰρ ἀγὼν ὅτι σοφίας μέγας χωρεῖ πρὸς ἔργον ἤδη:
> *Nunc enim certamen hoc sapientiæ magnum ad opus iam procedit.*

2. ACERBIS] Hoc exemplo, & multis aliis Virgilianis efficit Iosephus Castalio postponi posse eleganter in carmine adiectiuum nomen substantiuo, quod alij secus senserunt, putantes necessarium ad elegantiam esse, vt præcedat adiectiuum. Adi illum in Var. Lectionibus.

3. FESSVM] Vox hæc signata ad rem militiæ, & eam creberrimè tum reliqui tum in primis Liuius vsurpant.

B 4. INFELIX, &c.] Æmulatur Homerica illa ex Iliad. 7. ore Agamemnonis ad fratrem:

> Ἀφραίνεις Μενέλαε διοτρεφὲς, οὐδέτι σε χρὴ
> Ταύτης ἀφροσύνης· ἀνὰ δ' ἴσχεο κηδόμενός περ·
> Μηδ' ἔθελ' ἐξ ἔριδος σοῦ ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι
> Ἕκτορι Πριαμίδῃ, τόν τε στυγέουσι καὶ ἄλλοι:
> *Insanis Menelae nobilissime, nec tibi opus est*
> *Hac dementia: contine dolens quamuis.*
> *Neque velis propter contentionem te meliore cum viro pugnare*
> *Hectore Priamide, quem & horrent alij.*

Vel illa ex Il. 20. ore Neptuni ad Æneam,

> Αἰνεία, τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει
> Ἀντία Ἀχιλλῆος πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι,
> C Ὃς σεῦ ἅμα κρείσσων, καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν;
> *Ænea, quis te sic Deorum tui negligentem iubet*
> *Contra Achillem præliari, & pugnare,*
> *Qui te simul melior, & charior immortalibus;*

5. CEDE DEO] Sophocl. Antig. εἶκε θυμῷ: *cede animo.*

6. IACTANTEMQVE VTROQVE CAPVT] Reddit Homericum. 14. Il. κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε. & Il. 8. ἑτέρωσε κάρη βάλεν. Debes hanc imitationem Germano, vt & sequentem.

7. CRASSVMQVE CRVOREM ORE EIECTANTEM] Homer. 14. Il. αἷμα παχὺ πτύοντα: *sanguinem crassum spuentem.* Theocrit. εἰδ. 23.

> Ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα
> Φοίνιον:
> *At ille stabat plagis ebrius, & expuebat sanguinem*
> D *Cruentum.*

sunt porrò, qui in Virgilio legant, *Ore reiectantem.* non, *ore eiectantem.*

8. VOCATI] Hunc locum imitatur Silius lib. 16.

> *Accitum donat ductor, miseratus & æuum,*
> *Et sortem casus.*

Ita legit Modius ad imitationem Virgilij, non *attritum*, vt in vulgatis: sed *accitum*, vt Virgilius *vocati.*

9. PALMAM] Turn. lib. 26. cap. 17. per *palmam* non simpliciter victoriam intelligit, sed verè palmam arborem. nam quamuis hoc præmium propositum antea non fuisset, tamen, vt refert in Symposiacis Plutarchus, palma commune erat omnium certaminum præmium, quamuis aliud proprium esset. Apud Valer. Flacc. lib. 4. Pollux victor in cæstibus laurum accipit: Palma commune præmium

E

> *Illius excelsum ramis caput, armáque Castor*
> *Implicat, & viridi connectit tempora lauro.*

Roges, an palma hæc in manu, an in capite pro corona? Posterius credo ex Plutarcho, qui in opere inscripto, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, ita ait: ἀθληταὶ στέφανον οὐκ ἀγωνιζόμενοι οὐ λαμβάνουσιν ἀλλ' ἀγωνισάμενοι, καὶ νικήσαντες: *Athletæ non nisi peracto certamine, & parta victoria, coronantur.* Sed de hac re alibi ego latiùs ex Appiano.

2 Hic

a Hic victor superans animis, tauroq; superbus,
Nate Dea, vosq; hæc, inquit, agnoscite Teucri,
Et mihi quæ fuerint iuuenili in corpore vires,
Et qua seruetis reuocatum à morte Dareta.
b Dixit, & aduersi contra stetit ora iuuenci,
Qui donum adstabat pugnæ: durosq; reducta
Librauit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoq; illisit in ossa cerebro.
c Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces:
Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persoluo: hîc victor cæstus, artemq; repono.

A

ARGVMENTVM.

Victor Entellus, interfecto tauro, vnico cæstuum ictu, ostendit quibus olim viribus in iuuenta valuerit.

EXPLICATIO.

a CAptat Entellus aures Æneæ, & Troianorum ad ea, quæ dicturus, quæ acturus in sui commendationem: & præciarè Æneæ, & Troianorum: non Acestæ, non Siculorum, nam his iam eius virtus satis cognita: oportebat externi audirent. Seruat verò decorum ex ingenio senum, quibus propria & insita arrogantia.

b Acumen ex cognatis verbis, stat contra adstantem. Ait *reducta dextra*, pro, adducta retro dextra, nam hoc est *reducere*, quo ictus validior; ex maiore enim spatio vis maior. Ideo *librauit*, quia *inter media cornua*. Explicat enim directum ictum, neque aberrantem. Est *arduus*, erectus in pedes. In illis *effractoque illisit in ossa cerebro*, hypallagem cum Seruio agnosco. Perinde ac si diceret: Fractis ossibus illisit cæstus in cerebrum; peruenere enim vsque ad illud. Neque alia explicatio Donati.

c Procumbit bos ex ictu, & cum boue versus miro artificio. Ait Entellus, se animam bouis pro Daretis anima exsoluere. Ita Victor & cæstus & artem reponit, nunquam deinde illis vsurus.

NOTÆ.

1. NATE DEA] Versus isti delibati alicui videantur ex Andromacha Euripidis, vbi Peleus senex de se ita loquitur gloriabundè:

Ἡμεῖς δέ τ' ὀρθοὶ κοὐ γέροντες, ὡς δοκεῖς·
Ἀλλ' εἴς γε τοιόνδ' ἄνδρ' ἀποβλέψας μόνον,
Τρόπαιον αὐτοῦ στήσομαι, πρέσβυς περ ὤν.
Πολλῶν νέων γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ,
Κρείσσων:
Nos autem erecti, neque senes, vt putas.
Verùm ad huiusmodi virum respiciens tantùm,
Trophæum de eo statuam, sim quamuis senex:
Multis enim iuuenibus, senex animosus si fuerit,
Præstat.

2. MEDIA INTER CORNVA] Potuit hærere his Theocriti, ex mente Germ.

Μέσσης ῥινὸς ὕπερθε κατ' ὀφρύος ἤλασε πυγμήν:
Supra medium nasum inter supercilia impegit ictum.

Aut his Apollonij lib. 1.

Ἤτοι ὁ μὲν ῥοπάλῳ μέσον κάρη ἀμφὶ μέτωπα πλῆξεν:
Hic quidem claua medium caput ad frontem percussit.

3. ILLISIT IN OSSA CEREBRO] Potuit hærere aliquo modo his Theocriti εἰδ. 23.

Πᾶν δ' ἀπέσυρε μέτωπον ἐς ὀστέον:
Totámque auulsit frontem vsque ad os.

Monui aliquando Romanos ritus explicari, & attingi sæpe ab optimo Poëta. In hac itaque bouis immolatione puto allusum ad morem, quo perfecto certamine & pugna similis immolatio fieri solebat. Morem hunc explicuit Liuius lib. 7. in Decio patre, qui post triumphum Castrensem, quem comparauit, *decoratus insignibus bouem eximium Marti immolauit.* Immolatio post pugnã.

4. PROCVMBIT HVMI BOS] Modulus huius carminis, & similium, qui elegantissimus est, alibi expenditur. Commentationem Seruij, qua magnam macu- Virgilius defenditur.
B lam magno Poëtæ inurit, vel capias cum risu, vel putes esse glossema. Quis enim credat Seruium limati Iudicij hominem protulisse censuram, quæ nunc legitur, contra hunc versum, quem omnes & admirantur, & suspiciunt? Seruianæ censuræ opponit Brodæus lib. 3. Misc. cap. 15. auctoritatem Quintiliani lib. 8. & ista Græci Hermogenis. καὶ γὰρ τῶν ἐπῶν τὰ εἰς μονοσύλλαβόντι μέρος τοῦ λόγου ἰσάμβυα, ἀειδέστερά πως, καὶ κρουστικώτερα εἰσὶν, ἀλλ' οὐ σεμνότερα. οἷον, ἀμβροσίη νὺξ, καὶ ἀλλότριος φώς: *Carmina in partem monosyllabam desinentia, speciosiora sunt & sonantiora, sed non grauiora. vt Ambrosia nox, alienus vir.* Contemne itaque lector Seruij censuram. verè nulla re aptiùs potuit exprimi natura cadentis bouis, quàm Virgiliano modulo. Æquiùs enim de Marone dicas, quod de Demosthene Vlpia-
C nus in Olynth. 1. μιμεῖται γὰρ ἀεὶ τὴν τῶν πραγμάτων φύσιν, καὶ διὰ τῆς λέξεως: *imitatur enim semper etiam per vocabula naturam rerum.* Obseruabis debere in Virgilio frequenter participium solui per nomen aliquod. sic hîc *tremens*, est, nihil aliud, quàm cum tremore.

5. MELIOREM ANIMAM] Cùm prima hostia non litabatur, aut effugerat, & succidaneæ hostiæ immolabantur ad placandos Deos, meliores dari dicebantur: ad quem ritum respexit Maro in hoc carmine, sicut & in 12. Melior victima.

Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.

& Ouid. 6. Fast.

Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras:
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Ad hoc quoque pertinet Græcum prouerbium, δευτέρων ἀμεινόνων. Ad hoc proculdubio Virg. allusit, cùm
D enim prima sacra non erant fausta, & succidaneæ hostiæ adiiciebantur, clamabatur ab omnibus, δευτέρων ἀμεινόνων, id est, *secundis melioribus felicioribúsque.* Quæ circa hunc locum de animali hostia attingunt Seruius,

uius,& Macrobius,dixi iam in 2.Æn. conuenientissimo loco.

6. PERSOLVO] Verbum hoc sacrum est, & Brissonio credo obseruatum. Addas huic simplex. Virg. in Ciri:

Soluo,& persoluo verba sacrorum.

Debita cùm castæ soluuntur vota Mineruæ.

A Vsurpat quoque Valerius Maximus lib.1.cap.1.

7. REPONO] Transfer in hunc locum, quæ dicta ad illum 7.Ecl.

Hîc arguta sacra pendebit fistula pinu.

Alludit enim ad milites emeritos. Eadem forma vult Germ. dictum à Iuuen. *nunquámne reponam?*

Protinus Æneas celeri certare sagitta
Inuitat,qui forte velint,& præmia ponit:
Ingentiq; manu malum de naue Seresti
Erigit,& volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum,malo suspendit ab alto.

ARGVMENTVM.

Proponit Æneas certamen quartum sagittariorum, malum erigit, inde columbam suspendit.

EXPLICATIO.

ANnectens cum superiore hoc certamen, ait *protinus*. vt initio 4.Georg.

Protinus aërij mellis cælestia dona Exsequar. Ideo *inuitat*, quia *præmia ponit*. quasi positis præmiis inuitet, alliciátque. *ingenti manu*, id est, ingenti militum agmine. hi enim necessarij ad erigendum malum, vt erat magnus. Cur potiùs voluerit certamen fieri ad nauem Seresti, quàm aliorum, non quæro. *suspendit columbam* à pedibus, hoc enim postulat Homerica imitatio, ait enim δῆσεν ποδός.

NOTÆ.

1. PROTINVS ÆNEAS, &c.] Totus hic locus ductus est Homerico filo. Græcis parco; quæ multa: Oeobanum audi:

Protinus Æacides celeri certare sagitta
Inuitat, qui forte volent, & præmia ponit,
Ingentique manu malum de naue refixum
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,
B *Quò tendant ferrum, malo suspendit ab alto.*
Qui primus volucrem ferro contingat acuto,
Is ferat appositum munus, bis quinque secures:
Tótque securiculas qui funem ruperit ictu.
Prodijt his dictis rex Teucer, eúmque secutus
Fortis Meriones, magni comes Idomenei.
Ærata inde datas miscent in caßide sortes.
Teucro prima loco sors contigit: ille reductum
Fortiter emittens telum, nec munera vouit
Debita, primicias agrorum, aut sacra daturum
Vlla sagittifero regi: quo crimine Phœbo
Irato, volucrem non attigit: indita tantùm
Vincula diffregit, quæ cum stridente sagitta
Lapsa solo iacuere. columba per aëra purum
C *Tollitur; acclamant totis spectacula castris.*
Meriones properè arrepto fidentior arcu,
Vouit primitias agrorum, & munera Phœbo,
Et vacuo lætam cælo speculatus, & alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam,
Transmittens alæ medium, reuoluta sagitta
Figitur in terram, mali ipsa in culmine sidens,
Proiecto demum collo, & stridentibus alis
Decidit exanimis, vitámque reliquit in astris.
Spectantes Danaï miracula tanta, stupebant.

Vt alia omittam, vel hoc vno præstat Virgilius, quòd viros quatuor producit ad hoc certamen, quo res & varietate rerum, distinctior sit, & mirabilior successus, qui accidit. Virgilius superat Homerum.

Conuenêre viri: deiectamq; ærea sortem
Accepit galea, & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis.
Quem modò nauali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus euinctus oliua.
Tertius Eurytion, tuus, ô clarissime, frater,
Pandare, qui quondam iussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achiuos.
Extremus, galeáque ima subsedit Acestes,
Ausus & ipse manu iuuenum tentare laborem.

ARGVMENTVM.

Deijciuntur sortes. Prima est Hippocoontis, altera Mnesthei, tertia Eurytionis, quarta Acestæ. Nominantur omnes cum elogio.

EXPLICATIO.

COntinent hi versus floridam Poëtæ narrationem. Neque enim hos quattuor duces, quos nominat, ieiunè nominat, & siccè, sed omnes cum D elogio. Primum honestat pater Hyrtacus, & fauor militum: alterum, victoria naualis gloriæ, & corona oleagina: tertium, Pandarus frater clarissimus: extremum senectus ipsa, & animus acer, quo voluit tentare laborem iuuenum grandæuus ipse. Reliqua ex Notis pendent.

NOTÆ.

1. DEIECTAM] Cæsar lib.1.Ciui. *sortes deijciuntur.* Cicer. pro Ligar. *Tuberonis sors coniecta est.* Liu. lib.30. *Prætorum prouinciæ in sortem coniectæ.* Græci κλήρους

Sors deiecta, coniecta, dimissa.

ρυς βάλλειν, ἐμβάλλ. ex Suetonio ad idem explicandum vsurpa verbum *dimitto*. Testimonium postea afferam.

Sortitio in omni ludorum genere.

2. SORTEM] Vsitatum veteribus, vt sortibus vterentur in omni fere ludorum genere. In Circensibus missus aurigarum fiebant sortibus. Tertull. lib. 2. de spectaculis: *semper oculi in vrna*, tu reliqua. In ludis scenicis citharœdi sorte emittebantur. Sueton. in Neron. cap. 21. *sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit adscribi, sorticulâque in vrnam cum cæteris demissa intrauit ordine suo.* In spectaculo gladiatorio Statius 3. Syl.

——sortibus ardens
Fumat arena sacris.

Vulgo malè legitur *fortibus*. Ad hos mores, & similes respexit Plinius lib. 8. epist. *scilicet vt in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit, ac seruat, qui cum victore* B *contendat: sic in senatu*, &c.

Sors in epulis.

Quin ipsa cœnarum iucunditas sortes habuit; huc enim pertinet vetus illud institutum, quod Cælius adducit lib. 27. quo, μοῖρα καὶ λάχεσις ἰσότητα τὴν περὶ τὰ δεῖπνα, καὶ συμπόσια κοινωνίαν ἐβράβευον: *sors, & lachesis* (hæc dicta à sortiendo est) *in cœnis æqualitatem & in conuiuijs communionem dispensabant.* Adeo miseræ gentes subiectæ huic malo, & ludibrio dæmonum.

Galea loco vrnæ.

3. GALEA] In bello vrnæ locum galea sustinuit ad mittendas sortes. Huius moris crebra mentio. Homer. 23. Il.

Κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες:
Sortes autem in galea ærata mouebant accipientes.

& lib. 7.

κλῆρον ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο:
Sortem iniecerunt in galeam Agamemnonis Atridæ. C

Æschyl. in fabula septem ad Thebas,

——τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος
ἐξ ὑπτίας πήδησεν εὐχάλκου κράνους,
——tertio Eteocli sors tertia
Exiluit ex ærea inuersa galea.

Plura alij congerunt, ad morem cognoscendum hæc satis.

4. HYRTACIDÆ] Occurrit difficultas leuicula: nam Hortensius sententiam inuertit, & putat Hyrtaciden filium fuisse Hippocoontis; Nascimbænus contrà, Hippocoontem, Hyrtacidæ. Hunc libenter sequor, ductante me patronymica forma, & Donati auctoritate, qui ait: *Primus quippe exijt Hippocoon.* Ergo ait Poëta, primum omnium sorte eductum Hippocoontem, qui filius fuit Hyrtaci: non Hyrtaciden filium Hippocoontis. D Sanè Homerus qui vtriusque meminit Hippocoontis lib. 10. Il. & Hyrtacidæ lib. 12. nihil lucis ad hanc rem suppeditat.

5. EXIT] Est hoc, quod Homer. κλῆρος θόρε, ἔκθορε. A ἐξόρουσε. quod Æschylus πήδησεν. Ascribe hanc notulam Germano.

6. VICTOR] Primus locus in primo certamine nauium Cloanthi fuit; secundus, Mnesthei: sed pleno ore victorem vocat, nam re vera victor, si virtutem spectes. inde de eo Poëta:

At qui deinde locum tenuit virtute secundum.

Nam Cloanthus precibus, & votis vicit, non admodum gloriosè. Hanc rem præmia indicant: Cloantho enim datum est imbelle ex auro, & purpura; Mnestheo militare. adi superiora.

Virgilius defenditur.

Non placent, qui incogitantiam inurunt Virgilio, & *modò* explicant, per, *propemodum*. Non sic est, sed verè victor fuit ea ratione, qua explicui.

7. OLIVA] Suprà hoc tacuerat, tantùm in genere dixerat:

Purpureis ibant euincti tempora tænijs.

8. IVSSVS CONFVNDERE FOEDVS] Historia ab Homero. 3. & 4. Il. Conuenerat inter Græcos & Troianos, vt Paris & Menelaus singulari certamine pugnarent, & is Helenam caperet, qui victor esset, & esset tandem finis belli. Sed cùm Dij Troiam decreuissent euertere, voluerunt fœdus hoc esse infectum: itaque media Pallade turbata res est, nam Pandaro persuasit, vti Menelaum sagitta percuteret, quo facto disruptum est fœdus, & reditum ad arma omnium. His breuissimis verbis complexus est Poëta duplicem librum Iliados.

9. SVBSIDIT] Huius sors non exiit, sed remansit subseditque in ima galea: quippe, aliis eductis, nihil necesse fuit. Videtur verò locutus cum allusione ad morem Romanorum, perinde ac si diceret: Is, qui iam propter grandæuam ætatem emeritus erat, & à militia solutus, voluit tentare laborem iuuenum.

Virgilius seruantissimus decori.

Deinde aduerte, ex magno decoro senem Acestem induci ad hoc certamen, in quo non vires corporis necessariæ, non flos, & æui vigor: sed vsus ætatis, & diutina in iaculando experientia.

10. MANV] Coniungit Passeratius poëtas quosdam, qui cùm de arcu, & sagittis loquantur, vsurpant vocem hanc *manus*. Itaque non solùm manu pugnat, qui gladium versat, sed etiam, qui arcu & sagittis vtitur, vt hoc loco Acestes. Ita in 9.

——fortémque manu fudisse Numanum.

cùm sequatur,

Sonat vnà lethifer arcus.

Et Tibullus lib. 2. eleg. 1.

Illic in docto primùm se exercuit arcu:
Hei mihi quàm certas nunc habet ille manus.

Propertius lib. 1. eleg. 9. de Cupidine sagittis feriente:

Qui non antè patet, donec manus attigit ossa.

[a] Tum validis flexos incuruant viribus arcus
Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris:
[b] Primáque per cælum neruo stridente sagitta
Hyrtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras:
Et venit, aduersiq; infigitur arbore mali.
Intremuit malus: timuitq; exterrita pennis
Ales, & ingenti sonuerunt omnia plausu.
[c] Pòst acer Mnestheus adducto constitit arcu
Alta petens, pariterq; oculos, telúmque tetendit;
[d] Ast ipsam miserandus auem contingere ferro
Non valuit: nodos, & vincula linea rupit,

Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
[e] Illa notos, atque atra volans in nubila fugit.
[f] Tum rapidus iam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocauit.
[g] Iam vacuo lætam cælo speculatus, & alis
Plaudentem, nigra fixit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitámque reliquit in astris
Aëriis, fixámque refert delapsa sagittam.

ARGVMENTVM.

Incuruant arcus, & sagittas promunt. Hippocoon malum figit, & timet ales: Mnestheus rumpit vincula, & illa volat: Eurytion volantem configit, & illa cadit.

EXPLICATIO.

[a] PRocedit ordine, nã primò inflectuntur arcus, deinde sagittæ depromuntur. In illis *incuruant flexos arcus*, hypallagen agnoscit Seruius, pro flectunt incuruos. Est *pro se* quantum quisque potuit, quod Homerus, κτ̀ σφέας, καθ' ἑαυτὸν. & Xenoph. εἰς δύναμιν.

[b] Verba sic compone ad sententiam. Sagitta missa è neruo stridente, diuerberat per cælum auras volucres. Non per cælum stridente neruo. Est neruus, chorda arcus. Arbor mali est ipsissimus malus. Illud *sonuerunt omnia plausu*, refert Seruius ad fauorem, neque abnuo.

[c] Respondent sibi hi duo versus. *acer constitit arcu adducto.* Quia *acer oculos tetendit*: quia *arcu adducto, arcum tetendit.* Itaque Mnestheus dicitur acer in collineando. & ideo sic coniungo, *acer petens alta* subaudi oculis, *constitit arcu adducto.* Pendent ista ex Notis. Est ista singularis nostra explicatio, neque enim placent, qui vocem *acer* referunt ad virtutem, qua arcum incuruauit. Est *adducere arcum*, fortiùs incuruare, atque inflectere: sic, adducere frenum equo, & similia dixeris.

[d] In vocula *at* agnosce emphasin, vt, *At regina graui*, &c. Ideo verò Mnestheus *miserandus*, quia facta re magna, tamen sine victoria mansit, nam tantùm *rupit nodos & vincula*, id est, nodos vinculorum, phrasi vsitatissima Virgilij. *Innexa pedem* est, habens pedē in nexu, ait Seruius.

[e] *Volans fugit Notos*, est, volatu anteit Notos. & *in nubila*, vbi tutus receptus. & *atra*, vt meliùs lateret.

[f] Vocat Eurytion fratrem Pandarum, quia hic acerrimus iaculator, optátque esse fratri consatalis in dirigendo ictu peritissimè. Seruius ad religionem confugit, ait enim ideo vocari Pandarum, quòd apud Lycios, vt Heros, coleretur.

[g] Oratio pathetica in animante, quæ in summa lætitia & plausu vulnus accipit. Putauerat quippe receptum tutum fore in nube, & ibi figitur, ibi relinquit vitam, inde delabitur.

NOTÆ.

1. FLEXOS] Expendi iam quo ordine Poëta procedat, & moneo hîc obseruatum hoc priùs, Homero loquente de Pandaro lib. 4. Priùs enim hunc inducit, τιταινόμενον τόξον, *tendentem arcum.* Deinde ex pharetra, ἑλόντα ἰὸν, *extrahentem sagittam.* Demum ἐπὶ νευρῇ κατακοσμεῖντα, *aptantem illam in neruo.*

2. STRIDENTE] Hæsit Homero Il. 4.

—νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν:

A —*neruus autem valde sonuit.*

Verba *strideo, stridor, stridulus*, in emissis telis, sæpius occurrent. lib. 12. Æn. — Stridor de emissis telis.

———*stridéntque hastilibus auræ.*

& lib. 7.

—*stridente sagitta.*

in hoc lib.

—*Sonitum dat stridula cornus.*

Homer. Il. 4. λίγξε βιός: Stridit arcus.

3. ARBORE MALI] Locutio Poëtica, sic fluuius Tagi, vrbs Patauí, mons Auentini: pro, Tagus, Patauium, Auentinus. Non poëticè, dices: fluuius Tagus, mons Auentinus. Liuius lib. 38. *super Mæandrum amnem posuit castra.* Ab vrbe Roma, in vrbem Romanam, & similia, millies in eodem. Sallust. in Iugurth.
B *Armati Auentinum montem occupauêre.* & 3. Hist. *apud flumen Durium.* Liuius lib. 39. *ad Tagum flumen profecti sunt.* Itaque Poëta dicat, *arbor mali.* Non Poëta, *arbor malus.* Scio ista interdum commutari. Porrò (hoc iam monuit Eryth.) quia malus frequentissima est arbor, ideo placuit Latinis scriptoribus ab ea malum nauticum appellare. sicut rursus, pomum, quo omnes omnium arborum fœtus significantur, præsertim, qui non sunt duri corij, vulgo vsurpamus pro fructu mali. — Malus nauis vnde dictus.

4. ACER MNESTHEVS] Hærebam, quid hîc esset *acer*: nam ad virtutem militarem inaniter referas, qua non opus in iaculatione. & putabam (nescio an fallor) vocem referendam ad acrem visum Mnesthei in altum collimantis, & ideo coniunxi, ita, *acer alta pe-*
C *tens*, id est, recta collineatione petens alta. Quæ dixi, non abeunt à Græcorum phrasi. Aristophanes enim δειμὺ ἐνιδὼν, dixit, & δειμὺ βλέπων, *acriter intuens.* Itaque vocem δειμὺς, hoc est, *acer*, ad visum Græci referunt. Huc spectat eruditio non contemnenda. Acetum, quod acre est, Græci εἶδος vocant, auctor Pollux lib. 6. & Athen. lib. 2. sic ait, τῶν μόνον Ἀττικοὶ τῶν ἡδυσμάτων εἶδος καλοῦσι: *Attici* (acetum) *solum ex condimentis vocant* εἶδος, & lib. 9. ἐπὶ δὲ τούτοις οἰνάριον οἰνάριον, εἶδος νὴ Δία: *Post hæc villum bibimus, acetum per Iouem.* Est Græcis εἴδω *video*, & εἶδος *species.* Habet verò acetum nomen à visione, quòd sua acrimonia prosit oculis, videlicet refrigerando, cùm illi inflammari. Plin. lib. 13. cap. 1. de illo: *oculis quoque illo modo salu-* — Acetum qui dicant Græci.
D *berrimum*, nimirum, si bibatur cum aqua. & cap. sequenti, de aceto scillino: *oculorum aciem exacuit.* Errant itaque, qui in Athenæo putant legendum ὄξος, non εἶδος. neque nos errare sinit consensus librorum, in quibus semper εἶδος reperias. Lege Isac. Casauboni Animaduersiones in Athen. lib. 2. cap. 16. Redeo ad Poëtam, cuius explicationem iuuat vehementer vox *oculos*, quæ statim sequitur. Itaque omnia coniungenda existimo, hunc in modum. *Acer alta petens tetendit oculos.* videlicet, ad collineandum per sublimem aërem. Possit quispiam huc trahere Tibullum lib. 3.

Acer Amor, fractas vtinam, tua tela, sagittas,

Scilicet

Scilicet exstinctas aspiciámque faces.

vbi cum sagittis,& iaculatione acritudo est. Qui huc trahat,quî refelletur?

Carchesium pars mali summa.

5. MALO ALTO]Carchesium signat,quæ pars mali summa,& extrema.Lucillius:

Tertius hic mali superat carchesia summa.

Cinna:

Lucida cùm fulgent alti carchesia mali.

Quem versum Catullo attribuit Non.Marcellus.Lege Lilium de nauigiis cap.12.

6. VOLANS IN NVBILA FVGIT]Dio Chrysost. orat.36.ita dixit,τὸν (ὄρνιθα) σφόδρα ἀναχωρήσαντα,καὶ τοῖς νέφεσιν ἐγκρύψαντα: *longè* (volucrem) *secedentem , ac sese nubibus occultantem.* Sed ne Dionem otiosè adduxerim, addit idem, auem sic volantem mali esse augurij,& reddere imperfectam diuinationem , ἀτελῆ τὴν μαντείαν ποιεῖν. quis igitur scit,an Poëta ideo inde fecerit auem deiici,eludens conatus columbæ,nequid inauspicatum accideret abdente se illa intra nubes? Attigit etiam Virgilius naturam huius volucris , dicente Seneca lib.2.de Ir.c.16. *Iracundia leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbam fuga.*

7. TVM RAPIDVS, &c.] Homerus de Pandaro lib.4.Iliad.

Αἶψα δ' ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν:

Statim autem in neruum aptabat acerbam sagittam.

& lib.23.de Merione.

Σπερχόμενος δ' ἄρα Μηριόνης ἐξείρυσε χειρὸς

Τόξον. ἀτὰρ δὴ ὀϊστὸν ἔχεν πάλαι ὡς ἴθυνεν:

Festinans autem Meriones extraxit manu

Arcum. ac iam sagittam tenebat dudum,vt direxerat.

Itaque, quod Virg.*rapidus*,Homerus,iam αἶψα , iam σπερχόμενος. Reliqua ipse confer, neque enim dubium,quin ad Græcam vmbram lux Latina.

A 8. VOCAVIT] Lusit ad Virgilij imitationem Val. Flaccus lib. 6.apud quem Gesander dux,

—patrias cœptis ferus aduocat vmbras.

Sancte mihi Vorapte pater tua pectora nato

Suggere nunc, animámque parem , &c.

Et ad eandem fortasse scripsit Liuius lib.38.ore Manlij : *Te L. Scipio appello , cuius ego mihi,succedens in vicem imperij tui , virtutem felicitatémque non frustra ab Dijs immortalibus precatus sum.*

9. NIGRA FIGIT SVB NVBE COLVMBAM] Similem sortem optimorum iaculatorum , qui in ipso volatu prædam confixerint,expresserunt aliter atque aliter Manil.lib. 5.

Et medios inter volucrem prensare meatus.

& Ouid.12.Met.

B *At que inter nubes sublimia membra ferentem,*

Pendentémque ferit.

vti hoc idem Homerus dixerit,in promptu est.Aristides in 2.Platon.loquens de re Homeri,hoc,quod alteri relictum est à primo peragendum in volucre,vocat τῆς τύχης ἐπιθήκην: *appendicem fortunæ.*

10. VITAMQVE RELIQVIT IN ASTRIS]Audi hîc Notam Macrobij lib.3.Sat. cap.8.*Hyginus de proprietatibus Deorum, cùm de astris ac stellis loqueretur, ait,oportere his volucres immolari. Doctè ergo Virgilius dixit, apud ea Numina animam volucris remansisse , quibus ad litandum data est.*Vt Virgilius *vitam reliquit* , ita Euripides Phœniss. βίοτον λιπόντες. &,ἐλιπέτην βίον. Hactenus Homeri historia , quæ sequuntur addita sunt à summo Vate. Adi etiam Dictym lib.3.de Bel. Troiano,qui in nonnullis discrepat ab Homero,præsertim in eo , qui columbam fixit. Vates enim Merionem inducit, scriptor Philoctetem.

[a] Amissa solus palma superabat Acestes,
Qui tamen ætherias telum contorsit in auras,
Ostentans artem pariter, arcúmque sonantem.
[b] Hîc oculis subitò obiicitur magnóque futurum
Augurio monstrum;docuit pòst exitus ingens,
Seráque terrifici cecinerunt omina vates.
[c] Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signauítque viam flammis,tenuísque recessit
Consumpta in ventos:CÆLO CEV sæpe refixa
Transcurrunt, crinémque volantia sidera ducunt.

ARGVMENTVM.

Acestes restabat, torsit is telum:monstrum inde, sagitta conuersa in ignem, & transcurrente instar cometæ.

EXPLICATIO.

[a] ITA se Acestes ad iaculationem composuit, ita arcum in altum extulit,sagittam direxit,emisit; vt diceres, peritissimum esse iaculatorem , artémque in eo summam agnosceres : videas sæpe gloriabundos milites, & iactabundos de suis armis;hæc ostentant , laudant, proponunt oculis aliorum : ergo non artem solùm,sed arcum ostentat.

[b] Comparat attentionem ad sequentem ardorem, qui secutus ad volantem sagittam Acestis , *obijcitur* (inquit) *subitò monstrum* , & hoc *futurum augurio magno* , quia videlicet ex eo monstro dirum aliquid & magnum augurandum erat , vt postea *docuit ingens* C *exitus.*Refer hoc ad classem mox incensam:fuit enim magnus & dirus exitus. Sequitur versus ad pauorem totus,

Seráque terrifici cecinerunt omina vates,

& qui nunc etiam mihi, post tot sæcula, ossa contrahit.Quæ sint *sera omina* habes in Notis.

[c] Hoc est monstrum,ad quod tam longa comparata attentio.Et nota acumen,ardor quippe in re liquida, & aquea:ait enim,*arsit in liquidis nubibus.* Atque obiter allusum ad naturam fulminum fulgurúmque,quę ardentia ipsa erumpunt è nubibus. Addit verò , sagittam in flammas conuersam,euanuisse in aërem,ad eum modum,quo euanescere cometæ solent.

NOTÆ.

1. AVGVRIO] Augurium propriè de auibus,cófundunt Poëtæ,sed noster hic ita, vt alludat tamen ad proprietatem , quippe ex volante sagitta rem ducit. Augurium de auib.

2. DOCVIT POST EXITVS] Ammianus lib.17. *vt exitus docuit.*& lib.26. *vt docuit rerum exitus proditor.*

3. SERA] Seruius ex Sallustiò explicat, *grauia*. Turn- *dira, & male ominosa*. Addit rationem: quia, quæ tarda sunt omina, prosperos non habent successus. Turnebi hoc plausibile interpreribus. Non placent. Referendus Poëta ad successum. explico. In fine huius libri classis Troiana incenditur, ac tum vates serò quidem, & inutiliter dicunt, Hocce illud fuit portentum sagittæ incensæ? itaque non abit Poëta à trita parœmia, *Serò sapiunt Phryges.* hæc mens Virgilij. non dubito. ipse se explicat, cùm ait, *docuit pòst exitus*. Nam obsecro, si hîc *sera omina* sunt, horrenda & dira, cur Æneas deinde, vt læta accipit, & felicia?

Sera omina, quæ.

4. VOLANS] Ita Pindar. Od.9. Olymp. πτερόεντα ὀϊστὸν, *alatam sagittam*.

A 5. SIGNAVITQVE VIAM] Ita. 2. Æn. de stella, quæ apparuit in aëre, *signantémque vias*.

6. CÆLO CEV SÆPE REFIXA] Sequitur opinionem mortalium, qui putant reuelli è cælo sidera. Horatius in Epod.17. vsus est Poëtæ verbo:

Refixa cælo deuocare sidera.

7. TRANSCVRRVNT] Plinius lib.2. cap.26. loquens de stella, quæ apparuit edente Germanico gladiatorium spectaculum, *præter ora populi meridiano transcurrit*. Id ductum ex Græco. nam Arist.1. Meteor. ἀστέρας vocat διαθέοντας, *stellas currentes.* & ἀστρων διαδρομὰς, *transcursus astrorum.*

Curro de stellis.

8. CRINEM] Plinius lib.2. cap.25. vbi de cometis loquitur, multimodis indigerat rem hanc: *crinem, comam, iubam, barbam, iaculum, faces, speciem villorum, iubar*, distinguens videlicet varia genera.

Crinis de stellis.

[a] Attonitis hæsêre animis, superósque precati
Trinacrij, Teucríque viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas, sed lætum amplexus Acestem
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
[b] Summe pater (nam te voluit Rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exortem ducere honorem)
Ipsius Anchisæ longæui hoc munus habebis,
Cratera impressum signis: quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum & pignus amoris.
[c] Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem appellat Acestem.
[d] NEC BONVS Eurytion prælato inuidit honori,
Quamuis solus auem cælo deiecit ab alto:
[e] Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
[f] Extremus, volucri qui figit arundine malum.

ARGVMENTVM.

Obstupescunt omnes, Æneas omen accipit, Acestem amplectitur, præmium dat, coronat lauro: alios item honore & præmijs exornat.

EXPLICATIO.

[a] VERE falsus est Æneas, & dirum omen pro auspicato accepit: cùm enim incensio classis portenderetur, inde ille aliquid faustum euenturum putabat, ducto fortassis argumento à felici igne, qui apparuerat supra caput Ascanij. Hoc potius visum, quàm quod interpretes dicunt de Ænea dissimulante tristitiam. Et quidem sequens oratio Æneæ tantis est affectibus lætitiæ plena, vt nihil possis coniectare de tristitia intus latente. Alij aliter sentiant, & interpretentur Poëtam.

[b] Primo honore afficit Acestem extra omnem sortem. Commendat verò craterem tripliciter. Primò à possessore Anchise. & nota decorum, datur seni Acestæ munus, quod fuerat senis Anchisæ. Altera commendatio ab opificio, erat enim crater impressus signis asperque. Tertia, non solùm Anchisæ fuerat vas hoc, sed ante illum, Cissei. Poëtam sic expende. Vide ô Aceste, quanti hoc vas sit, quod à nobilissimis ad nobilissimos peruenit, à Regibus ad Reges, à Cisseo

B ad Anchisen, ab Anchise ad Æneam, ab Ænea ad Acestem: deinde; prius fuit in Thracia, mox in Troia, iam in Sicilia; ergo nunquam contemptum, sed semper comes magnorum Principum. Ceterùm: *dederat ferre*, pro, dederat, vt ferret, constructio est Græca. Homer. Il. 23. δῶκε δ' ἄγειν. Fuit Cisseus pater Hecubæ, vnde hæc dicta Cisseis.

[c] Coronat lauro Acestem, & appellat victorem, nimirum voce præconis, vt suprà Cloanthum. Nota verò acumen. Temporibus enim senectute albentibus laurus viridis imponitur, quo signet laudem Acestæ recentem semper, & immortalem fore; ac tum maximè eam virescere, cùm caput albidum præ senecta.

[d] Ideo *bonus*, quia non *inuidit* alium sibi honore præferri, & inuerti ordinem victoriæ.

C [e] Non placet Seruianum interpretamentum hoc, *ingreditur donis, id est, ad dona.* Imo, *ingreditur donis*, id est, incedit gloriabundus cum donis. Postea firmabo.

[f] Est hoc peculiaris facetiæ, vt omnia commutarentur. In iaculando primus fuit Hippocoon, secundus Mnestheus, tertius Eurytion, quartus Acestes: in capiendis præmiis, primus est Acestes, secundus Eurytion (nam hunc quoque præmium suum reportasse, non dubium, quamuis sileatur) tertius Mnestheus, quartus Hippocoon.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. ATTONITIS] Stuporem animi ita expressit Liuius lib.39. *Hoc vt audiuit, tantus pauor tremórque omnium membrorum mulierem cepit, vt diu hiscere non posset.*

Virgilij diligentia. 2. TRINACRII TEVCRIQVE] Dabo hîc notam, leuem quidem, sed quæ commendat diligentiam Poëtæ, cui par nemo. Facinus Acestæ Siculi sequitur stupor populi, sed in quo stupore recensendo primi stupeant Siculi, deinde Teucri: quia nimirum facinus Siculi fuit viri, non Troiani cuiuspiam. Pergo. In certamine Entelli & Daretis cecidit Entellus Siculus, & eo temporis momento victor Dares Troianus. Ergo clamor à Troianis incipit; ait enim:

Consurgunt studijs Teucri, & Trinacria pubes.

Tertio: canit 1. Æn. Iopas Pœnus cum cithara, & plausum commouet, ac statim:

Ingeminant plausum Tyrij, Troësque sequuntur.

Hic tu appinges consimilia, & erunt multa.

3. MVNERIBVS CVMVLAT] Exemplo fortasse Homeri, qui præmio afficit senem Nestorem, qui nihil gesserat, Il.23.

——δίδωμι δέ τοι τόδ' ἄεθλον
Αὔτως:
—*do tibi hoc præmium*
Gratis.

Sumo verbũ l.6. 4. SVME] Seruius de verbo *sumo* sic. *Verbum est iurisconsultorum, quo vtuntur, quoties legatum non ab herede datur, sed est in accipientis arbitrio.* Seruium laudat Cuiacius de verborum obligationibus. Lege Brisson. de verborum significat. vbi ad hanc rem aliquid.

5. EXSORTEM.] Reddit Græcum ἄκληρον, ἐξαίρετον. Lege Germanum.

Laurea in certaminib. 6. VIRIDANTI TEMPORA LAVRO] Laurum gestatam in capite pro præmio ab Hieronicis, firmat satis hic locus. & Valerius Flaccus lib. 4. apud quem Pollux victor in cæstibus coronatur lauro. versus sunt:

Illius excelsum ramis caput armáque Castor
Implicat, & viridi connectit tempora lauro.

& Dionysius de Romulo lib.2. δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας: *lauro coronatus comas.* De eodem Plutarchus. δάφνῃ δ' ἐστέφθη τὴν κεφαλὴν κομῶσαν: *caput comatum laurea coronauit.* Sed de hac re ego iam ex Appiano 8. Eclog. ad illud, *victrices lauros.* vbi dixi, laurum gestatam in capite à triumphatoribus, non in manu. Sed ideo huius loci à me iam scripti hîc volui meminisse, vt pudentem veniam petam. Nam aliquando B quoque gestata laurus à triumphatoribus in manu. Incidi enim in locum Plutarchi, qui in vita Pauli Æmilij, de illo triumphante sic ait: καὶ δάφνης κλῶνα τῇ δεξιᾷ προτείνων: *lauri ramum dextra protendens.* Laurus triũphantium etiã in manu.

7. INGREDITVR DONIS] Qui adepti sunt victoriam, gloriabundi esse solent, & iactantiores æquo. Et quidem verba *ingredior*, & *incedo*, militaria sunt. sic suprà, Ingredior de victoribus.

—*aut iaculo incedit melior.*

& statim: *incedunt pueri.* & in 10. vtrunque coniungit, cùm ait:

At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo, quàm magnus Orion
Cùm pedes incedit, &c.

C & suprà:

Iámque adeo donati omnes, opibúsque superbi,
Puniceis ibant euincti tempora tænijs.

vbi arrogantiam agnoscis in eundo. Ergo hîc: *ingreditur donis,* arroganter quidem, & gloriabundè. Non, ingreditur ad dona, vt ait Seruius.

At pater Æneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitémque impubis Iuli,
Epitydem vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade, age, & Ascanio si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursúsque instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis,
Dic ait; ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos iubet esse patentes.

ARGVMENTVM.

Secretò loquitur cum Epytide, dat mandata ad Ascanium, ferat vt secum equestres turmas: ipse interim circum aperit ab infusa turba.

EXPLICATIO.

VTI apparet ex verbis Poëtæ, iam Æneas secretò cum Ascanio egerat, vt puerile agmen instrueret: ait enim, *si iam habet paratum agmen, si instruxit cursus equorum.* Consilium Æneæ fuit in hoc extremo certamine exhilarare animos spectatorum fessos longis contentionibus. atque ita illos auertere à mœstitia, qua affecti viso deformi spectaculo Daretis.

NOTÆ.

1. CVSTODEM] Ex Romana consuetudine & militia. qui enim erant tirones, ita ad militiã admittebantur, vt illis custos daretur. Sueton. in Iu-D lio cap. 26. *tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat, precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, vt disciplinam singulorum susciperent, ipsiq; dictata exercitibus darent.* Ait hoc loci Seruius, adducítque ex Cicerone, anno stipendij primo solitos esse dari custodes adolescentibus militaturis, & ex hac consuetudine Maronem istud scripsisse: dixisséque in 8. de Pallante: Custos tironum in militia.

—*sub te tolerare magistro*
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Addit Seruio Turn. institutum hoc declaratum fuisse à Plauto in Mostellaria,

Ad legionem cùm itant, adminiculum,
Eis danunt tum aliquem cognatum suum.

Sed & in genere magnorũ principum liberis semper datus custos, rector, magister; qui seruet, regat, doceat: Pædagogi. sic Clemens Alexan. lib.1. Pædag. cap.7. scribit, Phœnicem fuisse pædagogum Achillis, Crœsi filiorum Adrastum, Alexandri Leonidẽ, Philippi Nausithoon,

Siccinum (eum qui saltationem inuenit, appellatam Siccinidem, de qua nos aliqua in Bucolicis) liberorum Themistoclis. Poterunt ex hac Nota illustrari loca Plauti duo. In Captiu. ait: A

At herum seruaui, quem seruatum gaudeo:
Cui me custodem addiderat herus maior meus.

In Mercat.

Seruum vnà mittit, qui olim à puero paruulo,
Mihi pædagogus fuerat, quasi vti mihi foret Custos.

Ait Pollux lib. 3. hunc puerorum custodem & magistrum dici ἐφεστηκότα, παιδοτρίβην, γυμναστήν, etiam in re belli.

Impubes.

2. Impubis] Fortasse in laude ponit; hæc saltem maxima apud Germanos fuit, de quibus lib. 6. Gallio. sic Cæsar, *vita omnis Germanis in venationibus, atque in studijs rei militaris consistit. ab paruulis duriciei ac labori student. qui diutissimè impuberes manserunt, maximam inter eos ferunt laudem. hoc alij staturam, alij neruos, viresque confirmari putant.* B

3. Epytidem] Sic scribenda vox, non vt in vulgaribus, vel ex Homero 17. Il. dicente,

—δέμας Περίφαντι ἐοικὼς
Κήρυκι Ἠπυτίδῃ·
—corpore Periphanti similis
Præconi Epytidæ.

4. Fidam] Nam is fidam semper operam nauauerat, non Æneæ solùm, sed etiam seni Anchisæ, erat enim ex antiquissimis famulis illius domus, de quo sic Il. 17.

—παρὰ πατρὶ γέροντι
Κηρύσσων, γήρασκε, φίλα φρεσὶ μήδεα εἰδώς:
—apud patrem senem
Præconem agens consenuit, amica mente consilia doctus.

Vbi pater senex Anchises est: qui consenuit, Epytides. Aliqui hinc adimunt hoc hemistichium, tum quia ociosum, tum quia infra est verbum, *ait*.

5. Cursusque instruxit equorum] Illustrari potest hic locus simili historia, quam adducit Athen. lib. 4. Pueri enim Laconum in equis ornatis theatrũ percurrebant, in ea celebritate, quæ ab Laconibus peragebatur, in honorẽ demortui Hyacinthi.

[a] Incedunt pueri, paritérque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiæq; iuuentus.
[b] Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro:
Pars leues humero pharetras. it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

C

ARGVMENTVM.

Adsunt Pueri: describitur illorum ornatus.

EXPLICATIO.

[a] Vide quo apparatu inferat pueros, qua admiratione spectatores: illi incedunt, lucent; isti admirantur, adfremunt.

[b] Describit ornatum puerorum, quem gestabant in capite, in manibus, in humeris, in pectore. Erat omnibus in capite militaris galea, & supra galeam corona tonsa. coma verò pressa erat ab ipsa galea. Clarius. coma pressa erat ab galea, cùm corona supra galeam tonsa. Pergit. Habebant in manibus bina hastilia è corno facta, quibus ferrum præfixum. In humero pharetras, has equidem leues, id est, politas expolitásque ipso artificio. Habebant in pectore militarem torquem. describit huius formam. torquebatur enim per collum, & inde descendebat in pectus summum. Ne intelligas demissum vsque ad aluum.

NOTÆ.

Tonsa coma pressa corona, vti explicetur.

1. Tonsa coma pressa corona] Difficilis versus non tam se ipso, quàm explicatorum, & Seruij imprimis interpretamento, in quo non ferendus ordo hic, *tonsa coma, pressa corona*, cum detrimento carminis. sic explico. Inerat omnibus coma pressa, videlicet à galea, corona supra galeam eminente. Nisi hi pueri gestassent galeas, facilis erat interpretatio; atqui gestarunt, dicente mox Poëta de Ascanio,

—galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

Ergo: erat coma, supra hanc galea premens comam, supra galeam corona. Restat, breuiter probem. Compressio comarum à galea. verè. Ouid. in Epist. Laodamiæ:

Ipsa comas pectam, galea caput ille premetur?

& contrarium huic *soluo*, cùm galea demitur. idem in Fast.

Mars ades, & nitidas casside solue comas.

In re longè alia vtrunque verbum idem opposuit 2. de Arte:

Cùm modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu.

Corona veteribus supra galeam.

Pergo ad alterum. corona erat supra galeam: ex quo more in 7. Æn.

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliua. D

Et Apuleius lib. 10. *irrupit alia, quam putares Mineruam, caput contecta fulgenti galea, & oleagina corona tegebatur ipsa galea.* Non ergo nouum, coronas galeis super imponi. Inde facilis explicatio illius versus, *galeam ante pedes proiecit inanem.* Nimirum inanem corona, nam hæc amissa vel in agitatione equestri, vel in tumultu subito, qui exortus ab incendio nauium.

Corona pro galea.

Explicatio Seruij esset procul dubio explicatior, & melior nostra; quæ vult coronam sumi pro galea, Homeri exemplo, nisi obstaret attributum, nam galea quî dici potest tonsa? Quæ dixi, vera censeo, sed addam quidpiam non fortasse ingratum.

Corona pro crista militari.

Quid si corona hoc loci sumatur pro crista militari, quæ erat in galea? Lux ab Polybio, apud quem hæc sunt προσεπικοσμοῦνται (sermo est de galeis) πτερίνῳ στεφάνῳ, *adornantur corona plumea.* qua voce intelligit militarem cristam. E Plutarchus quoque in Pyrrho huius cristam vocat στεφάνην. Nam de eadem, ἐγνώσθη τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι: *fuit agnitus ab excellenti crista.* Quæ inuidia si laborem Lipsij conuertero ad locum Virgilij, de quo ille nihil? His adde Vegetij verba lib. 2. de Milit. Rom. cap. 16.

centu

centuriones habebant galeas ferreas, sed transuersis & argentatis cristis, vt facilius agnoscerentur. Audis transuersas cristas, & in illis argentum agnoscis, vt omnino videatur species quædam coronæ depingi ea transuersione, cui additum esset argentum ad ornatum. Præsertim species hæc redderetur, si triplex esset crista. Et fere coronam hanc ex cristis agnosco in Marone, illis verbis lib. 7.

Cui triplici crinita iuba galea alta chimæram
Sustinet.

Erit ergo iuxta hanc explicationem sententia hæc. Erat omnibus coma pressa à galea, & supra galeam corona, id est, crista tonsa aptáque in speciem tamen coronæ. Et id fortasse intelligit Poëta cùm ait *tonsa coronam morem.* scilicet Phrygium. Quasi Phryges gestarent cristas in moré coronæ efformatas. B In Cedreno vidi cristam supra coronam, nam de triumpho Basilij, ait illum ornatum στεφάνῳ χρυσῷ λόφον ἐφύπερθεν ἔχοντι: *corona aurea habente desuper cristam.* In Xenoph. 5. ἀναβ. spiram tortilem supra galeas formatam in modum tiaræ. Verba eius: ἐπὶ δὲ τῇ κεφαλῇ κράνη σκύτινα κρωβύλον ἔχοντα κατὰ μέσον ἐγγύτατα τιαροειδῆ. In Polluce lib. 1. λόφος εὐανθὴς ὑακινθινοβαφής: *crista florida, hyacinthina.* Et loquitur de cristis galearum. His firmatur, coronam sumi pro crista.

2. BINA] Poëtam illustrant verba hæc Seruij: *Bebius Macer dicit, à Cæsare Augusto, pueris, qui luserunt Troiam, donatas esse galeas, & bina hastilia: ad quod Virgi-* A *lium constat alludere.* Faciunt hæc quoque ad ea, quæ diximus, pueris gestatas galeas. *Hastilia cornea.* sunt, breues quædam ex corno hastæ.

3. CIRCVLVS] Non abit illud lib. 10.

——fusos ceruix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

Neque illud, 7.

——fit tortile collo,
Aurum ingens coluber.

Neque illud Næuij apud Charisium,

Collum marmoreum torqueis geminata coronat.

Sæpissime sanè in Poëtis vbi est mentio colli, est etiam auri torti, quo signatur torques. Nam, vt ait Isidor. lib. 9. cap. 31. *Torques circuli aurei à collo ad pectus dependentes, & à viris geruntur, vt à feminis monilia.* Torques virorum. Non dubitauerim appellare torques, catenas aureas, quas viri nobiles inter Hispanos solent gestare. Hæ enim & collo circundantur, & pendent ad pectus. Qui hos pueros in Virgilio bullatos capiunt, longè à re abeunt, torquatos tantùm exhibet. Quódque Xenoph. 1. ἀναβ. ait, στρεπτὸν χρυσοῦν, *torquem aureum:* In eodem post multa locum signat στρεπτοὺς περὶ τραχήλῳ. *torques circa collum.* Nota discrimen illud Isidori inter torquem, & monile. Ille est virorum, hoc fœminarum. Firmat mentem Isidori, Nonni locus lib. 5. Dionys. vbi, cùm Cadmo ducenti Harmoniam Dij donadent, Venus Harmoniæ dat monile. Adi locum Nonni (est enim longissimus) in quo multa sunt ad cognitionem monilis non contemnenda.

[a] Tres equitum numero turmæ, terniq; vagantur
Ductores, pueri bis seni quemque secuti
Agmine partiti fulgent, paribúsque magistris.
[b] Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem,
Nomen aui referens Priamus, tua clara Polyte
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemq; ostentans arduus albam.
[c] Alter Atys, genus vnde Atyj dixere Latini;
Paruus Atys, pueroq; puer dilectus Iulo.
[d] Extremus, formaq; ante omnes pulcer Iulus
Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum, & pignus amoris.
[e] Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.

ARGVMENTVM.

Sed & turma: hæ tres, sub ducibus Priamo, Aty, Iülo. commendatur primus à regio genere, & equo quo inuectus: alter ab genere Augusti, & Iüli amore: tertius se ipso commendabilis est, & dignus sua pulchritudine, cui Dido munus contulerit.

EXPLICATIO.

a Sententia hæc est. Tres erant turmæ, tres ductores: in singulis turmis erant duodecim pueri, & magister, qui pueros doceret, & flecteret in gyros.

b Transit à generali sermone ad peculiarem. Ergo aciem vnam aut turmam ducebat Priamus filius Polytæ, ac perinde nepos Priami Regis. Ideo *paruus Pria-* C *mus,* id est nepos, quia cum oppositione ad auum. Et videtur mihi Poëta animum adieciße ad historiam illam, quæ habetur. 2. Æn. plenam luctus, & lacrymarum. Quid indignius, quàm Priamum obtruncari gladio, Polyten hasta transfodi à Pyrrho Græco? Sed ô gaudete Manes Priami, & Polytæ, qui nepotem, & filium habetis, qui vos iterum faciat reuiuiscere; quíque augeat populos Italorum, à quibus Græci mactandi, eruêda Græcia. Duxit me in hanc mentê apostrophe illa *tua clara Polyte Progenies,* plena desiderij. Transit deinde ad descriptionem equi, quo vectus Priamus. Ponit patriam, nàm *Thracius.* colorem, sed hic duplex. erat enim *bicolor,* quia supra cólorê proprium, quem Poëta non exprimit, erant albentes maculæ. Sed vbi istæ maculæ? in pedibus primoribus, interprete Seruio; vel in pede dextro, me interprete: deinde in fronte. Quam frontis maculam candidam instar

instat stellæ ostentabat. Sic concipit Iulius Scaliger, A cuius verba hæc sunt: *intellige frontem stella candida spectabilem, non autem totam albam; deteriores enim sunt.*

c Hunc commendat à posterorum genere, & cum lepore; adhibetur enim geminatio *paruus Atys*, quasi à paruo adhuc spes magna generis: deinde commendat ab amore, quo illum Iulus prosequebatur. Roges, cur nulla mentio equi, quo is vectus? quia varietas poësin ornat, & ideo noluit eadem de omnibus inculcare. Appinge hîc, si quid melius.

d Acumen in vocibus, extremus ordine, qui primus omnium pulchritudine. & hæc est prima Ascanij commendatio. Altera, illius equum esse donum Didonis, eúmque in monumentum & amoris pignus.

e Pertinuit equorum distinctio ad spectaculum. Nam quale hoc, vbi equi Thraces, Phœnicij, Siculi. Aues scire, an pueri Siculi Troianos comitetur lusuri etiam Troiam? Non puto. Primo, quia Troia ludus à Troianis tantùm debuit peragi. Deinde, si tantùm tres turmæ, & harum ductores tres Troiani, quis locus pueris Siculis? oportuit enim aliquem horum esse Siculum, vel in gratiam Acestæ. Tertio, quia Æneas ita cum Epytide locutus est, vt videatur res tantùm communicata cum illo, & cum Ascanio. ibant itaque Siculi pueri tantùm comitaturi Troianos.

NOTÆ.

1. TRES] Notat Turnebus has tres turmas referre, imagine quadam & simulacro tres illas centurias Rhamnensium, Tatiensium, & Lucerum. Verè hoc Turnebus. Nã turma dicta est à ternario numero, quasi terma. Aduoco verba Varronis lib. 4. ling. Lat. *Turma terma est: e, in, u, abijt, quòd terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Rhamnium, & Lucerum fiebat. Itaque primi singularum decuriarum decuriones, qui ab eo in singulis turmis, sunt etiamnum terni.* Eadem verba habet Festus. His explicatur Virgilius, qui cum tribus turmis signauit ductores ternos. Certè apud Sueton. in Iulio cap. 39. *Troiam lusit turma duplex maiorum minorúmque puerorum.* In militia autem fuere proculdubio in quaque turma equites triginta, idque ex veteri instituto. Vegetius lib. 2. cap. 4. turmam fecit paulo grandiorem, *Habet* (inquit) *vna turma equites triginta duos.* Vide Lips. sed Poëta satis duxit duodecim pueros constituere in quaque turma, vt in re ludicra. Aduertit autem Erythræus, sermonem hunc *bis seni*, esse omnino poëticum. sic *bisseni dies, bisseni cycni, bis sex radij*, apud Maronem leges. Alias, *bis septem Nymphæ, bis septem Rutuli, bis denæ naues, terdenæ naues.* Demum *bis centum equites.*

Turma, vnde dicta.

2. AVCTVRA ITALOS] Ita hoc illustrat Seruius: *Cato in Originibus dicit quòd ad Italiam Polytes venerit, & segregatus ab Ænea condiderit oppidum Polytorium à suo nomine.* Fragmentum hoc non reperias in fragmentis excussis hactenus.

3. THRACIVS] Floruit Thracia equis. Hesiodus dixit, διὰ Θρήκης πωλοτρόφου: *per Thraciam nutricẽ equorum.*

Thracia equis floruit.

4. FRONTEMQVE OSTENTAT, &c.] Non dubium, quin Poëta respexerit aduersus hoc Homeri lib. 23. Il.

—φράσατο δ' ἵππον ἀριπρεπέα προὔχοντα,
Ὅς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο περίτροχον ἠΰτε μήνη·

—videbátque equum conspicuum præeuntem,
Quique cætero corpore totus rufus erat, ínque fronte
Album signum erat, rotundum tanquam luna.

Ex hac imitatione habemus fortassis colorem equi Polytæ, quem subticuit Poëta. Itaque erat rufus reliquo corpore, pede & fronte candicans. Vide verò vt Virgilius exhibeat equum sese ostentantem, ex ingenio videlicet huius ferę. De equis Cyrillus in Amos, διὰ μέσων ἤεσαν τῶν πλατειῶν, ἄνυντι, καὶ σοφὸν, καὶ οἷον ἐξ ἐπιστήμης ὑποχρεμετίζοντες: *Ibant per medias plateas, quasi cogitato, sapienter, scientérque hinnientes.* Iterum: λαμπροῖς φαλάροις κατεστεμμένοι, τὸν ἐπιβάτην τάχα που καὶ ἐπιγινώσκουσι, μονονουχὶ καὶ φυσῶσι μέγα, σεπτόν τε, καὶ ἀξιάγαστον ἐπαναθέμενοι τὸν ἡνίοχον: B *Insignibus phaleris ornati, equitem etiam fortasse agnoscunt, & propemodum inflantur animis, cùm se honorabilem & spectatum sessorem habere sentiunt.*

5. GENVS VNDE ATYI] Læuinus notat in Sueton. cap. 4. August. Poëtam id cecinisse in gratiam materni generis Augusti: Octauius enim ex Atya Augustum tulit, sed & Atyos Latinos dixit, non Romanos vt ab Aritia deductã gentem doceat. Non abit nota Seruij hæc. *Propter Atyam dixit matrem Augusti: de qua Antonius ait, Aricina mater: vult enim eius etiam maternum esse genus antiquum.*

6. PVEROQVE PVER] Locutio perelegans, quam placitum locupletare breuiter, Græcis primùm, deinde Latinis. Eurip. supplicib. ἔκτεινον, ἐκτείνοντο: *occidebant, occidebantur.* C iterum, οὐκ ἄξι, οὐδ' ὑπὸ ἀξίων: *indignè, & ab indignis.* in Alcestide, ἄλγος ἄλγει προσκείμενον, *dolor dolori additus.* In Phœniss. ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος: *ex dolore dolor.* iterum, ἔφερες ἄχεα πατρίδι φόνια φόνιος: *attulisti dolores patriæ cruentos cruentus ipse.* Sophocles in Aiace flagellif. πόνος πόνῳ πόνον φέρει: *labor labori laborem affert.* Virg.

Talibus orabat, talésque miserrima fletus
Fértque refertq; soror: sed nullis ille mouetur
Fletibus.

vbi, *tales talibus: fletus fletibus.* & 3. Æn.

—Tibrin, vicináque Tybridis arua.

infrà: *orbibus orbes.* Liuius lib. 38. *vim vi arcendi ius esto.*

7. SIDONIO EQVO] Occurrit hoc loco industria D celeberrimi pictoris, qui in tabula Iphigeniæ ductæ ad sacrificium, cognatis reliquis mœstissimè expressis, vbi ad patrem Agamemnonem peruenit, quem mœstiorem esse oportebat, eum velo obtexit, quia ad tantam mœstitiam exprimendam ars nequit peruenire. Ad rem. Virgilius loquens pictor, tam eleganter & pulchre Priami equum descripsit, vt desperauerit (sic credo) elegantiùs se posse, & pulchriùs pingere. Ergo rem tegit, & loco descriptionis aliud inducit. quo oratio ieiuna non videatur, nimirum munus illud profectum à Didone: itaque tantùm equum Sidonium opponit equo Thracio. Sed qualis ille esset, qui à Didone datus esset Ascanio filio Æneæ? & hæc fortasse ratio, cur sileatur de equo Atys.

a Excipiunt plausu pauidos, gaudentq; tuentes
Dardanidæ, veterumq; agnoscunt ora parentum.
b Postquam omnem læti consessum, oculosq; suorum
Lustrauere in equis c: signum clamore paratis
Epytides longè dedit, insonuitq; flagello.

d Olli

[d] Olli diſcurrêre pares, atque agmina terni
Diductis ſoluêre choris; rurſúſq; vocati
Conuertêre vias, infeſtaq; tela tulêre.
[e] Inde alios ineunt curſus, alióſque recurſus
Aduerſis ſpatiis, alternóſque orbibus orbes
Impediunt, pugnæq; cient ſimulacra ſub armis.
[f] Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace feruntur.

A

ARGVMENTVM.

Excipiuntur cum gaudio. luſtrant hi conſeſſum. ſignum datur. Troia peragitur.

EXPLICATIO.

[a] DVplex ſententia. Prima Seruij hæc: *pauidos: id eſt, gloriæ cupiditate ſollicitos; vt, corda pauor pulſans.* Noſtra altera, qua ſic ordinamus, *excipiunt pauidos plauſu.* vt dicat, expauiſſe pueros & equos ad ſubitum & ingentem plauſum, qui excitatus. Hoc enim conſentaneum magis ad naturam puerorum. Sequitur, *gaudéntque*, &c. in quibus eſt affectus, & cauſa. Ideo gaudent, quia in illis agnoſcunt ora. In verbis acumen eſt, pueri expaueſcunt, patres gaudent.

[b] A narratione patrum tranſit ad liberos, qui iam *læti*, id eſt, ex pauore recreati, circumiêre in equis ſpatium illud, in quo peragendum ludicrum. Additque Poëta, naturæ par, non ſolùm luſtratum conſeſſum, ſed *oculos* ſignatiſſimè, ex obſeruatione naturæ, ſi rem altiùs expendas. Patres impenſiùs amant liberos, quàm liberi patres. Ergo in patrum amore explicando tot verba inſumpta; *excipiunt, tuentur, gaudent, agnoſcunt.* Filij tantùm luſtrant oculos ſuorum, id eſt, figunt oculos in ſuis: & hoc vno explent amorem patrum, & ſeniorum, qui aderant.

[c] Duplex ſignum: clamor, & flagelli ſonitus: primum, quo pueri vocentur; alterum, quo equi excitentur. Nihil verò me cogit, vt hîc cum Seruio per *flagellum* capiam virgam: Donatúmque ſequor, qui ſimpliciter accipit. Et certè cùm à longè ſignum detur, ictus virgæ quid faceret? ergo putemus, verè flagello inſonitum, in quo vis magna ad equos commouendos. tu ſæpius videris.

[d] Hîc primus aditus ludicri, in quo quatuor facta. Primùm eunt pares: mox ſoluunt ſe in triplex agmen, & ſic perueniunt ad finem circi: tertiò, inde vocati conuertunt ſe: quartò eunt ſibi cum telis obuiam. In voce *choris*, agnoſcas puerilem exercitationem, & ſimulacrum belli, non bellum.

[e] Perinde ac ſi dicat. Inde iam ex aduerſis ſpatiis (in quibus fuerunt, cùm tulêre ſibi infeſta tela) iniuêre curſus alios, recurſus, orbes, quibus peractum ſimulacrum quoddam belli.

[f] Seru. *Tria, quæ in bellis geruntur, cuncta commemorat, fugam, pugnam, pacem*; eſt autem *nudare terga fugæ*, fugere, ſed ſubobſcurè: ideo placeret lectio illa, quam præferunt codices aliqui, & Pierius commeminit, *nudant terga fuga*, id eſt, fugiendo. Nam qui fugit, eo ipſo oſtendit, & veluti nudat terga.

NOTÆ.

1. AGNOSCVNT ORA PARENTVM] Similitudinem liberorum ad parentes conſentaneam eſſe naturæ, certum eſt. Dabo hîc locum communem aſſentiens amiciſſimo viro, cuius, hîc eſſe communem hunc locum de ſimilitudine liberorum ad parentes, interfuit. Videndus itaque Hippocrates lib. de Morbo ſacro, vbi multa in hanc rem. Heſiodus,

Liberi ſimiles parentibus.

Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι:
Pariunt fœminæ ſimiles liberos genitoribus.

Ariſt. lib. 1. de Genet. Anim. cap. 19. καὶ τὸ ὅμοια γίγνεσθαι τοῖς γεννήσασι τὰ ἔκγονα, εὔλογον: *conſentaneum* B *eſt, liberos ſimiles eſſe genitoribus.* Item. 2. Polit. καὶ γὰρ τὰς ὁμοιότητας, αἳ γίγνονται τοῖς τέκνοις πρὸς τοὺς γεννήσαντας: *ſecundùm ſimilitudines, quibus liberi reddunt parentes.* Plutarchus de Diſcrimine adulator. & amic. καὶ μὴν ἐοικότα γε τέκνα φύεται γονεῦσιν ἐν φιλοσοφίᾳ: *Et verò in philoſophia locum habet illud, naſci prolem parentum ſimilem.* Calpurnius Flaccus in Declamat. *Miramur hanc legem eſſe naturæ, vt in ſobolem transeant formæ, quas quaſi deſcriptas ſpecies cuſtodiunt?* Galen. lib. de Theriac. ad Piſon. cap. 11. ait, ſe admirari naturæ opera, in arte: quam adhibet in prima hominis formatione in materno vtero: atque inter alia: *quàm diuino artificio, quámque euidenti ſimilitudine parentum imaginem in genitis effingat.* Ponit hoc in laude C Horat.

Laudantur ſimili prole puerperæ.

Abeſt enim tunc ſuſpicio adulterij. Ideo Catull. in Epithal. auſpicans,

Sit ſuo ſimilis patri
Mallio, & facilè inſcijs
Noſcitetur ab omnibus:
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Eſt hoc, quod Lucretius dixit,

——*miſcentes volta parentum.*

Ex hac filiorum ad parentes ſimilitudine argumentum eſt apud Liuium lib. 39. Macedones enim, qui Demetrio præ Perſeo fauebant, ſic iactabant: *Illum* (videlicet Perſeum) *pellice ortum eſſe; & vt ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere: hunc* D (videlicet Demetrium) *inſignem Philippi ſimilitudinem præ ſe ferre.* Scipio apud eundem lib. 26. hanc corporis ſimilitudinem ad animum transfert optimo argumento: *Breui faciam, vt quemadmodum nunc noſcitatis in me patris patruíque ſimilitudinem oris vultúſque, & lineamenta corporis; ita ingenij, fidei, virtutiſque exemplum, expreſſam ad effigiem vobis reddam: vt reuixiſſe, aut renatum ſibi quiſque Scipionem imperatorem dicat.* Cauſam ſimilitudinis, quæ eſt in prole ad parentes, hanc ſubdit Plin. lib. 7. cap. 12. *Similitudinum quidem immenſa reputatio eſt, & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, hauſtaq; imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam vtriuſlibet animum*

Similitudinis ad parẽtes cauſſa.

mum subitò transuolans effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Quæ non abeunt à sententia Galeni, de Theriaca, narrantis ex vetere quapiam historia, hominem opulentum quidem, sed deformem exstitisse, qui cùm affectaret pulcrum sibi filium procreare, formosum in ampla tabula puerum depinxit. Inde vxori congrediens præcipit, vt è regione positam imaginem diligenter consideraret. illa verò attentè respiciens; & , vt sic dicam, totum animum illuc conijciens (erat enim valde pulcra ea figura) puerum peperit non patri, sed picturæ similem. itaque vis omnis similitudinis sita est in cogitatione, & sensibus.

2. INDE ALIOS INEVNT CVRSVS, &c.] Quid addam explicationi, nihil habeo. Sed do πάρεργον, Hispanus de re Hispana, vocante me occasione ludi huius equestris. Vsitatum est Hispanis nostris equestres quasdam exercitationes noctu dare cum facibus, *encamisadas* vocant. Obseruo itaque hunc morem tractum Hispanis ab antiqua Græcia. Hoc satis indicat locus Platonis lib. 1. de Republ. *Tunc Adimantus: Nescitis (inquit) vesperi facibus cursúque equorum ludentem in honorem Deæ? Equorum cursu, inquam. Nouum hoc certè. Facésne gestantes, & vicissim illas sibi tradent, equísque certabunt? An ita dicis? Ita prorsus, inquit Polemarchus.* Qui vidit Hispanos nostros, non dissimilia ab hoc Platonis iudicabit.

Hispanorũ mos ductus à Græcis.

3. PVGNÆQVE CIENT SIMVLACRA] Tale pugnæ simulacrum fuisse apud Macedonas Liuius lib. 40. narrat, his verbis ad Poëtæ simulacrum factis: *Mos erat lustrationis, sacro peracto exercitum decurrere, & diuisas bifariàm duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Regij iuuenes duces ei ludicro certamini dati, cæterùm non imago fuit pugnæ*, &c. Lucretius lib. 2. ante vtrunque,

Feruere cùm videas pugnæ simulacra cientes.

Sueton. *imaginariam pugnam* dixit, vt Liuius, *imaginem pugnæ*. Est etiam locus in Apul. lib. 10. ad Maronis flexus ita concinnatus: *Nam puelli puellæq; virente florentes ætatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Græcanicam saltantes Pyrrhichã, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbem rotarum flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, & in quadratum patorem cuneati, & in cateruæ dissidium separati.* Plato lib. 7. Leg. docet, pueros assuefaciendos bellorum imagine. his verbis: *Pueros verò antequam prodire in bellum possint, armis equisque oportet in Deorum omnium pompis ornatos, modò velociores, modò tardiores in chorea, & itinere ad Deos, Deorúmque filios supplicationes fundere. Ludi porro, atque præludia, si rerum aliquarum gratia, nullarum certè nisi harum sunt adhibenda. Hæc enim in pace, & bello tam priuatim quàm publicè vtilia sunt.*

Pugna imaginaria.

Pueri assuefaciẽdi bellorum imagine.

4. NVDANT] Vt verbum *nudo* ad rem militarem transtulit, ita sæpe Liuius. Nam lib. 26. *nudata defensoribus mœnia.* & lib. 29. *agro inermi ac nudo præsidijs.* & lib. 37. cum respectu fortasse ad Poëtam, *Auxilia in fugam versa nudarunt omnia vsque ad cataphractos equites.* & sæpe alias. Cedrenus, γυμνὸν ἀντιπάλων χωρίον: *locum nudum hostibus.*

Nudo de bello.

[a] VT QVONDAM Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.
[b] Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texúntque fugas, & prælia ludo:
DELPHINVM similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycúmque secant, ludúntque per vndas.

ARGVMENTVM.

Eáque duplici comparatione illustratur Labyrinthi, & Delphinorum.

EXPLICATIO.

[a] LVculenta Labyrinthi Cretensis descriptio, atque ita ex arte facta, vt ipsa satis doceat ambages, & errores veræ fabricæ, quam construxit Dædalus. Tripliciter indigetat *iter, dolum, errorem*, crescente semper oratione. Deinde iter illud est, textum, id est, implicatum, neque hoc satis, sed cæcis parietibus: dolus est anceps, & habet vias mille: error indeprensus, irremeabilis, & fallit. Quid his addendum? Porro vti alij Labyrinthum descripserint, in 6. dico.

[b] Accommodat comparationem, & signatè infert verbum *texo*, quod fuerat in descriptione Labyrinthi. Et quia suprà, *alternos orbibus orbes Impediunt*, ita hîc, *vestigia cursu Impediunt*. Mox delabitur ad Delphinas iterum comparans. Etenim in hoc ludicro puerorum tum varij cursus ac recursus fuere, intexti omnes, implicatíque; ad hoc necessaria fuit comparatio Labyrinthi: fuit deinde celeritas in his cursibus ac recursibus; ideo addita altera comparatio à Delphinis. Cùm ait *Carpathium Libycúmque*, accipe pro vniuersis partibus. Nisi quis velit, hæc duo maria hoc in primis pisce abundare, atque ex aliquo vetere scriptore desumpsisse Poëtam. Quæ ratio illustrando Virgilio in rebus aliis adhibita iam Turnebo.

NOTÆ.

1. VT QVONDAM CRETA] Vt hic choros puerorum, (nam sic vocauit) cum Labyrintho comparat: ita Homerus 18. Iliad. choreas, quæ depictæ in Achillis scuto, cum eodem Labyrintho; vt appareat Poëtam tacitè voluisse ad Homeri exemplum aspirare. Homerici versus sunt:

Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
Τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.
In eo etiam choream variè finxit inclytus Vulcanus,
Ei similem qualem olim in Cnosso lata
Dædalus elaborauit pulchricomæ Ariadnæ.

2. ALTA] Ita in 5.

Contra elata mari respondet Cnosia tellus.

Itaque, hîc *alta Creta*, quod ibi, *elata*. Adi.

3. DELPHINVM SIMILES] Erat in hoc ludicro puerorum tum magna celeritas, tum varij cursus. Vtrunque explicat comparatio Delphinorum. De celeritate ita Arist. lib. 9. Animal. cap. 48. λέγεται δὲ καὶ περὶ ταχυτῆτος ἄπιστα τῶν ζώων. ἁπάντων γὰρ δοκεῖ εἶναι ζώων ταχύτατον, καὶ τῶν χερσαίων, καὶ ὑπεράλλονται δὲ πλοίων μεγάλων ἱστούς.

Delphinorũ celeritas.

ἰσοὺς. Et paulo pòst. καὶ ὑπεράλλονται τοὺς ἱσοὺς, ἐὰν τύχωσι τῶν πλοίων. Non iſta egeant verſione, ſi audias Pliniana hæc lib 9. cap. 8. *Velociſsimum omnium animalium, non ſolùm marinorum, eſt Delphinus, ocyor volucre, ocyor telo.* & paucis interiectis: *tantáque vi exſiliunt, vt plerunque vela nauium tranſuolent.* & Solinus ſic, *ante omnia nihil velocius habent maria, vt plerunque ſalientes tranſuolent vela nauium.* Excuſes Plinium, & Solinum: hunc qui Plinio inſtitit; illum quia fortaſſe incidit in Codicem Ariſtotelis corruptum: Sanè ἱσία vela ſunt, ἱσοὶ tamen mali nauium: & ἱσοὺς nominat Ariſtoteles, non ἱσία. Malè itaque vterque vertit, Delphines tranſuolare vela nauium; debuiſſent dicere, malos nauium. Nam Plinium inſtitiſſe Ariſtoteli quis neget? Niſi quis potiùs dicat, corrigendum Ariſtotelem ex Plinio. Iam de curſibus, & recurſibus Delphi- A norum, de ludis, déque animalis huius ingenio, & quàm ſenſim per vndas elabatur inter natantes homines, ac ſeſe retibus includat, ac mox liberet, & blãdiſſimo ſaltu, ac natatu iam huc iam illuc feratur; videndus Plin. Non abludunt hæc Apollonij loquentis de Delphinibus lib. 4. Argonaut.

Σπερχομένην ἀγεληδὸν ἑλίσσοντο περὶ νῆα,
Ἄλλοτε μὲν προπάροιθεν ὁρώμενοι, ἄλλοτ' ὄπισθεν,
Ἄλλοτε παρβολάδην, ναύτῃσι δὲ χάρμα τέτυκτο:
Feſtinantem gregatim glomerantur circa nauem,
Nunc quidem antè viſi, nunc verò à tergo,
Interdum ex obliquo. Nautis autem gaudium eſt.

4. Hvmida] Reddit Homericum ὑγρὰ κέλευθα, *vias humidas.* & Pindaricum Od. 7. Olymp.

Βλάστε μὲν ἐξ ἁλὸς ὑγρᾶς:
Emerſit quidem ex mari humido.

ᵃ Hunc morem curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.
ᵇ Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troïa pubes,
Albani docuere ſuos. hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem:
Troiáque nunc pueri Troianum dicitur agmen.

ARGVMENTVM.

Illam Aſcanius Albanis tradidit; inde Romani accepere. nunc retinet nomen Troiæ.

EXPLICATIO.

ᵃ CVm ait hunc morem & ludum ab Aſcanio ad Albam *relatum*, referendus eſt Poëta ad certamen, quod hîc luſit Aſcanius. Itaque *rettulit*, eſt, repetiuit. Atque adeo decurſio hæc primùm nata eſt ab exſequiis Anchiſæ, deinde traducta Albam, & mox Romam.

ᵇ Sic concipe. Quo modo puer ipſe nunc luſit, & quomodo ſecum pubes Troïa; ita deinde Albani docuere pueros ſuos. Hinc porro Roma maxima accepit, & ſeruauit honorem patrium, id eſt, à patribus Albanis acceptum. Quæ decurſio deinceps dicta ſemper Troia.

NOTÆ.

Reffero. 1. Rettvlit] Vt hîc producta ſyllaba prima, ita Q. Serenus

Sic etiam rutilus reffertur pectore ſanguis.

& Horatius,

Vnde pedem refferre pudor vetat, aut operis lex.

Sic legunt Turn. Lamb. Achilles, & antiqui codices. Ouid.

—ſed enim quia rettulit Aiax.

Itaque falſa eſt quædam Grammaticorum diſtinctio vulgo inculcata. Semper hæc ſyllaba corripitur lege ſua, & cùm producenda eſt, ſemper debet littera geminari.

Caſcus, pro priſco. 2. Priscos] Quos hic Virgilius, & Liuius lib. 1. appellat *Latinos priſcos*, Ennius lib. 1. Ann. vocat *Caſcos*, cùm ait:

Quam primum Caſci populi genuêre Latini.

Cicer. lib. 1. Tuſcul. *Itaque vnum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius.*

B 3. Troia] Dicit hanc diuerſionem propriè indigetari, Troiam. Ludicrum hoc, florente Romano imperio, repetitum ſæpius à nobiliſſimis pueris ad imitationem eius quod Poëta ab Aſcanio celebratum canit. Xiphilin. in Iulio: τήν τε ἱππασίαν τὴν Τροίαν καλουμένην οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐποιήσαντο: *Fuit quoque equeſtris pugna, cui nomen eſt Troia, à pueris nobiliſsimis antiquo more pugnata.* Quæ verba etiam habet Dio lib. 43. De Auguſto qui poſt Iulum, ita Sueton. cap. 43. *Sed & Troiæ ludum edidit frequentiſsimè, magnorum minorúmve puerorum delectu: priſci decoríque moris exiſtimans claræ ſtirpis indolem ſui noteſcere.* Et de Agrippa Dio lib. 48. *Troiam vocatum ludum per nobiles pueros magnificè exercebat.* Procedente demum impe- C rio, nam Tacit. 6. Annal. *Sedente Claudio Circenſibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium, & cognomentum Neronis aſcitus; fauor plebis acrior in Domitium, loco præſagij acceptus eſt.* Paria Sueton. in Neron. cap. 7 *Tener adhuc, nec dum matura pueritia Circenſibus ludis Troiam conſtantiſsimè, fauorabiliterque luſit.* Suetonius in Tiberio cap. 6. hos ludos vocat Circenſes: *Præſedit & Actiacis ludis, & Troianis Circenſibus, ductor turmæ puerorum maiorum.* Non hîc contemnendum duplex doctorum hominum iudicium: primum eſt, hoc ludicro Troiæ ſolitam ſaltari Pyrrhichã. Hanc ſaltationem Græci inuenêre (Cretes fortaſſe, aut Lacones, nihil id moror; vel Pyrrhus Achillis filius, vel Achilles ipſe, vt placet Ariſtoteli. D Lege Cuiacium lib. 13. Obſeru. cap. 10. Siue Dea Pallas, vt vult lib. 7. Dionyſ.) vt pueri armati condiſcerent artem militarem: in ea enim corpus variè exercebatur. Ergo qui putant Pyrrhichã, & Troiam eandem eſſe, ſunt Seru. qui hic ex Suetonio ita ſcribit: *Luſus ipſe, quem vulgo Pyrrhicham appellauit, Troia vocatur.* & Donat. qui, *hoc genus certaminis Pyrrhicham vocant.* Cuiacius dicto loco, Naſcimb. & Alexander. & Nouitij alij. addit poſtremus, hanc ſaltationem fuiſſe, ex Romuli inſtituto, quam is *bellicrepam* appellauit. An verò Pyrrhicha, & Enoplia, id eſt, armata ſaltatio, eadem ſit, in lite adhuc. Plin. lib. 7. cap. 56. abiungit.

Troia ludus

Circenſes de Troia.

Pyrrhicha in ludo Troiæ.

Bellicrepa ſaltatio.

Enoplia an eadem cum Pyrrhicha.

iungit. *Saltationem armatam Curetes docuêre, Pyrrhichem Pyrrhus, vtramque in Creta.* Coniungit Dionys. Hal. lib. 7. *Enoplia saltatio dicta Pyrricha.* Recentes iam huic, iam illi accedunt; plures certè Dionysio. Alterum est, quæ apud nostros dicuntur Torneamenta, originem ducere ab Troiæ ludo, & corruptè sic dici, quasi Troiamenta. Vt tibi signatum dem auctorem; adi præter alios, Wolphang. Lazium lib. 10. Comment. cap. 2. Sed quoniam feci mentionem in hac Nota eorum, qui ludum hunc referunt ad Græcos, indicabo Platonis locum hoc firmantem lib. 8. Leg. A vbi constituit tria certamina. ἓν μὲν παιδικῶν, ἓν δὲ ἀγενείων, ἓν δὲ ἀνδρῶν: *vnum puerorum, alterum imberbium, tertium virorum.* Qui locus videtur efficere, Romanos à Græcis traxisse morem. Nam Dio, pariter lib. 43. vnà cum ludo puerorum adiungit iuuenes certatores. Puerorum verba iam suprà attuli, post quæ sequuntur ista. καὶ ἐφ᾽ ἁρμάτων οἱ νεανίσκοι οἱ ὁμότιμοι αὐτοῖς ἡμιλλήσαντο: *iuuenesque, qui dignitate æquales erant, curribus certauerunt.* Et hoc credo est, quod Suetonius dixit in Tiber. cap. 6. *auctor turmæ puerorum maiorum.*

Torneamẽtorũ origo.

Troia ludus à Græcis ortus.

[a] Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
[b] Hîc primùm fortuna fidem mutata nouauit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de cælo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem: ventósque aspirat eunti,
[c] Mvlta mouens, nec dum antiquum saturata dolorem.
[d] Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa cito decurrit tramite virgo.
[e] Conspicit ingentem concursum, & littora lustrat,
Desertósque videt portus, classémque relictam.

B

ARGVMENTVM.

Celebrato funere commutatur rerum status: Iuno enim ad classem mittit in perniciem Troianorum Deam Irim: hæc citissimè paret, & deuolat.

EXPLICATIO.

[a] IDeo *sancto*, quia iam relato in Deos præterita celebritate. Coniunge puer diuulsam voculam *hactenus*.

[b] Quæ sequuntur, omnia παθητικά, ex magno Poëtæ ingenio in condendo & condiendo poëmate: post risus, lusus, plausus, læta omnia; sequuntur lacrymæ, calamitates, luctus, tristia omnia. Itaque hic liber diuisus est, nam hactenus narrata læta, iam deinde sequentur tristia. Obserues etiam; in funere, quod ex se mœstum, fuisse tot læta: in nauibus, quibus lætissimè vehendi in Italiam iam propinquam; in Palinuro, quo duce vehendi, tot tristia; & huius cladis initium ortum à fœminis, quæ debuissent virorum res agere. Ergo Iuno auida ruinæ Troianorum, ipsamet mittit Irim, &, quo celeriùs nocumentum afferatur, ventos eunti aspirat.

C

[c] Præclarè. signat enim agmen & turbam cogitationum, quæ erant in animo Iunonis aduersum miseros Troianos: quibus cogitationibus comparabat se ad magnarum cladium originem, & fata impedienda; nam incensis nauibus spes omnis præcidebatur adeundi Italiam, cùm videlicet non processissent insidiæ tantarum tempestatum.

[d] Describitur præcipitantia Iridis, nam *celerans viam:* colores, qui *mille*, id est, multi: modus volandi, nam *nulli visa.* Cùm ait, *cito tramite* videtur mihi signari compendium, vt breuiùs iret.

[e] Vidit concursum, vbi ludi celebrantur, littora verò & classem desertam. Itaque occasio fuit rei gerendæ idonea, nam viri erant longè, qui auxilio venirent.

NOTÆ.

1. MVTATA] Est hoc, quod in 4. *anceps*, quod in 11. *alterna.*

2. IRIM] De cælesti arcu dixi in fine superioris lib. huc reuoca. Hîc tantùm audias quatuor notulas: primam, vox *sollemnis* sæpe ad funeralia pertinuit, quod tritum, & aliis iam probatum: alteram, vt Mercurius ad pacem plerunque & concordiam missus, ita Iris ad discordias; inde vocis etymon: dicta enim Iris quasi ἔρις, vt notauit Setu. Inde fortasse 2. Iliad Iris dicitur venire σὺν ἀγγελίῃ ἀλεγεινῇ, *cum nuntio tristi.* tertiam, vt hîc à Iunone, ita in 9. ab Ioue mittitur; vtrunque congruenter; nam cælestis arcus in aëre, & nubibus fit, illi præest Iuppiter, his Iuno: quartam, acumen est in verbis, & oppositio; Iuno à iuuando dicitur, sed hæc tam benefica etymo suo Dea, Saturnia dicitur, quo, quicquid nocumenti est, indicatur; ergo Deam illam, quæ tantam perniciem Troianis affert, non simpliciter Iunonem, sed cum addito, voces Saturniam.

Sollemnis de funere.

Iris vnde dicta.

Saturnia à nocumento.

3. NEC DVM ANTIQVVM] Fuit retinentissima irarum Iuno. Inf.

Iunonis grauis ira, & inexsaturabile pectus,
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla.

Ouid. in Epist. Hyperm.

Scilicet ex illo Iunonia permanet ira.

Senec. in Furent.

— Viuaces aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Æterna bella pace sublata geret.

Iuno retinentissima irarum.

D

Hesiodus in Theog. de iris huius Deæ aduersum Herculem,

Ἄπληστον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ
Inexplebiliter irascens in virtutem Herculis.

Sidonius Antipater: Ἥρη δ᾽ ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός: *Iuno graue numen vtrique*, scilicet Herculi, & Baccho. Huc pertinet interrogatio illa Iouis ad Iunonem per initia. 4. Il. cur tam incessanter Troianos affligat, vt nullus sit apud eam clementiæ locus? Possis iras Iunonis vocare πόλεμον ἀκήρυκτον. Nusquam enim bellum

lum grauius & implacabilius, quàm cùm nulli præcones ab hostibus admittuntur, nulla remedia ad pacem.

Iridis celeritas.

4. CELERANS] De celeritate Iridis hæc adnotabam. Homerus 2.Il. ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις: *In pedibus ventum habens velox Iris.* iterum, πόδας ὠκέα Ἶρις. in 11. eandem vocat non solùm ταχεῖαν, *velocem*, sed etiam χρυσόπτερον, quibus dat alas in pedibus, & obiter aureas. In 15. de eadem, & de Apolline πετέσθαι à volatu. Et post pauca, eam comparat hunc in modum:

Ὡς δ' ὅταν ἐκ νεφέων πτῆται νιφὰς, ἠὲ χάλαζα,
Ὡς κραιπνῶς μεμαυῖα διέπτατο ὠκέα Ἶρις:

Veluti autem, cùm ex nubibus volat nix aut grando, sic celeriter festinans deuolauit velox Iris. Demum 18. θέουσα, & 24. ἀελλόπος, maiore incremento. Primum est *festinans*, alterum, *turbinipes, procellipes.* quia instar procellæ & turbinis raperetur.

5. ARCVM] Quia iris censebatur descendere in terras per arcum suum. Ouid. lib. 11. Met.

— & rediit per quos modò venerat arcus.

Monuit Turnebus. Adiungo non absimile esse, ventis eam ferri. Homerus 23. Il.

— ὠκέα δ' Ἶρις
Ἀράων ἀΐουσα, μετάγγελος ἦλθ' ἀνέμοισιν:
— velox autem Iris
Preces audiens, internuntia venit ventis.

Doceat te Claudianus Virgilium imitari. Hic 2. Rap

Non sic innumeros arcu mutante colores.

vbi *colores* in quarto casu, *arcu* in sexto: cùm contrà Noster. Hoc exemplo poteris leuiter Virgilij versus flexu alio commutare.

ᵃ At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant: cunctæq; profundum
Pontum aspectabant flentes: heu, tot vada fessis,
Et tantum superesse maris? VOX omnibus vna:
Vrbem orant, TÆDET pelagi perferre laborem.
ᵇ Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Coniicit, & faciémque Deæ, vestémque reponit.
Fit Beroë, Ismarij coniux longæua Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natíque fuissent:
Ac sic Dardanidûm mediam se matribus infert.

ARGVMENTVM.

Erant tum Troianæ fœminæ separatæ à reliquo virorum cœtu, ac lacrymabundæ recordatione præteritorum, atque futurorum malorum. Assimilat se Iris Beroæ notæ fœminæ.

EXPLICATIO.

ᵃ Fingit miserrimas Troianas fœminas: nunquam enim magis parati mortales ad quodcunque facinus obeundum, quàm cùm sunt in miseria, à qua si ducem habeant, conentur se eximere. Vidit hoc Virgilius, & ideo, quas voluit inceptare dirum deinde facinus, miserrimas priùs fingit. Erant secretæ disiunctæque à reliquo cœtu virorum lætantium, longè ab omnibus, in solo littore. Nec flent solùm, sed in ipso fletu omnes simul in vocem hanc erumpunt doloris & angoris plenam. Heu, tot adhuc vada, tantum maris superest nobis miseris, tam longa ac diuturna nauigatione defessis. ab his querelis itum in vnam sententiam, vt velint iam esse in vrbe aliqua, non per maria errare.

ᵇ Hoc puncto temporis, se Iris in medium earum coiicit, quo meliùs audiri ab omnibus posset, relicta priùs persona Deæ, atque assimilata Beroæ, quæ fuerat coniux Dorycli, & quæ satis nota ex genere, & nomine, ex natis. Cùm de Iride ait, *haud ignara nocendi*, pro, sciens fraudum, videtur mihi Poëta alludere ad dolos, quibus sæpe vsa Iris in ministerio Deorum, præsertim Iunonis. Assumpta est enim sæpe ad similes res, testis tota Ilias.

NOTÆ.

1. AT] Particula apta explicando discrimini, ad quod se accingit.

Acta, vox Græca.

2. ACTA] Vox Græca, id est, littus, παρὰ τὸ ἄγειν, quod eò naues conferantur. Quam tamen vocem iam Latini fecerunt ciuem suam. Cicer. in Verr. *in acta cum mulierculis iacebat ebrius.* Cornel. Nep. siue, vt alij, Æmil. Probus in Agesilao: *Cùm in acta cum suis accubuisset, secretum, & amœnum littus,* &c. Prudentius contra Symmachum:

Inuenit expositum secreti in littoris acta.

Parco aliis, qui vsi hac voce, videlicet Turpilio, citato à Nonio, Val. Flacco. 5. Arg. Victorino de metris ex Poëta incerto, Sancto Ambros. lib. 5. Exham. Tale quiddam est, auctores vsos voce *astu*, quæ Græcà omnino. & Plinium lib. 7. cap. 2. dixisse: *Intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* vbi probata, sunt oues, Græcè πρόβατα. Eandem lib. 6. cap. 27. *Arabia Eudæmon cognominata excurrit.* pro Latino *Arabia felix.* Græci enim εὐδαίμων. & cap. 31. *Hesperium ceras.* pro, Hesperium cornu, nam Græcè κέρας. & lib. 11. cap. 37. Latinis litteris scripsit *corybantian*, pro κορυβαντιᾶν. Prudent. hym. 10. Peristeph.

Astu.

Probata.

Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas vngulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis.

id est, sulcat. Idem omnino quod postea alio flexu,

Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant.

Iterum:

Et quanquam plagam sulcus exarauerit.

Plautum in Pseud.

Hunc diem sumpsimus prothymè.

Prothymè.

id est, προθύμως. Martialis, lib. 11.

Hinc seras epidipnidas parabat.

Epidipnis.

vtique ἐπίδειπνα, & ἐπιδειπνίδας. Itaque vsitatum fuit inserere Latino sermoni Græcum & Latinis litteris. Sed adhuc in Siculis hoc peculiare fuit, qui vtebantur eo sermone, qui permistus esset è Græcis & Latinis vocibus.

Siculus sermo promiscuus.

vocibus. Demum obscura actam habitam pro loco voluptatis. Firmat hoc Æmilius Probus, quem iam adduxi. & Seruius, qui actam explicat, secretum & amœnum littus. Cuius rei causam habes apud Plutarchum lib.4.Sympos.quæst.4. *Quid bone Iuppiter, volunt sibi, qui ad oblectationem se mutuò inuitantes, dicunt, hodie in acta cœnabimus? Nonne, quòd in littore, cœnam, vt est, suauissimam esse sentiunt? Non quidem propter fluctus, aut lapillos (quis enim in littore Lecythum, & Capparim mensæ adhibeat?) Sed quòd copiosi, ac recentes pisces mensam sint structuri. Adde, quòd omnium aliorum opsoniorum precium exceditur à marino.* Probat hoc deinde Plutarchus. Ad rem; neque enim ista ociosè testor. Troianæ fœminæ ad actam amandatæ sunt, non ad fletum, sed ad voluptatem: hæc mens Poëtæ. Nam cur viris lætantibus in apotheosi Anchisæ, fœminæ secluderentur ad luctum? Sed ipsæ quidem nactæ occasionem solitudinis, lætitiam suam corruperunt, ex gaudio conuersæ ad lacrymas: ideo viris gaudentibus, illæ *amissum Anchisen flebant*. Fuerunt ista necessaria ad hunc locum.

Acta de loco voluptatis.

3. HEV TOT VADA FESSIS] Similis locus sæpe scriptoribus, nec pigebit cum Poëta conferre. Ergo apud Curtium lib.5. Milites Macedonici: *Dijs inuitis in vltimas terras trahi se querebantur. Iam nec flumina posse adiri, nec sidera pristinum præstare fulgorem. Vastas terras, deserta omnia occurrere: in vnius hominis iactationem tot millium sanguinem impendi.* Romani apud Cæs. 1.Gallic. timere se aiebant *angustias itineris, & magnitudinem syluarum.* Africanis apud Liuium lib.21. in transitu Alpium. *fessis tædio tot malorum, niuis etiam casus ingentem terrorem adiecit, adeo vt pigritia & desperatio tot omnium vultu emineret.* Liuiana leuiter immutaui.

4. VRBEM ORANT] Similis ille versus in superiore lib.

Virgilij varij flexus.

Mortem orat, tædet cæli conuexa tueri.

Quo exemplo efficit Iul.Scaliger. Poëtam aliquo interdum flexu rem eandem repræsentare. Ita in 6.

—habitatq; sub alto
Pectore. cùm in 11. leui flexu,
—habitátque sub isto Pectore.

Ita in hoc tractu, *coniicit se inter medias.* & statim *infert se mediam.* Cùm verò desperauit se meliùs posse dicere, integra reposuit.

5. FACIEMQVE DEÆ, VESTEMQVE REPONIT] Alius vultus Deorum Dearúmque à vultibus mortalium; alia vestis. vultus nitore fulgidi, vestes Dearum

A demissæ ad talos, ideo in 1. *pedes vestis defluxit ad imos.* Cùm mortales fœminæ altiusculè cingerentur. Sed de his notis diuinitatis iam ego alibi. Ergo Iris faciem reponit, quia nitorem; vestem, quia altiùs cincta. Sic credendum.

6. DEÆ] Sic sæpe vocata Iris. Infrà Virgil.

Cùm Dea se paribus per cœlum sustulit alis.

De ea Homerus.3.Il. ὡς εἰποῦσα θεά: *sic locuta Dea.* & 15. Neptunus illam compellat Ἶρι θεά, *Iris Dea.* Cicero. 3.de Nat. ita scripsit: *Cur autem arcus species non in Deorum numerum reponatur? est enim pulcer, & ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata.*

Iris Dea veteribus.

7. FIT BEROE] Similia passim apud Poëtas. Hæc B ipsa Iris.2.Il formam induit Politæ filij Priami. Pallas 17.Il.Phœnicis. Iuno apud Ouidium.3.Met.aniculæ. Ceres apud Pausan.Attic. vulgaris fœminæ, nam cùm dicit Pyrrhum ictu tegulæ à muliere deiectæ interiisse, ait creditum ab Argiuis, non mulierem illam, sed Cererem fuisse, assumpta forma mulieris.

8. ISMARII] Legendum fortasse Tmarij, nam Seruius, qui nuper exiit opera Pet. Danielis diuersè admodum à vulgato interpretans, sic ait: *Tmarij Dorycli: Illyrij. Tmarus enim mons est Epiri.* Iuuant hanc lectionem, quæ dicta sunt eclog.8. ad illud.

Tmarij legendum, non Ismarij.

Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Vt enim ibi error irrepsit, sic hoc loco. Iuuat & ratio; nam in Thraciam, vbi Ismarus, non ita felix C Troianis aduentus fuit, (vt indicat historia Polydori) vt ibi Thracium hominem matrimonio sibi Troas aliqua mulier adiungeret: debuisset potiùs in Epiro, vbi benignissimè & humanissimè Troiani omnes habiti ab Heleno, ab Andromacha.

9. DORYCLI] Dorycli cuiusdam (si hoc est aliquid ad illustrationem Poëtæ) filij nothi Priami, Homer. lib.11.Il. meminit,

Αἴας δὲ Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἷλε Δόρυκλον
Πριαμίδην, νόθον υἱόν:

Aiax autem in Troianos insiliens interfecit Doryclum
Priamidem, spurium filium.

10. CVI GENVS] Malè hîc nonnulli versum hunc referunt ad Doryclum, quem dicunt notum fuisse ex genere, opinione, natis; capienda hæc potiùs de Beroë. Nã relatiuum, *cui*, etiam si adiunctum viro, tamen hîc refert principaliorem personam, quę proculdubio hîc Beroë. Deinde hæc mens Donati: *Facta est Beroë, quã illæ nouerant, quàm nobili esset genere, & reliqua.* Adi.

[a] O miseræ quas non manus (inquit) Achaïca bello
Traxerit ad lethum patriæ sub mœnibus: ô gens
Infelix, CVI TE exitio fortuna reseruat?
[b] Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas,
Cùm freta, cùm terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraq; emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.
[c] Hîc Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
[d] Quid prohibet muros iacere, & dare ciuibus vrbem?
[e] O patria, & rapti nequicquam ex hoste Penates:
[f] Nulláne iam Troiæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum & Simoënta videbo?

D

ARGVMENTVM.

Commouet illas ad dolorem fœdo mortis genere, quo absumẽdæ; & recordatione calamitatũ, quas passæ, quas patiẽtur. Deinde rẽ agit à facili, atque excitat conquestionẽ ingentem.

EXPLICATIO.

[a] IDeo *miseræ*, quia non in patria occubuerint, *non bello Achaico sub patria mœnibus.* Viuidum illud,

—ô gens

—ô gens
Infelix, cui te exitio fortuna reseruat?
Expende Poëtæ ingenium. Vult proponere Iris infelicem præsentem statum, in quo sunt fœminæ. In primis ab egregia, sed præterita, occasione moriendi, miseras esse iudicauit: iam rem agit à futuro, neque nominat genus mortis, quod habituræ, sed loquitur in incertum, vt putent illæ acerbissimum fore. Nam, quæ bello Troiano perire non potuêre, quo nullum maius, quæ non potuerunt mergi tot tempestatibus, quas passa est classis Troiana, quibus nullæ aut fœdiores, aut atrociores: quid tandem credendum, nisi vt in solito aliquo exitio abripiantur? Ergo, infelices estis, non quia mortuæ. hoc enim in magna felicitate ponendum fuisset; sed infelices, quia viuæ; vos videlicet seruante fortuna ad cladem aliquam abominandam, & insolitam.

b Quid plura potuit ad persuasionem, afferédúmque tædium, non iam fœminis natura mollibus, sed etiam viris promptissimis? Sunt enim verba omnia efficacissima, & argumentum à circumstantiis sumptum. A tempore, nam *vertitur iam æstas septima*, (signat annos septem.) A mari, quod emensæ, & *freta* ad αὔξησιν, nam hic locus periculosior. A terris, non vnis, sed omnibus. A saxis, quæ præteruectæ, & hæc vocat *inhospita*, ad exaggerandum. Quin ait, ô fœminæ, non tam nauigamus, quàm *ferimur*, quàm *voluimur*. Quasi dicat. Rapimur, iactamur, & verè fluctuamus, vndis nos pro arbitrio suo ducentibus. Quid verò quærimus per tot labores? *Italiam*, & hanc *fugientem*, quæ ergo spes obtinendi?

c Argumentum est à facili post magnos iam terrores iniectos. Iam hîc sumus, quid vltra quærimus? Fuerunt olim hæc littora Erycis fratris Æneæ, nunc sunt Acestæ hospitis Troianorum. cur negentur domicilia?

d Hoc colligit ex superiore versu. Nos possumus vrbem condere, Siculi facilè vrbem dare.

e O patria, quam deseruimus! Præstaret te non deseruisse, quamuis euersam. Nam facilius fuit in re iterum domicilium erigere, quàm illud quærere post tot maria. *O Penates nequicquam rapti ex hoste!* Frustra vos seruauimus, nihil in vobis opis. Nunquam enim, & nusquam apparet vrbs illa vobis construenda.

f Locum hunc explicant, quæ dixi ad illud. 3. Æn. *falsi Simoëntis*, & omnino ad locum illum spectat hîc Poëta. Perinde. O felicem Helenum, felicem Andromachen, qui iam vrbi à se conditæ Troiæ nomen indiderunt, qui flumina Epiri vocarunt Xanthum, & Simoënta. Cùm ait *Hectoreos amnes*: loquitur in gratiam Hectoris, & cum inuidia tacitè pungente Æneam.

NOTÆ.

1. O MISERÆ] Contra, felix Polyxena, de qua in 3. Æn.

O felix vna ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.

Præsentem locum illustrabunt ea, quæ dixi lib. 1. ad illud:

———*ô terq; quatérque beati*
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Item quæ dixi:

—*Méne Iliacis occumbere campis*
Non potuisse?

vt hîc *Manus Achaïca*, pari forma Liu. lib. 43. *Achaïco concilio Argis agitato.*

2. SEPTIMA] Videtur pugnare hic locus cum illo lib. 1. multo antè pronunciato:

Nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

In interpretibus lux nulla, illustrandus Poëta face Gulielm. Modicij cap. 5. Sciendum *portare*, & *verti*, discriminari inter se. *portare*, est aduenientis; *verti*, recedentis. Ergo, illud. 1. Æn. *te septima portat æstas*, signat incipientem aduenientémque æstatem: hîc verò *septima æstas vertitur*, signat recedentem, & finitam iam æstatem. Ad rem. Æneas appulit Carthaginem incipiente æstate, & recessit inde in exitu eiusdem. Itaque bene in 1. incipiente æstate, *te portat septima æstas*. & hic de eadem desinente: *septima æstas vertitur*. Nam in fine eius æstatis, in qua fuit Carthagine, rediit in Siciliam, vbi pronunciatus hic versus, & celebrati ludi. Remoueo duo, quæ obstant, est in 4. Æn.

Nunc hyemem inter se luxu, quàm longa, fouere.

Ergo fuit Carthagine non solùm per æstatem, sed per hyemem. Respondeo, id dici ore famæ, quæ & veri & ficti nuncia. Itaque canebat facta, atque infecta, & dissipauit rumorem falsum in Africa, Æneam fuisse integrum annum cum Didone. nam ibi *hyemem* sumas pro anno; iuxta ea, quæ dico lib. 1. ad finem. Alterum est in hoc libro:

Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias diuinique ossa parentis
Condidimus terra, &c.

Maior hic nodus, nam Anchises mortuus est ante aduentum Æneæ in Africam, & cùm ex Africa rediit, celebrauit exsequias; ergo annum integrum moratus est Carthagine; nam ipse dicit, orbem annuum completum, & non vtcunque, sed exactis mensibus. Respondeo, non statim à morte Anchisæ parasse Æneam profectionem è Sicilia. Itaque post mortem patris potuit, imo debuit menses omnes hyemis in Sicilia conquiescere, vtens liberalitate Acestæ, neque per id tempus committens se ventis. quibus expletis, iter parauit in Italiam incipiente æstate septima. sed statim reuocatus est tēpestate in Africam, in qua fuit per æstatem integram, qua exeunte rediit in Siciliam, & sic verè completus est annus integer à morte patris vsque ad ludos, sed non completus in sola Africa, sed partim in Sicilia, partim in Africa.

Virgilius defenditur.

3. CVM FRETA] Nota vocum consecutionem. *vertitur septima æstas, cùm ferimur.* Ita Cicero lib. 9. ad Attic. *Aliquot sunt anni, cùm vos duos delegi.* Propertius lib. 2. eleg. 16.

Tot iam abiêre dies, cùm me nec cura Theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa iuuat.

& eleg. 20.

Septima iam plenæ deducitur orbita Lunæ,
Cùm de me, & de te compita nulla tacent.

4. EMENSÆ] Liuius Andronic. in Helen.

Metior, de mari.

Tu qui permensus ponti maria alta veliuola.

Philostrat. lib. 7. vitæ Apollon. cap. 6. *Σικελικὰ μὲν πελάγη, καὶ Τυρρηνοὺς κόλπους ἀναμετρῶν*: *Siculum pelagus, & sinus Tyrrhenos dimetiens.* Lucretius lib. 6.

Aëra permensus multum campósque natantes.

5. MARE MAGNVM] Ab hac sententia non dissimilis illa:

I sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Sed quid *mare magnum*? Titius lib. 6. Loc. cap. 3. *mediterraneum* accipit: non placet. Puto animum Poëtæ fuisse signare spatium quoddam immensum, vastum, profundum; cui nullus fere terminus, nullus exitus; & hac vna re voluisse animis fœminarum desperationem inducere, tædium, languorem. velle enim in tanto æstu sermonis, & feruore irarum finitionem Mediterranei constituere, extra rem est. Scio, *mare magnum* esse mediterraneum, & Isidori auctoritati, qua Titius

Mare magnū, quid sit.

rem firmat, adiungo Plin. lib. 9. cap. 15. *Thynni intrant è magno mari pontum verno tempore gregatim.* & Orosium, qui lib. 1. cap. 2. loquens de Asia: *Sub Ægypto verò, & Syria mare nostrum, quod magnum generaliter dicimus, habet.* Quin Cicero in Somnio Scipion. hanc appellationem attribuit Atlantico, cùm ait, *Circumfusa (terra) illo mari, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris.* vides vt *mare magnum* etiam sit Oceanus. Quod expressit quoque Cæsarius dialogo. 1. *Nondum enim erat illud extra Gadira situm mare, neque magnum illud, quod exhorrent nautæ, pelagus, quod Britanniam insulam, & Hesperios Iberos ambit.* Philo etiam lib. de Abraham, Oceanum, μεγάλην θάλατταν. Itaque Virgilium habuisse in animo finitionem Mediterranei in tanto æstu sermonis, id nego. Cùm præsertim ea voce capi etiam possit Oceanus. Ita enim veteres de Oceano existimabant. Seneca Rhetor. 1. Suas. *Nihil infinitum est, nisi Oceanus.* Explicatio Seruij, *magnum, id est, procellosum.* Idonea quoque, & ad

A mentem Poëtæ. nam quis dubitet, procellas, tempestates, sæuitiam maris inducere animis terrorem? Capiet à me firmamentum Seruius: nam Sallust. in Iugurth. *mare magnum esse, & sæuire cœpit ventis.* Ductum à montibus, & collibus, qui attolluntur vi tempestatis intumescente mari. Sic & Noster. 3. Æn.

— magnáque surgunt
Æquora.

Explicatio Turnebi: *mare internum*: ἅλα δῖαν, plausibilior est Titiana.

6. FVGIENTEM] Ita in 6.

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Pari sententia 3. Æn. arua Ausoniæ dicuntur *cedentia retro.*

7. FRATERNI] Ita suprà: *fraterna littora Erycis.*

8. XANTHVM ET SIMOENTA] Coniungit sæpe hos duos fluuios, quia coniuncti ipsi. Plinius lib. 5. cap. 30. *Xanthus Simoënti iunctus.*

[a] Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.
[b] Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: hîc quærite Troiam:
Hîc domus est, inquit, vobis. IAM tempus agi res.
[c] Nec tantis mora prodigiis: en quattuor aræ
Neptuno: Deus ipse faces, animúmque ministrat.
[d] Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem,
Sublatáque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. arrectæ mentes, stupefactáque corda
Iliadum [e]. Hîc vna è multis quæ maxima natu
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
[f] Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa matres
Est Dorycli coniux. diuini signa decoris,
Ardentésque notate oculos: qui spiritus illi,
Qui vultus, vocísque sonus, vel gressus eunti.
[g] Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem tali quòd sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
[h] Hæc effata.

ARGVMENTVM.

Adiungit argumenta diuina duo: alterum Cassandræ, alterum Neptuni, porrigentium sibi ignem in manus. Postquam verbis acuerat, iam facto, nam ignes iacit in classem. Iridis argumenta iuuat Pyrgo, & coniecturis, & veritate.

EXPLICATIO.

[a] HÆc summa rei, ideo tot verba insumpta. Puppes hîc pro nauibus noto tropo: sed fortassis propriè capiendæ. Naues cùm sunt in portu, earum puppes littus prætexunt, hæc tantùm cernuntur, ab illis inchoandum erat incendium. Ergo Iris eas partes signat veluti digito, quas videt ab ipso littore.

[b] Rem firmat diuino testimonio. & quidem Cassandræ vaticinia vim habuerunt post euersam Troiam, quæ priùs non credita. Quid verò Cassandræ imago? visa est & agere, & dicere: agere, nam mihi vel-

B uti in manus faces tradebat, vt iniiciam in naues: dicere, nam me hortata est, vt hîc in Sicilia Troiam quæramus, hîc nobis esse domum fatis constitutam, iam tempus res agi. Quasi dicat: Gnauæ fuimus, sed inutiliter; multa egimus, & nihil actum. iam agendi tempus.

[c] Hîc prodigia pro signis capio, & indiciis, hac sententia. sunt nobis clara indicia voluntatis Deorum, qui nobis veluti in manus præbent faces. nam ecce aræ in quibus ignes.

[d] Non iam verbis, sed opere excitat. Apparent in his versibus celeritas, & furor. Nam *corripit ignem vi* magna, & hunc *infensum*. Ideo verò *connixa*, quia dixerat *vi*. in verbo *coruscat* subaudi *ignem*, vt explicatior sit sententia. Virgilius enim variis in locis *coruscat*

C *strictum mucronem, ensem, telum.* Effecit Iris quæ voluit, nam sequuntur signa persuasionis hæc, *arrecta mentes, stupefactáque corda Iliadum.*

[e] Quo efficaciora sint quæ dictura est Pyrgo, eius senectutem, & dignitatem commendat. Senectutem, *maxima natu*: dignitatem, *nutrix regia tot natorum Priami.*

f Pro

f Probat à coniecturis, hanc non esse Beroën, sed aliquam è Deabus cælestibus. Coniecturæ quinque sunt. Oculi ardentes, spiritus, vultus, sonus vocis, gressus alius quàm in mortalibus. Est *coniux Rhœteia* Troiana, à Rhœteo promontorio Troiæ. A

g Coniecturis addit ipsissimam veritatem. Non potest esse Beroë, quam ego nuper reliqui ægrotantem, & ob id ipsum indignantem ac dolentem, quòd non posset adesse huic celebritati propter ægritudinem. Cùm ait *inferret*: vsus est signata voce. Nam ab infero dictæ inferiæ. Itaque dolebat, non posse se celebrare inferias Anchisæ.

h Subaudi quod libeat, effata est hæc tantùm. vel hæc effata conticuit.

B

Notæ.

1. Nam mihi Cassandræ] Ad hanc lucem nebulam suam Pet. Apollonius lib. 1. Excid. apud quem Iosephus, vt quidpiam persuadeat Iudæis, hoc sermone vtitur,

——non hoc ego numine nullo,
Non inuisus ago. templi mihi parte remota
Oranti Moses, simul & Iesseia proles,
Visi ambo, monuêre loqui, radiósque micantes
Cernitis infusos oculis è lumine nostris
Cornigeræ frontis? ne forsan vana loquutus
Arguar, illorum monitu, Romanáque signa
Vertite, & astricto Rectorem inuadite ferro.

Nullo efficaciore argumento gentes rem persuadebant, quàm cùm diuinum quidpiam sibi apparuisse obtestarentur. inde & hîc istud de Cassandra, & postea Pyrgo in argumentum suum adducit, *non Beroë vobis*, &c. vt persuadeat, quæ vult. Est in Iustin. lib. 24. quiddam ad hanc rem pertinens, vbi Delphi malo Gallorum oppressi simili inuento salutem sibi quæsierunt: *Aduenisse Deum clamant, eúmque se vidisse desilientem in templum per culminis aperta fastigia.* & pergit hunc in modum: *Dum omnes opem Dei suppliciter implorant, iuuenem, supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitésque ei duas armatas virgines ex propinquis duabus Dianæ Mineruæq; ædibus occurrisse: nec oculis tantùm hæc se perspexisse, sed audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum. Proinde ne cunctarentur Dijs antesignanis hostem cædere, & victoriæ Deorum socios se adiungere, summis obsecrationibus monebant.* C

2. Agi res] Pari sententia dixit Arnob. lib. 6. *quæ in medio sita sunt, docere atque monere debuerunt agere vos nihil, & circa res cassas officiorum impendere nauitates.* In quo verbo credo allusionem fieri ad morem sacrorum, in quibus *ago* sollemne fuit: vt suprà etiam in illis, *Quin agite*, res nota. adeundi interpretes Ouidij in Fast. ad illud: [Ago in sacris.]

Semper agátne, rogat: nec nisi iussus agit.

Legendus Brissonius. Hîc te moneo, verba hæc:

—hic quærite Troiam
Hîc domus est (inquit) vobis iam tempus agi res.

Posse esse aut Cassandræ ad Iridem, aut Iridis ad fœminas: vt cunque sententia est clara. verba Virgilij arripuere Papin. & Claudian. Prior: *tempus agit rem.* Posterior: *Rem peragit tempus.* Ante omnes Enn. 5. Annal. *occasum iuuat res.* Postrema hæc notula Columnæ est.

3. Qvattvor aræ] De his quattuor aris Neptuni multa opinantur interpretes: in eam mentem eo, vt vel putem has excitatas à quattuor principibus certaminis primi nautici, quo sibi propitium quisque faceret Neptunum. vel ibi fuisse casu aliquo, quod consentit cum more veterum, qui sæpe aras occasione [Aræ excitatæ.] aliqua excitabant, & mox ibi ob memoriam rei gestæ relinquebant. Quis autem vetat veteribus aris vsos Troianos ad sua sacra? Morem illum multa aperiunt. Breuiter do Plinium lib. 6. c. 16. *Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutæ: item à Cyro, & Semiramide, atq; Alexandro.* iterum: Tanaim amnem *transcendit Demonax, Seleuci & Antiochi regum dux, arásque Apolloni Didymæo statuit.* & c. 17. Amnem *ad Hypasin, qui fuit Alexandri itinerum terminus, exuperato tamen amne, arísque in aduersa ripa dicatis.* Quid quòd aræ illæ potuerunt excitari à nautis passis tempestatem, & se voto astringentibus Neptuno? Nihil autem mirum, diu ibi permansisse; fuerunt enim hac religione imbuti gentiles, vt ædificia sacra semel excitata nunquam diruerent. De trophæis Vitruuius lib. 2. cap. 8. *Nefas est trophæa dedicata remoueri.* Dio ait, Cæsarem non ausum καθελεῖν diruere trophæum Mithridatis. & addit rationem, quæ ad rem nostram. ὡς ἐς τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερώμενον. Ergo, neque aræ dirui poterant, quia similiter Diis sacræ. Ita probabiliter inuestigandum in ritibus gentilium.

4. Hæc memorans] Paria sunt loca in 2. & in 12. Æn. vbi Laocoon sacerdos, & augur Tolumnius, primi telum iaciunt, ille in equum, hic in Troianos; cùm iidem suos priùs acuissent magno ardore verborum.

5. Svblata] Placet commentatio hæc Nascimb. *De more ducum: nam qui principes erant alicuius facti, sublata dextra alios ad facinus euocare, & excitare solebant. Ita Scipio Nasica impetum facturus in Tib. Gracchum, sublata dextra, Qui Remp. (inquit) vult saluam esse, me sequatur.* [Dextera sublata.]

6. Rhoeteia] Obseruabis, solere Virgilium complere notitiam rerum variis in locis. Suprà dedit patriam mariti, nunc dat vxoris. Inde emergit plena hæc cognitio, videlicet, mulier Troiana Beroë nupsit in via Epirensi homini Dorycelo. De Rhœteïo promontorio alibi. Sententia videtur expressa ex Q. Calabro lib. 1. apud quem Troiani, Penthesileam pugnantem cùm vident, putant se videre non mortalem fœminam, [Virgilius complet notitiam variis in locis.]

Ἀλλ' ἄρ Ἀθηναίην, ἢ καρτερόθυμον Ἐνυώ,
Ἢ Ἔριδ', ἢ κλειτὴν Λητωΐδα:
Sed Mineruam, vel magnam Bellonam,
Vel Litem, vel claram Latonæ filiam.

D

7. Ardentes ocvlos] Homerus Il. 3. inter signa diuinitatis dat Veneri ὄμματα μαρμαίροντα, *fulgentes oculos.* & de Pallade, οἱ ὄσσε φαάνθεν. *huic fulgere oculi.* quem locum aduocat ad hanc rem Heliodorus lib. 3. Hist. Æthiop. vbi aperit, qualis sit hic Deorum obtutus, vnde illi queant agnosci à mortalibus. Signata verba sunt, ἀτενὲς βλέποντες, καὶ τὸ βλέφαρον οὔποτε ἐπιμύοντες: *tuentur continuo obtutu, neque vnquam concludunt palpebras.* Hippocrates in Epist. describens Veritatem, quæ sibi angusta facie vti Dea apparuerat, inter alia signa diuinitatis, hanc ponit: διέλαμπον, ὡς αὐτέης οἱ τῶν ὀμμάτων κύκλοι, καθαρόν τι φῶς, οἷον ἀστέρων μαρμαρυγὰς δοκέειν: *Cuius oculorum orbes claro lumine pellucebant, vt stellarum fulgores viderentur.* Cæterùm integer hic locus illustrabitur illis, quæ mihi dicta iam lib. 1. Æn. ad illud, [Oculorum ardor, nota diuinitatis.] [Deorum intuitus, quis.]

E

Dixit, & auertens rosea ceruice refulsit,

& sequentibus.

8. Spiritvs] Ex his quæ dicta. 1. Æn. ad illud,

——diuinum vertice odorem
Spirauêre,

potes hîc capere spirationem, odorem latè ab Iride emanantem, nam hæc nota inter diuinitatis notas adhi

adhibita à gentibus: nisi quis detorqueat ad efficaciam viuiditatémque loquentis.

Deorum incessus, quis.

9. GRESSVS EVNTI] Inter signa diuinitatis Deorũ maximum erat gressus. Ita etiam in 1.

Et vera incessu patuit Dea.

Quasi alius incessus Deorum, alius mortalium. Apud Homerum. 13. Il. Aiax Oileus abeuntem Neptunum, latentem tamen in figura Calchantis, agnoscit ex Incessu, & ex eo colligit, non esse Calchantem, sed Neptunum. Verba eius sunt,

ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν, ἠδὲ κνημάων,
ῥεῖ᾽ ἔγνων ἀπιόντος.
Vestigia enim retro pedum, & tibiarum
Facilè cognoui abeuntis.

Heliodorus dicto loco ait, Deos maximè cognosci *βαδίσματι incessu.* Atque etiam explicat tum Homeri B locum, tum etiam quis sit iste Deorum incessus. Locum Homeri, nam is (ait Heliodorus) non capiendus ita ῥεῖ᾽ ἔγνων, sed ἔγνων ἴχνια ῥεῖ᾽ ἀπιόντος. Itaque non dicat Homerus *facilè cognoui*: sed *cognoui vestigia facilè euntis*. Incessum pluribus explicat, quæ placitum adiungere, quia necessaria tam ad hunc locum, quàm ad lib. 1. Æn. Ait itaque de isto Deorum incessu: οὐ κατὰ διάστασιν τῶν ποδοῖν, οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ, ἀλλὰ κατά τινα A ῥύμην ἀέριον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον, τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον, ἢ διαπορευομένων. διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνύντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσι: *Non ex dimotione pedum, neque transpositione exsistit, sed ex quodam impetu aërio, & vi expedita findentium magis auras, quàm transeuntium. Quamobrem statuas quoque Deorum Ægyptij ponunt, coniungentes illis pedes, & quasi vnientes.*

10. ÆGRAM] Vox *æger* cùm de corpore, & animo dicatur, libentius hîc ad corpus retulerim, quo fortius sit argumentum. Nam Beroë, etiam si animo ægra, adesse poterat; non ita, si ægra corpore. De ægritudine animi obuia exempla, de corpore (nam hoc aliqui negant) satis Virg. 3. Georg. — Æger de animo, & corpore.

—& quatit ægros
Tussis anhela sues.

11. MVNERE] Munus est publica celebritas, & spectaculum aut arenæ, aut circi, aut venationis: &c. Suetonius in Iul. cap. 75. *bestias quoque ad munus populi comparatas cõtrucidauerat.* Tertullian. aduer. Gent. *qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem recentem de iugulo decurrentem exceptum, auida siti, comitiali morbo medentes, hauserunt.* Apul. lib. 10. *munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus.* — Munus, quid.

[a] At matres primò ancipites; oculísque malignis
Ambiguæ spectare rates miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatísque vocantia regna:
[b] Cùm Dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentémque fuga secuit sub nubibus arcum.
[c] Tum verò attonitæ monstris, actæq; furore
Conclamant, rapiúntque focis penetralibus ignem.
Pars spoliant aras, frondem, ac virgulta facésque
Coniiciunt: furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per, & remos, & pictas abiete puppes.

C

ARGVMENTVM.

Hærent primò fœminæ, deinde diuino signo excitatæ naues incendunt.

EXPLICATIO.

a ÆSTV cogitationis in diuersa trahebantur. Hinc amor terræ præsentis, inde fata, quæ Italiam pollicebantur: itaque *ancipites* verè, & *ambiguæ*.

b Accessit persuasio vltima, nimirum, diuinum aliquid, quo vis addita superiori orationi. Nam statim arcus formatus est in aëre, quem medium Iris volando secuit. Sunt *alæ pares* alæ æquali motu agitatæ, imo nullo motu, quem discernere possent oculi. Ita enim agitabantur, vt viderentur non moueri. Sed vide peritiam Virgilij. In alis repræsentauit notam diuinitatis, quam de pedibus iam explicui. Pares ferebantur alæ Deæ Iridis, vt pedes Deorum, nulla transpositione. Vide quæ iam attuli ex Heliodoro de Deorum incessu.

c Huc destinatæ superiores machinæ & technæ Iridis. habuit quod voluit. nam matres attonitæ monstris, & furore actæ, conclamant, ignem rapiunt, iniiciunt: ignis furit, naues corripiuntur. Omnia sunt παθητικά. præsertim cùm nullus honos habitus sit aris, & sacris. Ignis enim, qui destinatus ad Deorum cultum, seruit abominando crimini.

NOTÆ.

1. MALIGNIS] Oculi maligni sunt, quibus non plenè intuemur, sed semioclusis oculis. sic *seges emergit malignè*, est, emergit cum detrimento aliquo, non plena. & *cibaria malignè præbentur*, est cum diminutione aliqua præberi. Hæc autem maligna intuitio signat animum mali aliquid machinantem. — Malignum quid.

2. CVM DEA SE PARIBVS] Similia in Virg. loca. 2. & 12. Æn. Orationi Simonis eloquentissimæ accedit prodigium anguium, qui missi à Pallade: Orationi Iuturnæ dissuadentis fœdus accedit signum è cælo. Tale quid in Liuio lib. 26. *Apud omnes magnum nomen Martij ducis est, & veræ gloriæ eius etiam miracula addunt, flammam ei concionanti fusam è capite sine ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum.* Itaque D sæpe sequuta prodigia vim dederunt præcedenti orationi. — Prodigia sæpe secuta sermonem.

3. SECVIT] Quis scit, an Poëta, vt est rerum omniũ obseruantissimus, alluserit ad naturam circulorum, quos linea diametralis cùm diuidit, dicitur secare. Itaque Iris secuit, id est, diuisit arcum volando per eius medium. — Virgilius rerum obseruantissimus.

4. CONCLAMAT] Clara allusio ad militiam, in qua solitum conclamari hoste interueniente; item ad fugam. Ergo fœminæ inuasuræ naues suas tanquam hostiles, priùs conclamant. Potestas verbi ad funus quoque traducta. Lucan. lib. 2. — Conclamo ad funera.

—corpora nondum

Conclamata

Conclamata iacent,

Apul.lib.1. Asin. *domi tuæ iam defletus & conclamatus es.* Lege Seruium ad illud lib.6. *Pars calidos latices.*

5. PENETRALIBVS] Qui foci penetrales? Donat. *ex interioribus partibus incendia rapiebant.* Hæc verba ducunt me in eam coniecturam, vt putem, in aris, quæ subitario excitabantur, partes aliquas discriminatas; ita, vt quã fieri posset, adumbrarentur Deorum templa, in quibus erant partes remotiores, quæ dictæ penetralia: partes item minus remotæ. Igitur focus erat in parte quadam interiore aræ. Id Poëta insinuat, id Donatus sua commentatione. Iuuat, focum esse propriè Deorum Penatium, id est, penetralium Deorum. Acron in Od.2. Epod. *Focus Dijs Penatibus sacer est.* & Porphyr. *Ara Deorum Penatium est focus.* Discrimen inter ignem & focum, alibi do ex Isidoro. Qui *focos penetrales* explicat castos, & puros; oportuisset simili loco probaret, aut poëtæ alicuius, aut scriptoris. is est Hortensius. Neque ego puto, posse me dicere, virtutem penetralem, pro, puram, & castam. (Focus est Deorum Penatium.)

6. FACESQVE] Similis furor. 1. Æn.

Iámque faces, & saxa volant: furor arma ministrat.

Paulo diuersiùs de hoc Troianarum nauium incendio scripserunt alij. Plutarchus lib. de virtutibus mulierum ait, id gestum ad fluuium Tiberim à Troianis fœminis cogitantibus, qualemcunque sedem quauis in terra potiorem esse, quàm tot errores, & nauigationes perpeti. Signata verba, quibus illarum impetum narrat, hæc sunt: ἐκ δὲ τούτου συμφρονήσασαι, κατέφλεξαν τὰ πλοῖα, μιᾶς καθηγαμένης, ὥς φασι, Ῥώμης: *Deinde conspiratione facta naues cremauerunt, duce, vt fertur, facinoris, Roma.* Id ipsum ex Plutarcho narrat interpres Lycophronis, & addit, naues Græcorum fuisse. πλεῖστον δ' ἀρχὸς ἡ Ῥώμη μία τῶν αἰχμαλώτων Τρωϊκῶν, τὴν συμβουλεύσασαν ταῖς λοιπαῖς, καῦσαι τὰς Ἑλλήνων ὁλκάδας: *Narrat Plutarchus Romam vnam è captiuis Troianis fœminis reliquis suasisse, vt Græcorum naues exurerent.* Sed ipse tamen hoc facinus attribuit Æthullæ, Astuochæ, Medesicastæ, quas ait fuisse sorores Priami, & filias Laomedontis. Demum ait: fluuium, vbi patratum facinus, vocatum à secessu Nauæthum, quia ναῦς nauis est, αἴθω vro. Strabo. lib.6. Νέαιθον nominat, adi illum. Sed quî potuit interpres Lycophronis hoc facinus referre ad naues Græcorum, cùm ipse Plutarchum aduocet, & hîc nihil tale? Itaque credamus vel mendum irrepsisse in interpretem, indocti alicuius glossemate: vel ipsum turbatum alia historia. feruntur enim Græci capto Ilio consedisse aliqui ad Scionam vrbem Thraciæ, ibíque naues suas concremasse. Lege Stephanum. Refer ad laudem facinus illud magni Marchionis Vallensis expugnatoris Indorum, qui, vt Hispanis redeundi spem omnem præcideret, naues proprias corrupit, vt sic coacti Orbem nouum subiicerent. Hunc virum posteritas omnis admirabitur, cui parem nullæ vbique gentium nationes dabunt. Lege parem successum apud Iustinum lib.22. Refer etiã ad laudem facinus Heluetiorum, de quo legendus Iulius lib.1. Gallic. Facinus Syracusanorum, qui incenderunt nauem Atheniensium, habes apud Thucydidem lib. 7. & cladem similem apud Cedrenum pag.616. (Nauium incendij historia.) (Nauæthus fluuius.) (Marchionis Vallensis elogium.)

7. FVRIT VVLCANVS] Noster Græco Sophocli hæsit, Nostro Latinus Silius. ille in Aiace Mast.

—ἀμφὶ μὲν νεῶν
Ἄκροισιν ἤδη ναυτικοῖς ἑδωλίοις
Πυρὸς φλέγοντος:
— intra quidem nauium
Summa iam nautica transtra
Igne flagrante.

Hic lib.4.

A *Vritur omne nemus, lucósque effusus in altos*
Immissis crepitat victor Vulcanus habenis.

Ait Vulcanus, pro igne, ad signandum magnum incẽdium, vt etiam in flammis Troiæ. ante illum Pind. Od.3. Pyth. (Vulcanus de magno igne.)

—σέλας δ' ἀμφέδραμε
Λάβρον Ἁφαίστου:
Fulgor circumcurrit impetuosus Vulcani.

8. TRANSTRA PER] Locutio hæc, & transpositio plena est venustatis, & vetustatis. Lubet firmare. Eurip. Phœniss. (Præpositio postposita cum venustate.)

—τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν:
Regnum propter, violandum ius est.

B & στέρνων δ' ἄπο: *pectoribus ab.* & ὀμμάτων ἔπι: *oculos supra.* Pindarus Od.3. Pyth. Ἀρέθοισαν ἐπὶ κράναν: *Arethusam ad fontem,* Sophocles in Antig.

—τάχους ὕπο
Δυσπνοῦς ἱκάνω.
celeritate præ anhelus venio.

Et in Elect. ὀμμάτων ἄπο: *oculis ab.* Hac elegantia vsi etiam Latini. Virgilium hîc vides. Tacit.4. Annal. *Italiam vtroque mari duæ classes Misenum apud, & Rauennam.* Et lib.6. *vrbem iuxta.* & 12 *templum iuxta.* Lucretius lib.1.

— ignibus ex ignem.

9. PICTAS PVPPES] Silent interpretes, quos vidi. Scias lector, quoties in poëtis occurrit pictura in nauibus, capi posse de Numinibus illis tutelaribus, quæ C pingebantur in puppibus. inde est, vt dicat hîc Poëta, irrupisse primùm flammas in ipsa tutelaria Numina, quæ picta in puppibus. Morem, quem dixi, cõfirmat Hecuba in Troad. apud Eurip. (Pictura nauium, vbi.)

Αὐτὴ μὲν οὔπω ναὸς εἰσέβην σκάφος,
Γραφῇ δ' ἰδοῦσα:
Ipsa quidem nondum nauis conscendi scapham,
Picturæ credens.

id est, picto ibi Numini. Ouid. in Epist.

Accipit & pictos puppis adunca Deos.

Ab Euripide illustrabis Horatium lib.1. Od.14. nam ad Græcum videtur contendisse, cùm ait:

Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit.

D id est, non fidit Numinibus, quæ picta sunt in puppibus. Et se satis Horatius explicat, nam in illo præcedunt:

— non tibi sunt integra lintea:
Non Dij, quos iterum pressa voces malo.

Itaque vnà cum pictura coniunguntur Numina. Ergo cùm Virgilius lib.7. dixit,

——pictásque exure carinas:

& in 8.

— pictásque innare carinas:

credendus est allusisse ad Tutelaria Numina, quæ picta in puppibus. nam hic illorum locus, vt ex dictis liquidum, atque etiam ex Persio Sat.6.

——iacet ipse in littore, & vnà
Ingentes de puppe Dei.

E Inde itaque in Virgilio exsurget magna conquestio, & commiseratio ab igne grassante non per transtra solùm, & tabulas, sed etiam per eam partem, in qua Dij picti. Quasi ignis primò arripuerit tutelam ipsam. Cui affectui par ille Silij, *Tutelæq; Deûm fluitant.* & Ouidij:

— pictos verberat vnda Deos.

Scio alibi esse picturam. Nam Herodotus lib.3. loquens de Samiis, ait, τὸ δὲ παλαιὸν ἅπασαι αἱ νέες ἦσαν μιλτηλιφέες. καὶ ἦν τοῦτο τὸ ἡ Πυθίη προηγόρευε τοῖσι Σιφνίοισι,

 φυλά

φυλάξασθαι τὸν ξύλινον λόχον κελάδοντα, καὶ κήρυκα ἐρυθρόν: *veteri autem instituto naues omnes erant rubrica delibutæ: atque hoc erat, quod Siphnijs Pythia prædixerat, vt cauerent à ligneo agmine, & legato rubro*.& Apuleius lib.11. inducit nauem *picturis miris Ægyptiorum variegatam.* Ex dictis in hac nota explico Apulei locum lib. 11. hunc:*Puppis intorta chenisco, bracteis aureis vestita fulgebat*.Hiç enim apparatus, qui sacer totus,in puppi est, nam in puppi Dij. & locum Ambrosij in Psal.47.*Bene nauigant,qui in nauibus Christi crucem,sicut arborem,præferunt, atque inde explorant flabra ventorum.* Indicat satè, in puppibus depingi à Christianis crucem loco tutelarium Numinum. Nam de puppi illum loqui, liquidum ex illo, *explorant flabra ventorum*. De Palinuro enim stante in puppi, Virgilius, *explorat ventos.* Explico etiam locum Arbitri, *protendit ramum oliuæ à tutela nauigij raptum*. vnde raptum, nisi à puppe, vbi Dij?

Dij in puppibus.

10. ABIETE] Hæc arbos optima est nauibus fabricandis. Adi Georgica.

[a] Nuncius Anchisæ ad tumulum, cuneósque theatri
Incensas perfert naues Eumelus:& ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare fauillam.
[b] Primus & Ascanius, cursus vt lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petiuit
Castra:nec exanimes possunt retinere magistri.
[c] Quis furor iste nouus?quò nunc,quò tenditis?inquit,
Heu miseræ ciues?non hostem,inimicáque castra
Argiuûm, VESTRAS spes vritis. [d] en ego vester
Ascanius.galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

ARGVMENTVM.

Incendij nuncius Eumelus est, & ipsi oculi : aduolat eò Ascanius, increpat fœminas.

EXPLICATIO.

[a] Excitatus erat tumulus in medio theatri, ideo *ad tumulum,cuneósque theatri*. Theatrum quippe circunstabat tumulum. Eò itaque aduolauit Eumelus ad perferendum nuncium. Nuncio verò fides accessit ab oculis spectantium fumum.

[b] Ex magno decoro attribuit ardorem hunc puero incipienti adolescentiam. Ergo is eò contendit concitato equo & cursu, neque illum possunt magistri retinere, erant quippe exanimes,nequid puero accideret in tanto rerum feruore. Et vide rerum commutationem ingeniosam. Puer, qui ludicras tantùm, nunquam veras pugnas gesserat,nihil timet,acer aduolat, cursu inuehitur: contrà magistri veteres pugnandi,timent,sunt exanimes, volunt retinere.

[c] Verè nouus, nam & in fœminis, & in vxoribus,& non contra hostes,sed contra viros suos.Ideo furiosæ & miseræ,vt quæ sibi ipsis præriperent spem eundi in Italiam.Exordium nullum,vt in re abrupta.

[d] Hoc puncto temporis,vt agnosceretur, galeam sibi Ascanius adimit, qua ludicrum peragebat certamen. Illa, *Galeam ante pedes proiecit inanem*,explicata iam suprà.recurre.

NOTÆ.

1. PERFERT]Vide quàm breuissimè. Notat præclarè in Homerum Spondanus Il.18.nusquam nos breuiores esse debere, quàm cùm tristia nuntiamus. orationis quippe prolixitas longiorem facit tristitiam, & dolorem narratione refricat. Sic Antilochus Achilli necem Patrocli, quàm breuissimè nunciat. De cuneis dictum.2.Georg.

2. CASTRA]Sunt hæc, classis nautica.vt lib.3.

—*nos castra mouemus.*

Quem locum vide. vt hîc Ascanius aduolat, ita pari impetu Apollonius lib.2.Excid.inducit Vespasianum occurrentem ad exstinguendum incendium.

3. ARGIVVM] Non dubium quin allusio aliqua fiat ad veteres pugnas Troiani excidij : cùm Troiani ipsi, in primis Hector, hostiles Græcorum naues incenderent.

4. VESTRAS SPES VRITIS] Ita Sophocles in Electra; & Electræ ore:

——τὰς οὔσας τέμου,
Καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν:
—*præsentésque meas,*
Et absentes spes interemit.

Tibullus pulcherrimè ad vestigia Virgilij:

—*Quid messes vris acerba tuas?*

vt in quibus spes positæ.

5. BELLI SIMVLACRA CIEBAT] Lucretiano modulo, lib.enim.2.

—*belli simulacra cientes.*

[a] Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
[b] Ast illæ diuersa metu per littora passim
Diffugiunt, syluásque, & sicubi concaua furtim
Saxa petunt. piget incepti, lucísque:suósque
Mutatæ agnoscunt, excussáque pectore Iuno est.
[c] Sed non iccirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuêre : vdo sub robore viuit
Stupa vomens tardum fumum:lentúsque carinas

Est

Eſt vapor,& toto deſcendit corpore peſtis.
Nec vires Herôum, infuſaque flumina proſunt.

ARGVMENTVM.

Poſt Aſcanium Æneas, & Teucri agminatim concurrunt. Fugiunt matres, & quærunt latibula. Graſſantur flammæ, nec remedium vllum.

EXPLICATIO.

a Geminatio *ſimul, ſimul*, indicat cunctos adueniſſe,& agminatim.

b Quid tum fœminæ? Aliæ præ metu abeunt vagantes per littota, aliæ ſe in ſyluas abdunt, aliæ in antra: *Piget incœpti*, quia nollent feciſſe: *piget lucis*, quia nollent viuere. Itaque verbum *piget* ad pœnitentiam refero cum Nonio. Sequitur *excuſſáque pectore Iuno eſt*. Perinde excuſſus eſt furor, quem concitarat Iuno.

c Deſcribitur pertinacia ignis hærentis in nauibus. Dat illi *vires indomitas*. Ita tamen, vt cunctabundum faciat, quia materia vda. Ideo, tardus fumus, lentus calor. Adeo verò ſe peſtis illa inſinuauit in totum corpus nauium, adeo indomitæ vires ignis, vt eſſet ſupra omnes vires, ſupra omnem aquam: nam nec vires etiam heroum profuerunt aliquid, nec aquæ, etiã ſi inſtar fluminum iactarentur.

NOTÆ.

1. ACCELERAT] Cum hac celeritate, qua itum ad exſtinguendum ignem, blandiuntur verba Plutarchi, quæ nolui omittere: τὰς μὲν τὰς οἰκίας τῶν φίλων ὅταν καιομένας ἴδωσι, σβεννύουσιν ὡς ἔχει τάχους ἕκαστος, ἢ δυνάμεως· τὰς δὲ ψυχὰς φλεγομένας αὐτοῖς προσφέρουσιν ὑπεκκαύματα: *Amicorum ædes cùm vident ardere homines, vnuſquiſque ad exſtinguendum incendium omnem ſuam celeritatem, omnem vim confert: cùm animum vident ardere, ipſi fomites & alimenta incendio ſuggerunt.* Adiungo etiam locum Senecæ de Tranquill. *Quorundam, quaſi ad incendium currentium miſereberis.* vide eundem ep. 117. ad finem. Pari aura Ioann. Chryſoſtomus homil. de Doctrin. & Corrept. ἔδραμες ἐπὶ τὸ σβέσαι τὴν πυράν.

2. AST ILLÆ] Tale quid in Liuio lib. 26. *Trepidatio verò non prælio maior, quàm tota vrbe fuit. Multæ ſtationes pauore, atque loca deſerta ſunt, relictique muri, cùm, qua cuique erat proximum, deſiluiſſent.*

3. PIGET INCOEPTI] Similis pœnitentia eſt in rege Perſeo, qui iuſſerat naualia ſua incendi. hiſtoria eſt in Liuio lib. 44. Placitum hîc vno tractu tibi ante oculos ponere, vti Virgilius tractauerit quæ pertinent ad ſexum fœmineum, vt hæreas tanti Vatis veſtigiis, aperiente viam Scaligero lib. 3. Poët. cap. 14. Fœmina infida eſt, ſuſpicax, inconſtans, inſidioſa, ſimulatrix, ſuperſtitioſa; & demum, ſi accedat potentia, intolerabilis. Itaque nihil in hoc ſexu modicum, immodica omnia. Quæ illa Iunonis ſuperbia? Fœminarum mores.

Aſt ego, quæ Diuûm incedo regina, Iouiſque
Et ſoror, & coniux:

Quæ væcordia Amatæ? quæ etiam fata apertè oppugnabat:

Quam ſuper aduentu Æneæ Turniq; Hymenæis
Fœmineæ ardentem curæq; iræq; coquebant.

Iuno ſe demittit ſupplicem deterioribus Æolo, & Furiæ, tantùm vt ſe vlciſcatur. Cùm extremus omniũ affectuum in fœmina, ſit Zelotypia tamen cæca Iuno fœdus init cum pellice Iuturna, vt Troianis noceat.

A Superſtitiones huius ſexus agnoſcis in illis:

Vota metu duplicant matres.

Exuberantem amorem in illis:

Stant pauidæ in muris matres, oculiſque ſequuntur
Puluerеam nubem.

Pœnitentiam ex hoc libro:

Aſt illæ diuerſa metu per littora paſſim
Diffugiunt.

& addit: *piget incœpti*, &c, quod maius eſt, *lucis*. Iam gemitus, lacrymæ, planctus, vlulatus, ſciſſio veſtium paſſim occurrit in Æneide. Demum hic ſexus maximus eſt oſtentator cuiuſcunque affectus. vide illa:

Amplexæq; tenent poſtes, atque oſcula figunt.

De Andromacha,

Impleuit clamore locum.

B Non enim mediocris vox clamor: nec mediocris clamor, qui locum implet. Eadem verò hîc tam clamoſa, poſtea:

Deiecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.

Adeo nihil mediocre in fœminis. Hæc cùm potuerint facilè diſponi, & inſeri ſuis locis: ſed certè ſimul in vnum locum coniuncta efficaciora ſunt ad ingenerandam in animis imitationem Virgilij.

4. VIRES] Solet pulchrè Virgilius commutare metaphoras. Ergo, qui de viro in 12. Metaphorarum cõmutatio.

—furiiſq; accenſus, & ira:

nunc de igne, *vires indomitas.* Cum hac flammarum pertinacia, quæ nequeunt reſtingui, confer verſus Lucani lib. 3. vbi ignis quoque pertinaciter hæret nauibus:

C

—pinguibus ignis
Affixus tædis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur, ac faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuêre incendia cera.
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparſiſq; per æquor
Iam ratibus fragmenta ferus ſibi vendicat ignis.

Et verba Liuij lib. 30. ſignatiora ſunt: *flamma percontinua ſerpens vno repente omnia incendio hauſit.* Pertinaciam flammarum hærentium tectis, & incendij vaſtiſſimi deſcriptionem elegantem vide apud Paulinum Natali. 10. Sancti Felicis. Thucydides lib. 2. meminit incendij cuiuſdam manufacti, quod fatetur omnium maximum vſque ad eius æuum. ὅσον (inquit) οὐδείπω ἴσγε ἐκεῖνον τὸν χρόνον χειροποίητον εἶδεν. Nauiſquoque accenſæ in mari deſcriptionem habet Nazianzenus orat. 23. vbi multa tragico modo, & amplificatorio. Locus dignus eſt, qui legatur. Sed plus, quàm omnes iſti, Virgilius vidit. Nam coniungit hinc vires ignis indomitas, inde repugnantem materiam ex fumo tardo & vapore lento: quo ſatis indicat pertinaciſſimas eſſe flammas. Audi Senecam de Conſol. ad Marciam c. 23. *Ignis, quo clarior fulſit, citiùs exſtinguitur: viuacior eſt, qui cum lenta difficiliq; materia commiſſus, fumóque demerſus, ex ſordido lucet.*

D

5. VAPOR] Vapor pro igne, & flamma, & calore Græcis familiare, & Latinis. Ergo Homer. Odyſſ. 9. Vapor pro igne.

——ὀφρύας εὗσεν ἀϋτμή.
—ſupercilia cremauit vapor.

E Heſiod. in Theog.

Καίετο γαῖα ἀϋτμῇ θεσπεσίῃ.
Ardebat tellus vapore ingenti.

Lucret. 2.

At vapor is, quem ſol mittit, luménque ſerenum.

& 6.

Denique cera liqueſcit in eius poſta vapore.

Plura

Plura exempla alij congeſsêre. Certè in Plinio millies reperi vaporem pro calore. vt lib. 2. cap. 17. *quæ in vaporem ſolis nituntur.* & cap. 4. *ſolis vapor geminatus ardore ſideris.* & cap. 68. *exhauſta flammis, & cremata cominus vapore torretur.* Parco infinitis.

6. CORPORE] Iulius 3. Ciuil. dixit, *corpus nauis.*

Peſtis pro igne. 7. PESTIS Triplici in loco Virgilius poſuit peſtem pro igne, hîc, & infrà, *Seruatæ à peſte carinæ.* & in 9. *In partem, quæ peſte caret.* Eſt enim peſtis quicquid peſſundat, & deuaſtat. Lege Muretum in Catullum. Etymo- A logia Iſidori ſignatiſſima eſt ad Virgilium lib. 4. enim de peſtilentiæ nomine: *Dicta peſtilentia quaſi paſtulentia, quòd veluti incendium depaſcat.* Liuius venuſtè hanc vocem tranſtulit lib. 44. ad bellum: *Cùm hoſtiliter è ſcaphis cæderentur, retro qui poterant nando repentes terram, in aliam fœdiorem peſtem incidebant: elephantes enim ab rectoribus in littus acti, exeuntes obterebant, elidebántque.* Plinius lib. 2. cap. 48. conuertit ad genus quoddam tempeſtatis, *præcipua nauigantium peſtis.* & lib. 11. c. 29. ad locuſtas: *Deorũ iræ peſtis ea intelligitur.* Peſtilentia vnde dicta. Peſtis polyſemum.

[a] Tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem,
AVXILIOQVE vocare Deos, & tendere palmas.
[b] Iuppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad vnum
Troianos, SI QVID pietas antiqua labores
Reſpicit humanos; da flammam euadere claſſi
Nunc pater, ET TENVES Teucrûm res eripe letho.
[c] Vel tu, quod ſupereſt, infeſto lumine morti,
Si mereor, demitte, tuaq; hîc obrue dextra.
[d] Vix hæc ediderat; cùm effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit: tonitrúque tremiſcunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſq; nigerrimus Auſtris.
[e] Implenturq; ſuper puppes, ſemiuſta madeſcunt
Robora: reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quattuor amiſſis, ſeruatæ à peſte carinæ.

ARGVMENTVM.

Æneas veſtem abſcindit præ dolore. Deorum opem implorat, & exauditur, imbribus ſubitò reſtinguentibus flammam: pereunt nihilominus quattuor naues.

EXPLICATIO.

[a] ÆNeas verè *pius* petit opem à cæleſtibus, & voce & manu, abſciſſa priùs veſte, & detracta ab humeris.

[b] Omnipotentiam Iouis præmittit, qua poſſit mederi tantæ cladi, ſi non odio flagrat in Troianos, & pius ſit. Perinde ac ſi dicat: Potes quidem, quia omnipotens: Supereſt, vt velis; vt autem velis, pietas te inclinet tua, qua olim pientiſſimus fuiſti. Itaque verba illa, (ſi nondum exoſus es Troianos ad vnum) refer ad voluntatem. Quid verò petit? *da claſſi euadere flammam, eripe letho res tenues.* Perinde. Satiatus ſis incendio Phrygio, eripe exitio hanc nauium tenuitatem, ad quam redacti ſumus ex florentiſſimo imperio.

[c] Concipe ſententiam. Si flammis pereundum, cur non tuis ô Iuppiter? Deinde. In quo poteſt hærere noxa, niſi in me, qui dux omnium? cur non ergo me interficis, & parcis multitudini? Tertiò, vide vt mortem, quam expetit, amplificet. Non vult ſimpliciter perire, ſed obrui. non quocunque telo, ſed fulmineo: non alia dextra, quàm Iouis.

[d] Oſtenditur quãta vis orationis & precum. Vix orauerat Iouem, cùm adeſt remedium ab Ioue. Et nota ingenium. Flammas petebat, & contra ſe; immittuntur aquæ, & contra flammas. Vide verò, vt graphicè tempeſtatem deſcribat. Ea eſt *atra*, & *furit*, & *effuſis imbribus*, & *ſine more*, quia vltra morem, & modum. Quid præterea? tremiſcunt omnia tonitribus, tam montes quàm plana: montes, nam *ardua terrarum*: B plana, nam *campi*. Et præclarè montes infert, nam inter horum cauitates tonitrua eſſe ſolent viuidiora, validiora, ſonantiora. Pergit amplificatio. Non iſta ſatis, videbantur enim imbres ruere non vna cæli parte, ſed ex toto cælo. Furebat verò turbo. vno præſertim Auſtro, qui pater pluuiarum. Et ad incrementum non *Auſtro*, ſed *Auſtris*, hiſque *denſis*, quia ſemper pertinaciter identidem flantibus. Non vacauit verba omnia expendere.

[e] Id eſt, deſuper puppes implentur. Sed quo gradu res facta? Primo tantùm *madeſcunt robora*, non videlicet aqua initio vincente ignem, ideo mador tantùm. Deinde, *vapor omnis reſtinctus eſt*, nã à pleniſſimis aquis effectus pleniſſimus reſtinctionis. Exitus incendij fuit, quattuor naues periiſſe, reliquas manſiſſe incolumes. C

NOTÆ.

1. ABSCINDERE VESTEM] Vſitatum hoc in magno dolore. Adducam exempla huius moris, & cauſſam cur hoc vſitatum in dolore. Vtrumque latiùs, quàm ſoleo, nam res hæc obuia paſſim in inſpiratis litteris. Ergo, Sueton. in Neron. cap. 42. *Vtque reſipuit, veſte diſciſſa, capite conuerberato, actum de ſe pronunciauit.* Agathias lib. 1. γύναια δὲ πολλὰ διαπληκτιζόμενα, καὶ τὰς ἐφεστρίδας περιῤῥηγνῦσαι ἀνὰ τοὺς προμαχεῶνας ἐφοίτων: *mulieres multæ planctu magno diſruptis veſtibus diſcurrebant per propugnacula.* Eandem notam doloris attingit Herodotus lib. 8. in ſumma deſperatione, re malè geſta à Mardonio. Cinna apud Ap- D pianum lib. 1. Ciuil. πολλὰ περὶ αὑτοῦ κατοικτισάμενος, τήν τε ἐσθῆτα κατέῤῥηξε: *Plura de ſe ipſo conqueſtus, veſtem lacerauit.* Pergo ad Poëtas, Calpurnium. 3. c. apud quem paſtor ſubito dolore occupatus, ſic ait: Abſciſſio veſtiũ in magno dolore.

—protinus ambas
Deduxi tunicas, & pectora nuda recidi.

Statium 1.Theb.

—ipsa vltro sæuis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus
Occurrit confessa patri.

Iuuen.Sat.10.

——inter
Iliadum lacrymas vt primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena palla.

Prudent.hym.7.Cathem.de Rege Niniuit.

Rex ipse Coos æstuantem murices
Lanam reuulsa dissipabat fibula,
Gemmas virentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exsuebat vinculum
Turpi capillos impeditos puluere.

Caussa, cur vestis discinditur in dolore.

Sed quæ caussa, cur in summo dolore vestes lacerarentur? Attingit credo hîc Maro. Ideo vestis scindebatur, non quæsita scissione ipsa (nam quis sapiens ad dolorem vestem scindat?) sed scindebatur, vt corpus nudum pateret suscipiendis ictibus, qui veteribus in nota summi doloris. Ergo, quia humeri & pectus hos ictus in primis accipiebant, ideo discissio vestium ab humeris fit scientissimo vati. Firmat rem istam Seneca, apud quem Hecuba in Troadib.

——cadat ex humeris
Vestis apertis, vtrunque tegat
Suffulta latus: iam nuda vocant
Pectora dextras: nunc nunc vires
Exprome dolor.

Suprà etiam iusserat nudari corpus vsque ad vterum, vt pars superior ictus exciperet. Hinc existimo apud Homer.16.Il. vbi Achilles inducitur μηρὼ πληξάμενος *percusso femore*, (quam doloris notam in Odyss. quoque attingit) ita percussum esse femur, vt nudatio præcesserit, ac discissio vestis. Itaque ex Virgilio & Homero morem colligo. Prior nudat humeros, sine mentione ictuum; posterior, ictuum meminit sine scissione. Sed in illo ictus secutos, in hoc præcessisse scissionem, liquidum fit ex Seneca, quem iam adduxi. Pertinet ad rem eandem locus Herodoti lib.2. loquentis de notis doloris, quo Ægyptiæ fœminę mortuos suos prosequuntur. αὗται ἀνὰ τὴν πόλιν στρωφώμεναι τύπτονται ἐπεζωσμέναι, καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζούς: *vagantes ipsæ per vrbem se percutiunt, succinctæ, ac nudatis mammillis.* Et insigniter locus Nazianzeni orat. 22. apud quem mater Machabæorum, post interfectos filios, ait: οὐ διαῤῥήξω χιτῶνα, οὐ ξανῶ σάρκας ὄνυξιν: *Non vestes scindam, non carnes vnguibus lacerabo.* Quibus clarè reddit rationem scissæ vestis. Est etiam locus in Philone pertinens ad hanc rem. Loquens enim de fratre Iosephi quærente, nec inueniente in cisterna fratrem, ita ait: ἐβόα, καὶ ἐκεκράγει, καὶ τὰς ἐσθῆτας περιῤῥηξάμενος, ἄνω καὶ κάτω, καθάπερ ἐμμανὴς ἐφέρετο τὰς χεῖρας κροτῶν, καὶ τὰς τρίχας τίλλων: *vociferabatur, clamabat, scissis vestibus sæ-uiens in se manuum pulsione, crinium laceratione.* *furibundus præ dolore in omnem partem discurrebat*, Et de Iacob, audita filij morte: παρειὰς, καὶ γένεια, καὶ στέρνα κατέτεινε, καὶ τὰς περὶ αὐτὸν ἐσθῆτας: *plangebat genas, mentum, pectus, scissis vestibus.* In Agathia etiam, quem iam attuli, vidisti, διαπληκτιζόμενοι. In Arnobio quoque leges lib.5. loquente de sacris Cybeles: *Cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili constitutorum sorte?* Volo etiam scias morem alium inspiratæ doctrinæ, quem aperit Cyrillus Alexan. Commentar. in Nahum prophetam. Sancti viri audita in Deum blasphemia, vestes lacerabant. Probat ille ex Caipha, ex Paulo & Barnaba. Primus, vestem scidit audito Christo, putans scilicet insanus ex diuino ore prodiisse blasphemiam, postremi duo vestem sciderunt audita blasphemia gentium, quæ Barnabam Iouem dicebant; Paulum, Mercurium. Erat enim blasphemum existimare posse esse alios Deos præter verum Deum.

2. SI NONDVM EXOSVS, &c.] In hac sententia & tota oratione aliquot sunt veterum imitationes. Inuenio Euripidem paria dixisse in Troadibus ore Hecubæ:

Τροία τε πόλεων ἔκκριτον μισουμένη:
Et Troia præ ciuitatibus cæteris odio habetur.

Omitto Homericam, quam Vrsinus aduocat, & Calabri lib.9. quam Germanus: sed hanc extremam Latinam efficio totidem versibus, ac pene ad verbum:

Cura pater nunquam te Iuppiter vlla tuorum
Tangit, & exosus diuinum Dardanon, arma
Græca foues, perdisque tuos: sententia menti
Si stat, & euerti Græcorum pondere molem
Troianam cupis, has animas celeri obrue letho,
Nec patere ingentes toties perferre labores.

3. SI QVID PIETAS ANTIQVA, &c.] Similis locus Catulli:

Me miserum aspicite, et si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciémque mihi.

& Propertij lib.2.eleg.9.

Atque vtinam si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.

4. TENVES] Hac voce signat summam miseriam, non minùs atque illis.1.Æn.

Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos.

Tenuis, quis.

Itaque *tenues* Romanis sunt, qui Græcis λεπτοὶ, summè pauperes. Nos *tenui* opponimus diuitem, Græci suo λεπτῷ opponunt παχύν. Aristophanis interpres in Vesp. clarè. παχὺς γὰρ πλούσιος, ἐκ δὲ τοῦ ἐναντίου λεπτοὺς τοὺς πένητας φησίν. Vnde, vbi in Aristophane legitur, καὶ γὰρ ἀνὴρ ταχὺς, legendum, ἀνὴρ παχὺς, id est, *vir opulentus.* Quod ex verbis Scholiastæ adductis colligas, & iam Christianus monuit. Qui addit, non immeritò apud Romanos Crassum diuitem fuisse.

Crassus diues.

5. EFFVSIS IMBRIBVS] Similis successus habetur apud Thucydidem lib.2. in excitato incendio. verba Scriptoris sunt. νῦν δὲ καὶ τὸ δὲ λέγεται ξυμβῆναι, ὕδωρ ἐξ οὐρανοῦ πολὺ, καὶ βροντὰς γενομένας σβέσαι τὴν φλόγα, καὶ οὕτω παυσθῆναι τὸν κίνδυνον: *Nunc illud etiam fertur contigisse, magnam vim aquæ de cœlo cum tonitribus effusam, incendium exstinxisse, & ita euitatum periculum.* Et simillimus in historia sancti Romani, cùm paratum incendium ad Martyris vstionem imbres subiti extinxerunt; quam rem ita pergraphicè Prudentius exsequitur, non sine respectu ad Virgilium:

Hæc eius orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis: nimbus vndatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit:
Alunt oliuo semicombustas faces,
Sed vincit imber iam madentem fomitem.

6. ARDVA TERRARVM] Locutio ista à Poëtis in alios manauit. Apul. lib. 5. *Ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum.* Sidon. lib. 1. epist.5. *amœna fontium, abstrusa puteorum.* Plin. lib. 8. cap. 1. *Vitulorum fatigatos,* pro, fatigatos vitulos. & lib. 10. cap.73. *condensa arborum.*

7. CAMPI] Vt capias explicationem, quam adhibui; adi, quæ mihi latè de hac voce in Georg. duplici in loco, in quem te index manu ducet.

At pater Æneas casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas

Mutabat: versans, Siculísne resideret aruis
Oblitus fatorum, Italásne capesseret oras.
[b] Tum senior Nautes, vnum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaq; insignem reddidit arte,
[c] Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna Deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.
[d] Atque his Æneam solatus vocibus infit.

ARGVMENTVM.

Est in æstu curarum Æneas, ancépsque vtrùm in Sicilia resistat, an in Italiam tendat: hunc æstum Nautes adimit senex, sapiens, doctúsque à Pallade.

EXPLICATIO.

[a] SVccessus hic nauium, vt satis acerbus, Æneam dubitabundum reddidit, & mirè anxium, an oblitus iam fatorum resideret in Sicilia, an verò ad Italiam contenderet: hinc ille æstus curarum in vtranque partem. Nam quæ esse maiores poterant?

[b] Cùm faciat Nautem consiliarium Æneæ, oportuit præmittere commendationem eius hanc, *quem vnum* (præ multis) *Pallas docuit, quem reddidit insignem multa arte*, multiplicibus consiliis sapientiæ.

[c] Atqui non is interrogatus, cur ergo *responsa*? Præclarè. Responsa enim ad Deos pertinent, & ita oracula *respondere* dicebantur. Ergo is, quem Pallas docuit, respondet; & veluti fundit oracula, quæ à Dea acceperat. Cùm verò Nautes in oratione sequenti duo dicat, videlicet partem Troianorum relinquendam in Sicilia apud Acestem, nam hoc indicabatur portento illo incensarum nauium: partem item transmittendam in nauibus superstitibus ad Italiam. cùm hoc (inquam) dictutus sit Nautes, dubitat Poëta an hoc consilium à Deorum ira proficiscatur, an à fatis ita poscentibus.

[d] Si videas quæ Nautes loquitur, plena sunt solatij, demit enim curas, & liberat animum à sollicitudine.

NOTÆ.

1. CAsv concvssvs acerbo] Ita infrà in hoc lib.

—casúque animum concussus amici.

Catull. eodem modulo:

—casúque oppressus acerbo.

2. Nvnc hvc ingentes, &c.] Est hoc, quod Homer. 1. Il. dixit,

Métis æstus varius.

——ἐν δέ οἱ ἦτορ
Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν:
—intus autem ipsi cor
In pectoribus hirsutis in ancipitem partem cogitauit.

Quod idem 19. Odyss.

ὣς καὶ ἐμοὶ δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα καὶ ἔνθα:
Sic & mihi bifariàm animus mouetur huc, illuc.

Quod Isocrates expressit vnico verbo *δόξαν παραλλάξειν*. Quod Ouid. 10. Metam. multis adhibita etiam comparatione.

—vtque securi
Saucia trabs ingens, vbi plaga nouissima restat,
Quò cadat, in dubio est, omnique à parte timetur:

A *Sic animus vario labefactus vulnere nutat*
Huc leuis, atque illuc, momentaque sumit vtroque.

Quod Valerius 3. Arg.

—vario nutat sententia motu.

&:

—dubijs variabant pectora curis.

Quod Claudianus. 1. Rap.

Diuersos ducens animos.

Virgilius variis modis hoc extulit, quos alij iam collegerunt. Sed in hac re explicanda ferax fuit Ammianus in lib. 15. *In æstu mentis ancipiti.* In lib. 16. *scindebatur in multiplices curas.* In 17. *magnis curarum molibus stringebatur.* in 20. *per varias curas animum versans.* in 25. *curarum ponderibus afflicti.* Locutionem ad hanc rem signandam sumptam à fluctibus alibi B exorno.

3. Navtes] Ab hoc Naute familia mox Nauticorum aut Nautiorum Romæ clara in primis fuit: in quorum gratiam hæc Virgilius. Sed præclara nota Germani hæc: *Alludit ad custodiam Palladij, quam sibi Nautij, (qui genus ad Nautem illum Troianum referebant,) sacrorúmque Mineruæ administrationem vindicabant.* Huius rei auctor (vt alios omittam) Dionys. Hal. lib. 6. qui ait: *Surrexit Sp. Nautius ex illustrissima familia natus (nam Nautius eius generis auctor erat vnus ex Æneæ socijs, qui coloniam deduxerunt, erátque Mineruæ πολιάδος, id est, vrbium custodis, sacerdos, qui aliò migrans huius Deæ simulacrum asportauit, cuius custodia per successionem remansit penes gentem Nautiam)* Nautijs custodia Palladis.

C *qui & propter suam virtutem omnium iuniorum clarissimus, & breui consulatum assequuturus dicebatur.* Bene ergo doctus à Pallade dicitur, qui tractat sacra Palladis. Attingit autem Poëta locum communem, in senibus prudentiam regnare, quem breuiter locupleto. Plutarch. in opere, An seni gerenda Resp. *σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων: tuta est ciuitas in qua vigent senum consilia.* Homer. 7. Odyss. de sene Echeneo, *παλαιά τε, πολλά τε εἰδώς: priscáque & plurima doctus.* Isocrat. in epist. de se sene. *ἡγοῦμαι συμβουλεύειν μὲν ἀκμὴν ἔχειν· αἱ γὰρ ἐμπειρίαι παιδεύουσι τοὺς τηλικούτους, καὶ δοκοῦσι μᾶλλον τῶν ἄλλων δύνασθαι καθορᾶν τὸ βέλτιστον: Puto vigorem me nunc habere ad consulendum. experientia enim senes erudit, valéntque præ alijs acutiùs cernere, quæ sunt meliora.* ex Isocrate credo Senum prudentia.

D Ouid.

——seris venit vsus ab annis.

Isocrati Sophoclem adiunge, qui ita apud Stobæum,

Σοφὸν γέ τοι τὶ πρὸς τὸ βουλεύειν ἐστὶ
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόντε, καὶ μαθόν:
Sapiens est consilijs senectus, vt quæ multa viderit atque didicerit.

Inter Græcas sententiolas hæc circumfertur. *γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων: seniorum meliora consilia.*

4. Portenderet ira Devm] Est hoc quod apud Plutarchum in Camillo, *προφαίνεσθαι θεῶν μῆνιν.*

a Nate Dea quò fata trahunt retrahúntque sequamur:
Quicquid erit, SVPERANDA omnis fortuna ferendo est.
b Est tibi Dardanius diuinæ stirpis Acestes,
Hunc cape consiliis socium, & coniunge volentem:
Huic trade, amissis superant qui nauibus, & quos
PERTÆSVM magni incœpti, rerúmque tuarum est,
Longæuósque senes, ac fessas æquore matres:
Et quicquid tecum inualidum metuensq; pericli est,
Delige; & his habeant terris sine mœnia fessi:
Vrbem appellabunt promisso nomine Acestam.
c Talibus incensus dictis senioris amici:
Tum verò in curas animus deducitur omnes:
Et nox atra polum bigis subuecta tenebat.
d Visa deïn cælo facies delapsa parentis
Anchisæ, subitò tales effundere voces:

ARGVMENTVM.

Monet enim sequenda fata, ferendam fortunam, aduocandum ad consilia Acestem, tradendam huic partem Troianorum debilem, ac meticulosam, qui vrbem condant. Hoc audito coniicitur Æneas in maiores curas. Nox aduenit, Anchisæ imago nato apparet, & loquitur.

EXPLICATIO.

a QVi natus es Dea, fata sequere, siue prospera siue aduersa, hoc enim Heroem decet. Quo verò acriùs incitet, se, & omnes eodem coniicit, quasi dicat: & tu, & ego, & omnes sequamur, quò fata trahunt retrahúntque. Cùm ait, *Nate Dea*, colligit beneuolentiam. Et pro tota oratione sciendum, rem agi ab necessario, ab honesto, ab vtili. Fata habent necessitatem, & sequenda quocunque trahunt, retrahúntve. Cùm ait *est tibi Dardanius*, &c. expositio est ab honesto. Iam cùm subdit, *Huic trade*, &c. rem deducit ab vtili: vtile enim relinquere onus inane senum, & fœminarum. Extremum hoc Nasc. est.

b Quæ præmisit sunt loco exordij: Ait iam. Est tibi Acestes *stirpis diuinæ*, quia *Dardanius*, & Dardanus quidem relatus est in Deos. Hunc oportet consiliis tuis capias socium, cùm ipse præsertim velit. Trade huic primò, qui superant (supersunt) amissis nauibus. Consilium hoc à necessitate: incensis enim nauibus quatuor, quæ supererant, capere vectores illos non poterant. Deinde, trade quod pertæsum est magni tui incœpti, tuarúmque rerum. vocat magnum incœptum, propter imperium excitandum in Italia. qua re quid maius? Tertio, *senes longæuos*. Quarto, *matres fessas*, ab nauigando æquore. Quinto, *quicquid est inualidum, metuénsq; pericli*. Hi (inquit) omnes habeant vrbem in Sicilia, appelléntque ab Aceste Acestam.

c Coniunge omnia. Primò Æneas incensus æstuat, deinde premitur curis variis, atque ita multis, vt pene omnibus obruatur: postremò hunc ardorem, æstum, curas, adiuuat nox atra. Nec mirum, in hac re fuerint tot affectus expressi, nam quæ maior sese poterat Æneæ offerre, cùm audiret partem Troianorum relinquendam in Sicilia: in quo expressè videbantur fata oppugnari, quæ Troianis dabant Italiam. Itaque his omnibus affectibus satis indicat vates hominem ἀμηχανοῦντα, consilij inopia laborantem, & ἀποροῦντα.

d Nullum aliud libri huius argumentum, quàm re-

A ferre Anchisem inter Deos. Ergo qui iam factus Deus, & relatus in cælum, de cælo labitur.

NOTÆ.

1. QVÒ FATA TRAHVNT, &c.] Vt inuitos. Seneca de Prou. c. 5. *Volentes quidem non trahuntur à fortuna, sequuntur illam, & æquat gradus.* Seneca in choro Oedipi,

Fatis agimur, cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi,
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

2. SVPERANDA OMNIS FORTVNA FERENDO EST] Similis sententia hæc Euripidis. τὰς γὰρ ἐκ θεῶν
B ἀνάγκας, θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν: *quæ fata statuunt, ferre mortales decet*. Et hæc Sophoclis in Philoct. ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθείσας, ἔστ᾽ ἀναγκαῖον φέρειν: *Necesse est fortunas ferre hominibus à Dijs datas.* Nec non hæc Theognidis,

Τολμᾶν χρὴ τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσι:
Oportet perferre quæ dij dant mortalibus.

Terentius quoque, *Quod fors feret, feramus æquo animo.* Dionys. Hal. lib. 4. *Quicquid Deus, & fatum tulerit, perpeti sumus parati.* dicuntur hæc ore Bruti. Horatius Od. 11. lib. 1.

—vt melius, quicquid erit, pati.

& Od. 24.

Durum, sed leuius fit patientia
Quicquid corrigere est nefas.

C Seneca de Prouid. cap. 2. *Tunc apparet, quanta sit virtus, quàtum valeat, polleatque, cùm, quid possit, patientia ostendit.* & cap. 5. *Fortiter omne ferendum est.* Consilium hoc tantorum sapientum à necessitate ductum est, cùm nemini contingat plena felicitas. Pind. Od. 3. Pyth.

—αἰὼν δ᾽ ἀσφαλὴς
Οὐκ ἐγένετ᾽ οὔτ᾽ Αἰακίδᾳ παρ Πηλεῖ,
Οὔτε παρ ἀντιθέῳ
Κάδμῳ. λέγονται γε μὰν βροτῶν
ὄλβον ὑπέρτατον οἳ σχεῖν.

Vita extra periculum posita non contigit neque Æacidæ Peleo, neque diuino Cadmo. Dicuntur tamen illi mortalium felicitatem supremam habuisse. Ergo in tanta rerum inconstantia, & florentis fortunæ instabilitate, quod aliud remedium, quàm perferre, quàm tolerare, quicquid fors dederit? Nam fuga non est viri: *Haud est virile, terga fortunæ dare*, dixit præclarè Seneca in Oedip.

Fortuna superanda est patientia.

3. Hvic trade, amissis, &c.] Habent affinitatem cum hoc cōsilio, quæ scribit Aristides in 2. Platon. loquens de Themistocle. Consilium fuit, vt ciuitas Athenarum Mineruæ præsidi committeretur: pueri, mulieres, senes, Troezene, & Salamine deponerentur, reliqui decertarent pro patria.

Deligo.

4. Delige] Verbum hoc in significatione hac non ego legi, non fortasse alius, etenim delectus in bonam semper partem accipitur: nam fit ille ex præclaris & strenuis; non ex ignauis & segnibus. Neque enim dices te deligere meticulosos & inualidos, potiùs segregare, remouere, reiicere; aut quiduis aliud.

5. Vrbem appellabvnt] A viris claris indita nomina vrbibus. Dio. lib. 54. *Paphijs terræ motu afflictis largitus est* (Augustus) *iussítque, vt vrbem Augustam nominarent.* Vide Velserum lib. 5. Antiquit.

6. Promisso nomine] Vulgo legitur *permisso*: commodiùs in antiquis *promisso*, quam lectionem prætuli, & hac vtitur Germanus: ita vt Poëta intelligatur κατὰ σιωπώμενον quod aiunt, quamuis nulla hactenus promissionis huius mentio præcesserit. Si verò legas *permisso*, hæc erit interpretatio. Vrbs hæc ædificanda, videbatur vsurpatura nomen aliquod ex Troiana gente, sed permissum tamen est in gratiam Acestæ, vt vocaretur Acesta. Ait Seruius, vrbem hanc, eam esse, quæ deinde dicta est Segesta. Stephanus.

Segesta vrbs Siciliæ.

A Ἀκέστη πόλις Σικελίας ἀπὸ τὸν Ἀκέστην: *Acesta vrbs Siciliæ dicta ab Aceste.* Ennius: *simile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cùm conditæ vrbi, Acestæ hospitis nomen imposuit, vt eam postmodum lætus, ac libens Acestes deligeret, augeret, ornaret.* Quam rem hoc exemplo firmet Ennius, inuenies in Lactant. lib. 1. c. 22.

7. In cvras animvs dedvcitvr] Est hoc, quod Quintilian. dixit Declamat. 290. *Ego scio quos animi æstus intus feram.*

8. Bigis] Apollonius lib. 3. νὺξ δ᾽ ἵπποισιν ἔβαλλεν ἐπὶ ζυγά: *Nox iniecit equis iuga.* Sed signatior lux ab Ennio in Andromeda, vbi nocti dat bigas. *Quæ caua cæli signa tenentibus conficis bigis.* Claudian. de Rap. — Noctis bigæ.

—sparso nox humida somno
B *Languida cæruleis inuexerat otia bigis.*

Valer. Flacc. lib. 2. Arg.

——annue votis
Diua soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.

Tibullus lib. 3. eleg. 4. tamen quadrigas dedit: — Et quadrigæ.

Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.

Lunæ & plurimùm bigæ dantur. Manilius lib. 5.

Quadriiugis & Phœbus equis, & Delia bigis.

Sed omitto rem tritam.

a Nate, mihi vitâ qunndam, dum vita manebat,
Care magis, Nate Iliacis exercite fatis:
b Imperio Iouis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, & cælo tandem miseratus ab alto est.
c Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos iuuenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. d Ditis tamen ante
Infernas accede domos: & Auerna per alta
Congressus pete nate meos: non me impia namque
Tartara habent, tristésque vmbræ: sed amœna piorum
Concilia, Elysiúmque colo. huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
e Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.
Iámque vale. torquet medios nox humida cursus,
Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, Cev fumus, in auras.

ARGVMENTVM.

Præmisísque nonullis ait standum Nautæ consilio: iubet deinde, se vt adeat in Elysiis locis agitantem. tandem imago discedit.

EXPLICATIO.

a Oratio prima beneuolentiam colligit, ait enim *nate*, quæ vox amoris. Cùm ait, *care magis vita* indicat desiderium, quo mortui tenentur: hanc enim ὄρεξιν dabant gentiles suis mortuis. Pergit, *exercite fatis Iliacis*, nam fata & mala Troiana miserrima fuerunt, & omni ærumna grauiora. In Propert. lib. 3. eleg. 13. leges, *Pergamea mala*.

b Adhibet auctorem aduentus, quo fides maior habeatur. Ille me huc misit, cuius erga te summa fuit

C pietas & misericordia in imbribus è cælo lapsis, ad exstinguendum ignem grassantem in naues.

c Quid verò tandem Anchises ad natum? Iubet, vt pareat consiliis Nautæ, quia *pulcherrima*, id est, sapientissima, optima, honestissima. Græci sæpe ad rem eandem καλὸν. Ideo verò sapientissima, quia à seniore. Quod verò consilium? vt tantùm lecti iuuenes in Italiam deferantur, quibus corda fortissima. Subiungit rationem, cur hos velit. Nam agrestes & inculti, quales tunc erant Itali, quomodo, nisi à lectissimis & fortissimis domentur, mitescant, mansuescant?

d Pars altera mandatorum patris ad filium est, vt se adeat apud inferos: quo iacitur semen ad sequentem librum, vbi narratur descensus Æneæ ad ea loca. voce *congressus* signantur aut colloquia, aut complexus. Quo audentior sit natus, demit horrorem, quem potuisset concipere auditis illis, *infernas accede domos.* Potes tutò accedere. non enim me habent vmbræ tristes,

ſtes, ſed piorum concilia; non Tartara, ſed Elyſium. Victa eſt prima difficultas. Eſt altera. quis me ducet? Planum hoc facit. Sibylla, inquit, ex Deorum placito, nam præcedent ſacra.

c Eſt hoc alterum inuitamentum, quo faciliùs Æneas peruincat difficultatem adeundi inferos. His dictis diſcedit, &, cur diſcedat rationem dat. Vale, non enim poſſum diutius immorari, nam vertente ſe nocte media Oriens appetit, qui ſanè ſæuus eſt, & inimicus vmbris mortuorum. Hæc vt dixit, euanuit in auras inſtar fumi.

NOTÆ.

1. VITA CARE MAGIS] Vitam enim dulcem appellat Pind. Od. 2. Pyth γλυκὺν βίοτον.

2. EXERCITE] Plinius lib. 7. cap. 8. *exercito auo inter arma mortéſque.*

3. IMPERIO IOVIS] Adnecte huc eruditionem Lilij. 2. Syntag. de Ioue imperatore, quem Græci ἔελον nominant.

Fortitudo, & Prudentia in ducibus.

4. CONSILIIS PARE] Vide vti hæc deriuentur ad duces, qui eſſe volunt bello præſtantes. Duo in imperatore neceſſaria præ aliis, fortitudo, & prudentia. in hoc opere Æneas ſæpiſſime fortiſſimus inducitur: ab Ilioneo enim in 1. ſic prædicatur,

— nec bello maior, & armis.

ab Diomede in 11.

— ſtetimus tela aſpera contra,
Contulimúſque manus, experto credite quantus
In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.

Huic igitur tanto duci neceſſaria eſt prudentia. bene ergo Anchiſes natum monet, vti pareat conſiliis ſapientiſſimi hominis Nautæ: quaſi ex Ænea, & Naute, id eſt, ex fortitudine & prudentia integer dux conſtituatur, & perfectus. Id ipſum in Homero, quod nos in Virgilium, Spondanus priùs admonuit. Græcus enim vates ſic Neſtorem inducit loquentem ad Achillem, atque ad Agamemnonem,

Οἳ περὶ μὲν βουλῇ Δαναῶν, περὶ δ᾽ ἐστὲ μάχεσθαι:
Qui quidem conſilio Danaos antecellitis, & pugnandi peritia.

vbi conſilium ad Agamemnonem refert, pugnandi peritiam ad Achillem, quaſi neuter per ſe valeret, ſed vterque egeret alterius auxilio. Prudenter veteres, ad idipſum explicandum, Palladem & Martem bellis præfecerunt; quaſi illam conſilio, hunc pugnæ. Sic Romani Fabio prudenti Marcellum pugnacem coniunxerunt, quorum iuncta mutua opera Romanæ res priùs afflictæ, redintegratæ poſtea ſunt, vnde apud eos inualuerat, vt Fabius clypeus; Marcellus Romani imperij enſis diceretur. Si Troiani, quemadmudum habuerunt Hectorem, quem Achilli opponerent; habuiſſent quem opponerent Sinoni, non actum eſſet de florentiſſima Aſiæ vrbe. Vtranque virtutem in Beliſario duce Cedrenus coniungit, βελτίστεον συνετὸν, καὶ ἀνδρεῖον. & de milite Tichomero ait fuiſſe illum illuſtrem ἐπ᾽ ἀνδρείᾳ καὶ συνέσει. De alio quodam, ἐπὶ συνέσει καὶ ἀνδρείᾳ βεβοημένος: *prudentia & fortitudine nobilis.*

5. ASPERA CVLTV] De prima hac vi, quæ facta Æneæ aduenienti in Italiā, ita Liuius lib. 1. *Egreſſi Troiani, cùm prædas ex agris agerent, Latinus rex, Aborigeneſque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam vim aduenarum armati, ex vrbe atque agris concurrunt.* Vide, vt in hoc primo tumultu agreſtes deſignet.

Sibylla caſta.

6. CASTA SIBYLLA] Ex doctrina gentilium, quibus caſtæ erant, & viro intactæ fœminæ illæ, quæ reddebant oracula. Inde ſuprà Sibylla dicta eſt *virgo*, ſicut Lucano, & aliis. Plutarchus de defectu oraculo-

A rum, etiam ſi irridens; de Pythia, ἁγνῶς δὲ ζῆν, καὶ καθαρῶς, *caſtam per vitam omnem, mundámque.* Herodotus lib. 1. de Duabus fœminis, quæ templorum antiſtitæ, ita: ἀμφότεραι δὲ αὗται λέγονται ἀνδρῶν οὐδαμῶς ἐς ὁμιλίην φοιτᾶν: *putatur vtraque non habere conſuetudinem cū hominibus.* Mox ſubiicit quæpiam alia in hanc ſententiam. Scholiaſtes Ariſtophanis in Plut. etiam ſcribit, fœminam, quæ daret oraculum ex tripode, virginem fuiſſe ex vetere inſtituto. Græca hæc ſunt: θεσπιῳδεῖν δὲ τὸ ἀρχαῖον παρθένον λέγεται διὰ τὸ ἁγνόν. Deinde narrat hiſtoriam Echecratis Theſſali, qui Phœbadem rapuit violauítque, elegantem & formoſam, vnde lege ſancitum eſt, vt Phœbades deinde quinquagenariæ eſſent. Hæc virtus tanti fuit apud ethnicos, vt Veſtalem virginem apud Romanos, ſi quando in publicum exiret, lictor præcederet, non minùs atque alios magiſtratus. Docet hoc Sen. Rhet. controuerſ. de Sacerdote Veſtali proſtituta. *Procedente hac lictor ſummouere iubebitur? huic Prætor via cedet? ſummum imperium Conſules cedent tibi? iterum. Non ſine cauſā ſacerdoti Lictor apparet.* Hoc etiam ſcribit Dio lib. 47. & adducit rationem, quia quædam, ignorata quæ eſſet, vim paſſa eſt.

Pythiæ caſtæ.

B

Veſtales prçcedebat lictor.

7. NIGRARVM] Innuit ſacrum illud, quo mediodatus eſt Æneæ aditus ad inferos. Cuius ſacri ſignatus eſt locus in 6. cùm ait:

Quattuor hic primùm nigrantes terga iuuencos
Conſtituet.

C Porro Diis Manibus fiebant ſacra hoſtiis nigris. Seneca Oedip.

Nigræ hoſtiæ Maniū.

Nigro bidentes vellere, atque atra boues
Retro trahuntur, flamma prædatur dapes,
Viuúmque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde manes, &c.

Ouid. 7. Metam.

Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultróſque in guttura velleris atri
Conijcit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.

Silius lib. 13.

——mactare repoſtis
Nox vmbris, inquit, conſueta piacula nigras
Sub lucem pecudes.

Græci quoque ex eodem more. Apud Homerum lib. 11. Odyſſ. Vlyſſes Tireſiæ iam defuncti Manibus pollicetur ſe οἶν ἱερεύσειν παμμέλαιναν: *ouem ſacrificaturum totam nigram.* Lucretius lib. 3.

D

Et nigras mactant pecudes, quas Manibus diuis
Inferias mittunt.

Tibullus lib. 3. eleg. 5.

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Val. Max. lib. 2. cap. 1. vbi agit de Valerio Poplicola *apud eandem aram publicè nuncupatis votis, cæſiſq; atris bobus, Diti maribus, fœminis Proſerpinæ,* &c. Plutarchus quoque in Lucullo aſſerit, nigram bouem mactari ſolitam in ſacris Proſerpinæ. Adi etiam Euſeb. lib. 4. Præparat. cap. 4. Rationem moris huius toties repetiti hanc habet Arnobius lib. 7. irridens ſacra gentilium: *Quæ in coloribus ratio eſt, vt meritò his albas, illis atras conueniat, nigerrimáſque mactari? Quia ſuperis Dijs (inquitis) atque hominum dexteritate pollentibus color lætus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris: at verò Dijs læuis ſedéſque habitantibus inferas, color furuus eſt gratior, & triſtibus ſuffectus è fucis.* Rationem aliam Hippocrates ſuppeditat in lib. de Morb. ſacro, cùm ait, colore nigro ſignificari mortem, θανατῶδες γὰρ τὸ μέλαν.

E

Noctu apparebāt idola.

8. ORIENS] Attingit Poëta duplicem morem veterum. Prior eſt, ſolere terriculamenta omnia, videlicet, furias, Dæmones, & manes mortuorum, interdum etiam Deos ſuperos, apparere noctu tātùm; die verò

aduentante euanescere. Morem hunc firmat Propert. lib. 4. eleg. 7. de vmbris loquens:

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat vmbras,
Errat & obiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethæa ad stagna reuerti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

Sic etiam Virgilius lib. 4.

Me patris Anchisæ quoties humentibus vmbris, &c.

Apud Claudianum vmbra Theodosij sub auroram,

Dixit, & afflatus vicino sole refugit.

Huc respexit Tiresiæ anima apud Horat. Sat. 5. libro 2.

—sed me
Imperiosa trahit Proserpina: viue valéque.

& Statius lib. 1. Sylu. quamuis loquatur de superis,

—huc & sub nocte silenti
Dum Superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo.

Somnia quādo vera.

Vide quæ Eusebius Cæsariens. hac de re scribat in opere contra Hieroclem. Posterior est, somnia tum vera censeri priscis, cùm fierent postrema noctis parte, & iam appetente luce; non primis tenebris, & prima nocte. Ergo Anchises, vt verus credatur, apparet eo tempore, quo somnia esse solent vera. Plinius lib. 10. cap. vlt. ad hunc morem planè: *A vino & à cibis, proxima, atque in redormitione, vana esse visa prope conuenit.* vbi & rationem assignat, nam proxima cibis, & vino, exposita ludicris & vanis. Artemidor. lib. 1. cap. 8. ἐπεὶ αἵ γε ἄμετροι τροφαὶ, οὐδὲ πρὸς αὐτῇ τῇ ἕῳ παρέχουσιν ἰδεῖν τὸ ἀληθές: *immoderati enim cibi neque ad ipsam auroram verum cernere permittunt.* Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 9. cùm dixerit animam in somnis obrui, impleta cogitatione variis visionibus, subdit rationem hanc: αἰτία δὲ, ἡ περιττὴ τροφὴ τὸ λογιστικὸν εἰς ἀναισθησίαν καθέλκουσα: *Causa autem est superuacaneus cibus, qui ratiocinantem animæ facultatem eò trahit, vt sensu priuetur penitus.* Cicer. lib. 1. Diuinat. loquens de diuinatione illa, quæ contingit dormiēti, ita ait: *Omnia,* A *quæ in natura sunt rerum, videt, si modò temperatis escis, modicísque potationibus ita est affectus, vt sopito corpore ipse vigilet.* Hæc dicta occasione Plinianæ rationis. Sed adduco auctores qui dicunt, somnia esse vera ad postremam partem noctis. Hi sunt Theocrit. εἰδ. 19. qui cùm præmittat, ἐγγύθι δ' ἠώς, *aurora prope erat*, subdit,

Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων:
Cùm & veracium pascitur turba somniorum.

Horat. Sat. 10. lib. 1.

Post mediam noctem visus, cùm somnia vera.

Tertullianus lib. de Anima cap. 48. *Certiora, & colatiora somniari affirmant sub extremis noctibus.* Thyamidi apud Heliodorum lib. 1. Hist. Æthiop. insomnium ostenditur diuinitus iam post galli cantum. Constantino Basilio apud Cedrenum apparet anima Gregorij B Nazianzeni κατὰ τὸν ὄρθρον, *matutino tempore.* Hippocrati etiam (vt ipse narrat in Epist. ad Philopœmenem) Æsculapius apparet πρὸς ἀρχομένην τὴν ἕω, *sub auroræ initium.* Porro quæ Agellius lib. 3. cap. 2. scribit, voluisse Poëtam his versibus indicare, diem Romanorū inchoari à sexta noctis hora; vera non censeo, nam mihi lux nulla; tantùm enim ait Poëta, tunc esse mediam noctem; itaque verè & tantùm indicat μεσονύκτιον. verum est, Romanos diem à media nocte inchoasse. quod & Plutarchus docet ἐν ῥωμ. sed Poëtam hoc dicere, id scilicet nego. Potuisset sanè Agellius opportuniùs locum alium Virgilij illustrare, nam in 10. ait:

Iámque dies cælo concesserat, almáque curru
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympum.

C 9. CEV FVMVS] Homer. 23. Il.

Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
ᾤχετο:
Anima sub terram tanquam fumus abijt.

10. IN AVRAS] Ita de Creusa in 2.

—tenuésque recessit in auras.

& de Anchise ipso in 6.

—effugit imago
Par leuibus ventis.

[a] Æneas, quò deinde ruis? quò proripis? inquit.
[b] Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
[c] Hæc memorans, cinerem, & sopitos suscitat ignes:
Pergameúmque larem, & canæ penetralia Vestæ
Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.
[d] Extemplo socios, primúmque accersit Acestem:
Et Iouis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo sententia constet.
[e] Haud mora consiliis: nec iussa recusat Acestes.
[f] Transcribunt vrbi matres, populúmque volentem
Deponunt, ANIMOS nil magnæ laudis egentes.
[g] Ipsi transtra nouant, flammísque ambesa reponunt
Robora nauigiis: aptant remósque rudentésque
EXIGVI numero, sed BELLO viuida virtus.

D

ARGVMENTVM.

Narratur Æneæ in patrem affectus, in Deos religio, consilium relinquendæ partis Troianorum in Sicilia, virtus in reficiendis ratibus.

EXPLICATIO.

a Plena omnia desiderij, affectus, conquestionis. vti illa, *quid natum toties*, &c.

b Patérne natum fugis? à complexibus filij quis potest patrem arcere?

c Decurrit

e Decurrit statim Æneas ad sacra, quo omnia sint feliciora. Ideo quærit ignes seruatos in cineribus, vt adoleat far, & thus. & ita Vestã expiet. in versu illo,

Pergameúmque larem, & canæ penetralia Vestæ,

pars posterior explicatio est prioris, hac sententia. veneratur Larem illum, quem è Pergamo, idest, Troia, adduxit secum, qui sanè Lar nihil aliud quàm Vesta ipsa. Hæc explicatio innititur his quæ dixi lib. 2. ad illud:

Sic ait: & manibus vittas, Vestámque potentem,
Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Vbi, cùm Poëta (Vestam) præmisisset, mox explicans ait, *æternum ignem*. id est, Larem. Hîc contrà, præmisso Lare, per *Vestam* explicat. Adi illum locũ. Et in hoc quidem sequor explicationẽ Hortensij.

d Ideo Acesten accersit, quia & Nautes Acesten signauerat, & Anchises ad filium dixerat, vt pareret consiliis Nautæ. Quid verò accersitis Aceste, & sociis? Docet primùm *imperium Iouis*, quia Anchises, *Imperio Iouis huc venio.* Deinde *præcepta parentis*, quia idem Anchises, non rogans sed clarè præcipiens, *pare consilijs, accede infernas domos, pete meos congressus.* Tertiò docet sententiam suam, & hanc constantem. Hîc volo quidpiam expendere. Habet iam Aeneas mentem constantem firmámque relinquendæ partis Troianorum in Sicilia, ad quam mentem illi obtrudendam tam multatam valida argumenta præcedunt. Erat enim difficile, persuadere hoc homini tendenti ex fatis in Italiam, nec vir prudens facilè debuisset ab hac mente dimoueri. Ergo consulit Nautes, qui prudentissimus & ætate, & sapientia Palladis. Apparet Anchises, qui pater, & ideo peramicè hortabitur: qui mortuus, & ideo res tota putabitur esse miraculosa. Demum accedit voluntas, & imperium Iouis, quo nullum maius Numen. Non aliter oppugnandus & expugnandus Aeneas fuit munitus fatis: non aliter prior opinio exuenda, induenda posterior, in qua iam firmus, & constans.

e Quàm citissimè conueniunt ad capiendum consiliũ, res decernitur decreto omnium, Acestes paret.

f Transacti consilij fit iam (sic dicam) exsecutio. Nam matres illæ, quæ naues incenderunt, & vulgus illud, in quo nullus ad gloriam conatus, transcribuntur in nouam vrbem, potiùs deponuntur, quasi onera de nauibus deponerentur, ipsæque naues exonerarentur.

g Qui verò in Italia imperium condituri se ad sequentem nauigationem comparant, reficientes naues, satis se multos esse arbitrantes, etiam si pauci numero, ad oppugnandam expugnandámque Italiam: nam videlicet bello acres, & viuidi.

NOTÆ.

1. QVIS TE NOSTRIS AMPLEXIBVS) Adumbratur Homer. lib. 11. Odyss.

Μῆτερ ἐμὴ, τί νύ μ' οὐ μίμνεις ἑλέειν μεμαῶτα;
Mater mea, cur me non exspectas amplecti cupidum?

Noctis purgatio.

2. SOPITOS] Hoc fuit è cura veterum, vt ad matutina sacra ignem asseruarent in cineribus. Quippe res duplex offerre se poterat, propter quam statim à lecto ad sacra surgerent, videlicet pollutio corporis, mentis insomnium: pollutionem aqua, somnia sacro aliquo expiabant. Non esset difficile probare ista è doctrina antiquorum. Sed ita tamen hæc seruata, vt non stata essent hæc piamina, nam & pollutum corpus sacro aliquo, & insomnia interdum aquis purgabant.

3. CANÆ) Respectum vel ad Vestæ antiquitatem, nam hæc Dea eadem cum terra: Lege Lilium 4. synt. vel ad sacra eius, nam virgines illi sacræ amictu albo puróque vtebantur. Propert. lib. 4.

Vel cui commissos cùm Vesta reposceret ignes,
Exhibuit viuos carbasus alba focos.

Monuit Germ.

4. FARRE] Hoc veteres rem sacram fecisse frequens est. Ouid. 1. Fast.

Imponit libum farráque mista sale.

Præsertim laribus, quod & hic attingit Poëta Iuuen. Sat. 9. — Far sacrum Laribus.

O parui nostríque lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare corona.

5. PIO] Pij farris, quod ad sacrificia pertinuit, sparsa est apud multos mentio. Arnob. lib. 2. *vt pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnia munia.* Hor. od. 23. lib. 3. — Far pium.

Mollibit auersos Penates
Farre pio, & saliente mica.

Tibull. eleg. 4. lib. 3.

Et vanum metuens hominum genus, omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Horatius & Tibullus vnà cum sale adiungunt far, quibus videtur circumscribi mola salsa, quæ fiebat ex farre, & sale: quibus fit, vt per *far pium* in Virg. accipi possit mola salsa. Accedit Seruius, qui in versum eclogæ. 8. *Sparge molam,* sic scribit apud Briss. lib. 1. Form. quod deest in vulgaribus Seruij commentariis: *far pium, id est, mola casta salsa.* & post pauca: *igitur, quod in sacris mola casta dicitur, ideo Virg. in 5. Aeneidos, farre pio, enunciauit. quod enim est pium, nisi castum? quoniam piare, est propitiare, quod accidere non potest; nisi castè inseruitum erit rebus sacris.* Fragmenta hæc iam lucem viderunt, cùm hæc scribimus. Itaque iuxta hæc Seruiana *far pium* erit mola salsa casta. Quare autem *casta* vocetur, deducit Seruius ibidem ex historia, nam far hoc, labor erat virginum Vestalium, quæ mense Maio, ab Nonis ad pridie Idus, spicas legebant, torrebant, molebant, ac molitum condebant far. Sed profectò possit omitti hæc Seruij subtilitas, quamuis eam Brissonius amplectatur, & dici, far pium dictum, vt alia sacra dicuntur pia, quia nimirum pietatis ergo exhibentur, indicántque pietatem mortalium erga Deos. Sic Tibull. & Martialis, *pia* vocarunt thura. Ille lib. 2. *vrantur pia thura focis.* Hic 8. — Mola salsa. Mola cur casta.

Te primum pia thura rogent.

sic sacra omnia *pia* dicuntur ab Ouid.

Ite manus ad pia sacra mea.

6. PLENA] Duplex obseruatio Poëtam illustrabit: prior Brisson. lib. 1. Form. referentis sententiam Virg. ad munera diuitum, qui plenam thuris acerram Diis dabant. Horat. lib. 3. od. 8. — Diuitum munera, plena acerra.

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena miraris?

Martial. lib. 4.

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra
Phœbe Palatinus munera Parthenius.

cùm tenuiores contrà, thuris grana: Ouid. 4. fast. — Grana pauperum.

Detis & in veteres thurea grana focos.

& quandoque micam tantùm. idem in Trist. — Mica thuris.

Micáque solemni thuris in igne sonet.

Fulcio Brissonij obseruationem testimonio Arnobij lib. 7. *thus pauper exiguum, & odoris alicuius vnam concremat glebulam.* vbi cùm dono tenui adiungit tenuitatem dantis, nam *pauper* inquit. & certè Poëtæ, qui in sacris offerunt vnam micam, videntur mihi loqui cum oppositione pleni muneris. Hi sunt Ouidius lib. 4. Fast.

Farra Dea, micaque licèt salientis honorem
Detis.

Et Tibullus lib. 4.

Paruáque cælestes pacauit mica, neque illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Atque etiam alij. Posterior Gifanius hæc in Lucret.

Solidum pro pleno. Quæ Lucretius dixit: *solida corpuscula prima*, Epicurus appellauit πλήρη. nam *solidum* & *plenum* idem. inde illud Virgilij, *plena acerra*, Prudentius Maronis imitator in Apoth. reddidit,

solidam persoluat acerram.

Absolui, quæ promisi. sed nolim hîc præterire verba Arnobij, de sacro thuris ita sentientis: *Nouella enim propemodum res est, neque annorum inexplicabilis series, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & delubris meruit interesse diuinis. Nam neque temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, heroicis, quid nam esset thus scitum est, scriptoribus vt comprobatur à priscis, quorum in libris posita nulla eius mentio reperitur: neque genitrix & mater superstitionis Etruria opinionem eius nouit aut famam, sacellorum vt indicant ritus. Neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vsum cuiquam venit, sacra cùm res fieret: Neque ipse Romulus, aut religionis artifex in comminiscendis Numa aut esse sciuit, aut nasci; vt piũ far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia.* Accinunt Arnobio Plinij verba lib. 13. cap. 1. *Vnguenta qui primus inuenerit, non traditur: Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur.* Hi duo, & si

Thus an sit nouellum in sacris. qui alij, eludi fortasse queant. Nam Virgilius de æuo Æneæ (& hoc fuit heroum) dixit *thurea dona* in funere Miseni. Quòd si quis dicat loquutum Virgilium ex suo æuo, videat Herodotum, qui antiquissimus, scripsisse lib. 1. Babylone in Iouis templo mille quotannis talenta thuris adoleri solita. Videat Cyrillum explicantem illud Oseæ. καὶ ὀσφραντοῖς αὐτοῦ ὡς λιβάνου, dixisse, oraculis legis Mosaicæ sanctum extitisse thus. Videat quæ de Paphia Venere, de eius sacris (quæ fuerunt heroici æui) iam à nobis scripta lib. 1. Aen. vbi testimonium Homeri ibi adductum eludi quî queat, non video. Omitto, quæ Plin. lib. 12. cap. 14. de Alexandro Magno, quæ Plautus multis in locis; nam posset quispiam dicere horum tempora non fuisse heroica. Hæc (inquam) omitto contentus his, quæ de Paphia (vt dixi) Venere scribuntur, quæ sanè validè pugnant in Arnobium, & Plinium. Nam siquis dicat, ea sacra non pertinere ad Heroum tempora, gratis dicat. Quid quòd Aegyptij, qui antiquissimi, imo à quibus deriuata sacra ad Græcos & Troianos, thure placabant Deos suos? quod testificatur Macrobius.

Acerra. 7. ACERRA) Thuris est repositorium, siue arcula: dicente Ouid. 4. Fast.

Cumq; meri patera thuris acerra fuit.

Odoramentorum in sacris origo. incidit suspicio an Senecæ fitilla sit ipsissima acerra. verba eius lib. 1. de Benef. sunt. *Itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt: mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo cruentauerint.* Scio eam vocem Senecæ & diuersè accipi, & diuersè legi. Faciat ad cognitionem moris illius, quo veteres suis superis (verè inferis, & Dæmonibus) thura offerebant, odoriferáque alia, nota Natal. lib. 1. Myth. cap. 10. qui ex Iamblicho, Trismegisto, Psello & aliis ait, vniuersum aëra, & cælos plenos esse dæmonibus; qui latè per aëra vagarentur, & ad nidores sacrificiorum occurrerent. Inde itaq; exortum, vt thura incenderentur, odores adolerentur, cantus audirentur, accenderentur lumina, cæsæ victimæ cremarentur. His enim inuitamentis atque irritamentis facilè Dij gentium propitij esse mortalibus miseris putabantur.

8. TRANSCRIBVNT] Ita in. 7.

A *——Dardanijs transcribi sceptra colonis.*

Seruius *Romani moris verbum. transcripti enim in colonias deducebantur.* Ita etiam Græci μεταγράφεσθαι, & ἐγγράφεσθαι ex nota Germ. Nam Plutarch. in Apophth. ait, Antigenem quendam ascribi inter ægrotos voluisse, ne in Macedoniam iret, cùm tamen sanus esset: quod signans Plutarch. ait ἑαυτὸν ἀπογραψάμενον. Et ex mea, ἐγγράφεσθαι. nam Thucyd. lib. 1. loquens de confœderatis, qui per fœdus transeunt in alienũ ius, ait, ἐγγράψαντο ἑκόντες. vis verbi nata hinc videtur, quia qui in colonias deducuntur, ius suum aliò transcribunt. Cæterùm similem historiam in Plin. lib. 6. cap. 27. legas: *oppidum conditum est primùm ab Alexandro Magno: qui colonis ex vrbe regia Durine, quæ tum interijt, deductis, militúmque inutilibus ibi* B *relictis, Alexandriam appellari iusserat.* Transcripti qui.

9. LAVDIS EGENTES] Non egens laudis, est qui laborat inopia gloriæ, qui gloriæ non est appetens, vtique inglorius, & ἀκλεής. Constructio ex nota Ger. Græca est: nam Homer. 13. Il. λώβης καὶ ἄχεος οὐκ ἐπιδευεῖς· *contumelia & iniuria non egentes.* & 19. δίκης ἐπιδεὴς, *iustitia indigens.* Sed hæreo: nam fortassis Latina est: huic enim verbo accusatiuum dabant veteres. Censorinus apud Agel. *Multa egeo.* Varro lib. 4. de Ling. Latina, *Diues à Diuo, quia vt Deus, nihil indiget.* & lib. 1. *Quòd indigent potum, poma dicta.* Sic ergo Vir. egentes nihil laudis. Cæterùm cum sententia Virgilij annexa Horatij. Vt enim in Nostro imbelles in vrbem deponuntur, fortes assumuntur ad laborem, ita Horat. od. 16. Epod.

C *mollis, & exspes Inominata perprimat cubilia.*
Vos, quibus est virtus muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter & volate littora.

10. AMBESA] Ignis edere, ambedere, degustare, lambere dicitur. Repete, quæ lib. 2. ad illud, *Lambere flamma comas.*

11. EXIGVI NVMERO] Alicubi credo coniungo historias de his, qui, pauci cùm essent numero, multitudinem vicêre. Nunc exemplum sustineat Paulus victor Persei, nam hostes quidem in eo bello multitudine præstare apertè colligas ex oratione eiusdem Pauli ad milites apud Liuium lib. 44. & tamen cecidere ad viginti millia hominum, cùm ex Romanis non plus centum: sustineat Alphonsus Hispaniæ Rex, in bello ad Nauas Tolosæ, vbi Hispani contra D multitudinem Maurorum innumerabilem dimicantes, non plus viginti quinque ceciderunt, auctore Roderico præsule Toletano; alij quindecim supra centum dicunt; vterque quidem exiguus numerus, cùm è Mauris eo prælio ducenta millia ceciderunt: sustineat Alexander, cuius copiæ vicere Darij innumerabiles: sustineat sacra historia, in qua hæc miracula frequentissima. Ideo maior virtus tua Ioannes Austriace Philippi Secundi Hispaniæ Regis frater, qui Turcam nauali certamine superasti multo minore nauium numero. Circumfertur liber Epistolarum Mahumetis illius, qui Byzantium expugnauit, Christianisq; eripuit, quas Latinas fecit Landinus Hierosolymitanus. In vna earum ita habetur: *Nec aliam nobis fortunã belli pollicemur, qui Alexandrum,* E *felicitate ac rerum gestarum gloria æquamus. Non enim multitudine imperita res magna geruntur, sed in virtute paucorum victoria sita est.* Erunt etiam testes huius rei locupletissimi Hispani nostri inter vasta Indorum, qui exigui numero, quot barbarorum copias, immortalis Deus, prostrauerunt! Ideo prudentissimè Vegetius lib. 1. cap. 1. *In certamine bellorum exercitata paucitas ad Victoriam promptior: rudis & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.* & cap. 8. *in omni enim conflictu non tam prodest multitudo, quàm virtus.*

Pauci multos vicere.

Ioannes Austriacus.

ᵃ Interea Æneas vrbem designat aratro,
Sortitúrque domos: hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse iubet. gaudet regno Troianus Acestes.
ᵇ Indicítque forum, & patribus dat iura vocatis.
ᶜ Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ: tumulóque sacerdos,
Et lucus latè sacer additur Anchiseo.

ARGVMENTVM.

Acesta vrbs constituitur muris, legibus, religione.

EXPLICATIO.

ᵃ Videtur mihi Poëta in hoc tractu, quem explicandū assumo, voluisse constituere formam, qua vsi veteres in vrbe de nouo constituenda. Tria enim præ cæteris necessaria, videlicet munitio contra vim externam, leges ad conseruandam internam vrbem, demum religio numinum in templis. Hæc itaque causa, cur excitentur muri ad circumductum aratrum, dentur leges in foro iudiciali, fundetur templum Veneri. Ergo ante omnia murus designatur, ísque aratro ex more antiquo: signatur etiam domus cuique ciuium. Vult verò Æneas, vt hæc vrbs referret similitudinem Troianæ. Sequitur, *gaudet regno Troianus Acestes.* Non gaudet, quia rex, nam & ante vrbem rex erat, sed quia Troianus cernebat similitudinem regni Troiani.

ᵇ En alterum de legibus. Sententia est. *indicit forum*, id est, diem, ad quem adessent in foro lecti senatores; quibus præsentibus, ac iam vocatis patribus iura dedit. Non dicit, iura dat patribus quos vocauerat; sed iura dat his, qui vocati dictíque patres.

ᶜ En tertium de religione. Constituitur templum in honorem Veneris; idque in monte, cui nomen Eryx. Additur verò templo sacerdos & lucus; qui & sacerdos & lucus sacer esset Anchisæ sepulchro. Est *lucus latè* lucus magnus latúsque.

NOTÆ.

Acesta vrbs Siciliç.

1. VRBEM] Acestam, nam suprà:

Vrbem appellabunt promisso nomine Acestam.

in hanc transcripti sunt, qui relinquebantur.

Aratro muri condebantur. Vrbis etymon.

2. ARATRO] Huius moris multiplex mentio, qua enim murus deberet ire, priùs aratrum circumducebatur, & spatiū inclusum eo circulo dicebatur vrbs. Quin *vrbem* ab *vrbo* dictam, auctor est Pomponius. significat verò hęc vox aratri curuaturam; quod monuit Parrhas. in Claudianum. Fuit etiam verbum *vrbare* pro signare mœnia aratro. Sed do auctores, in quos ipse incidi, non omnes, quod in re nulla necessarium. Fabius Pictor lib. 2. de Orig. Italiæ sic loquitur de Romulo, *Ascito ex Etruria vate, atque sacerdote, Olympum fecit, pomeriúmque sacrauit, & aratrum ab Olympo in vico Thusco per palatium circumducens, ab imo collis ad verticem quadratam vrbem signauit.* Tacitus lib. 12. Anna. *Foro Boario æneum tauri simulacrum aspicimus, quòd id genus animalium in condendis oppidis aratro subditur.* Manilius lib. 4.

Vrbo verbum.

Vrbibus augebit terras vinctisque iuuencis
Mœnia succinctus curuo describet aratro.

De eodem more Caius Sempronius de diuisione

A Italiæ, *Palatinum collem sacro aratro cingi iussit.* Pluscula ad hunc morem Isid. lib. 15. Etym. cap. 2. *Vrbs vocata ab orbe, quòd antiquitus ciuitates in orbem fiebant: vel ab vrbe, parte aratri: quo muri designabantur.* Vnde est illud,

Optauítque locum regno, & concludere sulco.

Locus enim futuræ ciuitatis sulco designabatur, id est, aratro. Cato, qui vrbem (inquit) nouam condet, tauro & vacca aret; vbi arauerit, moram faciat: vbi portam vult esse, aratrum sustollat, & portet, & portam vocet. Ideo autem vrbs aratro circumdabatur dispari sexu iuuecorum propter commistionem familiarum, & imaginem serentis, fructúmque reddentis. Lege Plutarchum in Romulo. Hunc morē tractum ab ipsomet Romulo Dionys. scribit lib. 1.

Porta vnde dicta.

B nam post illius historiam, ita: *Vnde apud Romanos hic mos circumarandi loca in condendis vrbibus permanet.* Grçca illius, ἐξ οὗ Ῥωμαίοις τοῦτο τῆς περιαρόσεως τῶν χωρίων ἐν οἰκισμοῖς πόλεων παραμένει. Istis firmatus satis est mos, quem attingit Virgilius. Sed quia ex Catone Isidorus adducit illud de vacca, & boue, partem hāc illustro ex Columella lib. 6. in Præfatione, vbi ait: *In vrbe, cuius mœnibus condendis mas & fœmina aratro terminum signauerunt.* Ex Ioanne Zonara, qui in Romulo ita scribit: Ῥωμύλος θάψας τὸν ἀδελφὸν, ᾤκισε τὴν πόλιν, καὶ βοῦν ἄῤῥενα συζεύξας θηλείᾳ, καὶ ἀρότρῳ ὕνιν χαλκοῦν ἐμβαλὼν, αὐτὸς μὲν αὔλακα βαθεῖαν κυκλοτερῆ περιέγραφεν: *Romulus, post sepultum fratrem, vrbem condidit, & bouem marem vaccæ adiungens, areúmque vomerem aratro inse-*

Bos, & vacca in condendis vrbibus.

C *rens, ipse sulcum profundum in orbem circumduxit.* Ex Xiphilino, qui ait, Commodum voluisse, vt vrbs Roma ipsiusmet colonia diceretur, & inde statua eius aurea posita est, μετὰ τε ταύρου, καὶ βοὸς θηλείας, *vnà cum tauro & vacca.* Vide etiam quæ luculentissimè, & multis Plutarchus in Romulo, quem, quia satis in promptu, omisi. Istis illustrabis Ouidium, qui in Fastis ita ait:

Inde premens stiuam signauit mœnia sulco,
Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.

Aperit verò Varro lib. 4. de Ling. Latina, vnde natus hic mos, his verbis: *oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est vinctis bobus tauro & vacca interiore, aratro circumagebant sulcum.* Itaq; natus mos ab

D Etruscis. Quid sit in Varrone *vacca interior.* facilè allucet ex his, quæ dixi in hoc libro per initia, vbi sermo est de certamine nautico. Absolui, quæ visa necessaria ad hunc locum, à quo tamen non recedam priùs, quàm tibi morem alium aperiam his vicinum. Vt vrbs aratro condebatur, ita aratro euertebatur. Modestinus l. si vsus §. *Si vsusfructus ciuitati legatur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas esse desinit, vt Carthago passa est.* Seneca de Clementia lib. 1. cap. extremo: *inijcere tectis ignem, aratrum vetustis vrbibus inducere, potentiam putat.* Apud Cedrenum

Aratro vrbs euertebatur.

E Iustinianus imperator, non magnus ille, sed Pogonati filius, hostes suos vlturus, ἐκπέμπει στόλον, ἀρότρῳ πάντα, καὶ ἐδαφίζειν κελεύσας, καὶ κατασφάζειν ἅπαντας: *mittit exercitum, qui aratro omnia proscindat, adæquet solo, omnes interficiat.* Isid. post adducta verba: *vrbs aratro conditur, aratro euertitur.* Vnde Horat.

Imprimerét que muris
Hostile aratrum.

Hinc illustrabis Propertium lib. 3. eleg. 9. qui de euersione Troiæ loquens, ita ait:

Moenia cùm Graio Neptunia presßit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.

Et Ouidium in Epist. Penelop.

Diruta sunt alijs, vni mihi Pergama restant,
Incola captiuo quæ boue victor arat.
Iam seges est, vbi Troia fuit, &c.

Aratro signabantur domicilia cuiusque.

3. SORTITVRQVE DOMOS] Nimirum eodem aratro, neque enim solùm vrbs tota, sed cuiusque domicilium aratro signabatur, præeunte eodem vate, ac se interpretante. nam 1. Æn. postquam de vniuersa Carthagine dixerat:

——— pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa.

Mox de cuiusque domicilio ait:

Pars optare locum tecto, & concludere sulco.

Sortitio ad domicilia.

Fiebat verò hoc sortito, ne inter futuros ciues occasio aliqua rixæ. vel, vt ait Donatus: *dabantur sorte propter locorum differentiam.* Quæ hæc differentia? explicat Velserus lib. 5. Rer. August. Vind. *Vt enim quæque (domus) foro proxima, ita situ maximè commoda, & opportuna censebatur.*

Vrbium conditarum munimen triplex.

4. INDICITQVE FORVM] Quæ dixi de triplici in condendis vrbibus munimine, muri, legum, religionis, cùm ex multis discenda, tum præcipuè ex Platone lib. 6. leg. cuius hæc sunt verba ad mentem Virgilij signatissima: *Vrbs quidem tota in circulum in locis sublimibus deducatur, vt & munitior sit, & mundior. Templa circum forum struantur. Iuxta hæc magistratuum iudicúmque palatia, in quibus quasi sacratissima, iustam & accipient, & ferent sententiam.* Tu reliqua. Sed cur senatores, dicti patres? Dionys. lib. 2. *Patres dicti, siue quòd alios ætate anteirent, siue quòd liberi illis essent, siue propter generis nobilitatem, siue propter hæc omnia.*

Senatores cur patres dicti.

5. PATRIBVS DAT IVRA VOCATIS] Vide, vt explicui, nec muto, est enim commoda sententia. Aliter explicat Velserus lib. 5. Rer. August. Vind. colonias de nouo conditas ita accepisse leges ab Imperatoribus, & triumuiris, vt tamen ipsi coloni pro re nata leges quoque ferrent in vtilitatem Coloniarum. *Nam qui (inquit) prospicerent triumuiri euentura tam acutè, vt nouis in dies legibus opus non esset?* Eò trahit verba ista Virgilij, *patribus dat iura vocatis*, ex explicatione Seruij ita exponentis: *Dat condendi iuris potestatem his, quos appellauerat patres.*

Eryx mons.

6. ERYCINO] Duo dicit, & montem esse altissimum, & in eo templum Veneris: ad quam rem signata verba Polybij, & Strabonis. prioris lib. 1. *Eryx est Siciliæ mons. Hic magnitudine omnes Siciliæ montes excedit, præter vnum Ætnam. in eius vertice planities est, inque ea Erycinæ Veneris templum, quod sine controuersia omnium Siciliæ templorum opulentißimum, atque ornatißimum est.* Posterioris lib. 6. οἰκεῖται δὲ καὶ ὁ Ἔρυξ λόφος ὑψηλὸς, ἱερὸν ἔχων Ἀφροδίτης τιμώμενον διαφερόντως: *habitatur Eryx collis excelsus habens Veneris templum, cuius præcipuus honor.* Thucidydes quoque lib. 6. meminit phani Veneris in monte Eryce Siciliæ. De templi huius structore Seru. lib. 1. Æn. ad illud: *siue Erycis fines*, ita scribit, *Eryx monti ex sepultura sua nomen imposuit, in quo matri fuerat templum*, quod *Æneæ ascribit Poeta dicens, Tum vicina astris*, &c. Apollonius li. 4. Arg. dixit, θεὰ Ἔρυκος μεδέουσα Κύπρις. Scias demum, Poëtam Augusti sui studiosum templi huius meminisse cum allusione ad illud, quod Romæ fuit extra portam Collinam, dictum quoque Veneris Erycinæ, ad quod Numen Augustus genus suum, & originem referebat. Templi huius Ouidius meminit. 5. Fast. De Tiberio certè, & de eo templo, quod in Sicilia, ita Tacit. lib. 4. Annal. *Segestani ædem Veneris, montem apud Erycem, vetustate collapsam restaurari postulauere: nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio. Suscepit curam libens, vt consanguineus.* De Idalia Venere dictum alibi. Hæc ad commentationem, extra quam parergon scias, Suetonium attribuisse Claudio, quod Tiberio Tacitus. nam in eius vita cap. 25. *Templum in Sicilia Veneris Erycinæ, vetustate collapsum, vt ex ærario populi Romani reficeretur, auctor fuit.* Audet Lips. affirmare, Suetonium scripsisse ἀλογιστί, nam de altera restauratione non facilè credas tam breui annorum interuallo.

Venus Erycina.

Augustus genus suum referebat ad Venerem.

Flamines imperatorum.

7. SACERDOS] Non dubium, quin respexerit ad morem Romanorum, qui imperatoribus in Deos Relatis flamines attribuebant, sacra, lucos, syluas. Ceterùm hic Anchisæ tumulus vel honorarius fuit, vel verus: Postremum ex Seru. ita scribente. 1. Æn. *in hoc monte dicitur etiam Anchises sepultus.* Atque etiam ex Virg. qui in Sicilia, atque adeo Drepani Anchisen sepelit. situs est verò Eryx mons inter Drepanum, & Panormum, auctor Polybius lib. 1. Primum, ex aliis, qui mortuum asserunt ante aduentum classis Troianæ in Siciliam. quod alibi dictum.

[a] Iámque dies epulata nouem gens omnis, & aris
Factus honos; placidi strauerunt æquora venti,
[b] Creber & aspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurua ingens per littora fletus,
Complexi inter se noctémque diémque morantur.
IPSÆ IAM matres, ipsi quibus aspera quondam
Visa maris facies, & non tolerabile Numen,
Ire volunt, omnémque fugæ perferre laborem.
[d] Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ.
Tres Eryci vitulos, & tempestatibus agnam
Cædere deinde iubet, soluíque ex ordine funes.
[f] Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extáque salsos

Porricit

Porricit in fluctus; ac vina liquentia fundit.
g Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes:
Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.

A

ARGVMENTVM.

Fiunt epulæ per dies nouem, & Dijs ſacra: mare, & venti apti ſunt ad nauigandum: exoritur comploratio & diſcedentium, & remanentium: imbellis turba vult dare ſe comitem Æneæ, hic plenus pietate illam Aceſtæ commendat: fiunt ſacra Eryci, & tempeſtatibus: adnauigatur velis remiſque.

EXPLICATIO.

a POſt nouem dies, quibus celebrata variis epulis apotheoſis Anchiſæ ab Troianis & Siculis (nã hi ſunt *gens omnis*,) poſtquam *honos factus aris*, id eſt, ſacrum, cogitant Troiani de nauigatione in Italiam, éſtque in manibus occaſio, nam *venti placidi ſtrauerunt æquora*. Præclarè. Propriè enim *æquora*, quæ ſtrata & æqua à ventis placidis.

b Nota ſententiam. Stratum eſt æquor, compoſitũ, lene, & tamen crebri Auſtri, quia videlicet hi non furentes, tantùm cum fauore aſpirantes, &(quod alibi) leniter crepitantes. Locutio hæc *vocat ventus*, alibi illuſtratur.

c Neceſſarij iſti affectus & conqueſtiones in hac abitione. Tute conſidera, quantus eſſet dolor diuelli illos, qui vnà è Troia enauigaſſent: cùm præſertim (quod accidiſſe credendum eſt) filij à parentibus cõfectis ſenio abiungerentur. Sed iam expende Primùm ſunt fletus, à fletibus itur ad complexus: cùm verò videant ſe inter ſuorum complexus, iam nolunt diuelli, volunt ire, volunt perferre laborem omnem; non iam illis videtur mare aſperum, iam omnia tolerabilia, etiam ſi in fuga.

d Exſpirant iſta Æneæ bonitatem, & pietatem: hanc enim partem ſæpe repræſentat in ſuo duce Virgilius, vt quæ neceſſaria in omni principe. Ergo *ſolatur dictis amicis*, quia ipſe *bonus*. En bonitatem: *commendat Aceſtæ*, quia *conſanguineo*. & hæc *lacrymans*, en pietatem.

e Gratiſſima commutatio. Placet Virgilius ſemper, & cur placeat ſæpiſſime ignoras. Vni Eryci tres vituli cæduntur, omnibus Tempeſtatibus vna agna. Poſitus lepor in mutatione numerorum. Sed cur Eryci? quia diſceſſio fit ex Sicilia. cur Tempeſtatibus? quia ituri per maria. Nam, cùm appulerint ad Italiam, tunc ſacra fient Numini illius loci. In iſtis *ſoluique ex ordine funes*, videtur innui ſollemne aliquid in ſoluendis funibus, ita vt prima omnium ſolueretur, quæ princeps totius claſſis, & qua Æneas vectus: niſi quis ſimpliciùs referat ad ordinem, quo naues alligatæ.

f Sed iam ſacrum ſequitur, quod Princeps *ipſe* ἱερατικῶς peragit. Præcedit apparatus ex circumſtantiis. Quippe coronatus olea, ſtans, & in prora, & tenens pateram. Quod verò ſacrum? audi. Porricit exta vitulorum, & agnæ in fluctus, fundit vinum.

g Quia propitiati iam Dij, quaſi cauſa illa fauorabilem & ſecundum effecerit. Itur verò in Italiam & remis, & velis, in quo expreſſa cupiditas Troianorum. Velis, nam *ventus euntes proſequitur*: remis, *ſocij feriunt mare*. Et quia ventus eſt *à puppi*, id eſt, ſecundus: inde ipſi quoque celerrimè nauigant, ideo *æquora verrunt*. Omnia quippe ſe mutuò adiuuabant. Obſerua ita hîc iam Siciliam deſeri, vt in eam nunquam ſit reditus.

NOTÆ.

1. EPVLATA] Vox ſignata, nam de re ſacra, & epulæ ad ſacra pertinuerunt. Sueton. in Iul. cap. 26. *Munus populo, epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam*. Feſt. *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum autem eſt his nomen, quòd epulas indicendi Ioui ceteriſq; Dijs, poteſtatem haberent.* in Liuio etiam *Iouis epulum* legas. (Epulum in ſacris.)

1. NOVEM] Vt in celebritate mortui. Lege quæ ſcripſi initio huius libri,

B

—nonámque ſerena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant.

Et hîc adiice coniecturam noſtram de die hoc. Quæri enim poteſt, cur dies nonus ſacer ſit mortuis, & habitus in tanto honore? alij aliter ſatisfacient. Mihi viſum non ineptè dici poſſe, factum hoc cum reſpectu ad diem luſtricum puerorum. Sicut enim die nono pueris imponebantur nomina, non antè, quia die nono videbantur ingredi in ſpem vitæ: ita è contrario mortuis die nono fiebant ſacra, pari menſura temporis. Si, quæ hîc dixi de die luſtrico, minùs capiat nouitius lector, legat Plutarchum in Quæſt. Roman. Macrobium lib. 1. Satur. cap. 16. inſuper Feſtum, à quibus diſces luſtricum puerorum diem eſſe nonũ, puellarum verò octauum. Qui tamen auctores capiendi ſunt ex Romano more, nam Græcis die decimo imponebantur nomina, quod ex Suida, Euripide, Ariſtophane, atque Ariſtophanis Scholiaſte iam aſtruxit Philippus Rubenius lib. 1. Elect. cap 5. vbi multa de die luſtrico. Sciat obiter Lector, diem quoque ſeptimum à nato puero in honore habitum. Credebant enim veteres tum Parcas ſtatuere, qua fortuna futurus puer in ætatem reliquam. Ita me Læuinus iam docuit citans Catullum de nuptiis Pelei, Ouidium. 8. Met. & Tertulliani verba hæc: *tota hebdomada Iunoni menſa ponebatur, & die vltima fata ſcribenda aduocabantur.* Ex hac doctrina explicat ille Horatij locum Od. 16. lib. 2. (Nonus dies cur ſacer mortuis.) (Luſtricus dies.)

C

D

3. FLETVS] Similis affectus in Thucydide lib. 6. cùm Nicias, Lamachus, Alcibiades ſoluunt ex Piræo. Subdítque hanc rationem fletus, qui exortus eſt, εἴποτε ὄψοιντο ἐνθυμούμενοι ὅσον πλοῦν ἐκ τῆς σφετέρας ἀπεστέλλοντο: *cogitabant ſi quando eos eſſent viſuri, qui in tam longinquam à patria nauigationem dimitterentur.* Et in eodem, lib. 7. vbi poſt bellum infeliciter geſtum, integri nauigant, alij relinquuntur in terra hoſtili. hoc pene ad lacrymas lugentium Thucydidis. Nam quale eſſet ſpectaculum, mortuos relinqui inſepultos, ægrotos & vulneratos abſque humana ope? Pendebant ægri ex ceruicibus amicorum, rogabant ne abirent, & ſe auferrent. Omnia littora gemitibus perſonabant: abeuntium, quòd amici ægri relinquerentur: relictorum, quòd ſani abirent. Eſt etiam locus in Iuſtino lib. 23. quem tibi ſubiicio: *Diſcedentes paruuli flebili vlulatu amplexi patrem tenebant. Ex altera parte vxor maritum non ampliùs viſura oculis fatigabat. Nec minùs ſenis lacrymæ miſerabiles erant.* Neſcias quo fato ſubdita his malis vna Sicilia. Ideo enim repræſentaui has hiſtorias, nam quæ Poëta hoc loco ſcribit, quæ Thucydides lib. 7. quæ Iuſtinus, geſta in Sicilia ſunt. Similia legas in Diuo Luca. 20. Act. de Paulo, cùm duceretur ad nauem. *Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes* (Sicilia ſubdita malis.)

E

tumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, &c. Simillimi etiam affectus repræsentantur, cùm Troiani soluunt Epiro, lib. 3. Æn. Vide etiam ad hanc rem locum Xenoph. lib. 3. ἀναβ. circa initium.

4. IPSÆ IAM MATRES] Potuit in hac matrum, & imbellis turbæ cupiditate ad nauigandum expressa, hærere loco Thucydidis, apud quem soluenti ex Piræo classi senes se comites volebant dare. ὁ ἔρως ἐνέπεσε τοῖς πᾶσιν ὁμοίως ἐκπλεῦσαι· τοῖς μὲν γὰρ πρεσβυτέροις, ὡς ἢ καταστρεψομένοις ἐφ᾽ ἃ ἔπλεον, ἢ, &c. *Cupido nauigandi omnibus pariter incessit. Senibus quidem tanquam aut redacturis in ditionem ea ad quæ classis tenderet, aut, &c.*

5. ASPERA] Asperitas de mare dicitur turbido & agitato. alibi exorno.

Facies, & vultus de mari. 6. MARIS FACIES] Ita alibi: *Mene salis placidi vultum.* Et sanè crebertimum dari mari metaphoricè partes hominis, vt *terga, manus, brachia*. quod alibi obseruo, & locupleto. Et quidem faciem pari metaphora rebus multis dat Plin. lib. 6. cap. 7. *cæli facies.* & cap. 25. *terrarum faciem.* & lib. 2. cap. 97. *Naturæ faciem*, & Pind. Od. 5. Nem. veritati dedit πρόσωπον. Sed tamen ego non tam πρόσωπον capio, quàm εἶδος, vt etiam in 2. Æn. *Armorum facie.* Dixit enim deceptos Troianos specie armorum.

Numen de mari. 7. NVMEN] Dat mari, quia verè, vt Deus, cultum: inde sacra fiebant hyemi, ventis, tempestatibus, fluctibus. Apud Appian. in Mithridat. Mithidrates ipse currum suum Mari consecrat. Huc pertinent, quæ postea adducam de tempestatibus.

8. FVGÆ] Hunc cursum Troianorum in Italiam, sæpissime indigetat *fugam*. Cuius rei semen primum iactum in illo exordio, *Italiam fato profugus.*

Tempestas inter Numina. 9. TEMPESTATIBVS AGNAM] Illustrant, & explicant Virgilium verba hæc Ciceronis lib. 3. Nat. *Quòd si nubes retuleris in Deos, referendæ certè erunt Tempestates, quæ populi Rom. ritibus consecratæ sunt. Ergo imbres, Nimbi, Procellæ, Turbines, sunt Dij putandi. Nostri quidem duces mare ingredientes, immolare hostiam Fluctibus consueuerunt.* Item versus Ouidij:

Te quoque Tempestas meritam delubra fatentur,
Cùm pene est Corsis obruta classis aquis.

Atque Horatij Od. 10. Epod.

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

Agna tępestatibus sacrificabatur. Hac etiam doctrina fuerunt Græci. Nam Aristoph. in Ranis, ore Dionysij,

Ἄρν᾽, ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται:
Agnam, Agnam nigram pueri exportate:
Typho enim erumpere apparat.

Porro ex Aristophane, atque etiam ex illo vatis; *Nigram hyemi pecudem*, intelligas hîc agnam, *nigram* quoque fuisse. Sed cùm sim in hoc loco Aristophanis, producam Scholiastæ Aristophanis verba, quæ Poëtam explicabunt. ait ille loquens de Typhone vento: τούτῳ ἐνόμιζον μέλαιναν ἄρνα σφαγιάζειν, ὅπως λήξῃ τὸ πνεῦμα: *huic sacrificari agnam nigram in more fuit.* His certè satis innuitur, huic vento non aliis, fieri solitum hoc sacrum. ac perinde de illo fortasse tantùm capiendus Virgilius. Ab hac porro religione veterum non abiit alia, qua fiebant sacra ad auertendam tempestatem imminentem frugibus. in qua re iam operam suam posuit Iacobus Durant. lib. 2. Var. cap. 10.

10. SOLVI FVNES] Prudentius Cathem.

Celsam paratis pontibus scandit ratem,
Vdo reuincta fune puppis soluitur.

Oliua coronabantur sacrificantes. 11. OLIVÆ] De more sacrificantium, sic Mopsus apud Flaccum. 3. Arg.

Tempora tum vittis, & supplice castus oliua
Implicat, & stricto designat littora ferro,
Circum humiles aras, ignotáque Numina Diûm
Instituit.

Vox *tonsa* innuit comptum, & expolitionem coronæ: vel *tonsæ*, id est, decerptæ ex arbore.

12. EXTA PORRICIT IN FLVCTVS] De verbo *porricio* dixi iam in hoc libro. Cæterùm soluturus Æneas hoc facit sacrum. sic apud Flaccum lib. 3. Mopsus: Mari sacra fiebant.

—lustramina ponto
Pone iacit.

& post pauca:

Continuò puppem petere, & considere transtris
Imperat Amphicydes.

Apud Silium Scipio lib. 17.

Ipse alacer Sicula discedens Scipio terra
Abscondit latè propulsis puppibus æquor,
Cui numen pelagi placauerat hostia taurus,
Iactáque cæruleis innabant fluctibus exta.

Post quæ lustramina effectus accessit, nam subdit:

Tunc à sede Deûm, purúmque per æthera lapsæ
Armigeræ Iouis ante oculos cœpere volucres,
Æquoreas monstrare vias, ac ducere classem.

Imperator idem apud Liu. lib. 29. præmissis ad deos precibus è prætoria naue, *cruda exta, cæsa victima, vti mos, in mare porricit, tubáque signum dedit proficiscendi.* Apud Appianum Augustus Cæsar 5. ciuil. *Cùm parata adessent omnia, Cæsar classis exercitum hoc modo purgauit.* Exercitus purgatio. *Altaria primùm maris in littore sita alluuntur vndis, multitudo omnis circumquaque magno silētio per naues assidet: sacerdotes in mari considentes sacra faciunt, térque per exercitum scaphis circumuecti, purgamina sacra deferunt, ducibus vnà adnauigantibus, & purgamina extollentibus, vt ab exercitu infelicia quæque depellant. Diuidentes deinde ea, partem in mare porriciunt, partem altaribus impositam flammis adolent.* Græca omisi, quia multa. Tu leges ab eo loco, ἐπεὶ δὲ ἕτοιμος ἦν ὁ στόλος, &c. Faciunt demum ad hunc morem verba Pausan. lib. 7. vbi loquens de salutis fano apud Argienses, ait: *ibi sacra, & alia rite peragunt, & ex ara sumpta liba porriciunt in mare, mittere se illa Arethusæ Syracusas testantes.* Ex tribus Poëtis, Flacco, Silio, Virgilio; tribus scriptoribus, Liuio, Appiano, Pausania, cognosces, qui mores seruari soliti in hoc maris sacro, ideo eos tibi coniunxi. Quæ enim vnus silet, alius loquitur. Quibus etiam addas Pind. Od. 4. Pyth. apud quem sacra etiam fiunt, priusquam soluát Argonautæ. Namque, μάντις ὀρνίχεσσι, καὶ κλάροισι θεοπροπέων ἱεροῖς Μόψος ἄμβασε στρατὸν πρόφρων: *Mopsus vates auibus, & sacris sortitionibus vaticinans, conscendere fecit exercitum prompto ipse animo.* Nihil hîc de extis, abit hoc sacrum ab aliis. Huiuscemodi sacra pro felici traiectu Xenoph. lib. 3. ἑλλ. vocat διαβατήρια. Adi eundem Xenoph. lib. 3. ἀναβ. vbi classis non priùs soluit, quàm fiant Diis sacra.

13. VINA] De vino fuso in hoc sacro magna quoque est mentio. adi, quæ suprà dedi in voto Cloanthi, in illis, *vina liquentia fundam*, vbi tres Poëtas coniunxi. Sed cùm hîc specialior sit mentio de vino fuso ad profectionem, præclarus est locus Thucydidis, & aliis iam indicatus lib. 6. vbi soluente classe è Piræo, sic scribit. τῇ μὲν σάλπιγγι σιωπὴ ὑπεσημάνθη, εὐχὰς δὲ τὰς νομιζομένας πρὸ τῆς ἀναγωγῆς, οὐ κατὰ ναῦν ἑκάστην, ξύμπαντες δὲ ὑπὸ κήρυκος ἐποιοῦντο, κρατῆράς τε κεράσαντες παρ᾽ ἅπαν τὸ στράτευμα, καὶ ἐκπώμασι χρυσοῖς τε καὶ ἀργυροῖς, οἵ τε ἐπιβάται, καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες: *Tuba silentium indictum est, tum legitima ante profectionem vota nuncuparunt, non per singulas naues, sed vniuersi per præconem, miscentésque per omnem exercitum in aureis & argenteis poculis, tum vectores, tum duces libabant.* Libatio in mare. Aliorum digito non egueram in hoc Scriptore. Eadem pene Diodorus lib. 13. scribit in narratione eiusdem historiæ hærens omnino Thucydidi:

didi: *Crateres argentei omnibus in locis positi conspiciebantur, quibus latices haustos poculis aureis libabant, Deos venerantes suppliciter, orantésque multis votis, vt propitio Numine, faustisque auspicijs classis profectionem prosequerentur.* Inueni etiam hunc morem in Aristide & Herodoto. Prior in priore Sicula ita ait. ἐκ ἀναμνησθησόμεθα ὦ Ἀθηναῖοι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἐν ᾗ τὰς ναῦς ἀπεστέλλομεν παιᾶνας ᾄδοντες, καὶ κρατῆρας ἱστάντες; *Num dies ille nobis excidit, Athenienses, quo classem dimissuri paeanas canebamus, & crateras statuebamus?* Apud posteriorem Xerxes soluturus inducitur σπένδων ἐκ χρυσέης φιάλης ἐς τὴν θάλασσαν, *libans in mare ex aurea patera.* & paucis interiectis, εὐξάμενος δὲ ἐσέβαλε τὴν φιάλην ἐς τὸν Ἑλλήσποντον: *Post preces phialam in Hellespontum inuergit.* In eodem libro, loco à superiore longè dissito, Græci soluturi idem sacrum peragunt. verba scriptoris sunt: οἱ δὲ, ὡς ἐπύθοντο, Ποσειδέωνι Σωτῆρι εὐξάμενοι, καὶ σπονδὰς προχέαντες, τὴν ταχίστην ὀπίσω ἠπείγοντο ἐπὶ τὸ Ἀρτεμίσιον: *Quæ isti vbi audiuêre, fusis priùs liberatori Neptuno libamentis, celerrimè rursus ad Artemisium reuehuntur.* Signari hîc vinum certissimum est: sicut ab Iustino lib. 12. vbi loquens de Alexandro Magno, ita ait: *Reuersus in naues Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus.* Certè *libamẽta* vinum signant. Pindarus quoque Od. 4. Pyth. hunc morem attingit, commemorans profectionem Argonautarum. Adducam verba, quòd videam neminem hactenus commeminisse Pindari ad hunc morem, sicuti neque Aristidis, Herodoti, Iustini. Et ego in lucro eruditorum pono adiecisse auctores

A nemini libatos in more præcipuo. Sic itaque de Iasone Pindarus:

Χρυσέαν χείρεσσι λαβὼν φιάλαν
Ἀρχὸς ἐν πρύμνᾳ, πατέρ᾽ οὐρανιδᾶν
Ἐγχεικέραυνον Ζῆνα, καὶ ὠκυπόρους
Κυμάτων, ῥιπὰς ἀνέμων τ᾽ ἐκάλει,
Νύκτας τε, καὶ πόντου κελεύθους,
Ἄματά τε εὔφρονα, καὶ
Φιλίαν νόστοιο μοῖραν.

Auream manibus sumens phialam dux in puppi, patrem Cælitum, fulmine armatum Iouem, & celeriter meantes fluctus, ventorúmque impetus inuocabat, noctésque, & maris vias, diésque lætificos & optabilem reditus sortem. Huic mori annexus alius, quẽ breuiter firmo ex vno Apuleio, quia ista non res Virgilij. Solebat interdum classis tota, aut nauis purificari, adeo non contenti solo mari. Verba Scriptoris Afri sunt: *Nauem faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum variegatam summus sacerdos tæda lucida, & ouo, & sulphure, sollemnißimas preces de casto præfatus ore, quam purißimè purificatam Deæ nuncupauit, dedicauítque.* Classis purificabatur.

B

14. SVRGENS A PVPPI] Signat οὐρίαν, καὶ οὖρον ἄνεμον: *ventum secundum.* nam is est, qui à puppi ferit. Signatissimè Cicero pro Pompeio, *venti obsecundarint.*

15. FERIVNT MARE] Homerus 4. Odyss.

—πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς:
—*Canum mare remis verberabant.*

vt hîc (verrunt) ita Ennius 14. Annal.

Verrunt extemplo placidè mare marmore flauo.

[a] At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talésque effundit pectore questus.
[b] Iunonis grauis ira, & inexaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
[c] QVAM NEC longa dies, pietas nec mitigat vlla;
Nec Iouis imperio, fatísve infracta quiescit.
[d] Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Vrbem odiis satis est, pœnam traxisse per omnem
Relliquias Troiæ: cineres, atque ossa peremptæ
Insequitur. causas tanti sciat illa furoris.
[e] Ipse mihi nuper Libycis tu testis in vndis
Quam molem subitò excierit: maria omnia cælo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
[f] Prô scelus, ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit fœdè puppes, & classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
[g] Quod superest, oro, liceat dare tuta per vndas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tybrim:
SI CONCESSA peto, si dant ea mœnia Parcæ.

ARGVMENTVM.

Adit Neptunum Venus, queritur de Iunone, quam vocat iracundam, pertinacem, immitem, peruicacem, infractam, nefandam, impiam, furibundam, audacem, sceleratam. Summa petitionis, transmißio in Italiam.

EXPLICATIO.

[a] AGgreditur narrationem opportunam historiæ. Tendit iam Troiana classis in Italiam, ergo

C propitiandum fuit Numen maris Neptunus, quo cursus sit facilior, & lenior, neque tempestatibus expositus, vt hactenus. Commodè verò Venus inducitur sollicita de rebus filij, imò *exercita*, id est, vexata curis, fatigata, enecta. & ideo *effundit* pro nato non verba, vt incassum; sed questus, quo exprimitur habitus interni doloris. & quia *questus*, ideo è *pectore*, vbi altiùs dolor insederat.

[b] Nominat illum *Neptune*, vt captet. Adhibétque rationem, cur descendat ad preces, videlicet, *Iunonis ira,*

ira, & hæc *grauis*: & *pectus inexaturabile*. Ducit verò exordium à necessitate, quia ait se cogi.

c Dixerat, grauem esse iram Iunonis, ostendit iam à quadruplice capite hanc grauitatem. Diuturnitas temporis omnia consumit, non iram Iunonis, quæ durauit ante bellum Troianum, in ipso bello, post bellum. Pietas grata est Diis, & apta ad reconciliationem; illa non lenitur pietate Æneæ, non mitigatur, cùm præcesserit in 3.

Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores.

Imperium Iouis potens est in reliquos superos, vna Iuno peruicax est. Demum, fata quem non frangunt? illa adhuc infracta est. Quæ sequuntur deinde pertinent ad maiorem explicationem horum capitum.

d Non satis fuit Troiam exedisse odiis nefandis? Præclarè *exedisse*. nam suprà *pectus inexaturabile*, itaque tādiu exedens, nunquam saturatur. Sed præclariùs adhuc *odijs nefandis*. Dixerat enim illam non mitigari pietate sacrificiorum, Iouis imperio, fatis disponentibus: ergo Iunonis odia non iniusta solùm sunt; sed contra pietatem, Iouem, fata; ac perinde nefanda. Pergit: Non satis est, *traxisse reliquias Troiæ per omnem pœnam?* nam quibus non malis exercita est Troiana classis, quæ reliqua fuit à Troiano incendio? Sed ecce post euersam Troiam, post vexatas reliquias *insequitur cineres, atque ossa perempta* iam Troiæ. quod odium immane, dirum, atrox: nam sæuire in mortuos supra omnem sæuitiam est. Ergo, *sciat illa causas furoris tanti*, nam ego neque scio, neque assequor.

e Ex tam multis cladibus, quibus Iuno affecit Troianos, duas tantùm commemorat, videlicet tempestatem, qua classis delata est in Africam, & vnde sumptum exordium huius epici operis; & recentem hanc de incensis nauibus: indicans miseram classem Troianam aquis flammísque oppugnatam. Inuidiosè verò omnia: pertrahit enim Iunonem in odium Neptuni, hac sententia. Tuis te armis oppugnauit, nam in te armauit Æolum, Deum tibi subditum: deinde regnis tuis audax fuit, alienam potestatem vsurpans.

f Dixerat, Iunonem esse iracundam, idque multis verbis: pertinacem, *quam non longa dies*: immitem, quia non mitigaret illam pietas; peruicacem, quia contra imperium Iouis: infractam, quæ nec fatis cederet: nefandam, in qua nefanda odia: impiam, quæ mortuam Troiam vexaret: furibundam, in illis, *Causas tanti sciat illa furoris*: audacem, *In regnis hoc ausa tuis*. Post tot crimina, post tot opprobria, ecce de nouo sceleratam arguit. Explicat mox, quod argumentum huius sceleris. Sed priùs præmittit voculam *ecce*, vt in scelere nouo, & quod nemo cogitasset. Sed quod tandem scelus? *Exussit puppes*, &c. neque enim nisi per summum scelus matres in eam rabiem agerentur, vt contra suos liberos, contra sua (inquam) viscera sæuirent: ademerunt enim quantum in se fuit, suis liberis adiumenta adipiscendæ laudis, glorię, immortalitatis: quæ omnia posita in transmissione ad Italiam. Cum hoc tanto scelere Iunonis adiuncta fuit fœditas, & indignitas facinoris. Vocat Siciliam *terram ignotam* respectu Italiæ, quæ notissima, & fatis decantata. Et quidem Troianis ex Asia venientibus in Europam, tantùm nota erat ex oraculis Italia.

g Quàm præclarè. Non enim ait, liceat dare vela Æneæ; sed liceat dare tibi vela, quasi hactenus impedita fuerit potestas Neptuni, nec licuerit in suo mari imperare præ metu Iunonis. Pergit, *liceat attingere Tibrim Laurentem*. En summa petitionis, ad quam tot verba destinata, tam malè affecta Iuno, tam acriter concitatus Neptunus. Absoluit, *si pero concessa, si Parcæ dant ea mœnia*. Aduocat pro se, quæ torserat in Iunonem. Illa oppugnat fata, resistit Imperio Iouis: me fata adiuuant, & Parcæ; peto, quæ mea sunt, nam iam concessa à Ioue, fatis, Parcis.

A

NOTÆ.

1. NEPTVNVM] Dubites cur Venus querelas suas deferat ad Neptunum, séque velit illius patrocinio tegi contra iras Iunonis. nam certè in 2.

Neptunus muros magnóque emota Tridenti
Fundamenta quatit, totámque à sedibus vrbem
Eruit.

Puto causam recõciliationis esse, tulisse grauiter Neptunum, Iunonis imperio commotam tempestatem aduersus Troianos in mari, quod sui esset iuris. Apparet id ex hac oratione, nam mox Venus acuens Neptunum in iras aduersus Iunonem, hoc maximè argumento vtitur, quòd Iuno maria excierit, ausa hoc in regnis Neptuni. Nusquam autem maiores sunt inimicitiæ, quàm cùm certatur de iure.

B

2. EFFVNDIT PECTORE QVESTVS] Institit Ennio qui 6. Annal. *effudit voces pectore*. Et Catull. in Nupt. Pelei.

Clarificas imo fudisse è pectore voces.

Ad quorum imitationem Pedo Albinouanus in Nauigatione Germanici:

Obstructo tales effudit pectore voces.

Optimo iudicio Virg. *voces* Ennij, & Catulli mutauit in *questus*.

3. INEXSATVRABILE] Ita de eadem, *nec dum antiquum exsaturata dolorem*. & in 7. (odiis haud exsaturata quieui.) Eurip. (citante Germ.) ψυχὴ ἀκόρεστος: *animus inexsaturabilis*. Huius Deæ pertinaciam in retinendis iris alibi attingimus.

C

4. DESCENDERE] Cùm caussam agat coram Neptuno, commodè forense verbum vsurpat. Cic. enim de oratore *descendere in forum* dixit, & Offic. *descendere in rostra*. in Ver. *subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere*. Si quis quærat, quare hoc verbo potiùs vterentur, quàm verbo ascendendi, cùm ascendere rostra magis proprium videatur: Crederem hoc verbũ traductum esse ex veteri forensium causarum consuetudine. olim enim oratores & patroni causam agebant ante tribunal iudicum, quod eminentius & elatius erat, ipsi autem dicebant ex quodā plano. Lege Franciscũ Polletum c. 5. Igitur crederem descendendi verbum tum vsurpatum ab oratoribus, cùm planus ille locus inferior esset iudicum tribunali: mox autem loquendi vsus retinuit, cui interdum placent vetera, nec semper noua, vt idem verbum vsurparetur, etiam si in rostra, aut in alium locum eminentiorem ascensio fieret. Hoc placuit præ aliis. Alij se expedient, & confugient ad consuetudinē reorum, qui semper ex inferiori loco agebant. Alij translationem deducent ab Gymnica: dicebantur enim certatores in palæstram descendere, aut in puluerem, aut in certamen, cùm spectatores essent in sublimiore loco: neque verò hoc posttemum displiceret.

Descendo verbũ fori.

D

5. MEDIA] Sita Troia in medio Troiani imperij, inde enim terras habuit, inde maria; subdita omnia imperio Priami latè patenti ac dominanti.

6. CINERES] Iudicium odij maximi. Tritum illud est veterum axioma, mortuos debere hostibus carere. Demosthenis hæc sunt adducti ab Stobæo serm. 117. τοὺς τεθνεῶτας γὰρ, οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἀτιμήσει: *mortuos autem ne hostis quidē vllus ignominia affecerit*. Idem Serm. 22. Archilochi hoc carmen aduocat:

Mortui in honore.

E

Κενὸν θανόντος ἀνδρὸς αἰκίζειν σκιάν:
Inane est affligere vmbram defuncti hominis.

Diodorus Poëta apud eundem,

Πρὸς τὸν τελευτήσαντ' ἕκαστος κἂν σφόδρα
Ὢν ἐχθρὸς ᾖ τις, γίνεται φίλος τότε

Homi

Homini se quisque mortuo conciliat, quamuis priùs fuerit admodum inimicus. Admonet Plato lib. de Legib. 6. post Deorum cultum, deinde mortuorum manes colendos, neque exercendam aduersus illos iram, & simultatem. Apud Senecam Andromache hoc maximè facinus execratur, quòd Vlysses velit tumulum eruere, & cineres dissipare,

——fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum. templa violastis, Deos
Etiam fauentes; busta transierat furor.

Eleganter & facetè Horatius ait in epist. ad Pisones, eum, qui infeliciter versus factitat, putandum id mali illi accidisse, quòd patrios manes violauerit:

Nec satis apparet, cur versus factitet, vtrùm
Minxerit in patrios cineres.

Perimo de vrbe, &c. 7. PEREMPTÆ] Non est insolens hæc metaphora. Ita Plautus Mercatore: *Vsus fructus harum ædium interfectus est.* Idem alibi nauigio dat *interitum*. Sulpitius in epist. ad Ciceronem pari elegantia *cadauera oppidorum*. Non abludit vrbibus & ædificiis dari ætates homi- A num. Ita Ouidius. 1. Amor. eleg. 8.

Canescunt turpi tecta relicta situ.

Et Symmachus lib. 1. epist. 4. *ædium senectutem*. Quem in locum Notam satis copiosam coniunxit Iuretus. Adi, & adiunge pari genio cum Poëta dixisse Propertium lib. 1. eleg. 22. *patriæ sepulcra*, & Catullum, *domus sepulta*. & de Troia,

—commune sepulcrum
Europæ Asiæq́;.

8. CAVSAS] Harum aliquas Iuno ipsa attingit. 1. & 10. Æn. Sed ait Venus, se nescire, non quia ignoret, sed quia iniustæ illæ. Verba Virgilij affinia sunt istis Callimachi de eadem Iunone,

Σὺ δὴ ἄνασσα τὸν αἴτιον εἴσεαι ὀργῆς:
Scis ipsa ô Regina causam irarum.

9. MOLEM] Vt hîc *molem tempestatis*, ita Liuius, *molem pugnæ* lib. 26.

10. MARIA OMNIA CÆLO MISCVIT] De hac, & similibus formis adagialibus, lege Erasm. ch. 1. Cent. 3.

[a] Tum Saturnius hæc domitor maris addidit alti,
[b] Fas omne est Cytherea meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis. merui quoque: sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam cælíque marísq́;,
Nec minor in terris (Xanthum, Simoëntáque testor)
Æneæ mihi cura tui, cùm Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemeréntque repleti
Amnes, nec reperire viam, atque euoluere posset
In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam, NEC DIIS, nec viribus æquis,
Nube caua eripui: cuperem cùm vertere ab imo
Structa meis manibus periuræ mœnia Troiæ.
[c] Nunc quoque mens eadem perstat mihi. pelle timores,
[d] Tutus, quos optas, portus accedet Auerni.
Vnus erit tantùm, amissum quem gurgite quæret:
VNVM pro multis dabitur caput.

ARGVMENTVM.

Dat Neptunus confidentiam Veneri, fore vt à se omnia impetret: commendat merita sua in illam: acquiescit petitioni.

EXPLICATIO.

[a] INdicat hic versus maiestatem loquentis. Sed quare *Saturnius*, non, Neptunus? quia postea *Cytherea*, non Venus. Huius concinnitatis seruantissimus est Poëta. Eadem concinnitate suprà:

At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur.

Aliquis nihil cogitans, cum Saturnio iungeret Venerem, cum Cytherea Neptunum. Noster voluit nomen proprium cum proprio nomine coniungere, cum deriuato deriuatum; sed de hac obseruatione alibi latè.

[b] Initio metum adimit, dat fiduciam fore, vt accipiat Venus quæcunque postulet. Omnia (inquit) in regno meo consequeris. Ratio prima cur Venus debeat fidere, quia inde *genus ducis*. Altera, *merui quoque*. B Quippe beneficia & merita, quæ in alios conferimus, illis præbent spem obtinendi, quæ à nobis postulant. Amplificat hanc alteram à meritis, quæ profecta à se sunt in Venerem, Æneam, Troianos. Priore loco affert illa, quæ fecerit in mari, comprimens tempestates, & cæli minas. Posteriore, quæ in terra apud Troiam. Adhibet testes Xanthum, & Simoënta, quia apud illos gesta prælia Troiana. Hoc posterius beneficium multis commemorat, vt in quo vnicè versata Æneæ salus. Quod beneficium eo maius, quo magis ego (inquit Neptunus) in Troiam animatus malè eram, rem tamen eius seruaui incolumem, videlicet Æneam tuum.

[c] Allusum ad initium sermonis, potes fidere in meis regnis, nam mihi eadem semper mens iuuandi Æneæ tui, fauendi rebus tuis, quamobrem *timores* C *pelle*.

[d] En summa concessionis. Dixerat Venus, Liceat tibi dare vela tuta. Respondet Neptunus: Dabit tuus filius vela tutus ipse, neque solùm dabit vela, sed accedet ad portus Auernos, id est, Cumanos; vnus tantùm desiderabitur ex tota classe. Signat nauem Palinuri.

NOTÆ.

1. TVM SATVRNIVS] Huius versus tumor in describendo Neptuno adducit mihi in memoriam parem tumorem periodi Arnobianæ lib. 3. *Neptunus Stygij frater Iouis, Olympijq. germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus, atque mœnarum, Rex salsorum gurgitum, & tremebundi motator sali.*

2. VNDE GENVS DVCIS] Alludit Poëta ad etymon Veneris, quæ Græcis dicitur Ἀφροδίτη, παρὰ τὸν ἀφρὸν. est autem ἀφρὸς, *spuma*, ex qua fabulantur hanc Deam natam. Orph. hymn. Ἀφροδίτη ποντογενής: *Venus ex ponto genita*. Musæus, Venus orta ab spuma maris.

—κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης:
—*Venus sata est mari.*

Oppian. lib. 1. Cyneg.

Ἐχθαίρω τὰ λέγουσιν ἀθύρματα ποντογενείης.
Odi quæ vocant ludicra ponto generatæ Veneris.

Tribus Græcis adiungo tres Latinos, Catullum,

Nunc à cæruleo creata ponto.

Ouidium,

—*mater amorum*
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Auson.

Orta salo, suscepta solo, patre edita cælo.

Neque verò hoc poëtis tantùm in ore, sed philosophis. Plato in Cratylo 1. τὸ δὲ Ἀφροδίτης οὐκ ἄξιον Ἡσιόδῳ ἀντιλέγειν, ἀλλὰ συγχωρεῖν, ὅτι διὰ τὴν τοῦ ἀφροῦ γένεσιν Ἀφροδίτη ἐκλήθη: *De Venere Hesiodo repugnare non fas, sed concedere propter generationem ex spuma ipsam vocari Aphroditin.* Huius figmenti rationem adhibet Arist. lib. 2. de generat. Animal. ἔοικε δὲ οὐδὲ τοὺς ἀρχαίους λανθάνειν ἀφρώδης ἡ τοῦ σπέρματος οὖσα φύσις. τὴν γοῦν κυρίαν θεὸν τῆς μίξεως ἀπὸ τῆς δυνάμεως ταύτης προσηγόρευσαν: *Neque verò homines antiquos latuisse videtur seminis esse spumosam naturam: Deam enim, quæ rei venereæ præ est, ab ipsa hac facultate nominarunt.* Adiunge Aristoteli verba hæc Eusebij lib. 3. Aduersus Gent. *Venus ex mari esse perhibetur, quod elementum humidum, calidúmque est, & motu crebro spumas eÿcit, quæ res spermatis symbolum est.* Ad Venerem ortam salo refer, quæcunque Poëtæ, & alij scripserunt de Venere Anadyomene, cuius (vt alios omittam) bellum est epigramma hoc Ausonij: Aphroditis cur dicta Venus. Venus Anadyomene.

Emersam pelagi nuper genitalibus vndis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:
Vt complexa manu madidos salis æquore crines,
Humidulis spumas stringit vtraque comis.
Iam tibi nos Cypri, Iuno, inquit, & innuba Pallas,
Cedimus: & formæ præmia deserimus.

De eadem Anadyomene Ennius in incerta Trag.

Quæq. cæruleo freto orta nare cœpta.

Nisi quis corrigat, & legat, *mare suscepta*. & Plinius lib. 35. cap. 10. *Venerem exeuntem è mari diuus Augustus dicauit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur.* Inde Græci frequenter ad explicandos hos natales Veneris vsurpant verbum ἀναδύομαι. vt Q. Calab. lib. 5. qui de hac Dea, ἀνεδύετο πόντου. Do breuiter aliquot parerga, sed coniuncta cum re eadem. Primum. Ad natales huius Deæ referas morem illum, quo seruati ex vndis propter receptam salutem vota Veneri faciebant, quem morem habes, tum apud alios, tum signatè initio librorum, quos de Cleitophonte & Leucippe scripsit Achilles Alexandrinus. Alterum. Ad eosdem natales refer turbam attributorum. Nam Horatio non semel *Marina* dicitur. Xenarcho apud Athen. ποντία. Pausaniæ, ἐπιποντία. Artemidoro πελαγία. Taceo infinita. Tertium est, ἀφροδίσια celebritates esse nautarum, quod notauit obiter Plutarchus in opere, quod inscripsit, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. Quartum, Fabulari alios ortam non à mari, sed tantùm in mari, & quidem ἀπόρροιᾳ τοῦ οὐρανοῦ, *inflexu cæli*. Verba sunt Philostrati lib. 2. Icon. vbi etiam ait, Venerem, vt genita est, statim natando appulisse Paphū. Quintum, scribere Tullium lib. 3. Nat. alios etiam, quatuor fuisse Veneres, & secundam fuisse illam, quę creata ex spuma maris. Sextum, Apuleius ita de hoc natali discriminat, vt dicat ortam à mari, educatam à fluctibus. Nam lib. 2. *Mari edita, fluctibus educata.* & lib. 4. *Deam, quam cærulum profundum pelagi peperit, & ros spumantium fluctuum educauit.* Septimum, Pompilum piscem, vnà cùm Venere ortum, in mari, & ex cælesti semine, sicuti illa: quod ideo fortasse fingitur, quòd hoc animal propensum sit in amorem. Vide Athen. lib. 7. His paucis complexus sum, quæ alij multis de natalibus aqueis Veneris. Seruati ex vndis vota faciunt Veneri. Venus Marina. Aphrodisia, celebritas nautarum. Veneres multæ. Pompilus piscis.

3. RABIEM] Vt hic à canibus *rabiem* dat tempestatibus, ita pari metaphora lib. 1. Æn. Rabies de mari.

Vos & Scyllæam rabiem penitúsque sonantes
Accestis scopulos.

quam metaphoram apertiùs vsurpauit lib. 7.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ se se multis circum latrantibus vndis
Mole tenet.

& Plin. li. 4. c. 5. *Tot sinus Peloponnensem oram lancinant, tot maria allatrant.*

4. CVM TROIA ACHILLES] Primum afferam Homeri locū Il. 20. ex versione Oeobani, Græcis parcens, vt multis: Deinde dabo notas aliquas. Ergo ait Homer.

—*sæuarum rector aquarum*
Talibus auditis, properans per tela, per hostes,
Per medias acies, huc vsque vbi viribus impar
Constitit Æneas magno congressus Achilli.
At Deus offusa claros caligine visus
Abstulit Æacidæ, clypeóque hastile reuulsum
Abÿcit ante pedes, ipsum celerémque agilémque
Reddidit Æneam, celeres fugit ille per auras
Deducente Deo, super agmina, & arma virorum.

Tu reliqua. Tendo ad notas. Prima est, cùm ait *impingeret*, videtur sumpta metaphora à tempestatibus maris, quæ iactatos insequuntur, ac tum fluctus impingunt in scopulos, & littora. Ergo ait: Achilles vt tempestas sequebatur Troianos, & impingebat in ipsos muros, nam illis tandem ira reprimebatur. Secunda, vt illustres quæ hîc dicuntur de amnibus repletis cadauerum, & præ horum multitudine gementibus, adi, quæ contuli. 1. Æn. ad illud Impingo, de fluctibus.

—*vbi tot Simois correpta sub vndis*
Scuta virûm, galeásque & fortia corpora voluit.

Tertia, cùm ait ereptum Æneam nube caua, ne puta illum nube circumfusa ereptum Achilli: non hoc est, sed nubes obiecta est Achilli, ne videret fugientem Æneam: ait enim Homerus;

—κατ' ὀφθαλμῶν χέεν ἀχλὺν
Πηλείδῃ Ἀχιλῆι.
Ob oculos fudit caliginem Pelidæ Achilli.

Quam deinde ademit,

—Ἀχιλῆος ἀπ' ὀφθαλμῶν σκέδασ' ἀχλὺν
Θεσπεσίην:
Ab Achillis oculis dispersit nebulam densam.

Quarta, sententia illa, *Nec Dÿs nec viribus æquis*, sumpta quoque ex Homero, nam infra Neptunus reprehendens Æneam, qui ausus fuisset pugnare contra Achillem, ita ait,

Ὅς σεῦ ἅμα κρείσσων, καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν:
Qui te simul melior, & charior immortalibus.

Sed Virgilius magno iudicio commutauit verba in gratiam sui Æneæ. Quasi dicat, quia Dij iniqui fuerunt Æneæ, ideo ipse, non *æquis viribus*.

5. GEME

5. GEMERENTQVE REPLETI AMNES] Achilles ipse apud Attium in Nonio:

Scamandriam vndam sanctam salso obtexi sanguine,
Atque acerbos alto in amni corpore expleui hostico.

Sed hoc alibi.

6. PERIVRÆ]De periurio Troiæ est in fabulis, Laomedontem negasse Apollini & Neptuno constructoribus vrbis pactam mercedem, propter laborem construendi. Horat. Od. 3. lib. 3.

——ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon.

statim idem Poëta,

——Priami domus
Periura.

7. QVÆRET] Puto esse, desiderabit, requiret, nam inuestigasse illum, nusquam legas, potiùs Palinurus ipse Æneam reiicit ad portus Velinos.

Vnus pro populo vniuerso occidebatur.

8. VNVM PRO MVLTIS, &c.]Allusum ad morem illum, quo pro communi salute ciuium ciuis vnus mactabatur. Attigere multi. Lactantius in Papin. 10. Theb. *Lustrare ciuitatem humana hostia Gallicus mos est: nam aliquis de egentißimis pelliciebatur præmijs, vt se ad hoc venderet: qui anno toto publicis sumptibus, alebatur pu-* A *rioribus cibis: denique certo, & sollemni die per totam ciuitatem ductus ex vrbe extra pomæria saxis occidebatur à populo.* Vide quæ de hoc, & similibus ritibus, qui hostia humana fiebant, scripsit Alex. lib. 6. Gen. cap. extremo. Liuij verba lib. 8. de Decio patre se deuouente pro aliorum salute, ad hanc rem apta sunt: *Armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit. Conspectus ab vtraque acie fuit aliquanto augustior humano visu, sicut cælo missus piaculum omnis Deorum iræ, qui pestem ab suis auersam in hostes ferret.* Paria fermè narrat de Decio filio. Huc pertinet declamatio Quintiliani de Virgine, quæ accepto responso à Diis, immolata est in pestilentia publica. Fuit hæc veterum religio magna vt vnius capite aliis salus daretur. Notant verò Græcorum Commentatores, cùm isti ducerentur ad B supplicium, cani illis solitum, περίψημα ἡμῶν γένε: *sis pro nobis peripsema*. quo significabant illum esse piaculum, & tanquam seruatricem victimam. His, quæ attuli, contraria omnino est sententia Hesiodi, cuius commeminit Æschines de falsa Legat.

Peripsema.

Πολλάκι τοι ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα:
Sæpe viri gens tota luìt scelus vnius atrox.

Non graue sit, Lector, legere, quæ de Manlio scribit Cedrenus pag. 124. vbi fortasse maris adducti origo.

a His vbi læta Deæ permulsit pectora dictis,
Iungit equos curru genitor, spumantiáque addit
Fræna feris, manibúsque omnes effundit habenas.
b Cæruleo per summa leuis volat æquora curru:
c Subsidunt vndæ, tumidúmque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
d Tum variæ comitum facies, immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inoúsque Palæmon,
Tritonésque citi, Phorcíque exercitus omnis,
Læua tenens Thetis, & Melite, Panopeáque virgo
Nisæe, Spióque, Thaliáque, Cymodocéque.

ARGVMENTVM.

Deinde placat maria per illa equitans, ex qua occasione ascribitur eius equitatio, & plausus, quo exceptus est ab vniuerso mari.

EXPLICATIO.

a EX occasione describitur equitatio Neptuni per maria, quam ego ad quatuor capita reduco, eadem in Notis illustraturus. Primum caput continet Neptuni αὐτοδιακονίαν, nam ipse *equos iungit, addit fræna, habenas effundit.*

b Est hoc secundum caput, in quo equitatio habetur.

c Tertium caput continet sequentem tranquillitatem ad equitantem Neptunum. Vides enim vndas subsidentes, æquor stratum, fugientes nimbos.

d Quartum caput habet comitatum Neptuni in quo sunt cete, chorus Glauci, Palæmon, Tritones, Phorci exercitus, Thetis Dea maris, Nereides aliquæ. Hæc omnia variis rebus exornantur, quas diligens lector percurret.

NOTÆ.

1. IVNGIT EQVOS, &c.] Reduxi explicans equitationem Neptuni ad quatuor capita: ea hîc e- C runt suo ordine illustranda. Primum in quo habetur αὐτοδιακονία, quámque veteres suis Diis magno elogio soliti sunt tribuere, illustrat Homerus lib. 3. Il. qui de eodem Neptuno,

Deorum αὐτοδιακονία.

——ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω:
——sub curru iunxit equos, quibus ærei pedes.

& infrà signatè,

Χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ:
Aurum autem ipse inducit circum corpus.

iterum, βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματα, *cepit autem agitare fluctus.* Itaque vt Homerus dat suo Numini aurigæ munus, amandato quouis alio auriga, ita Virgilius. Alterum, Homerus idem à quo equi ipsius Neptuni inducuntur,

Equitatio Neptuni per maria.

D *Ὠκυπέτα, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε.*
Celeriter volantes, aureis iubis comantes.

& infrà,

——τοὶ δ' ἐπέτοντο
ῥίμφα μάλ':
Hi autem volabant celeriter admodum.

Atque etiam Calaber lib. 5. in scuto Achillis apud quem,

——ἀελλόποδες δέ μιν ἵπποι
Ὡς ἐτεὸν σπεύδοντες, ὑπὲρ πόντοιο φέρεσκον:
——nimbipedes eum (Neptunum) *equi*
Tanquam verè properantes super mare vehebant.

Et infrà,

 ——και

—κατ' ἠερόειν δ' ἅλος οἶδμα
Νηχομένοις εἴδοντο, καὶ ἀργύρεοίπερ ἐόντες:
—per ventosam maris vndam
Natantium speciem habebant, quamuis ex argento conflati.

Aliquid libat Aristides cum mentione Homeri in Isthmica ad Neptunum, vbi hunc Deum inducit ἐπὶ τῶν κυμάτων ἐπιθέοντα, currentem super fluctus. Atque etiã Euripides in Andromacha,

———ὦ πόντιε
Κυανέαις ἵπποις διφρεύων
Ἅλιον πέλαγος:
—ô Neptune
Cæruleis equis qui curru veheris
Per salsum pelagus.

Est hæc equitatio etiam in Papinio lib. 1. Achil.

———triplici telo iubet ire iugales,
Illi spumiferos glomerant à pectore fluctus,
Pone natant, deléntque pedum vestigia cauda.

Tranquillitas maris ad equitantem Neptunum.

Tertium de Tranquillitate attingit Calaber.

—ἀμφὶ δὲ κῦμα
Στόρνυτ' ἐπεσσυμένων. ὁμαλὴ δ' ἄρα πρόσθε γαλήνη
Ἔπλετο:
—fluctus quacunque
Ruerent, sternebantur, & æquabilis ante eos tranquillitas
Erat.

Et Homerus, γηθοσύνῃ δὲ θάλασσα διΐστατο: præ lætitia mare diducebatur. in Philostrato, equitante Neptuno lib. 1. Icon. θάλασσα γαλήνην ἄγει: mare tranquillum est. Silius tamen lib. 1. plenè describit in hunc modum:

His dictis fractus furor, & rabida arma quierunt.
Vt cùm turbatis placidum caput extulit vndis
Neptunus, totúmque videt, totóque videtur
Regnator ponto: sæui fera murmura venti
Dimittunt, nullásque mouent in frondibus alas.
Tum sensim infusa tranquilla per æquora pace
Languentes tacito lucent in littore fluctus.

Neptuni comitatus per maria.

Quartum Homerus, qui suo Neptuno cete adiungit,

———ἄταλλε δὲ κήτε' ὑπ' αὐτοῦ
Πάντοθεν ἐκ κευθμῶν, οὐδ' ἠγνοίησεν:
—exultabant autem cete sub ipso
Vndiq; è latebris, neque ignorauerunt Regem.

Et Calaber,

———οἱ δ' ἑκάτερθεν ἀολλέες ἀμφὶς ἄνακτα
Ἀγρόμενοι δελφῖνες ἀπειρέσιον κεχάροντο
Σαίνοντες βασιλῆα:
———vtrinque autem frequenti agmine circa Regem
Congregati Delphines effusè lætabantur
Blandientes regi.

Philostratus etiam ad Homeri vestigia contendit. ab illo enim lib. 1. Icon. inducitur θάλασσα παραπέμπουσα αὐτὸν αὐτοῖς ἵπποις, καὶ αὐτοῖς κήτεσι: Mare comitans ipsum (Neptunum) cum ipsis equis ac cetis. Locum Æschyli in Prometheo non attigi, quia ibi aurigatio est Oceani, non Neptuni. Priusquam abeam ab hac Nota, adducam versus Prudentij in Apotheosi, qui si non Christi equitationem, aut aurigationem, certè eandem in fluctibus compositis & sedato pelago tranquillitatem repræsentat. Ait ille,

A Insanos video subitò mitescere ventos,
Cùm iubeat Christus: video luctantia magnis
Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Christi: video, calcatus eundem
Cùm patitur gurges tergum solidante liquore.
Ipse super fluidas plantis nitentibus vndas
Ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu,
Increpat ipse Notos, & flatibus otia mandat.

Illustraui quæ promisi, adiungam iam alias Notas, quæ non facilè potuerunt inseri illis quatuor capitibus.

2. FERIS] Pro equis signanter, & ex vsu Latij dixit. Itaque non placet Germ. qui explicat feris ferocientibus, ἀγριαίνουσι, καὶ ἀγανακτοῦσι, sed monet tamen bene hic dari Neptuno equos ex ritu Romano, quo B equus huic Deo consecratus censebatur: vnde & Consualia, ludi Neptuno instituti, Græcis dicebantur ἱπποκράτια. Inueniuntur etiam simulacra multa Neptuno dicata cum insigni equi in caudam delphini desinentis, dimetiente tridente transuersim ambitum nomismatis & continentiam, innuente tessara, terræ & aquæ consensum, & vtriusque elementi vicinitatem, & συμπάθειαν. Firmo notam Germani verbis Pind. Od. 1. Isthm. qui Neptunum vocat, εὐεργέταν ἁρμάτων, ἱπποδρόμιον: benemeritũ de curribus, præsidem cursuum equestrium.

Consualia ludi Neptuni.

3. AXE TONANTI] Irrepsit cogitatio, an scribendum sonanti: pro qua lectione coniecturæ sunt, quas ipse me tacente suspicaberis.

4. STERNITVR] Dictum ad Græcam imitationem. C Calaber lib. 5. κῦμα στόρνυτο. Homer. ἐστόρεσε θεὸς μεγακήτεα πόντον: strauit Deus pontum, cui cete immania. Virg. sup.

Sterno de mari.

———placidi strauerunt æquora venti.

& ecl. 9.

Et nunc omne tibi stratum silet æquor.

Plin. lib. 2. c. 47.

Sternitur mare Halcyonum fœtura.

5. IMMANIA CETE] Adeat lector Plin. lib. 9. c. 2. vbi rationem reddit excrescentis magnitudinis in marinis. Attingit rem eandem variis locis Aristoteles.

Nymphæ marinæ.

6. GLAVCI CHORVS] Loquitur ex veterum superstitione, qui Diis marinis Nymphas peculiares, & Nereidas attribuebant. Philostratus lib. 2. Icon. Alcyones inducit Glaucum circumuolantes, περιθέουσι δ' αὐτὸν καὶ ἀλκυόνες. Vide vti ibi Glaucum describat, ab D eo loco, τὸ δὲ εἶδος, &c.

7. INOVSQVE PALÆMON] Ita ab eius matre, quæ dicta Ino. Quippe Palæmonis aurigationem, quam hîc attingit Poëta, inueniet lector in Philostrato lib. 2. Icon. & in Aristidis Isthmica ad finem. vterque delphino insidentem describit. Signata verba vtriusque sunt, prioris, ἐπὶ δελφῖνος ὀχεῖ. posterioris, ἐπὶ δελφῖνος φερόμενον. Ab Nonno lib. 1. Vna Nereidum inducitur ἑζομένη δελφῖνι.

Palæmon delphino insidet.

8. TRITONES, &c.] Versus hic videtur propositus Plinio lib. 39. cap. 5. ante oculos, cùm scripsit, Tritones, chorúsque Phorci, & pristes, &c. Fuit verò Phorcus Rex Corsicæ, & Sardiniæ; mox pro Deo habitus, cui suus quoque Nympharum adiunctus chorus. De catalogo Nympharum nihil est, quod te hîc peculiariter moneam, cùm iam latè lib. 4. Georg.

Phorcus Rex.

* Hîc patris Aeneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Vnà omnes fecêre pedem: paritérque sinistros,
Nunc dextros soluêre sinus: vnà ardua torquent

Cornua detorquéntque: ferunt sua flamina classem.
[b] Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alij cursum contendere iussi.
[c] Iámque fere mediam cæli nox humida metam
Contigerat, placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ:
[d] Cùm leuis æthereis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimouit tenebrosum, & dispulit vmbras,
Te Palinure petens, tibi tristia somnia portans
Insonti: puppíque Deus consedit in alta
Phorbanti similis, fudítque has ore loquelas.

A

ARGVMENTVM.

Nauigat interim Æneas, aßistunt omnes ad velificationem. nox aduenit, Deus Somnus Palinurum inuadit.

EXPLICATIO.

a LÆtari Æneas cœpit visa tranquillitate, sed ita gaudium erat in duce, vt vicissim tantùm gauderet, nimirum suspensus inter dolorem, & lætitiam: dolor ab his, quos reliquerat in Sicilia: lætitia, quòd se iam tandem cerneret euntem in Italiam nemine impediente. ergo quia dixit *vicissim*, ideo *suspensam*. Deinde gaudia dicit *blanda*, quia *pertentant*. Pertento enim innuit titillationem, vt alibi explico, cuius propria blandimenta. Vult verò vti occasione opportuna spirantis venti, ideo mali omnes attolluntur, intenduntur vela. *brachia intendi velis*, figura est nota, pro, vela intendi brachiis. Puto autem, mentem esse Poëtæ, tantùm velis adnauigatum: initio enim & velis, & remis nauigatio cœpta: iam ex occasione venti spirantis videtur relinqui omnino remus, & omnis poni opera in velis: nam ait statim: *vnà omnes fecêre pedem*, nemo ergo relictus ad remos. Quid sit *pedem facere*, in Notis vbertim explico. Vide verò diligentem operam nautarum solutione illa sinuum nunc sinistrorum, nunc dextrorum; tortione detortionéque antennarum. Quæ diligentia eò destinata, vt semper classis secundam auram acciperet. Ideo ait *ferunt sua flamina classem*, id est, secunda semper flamina.

b Palinurus, vt qui princeps, agebat ante omnes agmen densum ceterarum nauium: nautæ verò alij iussi erant contendere cursum ad hunc principem.

c Accingit sermonem ad narrandum casum Palinuri. Erat fere nox media, ac tunc nautæ somnos capiebant. Qui tamen, non componunt corpus, sed raptim *fundunt*, & iaciunt, vt qui fessi: inde quies placida, & laxatio membrorum, neque verò duricies lecti obstabat fatigatis labore.

d Hoc puncto temporis Somnus è cælo descendit, ac primum omnium *dimouit aëra tenebrosum*, *vmbras dispulit*. hoc consilio, vt deceptus Palinurus fraude cæli sereni iret in somnos. Ideo statim: *Te Palinure petens*, quo verbo notantur insidiæ. illa

——*tibi tristia somnia portans, Insonti*,

sunt mirè παθητικά. Ergo sedit in puppi latens in aliena figura, & fudit, non voces, aut quiduis aliud, sed *loquelas*, in quibus blanditiæ, vt plerunque in diminutis omnibus. Itaque Somnus, quî blanditur ad somnos, habet (sic dicam) loquutiunculas. Ex eadē mēte *fudit*, quo verbo innuitur illapsus quidam dulcis.

NOTÆ.

1. PEDEM] Seruius per *pedem* capit funem, quo velum tenditur. Seges doctorum, quæ nata superiore seculo, & quæ nostro quoque, capit extremam & infimam partem veli, quæ aut contrahitur, aut laxatur poscente aura, quæ pars ideo *pes* dicitur, quia est initium, & veluti radix veli. Ergo vt *facere vela*, nihil est aliud, quàm nauigare: ita *facere pedem* erit quoque nauigare. Discrimen tantùm, quòd velum signat superiorem, & maiorē veli partem: pes, inferiorem, & *omnes faciunt pedem*, est, omnes incumbunt in extremā veli partem. Quin Ios. Scal. *pedem* absolutè explicat velum. Lege Bayfium de re nauali. Lilium de nauigiis cap. 15. Delrium in Medeam Senecæ, Turnebum lib. 20. Aduers. cap. 4. Virgilij interpretes in hunc locum, & signatè Germanum, Catulli interpretes epig. 4. & signatè Achillem Statium. Ex Catullo duos fuisse veli pedes, dextrum & sinistrum, facilè colligas, pro vtraque scilicet veli parte.

Pes de velo nautico.

B

Pedem facere.

Pes nauticus duplex.

Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse: læua, siue dextera
Vocaret aura: siue vtrunque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Cui coniunge Plinium lib. 2. ca. 47. qui loquitur cum numero multitudinis: *iisdem autem ventis in contrarium nauigatur, pro latis pedibus, vt noctu plerunque aduersa vela concurrunt.* & Calabrum lib. 9.

C

ἱστία δ' αὖ ἐτάνυσσαν ὑπ' ἀμφοτέροισι πόδεσσι:
Expandebant vela sub vtroque pede.

Vix autē credas quàm multi meminerint pedis nautici. Ego relictis testimoniis plenis, tantùm adducam verba, quibus hæc vocula coniungitur, vt ex his videas, nihil esse aliud pedem, quàm verè velum ipsum: modò partem infimam accipias, modò integrum velum. nam id nihil moror. Ergo Lucianus in Dialog. ἐνδοῦναι ὀλίγον τοῦ ποδός: *parum de pede relaxare.* Plutarchus περὶ πολυφιλίας. ἐπισπάσασθαι, καὶ ξυνεῖναι πόδα νεώς: *Adducere, & remittere pedem nauis.* Homerus Od. 10. πόδα νηὸς ἐνώμων: *pedem nauis mouebam.* Euripides Iphig. ἐκπετάσουσι πόδα ναός: *explicant pedem nauis.* Et in Oreste, ναῦς ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδί: *nauis intenta pede ad impetum.* Sophocles Antig. πόδα τείνας: *pedem tendens.* Hæc vt non omnino quadrant in funes, ita præclarè in vela. & de funibus quî diceret Catull. *Iuppiter secundus incidit in pedem?* potiùs de velo: & quî dicat Pindarus illum esse maximum fluctum, qui voluitur παρ ποδὶ ναός, *ad pedem nauis?* signat omnino fluctum, qui impingit in vela, & illa frangit: non qui in funes. Ergo pedes nauium vela sunt: quæ metaphora non abit ab ea, qua nauibus dantur cursus, viæ, itinera. Ex dictis queunt explicari verba Artemidori lib. 1. cap.

D

cap.50. hæc: κυβερνήτῃ δὲ ἰδόντι τὸ ὄνειρον σημαίνει γαλήνην, πλείοσι γὰρ ποσὶ χρήσεται τῆς νεὼς ἐρεσσομένης: *gubernatori autem cernenti somnium* (nauis) *significat tranquillitatem, pluribus enim pedibus vtetur naue velificante.* Quæ verba interpres refert ad remigium, ita reddens: *plurimis enim pedibus vtetur, nauem remis impellendo.* Aptè tamen sententia refertur ad vela ex significatione obuiâ pedis, & multis iam vsurpata. Scio, ἐρετμὸν & ἐρετμὴν, Græcis signare remigium, sed in Artemidoro vela potest ex adiuncto ποσί. nam pedes ad vela me ducunt. Cùm præsertim sciã dixisse Sophoclem πτεροῖς ἐρέσσει, *alis remigat*, id est, velis. vbi verbum remigij ad vela transtulit. ita probabiliter sentio de loco Artemidori.

2. SINISTROS] Placitum, vt alludat ad sinistrum & dextrum pedem, quem iam explicui.

3. CORNVA] Adi quæ iam scripsi lib. 3. Æn.

4. FERVNT SVA FLAMINA CLASSEM] Similis lenitas euntis classis expressa est à M. Catone in oratione dierum dictarum de consulatu suo. *Postquam Massiliam præterimus, inde omnem classem ventus Auster fert lenis: mare velis florere videres vltra angulum Gallicum.* Explicui *sua flamina*, id est secunda, vtique à puppi. Iuuencus quoque signatè lib. 2.

Conscendunt nauem, ventóque inflata tumescunt
Vela suo.

5. PRINCEPS ANTE OMNES] Seruius in hunc locum, *vnum verbum vacat.* imo non vacat Serui (vidit hociam Nascimb.) nam alterum est dignitatis, videlicet *princeps*, alterum ordinis, videlicet *ante omnes*.

6. IAMQVE FERE MEDIAM] Est hoc, quod Ennius dixit lib. 16. Annal.

Nox quando mediis signis præcincta volabat.

7. DVRA SEDILIA] Ex hoc loco Propertius lib. 1. eleg. 8.

Túne audire potes vesani murmura ponti?
Fortis & in dura naue iacere potes?

A Dat enim duritiem lecto nautico, vt Virgilius. Apud Petronium Eumolpus & socij dormiunt super constratum nauis.

8. AB ASTRIS] Cur ab his, qui noctis filius? Confugio ad Homerum, apud quem lib. 2. Il. Iuppiter Somnum mittit ad Agamemnonem. Hîc itaque intelligamus missum quoque à Ioue, nam hoc ministro vtebatur Iuppiter. Facile ergo fuit ab inferno, vbi est nox, Somnum vocare ad cælum, & inde, in terras mittere. Calaber quoque lib. 1. Somnum inducit descendentem è summo cælo, αἰθέρος ἐξ ὑπάτοιο, cùm is ludificatus est Penthesileam.

9. PORTANS SOMNIA] Corrigit, quantum puto, Virgilius Homerum. In quo Somnus excitat dormientem Agamemnonem. Non sic oportuit. Somnus B enim vigilantem consopit, non sopitum excitat. Ergo Somnus mittat somnia. Defendi Homerus possit, si quis eius sententiam referat ad vaticinia, & oracula, quæ in somnis dantur: & hæc quidem in Homero dat Somnus. Sed vt vera hæc sunt, ita verissimum, non debuisse Somnum dicere, *Virgilius corrigit Homerum.*

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα:
Non oportet solidam noctem dormire consiliarium virum.

Sententia illustris est, sed non efferenda ore Somni. Cæterùm hos somnos Palinuri possis appellare μερμήρας, nam (vti apparet ex narratione) facti sub auroram sunt.

10. PVPPI] Quis scit an Poëta animum adiecerit ad locum Deorum, qui præerant nauibus? hi enim in C puppi aut statuebantur, aut pingebantur. Itaque apparet Deus in Deorum loco.

11. PHORBANTI SIMILIS] Somnus in Homero fit ἐοικὼς Νέστορι, *similis Nestori*: in Calabro, πατρὶ ἐοικώς, patri Penthesileæ, similis. viros tres Phorbantes nominant Græcorum Commentatores, interque eos filium Priami, quem hic Poëta inducit. *Phorbantes tres.*

[a] Iaside Palinure ferunt ipsa æquora classem,
Aequatæ spirant auræ, datur hora quieti.
[b] Pone caput, FESSÓSQVE oculos furare labori:
[c] Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
[d] Cui, vix attollens Palinurus lumina, fatur:
[e] MENE salis placidi vultum fluctúsque quietos
Ignorare iubes? MENE huic confidere monstro?
[f] Aeneam credam quid enim fallacibus Austris,
Et cæli toties deceptus fraude sereni?

ARGVMENTVM.

Hortatur insidiosè ad quietem proposita maris tranquillitate: cui Palinurus respondet, nihil esse fidendum inconstantiæ maris, præsertim vbi salus agitur principis sui Æneæ.

EXPLICATIO.

[a] TRiplex ratio, qua inuitat ad somnos; ipsa æquora ferunt classem, auræ æquatæ spirant, est iam quietis hora. Iasides est filius Iasi, hic enim Pater Palinuri.

[b] Conclusio ab rationibus. In verbo *furare*, allusum ad naturam somni subrepentis, & veluti furtim inuadentis. Vocula *fessos* iuuat triplicem rationem, & efficit quartam.

D [c] Frigebant superiores illæ rationes, nisi hæc accederet. Magnum enim fuit pondus ad persuasionem, esse alium, qui obiret munus gubernatoris. Factum verò, ex magna proprietate, vt oratio Somni breuissima esset: nam ad præsentiam Somni dormitans iam Palinurus, quî longam orationem posset audire? Laxaret hîc habenas Homerus solens more suo.

[d] Iam videlicet somnus obrepserat, & graues erant oculi, ideo vix attolluntur.

[e] Ironica oratio. Bellum scilicet admonitorem, qui me vult, hominem scientissimum rei nauticæ, ignorare quale sit mare, etiam cùm placidum & quietum? bellum admonitorem, qui me iubet confidere tam immani monstro.

[f] Non tam sibi timet, quàm suo principi, optimi ministri exemplo. Præclarè autem *credam*. Quasi dicat. Non *credam* quia sæpe sum *deceptus*, quia austri sunt *fallaces*. Dixerat etiam *confidere monstro*. Ergo. Non

ea ſum confidentia (ineſt enim vitium temeritatis in hocverbo) vt credam Auſtris principem commiſſum meæ fidei.

NOTÆ.

1. FERVNT IPSA ÆQVORA CLASSEM] Vicina huic locutioni illa Propertij lib. 1. eleg. 8. *auferet vnda rates.*

Æquatæ auræ. 2. ÆQVATÆ AVRÆ] Sunt hæ implentes vela nulla obliquitate, veluti iuſtæ & æquæ cum ipſis puppibus. Et videtur mihi expreſſus Pind. Od. 7. Nem. vbi ait, εὐθυπνόου ζεφύροιο πομπαὶ: *impulſus Zephyri rectà flantis:* vt *æquatæ auræ* ſint, cùm rectà flat ventus, & nulla eſt obliquitas. & Plin. lib. 12. c. 19. dixit, *Hi* (Euri) *recto curſu per ſinus impellunt.*

Caput ponere. 3. PONE CAPVT] Ita II. Æn. *letho poſuit caput*, & in ſomno Propertius lib. 2.

Mecum habuit poſitum lenta puella caput.

Plautus etiam Curcul. *Caput deponit, condormiſcit.*

4. FESSÓSQVE OCVLOS FVRARE LABORI] Eſt hoc quod Tibullus dixit lib. 1. eleg. 2.

Occupet vt feſſi lumina victa ſopor.

A 5. SALIS] Sic dicitur mare, vel quia ſalſum: vel, ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι. quòd fluctuet, æſtuet, agitetur. De hac inſidioſa maris tranquillitate ita Lucret. lib. 2. Maris infidelitas.

Infidi maris inſidias, viréſque dolúmque
Et vitare velint: néve vllo tempore credant
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.

Et Tertull. lib. de Pallio: *Mari fides infamis, dum & flabris æquè mutantibus de tranquillo proſum, fluſtris temperatum, & extemplo de decumanis inquietum.* Sequutus ſum lectionem Mercerij. De tranquillo redditur proſum, id eſt, procelloſum: & cùm temperatum eſt fluſtris, id eſt, leuioribus fluctibus; ſtatim inquietum eſt decumanis, id eſt, magnis fluctibus. Adi Mercerium ipſum. Redeo ad maris infidelitatem, in qua eram. Nazianzenus orat. 17. ad incrementum ita eſt locu-
B tus: περιχωρεῖ γὰρ τὰ πάντα ῥαδίως, καὶ μεταχωρεῖ, καὶ ἀντικαθίσταται, ὡς αὔραις εἶναι μᾶλλον πιστεύειν, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ: *Omnia enim facilè in orbem feruntur, atque in diuerſum migrant, ſibique inuicem aduerſantur, vt ventis tutiùs fides haberi poſſe videatur, quàm hominum felicitati.* Etenim ventorum infidelitas annexa cum inſidiis maris: imo ideo hoc fallax, quia illi infidi.

[a] Talia dicta dabat, clauúmque affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculóſque ſub aſtra tenebat.
[b] Ecce Deus ramum lethæo rore madentem
Víque ſoporatum Stygia, ſuper vtraque quaſſat
Tempora: cunctantiq; natantia lumina ſoluit.
[c] Vix primos inopina quies laxauerat artus:
[d] Et ſuper incumbens, cum puppis parte reuulſa,
Cúmque gubernaclo liquidas proiecit in vndas
Præcipitem, ac ſocios nequicquam voce vocantem.
Ipſe volans tenues ſe ſuſtulit ales in auras.
[e] Currit iter tutum non ſecius æquore claſſis,
Promiſſiſq; patris Neptuni interrita fertur.
[f] Iámque adeo ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat,
Difficiles quondam, MVLTORVMQVE oſſibus albos.
Tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant,
Cùm pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, & ipſe ratem nocturnis rexit in vndis,
Multa gemens, CASVQVE animum concuſſus amici.
[g] O NIMIVM cælo, & pelago confiſe ſereno,
NVDVS in ignota Palinure iacebis arena.

ARGVMENTVM.

His dictis hæret clauo firmiſſimè, contingitur ramo Somni. præcipitatur & emoritur. Sentit Æneas nauem fluitantem, ſuccedit Rector, amicum deflet.

EXPLICATIO.

[a] PRoponit Poëta in ſuo Palinuro nautici gubernatoris exemplum. Non amittit clauum, affigitur, hæret, attollit oculos etiamſi graues iam ſomno. Omnino vides gubernatorem ὑπνομαχοῦντα.

[b] Hoc puncto temporis Somnus ramum quaſſat ter quaterve, non enim fruſtra adhibetur verbum frequentatiuum: quaſſat verò illum ſuper tempora, ſignatiſſimè. inerat autem ramo vis ſopiendi ex Le-
C thæa aqua, qua madebat. Atque ita Somnus *cunctanti natantia lumina ſoluit.* explico ſingula. *cunctanti*, id eſt, immoranti & reluctanti contra vim ſomni. *Natantia*, id eſt, (ait Scal.) *fluitantia, nunc enim aperiuntur, nunc clauduntur.* Demum *ſoluit lumina*, id eſt, facit Somnus ne Palinurus habeat lumina intenta, acria, viuida; ſed ſoluta, remiſſa, languida.

[c] Qui ſunt *artus primi?* Somnus ita ſolet irrepere, vt primùm quæ ſunt exteriora in homine relaxet, ac ſoluat; ac paulatim procedens interiores ſenſus alliget, & conſtringat. Ergo vt explicet Poëta celerem mortem Palinuri, ait, illum lapſum nondum ſomno ſerpente ad interiora animæ, tantùm artus occupante. Hoc ſi non placeat, explica per hypallagen, ita: Vix quies prima laxauerat artus inopinos. Paria multa in Virgilio. Dici autem queunt artus inopini, quos Somnus inopinatò aggreditur.

[d] Tum

d Tum Somnus incumbens super Palinurum, proiecit præcipitem in vndas. In hoc casu elucet elogium Palinuri, qui ita clauo hæserat, vt cadens illum secum traheret, & partem etiam puppis, cui affixus clauus. Cùm ait *voce vocantem*, non est pleonasmos, sed exprimit vociferationem, qua vsus Palinurus. vocauit enim vociferans. Hoc facto in altum Somnus reuolauit.

e Venustus versus conflatus ex vocibus diuersorum elementorum, nam *classis currit*, & tutum est *iter æquore*. sententia integra est. Non aliter it classis per mare, ac si gubernatorem haberet, quia videlicet iam prosperam nauigationem Veneri Neptunus promiserat.

f Sed ecce in secundo cursu aliqualis infelicitas, nam classis impegisset pene in scopulos Sirenum, vbi deformia olim naufragia, vti indicium erat ab ossibus miserorum; nisi Æneas, vt sensit, pro gubernatore puppi astitisset, & clauum rexisset. Fluitans quippe nauis amisso Palinuro, ducem admonuit calamitatis.

g Plena omnia πάθους, & pietatis Æneæ. Expendit Nascimb. ita: *locus commiserationis ex circumstantijs, quòd nudus, quod in ignoto loco, quòd in arena insepultus, atque indefletus iaceat.*

NOTÆ.

Clauus nauticus. 1. CLAVVM] Est *clauus* gubernaculum nauis, vel, si mauis ex Isidoro, est, quo regitur ipsum gubernaculum. Ennius,

Vt clauum rectum teneam, nauémque gubernem.

Gubernatoris nautici diligentia. Diligentiam gubernatoris nautici, quam hîc repræsentat, habes quoque in hoc libro:

Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta.

& in 3.

Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo.

Qui versus expensi ibi Scaligeri trutina. Ad hanc diligentiam pertinent versus Oppiani lib. 4. Cyneget:

Οἷα δὲ ποντοπόρων ἀκάτων ἐπιβήτορες ἄνδρες
Ἑζόμενοι πρύμνῃσι νεῶν ἐφέποντες ὀχῆας
Ἠέρα παπταίνουσι, καὶ ἀργεστῇσι νότοισι
Πειθόμενοι, τανύουσι λινοπτερύγων ὅπλα νηῶν:

D *Quemadmodum autem pontigradorum nauigiorum conscensores*
Sedentes in puppibus, nauium tractantes gubernacula,
Aërem obseruant, & candidis Austris
Obsequentes, expandunt veliuolarum carbasa nauium.

Dio Chrysost. orat. 13. gubernatorem inducit πηδαλίῳ κατευθύνοντα.

2. AFFIXVS ET HÆRENS] Nam *quid salutis superest ei, qui amiserit clauum?* Verba sunt Vegetij lib. 4. cap. 46.

3. OCVLÓSQVE SVB ASTRA TENEBAT] Explica, tenebat fixos intentósque. Tale illud, *intentíque ora tenebant*. Gubernator quidem astra intuetur, à quibus pendet ea ars. Quod Virgilius, *tenebat oculos sub astra*. Silius lib. 2. dixit, *intentus cælo*, vt in Vulgatis legitur; vel *affixus cælo*, vt corrigit Modius. Silij versus sunt,

Quàm multa affixus cælo sub nocte serena
Fluctibus è medijs sulcator nauita ponti
Astra videt.

Ego præfero vulgarem lectionem. Non enim ita ve-

A nustè *affixus cælo*, vt *affixus clauum*. Nam Virgiliano filo Modius ducitur.

Virga Sõni. 4. RAMVM] Instrumentum Somni est virga in manu, quam Poëta ramum vocat, recedens à triuio. & sanè festiuius, ramum vocare, quàm virgam. Silius lib. 10.

Deuexo capiti pœnas, oculísque quietem
Irrorat, tangens lethæa tempora virga.

Papin. lib. 5. Syluar. 4.

—extremo me tange cacumine virgæ.

Ecce vt hi alludentes ad Virgilium, *virgam* vocant, quam ille *ramum*. Quibus cogimur, *ramum* Poëtæ explicare *virgam*.

Somni cornu. 5. LETHÆO RORE MADENTEM] Duplici nota Poëtam explico. Prior est, Somno datum cornu pro

B instrumento. Val. Flacc. 8. Arg.

—somne omnipotens te Colchis ab omni
Orbe voco, inque vnum iubeo nunc ire draconem,
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu.

Credibile itaque est, in cornu illo gestatam aquam lethæam, qua virgam madefaceret, ac somnos immitteret. Dices. non aqua gestata in cornu, sed papauera, dicente Silio:

—curuóque volucres
Per tenebras portat medicata papauera cornu:

Non hoc pugnat: nam dicam etiam ea papauera medicata fuisse aqua Stygis intus seruata. Ita ariolandum in fabulis: nam aquam in cornu illo gestatam indicat etiam Statius lib. 2.

—illos post verbera fessos

C *Exceptámque hyemem, cornu perfuderat omni*
Somnus.

Versum illum Senecæ de Morte Claudij per initia,

Obscuri crescebant cornua Somni,

Ros pro aqua. Putauerim vel legendum *tempora Somni*: vel sermonem referendum ad noctem, & lunam. Posterior est, *rorem* pro aqua frequentissimè sumi. Horat. lib. 3. Od. 4.

Qui rore puro Castaliæ lauit
Crines solutos.

Et Lucret. lib. 1. nominans quattuor elementa, ait,

—mistúsque videbitur aër
Cum terra simul, atque ardor cum rore manere.

& paulo suprà,

D *Sin ita forte putas, ignis terræque coire*
Corpus, & aërias auras, roreḿque liquorum.

Sed & Græci δρόσον, id est, *rorem*, pro aqua capiunt, Pind. Od. 5. Pyth. ἀρετὰν δρόσῳ μαλθακᾷ ῥανθεῖσαν: *virtutem rore molli rigatam*. Hac itaque notione vsus Poëta, *rore* dixit, pro, aqua, quam aptè *Lethæam* inducit, id est obliuionis, quæ somni est propria.

6. VIQVE SOPORATVM STYGIA] Innuit ramum illum, quem Somnus gestabat in manu, decerptum ab arbore aliqua enata ad Stygem, ex qua palude vim contraxisset soporandi. credebant enim prisci, arbores ibi enatas, aptas esse veneficiis, & incantationibus. Seneca Tragicus in Med.

—iactatur tristis Stygia
Ramus ab vnda.

E Sic fermè hunc locum illustrat Delr. in Nouis comment. Sed libentiùs retulerim ad ramum perfusum tantùm aqua Stygia. Aduerte vim vocis *Soporatus*: hîc enim non est *Sopitus*: sed vim habens sopiendi, vtique ὑπνωτικός, ὑπνοποιός. Sententiam eandem Ouidius lib. 1. Met. extulit,

Languida permulcens medicata lumina virga.

vbi *medicatum* Ouidij, idem quod *Soporatum* Virgilij.

7. QVASSAT] Nimirum vt rore illo perfunderentur

rur tempora. Ita Tibullus lib.1.eleg.2.

—multo perfusum tempora Baccho.

Sic legit Sigonius contra Robortellum, qui *percussum* legit.

8. PRÆCIPITEM] Est hoc quod de gubernatore alio in 1.

———pronusq; magister
Voluitur in caput.

Plauserunt sibi Poëtæ in simili clade depingenda. Ouidius, & Seneca, cùm mergunt, prior Ceycem, posterior Aiacem, Virgilio hæserunt. Nam vt apud Virgilium cadit Palinurus cum parte puppis reuulsa, ita Ceyx. 11. Metam. arripuerat *fragmina nauigij.* & Aiax in Agamemnone cum parte montis mergitur, ascenderat quippe rupem ad quærendam opem, sed frustra ea fuit. versus tragici sunt:

Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens vndis caput,
Soluítque montem, quem cadens secum tulit,
Terráque, & igni victus, & pelago iacet.

Apud Homerum Odyss. 12. cadit gubernator in mare percusso capite, & confractis ossibus, misera quadam carnificina. vide etiam, vti idem vates describat Vlyssem lib.5. Odyss. præcipitatum è naui tempestatis vi. Credo Senecam de Consolat. ad Marciam habuisse Virgilium in animo, cùm scripsit cap. 6. *Turpis est nauigij rector, cùm gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati ratem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem & obnixum.*

Somnus cũ alis. 9. ALES] Alitem facit Somnum, volantémque, ab alis, quibus fingitur, & pingitur. Eurip. in Phœniss. πτανὸν ὄνειρον, *somnium volatile*: & in Taur. πτηνῶν ὀνείρων: *somniorum pennatorum.* Idem in Hecuba, Terram vocat matrem μελανοπτερύγων ὀνείρων: *somniorum quibus alæ nigræ.* Callimachus in hymno,

—ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείσει:

—lethæas Somnus circumiacit alas.

Tibull. lib. 2.

Pόstque venit tacitus fuluis circumdatus alis
Somnus.

Propert. lib. 1. eleg. 3.

Dum me iucundis lassam sopor impulit alis.

Ouidius. 1. Metam. de Morpheo,

Ille volat, nullos strepitus facientibus alis.

& 8.

Lenis adhuc Somnus placidis Erisichthona pennis
Mulcebat.

Silius:

—quatit inde soporas
Deuexo capiti pennas.

Aliqui in Propertio *lapsam* legunt, non *lassam*: Fortasse, quia Virg. in 4.

—animúmque labantem
Impulit.

Cum quo versu similitudinem habet Propertianus. & quia Propertius idem lib. 1. eleg. 10.

Donec labentes premeret mihi Somnus ocellos.

Sirenes. 10. SCOPVLOS SIRENVM] Signat Virgilius locum illum, qui est prope Apterum: is enim est locus in quo Sirenes cum Musis contenderunt, quæ victæ, ac doloris impatientia ab humeris alis remotis, sese in mare præcipites dederunt, vnde ἀπτέρου nomen, cuius meminit Plin. lib. 4. cap. 12. De eodem loco ita Claud. 3. Rap.

———Siculi latus obsedêre Pelori.

idem in Epig.

Dulce malum pelago Siren, volucrésque puellæ

A *Scyllæos inter fremitus, auidámque Charybdin*
Musica saxa fretis habitabant dulcia nostra.

Ex his facile est scire locum, ad quem nunc Troiana classis aduehatur. Dio Chrysost. orat. 32. Sirenas collocat, vt Noster, ἐπὶ σκοπέλου τινός, *in quodam scopulo.* & ἐν ἐρήμῳ πελάγει, *in deserto pelago.* De harum cantu fabuloso multi scripsêre. obuia sunt loca: mihi satis Cassiodorus lib. 2. Var. epist. 40. *Sirenas in miraculum cantasse curiosa prodit antiquitas; & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebant suauiter decerpi, in scopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Emendaui leuiter Cassiodorum. Redeo. Sed veritas est, fuisse scopulos quosdam iuxta eum locum, vbi se Sirenes præcipitarunt, qui vndarum reciprocatione, & haustu,

B ac sorbitione, & resorbitione insonaret quiddam harmonicum, vnde orta fabula. De parentibus Sirenum ac nominibus, multa sunt in fabulis. Lege Natalem, Lilium, Delrium nostrum, qui hæc perquam diligentissimè in Medeam Senecæ versu 355. Præterea Zerzen in Hesiodum, Homeri interpretes, Hyginum, atque etiam Dionem Chrysost. orat. 5. quæ inscribitur, Λιβυκὸς μῦθος, *fabula Libyca.* Platonem in Symposio, & in Phædro. in vtroque enim loquitur de Sirenibus cum respectu ad fabulam Homeri.

11. OSSIBVS ALBOS] Ducta est sententia ex Homer. Odyss. 12.

Ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ
C Ἥμεναι ἐν λειμῶνι· πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς
Ἀνδρῶν πυθομένων:

Sed Sirenes stridula demulcent cantilena
Desidentes in prato, ingens circum ex ossibus aceruus
Virorum putrefactorum.

Lesches quoque in parua Iliade ita scripsit:

Σειρήνων μετέπειτα ἀφίξεαι ἁλμυρὸν ὕδωρ,
Σειρήνων γλυκερῇσιν ἀοιδαῖς δηλήσαντο
Ταὶ πλείστους ναύτας, ὧν πύθεται ὀστέα λευκά·

Sirenum post aduentus ad salsa profunda,
Sirenum dulcis cantus. quarum extitit illis
Dira lues nautis, quorum terra ossibus albet.

D Pind. Od. 4. Isthm. de Antæo loquens, rem aliter extulit, ait enim solitum operire templum Neptuni κρανίοις ξένων, *caluarijs hospitum.*

12. RAVCA] Raucedo hominum est, ideo saxa *rauca* cum allusione ad latentes ibi fœminas Sirenas. vt hîc *sal* pro mari, ita alibi: *campi salis*, & *salum.* A salo nonnulli deriuant insulas. Sophoc. in Aiace dixit ἁλώμεθα, quasi *sale vehimur.* redde *fluctuamus.*

13. FLVITANTEM] Fluito est, cùm quis vndis fertur, neque potest fluctus peruincere: sic mortui dicuntur fluitare, tabulæ, & alia huiusmodi. Facit præclarè ad nauem hanc Virgilij fluitantem, ac pene incidentem in scopulos Sirenum ob gubernatorem amissum, comparatio Oppiani lib. 5. Halieut.

—ἅτε φορτὶς ὀλωλότος ἰθυντῆρος,
E Πλάζεται ἀπροφύλακτον, ἀμήχανον, ᾗ κεν ἄγῃσι
Λευκὸν ὕδωρ:

—tanquam nauis oneraria perempto gubernatore
Oberrat incustodita, impos, quocumque tulerit
Cærulea aqua.

Tu reliqua. Similis comparatio est in Cyrillo Alexand. in Comment. in Amos, ὁ γὰρ τοι πρὸς τοῦτο φαυλότητος καθιγμένος, ναῦς που πάντως ἔσται προσεοικώς, πηδαλίων ἐρήμῃ, καὶ οὐκ ἐχούσῃ τὸν ἐφεστηκότα. ἢ παντὶ πνεύματι περιφέρεται, καὶ πρὸς τὸ ὦθουν ἁπλῶς καὶ ἀπεριστέπτως ἵεται, μονονουχὶ καὶ μεθύουσα, καὶ κυμάτων ἀθροίσματι φερομένη

μέρη λοιπὸν: *Qui ad hoc improbitatis deuenit, planè similis est naui gubernaculo & gubernatore carenti, quæ omni vento circumfertur, & prout impellitur, simpliciter, & fortuitò, huc illuc accedit quasi ebria, iactata fluctibus.*

Magister de rectore nauis. 14. MAGISTRO] Rector nauis *magister* dicitur: vsurpauit ter aut quater Virgil. & Valer. Flacc. in 1.& 3. item Sidon. Apollin. Panegyr. dicto Antemio:

——ceu victa procellis
Atque carens rectore ratis, Respublica fractam
Intulit, vt digno meliùs flectenda magistro.

A 15. IPSE RATEM REXIT] Princeps classis Æneas Palinuri munus subit, nec dedignatur. Illustrant hunc locum, quæ affero libro sequenti ad illud:

Nec non Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribúsque accingitur armis.

verbum *rego* dictum hîc de eo, qui gestat gubernaculum, sic suprà *rectorem nauis*. & Plin. lib.9.cap.29. *media cauda, vt gubernaculo se regit, ita vadit alto*. Loquitur de pisce nautilo. & lib. 12. cap.19. *vehunt per maria vasta ratibus, quas neque gubernacula regant*. Cicer.1.diuinat. *rectores nauium*. Rego de gubernatore nautico.

FINIS LIBRI QVINTI.



P. VIR

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER VI.

ARGVMENTVM.

AENEAS ad Cumas applicat; pergit ad templum Apollinis, & Sibyllæ antrum: ex occasione narrantur res Dædali; adest Sibylla, ducit secum Æneam; ad cuius preces illa vaticinium edit, quo prædicit bellum Italiæ. Finito oraculo, petit ab ea aspectum patris, obijcit illa difficultates, vt inferi adeantur; sed ita obijcit vt tamen viam aperiat, qua possit rem istam consequi, explicans doctrinam rami aurei; admonet etiam illum de Miseni obitu. Inuenitur ramus aureus, & tumulatur Misenus. Fiunt deinde sacra Manium quæ necessaria ante aditum inferorum. Euocatur Proserpina, adeuntur inferi, describuntur monstra quæ ante vestibulum, & quæ in ipso vestibulo. Hinc tenditur ad fluuium, vbi Charon portitor: is describitur. Sunt ante fluuium insepulti, in his Palinurus, cum quo longus sermo, & fit discessio ab illo. Inde it rectà ad transmittendum fluuium, prohibetur à Charonte, qui tamen viso ramo aureo nauiculam aduertit, Æneam excipit, transmittit, exponit: neque Cerberus viam impedit sopitus à Sibylla. Describuntur regiones inferorum quinque: prima, infantium; secunda, damnatorum falso crimine; tertia, interfectorum, αὐτοχείρων; quarta, amantium; quinta, virorum bello fortium. In his narrat peculiares quosdam successus. Ab locis inferis fit gradus ad Tartarum, & ad illos, qui ibi cruciantur æternis supplicijs damnati. Quo facto pergit Æneas vnà cum Sibylla ad Regiam Plutonis, vbi ramum figit, & inde ad Elysium peruenit, numeratisque aliquot Heroibus, qui erant in illis locis, rogat Sibylla Musæum, vbi sit Anchises; præbet se Musæus ducem, donec peruentum ad illum est. Salutant se pater & filius benignissimè, aperitque senex primam rerum omnium constitutionem, animarúmque originem, & transmigrationem, secutus doctrinam Pythagoræ: quod eo consilio facit, vt natum doceat Romanorum posteritatem, idque in gratiam Augusti: quo loci doctissimus est Poëta, complectens multa rerum monumenta de Romano Imperio, & Cæsaribus, donec tandem peruenit ad duos Marcellos; Claudium domitorem Annibalis: & illum, qui fuit filius Octauiæ sororis Augusti, vbi miris affectibus de altero excitatis, Aeneas à patre per eburneam portam emittitur.

[a] SIc fatur lacrymans. [b] classiq; immittit habenas:
[c] Et tandem Euboïcis Cumarum allabitur oris.
[d] Obuertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naues: & littora curuæ
Prætexunt puppes. [e]. iuuenum manus emicat ardens
Littus in Hesperium: [f]. quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis: pars densa ferarum
Tecta, rapit syluas, inuentáque flumina monstrat.

ARGV

ARGVMENTVM.

Post lacrymas de obitu Palinuri, Æneas ad Cumas applicat, proras nauium ad pelagus conuertit, puppes ad littora, sistit anchoras, descendunt iuuenes, quorum ardor & studium describitur.

EXPLICATIO.

a Refer exorsum istum ad finem præcedentis libri. Ibi enim submersum Palinurum secutus est gemitus Æneæ, & verba doloris plena. Ergo sic fatur, & cum lacrymis. Post querelas enim voce editas: post gemitum; qui singultibus exprimitur: sequuntur lacrymæ, veri doloris & affectus indices.

b Vide constantiam, non impediunt lacrymæ virum fortem ab peragendo munere. Est verò *classi habenas immittere*, vel (explicante Delrio, & Modicio) clauum nouum substituere, pro illo, quem Palinurus secum præceps vexerat: nam, sicuti equus habenis regitur, sic nauis clauo. Vel, funes nauticos laxare ad nauigationem. Ponitur autem *classi*, pro naui.

c Ergo nauis, vel clauo nouo instructa, vel laxata funibus, tranquillè admodum, nam hoc est, *allabi*, appellit ad portum Cumarum. Has nominat *oras Euboicas*, nam ab Chalcide ciuitate insulæ Eubœæ profecti sunt, qui Cumas condiderunt. Refer particulam *tandem* ad incredibile Æneæ desiderium.

d Prora, eunte naue ad portum spectat portum ipsum: puppes verò, mare, quod à tergo relinquitur: postquam autem iam nauis portum attigit, prora conuertitur ad pelagus, puppis ad littus. Inde hic, *Obuertunt pelago proras*, inde postea, *littora curuæ Prætexunt puppes*. Fiebat hoc vt paratior esset nauis ad sequentem nauigationem. Ergo ait Poëta: Proræ obuertuntur ad pelagus. Nota verbum, in quo inest difficultas & molimen. Diceret quispiam, vertunt, conuertunt, commutant. Vlterius, *Anchora naues fundat*, id est, stabilit sistitque naues, estque illis veluti pro fundamento: & hoc *dente tenaci*, id est, hærente, affixóque firmiter. Fiebat hoc, ne naues abriperentur vento. Pergit. *Puppes prætexunt littora*, id est, tegunt, & hoc sua curuitate.

e Vide sermonem viuidum. Manus iuuenum, & hæc ardens, emicat ad littus Hesperium. Ideo *emicat*, quia *ardens*: Ideo *ardens*, quia iuuenes, quorum proprius ardor, & feruor. (Poëta è vulgo diceret, prosiliunt nautæ.) Ideo omnia, quia *ad littus Hesperium*, quod tantopere optabant, quod per annos septem quæsierant, cuius spe egressi Troia, cuius desiderio contempta Carthago, cuius amore multæ & arduæ toleratæ procellæ. Illud *iuuenes*, pendet ex historia, quia relicti senes in Sicilia, vt habetur libro superiore. Hesperiam dici Italiam, & *manum* pro multitudine militari, quis nescit?

f Repræsentatus suprà ardor iuuenum, iam hîc sedulitas. Pars iuuenum quærit *semina*, id est, scintillas ignis *abstrusas*, id est, contrusas, latentes, reconditásque à natura in venis silicum: pars alia rapit syluas, quæ sunt ferarum tecta, & receptacula; monstrátque alter alteri, magno lætitiæ signo, flumina, quæ quærendo inuenit, fontes, & aquarum scaturigines. In verbo *rapit* attende studium iuuenum ferentium ligna.

NOTÆ.

1. SIC FATVR LACRYMANS] Aiunt, Tuccam & Varum transtulisse ad initium huius libri
A sexti duos primos versus, qui positi à Virgilio in extremo libri quinti. Huic rei fidem faciunt & interpretes, & codices manu scripti.

Lacrymæ Heroum.

2. LACRYMANS] Homerus sæpe Heroas inducit φιλοδακρύας, inde Græca paræmia, ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες: *Viri boni multùm lacrymabiles*. Hæ enim lacrymæ indicant bonitatem naturæ Æneæ. Hanc vt deturpet Dido, in 4. sic ait in æstu iracundiæ:

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Lacrymæ misericordiæ.

Plinius certè lib. 11. cap. 37. *Hinc illæ misericordiæ lacrymæ*. Has lacrymas Alexandro ipsi, Scipionibus, Annibali, & viro cuiuis fortissimo dare potes cum decoro: sunt enim dignæ quocunque rege. Rectè itaque Plu-
B tarchus. 2. de fortuna Alexandri, notat vt immanem Tyrannum Pheræorum, qui spectans tragœdiam Hecubæ & Polyxenæ, rapidus è theatro exsiluit, quòd se misericordia ad lacrymas videret commoueri: & parum abfuit, quin tragœdum interficeret, quòd se emolliuisset. Videtur verò Virgilius expressisse versum Ennij:

Talia commemorat lacrymans.

& vterque Homerum, qui. 1. Il. ὡς φάτο δακρυχέων.

Equestris res ad nauticam traducitur.

3. IMMITTIT HABENAS] Res equestris ad nauticam sæpe traducitur cum magno lepore, de qua re longus est locus apud Philonem lib. de agricultura. Vetus poëta apud Carisium.

Tiphyn aurigam veteris fecere carinæ.

Habenæ de nauibus.

Euripides in Iphigenia, ναῦον ὄχημα, dixit, *nauale vehi-*
C *culum*. & in Hippolyto: ἕλκει κώπην ναυατὴρ ἀνὴρ ἱμᾶσιν: *Vir nauticus nauem trahit loris*. atque ἱμάντας de habenis equorum dici apud Græcos, certum est. Porrò κώπην in Euripide *nauem* reddunt docti, & in his Delrius. Redeo. Varro apud Nonium: *Ventus vehementius sufflare, & calcar admouere*. Pollux lib. 1. ἡνίοχος τῆς νεώς: *auriga nauis*. Nonnus lib. 3. ὁλκάδος χαλινοί. Artemidorus lib. 1. c. 58. loquens de equo, ὁμοίως δὲ ἔστι καὶ πλοίῳ: *Similis est nauigio*. Probat, nam Homerus ἵππους τὰς ναῦς εἶπε: *naues vocauit equos*. Et quia ἡμεῖς τὸν Ποσειδῶνα ἵππιον καλοῦμεν: *Nos Neptunum vocamus equestrem*. Oppianus lib. 1. Hal. πρύμνῃ δ' ἐπὶ πάντα χαλινὰ ἰθυντὴρ ἀνίησιν: *In puppi omnes frenos gubernator relaxat*. Iterum, χαλινωτήρια νηῶν, *nauium frenos*. Iterum, πρυμναῖα χαλινὰ *freni, qui in puppe sunt*. Pindarus quoque 4. Pyth.

Anchora, frenum nauis.

D anchoram vocat χαλινὸν, *frenum nauis*, quòd non aliter eâ sistatur, quàm equus freno. Cui hæsit Plin. lib. 9. c. 31 *pluribus anchoris nauigia infrenant*. Senec. in Mede. non tam de anchora, quàm de reliquis armamentis, *Tiphyn nouam frenare docuisti ratem*. Ex dictis illustrabis Plautum, qui in Rudente, *nempe equo ligneo per vias cæruleas estis vectæ*. Et Horatium lib. 4. Od. 4.

— eurus
Per Siculas equitauit vndas.

Cum habenis coniungit Virgilius verbum *immitto*, vt & 5. *furit immissis Vulcanus habenis*. Vtrunque ex Lucretij imitatione, qui lib. 5.

Arboribúsque datum est varijs exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis.

E Tantùm materiam mutauit Maro. Virgilio hæsit Flaccus. 8. Argon. *fugit immissis nam puppis habenis*. Ouidius quoque, Petronius, & Propertius, dixerunt *mittere*. Alij *permittere*, & *remittere*. & omnes prolaxare. Philostratus verbo non absimili dixit, ἀφιεὶς ἡνίαν lib. 2. de Vitis Sophist. & lib. 6. de vita Apollon. cap. 6. ἀνεὶς τὰς ἡνίας.

Cumarum conditores.

4. EVBOICIS CVMARVM] Cumarum oræ, & Cumæ ipsæ dicuntur Euboicæ: nam ab vrbe Chalcide Eubœæ insulæ venêre conditores Cumarum. Liuius lib. 8. *Cumani Chalcide Euboica originem trahunt*. Ait Velleius lib. 1. Chalcidenses conditores Cumarum

eò

eò appulisse volatu columbæ antecedentis ac dirigentis cursum classis. Videtur hæc insula fuisse feracissima hominum, cùm aliæ coloniæ inde quoque profectæ fuerint. De Olyntho Libanius in argumento Olynthiacorum Demosthenis: Ὄλυνθος ἦν πόλις ἐπὶ Θρᾴκης. Ἑλληνικὸν γὰρ αὐτὴ τῶν ἐνοικούντων τὸ γένος, ἀπὸ Χαλκίδος τῆς ἐν Εὐβοίᾳ. ἡ δὲ Χαλκὶς Ἀθηναίων ἄποικος: *Olynthus Thraciæ fuit vrbs, eam Græci tenuerunt origine Chalcide, quod est Eubææ oppidum, Atheniensium colonia.* Vlpianus de eadem loquens Olyntho, Χαλκιδικοῦ γένους. Fuit enim hæc insula & magna & fertilis. Vtrũque elogium in Herodoto est lib. 5. Εὐβοίῃ νήσῳ μεγάλῃ, καὶ εὐδαίμονι. Vt inde appareat potuisse matrem esse multarum coloniarum. De situ porro Cumarum (nam hunc attingit hîc poëta) omissis aliis, quæ inculcantur, do tantùm testimonium Agathiæ lib. 1. Hist. *Confestim moto exercitu* (Narses) *ad Cumas processit. Est verò id oppidum Italicum munitissimum, neque facile expugnatu. Situm enim est in arduo quodam, & difficilem aditum habente colle, & veluti specula maris Tyrrheni. Imminet enim littori collis, ita vt ad eius pedem fluctus maris illisi frangantur. Editiore loco vallo cinctum est, turribúsque & propugnaculis validissimæ structuræ.* Hoc certè testimonio potuisset Ioannes Scopas lib. 1. Collect. cap. 24. notam suam illustrare, vbi ait, Cumas dictas è fluctibus, κῦμα enim fluctus est. Sed errat in ratione, cùm ait, Chalcidenses nominasse Cumas à fluctibus, quos nauigarunt. Non sic est, sed à fluctibus, quibus locus ipse continuo expositus. Addit idem, locum, vbi conditæ sunt Cumæ, prius vocatum Phlegræum, aduocatque Diodorum lib. 6. & Plinium lib. 3.

Chalcis insula ferax hominum.

Olynthus.

Cumarum situs.

Cumæ vnde dictæ.

5. OBVERTVNT PELAGO PRORAS] Nautæ nauem ad littus appulsam in proram conuertunt, non solùm vt ad reditum parati sint, & sequentem nauigationem; verumetiam causa boni ominis. Quod Turnebus lib. 11. cap. 8. firmat testimonio Val. Flacci. 5. Arg.

Proræ pelagus, puppes littus respiciunt.

—atque illi dextra sine versa magistri
Protinus in proram redijt ratis omine certo.

Sed & Lucanus lib. 1. Maronem imitans,

—densæ prætexunt littora classes.

Signatiùs Maro, qui puppes, nam hæc pars terram spectat cùm in portu est nauis.

6. DENTE TENACI] Est hoc, quod dixit, 1. Æn.

—vnco non alligat anchora morsu.

7. ANCHORA FVNDABAT NAVES] Nam anchora veluti stabilit nauem, & est illi pro fundamento. Paulinus in epist. *Huius nauem in quodam insulæ loco anchoris fundare conati sunt.* Ouidius 4. Pon.

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Vterque contendit ad locum Virgilij. Sicut & Seneca epist. 35. *Mutatio voluntatis indicat animum natare alubi, atque aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur quod est fixum, & fundatum.* Huc pertinet verbum *ædifico*, quod ædium est propriè, & de nauibus tamen dicitur. Exempla obuia. Quod autem Virgilius, Paulinus, Ouidius verbo *fundare*; Pindarus Od. 10. Pyth. ἄγκυραν ἔρεισε: *anchoram firma.* & Næuius *destituere* dixit, quod verbum, explicatore Nonio, fuit, iterum statuere. Verba Næuij:

Destituo quid veteribus.

In alto nauem iubet destitui anchoris.

His respondet illud in 6. epig. νηῶν ἕδρανον ἀγκύραν. Verbum *destituo* explicarem potiùs, firmiter statuere, ex illo Apuleij lib. 2. *Cùm repente intro repens mustela contra me constitit, obtutúmque acerrimum in me destituit.*

8. PRÆTEXVNT] Bene explicat Bayfius in re vestiaria, si non hunc locum, similes certè alios. Puppes enim, cùm sunt naues in portu, ita littus tegunt, vt videantur littus ipsum bordare. Hoc enim verbo, quod Hispanicum est, Bayfius vtitur. Ergo, vt vestis, quæ ad oras aurum habet, dicitur auro prætexta, id est, *bordada*, ita littus quoque dicitur prætextum puppibus. Pari aura Plinius lib. 16. *Prætexta tuguriorum.* Pari Ouidius, & cum animo ad Virgilium:

Prætexo.

Quid referam Baias, prætextáque littora velis?

Pari Lucanus lib. 10.

—densæ prætexunt littora classes.

Pari Sen. ep. 89. *Nullum flumen, cuius non ripas ædificia vestra prætexant.* & ep. 101. dixit, vias prætexi tumulis, & monumentis.

9. IVVENVM MANVS EMICAT ARDENS, &c.] Repræsentat mirè sedulitatem nautarum. Ad Virgilium ita aspirat Prudentius in Præfat. librorum contra Symmachum:

Nautarum sedulitas.

Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponítque salo littoris vuidi
Contractos pluuio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi
Arentum properè brachia palmitum
Conuectant; rapidos vnde focos struant.
Fascem quisq; suum congerit ignibus.

Vide verò, vti ardorem emicantem coniungat cum iuuentute. nam hæc est nota huius ætatis. Ita Horat. 4. Carm. *iuuenes feruidi.* Prudent. lib. 2. contra Symmachum,

Iuuentutis nota ardor.

Sanguine præcalido feruet neruosa iuuenta.

Ista omnia ab natura ignis procedunt, cui similis est iuuenta. Præclarè dixit Pind. Od. 8. Isthm.

Στεροπαῖσι τ' ἀκμὰν ποδῶν:
Vigorem pedum instar fulgurum.

Demosthenes orat. 13. vt explicet sublimem, & generosum spiritum, dicit, μέγα, καὶ νεανικὸν φρόνημα. respiciens ad iuuenilem ætatem. Pari nota Hippocr. lib. de victus ratione, νεανίσκος θερμός.

10. QVÆRIT PARS SEMINA FLAMMÆ] In hac rerum distributione ita Valerius Flaccus lib. 2. Arg. imitatur Virgilium:

Dissiliunt, pars hic leuibus candentia velis
Castra leuat, tracto pars frangit adorea saxo
Farta, citum strictis alius de cautibus ignem
Ostendit folijs, & sulphure pascit amico.

His æmulatur quoque locum è 1. Æn.

11. SEMINA FLAMMÆ] Homerus non semel σπέρμα πυρός. & Pindarus Od. 7. Olymp. σπέρμα φλογός. *Semina ignis, flammæ.* & Prudentius Peristeph. hym. 10.

Semē ignis.

Et semen ignis inter vndas quærere.

Procedunt ista ex sententia illorum, qui putant verè semen ignis latere in ipso silice, qui ignis prodit ad ictum lapidis. Ex qua opinione Symposius in Silice:

Silex an ignem contineat.

Semper inest intus, sed rarò cernitur ignis:
Intus enim latitat, sed solos prodit ad ictus:
Nec lignis, vt viuat, eget; nec, vt occidat, vndis.

& Nazianzenus in carmine de virginitate:

—ἐν λάεσσι πυρὸς μένος:
—robur ignis latens in lapidibus.

Eiusdem est sententiæ magnus Basilius homil. 1. Hexam. vbi ait, dignum esse admiratione, ignem prosilientem ex lapidibus comburere corpora, in quibus innoxius latuerat. Alexander tamen Aphrod. cui subscribit Brodæus lib. 5. cap. 36. ait, nullum ignem intus latere, tantùm generari scintillas illas ex aëre, qui incenditur ad ictum violentum. Iuuat hanc sententiam, solere ignem emicare non solùm ex silicibus, sed ex aliis solidis corporibus, vt ex ferro, ligno, &c. Iuuat etiam versus Nonni lib. 2. Dionys.

Ὡς λίθος ἀμφὶ λίθῳ φλογερὸν ὤδινα λοχεύων:
Vt lapis circa lapidem flammantem partum generans.

Certè Gifanius locutionem Poëtæ ad metaphoram refert

Flos de igne.

refert, quia videlicet, quæ sunt florum herbarúmque, igni dantur ab auctoribus. Sic Lucretius *flos flammæ* dixit lib. 1.

Donec flammai fulserunt flore coorto.

& lib. 4.

—florentia lumina flammis.

Martialis lib. 2. *florem ignis.* Homerus, πυρὸς ἄνθος. Horatius epod. 17. *Virens in Ætna flamma.* Nam sic habent libri veteres, non, vt vulgo, *vrens.* Non abit, Apuleium dixisse lib. 8. *luce clara, & die iam prouecto, & sole florido.* Sicuti ergo ij dant igni florem viro-rémque; Ita Virgilius *semina*, & Græci σπέρματα. Hîc tu obserues locum Platonis lib. 3. de Rep. qui Home- A rum laudat, quòd etiam in mari abstineat ab elixis piscibus, & exhibeat tantùm suis militibus assas carnes. Nam facilius, inquit, est igne vti, quàm vasa circumferre. Itaque hæc fortassis ratio, cur Poëta quoties epulas exhibet, vt plurimùm assa inferat, ad quæ necessarius tantùm ignis; non elixa, ad quæ & ignis, & vasa.

Assa in epulis Heroum.

12. ABSTRVSA IN VENIS SILICIS] Ad hunc locum Arnobius allusit lib. 7. cùm de matre Deûm, quæ colebatur sub specie saxi, ait: *habitasse in silicis fragmentis, venísque in eius abstrusam.*

13. FLVMINA MONSTRAT] Seneca 3. de Ben. *Beneficium est arentibus siti monstrare fontem.*

a At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæq; procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit: b. MAGNAM cui mentem animúmque
Delius inspirat vates, aperitq; futura.
c Iam subeunt Triuiæ lucos, atque aurea tecta.
d Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna;
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,
Chalcidicáque leuis tandem superastitit arce.
Redditus his primùm terris tibi Phœbe, sacrauit
Remigium alarum: posuitq; immania templa.
e In foribus lethum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ iussi (miserum) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus vrna.
f Contra elata mari respondet Gnosia tellus.
g Hîc crudelis amor tauri, suppostáque furto
Pasiphaë, mistumq; genus, prolésque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.

ARGVMENTVM.

Æneas interim adit templum Apollinis, & antrum Sibyllæ. Ex occasione narratur volatus Dædali, qui templi huius conditor. Describitur ornatus forium.

EXPLICATIO.

a EX magno decoro ducis Æneæ, nam cùm alij res corporis curarent, ille verè pius animum ad religionem intendit, contenditque ad Apollinem, cuius templum situm in sublimi parte Cumarum, ideo ipse Apollo *altus*, ideo templum *arces.* Erat in ipso templo Sibyllæ antrum, ab reliqua parte secretum, & hoc *immane*, id est, magnum & vastum. Ergo petit secreta Sibyllæ, videlicet antrum immane. Vocat Sibyllam horrendam cum respectu ad religionem, id est, venerandam, quod illustraui lib. 1. Æn.

b Huic Sibyllæ Apollo futura aperit, agens illam in furorem & rabiem, nam hoc est, inspirare magnam mentem, atque animum. De distinctione harum vocum, dicam in Notis.

c In hoc templo Diana quoque celebratur, huc contendunt Æneas pariter atque Achates. Placuit Poëtæ pro templo dicere *lucos*, quia templa cincta arboribus, & syluis. Ergo duplex est circumstantia religionis, & magnificentiæ: religionis ab lucis; magnificentiæ ab auro, quo omnia illustrabantur, ideo A dixit *aurea tecta*, in Deorum enim templis, quid tu aliud exspectes, præter religionem, & magnificentiam?

g Aggreditur narrare, & verè narrat templi huius originem. Breuiter hîc percurram. Pasiphaë Regis Minois vxor taurum deperiit; Dædalus ligneam vaccam excogitauit, vbi illa inclusa tauro iungeretur. Minos rem comperit, hominem in vincula coniecit, ille elabitur, aptatis sibi & Icaro filio alis. Res tutò patri accidit, filio non item. Ergò pater volatu ad Cumas appulit, Cretam fugiens, ideo ibi templum constituit, consecratis alis in memoriam facti, & honorem Apollinis. *Præpetes pennæ.* Sunt vel præuelo ces, & celerrimæ; vel patulæ, & exporrectæ. *Credere se cælo*, id est, aëri. *Nat ad Arctos*, id est, ad Septentrionem Dædalus ex summa prudentia, nam hæc pars orbis gelida est, timebat verò ne alæ compactæ cera soluerentur B solis ardore. *Remigium alarum*, sunt ipsæ alæ remigantes.

e Sequitur amœna descriptio rerum, quæ in foribus templi insculptæ erant. Ex decoro autem res Creticas celebrat, vnde prima incunabula exstiterunt gentis Troianæ, & narratio contra Græcos dirigitur, vt Troiæ euersores. Incipit ab Androgeo. Fuit hic Minois filius. interfecerunt illum Athenienses. Minos in illos arma conuertit, vicit, iussítque, vt quotannis (sic plures: Ouidius, tertio quoque anno: Plutarchus in Theseo, nono quoque) præberent quatuordecim corpora adolescentium deuoranda à Minotauro. Ergo ibi sculptus erat Androgeos morte affectus, ibi

Athenien

Athenienses soluentes pœnam pro scelere; ibi vrna, A sortibus enim miseri ad supplicium ibant. *Stat ductis sortibus vrna.* dictum est hac sententia. Sculpta est vrna, & vnà sortes, quæ ducebantur. Maluit, *natorum*, quàm adolescentium, ad excitandam commiserationem. Inde & in parenthesi *miserum*, vbi debes facinus subaudire (nam hæc esse aduerbia Budæus non vult, neque docti alij.) Inde *corpora*, cùm ne reliquiæ quidem superessent ad tumulum.

f Pergit pictura. Finge in foribus insculptas Athenas, & ibi lethum Androgeo, ibi vrnam, ibi sortes. Ergo alia in parte forium sculpta erat Creta contra ipsas Athenas, & hæc *elata in mari*, vt est natura insularum, & Cretæ in primis: ideo autem *respondet*, quia Creta insculptura seruabat verum situm: est verò hæc insula sita è regione Athenarum, & veluti respondens. B *Gnosia tellus* dictum periphrasticè pro Creta. à Gnoso nobili vrbe eius insulæ, in qua vrbe inclusus Minotaurus. Ideo enim potiùs ad hanc vrbem, quàm ad aliam confugit.

g Vbi sculpta erat Creta, erant pariter amores Pasiphaës cum Tauro. Sed qui hi amores? ipse statim explicat. Videlicet, Pasiphaë ipsa inclusa in lignea vacca, & iuxta illam filius Minotaurus, natus ex nefario illo concubitu. Amor hic *crudelis* dicitur, vel quia dirum est, feram amari ab humana fœmina; vel quia natus inde Minotaurus vescebatur humanis carnibus. Vox *supposta*, signat non solùm adulterium, sed modum adulterij. Dicit *furta*, quia nefarij omnes concubitus furti nomine signantur, quia furtim fiunt. In verbis istis, *Veneris monumenta nefandæ*, inest grande C quiddam, perinde ac si dicat. Hoc vnum flagitium, etiam si nullum esset aliud, satis posteritatem omnem doceat, admoneátque nefandas mortalium libidines.

NOTÆ.

1. ALTUS APOLLO] Hypallage, pro arces altas Apollinis. Infrà non figuratè: *Teucros vocat alta in templa Sacerdos.* Templa enim, vt plurimùm, sita veteribus, in arcibus & cacuminibus. Vel referendum est epithetum ad magnitudinem simulacri, nam de Cumano Apolline Seruius aduocat testimonium hoc Cælij: *In fano signum Apollinis ligneum altum non minus pedes quindecim.* Dici etiam potest, locutum Poëtam ex distinctione Sexti Pompei, qui ait Diis Cælestibus solita fieri sacra in ædificiis à terra exaltatis, Diis Terrestribus in terra, Diis inferioribus in effossa terra. Et Lactantius in quartum Theb. ait, ideo nominata altaria, quia manus in altum porrigimus sacrificaturi superis. Ergo, cùm Apollo vnus sit è Cælestibus dicit quid altus ab altari, quod in alto situm. (Apollo Cumanus altus.)

2. PROCUL] Hîc Seruius explicat, haud longè, quasi præ oculis, aut pro oculis. Quæ explicatio obseruanda: ea enim firmantur, quæ ego latè dixi de vi huius vocis 3. Æn. (Procul, quid.)

3. ANTRUM IMMANE] Ex vera historia, neque poëticum tantùm ornamentum. Agathias lib. 1. vbi agit de obsidione Cumarum facta à Narsete Eunucho, virili planè ac forti: *Ad orientalem collis flexum antrum quoddam suberat ex omni parte tectum, valdéque cauum, adeo vt adyta quædam natiua haberet, & sinum ingentem ac profundum instar barathri. In hoc aiunt habitasse olim magnam illam Italicam Sibyllam numine afflatam diuino, & sciscitantibus futura prædicere. Aiunt verò etiam Æneam Anchisæ filium, cùm eò venisset, Sibyllam ei omnia, quæ deinceps acciderunt, dixisse.* Verè ergo Poëta *antrum immane*, & inf. (Cumarum antrum describitur.)

Excissum Euboicæ latus ingens rupis in antrum. & 3.

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima.

Hæc enim loca, in quibus essent cauitates, libenter dæmones obsidebant, nam inde voces emittebantur cum mugitu & horrore, aptissimæ ad fallendos mortales. De oraculo Iouis Trophonij, quod fuit in Lebadia Bœoticæ, quódque Paulus Æmilius adiit, ita scribit Liu. lib. 45. *Lebadiæ quoque templum Iouis Trophonij adijt; ibi cùm vidisset os Specus, per quod oraculo vtentes sciscitatum Deos descendunt*, &c. Exempla alia facilè suppetunt. (Iuppiter Trophonius.)

4. MENTEM ANIMUMQUE] Seruius perissologiam agnoscit: fallitur. Turnebus lib. 2. cap. 44. Poëtam ita defendit. Mens, pars est animi; animus, tota anima. Lactantius lib. 7. ita elucidat, longè distingui mentem ab animo: nam aliud est animus, quo viuimus; aliud mens, qua cogitamus. Sic indormientibus mens sopitur, non animus: & in furiosis mens exstinguitur, non animus. Plura Lactantius variis in locis: docet enim sæpe distinguenda hæc duo. Ita Catull. (Virgilius defenditur.) (Animus à mente distinguitur.) (Mês animi.)

Mens animi tantis fluctuat icta malis.

Plautus Cistell.

Nullam animi mentem habeo.

Lucretius lib. 3.

Denique cur animi nunquam mens, consiliúmque Gignitur.

Idem. *animi vix mente valemus.* Terentius Andria: *mala mens, malus animus.* Prætereo plures, & in his Ciceronem, cuius exempla coniunxit Ioannes Meyenus. Homerus quoque dixit, κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμόν. Porro ex Catullo, Plauto, Lucretio capies Latiniorum formas istas, *pendeo animi, discrucior animi*, & similes, in quibus subauditur *mente*. Integrum erit: *pendeo, discrucior animi mente.* Non abit, distingui à Plutarcho in opere de liberis educandis, νοῦν καὶ λόγον: *mentem & rationem*, & ab eodem in libro de genio Socratis, ψυχὴν καὶ νοῦν: *animam & mentem.* Quam opinionem Anaxagoræ tribuit Aristoteles lib. 1. de Anim. c. 2. Ait enim: Ἀναξαγόρας δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν. (Pendeo animi.)

5. DELIUS] Ita dictus Apollo, vel quia Sol cuncta facit luce sua δῆλα, *manifesta*, ait Macrobius: vel, à Delo insula, vbi natus, & cultus, quod in idem recidit, nam Delos idem habet etymon. (Apollo cur dictus Delius.)

6. TRIVIÆ] Hinc cognoscitur hoc templum sacrum quoque fuisse Dianæ. Ideo inf. *Phœbi Triuiæq; sacerdos.* Mos hic veteribus receptissimus fuit. Ceres & D Neptunus eodem templo colebantur, quòd absque sale cibi pene omnes insipidi sint, vt ait Plutarch. Sympos. 4. quæst. 4. De honore & virtute Symmachus lib. 1. epist. 14. *Maiores nostri ædes Honori atque Virtuti gemellas iunctim locarunt.* Alludit, non dubium, ad Liuij historiam lib. 27. & ad Plutarchum de Fortuna Romanorum. De Marte & Venere Claudianus in epigr. (Têpli vnius duo numina.)

Aurati delubra tenent communia templi.

Sed huius moris magna imprimis lux ab lapidibus. Romæ apud Gentilem Delphinium lapis est cũ hoc titulo, *Marti, & Fortunæ.* In comitatu Blanckenheim in Eyfflia alter cum hoc, *Marti & Genio Talliatium.* Præneste in Latio, *Opi diuinæ, & Fortunæ primigeniæ sacr.* Augustæ Vindelicorum, *Plutoni, & Proserpinæ.* Spoleti, *Iano, Portuno, atque Marti E. S.* Carolus Clusius hunc E affert ex Gallia, *Sanctitati Iouis, & Augusti sacrum.* Murtiæ in Hispania, *Castori & Polluci Dis Magnis.* De extremo hoc vide Smetium fol. 148. num. 25. Mitto Herculem, & Musas, quæ numina culta eodem templo, de quibus Plutar. in Quæst. Rom. Suadam & Gratias: Bacchum & Palladem: Mercurium & Venerem: Musas & Venerem, de quibus idem Plutarchus in præceptis Coniug. per initium: Famam, & Omen, quod est apud eundem de Fortuna Romanorum. Quin moris

fuit, vt vnum simulacrum ex duobus Numinibus conficeretur. Hinc ortum habuêre Hermathenæ, Hermerotæ, Hermeraclæ. Quia videlicet Mercurij imagini inserta Minerua, Amor, Hercules. Ita capio Aristidem, qui in laude Herculis exhibet Herculis & Mercurij ἀγάλματα κοινά.

Dædalus vnde nomen. 7. DÆDALVS] Huic ingenium nomen dedit, nam δαιδάλλειν, est artificiosè aliquid facere, inde dictus Dædalus, qui mirus rerum artifex. Aiunt, illum à Minerua edoctum. Seneca Tragicus cum specie adagij in Hippol.

Aut quis iuuare Dædalus flammas queat.

Et Apuleius lib. 2. Florid. *Quis tum non laudauit hominem tam numerosa arte multiscium? tam iugi scientia magnificum? tot vtensilium peritia Dædalum?* Vide adagia, δαιδάλη μάχαιρα, δαιδάλου ποιήματα. Sunt, qui dicant hunc primum fecisse Deorum simulacra; quod esse tamen falsum Pausanias comprobat lib. 9. Nam ante natum Athenis Dædalum prisci hæc signa vocarunt Dædala. Quin, air, à Dædalis ligneis simulacris nomen ipsi Dædalo impositum. Porro alterius Dædali statuarij meminit Plinius lib. 33. cap. 8. Hic autem Plinianus, fuit Sicyonius, non Atheniensis, vt ex eodem Pausania facilè colliges lib. 6. & monuit quoque Dalecampius. Volatum Dædali (redeo ad Virgilianum) & Icari scriptores referunt ad rem nauticam; nam malum & antennam Dædalus inuenit; remum & vela Icarus, si Plinio credimus; nam Diodorus remum & vela Æolo attribuit; & Cassiodorus lib. 5. Var. Vela dat Deæ Isidi, cùm illa per maria Harpocratem filium quæreret. De patre Dædali, de Perdica interfecto, de Cocalo, de aliis historiis annexis historiæ Dædali, abundè alij Interpretes.

Dædali volatus.

Famæ adscribuntur quæ admirabilia. 8. VT FAMA EST] Quæ admirabilia sunt, & magna, & quæ possunt fidem excedere, famæ solens Virgilius adscribit. Inde hîc: *vt fama est*, & alibi: *Fama est, Enceladi*, atque illud: *Namque ferunt fama, Hippolytum.* Notarunt hæc aliqui, quibus Magius lib. 3. Miscell. cap. 12. addidit Aristotelem in lib. de Poëtica. ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν ἢ πρὸς τὴν ποίησιν, ἢ πρὸς τὸ βέλτιον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν: *In summa, quod fieri nequit, vel ad ipsam poesin, vel ad meliorem modum, siue etiam ad famam referendum est.* Dicuntur hæc ab Aristotele forma quadam præceptionis poëticæ. Talis ea præfatio Liuij lib. 1. *Si famæ credimus, ab Vlysse, Deáque Circe oriundus.* Huc allusisse crediderim Aristophanem in Irena, vbi quidam Trygæum parantem se ad volatum, ita admonet:

Ἐκεῖνο τήρει, μὴ σφαλεὶς καταῤῥυῇς
Ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὢν, Εὐριπίδῃ
Λόγον παράσχῃς, καὶ τραγῳδία γένῃ:
Illud caue, ne labens cadas
Inde, ac deinde claudus Euripidi
Sermonem præbeas, & fias tragœdia.

Similes enim ruinæ tragicorum sermonibus vulgabantur, ibántque in παροιμ. vt accidit volanti Icaro.

Præpes pro veloci. 9. PRÆPETIBVS PENNIS] Iuuat explicationem meam Auctor Thebaidos, non is Seneca:

Quæ sphinx, vel atra nube subtexens diem
Stymphalis, auidis præpetem pennis feret?

Virgilius defenditur. Velocem quis dubitet? Vide Agellium lib. 6. cap. 6. vbi Poëtam defendit contra auctoritatem Higyni, qui Virgilium reprehendit. Nam & Trimatius victoriam *præpetem* vocat, & in re longè diuersa Ennius portum *præpetem*. Vbi ad augurium confugi nequit. Demum defendit ex sententia Sulpitij, cùm præpetes aues Latinorum sint, quas Homerus vocat τανυπτέρυγας. Videndum vti Interpretes conuertant hanc vocem. Erasmus ch. 3. Cent. 1. cap. 57. *aligeras*. Andreas Iustinopolitanus, *aues extensas alas habentes*. Spondanus, *aues alas expandentes*. alij, *aues longis alis*. In quibus versionibus nihil de augurali disciplina. neque verò contra hoc est, aues τανυπτέρυγας aptas esse ad augurium. Opponuntur enim præpetes, & inhibæ: illæ sunt prosperæ; istæ aduersæ, & quæ inhibent. Lege Isidorum lib. 12. cap. 7. Inhibæ aues.

10. AVSVS] Arripuit à Virgilio Horatius Od. 3. lib. 1. nam inter audaciæ exempla adducens Dædalum, præmisit,

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Verè audax Dædalus, qui aptatis sibi alis, transmiserit volando spatium, quod interest inter Cretam, & Cumas. Vti hic volatus capiendus, nam verus non fuit, iam aperui. Addam tamen, si non tantum spatium, nam id esse nequit, at certè aliquod transmitti posse simili arte. Plasentiæ Hispanorum quidam ad asylum Ecclesiasticum confugerat, vt solet fieri, metu sæcularis potestatis. Euadere inde cùm vellet, alas sibi aptauit humeris, ac se è summa turre cælo credidit, ciuitatem totam volando transmisit, ac longè à muris decidit, fessus agitatione corporis. Nunc locus ruinæ ostenditur. Huius facti testes oculi omnium Plasentinorum, qui hominem volantem viderunt. Potest etiam dici volatus Dædali fuisse verissimus, etiam si longissimus, sed ex arte dæmonum, & magia. Multi enim inuenti, qui hac arte volauerint. Qui velit ista copiosè & doctè, legat Delrium nostrum lib. 2. Disq. Mag. c. 16. Volatus hominis.

11. REDDITVS] Horatius quoque transmissum mare significans, dixit, Reddo.

finibus Atticis,
Reddas incolumem.

Qui nauigant, dant, credúntque se mari, inde cùm appellunt ad portum, reddi dicuntur: quasi mare fidem seruans, reddat, restituátque incolumes, quos acceperat. Ergo, qui creditus cælo, redditus dicitur.

12. SACRAVIT] Alas Dædalus in honorem Phœbi suspendit, quarum ope volauerat, ex more veterum, qui solebant Deorum templis res illas offerre, quæ sibi vel vsui fuissent, vel ornamento. Ita aries Phryxi sacratus est Marti apud Colchos, quo ille per maria vectus fuerat, & Midas regiam sellam obtulit Apollini Delphico, in qua sedens iura dederat, quod narrat Herodotus lib. 1. Ita Diodotus dux apud Plutarchum de malignitate Herodoti, dedicat Latonæ arma. Ita sellam Xerxis, & acinacem Mardonij dicata fuisse, alteram è Salaminia, alterum è Platæensi victoria, scribit Enarrator Demosthenis in 3. Olynth. Omitto multos. Potest enim locus iste illustrari his, quæ in Eclogis ad illud, Vota veterum.

Hîc arguta sacra pendebit fistula pinu.

13. REMIGIVM ALARVM] Volatui venustissimè dant auctores, quæ pertinent ad remos, & nauigatiónem. Ita. 1. Æn. Volatus illustratur à re nautica.

volat ille per aëra magnum
Remigio alarum.

Nonnus lib. 4. de volante Mercurio, ἐρέσσετο. Institit Virgilius aut Plauto, qui Amph. *Dædaleis remigijs.* aut Lucretio, qui lib. 6. de volucrib.

Remigij oblitæ pennarum vela remittunt.

Ab omnibus Silius lib. 12. loquens de Icaro:

——lapsumq; solutis
Pennarum remis, & non felicibus alis.

Et Apuleius. 1. Flor. de aquila: *pinnarum eminus indefessa remigia.* & ab gubernaculo nauium de eadem:

Caudæ

Caudæ gubernaculo cuncta despiciens.
Propert. lib. 4.
Classis centenis remiget alis,
Commutauit Florid tralationem. Omnes adhuc Latini Græcis institerunt. Nam Æschylus Agamemn. de accipitribus, πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι: *alarum remis remigantes.* Integra Æschyli Victorius adducit lib. 25. Var. cap. 23. Græcum epigramma πτερύγεσσιν ἐρέσσων: *alis remigans.* De hac reciproca tralatione à nauibus ad volatum, & contrà, dictum lib. 4. G. ad illud,
Nare per æstatem liquidum suspexeris agmen.
Hîc tantùm verba Quintiliani adnotanda lib. 8. cap. 6. *Ego in agendo, nec pastorem populi auctore Homero dixerim, nec volucres pennis remigare, licèt Virgilius in apibus, ac Dædalo speciosissimè sit vsus.* In his, quæ attinent ad Homerum, mirari quispiam possit Quintilianum. Neque enim est nouum, metaphoras duci à pastoribus ad Reges. Itaque non malo fortè iudicio soluta oratio admittet ποιμένα λαῶν, pro Rege. Nam ποιμαίνω, pro curam gerere, à Græcis sumi Sophoclis Scholiastes admonet. ποιμάνδριον non ouium tantùm gregem esse, sed & populi Eustathius scribit. ποιμάνορα pro populi duce, aut Rege Æschines sumpsit. Cleon cum iudicibus loquens, auctore Suida, ait, οὓς ἐγὼ βόσκω καὶ δίκαια, καὶ ἄδικα: *quos ego pasco & iustis, & iniustis rebus.* Candidissimè, & vt nihil forte candidius, dixit Sophocles in Oedip. Tyrann.
γῆς Τῆς δ' ἧς ἐγὼ κράτη τε, &
θρόνους νέμω:
Terra
Huius, cuius ego imperium & thronum rego.
Atqui νέμω, propriè ad pastum pertinere indicat vox νέμος.

Templa ex voto. 14. POSVITQVE IMMANIA TEMPLA] Ex voto, vt credi debet. Nam inter vota à veteribus concepta, etiam fuerunt templa, si graui aliquo periculo defungerentur. Sic. 1. Æn. Dido defuncta maris tempestatibus templum condit Iunoni, & Augustus 8. Æn. post bella Actiaca sacrat votum immortale, videlicet:
Maxima tercentum totam delubra per vrbem.
& Vates ipse ita concipit. 3. G.
Et viridi in campo templum de marmore ponam.
Apud Liuium lib. 10. Appius in medio pugnæ discrimine manus tollit ad cælum, atque ita precatur: *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voueo.* Eodem libro Attilius Consul *templum Ioui Statori vouet, si constitisset à fuga Romana acies.* Paria fermè narrat idem Liuius lib. 41. ex Antiate. Apud Dionysium etiam lib. 3. Antiq. Tarquinius Rex templum vouet Ioui, Iunoni, Mineruæ in postremo prælio cum Sabinis commisso. Omnes isti duces, & alij, quos omitto, videntur instituisse voto Romuli de æde Iouis Statoris. Sed quidem ad Poëtam allusit & Silius. nam de Dædalo:
Hic pro nubi vago gratus pia templa meatu
Instituit Phœbo, atque audaces exsuit alas.
Et Ausonius in Mosell.
—Gortynius aliger ædis
Conditor Euboicæ.

Immane pro magno. 15. IMMANIA TEMPLA] Fortasse ex Lucretio, qui lib. 5.
Passim per cæli voluunt se immania templa.
Vtrique hærens Arnobius lib. 6. *templa enim hæc quid sunt? si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum.* Hi omnes per *immane* ingens quiddam, & grande capiunt. Cæterùm, vt argumenta sequentia exhibentur in foribus templi, ita lib. 3. G. *In foribus pugnam ex auro, &c.* Ouid. 5. Fast. in foribus Martis historias describit. & eleg. 1. lib. 2. Trist.
Venerit in magni templum, tua numina, Martis,
Stat Venus vltori iuncta viro ante fores.
Apud eundem 2. Met. Mulciber *cælarat æquora* in Valuis Solis. Cicer. 6. in Verr. de Valuis Mineruæ Syracusanæ, *in his Valuis argumenta.* Debes extrema hæc Passeratio in Propert. Et adde à me, huiusmodi ædes *cauas* dici in litteris inspiratis. Ita me docet Sanct. Cyrillus Comment. in Aggæum prophetam. Vbi enim propheta ait, ἐν οἴκοις κοιλοσάθμοις, ita ille subiicit: *Domos autem cauas nominat, quarum antepagmenta, siue postes portarum ferro sculpti, opificum solertia circumcirca emblematis mira varietate, & artificio elaboratis exornantur.*
16. ANDROGEO] Græcus genitiuus quartæ, quæ tota Attica. Paraueram Probi & Charisij verba, quæ defendunt hanc lectionem. Sed quid morer in re grammatica? Satis nosse hunc sexti libri esse *Androgeos, Androgeo;* alium secundi, *Androgeus, Androgei.*
17. TVM PENDERE POENAS] Nauigat aura Catulliana:
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeonææ pœnas exsoluere cædis
Electos iuuenes, simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
18. CECROPIDÆ] Athenienses à Cecrope. Confugit Poëta, vt nominaret Athenienses, ad Cecropem potiùs, quàm ad alium. Nam Cecropis iustitia celebrata est veteribus. Quasi dicat Vates: En illi Athenienses, qui à iustissimo Cecrope ducunt originem, leges capiunt à iustiore Minoë. Dices. Tu hoc Virgilio imponis, nam ille ne cogitauit quidem. Cur non? Nonne hic vates occasiones arripit, quoties potest, deprimendi Græcos? & cur non hîc, vbi agitur laus Cretensium, apud quos prima Troianæ gentis incunabula? Cecrops.
19. MISERVM] Vt nihil otiosum in hoc vate! Loquuntur pueri apud Aristophanê in choro Vesparum:
Τί με δῆτ' ὦ μελέα μῆτερ ἐτίκτες;
Quid me igitur ô misera mater peperisti?
Fiunt postea quædam complorationes. Hunc in locum ita scribit Scholiastes: ὁ λόγος ἐκ Θησέως Εὐριπίδου· ἐκεῖ γὰρ τοῦτο λέγουσιν οἱ ἐπιλεχθέντες παῖδες εἰς βορὰν Μινωταύρῳ: *Sermo sumptus ex Theseo Euripidis, ibi enim pueri missi vt vorentur à Minotauro, hæc dicunt.* Mihi non dubium quin Virgilius parêthesi hac tristitiæ plena aspirauerit ad istos puerorū ploratus, quos in ea tragœdia, quæ iam periit, sed quam aduocat Scholiastes, Euripides inducit. Profectò, qui reliqua Aristophanis legerit, id non dubitabit. nam postea multa inferuntur cum allusione ad hanc historiam, præsertim ista,
τί ποιήσω; τηροῦμ' ὑπὸ τῶνδ' ἐπεί,
βούλομαί γε πάλιν μεθ' ὑμῶν
ἐλθὼν ἐπὶ τοὺς καδίσκους,
κακόν τι ποιῆσαι.
Quid faciam? seruor ab his,
Volo rursum vobiscum vnà
Veniens ad vrnam
Malum aliquod patrare.
Fuit sanè miserum, mitti nobilissimos Græcorum ad hanc lanienam. Hos enim, qui deuorandi mittebantur, *Græciæ lumina* appellat Orosius lib. 1. c. 13.
20. SEPTENA] Sunt multi in eo errore, vt putent per *septena corpora* intelligi septem iuuenes, cùm tamen Poeta quatuordecim intelligat. Non enim credibile illum aliter sentire, quàm alios, qui de hac re scripserunt. Plato in Phædone: *Hæc est illa nauis, vt aiunt Athenienses, in qua Theseus olim* (δὶς ἑπτὰ) *bis septem illos secum vexit in Cretam, seruauitq; illos, & seruatus ipse est.* Minotauro mittebantur quatuordecim.
Euripides in Hercule furente:

—σώσας κόρους
Δὶς ἑπτὰ, ταῦρον Κνώσιον κατακτανών:
—*Seruans iuuenes*
Quatuordecim Gnosio tauro interfecto.

Pausanias quoque lib.1.apertè nominat septem iuuenes; & septem Virgines. sicut etiam Homericæ Iliados enarrator, cuius hæc sunt: τοὺς δὶς ἑπτὰ ἠϊθέους, καὶ παρθένους. Isocrates etiam in Encomio Helenæ δὶς ἑπτὰ παῖδας nominat, datos tributi nomine. Eadem Plutarchus in Theseo. Ad eamdem rem Seruius Saphonem & Bacchylidem aduocat: quin ipse nomina iuuenum & puellarum recenset, qui missi cum Theseo. Dices. Nónne *septena corpora* septem tantùm sunt, vt terna guttura Cerberi, tria, non sex? Rectè ait Germanus, Poëtam secutum grammaticam proprietatem, nam ad numeri distributionẽ & distinctionem B respexit, ac perinde per *septena corpora* intellexit quatuordecim.

21. Elata mari] Ex natura insularum, & Cretæ imprimis. Insularum, nam insulæ omnes in mari assurgunt: Cretæ, nam Sallustius, citante Seruio: *Creta altior est, qua parte spectat orientem.* Atqui Athenæ respectu Cretæ ad Orientem pertinent, vt videas nihil frustra dici à vate. Ex eadem peritia in 5.

Cretæ situs.

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta.

Fabius Declamat.388.

Elato alluitur mari.

22. Crudelis amor tauri] Quid si ab hac fabula ab Græcis celebrata, natum est, vt μόσχον, siue ἀνδρεῖον, siue γυναικεῖον dicatur ταῦρος; vnde & mœchi omne λαυσταῦροι. Et quidem libido taurorum in pa- C rœmiam abit: sed mœchi signatè non tam ad naturam feræ videntur referendi, quàm ad fabulosum taurum Pasiphaës.

Furtum de concubitu.

23. Fvrto] Nefarij omnes concubitus furti nomine signantur; nam, vt qui vetiti, furtim fiunt. Tibull.

—*celari vult sua furta Venus.*

Musæus, σκοτόεσσαν ὑποκλέπτειν ἀφροδίτην: *latentem sub furari Venerem*, & κρυφίοις γάμοισι μιγῆναι: *occultis nuptijs misceri.* Inde *fornicor*, quòd plerunque sub fornicibus, & clanculum res hæc patretur.

24. Mistvmqve genvs, prolesqve biformis] Ego hîc, neque alibi vllã perissologiã in Virgilio A agnosco. Duo dicit, & mistum genus, quia id monstrum naturam hominis & feræ habuit: & prolem esse biformem, quia forma ipsa exterior hominem & feram repræsentabat. Itaque duas partes complexus est, interiorem, exteriorem. Sed vide deinde cautionem Virgilij, tantùm dixit, *mistum genus, prolem biformem.* Ouidius nulla re animaduersa,

Virgilij cautio.

Semiuirúmque bouem, semibouémque virum.

vbi dat huic monstro medietatem viri, medietatem bouis. In hoc lapsi alij Poëtæ. Nam hoc falsum esse doctissimus Antonius August. animaduertit Dial. 5. Icon. Nam in Iconibus, quæ adhuc Neapoli visuntur, caput solùm taurinum est; reliquo corpore humano. Hoc si verum, longè aliter Romanum signum, vbi erat Minotaurus, effingendum esset. Quod Virg. *prolem biformem*, Ouid. 8. Met.

Minotauri forma.

—*geminam tauri iuuenisque figuram.*

25. Veneris monvmenta nefandæ] Sunt qui hîc veros amores cum fera agnoscant, cùm auctor sit Iuba, apud Plin. lib. 8. c. 42. equum à Semiramide amatum vsque ad coitum. Vtinam res ista incredibilis esset, neque scirentur experimento nefandæ mortalium libidines cum feris ipsis. Certè idem Plinius lib. 7. c. 2. adducit ex Duri. *Indorum quosdam cum feris coire, mistósque & semiferos esse partus.* Et Plutarchus in conuiuio septem sapientium, ait, natum ex equo infantem, supernè hominem, infernè equũ. Et in Parall. scribit, puellam natam ex Aristonymo, & asina: quæ propterea puella vocata est ὀνόσκελις, quòd reliquo corpore humana esset forma, cruribus tantùm asinina. Et in Gryllo ait, Minotauros, Ægipanes, Sphingas, Centauros, esse feras natas ex humanis coitibus. Sunt rursum, qui tradant, Minoi Regi fuisse magistrum militiæ, Taurum nominẽ, quem Pasiphaë amauit, cum quo concubuit in domo Dædali. Vti Plutarchus hanc fabulam mythologicè accipiat, lege in præceptis coniugial. & vti eandem tractet, lege Dionem Chrysost. orat. 32. Porro Minotaurum, Minocentaurum vocat Scholiastes Aristophanis in Vespis. Lege doctissimum Galenum lib. 3. de vsu part. per initia, vbi eleganti disputatione partus istos semiferos à natura exterminat.

Partus semiferi.

[a] Hic labor ille domus, & inextricabilis error.
[b] Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti, ambagésque resoluit,
Cæca regens filo vestigia. [c] tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidêre manus. [d] quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam præmissus Achates
Afforet, atque vnà Phœbi Triuiæq; sacerdos
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia Regi.

ARGVMENTVM.

Pergit ornatus forium, vbi amor Ariadnæ attingitur, & mors Icari: aduenĩunt Achates, & Sibylla.

EXPLICATIO.

[a] Pergit narrare, quæ sculpta in foribus. Habet hic versus periphrasticam descriptionem la- D byrinthi Cretensis. De quo hîc strictissimè, quia latè iam de illo. 5. Æn. atque adeo ex decoro noluit repetere. *Ille* emphasin habet laboris non vulgaris.

[b] Attingit historiam, & amores Ariadnæ (quam hîc vocat Reginam, de quo dicam lib. sequenti) cũ Theseo. Missus hic est sorte sua (Catullus spontaneum indicat studium Thesei, non sortem) ad Minotaurũ. Thesei amore Ariadne capitur, dolet imminentem cædem, defert rem ad Dædalum. Hic amorẽ Ariadnæ miserans, labyrinthi dolos extricat, filo dato, ad cuius

cuius ductum rediret iterum Theseus, & ita regeret cæca vestigia.

c Apostrophe ad Icarum filium Dædali, plena commiserationis. Dolor enim patrem non siuit lapsum Icari in auro effingere. Nam bis conantem hoc facere, bis dolor à proposito reuocauit, & paternas manus ab opere repulit.

d Plura sculpta erant, quæ Troiani (nam aliquos cũ Ænea iuisse ex hoc loco liquidum) ad exitum vsque oculis perlustrarent: ni iam Achates adesset, & Deiphobe Sibylla, quæ Glauci filia. Cùm ait, *præmissus Achates*, loquitur κατὰ τὸ σιωπώμενον. nam nusquam legitur Achates præmissus ad Sibyllam. Cur Sibyllam vocet sacerdotem Phœbi & Dianæ, suprà aperui. Æneam *regem* vocat. Sed libenter sequor illos, qui hinc adimunt hemistichium hoc, *fatur quæ talia Regi*, tum quia infrà, *Talibus affata Æneam*. tum, quia vox *Regi* nihil hîc agit.

NOTÆ.

1. INEXTRICABILIS ERROR] Suppedito lectori affines voces in hoc labyrintho explicando. *Labyrinthus* Virgilius inf. *dolos, ambages*: & in 5. *iter textum cæcis parietibus, dolum ancipitem mille vijs, error indeprensus & irremeabilis*. Catullus: *labyrintheis flexibus, error inobseruabilis*. Ouidius: *domo multiplici, cæcis tectis, limina ducta in errorem flexu variarum viarum, innumeras vias errore*. Prudentius in Apotheosi: *anceps labyrinthus, error circumflexus*. Plinius lib. 36. c. 3. *itinerum ambages, occursus recursúsque inexplicabiles, crebræ fores*, & plures alias. C Plutarchus de sera vindicta, cum allusione ad labyrinthum. σκοτίνῳ (τόπῳ) καὶ πολλὰς ἑλιγμοὺς καὶ πλάνας ἔχοντι: *tenebroso* (in loco) *multas conuolutiones & errores habente*. Callistratus in libro Statuarum, ὑπογείους ἕλικας, δυσδιέξοδον πλάνην: *subterraneos circos, errorem vix indagabilem*. Nazianzenus orat. 34. ita de illo: λαβύρινθος Κρητικὸς δυσδιέξοδος, καὶ δυσέλικτος. Statim satis nouè & pulchrè, πολλάκις ἀπαντῶν ἑαυτῷ τοῖς τῆς τέχνης σοφίσμασι: *Sæpius in se recurrit tanquam per artis sophismata*. Homeri Iliados enarrator: λαβυρίνθου ποικίλας καὶ πεπλεγμένας ἔχοντος τὰς εἰσόδους: *labyrinthi varios & implicatos habentis aditus*. Cedrenus, ἀφύκτους, καὶ ἀδιεξοδεύτους λαβυρίνθους, καὶ δυσβάτους, καὶ ἀτράπους. Damascenus ἀντιστρόφως. Gregorius Thaumaturgus paneg. in laudem D Origenis Labyrintho sequentia attribuit. ποικίλον θέαμα, καὶ κατασκεύασμα πάνσοφον, πολύπορόν τε καὶ εἰσόδοις συνεχέσι σεσοφισμένον: *spectaculum varium, opificium sollers, quaqua versus peruium, perpetuis ingressibus & egressibus elaboratum*. Non dissimilia à descriptione labyrinthi, quæ inde præmittit de sylua admodum perplexa, è qua viator nequit exire. Neque quæ Heliodorus scribit lib. 1. Hist. Æthiop. de antro prædonum, vbi varij meatus iam separatim errantes, iam in se incidentes, & radicum in morem implicati.

2. MISERATVS] Doctè monet Germanus, non abs *Dædalus cultor Ariadnæ.* re induci Dædalum miseratum amorem Ariadnæ, cùm ex Homero constet, cum studiosè Ariadnam coluisse, Il. 18. Sed & Eustathius itidem Dædalum vocat γυναικείων ἐρώτων ὑπουργόν: *muliebrium amorum ministrum*. Lege Philostratum lib. 1. Iconum. E

3. RESOLVIT] Plinius ad id intulit verbum *dissoluo*. Didymus Odyss. 11. ἀνελίσσειν ἀγαθίδα: *glomerem euoluere*. Enarrator Iliad. πάλιν ἔχει ῥᾳδίαν καὶ ἄπορον τὴν ἔξοδον τῆς λαβυρίνθου: *Habet rursum facilem & expeditum exitum labyrinthi*. Catullus, *reflecto*. ait enim:

Inde pedem sospes multa cum laude reflexit.

4. CÆCA REGENS FILO VESTIGIA] Est hoc quod Catullus dixit:

Errabunda regens tenui vestigia filo.

A Quod Plinius: *sine glomere lini exitum* (non) *inuenire*. Quod Ouidius in epist.

Quæ regerent passus pro duce fila dedi.

& iterum:

Fila per adductas sæpe recepta manus.

& iterum:

Perfidus Ægides ducentia fila secutus.

Quod Propertius lib. 4. eleg. 4.

Cùm patuit lecto stamine torta via.

Et lib. 2. eleg. 14.

Dædaleum lino cum duce rexit iter.

Eustathius, & Didymus ἀγαθίδα μίτου vocant, *ductum fili*. Plutarchus de sera vind. ἀναλαβόντος κλωστῆρος, quia resumpto filo errores soluuntur. Aristophanes in B Lysist. verbo διαλύειν, præcessit enim κλωστήρ. Dissolui solitos hos recessus non solùm filo, sed re alia, satis indicat Plin. lib. 6. c. 29. cùm ait: *Nisi calami defixi regant, via non reperitur*. Non dissimile commentum illud apud Petron. Satyr. ad euadendam difficultatem locorum his verbis: *Prudens enim* (Giton) *pridie, cùm luce clara timeremus errorem, omnes pilas columnásque notauerat, certáque lineamenta euicerunt spississimam noctem, & notabili candore ostenderunt errantibus viam*. Quibus signis cæcam noctem regerent & vestigia sua Diomedes & Vlysses, cùm redierunt à cæde Rhesi, in promptu est apud Homerum. 10. Il. Apparet porro, Senecam locutum cum respectu ad labyrinthum, cùm scripsit ep. 102. *Quanto satius est ire aperta via & recta, quàm sibi ipsi flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere.*

5. ICARE] Fabulam huius, volatum, mortem quis *Icari fabula.* nescit? Iuliani epigramma de Icaro in cera effecto pulcrum est. Vertit Alciatus, alij item. Ergo sic reddebam:

Cera tibi misero mortem dedit Icare, vitam
Restituit rursus Icare cera tibi:
Icare ne moueas iterum per nubila pennas,
Ne tua des iterum nomina mersus, aquis.

In Anthologia multa similia de Icaro. Hîc obiter iuuenem Musarum studiosum moneo, vt epigrammata, quæ sunt in Anthologia, interdum in Latium vertat, & ita Musas prouocet. Mihi certè iuueni res ista vtilitatem attulit.

6. CECIDERE MANVS] Inuenit acumen Germanus in coniugatione vocum harum *casus, cecidere*, firmátque Homeri exemplo. Ad affectum vatis aspirauit Ausonius in Mosella:

Non hoc spernat opus Gortynius aliger ædis
Conditor Euboïcæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrij pepulêre dolores.

Volo hîc Lectori meo satisfacere, qui fortasse contra *Dædalus sculptor, nõ pictor.* me iudicabit, quòd me in hoc Dædali opere videat assumere voces, quæ pertinent ad sculpturam; nunquam illas, quæ ad picturam. Auctoritate Plinij, Pausaniæ, aliorúmque disco, sculptorem fuisse Dædalum, non pictorem. Statuæ Dædali celebrantur ab auctoribus, non picturæ; neque ille Minotaurum pinxit, sed statuit. Didymus Odyss. 11. narrans Ariadnæ fabulam, illum vocat τέκτονα: *Opificem, architectum*. Plato 7. de Rep. δημιουργόν: *artificem*, quæ vox propius accedit ad sculpturam. Philostratus lib. 1. Iconum, & lib. 6. Apollon. li. 3. celebrant Δαιδάλου ἀγαλματοποιΐαν: *statuarum artem, & simulacrorum, Dædali*. Callistratus in libro Statuarum, illum comparat cum Praxitele statuario. Aristoteles lib. 1. de Animo cap. 3. celebrat Dædali ξυλίνην ἀφροδίτην: *ligneam venerem*, aduocans auctoritatem Philippi Comici. Nescio itaque quid interpretibus in mentem venerit, qui sæpe inculcant verba pingendi. Nihil ille in his foribus pinxit, sed fecit

fecit sculptoria atte. Ad eandem rem pertinet sequens nota.

7. Perlegerent] Signatissimum verbum ad artem sculptotiam. Interpretes aliqui, è doctis etiam, hoc verbum referunt ad picturam, ex consensu illo inter picturam & poëma noto. Aiunt enim, γραφὴν, litteras æquè, & poëma respicere: atque adeo ad picturam egregiè accommodatum verbum *lego*, quod litterarum est. Præsertim cùm Plutarchus dixerit, ζωγραφίαν, esse ποίησιν σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν: *picturam tacentem poësin, poësin loquentem picturam*. Hæc, etiam si sint vera, tamen hoc loco parum probanda. Nam, vt dixi, Dædalus nihil hîc pinxit, sed opere sculptorio omnia formauit. Meliùs multo Gulielmus Philandet in Vitruuium, vbi admonet, γραφικὴν non ad pictorem solùm, sed ad sculptorem referri. & γράφειν quidem ad vtrumque pertinere Ægy-A ptiorum ratio docet, quos erat necessarium, non solùm pingere, sed etiam scalpere, quod vellent significare. Et Vitruuius quidem ipse lib. 1. cap. 2. Ichnographiam, Orthographiam, Schenographiam de architectonica accipit. Iulius etiam Scaliger rectè ait, γραμμὴν priùs dictam de scalptura, quàm de scriptura: nam stylo in ceris potiùs scalpebant, quàm scribebant. & Theophrastus lib. 7. Hist. Plant. γραμμώδεις dat plantis, quæ sunt caniculatæ. Quæ forma potior ad scalpturam, quàm ad scripturam. Igitur cùm γράφω, quod est *scribo*, de sculptoria antiquiùs dicatur, rectè quæ sculpta sunt, legi dicentur, non minùs quàm quæ scripta. Quin forma Latina æquè me ad scalpturam ducit, atque ad scripturam. Nihil enim est aliud legere litteras, quàm colligere, atque adeo quæ scalpuntur, & quæ scribuntur, æquè legi oculis dicentur.

[a] Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
[b] Talibus affata Æneam (nec sacra morantur
Iussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
[c] Excisum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum,
Quò lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ.
[d] Ventum erat ad limen, cùm Virgo, poscere fata
Tempus, ait; Deus, ecce, Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subitò non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansêre comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiórque videri,
Nec mortale sonans; afflata est numine quando
Iam propiore Dei. [e] Cessas in vota precésque
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim antè dehiscent
Attonitæ magna ora domus. & talia fata,
Conticuit. gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor: fudítque preces Rex pectore ab imo.

ARGVMENTVM.

Illa Æneam reprehendit, docet factum; ducit ad templum; describitur atnrum, & furor Sibyllæ.

EXPLICATIO.

[a] HOnesta Sibyllæ obiurgatio, qua Æneam monet desistat ab spectanda templi sculptura, & se ad sacra accingat, mactétque iuuencos septem, oues septem: illos iugi, & aratri immunes; istas selectas ex ritu sacrorum.

[b] Vix dixerat, cùm ducit Troianos ad templum Phœbi, quod situm in rupis culmine. Illi statim parent (hoc enim est, non morantur, non differunt iussa) nam imperia Sibyllæ vrgebant, vt quæ sacra.

[c] Describitur locus Sibyllæ ab situ, nam erat latus rupis Euboicæ (idest, Cumanæ) erat enim in secreta parte templi Cumani: ab forma, nam hoc latus excisum in ingens antrum, nam tametsi hæc rupis natura esset excauata, tamen aliquid erat artis ab humana opera: ab diuinitate, nam ibi multi aditus, multa ostia, quibus oracula reddebantur, & responsa, quæ B Poëta *voces* nominat, satis propriè. Nam illa edebantur à fœmina vociferante, & sui impote.

[d] Erant iam in antri limine, cùm ait Sibylla, instare iam tempus oraculi, adesse iam Phœbum. Ac subitò illa, cùm esset ante fores (id est, in antri lumine) vultum commutat, varios subinde colores inducit, horrent illi sublatæ comæ, anhelat pectus, tumet cor rabie percitum, apparet maior solito, vox non est mortalis. Ratio horum, quia iam Phœbo afflabatur, Deo isto plena.

[e] Occupata iam numine conuertit se ad Æneam, quem increpat; quia nondum preces funderet: non enim oracula redderentur, nisi his præmissis. Mox tacuit, timent Teucri visa ferocitate Virginis, Æneas precatur. Obserua duo. Primùm dici venustissimè *ora* C pro ostiis. Alterum, dici domum *attonitam*, quia reddat mortales stupore attonitos, ἐμβροντήτους. Cur timor dicatur *gelidus*, alibi.

NOTÆ.

1. NON HOC, &c.] Contemno subtilitatem Seruij de *die fisso*.

2. GREGE DE INTACTO] Iniuges hostias, ἀδμήτους βόας,

ζυγας, innuit, id est, quæ nunquam iugum passæ, explicatore Ouid. 3. Met.

[...]cta vi[...]tima.

Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in aruis,
Nullum passa iugum.

Inde Homerus. 6. Il. scribit Mineruæ sacrificari ἤνις ἠκέστας: *iuuencos indomitos*. & Seneca in Oedip. Tiresiæ ore:

Adpellite aris candidum tergo bouem,
Curuóque nunquam colla depressum iugo.

Fuit enim hoc ex superstitione veterum, qui putabant bouem inutilem esse sacrificio, si iugo fuisset subactus, neque censebatur purus. Ad hunc locum pertinent, quæ ex Theone Arati interprete, notat Turn. lib. 18. Adu. cap. 2. quem lege, & me inprimis. 4. G. ad illud,

— & intacta totidem ceruice iuuencos,

vbi de hoc more sacrorum fusiùs, quàm hîc. Non abludunt ab hoc more, quæ de vino inferio scribit ex Trebatio Arnobius lib. 7. vbi vinum inferium dicitur esse illud, quod eripitur ex humanis vsibus. Quod nihil est aliud, quàm in animalibus esse intacta.

Inferiũ vinum.

Septenatius num.

3. SEPTEM] Hic numerus gratus fuisse Diis putabatur propter sui perfectionem. Adi Macrobium.

Hostiæ lectæ, quæ.

4. LECTAS] Selectas à reliquo grege, egregias vtique. Seruius, *ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram.* Hæ lectæ hostiæ. Sed de hoc ego quamuis alibi, in hunc locum reseruaui Pollucem, qui has notas adhibet victimarum. ἄρτια, ἄσωμα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ κολοβὰ, μηδὲ ἔμπηρα, μηδὲ ἠκρωτηριασμένα, μηδὲ διάστροφα. vult videlicet, vt victimę sint *integræ, indiuisæ, perfectæ, sanæ, innocuæ, omnia & recta membra habentes, non mutilæ, nec imperfectæ, nec nocuæ, neque cornibus carentes, neque contortæ.* Cyrillus in Malachiam vocat has victimas ἀρέσκοντα, καὶ ἐξαίρετα. & alibi, ἀφαιρέματα.

5. BIDENTES] Hanc dictionem, & vim sacrorum alibi explico.

6. CENTVM] Græci quoque hoc antrum vocant ἑκατόμπυλον, numero certo pro incerto.

Aditus, & ostium diuersa.

7. ADITVS, OSTIA] Non est tautologia, vt multi volunt, sed elegans oppositio vocum. Nulla in Virgilio tautologia. Aditus ab eundo, ostium à prohibendo dicuntur. Seruius: *Non sine causa aditus, & ostia. Nam Vitruuius, qui Architectonica scripsit, ostium dicit, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab ostiando dictum: aditum ab adeundo, per quem ingredimur.* Interpretes etiam Aristoph. (notante Germ.) Ῥωμαῖοι ὄστια τὰς θύρας φασὶ· παρὰ τὸ ἔξωθεν τ̃ ἐπερχόμενον: *Romani ianuas vocant ostia, quòd ingressu adeuntem arceant.* Inde ὀστίζειν, idem quod ὠθίζειν, & ὠθεῖν, *trudere, prohibere.* Igitur Poëta *aditus* dicit, & *ostia*, cum respectu ad ingressum.

Hostis vnde dictus.

Latini in ostio ademerunt aspirationem: siquis addat, potest. Ab ὀστίζειν Græco fortasse Latinum *hostis.*

8. POSCERE FATA TEMPVS] Tempus agit, fata patiuntur. Vitium non admittitur, cùm sententia ambiguitatem tollit, vt hoc loco.

Deus, ecce, Deus, sollẽne in sacris.

9. DEVS, ECCE, DEVS] Videtur hæc vox sollemnis in re simili. Nam Ouid. 15. Met.

En Deus est, Deus est: animis linguisq́ fauete,
Quisquis adest, dixit.

& Catullus:

Procul ô procul profani; Deus, ecce, Deus adest.

Deus absolutè pro vno Phœbo.

Doctè verò Noster, *Deus, Deus,* ad signandum vnum Phœbum. Cur enim huc non traham notam Florentis Christiani in Irenam Aristophaniam, docentis, solum Phœbum absolutè gentilibus dictum Deum? Vnde apud Censorinum *Dei annus.* & Homerum, θεοῦ ἕκητι. Quod non aliis Numinibus contingit: nisi enim sermo de illis præcedat, nihil tale intelligas.

A 10. NON VVLTVS, NON COLOR VNVS] Est hoc, quod dixit Lucanus:

Stat nunquam facies.

& quod Papinius elegantissimè. 10. Theb. cùm ait, genas esse trepidas *incerto sanguine.* Est propriè *vultus* habitus faciei, qui pro animi affectu alius atque alius ostenditur, à verbo volo, sicut à colo cultus. Vultus vnde dictus.

11. NON COMPTÆ MANSERE COMÆ] Lepidè, nam comæ dicuntur, quia comptæ. Igitur, non comptæ comæ. Calaber vaticinanti Cassandræ dat lib. 12. comas diffusas per humeros, Comæ vnde dictæ.

— κόμαι δ' ἑοὶ ἀμφεκέχυντο
ὤμοις.

Sed in Nota sequenti aliqua inuenies, quibus hanc partem de comis vaticinantium illustres. Vt Latini

B *incompta coma*, ita venustissimè Græci, κύων ἄκομος, de cane qui remotus à societate canum. Exemplum est in Xenoph. de Venat. Senec. de Breuit. vitæ *turbari* dixit de coma, & *iacuit extra ordinem.*

12. SED PECTVS ANHELVM, &c.] Varias Vaticinij species veteres constituebant ex tranquillitate, aut furore, quo dæmon afflaret vaticinantes. In 3. Æn. Helenus vaticinatur nullo furore, sed tranquillè admodum. Nunc firmabo, quæ pertinent ad vaticinium, quo Sibylla hîc furit. Valerius Flaccus. 3. Arg. *horrifica acta* vocat hoc genus vaticinij. Plutarchus de Pythiæ oraculo inducit Sibyllam loquentem μαινομένῳ στόματι: *ore furenti.* Seneca in Agamem. multis hanc partem: Vaticinantium furor.

Silet repente Phœbas, & pallor genas,
C *Crebérque totum possidet corpus tremor.*
Stetêre vittæ, mollis horrescit coma,
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina, & versi retro
Torquentur oculi, rursus immites rigent.

Sequuntur alia. Idem Seneca in Oedipo:

Incipit lethæa vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum.

Lucanus quoque;

— bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittásque Dei, Phœbeáque serta
Erectis discussa comis.

Hoc de sertis in Thiodamante attigit Papinius libro 10.

Sertáque mista comis sparsa ceruice flagellat.

D Apud Horatium Phœbus dicitur sacerdotes suos quatere, Od. 16. lib. 1.

——— non adytis quatit
Mentem sacerd[illegible] incola Pythius.

Non negat, q[illegible]deatur. Adi locum, &, si placet, etiam Enn[illegible]phanum lib. 1. Schediasmatum, c. 5. Pollux lib. 1. inter notas furentis Pythiæ, καταβολὴ, ἐπίπνοια, βακχεία κίνησις, κατάληψις, ἐνθουσιασμός. Quæ omnia ad furorem pertinent. Nonnus dixit φοιβάδος οἶστρον lib. 4. *Oestrum Phœbadis.* iterum. τριπόδων θυάδα φωνήν: *Tripodum furiosam vocem.* Gregorius Nyssæ episcopus in vita Thaumaturgi loquens de Pythia: τῶν τριχῶν τε διερριμμένων, καὶ ταῖς ἰδίαις χερσὶ σπαραττομένων, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστραμμένων, καὶ τοῦ στόματος τ̃ ἀφρὸν

E περιπλύοντος. Vbi vides *laceratos crines, manibúsque proprijs euulsos, auersos oculos, os spumam emittens.* Dio Chrysost. orat. 1. de afflata fœmina, ἀσθμαίνουσα, καὶ περιδινοῦσα τὴν κεφαλὴν: *anhelans, & caput contorquens.* Aristides orat. 1. sacrorum sermonum de re simili, τὸ πνεῦμα ὥσπερ ἀσθμαίνοντος ἦν: *erat spiritus instar anhelantis.* Calaber lib. 12. de Cassandra vaticina, ὄσσε μάρμαιρεν: *oculi rutilabant.* ὑπὸ δ' αὐχὴν ἐλελίζετο: *ceruix agitabatur.* μέγα στενάχησε: *gemuit grauiter.* Demum eam comparat furenti ac vulneratæ leænæ. Sophocles in Antig. inducit ipsā Antigonen οὐδ' ἐπήβολον φρενῶν: *non compotem mentis.* ab

hac

hæc furoris nota Pindarus, credo, Delphos signat Od. 6. Pyth. cùm ait, ὀμφαλὸν ἐριβρόμου χθονός: *Vmbilicum terræ horrisonæ.* Hunc furorem satis docet Aristides in 1. Platonica ex vocis etymologia: ait enim, artem hãc perperam à Græcis dici μαντικὴν, cùm debuissent μανικήν. Nam hæc vox ad rem signata. Sed à Græcis consulentibus suo honori adiecta est litera, τ. Cui consonat Cyrilli Alexand. sententia in Oseam explicantis μαντείαν per μανίαν. Demum notas furentium in vaticinio lege apud Orosium lib. 6. cap. 15. Sed quærendum, qua ratione Dæmon agitaret has fœminas; Tullius 1. de Diuin. ait, hanc mentis concitationem effici ex quadam vi, & potestate terræ, his verbis: *Potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuisse vetustate.* In eodem libro: *Terræ vis Pythiam Delphis incitabat.* Iterum: *credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.* Sanctus Chrysost. hom. 29. in epist. priorem Corinth. aperit, qua ratione fœminæ istæ conciperẽt dæmonem: *Traditur Pythia fœmina fuisse, quæ in tripode sedens expansa malignum spiritum per inferna emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens, furore repleretur, ipsaq; resolutis crinibus baccharetur, ex ore spumam emittens, & sic furoris verba loquebatur.* Ista mirè consentiunt cum habitu, quem hoc loco Poëta dat Sibyllæ. Inde spiritus illi, qui fœminas occupabant, ἐγγαστρίμυθοι dicebantur, *ventriloqui.* Negat Plutarchus, dicens indignum hoc esse Deorum grauitate. Imo hoc dignum, ô Plutarche, spurcitia dæmonum. Nam his quæ aptiora domicilia? & quidem ventriloqui spiritus negari nequeunt ex sacra historia. 1. Regum cap. 28. vbi mulier habens Pythonem, Græcè dicitur ἐγγαστρίμυθος, & ex profanis auctoribus. nam Scholiastes Aristophanis in Vespis, vbi Comicus de Eurycleo loquitur, ait hunc fuisse ἐγγαστρίμυθον ἔξω τοῦ συναρχοῦντος αὐτῷ δαίμονος: *ab Dæmone intus latente.* Ἐγγαστριμύθους etiam agnoscit Sanctus Cyrill. Alexand. in Prophetã Amos. Aperit Diodorus lib. 16. vbi primùm oracula ista innotuerint inter gentes. Pascebantur capræ non longè à specu, vna earum proximè ad specum accessit, statim illa quasi lymphata cœpit rotari, discurrere, cernuari. Pastor admiratus, specum ipse adiit, atq; inde egressus, ebrio similis, cœpit fundere vaticinia. Accidit hoc aliis, qui se in specum præcipitarunt: atque omniũ consensu virgo deligitur, quæ tripodem conscenderet, & futura consulentibus prædiceret. Pastorem illum Plutarchus Coretam vocat. Ab his non abludũt, quæ scribit Iustinus lib. 24. loquens de tẽplo & oraculo Delphico, vbi ait, mẽtes vatum [illegible] in væcordiam frigido quodam spiritu erumpe[illegible] foramine.

Sibyllæ vti vaticinarentur.

Ventriloqui.

Oraculorũ inter gentes initium.

13. MAIORQVE VIDERI] Incep[illegible]im videri maior Sibylla illusione dæmonis. Ita Seneca in Agamemn.

Nunc leuat in auras altior solito caput,
Graditúrque celsa.

Sibyllæ maiores solito.

Quippe afflati numine videbantur maiores solito. Ita explicabis Catullum de Nupt. Pelei, qui de ministris afflatis Bacchi furore:

Plangebant alij proceris tympana palmis.

14. NEC MORTALE SONANS] Erat hoc ludibrium alterum dæmonum. Ita Plutarchus in Camillo de re pene simili, φωνὴν ἢ μείζονα ἢ κατ' ἀνθρωπίνην ἀκοῦσαι: *vocem verò humana maiorem audiuisse.* Liuius de re eadem, *humana clariorem.* Et de re omnino simili Seneca in Oedip.

Sibyllarum vox.

Emicat vasto fragore maior humano sonus.

De Venere vates ipse: *nec vox hominem sonat.* Plutarchus de defectu oraculorũ, ait, Pythiadem, vt impleta est spiritu, vsam τῇ τραχύτητι τῆς φωνῆς: *asperitate vocis.*

15. AFFLATA EST, &c.] Erat iam deo plena. Hoc indicant superiora de vultus & coloris mutatione, de comis non comptis, de pectore anhelante, de rabie cordis, de magnitudine corporis, & vocis: hoc indicant sequentia, cùm subditur:

Bacchatur vates magno si pectore possit
Excussisse deum, tanto magis ille fatigat, &c.

His euertit Nascimb. explicationem Seruij, qui *afflatam* capit nondum deo plenam, sed tantùm afflatam vicinitate. Cùm tamen hîc *afflari* sit repleri. Sicut cùm Cicero pro Arch. dixit, Poëtam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino afflari spiritu. Ergo hic *numine propiore*, est, intus latente. Irridet autem præclarè Cicero 2. Diuin. hanc gentilium vanitatem, qui afflatis iam, & extra mentem, dent opus plenum rationis. *Quid verò habet auctoritatis furor iste, quem diuinum vocatis, vt quæ sapiens non videat, ea videat insanus: & is, qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit?*

Afflati quid sint.

16. CESSAS IN VOTA, &c.] Nunquam hic vates est absque decoro. Vides vt liberè Sibylla virum principem reprehendat, ex decoro religionis, cui subditi esse debent principes. Ita sup.

Principes subditi sacris.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Visum mihi verba ipsa ducta ab Turpilio in Thrasyleone: *Cesso occupare, & me in colloquium conferre horum?*

17. NEQVE ENIM ANTE DEHISCENT] Par locus. 3. Æn. vbi post orationem istam,

Da propriam Thymbræe domum,

Oraculi vox auditur. Par apud Senecam in Oedip. vbi etiam oraculum redditur post ista:

Vt sacra templa Phœbi supplici intraui pede,
Et pias, numen precatus, rite summisi manus, &c.

18. FATA] Verbum vaticinantium, ideo datum Sibyllæ. Inde hariolos ducit Scaurus, quasi fariolos.

Harioli vnde dicti.

19. CONTICVIT] Quasi regeretur à Numine, neque aliter posset. Ita Apuleius lib. 11. *Ad istum modum vaticinatus sacerdos egregius, fatigatos anhelitus trahens conticuit.*

[a] Phœbe graues Troiæ semper miserate labores,
[b] Dardana qui Paridis derexti tela manúsque
Corpus in Æacidæ: [c] magnas obeuntia terras
Tot maria intraui, duce te: penitúsque repostas
Massylûm gentes, prætentáque syrtibus arua:
[d] Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna sequuta.
[e] Vos quoque Pergameæ iam fas est parcere genti
Diiq; Deæq; omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. [f] túque ô sanctissima vates

Præscia venturi, da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros,
Errantesq; Deos, agitatáque numina Troiæ.
g Tum Phœbo, & Triuiæ solido de marmore templa
Instituam, festósque dies de nomine Phœbi.
h Te quoque magna manent regnis penetralia nostris:
Hîc ego namque tuas sortes, arcanáque fata
Dicta meæ genti ponam: lectósque sacrabo
Alma viros. i foliis tantùm ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro. Finem dedit ore loquendi.

ARGVMENTVM.

Æneæ preces ad Phœbum, quo iter dirigat ad Italiam; ad Sibyllam, quo pandat oracula: promittit se vtrique gratum foré, videlicet Phœbo, & Sibyllæ. proponit vti velit sibi vaticinium dari.

EXPLICATIO.

a SEquuntur preces Æneæ ad Phœbum ex præcepto Sibyllæ. Primò Deum captat ab spe Troianorum semper in eo sita, nec hac falsa, quando ille semper miseratus est res Troianas.

b Pergit in captando Phœbo ab commemoratione accepti beneficij, nam huius recordatio animum vehementer obligat. Beneficium est, imbellem Paridem fuisse interfectorem fortissimi Achillis, præsentissima Phœbi ope, atque adeo præsenti, vt ipsemet Deus iaculantis manus telúmque dirigeret. Achillem vocat Æacidem ab auo Æaco.

c Ab alieno beneficio pergit ad suum. Te duce (inquit) ô Phœbe adij infinita maria, quæ terras obeunt, cingúntque: te duce adij extremam Africam, atque arua difficillima accessu, vt quæ præuallata & præmunita syrtibus, nam hoc est *prætenta*. Intellige mentem Poëtæ, priùs ponit in communi Africam, deinde partem Africæ, quam adiit Æneas. Africam in communi signat per gentes Massylûm penitus repositas, ponens speciem pro genere, nam Massyli sunt in meditetranea, & interiore Africa: partem Africæ, vbi sita Carthago, quóque Æneas appulit, signat per syrtes, nam istæ præmuniunt & vallant mare illud Carthaginiense. De Massylis dixi lib. 4. vide verò vt amplificauerit beneficium à gentibus, quæ repostæ penitus: ab atuis, quibus prætentæ in munimen syrtes.

d Perinde ac si dicat: Cùm simus iam in ipso Italiæ limine, quæ nos tam diu elusit & fugit, effice Phœbe, vt Troiana calamitas hactenus secuta nos fuerit, non illa duret obfirmata in nostris malis. Indignum est, vt in Italia quoque, vbi tam longè à Troia sumus, persequerent mala Troiana. Fiat cum loco malorum quoque commutatio.

e Ab Phœbo, qui Troianis amicus, transit ad deos alios, qui infensi Troianis, illos placant. In quo putant interpretes allusum ad morem Romanum, qui deos omnes placabant, quosdam vt prodessent, quosdam ne obessent, de quo Agell. & Macrob. *Gens Pergamea* est Troiana. Ait *fas*, quia cum diis loquitur; & hæc vox illos respicit. Deos aduersos Troianis continet liber alter Æneidos.

f Ab Phœbo, ab Diis aliis conuertit se ad Sibyllam, quam, vt captet, vocat sanctissimam vatem, præsciam venturi, &, quod est maximum, coniungit cum Diis.

A Summa orationis est. Da regna meis fatis non indebita, quia sæpe promissa. Quæ sunt hæc regna? vt Teucri in Latio considant. Quòd si tu Sibylla hominum calamitate non permoueris, aspice Deos Troiæ errantes, agitata Numina.

g Id beneficium si mihi præstetur, instituam templa duo, Phœbo vnum, Dianæ alterum: & dies festos de Phœbi nomine. Fit allusio ad ludos, Apollinares fauente magna parte Interpretum. Sed cùm Æneas neque templa illa, neque ludos instituerit, fit vt loquatur sub persona suorum posterorum.

h Sibyllæ quoque se gratum fore pollicetur. nam positurus in templis sortes Sibyllinas (quæ sint istæ postea explicabo:) positurus fata arcana, id est, libros Sibyllinos: sacraturus viros, id est, quindecim viros præ- B positos lectósque interpretandis libris Sibyllinis. Hęc etiam dicuntur ex persona posterorum. Est *meæ genti*, Romano populo. Et *dicta* declarata, pronuntiata.

i Vult vt ore loquatur, ore canat, non oracula foliis scribat, quæ facilè vento abripientur.

NOTÆ.

1. DIREXTI TELA] Narrant Commentarij Græcorum Achillē interfectum à Paride in templo Thymbræi Apollinis, quò ille accersitus fuerat specie aut videndæ aut ducendæ Polyxenæ. Ad hunc locum, vbi Phœbus ipse dicitur direxisse tela Paridis, pertinent verba Pausaniæ in Atticis: *Illud verò maximè mihi mirandum videri solet, omnes ex gente ex Æacida-* C *rum nomine, diuinitus oblata nece occubuisse. Achillē enim, vt Homerus memoriæ prodidit, ab Alexandro Priami filio, & Apolline interfectum.* Græca signata: ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Πριάμου καὶ Ἀπόλλωνος ἀπολέσθαι. Ouidius quoque apertè: Æacidarum fatum.

Pelides vtinam vitasset Apollinis arcus.

& Calaber lib. 1. θεοῦ δέμιν ἰὸς ἐδάμνα: *sagitta Dei* (Apollinis) *eum* (Achillem) *deprimebat*. Illud, quod traditur in nonnullis Græcorum commentariis, & commeminit Seruius, & potuit accipere à Calabro lib. 3. de plāta Achillis tantùm vulnerabili, ab nonnullis etiam solet rideri. Porro imitatio loci sumpta videtur ab Homero, qui 5. Il. βέλος δ' ἴθυνεν Ἀθήνη: *telum direxit Pallas*. Ab Nostro Ouidius 12. Met.

D *Certáque lethifera direxit spicula dextra.*

id est, Phœbus direxit spicula Paridis.

2. TELA] Sagittas accipe. Nam Paridem sagittarium vtique Græci inducunt, quod etiam notauit Germ. Homerus 3. Il. illi dat καμπύλα τόξα. Ab Euripide in Oreste dicitur τοξότας. Gręcorum commentarij de hac ipsa historia: ἐν τῷ τοῦ Θυμβραίου Ἀπόλλωνος ναῷ Ἀλέξανδρος λάθρα τοξεύει τὸν Ἀχιλλέα: *In templo Thymbræi Apollinis occultè Paris sagittam in Achillem coniecit*. De Achille Paris sagittarius.

etiam

etiam Pindarus Od.3.Pyth. τόξοις ἀπὸ ψυχὰν λιπών: *sagittis animam amisit*. Calaber, vt vidisti, ἰὸς, dixit de nece Achillis.

3. OBEVNTIA] Est hoc quod Horatius dixit Od.16. Epod. vocans Oceanum *circumuagum*, quòd fundatur circum vniuersum orbem. Quod Ouidius, qui loquens de mari,

———solidúmque coërcuit orbem.

Quod Plinius lib. 2. cap.66. *tellus præcincta circumfluo mari*. Quod Manilius lib.4.

———tellus pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

Quod Catullus de nupt.Pel.& Thet.

Oceanúsque pater, totum qui amplectitur orbem.

Dionys.ἐν περ. ita extulit πᾶσα χθὼν ἐστεφάνωται, vt Manilius. Æschylus in Prom. de aqua ait, εἱλισσομένη πᾶσαν χθόνα. Græcus alius, περιτρέχει, dixit. Aristides hymno in Iouem, γῆς περίῤῥους ὠκεανός. Cyrillus hunc in modum,

Ὠκεανὸς δ' ὦ πᾶσα περίῤῥυτος ἐνδέεται χθών:
Tellurem Oceanus circumfluus alligat omnem.

Quò pertinet sententia Philostrati lib. 7. de vita Apollon. cap.12. dicentis, τὸν ὠκεανὸν δεσμῷ ἕνεκα τῇ γῇ περιβεβλῆσθαι: *Oceanum quasi quoddam vinculum circumiectum esse terræ*. Plutarchus de fortuna Roman. ὁ περιῤῥέων τὴν οἰκουμένην ὠκεανός. Dio Chrysost. orat.40. ὕδωρ περὶ γῆ κεχυμένον. Inde Neptunus à Pindaro Od.1. Olymp. dicitur γεόοχος, quòd terram contineat. Et Od.8 regionem vocat ἁλιερκέα, quasi septam mari. Ad hanc rem pertinet Varronis atque Arnobij sententia, quorum commeminit Lilius. 5. syntag. addo ego & Dionysium lib. 2. Antiq. Rom. Dicunt hi, Neptunum ita vocatum, quòd vniuersum orbem nubat, id est, ambiat, atque, vt Poëta loquitur, obeat, ac nutu quodam circumdet. Adi etiam Lipsium. 1. Satur. c.2. qui idipsum firmat, atque ex hac sententia emaculat locum Tullij. 2. Nat. *Vt à portu Portunus, sic Neptunus à nuptu, prioribus litteris paulatim immutatis*. cùm prius ineptè legeretur, *Neptunus à nando*. Nota diligenter ab hoc ambitu dici Oceanum Poëtis *amnem*. Tibullus lib.3.eleg.4.

Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.

& lib.2.eleg.6.

Quáque patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Hoc enim idem est cum Virgiliano illo, *ruit Oceano nox*. Putabant enim diem condi Oceano, & inde quoque diem oriri. Vide quæ ego. 4. G. ad illud, *Oceani amnes*. Itaq; quamuis aliqui Oceanum vocent *fluuium*, sermone magis proprio vtuntur, qui vocant *amnem*. Nam in ipso nomine spectatur natura corporis ambientis terram. Non hinc abit Sene. qui. 1. Suas. Oceanum vocat *totius orbis vinculum*. Sed hoc iam ex Philostrato. Idem Sen. ita ait: *Sacrum quidem terris natura circumfudit Oceanum*. An verò tellus vniuersa ita mari cingatur, vt sphærica permaneat, quod antiqui Geographi putauerunt: an instar fundæ, vt docet doctiss. Clauius in cap.1. Sph. Sacrobusti, & ante illum Philalteus in Aristot. de Cælo, non est negotij nostri: sed certè posterius hoc verum esse, exploratum nauigantibus est, cùm tellus instar fundæ ad Orientem se latius porrigat, expandátque.

Mare terræ vinculum.

Neptuni etymon.

Oceanus dicitur amnis.

Amnis de Oceano.

Terra an sphærica?

4. ITALIÆ FVGIENTIS] Ita lib.7.

Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.

5. HAC TROIANA TENVS] Potest esse tmesis, pro, hactenus, & sic ego explicui. Sunt tamen, qui putent, nec malè, has omnes voces, *eatenus, nullatenus, quatenus, hactenus*, esse ablatiuos, in quibus subaudiatur *via*, pendeántque ab præpositione *tenus*, vt *hactenus* sit, *hac via tenus*, & sic de aliis, vt mento tenus, &c.

Hactenus, quid sit.

A

6. SANCTISSIMA] Cur? quia vates, & præscia venturi. Illustro loco Athenæi lib. 9. apud quem Nicander in Georgicis brassicam, μάντιν, id est, *vatem* cùm vocet, ipse Athenæus rationem huius rei reddens, ita ait, ὁ Νίκανδρος μάντιν κέκληκε τὴν κράμβην ἱερὰν οὖσαν: *Nicander brassicam, quæ sacra est, vatem appellauit*. Illam autem sacram esse probat testimonio Hipponactis. Sicuti ergo brassica, vates, quòd sacra: potiore iure Sibylla, sacra, quòd vates. Meritò ergo, & suo iure Ouidius:

Brassica vates.

Vates sacri.

Et sacri vates, & Diuûm cura vocamur.

& Ennius poetas *sanctos* appellat.

7. DA] Id est, dic, explicatore Seruio, vt etiam. 1. Ecl.

Do pro dico.

B

Sed tamen iste Deus, quis sit, da Tityre nobis.

Hoc etiam Manutio placet, quem immeritò reprehendit Henr. Stephanus: Manutium defendit acriter Ioan. Meyenus in notis ad Virgilium. Potest etiam vulgariter accipi sententia, da, id est, concede.

8. TVM PHOEBO] Volunt Interpretes, hæc dicta esse in Augusti gratiam, videlicet cum allusione ad templum, quod Augustus Apollini in Palatio dedicauit, de quo Suetonius in Aug. c.29. Mihi non à vero abire videatur, qui dicat, dicta hæc esse in gratiam quidem Augusti, vt dictum est, sed respectu alio, nam videlicet Augustus existimatus est esse Phœbi filius. De quo Suetonius in eius vita cap.94. omitto verba, quia & pluscula, & cuique obuia, & adduco versus Sidonij in Panegyr. de re eadem:

Augustus creditus Phœbi filius.

C

Magnus Alexander, nec non Augustus, habentur
Concepti serpente Deo: Phœbúmque, Iouémque
Diuisêre sibi: namque horum quæsiit vnus
Cyniphia sub sorte patrem maculis genitricis.
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi,
Pæonij iactans Epidauria signa draconis.

9. SOLIDO DE MARMORE] De solo lapide marmore, Germano Tusano interpretibus. Sic in epigr. μονόλιθον, cui nimirum opificio nulla alia adiuncta materia præter marmor.

10. TEMPLA] In Romano & Longobardico codice legi *templum* Pierius testatur. Sed nihil muto ex sententia Interpretum, & præsertim Germani, qui mihi vnus pro multis, qui aiunt allusum ad Apollinem Palatinum, cui templum Augustus excitauit, auctore Suetonio cap. 29. In quo cùm sciamus Dianam non cultam, videtur effici, vt duplex templum intelligatur.

D

Apollo Palatinus.

11. SORTES, ARCANAQVE FATA] Aliqui iterationem agnoscunt, & tam per *sortes*, quàm per *fata arcana* volunt idem dici, videlicet libros Sibyllinos Dissetio, & in Virgilio iterationes nullas agnosco. Vitium hoc ab hoc vate longè. Diuersæ sunt sortes à libris Sibyllinis. Dicam primùm de sortibus, deinde de libris. Erant sortes, taleolæ, aut surculi è ligno, quibus litteræ quædam, aut notæ erant insculptæ ad diuinandum: ipsæ tæniis & vittis quibusdam inuolutæ seruabantur. Arcam, in qua erant, ex olea fuisse Cic. in Diuin. 2 aperit. Harum sortium Plutarchus meminit in vita Marcelli. Adeundus Lipsius lib. 2. Elect. cap.12. vbi ex doctrinæ huius cognitione tres Liuij locos emaculat: itaque de his sortibus Poëtam capio; nam iterationem, quæ vitiosa est, non agnosco. Fauet ratio: nam, cùm Sibylla in foliis arborum soleret vaticinia scribere, visum Poetæ has sortes exhibere, quæ habent magnam similitudinem cum illis foliis. Nam de sortibus istis ait Plutarchus dicto loco, ἐκπίπτειν, & διασπείρεσθαι, *excidisse, & variè fuisse dispersas*: & Liuius, vt Lipsius explicat, tæniis vittisque solutas. Demum lux magna à Glos

Sortes sacræ quid.

E

à Glossis, quæ sic: *sortes*, χρησμοὶ, κλῆροι. Sortes ergo oracula sunt: cur non ergo aliæ à libris Sibyllinis? An, cùm Virgilius dixit. 7. Æn.

Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt,

Non apertè oracula, id est, χρησμοὺς, intellexit? Quo loci nullus respectus ad libros Sibyllinos. ergo, neque hic eò torquendus, præsertim cum vitio. Dixi de sortibus, transeo ad libros Sibyllinos, quos per *fata arcana*, intelligi vult; nam in illis erant fata Romana. Vnde Liuius lib. 42. *ob hæc prodigia libri fatales inspecti*, id est, Sibyllini. Suetonius quoque in Iulio cap. 79. hos libros *fatales* vocat. Poëta autem res Augusti spectauit, de quo in eius vita Suetonius cap. 31. *solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, conditíque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Vides, vt Poëta post mentionem templi Palatini, nam hoc diximus ab illo intelligi, libros Sibyllæ intulerit, qui conditi in eodem templo, vt intelligas ad veras historias allusum. Vti autem hi libri primùm venerint in potestatem Romanorum, docet Agell. lib. 1. cap. 19. quem adi. Tantùm te moneo, quæ ibi Agellius Superbo attribuit, à Suida & Lactantio lib. 1. cap. 6. attribui Tarquinio Prisco. Sed verior procul dubio Agellij sententia, in quam & Plinius lib. 13. c. 13. descendit, & ante omnes Dionys. Hal. lib. 4. Iuuat inscriptio, quæ adhuc est in bibliotheca Vaticana, his verbis: *Tarquinius Superbus libros Sibyllinos tres, alijs à muliere incensis, tandem emit.* Videndus Angelus Rocha in Bibliotheca Vaticana. Pugnant etiam Agellius & Plinius in numero librorum. Prior ait, tres seruatos, cùm sex igni consumpti essent à Sibylla: posterior, vnum tantùm seruatum, cùm duo vsti essent. Agellium iuuat inscriptio illa Vaticana, & Dionysius, à quo Agellius historiam sumpsit.

Sibyllini libri.

12. LECTOSQVE VIROS] Intelligi hic XV. viros, nam hi præpositi erant interpretandis libris Sibyllarum, satis liquidum ex Suetonio in Iulio cap. 79. & Agellio lib. 1. c. 19. & aliis. Omnium testimonia amputaui, quia res clara. Tria hîc monearis. Primum hos XV. viros non solùm præpositos his libris interpretandis, sed etiam rebus aliis, atque auertendæ Deorum iræ. Nam Liuius lib. 1. eos vocat, non solùm *carminum Sibyllæ, & fatorum populi interpretes*, sed etiam *antistites sacri Apollinis, ceremoniarúmque aliarum.* & Horatius in Carm. sæcul.

Quindecim viri sacris præpositi.

Quæque Auentinum tenet, Algidúmque
Quindecim Diana preces virorum
Curet.

Alterum est, variatum in hoc numero, cùm non semper quindecim fuerint. Sanè Tarquinius Rex duumviros primùm instituit: deinde decem fuêre, quorum meminit in Annibalicis Appianus. & Cicero. 1. Diuin. ac tandem XV. sed neque in hoc numero semper perseueratum, nam variè subinde mutatus. Tertium, hos, modò. X. modò XV. fuissent, debuisse esse ex ordine patriciorum. Seruius hîc: *lectos, quia nisi patricij, non fiebant.*

13. FOLIIS TANTVM, &c.] Huius Sibyllæ peculiare fuisse, vt oracula foliis inscriberet, interpretes asserunt, & addunt aliqui, citantes Varronem; huic vsui assumi solita palmarum folia. Sed ego putauerim Poëtam explicandum vel de vsu magiæ, quo incantatriculæ, & veneficæ vtebantur. Cuius moris insignis est locus in Ioanne Chrysost. homil. de mulierib. & pulcritudine, vbi ait: πόρνη τοὺς αὐτῆς καλέσα δαίμονας, καὶ τὰ πέταλα γράψασα, καὶ τὰς ἐπιβουλὰς ἐργασαμένη: *Meretrix inuocans suos dæmones, folia inscribens, insidias struens*, de vsu, qui tum esset heroicis & antiquissimis temporibus, quibus tantùm in foliis arborum scribebatur, nondum papyro inuenta, nondum libris arborum, nondum charta pergamena. Si enim probatos & veriores auctores consulas, inuenies has artes post bellum Troianum, & Æneam inuentas. Lege Plinium lib. 13. cap. 11. Itaque non tam peculiaris mos huius Sibyllæ, quàm omnium mortalium, qui tum viuebant. A quo more vt Sibylla abstineat, Æneas petit, & vult vt loquatur ore; ne folia vento turbentur, & oraculum inane sit: hoc enim solere contingere ipse te vates docet lib. 3. ore Heleni. locum, quia obuius, & longus, omitto. Sed quid si Poëta allusit ista frondium mentione ad veterum morem Græcorum, apud quos suffragia dabantur foliis? Inde Græcis est ἐκφυλλοφορεῖν, id est, *aliquem tribu mouere*, & eiicere ex ordine. Æschines contra Timarchum dixit, βουλὴ ἐκφυλλοφορήσασα, *Senatus frondium suffragio repudians.* Et apud Pollucem lib. 8. ἐκπεφυλλοφορημένος, est *condemnatus.* Ideo verè impensè petit, *ipsa canas, oro.* Quia in summa religione fuit mandare memoriæ quicquid oraculum iussisset, adeo vt dicat interpres Sophoclis in Trachin. ἔθος γὰρ τοὺς χρησμὸν δεχομένους παραχρῆμα γράφειν, ἵνα μὴ λάθωνται: *moris fuit, illico conscribi acceptum oraculum ne memoria excideret.*

Sibyllæ folia.

Suffragia in foliis.

14. CANAS] Verbum vaticinantium. Virg. 3. Æn.

Cano vaticinantium.

Sola mihi casus tales Cassandra canebat:

Ennius. 1. Ann.

Vatésque canebant.

15. FINEM DEDIT ORE LOQVENDI] Ex Lucilio, qui:

Hæc vbi dicta dedit, finem fecit ore loquendi.

Sic legendum ex licentia veterum, qua syllabas corripiebant natura longas, & contrà.

16. ORE] Non est pleonasmus. neque enim ego vllum in Virgilio agnosco. nam in illo quid agnoscam vitium? Ergo ore tacuit, qui animo alioquin anxio esset & sollicito de euentu rei. Hæc sententia ex multis aliis locis, in quibus vnà cum loquela, quæ habetur ore, inducit hic vates varios animi affectus. Loca ista explicui, quoties obuia. Et hîc tantùm abest, vt in vitium redundantiæ incidat, vt Seruius etiam sic interpretetur: *finem dedit ore loquendi. hoc est, definiuit ei, vt ore loqueretur, ne in folijs scriberet.* Itaque Virgilius in suo Ænea repræsentauit, qua maximè ratione deberet Sibylla oracula edere.

[a] At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates: magnum si pectore possit
Excussisse Deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingítque premendo.
[b] Ostia iamq; domus patuêre ingentia centum
Sponte sua, vatisq; ferunt responsa per auras.
[c] O tandem magnis pelagi defuncte periclis,

Sed terra grauiora manent. In regna Lauini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
SED NON & venisse volent. bella, horrida bella,
Et Tibrim multo spumantem sanguine cerno.
[d] Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint: alius Latio iam partus Achilles,
Natus & ipse Dea: nec Teucris addita Iuno
Vsquam aberit, cùm tu supplex in rebus egenis
Quas gentes Italûm, aut quas non oraueris vrbes?
[e] CAVSA MALI TANTI CONIVX iterum hospita Teucris,
EXTERNIQVE iterum thalami.
[f] TVNE CEDE malis: sed contrà audentior ito,
Quàm tua te fortuna sinet. Via prima salutis
(Quod minimè reris) Graiâ pandetur ab vrbe.

ARGVMENTVM.

Furit Sibylla ante oraculum, patent ostia antri, edit illa vaticinium, quo prædicit Æneæ bellum Italiæ, belli causas, firmat illum contra omnem vim, & fortunam.

EXPLICATIO.

[a] ANte vaticinium Sibylla furenter agitur, ac rotatur, vt à se excutiat Apollinem Deum magnum: ille contrà fatigat miseram; premit os, quo edendum oraculum, & corda; illud rabidum, ista efferata: donec Phœbus suo arbitratu, dum premit, fingit in quamcunque rem vult: id est, imbuit rebus, quas sit responsura. B

[b] Donec tandem, præmissis precibus Æneæ, portarum omnium ostia patuêre: idque sponte αὐτομάτως, hoc enim ad oraculum pertinebat: ac tunc audita Sibyllæ responsa.

[c] En oraculum Phœbi, sed Sibyllæ ore. In cuius initio statuitur modus veteribus periculis nauticis, & fiunt minæ nouarum cladium terrestrium. Ergo, defunctus iam es Ænea periculis pelagi, venient Troiani tui in Italiam, noli anxius esse, en modus periculorum nauticorum: sed (ecce tibi minæ) nolles venisse. quare? quia cerno iam oculis bella tua. Omnia hîc sunt ad horrorem; ideo geminat vocem *bella*, & hæc *horrida*. Ideo Tibrim inducit, non rubentem, sed *spumantem*; nec simpliciter *sanguine*, sed *multo*. C

[d] Vt adducat Æneam ad maiorem horrorem, comparat Latinum bellum cum eo quod gestum iam ad Troiam, quódque ipse oculatissimus viderat; vt paria concipiat. Perinde ac si dicat: Vidisti Simoenta & Xanthum cadaueribus plenos? tales tibi erunt Tibris, & Numicius. Pro castris Græcis, erunt tibi castra Italorum: pro Achille, Turnus: & sicut ille filius est Thetidis, ita hic Deæ Veniliæ. Tibi in Troiano bello infesta semper fuit Iuno, neque hîc aberit iisdem minis: quo tempore tu supplex atque egentissimus implorabis opem aliarum gentium, aliarum vrbium.

[e] Occupat per prolepsin. Lauinia causa erit Latini belli, sicut Helena Troiani. In voce *hospita* alludit ad hospitium, quo Helena accepit Paridem. q.d. Lauinia tua hospita, sicut Helena Paridis. *Externi thalami*, id est, sicut Paris abduxit Helenam à Menelao, cui iuncta matrimonio: Ita tu voles Lauiniam ducere desponsam Turno.

A [f] In exitu oraculi Æneam firmat aduersus prædicta mala. Esto audentior contra quàm sinet te tua fortuna; hortatur videlicet, vt omnem superet fortunam, illámque conetur vincere, quamtumuis renitentem & aduersam. Ratio, cur fortis esse debeat, quia in salutem tuam ô Ænea aderunt tibi hostes quondam tui. Aptissima hæc ad omnem admirationem: nam quis crederet Græcos allaturos auxilium Troiano homini? Hîc per Græcos Euandrum intelligit, qui Arcas genere.

NOTÆ.

B 1. AT PHOEBI NONDVM PATIENS, &c.] Imitatur Lucanus. 5. Phars. Virgilium his versibus:

Spumea tunc primùm rabies vesana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tum mœstus vastis vlulatus in antris,
Extremæq; sonant domita iam virgine voces.

Scaliger. 5. Poët. c. 16. Lucanum reprehendit, qui fœminæ *vlulatus* dederit, qui nusquam leguntur. Sed certè *mugitus* legitur, qui satis fuit Lucano ad suam imitationem. Virg. inf. *antróque remugit*. Deinde cum rabie, spumis, & aliis eiusmodi, cur non quadrat vlulatus? Vide verò, vti Sibylla in rabiem efferatur, statim vt antrum attigit. Quadrat locus Heliodori lib. 2. histor. Æthiop. ore Cnemonis: *neque enim me fatidicum* C *hoc antrum effecit, quemadmodum adytum Delphicum: & sicuti iis, qui Trophonij specum subierunt, vsu venire ferunt, vt diuino furore afflati vaticinentur.*

2. NONDVM] Sentit Cuiacius lib. 15. obseruat. c. 5. vacare in Virgilio *dum*, vt pleraque in poëtis ex Græcorum imitatione. Sed dici potest, hîc nullam esse redundantiam, vt neque sæpissimè in ἤδη. — Dum, vacat.

3. BACCHATVR] Nonnulli interpretes constanter referunt hoc verbum ad doctrinam Macrobij, qui Phœbum & Bacchum idem esse numen latè docuit, ac perinde Poëta in re Phœbi confugit ad vocem Bacchi. Non placent isti. Dicam potiùs hoc verbo exprimi omnes pene humanos affectus, & ex hac notione illatum hoc loco. Ita Euripides Cassandram simili furore percitam, βάκχην vocat. Ita Herodianus D de summa lætitia, quæ accepta ex obitu Commodi, ex imperio Pertinacis, δῆμος ἐξεβακχεύετο χαίρων: *populus lætabundus bacchabatur*. Conuulsi verba. Vbi, quis obsecro respectus ad Bacchum simul cum Phœbo? quis in Philostrato lib. 2. Icon. vbi volens exprimere & latratum canum, & clamorem hominum in venatione, — Bacchor ad varios affectus.

tione, de re vtraque dixit ξυμβακχεύειν; Quis in Philone lib. de Temulentia, vbi synonimicè coniungit, μειδιᾷ, ἀνορχεῖται, βεβάκχευται: ridet, exultat, bacchatur? Quis in illis 4. Æn. *Concussam bacchatur fama per vrbem*: & mille aliis? Vel dicam potiùs, hoc verbum significantissimum esse illorum qui afflati sunt numine. Nam Pollux inter voces oraculorum: ἐνθεσιῶν, καὶ κεκινημένος ἐκ θεοῦ, καὶ ἀναβεβακχευμένος: *Afflatus numine, exagitatus à Deo, perbacchans.*

Phœbus cur Magnus.

4. MAGNVM DEVM] Refert Hortensius hoc attributum vel ad celebritatem huius Dei, qui toto orbe oraculis notissimus: vel ad Troianos Penates, qui dicti μεγάλοι θεοὶ, è quorum numero esse putabatur Apollo. Est qui explicet *magnum*, id est, molestum. Possit quispiam referre ad magnitudinem Sibyllæ, vt sit magnus Deus, qui magnam fecerat Sibyllam. excreuerat enim hæc, Deo intus latente, in magnitudinem corporis.

De quo sermo, ad vaticinantes.

5. EXCVSSISSE] Magnus est hic vates etiam in minimis. Incipit ab hoc verbo metaphoram ab equis, & semel arreptæ egregiè insistit. Fingit, Phœbum instar sessoris, premere Sibyllam instar equi. Ergo illa *excutit*, ille *fatigat*, *domat os rabidum*, *premit*, *fingit*. Paraueram loca authorum, quibus probarem has omnes voces dici de equis, sed tibi obuia erunt. Ergo ex hoc præcedente sermone sequitur aptè ille, qui aliquo interuallo,

——ea fræna furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.

Lucanus quoque lib. 5.

——nec verbere solo
Vteris, & stimulos flammasque in viscera mergis.
Accipit & frænos.

Sermo est de maga Phœmonoë. Sed nescias, quo iudicio, Lucanus cum *verbere*, *stimulis*, *frænis* intulit *flammas*. Hoc vnicè notandum in Virgilio, & in præceptore eloquentiæ Tullio, qui, cui metaphoræ semel hærent, eidem insistunt pertinaciter. Itaque, vt redeã ad Virgilium, arreptis ἐνθουσιασμῷ, & fanaticis, mirè congruit sermo equorum. Ita de Cassandra fanatica apud Senecam in Agam. *dum excutiat Deum*: & Tiresias in Oedip. *pectore excuterem Deum*, præclarè, nam equus conatur pectore. Seneca Oedip. de vaticina, *Et pati commota Phœbum*, id est, pati vt sessorem. Non abit verbum Pollucis, qui de arreptis enthusiasmo, dixit, καταληφθῆναι, *abripi*. Sed egregius est locus Plauti, apud quem Menæchmus Sosicles loquens cũ Phœbo, seque amentem fingens, totus est in sermone equorum. Versus sunt:

Multa mihi imperas Apollo: nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos, feroces, atque currum inscendere.
Vt ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum:
Iam ascendo in currum, iam lora teneo, iam stimulum in manu est.
Agite equi, facitote sonitus vngularum appareant
Cursu celeri, facite inflexu sit pedum pernicitas.

Locus hic Plauti nunquam fortasse expensus. Totus est referendus ad arreptos ἐνθουσιασμῷ, vel ex coniunctione Apollinis, cum quo loquitur. Similiter in Mercatore adolescens Charinus furiosus: *Iam in currum conscendi, iam lora in manus cepi meas*. Nam statim amicus, qui aderat, ista subdit: *sanus ne es?* Id genus metaphoræ Aristophanes in Vespis transtulit ad Poëtas.

Et ad res alias.

Οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ᾽ οἰκείων μουσῶν στόμαθ᾽ ἡνιοχήσας:
Flectebat habenas propriæ musæ, non alienæ.

Æschylus in Prometheo ad iratum.

——δακὼν δὲ στόμιον, ὡς νεοζυγὴς
Πῶλος, βιάζῃ, καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ.
——sed morso fræno, tanquam indomitus

A *Pullus retineris, & pugnas contra habenas.*

Aristides ad principes, laudans Antoninum imperatorem: καθάπερ ἵππου χαλεποῦ καὶ βιαίου κατέχοντο ἄγχιστ καὶ ἀπειθὲς, ἐκ θεροῦμενος μὲν ὑπ᾽ αὐτοῦ, πολλάκις δὲ κατέχων, τὰς ἀναχαιτίσεις τὰς συνεχεῖς, καὶ ἀλόγους, τὰς βιαίους ὁρμάς: *Quemadmodum qui ferocis equi atque indomiti, feritatem ac volentiam comprimit: nunc quidem ab illo abripitur, frequentiùs tamen illum cohibet, atque illius impetus frequentes, effrenatos, violentósque coercet*. Plutarchus in opere de virtute morali, ad rationem imperantem cõcupiscẽtiæ. ἄγει δὲ οὐκ ἀλύπως, οὐδὲ πειθομένην, ἀλλὰ πλαγίαν, τὸ ἀντιτείνουσαν δὴ ὑπὸ πληγῆς, τὸ χαλινοῦ καταβιαζόμενος, τὸ ἀνακρέων: *Non sine dolore ac renuentem, quin obluctantem atque obliquè incedentem verbere quatit, & fræno cogit atque coercet*. Et in Amatorio ad Amorem,

B quem vt imperantem hominibus vocat ἐπιστάτην, τὸ ἡνίοχον: *præsidem, & aurigam.*

6. RABIDVM] De eo qui afflatur numine, quíque est ἐν ἐνθουσιασμῷ. Catullus de Atti Cybeles: Rabies de vaticinantibus.

Abit in quiete molli rabidi furor animi.

iterum,

Rabie fera carens, dum breue tempus animus est.

Lucanus quoque in afflata virgine: *rabies vesana*. Calaber de afflata Cassandra lib. 12. λυσσ᾽ ὀλοὴ: *rabies perniciosa*. Sophocles in Antigone ipsam Antigonem inducit λυσσῶσαν, *rabientem*. Non abit datum Cassandræ ab Calabro ἄγριον ἦτορ, *cor efferatum*. Cum hac rabie coniunctum, vt vaticinantes se ipsi percuterent. quò spectat illud Plauti Tuscul. *Num obsecro nam hariolus est, qui ipsus se verberat.*

C 7. FINGIT] Subaudi, os. Ita Plautus Amph. *meúmque os fingit denuo*. Græci στομοῦν. Plato in Cratylo, στόμα πλάττειν: *formare os* Germanus.

8. PATVERE] Ab his oraculis, quæ è terra erumpunt patentibus hiatibus, deducit Plinius lib. 2. ca. 93. occultum aliquod numen fuisse in terra: *fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, vt Delphis nobilissimo oraculo. Quibus in rebus quid possit aliud causæ afferre mortalium quispiam, quàm diffusa per omne naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens?* Explicant ista sententiam Tullij. 1. de Diuinat. quam ego attuli suprà ad Notam illam, *sed pectus anhelum*. Terræ occultum numen.

9. O TANDEM] Vaticinium Sibyllæ ad Æneam habet quoque Tibullus lib. 2. eleg. 5. Lege in illo.

D 10. PELAGI PERICLIS] Non *pelago*, quia postea etiam Æneas nauigauit: sed signatè *pelagi periclis*. quia semper deinceps nauigauit absque periculis.

11. SED TERRA GRAVIORA MANENT] Locus omnino oppositus illi. 1. Æn.

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Et hic verbum *manent* opponitur verbo *defunctæ*: id est, futura pericula, præteritis; & terra, mari.

12. DARDANIDÆ] Præclarè. Non Troës, non Teucri. sed signatè *Dardanidæ*. Nam Dardanus in Italia natus inde discesserat in Phrygiam. Posteri ergo eò redeunt, vnde pater discesserat. Itaque Poëta his nominibus ex ratione vtitur. Ita quoque signatè suprà: *Latio considere Teucros*. non, Troianos, Priamidas, &c. sed verè Teucros, id est, da considere errantes & vagos, & qui originem ducunt à Teucro peregrino, atque hospite. Virgilius nominibus propriis signatè vtitur.

E 13. BELLA HORRIDA, BELLA, CERNO] Hesiod. Theog. ἐν πολέμῳ κρυόεντι. Non abeũt à Poëta versus Petronij inducentis Fortunam loquentem cum Deo inferorum de Romanis bellis:

Cerno equidem gemina iam strictos morte Philippos,
Thessaliæque rogos, & funera gentis Iberæ.
Iam fragor armorum trepidantes personat aures.
Et Libyæ cerno tua Nile gementia castra,
Actiacósque sinus, & Apollinis arma timentes.

In tertio versu substitui *aures*, cùm legatur in Petron. *auras*. In primo fortasse meliùs *gemino Marte*.

Flumina in magnis cladibus sanguinea.

14. ET TIBRIM MVLTO SPVMANTEM SANGVINE] Ita in magnis cladibus. De Troiana hoc in primis celebratum Homero, & aliis. De conflictu Seueri & Nigri Herodian. lib. 3. ait, tantam vtrinque editam stragem, ὡς καὶ τὰ ῥεῖθρα τῶν διὰ τοῦ πεδίου ποταμῶν ῥεόντων αἵματος πλεῖον, ἢ ὕδατος κατάγειν εἰς θάλασσαν, *vt flumina per eam planitiem decurrentia maiore vi sanguinis quàm aquarum in mare se voluerent.*

15. DORICA CASTRA] Putat Seruius hoc verè posse accipi; nam Turnus origine Græcus fuit, iuxta illud,

Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus, Acrisiúsque pater, mediæq; Mycenæ.

Alij detorquent ad Halesium Agamemnonis ex Briseide, aut, vt volunt, ex Clytemnestra, filium, quem dicunt venisse auxilio aduersum Æneam.

Achilles pro hoste Troianorum.

16. ALIVS ACHILLES] Positus Achilles pro hoste, vt 2. Æn. Myrmidones, & Dolopes. Ita Aristopha. Vesp. Μῆδός τις, pro quouis hoste, nam Medi fuerunt hostes Græcorum acerrimi. Notat hoc ibi Scholiastes, cùm ait; Μῆδος ἀντὶ τοῦ ἐχθροῦ. & addit rationem. πολέμιοι γὰρ Ἕλλησιν οὗτοι. Adi quæ ego. 4. Ecl. ad illud:

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

vbi ego latè: & adiunge adhuc positum Achillem pro quouis viro forti. Firmant hoc verba Procopij lib. 1. de Ædificiis Iustiniani, vbi loquens de Iustiniani imagine, ita ait. *equo insidet æreum Regis simulacrum, statuæ persimile, Achillem vocant, propter figuram, quam* A *refert.* Adi locum. Debet gloriam hanc Achilles suo Homero.

17. IPSE] ἐμφατικῶς, parem faciens Turnum Achilli.

Achillis mater quæ.

18. DEA] Opponit Veniliam matrem Turni matri Achillis Thetidi, ex vulgari opinione: aut Caloæ, nam hanc facit matrem Achillis Dæmachus lib. 2. Redituum: aut Philomelæ, vt scribit Staphylus lib. 2. de Thessalia: Tzetzes dixit, illam fuisse Chironis filiam. Monuit Delrius in Senecam, alij etiam.

Additum, pro infesto.

19. ADDITA] Id est, infesta, & veluti affixa, explicatore Macrobio, nam Lucilius lib. 14. Sat.

Si mihi non prætor siet additus, atque agitet me.

20. REBVS EGENIS] Petron. Satyr.

—sed inops, & rebus egenis
Attritus.

B 21. QVAM TVA TE] Aliqui legunt *qua*, cuius lectionis sententia erit, vt obsequatur fortunæ. Prætuli *quàm*, contraria sententia, quam lectionem Seruius sequitur, aliique non pauci. Inuitat etiam locus Taciti. 2. Hist. *fortes, & strenuos, etiam contra fortunam, insistere spei.* Illustrabis versum hunc ab Erasmo, adagio, *palmam ferre.*

Fortuna vna ex Parcis.

22. FORTVNA] Nota obiter, Pausaniam scribere lib. 7. firmaréque ex Pindaro, Fortunam esse vnam Parcarum, eámque potestate sororibus antecellere. Hoc vtcunque firmatur verbo poëtico *fino*, quod ex æquo Fortunæ & Parcis datur. Inde sinistra auguria, auspicia, omina.

23. QVOD MINIME RERIS] Putat Meyenus hinc fluxisse Ouidij imitationem hanc:

—semper tibi pendeat hamus,
Quo minimè reris gurgite, piscis erit.

[a] Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antróque remugit
Obscuris vera inuoluens; ea fræna furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.
[b] Vt primùm cessit furor, & rabida ora quierunt,
Incipit Æneas heros. Non vlla laborum
O Virgo noua mî facies, inopináve surgit:
OMNIA præcepi, atque animo mecum antè peregi.
[c] Vnum oro (quando hîc Inferni ianua Regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)
Ire ad conspectum chari genitoris, & ora
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.
[d] Illum ego per flammas & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medióque ex hoste recepi.
[e] Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagiq; minas, cæliq; ferebat
Inualidus, vires vltra sortémque senectæ.
[f] Quin vt te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. natíque patrísque
Alma, precor, miserere, potes namq; omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Auernis.
[g] Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
Threïcia fretus cithara, fidibúsque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq; reditq; viam toties. Quid Thesea? magnum
Quid memorem Alciden? & mî genus ab Ioue summo.

ARGV

ARGVMENTVM.

Cessat illa ab oraculo, Æneas rem nouam ab ea petit, patris videlicet aspectum, qui iam mortuus. Adducit argumenta, quibus debeat id sibi concedi.

EXPLICATIO.

a Omnia hîc clara. do breues notulas. *canit*, vt quæ fatidica & diuina, & *ambages* propter Apollinem λοξίαν, & has *horrendas*, videlicet Troianis. *remugit antro* ad maiorem terrorem, *obscuris vera inuoluens*, vt solitum in oraculis. Causa harum ambagum, mugituum, obscuritatum, Phœbus est, qui, vt placitum, fræna concutit, torquens furentem fœminam, quò vult: atque stimulos vertit, vt sibi lubitum. Sermo hic ductus est à sessoribus, qui stimulis equos pungunt, non in eodem semper loco, ne obductus callus insensibilitatem afferat: sed vertunt illos, commutántque. Innuitur sanè Sibylla, non vno semper modo, sed variè ab Apolline vexata, rotata, torta.

b Nefas esset loqui Æneam, quamdiu fœmina esset fanatica, ne interpellaret diuinantem: igitur tunc loquitur, cùm furor cessit. Quid verò ille? est verè *heros*, quia nullis terretur, vt apparet in oratione sequenti. Nulli (inquit) mihi labores ô virgo noui sunt, nulli inopinati. quare? quia omnia mecum antè animo cepi. Itaque non bella Italiæ horrorem incutiunt, non fluuij spumantes sanguine, non Achilles alius, non Iuno ipsa.

c Pergit Æneas. Vt scias Virgo quàm liber sim à metu, contingat obsecro infernos adire ad videndum patrem, id te oro, non vt bella Italiæ auertas. Quid ergo orat? *vnum* ex modestia, atque etiam vt negationi locus non sit. Quibus argumentis vtitur? primùm à facili, nam hîc dicitur esse ianua Plutonis, hîc palus Acherusia, quæ efficitur ab refuso Acheronte, quia videlicet Acheron, cùm refunditur ac redundat, lacum efficit. *Ire ad conspectum*, &c. Est hæc summa petitionis.

d Est hoc alterum argumentum ab honesto, huc reduco. quia videlicet à pietate, qua patrem prosequutus fuit, consurgit, hanc petitionem esse honestam. Vide verò vt isti duo versus exspirent miram pietatem. *ego, illum, his humeris* (omnia δεικτικῶς) *eripui*. vnde? à flammis, telis, hostibus.

e Tertium argumentum à necessario, quia necesse est, vt magni labores, quos vicissim pater pro filio passus, hoc nati aduentu recompensentur. Scio alios referre hoc argumentum ad honestatem, sed mecum est Seruius, qui ait: *meritum approbat patris, vt iustum videatur esse desiderium*: ex iustitia autem moralis infertur necessitas. *sors senecta* est, quies, otium.

f Vrget rursus ab honesto, sic puto. alij necessarium inueniunt. Mox preces adiungit ad mouendum, *natique patrisque*, &c. & premit à possibili, omnia tu potes ô Virgo, aliter frustra te his locis præposuisset Hecate Inferorum Dea.

g Aduocat exempla ab Orpheo, Polluce, Theseo, Hercule, vt inducat facti possibilitatem. Hæc, quia longiora, explicabo in Notis. Veteres *mi* dixerunt, pro, mihi. Inde *min*, pro, mihine? qua vocula vsus Persius. 1. Satyr.

NOTÆ.

1. HORRENDAS] Ita Pindar. Od. 4. Pyth. χρυσέων μαντεῦμα: *horrendum vaticinium*.

A 2. AMBAGES] Ab hac vaticiniorum ambiguitate dictus est Apollo λοξίας. & Cassandra fatidica in epigramm. λοξοτρόχις. Sophocles Sphingem vocat ποικιλῳδὸν: *variè canentem*. Tiresiam quoque loquentem inducit, αἰνικτὰ κἀσαφῆ: *ænigmatica & obscura*. Æschylus in Prometh. χρησμοὺς, *oracula*, vocat αἰολοστόμους, ἀσήμως δυσκρίτως τ' εἰρημένους, quòd varia sint & difficillimè percipiantur, dicantúrque cum ambagibus. Plutarchus in opere de Pythiæ oraculis, his attribuit περιφράσεις, σκιὰν, ὑπόνοιαν, ἀμφιλογίαν, περιγωγὴν, λοξότητα, ἀσάφειαν, μυχὸν, ex Sophocle etiam αἰνικτῆρα: *periphrases, vmbram, verba plena suspectus, ambiguitatem, circuitionem, obliquitatem, obscuritatem, tenebras, ænigmata*. Philostratus lib. 1. de vitis Sophist. ait, Apollinem loqui ὥσπερ σοφιστοῦ, *instar sophistæ*. Accinit Nazianzenus orat. 39. qui τρίποδος Δελφικοῦ σοφίσματα. Tacitus. 2. Ann. *Germanico per ambages, vt mos est oraculis, maturum exitium cecinisse*. Arnobius. 3. insultans gentibus: *Diuinationis scientiam largitur hariolantibus Pythius: & cur obliquata, & dubia? cur obscuritatibus submersa caligine dat sæpius, submonstrátque omnia responsa?* Tullius. 2. Diuinat. hæc oracula vocat *falsa, casu vera, flexiloqua, obscura*. Abstineo ab integro loco. Sed notat Sholiastes Aristophanis in Plutum Apollinem dici quoque posse λοξίαν cum respectu ad obliquos flexus, quibus cælum percurrit. Verba eius sunt. ἢ τῷ λοξὴν πορείαν ποιουμένῳ. præcessit quippe, Ἀπόλλωνι. — *Oracula ambigua.*

3. OBSCVRIS VERA INVOLVENS] Potuit imitari Homerum, qui,

—ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα:
—*mendacia multa proferens veris similia.*

& Euripidem, qui in Oreste,

Καλοῖς κακοὺς λόγους ἑλίσσων:
Bonis malos sermones inuoluens.

Lucanus quoque lib. 5.

—*flexa sic omnia Tuscus*
Inuoluens multáque tegens ambage canebat.

4. FACIES] Laboribus dat faciem, vt infrà sceleribus. & Cic. *faciem honesti, faciem ciuitatis*. Alij amorum, rerum, consilij, agri faciem, dixerunt. Nota hæc Interpretum est. — *Facies, polysemum.*

5. OMNIA PRÆCEPI] Volunt Interpretes dici hoc ex Stoïcorum doctrina, qui dicebant, sapientem omnino debere animo excubare, vt nihil omnino improuisum sibi accidat; sed omnia priùs tanquam ex specula præuiderit, & prouiderit. Muretus lib. 5. Var. c. 12. adducit locum ex Æschylo, ad quem videri possit Poëta contendisse. Ait Prometheus: — *Stoïcorum doctrina.*

Καί τοι τί φημι; πάντα προὐξεπίσταμαι
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον
Πῆμ' οὐδὲν ἥξει:
Sed quid hæc dico? omnia prænosco
Optimè quæ sunt futura, nec mihi improuisum
Malum vllum eueniet.

Alludit quippe Prometheus ad nomen suum. Tale illud Senecæ in Hippol.

Ne metue clades fortiter fari asperas,
Non imparatum pectus ærumnis gero.

& Terentij in Phormione: *Meditata sunt mihi omnia mea incommoda*. & post pauca: *Horum nihil quicquam accidet animo nouum*. Hæc in Interpretibus sunt, ex quorum mente ego ista: nam mihi verisimilius est, Poëtam non tam ad Stoïcorum doctrinam contendisse, quàm ad Heleni monita, quæ habentur lib. 3. Æn. Sed locum istum de malis præoccupandis, vt leniora sint, cùm veniant, satis illustraui lib. 2. Æn.

6. QVANDO HIC INFERNI IANVA REGIS] Placet mihi commentatio Meyeni, Poëtam aspirasse ad Homericam necyomantiam, nam illa facta creditur apud Cumas, cùm Homericarum rerum multa ibi exstent

exstent vestigia: cuiusmodi sunt, Styx, Acherusia palus, Acheron, aquæ calidæ vice Pyriphlegethontis, multa occulta & subterranea loca, varios meatus exitúsque habentia.

Acherusia palus.

7. Tenebrosa palvs Acheronte refvso] Paludem, quam efficit Acheron suo refusu, Suidas vocat Ἀχερουσίαν λίμνην, quod accepit, credo, à Platone in Phædone: cuius hæc sunt: *At contrà è regione huius fluit Acheron, qui per alia loca deserta labitur, atque sub terram occultatus* εἰς τὴν λίμνην τὴν Ἀχερουσιάδα ἀφικνεῖται, *in Acherusiam paludem ingreditur, quò multæ mortuorum animæ perueniunt.* Strabo autem lib.8. non ingredi in hanc paludem, sed ex illa egredi, testatur. Interpretes aliqui paludem capiunt pro Auerno lacu, quem aiunt effici ex æstuariis Acherontis.

8. Sacra ostia] An exsecranda? vt multis placet. B Non puto. Sed Diti sacra. Quicquid enim Ditis est, sacrum illi esse dicitur.

9. Eripvi his hvmeris] Lege integra 2. Æneidos, & adiice Iambicos Sophoclis ex fabula Laocoōte, quos citat Dionys. lib.1. Antiq. ore Interpretis:

Nunc ad portas Æneas Deæ filius
Adest, humeris patrem ferens, &c.

Ex medio igne eripere, adag.

Adiice etiam veterum parœmiam, quæ nata videtur ex facto Æneæ, ἐκ μέσου φασὶ πυρὸς σώζειν: *ex medio, quod aiunt, igne eripere.* Ea vtitur Aristides in laude Apellæ. Illud *recepi ex hoste*, illustrat Passerat. in Prop. lib.4. Est enim recipere, quasi vindicare, & liberare. Ita Ouid. 5. Fast. *Agnorunt signa recepta suos.* Prop. Alciden *terra recepta vocat*, id est, liberata. Ergo, *recepi ex medio hoste*, erit, liberaui.

Minæ de aquis.

10. Pelagiqve minas] Quintilian. declam. 258. *inter fluctus, & turbati maris minas.* Arator poëta lib.2. *Non pelagi caliq; minas.* Pari aura Propertius, *Nili minas* dixit lib.3. eleg.11.

Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

11. Qvin vt te svpplex peterem, &c.] Hoc argumētum ad necessitatem contrudunt aliqui, cum respectu ad ea, quæ scripta sunt lib.5. & quia hîc *mandata* dicuntur, quibus vt filius pareat necesse est. Ego ad honestatem traduco, quia mandata non eam vim inferunt, quam præcepta; imo sæpissime continent mandata rationem beneuolentiæ & obsequij. Cic. ad Q. Frat. *tua mādata persequor diligenter.* Absit vt Quintus Marco præciperet seniori. Itaque bene coniunxit Poëta *orans mandata dabat.* Præterea, quî poterat pater filio præcipere, vt adiret infernos, quod in filij potestate situm nō erat? scio hoc extremum posse eludi.

Mandatum, quid.

12. Tva limina adirem] Interpretes synecdochen intelligunt, & partem pro toto: ego propriè accipio, & morem agnosco, ex cuius ignoratione multa huius libri loca adhuc sunt in tenebris. Ad rem. Sciēdum, qui oracula adibat, solere in limine ipso consistere religionis causa; Sibyllam tantùm interiora templi penetrare, vt ederet vaticinia. Inde hic, *vt tua limina adirem.* & suprà signanter,

Consultor oraculorum in limine resistebat.

Ventum erat ad limen, cùm virgo poscere fata.

& statim clariùs,

—cui talia fanti
Ante fores subito non vultus, non color vnus, &c.

Sibylla in interiore parte erat.

Ac tunc admonet Æneam, vt preces fundat, quas cùm ille funderet, Sibylla interim se ad secreta recepit, nam subditur, post preces Æneæ,

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates.

& iterum:

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antróque remugit.

Canit (inquam) ambages ex adyto & antro, his qui essent exteriùs, nimirum in limine, & ad fores. Inde infrà signanter dicitur:

Dum consulta petis, nostróque in limine pendes.

Eundem morem agnosco apertissimè ex Lucano, apud quem lib.5. Phœmonoë non vult oraculum adire, & resistit in foribus. versus sunt:

Hærentem dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit: illa pauens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit.

Sed accedunt minæ, vt ingrediatur;

—nobis meritas dabis impia pœnas,
Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris.

Illa itaque coacta minis,

—tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisq; adducta cauernis
Hæsit, & insuetum concepit pectore numen.

Quo peracto, ac reddito iam responso, ab adytis prosiluit,

—tunc pectore vatis
Impactæ cessere fores, exclusaq; templis
Prosiluit, perstat rabies, nec cuncta locuta est.

Istis affinia admodum sunt verba Plutarchi de defectu oracul. apud quem Pythias vaticinatura, κατέβη εἰς τὸ μαντεῖον: *descendit ad locum vaticinij.* vbi vexata à Deo redit πρὸς τὴν ἔξοδον, *ad exitum.* Ibi ἔρριψεν ἑαυτήν: *se in terram proiecit,* quam cùm viderunt consultores, fugerunt inde præ metu. Vides, vt consultores viderint affectam, postquam exiit, non antè, diuersus ergo illorum locus, & Pythiadis. Eodem libro, apertè hoc indicans, ait, εἰσάγουσι τὴν πυθίαν: *ducunt Pythiam intro.* Demum ille discriminat οἶκον & ἄδυτον: dans οἶκον C consultoribus, ἄδυτον Sibyllæ. Sed quid per οἶκον velit, nō satis cœpi, nisi intelligat partem reliquam ab adyto. Non abludit Herodotus lib.1. apud quem missi ab Crœso, qui oraculum consulerent, iubentur deponere vincula ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν, *ad limen templi.* quasi ibi accepturi quoque responsum. Ad hunc morem pertinet illud 2. Æn.

Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat.

Vbi *adytis* non otiosè dicitur. Cùm igitur Virgilius, & Lucanus toties limen & fores nominent, de eo qui responsum petit: adytum verò & antrum, de eo qui dat; necessariò debemus locum vtrique diuersum constituere: atque adeo in adductis Poëtæ locis non D aptè ad tropum confugitur. Similiter 3. Æn.

—méque ad tua limina Phœbe
Ipse manu multo suspensum numine ducit.

Vt videlicet Æneas resisteret in limine, cùm Helenus ingrederetur adyta editurus oraculum. & de Phœbade ait Seneca in Oed. contigisse specum, indicans latentem locum.

13. Hecate] Adi Lilium, & Natalem lib.3. c.15. Quid illis addam ad cognitionem huius Deæ, nihil habeo.

14. Si potvit Manes, &c.] Explicabo hîc argumentum vatis. Ab Orpheo ita vrget. Si potuit Orpheus, quod maius est, nimirum non solùm adire inferos, sed inde coniugem reuocare (nam hoc est, manes arcessere) cur mihi non detur patrem adire? Dispar enim est causa, nam multo est minus velle patrem videre. Circumstantiæ quoque argumento vim addunt, E nam ille fretus cithara, ego pietate permotus. & hoc iam est à minore ad maius. Atque adeo hîc duplex est locus comparationis. Transeo ad Pollucem, si tibi priùs in memoriam reuocem imitationem Statij, in epicedio patris lib.5. Syluar. hærens enim huic Maronis loco, cupiens patrem mortuum videre, ita ait:

Si Chelyn Odrysiam pigro transmisit Auerno
Causa minor; si Thessalicis Admetus in oris
Sylua vna tetra Phylaccidaret ulit vmbram:
Cur nihil exoret genitor Chelys aut tua manes?

Aut

Aut mea? fas mihi sit patrios contingere vultus,
Fas iunxisse manus, & lex quæcunque sequatur.

Castorum fabulosa natiuitas.

15. SI FRATREM POLLVX] Dicunt fabulæ, Iouem specie cycni cubuisse cum Leda, & eadem nocte cum eadem Tyndareum coniugem. Illa ex Ioue Pollucem, ex Tyndareo enixa est Castorem. Hinc Pollux immortalis, Castor mortalis: sed factum Pollucis precibus, vt suam diuinitatem cõmunicaret cum Castore alternis annis (alij, diebus,) inde est, vt alternatim in cælis & inferis vterque versari olim sit existimatus. Igitur, Pollux *it reditque eandem viam*, est, loca iam cælorum, iam inferorum permutat fraterna fretus pietate. Aliqui hîc recurrunt ad sermonem stellarum. possunt. Sed mihi in re fabulosa satis aliquid eligere. Adeundus Pindarus Od. 10. Nem. Hyginus in fabulis. Apollodorus de origine Deorum lib. 3. Plutarchus de fraterno amore, vbi de horum philadelphia. & in Ἐλ. Tatianus Assyrius orat. contra Græcos. Iam ad rem. Dispar (inquit Æneas) mea est caussa. Pollux sæpe idem beneficij genus accipit: ego hoc beneficij genus semel tantùm (est hoc à maiore ad minus) dari mihi volo: ille pro salute fratris (iã hoc est à minore ad maius) ego pro patre anxius sum. Virgiliana porro locutio *alterna morte*, sumpta est vel à Pindaro, Od. 10. Nem.

μεταμειβόμενοι δ' ἐναλ-
λὰξ, ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Διὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γ. &c.

Alternantes autem vicißim vno quidem die apud Iouem patrem charum degunt, vno autem sub latebris terræ. Vel ab Homero Odyss. 11.

Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
Τεθνᾶσιν:

Interdum quidem viuũt alternis diebus, interdum rursus Moriuntur.

A Illud, *itque reditque viam*, æmulatur Martial. lib. 6.
Et Capitolinas itque reditque vias.

Ex natalibus, quos initio attuli, Castoris & Pollucis, natum credo, vt Æcastor vsurpetur à fœminis frequentius Pol; & Ædepol à viris, obtinente hanc prærogatiuam filio Iouis. Apud Terentium *Peracastor scitus puer natus est Pamphilo.* Apud Plautum Pœnulo Agorastocles adolescens, *Deos quoque Ædepol & amo, & metuo.* & statim Adelphasium meretrix. *Æcastor cùm ornatum aspicio nostrum ambarum.* Scio hæc interdum commutari, sed quæ dixi, frequentiora sunt.

Æcastor fœminæ. Pol, & Ædepol viri.

16. QVID THESEA? &c.] De Theseo & Hercule diuersum quoque est multo. Nam Theseus adiuit inferos, vt Proserpinam; Hercules, vt Cerberum ad superos reuocarent: illi ergo prædones, ego pius. In his B variant fabulæ: sed Virgilius infrà, quas ego assignaui, caussas adducit, illis versibus:
Tartareum ille manu, &c.

17. ET MI GENVS AB IOVE SVMMO] Quia filius Veneris, quæ Ionis filia. Sed dici potest non insipidè, dictum hoc opinione illorum temporum, in quibus viri virtute, aut sapientia præstantes, exsistere ab Deo dicebantur. Pindarus Od. 9. Olymp.

——— ἀγαθοὶ δὲ
Σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες
Ἐγένοντο:

Quotquot viri sunt strenui & sapientes, exstitêre à Deo. Id adeo magis verum apparet, nam hunc locum Maro videtur adumbrare à Pindaro: nam, quemadmodum C hîc Æneas ex aliorum successu argumentum ad se trahit; qui, sicuti illi, genus ex cælo referebat: sic ibi Pindarus, vt probet Epharmostum palæstritam ex Deo exsistere, exemplo quoque Herculis probat.

Viri præstãtes à Deo.

[a] Talibus orabat dictis, arásque tenebat:
[b] Tum sic orsa loqui vates: Sate sanguine Diuûm
Tros Anchisiade, FACILIS descensus Auerni:
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
SED REVOCARE gradum, superásque euadere ad auras,
HOC opus, hic labor est. PAVCI, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuêre. tenent media omnia syluæ,
Cocytúsque sinu labens circumfluit atro.
[c] Quòd si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & INSANO iuuat indulgere labori:
Accipe quæ peragenda priùs.

ARGVMENTVM.

Obiicit Sibylla difficultates, vt inferni adeantur.

EXPLICATIO.

[a] Ex more sacrorum, quo Deos precaturi aras tenebant.

[b] Sequitur sermo Sibyllæ ad Æneam, quo docet, descensum ad inferos esse perfacilem, reditum perdifficilem. Ratio primi, quia semper patet Plutonis ianua. Ratio secũdi duplex est; prima ab paucitate eorũ, qui redierunt; altera, ab loci difficultate. Ergo, redierunt pauci heroes (nam hoc est, pauci Diis geniti) neque satis fuit esse heroes, sed etiam vt à Ioue amarentur, & vt ipsi virtute prestarẽt. Loci difficultas magna D est, ab sylvis, quæ viam impediunt; ab Cocyto, qui loca inferorum circumfluit. Peculiaria in Notis.

[c] Quasi dicat: Quòd si tibi tantus est amor, potiùs cupido, potiùs insania (vide miram αὔξησιν) videndi inferos, audi, &c. Dicit *bis* cum respectu ad descensum & reditum, vt vult Hortensius, quod non probo. Vel, iuxta omnes fere, nunc, & iterum post mortem. In isto orationis apparatu, *Stygios lacus, nigra tartara, labori insano,* tacitè & tanquam aliud agens amplificat Sibylla beneficium, quod collatura erga Æneam, enumeratis difficultatibus viæ.

NOTÆ.

1. ARASQVE TENEBAT] Solet hic vates occultè alludere ad vocũ etymologias. Aræ dictę sũt, auctore

 Varro

Varrone, quasi ansæ, quòd tenerentur. Signatè itaque A tenebat. & Seruius lib. 4. Æn. *veteres asas dicebant, postea immutata littera, S, in, R, aras dixerunt: sicut Valesios, Valerios; Fusios, Furios, quod Varro libro quinto rerum diuinarum plenius narrat.* Sic Varro idem lib. 6. Ling. Lat. *Plusima, asena, Casmena,* pro, *plurima, arena, Carmena,* vnde postea dicta carmina. Cæterùm, obseruatum fuit à veteribus, vt aras tenerent, dum precarentur, quod admonet Briss. 1. Form. non solùm in sacrificio, & iusiurando, quod alibi dico. Plautus Rud.

Aras tenebãt qui precabantur.

Venus alma ambæ te obsecramus
Aram amplexantes hanc tuam.

Ibidem: *Tene aram hanc. teneo.* Apud Apuleium lib. 6. Psyche, Iunonem deprecans, aram amplectitur. Ex hoc more Ouid. 1. Am.

Tange precor mensam, tangunt quo more precantes. B

Ex eodem Arnob. lib. 6. *Ita enim non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas & genas contingitis, & contrectatis orantes.*

2. Facilis descensvs Averni] Seneca in Furen. pluribus:

Nec ire labor est; ipsa deducit via.
Vt sæpe puppes æstus inuitas rapit:
Sic pronus aër vrget, atque auidum Chaos:
Gradúmque retro flectere haud vnquam sinunt
Vmbræ tenaces.

In Græco epigr.

Εἰς Ἀΐδην πάντεσσι καταίβασις.

Noctes diésque adag.

3. Noctes atqve dies] Aduertit Passeratius hanc esse formam adagij. vt in Propertio lib. 1. eleg. 8.

Siue dies, seu nox venerit, illa mea est. C

Tale illud Horatij,

———*nec tibi vespero*
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.

& Virgilij 4. G.

Te veniente die, te decedente canebat.

Inferni iter irremeabile.

4. Sed revocare gradvm] De hac sententia digna, quæ hæreat, ita Anacreon:

Ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς
Μυχὸς, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτὸν
Κάθοδος.

Est formidanda Ditis spelunca, & in hanc grauis ingressus, nam ascensus patere nunquam potest illi, qui semel descendit. Citantur ab Stobæo in tractatu de amentia, verba quæpiam, quæ pertinent ad hanc sententiam, quæ in D eo lege. Philetas Coüs:

———ἀτραπὸν εἰς Ἀΐδεω ἤνυσα
Τὴν οὔπω τὶς ἐναντίον ἦλθε ὁδίτης.

Iter feci ad inferos, per quod nullus retro viator rediit. Oppian. 4. Hal. ἀνέκδυτον Ἀΐδος εὐνὴν: *irremeabile inferni cubile.* Euripid. Alcestid.

———οὐ γὰρ ἀνάξεις ποτ' ἔνερθεν
Κλαίων τοὺς φθιμένους ἄνω.

Non enim reduces vnquam ab inferis flendo defunctos ad superos. Calaber lib. 3. de Platone, ἀνόστητε dixit, vt qui irremeabilis. & Theocritus Acherontem vocat ἀνέξοδον, sine exitu. Huc pertinet, quod scribit Pausanias lib. 5. insigne Plutonis esse clauem, & huius rei significatum esse, quòd nemo habeat ἐπάνοδον, *regressum.* E inde Seneca Hippol.

Plutonis claues.

—*non vnquam amplius*
Conuexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.

& in Oetæo,

Vnde non vnquam remeauit vllus.

& in Furente.

Audax ire vias irremeabiles.

Non alia mente dixit idem in Hippol. signans Ditem,

Regni tenacis dominus.

Vt & Nonus lib. 30. Dion. ἀνοστήτοιο βερέθρου; nã barathrũ irremeabile. Aristides orat. 3. sacror. serm. loquens de inferno ἀστρεφέεσσι πύλῃσιν: *irremeabilibus portis.* Cyrillus Alex. in Ionam prophetam: ἀφικέσθαι τὸν ᾅδην, ὅθεν οὐκ ἂν ἐξοίχοιτό τις: *Peruenire ad infernum, vnde nemo exiuerit.* Propertius lib. 4. eleg. 12.

Cùm semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.

Catullus:

Illuc vnde negant redire quenquam.

Cuius verba habuit ante oculos Seneca in ἀποκ. *Cyllenius illum obtorto collo trahit è cælo ad inferos, vnde negant redire quenquam.* Sicut Virgilij, Tertullianus lib. 1. aduersus Marcion.

Sed reuocate pedem sæui latronis ab antro.

Horatius lib. 4. Carm. Od. 7. ita dilatat sententiam istam:

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria;
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere charo
Vincula Pirithoo.

5. Qvos æqvvs amavit Ivppiter] Tale quid Pind. 1. Pyth.

Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεύς.

at quæ non amat Iuppiter.

Plinius epist. 2. lib. 1. prouerbialiter: *vim tantorum verborum pauci quos æquus amauit Iuppiter, assequi possunt.* Adagium.
Sic legit ex m. s. Claudius Minos. & inde elicit formam prouerbialem. Epithetum Iouis Statius arripuit. 2. Theb.

—*manibus permittere gentes*
Iuppiter æque velis.

6. Tenent media omnia sylvæ] Ideo Hesiod. Theog. τάρταρα ἠερόεντα: *tartari opaci.* & præcesserat de hoc tractu γῆς δνοφερῆς: *terræ tenebrosæ.* & postea, βένθεα ἀΐδνα: *cauitates opacas.* iterum comparans opacitates istas cum nubibus, ait, οἰκία δεινὰ, νεφέλῃς κεκαλυμμένα κυανέῃσι: *domus horribiles, nubibus nigris obtecta.* Conuulsa ista sunt. Pulcra est Valerij Flacci descriptio lib. 3.

Sylvæ inferorum.

Stant tacitæ frondes, immotaque sylua comanti
Horret verna iugo, specus vmbrarúmque meatus
Subter, & Oceani præceps fragor, aruaque nigro
Vasta metu.

Pari nota Seneca in Furen.

Horrent opaca fronde nigrantes comæ.

& de via inferorum:

Tristis, & sylua metuenda nigra.

iterum: *cuncta mœrore horrida.* Plutarchus, de superstitione, ponit in aditu inferorum σκότος πολυφανὲς. & in opusculo de littera Delphorum, discriminans Phœbum à Plutone, huic notas omnes dat ab tenebris, Ἀϊδωνεὺς, σκότιος, νυκτὸς κοίρανος, &c.

7. Sinv] Sinum efficit fluuius cùm constringitur intra littora curuata, dicitur sic ad similitudinem humani sinus in corpore hominum. Sinus in fluuiis.

8. Circvmflvit] Testatur Pierius, in omnibus antiquis exemplaribus vnanimo consensu legi *circumuenit.* Idem affirmat Gifanius, additque hanc vocem fuisse Cæsari familiarem, iudicatque reponendam.

9. Atro] κωκύω, est fleo: κωκυτὸς, fletus, inde Cocytus totus flebilis. bene ergo ater. Cocytus vnde dictus.

10. Bis]

10. Bis] Explicatio, quam prætuli, innititur istis Homericis Odyss. 12.

Σχέτλιοι, οἳ ζώοντες ὑπήλθετε δῶμ' Ἀΐδαο,
Δισθανέες, ὅτε τ' ἄλλοι ἅπαξ θνήσκουσ' ἄνθρωποι:
Miseri, qui viuentes subijstis domum Plutonis
Bis mortui, cùm alij semel dumtaxat moriantur homines.

11. Nigra] Sæpe Homerus τάρταρον ἠερόεντα. Hîc multi metalepsin agnoscunt, nigrore enim profunditas innuitur.

12. Insano ivvat indvlgere labori] Eadem verba habentur ad calcem. 2. Æn. in vtroque loco *insanus labor* esse potest magnus & vehemẽs labor. Cuius acceptionis causam Varro explicat lib. 6. Ling. Lat. Nam quia insani omnia faciunt vehementer, *insanè* pro vehementer ponitur. Insanus labor, pro magno.

[a] Latet arbore opaca
Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbræ.
[b] Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus:
Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit: primo auulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
[c] Ergo altè vestiga oculis, & rite repertum
Carpe manu. namque ipse volens facilísque sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.
[d] Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totámque incestat funere classem,
Dum consulta petis, nostroq; in limine pendes:
Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulcro.
[e] Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis,
Aspicies. dixit, pressoq; obmutuit ore.

ARGVMENTVM.

Sed ita obiicit, vt viam aperiat, qua poßit rem istam consequi, explicans doctrinam rami aurei. Admonet illum de obitu socij cuiusdam; docet quæ sacra debeant præcedere descensum inferorum.

EXPLICATIO.

a Sermonem de his, quæ sunt peragenda ab adeuntibus loca inferorum, præcedit cognitio rami aurei. Ergo *latet*, &c. sententia est. Latere in opaca quapiam arbore ramum vnum, qui aureus est & foliis & vimine, húncque sacrum esse Proserpinæ: quod ex decoro fingitur, nam aureus debet esse ramus, qui sacer est coniugi Ditis patris diuitiarum. & quia hic ramus totus pretiosus, ideo non solùm latet in sua arbore, sed vnum tegit vniuersus lucus; imò claudunt vmbræ, quæ sunt in conualle obscura. Itaque vnus ramusculus latet, tegitur, clauditur (vide αὔξησιν ab sua arbore, ab vniuerso luco, ab horrentissimis vmbris.

b Sequitur lex seruanda. Potest nemo ire sub operta Telluris, penetraréque infernos, nisi priùs ramum istum decerpserit, & Proserpinæ, ex huius Deæ instituto, obtulerit: nam pulcherrima pulcherrimo dono delectatur. Est verò rami huius ea natura, vt illo auulso, alter statim nascatur, & simili metallo frondescat ac progerminet.

c Docet iam Æneam, quæ priùs peragenda: videlicet, vt oculis diligenter circumspiciat lucum, donec ramum istum reperiat, repertum carpat manu, & rite carpat, nam scilicet euellendus ille ex ritu & more sacrorum. Sed cur carpendus manu? nam si volunt fata adiri inferos, statim ille facillimè sequetur: aliter nec vllis viribus, nec ferro poterit euelli.

d Transitio ad casum Miseni. Vbi pathetica omnia. Nam quem ista non moueant? *Iacet corpus*, & hoc *exanime*, & hoc *amici*. vbi exclamatio *heu nescis*, auget affectum. Quid præterea? *incestat*, en verbum religionis, id est, polluit totam classem. Sanè incestata domus & polluta putabatur, in qua esset mortuus, nisi piacula accederent. Ergo, *refer* illum *suis sedibus*, id est, sepulturæ (est enim sepultura, propria sedes defunctorum) nec solùm refer, sed conde in sepulcro, id est, terram iniice. Pendere hîc est, esse sollicitum.

e Non hoc de Miseno capiendum, quantumuis tibi lector videatur, sed de sacrificio Deorum Manium, quod vltimo loco peragitur ad adeundos inferos. Ideo sequitur, *sic demum*, &c. perinde ac si dicat: si tria peregeris, quæ præcepi, adibis inferos, non aliter. Videlicet, si ramum carpseris, Misenum tumulaueris, nigras pecudes duxeris Diis Manibus. His pronuntiatis obmutuit presso ore, quasi à Phœbo non plura loqui permitteretur.

Notæ.

1. Latet arbore, &c.] In explicanda hac rami aurei fictione insistam interpretibus. Ferunt, arborem, quam hîc celebrat Maro, fuisse in nemore Aricino Dianæ sacro, cui luco & templo præerat Aurei Rami doctrina.

Nemorensis Rex.

præerat sacerdos, dictus etiam Rex Nemorensis, conditione fugitiuus: dabatur autem fugitiuo cuius potestas decertandi monomachia cum prædicto Rege & sacerdote, si inde tamen ramum potuisset auferre; ac, si tum Regem vicisset, ipse præerat & luco, & templo, donec inde ab altero turbabatur successu simili. Hic Rex fugitiuus erat, ad indicandam originem templi huius & sacrorum, nam videlicet Orestes fuga elapsus ex Taurica Chersoneso, rapto Dianæ simulacro, quod Ariciæ locauit. Hanc igitur siue fabulam, siue historiam ad inferos Poëta transtulit, addens suo more, quæ sibi visa opportuniora: videlicet, ramum esse aureum; facilè euelli, si fata vellent; aliter, non posse; sacrum esse Proserpinæ, quia hæc Dea eadem putata est cum Diana. Hanc fabulam latè Ouidius in Fastis narrat. Claudianus Maronem æmulatur, in hac arbore describenda. 2. Rap. B

Est etiam lucis arbor prædiues opacis,
Fulgentes viridi ramos curuata metallo.
Hæc tibi sacra datur, fortunatúmque tenebis
Autumnum, & fuluis semper ditabere pomis.

Loquitur videlicet Pluto ad Proserpinam, eam consolans. Lege quæ de hac arbore symbolicè adducit Antonius Riccardus ex Augustino Ferentillo, & ex Iulio Camillo.

Iuno Inferna.

2. IVNONI INFERNÆ] Pari circumflexione Statius,

—Stygiaq́; seueros
Iunonis thalamos.

idem:

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno. C

& Silius:

——comites Iunonis Auernæ.

3. TELLVRIS OPERTA] Cùm sententia sit, neminem posse subtus terram penetrare, nisi priùs ramum aureum decerpserit, quærit M. Antonius Muretus lib. 14. Var. c. 2. Cur Poëta conceperit sententiam his verbis, *Telluris operta*. & ait, allusum ad morem & sacrum Telluris Deæ. Dea Tellus, & Dea Bona idem esse numen vel ex Macrobio constat; vbi autem Bonæ Deæ sacrum fiebat, locus (inquam) ille dicebatur *opertum*. Cic. 1. ad Attic. *Quasi in operto dicas fuisse*. & in Paradox. *vt si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exulares.* Addo, hanc videri Virgilij mentem ex Ausonio, qui non sine allusione ad rem sacram, dixit in epist. ad Paulum: *Peruincis tandem, & operta Musarum mearum; quæ initiorum velabat obscuritas, quanquam non profanus, irrumpis Paule charißime.* & iterum in ecl. D

Bonæ Deæ sacra.

Nunc & Apollineos Tiberina per ostia ludos,
Et Megalesiaca matris operta loquar.

Opertanea sacra. **Tellus inter Deos.**

Plinius quoque lib. 10. c. 56. huius Deæ sacra *opertanea*, vocat. Et quidem Tellurem veteribus connumeratam inter Deos satis clarè docet Plutarchus opere de Luna; cùm ait: *At verò Terræ nomen nemini non Græcorum habetur charum, ac venerabile; auitúmque nobis est illam*, ὥσπερ ἄλλον τινὰ θεὸν σέβεσθαι, *vt quempiam alium Deorum colere*. Ad Virgilium allusisse credendus Prudentius, cùm in Apoth. dixit:

—chaos intret opertum.

& Statius. 4. Theb. vbi de sacro inferorum loquens ore Tiresiæ, E

—ipse etiam melior cùm sanguis opertas
Inspexi sedes, Hecate ducente.

Opertus Deus pro Plutone.

Silius lib. 13. Plutonem ita περιφράζει, *Operto Regi*. Vt & Lucanus lib. 6.

Nosse domos Stygias arcanáque Ditis Operti.

Iaceo de cadauere.

4. IACET] Vox cadauerum. Sophocl. in Elect. θανὼν ἔκεισο: *mortuus iaceres*. Notanda periphrasis: *corpus exanimum iacet*, pro, cadauere.

5. INCESTAT] Non semper hoc verbum respicit A propudiosas nuptias inter affines: Nam Seruius: *incestus est quæcunque pollutio*. & Festus ad quodcunque facinus torquet: *Incestus à Græco trahitur, nam illi facinus dicunt à* ἄγος. Magnum pondus Tibullus, qui:

Incestus vnde dictus.

Nunc feror incestus sedes adijsse Deorum.

Denique cùm *incestus* dictus sit, auctore Isidoro, quasi non castus, fit perinde, vt de his dici possit, de quibus vox hæc *castus*. atqui *castè* dicuntur fieri, quæ ex more & ritu sacrorum. Vnde Lucretius lib. 1. loquens de Iphigenia:

Sed casta incestè, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis.

hoc est, explicatore Germano, *piaculariter, & præter fas, & morem.*

Sedes pro sepulcro.

6. SEDIBVS HVNC REFER ANTE SVIS] Seruius putat attingi morem, quo olim mortui in suis ædibus condebantur, quod hîc tamen necessarium non est. Nam neque hoc perpetuum fuit, dicente Poëta in 11. de mortuis corporibus, *Finitimos tollunt in agros.* Neque hoc iam placitum boni iudicij hominibus, qui hîc per *sedes suas* terram ipsam capiunt condendis mortuis destinatam. Quam explicationem secundo loco eligit Seruius ipse. Plinius lib. 7. c. 55. loquens de mortuis: *quæ deinde sedes, quantáve multitudo tot sæculis animarum velut vmbrarum.* vbi *sedes* capit pro loco, vbi futuræ animæ.

Condere in mortuis, quid.

7. CONDE SEPVLCRO]Non est tautologia. Duo dicit, videlicet, refer ad sepulturam, & relato terram iniice, nam hoc est, condo. Græcis sepulcra ἠρία dicuntur, ἀπὸ τῆς ἐπιχεομένης τοῖς νεκροῖς ἔρας, vt scribit interpres Theocriti in Pharmac. id est, *ab ea, quæ mortuis iniiciebatur terra.* & hoc esse καλύπτειν, id est, *condere*, idem ait. C

8. DVC NIGRAS PECVDES] Interpretes accipiunt de expiatorio sacrificio causa funestatæ classis, Miseni morte: decepti, credo, vicinitate historiæ, quæ de Miseno præcedit. Sed referendum proculdubio ad aliud. Postquam enim Sibylla docuit funerandum Misenum, transit in hoc versu ad id, quod extremo loco peragendum est, nimirum ad sacrificium Deorum Manium. Tria enim præcipit Sibylla, quærendum ramum aureum, funerandum Misenum, sacrificandum Diis Manibus, nigris pecudibus: quæ tria eodem ordine peragit Æneas. Etenim, nisi hîc de sacrificio accipias, frustra Poëta dicat post tumulatum Misenum,

His actis propere exequitur præcepta Sibyllæ.

Nam hæc præcepta, nisi hoc versu dantur, nullibi dantur. & hæc piacula, quæ postrema sunt in exsequendo, ait esse *prima*, id est, potissima & maxima ad inferos adeundos. Sed fit Poëta ipse interpres sui. In præcedenti libro sic loquitur Anchises ad Æneam, apparens illi:

——Auerna per alta
Congressus pete nate meos, huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

vbi sermo esse nequit de funere Miseni, sed de sacrificio illo necromantico, quod necessarium ante aditionem ad inferos. Et profectò Seruius nihil sibi consonat: nam hîc ait: *ea prima piacula sunto, ad expiationem pollutionis, quæ fuerat nata morte Miseni.* Infrà verò ad illud, *exsequitur præcepta Sibyllæ*, sic ait: *præcepta Sibyllæ. vt,*

Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.

vt hîc bene, ita suprà malè. Extremis enim his verbis clarè docet meam sententiam. docet (inquam) versum hunc, *duc nigras pecudes*, referendum non ad expiationem propter mortem Miseni, sed ad præceptum de sacrificio Deorum Manium, quod extremo loco peragi

Duco vox sacrorum.

peragitur. Quæ dixi necessaria sunt ad mentẽ Poëtæ. De verbo *duc* quod fuit sacrorum, dixi fusè. 2. G. ad illud,

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aras:

Adiunge illis locum Philostrati in Heroicis: vbi loquens de Rhesi ara, quæ est in Thracia, ait, θυεία ἰδεῖν

A δεσμῶ ξυνιχόμθμα, ἢ παρέχειν τῇ μαχαίρᾳ ἑαυτὰ: *animalia nullo coacta vinculo se se cultro exhibere.*

9. PIACVLA] Ἀφοσιώσεις, καθάρσεις.

10. PRESSÓQVE OBMVTVIT ORE] Ita Lucanus de Phœmonoë:

Cetera suppreßit, faucésque obstruxit Apollo.

a Aeneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum, cæcósque volutat
Euentus animo secum: cui fidus Achates
It comes, & paribus curis vestigia figit.
b Multa inter se se vario sermone serebant:
Quem socium exanimum vates, quod corpus humandum
Diceret. c atque illi Misenum in littore sicco,
Vt venêre, vident indigna morte peremptum:
Misenum Aeoliden, quo non præstantior alter
Ære ciêre viros, Martémque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.
Postquam illum victor vita spoliauit Achilles,
Dardanio Aeneæ se se fortissimus Heros
Addiderat socium, non inferiora sequutus.
d Sed tum fortè, caua dum personat æquora concha,
Demens, & cantu vocat in certamina Diuos,
Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

ARGVMENTVM.

Discedit inde Æneas cum Achate, ignorans quisnam defunctus ille: videt esse Misenum, percurritur huius vita, mors, & mortis causa.

EXPLICATIO.

a Vide vti altissimus mœror describatur ex defixis in terram oculis, & mœsto vultu. Illud, *ingreditur linquens antrum*, est, relicto antro viã ingreditur, & capessit iter. Volutat animo *cæcos*, id est, incertos, *euentus*, quia incertus adhuc, quis ille miser. Non minoribus curis it Achates, imo *paribus*, vt qui *fidus*. Ideo signatè *figit vestigia*, vt altè cogitabundus.

b A profunda cogitatione veniunt ad verba, & quærunt, ad inuicem, quis ille miser, qui humandus. C

c Ecce tibi, vt venêre, inueniunt mortuum Misenum. Sed quot hîc πάθη? Magnus vbique Virgilius; sed maximus in describendis affectibus. Misenum *vident*, non audiunt, quo fortis sit affectus: & hunc *peremptum morte indigna*, & iacentem in *sicco littore*, cum oppositione, nam qui in mari periit, in sicco iacet. Quis verò hîc Misenus? maximus vndecunque, videlicet genere, arte, virtute, dignitate. Genere, nam nepos Æoli: arte, nam nemo illo præstantior ad excitandos milirares viros, vt qui egregius æneator: virtute, nam præter artem litui, etiam hasta pugnabat acerrimè: dignitare, nam semper perpetuus comes primùm Hectoris, deinde Æneæ. Non placent, qui hinc expungunt versum inregrum, & hemistichium. Nescio enim quam sibi ad res similes veniam assumunt. In Miseno fermè agnosco Græcorum ὑπασπι-

B στάς. scutiferi enim suos duces comitantur.

d Sed quæ mortis huius occasio? Prouocauit miser cantu Tritonem buccinatorem Neptuni: iratus semideus immersit hominem spuma, allidens inter saxa, vtique insidiosè. *Personat æquora*, est, sonat per æquora. Verbum *exceptum* refer ad insidias. Parenthesis indicat religionem huius vatis, & cultum erga Deos, etiam ferinos. Vix enim credit tantam Deo exarsisse iracundiam. Homerus sua passim pessundat numina.

NOTÆ.

1. MOESTO DEFIXVS LVMINA VVLTV] Egregiè hîc Pontanus annectit Iuuenalem Satyr. 4.

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit vtrunque
Inde habitum facies.

2. INGREDITVR] videbatur dicturus *egreditur*. nam egressus est ex antro Sibyllæ. & Pierius testatur, in aliquot exemplaribus m. s. legi, *egreditur*. Sed ego vendico lectionem, quam scripsi. Nam cur non *ingreditur*, pro, graditur viam? quod etiam Seruius notauit. Tametsi falsus est, cùm addidit, *vacat præpositio*. Nihil vacat in hoc vate. Doceat Seruium Plinius lib. 10. c. 63. *Taurorum ceruorúmque fœminæ vim non tolerant: ea de causa ingrediuntur in coitu*: id est, gradiuntur. Ingredi, pro gradi.

3. PARIBVS CVRIS] Id est, συμπάσχων. Est hoc prepon veri amici: *quia tristitiæ communicatio mœrentis animi quædam quasi alleuatio est.* Verba sunt Achillis Alexand. lib. 7. de Clitoph. & quidem allusum ad etymon Achatis, qui dictus ἀπὸ τῦ ἄχυς à *sollicitudine*.

4. VESTIGIA FIGIT] Est hoc quod alibi: *vestigia firmat*. & postea, *vestigia preßit*. Quod Lucrerius lib. 5.

Fixa

Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Sermo à serendo.

5. SERMONE SEREBANT] Alludit ad etymon, nã sermo dictus, quia seritur. Sic in 12.

Sermonésque serit varios.

Ita Græci pari indole σπερμολογεῖν, & σπερμολογία. & Plutarchus, σπείροντες λόγους. integra pete à Germano.

6. MORTE PEREMPTVM] Ita Lucretius lib.3.

Quominus esse diu possimus morte perempti.

7. QVO NON PRÆSTANTIOR ALTER] Tale quid Homerus. 2. Il.

Τῷ δ' οὔπω τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνήρ·

Huic nondum quisquam vir inter terrestres fuit similis.

8. ÆRE] Lituum intellige, posuit enim materiam pro re tota. nam postea: *Qui lituo pugnas insignis obibat.* isti dicti sunt *Æneatores* Suetonio in Iulio cap. 32.

Æneatores.

9. MARTEMQVE ACCENDERE CANTV] Nota verba *accendere*, & *cantu*. in quibus clara imitatio Aristophanis in Irena, Τὸν πόλεμον ἐκζωπυρήσετ' ἔνδοθεν κεκραγότες: *Bellum accendetis intus clamantes.* Græcus πόλεμον, Latinus *Martem*: ille ἐκζωπυρήσετ', hic *accendere*: ille κεκραγότες, hic *cantu*. Non abludit ab Græcis pugnam significari per βοὴν, id est, clamorem. & quidem docti interpretes Homericum illud de Menelao, βοὴν ἀγαθὸς, explicant, *bonus pugna*. Ab clamore certè verbum βοηθεῖν, militare.

10. MAGNI] Non vulgariter capias. nam Magnum vocat Hectorem, ea forma, qua Alexander & Pompeius cognomen hoc habuerunt rerum gestarum magnitudine.

Lituus, quid

11. LITVO] Lituus medium instrumentum fuit inter tubam, & cornu; non rectum prorsus, vt illa; nec totum incuruum, vt istud, quamuis scriptores interdum confundant. A tuba enim seiungit Lucanus libro 1.

stridor lituûm, clangórque tubarum.

à cornu Seneca, Oedip.

—sonuit reflexo classicum cornu,
Lituúsque adunco stridulos cantus elisit ære.

Inde iam cum tuba, iam cum cornu fungebatur. De tuba Horat. Od. 1. lib. 1.

—& lituo tubæ
Permistus sonitus.

De cornu Iuuenal. Sat. 14.

—soluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita.

Cùm autem esset incuruus, edebat sonum streperum & acutum. Ennius:

Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

& Horatius. 2. Car. Od. 1. *litui strepunt.* Seneca, vt vidisti, *stridulos cantus.* Debes hanc Notam Lipsio lib. 4. de Mil. Rom. & Delrio in Thyest. versu. 574. Pontano in hunc locum. Adi Agellium lib. 5. cap. 8. & me lib. 3. G. ad illud, *lituósque pati.* Dissidet à Virgilio Propertius el. 18. lib. 3. à quo Misenus *tubicen* dicitur, non liticen. Sed cum Virg. consentit Statius 4. Sylu. à quo Misenus dicitur *liticen*.

12. PVGNAS OBIBAT] Lucretius, *prælia obire.* Notat Iouianus, hîc melius dici *obire*, quàm *adire*, postulante hoc tenuitate præcedentis syllabæ: contrà. 1. Æn. melius, *tot adire labores*, quàm *obire*, ne in asperitatem incideret coniungens: *tot & ob.* vt verò hic *insignis lituo & hasta*; ita Homerus, κλυτὸς ἔγχεϊ, &c.

13. VICTOR VITA] Præclara alliteratio.

14. SPOLIAVIT] Allusio ad morem militarem, quo spolia detrahuntur: inter spolia autem quod illustrius vita? ita etiam Tibull. lib. 4.

Spoliare vita, annis.

—spoliórque relictis,

subaudi, annis. Itaque ex vtroque magistro dices, *spoliare vita, annis.* Cæterum receptissimæ opinioni mortalium; acceptæque ab Homero, refragatur Dio Chrysost. orat. 11. vbi satis indicat, Hectorem fuisse interfectorem Achillis, non contrà.

15. HEROS] Verè. nam Æolides, Heros ergo.

16. CONCHA] Fortassis tubam intelligit περιφραστικῶς. Sic nonnulli interpretes. Poterit tamen propriè accipi, vt dicat eam fuisse dementiam in Miseno, vt concha etiam marina personaret, vnde Triton in maiorem iracundiam exarsit, nam id proprium eius instrumentum. vide lib. 10. ad illud:

Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta.

17. DEMENS] Latet hîc affectus commiserationis, vt infrà de Salmoneo,

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen.

Pari affectu Homerus. 1. Il.

Φῆ γὰρ ὅγ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ
Νήπιος.

Putauit enim is capturum Priami vrbem die illo
Stultus.

Calaber lib. 1. bis inducit hunc affectum, loquens de Penthesilea, quæ superba promiserat Achillis interitum, Græcorum vastitatem, nauium perniciem. Oppianus lib. 3. Halieut.

—ἐκδῦναι μεμάασι νήπιοι:
—emergere cupiunt stulti.

Exornaui credo & alibi hunc affectum.

18. VOCAT IN CERTAMINA DIVOS] Allusum ad adagium, *noli cum Dijs pugnare.* Nusquam Dij magis exarsêre in mortales. Exemplum in Minerua, & Musis. Illa apud Ouid. 6. Met.

—animum fatis intendit Arachnes,
Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat.

Istæ apud Homerum. 2. Il. inuehuntur in Thamyrin cantorem, quòd gloriabundus diceret, relaturum se victoriam ab Musis, si secum canerent, etiam si illæ essent Iouis filiæ.

19. EXCEPTVM] Verbum insidiarum. Ita 3. ecl. *excipere insidijs.* & 3. Æn. *excipit incautum.* Græci pari forma, ὑποδέχεσθαι, quod Germanus, & Budæus firmant.

Excipio verbum insidiarum.

20. TRITON] Quid addam Natalis operæ nihil habeo, lege illum lib. 8. c. 3.

[a] Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
[b] Præcipuè pius Aeneas. [c] tum iussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes, arámque sepulcri
Congerere arboribus, cælóque educere certant.
[d] Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæq; trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos,
[e] Nec non Aeneas opera inter talia primus

Hortatur

Hortatur ſocios, paribúſque accingitur armis.
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat,
Aſpectans ſyluam immenſam, & ſic ore precatur:
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto, quando omnia verè
Heu nimiùm de te vates, Miſene, locuta eſt.

ARGVMENTVM.

Parantur neceſſaria ad funus Miſeni, nam ſylua ad rogum exciditur, qua in ſylua precatur ſibi aureum ramum indicari.

EXPLICATIO.

a Redit ad rem, à qua fuerat digreſſus, interpoſitione laudum & mortis Miſeni. Mihi hæc ſic videntur annectenda.

Miſenum in littore ſicco,
Vt venêre, vident indigna morte peremptum,
Ergo omnes magno circum clamore fremebant, &c.

Quod vidit Iulius Scal. cùm ait: *fremebant indigna peremptum morte.*

b Enituit Æneæ pietas in deflendo mortuo, verè ergo *pius*.

c Exprimitur ſtudium Troianorum in peragendis Miſeno iuſtis iuxta præcepta Sibyllæ. Ideo verba illa, *haud mora, feſtinant, congerere, certant educere.* Vocula *tum* eſt, deinde. *ara ſepulcri* eſt periphraſis pyræ. quaſi dicat: congerunt pyram arboribus.

d Amplificat ſtudium Troianorum à circumſtantiis. verſus quatuor ſpirant celeritatem, fatigationem, ſudorem. Vide autem apparatum, omnia grandia ſunt, omnia magnifica. Piceæ procumbunt, ilex icta ſonat, & trabes fraxini, robur cuneis ſcinditur, aduoluuntur ingentes orni. Sed expendam alia. Ponitur picea loco principe, rationem habes in Notis. ilex, vt quæ dura, ſonanter ſcinditur; nec ſatis vna ſecuris, ſed multæ: ideo fortaſſe ilex in ſingulari, ſecures in plurali; non quòd vna tantùm ſciſſa, ſed ad difficultatem exprimendam. Robur, vt cui materia duriſſima, non tam ictibus & viribus, quàm arte peruincitur, ideo cuneis ſcinditur. Coniunge verò ſic: robur ſcinditur, fiſſile cuneis. quaſi indicet naturam arboris, quæ propter duritiem vaſtanda cuneis. Optimè verò *ingentes ornos*, ſibi conſonans, quia præceſſit *antiquam ſyluam.* Eodem pertinet dici *ſtabula ferarum*, nam harum metus incolas arcebat à cædenda ſylua. & *ſtabula* quidem dixit, intelligens per metalepſin magnas feras, aliter cubilia diceret, aut quidpiam ſimile. Talem te Virgiliani carminis ſcrutatorem volo.

e Incumbit pariter Æneas in officium pietatis, quod præclarè excogitauit Poëta, non ſolùm quia labor pius decet virum pium, ſed etiam vt occaſione hac locum det Æneæ ad luſtrandum nemus, ſi forte in illo appareat ramus aureus. Ait *primus*, vt exemplo aliis eſſet. *hortatur*, vt dux. *accingitur*, vt vnus è reliquis, ad omnia alacer, *volutat cum triſti corde*, vt quem altior cura premit rami inueniendi, non ſolùm tumulandi Miſeni, vt reliquos. Inducitur *aſpectans*, quia præceperat Sibylla, *ergo altè veſtiga oculis*: & *ſyluam immenſam.* quia ſuprà, *hunc tegit omnis Lucus.* Iam diffidens de ſua diligentia *precatur ore*, confugiens ad preces. Quid verò precatur?

Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto.

A Cùm verò ſit æger de ſucceſſu, conſolatur ſe hoc argumento, *quando omnia*, &c. quaſi dicat: Non dubito quin appareat ramus, nam Sibylla prædixit, quam veram eſſe in ſucceſſu Miſeni deprehendi. Eſtque ſpecies argumenti de minore ad maius. Si vera fuit in re triſti, & quam ego nollem; cur non erit in læta, quam vehementer cupio?

NOTÆ.

1. MAGNO CLAMORE] Attingit morem ſeruatum in funeribus de excitato clamore ab his qui adeſſent, quem etiam attingit in 11. — Clamor in funeribus.

It cælo clamórque virum.

& Ouidius in Triſt. cùm ait:

Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos claudet amica manus.

B Moris huius duplicem cauſam Kirchmannus affert lib. 1. de Funerib. Roman. c. 13. Priorem ex Propertio lib. 4. vt videlicet exeuntem animam retardarent, ſi poſſent. Verſus Poëtæ ſunt ore Cynthiæ:

At mihi non oculos quiſquam inclamauit euntes,
Vnum impetraſſem te reuocante diem.

Poſteriorem ex Seruio in hoc libro, vt animam adhuc deliteſcentem in corpore expergefacerent, ne fortaſſe viuus aliquis ſepulturæ daretur. Poteſt enim contingere, vt aliquis non mortuus, putetur eſſe mortuus. Si ergo ad clamorem editum non excitaretur, habebatur pro mortuo. Verba Seruij alibi adduco, & de conclamatione, quæ ſequebatur clamorem, alibi loquor.

C 2. ARAMQVE SEPVLCRI] Ideo ara ſepulcri periphraſis eſt pyræ, quia pyra ad aræ ſimilitudinem extruebatur, vt facilè elicitur ex his, quæ ſcribit Herodianus lib. 4. de apotheoſi Imperatorum, vbi loquitur de Septimio Seuero. Deinde, ſicut ara ſeruit ſacrificio Deorum, ſic pyra etiam dici ara poteſt, cùm in ea cremetur defunctus, quæ crematio ſacrũ quiddam erat Diis inferis. Quin aram dici propriè eam, quæ in honorem Heroum excitabatur, tota proclamat antiquitas. — Ara, pro pyra mortuorum.

3. CONGERERE] Apollonius ex nota Germ.

Νηεῖν βωμὸν, νηεῖν πῦρ.
Glomerare aram, ignem.

id eſt, explicatore Didymo *ξῦλα σωρεῦσαι: congerere, &*

D *cumulare ligna.*

4. ITVR IN ANTIQVAM] Adi Scaligerum lib. 5. Poëticæ, vbi comparat cum his Virgilianis, quæ ſcripta ſunt à Græco vate in combuſtione Elpenoris, & victoriam dat Latino. Virgilius autem omnino inſtitit Ennianis verſibus, lib. 6. Annal.

Incedunt: arbuſta prælta ſecuribus cædunt:
Percellunt magnas quercus, percellitur ilex:
Fraxinus frangitur, atque abies conſternitur alta.
Pinus proceras peruertunt: omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſyluai frondoſai.

Hos verſus multi aduocant, in primis Macrobius. Pari fermè Muſa Silius lib. 10.

———tum munera iuſſa
Defeſſi quanquam accelerant, ſparſimq́; propinquos

 Agmine

Agmine prosternunt lucos: sonat alta bipenni
Frondosis sylua alta iugis: hinc ornus, & alta
Populus alta coma validis accisa lacertis
Scinditur: hinc ilex proauorum condita seclo.
Deoluunt quercus & amantem littora pinum.

Locum parem subiicit Virgilius. 11. Æn. vbi etiam ego quæpiam. Circa voculam istam *itur*, Seruius inculcat quæpiam de quantitate syllabica, quæ omitto: tantùm moneo, quæ de voce *fortuitus* dicit, nimirum penultimam esse ancipitem, secus videri Iano Dusæ in Petronium, & Conrado Rittershusio in Phædrum, aliisque, ad quos libenter accesserim. Ergo, *fortuitus, gratuitus, pituita*, penultimam producunt, nunquam corripiunt. Horatius clarè lib. 2. Od. 15.

Fortuitus.

Nec fortuitum spernere cespitem.

Vbi lex carminis postulat longam syllabam. Phædrus fabula 35.

Tum fortuitum feles contubernium.

Si quando verò appareant illæ tres syllabæ corripi, reuera producuntur, nam tum debent existimari esse trium syllabarum, vt sunt multa apud Poëtas, non quatuor. Ita *aureus* interdum vim obtinet duarum syllabarum, non trium.

Picea in funerib.

5. PICEÆ] Ponit principe loco piceam propter pinguedinem, picem, resinam: itaque illa incensa facilè reliquę arbores accenderetur. Plutarchus lib. 2. Symp. quæst. 6. de picea, & aliis arboribus. πίειραν ἔχει τὴν φύσιν, ὥστε πίσσαν ἀποδακρύειν, καὶ ῥητίνην: *natura sunt pingues, picem illacrymant, & resinam.* Deinde posita principe loco, quia arbor ista feralis admodum, vt quæ poni solita ante fores illius domus, vbi esset defunctus, ad indicandum, domum illam esse funestam. Aperit morem istum Plinius lib. 16. cap. 10. *Picea montes amat atque frigora, feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens.* Eadem de cupresso scribit Seruius lib. 4. Æn. cuius verba adducam in hoc libro ad rem aliam. Sed redeo ad piceam, quam fuisse infaustam Arnobij testimonio liquet lib. 5. Sed aliunde ducto argumento, quia nimirum illam Mater Deûm sibi assumpserit, ac dicauerit, tanquam *miserabilis indicem testimoniúmque fortunæ*, quia sub ea arbore Atys virum deposuerit.

6. SECVRIBVS] Signatè & propriè. Philostratus lib. 2. Icon. cùm πέλεκυν, id est, securim nominarit, subiicit, ὃς καὶ τὰ δένδρα αἱρεῖ τὰ μεγάλα: *quæ magnas cædit arbores.*

7. ADVOLVVNT] Contendit innixè Ioannes Meyen. legendum *ac voluunt*, duplici dictione, non *aduoluunt*. Mihi ea, quam scripsi, æquè placet. Nam siue *ac voluunt*, siue *aduoluunt* legas, eadem est sententia, videlicet vel euersas fuisse ornos ingentes in montibus: vel ornos ingentes deuolutas fuisse è montibus. Extremum hoc exhorrescit Meyen. nescio cur?

8. MONTIBVS] Signatè, nam istæ arbores, vt plurimùm, proueniunt in montibus, de quibus in Georg. satis à me. hîc adiunge Plutarchum lib. 3. Sympos. quæst. 2.

Principes debēt præire exemplo.

9. ÆNEAS OPERA INTER TALIA PRIMVS] Fuit hoc magnis viris & principibus vsitatum, vt ipsi exemplo suo præessent militibus, neque puderet illos partem laborum suscipere. Firmant hoc exempla Agesilai apud Xenophontem, Antonini Seueri apud Herodianum lib. 4. Germanici apud Suetonium in Calig. cap. 3. Traiani & Adriani apud Xi-

A philinum, Marij apud Plutarchum, Antonini Caracallæ iterum apud Herodianum, denium versus elegantissimi apud Claudianum Paneg. 4. de Cons. Honorij, iique ore Theodosij. Has omnes historias omitto, in quarum plurimas ego incideram, quippe libatas aliis. & adiungo à me Theseum, qui apud Isocratem in laudatione Helenæ, τοὺς μὲν κινδύνους ἰδίους ἐποιεῖτο, τὰς δὲ ὠφελείας ἅπασιν εἰς τὸ κοινὸν ἀπεδίδου: *pericula sibi priuatim vindicabat, vtilitates in commune conferebat.* non vt alij principes, qui labores mandant ciuibus, voluptates sibi ipsi capiunt. Clearchum, qui apud Xenoph. 2. ἀναβ. καὶ ἅμα αὐτὸς προσελάμβανεν εἰς τὸν πηλὸν ἐμβαίνων, ὥστε πᾶσιν αἰσχύνην εἶναι μὴ οὐ σπουδάζειν: *Cùm quidem ipse descendens in cœnum manum operi admoueret. quo fiebat, vt omnes pudori ducerent, si non &*

B *ipsi incumberent.* & lib. 4. Xenophon dux inducitur σχίζειν ξύλα, *secans ligna*, quo exemplo permotus est miles ad eundem laborem. Traianum, qui apud Dionem ἐβάδιζεν ἀεὶ μετὰ παντὸς τοῦ στρατοῦ πεζῇ: *ibat pedibus, vt reliquus exercitus.* De eodem Traiano satis longus est locus apud alterum Plinium in Panegyrico. Corbulonem, qui apud Tacitum. 15. Annal. *ipse cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse: laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omnibus ostendere.* Catonem maiorem, qui apud Liuium lib. 34. *omnia maxima, minimáque per se adiret, atque ageret: nec cogitaret modò imperaretque, quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret.* Maiorianum, de quo Sidonius in Paneg. loquens cum illo:

C *—sic agmina voce*
Erigis, exemplóque leuas, primúsque labores
Aggrederis quoscunque iubes: tum cætera paret
Turba libens, seruit proprijs cùm legibus auctor.

Mitto Magnos duos, videlicet Alexandrum apud Curtium, Constantinum apud auctores Ecclesiasticos, in quibus hæc virtus summè enituit; & locum Xenophontis in Hipparchico, ab ea parte, ὁρῶσι τὸν ἄρχοντα δυνάμενον ἐπὶ τοῦ ἵππου, καὶ τάφρους ἀσφαλῶς περᾶν: *Videat equitatem principem, & fossas transilientem.* His omnibus Æneæ virtus illustratur, cuius opera enitescit inter milites, cùm ipsemet arbores cædit, à quo non abit, Heroas ab Interprete Apollonij lib. 2. Arg. vocari ξυλοτόμους, *secantes ligna*, quod Vrsinus admonuit.

D 10. TRISTI CVM CORDE VOLVTAT] Locutio ista vsurpata priùs Lucilio, Lucretio, Plauto, quod iam alij indicarunt. Primus:

—non ante in corde volutas.

Alter lib. 3. *mente volutent.* Tertius Captiu. *in pectore hanc rem meo voluto.* Repetit Virgilius. 1. & 4. Æn.

11. ORE PRECATVR] Sunt qui legant *fortè*, non *ore*, credo vt fugiant vitium Pleonasmi. Sed quotquot sunt docti, *ore* legunt, neque est pleonasmos, quin opponit hæc duo, *corde*, & *ore*; ac si dicat: Dolorem volutat corde, non ita tamen deiectus, vt non in vocem erumpat. Seruius *forte* agnoscit, cuius doctrinam, & exemplum, quo illam firmat, nemo doctus probat.

E Sed & hoc hemistichium aliqui non esse Virgilij volunt. Æneas enim non orat, sed optat; frustra ergo *precatur.*

12. NIMIVM] Ea forma dici *nimiùm*, qua Græcis ἄγαν, Germanus notat. Æschylus, ἄγαν ἐπίσταμαι: *nimiùm scio.*

ᵃ Vix ea fatus erat, geminæ cùm forte columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venêre volantes,

Et

Et viridi ſedêre ſolo. tum maximus Heros
Maternas agnoſcit aues, lætúſque precatur:
Eſte duces, ô ſi qua via eſt, curſumq; per auras
Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat
Ramus humum: túque ô DVBIIS ne deſice rebus
Diua parens. [b] ſic effatus veſtigia preſſit,
Obſeruans quæ ſigna ferant, quò tendere pergant:
Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſeruare ſequentum.
[c] Inde vbi venêre ad fauces graue olentis Auerni,
Tollunt ſe celeres, liquidúmque per aëra lapſæ
Sedibus optatis geminæ ſuper arbore ſidunt,
Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.
[d] QVALE ſolet ſyluis brumali frigore viſcum
Fronde virere noua, quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos:
[e] Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice: ſic leni crepitabat bractea vento.
[f] Corripit extemplo Æneas, auidúſq; refringit
Cunctantem, & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.

ARGVMENTVM.

Reſpondet exitus Æneæ precibus, ramum inuenit ductu columbarum, corripit, fert ad Sibyllam.

EXPLICATIO.

a ÆNeæ votum feliciſſimus euentus ſequitur. Optauerat videre ramum aureum, adſunt ſtatim columbę geminæ, volant ante ipſius ora, vt eius cauſa veniſſe viderentur; ſedent in ſolo viridi, vt videlicet ex paſtu ipſo augurium Æneas capiat. Agnoſcit ille aues ſacras matri Veneri, & iam lætus ad illas precatur, vt ſibi ſint duces, ac per auras volent, curſúmque eò dirigant, vbi eſt aureus ramus. Neque verò oblitus Veneris, illam etiam precatur, vt adſit rebus filij. *Ramus humum opacat*, eſt, inumbrat, quod proprium arborum. Sed rãtulus ramus quî inumbrat? dictum, credo, ad rei magnitudinem & excellẽtiam indicandam. *Res dubiæ* ſunt, acciſæ, perditæ, afflictæ.

b Hæc vt dixit, firmauit veſtigia. Quia verò hîc clara ſententia, parcendum ſolitæ paraphraſi, & breues notulæ adhibendæ. Ergo, *preſſit veſtigia*, firmans ſe more augurum captantium auguria; ſolebant enim poſt preces, immobiles ſtare, aut ſedere. Videndus Seruius: *obſeruans*, eſt verbum augurum. *Quæ ſigna ferant*, id eſt, quæ ſigna dent. *Quò tendere pergant*. Eius animantis, reliquorúmque volatilium ingenium eſt, vt paſcendo procedant ſemper, tendántque vlteriùs. In voce *paſcentes* alluſio fit ad pullare augurium, felix enim fauſtúmque habebatur, ſi pulli paſcerentur. In illis, *illæ tantum prodire*, &c. ſententia eſt: volabant non cum eo impetu, quo ſolent columbæ, ſed lentiore curſu, ne ſe eriperent oculis ſequentium, vt Veneris benignitas in natum eſſet clarior. *Prodire volando* eſt, volatu antecedere. ait *acie*, quaſi viſu acutiore & intentiore.

c Cùm Auernus dictus ſit quaſi ἄορνος, id eſt, ſine auibus, quas necabat halitus inde emiſſus, ait Poëta, columbas, vt primùm volando ad Auernum peruenêre, ſe celerrimè ſuſtuliſſe ne caderent, ac ſucceſſiſſe aëri liquido & puro, randémque conſediſſe in arbore, vbi erat ramus aureus. Illud *ſedibus optatis* referendum ad votum Æneæ. *Aura auri* eſt, auri ſplendor. hic dicitur *diſcolor*: quia non, vt reliqua arbor, viridis.

d Ea erat ſpecies aurei rami in viridi arbore, qualis eſt viſci, quod in arboribus adnaſcitur. Cape hîc breues notulas ad totũ hunc tractum intelligendum. Ait aptè *brumali frigore*, nam viſcum ad brumam maturum eſt, & colore omnino flauo: Seruius. Cùm ait *frõde noua*, intellige, æternam & ſemper perpetuam, quod poſtea explicabo. Illud præclarè, & ex natura viſci *quod non ſua ſeminat arbos*, naſcitur enim viſcum in arboribus, vel potiùs ad naſcitur: nam, ſi feras, nihil ab eo prouenit. Cùm ait *fœtu*, alludit ad recens viſcum, quod ſubluſtrius, & ſplendidius, ac propterea fœtus tunc eſt croceus, id eſt, referens ſplendorem auri.

e Comparationem ad inſtitutum accõmodat. Verba illa *auri frondentis*, poſita ad admirationem. nam quis non miretur aurum in ilice frondeſcere? Adiicit, *ſic leni crepitabat bractea vento*, quia videlicet eius folia ea ſubtilitate natura produxerat; vt, aura ſpirante crepitarent vibrarentúrque, quaſi bractea quædam & lamina. Cùm dixit, *bracteam*, voluit tenuitatem exprimere. Seneca quidẽ ep. 41. dixit, *languido & bracteato*.

f Quî obſecro *refringit*? quod verbum difficultatem indicat. quî etiam *cunctantem*? cùm dixerit, *námque ipſe volens faciliſque ſequetur*. Nodos iſtos ſoluit attributum illud *auidus*. Etenim quæ vehementer cupimus, etiam ſi præpropere fiant, tamen videntur cunctari. *Sub tecta* eſt, ad domum.

NOTÆ.

1. GEMINÆ COLVMBÆ] Filio Veneris opportunæ ſunt hæ aues, quæ ſacræ eidem Deæ. Nec non Regi Æneæ, quod obſeruauit Pierius lib. 22. Nam & Cæſari quoque proſpero fuerunt oſtento, Columba auſpicata regibus.

cùm palmam illam nidis frequentarent, iuxta quam ille castra locauerat. Eadem die, qua natus Diadumenus Macrini filius, aquila ei palumbulū attulit,& in cunis posuit dormienti, recessítque sine noxa, quæ res futurum eum imperatorem indicauit: Dixerunt aruspices, Alexandrum Seuerum futurum imperatorem, quia, quo die natus est, anicula quædam matri eius columbas obtulit. Sic fermè Pierius. Iasoni quoque in Colchide columba fuit auspicato augurio, vt ex Apollonij lib. 3. obseruarunt Germanus hic, & Victorius lib. 3. Var. cap. 14. Seruius quoque. 1. Æn. *Columbæ non nisi regibus dant* (auguria) *quia nunquam singulæ volant, sicut Rex nunquam solus incedit. Vnde est in 6. Maternas agnoscit aues.* Id ipsum admonet in hunc locum. Demum opportunè assumuntur columbæ, vt nuntiæ sint gaudij, cum respectu, credo, ad morem veterum, quo hæ aues in vsu erant ad perferendos nuntios: quod in Mutinensi obsidione narrat Plinius lib. 10. cap. 37. Varro etiam in libris Rusticorum, scribit, columbas nuntias esse, & adiicit quiddam dignum quod sciatur; illas ad locum, vnde emittuntur, redire, quo illustrari posse credimus locum Geneseos de columba, quæ rediit ad Noë. Sed locus consentaneus locò Geneseos in Plutarcho, est libro de solertia animalium. Seruaui ad calcem Homericam imitationem Il. 10. Ait Græcus:

Τοῖσι δ' δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο,
Παλλὰς Ἀθηναίη:

His autem faustum misit erodium prope viam
Pallas Minerua.

Cur non his institerit Virgilius? præsertim cùm sequatur oratio Vlyssis ad Mineruam, non aliter atque Æneæ ad Venerem.

Auguria oblatiua, impetratiua.

2. FORTE] Seruius: *Auguria aut oblatiua sunt, quæ non poscuntur: aut impetratiua, quæ optata veniunt. Hoc ergo, quia oblatiuum est, ideo dixit, fortè.* Vide Turnebum lib. 5. cap. 7.

3. IPSA SVB ORA VIRI] Vtilis hîc quoque Seruij commentatio, qui notat dictum hoc ex more, quo *captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere.* Hîc volo obserues locum Aristidis simillimum Virgiliano orat. 3. sacror. serm. ἐξιόντι δέ μοι τὰ προπύλαια προσεῤῥύησαν χῆνες δύω τῶν ἱερῶν, καὶ παρελθόντες εἰς τὸ πρόσθεν ἡγοῦντο οὕτως ἀκριβῶς κατ' αὐτὸ ὃ βαίνειν ἔμελλον, ὥστε ἐπίδηλον εἶναί μοι. *Vestibulum egresso anseres duo sacri occurrerunt, ac progressi, tam exactè me, quò iturus eram, præcesserunt, vt id euidenter animaduerterem.* Sed & ductum columbarum ad condendas Cumas in Velleio habes lib. 1.

Colūbæ sacræ Veneri.

4. MATERNAS AVES] Sic est testimonio Propertij, Seteni, Martialis, quos alij inuenerunt: & Anacreontis, Athenæi, Philostrati, Æliani, Phocylidis, quos ego. Hi omnes columbas dicunt esse sacras Veneri. Ad idem pertinent, quæ scribit Lilius Syntag. 13. ex historiis Saxonum. Et Plutarchus de Is. & Os. ἱερὸν Ἀφροδίτης ζῶον εἶναι τὴν περιστεράν. Demum huc spectat, fingi portare columbas currum Veneris. sed scias obiter, id muneris datum quoque cycnis, & passeribus. De cycnis frequentissima est mentio; de passeribus reperi testimonium in Athenæo lib. 9. vbi ex Sapphone ait: Ἀφροδίτην ἐπὶ στρουθῶν ὀχεῖσθαι, καὶ γὰρ ὀχευτικὸν τὸ ζῶον, καὶ πολύγονον: *Venerem à passeribus ferri. est enim hoc animal & salax, & fœcundum.* Credo allusit Athenæus ad verba hæc Sapphonis in cantico ad Venerem.

Passeres ferūt Venerē.

—καλοὶ δέ σ' ἄγον
ὠκέες στρουθοί.

Te pulcri passeres, atque agiles ferebant. Passerem Hispani vocant *gorrion.*

5. PASCENTES] Pullorum, & pullarij ominis frequens est mentio in Romanis Scriptoribus, & ad hoc omen allusisse Virgilium interpretes volunt, vnde non abs re aliquid his commentationibus inserere. Seruabantur in cauea pulli; qui, si, cibo oblato, non exirent ad escam, aut serò exirent, aut retrocederent, aut inde euolarent, vel aliquid simile contingeret, tristes aliquos euentus notabant. Exempla sunt apud Suetonium in Galba cap. 18. & Valerium lib. 1. cap. 6. Si verò pascerentur, lætissimum erat omen: quod clarum testimonio Liuij lib. 10. verba eius: *Cùm pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium sollistimum Consuli nunciauit. Consul lætus, egregium auspicium esse, & Dijs auctoribus rem gesturos pronuntiat, signumq́; pugnæ proponit.* Est exemplum aliud in Tullio lib. 1. Diuinat. eo loco, vbi loquitur de Flaminio. Ergo ex hoc more columbas suas læto omine pascentes proponit Maro. Sed quid in Liuio, *tripudiū sollistimum*? Si quid cadebat ex ore pascentium pullorum (quod fere necessariò fiebat) pauire terram, id est, ferire dicebatur. Nam veteres *pauio* dicebant pro ferio. Inde nunc pauor, pauicula, pauimentum, oppubia, id est, verbera. Ergo, quod cadebat, quia terram feriret, dicebatur *terripauium*, deinde *terripudium*, postremo *tripudium*, & quia in solidum cadebat *sollistimum*. De hac re vide Tullium lib. 1. & 2. Diuinat. Promisi aliquando dicturum me, quæ essent auspicia ex acuminibus, vt capiatur locus Tullij lib. 2. Nat. hîc: *Nulla perennia seruãtur, nulla ex acuminibus.* & Arnobij lib. 2. *Martium discrimen obeuntes spem prælij sumitis, & ex acuminibus auspicatis.* Turnebus lib. 23. c. 12. sententiam refert ad acumina spiculorum, pilorum, ensium. Lege illum. Aliter puto, & sentẽtiam refero ad pullare auspicium, de quo iam locutus sum. Ergo acumina sunt rostra auium, ex quibus si quid cibi caderet, auspicia dicebantur sumi ex acuminibus, id est, rostris auium. Vide vt rem hanc latè explicet Antonius Clarus in. 12. tabul. Sed ego locū Ciceronis subiiciam lib. 2. Diuinat. quem reperi contra Turnebum. ait ille: *Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerũt.* & post pauca. *Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquies Consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Vbi est ergo auium diuinatio?* Vides, vt auspicia ex acuminibus referat ad aues? Quid, quòd clara historia? subdit enim statim Cicero de eodem Marcello: *Et quidẽ ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere.* Dicit hoc: nã Marcellus lectica operta incedebat, ne pullos videre cogeretur. hoc ita validū cõtra Turnebū est, vt esse nihil validius queat.

Pulli augurales.

Tripudium sollistimū.

Pauio, pro ferio.

Auspicia ex acuminibus.

6. QVANTVM ACIE POSSENT, &c.] Est hoc, quod alio flexu dixit Varr. lib. 6. Lat. lin. *quaqua intuemur oculis.* ex emẽdatione Ios. Scal. Quod Virgilius ipse. 1. Æn.

Prospectum latè pelago petit.

7. GRAVEOLENTIS] Hac forma. 4. G. *graueolẽtia centaurea.* Et 3. ecl. *suaue rubens Hyacinthus.* & 4. ecl. *suaue rubenti Murice.* Ennius etiam apud Tullium in Bruto: *suaue loquenti ore.*

8. SEDIBVS OPTATIS] Putauerunt veteres prope locos inferos, ac iuxta Elysios, fuisse nemus destinatum volucribus piis purisque; à quo omnino rapaces aues obscœnæque arcerentur. Nonnihil hîc insinuat Poëta, qui in hoc nemore prope Auerna loca has columbas volantes inducit, vt videantur illæ esse ex earum numero, quæ erant in nemore Elysio. Rem istam Ouidius attingit. 2. Amor. eleg. 6.

Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet,
Vdaque perpetuo gramine terra viret.
Si qua fides dubiis, volucrum locus ille piarum
Dicitur, obscœnæ quo prohibentur aues.

Mox

Mox aues quaſpiam numerat, atque inter illas, etiam columbas. Sed, vt ſunt fabulamenta implicata, non dubitauerim commentum hoc columbarum ſumptum Virgilio ab oraculo ſatis celebri Dodonæorum. Rem accipe Herodoti verbis lib. 2. *Antiſtites Dodonæorum hæc aiunt. Geminas Thebis Ægyptijs columbas nigras aduolauiſſe, vnam quidem ad Lybiam, alteram ad ipſos, quæ fago inſidens, humana voce elocuta ſit, eò loci Iouis oraculum condi debere.* Cur enim hanc fabulam in ſuis columbis non repræſentet Maro?

Dodonææ columbæ.

9. GEMINÆ] Sic legendum, non gemina, vt in vulgatis. Primò libri aliquot veteres habent *geminæ*. Deinde, credibile vtranque auem ſediſſe in vna arbore, in illa (inquam) vbi aureus ramus, non in duplici. Tertiò, ſuprà dixit, *geminæ cùm forte columbæ.* Et in vtroque loco videtur mihi Poëta alluſiſſe ad partum columbarum, de quo ego iam locutus in Eclogis.

10. AVRI AVRA] Vt explicui explicant Seruius hîc, & Lambinus in Horatium. vt enim Virgilius dixit *aura auri* pro ſplendore auri, ita Horatius lib. 2. Od. 8. *auram* poſuit pro nitore oris.

Aura pro ſplendore.

———tua ne retardet
Aura maritos.

Sed certè Horatius aliter poſſet explicari. Tu lege Ludouicum Carrion. lib. 2. c. 20. vbi ad rem hanc tractat locum Manilij.

11. QVALE SOLET] Nulla potuit comparatio adduci aptior, quod triplici ratione oſtendo. Primò viſcum imitatur colorem auri. Plinius lib. 24. cap. 4. de viſco loquens: *Optimum eſt, quod ſine cortice eſt, quódque leuiſſimum, extra fuluum, intus porraceum, quo nihil glutinoſius.* Vbi fuluor ad aurum ſpectat. Deinde quia ramum ſacrum cum re ſacra comparat, nam viſcum ſacrum fuiſſe docet idem Plinius lib. 16. c. 44. *Non eſt omittenda in ea re Galliarum admiratio. Nihil habent*

Viſcum putatum gentilibus eſſe ſacrum.

A *Druidæ (ita ſuos appellant Magos) viſco, & arbore, in qua gignatur (ſi modò ſit robur) ſacratius.* Mox latè de hac re loquitur, ac de religione, qua colligatur viſcum ex arboribus. Tertiò, cùm ramus Virgilij aureus ſit in ilice, optimè comparatur cum viſco, quod, etiamſi in aliis arboribus, maximè prouenit in his, quæ ſunt querni generis. quod, præter Plinium, firmat vetus poeta in ænigmate, cui titulus ἰξός, id eſt, viſcum, δρυὸς μ' ἱδρὼς βόσκει: *paſcit me ſudor quercinus.*

12. FRONDE NOVA] Si in bruma, quî noua fronde? Accipi perpetuam, æternam, & ſemper durantem frondem, qualis eſt quercus, roboris, ilicis, quibus viror perpetuus. Præit mihi Plinius lib. 16. cap. 44. *Adijciunt diſcrimen, viſco in his, quæ folia amittant, & ipſi decidere: contrà inhærere nato in æterna fronde.* Vbi ſemper virentem frondem, æternam vocat, nam hanc

B opponit ei, quæ amittitur & decidit.

13. QVOD NON SVA SEMINAT ARBOS] Plinius lib. 16. cap. extremo: *Quædam enim in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur: namque, cùm ſuam ſedem non habeant, in aliena viuunt, ſicut viſcum.* Iulius Scalig. lib. 2. in Theophr. de Cauſ. cap. 23. viſcum, ait, ſicut & gallam, oriri ex vitali excremento arborum. Idem ſæpe acerrimè impugnat ſententiam veterum receptiſſimam, qui dixerunt, viſcum oriri ex fimo volucrum.

14. BRACTEA] Vide diligentiam Poëtæ, non dixit laminam; ſed ſignanter bracteam, quia hæc in vſu ſacrorum, & hic ſermo eſt de re ſacra. Tertullian. de Idololat. *Si templũ, ſi aram, ſi ædiculam eius inſtruxeris, ſi bracteam expreſſeris.* Lampridius in Alexandro: *in tem-*

Bractea in vſu ſacrorũ.

C *plis ſanè nunquam, præter quatuor, aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſij:*

———in ſanctis quid facit aurum?

[a] Nec minùs interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
[b] Principio pinguem tædis, & robore ſecto
Ingentem ſtruxêre pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorántque ſuper fulgentibus armis:
[c] Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpúſque lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt:
Purpureáſque ſuper veſtes, velamina nota,
Coniiciunt [d]. pars ingenti ſubiêre pheretro,
Triſte miniſterium; & ſubiectam, more parentum,
Auerſi tenuêre facem. congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.

ARGVMENTVM.

Fiunt tandem Miſeno ſacra, omnia ex priſco more.

EXPLICATIO.

[a] Redit ad funus Miſeni. Tria quippe præceperat Sibylla, & hoc ſecundo loco. Huic funeri præſens fuit Æneas, nam poſtea,

At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum, &c.

à tectis enim Sibyllæ, cùm ad illam attulit ramum, ſtatim ſe ad littus contulit, vt intereſſet funeri, etiam ſi hoc Poëta taceat. Hoc verò funus erigitur in litto-

D re, ex more antiquo. Cùm ait, *ſuprema*, ſubaudi funera. *Ingrato cineri*, id eſt, gratiam non relaturo, ex interpretatione Sidonij Apollin. lib. 4. epiſt. 11.

[b] Sequitur apparatus funeris. Ergo, pyra exſtruitur ex picea, & robore. Nam piceam intelligit verbis iſtis, *pyram pinguem tædis.* Robur clarè ponit, & adiicit *ſecto*, id eſt, fiſſo cuneis, nam ſuprà, *cuneis & fiſſile robur Scinditur.* Itaque fundamentum pyræ fuerunt picea, & robur: & priùs picea, vt quæ tædifera & pinguis, quo faciliùs omnia arderent. Latera illius intexta erant ex atris frondibus, in parte anteriori erant cupreſſi, arma ſuper ipſam pyram.

[c] Ab

c Ab apparatu pyræ transit ad varios ritus, quibus cadauer curabatur ante cremationem. Adhibebatur itaque lotio,& hæc aquis calidis: deinde vnctio, omnia ex more. Fiebat sollemnis gemitus super cadauer. Hoc facto cadauer ipsum reponebatur in toro, id est,pheretro, quo esset efferendus. Repositum in pheretro tegebatur purpureis vestibus.

d Cadauer ergo lotum,vnctum,defletum, positum in toro,ornatum purpura,portabatur ad pyram.Ideo, sequitur, *pars ingenti subiêre pheretro*. Litteram sic ordino. Pars iêre sub pheretro,quod ministerium triste est.Itaque *triste ministerium* nominatiuus est,non accusatiuus. Qui bene scribunt, in his est Germanus, post *pheretro* apponunt notam distinctionis, quod non facerent, si *ministerium* esset accusatiuus. Pergit. Post pheretrum portatum humeris ad locum pyræ, subditur fax cadaueri cremando; qui subdunt,auersi sunt, vnà cum cadauere cremantur thura,adipes hostiarum, vasa plena olei.

NOTÆ.

Sepulcra ad littora.

1. LITTORE] Veteres plerunque sepulcra mortuorum collocabant ad maris littora. Sic in 7.

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix.

Sed & Aiacis,Hectoris, aliorúmque Heroũ tumulos collocatos fuisse ad maris littora,notum.Nota etiam Cærani historia illius, qui amatus est à delphine, ad cuius tumulum,qui prope littus, visa ingens delphinorum multitudo. Græcus Poëta de Achillis tumulo αἰγιαλῷ, &c. quod epitaphium ita vertit Henriq. Stephanus:

Adiacet ille mari,streperis celebretur vt vndis,
Cui fuerat genitrix,Diua marina,Thetis.

Huic mori vicinus alius,quo veteres ad amnium ripas humabantur.de hoc alibi.

2. CINERI INGRATO] In Catalect.

Quid cineri ingrato seruas bene olentia serta?

Pyræ magnitudo ex honestate defuncti.

3. INGENTEM STRVXERE PYRAM] Eo honestius censebatur funus,quo altior & grandior pyra.Suprà, *cælóque educere certant*. Appianus in Hispanicis de funere Viriati, ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς ἔκαιον: *cremarunt in altißima pyra*. Apud Herodianum lib.4.Antoninus in Festi sibi carissimi funere iubet, ξύλων πολλῶν ἀθροισθῆναι πυράν: *compluribus è lignis pyram strui*. Homerus Il. 23.in funere Patrocli.

Ποίησαν δὲ πυρὰν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα:
Fecerunt autem pyram centumpedum quoquo versus.

In funere Elpenoris Odyss. 12. & in funere Hectoris Il. 24. magnæ fuisse pyræ indicantur, cùm ibi dicatur ex incisis arboribus summũ littus prominuisse,hîc, adductam ἄσπετον ὕλην, *immensam materiam*. Dionys.Hal.lib.10.scribit in Sicinij viri fortissimi funere maximum rogum à militibus aggestum. Seneca in Oet.de rogo Herculis:

Adgeritur omnis sylua, & alternæ trabes
In astra tollunt,Herculi augustum rogum.

Alij in Seneca præferunt *angustum*.

4. PYRAM] Quid sit propriè pyra,quod item discrimen inter voces pertinentes ad funus, disces ex fragmento hoc Seruij, quod adducit Scaliger in Festũ. *Apparatus mortuorum,funus dici solet:exstructio lignorum, rogus;subiectio ignis,pyra:crematio cadaueris,bustum:locus, vstrina:operis constructio,sepulcrum:inscriptum nomen memoriaq; monumētũ.* In veteri gloss. *vstrina*, πυρκαϊά: *vstrina* καῦστρα νεκρῶν. Inde hæ voces interdum separatæ,vt notare licet in antiquis duobus saxis Romæ: *Huic monumento vstrinam applicari non licet.& : Ad hoc monumētũ vstrinam applicari non licet.* Sic fermè Scaliger in Festum.

Funus. Rogus. Pyra. Bustum. Vstrina. Sepulcrum. Monumentum.

Qui etiam in Coniectan. addit nonnulla ad idem discrimen: *etiam si quis combustus esset,non dicebatur humatus,antequam iusta persoluta essent:neque propriè situs,nisi posita inscriptione, quod fiebat denicalibus ferijs.* De his etiam nonnihil lib.5.Æn.

5. ATRIS] Vel infaustis, vt ater dies,id est,infelix. Vel verè atris,nam eo virore frondes erant saturatæ, vt præferrent atriciem.Sunt qui in Poëta atras frondes intexentes,latera pyræ confundant cum cupressibus. Quibus fauere potest Papin.4. Theb.qui in re simili:

—frondes,atque omne cupressus
Intexit plorata latus.

& lib.6.

Tristibus interea ramis,teneráque cupresso
Damnatus flammis torus,& puerile pheretrum
Texitur.

& Ouid.qui.3.Trist.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso.

Hi duo, præsertim Papinius, id muneris dant cupressui,quod Virgilius atris frondibus. Nihilominus tamen satius est dicere, Virgilium distinxisse atras frondes à cupressu, vt illæ latera intexerent, ista ante pyram locata esset ex more,quem postea aperiam.

6. INTEXVNT] Pari verbo in lib.11.de re simili:

Haud segnes alij crates,& molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis,& vimine querno.

Papinij loca iam attuli.

7. FERALES] Quæcunque ad mortuos & manes pertinent, dicuntur feralia. Inde, notante Delrio,ferales cyparissi apud Ouidium, feralia officia apud Apuleium.1. As. epulum ferale, Plinio:ligna feralia, apud Minutium in Octauio : reliquiæ ferales, apud Tacitum lib.2.vrna feralis apud eundem lib.3. Sed vnde vox orta?à verbo *fero*,& *effero*,quæ mortuorum sunt:inde funus, & inferiæ. Hoc præfero, non illud Beroaldi, qui in Apul.ducit à voce *Fera*, quæ veteribus mors dicebatur.

Ferale,vnde dictum.

8. ANTE CVPRESSOS] Cupressi constitutæ sunt ante pyram cum allusione aperta ad Romanum morem. Hæc enim arbor ante fores mortuorum, & in ipso vestibulo ponebatur. Inde huic mori hærens Poëta eandem rem attribuit funeri excitato in littore. Morem istum, & moris rationem Seruius aperit lib.4.Æn.ad illud, *& fronde coronat Funerea*.eius verba sunt: *Romani moris fuit propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, vt potißimùm cupreßus,quæ excisa renasci non solet,in vestibulo mortui poneretur,ne quis imprudens funestam domum, rem diuinam facturus,introeat: & quasi attaminatus suscepta peragere non poßit.* Videtur Seruius hæsisse Plinio,qui lib.16.c. 33 *Cupressus Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita.* Ex eodem more vult Had. Iunius dictum à Lucano:

Cupressus ante fores mortuorũ.

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Paria de picea suprà attuli. Dissimulo, quæ Iosephus Scal.de Lucani loco,& contra Seruium.Tu lege Goropium in Hierogl. pag. 103. Seruius ipse rationem aliam adducit ex Varrone. Pyras cupresso circumdari, propter grauem vstrinæ odorem. Quid si sacra mortuis propter eius viuacitatem,&(sic dicam)æternitatem? Est enim arbor hæc diu durans:quamobrem sic meliùs repræsentabit conditos mortuos, & nunquam renaturos,nisi ad extremum orbis fatum. Quæ dixi de viuacitate cupressi, expressa à multis. Nunc occurrit Martialis lib.6.

Cupressus cur dicata mortuis.

Sed viua generata de cupresso,
Quæ nec sæcula centies peracta,
Nec longa cariem timet senecta.

9. CALI

9. CALIDOS LATICES] Ablui defunctorum corpora ex more fuit, de quo postea: aquam debere esse calidam, hoc loco attingitur. Homer. 24. Odyss. A

——— καθήραντες χρόα καλὸν

ὕδατί τε λιαρῷ:

purgantes corpus pulcrum aqua calida. & 18. Il. in funere Patrocli.

--ἐπειδὴ ζέσεν ὕδωρ ἐνὶ οἴνοπι χαλκῷ:

--postquam incaluit aqua in lebete insonante.

Mortui cur calida abluerentur.

Huius moris Seruius ex Plinio hanc adhibet rationem: *Plinius in naturali historia dicit, hanc esse causam, vt mortui & calida abluantur, & per interualla inclamentur: quòd solet plerunque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert, quendam suppositum pyræ adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari: vnde & seruabantur cadauera octo diebus, & calida abluebantur, & post vltimam conclamationem comburebantur.* B Breuiter rationem hanc ita concipe. Abluebantur calida, vt si quid vitalitatis inesset, expulsa appareret frigiditate. Ideo, credo, Poëta signatè *frigentis*, non defuncti, aut aliud, quo moris rationem indicet. Locum Plinij, quem Seruius aduocat, non facilè reperies, adeo Seruius non bona fide exscripsit, ait Kirchmannus. Sed dici potest, fortasse respectum ad caput 52. lib. 7. vbi ait Plinius, Auiolam consularem in togo reuixisse: cui, quoniam subueniri non potuit, præualente flamma, viuus crematus. Vide Valerium Max. lib. 1. cap. 8. Exempla porro multorum, qui, cùm elati essent, tamen reuixerunt, plurima aduocat Kirchmanus lib. 1. de funeribus Roman. cap. 13. ex Manilio lib. 4. Plinio lib. 7. cap. 52. Plutarcho de sera vindicta, Apuleio lib. 4. Florid. demum id probat ex Corn. Celso. C Potuisset etiam vti testimonio Platonis lib. 10. Polit. apud quem quidam Eris Armenius ἐπὶ τῇ πυρᾷ κείμενος ἀνεβίω: *impositus pyræ, reuixit.* Lege etiã Artemidori cap. 84. libri quarti. & Historiam Eusebij contra Hieroclem, de puella, quæ cùm putata esset mortua, excitata est ad pluuiam aquam ingruentem. nam videlicet scintilla vitalis auræ, quæ medicos latuerat, cadente rore reuixit. Ita vir hic dissoluit miraculum falsum Apollonij Tyanei.

Cadauera abluebãtur.

10. CORPVSQVE LAVANT FRIGENTIS] Attigit hunc morem Homer. Il. vlt. δμωὰς δ' ἐκκαλέσας λοῦσαι κέλετ': *ancillas autem vocans lauare iussit.* Euripides in Troadib. ἔλουσα νεκρὸν, κἀπένιψα τραύματα: *laui cadauer, & ablui vulnera.* Arnobius lib. 5. *Priusquam veste velaret ac tegeret, lauit vtique balsamis.* D Athenæus lib. 9. ait, propriè apud Athenienses vocari ἀπόνιμμα lotionem cadaueris, quæ adhibebatur in honorem defunctorum. Sed explico Athenæum κατ' ἐξοχὴν. Nam id verbi datur etiam non mortuis, vt apparet ex Aristophane in Vespis, apud quem senex Philocleon,

——καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με

ἀπονίζῃ:

& primum quidem filia me abluit. Multa prætereo, & quæ adduxi, addi possunt Ennio, Apuleio, Luciano, quos alij inuenêre. Digna est consuetudo Dardanorum, qui sunt in Illyrico, quæ sciatur. Ait de illis Ælianus lib. 4. Var. Hist. cap. 1. ter tantùm in vniuersa vita lauari consueuisse, nunquam aliàs, videlicet, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας: *post partum, cùm nuptias ineunt, cùm obeunt.* E Do hîc πάρεργον. verba Aristophanis adducta ita procedunt.

[Dardanorũ consuetudo.]

—καὶ τὼ πόδ' ἀλείφῃ, καὶ προσκύψασα φιλήσῃ:

—& pedes vngit, & prona osculatur.

Tria vides, lotos pedes senis à filia, vnctos, osculatos: quæ tria peccatrix Christo exhibuit. Itaque ex vetere more id opus iniunctum fœminis.

Fœminæ pedes lauabãt.

Mortui vngebantur.

11. VNGVNT] Tritus ad hunc morem versiculus Ennij:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Mitto alios, quos alij dant, & adiicio Tertullianum, qui de resurrectione carnis: *corpora medicata condimentis sepulturæ.* ac Lactantium lib. 2. cap. 4. *Defunctorũ corpora odoribus, & preciosis vestibus illita.* Atque etiam Iulium Firmicum ad Constantinum & Constantem Augg c. 23. *Vnguentum hoc reserua mortuis, reserua morituris.* Et Cedrenum, qui locum, vbi conditi multi Constantinopolitani Imperatores, μυρέλαιον vocat, ab vnguento credo, & oleo mortuorum. Allusit lepidè Martialis:

Qui non cœnat, & vngitur Fabulle,

Is verò mihi mortuus videtur.

Mortui vbi vngerentur.

Sed circa hanc consuetudinem nonnullos ritus obseruare è re erit. Vngebantur mortui, cùm alibi, tum maximè ore. Apul. 4. Flor. *Iam miseri illius membra omnia aromatis persperse, iam os ipsius vnguine odoro delibutum.* Vngebantur exactis intestinis interiora. quem morem latè suppeditat Herodotus lib. 2. sed id fiebat, vt diu illæsa seruarentur cadauera, vt nunc apud nos. Post combustionem ipsi etiam cineres vngebantur. Ouidius. 3. Fast.

Vngebantur cineres mortuorum, & Bustum.

Mista bibunt molles lacrymis vnguenta fauillæ.

Scio Ouidij alium esse posse sensum. Bustum quoque, & lapis vngebatur. De busto Propertius lib. 4.

Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos

Iniicere, & fracto busta piare cado.

De lapide Anacreon.

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν;

Τί δὲ γῇ χέειν μάταια;

Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,

Μύρισον:

Vnguenta mortuorũ.

Quid te oportet lapidem vngere? quid terræ fundere peritura dona? me potiùs vnge manente vita. Sed quibus vnguentis? Vidisti aromaticum in Apuleio, hyacinthinum in Propertio. Persius & Iuuenalis amomum exhibent, prior Sat. 3.

Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.

Posterior Sat. 4. *Et matutino sudans Crispinus amomo,*

Quantum vix redolent duo funera.

Homerus rosaceo vngit, si credimus viris doctissimis, vbi enim Il. vltimo legitur, λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ: *lauerunt, & vnxerunt oleo,* non pauci admonent, oleum hoc vnguentum rosaceum esse, quòd huic maximè insit vis ad conseruanda cadauera. Fortasse, quia idem vates Il. 23. in funere Patrocli, ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ:

Rosaceóque vnxit oleo.

vbi pariter multi per oleum capiunt vnguentum. Hinc fortasse lucem capiet Horatius Sat. 5. lib. 2.

———*cadauer*

Vnctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

vbi non oleum simpliciter, sed vnguentum rosaceum fortè capiendum. Sed redeo ad pensum. Apuleius. 2. Apolog. plurima infert genera, cùm ait: *Si thus, & casiam, & myrrham, ceterósque id genus odores funeri tantùm emptos arbitreris.* Sciendum quoque, Virgilium, & reliquos Latinos, non tam loqui ex Romano, quàm ex Græco more, scribente Plinio lib. 13. cap. 1. *Primum, quod equidem inueniam, castris Darij Regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium vnguentorum: postea voluptas eius à nostris quoque inter laudatissima atque honestissima vitæ bona admissa est, honósque is & ad defunctos pertinere cœpit,* id est, pertinere cæpit, me explicante, apud Latinos. Nam in Græcis iam diu mos iste inoleuerat, vt apparet ex Homero, qui præcessit Darij & Alexandri tempora. Inde idem Plinius cap. 3. eiusdem libri vnguenta vocat *exotica,* id est, peregrina, & externa. Obiicies versum Ennij adductum de Tarquinio: & Tarquinij quidem ætas ante Alexandrum fuit, falsus ergo Plinius? respondet

Vnguenta exotica.

Magius in Miscellan. dictum Ennij capiendum κατ' πρόληψιν, id est, anticipationem: quod enim mox gestum est à Romanis, ipse priùs anticipat. Talia multa sunt apud Poëtas. Sic diluit illud Ouid. 4. Fast. de Remi funere,

Arsuróśque artus iunxit.

& si qua alia occurrant. Demum scias, hoc proprio verbo dictum *pollingere*, & qui vngebant *pollinctores*. Plautus Pœnul. *Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Apuleius Hermagora: *Pollinctor eius funeris dum vnctionem parat.* Nec te prætereat fuisse hanc vnctionem nobilitatis indicium, cùm scribat Cicero. 2. leg. cautum lege, ne serui in funere vngerentur.

Pollingere, quid.

Vnctio in funere fuit nobilium.

12. FIT GEMITVS] Morem, quem hîc attingit, alibi latiùs explico, & firmo. Inter ceremonias enim funerales destinabatur tempus quoddam peculiare gemendo, ac fundendis lacrymis. Inde sequitur, tollunt membra iam defleta. & Apul. lib. 1. *Domi tuæ iam defletus, & conclamatus es.*

Funeris lacrymæ.

13. TVM MEMBRA, &c.] Ex Homeri imitatione Il. 23.

Ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ:

Inq; pyra suprema cadauer posuerunt tristes corde.

14. REPONVNT] Verbum signatum ad hanc rem, de quo alibi.

15. PVRPVREASQVE SVPER VESTES, &c.] Ex more, quo purpureus color seruiebat mortuorum sollemnibus. Nonnulli pertinaciter contendunt, purpuram ita in funeribus induci, vt non inducatur ex more, tantùm ad conciliandum splendorem funeri. Sed huius rei tam crebra est mentio apud auctores, vt necessariò debeas morem agnoscere. Inde mihi Maro dixisse videtur *velamina nota*, morem indicans: quod præfero illorum explicationi, qui dicunt, nota ipsi Miseno. Morem itaque sic firmo. Liuius lib. 34. ore Valerij Tribuni: *Purpura viri vtemur, magistratibus in colonijsq; municipijsq; togæ prætextæ habendæ ius est, nec id, vt viui solùm habeant tantùm insigne, sed etiam vt cum eo crementur mortui.* Nihil clarius ad firmandum morem. Cicero. 2. Legum loquens de legibus funerum: *Extenuato igitur sumptu, tribus ricinijs, & clauis purpureis, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Sequutus sum lectionem Turnebi, & Lambini. De legis huius explicatione lege Kirchmannum lib. 3. de funerib. Rom. cap. 5. Redeo. Artemidorus lib. 1. c. 79. ait, coronas factas ex floribus purpureis mortem signare. οἱ δὲ ἐκ τῶν πορφυρῶν, θάνατον σημαίνουσι: Dio Chrysost. orat. 62. loquens de Sardanapalo: καθῆστο ἐπὶ χρυσηλάτου κλίνης, ἀνασείσας, ὑπὸ ἀλουργέσι τάπησι, ὥσπερ ὁ θρηνούμενος ὑπὸ τῶν γυναικῶν Ἄδωνις: *iacebat in lecto deaurato, pedibus in altum sublatis sub pallijs purpureis, quemadmodũ defletus à mulieribus Adonis.* Hæc loca mihi præeunt, vt in reliquis auctoribus, qui in funeribus dant purpuram, intelligam non tam libentiam quandam ex accidenti, quàm morem verè insitum. Hi sunt Herodianus lib. 4. apud quem principes præcedunt funus βασίλειον φέροντες πορφύραν: *ferentes regiam purpuram.* Suetonius, qui in funere Cæsaris cap. 84. *Intraq; lectus eburneus auro & purpura stratus.* Statius. 5. Syl. apud quẽ Priscilla composita ad tumulum, recumbit in *Tyrio tegmine.* & iterum:

Purpureus color sacer mortuis.

Hîc te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius coniux (neque enim fumantia busta,
Ardorémque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro.

Antonius Bruti cadauer veste purpurea iussit obuolui, narrant Plutarchus in Bruto, Valerius lib. 5. cap. 1. Appianus lib. 4. Ciuil. Sed & in heroicis temporibus. Nam apud Homerum Il. vlt. vrna Hectoris purpureis

A velaminibus obtegitur,

Πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν.

Morem Platæensium adducit Lilius Syntag. 17. vbi inter alia ait, cùm sacra fiunt manibus peremptorum ciuium, principem ipsum indutum purpura immolare taurum ante pyram. Lacedæmoniis hunc fuisse morem apertè testatur Plutarchus, vbi illorum instituta persequitur; sic enim de Lycurgo ait: συνθάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν, ἀλλ' ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας, θέντας, τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας: *Nihil permisit cũ cadauere humari, verùm illud in punicea veste ac folijs oleæ cõponi eodẽ ab omnibus modo iussit.* Quibus verbis generalem morem agnoscis, non solùm ad principes, sed ad homines è vulgo. Scio, ab Æliano lib. 6. Var. hist. c. 6. hanc purpuram in humatione contrahi ad viros

B principes Laconum, ipse ἀριστέας vocat. Sed ita tamen contrahit, vt communis mos appareat. Adduco tandem ad morem istum firmandum verba Damasi loquentis de Eutychiano Pontifice, eáque ex fide Kirchmanni; constituit enim Eutychianus, *vt quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine Dalmatica, aut colobio purpurato nullatenus sepeliret.* Sed hic mos procul dubio peculiaris fuit, tantùm ad signandos martyres, quorum effusum cruorem refert color purpureus. Ex hoc more, credo, factum, vt visus in somnis color purpureus præsagiat malum omen. Inter versus Astrampsychi onirocriticos hic legitur:

Purpureus color mali ominis.

Στολὴν δ' ἀλουργὸν, εἰς μακρὰν νόσον φέρει.

C Hîc ἐκ παρέργου scias, colorem album fuisse etiam in vsu funerum. Volo illustrare, coactus inopia illorum, quorum intererat. Induxit illum Homerus. 18. Il. nam cadauer Patrocli ait opertum fuisse φάρει λευκῷ: *albo amictu.* Herodianus in funere Seueri lib. 4. infert mulieres, ἐσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννυμένας: *vestibus albis indutas,* & adiicit signanter σχῆμα παρεχούσας λυπουμένων: *habitum lugentium præferentes.* Plato. 12. Leg. dat his, qui deflent functos, λευκὴν στολήν. Artemidorus lib. 2. cap. 3. ait, significari mortem viro ægrotanti, si somniet se habere albas vestes, & addit rationem hanc: διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι: *Quòd mortui in albis vestibus efferantur.* Par fermè somnium est in Pausania, apud quem in Messeniac. Aristodemus somnians exterretur, vidit enim se à filia donari albis vestibus, &

Color albus dicatus funeribus.

D corona. adiicítque mali somnij parem rationem: nam Messenij mortuos efferunt habentes ἱμάτια λευκά: *albas vestes.* & in eodem Artemidoro lib. 4. cap. 3. apud quem Aristides ægrotans visus est sibi afferri albas vestes, neque multo pòst mortuus est. Nec vnde autem mos hic meliùs elucescit, quàm ex Tullio orat. in Vatinium. Inter alia ita ait: *illud autem scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente fueris, vt in epulo Q. Arij familiaris mei cum toga pulla accumberes? quem vnquam videris? quem audieris? quo exemplo? quo more feceris?* iterum:

Quis vnquam in luctu domestico, quis in funere familiaris cœnauit cum toga pulla? Demum: *Quæ te tanta tenuit dementia, vt tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi*

E *violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos ciuium, morem veterum, eius qui te inuitauit auctoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare?* Vides vt non solùm defunctus efferatur albis, sed etiam pullati non sint, imò albati sint, qui celebrant epulum defuncti, vt ipse scribit ibidem Cicero. Verba afferam ad finem huius Notæ. Suetonius quoque in Nerone cap. 50. *Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis.* Plutarchus ἐν Ῥωμ. τὸ σῶμα τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς: *defuncti corpus albis inuoluunt.* Vide, an hinc possis explicare Pausaniam lib. 5. vbi ait, Nocti esse in manibus duos pueros,

Mortem,

Mortem, & Somnum: & Morté ait fuisse παῖδα λευκὸν: *album puerum.* Locum infrà latiùs adduco ad rem aliam. Rationes porro, cur hic color dicatus funeribus, vide in eodem Plutarcho. Earum vna est, hunc colorem esse vilem, & facilè parabilem. In qua habet contra se Plutarchus Pausaniam, & Artemidorum dictis locis: nam prior ait, efferri albis vestibus cadauera ἐπιφανῶν, *illustrium.* posterior, seruos, pauperes, vinctos, μὴ ἐν λευκοῖς δὲ, τὴν ἀπορίαν ἐκκομιζθήσεσθαι: *non in albis efferri propter inopiam.* Præterea, exempla quæ adduxi, omnia sunt virorum principum, videlicet Patrocli, Seueri, Aristodemi, Neronis. Habet etiã contra se Tullium, qui contra Vatinium, de illis, qui celebrant epulum defunctorum, quæ res vicina elationi, ita ait: *cedo, quis vnquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum est funebre, vt munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis.* Pollux etiam lib. 4. ait, in genere vti solitos albis, qui essent ἐν δυσυχίαις, *in infortunijs.* Non dubium autem, quin hæc superstitio mutata sit posteriore æuo, magis enim consentaneum luctui est, si defuncti in pullis & atris lugeantur.

16. PARS INGENTI SVBIERE PHERETRO] Attingit morem, quo defuncti humeris portabantur. (Mortui humeris portabantur.) Sueton. August. cap. 100. *Senatorum humeris delatus in campum, crematúsque.* Tacitus. 3. Annal. de Germanico, *Tribunorum Centurionúmque humeris cineres portabantur.* & lib. 1. de honoribus Augusto decretis: *Conclamant patres corpus ad rogum humeris Senatorum ferendum.* Herodianus li. 4. in funere Seueri: τὴν μὲν κλίνην ἀράμενοι τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος ἀγενέστατοι, καὶ τῆς συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι: *lectum humeris attollunt equestris ordinis nobilissimi, atque ex senatu lectissimi adolescentes.* De Sylla Appianus lib. 1. ἐμφυλ. τὸ δὲ λέχος ὑποδύντες ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρες ἐρρωμένοι διεκόμιζον ἐς τὸ Ἄρειον. *Lecticam subiêre potentiores ex senatu, & intulêre in campum Martium.* Apud Dionysium lib. 8. Antiquit. Iuuenes spectatæ virtutis extulerunt corpus Coriolani. Ad eundem morem pertinet historia corui, qui Romæ in deliciis habitus, cuius funus vide apud Plinium lib. 10. cap. 43. & de aue Phœnice lege Artemidorum lib. 4. cap. 49. Consuetudinem hanc ex Christiano ritu repræsentat Prudentius hymno. 2. περὶ στεφ. Adtu dunt aliqui, munus istud datum propinquis defunctorum, & vix probant testimonio. Sed in promptu est Sophocles, apud quem in Aiace, mortui Aiacis corpus filius, & frater Teucer portant ad sepultu ram. Idem obseruo ex Iuuenal. Sat. 10. vbi ait, Hectorem portaturum Priami funus, si hic moreretur Troia incolumi. & ex Macario seniore homil. 15. attingente obiter hunc morem; ait enim solitos efferri defunctos, *per suos fratres, cognatos, amicos, familiares.* & in Romana historia Metelli pheretrum filij subiere: de quo, præter alios scriptores, legendus Plinius lib. 7. c. 44. & Val. Max. lib. 7. cap. 1. & Velleius lib. 1. Horatius Satyr. 5. lib. 2. hoc muneris hæredi dat.

17. SVBIECTAM] Seruius morem agnoscit, quo faces ante mortuos deferebantur. Sed sententia Poëtæ simpliciùs capienda est, vt tantùm dicat subiectum ignem pyræ, vt arderet. Idem enim hîc dicit, quod in 11.

—subiectísque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cælum.

Propertius expressit verbo *subdo* lib. 4.

Sic mœsta cecinêre tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Sicut Iustinus lib. 11.

Nonnulli facem nuptijs filiæ accensam, rogo patris subditam dolebant.

qua phrasi etiam vsus est Ammianus lib. 17. Potuerunt sumere à Lucret. lib. 6.

Subdebantq; faces multo cum sanguine.

Statius 4. Theb. per verbum *subiecto*, cùm ait:

—nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectare faces.

Arnobius li. 7. per *suppono*. Plutarchus, ex nota Germ. ἐν Ρωμ. dixit, δᾶδα ὑφάπτειν. & ex mea ibidem, ὑφίεσθαι δᾶδα. Propertius lib. 3. eleg. 13. communi verbo:

Namq; vbi mortifero iacta est fax vltima lecto.

Cùm adiicit, *auersi*, notat, ab inuitis ignem subiici, vt qui dolore illo acriter pungerentur. De qua re quidpiam notat Donatus. Inculcant hîc interpretes aliqua de propinquis, quæ tamen necessaria ad Poëtam non sunt.

18. FACEM] Faces in ministerio mortuorum fuisse satis te docet Delrius in Herc. Oet. Senecæ nouis comm. versu. 1658. cui adiice Apuleium. 4. Florid. & quos non?

19. CONGESTA CREMANTVR THVREA DONA] (Thus in funeribus.) Pretiosos quosque odores crematos vnà cum cadaueribus defunctorum, proclamant historiæ veterum. De rhure tantùm firmabo, quia res ista Virgilij est. Ergo Herodianus lib. 4. πολλὰς ἑκατόμβας κατέθυσε, λιβανωτῷ τε τοὺς βωμοὺς ἐσώρευσεν: *multas hecatombas mactauit, & thure cumulauit altaria.* Statius. 3. Sylu.

—tu largus Eoa
Germina, tu messes Cilicúmque Arabúmque superbis
Merge rogis, ferat ignis opes hæredis, & alto
Aggere missuri nitido pia nubila cælo
Stipentur cineres.

& lib. 5. Sylu.

—quis carmine longo
Exsequias, & dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floréque Sabæi,
Indorúmque arsura seges, præreptáque templis
Thura.

Propert. lib. 2. eleg. 13. sibi imprecans:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus.

& post pauca hærens eidem mori:

Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

Plutarchus, in funere Syllæ, tantam copiam thuris & odorum allatam scribit, vt præter odores, qui portabantur in lecticis decem ac ducentis, simulactum Syllæ iustæ magnitudinis ex odoribus formaretur, ac præterea corpus lictoris ex pretioso thure, ac cinnamomo, πλασθῆναι δὲ καὶ ῥαβδοῦχον ἐκ τε λιβανωτοῦ πολυτελοῦς καὶ κινναμώμου. Ideo autem thura offerebantur, quia sepulcra eorúmque iura sacra fuerunt antiquis. Adi Paulum Manur. de Legibus. Rhodiginum lib. 17. Ant. lect. Plinium alterum lib. 5. epist. 16. ad Marcellinum. Claudium Guichardum lib. 1. de funeribus. cap. 1. & 3. & lib. 2. cap. 2. De thure etiam videndus Plinij locus lib. 12. c. 18. & Kirchmannus lib. 3. de funerib. Roman. cap. 5. qui ex hac thuris & odorum consuetudine lucem dat loco Paralipom. libro. 2. cap. 16.

20. DAPES] Intelligit fortasse adipes hostiarum, præeunte mihi ad hanc rem Homer. Il. 23.

Πολλὰ δὲ ἴφια μῆλα, καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς
Πρόσθε πυρῆς ἔδερόν τε, καὶ ἄμφεπον. ἐκ δ' ἄρα πάντων
Δημὸν ἑλὼν ἐκάλυψε νέκυν μεγάθυμος Ἀχιλλεὺς
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, περὶ δὲ δρατὰ σώματα νήει:

Multas autem pingues oues, & errabundas camuras boues
Ante pyram excoriarunt, & disposuerunt: éxque omnibus

Adipem

Adipem accipiens, obtexit cadauer magnanimus Achilles
Ad pedes à capite, circúmque excoriata corpora accumulabat.

Cœna mortuorum.

Non dubium, quin vterque signet mensam feralem mortuorum, aut cœnam, de qua Iuuenal. Sat. 5.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Apuleius. 4. Florid. *procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam inferrent.* Persius vocat: *cœnam funeris.* Attingit & hanc cœnam Sanctus Ambrosius, sed reprehendens lib. de Helia & Ieiunio cap. 17. *Sicut illi, qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum.* Eadem, & maiore acerbitate in reprehendenda hac consuetudine, vtitur Theodoretus serm. 15. de sanctis.

21. FVSO CRATERES OLIVO] Quo consilio, roget quispiam, infertur oleum in funeribus? Fortasse simpliciter capiendus Poëta. nam fusum oleum ex ritu mortuorum, sicut mel, & alia apud Homerum in funere Patrocli. Vide multa apud Lilium Syntag. 17. de A vsu olei in sacris, præsertim quæ adducit ex Platæensibus, Ægyptiis, Persis: ij enim in sacris olei vsum præcipuum habuerunt. Est etiam huius rei locus apud Pollucem lib. 10. vbi loquens de sacris: καὶ λοιβεῖον, τὸ ἔλαιον. *& libatorium, cui oleum.* Olei etiam meminit Ioann. Damascenus, quo peragerentur funera; oratione de Fidelibus Defunctis. Sed ego possum coniicere morem alium. Tunc fausta omnia & felicia esse credebantur in funere, si quam citissimè arderet pyra. Inde pingues arbores ad hanc rem vsurpatæ. Inde ergo & oleum fusum. Aperit Homerus, qui in funere Patrocli Il. 23. Achillem inducit, qui, quòd pyra non arderet, ventos precatur, illísque libat, vt quàm velocissimè adsint. Eodem pertinet, quod Plutarchus de Sylla narrat, cùm ait, perpetuam fortunam, quam B habuerat in vita, eius quoque cadaueri comitem fuisse: nam & exorti sunt venti, qui rogum in multas flammas excitauit; & tabescente iam rogo consumptóque cadauere, multus imber effusus est, qui toto tamen die pependerat suspensis aquis, donec arsissent omnia. Inde postea in sacro inferorum:

Oleum in sacris.

Oleum cur in ministerio mortuorum.

Pingue supérque oleum fundens ardentibus extis.

ᵃ Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauêre fauillam,
Ossaq; lecta cado texit Chorinæus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
Lustrauitq; viros, dixitq; nouissima verba.
ᵇ At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suáque arma viro, remúmque, tubámque
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternúmque tenet per sæcula nomen.

ARGVMENTVM.

Sequuntur ritus alij, cremato iam cadauere.

EXPLICATIO.

ᵃ Cremato cadauere narrat quæ deinde gesta. Ea sunt, reliquias funeris ablutas vino; lecta ossa in cado ab Chorinæo; omnes, qui aderant, sparsos aqua lustrali, idque ramo oleæ; dicta verba missionis, quæ sunt, aut *vale*, aut *illicet*. Fauilla dicitur *bibula*, quia, vt sicca, imbibit in se quodcunque est humidum.

ᵇ Hæc dum alij, Æneas interim verè pius, vt qui pietatem in defunctum exerceret, sepulcrum ipse Miseno constituit sub monte, ibi arma, remum, tubam posuit: monti illi nomen permansit à Miseno. Mons Aërius est, altus.

NOTÆ.

Vini vsus in funeribus.

1. RELLIQVIAS VINO] Vini vsum in hoc funere inducit Virgilius, vt lauentur ossa, neque alia illius mens, quicquid alij commententur. Græci ad exstinguendum ignem vtebantur vino. Homerus clarè Il. 23.

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ:
Primùm quidem rogum exstinxerunt nigro vino.

A quo Calaber lib. 3. in funere Achillis πυρκαϊὴν οἴνῳ σβέσαν. Dictys loquens de Achille in funere Patrocli, C *ísque vino multo sopita iam fauilla, reliquias in vrnam collegerat.* Papinius 6. Theb.

——multóque soporant
Imbre rogum.

id est, vino. nam instititisse & mori, & aliis credendus: sed & sibi, nam ipse 2. Syl.

——nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres.

Dicit videlicet, rogum restinctum vino Setino. Hic idem vsus apparet ex Græco epigrammate, vbi inter alia, μηδὲ τὸ πῦρ βρέξῃς: *nec ignem irriges.* Epigramma hoc citant Muretus lib. 3. Var. cap. 19. Iosephus Scal. in coniectan. Dalecampius in Plin. lib. 14. c. 12. Sententia Poëtæ Græci est, malle se viuum madere vnguentis & vino, quàm vtrumque seruare ad exsequias. Hi D clarè loquuntur de re Homeri. Alij trahi possunt vel ad Virgilium, vel ad Homerum, id est, ad lotionem ossium, aut ad exstinctionem ignis. In his sunt Prudentius hym. 6.

Et perfusa mero leguntur ossa.

& vetus inscriptio cippi apud Smetium:

Ossibus infundam quæ nunquam vina bibisti.

& alij. Sed Tibullum ad Virgilium traho lib. 3. eleg. 2.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.

Lege integra Tibulli, vnde allucebunt tibi mores alij in re funerea seruati. Disce obiter alium vini vsum in funeribus, ex Herodoto lib. 2. Aluus defunctorum,

rum, qui condiendi aromatibus, priùs quàm myrrha & alia iniicerentur, purgabatur vino quodam palmeo, φοινικηΐῳ, illóque intestina omnia eluebantur. ἐκκαθήραντες (inquit) αὐτὴν (κοιλίην) καὶ διηθήσαντες οἴνῳ: Alium quoque vini vsum in re mortuorum suppeditat Philostratus in Heroicis, vbi ait, agricolam quendam Palamedis viri optimi studiosum, huius sepulcro & pulueri obtulisse, quæcunque leges mortuorum sanciunt, intérque alia, τὰς τενδίας τῆς ἀμπέλων ἐξαίρων αὐτῷ, κρατῆρα ἐτρύγα, καὶ ξυμπίνειν τῷ Παλαμήδει ἔφασκεν, ὅτε ἀναπαύοιτο τῶν ἔργων: *suauissimas vites ipsi deligens vini poculum exprimebat, & vnà cum Palamede bibere dicebat, cùm ab operibus quiesceret.* Tertium adhuc vsum in funeribus aperit historia, quam narrat Lazius lib. 3. Comm. cap. 18. Ait ille, repertum sepulcrum in ruinis Carnunti, celeberrimæ olim coloniæ Illyrici, in quo sepulcro inuentum est vitrum cum vino optimo & generosissimo. Hæc Lazius. Huius historiæ, si causam excutias, inuenies fortasse hanc esse. Solebant ethnici apponere, interdum sculpere, supra sepulcra mortuorum, lagenam vini in signum lętitiæ, quòd videlicet sperarent mortui, vinum se post fata etiam gustaturos, quod obseruauit Constantius Landus in libro numismatum. Quæ dixi de lagena firmat epigramma Græcum de calice supra tumulum posito, Antipatri Sidonij lib. 3.

Τῆς πολιῆς τὸ δὲ σῆμα Μαρωνίδος· ἧς ἐπὶ τύμβῳ
Γλυπτὴν ἐκ πέτρης αὐτὸς ὁρῆς κύλικα:
Hæc vetulæ sunt busta Maronidos. Illius hic est,
Quem sculptum è petra conspicis esse lapis.

Porro de lege illa Numæ, *vino rogum ne respergito*, abvnde locuti docti. abstineo.

Mortuorum cineres rigabantur.

2. BIBULAM LAVERE FAVILLAM] Crediderim hanc lotionem esse aliud nihil, quàm, irrigare cineres (certè Homerus δεῦε γαῖαν, dixit, *terram rigauit*) atque ita in vnum coniungere, vt lutulenti melius legerentur, deinde, si qua stipula, aut carbo adhæsisset, adimeretur. Roges, qui cineres legebantur? nonne misti? nonne confusi cum reliqua materia, & lignis, quæ arsissent? Sanè studium veterum illud fuit, vt cuius vellent asseruari cineres, sic cadauer componerent in pheretro, vt illius reliquiæ discretæ essent ab reliqua materia. Hoc studium satis indicat Homerus 23. Il.

Ὀστέα Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο λέγωμεν
Εὖ διαγιγνώσκοντες (ἀριφραδέα τέτυκται)
Ἐν μέσσῃ γὰρ ἔκειτο πυρῇ, τοὶ δ᾽ ἄλλοι ἄνευθεν
Ἐσχατιῇ καίοντ᾽ ἐπιμὶξ, ἵπποι τε, καὶ ἄνδρες:
Ossa Patrocli Menœtiadæ colligamus
Bene discernentes (cognitu facilia enim sunt)
In media namque iacebat pyra, alij verò seorsum
In extrema ora vrebantur promiscuè, equique & viri.

Linum viuū.

Est in Plinio lib. 19. cap. 11. locus dignus, qui ad hunc morem notetur. vbi loquens de quodam lini genere, quod ignibus non absumitur, atque ob id viuum vocatur, ita ait: *Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo separant cinere.* Hunc morem obseruatum animaduerti in Dicty Cretensi lib. 4. de Bel. Troiano: *ita collectos suos quisque igni cremant, & more patrio sepeliunt, seorsum à cæteris cremato Memnone, cuius reliquias vrna conditas, &c.*

3. OSSAQUE LECTA] Totus hic locus ducitur Homerico filo Iliad. 23. de funere Patrocli.

Κλαίοντες δ᾽ ἑτάροιο ἐνηέος ὀστέα λευκὰ
Ἄλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην, καὶ δίπλακα δημόν
Ἐν κλισίῃσι δὲ θέντες, ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν:
Flentes autem socij pij ossa alba
Collegerunt in auream phialam, & duplicem adipem,
In tentoriisque ponentes linteo subtili operuerunt.

Paria fermè 24. Iliad. in funere Hectoris. Lege. Inde ὀστολογία Græcis, & Latinis *ossilegium*. Erat ossilegium veteribus in honore maximo; magnum contrà dedecus non legi ossa, vt facilè apparet ex Strabone lib. 6. apud quem Locri ossa filiarum Dionysij non sinunt legi, imo κατεπόντωσαν: *dissiparunt in mare*, idque contumeliæ loco. Mores, qui in hac re seruati, persequar lib. 11. vbi similis ritus attingitur, ne onerem istam partem commentationis, quæ plena frequentissimis moribus.

Ossilegium.

4. IDEM TER SOCIOS PURA CIRCUMTULIT UNDA] His tribus versibus exprimitur à Poëta lustratio illa, quæ post funus fiebat ab antiquis, in quibus nihil ociosum est, sed omnia ex prisca religione. Nam cùm omnis expiatio seu purgatio ad superos pertinere crederetur, ternarium numerum superis sacrum adhibuit. Deinde vsus est verbo apto lustrationi, nimirum *circumfero*. Fuit enim huic verbo hæc potestas. Vnde & Plautus, *pro laruato te circumferam*, id est, purgabo. & in Amph. *Quæso, quin tu isthanc iubes pro cerita circumferri.* Adducit Nonius verba Lucilij è lib. 2. Sat. *Tum forte omnia sunt circumlata*, id est, lustrata, purgata. Imo lustratio ipsa, vt ait Seruius, dicta est à circulatione. Inde Græci, quod notauit Turnebus lib. 13. Adu. cap. 21. idipsum dicunt περιαγνίζειν, περικαθαίρειν, περιματτειν. Quibus adde ex Germ. περιρραίνειν. In omnibus vides περὶ, quæ respondet voculæ *circum*. Pergo. Tertiò, aquam spargit Poëta, quæ sordes abluat, aquam enim possum intelligere per *rorem leuem*. Nam hanc aspersionem fieri aqua, docet Pollux lib. 8. καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο, ὕδατι περιρραινόμενοι: *Qui ad ædes lugentis peruenerant, cùm inde exirent, purgabantur, aqua circumspersi.* Scholiastes quoque Aristophanis in Nubibus aquam intellexisse putandus est, cùm de hac re dixit λούεσθαι. verba eius. ἔθος ἦν μετὰ τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ νεκροῦ λούεσθαι τοὺς κατ᾽ οἶκον καθαρμοῦ χάριν: *moris fuit post elationem cadaueris, familiares lauari purgationis gratia.* Eadem pene verba sunt in Suida, qui ἀπολούεσθαι vsurpat. Ita interpretor hunc locum. Non enim placet, quod de rore marino, id est, frutice, aliqui dicunt, nimirum factum aspergillum ex rore marino & oliua, atque illo purgatos, qui aderant. Nam simpliciùs & veriùs multo capiendus est locus de rorali lustratione. Sic neque 2. Geor. in versu illo,

Circumferre, pro purgare.

Aqua ad purgationem mortuorū.

Vix humiles apibus casias, rorémque ministrat.

Nolui adhibere explicationem de frutice, tametsi aliqui probent. Sed quæ hîc *pura vnda*? Hoc quarto loco explico, aperiens morem ex Athenæo lib. 9. sed præstat illum audire. explicans enim, quid sit χέρνιψ; ita ait: ἔστι δὲ ὕδωρ, εἰς ὃ ἐπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ᾽ ὃ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν, καὶ τούτῳ περιρραίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον: *est aqua, in qua titionem tingebant sumptum ex altari, in quo sacrum peregerant, & illa aqua conspersos purificabant eos qui adessent.* Scio, Athenæū de re alia, quàm de funerea, loqui, sed inde tamen habeo, quæ sit aqua ad conspersionem, nimirum illa, in qua titio ex ara sacrificij sumptus tingeretur. Demum Poëta vsus est verbo *spargo*, quod in re sacra frequentissimum. Exemplis parco, hæc tibi Ouidius, Tibullus, Horatius præbent: primus. 4. Fast. aliter lib. 1. eleg. 1. tertius lib. 4. Od. 11. Inde in sacris *aspersorium*, de quo lege Festum. Cicero etiam 2. leg. meminit *sumptuosæ aspersionis* in funeribus. Quid sit *purè lauari*, vide apud Briss. lib. 1. Form. Quæ hîc inculcantur de purgatione per tædam, scillam, oua, sulphura, non videntur necessaria ad Poëtam. Hîc volo obiter morem teneas. Nulla poterant veteres sacra adire, sine lustratione illa, quam iam explicui. Hunc morem docet me Aristides, qui laudans humanitatem Imperatoris Antonini, ait, faciles ad illum fuisse aditus,

Sparsio in funeribus.

Lustratio necessaria ad sacra omnia.

tus, ὥσπερ εἴσω περιρραντηρίων, quasi iam lustrati essent, qui illum adirent. Inde morsus ille Lycurgi oratoris contra Alexandrum apud Plutarchum, qui, Atheniensibus deliberantibus, vt Alexandrum Deum facerent, dixit, ποδαπὸς ἂν ὁ θεὸς, οὗ τὸ ἱερὸν ἐξιόντας δεήσει περιρραίνεσθαι; *Qualis hic est Deus, cuius è templo exeuntes debent lustrari*, quasi dicat, lustrationem, quæ necessaria est ad aditum, vt purè sic fiat, necessariam esse ad exitum è templo Alexandri. Apud eundem Plutarchum de solertia animalium inducuntur sacerdotes Ægyptiorum, ὕδατι περιαγνίζοντες ἑαυτούς: *purgantes seipsos aqua*. Hanc lustrationem debere fieri multis partibus corporis satis indicat idem Plutarchus oratione posteriore de esu carnium, vbi ait: ἀλλὰ καὶ νῦν ἴσως ἁμαρτάνομεν, ὅτε ἁπτόμεθα τῶν βιβλίων τούτων, μὴ καθαρόμενοι χεῖρας, καὶ ὄψεις, καὶ πόδας, καὶ ἀκοάς: *Quanquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus, non lustratis manibus, oculis, pedibus, auribus*. Hinc puto natum Ecclesiæ sanctæ morem, vt in aditu templorum sit lustralis aqua. Quæ dixi in hac Nota, ducunt me, vt probem eruditionem Rubenij lib. 2. Elect. cap. 18. qui locum Vlpiani hunc, *neque agitatores, neque qui aquam equis spargunt*, refert non ad explicationem Alciati lib. 6. Parer. c. 3. sed ad aquam, qua equi ante cursum lustrabantur. Etenim, cùm ludi illi sacri essent Gentilibus, quid mirum lustratio, vt in re sacra, præcederet?

Lustralis aqua Christianorum.

5. FELICIS] Vel, vt opponitur oleastro, quæ arbor infelix Virgilio ipsi 2. G. nam arbores fructiferas vocamus, felices; contrà infructiferas, infelices. Vel felix olea dicitur, voce sacrorum, vt 3. G. *felix hostia*. Primum placet Turnebo, alterum aliis.

6. OLIVÆ] Ramum oliuæ pertinuisse ad sacra, multis docemur. Gratius lib. 1. venat.

—ipse manu ramum pellente sacerdos
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico, præsente Deo, præsentibus aris.

Oliua in sacris.

Nam termitem propriè oliuæ esse, sicuti palmitem vitis, Porphyrio docuit. Horatius epod.

Termes oliuæ. Palmes vitis.

Germinat & nunquam pallenti termes oliua.

Redeo. Elei, apud Pausaniam lib. 5. super aras τιθέασι κλῶνας ἐλαίας: *ponunt ramos oleaginos*. Serui, apud Plutarchum, in Amatorio, ἀνέστεφον ἐλαίᾳ καὶ δάφνῃ τὰς θύρας: *coronauerunt olea & lauro fores*. Apud Artemidorum lib. 4. cap. 30. Romani equites in pompa gestant στέφανον ἐλάϊνον, *coronam oleaginam*. Apud Philostratum lib. 7. de Vita Apollon. cap. 14. Domitianus sacra facturus inducitur θαλλοῦ στέφανον ἔχων: *oliua gestans coronam*. Ab Apuleio lib. 3. inducuntur duæ aniculæ etiam in re funerea *ramos oleaginos vtraque quatientes*. Virg. in Liri:

— Amyclæo spargens altaria thallo.

Est thallus oliuæ termes. In sacris Panathenaïcis erant ministri dicti θαλλοφόροι, quorum meminit Xenophon in Symposio, & Aristophanes in Vespis. Quem in locum Scholiastes, ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. Ait, pompam duci in Panathenaïcis ab senibus thallophoris. Ad eadem oleæ sacra pertinet nobilis consuetudo, qua Athenienses iresionem, id est, ramum oleaginum, offerebant Apollini ad arcendam famem, vt ex veteri poëta scribit Clemens lib. 4. Strom. vide quos ibi aduocet ad rem eandem Heruetus. Demum olea rei mortuorum seruiit apud antiquos Græcos, quod ex Demosthene notat Antonius Clarus libro singulari in leges; nefas enim erat, has arbores Athenis conuertere ad profanos vsus, tantùm ad sacros, intérque hos, εἰ ἐπὶ ἀποθανόντας δέῃ χρῆσθαι. Idem ego firmo ex Artemidoro lib. 4. cap. 59. vbi ait, τοῖς μὲν γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας συνεκφέρουσιν: *vnà cum mortuis oleas efferunt*. In fine animaduertenda Li-

Oleæ in ministerio mortuorum.

A lij nota syntag. 17. admonentis, lustrationem post funera solere fieri lauro, vt dicit Donatus, & consentit Seruius, & liquidum ex Iuuenale Sat. 2.

Laurus ad lustrationẽ.

—lustrari si qua darentur
Sulphura, cum tædis, & si foret humida laurus.

vbi *laurus humida* est, perfusa aqua ad aspersionem. Festus quoque: *Laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat: vel quòd medicamento siccissima sit, vel quòd omni tempore viret*. Sed Virgilium mutasse propter Augustum, nam quo die hic natus est, nata quoque in palatio est laurus, ex qua triumphantes coronabantur, atque adeo noluisse Poëtam inducere laurum ad funebrem lustrationem.

7. LVSTRAVITQVE VIROS] Id est, purgauit. Hoc verbum ad sacra etiam pertinuit. Sed præsertim dicebantur lustrari, qui polluti fuissent, quales ij erant, qui B interfuerant exsequiis. Sic apud Ouidium. 4. Met. Iuno, quæ infernos adierat, lustratur ab Iride priùs quàm cælum repetat.

Lustrabãtur polluti exsequiis.

Læta redit Iuno, quam cælum intrare parantem
Roratis lustrauit aquis Thaumantias Iris.

Cui rei consimilis mos, quem Festus aperit in voce *laureati*. vide.

8. NOVISSIMA VERBA] Sunt qui hanc sententiam referant ad vocem *vale*, sunt qui ad *Illicet*, id est, ire licet. Alterum Seruio placet. Terentius Andria: *actum est, Illicet*. Sed & hanc vocem fuisse generalem ad exitum omnium sacrorum, non tantùm funeris, Lilius notauit. 17. Syntag. Græci populum dimittebant ita, ἄφεσις ἔστω. De hac demissione *ite, Missa est*, lege Alciatum lib. 7. Parerg. cap. 10. Florentem Christianum in C Irenam Aristophanis.

Illicet.

9. INGENTI MOLE SEPVLCRVM] Quo maius sepulcrum, eo honestius quod de pyra iam obseruaui. Achilles Il. 23. iubet Patroclo constitui sepulcrum εὐρύν θ' ὑψηλόν τε, *latúmque altúmque*. S. Hieronym. in vita Pauli de sepulcris diuitum: *operosa saxis sepulcra*.

Sepulcra magna.

10. SVAQVE ARMA VIRO, REMVMQVE, TVBAMQVE] Ex more, quo sepulcris imponebantur defunctorum insignia. Ergo in honorem Miseni fortis, nautici, tubicinis, constituuntur arma, remus, tuba. Homerus in sepulcro Elpenoris nautici viri Odyss. 12.

Sepulcris imponebãtur defunctorum insignia.

πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν:
Fiximus in summo sepulcro fabrefactum remum.

D Apud Valerium 3. Arg. Cycicus, cùm ad sepulturam ducitur, secum portat sceptrum, & regia insignia:

Sceptra manu veterum retinet gestamen auorum.

Tametsi ibi alia ratio assignetur. Aliquid ad hanc rem pertinet versus Euripidis in Troadib. vbi Hecuba loquens de morte Astyanactis, ita ait,

θέσθ' ἀμφίτορνον ἀσπίδ' Ἕκτορος πέδῳ:
Figite in solo scutum Hectoris vtrinque elaboratum.

Huic mori vicinus alius, quo absumebantur rogis defunctorum, quæ singulis essent charissima. De hoc vberiùs dicam lib. 11. Sunt porro qui in Virgilio *remum* referant ad lorum tubæ, qui etiam remus dicitur, quod notat Seruius. Lege Germanum.

11. QVI NVNC MISENVS AB ILLO DICITVR] E Pompon. Mela lib. 2. cap. 4. *Misenum, id nunc loci, aliquando Phrygij militis nomen*. Propertius lib. 3. eleg. 18.

Qua iacet & Troiæ tubicen Misenus arena.

Olim trophæi loco ducebatur nominum retentio, à quocunque euentu illa proficisceretur. Firmant hoc historia Agathiæ lib. 3. vbi meminit propugnaculi, quod ipse vocat onogorim. Verba eius sunt: *Accepit verò iam inde ab antiquo hic locus eam appellationem, quòd cùm Hunni fortasse, superioribus temporibus vocati onoguri, illo ipso in loco cum Colchis prælio decertassent, vi-ctique*

Nomina locis imponebantur.

Onogoris.

ctique fuissent, id nomen ei ab indigenis inditum fuerit, ὥσπερ μνημεῖα χέειν, ἢ τροπαῖα, *veluti causa monumenti, & trophai.* Et scopulus dictus Troilus ab simili euentu Miseni, de quo vide Plutarchum in conuiuio septem sapientum. Tumulus etiam Βουκάνε, id est, Liuoris: de quo vide eundem lib. de virtutibus mulierum. Et apud Pollucem lib. 8. historia Ardeti, qui à se

A foro reliquit nomen, in quo foro populum ad concordiam adduxerat. Verba quoque Scholiastæ Aristophanij in Irena, vbi cùm dicat tres fuisse portus inclytos in Piræo, de portu illo, qui dictus Cantharus, ita ait; οὕτω καλούμενος ἀπό τινος ἥρωος Κανθάρου: *sic dictus ab Heroe Canthoro.* Lõgum esset, annectere catalogum illorum, qui similes ἐπικλήσεις à se reliquerunt.

a His actis, propere exsequitur præcepta Sibyllæ.
b Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris:
Quam super haud vllæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat:
Inde locum Graij dixerunt nomine Auernum.
c Quattuor hîc primùm nigrantes terga iuuencos
Constituit: frontíque inuergit vina sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten cæloq; Ereboq; potentem.
Supponunt alij cultros, tepidúmque cruorem
Suscipiunt pateris. ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæq; sorori
Ense ferit, sterilémque tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue supérque oleum fundens ardentibus extis.

ARGVMENTVM.

Fiunt sacra Deorum Manium, quæ necessaria ante aditum inferorum.

EXPLICATIO.

a TRansit ad tertium præceptum Sibyllæ, videlicet ad sacrificium Deorum Manium. Ad hoc sacrum aptus locus eligitur, videlicet spelunca, quæ alia est ab illa, vbi edita oracula, quod Seruius admonet. Ait verò, *exsequitur præcepta Sibyllæ*, nam hæc suprà, *duc nigras pecudes.*

b Describit speluncam à circumstantiis quinque. primò à profunditate, nam alta: deinde ab latitudine, nam immanis vasto hiatu: tertiò, à materia, nam scrupos a tota, & ex viuo saxo: quartò, ἀπὸ τῆς ἀσφαλείας, id est, ab firmitate, & veluti securitate; nam erat *tuta lacu nigro, & tenebris nemorum:* quintò demum, ab halitu, qui erat supra speluncam, qui halitus proueniebat ab Auerno lacu, cuius obiter etymon attingitur. *Impune* est, non sine noxa, *supera ad conuexa*, id est, ad cæli curuitatem, explicatore Seruio Expendit Columna, Virgilium ad notandam obscuritatem speluncæ, dixisse, *scrupea tuta lacu.* Triplex enim hæc dictio habet, (*v.*)

c Iam hinc Sibylla, & Æneas nocturnum sacrum inchoant. Est illud quadruplex. Primò, iuuenci quatuor immolantur Diis inferis in communi: deinde, separatim agna nocti & terræ: tertiò, sterilis vacca Proserpinæ: quartò, dicantur Plutoni nocturnæ aræ cum holocaustomatis, nam ardent solida taurorum viscera. *Nigrantes terga*, est Græca locutio, Latinus di-

B cat, nigrantes tergis, aut κατὰ terga, ex Budæo. *Matri Eumenidum*, id est, Nocti. *magnæ sorori*, id est, Terræ. Ita interpretes. Dici enim quit terra soror noctis, nam sua vmbra noctem & tenebras efficit. *Tum* est, deinde. *pingue supérque oleum fundens* est tmesis, pro, superfundens. Reliqua petenda ab Notis.

NOTÆ.

1. SPELVNCA ALTA FVIT, &c.] Similis planè & luculenta descriptio est apud Arbitrum in Satyrico, ab illis versibus,

Est locus exciso penitus demersus hiatu
Parthenopen inter magnæq; Dicarchidos arua,
Cocyta perfusus aqua: nam spiritus, extra
Qui furit effusus, funesto spargitur æstu.

Lege reliquos.

C 2. SCRVPEA] Fortasse à Pacuuio, qui in Nuptis: *scrupulosam specum.* Aut ab Ennio, qui: *Per speluncas saxis structas asperis pendentibus.* & ita *scrupea* erit saxosa.

3. LACV] Nullus hîc alius, quàm Auernus ipse, in quem descensus erat per speluncam, & hiatum illum. Vide verò vt amplificet horrorem speluncæ à *lacu*, & hoc *nigro.* à tenebroso nemore, potiùs *tenebris*, vt quod non tam tenebrosum esset, quàm ipsissimæ tenebræ. Mitto, quæ præcedunt, quæ sequuntur, omnia ad ingentem horrorem: adeo hic vates supra omnes.

4. QVAM SVPER, &c.] Explicatur Auerni lacus etymon, qui sic dictus quasi ἄορνος, id est, sine auibus. Nam halitus inde effectus, aues enecabat, inde volatus ille non erat impunis auibus. Allusum fortasse ad Homeri versum, Odyss. 12. Auernus.

Τῇ μέν τ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, οὐδὲ πέλειαι:
Hac neque volucres præteruolant, neque columbæ.

5. TALIS SE SE HALITVS] Infectum aërem sic describit Sidon. lib. 1. epist. 5. *Spiritu aëris venenatis flatib us inebriato.* A

6. FAVCIBVS] Sibi hæret, nam suprà:

Fauces graueolentis Auerni.

Sic Lucanus lib. 6.

Tænareis faucibus.

7. AVERNVM] Naturã Auerni attigit Claud. 2. Rap.

Tunc & pestiferi pacatum limen Auerni
Innocuæ transistis aues.

Lacum hunc Aristoteles de mirabilibus auscultationibus ita describit:

Auerni descriptio.

Circa Cumam Italiæ, lacum esse ferunt, quem Aornon vocant, forma circulari, profunditate immensa, tumulis vndequaque septum, trium ad minus stadiorum altitudine. Cúmque cetera nihil habeat magnopere admiratione dignum, mirandum tamen hoc fortasse, quòd circumpositis vndequaque, & super incumbentibus densissimis arboribus, non cernas vnum in lacu natans folium, qua puritate sui admirationem meritò ciet. Quid si Virgilius tenebras nemorum sumpsit à densissimis arboribus Aristotelis? Lucretius lib. 6. Auerna extendit non ad vnam Italiam, sed ad loca omnia, in quibus aues præ infecto halitu moriuntur. Lege illum ab illo versu, B

Nunc age, Auerna tibi quæ sint loca cunque lacusq;, &c.

Asphaltes lacus.

Itaque ex Lucretij doctrina Asphaltem lacum apud Babylonem possis vocare Auernum: nam illi simile virus & pernicies in aues transuolantes, quod scribit Diodorus lib. 2. Verum est tamen ab vno Aristotele in adducto loco negari id, vbi loquitur de Epiri lacu, qui dictus Pyriphlegethon, qui cùm aquas calidas scaturiat, tamen aues non moriuntur, cùm certum sit, cycnos non paucos in eo lacu agere. ὅτι γὰρ οὐδὲν διΐπταται ὄρνεον ἐν αὐτῇ, ψεῦδος· οἱ γὰρ παραγενόμενοι λέγουσι κύκνων πλῆθός τι ἐν αὐτῇ γίνεσθαι. Non dissimile ab Auerni natura, quæ de basilisco scribuntur. Nunc satis audire Isidorum cap. 4. lib. 12. *Hominem vel si aspiciat, interimit: siquidem ad eius aspectum nulla auis volans illæsa transit.* De animalibus quidpiam simile Herodotus lib. 1. vbi loquitur de loco, vbi Phocenses lapidati. C

Basiliscus.

Numerus par, sacer inferis.

8. QVATTVOR] De numero pari, qui infelix, ac perinde sacer Diis inferorum, alibi loquor.

Sacra inferorum in scrobibus.

9. HIC] Notat speluncam, quam descripsit, alludens ad ritum, quo Diis inferorum sacra fiebant in scrobibus, & effossa terra. Ideo itaque quæsita est Poëtæ spelunca ad hæc sacra. Morem, quem dixi, multa aperiunt. Medea apud Ouidium. 7. Metam. D

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit.

Manto apud Statium lib. 4.

Principio largos nouies tellure cauata, &c.

Autonoë apud Silium:

—reclusæq; abdere terræ
Manantem iugulis spirantem cæde cruorem.

Quem morem iterum infrà inculcat. Prudentius hym. 10.

Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur.

Sumpsere Latini morem istum à Græcis. Vlyssem quidem apud Homerum 11. Odyss. facturus sacra inferis, præmittit. βόθρον ὄρυξα, *scrobem fodi.* Ab Homero Apollonius lib. 3. in simili sacro de Iasone, βόθρον ὀρύξας. Orpheus, in Argonautic. E

Χώρῳ ἐπὶ πλακόεντι βόθρον τρίστοιχον ὄρυξα:
Effodi triplicem campi super æquore fossam.

Alludens ad hæc sacra dixit Philostratus in Heroïcis, ἥκιστα γὰρ πρὸς αἵματί τε καὶ βόθροις αἱ ψυχαὶ ψεύδονται: *Animæ ad sanguinem, & foueas non mentiuntur.* & lib. 8. de vita Apollonij c. 3. ait incantatores sectari noctem, & loca abdita, atque obscura. Et lib. 6. cap. 6. ita ait, θεοὶ μὲν γὰρ χθόνιοι βόθρους ἀσπάζονται, καὶ τὰ ἐν κοίλῃ τῇ γῇ δρώμενα: *Dij terrestres foueas amant, & sacra in cauis terrarum.* Idem scribit Nazianzenus, orat. 1. contra Iulianum, de nefarijs illius sacris: *Est apud ipsos hoc genus diuinationis, vt in caliginoso quodam specu cum subterraneis dæmonibus ob res futuras congrediantur: siue quia tenebris magis oblectantur, vt qui ipsi tenebræ quoque sint, ac tenebrarum vitij artifices, siue quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem & congressum fugiunt.* Eadem de eodem Iuliano Cedrenus. Eusebius quoque contra Hieroclem alludens ad sacra Vlyssis, βόθρον ὀρυξάμενος. Horum testimonia leuiter attigi. Lucanus, nisi fuisset longissimus, vberiùs erat adducendus libr. 6. qui non scrobem facit ad hæc sacra, sed hærens Maroni, speluncam similem sibi assumit, videlicet Tænaream, vt Virgilius Cumanam. Dabò primos versus:

Haud procul à Ditis cæcis depressa cauernis
In præceps subsedit humus, quam pallida pronis
Vrget sylua comis, & nullo vertice cælum
Suspiciens, Phœbo non peruia taxus opacat.

Statius quoque. 4. Theb. peragens sacra ista, Virgilianis vestigiis insistit. Lege illum ab illo versu,

Sylua capax æui, validáque incurua senecta.

est enim longissima descriptio: subiicit post illam,

—Stygijs accommoda quippe
Terra sacris.

Seneca quoque in Oedipode horrentissima loca eligit ad hæc sacra, quæ loca latissimè describit. Sed quidem ex Seneca pleniùs morem tenebis. Neque enim satis ad hæc sacra fuit locus abditus, sed in eo etiam fiebat fossa. Id liquidum ex hoc poeta, nam post latam loci illius descriptionem, subiicit: *Tunc fossa tellus, &c.* Silius quoque lib. 13. intra ipsam speluncam terram cauat, & fossam efficit ad sacra ista.

10. NIGRANTES] De more, quo Diis inferorum atræ hostiæ offerebantur, alibi loquor. Hîc exhibeo versus Porphyrij ab alio mihi indicatos.

Nigra hostia Diis Inferorum.

Τρεῖς μὲν ἐπιχθονίοις, τρεῖς δ' οὐρανίοισι θεοῖσι·
Φαιδρὰ μὲν οὐρανίοις, χθονίοις δ' ἐναλίγκια χροιῇ·
Hostia terna Deis alba est mactanda supremis:
Terna quoque, at furuo terrestribus atra colore.

& Philostratum in quem ipse incidi, qui in Heroicis: Οἱ Θετταλοὶ ἐναγίσματα, καὶ ἔπεμπον ἄρνα μέλανα: *Thessali parentalia, nigrumq; agnum miserunt.* Et Tibullum, qui:

Concidit ad magicos hostia pulla Deos.

11. IVVENCOS] Hæc fuit victima inferorum. Horatius Od. 14. lib. 2.

Taurus mactatur Diis inferis.

Amice places illacrymabilem
Plutona tauris.

Silius lib. 13.

Ordine mactari pecudes iubet, acer operto
Ante omnes taurus Regi.

vocat Plutonem *regem opertum.* Prudentius hymno. 10. Peristephan.

Huc taurus ingens fronte torua & hispida,
Sertis reuinctus, &c.

Si legas, quæ præcedunt, inuenies sacrum esse inferorum.

12. FRONTIQVE INVERGIT VINA SACERDOS] Inuergit vina ex ritu sacrorum, & hoc pertinuit ad probationem victimæ. Est *fundere* supina manu libare, vt in 4. Æn.

Fundere in sacris, quid.

—media inter cornua fundit.

& hoc fiebat in sacris superûm. Atqui *vergere*, & *inuergere* est, conuersa in sinistram partem manu ita fundere, vt patera conuerteretur, quod in sacris infernorum fiebat, qua infusione, si victima non stupuisset,

Vergere in sacris, quid. Probatio victimæ.

puisset, probabatur. Statius 6. Theb.

Spumantésque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

Sic explicant hunc locum viri aliqui non indocti, in primis doctissimus Lilius Syntag. 17. Additque, sic de hoc discrimine tradere sacrorum peritos. Rem istam attigit Statius 4. Theb. & verbo alio:

Principio largos nouies tellure cauata
Inclinat Bacchi latices.

Plutarchus de defectu oraculorum, fusiones, quæ ad probationem victimarum infundebantur, vocat τὰς πρώτας καταπείσεις, *primas libationes.* Et infaustum fore sacrum, si hostia esset ἀκίνητος, *immobilis.* Sciendum autem, ex eodem Plutarcho in eodem opere, capram probari non vino affusam, sed aqua frigida, ad quam, si immobilis perstitisset, apta non erat sacrificio. Adhibet rationem ductam ex natura rerum. nam naturale est, animal commoueri aqua aut vino sparsum, ac perinde sanum erit: si verò non moueatur, neque tremat ad sparsionem illam, signum est, tale animal affectum esse & morbidum. Verba eius sunt, οὐ γὰρ τῆς ψυχῆς κατὰ φύσιν ἐχούσης τὸ πρὸς τὴν καταπείσιν ἀπαθὲς καὶ ἀκίνητον: *Non est anima secundùm naturam affecta, non moueri, neque affici, cùm libamenta inuerguntur.* Adducitque infelicem exitum Pythiæ cuiusdam, quæ ingressa est ad edendum oraculum, cùm priùs, ἀκίνητον ὑπομεῖναι καὶ ἀπαθὲς τὸ ἱερεῖον, *immobilis victima exstitisset, nihilque afficeretur.* Demum ait, oracula non edi à Sibyllis, nisi hostia, cùm vinum aut aqua inuerguntur, tota contremiscat, & moueatur ἐξ ἄκρων σφυρῶν: *ab imis talis.*

Capra vti probaretur ad sacra.

13. ET SVMMAS CARPENS MEDIA INTER CORNVA SETAS, &c.] Ait Turnebus hoc esse, quod Græci dicunt κατάρχεσθαι, quod est post immolationem incipere sacrificium. Euulsis enim setis, coniectísque in ignem, statim hostia mactabatur. Vnde sequitur in Poëta, *Supponunt alij cultros*, &c. His addo, hunc morem tractum à Græcis. Apud Homer. Odyss. 14. subulcus mactans suem,

Setarum euulsio in sacris.

Ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν:
Sed hic incipiens capitis crines in ignem iecit:

& Odyss. 3. is, qui sacrum facit,

Εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων:
Supplicauit incipiens, ex capite pilos in ignem iaciens.

Eurip. in Electra,

Αἴγισθος ὀρθὴν σφαγίδα, μοσχίαν τρίχα
Ταμὼν, ἐφ' ἁγνὸν πῦρ ἔθηκε δεξιᾷ:
Ægisthus rectum cultrum (capiens) vitulinos pilos
Secans, in lustralem ignem imposuit dextra.

Attigit hunc morem inter Latinos Statius 4. Theb.

——iamque ardua ferro
Signati capita, & frugum libamine primo
In vulnus cecidere greges.

Quem in locum vetus Interpres: *Designata capita habentes: priùs enim seta tolluntur, aut lana, aut aris imponitur, & ita quasi designatur immolationis victima.* Obseruo hîc duo. Primum ab Homero, Virgilio, Statio, dici prima libamina (nam videlicet Græcus ἀπαρχόμενος) de ista setarum euulsione, cùm Plutarchus tamẽ (vt vidisti in superiore Nota) vocet πρώτας καταπείσεις, non hanc euulsionem, sed fusionem illam. Alterum, istam euulsionem traduci ab Homero ad alium ritum, nam apud illum, 3. Il. Agamemnon. ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας, *agnorum ex capitibus abscidit setas.* quæ tamen setæ non coniectæ in ignem sunt, sed distributæ principibus, qui aderant sacro. Nisi quis dicat, ab illis in ignem coniectas, & suppressisse hoc Homerum, atque adeo non abiisse ab vsitato more. Cadmus quoque apud Nonnum lib. 5. sacrificans,

A ἀκροτάτην τρίχα τάμνε, *summum pilum dissecuit*, vbi nulla mentio ignis. Huius moris Eustathius hanc adhibet rationem, πρὸς ἀνάμνησιν τῆς παλαιᾶς ἐκ τριχῶν, καὶ δορῶν ἐνδύσεως: *in memoriam antiqui vestitus, qui constabat expilis, atque pellibus.* Quæ ratio non tam pertinet ad combustionem; quàm ad Homericam distributionem. Eustathium ego sic explico: Dabatur in memoriam pristini vestitus, vt qui aderant sacro, putarent ita sibi colendam fidem in re omni sacra, vt primi patres coluerunt. Tertium omitto, quia non meũ, videlicet de tonsura in vertice capitis, quæ nunc Christianis sacerdotibus in vsu est. Illam enim Hartungus Decur. 2. c. 7. refert ad hanc pilorum euulsionem. Nam quemadmodum illa fuit indicium victimæ iam deuotæ, & separatæ à profanis vsibus: ita

Tonsura clericalis vnde orta.

B hoc quidem indicat clericalis tonsura.

14. VOCE VOCANS] Vocem hanc confusam fuisse, mistámque ex variis sonis Seruius vult, quem alij sequuntur, ex eo Lucani lib. 6.

Latratus habet illa canum, gemitúsque luporum:
Quod strident vlulántque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit & planctus, fractæque tonitrua nubis:
Tot rerum vox vna fuit.

Sic enim magas consueuisse vocare Deos manes, alij quoque adnotarunt. Itaque ex hac vocum mistione credendum est constare carmen illud apud Senecam in Oedip.

C *Carménque magicum voluit, & rapido minax*
Decantat ore, quicquid aut placat leues,
Aut cogit vmbras.

Magicum carmen.

15. HECATEN] Id eo potentem & cælo, & Erebo, quia Hecate eadem credita est cum Luna. testatur hoc Apollodorus lib. 1. Adi fabulatores. In his enim rebus parum, aut nihil immoror, vt sæpe monui. Sed quid, si vocans *potentem*, allusit ad doctrinam veterum? qui θεοὺς χθονίους, *Deos terrestres*, vocabant μεγάλους, *magnos*, fortasse, nam & infrà, *magnæque sorori*, de Terra, quæ numerata inter Deos inferorum. Quæ dixi, inuenies in Plutarcho lib. 3. Symp. q. 1.

Hecate.

Dij terrestres dicti Magni.

16. SVPPONVNT] Præclarè hoc, attingit enim veterum morem. Cùm Diis cælestibus sacrum fiebat, victimarum capita versus cælum resupinabant, ita vt iugulum illarum sursum esset: Cùm Inferis, relin-

D quebant eo habitu, quo sunt inclinatæ in terram, ac tum necesse cultri supponebantur. Prodidit morem istum Myrtilus lib. 2. rerum Lesbicarum. εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενα ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις. τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες. Non est opus versione, auditis, quæ præmisi. Admonet Turnebus, ex studio dictum *supponunt*, pro, iugulant. nam verbum *iugulo* inauspicatum fuit veteribus. Scias hîc: ab Ouidio & Silio pro *suppono*, dictum *subijcio.*

Suppositio cultri in victimis inferorum.

Iugulo inauspicatum.

Nam 7. Metam.

Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.

& 17. Punic.

Victimaque admotæ stabat subiecta bipenni.

E Dionys. lib. 7. ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας, dixit. Sed lubeat, Lector, integrum Dionysij locum audire, vt morem teneas, quem ex parte Poëta attingit. Ait itaque: θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτοῖς ἐπέλθον. τῶν δ' οἱ μὲν, ἑστῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον· οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας. Vides, vt constituat duplex genus victimariorum, quorum primi securi cædebant victimæ tempora, alteri cultros supponebant ad iugulationem, postquam videlicet concidisset ad ictum primorum. In marmoribus quoque binos popas cerni, alij iam indicarunt. Itaque Virgilius hîc alterum

terum tantùm modum indicat, in secundo verò primum, in illis,

Taurus & incertam excußit ceruice securim.

17. CVLTROS] Vide quæ dixi 3. G. ad illud:

At vix suppositi tinguntur sanguine cultri.

Sanguis in sacris inferorum.

18. CRVOREM] Nulla inferorum euocatio fuit absque sanguine apud veteres. Ita 5. Æn. ad Anchisis tumulum funduntur inter alia duo pocula plena *sanguine sacro*. Iphigenia apud Eurip. cùm Oresti fratri vellet patentare, profundit inter alia sanguinem mõtanæ vitulæ. Moris huius ratio duplex. Prima sancti Augustini de Ciuit. Dei, quia sanguinem amare dæmones creduntur; altera, interpretis Statij, nam sanguis propriè videtur esse possessio animæ, vnde & exsangues dicimus mortuos. Monuit ista Columna in Ennium. Adiungo Prudentium, qui in Apoth.

——Hecaten placabat sanguine multo.

Homerum Odyss. 11. apud quem in sacro mortuorum ῥέε αἷμα, *fluebat sanguis.* Papinium 4. Theb. qui de simili sacro, *sudúmque cruorem*, & quos non possim?

Sanguinis effusi in sacris mores varij.

19. SVSCIPIVNT PATERIS] Varius in hac re fuit mos. Aliquando in sacris feralibus sanguis suscipiebatur pateris, vt hîc apud Maronem, & apud Statium 4. Theb. apud quem Manto *Exceptum pateris prælibat sanguinem*, aliquando in foueam effluebat. Ouidius 7. Met. in simili sacro,

——patulas perfundit sanguine fossas.

Et in hoc adhuc variatum, quod notarunt & in Homerum Spondanus Odyss. 11. & Natalis li. 1. Mythol. cap. 12. nam interdũ fossa tantùm spargebatur, quod Lucianus intulit in sua Necyomantia: interdum verò replebatur, & hoc frequentiùs. Seneca Oedip. in sacro ferali: *——& multo specum Saturat cruore.*

Ex Prudentio allucet mos alius. nam hymn. 10. περὶ στεφ. ait, loquens de hoc sacro, sanguinem susceptum esse ab ipso sacerdote, toto corpore. Præstat versus audire, in quibus sermo est de sacerdote:

Quin os supinat, obvias offert genas:
Supponit aures, labra, nares obiicit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus.
Nec iam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.

Vide insaniam gentium. & postea:

Procedit inde Pontifex, visu horridus,
Ostentat vdum verticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.

De lectione est, quod moneam. Sunt qui ex libro vetere scribant *succipiunt*, verbo antiquo, quod & Seruius agnoscit.

Principes interdum cædebant victimam.

20. IPSE] Non semper percussio hostiæ fuit victimariorum, & poparum: sed interdum magnorum principum. Firmo hoc ex Athenæo, qui lib. 14. ita notat. Ἀγαμέμνων παρ' Ὁμήρῳ θύει βασιλεύων: *Agamemno Rex apud Homerum sacrificat.* & postea idẽ notat ex Thrasymede filio Nestoris, qui pro patre iam sene, neque valente id muneris præstare, ipse securim arripit, & κόπτει τὸν βοῦν, *bouem ferit.* Apud Philostratum lib. 6. de vita Apollonij c. 15. Domitianus Imperator sacrificat. Sed & sacra nocturna, qualia hîc exhibet Maro, Iason quoque perficit apud Apollonium 3. Arg.

21. ATRI VELLERIS] De hoc in 5. Æn. Hîc notetur phrasis Papinij 4. Theb.

Velleris obscuri pecudes.

22. MATRI EVMENIDVM] De Nocte, quæ mater Furiarum, dicam lib. 7. Hîc tantùm nota, atræ nocti

A dari præclarè hostiam concolorem.

Proserpinæ sterilis vacca dicata.

23. STERILEMQVE TIBI PROSERPINA VACCAM] Scripsit hoc Arnobius lib. 7. Prudentius contra Symm. lib. 1. post mentionem Proserpinæ,

Placatur vacca sterilis ceruice resecta.

In sacris mortuorum id vsitatum, teste Homero Odyss. 11. apud quem Vlysses post mentionem νεκύων, subdit, στεῖραν βοῦν: *bouem sterilem.* Sic autem (nota est Germani) Virgilius Homerum sequutus, vaccam sterilem dicat inferali sacro, vt Apollonius ἔντομα μήλων. Nam sicut castrati mares, id est, verueces, inferis sacrificabantur, vt infœcundi: sic Proserpinæ sterilis vacca propter eandem infœcunditatem, quod Seruius, aliíque interprerantur. Silius lib. 13. rem exprimit castitatis nomine, quod alij sterilitatis,

B *Ordine mactari pecudes iubet, acer operto*
Ante omnes taurus regi, tum proxima Diuæ
Caditur Ætnææ casta ceruice iuuenca.

24. STYGIO REGI] Ita περιφράζεται Plutonem. Sic Pindarus Od. 1. Nem. Ζηνὸς Αἰτναίου. Homerus. 1. Il. Ζεὺς καταχθόνιος. Sed de hac re iam in Georg.

Plutonis sacra nocturna.

25. NOCTVRNAS] Quia Plutoni sacra noctu fiebant. Seruius: *quæ tota nocte arderent.* Turnebus lib. 28. c. 44. ait, recepti moris fuisse, vt sacra Plutonis noctu celebrarentur, aduocátque Valerium lib. 2. c. 1. apud quem fiunt hæc sacra, *continuis tribus noctibus.* Et ego Apollonium 3. Arg. apud quem Iason peracturus hæc sacra, non priùs illa aggreditur, quàm,

——Ἑλίκης δ' ὀφελγέος ἀστέρες ἄρκτου ἔκλιθεν·

C *——Versæ sunt stellæ Helices vrsæ splendentis.*

Huc refero Statium 4. Th. qui loquens de hoc sacro,

Nocturniq; canum gemitus,

dixit: & Senecam, qui in Oedip. locum eligit ita tenebrosum, vt nocti esset similis: ait enim, *præstitit noctem locus.* Apud Ouidium lib. 7. Met. Medea se ad sacra ista accingit, cùm

——homines, volucrésque ferásque
Soluerat alta quies.

Sed Silius vnus, quod sciam, signat quæ esse deberet noctis pars, videlicet post transactam mediam. Ita enim Maga præcipit Scipioni:

Vade age, & à medio cùm se nox humida cursu
Flexerit, ad fauces vicini castus Auerni
Duc prædicta sacris duro placamina Diti.

D Ac postea de Scipione ipso hærẽte huic præcepto, ait:

Inde vbi nox iussam procedens contigit horam,
Et spacia æquarunt tenebras transacta futuras,
Consurgit stratis, &c. Dixi, hæc sacra debere esse noctu, & qua parte noctis. Suppedito lectori aliam circumstantiam ex Philostrato lib. 7. de vita Apollon. c. 10. vbi accusatur Apollonius fecisse sacra necromantica νύκτωρ, φθίνοντος ἤδη τοῦ μηνός: *noctu, desinente mense.* Hoc enim ipso indicat morẽ. Itaq; fiebant sacra hæc noctu, circa noctẽ mediã, & desinẽte mẽse. verbũ *incohat*, ꝙ sequitur, esse sacrorũ, Seru. admonet.

Plutonis sacra quo tempore.

Solidum sacrum, quid.

Viscera, quid sint.

26. SOLIDA] Holocaustũ intelligunt Seruius, & Macrobius. Ita Seneca Oedip. in sacro ferali: *solidasq; pecudes vrit.* Nã viscera (interprete Seruio) sunt, non tantũ exta, sed carnes, quicquid nimirũ est inter ossa & cutem. inde est, vt postea in *extis* debeas ex parte totum concipere συνεκδοχικῶς. Arnob. lib. 7. locutus est, vt Poëta: *si illibata, si solida concremari animantium viscera,* vbi capiendum quoque holocaustum. sicuti fortasse apud Apul. lib. 10. *Mensáq; posita, omne genus edulium solidorum, & illibata fercula iussit apponi.*

[a] Ecce autem primi sub lumina solis, & ortus,
Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri

Sylua

Syluarum: visæq; canes vlulare per vmbram,
Aduentante Dea. [b] Procul ô, procul este profani,
Conclamat vates, totóque absistite luco:
Túque inuade viam, vagináque eripe ferrum:
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo:
[c] Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

ARGVMENTVM.

Adest iam Proserpina superioribus sacris euocata. Aggrediuntur Sibylla & Æneas viam inferorum.

EXPLICATIO.

[a] Post habitum ramum, post Miseni funus, post sacra Manibus peracta, adeuntur inferni à Sibylla & Ænea. Vide vt omnia conformet Poëta ad ingentem horrorem: nam solum mugit, mouentur syluæ, canes vlulant, adest Proserpina. In vocula, *ecce*, inest nota rei magnæ appropinquãtis. Ait *sub lumina solis*, id est, paulo ante solem, quia videlicet sacra Manium, quæ præcesserunt, peracta sunt noctu, & finita paulo ante lucem. Aduenit Dea, id est, Proserpina, euocata scilicet sacris necromanticis.

[b] Quid tum Sibylla? illi vno tempore fuerunt terrenda monstra, confirmandus Æneas. Ergo minitabũda ad inferorum comitatum; este procul profani, luco absistite, à nobis cedite: ad illum exhortabunda; viam inuade audaciter, gladium stringe, sit tibi animus intus validus, pectus firmum extra.

[c] Hoc puncto temporis pedem ponunt in inferis, si hæc loca latè sumas. Nam propriè inferni erant trãsmisso Cocyto, vnde infrà *aditum*, cùm ait:

Occupat Æneas aditum custode sepulto.

Commendatur obiter fortitudo Æneæ, qui euntem Sibyllam pari passu assequitur, pari audacia; nihil illis vmbris, & spectris territus.

NOTÆ.

1. LVMINA SOLIS] Non solùm est ista poëtica locutio, ex Homero, qui φάος ἠελίοιο, sed aliorum, nam Græci passim φῶς ἡλίου. Illam bis reperies in Plutarcho, vbi Apollonium consolatur. Illam sæpius inculcat Lucretius. loca alij coniunxerunt.

2. MVGIRE] Bene interpretes referunt præter ita sacra, & quicquid hîc geritur, ad necromantiam, aiúntque adumbratam Homeri νεκυίαν, quod colligunt vel ex verbo *mugio*: quod verbum Magarum fuit, & semper Poëtis prodigiosum. Ideo in 4. (Mugio, magarum.)

——mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Apud Apollonium lib. 3. post facta sacra necromantica, βείσεα δ' ἔτρεμε πάντα: *fremuerunt loca omnia.* Locum Virgiliano similem habet Seneca in Troadib.

Cùm subitò cæco terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos,
Mouêre syluæ capita, & excelsum nemus
Fragore vasto tonuit.

& alium in Oedip. vbi sermo est de sacris magicis:

Subsedit omnis sylua, & erexit comam,
Duxêre rimas robora, & totum nemus
Concussit horror: terra se retro dedit,
Gemuitque penitus.

Sequuntur multa. Hîc non possum ferre notam nõnullorum, qui ad euocationem Virgilij admiscent cũ

A sacris necromanticis nescio quæ de sacris factis Miseno. Ista enim separata sunt, nihilque ex Miseni funere ad νεκυίαν pertinuit.

3. ADVENTANTE DEA] Id est, Proserpina, quæ vi præteriti sacri euocata est. In quo adumbratur Homerus Odyss. 11. nam statim, vt iugulata sunt pecora, & sanguis fluxit, ἀγέροντο ψυχαί, *animæ congregabantur.* Porrò *Deam* hîc malè quidam accipiunt Sibyllam, dicúntque illa iam aduentante ad inferos, canes vlulasse. Somniant fortasse hi. Seruius, & boni interpretes, Proserpinam capiunt. Id ipsum Turnebus lib. 15. c. 8. & lib. 28. c. 44. Ego Lectori proponam ritus, quos obseruatos ab gentilibus reperi in isto aduentu Proserpinæ, & Manium euocatione, existimans rem istã pertinere ad Interpretem. Si quis velit, transiliat hanc

B partem, tametsi plenam bonæ frugis, & rituum antiquorum. Tanti intererat ista aut Proserpinæ, aut dæmonum aut damnatorum euocatio, vt sine ea cassum & inane putaretur necromanticum sacrum. Ideo Tiresias apud Statium, 4. Theb. (Euocatio Manium, de qua larè.)

Tartareæ sedes, & formidabile regnum
Mortis inexpletæ, túque ô sæuissime fratrum
Cui seruire dati manes, æternaque sontum
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi,
Soluite pulsanti loca muta, & inane seueræ
Persephones, vulgúsque caua sub nocte repostum
Elicite, & plexa redeat Styga portitor alno.

Lucanus li. 6. longissimum carmen conficit, quo vmbras euocat, in quo carmine sunt preces, vt cùm ait: (Preces ad Euocationẽ.)

——tuq; ô flagrantis portitor vndæ
Iam lassate senex, ad me redeuntibus vmbris,
Exaudite preces.

C Pro cedo vlterius. Si preces non audirentur, succedebat ira. Statius: (Ira ad eandem.)

Atque hic Tiresias nondum aduentantibus vmbris,
Testor, ait, Diuos, quibus hunc sacrauimus ignem,
Lævaq; conuulsæ dedimus carchesia terræ,
Iam nequeo tolerare moram: cassúsne sacerdos
Audior, &c.

Si iræ non satis, iam tum minæ accedebant. Has ita iactat idem Tiresias. (Minæ post iras.)

Ne tenues annos, nubemq; hanc frontis opacæ
Spernite ne moneo, & nobis sæuire facultas.
Scimus enim, & quicquid dici noscique timetis.

Sed istæ minæ sæuissimæ sunt in Lucano, apud quem post fusas preces:

--miratur Erictho
Has fatis licuisse moras, irataq; Morti
Verberat immotum viuo serpente cadauer:

D *Perq; cauas terræ, quas egit carmine, rimas,*
Manibus illatrat, regniq; silentia rumpit
Tisiphone, vocisq; meæ secura Megæra,
Non agitis sæuis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? iam vos ego nomine vero
Eliciam.

Et post aliqua ita minatur Plutoni,

- tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito feriêre die. Paretis? &c.

Has minas agnoscit & Seneca in Oedip. vbi Tiresiam inducit manes euocantem. ait enim,

Carménque magicum voluit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leues,
Aut cogit vmbras.

& postea,

—canítque rursus, & terram intuens
Grauiore manes voce, & attonita ciet.

Mugitus ante aduentum Manium.

Post preces, post iras, post minas (nam ista hactenus explicui) sequebatur mugitus terrarum, indicium vnicum aduentus. Maro hîc disertim,

Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri
Syluarum:

quem locum iam illustraui, & adiicio hîc Senecam, apud quem peracto iam sacro, manium aduentum præcedunt formidanda ista:

—ter valles cauæ
Sonuere mœstum, tota succusso solo
Pulsata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur cæcum chaos,
Iterque populis ditis ad superos datur.
Subsedit omnis sylua, & erexit comam,
Duxere rimas robora, & totum nemus
Concußit horror: terra se retro dedit,
Gemuítque penitus.

Apud Claudianum quoque aduentum Plutonis præcedit repentinus fragor terrarum, conflictio turrium, oppidorum euersio. Quem locum non persequor, quia ibi non præcedunt sacra magica. Sed ego rem persequar. Post terrarum mugitum aderant iam in foribus siue manes defunctorum, siue ipsi dæmones, siue (cùm sacrum erat potentissimum) ipsa Proserpina. De manibus locus est apud Statium:

Manes defunctorum euocati.

Audiris genitor, vulgúsque exsangue propinquat,
Panditur Elysium chaos, & telluris opertæ
Dißilit vmbra capax.

& alter apud Silium,

Ecce ruunt variæ species, & quicquid ab imo
Natum hominum exstinctúmque chao est.

Tertius apud Homerum Odyss. 11. vbi post sacra necromantica,

—αἱ δ᾽ ἀγέροντο
Ψυχαὶ ὑπ᾽ ἐξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων,
Νύμφαι τ᾽, ἠΐθεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες,
Παρθενικαί τ᾽ ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι:

———ipsæ autem congregabantur
Animæ ex Erebo manium defunctorum,
Sponsæq; iuueneśque, & multa paßi senes,
Virgunculæq; tenellæ nouo luctu affectum animum habentes.

Sed & apud Senecam exeunt viri aliquot, & fœminæ, vt Laius, Agaue, & alij. & apud Lucanum anima vnius defuncti. De Dæmonibus Seneca ore Creontis,

Dæmones euocati.

—sæua prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus.

post aliqua:

Tum torua Erinnys sonuit, & cæcus Furor,
Horrórque, & vnà quidquid æterna creant
Celántque tenebræ.

Numerat deinde pestes alias inferni. In Silio quoque est,

—iam cuncta videbat,
Cyclopas, Scyllámque, & pastos membra virorum
Odrysiæ telluris equos.

& in Statio,

Quid tibi monstra Erebi, Scyllas, & inane furentes
Centauros, solidóque intorta adamante gigantum
Vincula, & augustam centeni Ægæonis vmbram?

Pluto euocatus.

Inter hæc monstra interdum Pluto ipse cernebatur, quem magno Furiarum comitatu inducit Statius his versibus:

A

Ipsum pallentem solio, circúmque ministras
Funestorum operum Eumenides, Stygiáq; seueros
Iunonis thalamos, & mœsta cubilia cerno.

Quia videlicet aperta terra, sacrorum vi, tota etiam Platonis regia cernebatur. Inde apud Senecam Creo, qui his sacris interfuerat,

———ipse pallentes Deos
Vidi inter vmbras, ipse torpentes lacus,
Noctémque veram.

Proserpina euocata.

Dixi de manibus, de dæmonibus. De Proserpina plura sunt Poëtarum loca; imò, vt dixi, illud erat potentissimum sacrum, cùm illa euocabatur: neque enim semper Magæ illam eliciebant, contentæ minoribus, sic dicam, vmbris. Hoc clarè colligas ex Lucano, apud quem Erictho, cùm nondum aduentaret anima, quam euocabat, minatur, effecturam se, vt ipsa etiam Proserpina adueniret. versus sunt,

B

Téque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles Hecate, pallenti tabida forma
Ostendam.

Itaque Apollonij sacra, Orphei, & Virgilij, putanda sunt fuisse potentissima, nam in illis euocatur Proserpina. In ista ergo Proserpinæ euocatione duplicem rem inuenio, primò comites, deinde formam aduentantis. Comites sunt canes, sine quibus nunquam aduentabat. Theocritus in Pharmaceut.

Canes comites Proserpinæ euocatæ.

Θέστυλι, ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται,
Ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι:

Thestyli, canes nobis per vrbem latrant,
Dea adest in triuijs.

C

Suprà quoque cum Hecate canes coniunxerat, his versibus:

—ἀλλὰ σελάνα
Φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον,
Τᾷ χθονίᾳ θ᾽ Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ᾽ ἠρία, καὶ μέλαν αἷμα.

Quos ita reddit interpres doctus,

—mihi sacra ferenti
Luna faue, claráque velis te in luce videri,
Sacra tibi taciturna feram, tibi carmina dicam
O Dea: terrestríque Hecati, quam luce carentem
Busta per, & nigro gaudentem sanguine, ad auras
Surgentem patulis catuli timuêre sepulcris.

Apertè loquitur de Proserpina, cùm ea iam est euocata ab inferis. Apud Orpheum etiam, & Apollonium, cùm Dea ista euocatur, adsunt & canes. Prior in Argon.

D

Σαίνον δὲ σκύλακες πρόπολοι:

Adulantur (illam) canes ministri.

Posterior lib. 3.

—ἀμφὶ δὲ τήνγε
Ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο.

circum illam autem
Acuto latratu subterranei canes resonabant.

Quid Latini? Virgilium hîc vides. Seneca in Oedip. *Latrauit Hecates turba.* Papin. in mentione horum sacrorum: *Nocturníque canum gemitus.* Lucanus, *Stygias canes*, coniungit vnà cum Hecate. Tibullus lib. 1. eleg. 2.

E

Sola feros Hecates perdomuisse canes.

Allusit Horat. Od. 5. epod. in sacris Canidiæ:

Latrent suburanæ canes.

Canes sacri Proserpinæ.

Ideo autem canes in comitatu euocatæ Proserpinæ, quia sacri huic Deæ, vt liquidum ex Plutarcho in Problem. ex Luciano in dialogo Charontis & Menippi: atque etiam in Tyranno. Ex Nonno lib. 3. qui Ἑκάτης φιλοσκύλακος. ex Plutarcho de Is. & Os. quod probat testimonio Euripidis. ex Scholiaste Theocriti in Pharmaceuttia, vbi ait, σκύλακες ἐκφέρεσθαι δεῖπνα τῇ Ἑκάτῃ, *canes parare cœnam Hecatæ.* Inde Lycophron in

Alexan

Alexandra hanc Deam vocat κυνοσφάγον, caniuoram. Deinde erant canes in comitatu huius Deæ, quia illorum latratus soluit incantationes. Sophron in Mimis: ὁ γὰρ κύων βαΰζας τὰ φάσματα. Ideo 8. Ecl.

Canum latratus soluit incantationes.

—& Hylax in limine latrat.

Roges, qui accipiantur per canes Hecates? Turnebus lib. 28. c. 44. accipit veras canes. Potest ex Theocrito, Apollonio, aliis. Seruius Furias interpretatur. Potest quoque ex Lucano, Statio, aliis. Nam prior, quas primùm nominat Eumenidas, statim canes vocat. posterior ait, Eumenidas esse *ministras funestorum operum*, & loquitur de hac euocatione. Sed Statius tamen inclinat, non cogit. Ego, nihil hos improbans, possum capere veras animas mortuorum, ex his, quæ latè dixi lib. 1. G. ad illud,

Furiæ canes dicuntur.

Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.

& quia, vt iam probaui ex Statio, Silio, Homero, Seneca, Lucano, animæ mortuorum euocabantur. Sed ego procedo, non solùm canes comitabantur Hecatem, sed monstra alia. Apollonius lib. 3.

Monstra in comitatu Proserpinæ.

Κεῦθμῶν ἐξ ὑπάτων δεινὴ θεὸς ἀντεβόλησεν
Ἱροῖς Αἰσονίδαο, πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο
Σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες.
Latibulis ex intimis potens Dea superuenit
Sacris Æsonidæ, circúmque ipsam cingebantur
Horrendi, quernis cum ramis, dracones.

Orpheus vnà cum Hecate monstrum elicit immane, ipse vocat Pandoren. Vtar hîc versibus interpretis:

Pandora.

Iam fumum ingentem flagrans dat in æthera nidor,
Cùm subitò inferna per flammam sede feruntur,
Crudelis, nec visa lues, facinúsque stupendum.
Corpora sunt illi de duro immitia ferro,
Pandorémque vocant.

Ad hunc comitatum refero verba Nazianzeni oratione 39. Ἑκάτης τὰ φοβερὰ καὶ σκοτεινὰ φάσματα, *horrenda & caliginosa Hecates spectra.* Apollonius reliquo apparatui faces addit, nam post adductos ex eo versus, sequitur,

Faces cum Hecate.

Στράπτε δ' ἀπειρέσιον δαΐδων σέλας.
Fulgebat lux plurima facularum.

Orpheus etiam πεύκας adhibet, *piceas*. Sed transeo ad formam aduentantis Hecates ad sua sacra. Hanc nemo meliùs Orpheo suppeditat. Apud illum enim Hecate apparet τρικέφαλος, triceps. Dat illi formam ἵππω, σκυλάκης, ἀγρομόρφου, *equi, canis, feræ agrestis.* præterea facit habentem in manu ἄορα, *ensem.* Sed præstat audire interpretem: post adductos versus sequitur statim,

Forma euocatæ Proserpinæ.

—varijs dehinc horrida formis
Immanis, nec mente capax, monstrosáque Ditis
Nata, triceps Hecate. læua nam parte iubosus
Hinnit equus, dextra rabido canis æstuat ore
Exitiale malum, medio fera surgit agrestis,
Ensis vtraque manus aciem distringit acutam.

Nihil iam restat, si tantùm dicam, colligi clarè ex Theocrito in Pharmaceutria, vt Proserpina semel euocata, deberet interesse reliquo sacro peragendo, vim virtutémque addens herbis, venenis, inuocationibus.

4. PROCVL Ô PROCVL ESTE PROFANI] Hic locus aut neglectus est, aut (quod verius) non intellectus. Qui, obsecro, arcentur à Sibylla? qui sunt hi profani? Non arcetur Hecate. Nam hæc vnicè necessaria, imo hæc sacra eò destinata sunt, vt illa adueniret, vt visum in superiore Nota. Non arcentur eius canes, nam hi semper in comitatu Proserpinæ euocatæ, vt visum quoque. Ego Poëtam sic expedio. Cùm Proserpina, & eius canes euocabantur sacris istis necromanticis, aderant quoque ex inferno monstra alia, quæ Magæ nollent aduenire. Hæc monstra

A abigit Sibylla, in illa comparatur vis. Solita aduenire alia monstra, notum ex his, quæ dixi in Nota superiore: præsertim ex his, quæ attuli de dæmonibus, & Seneca, Silio, Statio. & postea ex his, quæ dixi ex Apollonio, & Orpheo. Porro, nolle magas omnes manes aut monstra, quæ aduenirent, admittere, videndum nunc. Locus est clarus in Statio 4. Theb. apud quem Tiresias ita filiam alloquitur,

—Argolicas magis huc appelle precando
Thebanásque animas: alias auertere gressus,
Lacte quater sparsas, mœstóque excedere luco
Nata iube.

Est hoc videlicet, quod postea ait Sibylla: *totóque absistite luco.* Inde filia parens Tiresiæ,

Iussa facit, carménque serit, quo dissipet vmbras,
B *Quo regat & sparsas.*

Ab hac re pergo ad verba. Dictum, *procul ô procul este profani*, ea forma, qua βέβηλοι olim, id est, profani, nec initiati sacris, arcebantur. Est hoc, quod Ioannes Chrysostom. hom. de non contemnenda Ecclesia, dixit, κώλυσον τὸν βέβηλον τῶν ἁγίων: *Prohibe profanum sacris.* Quod Euripid. in Protesilao,

Profani sacris arcebantur.

Οὐ γὰρ θέμις βεβήλοις ἅπτεσθαι δόμων.
Non fas profanos, domos contingere.

Quod Herodotus in libro de vita Homeri, ἀνὴρ ἀπὸ τῶν ἱερῶν, *vir à sacris*, subaudi, facesse. Quod Tertullianus in Apolog. *Cùm semper etiam impiæ initiationes arceant profanos.* Molestus sim, si adducam loca, in quæ ego incidi, & quæ alij indicarunt. Ideo hæc satis. Tria te tantùm admonitum volo; primùm, à Poëta bis repeti voculam *procul*, quod in re simili fecerunt Statius
C 3. Syluar. Silius lib. 17. Ouidius tum 17. Met. tum 1. Fast. Arnobius lib. 1. atque etiam Catullus. Alterum, solitos prohiberi, non solùm profanos, id est, non initiatos, sed iniustos quoscunque. Callimachus,

Iniusti sacris arcebantur.

Ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός.
Procul, procul quisquis iniustus.

Sic citatur à Brissonio 1. Form. & Robortello lib. 1. Annotat. cap. 3. (nam alij legunt, ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι.) Statius 3. Sylu.

—procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum.

Vt hinc videatur receptus in Ecclesia mos arcendi à sacris aliquot hominum genera. De Druydibus Gallorum locus est in Iulio. 6. Ciuil. dignus qui legatur.
D Et Sen. Rhetor in 2. Cont. dixit: *Absint ex hoc foro lenones, absint meretrices, ne quid parum sanctum occurrat.* Vide locum eiusdem lib. 4. Controu. 25. de summotis meretricibus. Pollux lib. 8. εἴργονται τῶν ἱερῶν, καὶ ἀγορᾶς οἱ ἐν κατηγορίᾳ φόνου ἄχρι κρίσεως: *Arcebantur à sacris & foro, qui in cædis accusatione erant, vsque ad diem iudicij.* Tertium est, hanc formam etiam vsurpari solitam ἐν τοῖς λόγοις. Cùm videlicet nollent, vt profani audirent sermones. Ita capiendus Horatius lib. 3. Od. 1.

Sermonibus arcebatur profani.

Odi profanum vulgus, & arceo,
Fauete linguis, &c.

Quem in locum exempla duo Orphei & Aristidis opportuna satis aduocat Michael Brutus. & ego locum Platonis in Theæt. ἄθρει δὲ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ: *circumspice in partem omnes, ne quis profanus audiat.* & postea explicat, profanos esse, qui
E nihil intelligunt, nisi quæ pugno, aut manu comprehendunt. & Aristidem orat. ad Smyrnam, οὐκ ἂν ῥᾳδίως τοὺς λόγους ἐκφέρειν ὥσπερ εἰς βεβήλους: *non facilè sermones efferre tanquam in profanos.* atque etiam Nazianzenum orat. 19. vbi narraturus miraculum, παρατίθεμαι δὲ πιστῶν ἀκοαῖς τὸν λόγον, ψυχαῖς γὰρ βεβήλοις οὐδὲν τῶν καλῶν ἀξιόπιστον: *Sermonem hunc fidelium auribus commendabo, nam apud profanas animas nihil pulchri fides habebit.* Cum respectu ad hanc formam existimo ego

locutum Aristotelem lib. 1. Ethic. etiamsi à nomine A *profani* abstineat, cùm ait: διὸ δεῖ τοῖς ἔθεσιν ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν, καὶ δικαίων, καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν, ἀκουσόμενον ἱκανῶς: *Quapropter oportet consuetudinibus pulcre institutum esse eum, qui de rebus honestis, ac iustis; demúmque de rebus politicis, auditurus est, ita vt est satis.* De testimonio Orphei, quo vtitur Mich. Brut. vide quæ adnotet in Horatium Læuinus. Nefas fecerim, si non superioribus moribus alium annectam, qui est apud Poll. lib. 8. Ait ille, solitum funibus forum circumdari, cùm in foro sacra haberetur, ne videlicet eò profanus aliquis irrumperet: inde ait, natam locutionem περισχοινίζεται τὰ ἱερά: *funibus sacra circumdare.*

5. Vaginaqve eripe ferrvm] Vt videlicet amoueat irruentes vmbras; & multo magis contra monstra, quæ futura postea obuia in ipso vestibulo. Sollemnis est hoc loco Cælij nota, asserentis, dixisse hoc Platonicum Poëtam ex doctrina Platonicorum, qui aiunt, dæmones timere enses; ac tela illis studiosè prætendi. Hortensius dicit, re ipsa compertum dæmones ferri aciem formidare. Hoc sentit hîc Virgilius, & ante illum Homerus, & post vtrunque Silius. Apud Græcum enim Vlysses Odyss. 11. ait,

Dæmones an gladios timeant.

Αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
Ἥμην, οὐδ' εἴων νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα
Αἵματος ἆσσον ἴμεν:
Cæterùm ego gladio acuto stricto à femore
Ibam, neque sinebam mortuorum inania capita
Ad sanguinem prope accedere.

Apud Latinum ita Maga alloquitur Scipionem,

Eductúmque tene vagina interritus ensem.

An verò hæc tantùm gentilium opinio? Scribit diligentissimus Delrius lib. 6. Disquis. cap. 2. sect. 1. quæst. 1. hanc quoque fuisse opinionem Iudaicam, vt patet ex Thargumæo in cap. 3. Cantic. vers. 8. Sed hæc esse mera animorum ludibria, & aniles fabulas, certissimum est. Nam facile est dæmoni impedire rem hanc ictu eluso. vide apud Delr. genus quoddam præstigiarum huic simillimum; quod adducit B ex Saxone lib. 5. Hist. Dan. de Oddone pirata Danico.

6. Ille dvcem havd, &c.] Similis fermè locus Aristidis orat. 5. sacror. serm. εἰσήειμεν δὲ ὑπὸ σκότῳ, καὶ ὑπὸ χειραγωγοῦ: *ingressi sumus per tenebras, & manu ducti.* Quod Poëta *haud timidis passibus*, Martialis lib. 4. epig. 8. *gressu licenti.*

[a] Dij, quibus imperium est animarum, vmbræq; silentes:
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terra, & caligine mersas:
[b] Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,
Pérque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Qvale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in syluis, vbi cælum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

ARGVMENTVM.

Fit de nouo inuocatio ad res inferni aperiendas. Adhibetur comparatio ad explicandum iter illud caliginosum.

EXPLICATIO.

[a] Opportuna inuocatio, quia rem nouam narrandam aggreditur. Inuocat primò Plutonem, & Proserpinam, hos enim intelligit per illa.

Dij, quibus imperium est animarum.

Deinde, animas omnes, nam istæ sunt, *vmbræ silentes.* Tertiò, reliquam omnium monstrorum confusionem, hanc enim intelligit per *Chaos.* Ab animatis tendit ad inanima, & inuocat Phlegethontem, ac loca reliqua. Quid verò vult? loqui *audita*, quasi dicat, non cognita: innuit enim, quæ de inferis narrantur, esse mera insomnia. Ita enim credebant plerique gentilium.

[b] Describit iam iter. Primus versus habet hypallagen, est enim, *ibant obscuri sola sub nocte*, idem quod, *ibant soli sub nocte obscura.* Qua verò luce faciebant iter? sub maligna vtique, & incerta. Hoc in Notis aperiam.

Notæ.

1. Dii, qvibvs imperivm est animarvm] Volunt aliqui hîc vniuersim Deos omnes inferorum inuocatos. Non puto, sed αὐτονο- C μαστικῶς Plutonem, & Proserpinam. Nam Seneca hærens, vt apparet, Virgilio, ita ait in Hercul. Furen.

Fas omne mundi, téque dominantem precor
Regno capaci; téque, quam tota irrita
Quæsiuit Ætna mater: vt iura abdita,
Et operta terris liceat impune eloqui.

Cæterùm ab hac forma inuocandi non abit illa lib. 5. Æn.

Dij, quibus imperium est pelagi.

Neque illa Ennij in Cresphonte:

Dij, quibus est potestas motus, superûm atque inferûm.

2. Silentia] Credebantur vmbræ, & manes silentium amare, inde hoc nomen creberrimum, cùm sermo est de his locis. Valer. Flacc. lib. 3.

Silentium Manium.

D —*Stygiæ deuexa silentia noctis.*

Ouidius 5. Fast.

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Inde Propertius manes vocat *mutos.* & Catullus sepulcra *muta.* Homerus Odyss. 11. νεκροὶ ἀφραδέες, *mortui taciti.* Simonides, σίγα δ' ἐν νεκύεσσι, *silentium in mortuis.* Plutarchus de littera Delphorum, loquens de Plutone, ait: παρ' ᾧ δὲ ἡ λήθη, καὶ ἡ σιωπή: *apud hunc obliuio, & silentium.* Ideo eundem ita περιφράζεται Martialis lib. 7. *taciti regnator Auerni.* & Seneca in Hippol. *Dominus tacitæ Stygis.* Certè prodigij loco Virgilius 4. G. *térque fragor stagnis auditus Auernis.* Ab hoc silentio vim habuit mos veterum, qui putabant, manes domo aliisque locis exigi tinnitu æris audito: de quo Plutarchus in opere de orbe Lunæ, διὸ καὶ

Manes ad tinnitum æris exigebantur.

κροτεῖν

κροτῶν ἐν ταῖς ἐκλείψεσιν εἰώθασιν, οἱ πλεῖστοι χαλκώματα, καὶ ψόφον ποιεῖν, ἐπάγον ἐπὶ τὰς ψυχάς: *Ideo in defectibus plerique solent æra pulsare, ac sonitum fragorémque aduersus animas edere.* Ouidius 5. Fast.

Rursus aquam tangit, Temesǽque concrepat æra,
Et rogat, vt tectis exeat vmbra suis.
Cùm dixit nouies, manes exite paterni,
Respicit, & purè sacra peracta putat.

3. AVDITA] Ad explicationem, quam attuli, pertinet illud Pythagoræ apud Ouid.

Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis?

4. PANDERE] Idem verbum in re simili Claudian. 1. Rap.

Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli, qua lampade Ditem
Flexit amor.

Caligo inferorum.

5. CALIGINE MERSAS] Res omnes inferorum vnis tenebris, & caligine celebratæ. Ennius Andromacha,

Acherusia templa alta, Orci pallida,
Lethi obnubila, obsita tenebris loca.

Valer. 3. Arg.

——superis incognita tellus,
Cæruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam
Sol iuga, sidereos nec mittit Iuppiter annos.

Poëta quidam apud Tullium,

——crassa caligo inferûm.

Plinius lib. 4. cap. 12. cum respectu ad Virgilium dixit: *pars mundi damnata à natura rerum, & densa mersa caligine*, de Riphæis montibus.

6. IBANT] Sic loquitur Catullus:

Qui nunc it per iter tenebricosum.

& Theocr. in epigram. οἴχεται εἰς ἀΐδαν: *it in infernum.* Sophocles in Antigone, de illa moriente,

Τὰν νεάταν ὁδὸν
Στείχουσαν:
Nouissimum iter euntem.

Poëta apud Plutarchum de consolatione Apoll.

Ἅπαντες αἴδαν ἦλθον, καὶ λάθας δόμους.

Aristides in obitu Eteonei πορείαν dixit, loquens de hac re.

7. PERQVE DOMOS] Pars nonnulla interpretum, alij etiam, putant allusum ad Cimmerios populos, quos Homerus prope inferos constituit: id ipsum asserunt de sacris feralibus quæ præcesserunt, nam & Homerus suam necromantiam in illis locis dedit. De Cimmeriis præter Homerum Odyss. 11. & eius interpretes, & Strabonem variis locis, adi etiam Goropium de orig. Antuerp.

Inanitas subterranea.

8. INANIA REGNA] Datur vacuitas locis inferis, atque inanitas: vel quia ibi solùm animæ, & omnia vacua corporum: vel ad explicanda ingentia orci spacia. Pindarus Od. 9. Olymp.

Κοίλαν ἀγυιὰν θνασκόντων:
Vicum cauum morientium.

Silius lib. 13.

In medio vastum latè se tendit inane.

Seneca in Furen. *Sterilis profundi vastitas squallet soli.* Ennius in Hectoris Lytra,

Inferûm vastos specus.

Inane de mari, & aëre.

Claudian. de Rap. *Erebi spacia.* Indicant nonnulla ex his inanitatem illam referendam ad vastitatem. Obseruabis, inane etiam dici de mari & aëre. Lege Plinium lib. 19. c. 1. per initia. Et Plutarchum lib. 8. Symp. quæst. 3. vbi sæpe κενὸν, de inanitate aëris. & ad Principem indoctum, κενῶν ἀγγείων. Sed hæc inanitas ab oculis tantùm procedit, qui hoc putant; nam natura rerum longè ab hoc. & ita Aristoteles. 2. de partib. animal. cap. 10. τὸ γὰρ κενὸν καλούμενον, ἀέρος πλῆρές ἐστι: *inane quod dicitur, plenum est aëris.*

Luna cur incerta.

9. INCERTAM] Variè interpretes. Alij capiunt nouilunium, nam tum vix dignosci potest, inceperit, an non luna, ac perinde incerta erit: qua sententia sunt qui *inceptam* legant. Sunt qui intelligant lunæ coitum, quo tempore noctes sunt tenebrosissimæ. Non placent isti. Ego lunam capio ita latentem in nubibus, vt incertam sui lucem dubiámque præbeat, parcè illucendo. Iuuat vox malignitatis, quæ sequitur, vt enim *ager malignus*, Nonio est, minùs ferax, & perparcus. &, *seges maligna*, quæ diminutè emergit: ita, *lux maligna*, quæ est admodum parca. Ergo, ideo luna incerta, quia lux maligna. Idque ex nubium globis transmeantibus, atque impedientibus lucem. Est mihi Liuius pro interprete lib. 41. cùm ait: *Nebula matutina texerat inceptum, quia dilabente ad primum teporem solis, perlucens iam aliquid, incerta tamen, vt solet, lux speciem reddens.* Sed sit vates ipse sui interpres. ita in 3.

Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

Lux incerta.

Vbi incerti soles nulli sunt alij, quàm latentes sub nubibus. Lucem hanc solis impediti nubeculis, ait Dio Chrysost. orat. 40. esse, ἀσθενῆ τὴν ἀκτῖνα, καὶ λεπτὴν: *infirmum ac tenuem radium.* & Plutarchus de his lucibus lib. de defectu oracul. ἀσθενῆ, καὶ ἀμαυρά: *infirmas, languidas.* & paulo pòst, de sole occupato nebulis, δυσφαὴς, καὶ ἀμαυρός. De eadem malignitate Philostratus lib. 2. Icon. σελήνη μὲν γὰρ προβάλλει φῶς, οὔπω πιστὸν ὀφθαλμοῖς: *Luna lucem emittit nondum oculis fidam.*

Vestibulum ante ipsum, primísque in faucibus Orci,
Luctus, & vltrices posuêre cubilia Curæ,
Pallentésque habitant Morbi, tristísque Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas,
(Terribiles visu formæ) Lethúmque, Labórque:
Tum consanguineus Lethi Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferúmque aduerso in limine Bellum,
Ferreíque Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

ARGVMENTVM.

Describuntur monstra, quæ ante vestibulum inferorum.

EXPLICATIO.

IN primo aditu inferorũ ingeniosus Poëta tot monstra, & tam immania cõstituit, vt vel inde agnoscas, qualis sit interior & profundior inferorũ facies. Clara in

in hoc tractu omnia sunt, tantùm notanda congeries prosopopœiarum, & lux epithetorum. Prosopopœiæ sitæ sunt in formis, quas fingit, Luctus, Curarum, Morborum, &c. Epitheta apprimè signant formas istas. Curæ sunt *vltrices*, quia ipsæmet pungunt conscientiam suis stimulis. Morbi sunt *pallentes*, Senectus *tristis*, vtrunque μετωνυμικῶς. Fames *malè suada*, ab effectu. Egestas *turpis*, vt quæ luxuriosorum, & perditorum; vt quæ pertrahat ad mille deformitates. Sopor dicitur frater Mortis, quo quid verius? *Mala mentis gaudia* sunt, quæ scelerati, impij, flagitiosi, criminosi demum omnes habent ex contractis sceleribus, impietate, flagitiis, & criminibus. Quæ Seneca Oedip. *scelerata gaudia cædis*. Vide verò, vti Philosophus discutiat hunc locum epist. 59. Bellum quî aptius potuit nominare, quàm *mortiferum*? Sunt etiam ibi *thalami*, id est, sedes Furiarum, iique facti ex viuo ferro: nihil enim obstat, quominus ferrum propriè possis intelligere. Demum Discordia inducitur, & hæc *demens*, & cum crinibus, & cum vittis; illi viperei sunt, istæ cruentæ, & vtrunque innexum. Quid aptius ad horrorem? In medio sermonis formæ istæ dicuntur esse *terribiles visu*. Verè hoc tu Maro. Finge Lector monstra hæc variis & formidandis figuris vnguium, dentium, caudarum: formatis ad horrorem, terrorem, pauorem; plenis illuuie, squallore, sordibus: vel certè finge quicquid delitescere potest sub his formis ducta similitudine ab effectis, & videbis quàm tetra monstra concipi animo queant. Vide etiam Lector, si otium, vti Sen. ep. 104. expendat Vatis verba, quòd dixerit, formas istas esse terribiles visu, non, re.

NOTÆ.

1. VESTIBVLVM ANTE IPSVM, &c.] Locus iste totus versabitur in imitatione. Virgilium hîc vides. Ad eius Musam alij aspirarunt cum ostentatione ingenij, & essent nitidi, si abesset Virgilius. Primum itaque locum mihi videtur habere Claudianus, secundum Seneca, tertium Silius, quartum Prudentius. Adducam istos, & conferam, vt tu scias aspirare ad Musam Virgilianam. Primus ergo lib. 1. in Ruffinum.

Pestes inferorum.

—glomerantur in vnum
Innumeræ pestes Erebi, quascunque sinistro
Nox genuit fœtu: nutrix Discordia belli,
Imperiosa Fames, Letho vicina Senectus,
Impatiénsque sui Morbus, Liuórque secundis
Anxius, & scisso mœrens velamine Luctus,
Et Timor, & cæco præceps Audacia vultu,
Et Luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas,
Fœdáque Auaritiæ complexæ pectora matris
Insomnes longo veniunt examine Curæ.

Alter in Hercule Furente.

Hærent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente, quam tenet segnis Sopor,
Famésque mœsta tabido rictu iacens,
Pudórque sexus conscios vultus tegit,
Metus, Pauórque, Funus, & frendens Dolor,
Atérque Luctus sequitur, & Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella, in extremo abdita
Iners Senectus adiuuat baculo gradum.

Libauit idem in Oedip. hunc in modum:

Tum torua Erinnys sonuit, & cæcus Furor,
Horrórque, & vnà quicquid æternæ creant
Celántque tenebræ, Luctus auellens comam,
Ægréque lapsum sustinens Morbus caput,
Grauis Senectus sibimet, & pendens Metus.

A Tertius lib. 13.

Quarta cohors omni stabulante per auia monstro
Excubat, & manes permisto murmure terret.
Luctus edax, Maciésque malis comes addita morbis,
Et Mœror pastus fletu, & sine sanguine Pallor,
Curæque, Insidiæque, atque hinc queribunda Senectus.
Hinc angens vtraque manu sua guttura Liuor,
Et deforme Malum, ac sceleri procliuis Egestas,
Errórque infido gressu, & Discordiá gaudens
Permiscere fretum cælo.

Quartus in Hamartigenea.

Ira, Superstitio, Mœror, Discordia, Luxus,
Sanguinis atra Sitis, vini Sitis, & Sitis auri,
Liuor, Adulterium, Dolus, Obtrectatio, Furtum,
Informes horrent facies, habitúque minaces.
B *Ambitio ventosa tumet, &c.*

Pergo iam ad collationem. Vis scire, quantum istis præstet Virgilius? Meditare tecum in magno otio, an aliquid possis detrahere, & mutare sententiam Virgilij, & videbis te non posse hoc tutò facere. Rursum cogita, an aliquid possis commutare ex Claudiano, Seneca, Silio, Prudentio, & videbis multa posse detrahi, addi, mutari, conuerti in melius. Aduoco exemplum. De Discordia Claudian. *nutrix belli*, & Silius *gaudens permiscere fretum cælo*. Quid ista ad illud?

Virgilius superat poëtas reliquos.

—Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Vbi non dubium, quin duo primi præstantiùs loquerentur, si loquerentur vt Virgilius: & Virgilius deteriùs, si, vt illi, loqueretur. Possem simili modo de multis aliis ratiocinari. Sed hoc satis, vt perducam te ad C imitationem Virgilij. Superioribus adiunge Statij Musam in 1. Theb.

Protinus attoniti fratrum sub pectore Motus,
Gentilésque animos subijt Furor, ægráque lætis
Inuidia, atque parens odij Metus. Inde regendi
Sæuus Amor, ruptæque vices, iurísque secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius vnum
Stare loco, sociísque comes Discordia regnis.

Vide etiam, vt paria monstra describat idem Stat. lib. 7. in regia Martis. In fine scias, Platonem in Axiocho meminisse vestibulorum inferni, ipse πρόπυλα vocat, & ista ait esse obfirmata σιδηροῖς κλείθροις, καὶ κλεισὶ: *ferreis claustris, & clauibus*. Clauium etiam Plutonis meminit lib. 5. Pausanias. Locum iam attuli in hoc libro. Plutarchus etiam in lib. de superstit. collocat ad portas inferni, εἰδώλων τινῶν χαλεπὰς ὄψεις, *terribiles formas quorundam simulacrorum*. Quæ de etymologia vestibuli inculcant hîc aliqui, nulli non nota.

D

2. ORCI] Potes hîc capere vel locum inferorum, in cuius faucibus erant hæ pestes: vel Plutonem ipsum, nam hic quoque dictus Orcus. Cicero 6. in Verr. *vt Verres alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur*. De etymo vocis in dubio sunt Grammatici: alij ad Græcos referunt ἀπὸ τοῦ ὅρκου, cum relatione ad iuramenta paludis Stygiæ: alij faciunt vocem Latinam, vt Orcus dictus sit quasi vragus ab vrgendo, facta quadam litterarum commutatione, vt assolet, quòd videlicet ad E se vrgeat impellátque mortales omnes. vt voles, puta.

Orcus pro Plutone.

Orci etymon.

3. LVCTVS] Stat. 3. Theb. sic describit:

Luctus descriptio.

— stat sanguineo discissus amictu
Luctus atrox.

Claudianus;

--scisso mœrens velamine Luctus.

Luctus formam poteris etiam colligere ex his Senecæ in Furente:

Vnde iste genitor squallor, & lugubribus

Amicta

Amicta coniux? vnde tam fœdo obsiti
Pædore nati? quæ domum clades grauat?

De luctu ait Dio Chrysost. orat. 16. βασανιζόμενοι τῇ χαλεπωτάτῃ πασῶν βασάνῳ: torti difficillimo omniū tormento.

4. VLTRICES] Hanc Curarum carnificinam expressit Horatius Od. 1. lib. 3.

Post equitem sedet atra Cura.

& nota vocem *cubilia*. Curæ ergo feræ sunt, & monstra: hæc enim in cubilibus, signata hac voce, delitescere, ab omnibus dicuntur. & ego iam de hac re.

Morbus. 5. PALLENTESQVE HABITANT MORBI] Mali huius formam colligas à Dione Chrysost. orat. 16. vbi de illo, αἰσχρὸν θέαμα, *turpe spectaculum.* & postea illi dat, μέλαιναν ἐσθῆτα, *nigram vestem.*

6. TRISTISQVE SENECTVS] Accepi μετωνυμικῶς, & verè. Sunt qui cum Seruio explicent, *tristis: seuera.* in his est Floridus 2. Successf. c. 12. Non placet hoc Nascimbæno, Beroaldo, nobis. Nam hîc monstra describuntur: seueritas ad virtutem pertinet. Sed istæ minutiæ sunt, quales esse debent aliquando in Commentationibus ad satisfaciendum Grammaticis. Iuuat meam explicationem, accipi ab Horatio lib. 1.

Senium pro molestia. epist. 18. *senium*, pro ipsissima molestia, & tædio, explicatoribus Lambino, & Dousa:

Surge, & inhumana senium depone camœnæ.

Senectus cur tristis? & ab eodem Od. 9. lib. 1. caniciem dici *morosam*. Sed cur senectus tristis? imò, cur non tristis? Circumferuntur versiculi Græci:

Τὸ γῆρας ὥσπερ βωμός ἐστι τῶν κακῶν.
Πάντ' ἐς' ἰδεῖν ἐς τοῦτο καταπεφευγότα.

Senectus malorū plena. Sententia est, senectutem esse instar aræ, ad quam mala omnia confugiunt. Est etiam tristis, quia certissima mortis nuntia. De qua re vide elegantem locum Senecæ ep. 30.

7. METVS] Huic pesti etiam personam attribuit Statius. 9. Theb.

———stant vno margine clausi
Spésque, audaxque, Metus, simul & Fiducia pallens.

8. MALE SVADA FAMES] Impelluntur certè mortales ad rapinas. & scelera omnia, vrgente & imperante

Famis descriptio. Fame. Ideo egregiè Claudianus, *Imperiosa Fames.* Quintilianus in Declam. de hoc malo: *Animi tormentum est, corporis tabes, magistra peccandi, dirissima necessitatum, deformissima malorum.* Seneca in epist.

Venter præcepta non audit, poscit, appellat.

Oppianus 3. Hal. cùm dixerit, nihil esse λιμοῖο κακώτερον, *grauius fame*, adiicit rationem hanc,

--κρατέει μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ἀπηνής:
--*imperat sanè inter homines crudelis.*

Philo lib. 1. de vita Mosis famem & sitim vocat dominas graues & difficiles. δέσποιναι γὰρ χαλεπαὶ, καὶ βαρεῖαι. Repetit in lib. de vita contemplatiua. Basilius homil. de squalore & fame. τὸ τοῦ λιμοῦ πάθος κατηνάγκασε πολλοὺς πολλάκις, καὶ τοὺς ὅρους κινῆσαι τῆς φύσεως: *Quid*

Famis mala. *fames non cogit? naturæ leges sæpe transgredi homines cogit.* Ita Nazianzenus de paupertate orat. 23. κακοῦργον, *malè suadentem.* Clemens 6. Strom. Homerum, & Euripidem idem asserentes committit. Prior de ventre ait,

--πολλὰ κακ' ἀνθρώποισι δίδωσι:
--*Affert multa mala mortalibus.*

Posterior,

Γαστὴρ, ἀφ' ἧς δὴ πάντα γίγνεται κακά:
Venter, à quo certè fluunt cuncta mala.

Historiam Hierosolymorum de matre, quæ filium, vrgente fame, interfecit, quis nescit? Cuius locus est apud Cyrillum Alex. in Oseam, vbi loquens de malis, quæ secuta sunt Hierosolymitanos post mortem Christi, ait: καὶ φιλοστοργίας ἀμάχου ῥᾳθυμεῖν αὐτὰς ἀναγκάζοντος τοῦ λιμοῦ. Dicit, famem compulisse fœmi-

A nas Hebræorum ad deuorandos filios, *illasque neglexisse philostorgiam, quæ alioquin inexpugnabilis est.* Idem in Malachiam ait, aliquas matres, premente fame, vendidisse filios pro alimonia. Quis non legit Senecam lib. 3. de Ira, c. 20. de expeditione Cambysis, in qua deficientibus herbis, & animalibus, consilium Famis fuit, vt decimus quisque miles sortitò interficeretur ad pastum, quod & factum est. Absoluitque, *cùm partem exercitus amisisset, partem comedisset, timuit ne & ipse vocaretur ad sortem.* Prætereo multa. Verè ergo fames, malè suada. Nam omnis necessitas, ἰσχυρότατον, ait Plutarchus in conuiuio septem sapientium, *validissima res.* Scias hîc Demosthenem appellari ab Æschine contra Ctesiphontem πειθώ, atque, vt apparet, prouerbialiter, licèt irrisoriè. Nazianzenus etiam de Ba-

B silio πειθοῦς ἰσχυρότερος, *fortior suada.* Quod Latini dicunt, *malè suadum*, Græci κακόπειθον, & κακομήχανον. Primum obuium, alterum inuenies in 2. Platonica Aristidis. vocem *suada* vsurparunt ab Nostro Ausonius in epist. ad Symmachum, & ipse Symmachus lib. 1. ep. 41. & lib. 3. ep. 6.

9. TVRPIS EGESTAS] Non paupertas, nam hæc virtus, sed egestas, quæ de luxuriosis ac perditis. Inde Egestas vitium est. Cicero in Parad. correctione vtitur: *ista paupertas, vel potiùs egestas, & mendicitas tua.* Et Claudianus de monstris quoque inferorum,

Et luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas.

Lucretius, ad quem fortasse aspirauit Maro, lib. 3.

C *Turpis enim Fama, & Contemptus, & acris Egestas*
Submota ab dulci vita stabilique videntur,
Et quasi iam lethi portas cunctarier ante.

Seneca in Thyeste inter monstra inferorum etiam Egestatem posuit.

10. CONSANGVINEVS LETHI SOPOR] Hesiodus Somnus frater Mortis. Theog. scribit Somnum & Mortem fuisse Noctis filios. Iterúmque somnum vocat κασίγνητον θανάτοιο, *fratrem Mortis.* Orpheus in Hymno loquens cum Somno,

Αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε,
Germanus tu es Obliuionis, & Mortis.

Pausanias lib. 5. hanc exhibet faciem picturæ. πεποίηται δὲ γυνὴ παῖδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνέχουσα τῇ δεξιᾷ χειρὶ, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μέλανα ἔχει παῖδα καθεύδοντι ἐοικότα, ἀμφοτέρους διεστραμμένους τοὺς πόδας: *Expressa est mulier tenens dexte-*

D *ra dormientem album puerum, sinistra nigrum dormienti similem, distortis pedibus.* Ac mox explicat, mulierem illam esse Noctem; pueros, Mortem, & Somnum. Qui Nox mater Somni, & Mortis. dormit, Mors est; qui similis est dormienti, Somnus. Gorgias Leontinus apud Ælian. 2. Var. Hist. c. 35. cùm sub vitæ exitum resolueretur in somnum, rogatúsque esset, cur ita faceret, respondit: ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. *Iam Somnus incipit me commendare fratri*, id est, Morti. Legitur Epaminondas, circumiens ipse militum vigilias, quempiam interfecisse, ac reprehensus respondisse, *talem reliqui, qualem inueni*, inuenerat quippe dormientem. Valerius 3. Arg. Somnum vocat simillimum fratri Morti. Homerus Il. 14. de Iunone sic scribit:

E Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο:
Ibi somno occurrit obuiam fratri Mortis.

Bene ergo Seruius sententiæ huius testem aduocat Homerum. Itaque nescias, qua ratione vir doctus Nascimbænus Seruium reprehenderit, dicens illum ariolari, cùm id Homerus non dixerit. Poëta ergo ad fratrem signandum, *consanguineum* dixit ex vsu Au-

Consanguineus, pro fraternus. ctorum, quod monuit in Claudianum Ianus Parrhas. Sic Claudianus ipse. 1. Rap.

Te consanguineo recipit post fulmina fessum
Iuno sinu:

id est,

id est, sororio. Sic Papinius:

Et consanguineo gliscis regnare superbo
Exsule.

id est, eiecto fratre. Sic Sophocles in Aiace, Teucrum fratrem Aiacis vocat ξύναιμον, id est, *consanguineum.*

11. Ferrei] Vt thalami Furiarum ferrei sunt, ita apud Claudianum lib. 1. in Ruff. de sedilibus monstrorum inferni,

Complentur vario ferrata sedilia cœtu.

Ferreũ pro duro prouerbialiter.

Sed Poëta prouerbialiter capi potest, cui thalami Furiarum dicuntur ferrei, à rigore & natura ferri, non quòd verè ferrei essent. Ita Prudentius in Perist. hym. 10.

Quæ cautes illud perpeti spectaculum?
Quis ferre possit æris aut ferri rigor?

Tibullus lib. 1.

—non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.

Ouid. 9. Met.

Nec rigidas silices, solidúmve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit.

Isti, & alij plures prouerbialiter locuti sunt.

12. Eumenidum thalami] Duplex hic nodus. Cur Furiæ in aditu inferorum constituuntur, cùm sciamus illas esse in tartaro, profundissima parte in-A ferorum, ad puniendos nocentes? Deinde, cùm thalamus propriè sit, vbi vir, & mulier θάλλουσιν, cur datur Furiis, quæ virgines sunt? Nihil hoc mirum, fabulæ plenæ his nebulis. Sed in re vtraque Virgilium Ouidius iuuat. Apud illum Iuno 4. Metam.

———sorores
Nocte vocat genitas, graue & implacabile numen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Déque suis atros pectebant crinibus angues.

Quid, quòd Virgilius, non Furias in aditu constituit, sed earum sedes: nihílque vetat illas hinc inde discurrere. Pergo ad alterum. Idem Ouidius 2. Met. loquens de virginibus.

Furiæ in aditu inferorũ.

Pars secreta domus, ebore, & testitudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu Pandrose dextrum,
Aglauros læuum, medium possederat Herse.

Thalamus etiam de virginibus.

B Extremum hoc de thalamis monuit Ianus Parrhas. in Claudian. 1. Rapt. Ex Aristide idem indico, qui de Horis, quas antiquitas virgines fecit, θάλαμον ὡρῶν dixit, in oratione de laudibus Neptuni. Sed & interpres Homeri in lib. 3. Il. hac voce signari simpliciter οἶκον, *domum*, adnotat. Damascen. orat. 2. de Natiuit. Mariæ παρθενικοῦ θαλάμου dixit.

13. Discordia] Discordiæ descriptiones aliquas adduco lib. 8.

a In medio ramos annosáque brachia pandit
Vlmus opaca, ingens. quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliísque sub omnibus hærent:
b Multáque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes:
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammísque armata Chimæra.
Gorgones, Harpyæq;, & forma tricorporis vmbræ.
c Corripit hîc subita trepidus formidine ferrum
Æneas, strictámque aciem venientibus offert.
Et ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare caua sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diuerberet vmbras.

ARGVMENTVM.

Sequuntur monstra alia, quæ in medio vestibuli: incipítque ab vlmo somniorum. attingitur Æneæ animus.

EXPLICATIO.

a HActenus explicata, quæ erant ante vestibulum, pergit iam ad ea quæ erant in medio vestibuli. Principe loco vlmum constituit annosam, opacam, ingentem: in qua arbore erant somnia, id est, explicante Donato, errores, qui occurrunt dormientibus, per phantasmata. *vulgo*, id est, vt vulgo fertur. Ideo autem *ferunt*, quia suprà, *Sit mihi fas audita loqui.* ita Donat.

b Sed quæ monstra in eo vestibulo, nam signans vestibulum ait, *stabulant.* Illa sunt, *Centauri*, qui in ipsis *foribus.* Deinde *Scyllæ*, quia hæc duplex Nisi, & Phoria. & hæ *biformes*, quia vtraque Scylla versa est in canes inferiore parte. De hac re ego latè in 6. Ecl. Tertiò *Briareus*, & hic *centum geminus*, videlicet à brachiis, & manibus, habuit enim ἑκατὸν χεῖρας, ait Hesiodus. Quartò, *Bellua Lernæ*, id est, Hydra, & hæc *horrendum stridens*, quia stridebat serpentinis capitibus. Quintò,

C *Chimæra*, & hæc *flammis armata*, nam de illa Hesiodus, πνέουσαν πῦρ. & iterum δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο: *efflans robur ardentis ignis.* De hac vide Virgilij interpretes, Homeri & Alciati in Emblematis, Natalem in Mytholog. Lilium. Sextò, *Gorgones*, tres, videlicet Euryale, Stheno, Medusa, filiæ Phorcynis. Septimò, *Harpyiæ*, de his satis mihi lib. 3. Æn. Octauò *forma tricorporis vmbræ*, id est, Geryon: vel Erilus etiam, quod addit Seruius. Libaui hîc has fabulas, parcè dicturus in Notis.

c Stringit hîc gladium Æneas præ terrore, opponítque venientibus contra se monstris. Admonetur à Sibylla, nulla ibi esse corpora, nullas animas, tantùm inanes, tenues, & vanas vmbras: aliter ille irruisset, séque lassasset, vmbras illas ferro diuerberans.

D

NOTÆ.

1 VLmvs] Poëtæ somnis sedem dant in arboribus, & foliis. Valer. 8. Arg.

Somniorum sedes arbores.

—dulces excussit ab arbore somnos.

infrà:

Cunctaq; Lethei quassare silentia rami
Perstat.

Vt

Vt inde videlicet sopor descendat. Ouidius in descriptione domus Somni 11. Met.

Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeraq́ue herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.

Eôdem pertinet Homeri figmentum lib. 14. Il. qui inducit Somnum ascendentem in arborem, vt inde oculos Iouis consopiat.

Ἔνθ᾽ ἧς' ὄζοισιν πεπυκασμένος εἰλατίνοισι:
Illic sedit ramis opertus abiegnis.

Sed cur Maro signanter vlmis fecit hærere? Viror huius arboris non est viuidus, non lætus; sed saturatus, & spissus, ac veluti in atriciem inclinans: vt vel ipse color ad somnos inuitet. Huc spectat, vlmum hanc fingi annosam, brachiis plenam, ingentem, opacam, ac perinde vmbrosam, vt apta sit captando somno. Iam de loco, vbi sit Somni regia, varia Poëtæ. Virgilius hîc constituit in vestibulo inferorum; Ouidius, ad Cimmerios reiicit; Homerus, ad Lemnum, nam inducit Iunonem profectam in eam insulam, Somno occurrisse. Pausanias Corinthiac. fuisse apud Sicyonios scribit. Porro, vana somnia in inferno constituuntur, vel ex gentilium opinione, qui sentiunt, manes & inferos esse fabulam: vel ad discrimen Deorum cælestium. Nam, sicut hi vera somnia immittunt mortalibus; sic inferi falsa, quæque in errorem ducunt, & mentis deceptionem. Notam Rhodigini lib. 10. c. 9. tu lege: ne ego somno somnia addam.

Somni Regia, vbi.

2. CENTAVRI] Negarunt hos esse multi ex antiquis. Ne, quæ alij coniunxerunt, repetam, lege Magium lib. 1. Miscell. c. 20. Delrium in Hercul. Furen. nouis comment. versu 778. Porro ad versum Virgilij contendit Statius in Achill.

Centauri stabula alta patent.

& Solinus cap. 14. *Ossam (agitent) quos Centaurorum stabulis immorari iuuat.* Vt verò in aditu inferorum hæc monstra, ita Plutarchus de genio Socratis ait, exaudiri rugitus plurimos, & gemitus animalium.

Briareus.

8. CENTVMGEMINVS BRIAREVS] De hoc latè Hesiod. Theogon. Breuior Plutarchus de multitudine amicorum Βριάρεως, ἑκατὸν χερσὶν εἰς πεντήκοντα φορῶν γαςέρας. *Briareus centum manibus cibum inferens in ventres quinquaginta.* Homerus. 1. Il. Ægæonem & Briareum eundem esse ait; sed à Diis Briareum, ab hominibus appellatum Ægæonem. Aliquando notaui solere Poëtam diuersis locis complere rerum notitiam. Id facit in hoc gigante. Hîc *centumgeminus Briareus.* in 10. *Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,*

Ægæon.

Virgilius diuersis locis complet notitiam.

Centenasque manus.

Ita scilicet diuisit notitiam, quam habuit ex Homero. Vt verò hîc vnica dictione, ita Homerus ἑκατόγχειρος. Claudianus diuidens 3. Rap.

——centum Briareia turba lacertis.

Pindarus Od. 4. Olymp. coniunxit, loquens de Typhone, ἑκατογκεφάλα, vocans centicipitem, à centum capitibus. Notetur obiter adagij forma, qua vsus Nazianzenus orat. 19. Βριάρεω χεῖρες: *Manus Briarei,* de homine auidè appetente lucrum, & veluti centum manibus inhiante ad quæstum. Ad hoc enim Nazianzenus vsurpat.

Manus Briarei. adag.

Excetra.

4. BELLVA LERNÆ] Dicta est alio nomine Excetra. & obseruabis contra vulgus mediam corripi, nam Cicero. 2. Tusc. conuertens versus Sophoclis.

Hac dextra Lernam tetram mactata Excetra
Placauit.

Quæ hæc fera, & Herculis facinus vbique obuium: vt Virgilius hydram in foribus locat, ita Tibul. lib. 1. eleg. 3. in porta:

Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore
Stridet.

ita Tibullum legit, & explicat ad imitationem Virgilij Iosephus Scaliger.

5. HORRENDVM STRIDENS] Nazianzenus orat. 3. contra Iulianum, vbi is imperator infernos adiit sacris magicis, ita ait: ἤχους τινάς φασιν ἀήθεις, καὶ ὀσμὰς τῶν ἀηδῶν, καὶ πυρώδη φάσματα: *aiunt enim sonos quosdam esse insuetos, tetrósque odores, atque ignea spectra.* Ait verò hæc omnia esse ὕθλους, καὶ λήρους: *nugas & deliramenta.* Quod subiicit de Chimæra armata flammis, Horatius Od. 17. lib. 2. dixit,

——Chimæræ spiritus igneæ.

Gorgones.

6. GORGONES] Duo hîc dicam. Primùm, visum mihi, adumbratum in toto hoc tractu Æschylum in Prometheo, nam sicuti ibi multa monstra coniungit, intérque illa Gorgones, ita hîc Virgilius: deinde illa monstra Græcus exhibet in tenebris, vt hîc Virgilius. Alterum, notare Seruium, relictos hîc à Poëta versus alios, qui sublati sunt ab emendatoribus. Sunt illi:

Gorgonis in medio portentum immane Medusæ,
Vipereæ circum ora comæ, cui sibila torquent,
Infamésque rigent oculi, mentoq́ue sub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

Posset firmari, versus istos esse Virgilij ex loco Æschyli, quem citaui, nam ibi δρακοντόμαλλοι γοργόνες: *serpentino crine Gorgones.* Sed hoc tamen non tanti est apud me, vt credam versus illos esse Virgilij. nisi quis dicat, imperfectos adhuc, nec dum limatos.

7. TRICORPORIS] Hesiodus Geryonem tantũ vocat τρικέφαλον *tricipitem.* Sed Æschylus in Agamem. & Philo de legatione ad Caium, τρισώματον, *tricorporem.* Æschylo hæsit Virgilius. Plutarchus in Politic. dat illi vnam animam, sed πολλὰ σκέλη, καὶ χεῖρας, καὶ ὀφθαλμούς; *multa crura, manus, oculos.* Plautus Aulul. senas manus, cùm ait: *Cum senis manibus genere Geryonaceo.* Horatius Od. 14. lib. 2.

Geryon tricorpor.

———ter amplum Geryonem.

Rittershusius in Oppian. lib. 2. venat. versu. 610. Virgiliũ aliter explicat, quã interpretes omnes. ait enim: *Harpyiarum triplex forma, aures vrsorum, corpora vulturum, ora virginum: hinc eas Virgilius 6. Æn. vocat formã tricorporis vmbræ.* Non placet. Quare dictus tricorpor in Natali inuenies, vide etiam Cedrenum pag. 140. Iustinum lib. vlt. Pausaniam Att. Diodorum lib. 4.

8. TREPIDVS FORMIDINE] Ita in re simili Vlysses in Homero Odyss. 11.

Ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει:
Me autem pallidus timor inuasit.

Est hoc, quod alibi:

At me tunc primùm sæuus circumstetit horror.

Quod Philostratus 2. Iconum: Ἀχαιοὺς δεῖμα ἐκπλήττει. Quod Xenoph. 2. ἀναβ. τοὺς Ἕλληνας φόβος ἐμπίπτει. Rem hanc attigit Nazianzenus orat. 1. contra Iulianũ, vbi loquẽs de impiis illius sacris: προσιόντα τὸ γενναῖον προσβάλλει τὰ δείματα, καὶ ἀεὶ πλείω, καὶ φοβερώτερα: *ingredientem in infernum terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures, & formidabiliores.*

9. TENVES SINE CORPORE VITAS] Audis hîc vitas tenues, & sine corpore, atque eas volitare sub caua formæ imagine. Postulant hæc omnia doctrinã veterũ, vnde pendent infinita Virgilij loca, & aliorũ. Diuidebant gentiles hominẽ in rem triplicẽ, videlicet in corpus, animã, imaginem. Extremam vocabant etiã, vmbram, simulacrum, & Homerus εἴδωλον. Plutarchus de defectu oraculor. sic indigetat, εἴδωλα κωφὰ, καὶ τυφλὰ, καὶ ἄψυχα: *idola muta, cæca, inanima.* Homerus. 11. Odyss. νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα: *mortuorũ inania capita.* Sen. in Furen. *populos leues.* & in Oedip. *exsangue vulgus, nebulæ leues.* Tibullus lib. 3. eleg. 2. *tenuem vmbram.*

Diuisio hominis.

Ergo, corpus terræ mandabant; animam atque imaginem interdum coniungebant in inferis; interdum separabant, vt anima esset in cælo, imago in locis infernis, aut Elysiis. Hinc tam frequens mentio apud omnes vmbrarum, simulacri, imaginis, præsertim cùm sermo est de re inferna. Hanc ergo doctrinam Sibylla Æneæ aperit, docétque vitas esse tenues, & sine corpore, ac volitare sub caua formæ imagine. Atque, vt ego concipio, corpus, & animam excludit; corpus apertè, animam, cùm nominat cauam imaginem formæ, quasi ibi non esset anima, quæ forma est corporis, sed tantùm formæ imago. Quæ dixi, multa probant, pauca subiiciam. Homerus clarè Odyss. 11. ore Vlyssis narrantis, quos viderit in inferno:

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίης:
Post hunc vidi vim Herculanam,
Idolum: ipse verò apud immortales Deos
Oblectabatur in conuiuijs.

Lucretius quoque animas separat à simulacris, attribuens hanc opinionem Ennio:

——esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

In doctrina Pythagoræ necessarium hoc fuit. dicebat enim corrumpi corpora, transire animas in corpora alia, descendere ad infernos, aut volare ad cęlos simulacra, vmbras, idola, spectra, imagines. En doctrina, Homeri, & Lucretij testimoniis firmata, vide nunc, quæ se loca Poëtarum aperiant. Dido de se:

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Charon inf.

Vmbrarum hic locus est.

Æneas cùm complecti vult patrem, & Vlysses matrem, vterque nequit, nam fugit imago,

Par leuibus ventis, volucríque simillima somno.

Homerus Odyss. 11. ait habitare in inferno βροτῶν εἴδωλα καμόντων: *hominum simulacra mortuorum*. Horatius Od. 24. lib. 1. *Vanam imaginem* dixit de hac re loquens. Quid certiùs, quàm Bacchum describi in cæ-

A lis, & vnum è superis? atqui Horatius lib. 2. Od. 19. ad illum,

Te vidit insons Cerberus.

capiendus est de simulacro. Anima Iulij in cælum recepta dicitur, imò versa in stellam; atqui in extremo hoc libro in campis beatorum esse narratur. De hac re est etiam locus Seruij signatissimus lib. 4. Æn. In fine non omittendum, ab Ouidio diuidi hominem in quatuor partes, his versibus:

Bis duo sunt homini Manes, Caro, Spiritus, Vmbra:
Quattuor ista loci bis duo suscipiunt.
Terra tegit Carnem, tumulum circumuolat Vmbra:
Orcus habet Manes, Spiritus astra petit.

Hinc est, vt apud Virgilium aliósque sæpe audias, vmbras, apparere ad mortuorum sepulcra, & ibi comitari corpora. Hanc Gentilium doctrinam videtur

B Cicero non tam ignorauisse, quàm non agnouisse, & respuisse, cùm scripsit lib. 3. Nat. *Non video, quo pacto ille, cui in monte Oetæo illatæ lampades fuerunt, vt ait Accius, in domum æternam patris ex illo ardore peruenerit: quem tamen Homerus conueniri apud inferos facit ab Vlysse.*

10. FRVSTRA FERRO] Laudat Iul. Scaliger Virgilium, quòd sapientissimè dixerit, *frustra ferro diuerberet vmbras*. Homerum risui exponit, quòd dixerit manes timuisse enses & vulnera. Non satis teneo, in quo positus Homeri lapsus, neque quid rideat Scaliger. Nam Virgilius quoque videtur consentire cum Homero. Certè, ideo suprà Sibylla dixit,

Túque inuade viam, vaginâque eripe ferrum,

vt manes terrerentur. Aliter inepta esset præceptio. & infrà dicit Virgilius terreri vmbras latratu Cerberi. Vbi etiam locum Senecæ adduco. Dicamus ergo,

C putauisse veteres, etiamsi falsò, timeri à dæmonibus gladios: & hoc errore gentilium ductos tam Virgilium quàm Homerum. Certè apud Plutarchum in Apophtheg. Laconicis, Laco quidā in spectrum ἐπέδραμε τῇ λόγχῃ, *hasta irruit*. Cæterùm Virgilius hoc versu respicit proculdubio ad athleticam doctrinam. Nam Pollux inter verba, quibus athletæ se exercent aërem verberantes, ac ventilantes, adhibet verbum σκιαμαχεῖν, *pugnare cum vmbra*.

[a] Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas.
[b] Turbidus hîc cœno vastâque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
[c] Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribili squallore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, stant lumina flamma.
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velísque ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba,
Iam senior, sed cruda Deo, viridísque senectus.

ARGVMENTVM.

Superatis monstris eunt rectà ad infernum. Describitur portitor inferorum Charon.

EXPLICATIO.

[a] A Vestibulo superatis tot monstris viam ad Acherontem fluuium dirigunt.

[b] Hîc sint pro explicatione verba Platonis in Axiocho hæc: τὰ δὲ πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος ὁδοῦ, σιδηροῖς

D κλείθροις, καὶ κλεισὶν ὠχύρωται· ταῦτα δὲ ἀνοίξαντα ποταμὸς Ἀχέρων ἐκδέχεται· μεθ' ὃν Κώκυτος: *Vestibula, quæ ferunt ad Plutonis regnum, obfirmata sunt ferreis claustris, & clauibus. Claustra ista aperientem excipit fluuius Acheron, post quem Cocytus est.* Itaque sequitur Virgilius ordinem Platonis, nam post vestibulum constituit Acherontem; post quem, Cocytum. De hac re ego latè in Notis.

[c] Hanc partem explicans, insistam vestigiis Scaligeri lib. 3. Poet. cap. 2. Describit Charontis officium, habitudinem, vestem, instrumenta officij, ætatem. Officium, nam *portitor*, nam *seruat aquas, & flumina*. Habitudinem,

tudinem, nam *horrendus* & cum *squallore terribili*. Inest illi *plurima mento canicies*, & hæc *inculta*, & *iacet*, quia neglecta circa mentum. Ad hæc *stant lumina flamma*, id est, sunt rigida, & ardent. Vestem, nam *amictus*, isque *sordidus*; & hic *dependet*, vt qui nulla fere arte sit illigatus, tantùm pendeat ex *nodo*, non ex fibula: quæ omnia mirum indicant neglectum. Instrumēta, nam,

conto subigit velisque ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba.

Non dat illi remum, vt nauiganti in lenta & crassa palude. Ad lentitiam istam pertinet verbum *subigit*, propter conatum. Cymba *ferruginea* est, atra, subnigra. Ætatem, nam erat *senior*, sed *senectus* ista *cruda* adhuc, & integra, ac *viridis* instar iuuenis. Nam si languidus esset, inualidus, imbecillus, quî laborioso negotio præesset?

NOTÆ.

Flumina inferorum.

1. ACHERONTIS] Hoc loco primùm se offert sermo de fluminibus inferorum. Aperiam hîc quæ visa necessaria. Mira est confusio in his fluminibus. Quatuor negotium facessunt, Acheron, Styx, Cocytus, Phlegethon, aut (quod idem) Pyriphlegethon. Aliqui discriminant hæc omnia flumina, ita vt quodque eorum suum habeat ortum; alij confundunt, & vnum putant, sed diuersa nomina. Non est animus examinare, quid alij senserint, sed quæ mens Virgilij in hoc libro. Primò sentio, in Virgilio non discriminari Acherontem à Cocyto, nam Acheron *omnem Cocyto eructat arenam*. Miscentur ergo, & Acheron in Cocytum desinit. quæ sententia Platonis est, de quo iam. Deinde sentio, Cocytum & Stygem confundi in Virgilio, & eundem esse fluuium, aut paludem. Id liquidum, nam Charon,

Acheron, & Cocytus idē. Styx, & Cocytus.

Cocyti stagna alta vides, Stygiámque paludem.

Id etiam efficiunt duo Virgilij loca collata. Cùm Sibylla & Æneas ripæ appropinquant, ait,

Nauita quos inde vt Stygia prospexit ab vnda.

& mox ait, vatémque virúmque expositos *trans fluuium*. Charon itaque, qui prospexerat ab vnda Stygia, illos exponit trans fluuium. Palus ergo Stygia, & fluuius Cocytus idem. Quin nauicula dicitur accepisse *multam paludem*. Hoc etiam efficit versiculus Senecæ in Furente,

Palus inertis fœda Cocyti iacet. & Silij:
Stagnantem Stygio Cocyti impleuit odore.

Itaque, falsò quidam existimat sententiam Virgilij esse, Acherontem, & Cocytum communicari media Styge. Falsum hoc, (inquam) nam, vt dici Styx potest, eodem puncto dici quit Cocytus. Tertiò puto, Charontis nauiculam non fuisse in Acheronte, sed in Cocyto, aut Styge, quod idem. Nam Acheron fuisse rapidus vel ex versu isto,

Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges,

videtur colligi. & ex Claudiano, qui prodigij loco dixit. 1. Rap.

——tacitis Acheron obmutuit vndis.

& ex Seneca in Furente, qui clarè:

At hinc tumultu rapitur ingenti ferox,
Et saxa fluctu voluit Acheron inuius.

Atqui transmissio Æneæ facta dicitur, qua lentus erat amnis, & tacitus. Vidit enim Charon Æneam & Sibyllam *per tacitum nemus ire*. & Seneca in Furente Cymbam Charontis constituit,

Stupente vbi vnda segne torpescit fretum.

vt etiam Apuleius lib. 6. *cùm ad flumen mortuum venies, cui præfectus Charon*. Transierunt ergo Æneas, & Sibylla fluuium, non qua est Acheron, sed quà iam Acheron receptus in Cocytum. Inde ego, (vt hoc obiter dicam) nescio, cur Cicero lib. 1. Tusc. (& si quis est

A alius) dicat *Cocyti fremitus*. Nam reliqui omnes Cocytum inducunt tacentem, stupentem, nullo strepitu; tantùm cæno & lentitie valentem. Redeo. Quartò fingit Poëta, sicuti alij Cocytum, qui à lenticie palus dicitur, nouies (recepto iam intra se Acheronte) intercurrere inferni ripas, quò ea loca tutiora sint. Quintò, puto Acherontem adhuc eundem esse cum Phlegethonte. Nam hîc *Tartarei Acherontis*, & infrà, *Tartareus Phlegethon*. Homerus apertè confundit Acherontem, Phlegethontem, Cocytum, Stygem, Odyss. 10. cùm ait:

Acheron, & Phlegethon idem.

Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,
Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατος ἐστὶν ἀπορρώξ:
Hîc quidem in Acherontem fluunt Pyriphlegethon,
Cocytúsque, qui certè Stygis aquæ est fluxus.

B Sextò, putauerim, Poëtam, in his nominibus potiùs quàm aliis vsurpandis, omnino Homero institisse: Homerū verò his locis hæsisse, quæ ipse viderat in Græcia, scribente sic Pausania in Atticis, verbis interpretis: *Ad Cichyrum Acherusia est palus, Acheron amnis, & Cocytus præterfluunt, aqua insuauißima. Quæ loca, cùm vidisset, vt opinor, Homerus, multa ex illis in suum de inferis poëma transtulit, & ipsa etiam carminibus amnium nomina inseruit.* In lib. 3. Sibyllinorum carminum, est, Peneum notissimum Græciæ fluuium, vocatum Stygium. Πηνειὸς καί μιν Στύγιον καλέουσιν. Porro, fluuium Lethen nihil est, cur cum his misceamus, quem multi separant, & Virgilius clarè. Sed de illo infrà. Expleui pensum, sed cùm sim in his fluminibus, addam etymologias illorum: Acheron dictus est (teste Suida) παρὰ τὸ ἄχη

C ῥεῖν, quòd doloribus fluat. Styx, aut ἀπὸ τοῦ στυγέω, propter odium: aut, στυγνάζω, propter tristitiam. Tristitiæ luctus est proximus, inde Cocytus ἀπὸ τοῦ κωκύειν. Phlegethon ab igne ducitur, nam φλέγω est ardeo. Quam rem significatiùs attingit Πυριφλεγέθων.

Acherontis, Stygis, Cocyti, Phlegethontis etymologia.

2. FERT] Græci ὁδὸς φέρει, καὶ ἄγει. Vide Budæum in Comment. pag. 513. & me in 9. Ecl.

3. ERVCTAT] Ex nostro Silius,

Tristior hîc Acheron sanie, crassóque veneno
Æstuat, & gelidam eructans cum murmure arenam
Descendit nigra lentus per stagna palude.

4. PORTITOR] Ita etiam Propert. lib. 4. eleg. 12.

Vota mouent superos, vbi portitor æra recepit.

Seneca in Furente:

Regit ipse conto portitor longo ratem.

D Iuuenalis ad Græcam vocem decurrit:

——tetrúmque nouitius horret
Porthmea.

Omnes ad naulum videntur alludere, quod Græci πόρθμιον, Latini *portorium* nominant. Sunt, qui ducant à portando, sunt qui à portu.

Porthmeus Charon.

5. HORRENDVS] Charon ipse apud Euripidem in Alcestide vocat mores suos ἐχθρούς γε θνητοῖς καὶ θεοῖς στυγουμένους: *Inuisos hominibus, Dijsque odiosos*. Ab Statio 2. Syl. dicitur, *trux nauita*, in epiced. in Glauciam.

Charontis mores.

6. TERRIBILI SQVALLORE, &c.] In hac descriptione Seneca Virgilio hæsit in Furen.

Descriptio.

Hunc seruat amnem cultu & aspectu horridus,
Pauidósque manes squallidus gestat senex.
Impexa pendet barba, deformem sinum
E *Nodus coërcet, concauæ lucent genæ,*
Regit ipse conto portitor longo ratem.

& in Oedip.

Quíque capaci turbida cymba
Flumina seruat, durus senior,
Nauita crudus, vix assiduo
Brachia conto lassata refert.

Claudianus 2. Rap. Charonti dat *impexos crines*. Paulinus in Paneg. Celsi *tristem squallorem*.

7. CHARON] Vnus Petronius in Sat. inferorum

portitorem facit Proteum, his versibus:

——vix nauita Proteus
Sufficiet simulacra virûm traducere cymba:
Classe opus est,&c. Cùm autem hoc nemo alius dixerit, coniicit Delrius legẽdũ nõ *Proteus*, sed *Porthmeus*. Qua voce pro Charõte vsus Iuuenalis, vt vidisti suprà.

8. Canicies inculta] Est hoc, quod Apuleius alio flexu dixit lib. 5. *lanoso barbitio genas inumbrãtem.*

9. Stant] Seruius explicat, *horrent*. Iulius Scal. *sunt rigida*, additque signari hominem σκληρόφθαλμον. Turneb. *stant lumina flamma*, id est, *oculi sunt pleni flãma*. vt 12. *puluere cælum stare*. Et Lucillius, *pectus sentibus stare*. Germanus demum, cuius explicatio mihi maiori in precio, vult ea forma dictum, *stant lumina*, vt ab Homero de Vlysse dictum est,

Ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κέρα ἕσαζν, ἠὲ σίδηρ(ος),
Ἀτρέμας ἐν βλεφάροισι.

Charontis oculi.

Quibus ait, oculos absque vllo motu, aut nutu stetisse firmos, vt cornu, aut ferrum. Eôdem videtur pertinere rigor Scaligeri. & verba Aristidis, quæ habentur in 2. Platonica, vbi ad significandas firmas cogitationes & firmos oculos, ait, λογισμοῖς ἑςῶσιν, καὶ ὀφθαλμοῖς: *stantibus cogitationibus, & oculis*. Incidi in locum Plutarchi, qui ad rem Poëtæ mirus. ait enim de sera vind. animas defunctorũ neque vmbras iaculari, neque oculis conniuere, μήτε σκαρδαμύττειν. Contulit itaque Poëta ad Charontis oculos, quod sciebat proprium esse defunctorum.

Defunctorũ oculi.

Quin hoc adludit cum nota Deorũ, de qua ego alibi. Horatij, *irretortum oculũ*, Od. 2. lib. 2. sunt qui explicẽt, *non conniuentem*. Quæ explicatio mihi in pretio. Est hoc fermè, quod Sen. dixit lib. de Const. Sapiẽtis c. 5. *Aduersus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat.* Hanc notam oculorum esse hominũ audacissimorum satis indicat Theocr. cùm ait,

——ἄχθομαι, εἴ τύ με τολμῇς
Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπεν:
——*indignor, si mihi contra*
Tu rectis oculis ausis obsistere.

10. Lumina flamma] Allusum est à docto Poëta ad Charontis etymon. Charon enim ducitur à voce Charopos, quòd flammeis esset, & ignitis oculis. Sic Aristoteles ab oculorũ sæuitia leonem vocat Charopon, id est, toruè atq; iracundè intuentem, quẽ Catullus *cæsium*. Est enim leo glaucis & ignitis oculis. & quidem χαροπὺς ὀφθαλμὺς, etiam dat Philostratus Aiaci in Heroicis. & Iunior de Meleagro, χαροπὸν δὲ ὁ δορκὸς τὸ ὄμμα. Quod Ammianus dixit lib. 16. *Elucebat furor quidam ex oculis*. Sic explicant Poëtam aliqui. Delrius tamen in Hercule Oet. putat, *Charontem* vocem esse Ægyptiacam. Ægyptij enim portitorem sic appellant. Inde (ait) Græcis videri dicta χαρώνεια, quasi Charõtis ostia & portus, quæ Romani Deorum manium seu inferorum ostia appellabant. Sed multo ante hoc dixerat Pompon. Sabinus, ad versum hunc,

Charontis etymon.

Leonis oculi.

Nauita quos iam inde vt Stygia, &c. Verba eius: *Magister nauis lingua Ægyptia Charon dicitur, qui cadauera transportat.* Ab his non dissident, quæ scribit Lilius libro de vario sepeliendi ritu, ea parte, qua Ægyptiorũ mores attingit. Vide quæ adducam lib. 8. ad illud, *turbata Palladis arma.*

11. Sordidus ex humeris nodo] Versum hunc mihi aperit Plautus in Milite, vbi describens vestimentum nauticum, ait:

Naucleri habitus.

Facito vt venias ornatus ornatu nauclerico,
Palliolum habeas ferrugineum.
Id erit connexum in humero læuo, ex papillato brachio
Præcinctus, atque assimulato quasi gubernator sies.

Ergo, nodus Virgilianus capiendus ab læuo humero, & ita vt brachium esset exertum, nam hoc est, ex papillatum: hoc enim cùm fit, nudatur papilla. Erat quippe iste habitus naucleri.

12. Dependet] Quasi negligenter & nullo cultu. Ita Propertius lib. 3. eleg. 6.

Ac mæstam teneris vestem pendere lacertis.

13. Ratem conto subigit] Sententiam sic concipio. Continet semper nauem in aduersam partẽ fluminis, ne præceps labatur secundo amne. Nã 1. Georg.

Subigere nauem.

Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigijs subigit.

Et hæc esse videtur mens Seruij, qui in hunc locum: *subigit, subagit, sursum agit, rapit.* Est verò cõtus hoc loco, hasta nautica, lõga, & robusta, qua nautę vtebantur ad explorãda loca fluminũ. Inde Greci (quod Lilius admonet in lib. de Nauigiis) κοντωτὰ, nauigia dicunt, quæ impelluntur conto, quorum fit mentio ab Appiano, & Diodoro. Herodotus, genus quoddam pali, quo aguntur nauigia, πλῆκτρον vocat. Ab rate hac Charontis, nata parœmia, qua, quibus imprecamur, ad nauem mittimus, qua vsus Aristophanes in Lysist.

Contus.

Adagium.

Χώρει εἰς τὴν ναῦν,
Ὁ Χάρων σε καλεῖ:
Abi ad nauem,
Charon te expectat.

14. Velisque ministrat] Tacitus de morib. Germanor. *Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt.* Obseruata quædam circa hanc rem lege in Acidalio lib. 9. animaduers. Q. Curtij.

15. Ferruginea] Plautus in Milite describens nauticum vestimentum:

Ferrugineus color, thalassicus.

——*Causiam habeas ferrugineam,*
Palliolum ferrugineum, nam is color thalassicus est.

16. Corpora] Non viua, nam hæc nefas Stygia vectare carina. Quæ ergo? quæ postea subdit, *defunctáq; corpora vita.* Itaque hîc absolutè per *corpora* intellexit mortua. vel, quod magis probo, per *corpora* capit simulacra, vmbras, εἴδωλα. Aliter hic locus nequit commodè expediri, cùm locus corporum sit sepultura. Certè *corpus defunctum vita* idẽ est, atque *inane corpus*, vt locutus est Ouid. & vtrunque idem, quod simulacrum.

17. Sed cruda Deo, viridisque senectus] Oratio hæc continet descriptionẽm ὠμογερόντων, & opponitur maturitati quæ esse debet in senibus. Itaq; Charon, etiam si senex, & mento albido, tamẽ adhuc crudus, & viridis: quales Galenus describit, quales Tacitus in vita Agricolæ, qualem Euripides in Iphigenia Aulidensi. Omitto hæc loca, quippe iam antè ab aliis libata. Qualem Dio Chrysostomus, orat. 12. describit cycnum, in extrema senecta valentem ad cantum, vocans ὠμόγηρον. Qualem Philostratus in Heroicis Vlyssem, cui dat ὠμὸν γῆρας, *crudã senectutẽ*. Qualem idem Philoctetem, πολιὸν μὲν ὑφ' ἡλικίας, ἑξήκοντα γάρ που ἔτη γεγονέναι, σφριγῶντα δὲ παρὰ πολλοὺς τῶν νέων: *canum quidem, vt iam sexaginta annos natum, sed præter multos iuuenes vigẽtem.* Qualem Thiodomantem idem lib. 2. Icon. στυφνὸς, καὶ ἐν ὠμῷ τῷ γήρᾳ, *rigidus, & in senecta cruda.* Qualem Seneca Claranum ep. 66. *Viridem animo, ac vigentem, & cum corpusculo suo colluctantem.* Qualem Nazianzenus in carmine de virginitate, γῆρας ἐλαφρόν. Qualem alter Plinius lib. 7. epist. vbi de fœmina, quæ obiit anno vitæ octogesimo: *vsque ad nouissimam valetudinem viridis.* Qualem describit Sanctus Hieronymus Paulum Concordiensem epist. 21. centum annorum hominem, ab eo loco: *Oculi puro lumine vigent*, &c. quæ descriptio digna est, quæ adeatur. Ab his non multùm dissident verba Plauti Menæch.

Senes crudi.

Viror de oculis.

Viden' tu illi oculos virere? vt viridis exoritur color
Ex temporibus, atque fronte: vt oculi scintillant, vide.

Causam, cur senes ita crudi & asperi, hanc reddit Plutarchus lib. 3. Sympos. quæst. 3. δηλοῖ δὲ καὶ τὸ δυσκαμπὲς αὐτῶν, καὶ σκληρόν, ὅτι δὲ ἡ τραχύτης τὴν ξηρότητα τῆς φύσεως:

Senes cur asperis moribus.

Rigor

A *Rigor autem eorum, & duricies, & asperitas siccitatem naturæ declarat.* Ergo, quia sicci, ideo asperi. Horatius commodè Od. 11. lib. 2. canitiem vocat aridam:

—arida
Pellente lasciuos amores
Canitie, facilémque somnum.

[a] Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres, atque viri, defunctaq; corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptæq; puellæ,
Impositíque rogis iuuenes ante ora parentum.
[b] QVAM multa in syluis Autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto
QVAM multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans portum fugat, & terris immittit apricis.
[c] Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebántque manus ripæ vlterioris amore:
Nauita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,
Ast alios longè summotos arcet arena.

ARGVMENTVM.

Narratur aptis comparationibus turba omnis generis animarum confluentium ad transmeandum Cocytum: & delectus Charontis in his admittendis, illis arcendis.

EXPLICATIO.

a DEscribitur studium animarum, quæ ibant ad ripas Cocyti, non Acherontis, vt iam explicui. Signata verba studij sunt, *effusa*, &, *ruebat*. Hîc tu Lector duo nota digna hoc Vate. In describenda multitudine aliqua, nihil est reliquum, si adhibeas sexum, ætatem, conditionem. Hæc enim distinctio complectitur omne mortalium genus. Ergo erant ibi *matres atque viri*, en sexus: erant *pueri* & *puellæ*, en ætas: erant *heroes*, en conditio. Deinde nota conquestionem pene ad lacrymas. Sunt ibi Heroes *magnanimi*, ac perinde indigni, qui morerentur: sunt puellæ adhuc *innuptæ*, quo quid miserius? iuuenes cremati *ante ora parentum*, quod spectaculum acerbissimum est.

b Sequitur duplex comparatio ad explicandam confluentem animarum turbam; prima, à foliis arborum cadentibus extremo autumno. Itaque ne capias initium autumni, etiam si dicat *autumni frigore primo*, sed exitum. nam in autumni exitu est primum frigus. Altera ab auibus, quæ incipiente hyeme, transmisso mari, simul in terram deuolant, & in vnum locum glomerantur. volunt hîc per *terras apricas* intelligi Africam, in quam solent aues per hyemem confluere è locis aliis frigentibus. Est *annus frigidus*, hyems, quia hæc pars anni frigida. Sunt qui per *aues* capiant tantùm grues ex Homerica imitatione. Sed nihil impedit quin capiatur omne genus volucrum.

c Vide mirè descriptum habitum supplicum. Nam *stabant*, & *orantes*, & *tendebant manus*. Quid verò volebant tanto conatu? amnem transmittere, ripam vlteriorem. Quid Charon? capiebat iam hos, iam illos cum magno delectu: alios longè arcebat, summouens procul à ripa. Pro hac *arenam* posuit, quia ripæ, vt plurimùm, arenosæ.

NOTÆ.

Pluto dictus Agesilaus.

1. EFFVSA RVEBAT] Huc refer cognomen Plutonis, qui Græcis dictus Agesilaus, παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαοὺς, quòd agat populos ad inferos. Meminit Callimachus, quem videtur Poëta expressisse. φοιτῶσι μεγάλῳ Ἀγεσιλάῳ: eũt ad magnum Agesilaum. Porro à tam numerosa multitudine, quæ infernos occupat, putãt non pauci dictam Horatio domum Plutonis *exilem*, quasi contractam, redactámq; in angustias animarum con-

B cursu. Vel certè exilis est Plutonis domus, in qua omnia tenuia, vilia, abiecta. Malè Scaliger Horatium carpit. Cum sententia Poëtæ de multitudine ruente effusim ad infernũ congruit Rubenij nota de inferno, qui dictus *cõmunis locus*. Probat ex prologo qui est in Plauto, (nam ille non Plauti) vbi de Poëtis: *Qui nũc abierunt hinc ad communem locum*, id est, mortui sunt. & ex Artemidoro lib. 1. c. 80. vbi ait, κοινὸς γὰρ ὁ τόπος οὗτος καλεῖται· ὡς καὶ ὁ τοὺς νεκροὺς δεχόμενος. *Communis enim locus ille* (id est lupanar, nã de illo loquitur) *appellatur, vt & is, qui mortuos suscipit.* Adnecto ego versũ Prop. lib. 3. el. 18.

Scandenda est torui publica cymba senis.

Signat certè communem cymbam. & Seneca ad Polyb. qui de morte, *Omnibus illo nobis commune est iter.* & ep. 77. *Eò ibis, quò omnia eunt.*

C 2. MATRES ATQVE VIRI, &c.] Aliquis affectus horũ versuũ sumptus est ex affectibus Homericis Odyss. 11.

Νύμφαι τ', ἠΐθεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες,
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι:
Sponsæq́, iuuenésque, & multa paßi senes,
Virgunculæq́, tenellæ, nouo luctu affectũ animũ habentes.

3. QVAM MVLTA, &c.] Duplicem Homeri comparationem è diuersis locis in vnum coniunxit. In 6. Il. indicat Græcus mortalium imbecillitatem sumpta comparatione à foliis,

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν·
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει:
Quale foliorum genus, tale & virorum.
Folia alia quidem ventus humi fundit.

Porrò aliam partem de auibus sumpsit ex eodem 3. Il. vbi Græcorũ multitudinem comparat cum gruibus,

D Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων:
Quæ postquam hyemem fugerũt, & immensum imbrem,
Cum clangore hæ volant ad Oceani fluenta.

Claudianus 2. Rap. ea parte, quæ pertinet ad arbores, Poëtam ita æmulatur,

Conueniunt animæ quantas truculentior Auster
Decutit arboribus.

In auibus & ille, & multi alij Virgilio hæserunt, quos adducam Poëtæ illustrando, & ad vtilitatem imitantium. Ergo Statius 5. Theb.

Qualia trans pontum Pharijs defensa serenis
Rauca Parætonio decedunt agmina Nilo,
Cùm fera ponit hyems: illa clangore fugaci
Vmbra fretis aruísque volant: sonat auius æther.
Iam Borean imbrésque pati: iam nare solutis
Amnibus, & nudo iuuat æstiuare sub Æmo.

Luc. lib. 5.

Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Potura te Nile grues.

Et

Et Claudian. de bello Gildonico.

Ingenti clangore grues æstiua relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo.

Seneca in Oedipo de re fermè Poëtæ loquens,

Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & cælum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas niues:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.

Est hoc, quod Cyrillus dixit: *πολλὰ τῶν ὀρνέων τοὺς ἐπιχωρείους χειμῶνας οὐ φέροντα πρὸς ἑτέρας μεθίστανται χώρας: Multæ aues climatis sui hyemem non ferentes, aliena petunt.* Quod Nonnus lib. 1. Dionys.

Ὀρνίθων ἀκίχητον ἐμιμήσαντο πορείην,
Auium incomprehensibilem imitabantur transitum:

Omitto hîc multos, qui ad indicandam numerosam multitudinem decurrunt ad arenam maris, quorum princeps est Pindarus Od. 2. Olymp. Aristophanes in Lysistr. qui de Persis *ψάμμας*. Iulius Pollux lib. 9.

A cùm accumulet verba, quibus confertio & numerositas explicatur, adiicit: *Καιρὸν δ' ἔχει καὶ τὰ ποιητικὰ, ὑπὲρ τὴν ψάμμον, ὑπὲρ τὰ κύματα, ὅσα φύλλα, καὶ ἄνθη, καὶ τὰ τοιαῦτα: Locum etiam habent poëtica, supra arenam, supra fluctus, quot folia, quot flores, & similia.*

4. LAPSA CADVNT FOLIA] Est hoc, quod Sidon. dixit epist. 13. lib. 5. *deiectu caducæ frondis.* & Græci *φυλλορροεῖν*.

5. STABANT ORANTES] Volunt aliqui allusum ad morem oratorum, qui stabant. Tacitus Dialog. de oratorib. *Quod gaudium assurgendi assistendíque inter tacentes, in vnum conuersos coire populum, & circumfundi coronam, & accipere affectum, quacunque orator induxerit.* Qui tamen mos non fuit perpetuus. Adi Polletum lib. 1. fori Rom. cap. 5. cùm addit postea, *tendebántque manus*; quamuis referri ad supplices possit: sed non dubium, quin etiam esset oratorum; & sic Poëta persistet in eodem more. Oratores stabant.

[a] Aeneas (miratus enim, motúsque tumultu)
Dic, ait, ô Virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quídve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt?
[b] Olli sic breuiter fata est longæua sacerdos.
Anchisa generate, Deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiámque paludem,
DII cuius iurare timent, & fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataq; turba est:
Portor ille, Charon: hi, quos vehit vnda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitántque hæc littora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.

ARGVMENTVM.

Explicat Sibylla Æneæ, quid sit delectus ille Charontis: nam sepulti admittuntur, insepulti arcentur.

EXPLICATIO.

[a] ÆNeas admiratus tumultum concursantium, duo rogat (quod aliqui dicunt, *tria*, non satis discerno) causam concursus: deinde discrimen, quo hæ animæ admittantur, illæ arceantur. vada *liuida* sunt, nigra.

[b] Respondet quæsitis, & plura addit, quæ tamen ad eandem rem pertinent. Clara est sententia. Verba egent aliquali explicatione, hanc subiiciam ad gustum nouitiorum. *Olli*, pro, illi, ex more vetere, & ex heroica maiestate. *Fata est*, propriè admodum, fatur enim, quæ nouerat fata mortalium. Dicitur Sibylla hæc *longæua*, quia diutissimè vixisse ex fabulis habetur. versus *Anchisa generate*, &c. continet periphrasin herois, nam heros est, natus ex cælesti, & mortali. Ideo verò, *Deûm certissima proles*, quia infernos adit, nam hoc *Dys geniti potuêre.* Cocyto dantur *stagna*, propter *Stygiam paludem*, quod suprà docui. De iuramento Stygis, in Notis. Turba *inops*, & *inhumata* est, quæ præ inopia caruit sepultura. Non placent qui aliter concipiunt: nam Poëta non dicit, quod ipsi dicunt. Ripas *horrendas*, quòd horrorem incutiant: fluenta *rauca*, quòd obtusum quiddam insonent. *Sedibus*, dicuntur

B sedes de mortuis, de quo alibi. *Quierunt*, alludit ad vsitatam formam *quiescat placidè*, de qua etiam alibi. *volitant*, & ex natura animarum, & quia suprà comparatæ volucribus. *exoptata*, quia diu optata, videlicet per annos centum. Quæ hîc desunt, quære in Notis.

NOTÆ.

1. VADA LIVIDA] Statius 1. Theb. Liuor de aquis inferorum.

——vmbrifero Styx liuida fundo.

Tibullus lib. 3. alio flexu, sed pari significatu. *pallida Ditis aqua, &, luridus orcus aqua.*

2. LONGÆVA] Ouidius de hac Sibylla lib. 14. Met.

C *viuacísque antra Sibyllæ.* & Sibylla ipsa postea de se,

——nam iam mihi sæcula septem
Acta vidés.

Aristoteles de mirabilib. vocat *πολυχρονιωτάτην παρθένον*. Propertius lib. 2. prouerbialiter, eleg. 24. Sibyllæ ætas.

At me non ætas mutauit tota Sibyllæ.

Idem lib. 2. eleg. 2.

Etsi Cumææ sæcula vatis agas.

Ouid. 3. Fast.

Inuenias illic, qui Nestoris ebibat annos:
Qui sit per calices facta Sibylla suos.

Auson.

Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.

Citantur etiam versus veteris Poëtæ, qui pro exemplo longæ admodum ætatis inducit tres fœminas Hecubam, Sibyllam, Æthram matrem Thesei:

Quædam

Quædam haud iunior Hectoris parente:
Cumæa soror, vt puto, Sibyllæ:
Æqualis tibi, quàm domum reuertens
Theseus reperit in rogo iacentem.

Fabula, quam hîc narrat Seruius, consentanea in nonnullis est cum his, quæ scribit Ouidius lib. 14. Met. Adi vtrunque.

Stygis iuramentum.

3. Dii cuius iurare, &c.] Hunc honorem datum Stygi volunt fabulæ, vel quòd huius filiæ Victoria, Vis, Robur, Zelus Ioui opem tulerint aduersus Titanas. vel quòd Styx ipsa patefecerit Ioui coniurationem Deorum, qui ipsum volebant vincire. Ista in fabulantibus sunt. Homerus Il. 15. & Odyss. 5. de iuramento Stygis, ait, μέγιστος, *maximus*, & addit vtroque in loco, δεινότατος μακάρεσσι θεοῖσι, *grauißimus beatis Dijs*. & 14. Il. ἀάατον στυγὸς ὕδωρ, *inuiolabilem Stygis aquam*. Hesiodus in Theog. δεινὴ στὺξ, *grauis Styx*. eandem vocat ἄφθιτον, *incorruptam*. & de hoc fluuio, ἱεροῦ ποταμοῖο, *sacri fluuij*. Apollonio 2. Arg. iuramentum eius dicitur ῥιγίστη, & ὀπιδνοτάτη θεοῖσι, *terribile*, *venerandum Dijs*. Apuleius lib. 6. ait, aquas Stygis esse *formidabiles* Ioui, Diisque aliis. Elogia hæc superat Virgilianum, cùm hîc dicatur Styx habere *numen*.

Insepulti arcebantur ab inferis.

4. Hæc omnis, qvam cernis, &c.] Fuerunt gentiles in hoc errore. Tertullian. lib. de anima: *Creditum est insepultos non antè ad inferos redigi, quàm iusta perceperint, secundùm Homericum Patroclum, funus in somnis ab Achille flagitantem: quòd non alias adire portas inferorum posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum.* Locus Homeri, cuius meminit Africanus scriptor, habetur 23. Il. Statius quoque 1. Theb. de hac inferorum lege,

Laius exstincti nati quem vulnere nondum
Vlterior Lethes accepit ripa, profundi
Lege Erebi.

Idem infrà attingit Noster in persona Palinuri. Et Lucanus lib. 1.

—vmbraq; erraret Crassus inulta.

Et libro 6. de illo, quem Maga excitauit ad incantationes, qui insepultus iacebat, ita ait:

—primo pallentis hiatu
Hæret adhuc orci.

Ante Latinos Euripid. in Troadib. sub persona chori loquentis de Priamo,

Ὦ φίλος, ὦ πόσι μοι,
Σὺ μὲν φθίμενος, ἀλαίνεις
Ἄθαπτος, ἄνυδρος.
O chare, ô marite,
Tuquidem mortuus, erras
Insepultus, indefletus.

Obserua autem; animas istas, iuxta Virgilium, arceri ab ipso Charonte ne transmitterent fluuium: nam suprà de illo:

Nauita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
Ast alios longè summotos arcet arena.

Homerus autem has res attribuit animabus sepultis, quæ insepultas arcebant. sic enim Patroclus apud illum:

Θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας ἀΐδαο περήσω.
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων,
Οὐδέ με πως μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν:
Sepeli me quàm citißimè, portas Plutonis vt intrem.
Longè me abigunt animæ, vmbræ defunctorum,
Neque me aliquo modo misceri alijs trans flumen sinunt.

Id ipsum ex Tertulliano iam adduxi.

5. Centvm errant annos] Non dubium quin alludat ad locum istum Platonis lib. 10. Polit. etiam si Plato loquatur de aliis quàm de insepultis: *Quoscunque alijs iniurias intulisse constaret, pœnas singulatim pro quolibet decies reddidisse,* τοῦτο δ' εἶναι κατ' ἑκατονταετηρίδα, *id est, spatia annorum centum. quasi hæc vitæ humanæ sit meta, vt animæ decuplam iniuriæ darent pœnam.*

Insepulti errabãt annos centum.

6. Littora] Suprà dixerat *ripas*, nunc *littora*. Itaque littus dicitur etiam de fluminibus, non de mari solùm. Ita Propertius lib. 1. eleg. 2.

Littus etiam de fluuiis.

Eueni patrijs filia littoribus.

Est Euenus fluuius. Sed hoc alibi.

a Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit,
Multa putans, sortémque animo miseratus iniquam.
b Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes
Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos simul à Troia ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aqua inuoluens nauémque virósque,
c Ecce, gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera seruat,
Exciderat puppi, mediis effusus in vndis.
d Hunc vbi vix multa mœstum cognouit in vmbra,
Sic prior alloquitur: Quis te Palinure Deorum
Eripuit nobis, medióque sub æquore mersit?
Dic age. namque mihi fallax haud antè repertus,
Hoc vno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finesq; canebat
Venturum Ausonios. En hæc promissa fides est?

ARGVMENTVM.

Agnoscit, inter insepultos, quosdam è suis: intérque illos Palinurum, gubernatorem suæ nauis, quem rogat, quo mortis genere abreptus fuerit.

EXPLICATIO.

a Describitur verbo *constitit*, habitus hominis subitò stupentis. Ergo *constitit* pedibus, sed animo cogitabundus, *pressit vestigia*, reputans multa, & miserans sortem insepultorum. Itaque *constitit* stu-

pens,

pens, *pressit vestigia* cogitabundus, sortem, *iniquam* vocat. nam quid iniquius, quid iniustius, quàm aliquem ob alterius negligentiam puniri? nemo enim culpa sua caret sepulcro. Ita expendit locum istum Manutius. Sed ego aliter. Verè *iniquam*, quia hæ admittuntur, illæ arcentur, quod non æquum.

[b] Pendent ista ex his, quæ habentur lib.1.Æn. Primus versus rem narrat, & reddit causam. Ideo enim mœsti, quia carebant honore mortis, id est, sepultura. Tota verò narratio sparsa est affectibus. Perit *Leucaspis*, qui nauis rector: perit *Orontes*, qui *ductor classis*, sunt hæc misera. Sed cuius classis? *Lyciæ*, quantum πάθος! est enim admodum miserum, illum perire, qui alterius calamitatem dolens, se illi adiungit comitem, quod accidit Oronti. Quale etiam illud ad lacrymas? *Obruit Auster*. Quid si expendas deforme mortis genus, videlicet, *aqua inuoluens nauémque virósque*. Illud *ventosa æquora*, illustratum iam.1.Georg.

[c] Sistit in vno Palinuro, qui *nuper Libyco cursu*, id est, cùm facta est transmissio ex Libya in Italiam, *dum sidera seruat*, est hæc vox signata, nam seruare de cælo dicitur, *exciderat puppi*, signat eam partem, ex qua cecidit Palinurus, nam in 5. *cum puppis parte reuulsa*, &c.

[d] Est *multa vmbra* periphrasis noctis inferorum. Palinurum vix agnouit præ tristitia, quæ ita magna in illo erat, vt primùm rogatus, *Quis te Palinure*, &c. nihil responderit, donec increpitus est ab Ænea verbis illis, *Dic age*. Quibus verbis Æneas non tam Palinurum reprehendit tarditatis, quàm expostulat contra Apollinem, qui fidus aliàs, tunc se deluserit. Nam cùm hîc Deus promisisset, Palinurum venturum esse in Italiam, submersus est medio æquore: & ereptus non tam vni Æneæ, quàm vniuersæ classi. Ideo signatè *eripuit nobis*, non mihi.

NOTÆ.

Classis pro vna tantùm naui.

1. CLASSIS] Videtur hîc sumi pro vna tantùm naui. Nam.1.Æn.

Vnam, quæ Lycios, fidúmq; vehebat Orontem.

& statim, versu ab hoc tertio, *nauémque virósque*. Neque est mentio fuisse in comitatu Æneæ præter vnam nauem Lyciorum. Horatius quoque de naue vna ca- A piendus Od.11.lib.3.

Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

2. NVPER] Alludit hac voce signatissimè ad rem, in qua est. Sic apud Homerum Odyss.11. anima Elpenoris πρώτη ἦλθεν, *prima venit*. quia videlicet, vt terræ vicinior, faciliùs potuit exaudire incantationem, & necromantiam Vlyssis. ita fermè Spondanus ad Homeri locum.

3. SIC PRIOR ALLOQVITVR] Totus hic locus ductus est ad filum Homericum. Græcus, Vlyssem & Elpenorem; Latinus, Æneam, & Palinurum sermocinantes inducit. Græcis parco, quòd multa: sed quæ B Homerus versibus viginti tribus exposuit, ego subitaria opera versibus reddidi octo supra decem, hunc in modum:

Alloquor ipse priùs velocia verba. Quid (inquam)
Venisti Elpenor tenebrosa in Tartara primus?
Non ita nos celeres cursu tranauimus vndas.
Ille sub hæc plorans: Me dæmonis ira merúmque
Obruit in tectis. nam post conuiuia Circes
Ebrius assurgo, pede mox prolabor ad altæ
Descensus scalæ, ceruix mihi frangitur, inq;
Hæc loca perueni mœstissima. te mihi præbe
Humanum facilémque precor. per coniugis oro
Penelopes thalamos, per adulti iura parentis,
Per spem Telemachi nati. scio limina Circes
Visurum te iterum, diris ab sedibus Orci.
Corpus humo dignare tegi, & me conde sepulcro:
C *Ne tibi fortassis Diuûm indignatio fiam.*
Da rapidas flammas, atque vnà insignia mecum
Combure, & tumulum spumosi ad littoris vndas
Erige, sitq; super remus, quo cærula verri.
Sic erit æternum ventura in sæcula nomen.

4. FALLAX HAVD ANTE REPERTVS] Videtur vertisse verba ista Æschyli ἐν χοηφ. Ἄναξ Ἀπόλλων μάντις ἀψευδὴς τὸ πρίν.

5. FIDES EST] Audi hic verba Magni Scaligeri lib. 4.Poët.cap.48. *Nihil aptius indignationi, quàm oratio desinens in monosyllabum. ideo Poëta: En hæc promissa fides est? vel euolue Demosthenis orationes: quotnam eiusmodi perhiodos inuenies? inuerte modò, nihil frigidius.*

[a] Ille autem: neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me Deus æquore mersit.
[b] Namque gubernaclum multa vi fortè reuulsum,
Cui datus hærebam custos, cursúsque regebam,
Præcipitans, traxi mecum. [c] maria aspera iuro,
Non vllum pro me tantum cepisse timorem,
Quàm tua, ne spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis nauis surgentibus vndis.
[d] Tres Notus hybernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab vnda.
Paulatim adnabam terræ, & iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste grauatum,
Prensantémque vncis manibus capita aspera montis,
Ferro inuasisset, prædámque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versántque in littore venti.

ARGVMENTVM.

Respondet Palinurus Æneæ aperiens casus suos.

EXPLICATIO.

a Dvplex est loci huius sententia. Seruius sic concipit. Nec te Phœbus, nec me fefellit: me autem Deus mersit. vt videlicet alludat ad Deum Somnum, à quo deturbatus Palinurus. Alij fere omnes sic. Nec te Phœbus fefellit, nec me Deus aliquis mersit æquore. Posterius hoc videtur esse è mente Poëtæ. Nam postea Palinurus, veluti Deos hac culpa liberans, mortem suam confert in successum fortunæ, & præcipitium. Quid sit *cortina*, alibi dictum.

b Exponit casum suum. Hærebam (inquit) ita firmiter gubernaculo, vt inde præcipitatus mecum reuulsum traxerim. Illud *hærebam custos*, dictum ἐκ τοῦ πρέποντος naucleri vigilantissimi. Est hîc *præcipitans*, præcipitatus. In illis *traxi mecum*, vide habitum cadentis, qui, quibus hæret, reuellit, secúmque trahit, præsidiū occupans.

c Πρῶτον maximum. nauta enim iurat per *maria*, & *aspera*, addens vim iuramento. Adderet enim vim, si quis iuraret per Deum iratum. Quid verò iurat? se magis anxium fuisse de salute Æneæ, quàm de sua. *Armis*, id est, vel naualibus instrumentis in communi, vel singulatiter gubernaculo, quod ipse cadens secum traxerat. Oratio ista *nauis excussa magistro* est hypallage, pro, magister excussus naui. Quæ sint *maria aspera*, explicui in 3.

d Pergit narrationem, & hanc plenam magnis affectibus. Finge tecum miserum naufragum, fluctibus triduo agitatum: quem, postquam salutis spes aliqua affulsisset, atque ad terram per præruptos & arduos scopulos cum summa difficultate adnasset, dirior ipso pelago latronum vis inuasit, repentem corpore, & vnguibus, pedibúsque obnitentem ad salutem, atque inde ferociter deturbauit. Quæ hæc narratio? His adde, cadauer ipsum huc illuc fluctibus ventísque versari, ac miserè allidi scopulis. Nihil ineptè molitur Maro. Quid si alia quæpiam consideres? In triduo numerando ad *noctes* potiùs recurrit, quàm ad dies, vt vim maris, & suam calamitatem amplificet. Postea verò ex contrario affectu, *lumine*, quasi dicat. Post tres diras noctes dies mihi quartus lætissimus illuxit, potiùs lux. In illis *prensantémque vncis manibus*, attende studium quærendæ salutis per ardua, per prærupta. *adnabam*, & *tenebam*, de imperfecto, quia res non habuit exitum felicem. Multis parco, ne quis me putet superstitiosum.

NOTÆ.

1. PRÆCIPITANS] Hîc vnicè necessaria nota illa, quam adhibui 4. G. ad illud *prius haustus sparsus aquarum*, vbi *sparsus*, pro, spargens.

2. NON VLLVM PRO ME, &c.] Aduertit optimè Nascim. similitudinem loci huius cum illo Tulliano pro Milone: *Cùm T. Annius ipse magis de Reip. salute, quàm de sua perturbetur.*

3. EXCVSSA MAGISTRO] Figura hæc venustissima est. Sueton. Aug. c. 6. *Tenétque ciuitatem opinio.* Martialis lib. 1. *Scrinia da magnis*, pro, committe scriniis libros magnos. Virg. infrà:

Nomen & arma locum seruant.

pro, locus seruat nomen & arma.

4. TRES NOTVS, &c.] Locus Homeri Odyss. 5.

A Ἔνθα δύω νύκτας, δύο δ' ἤματα κύματι πηγῷ
Πλάζετο:
Hîc duas noctes, duos dies in fluctu nigro
Errabat.

5. HYBERNAS] Bene Seruius *asperas*. Non enim hîc tam pro hyeme, quàm ad tempestatem signandam.

6. IMMENSA PER ÆQVORA] Ita 3. G. *maris immensi.* Congruit hoc attributum cum nota Scholiastæ Aristophanij in Plutum, vbi ait, πόντον dici ἀντὶ τοῦ πλήθους ἀγαθῶν, *pro multitudine bonorum.* Atque Neptunum dici ποντοπόσειδον, quasi ditissimum & potentissimum. non trita ratione, quòd mari imperaret. vnde verò hæc ponti significatio, nisi ab eius immensitate, vt qui omnino ἀμέτρητος; Pontus de multitudine bonor. adag.

B 7. LVMINE QVARTO] Ennius in Medea Creontis ore: Lux pro die.

Si te secundo lumine hîc offendero,
Moriêre.

id est, secundo die. Illud Tullij pro Milone, *centesima lux hæc est, ab interitu Clodij*, alij adducunt, sed nemo expendit. Credo itaque latere in Tullio affectum illum, quem iam expendi in Virgilio, & signari lætitiam, quæ exorta est Romano populo ab interitu Clodij.

8. IAM TVTA TENEBAM] Signat hîc Apollinem λοξίαν, qui ita responsa dabat, & inuoluta omnia, & obscura. Dixerat Apollo, Palinurum peruenturum ad Italiam, sed oraculum fidem tantùm habuit in hac adnatatione, & scopulorum prehensione, qua sibi C iam tutus esse Palinurus, & in Italia videbatur.

9. GENS CRVDELIS] Lucanos innui vult Seruius, quia Palinurus interemptus est à Veliensibus.

10. PRENSANTEMQVE VNCIS MANIBVS] De naufrago Lucilius lib. 19. Satyr.

Tu naufragio expulsus vspiam saxis fixus asperis
Euisceratus latere penderes saxa spargens tabo.

Et de naufrago etiam Seneca epist. 53. *Quæ putas me passum, dum per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio.* Locutus verò est Virgilius ex imitatione Homeri, qui de Vlysse:

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἐπεσσύμενος λάβε πέτρης:
Vtraque verò manu irruens apprehendit petram.

D & addit, τῆς ἔχετο στενάχων, *quam tenuit ingemiscens.* Hanc adrepentis hominis difficultatem ita expressit Dio Chrysost. orat. 7. προσβὰς πάνυ χαλεπῶς πρὸς τὸ ὑψηλὸν. Est hoc fere, quod dixit Philo in lib. de confusione linguar. ἀντὶ μὲν γὰρ ποδῶν χερσὶν, ἀντὶ δὲ χειρῶν ποσὶ χρῆται: *pedes funguntur officio manuum; manus, pedum.* Adreptantes per præcipitia πετροβάτας vocat Appianus lib. 4. ἐμφυλ. Plautus in Rudent. de iisdem *saxum capessere.* Loquitur enim de fœmina passa naufragium, & ascēdente ad scopulum ad vitam tuendam. Hîc tu nota, Homerum dixisse λάβε, ἔχετο, perfecta locutione, à quo tamen prudentissimè recessit Virgilius, & per imperfectum, *iam tuta tenebam*, ad signandam rem, quæ caruit successu. Cum historia Virgiliana similis E ea, quæ habetur in Oedip. Senecæ de Laio interfecto, quem Virgilius superat Homerum.

—subita prædonum manus
Aggressa ferro, facinus occultum tulit.

11. NVNC ME FLVCTVS HABET] Est hoc, quod Homerus dixit Odyss. 5. ἐπὶ κύματος ἀρθεὶς. & κύματι πλάζετο. quod Euripid. in Hecub. πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορούμενος. vbi signat reciprocos quosdam vndarum fluctus, quibus feruntur, qui mortui sunt in mari. Plinio etiam cadauera in mari dicuntur *fluctuare.* In

re. In vocula *me* non abit ab affectu Homerico. 1. Il.

Αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι:

Ipsos autem laniamenta fecit canibus.

A Vbi, ex nota Vrsini, dictum αὐτοὺς, pro σώματα αὐτῶν, aut νεκρούς. Sic ergo *habet me fluctus*, est, fluctus habet meum corpus.

a Quod te per cæli iucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli,
Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Iniice (namque potes) portúsque require Velinos.
b Aut tu, si qua via est, si quam tibi Diua Creatrix
Ostendit (NEQVE enim credo sine numine Diuûm
Flumina tanta paras, Stygiámque innare paludem)
Da dextram misero, & tecum me tolle per vndas,
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.

ARGVMENTVM.

Petit in exitu sermonis, vt sibi iusta persoluat, quo possit tandem Cocytum transmittere.

EXPLICATIO.

a POst narrationem infortunij, post iactatas querelas, sequitur deprecatio per res charissimas, videlicet cæli lumen, auras, genitorem, spem nati. vbi mira αὔξησις, crescente semper oratione. Quid verò precatur? Duo, & sub distinctione. Vult primò eripi malis, in quibus est, id est, transmittere Stygiam paludem, etiam si adhuc insepultus sit: aut, si nequeat id fieri, saltem genus sepulturæ tenuissimum atque infimum petit, quo possit transire, videlicet terræ iniectionem supra cadauer, quod Æneas inueniet ad Veliam. Ratio, qua primum petit, est, quia tu *inuictus*: quasi dicat: Qui viuus Stygem transmittit (quæ summa est potentia) cur non efficies, vt mortuus eandem transeat, etiam si insepultus? Ratio, qua petit iniectionem terræ, est, quia tu *potes*. Qua voce volunt interpretes signari Pontificiam Æneæ potestatem ad rite condendum cadauer.

b Pergunt preces Palinuri hunc in modum. Si tu nec me eripis, nec terram iniicis, at excogita modum aliquem, quem tibi Venus mater suppeditet, vt des dexteram, ac tecum per vndas tollar: vt mander sepulturæ. Referendus proculdubio Poëta ad ea, quæ præcesserunt. Illa, *da dextram, tolle me per vndas*, respiciunt illud, *eripe me his malis*. Ista, *vt quiescam in morte sedibus placidis*, respiciunt iniectionem terræ, quam petierat. Ac propterea integer sententiæ conceptus hic est. Eripe me tu ipse his malis, quia inuictus; aut iniice terram, quia potes: si neutrum ipse queas, at vide, an Venus, & Dij suppeditent viam aliquam, qua aut eripiar, aut condar. Verba extrema, *vt saltem in morte quiescam*, bene explicat Seruius, cum respectu ad vagam nautarum vitam.

NOTÆ.

a QVOD TE PER CÆLI, &c.] Homerum imitatur, & superat. Elpenor mortuus ad Vlyssem Odyss. 11.

Πρός τ᾽ ἀλόχου, καὶ πατρὸς, ὅς ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,
Τηλεμάχου θ᾽, ὃν μοῦνον ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπες:
Per vxorémque, & patrem, qui (te) enutriuit, paruulus cùm esses,
Telemachúmque, quem vnum in ædibus reliquisti.

B Dat Scaliger Virgilio victoriam, quippe qui excusserit omnia precantis loca. Nam sine ambitione, *eripe me his inuicte malis*. Neque minatur, vt Elpenor,

Virgilius superat Homerum.

μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.

Est etiam in Virgilio suauissima malorum deprecatio, cùm à mortuo excitatur apud viuum vitæ memoria, illis *quod te per cæli lumen*, & addit *iucundum*. Neque petit ambitiosam sepulturam, tantùm, *tu mihi terram Iniice*. Potuit etiam Virgilio versari ante oculos locus Sophoclis in Philoctete, hic,

Πρὸς νῦν σε πατρὸς, πρός τε μητρὸς, ὦ τέκνον,
Πρός τ᾽, εἴ τι σοι κατ᾽ οἶκόν ἐστι προσφιλὲς,
Ἱκέτης ἱκνοῦμαι, μὴ λίπῃς μ᾽ οὕτω μόνον
Ἔρημον ἐν κακοῖσι τοῖς δ᾽ οἵοις ὁρᾷς.
Nunc te per patrem, & matrem, ô fili,
C *Per, si quid charum tibi est domi,*
Supplex obtestor, ne me hîc solum relinquas
Desertum in his malis, in quibus vides.

Simplicia hæc sunt, vt vides: carent enim epithetis, quibus affectus excitetur. Quale enim est audire, *per cæli iucundum lumen*. Quale illud, *per spem surgentis Iuli*. Vsurpat autem cum affectu magno memoriam luminis ex opinione credo veterum philosophorum, qui putabant nihil aliud esse inferos, quàm obscuritatem, tenebras, caliginem. Hanc opinionem repræsentat Plutarchus in opusculo, λάθε βιώσας. & *iucundum* ait, nam apud eundem in conuiuio septem sapientum, quidam luci proprio attributo dat κάλλιστον, *pulcritudinem*. Poëta etiam alius apud eundem lib. ad Apollon. γλυκερὸν φάος. & Fabius declamat. 298. *iucundum cæli aspectum*. Ab Damasc. de Transfig lux vitæ dicitur γλυκεῖα, ἐπέραστος, *dulcis, amabilis*. & Sol, quem viuentes intuemur, καλὸς, ὡραῖος, ἡδὺς, ποθεινὸς, ἐξαστράπτων, ἔκλαμπρος.

Inferi veteribus qui. Lucis lætitia.

2. ERIPE ME HIS INVICTE MALIS] His verbis vsum Tetricum ducem Gallorum in epistola ad imperatorem Aurelianum, scribunt Eutropius, lib. 9. & Orosius, lib. 7. c. 23.

3. AVT TV MIHI TERRAM INIICE] Cùm cadauera in viis insepulta inueniebantur, terra à prætereuntibus iniiciebatur, sepulturæ genus admodum tenue. Humanitatem publicam vocat Sene. lib. 5. Ben. *Si terram ignoto mortuo inieci, nullum habeo huius officij debitorem, in publicum humanus.* Huius rei multi meminêre, imò ab hac terræ iniectione notauit Rhodig. lib. 17. cap. 21. ex Interprete Theocriti in Pharmac. sepulcra dicta ἠρία, παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν, ab terra iniecta mortuis. Terram enim eram vocant. Attigit Quintilianus declam. 5. *ignotis cadaueribus humum congerimus*. Sed de hac re satis. ita est enim trita, vt facile sit cuiuis eam locupletare. Ego itaque hîc persequar, quæ alij neglexerunt, videlicet notas peculiares.

Iniectio terræ pro sepultura.

Era antiquis terra.

culiares, quæ essent in hoc genere sepulturæ, quæque duxi necessaria ad hunc morem capiendum. In primis certum est, illum fluxisse à Græcis. Ælianus lib. 5. Var. Hist. cap. 14. ita disertim. νόμος γὰρ οὗτος Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν: *Lex Attica fuit, vt qui in cadauer insepultum hominis incideret, saltem ei terram iniiceret.* Hoc idem probant testimonia Phocylidis, Moschi, Sophoclis, quos ad res alias adducam. Deinde ita receptus hic mos, & veluti necessarius, vt requireretur etiam à properante. Notauit hoc Horatius Od. 28. lib. 1.

Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Iniecto ter puluere curras.

Et Quintilianus declam. 5. *Insepultum quod libet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, vt non quantulocumque veneretur aggestu.* Tertiò, si hæc humanitas in
B defunctum obuium non exerceretur, erat genus quoddam piaculi. Firmat hoc Scholiastes Sophoclis in locum, quem postea adducam ex Antigone. οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον, καὶ μὴ ἐπαμησάμενοι κόνιν, ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν: *Qui mortuum cernerent insepultum, neque puluerem spargerent, videbantur esse exsecrabiles.* Sed hanc rem nemo meliùs Horatio attigit. adducam versus integros.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ,
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare. Sic quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperijs: Venusinæ
Flectantur Syluæ te sospite: multaque merces
Vnde potest, tibi defluat æquo
Ab Ioue, Neptunóque, sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Post modò te natis fraudem committere? fors &
Debita iura vicésque superbæ
Te maneant ipsum. precibus non linquar inultis,
Téque piacula nulla resoluent.

Quartò, iniectio ista debebat ter repeti, de quo iam habes testimonium Horatij. Cui Acronem innecte, qui in illum: *In sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, vt si non obrueretur, manu plena ter iacta terra, cadaueri pro sepultura esset.* Quintò, terra ad istam iniectionem debebat esse soluta, non in glebam formata. Monuit hoc Antonius Clarus libro singulari in leges, ex Eustathio, qui sic. οὐ γὰρ βῶλοι τοῖς νεκροῖς ἐπιτίθενται, ἀλλὰ χοῦς, ὅς ἐστι γῆ χυτή: *Non glebæ iaciuntur mortuis, sed chus, hoc est, terra soluta.* Et ego ex Sophocle, qui in
D Antigon. λεπτὴ δ', ἄγος φεύγοντος ὥς, ἐπῆν κόνις: *Tenuis puluis iniectus erat, vt fugientis piaculum.* Loquitur de sepultura Polynicis. Et suprà, signatius ad hunc morem dixit,

—κἀπὶ χρωτὶ διψίαν
Κόνιν παλύνας, κἀφαγιστεύσας, ἃ χρή:
—*& super corpus, aridum*
Puluerem spargens, & fecit funebria, quæ oportet.

Puluis enim aridus formari in glebam nequit. Atque ex Homero 6. Il.

Ἀλλά με τεθνειῶτα χυτὴ κατὰ γαῖα καλύπτοι.
Sed me mortuum soluta terra operiat.

Signatissimè itaque Horatius *arenam* dixit. Si quando ergo nomen glebæ inueniatur supra mortuum iactæ, non intelligenda res est de tenui hoc sepulturæ genere, quod postulat Palinurus, quódque ego in Nota hac satis explicui; sed de alio. Præeunt ad cognitionem eius verba ista Tullij 2. Leg. *Priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis, & humatum est, & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur.* Vides, vt hæc glebæ iniectio, alia sit ab iniecta soluta terra: nam illa coniuncta cum crematione cadaueris, ista tenuis quędam sepultura simpléxque. Sextò scien-

Gleba quod genus sepulturæ.

A dum, hoc genus sepulturæ, quo soluta terra iaciebatur, habuisse etiam duo alia nomina, videlicet *lapidationem*, & *sepulturam collatitiam*. Primum aperit Arbiter in Satyrico: *Aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit; aut, quod vltimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.* Et quidem capiendum esse Arbitrum de hoc genere sepulturæ notauit Ia. Dousa. Arbitro adiungo Dionysium lib. 3. qui loquens de Horatia, quam populus iniectione terræ sepeliuit, quippe interfectam à fratre, neglectam à patre, ita ait, ἀλλ' οἱ παριόντες αὐτὴν ἐρριμμένην ἐν ᾧ διεχρήσθη χωρίῳ, λίθους ἐπιφοροῦντες, καὶ γῆν ἐκήδευσαν, ὡς πλῶμα ἔρημον κηδομένων: *Sed qui præteribant, eam iacentem in eo ipso loco, vbi cæsa fuerat, congestis lapidibus & terra, vt cadauer destitutum cura domesticorum, sepeliuerunt.* Videbitur alicui Dionysius capiendus de alio genere sepulturæ, quo improbi saxis obruebantur; quod Propertius attigit lib. 4. eleg. 5.

Lapidatio sepulturæ genus.

Lapidibus obruebãtur noxij.

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaque tum saxis addito verba mala.

Sed inclino potiùs in illud, quod præmisi. nam verba illius eò me ducunt. Alterum de *collatitia sepultura* docet Quintilianus declamat. 6. vbi loquens de natura rerum, ita ait: *Nobis aduersus exanimes genuit non solùm miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde iniecta ab alienis humus.* Inde credo dictum Horatio, *arenæ particulam dare.* quasi quisque conferret partem suam. Septimò denique aperiam quibus formis dicatur ista iniectio.
C Interpres Theocriti, ἐπιχέειν γῆν. Ælianus, ἐπιβάλλειν γῆν. Scholiastes Sophoclis, ἐπαμήσασθαι κόνιν. Sophocles ipse κόνιν παλῦναι. Testimonia horum integra iam attuli. Phocylides γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι. Moschus apud Stobæum, ἐπιμοιρᾶσθαι κόνιν. Nonnus ἐπιχεῦσαι κονίην. Quid Latini? Virgilius, Horatius, Cicero, Valerius lib. 5. cap. 3. & multi alij *iniicere*. In Quintiliano vidisti *congerere humum*, & *aggestus*. porro simplex *iacere* aliqui vsurparunt. Hæc ego latiùs sum persecutus, putans has esse partes interpretis.

Sepultura collatitia.

4. PORTVSQVE REQVIRE VELINOS] Redigam in compendium locum istum latissimè tractatum ab nonnullis interpretibus. Hyginus apud Agellium lib. 10. cap. 16. reprehendit Virgilium. nam quî potuit Palinurus nominare portus Velinos, cùm Velia oppidum Lucaniæ, à quo dictus portus Velinus, conditum sit regnante Seruio Tullio, post annum ampliùs sexcentesimum, quàm Æneas in Italiam venit? Hæc summa calumniæ. Sed quos habet defensores Virgilius? Turnebus lib. 22. cap. 1. liberat Poëtam, quia locutus est ex notione vocabuli, nam Velinus est palustris. Velia enim ab ἕλος ducitur. Ergo, *require portus Velinos*, est, require portus palustres. Alciatus 5. Parerg. cap. 21. ita defendit, Maronem non loqui de oppido, sed de campis, & flumine, quæ semper fuerant. Veliam enim à fluuio præterfluente dictam esse auctor est Stephanus in dictione Ἐλέα. A Turnebo & Alciato non multùm dissident, quæ afferunt pro Virgilio Modicius cap. 2. & Iouianus in Antonio. Cælius
E lib. 11. cap. 24. ad πρόληψιν, id est, anticipationem, recurrit, adductis exemplis. Nam Triptolemi temporibus Pythia cœperunt annis post Orestem fermè sexcentis: & tamen Orestes in Electra Sophoclis nuntiatur periisse in Pythicis certaminibus. Eadem fermè Iul. Scaliger lib. 3. Poët. cap. 49. & Delrius in Hercul. Furen. versu 14. Summa horum est, Virgilium dixisse *portus Velinos*, cum respectu ad sua tempora, quibus iam ita nominabantur illi portus. Eadem quoque ratione Germanus Poëtam defendit, adductis verbis Interpretis Apollonij ex lib. 4. defendentis

Velini portus.

Virgilius defenditur.

Apollo

Apollonium ipsum. Græca Interpretis in Germano sunt, Latinè ita sonant: *Reprehendunt aliqui Apollonium, quòd Italiam per hæc tempora nominet Ausoniam, quod nomen post Argonautas illi accidit ab Ausone Vlyßis filio & Calypsus. Cui obiecto dicimus, temporibus Poëtæ ita nominatam Italiam, etiam si non, cùm vixere Argonautæ.* Istæ omnes defensiones mihi æquè placent, vt quæ omnes Poëtam defendant.

5. DIVA CREATRIX] Est Venus, id est, Æneæ creatrix. Sic in 8.

A *Hoc signum cecinit missurum Diua creatrix.*

Sic vetus Poëta apud Festum de Nocte filia Erebi:

Erebi creata fuscis crinibus nox te inuoco.

Nisi quis vocem hanc ad alia, quàm ad Æneam filium, extendat.

6. DA DEXTRAM] Patroclus apud Homer. 23. Il. simili fato ab Achille petit manum sibi dari. καί μοι δὸς τὴν χεῖρα. Nazianzenus orat. 24. δίδωμι δεξιὰν κοινωνίας: *do dextram societatis.*

ᵃ Talia fatus erat, cœpit cùm talia vates:
VNDE hæc ô Palinure tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnémque seuerum
Eumenidum aspicies? ripámve iniussus abibis?
ᵇ DESINE fata Deûm flecti sperare precando.
ᶜ Sed cape dicta memor duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longè lateq; per vrbes,
Prodigiis acti cælestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, & tumulo sollemnia mittent:
Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.

ARGVMENTVM.

Increpat Sibylla Palinurum, deinde consolatur posteritatis memoria, quæ de illo futura est.

EXPLICATIO.

a OBiurgatio Sibyllæ in Palinurum, Dira (inquit) vota concipis. Neque enim ἄθαπτος aspicere potest Cocytum, qui fluuius furiarum est: neque abire trans ripam, nisi iubente Numine. Cupido *dira* dicitur, quia verè dirum velle fatis obsistere. τὸ *tu* emphasim habet non vulgarem. Amnem *seuerum* accipio, tristem, horrentem, funestum.

b Perinde ac si dicat, corrigens quæ dixerat: Sed neque erit Numen aliquod quod hoc iubeat. Putas enim fieri posse, vt fata flectantur; Dij immutentur? Desine hoc sperare, desine putare.

c Post obiurgationem consolatur Palinurum à futuro rerum euentu. Hinc tu Poëtæ vigilantiam considera. Preces Palinuri habitæ sunt ad Æneam, & tamen non is, sed Sibylla respondet, vt quæ præscia futurorum. Sed quod hoc solatium? fore, vt finitimi omnes populi cælestibus prodigiis territi, eius necem expient, excitato tumulo, & factis supra tumulum sacrificiis. Aperit deinde, locum, vbi ille est mortuus, Palinuri nomine honestandum. τὸ *piabunt* explicat Nonius, *condent, consecrabunt.* Illud *statuent tumulum,* dictum cum respectu ad *terram iniice.* quasi dicar. Petis sepulturæ genus tenuissimum, non sic erit, tumulus tibi statuetur, soluentur sollemnia, iusta fient, & exsequiæ.

NOTÆ.

Insepulti arcebantur à locis inferis. 1. TV STYGIAS INHVMATVS AQVAS] Hic error veterum satis clarus ex Homero loquente de Elpenore, ex Virgilio loquente de Palinuro. De priore illo etiam loquitur Plutarchus lib. 9. Symp. quæst. 5. apud quem illius anima inducitur, οὔπω καταμεμιγμένη τοῖς ἅδου, διὰ τὸ μὴ τεθάφθαι τὸν νεκρὸν: *nondum reliquis permista manibus insepulto corpore.*

B 2. AMNEM EVMENIDVM] An quia ad Cocytum Furiæ dicuntur sedere? Statius. 1. Theb. de Tisiphone, Furiarum amnis.

—inamœnum forte sedebat
Cocytum iuxta, resolutaq; vertice, crines
Lambere sulphureas permiserat ignibus vndas.

An quia Furiæ faces suas accendebant in his fluuiis, qui igniti omnes? De Megæra Claudianus lib. 1. in Ruff.

—Phlegethonta sonorum
Poscit, & ambusto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo succendit gurgite pinum.

Aliqui in hoc amne Furiarum explicando confugiunt ad doctrinam Platonis. Ego ad locum Virgilij traho elegantem Pollucis locum lib. 4. vbi enim D de partibus theatri loquitur, ait fuisse in scena loca quædam dicta anapiesmata, quibus repræsentabatur transgressio fluminis, ποταμὸν ἀνελθεῖν, atque inibi fuisse quasdam scalas, ἀφ᾽ ὧν ἀνέβαινον ἐριννύες: *per quas Furiæ ascendebant.* Itaque non dubium, quin ista species theatri sumpta esset ab infernis locis, vbi Furiæ dicuntur esse iuxta flumina.

3. RIPAM] Ita in omnibus, quos viderim: ego tamen commodiùs legerem *ripa.* Ad eum modum, quo Tullius, *abire magistratu*, quo Suetonius, *abire honore*, quo Propertius, *abire domina*, quæ exemplula in multis obuia.

4. DESINE FATA DEVM, &c.] Erant imbuti doctrina ista gentiles. Inde Homer. 17. Iliad. ὑπὲρ Διὸς αἶσαν. quasi fatum esset supra Iouem. Et 6. eiusdem operis; Fata supra Deos.

Μοῖραν δ᾽ οὔτινα φημὶ πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται:
Fatum verò neminem puto effugisse hominum,
Nec improbum, nec probum, postquam primùm natus fuerit.

Inde lib. 11. filiorum Meropis inobedientiam ad fata reiicit constituta mortalibus. Ideò (inquit) patri non obedierunt, quia κῆρες ἄγον θανάτοιο: *agebant illos fata mortis.* Calaber etiam lib. 11. fatum constituit supra Deos, cùm de illo ait:

Ἄζετο δ᾽ οὔτε Ζῆνα πελώριον, οὔτε τιν᾽ ἄλλος
Ἀθανάτων:

Curabat neq; Iouem magnum, neque quemuis alium Immortalium. & lib. 13. ad finem, μοίραις (ait) εἴκει τὸ μεγάλοιο Διὸς μένος: *fatis cedit magni Iouis potentia.* Longissimus sim si proferam similes gentilium sententias. Sed quidẽ, qui sapientissimi habiti inter ipsos ethnicos, hoc ridiculum esse putarũt. Plato in Gorgia sententiam istam, ὅτι τὴν εἱμαρμένην οὐδ' ἂν εἷς ἐκφύγοι, *à nemine posse fatum vitari*, mulieribus attribuit. Cicero etiam in Catil. Deos supra fata constituens, ait: *Quo quidem tempore, cùm aruspices, & tota Hetruria conuenisset, cædes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile, ac domesticum, & totius vrbis atque imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi Dij immortales omni ratione placati suo numine prope fata flexissent.*

5. PRODIGIIS ACTI, &c.] Sumptum hoc ab historia, ait Seru. Lucani enim ob interfectum Palinurum pestilentia laborarunt, quibus oraculum respondit, pestilentiam placatis manibus Palinuri, sedandam. Inde illi prope Veliam lucus dicatus, & erectum cenotaphium. Hic enim defunctorum honor maximus, quod alibi latè persequor.

A

6. ÆTERNVMQVE LOCVS, &c.] Simile illud, quod de Miseno præcessit. ac similis quoque Pelori historia, qui innocens in mare Siculũ ab Annibale præcipitatus, sepulcri honorẽ & statuã obtinuit; atque ab se loco nomẽ reliquit. Narrat Valer. lib. 9. c. 8. Lege Pliniũ lib. 3. c. 5. Similis Canobi, qui gubernator fuit nauis illius, qua vehebatur Menelaus, quiq; mortuus nomen loco dedit, quod in Ægyptiaca scribit Aristides ex Græcis. & Ammianus lib. 22. Itaque tres gubernatores Palinurus, Pelorus, Canobus, nauiũ, Æneæ, Annibalis, Menelai, submersi nomẽ locis dedêre. Canobũ alij dicũt Canopũ, vt & Canopicum ostiũ, cui nomen dedit. Ab historia Pelori illustrabitur Horat. Od. 13. lib. 13. Nomen inditum locis ab hominibus.

—nauita Bosporum Pœnus perhorrescit.

memor quippe ruinæ naucleri Punici.

[a] His dictis curæ emotæ, pulsusq; parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
[b] Ergo iter inceptum peragunt, fluuioq; propinquant.
[c] Nauita quos iam inde vt Stygia prospexit ab vnda
Per tacitum nemus ire, pedemq; aduertere ripæ,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat vltro:
[d] Quisquis es, armatus qui nostra ad limina tendis,
Fare age, quid venias: iam isthinc & comprime gressum.
[e] Vmbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporæ:
Corpora viua nefas Stygia vectare carina.
[f] Nec verò Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea, Pirithoúmque:
Diis quanquam geniti, atque inuicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petiuit
Ipsius à solio Regis, traxítque trementem:
Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

ARGVMENTVM.

Discedit ab illis Palinurus. hi peragunt institutum iter, prohibentur à Charonte.

EXPLICATIO.

a SOlatio isto sedatus est Palinuri animus. Ergo *curæ* transmittendi fluminis *emotæ* sunt, & gauisus, sed *parumper*, nam spe tantùm (ait Seru.) non præsenti beneficio. Sed qua gauisus re? *cognomine terra.* signat γῆν ὁμώνυμον.

b Apodosis, qua rediit ad institutum. Itaque appropinquant *fluuio* Cocyto, aut Stygi, quod idem.

c Describitur diligentissimus custos inferni littoris. In voce *prospexit*, nota speculatorem: in voce *iam inde*, id est, à longe, vigilantiam: in illis, *sic prior aggreditur*, futuræ orationis asperitatem, ideo *increpat vltro*, quia non rogatus. Qualis ergo futura oratio?

C

d En orationem congruentem personæ. Solent esse arrogantissimi portitores fluminum. Hanc arrogantiam hîc indicat Charon in audacia, in imperio. vide audaciam, *Quisquis es, armatus*, &c. armatum non timet inermis ipse. Vide imperium, *Fare age, quid venias.* neque hoc solùm, sed *iam isthinc & comprime gressum*, id est, ne te vltra commoue ab eo loco in quo es.

e Obiicit terrorem, nam locus ille *vmbrarum* est, & *Somni*, atque etiam *Noctis*, quæ Somnum genuit, ideo *soporæ*, quasi soporiferæ. Quid verò hîc tu viuus inter vmbras? inter Somnum? inter Noctem? Cùm nefas sit hac carina vectari viua corpora.

B

f Aiunt, & ex Orpheo adducit Seruius, Charontem in cõpedibus integrum annũ fuisse propter acceptum in naue Herculem. Ergo, *non sum lætatus accepisse Herculem, Thesea, Pirithoum; quanquam Dijs geniti*, quanquam *inuicti viribus*. Nam Hercules Cerberũ loro vinctum *traxit*; Theseus, & Pirithous tentarunt Proserpinam trahere. Vtramque rem mirè amplificat. Nã Hercules Cerberum *traxit*, & hunc *custodem* Tartari, & à *solio Regis Plutonis*: Theseus verò, & Pirithous non quamcunque *adorti* sunt prædam, sed *Ditis Dominam*, id est, coniugem, & hanc ab ipsius Regis *thalamo*.

NOTÆ.

1. COGNOMINE TERRA] Vt explicui, capiunt hunc locum Seru. Manut. Germ. Henriq. Stephan. & fere omnes. Pierius tamen ait, se in veteribus omnibus legisse *terra*, atque adeo alia iam erit sententia. Mihi visum, hos duos versus posse ita legi.

His dictis curæ emotæ, pulsúsque parumper
Corde dolor: tristi gaudet cognomine terra.

Ita vt *tristi* cõcordet non cum *corde*, sed cũ *cognomine*. Et ideo dolor pulsus tantùm *parumper*, quia triste cognomen. Friuola enim admodum sunt adiectiua poëtarum, quæ post substantiuum adhibentur: nam debent aut præcedere, aut vnà coniungi, nulla re alia intercedente.

2. ERGO] Placet explicatio Canteri lib. 4. Nou. Lect. c. 26. vt hîc *ergo* sit, *inde*. Sicut in Propertio lib. 3. eleg. 2. & quia similis vox *igitur*, sæpe in Plauto ponitur pro, *inde, deinde, postea*. Demum quia Græcum ἔπειτα sæpe Cicero vertit *ergo*. Ergo, pro deinde.

3. Atqve increpat vltro] Ad hunc credo locum spectat Statius in epicedio patris lib. 5. Syluar. optans vt, A

—nullo sonet asper ianitor ore.

4. Qvisqvis es armatvs] De hac forma verborum alibi credo à me dictum, & ex Brissonio. Omitto. Fortassis probet aliquis, quæ hîc dicam. Visus mihi est Poëta alludere ad illam inscriptionem, & edictum, quod positum fuit in ponte Rubiconis: quo edicto cauebatur, ne Cæsar id flumen armatus transiret. Visus (inquam) nam & edictum illud celebre fuit, & Poëta rerum Cæsaris studiosissimus; & flumen transiri vetatur, vt hîc à Charonte. Inscriptio illa ita habuit. *Iussu mandatóve Po. Ro. Cons. Impe. Trib. miles, tiro, commilito, armate quisquis es manipularie, Centurio, turmarie, legionarie, hîc sistito, vexillum sinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem signa, arma, exercitum, commeatúmve traducito. Si quis*, &c. Adnoto etiam, hanc formam, *Quisquis es*, vsitatam in re mortuorum, vt facile fuerit Poëtæ illam ex re vna mortuorum, ad aliam mortuorum rem traducere. Exempla suppetunt. Vetus inscriptio: *Rogo per Deos Superos, atque inferos, quisquis es homo, ne mea ossa obuioles.* item marmor aliud: *Quisquis es homo, & vos sodales meos cunctos rogo per Deos superos, inferósque, ni velitis ossa mea violare.* vbi *ni*, pro, *ne*, scribitur, vt sæpe aliàs. Audi etiam verba Dionis Chrys. simillima Virgilianis orat. 60. τί δὴ βελόμϑυος, ὅς τις τε σύ, ἢ τίνα τόλμαν λαβὼν; πότερον ἁρπαγῆς χάριν ἥκεις; &c. *Tu quisquis es, ede quid tibi velis, aut qua sumpta audacia venias huc? an rapinæ gratia venis?* & Senecæ in Furente expressa à Virgilio:

Edictum ad Rubiconē.

Quisquis, de mortuis.

———dirus exclamat Charon,
Quò pergis audax? siste properantem gradum.

5. Vmbrarvm hic locvs est] Nihil dici potuit magis proprium. Manes dici vmbras, sciunt omnes: sed cur ita dicantur, nemo fortassis. Doctrinam hanc ex Plutarcho elicio, qui in lib. de sera vindicta ait, τὰς ψυχὰς τῶν τεϑνηκότων μήτε σκιὰν ποιεῖν, μήτε σκαρδαμύττειν: *animas defunctorum neque vmbram facere, neque conniuere.* Itaque animæ ipsæ, ipsissimæ sunt vmbræ, videlicet præhabiti corporis εἴδωλα, & simulacra. Namque si animæ aliam vmbram facerent, ambigui essent poëtæ, qui animas vmbras vocant.

Animæ cur dicantur vmbræ.

6. Lacv] Ita nunc vocat, quem suprà, *fluuium, stagna, paludem.*

7. Thesea] Fabulas iam libaui explicans. & illa satis. Qui plura volet, legat Alciatum lib. 10. Parerg. c. 8. vbi & de etymo Pirithoï. D

8. Diis qvamqvam geniti] Nam Hercules, Ioue, quod certum: Theseus, Neptuno, quod, præter alios notat Muretus in Scholiis ad Propertium. Plutarchus, quamuis illius paternum genus ad Erechtheum, maternum ad Pelopem referat, sed tamen de illo, & Romulo ait: ἄμφω μϑὺ ἀνεγγύω & σκοτίω γενόμϑυοι, δόξαν ἔχον ἐκ θεῶν γεγονέναι: *ambo illegitima & obscura stirpe, opinionem habent diuinorum natalium.* Porro Pirithoum Iuppiter ipse agnoscit filium ex vxore Ixionia, loquens cum Iunone Il. 14. Nondum vidi, vel si vidi, non subit, qua fabula ductus Muretus nepotem dicat, non filium. verba Iouis sunt.

Theseus Neptuni filius.

Pirithous filius Iouis.

———ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο,
ἣ τέκε Πειρίϑοον, ϑεόφιν μήστωρ' ἀτάλαντον:
———captus fui amore Ixioniæ vxoris
Quæ peperit Pirithoum, Diis prudentem similem.

Fiet hoc manifestius adeunti locum. Hoc etiam astruunt natalis ipsius Pirithoï, & ratio nominis. de quo vide Alciatum dicto loco.

9. Tartarevm, &c.] Hoc Herculis facinus Ouid. amplificat lib. 7. Met.

Hercules Cerberum rapuit.

———Tirynthius heros
Restantem, contraq; diem, radiosq; micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon attraxit.

Seneca in Furente, ore Iunonis:

Atrum per vrbes ducit Argolicas canem.
Viso labentem Cerbero vidi diem,
Pauidumq; Solem.

De descensu Herculis ad inferos ad rapiendum canem Homerus loquitur. 8. Il. ore Palladis. Aristides in orat. ad Herculem: τὸν Κέρβερον ὡς ἀνήγαγεν ἐξ Ἅδε. His adde fabulam aliam. Scribit enim Pollux lib. 5. canem Geryonis nomine Gargittium, qui canis frater fuit Cerberi, interfectum ab Hercule, eiúsque canis sepulcrum exstare in Hispania. Imo fortasse ab hac siue fabula, siue historia, orta fabula illa de Cerbero.

10. Cvstodem] Hesiodus in Theog.

Cerberus custos inferorum.

—δεινὸς ἢ κύων προπάροιϑε φυλάσσει: B
—Sæuus canis custodit pro foribus.

Propert. lib. 3. eleg. 4.

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus.

Valer. Flaccus 3. Arg. vocat illum, canem Eumenidū. Horatius lib. 3. Od. 11. ianitorem aulæ inferorum: sicut & Virgilius infrà. Ad idem pertinet dici de illo à Tibullo lib. 1. eleg. 3.

———iratas excubat ante fores.

Ergo qui custos, qui ianitor, qui excubitor est, rectè fingitur ab Statio & Tibullo esse in foribus ipsis inferni. Prior 2. Theb. de illo, *recubans in limine.* Posterior lib. 1. eleg. 3.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet. C

Scio hunc versum aliter ab aliis legi. Acceperunt ab Hesiodo, quem iam adduxi. Sed cur Virgilius, non canem, aut Cerberum, sed signatè *custodem*? Inuenio acumen ex affinitate vocum ista, *custodem in vincla.* Nam quæ audacia facere, vt custos vinctorum sit ipse in vinculis? hoc ausus Hercules.

11. Dominam Ditis] Græcis quoque Proserpina dicta est δέσποινα, id est, *domina.* & culta sub hoc nomine, cuius meminit Pausanias in Arcadicis. Καὶ τῇ δεσποίνῃ θύουσιν ἱερεῖα οἱ Ἀρκάδες πολλά τε, & ἄφθονα: *Dominæ victimas complures & peropimas mactant Arcades.* Adi Pausaniam, sæpius enim ibi nomen hoc inculcat. Seneca quoque, & Martialis ita appellant hanc Deā. Prior in Medea,

Proserpina Domina.

Dominumq; regni tristis, & Dominam fide
Meliore raptam, voce non fausta precor.

Posterior lib. 12. epig. 52.

Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas.
Iste tibi dominam conciliauit amor.

Sed & generaliùs vxores omnes dici *dominas*, multi æui huius viri docti iam adnotarunt. Nunc mihi ante oculos Turnebus lib. 11. c. 9. Læuinus in Suetonium, Lipsius in 2. Annal. Taciti. Loca, quæ ipsi & alij coniunxerunt, omitto. Tum etiam loca illorum, qui amicas vocant dominas, quia res ista non Virgilij est. Vide etiam notam Germani de voce δάμαρ, & in Irena Aristophanis ad ea verba, δέσποτ' ἄναξ, Scholiastem eius, & Christianum. Ego ad illustrationem Virgilij contendo, qui mihi videtur hæsisse Pindaro Od. 2. Pyth. vbi explicans Ixionis facinus, volentis Iunoni cōmisceri, tres Virgilij circumstantias exhibet. Quod noster *Ditis dominam*: ille, Διὸς ἄκοιτιν, *vxorem Iouis.* Quod hic, *adorti*: ille, ἀπειρᾶτο, *tentauit.* Quod hic, *deducere thalamo*: ille, μεγαλοκευϑέεσιν ἐν θαλάμοις, *in thalamis habentibus magna penetralia.* Adduco etiam ad illustrationem, Virgilium loqui ex Græco more, vt qui de Theseo & Pirithoo Græcis loquatur. Ait enim Cedrenus pudicas fœminas dici à Romanis ματρώνας, à Græcis signatè οἰκοδεσποίνας. E

Domina de vxore.

Amicæ dictæ dominæ.

[a] Quæ contra breuiter fata est Amphrysia vates.
[b] Nullæ hîc insidiæ tales, absiste moueri:
Nec vim tela ferunt: licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsangues terreat vmbras:
[c] Casta licèt patrui seruet Proserpina limen.
[d] Troïus Aeneas pietate insignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.
Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. [e] tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo pôst tempore visum,
Cæruleam aduertit puppim, ripæq; propinquat.
Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxátque foros, simul accipit alueo
Ingentem Aeneam. gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluuium incolumes vatémque virúmque
Informi limo, glaucáque exponit in vlua.

ARGVMENTVM.

Aperit Sibylla ramum, agnoscit illum Charon, vtrumq; transmittit, & extra fluuium exponit.

EXPLICATIO.

a VT suprà Palinuro, ita nunc Sibylla respondet Charonti κατ' ὠρέπον, vt quæ diuinorum sciẽs. Dicitur, *Amphrysia*, id est, Apollinea, sicut Apollo etiã ipse, *Amphrysius*, cum respectu ad tritam fabulam.

b Diluit primùm obiecta. Ergo, *nullæ* nobis *insidiæ*, sicut in Hercule, Theseo, Pirithoo. *Nec vim tela ferunt*, contra illud, *Quisquis es armatus*. Itaque ô Charon, B *licet*, id est, fas est (sic explicat Seruius) vt Cerberus, *ingens ianitor latrãs æternum*, id est, perpetuo, *vmbras terreat*. Has *exsangues* vocat, qui tantùm simulacra quædam, vtique εἴδωλα καμόντων. Perinde ac si dicat. Non venimus rapturi, *Tartareum canem*, vt Hercules, qui illum *traxit à solio ipsius regis*: Itaque ille securus est, etiam *ianitor*, id est, etiam in ipsis ianuis, neque opus est confugiat ad solium Plutonis, potest latrare quantum volet, vmbras terrere, exsequi suum munus.

c Pergit diluens obiecta. Non instar Thesei & Pirithoi tentamus Proserpinam abducere: *licet* enim illi per nos, vt *seruet limen* Plutonis, tantùm abest, vt velimus thalamos expugnare. Clariùs. Potest tuta vel in ipso regiæ limine consistere, & quidem *casta*, quasi dicat, eius pudicitiam non attentabimus, in ipso adhuc limine erit casta. De *patruo* dicam in Notis.

d Post confutata obiecta, firmat causam suam hunc in modum. Adducit Æneam in hæc loca non vis; sed pietas, sed voluntas Deorum. Pietas, quia it ad genitorem; voluntas Deorum, quæ tibi satis debet patere ex hoc ramo. Nota obiter studium Sibyllæ in exornanda persona Æneæ. Dixerat Charon indefinite, *Quisquis es*. Aperit ergo illi Sibylla nomen, est *Æneas*, & genus, quia *Troius*. & quia Charon, *armatus*: Sibylla *insignis armis*, sed, quæ arma non vim afferunt; sed con- A iuncta sunt cum pietate. Demum aperit causam viæ, *descendit ad genitorem*. & viæ huius difficultates, quas superat, quia *descendit ad vmbras*, & has *imas*, & has *Erebi*.

e Cedunt statim corda, quæ tumuetant æstu irarum. Ait *residunt*, quia redduntur pristino ante iras statui. *Nec* citro vltroque reddita *plura his* verba. Admiratur *donum*, nam suprà,

Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Sed cur donum *fatalis virgæ*? quia suprà:
——namq; ipse volens facilisq; sequetur
Si te fata vocant.

Ergo iam promptus Charon, & cum obsequio *aduertit puppim*, *appropinquat ripæ*. & *deturbat alias animas*, *quæ sedebant per iuga longa*. Cape per *iuga* sedes nauticas. *laxat foros*, id est, vectorum loca. Accipit *alueo*, id est, capacitate nauiculæ, *Æneam ingentem*, id est, excellentem & præstantem virum. *Gemuit cymba*, quia *sutilis*, præsertim *sub pondere* viui hominis. & quia *rimosa*, accepit multam vndam paludis. Tandem Charon illos transmittit. Ait, *tandem*, quò innuat multum temporis consumptum in transnatando Cocyto, qui totus paludinosus, & cœnosus. Illud *informi limo* explicat Seruius, *magno, sine forma*.

NOTÆ.

1. ABSISTE MOVERI] Pari forma (notante Kittershusio) Columella lib. 12. c. 19. *Nec ab-* C *sistat id facere.* & Phædrus. *Amare absistite.*

2. NEC VIM TELA FERVNT] Possit videri allusio ad Græcam parœmiam Ἄρης τύραννος. vbi enim ferrum est in manu, ius omne confunditur, & id potuit Charon timere, vbi armatum vidit. ita Lucanus lib. 1. Adagium.

——ferriq; potestas
Confundit ius omne manu.

& Seneca in Hippol. *Pro iure vires esse.* Hanc itaque suspicionem Sibylla amouet.

3. TERREAT VMBRAS] Ita Seneca in Furen.
Hic sæuus vmbras territat Stygius canis.

4. CASTA] Sic dictam Proserpinam vult Germanus, vt ab Homero ἁγνὴν Περσεφόνειαν, *castam puramque*

Igni purgatur mortui. Persephonem. διὰ τ' (vt ait Eusthathius) πυρὸς ἁγνισμὸν τῶν νεκρῶν, quòd mortui igne purificentur. Sed possit quoque Poëta simpliciter accipi, vt 2.G.

Casta pudicitiam seruat domus. Quod Horatius vertit Od.2. Epod. *Quid si pudica mulier.*

5. PATRVI] Id est, Plutonis, qui patruus Proserpinæ, quia frater Iouis, cuius & Cereris filia erat Proserpina. Sed cur in nominando Plutone vsurpauit patruũ? Notatur, credo, Plutonis seueritas, & supercilium. Quasi dicat. Seruet limen seuerissimi Dei: nunquam ille, tametsi asperrimus, aliquid in nobis inueniet dignum crimine. Itaque allusio esse potest ad adagium, *tu mihi es patruus.* Vide Erasmum. Patruus.

6. SERVET PROSERPINA LIMEN] Solet hic vates aliud agens mores varios attingere. Ita in hoc loco, vbi mens prima est Sibyllæ, satisfacere Charonti, ac tum obiter morem attingit, quo fœminæ olim erant ad domorum vestibula, fores, limina. Morem hunc satis indicat Propertius lib.2.eleg.6. Fœminæ ad limina.

Et quæcunque viri fœmina limen amat.

& lib.1.eleg.8.

Ah, mea contentus quoties ad limina curres.

vbi propriè capio, non partem pro toto. Inde idem lib.2.eleg.6.

Non ita complebant Ephyrææ Laïdos ædes,
Ad cuius iacuit Græcia tota fores.

Quia videlicet Laïs ad ipsas fores. Tibullus lib.2.eleg.1. loquens de Cupidine:

Hic iuueni detraxit opes, hic dicere iussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem.

Inde fortasse natus mos alius, quo veteres coronas & flores appendebant ad postes, ianuas, limina illarum, quas amabant, quem Lucretius attingit lib.4. Limina amicarum cum floribus.

Ad lacrymas exclusus amator, limina semper
Floribus & sertis operit, postesq; superbos
Vngit amaracino. Sed de hoc

more alibi credo. Roget aliquis, vnde natum, vt fœminæ etiam nuptæ essent ad fores domorum? Moris huius originẽ refero ad prostibularias fœminas, quæ erant in domorum vestibulis. Inde illas Plautus Pœnulo, & Festus vocant *prosedas*, quòd sederent ante stabula. Nihil verò est mirum, turpem morem meretricum traductum ad honestum nuptarum, qualis Proserpina nupta Plutoni. Ita enim multa inter gentiles. Neque verò contra ea, quæ dixi, est mos alius, quo fœminæ in interiore ædium parte versabantur. Nam quis vetat, iam hos, iam illos mores, pro diuersis rerum & temporum rationibus obseruatos? Quin pro more, quem aperui, esse potest ratio non insolens, vt videlicet ita pudicis fœminis mariti fiderent, vt illis darent custodiendum limen, & hoc sanè Virgilius indicat suo versu. Prostibulariæ sedebãt ad limina. Prosedæ.

7. EREBI] Non dubium, quin hîc capiatur συνεκδοχικῶς. Itaque Erebus pars inferni pro toto inferno ponitur, hac sententia. Descendit ad inferos Æneas. Ergo bene Nascimb. oppugnat Seruium, dicentem in Erebo fuisse sedes beatorum. Hoc enim nusquam legas. Imo Plato apertè ait in Axiocho de Erebo, & Chao, χῶρος ἀσεβῶν, *locus impiorum.* & eodem contrudi à Furiis, qui vixerunt διὰ κακουργημάτων, *per scelera.* Demum ibi constituit vrnas Danaidum, sitim Tantali, præcordia Titij, saxum Sisyphi. & quidem satis hoc indicat Poëta, cùm ait disertim *Erebi vmbras.* reddens, vt credo, illud Græcorum, νὺξ ἐρεβεννή. Erebi enim propriæ fuerunt vmbræ, & nox. Ista longè absunt ab luce sedium beatorum. Seruij error. Erebus locus impiorum.

8. TVMIDA EX IRA CORDA] Signatè & propriè. nam cor sedes iræ. Aristot. Sect.2. Problem. ὁ θυμὸς ζέσις τοῦ θερμοῦ ἐστι τοῦ περὶ τὴν καρδίαν: *est ira feruor calidi* (sanguinis) *circa cor.* Quam sententiam ab Aristotele sumpsit Galenus lib.2. de sanit. tuenda c.9. Homerus 1. Il. de Agamemnone irato, Cor sedes iræ.

—μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντο.
Ira vehementer præcordia nigra implebantur.

Apud eundem loquentem de irato Achille, iræ partes accipit ἦτορ, id est, cor. Idem vates 9. Il. οἰδάνεται κραδίη χόλῳ: *tumet cor bile.* Damascenus, θυμός ἐστι ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος: *Ira est feruor sanguinis circa cor.* Hunc Lipsius commisit cum Seneca ita scribente. 2. de Ir. c.18. *Volunt itaque quidam ex nostris iram in pectore moueri, efferuescente circa cor sanguine.* Cor circumscribit Persius, cùm ait,

——*sub pectore mascula bilis*
Intumuit. id est, in corde. In quo

potuit æmulari Homer. 9. Il. qui dixit, θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι. Itaque non propriè locuti sunt Horatius, & Iuuenalis. Prior. Od.13. lib.1.

Feruens difficili bile tumet iecur.

Posterior Sat.1.

Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira?

Iecur enim sedes est libidinis, non iræ: quod apertè indicat idem Horatius variis locis, videlicet Od. 25. lib.1. & Od.4. lib.3. & Od.1. lib.4. vbi loquens de amore, semper iecur vsurpat. Vt verò hîc dicitur *tumor*, de ira, pari metaphora Græci de iratis dicunt φυσήματα, aduocantes scilicet sermonem ἀπὸ τῶν μολγῶν, *ab vtribus.* Lege Iunium cent.1. adag.58. Sed ego aliũde idem ostendo. Philostratus enim in Heroicis, ἐξοιδεῖν τῆς ὀργῆς, dixit, *tumorẽ iræ.* & li.2. Ico. de irato Hercule, φλέβες ἐν οἰδοῦσι, *vena cum tumore*, & addit rationẽ. θυμοῦ τινος ὑποδεδυκότος αὐτάς: *vt quas ira quadam subierit.* Achilles apud Homerum 1. Il. Iecur sedes libidinis. Tumor de ira.

Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ.

Quod ita vertit Cicero 3. Tusc.

At mihi cor penitus turgescit tristibus iris.

Possis etiam reddere. *cor mihi inflatur.* Nam illud Arati, οἰδαίνουσα θάλασσα, quod Horatius reddit, *mare turgidum*, Cicero voluit, *mare inflatum.* Plautus Casina dixit, *turget mihi*, id est, iratus est in me. & Mostell. *tota turget mihi vxor.* Conceptu alio, sed ad rem eandem pertinente, dixit idem Plautus Casin. *sufflauit vxori sua.* id est, flatum tumorémque concepit in vxorem suam. & Bacchid. *sufflatus ille huc veniet.* idest, præ tumore iratus. Turgeo de iratis. Sufflo ad iras.

9. CÆRVLEAM ADVERTIT PVPPIM.] Cùm hic color detur vndis, & mari, nihil mirum detur etiam nauibus. Valer.8. Arg. Cæruleum de aquis.

——*cærulei timor æquoris.*

Claudian.2. Ruff. *vada cærula.* & 3. Cons. Hono.

Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam.

Catull.

Nunc ô cæruleo creata ponto.

Huc pertinet, Neptunum aquarum Deum dici cæruleum oculis, teste Tullio 1. Nat. *Cæsios* (ait) *oculos Mineruæ, cæruleos Neptuno.* Hoc mihi placitum. vel tu sequere sententiam Thylesij, qui ait, cærulei coloris esse speciem nigram, eóque olim vestitu Græcas fœminas amictas solere funus producere, indéque colorem hunc pro tristi capi, atque ideo à Virgilio dici cymbam Charontis cæruleam, id est, tristem. Certè Theocritus in encomio Ptolemæi vocat Charontis ναῦμα κυάνεον. Est hoc, quod suprà de naue eiusdem Charontis *ferruginea cymba.* Nam in gloss. *ferrugineũ*, γλαυκὸν, κυάνεον. Neptuno oculi cærulei. Cæruleus color ad funera.

10. IVGA] Sunt iuga, tabulæ illæ nauicularum prominentes ad latera, quibus aqua arcetur. Explicui *sedes nauticas.* Doctè enim ex Eustathio obseruat Iuga nauiũ.

Germa

Germanus esse iuga ναυτικὰς καθέδρας. & inde naues dici ἑκατοζύγους, πολυζύγους, quæ centum multásve sedes habeant. Ad hunc locum pertinent, quæ dixi lib. 5. ex Lilio ad illud, *Considunt transtris*. Itaque ex interpretatione etiam Seruij, *iuga*, hîc sunt transtra, vbi sunt remiges, nam animæ ipsæ vice remigum fungebantur, ideo *sedebant*, nam sedent in transtris remiges, quod habes ex 3. Æn.

Linquere tum portus iubeo, & considere transtris. & ex 4.

Præcipites vigilate viri, & considite transtris.

Et quidem remigasse animas, non solùm liquidum ex locutione *sedebant per iuga*, sed quia ipse vates sup.

—vel quo discrimine ripas

Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt.

11. FOROS] Vt hîc *foros* de naui, ita 4. Æn. — *Fori nauiū.*

Complessemq; foros flammis.

Explicui verò vectorum loca sequutus Bulengerum, qui ait, sermonem translatum à Circo, in quo subsellia dicta sunt fori. Liuius lib. 10. *A Tarquinio loca diuisa patribus equitibúsque, vbi spectacula sibi quisq; facerent, fori appellati*. Iuuat Sosipater, qui ait, foros nauium esse, vbi sedent nautæ. Neque malè ad sedes has nautarum referat quispiam verba Ciceronis de Senect. *Cùm alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant, ille clauum tenens sedeat in puppi*. Sunt, qui referant ad καταστρώματα nauium, cùm Lucianus dixerit, διὰ καταστρωμάτων τρέχειν, quæ respondent Tullianis illis, *per foros cursent*. Sunt autem καταστρώματα, tabulæ quædam, quibus nauis superiore ex parte strata est, quæque nautas discurrentes, ac milites propugnantes sustinent. Sed, vt redeam ad foros Virgilianos, possit etiam quispiam accipere concaua nauium latera, quæ dicta sunt fori, à ferendo. Nam 4. Geor.

Complebúntq; foros, & floribus horrea texent.

id est, cauos alueolos.

12. ALVEO] Accepi capacitatem nauiculæ, & cauum ipsum. Seruius malè de fluminis alueo intelligit. Propertius clarè lib. 3. — *Alueus de nauiculis.*

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?

Portabat sanctos alueus ille viros.

& Liuius lib. 21. *alueos informes raptim faciebant*, id est, nauiculas. Id etiam fit liquidum ex Liuio & Plutarcho collatis. Ait prior loquens de natalitio Romuli: *tenet fama, cùm fluitantem alueum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset*, &c. Ait posterior de eadem re loquens in vita Romuli, ἐνθέμενος ἐν εἰς σκάφην τὸ βρέφος, κατέβη μὲν ὡς ἐπὶ τὸν ποταμόν, ὡς ῥίψων. vbi alueus Liuij, & Plutarchi scapha, idem sunt. Quin ex Liuio aduerto, alueos esse idoneos transmittendis stagnis, & locis vadosis: quæ res aptè congruit cymbæ Charontis transmittenti paludinosum Cocytum. verba Liuij lib. 10. sunt: *fluuiatiles naues ad superanda vada stagnorum aptè planis alueis fabricatas complent*.

13. INGENTEM] Sunt qui hoc referant ad magnitudinem corporis Æneæ, quòd mox sequatur, *gemuit sub pondere cymba*. Sed profectò hanc corporis magnitudinem, quam isti volunt, nemo Æneæ dedit. Deinde aduertant, qui sic Poëtam capiunt, cymbam illam assuetam vmbris tantùm corporum, non veris corporibus, ad quodcunque pondus gemituram. Igitur referendum ad excellentem virum Æneam. Hoc etiā efficit imitatio Homeri, & Statij. Priori Virgilius institit: posterior, & Homero & Virgilio. Ait itaque Græcus 5. Il.

——μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων

Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα τ' ἄριστον:

—valde autem crepuit fagineus axis.

Sub pondere, potentem enim ducebat Deam, virumq; optimum. Latinus verò 7. Theb. scribit, axem Amphiarai grauari & tremere præ pōdere, nā videlicet in ipso sedebat Deus Apollo.

—magnoq; grauatus

Temo Deo. & postea,

Olim te Cyrrhæe pater peritura sedentem

Ad iuga (quis tantus miseris honor?) axe trementi

Sensimus. Sed in hac locorum coniunctione, cur omittamus Senecam, qui vnicè Virgilio institit in Furente, his versibus:

Scanditque puppem, cymba populorum capax

Succumbit vni, sedit: & grauior ratis

Vtrinq; lethum latere titubato bibit.

14. GEMVIT SVB PONDERE] Præclarè coniungit duo hæc verba. Nam *gemo* Latinum à Græco γέμω, id est, *plenus sum*, ducitur. Inde Græcis γόμος, est *onus nauis*. Rectè ergo cymba gemit sub pondere, & onere. Vidit hoc Ios. Scal. in Coniectan. — *Gemo, vnde dictum.*

15. SVTILIS] Monet Turneb. lib. 28. c. 45. cymbam Charontis sutilē factam à Poëta nouitatis & miraculi aucupio, talésque fuisse naues quorundā Britannorū, asserente Plin. lib. 7. c. 56. *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumsutæ fiunt*. & lib. 4. c. 16. *ad eam Britannos vitilibus nauigijs corio circūsutis nauigare*. Hactenus Turnebus, cui adiunge Herodotū li. 2. qui ait, ab Ægyptiis *bares* appellari naues quasdam, quarum compages iunco innectuntur, circumsuunturque. Ad quem aspirasse credo Plin. li. 6. c. 22 *papyraceis nauibus, armamentisq; Nili peteretur*, &c. Lucan. quoq; li. 4. dixit, — *Sutiles naues.* — *Bares, genus nauium.*

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Sic legendum in Lucano, non, vt in Isidoro, *conficitur*. Quæ lectio Turnebum decepit lib. 7. c. 2. Adiungo etiam Plutarchum, lib. de Is. & Os. qui de re Ægyptiorum loquens βάρεσι παπυρίναις dixit. Festum Auienum qui in iambico ad Probum sic scribit:

Sed rei ad miraculum

Nauigia iunctis semper aptant pellibus,

Corioq; vastum semper percurrunt fretum.

Scaphæ quoque genus ex virgis ita compositū, vt textile videatur, Strabo meminit lib. postremo. Pacton ipse vocat. Germanus tamen censet legendū in Virgilio *futilis*, non *sutilis*. vt inde dicatur cymba hæc accepisse paludē, vt quæ iā carie & situ corrumpebatur. vt minus tamen illi credas, faciunt & quæ iā præmisi, & quæ doctè de vitibus nauilibus, & corio cōsutis cōgessit Lilius lib. de nauigiis, c. 7. & quæ Dalecāp. in c. 12. lib. 13. Plinij. vbi admonet, verba hæc *conseri, contexi, sui*, de nauibus dixisse veteres. vnde & *spartea serilia*, vocat Pacuuius in Niptris funes sparteos destinatos ad vsum suendarum nauium. Aristides quoque in Panathen. meminit nauium λινοδέτων, nam lino consutæ. Sed & nauiculas ex pellibus factas inducit Lucanus. Eius versus sunt: — *Pacton genus nauium.* — *Serilia spartea.*

Primùm cana salix madefacto vimine paruam

Texitur in puppim, cæsos induta iuuencos,

Vectoris patiens, tumidum superemicat amnem.

Scribit etiā Dio in Augusto factas ab Cæsare naues ex pellibus nauali pugna contra Sex. Pompeiū. σκύτινα etiā nauigia, id est, *coriacea*, agnoscit Herodotus lib. 1. — *Coriacea nauigia.*

16. MVLTAM ACCEPIT RIMOSA PALVDEM] Est hoc, quod Appianus dixit li. 5. Ciuil. de naui cōfracta. Καὶ τὴν θάλατταν ἀθρόως ἐδέχετο: *confertim mare accepit*. Senecam iam dedi idem cum Virgilio dicentem. Paulinus ita epist. 42. *nauis vndam combibit*. iterum:

Quo cymba multam duxerat rimis aquam.

[a] Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro.

[b] Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obiicit. [c] ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque immania terga resoluit
Fusus humi, totoq; ingens extenditur antro.

ARGVMENTVM.

Cerberum sopit Sibylla.

EXPLICATIO.

[a] Ecce in aditu statim Cerberus custos ianuæ inferorum. Eius ferocitas, & vigilantia describitur. Ferocitas, nam *ingens*, nam *immanis*. Vigilantia, nam *sonat per regna inferni latratu triplici*, nam *recubat in antro aduerso*, id est, sito è regione.

[b] Cùm ille erectis colubris horreret, qui illi erant pro pilis, Sibylla *offam obiicit frugibus medicatis*, id est, quibus admistum esset papauer, aliæque herbæ ad conciliandum soporem. Inde offam *soporatam* vocat. cui tamen offæ mel adiungit, vt auidius illam corripiat Cerberus, quippe dulcedine perfusam. Sic explicat locum istum Pet. Victorius lib. 4. Var. c. 8. sic docti alij. De Turnebi lectione & sententia dicã postea.

[c] Arripit offam Cerberus, humi prosternitur, antro extenditur. Hîc ego adnoto quiddam non vulgare in Poëta consideratissimo. Descripsit primùm Cerberi ferocitatem & vigilantiam: nam *ingens*, nam *immanis*, nam *triplici latratu*, nam *recubans in aduerso antro*. Ecce iam has easdem res victas & sopitas post arreptam offam. Nam hic quoque *ingens* dicitur, & eius membra *immania*, sed cõ mutata rerum vicissitudine. Eius enim tria guttura panduntur non ad latratum, sed ad offam corripiendã. Non iã recubat in aduerso antro, vt qui vigil. potiùs extẽditur humi, fũditur, resoluitur.

NOTÆ.

1. Cerbervs] Pausanias in Laconicis scribit, Homerum primum omnium, Ditis canem appellauisse illum, quem Hercules extraxit, neque nomen proprium imposuisse, neque de eius figura quicquam fabulatum, vti de Chimæra, & aliis monstris. Posteriores tamen Cerberum appellauisse, & cùm cætera cani fecissent similem, tria tamen illi capita assignasse. Seneca in Furente Virgilio insistens, ita cecinit:

Hîc sæuus vmbras territat Stygius canis.
Qui terna vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ,
Longúsque torta sibilat cauda draco,
Par ira forma.

Cerberus triceps.

2. Latratv trifavci] Hoc frequentissimum de Cerbero. Nam Sophocles in Trach. ἄδου τρίκρανον σκύλακα. *Plutonis tricipitem canem.* Tibullus lib. 3.

Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminúmque caput.

Ouidius 7. Met. de hoc cane,

Impleuit pariter ternis latratibus auras.

Mitto eundem 4. eiusdem operis. & Senecam in Oedip. à quo *triceps* dicitur, & in Furente dantur illi *terna capita*. à Propertio lib. 3. eleg. 18. *tria colla*. & eleg. 5. eiusdem lib. *tribus faucibus*. Horatius de illo lib. 2. Od. 19. *ore trilingui*. Statius 5. Syluar. *tergeminus custos*. Proper. el. 7. lib. 4. *Tergeminus canis*. Mitto etiam Tullium 1. Tuscul. & Pausaniam in Lacon. Sed ita hoc frequẽs, vt tamen Hesiod. in Theog. illum vocet πεντηκοντακέφαλον, *feram quinquaginta capitum*. Facit hunc numerum duplo maiorem Horatius lib. 2. Od. 3. nam centum dat:

A *Demittit atras bellua centiceps*
Aures.

Isacius quoque ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς. Fortasse illi dantur tot capita errore aliquo, nîmirum à serpentibus, qui oberrant toto tergore, scribente sic Apollodoro lib. 2. εἶχε δὲ οὗτος (præcessit, Cerberus) τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλάς, τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος, κατὰ δὲ τοῦ νώτου παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς: *Habet hic tria canina capita, caudam draconis, at in tergore variorum serpentium capita.* Iuuat Tibulli versus lib. 1. eleg. 3.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet.

Vide, vt det illi stridorem per serpentium capita. Sed de serpentibus, quibus vallatus, dicam postea.

3. Personat] Sic suprà, *personat æquora*. & Horatius
B 1. epist.

Est mihi purgatam crebrò qui personet aurem.

De Cerbero ipso Statius 5. Syluar.

—nullo sonet asper ianitor ore.

Latratus porro Cerberi ita persequitur Seneca in Furente:

—ecce latratu graui
Loca muta terret: sibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor
Per ora missus terna, felices quoque
Exterret vmbras.

Ad latratus Cerberi & clamosam vocem pertinet locus Aristophanis in Irena, quem adducam vt necessarium ad rem, quam suprà latè sum persecutus de euo-
C catione Proserpinæ. Ait ille:

Εὐλαβεῖσθ' ἐκεῖνον τὸν Κέρβερον, καὶ δεδίττεσθε,
Μὴ παφλάζων καὶ κεκραγὼς, ὥσπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν
Ἐμποδὼν ἡμῖν γένηται τὴν θεὸν μὴ ἐξελκύσαι:
Attamen vos hunc cauete cum timore Cerberum,
Ne ferociente clamosus furore, vt hîc priùs
Quominus Deam extrahatis impedimento fuat.

Itaque quamuis Poëta hîc canem personantem inducat post euocatam Proserpinam & sacra magica, non dubium tamen quin clamor iste totus ad custodiam Reginæ infernorum, cùm magarum vi euocabatur. De hac canis huius custodia Propertius lib. 4. eleg. vlt.

Cerberus & nullas hodie petat improbus artes.

Statius 5. Syluar.

Nempe times ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus.

D Aperio hîc morem, qui tractus fortasse à Cerbero. Sed satius Petronium audire. eius verba sunt: *Non longè ab ostiarij cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, supraque quadrata littera scriptum; Caue, caue canem.* Hic mos apud nos hodie frequentissimus est: neque verò solùm pingi, sed statui etiam canes solent ea ferocitate, vt improuidi sæpe terreantur. Qui mos tractus vel à Cerbero, vt dixi, qui erat in vestibulo inferorũ: vel à veris canibus, qui sunt in vestibulis ædium. Ioannes enim Chrysostomus loquens de Lazaro, canes constituit, ἐν τοῖς τοῦ πλουσίου πυλῶνι. Non omittã locũ Nõni lib. 3. Dionys. quo & Petronius illustrabitur, & mos clariùs patebit. Ait ille in descriptione horti,

Πολλαὶ δ' ἰσοτύπων μελέων τεχνήμονι σιγῇ
Χάσματι ποιητοῖσι σεσηρότος ἀνθερεῶνος
Ψαδαλέων σκυλάκων στίχες ἔμφρονες ἄγχι θυράων
Ἵσταν ἔνθα καὶ ἔνθα, καὶ ἀργυρέω κυνὶ γείτων

Χρύσεος οἱ δ' αἰνοντι κύων σκυλάκεσσι λαιμός.
Multi verò æqualium membrorum artificioso silentio
Hiatibus fabricatis in rictum extensi oris
Fictorum canum ordines artificiosi prope ianuam
Stabant hinc inde, & argenteo cani vicinus
Aureus tumenti canis collatrabat fauce.

4. CVI VATES HORRERE VIDENS IAM COLLA] Ab hac ferocientis Cerberi descriptione non abludit illa Pliniana lib. 8. c. 40. de feroci cane immisso cum elephante: *horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit, mox ingruit assultans, contráque belluam exsurgens*, &c. Sed dicam de imitatione poëtarum. Statius quippe ita Virgilio hæret, vt in extremis dissentiat: & vterque, ac Seneca etiã, & omnes fere dissentiũt ab Hesiodo. Ergo Stat. 2. Theb.

Cerberi ferocitatis descriptio.

Illos vt cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus
Sæuus, & intranti populo iam nigra tumebat
Colla minax, iam sparsa solo turbauerat ossa:
Ni Deus horrentem Lethæo vimine mulcens
Ferrea tergemino domuisset lumina somno.

Seneca aliam victi canis rationem inducit, quippe idoneam suo argumento, itaque in Furente:

—sensit vt motus pedum
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missúmque captat aure subiecta sonum;
Sentire & vmbras solitus. vt propior stetit
Ioue natus, antro sedit incertus canis,
Et vterque timuit.

Mox describit pugnam canis cum Hercule & canem victum, victorem Herculem: donec;

—domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antróque toto cessit.

Amœna est, Lector, ista, quam persequor, poëtarum varietas. Quid Hesiodus? dissentit hic ab omnibus in Theog. nam cùm omnes dicant, canem exercere minas in adeuntes, ille ait, solitum Cerberum adulari ingredientibus, quo nimirum illi non terreantur: mox verò obseruare, ne iterum exeant; quod si tentauerint, iam tum exercere carnificinam.

5. HORRERE] Hoc verbum, vt vides, cani dat. Nota verò, quoties in eo repetatur canina littera. vt etiam in illis *latratu regna trifauci*. Atque in vniuersum, in tribus primis versibus, qui pertinent ad horrorem canis, littera hæc adhibetur ter supra decem. Fuit Sannazarus vnicus in hac re Virgilij imitator. Vide quoties hanc litteram repetat lib. 1. Partus:

Canina littera.

—& non lætabile murmur
Tergemini canis, aduerso qui carceris antro
Excubat in somnis semper, rictúque trifauci
Horrendum stimulante fame sub nocte profunda
Personat. Istis notulis ducendi ad imitationem Virgilij, qui veri esse poëtæ volunt.

6. COLVBRIS] Fingebatur Cerberus totus munitus serpentibus, colubris, viperis. Horatius lib. 3. Od. 11.

Cerberi serpentes.

Cerberus, quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniésque manet
Ore trilingui. Seneca in Furente:
—sordidum tabo caput
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ,
Longúsque torta sibilat cauda draco.
Par ira formæ.

Apollodori verba de eadem re iam præmisi.

7. MELLE SOPORATAM] Turnebus lib. 28. c. 45. legit *saporatam*. Primò, nam sic ait reperiri in peruetusto Prisciani libro. Deinde, nam veteres melle vsi in omni dulciario, non saccharo: probat Lucretij & Valerij Flacci testimoniis. Tertiò, mellita placenta dari mortuis olim solebat, & eadem Cerbero offertur, vt placetur: probat ex Suida. Quartò, quia Tertullianus, & Marcellinus, qui poëticis verbis delectãtur, ab isto Maronis loco videntur sumpsisse verbum *saporare*. prior, in lib. de Spectac. posterior, lib. 31. Quintò denique, quia nemo vllis medicorũ doctrinis probauerit inesse in melle vim soporandi. Hæc ille. Sed profectò Virgilij lectio, & explicatio, quam iam adhibui, defenditur loco altero Virgilij in 4. Æn. vbi maga peruigili draconi spargit ad conciliandum soporem,

—humida mella, soporiferúmque papauer:

Qui locus omnino euertit Turnebum, & Florentem Christianum in Lysistratã Aristophanis, & si qui sunt alij huius mentis. Turnebi ratio prima nihil peruincit in tanta codicum consensione, qui *soporatam* legunt. Secunda & tertia pro nobis vnicè faciunt. Quarta nihil ad rem. Quinta facile habet exitum. Nam tametsi melle non inducatur sopor, huic tamen negotio satis medebatur medicatæ fruges, & mel tantùm saporem cõciliabat. Bene autem Nascimb. admonet, Poëtam, cùm *fruges* dixit, videri allusisse ad verba Varronis 3. Rust. vbi rationẽ ponens conficiendi offas, de illis ait: *hæ maximè glomerãtur & ficu, & farre misto.* & quidem μᾶζα veterum, quæ offæ Virgilianæ respondet, ex frugibus fiebat, cui, vt hoc ne nescias, etiamsi obiter, addebant, iuxta Hesychiũ, aquam & oleum; iuxta Scholiastem Aristophanis in Irenã, lac. Sed adduco verba illa Suidæ, quia Poëtam illustrant. ἴσθι ὅτι μελιτοῦττα ἐδίδοτο τοῖς νεκροῖς, ὡς εἰς τὸν κέρβερον. Sed de hac re vide etiam Lilium 17. Syntag. Demum placentæ apud veteres vt plurimùm melle saporabantur, vt liquidum ex Archestrato apud Athen. lib. 3. & ex Aristophane in Irena. Prioris versus omitto, vt multos: posterior formata iam maza ait,

Fruges ad offas veterum.

Mellita dabantur mortuis.

Φέρ' ἐπιχέω τὸ μέλι τουτὶ Ἀττικόν.
Cedo hocce, vt infundam super mel Atticum.

Inde natũ, vt Græcis placentæ omnes, aut offæ communi vocabulo dicantur μελίττεται, id est, μᾶζαι μέλιτι δεδευμέναι. Apud Herodotum lib. 8. angui cuidam arcis Atheniensium custodi dabantur mẽstrua quædam edulia cõfecta è melle: μελιτόεσσα vocat scriptor. Ista omnia nihil pugnant in lectionem, quam defendo, imò stabiliunt, nam adhibitum mel à Poëta ex more, quo id æui melle omnia condiebantur. Itaque sapor tantùm quærebatur melle, somnum importabãt fruges medicatæ. Quin adduco contra Turnebum locum Philostrati peridoneum. Is lib. 8. Apollonij cap. item 8. loquens de antro Trophonio, ita ait, de illis, qui adeũt antrum illud: μελιττούτας ἐπάγοντες ἐν τῇ χεροῖν μειλίγματα ἑρπετῶν, ferunt in manibus mellitas placentas, quibus feræ mulceantur. Vbi mel seruit mulcimẽto. cur non ergo & soporitæ etiam ex arte mel frugibus admiscebatur, vt etiam proficeret ad somnum. Hoc qui neget, gratis neget. Quasi verò non posset amarum aliquid ita condiri in potione, vt nullas ibi amaritudo vires habeat ad excitandum sensum, tantùm ad salutem? Miseros medicos hoc si non possent tot suis pharmacis. Demum ad plenam loci huius cognitionem adduco verba eiusdem Philost. lib. 6. c. 15. τὰ μειλίγματα τοῖς κυσί, κἂν ὑλακτῶσι, χὐθις διδόναι, τὰ αὖθις: canibus dãda mellita, &, si adlatrent, iterum dãda atq; iterũ. Præclarè ergo hæc eadẽ dãtur Cerbero ne latret.

Mellita danda canibus.

8. OFFAM] Propriè, nam offa cibus est canis. Tertullianus aduersus gentes. *Candelabra, & lucernæ, & canes aliqui, & offulæ.* De eadem re Minutius: *Canis, qui candelabro nexus est, iactu offulæ, vltra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum, & saltum prouocatur.* Et de ipso Cerbero Apuleius libro sexto: *Offulæ cibo sopita canis horrendi rabie.* Inde lux Plauto in Milite Glor. apud quem parasitus, qui se totus ad adulãdum,

Offa cibus canis.

 quod

quod proprium est canis, composuit, ita subiicit, *offa me monet.* quia videlicet cibum quærebat ea adulatione. Porro offam canum Græcis vocari κυνάδα, satis liquidum ex verbis istis Pollucis lib. 6. οἱ δὲ πάλαι ταῖς καλουμέναις ἀπομαγδαλίαις ἐχρῶντο, αἳ ἦσαν τὸ ἐν τῷ ἄρτῳ μαλακὸν καὶ σταιτῶδες, εἰς ἃ ἀποψησάμενοι τοῖς κυσὶν αὐτὸ παρέβαλλον· ὅθεν καὶ Λακεδαιμόνιοι κυνάδα τὴν ἀπομαγδαλίαν, καλοῦσιν: *Vtebantur veteres apomagdaliis, quod verbum sonat molle, & medullam panis. Istud abluti canibus obiiciebant. inde Lacedæmonij apomagdaliam vocant cynadem.* Dicit hoc, quia apomagdaliis vtebantur ad ablutionem, & tersionem manuum. Erasmi errorem in his Pollucis vertendis adnotarunt iam & Gesnerus, de quadrupedibus, cap. de cane; & in Homerum 10. Odyss. Spondanus.

Apomagdalia.

9. Obiicit] Verbum signatum. Ex Minutio iam audisti, *iactum offulæ.* Horatius epod. cum allusione ad canem.

Proiectum odoraris cibum.

Euripides quoque apud Athenæum lib. 3. ἐκβάλλειν λείψανα κυσίν: *Proiicere reliquias canibus.* Herodotus lib. 9. narrans fœminæ vnius crudelitatem in alteram, μαζοὺς ἀποτεμοῦσα κυσὶ προέβαλε: *mamillas præcidens proiecit canibus.* Philostratus lib. 8. de vita Apollon. cap. 12. μείλιγμα τοῖς κυσὶ προβεβλῆσθαι. Philostratus Iunior in Iconibus pari verbo vocat ἀποῤῥιπτούμενα, quæ canibus proiiciuntur. Seneca. 3. de Ir. cap. 37. *Irasceris ergo catenario cani? & hic, cùm multum latrauit, obiecto cibo mansuescit.* Ioan. Chrysost. hom. de iuramentis, hominem, qui canem cibat, vocat ῥίπτοντα.

10. Rabida] Est rabies canum. Athen. lib. 3. κυνικὴν λύσσαν dixit: *caninam rabiem.* Et 3. G. *canibus rabies venit.*

Rabies canum.

11. Corripit] Ex natura canum, qui non tam sumunt, quàm rapiunt cibum, vt & reliquæ feræ. Arnob. lib. 2. *Alias alij raperent, vt canibus mos est, & vulturibus, portiones.*

12. Immania terga resolvit] Est hoc, quod Ausonius in epigram.

—terræ terga supina dedit.

13. Totoque ingens extenditur antro] Similis locus 3. Æn. de Cyclope.

——iacuitque per antrum
Immensum.

& infrà de Tityo:

—per tota nouem, cui iugera corpus
Porrigitur.

ᵃ Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
Euaditq; celer ripam irremeabilis vndæ.
ᵇ Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumq; animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
ᶜ Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
ᵈ Nec vero hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.
Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum
Conciliumq; vocat, vitásque, & crimina discit.

ARGVMENTVM.

In inferorum initio sunt infantes, deinde damnati falso crimine, quibus Minos inferorum iudex has sedes attribuit.

EXPLICATIO.

ᵃ Nunc primùm pedem ponit Æneas in inferis locis, si loca ista strictè sumantur. Potuit tutò, occupante somno Cerberum custodem liminis. Est *euadit* signatum verbum, cùm quis periculum aliquod euitat.

ᵇ Considera hîc affectus dignos hoc vate, & vero Poëta. vix pes figitur, cùm statim, nam hoc est *continuò*, audiuntur *voces* miserrimæ *infantum*, *ingens vagitus*, *animæ flentes.* Quem ista non moueant? Quid si expendas, illos *raptos ab* ipso materno *vbere*, atque *exsortes vitæ dulcis.* *Quos* quidem *abstulit dies atra*, id est, infausta. *& mersit acerbo funere.* Magnus semper Virgilius, sed maximus in mouendis affectibus. Præterea considera, hos duos versus,

Quos dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo,

sibi opponi. Nam dies atra opponitur dulci vitæ: & acerbum funus vberibus, à quibus rapiuntur.

ᶜ Sunt isti iuxta infantes, vt nullius etiam criminis participes. proximi enim ad infantum innocentiam accedunt, & violenta morte damnati sunt ante fatalem diem. Sic fermè interpretes.

ᵈ Nemo putet, has sedes, hæc loca data animabus *sine iudice, sine sorte*: iudex est Minos, qui vrnam commouet, vbi sunt sortes. (Mores, quos ex Romano foro attingit, dabo in Notis.) *vocat ille concilium silentum*, id est, animarum: *discit vitas, discit crimina.*

NOTÆ.

1. Sepulto] Firmat vox ista superiorem lectionem *soporatam.* Nam ita solutus est in somnum Cerberus, vt eo sepultus esse dicatur.

2. Irremeabilis vndæ] Iccirco de morte Hesiod. Theog.

Inferni iter irremeabile.

——ἔχει δ' ὃν πρῶτα λάβῃσιν
Ἀνθρώπων.
Retinet quem semel arripuit hominum.

Orpheus in hymno, Κωκυτοῦ ἀνυπόστροφον οἶμον: *Cocyti semitam irremeabilem.* Non alia mente, quàm allusione ad hanc sententiam, dixit Apul. lib. 6. de Asin. *inter orci cancros iam ipsos adhæsisti.* Sed locus iste iam suprà in hoc libro illustratus.

3. Continuò, &c.] Diuidit loca, vt etiam Plato lib. 10. Polit. sic & Silius lib. 13. sic alij De quibus diuisionibus dicam in sequentibus Notis, vt necessarium videro. Ergo, erant infantes in prima inferorum parte. Hîc tu cognosce doctrinam gentilium circa hanc rem. Detinebantur infantes hoc loci tantùm temporis,

ris, donec implerent ætatem illam, quam victuri essent, si iustum cursum ætatis confecissent. Docet me in hoc Tertullianus de Anima: *Aiunt & immatura morte præuentas eò vsque vagari isthic, donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum peruixissent, si non intempestiuè obiissent.* Nota etiam discrimen Plauti ab reliquis. Certè reliqui animas præmaturè obeuntium constituunt trans flumen: atqui Plautus in Mostell. scen. *Habeo Neptune.* ita ait:

Infantes in primo aditu inferorum.

Hîc habito, hæc mihi dedita est habitatio:
Nam me Acheruntem recipere orcus noluit,
Quia præmaturè vita careo.

Plutarchus etiam de genio Socratis, nulla facta mentione fluuiorum ponit μυρίων κλαυθμὸν βρεφῶν: *multorum puerorum vagitum.*

4. INFANTVMQVE ANIMÆ, &c.] Cùm de aliis aliquid dignum memoria prodat, aliquósque nominet, vt videre est in Deiphobo, in Didone, in aliis: de infantibus nihil præter eorum vagitus & ploratus. Itaque insistit verbis Platonis. 10. Polit. τῶν δὲ εὐθὺς γενομένων, καὶ ὀλίγον χρόνον βιούντων πέρι ἄλλα ἔλεγεν οὐκ ἄξια μνήμης: *De his, qui statim ac nati sunt, decessêre ac vixêre tempus breue, quædam parum digna memoria recensebat.* Videlicet, vt qui nihil fecissent, & tantùm viderentur nati ad mortem obeundam. B

5. IN LIMINE PRIMO] Aiunt interpretes primum limen & partem inferorum assignari infantibus, vt qui vix limen vitæ & partem attigerunt, quemadmodum Lucanus dixit lib. 2.

Infantes in primo limine.

—nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nascentia rumpere fata. C

6. RAPTOS] Vox propria. Rapi enim dicuntur infantes, quíque cadunt ætate tenera. Vetus inscriptio: *In primo ætatis flore receptus.* Altera non procul à Circo Flaminio:

Rapi dicuntur infantes.

Rapta sinu matris iacet hîc miserabilis infans.

Item in ædibus Cardinalis Cæsij:

Persephone nostris inuidit pallida votis,
Et præmaturo funere te rapuit.

Suetonius etiam in Calig. cap. 8. *duo infantes adhuc, rapti.*

7. ABSTVLIT ATRA DIES] Vetus inscriptio in Auentino,

Nos tamen hic cruciat dolor intimus, & pia cura,
Quòd te festinans abstulit atra dies.

Omitto hîc Mureti notam lib. 13. Var. cap. 2. aliis iam vsurpatam. Tantùm moneo (non improbans tamen Mureti argutias) locum Poëtæ simpliciter capi posse. Nam Propertius lib. 2. eleg. 11. de infantibus nihil loquens: D

Omnia crede mihi tecum vno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

vbi atram diem vocat, non noctem, sed fati diem. Quod Tibullus flexu alio dixit lib. 3. eleg. 5.

Dies atra, quæ.

At mihi Persephone nigram denunciat horam.

Deinde nescio, quî ipse Muretus sibi consentiat. quî etiam sibi Eustathius. Nam, iuxta vtriusque sententiam, potiùs esset dicendum; pueros raptos nocte, quàm die. Si enim illos dies abripit, necessariò Sol, qui diem efficit, spectator erit. Et quæ ratio cogit, vt *dies atra* significet auroram, aut exortum auroræ? Et quidem Tacitus nihil est pro illo: nam Britannici mors & rogus eadem nocte coniuncta sunt, aurora non exspectata, neque die. Qui Mureti argutias amauerit, poterit eò trahere verba ista Arnobij lib. 7. *Quid denique adhuc parui nutricum sub alimonia constituti, vt in eos immitteretur par, & vna sæuitia; priúsque acerbitatem mortis, quàm dulcedinem aliquam perciperent luminis?* Possit (inquam) sed me abnuente. Auctor Thebaidos E

A Virgilio institit vsurpans verbum *abstulit* ad remeandem:

—protinus quosdam editos
Nox occupauit, & noua luci abstulit.

8. ACERBO] Ita dicta signatissima voce infantium & puerorum funera, ducta metaphora à fructibus arborum, qui acerbi sunt, cùm decerpuntur immaturè, & ante tempus. Ausonius in Parentalib.

Acerbitas de raptis immaturè.

Nil æui breuitate tamen tibi laudis ademptum.
Indole maturus, funere acerbus obis.

Iterum in eodem opere:

Inuida sed nimiùm Lachesis properata peregit
Tempora: & ad Manes funera acerba dedit.

Plinius in epistolis lib. 5. de puellula defuncta: *ô triste planè acerbúmque funus! ô morte ipsa mortis tempus indignius!* Tacitus de puero Britannico: *subtrahere oculis acerba funera.* Isidorus ita distinguit lib. 11. cap. 2. *Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis: acerba, infantium; immatura, iuuenum; matura, id est, naturalis, senum.* Plutarchus de Consolat. ad Apollon. Philostratus lib. 6. puerorum & infantium mortem vocant ἄωρον, ducta etiam metaphora à fructibus crudis & immaturis. Aristides etiam immaturũ obitum Eteonei ἀωρίαν dixit. Verba Isidori adducta explicant locum Senecæ de Tranquill. *Toties præter limen immaturas exsequias fax cereusq; præcessit.*

Mortis tria genera.

9. HOS IVXTA FALSO, &c.] Plato in Apolog. locum assignat his, qui damnati falso crimine. Credendúmque est, ad doctrinam illius contendisse Platonicum Poëtam. Adducit Plato pro exemplo Palamedem, & Aiacem filium Telamonis, qui mortui sunt διὰ κρίσιν ἄδικον, ait ille. & eodem sperat se iturum Socrates.

10. NEC VERÒ HÆ SINE SORTE DATÆ] Allusum ex mente interpretum ad sortiendi rationem in Romano foro. Budæus in Comment. locum hunc sic tractat: *sortes à iudicibus educebantur, & quæ prima dica ex vrna exierat, prima agebatur. vnde illud Virgilianum:*

Nec verò hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.

Itaque, sicuti in foro locus dabatur causis ex sortitione, sic ex eadem sedes inferorum à iudice. Porro his verbis putat Budæus, dicas sortiri, esse idem quod causas sortiri. Contra quem validè insurgit Nannius lib. 9. Miscell. dicítque, dicas sortiri, esse idem quod, iudices sortiri, non causas. Puto victoriam Nannij esse. vsus enim vrnæ in Romano foro sortiendis iudicibus deseruiit. Adi Manutium de Legibus. Franciscum Polletum lib. 5. c. 7. vel potiùs Philippum Broïdæum. Quin ipsum etiam Budæum, qui id apertè docet in annotationibus reliquis ad Pandectas. Id satis innuit Poëta addens, *sine iudice*, quasi sors iudicum esset, non causarum. Itaque potius est, vt credam allusum in re signata sortium, ad Græcum quàm ad Romanum morem, quod postea aperiam.

Dicas sortiri, quid sit.

11. QVÆSITOR] Duo hîc dicam, primò, de Homeri imitatione, deinde de Romano more, quem attingit: Ergo Homer. Odyss. 11.

Ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱόν,
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν
Ἥμενον. οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα
Ἥμενοι, ἑσταότες τε κατ' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ:

Ibi tum Minoa vidi Iouis splendidum filium,
Aureum sceptrum gestantem, leges ferentem mortuis,
Sedentem. alij verò circa ipsum causas dicebant Regem,
Sedentes, statuti per latam Plutonis domum.

Pergo ad alterum de Romano more. Vocat Minoem quæsitorem, tanquam quærentem de rebus capitalibus. Iudicem enim quæstionis Romani quæsitorem, & per syncopen quæstorem vocabant. Caue autem putes,

Quæsitor.

putes, hunc fuisse Romanum Prætorem, quod malè assensit Budæus. Prætor enim Vrbanus, quæsitor esse non poterat, sed neque iudicare, tantùm ius dicere: longè enim aliud est, ius dicere, ac iudicare. Sed, ne vltra institutum vager, adi Manutium de Legib. Rom. pag. 186. & 236. Polletum etiam de foro Romano. Redeo ad Maronem. Dicit, vrnam moueri, in quo allusum quoque ad Forum Romanum. Solet quippe moueri vrna priusquam sortes extrahantur, vt confundantur ea agitatione. Cùm ait, concilio vocato Minoëm discere vitas & crimina, cognitionem causarum attingit. Porro vrnam fori, situlam & sitellam vocat Auctor librorum Ad Herennium. & Cicero in Diuinat. cistam. Aristophanes in Vespis κάδισκον, sed hypocoristicè ait Scholiastes ἀπὸ τοῦ κάδου. Græci etiam cadum iudicialem κημὸν vocant. In eadem Comœdia ὑδρείαν nominat Aristophanes, & eius Scholiastes ἀμφορέα ab ἀμφὶ, & φορέω, quòd circum iudices gestaretur. Cæterùm in simili re describenda Poëtæ: alij alluserunt ad Romanum forum, & omnes credo ex imitatione Virgilij. Claudianus 2. Rap.

Ius dicere, & Iudicare, diuersa.

Vrna, Sitella, cista.

Vrna nec incertas versat Minoia sortes.

Statius in Sylu.

—ibimus omnes,
Ibimus, immensis vrnam quatit Æacus vmbris.

& 4. Theb.

Arbiter hos dura versat Gortynius vrna,
Vera nimis poscens, adigítque expromere vitas
Vsque retro, & tandem pœnarum lucra fateri.

Seneca in Furen.

Non vnus alta sede quæsitor sedens
Iudicio trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Gnosius Minos foro.

Horat. Od. 1. lib. 3.

Omne capax mouet vrna nomen.

& Od. 3. lib. 2.

Omnes eodem cogimur, omnium versatur vrna, &c.

Adeo Poëtæ omnes Virgilium habuêre in pretio, vt cui mori ille hæsisset, illi hæserint. Porro de Minoë nihil hîc dicam, vbi exstant satis multa apud Natalem, nonnulla apud Spondanum in Homerum, non pauca apud Interpretes Alciati. Lege etiam Thucydidem per initia libri. 1. Plutarchum de Consolat. ad Apollonium, vbi de tribus iudicibus Minoë, Rhadamantho, Æaco. Dio Chrysost. orat. 4. δικαιότατος ὁ Μίνως πάντων. quod hoc elogium? & orat. 34. prouerbialiter hunc virum capit, ad exprimendum integrum atque incorruptum. μηδὲ προσδοκᾷν, ὅτι Μίνως τὶς ὑμᾶν ἀνίξεται: *neque verò exspectandum, vti Minos aliquis ad vos adueniat.* ab Platone 2. Alcib. dicitur Διὸς ὀαριστὴς: *Iouis discipulus.* Demum, quis non locutus de Minoë? Illud, *vrnam mouet*, Prudentius hymno 7. Cathem. dixit, *voluta vrna.* Alias aliorum locutiones ex adductis iam versibus nosces. Quid sit in Horatio Od. 3. lib. 2. *versatur vrna*, iam Dousa, & Henricus Stephanus explicuerunt. Non enim ibi versatur vrna, sed sors in vrna. hoc enim postulat ratio carminis.

Minois elogia.

12. VITASQVE ET CRIMINA DISCIT] Ex hoc loco Statius 8. Theb.

Dux Erebi populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratúsque omnibus vmbris.

Item 4. *Arbiter*, &c. integrum iam adduxi. Quare autem signatè *crimina*, non, scelera, non flagitia, non quod vis aliud? Discant vel ex hoc loco, qui id negant, vnam hanc vocem *crimen*, generalem esse ad omnia malè & contra Iustitiam commissa. Inde vtique causæ criminales. Inde Grammatici cùm voces reliquas in gignendi constituant, vnum crimē in auferendi, vt à quo voces reliquæ regantur. Nam illi sic: *accuso te crimine sceleris, flagitij, luxuriæ, ignauiæ*, &c. Quę promisi de Græco more, aperiam hîc. Dixi, in Quæstore, & nonnullis aliis, spectatum ad rem Romanam, quod omnibus certum: in sortibus ad Græcam, quod mihi. Erant Græcis vrnæ duæ in iudiciis, altera dicebatur πρότερος, aut κύριος. in hanc demittebantur calculi aut sortes absoluentes: altera ὕστερος, aut ἄκυρος, in quam sortes damnantes. Reperies ista latiùs in Scholiaste Aristophanis in Vespis. iam ad Virgilium. Alludit ille ad cadum ὕστερον, siue ἄκυρον, vbi erant ψῆφοι ἀποδοκιμάζουσαι, id est, *calculi damnatorij.* Nam in sortibus Virgilianis nulla est ad salutem, vt vides; omnes ad damnationem. Fit enim tantùm sortitio ad loca mœsta distribuenda, vt qui tantùm discat crimina ad punitionem. Non ille decernit, qui mittendi in Elysium, hoc enim Iouis est; sed ex puniendis quis cuique locus conueniat. An videlicet mittendi sint ad Tartarum ad perpetuam carnificinam, an retinendi in his quinque locis ad purgationem. His, quæ dixi, vides excludi vrnam Romanam, nam hæc tantùm deseruiit sortiendis iudicibus; & πρότερον Græcorum, nam hæc tota salutaris. Est ergo reliquum, vt ὕστερον retineat vates.

Crimē, quid sit.

Vrnę duæ in iudiciis Græcorum.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucémque perosi
Proiecêre animas. QVAM vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant, tristíque palus innabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfusa coercet.

ARGVMENTVM.

Sequuntur tertio loco, qui sibi per vim mortem attulerunt.

EXPLICATIO.

TErtium locum assignat illis, qui sibi manus vímque attulêre. Dicuntur hi *mœsti*, vt qui tædio vitæ sibi vim intulerint. Dicuntur *insontes*, ex doctrina gentilium, qui huiusmodi facinus leue esse putabant, imò laude dignum, vt apparet in Seneca impensè laudante Vticensem. Itaq; se interfecerunt, nulla scelerum conscientia, tantùm perosi vitam, præferentes scilicet mortem turpi fortasse seruituti, aut cuiuis malo alteri. Ergo *insontes*, qui tantùm *perosi lucem* suas *animas proiecêre*, quasi rem vilem, ait Budæus. Sequitur, O *quàm*, id est, quantum, *nunc vellent* illi, *in alto æthere*, id est, inter homines, in hac luce, in hac vita *perferre & pauperiem, & duros labores.* Sed nequeunt iam, quia *fata, palus, styx, obstant, alligat, coercet.* Nam palus quidem natari potest, non innatari, vt quæ irremeabilis, non hoc est, *innabilis.* Styx verò *nouies interfusa*, loca illa circumfluit.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. QVI SIBI LETHVM] Sunt hi, quos Græci vocant αὐτόχειρας, αὐθένατας, αὐθφόνους. Hanc rem Stoici dicebant ἐξαγωγὴν, quasi ἐξάγειν ἑαυτὸν, id est, se ex hac vita educere. De scelere eorum, qui se interficiunt, nihil hîc dico, cùm exstent luculenta aliorum opera, adhuc in Virgilium. Hîc ego non prætermittam vigilantiam Poëtæ. In regionibus inferni, quę sequuntur, nominat aliquos, qui ibi sunt: nec solùm nominat, sed etiam facit Æneam conferẽtem cum illis verba. Cur non ergo in hoc loco mentio aliqua de Catone Vticensi, qui apud gentiles magnam gloriam assecutus est, quòd se interfecerit? Abstinuit ab illo prudentissimè Virgilius, vt qui sciret fuisse hostem Cæsaris implacabilem. Si enim illata eius esset mentio, honesta hæc esse deberet: ne, si quid contra illum diceret, incurreret in odium Romanorum, quibus Vticensis fuit in admiratione, & honore. Ergo in hac difficultate aut lædendi Augusti, si laudaret Catonem; aut incurrendi in odium populi, si vituperaret, optimum fuit consilium, ab eius nomine abstinere.

Virgilij vigilantia.

2. PROIECERE ANIMAS] Fortasse ex Catull. qui de Nupt.

Ipse suum Theseus pro charis corpus Athenis
Proijcere optauit.

Simili forma sæpe Græci. Nam Aristot. 2. de Anim. ἀποβεβληκὸς τὴν ψυχήν. Euripides in Ione, ψυχὰν ἀπέβαλον. & in Rheso ψυχὴν προβάλλειν. Homerus. 9. Il. ψυχὴν παραβαλλόμενος. Plutarchus quoque ad verbum προϊέσθαι τὸν ἑαυτοῦ βίον. Integra habet German. Cedrenus, ἀποῤῥίψας τὸ πνεῦμα. Lucanus dixit:

——animas effundere viles.

Martialis pari indole, de his, qui se interficiunt, lib. 1. epig. 9. *facili sanguine.* Ouidius alio flexu:

Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.

Dignus est, qui in memoriam reuocetur mos ille, quem fuisse apud nonnullas gentes ex Egesippo, & Iosepho commeminit Lilius in lib. de vario sepeliendi ritu, vt videlicet dextera illius, qui se interfecisset, amputaretur priùs, quàm cadauer duceretur ad sepulturam: ne scilicet membrum, quod vesano furore in corpus sæuierat suum, cum eo pariter sepeliretur.

3. QVAM VELLENT, &c.] Vult Seruius allusum ad Homeri locum, vbi Achillis vmbra dicit, velle se libentiùs cuncta aduersa tolerare inter viuos, quàm inferis imperare. Locus, quem Seruius innuit, est Odyss. 11.

Βουλοίμην κ᾽ ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ᾽ ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν:

Vellem sanè rusticus esse, & mercede seruire alij
Viro inopi, cui nec victus sufficiens esset,
Quàm omnibus mortuis vita functis imperare.

Paria sunt verba Iphigeniæ apud Eurip.

Τὸ φῶς τόδ᾽ ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.
Τὰ νέρθε δ᾽ οὐδείς. μαίνεται δ᾽, ὃς εὔχεται
Θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.

Gratißimum est hominibus intueri hanc lucem.
Inferna nemo vult: insanit enim qui cupit
Mori. melius est malè viuere, quàm bene mori.

A Mecænatis votum repræsentat Seneca epist. 101.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Vides vt priùs pati velit formidanda omnia, quàm mori.

4. ÆTHERE IN ALTO] Tritum, & alibi à me probatum, mortales dici superos, terram istam cælum, cum relatione ad inferos.

5. INNABILIS] Probo hanc lectionem. Seruius agnoscit, *inamabilis.* Fortasse, quia *tristi vnda.*

B 6. ALLIGAT] De aquis quoque Stat. 2. Theb.

——quos Doricus alligat vndis
Isthmos.

Non absimili verbo Propertius lib. 4. eleg. vlt.

Damnatæ noctes, & vos, vada lenta, paludes,
Et quæcunque meos implicat vnda pedes.

Non absimili Horatius lib. 2. Od. 14. *compescit vnda,* Geryonem Tityónque.

7. NOVIES] Fingebatur hæc palus nouies inferna loca intercurrere. Sic de illa Statius 2. Theb.

—— nouem circumflua campis.

Sed quæ ratio? vel allusum ex mente Germani ad sacra Nouemdialia. Septem enim diebus seruabatur cadauer, octauo incendebatur, nono sepeliebatur.
C Itaque, sicuti peractis Nouemdialibus mortuus valere iam iubebatur: ita, qui nouies Styge coërcentur, irremeabiles iam putantur. Seruius aliter ἀμετρίας. Non placet. Cælius lib. 22. cap. 8. simpliciùs Poëtam capit, & nouenarium numerum pro qualibet multitudine positum putat, propter eius perfectionem, vt qui tres trinitates contineat. Idque ad Græcorum imitationem, nam sic Nicander duos habentem aculeos ἐννεάκεντρον vocauit. & de quodam genere scorpionum, quibus insunt septem spondyli, dixit, σπόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, quasi diceret πολύδεσμοι. Adducitque Eustathium, qui idem adnotat in enneade præconum apud Homerum 2. Il. & in nouem bellatoribus Hectori obiectis. Ego puto sententiam sumptam ex Platone, qui in Phædone distin-
D guens inferorum flumina, inducit quædam κύκλῳ περιελθόντα. & statim περιελιχθέντα περὶ τὴν γῆν ὥσπερ οἱ ὄφεις: *currentia in circulum, atque instar anguium sese in orbem replicantia.*

Nouenarius numerus pro quolibet.

8. STYX] Apparet Styx attributa fuisse locis inferis ex pestifera eius natura, quàm ita persequitur Pausanias lib. 8. *Mortifera illa quidem est, cùm homini, tum cuiuis alij animantium generi. Nam & capellæ sæpius aquæ eius potu exstinctæ sunt, quod ex interuallo temporis cognitum est. Accedit & aliud ad eius aquæ miracula: Vasa, & pocula omnia, siue vitrea, siue crystallina, siue murrhina, siue è lapide aut testa sint fictili; aquæ illius vi franguntur. Quin etiam ferrum, æs, plumbum, stannum, argentum, & electrum eâ aquâ infusâ soluuntur. Ipsum quo-*
E *que aurum, quod neque situ, neque rubigine deteri, & Lesbia poëtria testatur, & res ipsa indicio est, aquæ tamen huius virus non sustinet. Addit post pauca, Alexandrum Magnum non alio veneno interfectum fuisse, quàm aquâ Stygis, tametsi dicat, non hoc se pro comperto habere.*

Stygis aqua mortifera.

a Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
b Hic quos durus amor crudeli tabe peredit

Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit. curæ non ipsa in morte relinquunt.
[c] His Phædram, Procrinq; locis, mœstámque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit,
Euadnémque, & Pasiphaën: his Laodomia
It comes: & iuuenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rursus & in veterem fato reuoluta figuram.

ARGVMENTVM.

Sunt quarto loco, qui perierunt amore.

EXPLICATIO.

a QVartus locus assignatur his, qui amore victi, fato sunt functi. aitque, huic parti inferorum inditum nomen, *lugentes campi*, à luctu credo & lacrymis, quibus amatores contabescunt. Vt verò indicet, multos mortalium fuisse huius insaniæ participes, ait, locum ipsum, in quo erant, fuisse latissimum. Ideo disertim *campi*, & *fusi*, & *in omnem partem*.

b Omnia hic ἐκ τοῦ πρέποντος. Ideo *amor durus*, vt qui miseros amatores *peredit crudeli tabe*. Ideo illos *secreti celant calles*, vt qui pudibundi flagitiorum suorum recordatione; vt qui clanculum, & occultè peccant, ex vitij huius natura. Ideo illos *myrtea sylua circum tegit*, vt qui sunt asseclæ Veneris, cui hæc arbor sacra. Ideo *curæ non ipsa in morte relinquunt*, nam hoc vitium pertinaciter hæret, & difficilè expugnatur, ac vix vincitur: est enim potentissimus animorum tyrannus. Verum est, istud referri ad aliud posse: credebant enim veteres idem studium mortuos comitari, quod viuis fuisset.

c Narrat quas ibi fœminas Æneas viderit. Attingam hîc fabulas, nihil de illis in Notis dicturus. Phædra perditè amauit priuignum Hippolytum: res satis nota Tragicis. Procris filia fuit Pandionis. Hæc coniugi Cephalo fidem quodammodo fregit. Nam hic tectus aliena forma, Procridis pudicitiam attentauit, parúmque constantem reperit. Lege Hyginum cap. 189. Apollod. lib. 3. Ouidium 7. Metam. Eriphyles fabula diuersè à multis narratur. Lege Hyginum cap. 73. Ego hîc Eustathium sequar. Fuit hæc Talai filia, fratris Adrasti. Duxit illam in vxorem Amphiaraus. Cúmque dissiderent Adrastus & Amphiaraus, conuenit inter illos, vt in rebus dubiis iudicio Eriphyles acquiescerent. Ergo, cùm Adrastus expeditionem in Thebas pro Polynice pararet, dissiderétque Amphiaraus, vt qui nollet eò ire, Eriphyle iudicauit pro Adrasto, corrupta ab eo monili aureo. Amphiaraus, abiens ad bellum, mandat filio Alcmæoni (hunc Alcmanem vocat Pindarus) vt cùm audiret se interfectum, ipse matrem interficeret. Fecit hoc Alcmæon. Ergo, ait Poëta, mœsta Eriphyle monstrabat vulnera accepta ab nato Alcmæone. Cùm verò Poëta illam adscribat numero impudicarum fœminarum, credibile est, non tam ob acceptum aurum, quàm quòd Adrastum amasset, relicta fide coniugis. Lege de Eriphyle etiam Athenæum lib. 6. Pausaniam, in Arcadicis; Ciceronem, 4. in Verrem; Plutarchum, de sera vind. poëtas omnes. Nemo fere est, qui non eius meminerit. Procedo. Erant etiam ibi Euadne, Pasiphaë, Laodomia, Cæneus. Euadne fuit vxor Capanei, quæ virum ita deperiit, vt eius ad Thebas morte nuntiata, se in eundem rogum coniecerit. Adi Philostratum in Heroicis, vbi in his quoque locis constituit Euadnem, & Alcestidem, probásque alias. Pasi-

A phaë cum Minotauro concubuit, neglecta viri Minois fide. Laodomia ita Protesilaum interfectum ad Troiam, amauit, vt inter complexus vmbræ, quam se mariti putauit videre, misere perierit. Lege Hyginum cap. 103. & 104. & Catullum eleg. ad Mallium. Fuit altera Laodomia filia Bellerophontis, ex qua Iuppiter tulit Sarpedonem Regem Lyciorum, qui interfuit Troiano bello. Sed de priore Virgilium capit Seruius. Restat Cæneus. Fuit primùm Cænis virgo, compressa à Neptuno: meruit pro stupro sexus mutationem, & factus est Cæneus: mox in fœminam rediit, & facta est Cænis. Ergo ait Poëta, quæ quondam fuit iuuenis, nunc est fœmina, quia reuoluta in veterem figuram. Supponit itaque priùs fuisse fœminam. Est
B de Cæneo locus apud Platonem lib. 12. Leg. Addit Apollonij interpres 1. Argo. huic fœminæ concessam etiam à Neptuno ἀτρωσίαν, id est, vt esset inuulnerabilis. Non potui has fabulas contrahere in breuiores cancellos. Nota in hac regione cõstitutas tam impudicas quàm pudicas fœminas. Impudicæ fuerunt Phædra, Procris, Eriphyle, Pasiphaë, Cænis: pudicæ, Euadne, Laodomia.

NOTÆ.

1. LVGENTES CAMPI] Loquitur Maro ex doctrina, qua putabant veteres, Cocytum lugentium fletu & lacrymis increscere. Inde campi iuxta Cocyti ripam *lugentes* dicti. Claudianus 1. Rapt. *Lugentes campi iuxta Cocytum.*
C alludens ad hanc rem, dixit,

—presso lacrymarum fonte resedit
Cocytus.

& lib. 2. in Ruff.

Est locus infaustis, quo conciliantur in vnum
Cocytus Phlegethónque, vadis inamœnus vterque
Alueus, hic voluit lacrymas, hic igne redundat.

Silius lib. 13.

Vltimus erumpit lacrymarum fontibus amnis,
Ante aulam, atque aditus, & inexorabile limen.

Inde hic fluuius dictus Cocytus παρὰ τὸ κωκύω, & κωκύζω, id est, lugeo. Firmat hanc rem contraria sententia. Pindarus enim apud Plutarchum, in tractatu, an
D rectè dictum sit, λάθε βιώσας, vbi describit sedes beatorum, inter alia ait: πεδίον καὶ ποταμοί τινες ἄκλαυστοι καὶ λεῖοι διαῤῥέουσι: *Campum perfluunt fluuij quidam fletus ignari ac leaues.* Ab eodem in opere de orbe Lunæ inducuntur animæ in his locis ὀδυρόμεναι, *lamentantes.*

2. HIC QVOS DVRVS AMOR] Ex imitatione Homeri, qui amantibus peculiarem locum assignat in inferno. 11. Odyss.

Νύμφαι τ', ἠΐθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες,
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι:
Sponsæq., iuuenesq., & multa passi senes,
Virgunculæq. tenellæ nouo luctũ affectum animum habentes.

3. TABE] De amore quoque Propertius libr. 1. eleg. 15. *Tabes de amore.*

Hypsipyle

Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Æmonio tabuit hospitio.

& lib.3.eleg.6.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Necnon Ouidius lib.3.Metam.nam loquens de Narcisso,ita ait:

Ecquid cùm vestra tot agantur secula vita,
Qui sic tabuerit,longo meministis in æuo.

4. PEREDIT]De amore,vt in 4.

—est mollis flamma medullas.

Meretrices olim in angiportis.

5. SECRETI CELANT CALLES]Sunt qui putent allusum ad cellulas meretricularum,quæ erant in angustis locis,& secretis vrbium,& in angiportubus,ac fornicibus. Horatius certè lib.1.Sat.2.in fornice illas constituit, vt etiam Seneca lib.de Vita Beat.c.7.constituit domicilium voluptatis inter fornices & popinas, inducitque illam *latitantem*, *tenebras captantem*, *circa balnea,ac sudatoria,ac loca ædilem metuentia*.Et huius patet lib.1. Controu. *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* Aristides etiam oratione de non agendis comœdiis collocat γύναια, id est, *mulierculas*, ἐν τοῖς στενωποῖς, *in angiportis*. Scholiast. Aristoph.in Irena,in eo loco; quò solent confluere nauicularij. Horatius lib. 1. Od.25.

Inuicem mœchos anus arrogantes
Flebis, in solo leuis angiportu.

Et locis sordidis.

Loca sordida meretricum ita persequitur Plautus in Pœnulo.Scen.Negoti,

—an ibi vis inter istas versarier
Prosedas,pistorum amicas,reliquias,alicarias,
Miseras,cœno delibutas,seruilicolas sordidas.
Quæ tibi olant stabulum,statumq;,& sellam,& sessibulum merum.
Quas adeo haud quisquam vnquam liber tetigit, neque duxit domum
Seruulorum sordidulorum scorta diobolaria.

Prosedæ.

Vocat eas *prosedas*, quòd (explicatore Festo) sedeant ante stabula.eadem ratione dicuntur *prostibula*.vocat

Alicariæ meretrices.

alicarias, quòd (eodem interprete) ante pistrina alicariorum versarentur in Campania, quæstus gratia. Reliqua clara sunt in Plauto. Ab his locis non abeunt semitæ,in quibus fuisse meretrices liquidum ex Seneca lib.6.de Benefic. nam mœchos *semitarios* appellat. Cum semitis annexa quadriuia. Catullus enim, qui proculdubio Horatius hæsit, de Lesbia ita ait:

Nunc in quadriuijs & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Meretrices sepulcrales.

Quin idē Catullus Ruffæ meretriculæ enormius adhuc domicilium dat;ait enim illam solitam versari in sepulcretis, vt raperet cœnam de rogo, quem in locum silent interpretes.Sed illustro ex Scholiaste Aristophanis in Equitib.qui ad ea verba, εἰς κεραμεικὸν, ait, fuisse duos Athenis Ceramicos; vnum, vbi erant se-

Ceramicus duplex Athenis.

pulcra bello occisorum; alterum, vbi ἵσταν τε καὶ προεστήκεσαν αἱ πόρναι:*erant & prostabant meretrices.* Sed,eò impudētiæ peruentum adhuc, vt sæpissime in publicis viis essent, copiam sui facientes viatoriis. Lege, quæ de corruptis Babyloniorum moribus diligentissimè Christophorus Castro è nostra societate scripsit in cap.6. Baruch. numer. 10. & quæ de moribus Cypriorum Iustinus lib. 18. vbi ait, turpem quæstum

A fieri solitum ad maris littus. Ex hac nota habes loca πόρναις destinata, fuisse admodum sordida. Vnæ (quod sciam)Corinthiacæ habitæ digno loco, videlicet in templo Veneris: ibi enim prostabant,quod ex Strabone commeminit Scholiastes Aristophanis in Pluto. Inde illæ in tantam arrogantiam peruenerunt, quantam quisque facilè intelliget ex celebrata historia Demosthenis, & Laidis Corinthiacæ. Aliquid simile cum Corinthiacis commeminit Herodotus lib. 2. apud quem multi barbari μίσγονται ἐν ἱροῖσι,*coeunt in templis*. Ægyptios ille & Græcos excipit. Horatius Od. 11.lib.2. nobile scortum videtur intellexisse, appellans,*deuium*, quasi non semitarium. Nisi quis contrà explicet infame, quia cellulæ meretricum in secretis locis.

Meretrices in templo Veneris.

B 6. MYRTEA]Tibull.lib.1.eleg.3.loquens de ea parte inferorum, vbi sunt amantes:

Illic est cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.

Sunt, qui hîc referant mentionem myrti ad αἰδοῖον γυναικεῖον, τοῦτο γὰρ μόριον Ἕλληνες καλοῦσι μύρτον. & vnus præsertim Aristophanes, vt est in his vocibus efferendis satis impudens. Simpliciùs capias, vt iam explicui.Quia enim myrtus sacra Veneri, ideo amantium sylua myrtea est. Porrò Murtiæ Veneris Liuius meminit lib.1.Dicta verò Murtia quasi Myrtea,explicatore Plutarcho ἐν Ῥωμ. & Plinio lib.15. cap.29. Subiicio verba Plutarchi : ἣν νῦν Μυρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσιν, Μυρτίαν τὸ παλαιὸν, ὡς ἔοικεν, ὠνόμαζον: Plinij pro explicatione esse possunt : *Quin & ara vetus fuit Veneri*

Venus Murtia.

C *Myrteæ, quam Murtiam vocant.* Cæterùm credibile est, Poëtam instituisse loco Aristophanis,apud quem Hercules memorans plausus & choreas mulierum ac virorum qui sunt in aditu inferorum, eos dicit esse apud myrteta. Versus sunt, Καὶ μυρρινῶνας, καὶ θιάσους εὐδαίμονας Ἀνδρῶν, γυναικῶν, καὶ κρότον χειρῶν πολύν. *Et myrteta & choreas felices virorum & mulierum,& multum plausum manuum.* habentur hi versus apud Stob. ὅτι κάλλιστον ὁ γάμ.

Amantium curæ.

7. CVRÆ NON IPSA IN MORTE RELINQVVNT]Est hoc,quod Propertius lib.1.eleg.19.de re alia:

Traijcit & fati littora magnus amor.

ibidem:

D *Non adeo leuiter nostris puer hæsit ocellis,*
Vt meus oblito puluis amore vacet.

Quod Tibull.lib.4.

Nulla mihi statuent finem te fata canendi.

Sed hoc alibi negat idem Propertius, cùm ait lib. 1. eleg.17. curas amatorum vnà cum corpore sepeliri. Verba eius:

Illic siqua meum sepelirent fata dolorem.

Sed Poëta omnino videtur reddidisse illud Theocr. εἰδ. —κεἰν Ἀΐδα κακὸν ἕσσεται ἄλγος ἔρωτος:

—& apud inferos etiam erit dolor amoris.

8. HIS PHÆDRAM PROCRINQVE,&c.]Versus Homeri,

Φαίδρην τε, Πρόκριν τε ἴδον, καλήν τ' Ἀριάδνην.

& post pauca.

Μαῖράν τε, Κλυμένην τε ἴδον, στυγερήν τ' Ἐριφύλην.

Ex vtroque versum suum compegit Maro, primi extrema,extremi prima amputando.

[a] Inter quas Phœnissa recens à vulnere Dido,
Errabat sylua in magna. [b] quam Troïus Heros
Vt primùm iuxta stetit,agnouitque per vmbram
Obscuram,(QVALEM primo qui surgere mense,
Aut videt,aut vidisse putat per nubila lunam)

Demisit lacrymas,dulciq; affatus amore est.
[c] Infelix Dido,VERVS mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam,ferroq; extrema secutam?
Funeris,heu,tibi causa fui.per sidera iuro,
Per Superos,& si qua fides tellure sub ima est,
Inuitus Regina tuo de littore cessi.
Sed me iussa Deûm,quæ nunc has ire per vmbras,
Per loca senta situ cogunt,noctemq; profundam,
Imperiis egêre suis: NEC CREDERE quiui,
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
[d] Siste gradum, teq; aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? EXTREMVM fato,quod te alloquor, hoc est.

ARGVMENTVM.

Agnoscit Æneas Didonem inter hanc turbam,loquitur ad illam,excusans profectionem suam à Carthagine.

EXPLICATIO.

[a] ERat inter reliquas Dido,vt quæ ita perditè Æneam amasset, vt se, propter illius discessum, interfecisset. De hac longiorem protrahit sermonem, vt quæ magna sit pars huius heroici operis, ex libera fictione Poëtæ;nam Æneas Didonem nunquã agnouit. Inducit hanc errantem,vt sui insciam,vt cogitabundam de præterito facto , vt nouam incolam, vt mœstissimam in illis locis. Non placet hîc Seruius in ambiguitate illa, quam constituit circulorum. Errat verò *in magna sylua*, ἐκ τοῦ πρέποντος,magnæ enim Reginæ magna sylua assignatur, vbi spatietur. *Recens à vulnere* valet ,recens nouáque in illis locis post acceptum vulnus,quo interiit.

[b] Hanc vt Æneas agnouit(neque verò priùs agnouit propter obscuram vmbram, quàm iuxta illam stetit) cœpit statim flere, lacrymis sponte cadentibus , nam hoc est, *demisit lacrymas*:cœpit etiam dulcissimè illam affari.Parenthesis continet comparationem sumptam ab imagine nouæ lunæ per nubes leuiter sublucentis. Cùm enim noua est luna,vix lucet:quid si tunc abdita intra nubila? Eodem(inquit)modo vix mihi agnita est Dido. Ideo illud, *aut videt, aut vidisse putat*,exprimens incertitudinem videntis hæsitantísque in eo, quod videt.Intelligit verò per *primum mensem*, mensis cuiusque initium, Græcorum more (ait Brodæus lib.1. c.26.)qui à noua luna mensem auspicabantur.Nescio quî hîc aliqui capiant lunam plenam.

[c] Sequitur oratio Æneæ ad Didonem,quæ eò destinatur,vt discessum suum ab Africa excuset,& hũc ex necessitate:cõfert enim rem totam in Deorum imperium.Immisti sunt varij affectus à dolore,à miseratione,ab amore. Vice exordij est compellatio illa *infelix Dido*,plena doloris,& conquestionis.Pergit.*verus mihi nuncius*,&c. Vix crediderain,tantùm in te dolorem potuisse,vt *extrema*,quod horrent aures,sequerere,idque *ferro*. Quis ita alienus à mente, vt vitam oderit, mortem amet , etiam per ferrum:qua re quid dirius? Sed *heu* me miserum,ego ipse *tibi fui causa funeris*, qui priùs fueram voluptatis. Confitetur factum , scilicet deseruisse illam.Sed *cessi* nolens,& *inuitus*. Testes mihi *sidera,superi,inferni etiam,si qua hîc fides*.Quare inuitus, quia *me iussa Deûm egêre imperijs suis*. Vis scire an hæc potẽtissima? Hæc eadem *cogunt me nunc ire per vmbras, per loca* horrida,*per noctẽ profundam*.Quæ maiora quæris argumenta? Sequitur.*Nec credere quiui*,&c. Est hæc

A altera satisfactio ab imprudentia. Quo mihi videtur Æneas adblandiri admodum Didoni, quasi Carthagine cessurus non fuisset,etiam Diis iubentibus, si sciret Didonis interitum inde conflandum.

[d] Diuina hæc sunt ex collatione. in 4. Æneas fugit, Didone moras flagitante:hîc contra fit.Dido ibi cum mira emphasi,*Méne fugis*? Cum eadẽ hîc Æneas, *Quem fugis?* & peramicè hortatur,*Siste gradum*. Illud, *téque aspectu ne subtrahe nostro* est, ne te subtrahe à nostro aspectu.vel,ne te subtrahe nostro aspectui. Absoluit: *extremum fato quod te alloquor, hoc est*. Vel quia nunquam aliàs viuens ipse locuturus cum ea,vel quia neque mortuus.Nam videlicet ipsa mortua inter amantes erat;ipse mortuus,iturus est in loca alia,vbi fortes,

B & militares viri.

NOTÆ.

1. ERRABAT SYLVA,&c.] Totus hic locus conflatus est ex Homero , Odyss. 11. vbi animam Aiacis inducit seorsim ab aliis in inferno vagantem.Id liquidum conferenti loca.Ibi de Aiace,

Οἴη δ' Αἴαντος ψυχὴ Τελαμωνιάδαο
Νόσφιν ἀφεστήκει.
Sola autem Aiacis anima Telamonida
Longè absistebat.

Hîc de Didone,

Errabat sylua in magna.

Ibi Vlysses,qui causa mortis Aiacis,

C Τὸν μὲν ἐγὼν ἐπέεσσι προσηύδων μειλιχίοισιν,
Illum quidem ego verbis alloquebar mollibus.

Hîc Æneas,qui causa etiam mortis Didonis,

Demisit lacrymas,dulciq; affatus amore est.

quibus reddit ἐπέεσσι μειλιχίοισι. Ibi oratio Vlyssis incipit ab nomine Aiacis,αἶαν, &c. Hîc quoque *infelix Dido*. Ibi Vlysses se purgat conferens culpam in Iouem, οὐδέ τις ἄλλος Αἴτιος,*Nemo est in culpa*, ἀλλὰ Ζεὺς Δαναῶν στρατὸν αἰχμητάων Ἐκπάγλως ἤχθηρε : *sed Iuppiter Græcorum exercitum fortium horrendè odit.* Qui sanè Deus tibi μοῖραν ἐπέθηκε , *mortem obtulit , fatum imposuit*.Hîc,

Inuitus Regina tuo de littore cessi.
Sed me iussa Deum,&c.

Ibi Vlysses.

D Ἀλλ' ἄγε δεῦρο ἄναξ,ἵν' ἔπος καὶ μῦθον ἀκούσῃς
Ἡμέτερον:
Sed age,huc veni Rex, vt verbum & orationem audias
Nostram.

Hîc,

Siste gradum,teq; aspectu ne subtrahe nostro.

Ibi Aiax οὐδὲν ἀμείβετο , *Nihil respondit*. sed βῆ μετ' ἄλλας ψυχὰς εἰς ἔρεβος , *abijt ad alias animas in Erebum.*

Hîc

Hic Dido nihil loquitur: tantùm:

Illa solo fixos oculos auersa tenebat.

donec,

——proripuit sese, atque inimica refugit,

videlicet *in nemus vmbriferum*, vt ille εἰς ἔρεβος, & ad Sichæum suum, vt ille μετ' ἄλλας ψυχάς. Volui tibi ex studio imitationem hanc proponere, vt scias quî tibi Græci imitandi. Porro victoriam Virgilij esse negabit nemo. Græca enim oratio nuda est, Latina vestita affectibus. Græcus cum mendacio, οὐδέ τις ἄλλος αἴτιος. Latinus verissimè, *Funeris, heu, tibi causa fui.* Græcus suum Iouem pessumdat, conferens in illum culpam. Latinus etiamsi hoc idem faciat, sed longè alio prætextu. Coëgerunt me iussa Deûm sequi Italiam. quasi Dij hoc primum vellent, & per se, vt aiunt logici; non cædem Didonis.

Virgilius superat Homerum.

2. OBSCVRAM] Contemno hîc nescio quæ quorumdam interpretum inuolucra, & mythologicas narrationes.

3. AVT VIDET, AVT VIDISSE PVTAT] Apertissima imitatio Apollonij lib. 4. Arg. quam alij iam viderunt:

——ἀτὰρ τότε γ' Ἡρακλῆα
Μοῦνον ἀπειρεσίης τηλοῦ χθονὸς εἴσατο Λυγκεὺς
Τὼς ἰδέειν, ὥς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι μήνην,
Ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.

——sed tunc Herculem
Solum immensa procul à terra videbatur Lynceus
Sic videre, quemadmodum aliquis nouo in die lunam
Aut videt, aut videtur obscuram videre.

4. SI QVA FIDES] Fortasse innuit, nullum iusiurandum datum mortalibus per rem infernam, quod habiturum sit fidem & exitum: cùm tantùm Diis concedatur iurare per Stygem iuramento firmo. Adi interpretes qui variè.

5. TELLVRE SVB IMA] Vide quibus modis eandem rem nominet. Hic *tellure ima*. in 12. *vim infernam.* & *Ditis sacraria*. In hoc libro, *telluris operta. Domos vacuas. Regna inania. Loca senta situ. Loca silentia.*

6. INVITVS REGINA, &c.] Versus pene Catulli de coma Berenic.

Inuita ô Regina tuo de vertice cessi.

Sed Virgilij comptior.

7. SED ME IVSSA DEVM, &c.] Quid hîc lateat, vidit credo nemo. Sciunt omnes, amantium iuramenta nulla esse, potiùs esse periuria. Inde Tibullus lib. 3. eleg. 7.

Iuramenta amantium nulla.

Et si pérque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonemq; suam, perq; suam Venerem;
Nulla fides inerit, periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet.

Idem lib. 1. eleg. 4.

Nec iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.
Gratia magna Ioui. vetuit pater ipse valere
Iurasset cupidè quicquid ineptus amor.

Ac ne immorer in re clara; vide diligentem operam Achillis Statij in extremum hunc Tibulli locum, & adiunge Horatium lib. 2. Od. 8. atque etiam locum Platonis in conuiuio, quem ille non aduocat, ὃ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοί, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ συγγνώμη παρὰ θεῶν ἐκβάντι τῶν ὅρκων. Ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι· οὕτω καὶ οἱ θεοὶ, καὶ οἱ ἄνθρωποι, πᾶσαν ἐξουσίαν πεποιήκασι τῷ ἐρῶντι, ὡς ὁ νόμος φησὶν ὁ ἐνθάδε: *Quod autem maximum est, & vulgo fertur, Dij veniam dant solis amatorijs periurijs. Venereum quippe iusiurandum nihil valere aiunt. Itaque tam Dij quàm homines omnem amanti licentiam præstiterunt, vt lex nostra testatur.* Vide etiam doctissimum Schottum ad lib. 2. Controu. Senecæ ad illud, *Mentitus hic est, sollemne est amantibus.* Ad rem. cùm iuramenta hæc nullius essent ponderis, qui cautiores erant, petebant non solùm sibi iurari, sed etiam satisfieri. Apud Plautum in Amphyt. Alcmena vtrunque postulat his verbis:

Satisfactio.

Durare nequeo in ædibus: ita me probri,
Stupri, dedecoris à viro argutam meo?

& postea:

Ne ædepolfaciam, neque me perpetiar probri
Falsò insimulatam: quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi, atque adiuret insuper,
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.

Mox Iuppiter, qui se Amphytruonem assimulauerat, vtrunque præstat. Primo satisfacit his,

Per dextram tuam te, Alcmena, oro, obsecro,
Da mihi hanc veniam, ignosce, irata ne sies.

Deinde addit iusiurandum, ita:

Mane, arbitratu tuo iusiurandum dabo,
Me meam pudicam esse vxorem arbitrarier,
Id ego si fallo, &c.

His contenta Alcmena conquiescit in ædibus. Sannio etiam apud Terentium in Adelphis act. 2. vtrunque hoc genus purgationis attingit, cùm ait:

Noui ego vestra hæc: nollem factum, dabitur iusiurandum, esse te
Indignum iniuria hac.

vbi, *nollem factum*, satisfactorium est. Martialis lib. 7. (etiam si recedam ab amatoribus) iurare non vult, tantùm satisfacere:

Nil in te scripsi Bithynice. credere non vis,
Et iurare iubes, malo satisfacere.

Inde explicandus locus Suetonij in Claudio cap. 38. vbi Claudius veniam dat Ostiēsibus, qui sibi subeunti Tiberim obuiam scaphas non miserant, illis exceptis, qui non satisfecerant. Sic enim accipio verba illa, *tantum non satisfacientibus veniam dedit.* Non, vt alij explicant, *tantum non*, id est, fere. Iam tandem ad Poëtam. Præcessit iuramentum illud Æneæ:

——per sidera iuro,
Per Superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Inuitus Regina tuo de littore cessi.

Vult efficaciùs vrgere, & addit satisfactionem, hunc in modum: *Sed me iussa Deûm, &c.* perinde, ac si dicat, Nollem factum, Dij me coëgerunt, si scirem Dido, mortem tibi ex discessu meo obuenturam, non abirem, etiam Diis iubentibus, non credidi tantum malum. Porro de satisfactione, qui multa volet, legat Briss. lib. 8. form. Nam ego hîc tantùm de illa, quæ ad amantes pertinet, necessaria ad illustrationem Virgilij addo, & explicationem.

8. SENTA SITV] Sentis est spina: inde sentum, & senticosum; spinosum, horridum, & incultum. Vtique ἀκανθῶδες. Situs autem est, squallor ille, qui, vt plurimum, vetustate contrahitur. Loca ergo *senta situ* erūt, squallore obsita, atque horrida, qualiaque describit Seneca in Furente loquens de infernis locis:

Situs.

Et fœda tellus torpet æterna situ.

& iterum:

Immotus aër hæret, & pigro sedet
Nox atra mundo, cuncta mærore horrida,
Ipsaq; morte peior est mortis locus.

9. NEC CREDERE QVIVI, &c.] Locus, vt apparet, sumptus ex Calab. lib. 5. apud quem Vlysses purgans se de morte Aiacis, ita ait:

Ἠ

Εἰ γάρ μοι κέαρ ἔνδον ἐνὶ στέρνοισιν ἐώλπη
Κεῖνον ἀλαστήσειν καθ' ἑὸν νόον· οὔτ' ἂν ἔγωγε
Ἦλθον ἐειδμαίνων νίκης ὕπερ:
Etenim si mihi cor intus in pectoribus sperasset,
Ipsum id ægre laturum.sua mente.non equidem ego
Venissem concertaturus de victoria.

10. SISTE GRADVM] Est hoc quod Aristophanes in Pluto. στῆθ', ἀντιβολῶ σε, στῆθι:*siste, obsecro te,siste.* Est etiam locus in Lysistrata eiusdem huic similis.

Τί μοι μεταστρέφεσθε; ποῖ βαδίζετε;
Quid nunc abitis,quídve vultum auertitis?

11. ALLOQVOR] Non dubito, quin in hunc locum A aptari possit eruditio Mureti lib. 2. cap.4. de vi verbi huius *alloquor*, & *allocutione*. Nam sermo Æneæ in hoc loco totus est παραμυθικὸς, καὶ παρηγορικὸς, id est, *consolatorius*, vult enim leuare Didonem à mœstitia, & curis, in quibus erat. Nam postea clarissimè, *Lenibat dictis animum*. Exemplis Mureti adiungo Senecam, qui ad Marciam cap. 1. *fatigatæ allocutiones amicorum*, id est, παραμυθίαι: & ad Heluiam: *Quid quòd nouis verbis, nec ex vulgari & quotidiana sumptis allocutione, opus erat homini ad consolandos suos, &c.* Et Pollucem, qui inter verba blanditiarum, & salutationis, adhibet πρόσρησιν, & προσηγορίαν. Allocutio.

[a] Talibus Æneas ardentem & torua tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymasq; ciebat.
Illa solo fixos oculos auersa tenebat:
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.
[b] Tantùm proripuit sese, atque inimica refugit
In nemus vmbriferum: coniux vbi pristinus illi
Respondet curis, æquatq; Sichæus amorem.
[c] Nec minùs Æneas casu percussus iniquo
Prosequitur lacrymans longè, & miseratus euntem est.

ARGVMENTVM.

Nihil Dido audit, ab eo fugit, pergit ad Sichæum.

EXPLICATIO.

[a] Totus hic locus, vt viuidè intelligatur, pendet ab his, quæ dicta 4. Æn. Cùm enim magnus vbique sit Poëta, tum maximus in hac vicissitudine Didonis, & Æneæ. Æneas hîc lacrymatur, dictis lenit animum Didonis: illa ardens est præ iracundia, toruè illum intuetur, auertit se fixis in solo oculis. In 4. contrà Dido, it in lacrymas, cogitur tẽtare & precari, animos amori summittit: Æneas tamẽ nullis fletibus mouetur, nullas voces intractabilis audit: atque adeo, qui siccis oculis flentem Didonem viderat, iam accipit compensationem suæ obstinationis. Hîc Dido ad preces Æneæ silici comparatur, aut cauti Marpesiæ: ibi Æneas ad preces Didonis, annosæ quercui, quæ frustra tunditur Alpinis flatibus Boreæ. Hîc se Dido proripit, ibi Æneas fugit. Ac ne te morer, tu reliqua κατ' λεπτὸν. Expendi, & explicui. *Tuentem torua* est, tuentem toruè, vel, κατὰ torua. *Lenibat*, pro leniebat; vt polibat, pro poliebat, Seruius. *ciebat lacrymas* suas, nõ alienas, id est, voluebat, fundebátque. *Mouetur vultum sermone*, est Græca constructio, quam alibi firmo. vocula *stet* notat scopulum.

[b] Persistit Dido in ira, proripit se, pergit ad nemus *vmbriferum*, id est, vmbrosum, vbi primus coniux Sichæus respondens illius curis, æquat eius amores. In vocibus coniunctis *inimica refugit*, esse potest notula non ingrata, quæ est *inimica* Æneæ, *refugit* ad confugium Sichæi. Deinde, ipsa nihil respondens Æneæ, it ad Sichæum respondentem sibi.

[c] Hîc expendens, vt soleo, Poëtam, dabo notã Scaligeri è lib.3.Poët.c.12. Facit Æneam suum Poëta commotũ affectúmque alienis miseriis, nam is est primus limes pietatis. Iam *turbatum* infert, iam *perculsum*, vt hoc loco sæpe *gemitum* dat, & hunc *ab imo pectore*. Postremo etiam lacrymas, multis in locis. Flet enim Palinurum, Pallantem, ciues suos, discedens è Sicilia. vbi verò apud inferos sui causa exstinctam resciuit Didonem, lacrymas fundit. Quin etiam abeunte illa, atque B auersante, non solùm lacrymatur, sed & prosequitur eam, & longè, & miseratur. Sic fermè Scal. Neque verò caret lepôre Æneam percuti *casu iniquo* erga illam, quæ habet alium, qui *æquat* eius amorem.

NOTÆ.

1. ILLA SOLO FIXOS, &c.] Eundem iræ habitum dat Horatius Regulo lib.3.Od.5.
Toruus humi posuisse vultum.
& Virgilius Palladi lib.1. Ex his, quæ ibi dico, potest locus iste illustrari in 4. quoque Æn. aliquid est de intuitione illorum, qui alios odio habẽt: inde quoque ad hunc locum petatur. Sed hîc non omittam elegantem Plinij locum lib.11.cap.37. *In oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, conniuent: hos cùm osculamur, animum ipsum videmur attingere.* Adeo in C oculis apparent affectuum omnium indicia.

2. NEC MAGIS, &c.] Harum particularum coniunctionem *magis, quàm si. minus, quàm si. nihilominus, quàm si. nihiloplus, quàm si*, vt plenas veteris elegantiæ & obseruat, & exemplis probat Godescalcus lib. de ling. Latin.

3. QVAM SI DVRA SILEX, &c.] Hic locus imitationis est. Euripides in Medea:

—ὡς δὲ πέτρος, ἢ θαλάσσιος
Κλύδων ἀκούει.
—*sed vt petra, vel æquoreus*
Fluctus audit.

Apud eundem Menelaus in Andromacha, vt sese inexorabilem esse ostendat, ait: Comparationes sumptæ à rupibus.

D
Τί με προσπίτνεις, ἁλίαν πέτραν,
Ἢ κῦμα, λιταῖς ὡς ἱκετεύων.
Quid mihi accidis, veluti marinam rupem,
Aut fluctus precibus supplicans.

Statius 5.Theb.

Illa velut rupes immoto saxea visu
Hæret.

Hic credo Homero institit, nam de oculis, Odyss.19.

Ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος:

Erant

Erant illi oculi cornei aut ferrei. A

de Sinone Calaber lib. 12.

——ὃς δ' ἔμπεδον ἠΰτε πέτρη Μίμνεν:

——hic autem instar rupis Permanet.

De sancto Cypriano Nazianzenus orat. 18. ait, propulsasse illum omnes impetus, *ὥσπερ τις πέτρα παράλιος κυμάτων ἐπιδρομάς: vt marinus scopulus incursiones fluctuum.* Sed redeo ad Latinos. Ouidius 2. Met.

Quæ pater haud aliter, quàm cautes murmura ponti
Excipit.

Seneca quoque in Hippol.

Vt dura cautes, vndique intractabilis
Resistit vndis, & lacessentes aquas
Longè remittit; verba sic spernit mea.

Sed in ista locorum coniunctione audiendus iterum Virgilius, qui 7. Æn. de Latino ita ait:

Ille, velut pelagi rupes immota resistit:
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circum latrantibus vndis
Mole tenet: scopuli nequicquam, & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Iosephus Macchabæorum martyrum constantiam in perferendis tormentis comparat cum turribus.

4. MARPESIA CAVTES] Marpesus mons est in Paro insula, ex nota Seruij. Iordanus tamen de rebus Gothicis, vbi loquitur de Amazonibus, & signatè de Marpesia earum regina, ita ait: *ad Caucasum venit, ibique certum tempus demorans, loco nomen dedit saxum Marpesiæ, vnde Virgilius,* Marpesus.

Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Arnobius lib. 2. *cautem Marpesiam* sumpsit prouerbialiter.

5. REFVGIT] Terent. ἑαυτ. *tuum conspectum fugitat.*

[a] Inde datum molitur iter, iamque arua tenebant
Vltima, quæ bello clari secreta frequentant.
[b] Hîc illi occurrit Tydeus: hîc inclytus armis
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.
[c] Hîc multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens,
Ingemuit, Glaucúmque, Medontaque, Thersilochumque:
Tres Antenoridas: Cererique sacrum Polybœten:
Idæumque etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra læuáque frequentes.
Nec vidisse semel satis est. iuuat vsque morari,
Et conferre gradum, & veniendi discere causas.

ARGVMENTVM.

Transit ad quintam regionem, vbi viri bello clari. Occurrunt illi Græci & Troiani commistim.

EXPLICATIO.

a ATtribuit quintum & vltimum circulum viris fortibus, & bello claris. Ergo *molitur* (quasi semper per nouas difficultates irrumpat) *iter datum* fatorum præscripto. Nota varietatem Poëtæ, condientis omnia ad gustum. Ab illis, qui molles in amando, transit ad bellicosos & fortes. Quæ res, vt longè inter se distant, ita magis lectorem afficiunt.

b Priore loco numerat Græcos, quos vidit. Hi sunt Tydeus, Parthenopæus, Adrastus. Primum sine elogio adducit, vt satis claritudine sua notum, fuit enim pater Diomedis. Secundum, & tertium condit solida varietate, vt tu afficiaris, cùm de vno legis armorum elogiū, de alio pallorē, qui comes semper timiditatis.

c Posteriore, Troianos, vbi magni affectus, vt par est, cum notis & amicis. Erāt itaque hîc *Dardanidæ multùm* iam *fleti*, alludit quippe ad mortuorum lacrymas & lamentationes. & *fleti* quidem *ad superos*, id est, viuos, qui comparatione inferorum superi sunt. Dicuntur hi *bello caduci*, vt qui in Troiano bello ceciderint. Hos *ille cernens longo ordine, ingemuit*. Nota affectum. visis ducibus ingemit, qui nuper visa Didone lacrymabatur. omnia ex decoro. Adhibet mox catalogum illorū, quos viderit. Omnes, quippe noti Æneæ, illum *circumstant dextra læuaque*, vide studium concurrētium. *Nec vidisse semel satis est*, egregiè ex auiditate pene insatiabili, qua mortui viuum hominem videbant. Neque hoc satis, nam *iuuat vsque* (id est, multum) *morari*, B id est, vel morari in intuendo Ænea, vel morari ipsum Æneam. Cùm hoc non possent, iuuit *conferre gradum*, vnà cum illo iter capessere, & gradum tendere, causas aduentus discere.

NOTÆ.

1. VLTIMA] Virgilius, vt vides, quinque tantùm circulos, aut locos, aut regiones in inferno constituit, infantum, damnatorum falsò crimine, occisorum sui, amatorum, bellicosorum. In quibus videtur allusisse ad locos illos, quos Plato subtus cauitates terræ posuit, hósque κύκλῳ *in circulum*. Additque hos locos, alios esse βαθυτέρους, alios βραχυτέρους, alios πλατυτέρους, *profundiores, angustiores, latiores*. Vel allusit ad eiusdem Platonis περιφοράς, *circuitus*, de quibus latè lib. 10. Polit. vbi loquitur de fuso Necessitatis. Silius lib. 13. alio inuolucro rem istam attingit, nam portas decem constituit, qua omnes reciperentur. Primam assignat ducibus, alteram legislatoribus, atque vrbium conditoribus, tertiam rusticis, quartam rerum inuentoribus ac vatibus, quintam pereuntibus in mari, sextam graui noxa astrictis, septimam fœminis, octauam infantibus, nonam turbæ piorum, decimam his, qui, peractis mille annis, redeunt ad vitam. Qui Silium attentè legat, multa inueniet digna reprehensione. Itaque malo suo recessit à Virgilio. Nam portæ illæ videntur sibi inuicē succedere, vt apparet ex nona & decima. Nam, qui sunt in nona, potāt Lethen, vt rerū omnium obliuiscantur: & inde transeant ad decimam vicinam iam viuentibus. Hoc si est, cur infantes constituuntur in octaua? quî enim esse potest transitus à viris, qui præcesserant, ad pueros? Deinde, cur quarta assignatur inuentoribus rerum, & vatibus? Quæ enim hæc vicinitas, quæ hæc necessitas? Tertiò, cur datur septi- C Circuli inferorum. Silij Italici vitia.

septima solùm fœminis: an nulla earum pia, quæ sit in nona, nulla quæ sit in decima, ad redeundum in vitam? Quartò, cur quinta datur naufragis, vt recipiantur, cùm ex doctrina gentilium, nemo insepultus possit recipi intra fluuium, & naufragi quidem vt plurimùm insepulti omnes? Quintò demum, ita sunt omnia perturbata, vt nulla legenti appareat ratio, cur hi anteponantur, cur hi postponantur. Quanto est melior Virgilianus ordo? Apud quem infantes primo loco statuuntur. Nam qui vix vitam attigerunt, indigni sunt, qui occupent interiorem partem inferni. Istis nulli potuerunt esse propiores, quàm qui damnati sunt falso crimine, atque adeò innocentes periêre. Tertiò, etiamsi erret doctrina nostra, nam graue est crimen se interficere; certè non errat sua, & gentilium doctrina: apud quos nulli celebratiores, quàm ij, qui sibi fortiter ferrum adegerunt. Quibus non laudibus effertur magnus ille Thraseas? quibus non Vticensis Cato, apud vnum præsertim Senecam? Meritò ergo istis tertius datur locus, vt sint prope innocentes. Et ideo ipsos quoque signatè *insontes*, vocat. & qui proiecêre animas tantùm, vt paupertatem & labores effugerent. His commodè quartò amantes succedunt, vt quos etiam ante diem tabe sua amor peredit, ideo poëta exemplum adhibet in Didone. Itaque violenta morte quodammodo rapti sunt, & plerunque in iuuentute, quæ ætas apta amoribus. Hi maiore digni sunt pœna, quàm præteriti, vt qui propter amorem multa admiserint, vt apparet in Phædra, in Eriphyle, in aliis. Extremo loco ponuntur duces exercituum, qui etiam violenta morte in acie ceciderunt. vides, vt hi quinque ordines contineant homines raptos ante diem. &, vt quisque maiori est dignus pœna, eo interiorem partem inferni habeat. Non dubium autem, quin duces maiora crimina admiserint, vt qui armati, vt qui insolentes, & temerarij. Deinde considera, triplici distinctione contineri vniuersum mortalium genus. Nam vbi est omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, vniuersi sunt homines. Atqui in his quinque ordinibus vides omnem ætatem, videlicet pueros, viros, senes: omnem sexum, nam mares & fœminas: omnem conditionem, nam nobiles & ignobiles; nobiles, in ducibus; ignobiles; in pauperibus, qui se interfecerunt, vt pauperiem fugerent. Non ineptè fortasse ad Poëtam aptari possent, quæ de quinario numero satis fusè Plutarchus loquitur, de defectu oraculorum, & quæ satis longè in opere de littera Delphorum. Demum aduerte, ab his quinque ordinibus separari nocentissimos & sceleratissimos, nam hi in tartaro sunt; & ab omnibus pios, qui in Elysio constituuntur. Itaque exprimit Poëta Platonicam doctrinam, quæ in hac re conformis Christianæ est. Qui obeunt, in vnum è quatuor locis deferuntur, aut in cælum qui omnino sancti obeunt; pro quo Poëta ex doctrina sua Elysium adhibet, quò pij commeant: aut nocentissimi in infernum, his Poëta assignat Tartarum, partem inferni profundiorem: aut infantes in limbum, qui locus proximus inferno; his Poëta dat limen ex doctrina sua. ait enim:

Ordines quinq; apud inferos.

Platonis doctrina Christianæ apta.

Infantumq; animæ flentes in limine primo.

Demum in purgatorium, qui cum aliqua macula decesserunt; tales fingit Poëta ex doctrina sua damnatos falso crimine, occisores sui, amantes, bellicosos; quos separat à prædictis tribus. Nam etiam si isti multa grauia admisissent, tamen quæ fecissent duces, quæ amantes, quæ occisores sui, gentiles decepti, leuia putabant, ex doctrina sua, ideo illos Poëta *insontes* vocat.

A 2. FREQVENTANT] Obuius sensus bonus est, & commodus. Sed potest esse alius, vt dicat, *frequentant*, id est, celebrant loca ista, faciuntque illa clara à claritudine, quæ est in ipsis. Præcessit enim *clari bello*. Esse autem *frequentare* idem interdum, quod celebrare, iam notauit Ianus Dousa in schediasmate ad Sulpiciæ carmen hoc,

Frequento, pro celebro.

Musa, quibus numeris Heroas, & arma frequentas,
id est, concelebras. & in Virgilio sermo quoque est de ducibus.

3. PARTHENOPÆVS] Fuit hic filius Atalantæ (paternum genus alij tibi suppeditant) celeberrimæ pernicitate pedum, de qua satis fusè Ouidius in Met. Statium sequor lib. 4. Theb. & Diodorum. His etiam hæret Beroaldus. Pro eadem sententia Germanus adducit Euripidem in Phœniss. & in Supplicib. tum etiam Sophoclem in Colon. citatque versus. Neque verò Seruius errauit, qui dixit, filium fuisse Menalippæ. Nam, etiam si ita habeatur in decurtato Seruio, non in eo, qui prodiit opera Pet. Danielis.

Parthenopæus.

B

4. ADRASTI PALLENTIS] Alij Regem Argiuorum capiunt. Alij, quendam Græcum, cuius in bello Troiano Homerus meminit. Sed primum illud verius. Nam, vt bene iudicat Germ. Poëta Tydeum, Parthenopæum & Adrastum coniungit, quòd hi ab Euripide memorentur iunctis copiis secuti fuisse Polynicem agentem expeditionem ad Thebas. Attributum palloris adducunt aliqui pro argumento ad Adrastum Homeri, quòd ab hoc describatur meticulosus, supplex, accidénsque ad genua hostis ad mortem deprecandam: cuius etiam mentionem facit Plutarchus de audiendis poëtis. Sed meliùs tamen capitur de Rege Argiuorum, qui etiam socer fuit Tydei; tum propter mentionem propinquam Tydei: tum etiam, quòd pallor quoque & metus ex fide historiæ illi meritò dentur propter fugam à bello. Potest etiam illi conuenire pallor generali attributo ex loco inferorum. Notetur forma adagij vsurpata Ammiano lib. 14. qui ad signandum magnum metum Galli Cæsaris, dixit: *Adrastæo pallore perfusus*.

Adrastus.

C

Adrastæus pallor. adag.

5. CADVCI] Sic fulmen *caducum*, dicitur ab Horatio lib. 3. Od. 4. à cadendo. & 1. G. frondes *caducæ*. inde *cadauera*. & *cadiua oliua*, ait Iul. Scaliger.

Caducum.

6. GLAVCVMQVE, MEDONTAQVE, THERSILOCHVMQVE] Vix in Medonte cognosci aliquid potest de mente Poëtæ. Persequitur, vt vides, nomina Troianorum. In Glauco verus est, nam fuisse hunc Troianum, filiúmque Antenoris, & interfectum ab Agamemnone, Dictys narrat. Potest etiam Poëta accipi, de Glauco alio, qui venit in auxilium Troianorum, cuius fit illustrissima mentio in 6. Il. Transeo ad Medontem, in quo falsus videtur Poëta. Nam huius nominis Troianus nemo, videtur facta allusio ad versum Homeri 21. Il. vbi Achilles,

D

—ἕλε Θερσίλοχόν τε, Μύδωνά τε, Ἀστύπυλόν τε:
—*interfecit Thersilochúmque, Mydonáque, Astypylónque.*

vnde suspicio est doctis legendum in vate:

Glaucumq;, Mydonaq;, Thersilochumq;.

E Quid quòd Medon semper inter Græcos? Nam 15. Il. Medonta & Iasium Æneas spoliat. & 2. Il. mentio fit Medontis, qui erat Oïleï nothus filius. Præterea. 4. Odyss. & in epist. Penelopes, apud Ouidium (hoc Nascimbænus vidit) mentio fit alterius Medontis Græci, qui fuit vnus è procis Penelopes. Itaque libenter amplector coniecturam, & in Virgilio *Mydona* lego, non, *Medonta*. De Thersilocho, illum fuisse Troianum, ex versu Homerico adducto, satis est liquidum.

7. TRES ANTENORIDAS] En alius nodus. Ego Ser

Antenorid.

Seruium sequor, qui ait, non accipiendos tres superiores, vt multi volunt, sed alios, nam Homerus alios ab illis facit filios Antenoris. Nomina ipse non adducit. Sunt illi, Archilochus, Acamas, Helicon. Pomponius Sabinus his versibus alios nominat:

Tres Antenoridas, Polybúmque, & Agenora durum,
Æqualémque Athamanta Deis, iuuenilibus annis.

8. POLYBOETEN] De hoc quoque est lis. Nam huius nominis nullus Troianus. Polypœtis cuiusdam fortissimi, sed Græci, Homerus meminit, qui Il. 23. in funebri certamine Patrocli tres alios duces Græcos, in his Aiacem Telamonium, disco vincit. Finxisse itaque Poëtam nomen Polybœtis, & Troianis annumerasse Pierius vult. Poterit quis suspicari, Poëtam alicunde hoc nomen hausisse, vnde nesciamus, quod iam Turnebus de re simili agnoscit.

9. IDÆVM] Auriga fuit Priami, cuius mentio fit 24. Il. Dat illi adhuc in inferno currus. Nam, quo quis studio delectatus fuisset in vita, eodem tenebatur apud manes, de quo alibi.

a At Danaûm proceres, Agamemnoniæq; phalanges
Vt vidêre virum, fulgentiaque arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiêre rates: pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
b Atque hîc Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
c Vix adeo agnouit pauitantem, & dira tegentem
Supplicia, & notis compellat vocibus vltro:

ARGVMENTVM.

Occurrunt extremo loco duces, agnoscit inter illos Deiphobum.

EXPLICATIO.

a GRadum facit Æneas à Troianis amicis ad Græcos hostes. Poëta totus est in laude Æneæ, totus in contumelia Græcorum. Ideo illo viso, etiam ipsi principes, nam hi sunt *Danaûm proceres*, atque integræ, *phalanges*, trepidarunt metu ingenti. Qualis hic timor, cùm ad metum animi adiungitur trepidatio membrorum? Pars terga dabant, vt quondam in rates (de hoc 8. Il. & 2. Æn.) pars loquebantur tenui quodam susurro, nam loqui cùm vellent, non poterant, vt quæ essent inania simulacra, & organis vocis destituta. Itaque tollebant *vocem exiguam*, id est, murmur, os quoque in hiatum deducebant, sed clamor illos frustrabatur, id est, deserebat illos in ipso hiatu. Porro hîc *trepidare, vertere, tollere*, dictum, pro trepidabant, vertebant, tollebant.

b Sequitur narratio de Deiphobo filio Priami, plena magnis affectibus. Primùm in genere proponit carnificinam, videlicet, *laniatum corpore toto*. Deinde signat hanc carnificinam fuisse in ore, manibus, auribus, naribus: vt atrox facinus peculiaribus calamitatibus discriminetur. Neque verò satis est Poëtæ has partes exprimere, sed in vnaquaque aliquid addit, quo rem augeat. Dicit *ora*, cum geminatione, & *crudeliter*. Non satis manum vnam, sed *ambas*. Non caret auribus, sed rapiuntur, in quo inest modus crudelitatis: & *tempora* sunt *populata*, id est, vastata, in quo inest deformitas. Iam de naribus, *inhonesto vulnere*, vt notet turpitudinem; quid enim turpius, & inhonestius, quàm carere ea parte corporis? Si compares cum hac carnificina poëtarum aliorum descriptiones, sordebunt tibi.

c Vix agnouit, & præ deformitate, & quia ipse tegebat tam turpia vulnera. Illud, *vix agnouit pauitantem*, est, nolebat agnosci Deiphobus, & hoc pauebat. Verbum, *compellat*, continet peramicam salutationem. in *notis vocibus*, agnosce vel patriâ linguam, vel mutuam consuetudinem sermonis & amicitiæ, qua vsi fuerât. nam postea ipsum *amicum* vocat.

NOTÆ.

1. CLAMOR FRVSTRATVR HIANTES] Obiicies contra meam explicationem, quî loquitur Deiphobus, Palinurus, Anchises? Certè explicatio, quam adhibui, veritatis est: voces istorum necessitatis. Nam quî res possit intelligi, nisi Æneas cum illis, illi cum Ænea loquerentur? vnde nescias, cur Homerus de mortuis. 11. Odyss. θεσπεσίῃ ἰαχῇ, *ingenti clamore*. Meliùs Poëta, *clamor frustratur hiantes*. Nam ex natura Idolorum. Cum allusione ad hanc simulacrorum naturam Apuleius signatè lib. 1. dixit, *magico susurramine*. & lib. 3. in re magica: *multumq; cum lucerna secretò colloquuta*. & 1. Apologet. *carminibus murmurata*. Arnobius loquens de incantatoribus & magicis lib. 1 *fremor verborum*. Nam videlicet, qui administrant magica, secretò colloquuntur, & tacitè, ac per susurramina. Inde idem Arnobius lib. 2. *Quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus affamini nescio quas potestates, vt sint vobis placidæ?* Nonnus lib. 4. loquens de magico carmine, dixit, κρυφίῃ φωνῇ, *occulta voce*. & λεπτὸν ὀλόλυγμα, *tenuem vociferationem*. Susurrus magarum est.

2. LANIATVM CORPORE TOTO] De hac carnificina Deiphobi, ita Dictys Cretens. lib. 5. *Menelaus Deiphobum, quem, post Alexandri interitum, Helenæ matrimonium intercepisse, suprà docuimus, exectis primò auribus, brachiisque ablatis, dein naribus, ad postremum truncatum omni ex parte, fœdatumq; summo cruciatu necat*. Ab hac historia, & Poëtæ versibus præclarè Seneca in Agamemnone, Deiphobi laniatio.

——incertos geris
Deiphobe vultus.

quia vix agnosci poterat præ deformitate. & Ausonius in epitaph.

Et deformato corpore Deiphobus.

Tryphiodorus loquens de morte Deiphobi, tantùm signat vulnus *ventris*, μέσὴν κατὰ γαστέρα τύψας, scilicet Menelaus: Dares Phrygius redditus versibus, *temporum*: ita enim ait lib. 6.

Impete Deiphobum primo petit, vtraq; iacto
Tempora transadigit iaculo.

Quæsiui sedulò an aliquis poëta similem descripsisset carnificinam, vt illum compararem cum Virgilio. sed nemo placuit. Proferam tamen Lucani versus è lib. 2. qui essent boni, si abesset Virgilius. ait ille:

Auulsæ cecidêre manus, exectáque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aëra motu:
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat, ille cauis euoluit sedibus orbes,
Vltimaq; effodit spectatis lumina membris.

Calaber lib. 12. tantùm libauit hanc carnificinam. nã de Sinone ita ait,

Οὔαθ' ὁμῶς καὶ ῥῖνας ἀπὸ μελέων ἐτάμοντο:
Aures simul & nares à membris resecant.

Troiani scilicet, vt veritatem ab illo extorqueant.

Decurtatio mebrorum ignominiosa.

3. RAPTIS AVRIBVS] Hoc genus lacerationis contumeliosum fuit, vt in genere omnis decurtatio. apud Liuium lib. 29. milites Plemnium, *ab suis interceptum, & seclusum, hostiliter lacerant, & prope exsanguem, naso auribusq; mutilatis, relinquunt.* Apud Herodotum lib. 3. Cyrus Smerdi Mago ὦτα ἀπέταμε, *aures præcidit.* Quod & tomo. 1. Annal. narrat Zonaras, & alij. Apud eundem Herodotum lib. 2. viro cuipiam optimo similis contumelia infertur amputatis auribus ac naso, quæ res fœdo spectaculo milites exacerbauit, alienauítque ab rege Aprie, qui id iusserat. A-C pud eundem lib. 3. regiis custodibus amputantur nares autésque. Historia Zopyri nota est, pete ab eodem scriptore lib. 3. Idem lib. 9. scribit, cuidam fœminæ præcisa ad insignem contumeliam μαζοὺς, ῥῖνα, ὦτα, χείλεα, γλῶσσαν: *mamillas, nares, aures, labra, linguam.* Callisthenem philosophum ita affecit Alexander Magnus; apud Iustinum lib. 15. illum enim reliquit, *abscisis auribus, naso, labiis, deforme ac miserandum spectaculum.* Apud Cedrenum Phocas πολλοὺς ἠκρωτηρίασε: *multos mutilauit.* Sed quidem idem Phocas passus est confatalem luem. nam iubente Heraclio scimus, πρῶτον μὲν τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἐκκοπῆναι, εἶθ' οὕτως τοὺς ὤμους, & τὰ αἰδοῖα, ἔπειτα τὴν κεφαλήν. Auctor idem Cedrenus. Vides misero amputatas manus, pedes, D humeros, pudenda, & ad finem caput. Idem loco alio longè distante χειρότμητον vocat, cui abscissæ manus. Apud Marianam lib. 9. Hist. cap. 2. cuipiam effodiuntur oculi, amputatur manus vtraque, & pes alter in pœnam facinoris. Nota est historia Imperatorum Orientalium, quibus partes istæ corporis in insignem contumeliam abscissæ. Plutarchus de tranquillitate simile genus pœnæ constituit, τὰς ὦτα περιτεμὼν καὶ ῥῖνας. & in libr. de exsilio Telesphorum inducit mutilatum naribus atque auribus, effossis præterea oculis, ac sine lingua, insigni quadam contumelia.

Echetismus.

Echetæ tyranni crudelitatem, qui hospites ita mulctabat, Germanus notauit, vnde dictus prouerbio Echetismus pro ista mutilatione. Turba Græcorum πήρωσιν etiam nominat. De naribus in primis locus est in Athenæo lib. 12. apud quem Scythæ, hospitum ἠκρωτηρίαζον τὰς ῥῖνας: *mutilabant nares.* Scribit Diodorus lib. 2. cap. 1. Æthiopum regem Artisanen (alij legunt, Actisanen) latrocinia nouo quodam modo compescuisse, amputantem nares latronibus: è B. quibus ciuitatem condidit, quam Rhinocoluram vocauit.

Rhinocolura.

Seneca lib. 3. de Ira, habet quidpiam simile de rege Persarum. Constantinus Imperator, is qui à barba dictus est Πωγωνάτος, τοὺς ἀδελφοὺς, ait Cedrenus, ἐῤῥινοκόπησε, *fratribus nasos præcidit.* Sed signatissimus est locus Martialis lib. 3. epig. 85. vbi mœcho cuipiam nares abscinduntur: nam pœna consimilis data Deiphobo adultero.

Mœchi pœna.

Non abludit pœna illa irrogata mœchis, quam Græci vocant ῥαφανιδωσμόν. de qua vide Scholiastem Aristophanis in Pluto. Itaque fortasse allusit Poëta ad legem Iuliam de adulteriis, qua maritus, si vellet esse temperatior, neque occidere mœchum deprehensum in adulterio, poterat mutilare illum qualibet parte corporis, quò allusum ab Horat. Sat. 2. lib. 1.

Lex Iulia de adulteriis.

Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, vt quidam testes caudamq; salacem
Demeteret ferro.

Hîc ego laudo Maronis παρθενίαν, qui cùm sciret, testium abscissionem permissam marito in mœchum, tamen abstinuit, pudori consulens, contentus reliqua mutilatione. Plautus Pœnulo ad hanc pœnam testiculorum salsè allusit, ita scribens:

—— Facio quod manifestò mœchi haud fermè solent.
Quid est? refero vasa salua.

De castratione mœchi locus est in Val. Max. lib. 6. c. 1. De erutis oculis, in Martiali:

Vt mœchum patiar rogat vxor, Galle, sed vnum:
Huic ego non oculos eruo Galle duos?

4. SVPPLICIA] Hîc per *supplicia*, intellige vulnera lethalia. Nunquam enim supplicium de alio vulnere dicitur, quàm de extremo. Errant, qui verbera inflicta pueris, vocant supplicium. Rapi ad supplicium, nihil est aliud, quàm rapi ad mortem. Signatè Liuius lib. 29. *laceratósque omnibus, quæ pati corpus vllum potest, supplicijs interfecit.* Exempla vbique obuia.

[a] Dëiphobe armipotens genus alto à sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? mihi fama suprema
Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis aceruum.
[b] Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.
Nomen & arma locum seruant, TE AMICE nequiui
Conspicere, & patria decedens ponere terra.

E

ARGVMENTVM.

Cum eo loquitur, dicit iusta illi persoluisse.

EXPLICATIO.

[a] DVo hîc affectus præcipui, nati ab amore Æneæ in Deiphobum: nam & commendat illum

lum peramanter, & peramanter dolet de illius exitu. A Commendat à genere, nam *à sanguine Teucri.* à virtute, nam *armipotens.* quo elogio nullum maius in re militari. nam, etsi occubuit, tamen post vastatos Pelasgos ingenti cæde, & super *acerbum stragis* prius editæ. Dolet, cùm ait:

Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?

cùm addit, *Cui tantum de te licuit?* vbi mira est emphasis, vocat *supremam noctem* illam, quæ fuit Troiani excidij. Cùm ait, se à fama accepisse mortem Deiphobi, placet commentatio Hortensij, qui ait, ista dicta ab quærente occasionem prædicandæ beneuolentiæ suę erga defunctum. Quasi dicat, vt sparsa est inter populares fama tui obitus, statim tibi parentaui, aggessi tumulum, iusta persolui. Quod fecisse Æneam in tanto rerum discrimine, magnum fuit. B

b In illis *tumulum inanem*, signat cenotaphium Latina periphrasi (de hoc alibi) quod *egomet* (inquit Æneas) quippe pius & amicus *constitui*: & in *Rhœteo littore.* Additque, tuos *manes ter voce vocaui.* de quo in Notis. Adiicit, *Nomen, & arma locum seruant.* pro, locus seruat nomen, & arma; poëtica hypallage. Cur autem erectum cenotaphium? Nam, *te amice nequiui Cõspicere*, id est, inuenire in tanta cæsorum multitudine: neque *ponere patria terra.* habebatur quippe sanctissimũ, condi & tumulari patria terra.

NOTÆ.

1. SVMERE POENAS] Soph. in Electra ἀντίποινα λαμβάνειν. Demosthenes 2. Philipp. ita extulit, δίκην λαβεῖν. C

2. TER.] Sumptus hic numerus pro quolibet. ita omnes. Sed mihi placitum allusum ad vocem illam ter repetitam *vale, vale, vale.* Ad quem morem allucet Seruius, qui 2. Æn. ad illud:

Vale, ter repetebatur in funerib.

Sic ô sic positum affati discedite corpus.

ita scribit: *sensus talis est: Præstate vos mihi funebre solatium, id est, affamini me, vt dici mortuis solet, vale, vale, vale.* Hartungus quoque ex illo Theocriti εἰδ. 13. τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, obseruat, qui amissi erant, ter vocari solitos. atque etiam ex Homero, quem postea proferam. Sed ante illum ex eodem loco Homeri iam hoc notauerat Zetzes. locum produco lib. 1. Æn. Hanc D eandem rem Ausonius, credo, aperit. Ex quo colligo hanc triplicem vocem fieri solitam in his tumulis, qui erigebantur tantùm ad speciem, & erant inanes: qualem hîc Æneas constituit. Ausonij versus sunt:

Hoc satis & tumulis satis & telluris egenis,
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici,
Frontibus hoc scriptis & monumenta iubent.
Ille etiam, mœsti cùm desuit vrna sepulcri,
Nomine ter dicto pene sepultus erit.

Vbi omnino existimo, ab Ausonio signatum numerum ternarium accipi, non incertum, & quemlibet. Philostratus quoque de Euodiano sophista in amisso filio: ἀλλ', ὦ τέκνον, τρὶς ἀνακαλέσας, ἔθαψε. *sed vbi ter exclamasset, fili mi, eum sepelijt.* Ad eandem rem traho Homeri versus. Odyss. 9.

Οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι,
Πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι,
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὕπο δηϊωθέντες.

Neque certè mihi vlteriùs naues procedebant vtrinque agitatæ,
Priusquam horum miserorum sociorum ter vnumquemque vocassem,
Qui obierunt in campo à Ciconibus trucidati.

De more in genere vocandi mortuos, alibi dictum à me: hîc tantùm de trina inuocatione. Etenim, quamuis ternarius soleat pro quocumque poni, vt cùm dicimus, *terq; quaterq;*, & in similibus: sed in re sacra semper signatum accipio; tum his, quæ iam produxi ad hunc locum; tum illis, quæ dicta 8. Ecl. tum ex loco Aristophanis in Vesp. vbi ait, tribus digitis capiendum thus, vt acerræ imponatur, τοὺς τρεῖς δακτύλους. Vnde Ouidius, *& digitis tria thura tribus.* Ex istis explicari Albinouanus poterit, qui ad Liuiam: *Ternarius numerus in sacris.*

Te clamore vocant iterumq; iterúmq; supremo.

vbi vides distingui triplicem inuocationem.

3. VOCE VOCAVI] Non est pleonasmus, sed signat modum, nam vociferanter & clamanter (sic dicam) fiebat vocatio ista, ideo *voce.* Ideo 1. Æn.

——nec iam exaudire vocatos.

attollebatur enim vox à vocantibus, vt exaudirentur. Ceterùm ad hanc rem, in qua sum, sumpta occasio Ausonio ad versus istos,

Proditus ad pœnam scelerata fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus.
Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis,
Et pius Æneas, & Maro composuit.

4. ARMA] Nihil est, cur arma hîc depicta intelligam cum Seruio, sed vera omnino, quod aliàs fusè explico.

5. SERVANT] Ex more, & iure veterum, quo cauebatur, vt nemo sepulturam haberet in eo loco, quem alius sepulcro prius præoccupasset. Nomen ergo & arma seruant hunc locum, id est, tuentur religiosè. ita in 7. *Ius defunctorum in sepulcris.*

Et nunc seruat honos sedem tuus.

id est, tu sedem illam tueris honore & iure tui tumuli. Potest etiam explicari, vt iam præmisi.

6. PONERE] Ita Græci τίθεσθαι. Ausonius in Parental.

Primus in his pater Ausonius, quem ponere primum,
Et si cunctetur filius, ordo iubet.

a Atque hîc Priamides: NIHIL ô tibi amice relictum est,
OMNIA Deiphobo soluisti, & funeris vmbris:
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersêre malis: illa, hæc monumenta reliquit.
b Namque, vt supremam falsa inter gaudia noctem,
Egerimus, nosti; & NIMIVM meminisse necesse est,
Cùm fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem grauis attulit aluo.
Illa chorum simulans, euantes Orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

c Tum

[c] Tum me confectum curis, somnoq; grauatum
INFELIX habuit thalamus, PRESSITQVE iacentem
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.
[d] Egregia interea coniux, arma omnia tectis
Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem.
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit,
SCILICET ID magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
[e] Quid moror? irrumpunt thalamo; comes additur vnà
Hortator scelerum Æolides (Dij talia Graijs
Instaurate, PIO si pœnas ore reposco.)
[f] Sed te qui viuum casus, age fare vicissim
Attulerint? pelagine venis erroribus actus,
An monitu Diuûm? an quæ te fortuna fatigat,
Vt tristes sine sole domos, loca turbida adires?

ARGVMENTVM.

Recenset Deiphobus, quo mortis genere multatus fuerit, coniecta culpa in Helenam.

EXPLICATIO.

[a] PRimùm gratias agit Æneæ de honorario tumulo; deinde respondet his, quæ quæsierat de modo mortis. Cùm ait, *amice*, reddit vicem amoris. *soluisti*, nam defunctis omnibus exsequiæ debentur, quid cognatis, & amicis? *vmbris*, præclarè. non enim cadaueri inanis tumulus & honorarius aggerebatur, tantùm vmbris, simulacro, imagini. Pergit, & tam dira mala primùm sibi & suis fatis attribuit, *sed me fata mea*, & cum emphasi *mea*. Deinde Helenæ, *& scelus exitiale Lacæna*. Noluit dicere *Helenam*, sed cum emphasi *Lacænam*, quasi, crudelem, impuram, scelestam fœminam. Sed quid tandem fata? *his mersêre malis*. Quid Helena? *illa hæc monumenta reliquit*.

[b] Pergit narrare res Helenæ incipiens ab extrema nocte Troiæ. Quæ ad equum pertinent, breuiter perstringit, vt quæ Æneas sciret; reliqua fusiùs. Ergo. *Nosti, vt egerimus* ludibũdi *supremam* illam, & calamitosam Troiæ *noctem, inter gaudia*. Quis crederet in extremo vitæ nos gaudere? Ideo addit *falsa*. Et quidem *necesse est, nimiùm meminisse*. Cur? quia grauem fecimus iacturam fortunarum omnium, vitæ charissimæ, potentissimi imperij. Quid autem retinendum est memoria? quod sequitur, scilicet, *cùm fatalis equus venit in Pergama, & grauis* prægnánsque *aluo attulit armatum peditem*. Nota oppositionem istam. Equus vehit pedites. Præclarè. nam etiamsi equo veherentur, non tamen equites. Repeto, vt coniungam omnia. Nosti gaudia miserrimæ illius noctis, cùm equus illatus in Troiam est, tunc *illa*, latet hîc indignatio per emphasin, *simulans* fingénsque *chorum*, *circumducebat Phrygias, euantes orgia*, id est, celebrantes orgia (scholion est Turnebi) *ipsa* interim *media* inter omnes, *tenebat flammam ingentem, & vocabat Danaos ex arce summa*. Intelligit videlicet specularem ignium significationem, qua vsa est Helena ad vocandos Græcos simulatione sacrorum. Quod factum in arce est, vbi erat equus. Nam circum equum illa ducebat choros.

[c] Pertinent hæc non solùm ad excusationem sui, sed ad facti verisimilitudinem. Coniuge etiam tam arcto A somno oppresso, faciliùs Helena potuit Græcos in domum adducere. Versu illo, *Dulcis*, &c. attribuit somno tria, videlicet dulcedinem, profunditatem, similitudinem cum morte. Hîc tu vide, vt sibi Poëta respondeat. Loquens de hac re in 2. dixit Troianos fuisse *sepultos somno*. Hîc eò alludens, dicit, somnum fuisse similem *morti*. Eodem enim pertinent & sepultura, & mors.

[d] Interim Helena *coniux egregia*, hoc εἰρωνικῶς, *amouet arma omnia*, & iam priùs *subduxerat capiti ensem*. vocat hunc *fidum*, vt in quo spes ad propulsandam vim. Ac postea *vocat Menelaum intra* mea *tecta*, & pandit limina. *Scilicet id magnum*, &c. quasi dicat: Putauit Helena, nihil esse posse gratius pristino coniugi Menelao zelotypia laboranti, quàm si me illi traderet. B Fore enim existimauit, vt hoc vno facto obrueret formam præteritorum criminum.

[e] Superiora latè narrauit, iam quæ sequuntur breuissimè. Nam quid repetat carnificinam suam de manibus, naso, auribus? Satis itaque habet, dicere, *Quid moror?* &c. Ac demum concludit narrationem comprecatione ista, *Dij talia*, &c. Est *Æolides* Vlysses, quod nomen illi datum pro contumelia & vituperio: inde signatè, *Hortator scelerum Æolides*. Est *instaurate*, reddite, rependite.

[f] Petit, vt vicissim Æneas referat casus, quos passus est. Interrogatio verò triplex est. venis ne huc erroribus pelagi, Diuûm monitu, fortuna aliqua impulsus? Nam quis, nisi his causis permotus, adeat *domos* istas *tristes*, quia *sine sole*, & *loca* hæc *turbida*? vbi nimirum C turbata omnia, & merum chaos. Illud *viuum* expende, nam videlicet rarum est, viuum hominem huc venire; vt, venire mortuos, frequentissimum.

NOTÆ.

1. LACÆNÆ] Ad integram cognitionem loci huius sciendum, Helenam interfecto Paride cessisse in nuptias Deiphobo, statuente hoc Priamo. Sed Helena ipsa apud Euripidem Troadib. ait: Helena vxor Deiphobi.

Βίᾳ δ' ὁ καινὸς μ' οὗτος ἁρπάσας πόσις
Δηίφοβος, ἄλοχον ἔσχεν ἀκόντων Φρυγῶν:
Per vim autem hic nouus me rapiens maritus
Deiphobus, vxorem habuit inuitis Phrygibus.

Additque, sæpe se voluisse demittere funibus è muro, vt

vt rediret ad Græcos: quæ tamen Hecuba eludit, & A mendacij Helenam arguit. Insistit porro Virgilius hoc loco narrationi Agamemnonis. 11. Odyss. vbi pariter Græcorum dux narrat Clytemnestræ facinus aduersum se.

2. FALSA INTER GAVDIA] Videndus Plato in Philebo, vbi disputatur, an dici queant gaudia vera, & falsa. vt opiniones veræ & falsæ. & in eam sententiam fit discessio, vt dici possint veræ & falsæ voluptates. Propertius *inanem lætitiam* dixit lib. 3. eleg. 6.

Num me lætitia tumefactum fallis inani.

Durica nox. 3. NOCTEM] Postremam istam Troianorum noctem *duricam* vocat Valer. Flaccus ab equo Durateo, vnde effusi Græci in Troianos sunt. Alij *duriam* legunt.

Equus Troianus fatalis. 4. FATALIS EQVVS] Seneca in Agamem. de Durateo:

Fatale munus Danaûm.

De eodem Petronius, *vteri notauit fata.* & 2. Æn. *fatalis machina.* Ausonius in epigram. venusto:

Carminis Iliaci libros consumpsit asellus.
Hoc fatum Troiæ est, aut equus, aut asinus.

5. SALTV] Equum cùm dixisset, saltum dat, ex animalis huius natura. Ennius quoque in Alexandro apud Macrob.

Nam maximo saltu superauit
Grauidus armatis equus,
Qui suo partu arduâ perdat Pergama.

Potest etiam fieri leuis allusio ad lætitiam Græcorum ex capta vrbe. Inter notas enim lætitiæ πήδημα σώματος, Pollux constituit lib. 5. c. 10.

Et prægnās. 6. GRAVIS] Ita de Troiano equo Poëtæ metaphora ducta à prægnantibus. Vidisti iam in Ennio *grauidus*. & Lucret. lib. 1.

Nec clam Durateus Troianis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.

Sed hoc alibi exornaui.

7. CHORVM SIMVLANS] Helena ea nocte simulauit se sacra Bacchi celebrare circa equum. ac tum facibus, quæ erant in ministerio horum sacrorum, Græcis signũ dedit. Diuersa est ab hoc Homeri narratio Odyss. 4. vbi nihil de sacris Bacchi, nec de facibus. tantùm ait, machinam illam ter lustratam ab Helena. De eadem Tryphiod. τρὶς περιστείχουσα, ter circumiens. Præclarè verò Poëta, *simulans.* Nam Helena re quidem vsitata in sacris potuit Troianos decipere. Etenim in sacris & ludis solemnis fuit mos iactare lampades. Græci λαμπαδουχεῖν dicunt. Latini fere omnes *iactare.* aliqui *rotare.* Claudian. epithal. Palladij:

Lampadum iactatio in sacris.

Et vibrare faces, & noctem ducere ludo.

Discurrebant enim in choris, tradebántque sibi inuicem lampades, quod ex Herodoto, Pausania, Platone, & aliis iam obseruauit Delrius nouis comment. in Agam. versu 350. Lege illum.

8. EVANTES ORGIA] ὀργιάζειν, χορεύειν. Euan dictus est Bacchus, inde Bacchę ipsæ euantes, quod Seruius admonet. Sed cùm Propertius euantes inducat, facta etiam mentione chori, vt hoc loco Poëta,

Egit vt euantes dux Ariadna choros,

Euan quãdo dictus Bacchus. existimo tunc Bacchum vocatum hoc nomine, cùm Bacchæ choreas celebrarunt. inde hîc ex peritia Virgilius locutus; præcedit enim, *illa choros simulans.* In 7. etiam Æn. in choris Bacchi canitur, *Euoë Bacche.* Inde signatè Statius in Syluis:

Bassaridum iactator Euan.

& 5. Theb.

—& à summis auditus montibus Euan.

Propter clamorem Baccharum. De Orgiis alibi loquor.

Duco de Choragis. 9. DVCEBAT] Vox signata præeuntis choro, quasi Helena esset choraga.

10. FLAMMAM MEDIA IPSA TENEBAT] Nescio qua ratione vicina hîc duplex difficultas. vt enim dubiũ est, quis primus inuenerit specularium ignium originem: ita quoque dubium in re Troiana, quis has speculatorias faces prætulerit. Plinius enim lib. 7. cap. 56. assignat φρυκτωρίαν Sinoni: Sophocles & Alcidamas Palamedi. Sed quæstio ista appellet suos, eos (inquam) qui locuti de inuentoribus rerum, atque in his Lipsium lib. 5. de Militia Rom. dial. 9. Dissidia alterius quæstionis, vt meæ, ego hîc dabo. Sunt qui hoc facinus Sinoni attribuant. Clarè Dictys lib. 5. Belli Troiani: *Nostri multo silentio ad ciuitatem nauigant, seruantes signum, quod igne elato Sinon ad eam rem clam positus tulerat.* Atque etiam Calaber lib. 13. versus illius sunt,

Phryctoria Troiani belli.

B

Δὴ τότ' ἄρ' αἰθαλόεντα Σίνων ἀνὰ πυρσὸν ἄειρε
Δεικνὺς Ἀργείοισι πυρὸς σέλας:
Tunc Sino flagrantem faculam sublime leuauit,
Ostendens Græcis ignis decus.

Virgilius, vt vides, Helenæ. Tryphiodorus vtrique, sed è diuersis locis. Nam ille apud tumulum Achillis,

Ἀγγελίην ἀνέφαινε Σίνων εὐφεγγέϊ δαλῷ:
Signum ostendit Sinon lucente face.

illa è suo thalamo,

Εὐειδὴς Ἑλένη χρυσέην ἀπεδείκνυτο πεύκην:
Formosa Helena lucidam ostendebat facem.

Enarrator Lycophronis Antenori: ait enim; Ἀντήνωρ δὲ φανὸν ἀνάπτων τοῖς Ἕλλησι, καὶ τὸ κατωγάστρια τοῦ ἵππου ἀνοίγει: *Præluxit Antenor Græcis accensa face, atque fores Duratei reclusit.* Plautus Vlyssi in Pseudolo, cùm C ait,

Viso quid rerum meus Vlysses egerit,
Iam ne habeat signum ex arce Ballionia.

Lambinus aliud capit in Plauto, sed mihi non dubium, quin capiendus de his ignibus. Nam signum illud, quod ipse affert, non in re Troiana. Hîc non te prætereat, hos ignes in scriptoribus solitos nominari voce *fumi.* Liuius lib. 4. *inde fumo, vt conuenerat, datum signum,* &c. Alij passim obuij. Nisi velis discriminare cum Vegetio, cuius hæc sunt: *per noctem flammis, per diem fumo significari.* Scias obiter facium & ignis vsum multis in rebus. Ad aduentum hostium. Oppius: *Nam etiam illud vulgare incursionis hostium signum, quod incendijs ædificiorum intelligi consueuit,* &c. Rectè *vulgare signum,* nam inter alia munera, hoc princeps D munus facium fuit. Inde Aristoteles lib. 3. de Anima, cap. 7. ait, qui videat πῦρ κινούμενον, *ignem motum,* statim colligere, ὅτι πολέμιος, *quòd adest hostis.* Sed pergo ad explicandos alios vsus facium. Ad instans iam bellum apud Græcos, vt apud Romanos, tunica purpurea. Euripides Phœniss.

Fumi significatio.

Facium vsus multiplex.

Ἐπὰν δ' ἀφεθῇ πυρσὸς, σῆμα φοινίας μάχης:
Emissa postquam fax fuit, signum cruentæ pugnæ.

Ad exterrendos hostes. Liuius lib. 4. *Repente patefactis Fidenarum portis noua erupit acies, inaudita ante id tempus, inusitatáque, ignibus armata ingens multitudo, facibúsque ardentibus tota collucens, velut phanatico instincta cursu in hostem ruit, formáque insolita pugnæ Romanos parumper exterruit.* Ad cœnas, & curanda corpora, hoc iam notauit Lipsius lib. 5. de Milit. Rom. dial. 9. E ex Diodoro. omitto illum, & aduoco Aristophanem in Pluto, vbi cùm quidam dicat, ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν, *videtur mihi ire ad conuiuium:* illi respondetur:

—φαίνεται,
Στέφανόν γέ τοι καὶ δᾷδ' ἔχων πορεύεται:
—apparet,
Nam coronat gestat, & facem.

Ad significandum principibus, quæ sciri opus essent. Apuleius de Mundo: *Ex eo numero erant & diurni cursores*

sores, atque nocturni exploratores, & per vices incensæ faces A *ex omnibus regni sublimibus locis in vno die imperatori significabant, quod scito erat opus.* Ad rem sacram Aristophanes in Irena:

Δᾷδάς τε φέρειν, ϗ πάντα λεὼν συγχαίρειν; &c.

Faces ferre, & gaudere omnem populum.

Apud eundem in Pluto, vbi Plutus duci vult ad templum, vt sit loco Iouis, fit præceptio afferri *δᾷδας ἡμμένας, accensas faces*, vt in re sacra. Ad hilaritatem & lætitiam. sic Philostratus in Iconib. dat illas Como Deo comessationum. & Cedrenus pag. 402. ait, quosdam in lætitia exceptos *λαμπάσι, ϗ θυμιάμασιν, cum facibus, & suffitu odorum.* Ad prælucendum nauibus, vt accedere ad portum possent. Philostratus idem lib. 1. Icon. *πυρσὸν εἰς φρυκτωρίαν τῶν νεῶν, αἳ πλέουσιν ἐκ τοῦ πόντου: faculam, vt venientibus è ponto nauibus præluceat.* B Ad aduentum amicorum significandum, & ostendendam lætitiam. Varro citatus à Nonio: *in aduentum amicorum domus fumat; hilaresco.* Seneca epist. 65. *interuenerant quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis & terrere vigiles solet; sed hic modicus, qui hospites venisse significet.* Demum signatè ad sacra inferorum, quod, præter gentiles ipsos, docet Sanctus Eligius episcop. Nouiomensis hom. 2. vbi ait, in fine lustri Romani, solitos accēdi cereos, & lampadas ex Romano more, ac tum sacrificia fieri in honorem Plutonis, & infernalium Deorum. Adduxi vsus decem facularum, quod studiosis non ingratum esse credo.

11. Dulcis, &c.] Dat, vt dixi, somno dulcedinem, profunditatem, & similitudinem cum morte, exprimens, vt solet, Homerum, nam lib. 13. Odyss. C

Καὶ τῷ νήδυμος ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε,

Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς:

Et huic suauis somnus in palpebris incidit,

Altus, iucundissimus, morti proximè similis.

Virgilius superat Homerum. Duplex hîc victoria. Prior, vnico versu inclusos duos Homericos. Est enim laus pressiùs loqui, quàm fusiùs. Posterior: Nam Græcus recurrit iterum ad dulcedinem interposita profunditate, quod non mediocre vitium. Quod autem Virgilius *altus* de somno, & Homerus *νήγρετος*, ipse sæpe, & Theocritus *εἰδ.* 8. *βαθὺς ὕπνος ἔχῃ.* Valerius Flacc. lib. 8. hanc profunditatem expressit verbo *obruo.* Seneca ep. 53. *animum altiùs mergit.* Noster 2. Æn. *sepeliri.* & 1. *sopiri.* Horat. *vrgeri.* De

Somni dulcedo. somni dulcedine alibi dictum, nunc mihi ante oculos D Aristophanes Vespis:

Κατὰ τοῖν κόραιν ἤδη τι καταχεῖται γλυκύ:

Nempe his ocellis dulce quid suffunditur.

& Pindarus Od. 7. Nem. *ἀνάπαυσις γλυκεῖα.*

12. Fidum capiti subduxerat ensem] Attingit consuetudinem veterum, quæ nunc apud nostros in magno vsu. Fuit enim moris, gladium & arma appendi ad caput dormientium, vt essent ad manum,

Gladius ad caput dormientium. si egerent. Morem hunc satis explicat Homerus. 10. Iliad. apud quem Agamemno cùm inuenisset Nestorem iacentem *εὐνῇ ἐν μαλακῇ, in molli lecto* subiungit:

Παρὰ δ᾽ ἔντεα ποικίλ᾽ ἔκειτο:

Iuxtaq; eum arma variegata iacebant.

Mox numerat scutum, hastas duas, galeam, baltheum: E Triphyodorus in excidio Troiano:

—*ὁ δ᾽ ἐξ εὐνῆς ἀνορούσας*

Τεύχεα μαστεύων:

Surgens hic ex lecto arma quærebat.

Clarè Appianus lib. 2. ἐμφυλ. loquens de Catone: *τὸ δὲ ξιφίδιον τῇ κλίνῃ τὸ σύνηθες οὐχ εὑρὼν παρακείμενον, ἐξεβόησεν ὅτι προδίδοιτο ὑπὸ τῶν οἰκείων τοῖς πολεμίοις: ensem solitum lecto adstare minimè inueniens, exclamauit, se hostibus ab domesticis prodi.* Inde ego illustro locum illum 7. Æn. vbi Turnus, quem iacentem in lecto vna Furiarum ad arma commouet,

Arma amens fremit, arma toro tectisq; requirit.

Vbi *arma toro* dictum signatè ex hoc more. & locum Senecæ in Hercule Oetæo hunc:

Eligere nescis anime cui telo incubes.

Vtinam esset, vtinam fixus in thalamis meis

Herculeus ensis.

Hinc etiam illustrari potest locus Iudith, de Holoferne, qui occisus gladio, qui ad eius caput & lectum pendebat.

13. Intra tecta vocat Menelaum] Quî hic locus concilietur cum his, quæ dicuntur. 2. Æn. ibi attulimus.

14. Quid moror] Similis locus lib. 2.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?

Quídve moror? Et lib. 4.

Quid moror? an mea Pygmaleon dum mœnia frater

Destruat.

Itaque aduertat studiosus Virgilij, similem locum vsurpandum in conquestione, & infelicitate, non in lætitia.

15. Comes additur vna] Vlyssem dedisse se comitem interfectoribus Deiphobi, Homerus etiam narrat Odyss. 8.

Αὐτὰρ Ὀδυσσῆα προτὶ δώματα Δηϊφόβοιο

Βήμεναι ἠΰτ᾽ Ἄρηα, σὺν ἀντιθέῳ Μενελάῳ;

Cæterùm Vlyssem ad domum Deiphobi

Conscendisse Marti similem cum eximio Menelao.

& Triphyodorus,

———*ποτὶ δώματα Δηϊφόβοιο*

Στείχησιν Ὀδυσσεύς τε, ϗ εὐχαίτης Μενέλαος:

———*ad ædes Deiphobi*

Aduentant Vlysséque, & bene comatus Menelaus.

16. Æolides] Non Vlysses, sed signatè *Æolides*, quæsita contumelia ab ipsa voce. Etenim, qui Vlyssem vellent proscindere, non Laërte, aut Acrisio genitum appellabant; sed Sisypho, aut Æolo. Nam Sisyphus filius fuit Æoli. Aiax apud Ouid. 13. Met. Vlysses dictus Æolides in cōtumelia.

———*quid sanguine cretus*

Sisyphio, furtisq; & fraude simillimus illi?

Aliter genus suum Vlysses ipse narrat:

Nam mihi Laërtes pater est, Acrisius illi,

Iuppiter huic. Error iste natus ab Anticlea matre Vlyssis, quæ ante nuptias Laërtis, concubuit cum filio Æoli Sisypho, latrociniis infami. Inde dictus ab inuidentibus filius Sisyphi, nepos Æoli. Sed certè Scholiastes Lycophronis apertè ait, Vlyssem fuisse filium non Laërtis, sed Sisyphi, nam Anticleam, postquam hæc ex Sisypho conceperat Vlyssem, Laërtes duxit. Vlyssis genus. verba eius, si quis quærat, hæc sunt. *Σίσυφος λάθρα μιγεὶς Ἀντικλείᾳ ἐγκυμονῆσαι τὸν Ὀδυσσέα· ὕστερον δὲ αὐτὴν ἔγημε ὁ Λαέρτης.*

17. Dii talia Graiis, &c.] Facta hæc imprecatio ex opinione veterum, qui putabant animas seiunctas à corpore, corporeis adhuc affectibus retineri. In fine huius libri habes Anchisæ verba hæc, Animę seiūctæ à corpore obnoxiæ affectibus corporis.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,

Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes

Corporeæ excedunt pestes. Intelligit hærere in ipsa anima separata à corpore affectus, qui insunt in eadem coniuncta cum corpore. Inde itaque iracundia hæc Deiphobi ardentis in Græcos. Probat rem hanc Magius. 3. Miscell. c. 5. ex Ouidio 5. Fast. apud quem vmbra Remi occisi à Celere pari iracundia,

Saue Celer crudelem animam per vulnera reddas,

Vtque ego, sub terras sanguinolentus eas.

& Suetonio, apud quem Nero fatetur exagitari se specie matris, quam occidi iusserat. Liuius quoq; scribit, Virginiæ manes per domos ad petendas pœnas vagatos. Marianorum animæ Syllam sollicitabāt; Orestem matris

matris vmbra, Pausaniã phasma Cleonices ab eo trucidatę. Sed huius rei seges magna est in Delr. nostro Disquis. Mag. Huc pertinet, quę ego attuli l. 4. Æn. ad illud:

Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.

18. FARE VICISSIM] Locus Euripidis in Phœniss.

Σὺ δ' ἀνταμείψαί μ', ὅστις ὢν ἐλήλυθας:

Tu verò responde mihi, quisnam sis, qui venis.

19. FORTVNA FATIGAT] Tibull. lib. 4.

Fortuna, vt mos est illi, me aduersa fatigat.

Tristitia de inferis. 20. VT TRISTES, &c.] Homero hæret 11. Odyss. apud quem Tiresiæ anima ad Vlyssem:

Τίπτ' αὖτ' ὦ δύστηνε λιπὼν φάος ἠελίοιο

Ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς νέκυας, καὶ ἀτερπέα χῶρον;

Quid huc ô infelix relicto lumine solis

Venisti, vt videas manes, tristem & regionem?

A Ita inf. in hoc libro, *tristes vmbræ*. Propertius lib. 1. eleg. 19. *tristes manes*. Alij *regna tristia*.

21. SINE SOLE DOMOS] Dissoluit illud Euripidis οἶκον ἀνάλιον. & in Alceste ἀνηλίους δόμους: & in Hercule ἀνηλίους μυχούς, *domos, recessum sine sole*. Debes Germano, qui etiam addit, repræsentarum frequẽs illud Homericum, Ἀΐδαο δόμους. Nam Pluto dictus Ἀΐδης à priuatione luminis. Etymologiæ huius auctores plures reperi. Hîc Plutarchum signo in opere λάθε βιώσας. Vbi Ἅδην ὀνομάζουσι, ὡς ἂν εἰς ἀειδὲς καὶ ἀόρατον ἡμῶν, ὅταν διαλυθῶμεν, βαδιζόντων: *Aden nominãt, quòd nos, cùm dissoluimur, eamus in locum aspectui visuiq; inaccessum.* Addit in opere de primo frigido, non solùm Ἅδην dici quasi τὸ ἀειδὲς, sed etiam Acherontem, quasi ἀχρώστοι. nequit enim videri, quod sine colore est. Pluto cur dictus Ades.

a Hac vice sermonum, roseis Aurora quadrigis
Iam medium ætherio cursu traiecerat axem,
Et fors omne datum traherent per talia tempus,
Sed comes admonuit, breuitérque affata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea, nos flendo ducimus horas.
b Hic locus est, partes vbi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
c Deiphobus contrà: Ne sæui magna sacerdos,
Discedam, explebo numerum, reddárque tenebris.
d I DECVS, i, nostrum, melioribus vtere fatis,
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.

ARGVMENTVM.

Admonet Sibylla Æneam, sermones abrumpat. discedit Deiphobus.

EXPLICATIO.

a HOmeri & Virgilij interpretes, illi in 11. Odyss. hi verò in hunc librum, admonent non semel, hæc sacra necromãtica peragi necesse esse spacio viginti quatuor horarum. Sacrificium noctu inchoabatur, inde suprà, *nocturnas inchoat aras*. Hoc sacrificio perfecto incipiebatur statim iter. Inde suprà,

Ecce autem primi sub lumina Solis & ortus
Sub pedibus mugire solum.

Itaque sub ortum lucis incepta est euagatio, ac perlustratio locorum inferorum; in qua visi infantes, damnati falsò crimine, qui se interfecerunt, amantes fœminæ, viri militares. Hoc C puncto temporis cùm iam lux appeteret, Sibylla Æneam vrget ad iter conficiendum, quòd videat Auroram præteriisse medium noctis cursum, & imminere iam ortũ sequentis lucis. Ac propterea, *nox ruit*, id est, finitur, quia Aurora appetens traiecerat iam medium cursum noctis, imo totam pene noctem, ideo signatè *traiecerat*, tempore plusquam perfecto, non, traiecit. Quod eo facit animo, vt reliquus supersit dies lõgissimæ narrationi Anchisæ, qui finis huius libri. Repeto breuiter, quia locus difficilis. Sacra incœpta sunt nocturno tempore: sub ortum lucis mugiit solum, & inceptum est iter. peruẽtum est ad Deiphobum adhuc ante diem: tunc Sibylla Æneam admonet appetere iam lucem: hic paret, abit, est cum Anchise reliquum integrum diem: redit ad classem appetẽte nocte. Atq; ita spatio viginti quatuor horarũ perfecta sunt hæc sacra necromantica. Hunc locũ ego sic explicabam, qui D nullus sum. Libẽter alios audiam. Galeoti explicationẽ in Notis dabo. Est *datum tẽpus*, id est, assignarũ spacio viginti horarũ, attributũmq; his sacris peragendis.

b Perueneranr ad locum, vbi se iter scinderet, dextra quidem ad regiam Plutonis, & Elysios, vbi erant pij; sinistra, ad Tartara, vbi scelerati, & nocẽtes. Dixit *ambas*, ait Seruius, nõ duas, quia sic tertiã posses sperare.

c Multi hîc multa, quorũ ego aliqua in Notis, hîc breuiter explicationẽ nostrã accipe. Ait Deiphobus. Ne in B me sæui magna vates, discedã à vobis, vt annos expleã meę purgationis, ad quẽ numerũ annorũ explendum tenebris reddar. Deiphobus, vt credi potest, recesserat à tenebris, in quibus erat, Æneã euntẽ prosequẽs vsq; ad locum, vbi iã iter clarius erat ad Elysiũ. Credi (inquam) hoc potest, nã de illo statim *torsit vestigia*, & de aliis suprà, *iuuat conferre gradum*. Ergò, ait Deiphobus, redibo ad meas tenebras, ad locum mihi destinatum. Certè hos omnes, qui præcesserunt, fuisse in tenebris, atq; vmbris, satis ex præcedentibus notũ. Nã Pal inurũ Æneas *vix multa mæstũ cognouit in vmbra*. & de Didone quoq; *agnouitq; per vmbrã obscurã*. Demũ duces quoque vidêre Æneam, & eius arma fulgentia *per vmbras*.

d I (inquit) ô Ænea decus Troiani nominis, atq; *vtere fatis melioribus*, quàm ego vsus sũ, quàm Troiani omnes. Hęc cùm dixisset, ipso *in verbo torsit vestigia*. Modus loquendi, & subita sermonis abruptio indicat, etiamsi voluisset Deiphobus, non potuisse tamen plura loqui, quæ enim hactenus dixerat, concedente fato dixerat. Simile illud suprà ad Didonem, *extremum fato, quod te alloquor, hoc est.*

NOTÆ.

1. HAC VICE SERMONVM, &c.] Ait hîc Seruius, *Quod autem dicit, Aurora medium axẽ traiecerat, illud ostẽdit, quòd secũdùm Thuscos diei ortus est à sexta diei hora*. Quę implicitè Seruius, explicatissimè dat Galeotus lib. de promisc. doctr. c. 30. Seruium laudans, atque illum pariter, & Virgiliũ explicans. Dicit itaque, diem mathematicè initiũ habere à meridie. atque adeo lux in duas partes secabatur: nam quæ erat vsque ad meridiem, ad præcedentem diem pertinebat; quæ à meridie, ad sequentem. Additque hoc factum Hetruscorum more, apud quos ortus diei & aurora non erant initio diei, sed in meridie. Ad hoc probandum adducit locum Virgilij, & Seruij. & rationem ex intercalari dierum supputatione. Fit enim vt Sol finiat annum quartum in meridie, non alia diei parte, & tunc sequitur intercalatio. Vide illum, qui ista longissimè. Iuxta hanc explicationem *medius cursus* Poëtæ, est meridies. Aliter ego accepi, & explicui, videlicet de media nocte. & quidẽ Varro noctis mediũ vocat *no-* Diei diuisio. Meridies noctis.

 ctu

A *ctis meridiem*, quod alibi exhibui. Etenim si de medio die accipias, & *nox ruit* sit, nox aduenit, quod necesse est in interpretatione Galeoti, quid obsecro temporis restabat ad pœnas Tartari videndas, ad Elysios, vbi longissima fit mora cum Anchise, cùm sacra finienda essent nocte iã instante? Facit etiam ad meam explicationẽ Plutarchi locus de genio Socratis, vbi, cuidã, qui inferna loca perlustrauit, ad hanc rem dat tantum δύο νύκτας, καὶ μίαν ἡμέραν: *noctes duas, & diem vnum*. Tu de hoc loco Poëtæ vide etiam Agellium lib.3. cap.2. Et quidem in diuisione diei mirè variatum est à Gentilibus. Nam vti Babylonij, vti Ægyptij diem acceperint; illi ab ortu Solis ad occasum, nulla facta noctis mentione; isti à vespere vnius diei, ad alterius diei vesperum, scripsit Anastasius Sinayta in opere Hexhameron. De quadrigis Aurotæ, de eius roseo colore dicam in 7.

B 2. Nox RVIT] Diuerso significato dicitur. 2. Æn. videlicet de aduentante nocte, *& ruit Oceano nox*. Hoc non est contra me, nam in Poëtis similia multa. Certè in Virgilio ex multorum explicatione, *cadentia sidera*, sunt, vel desinente nocte, vel appetente. Cùm ventus dicitur *cadere*, duplex quoque est significatio, dicitur vel de vento incipiente, & incumbente ad procellas; vel de eodem cessante iam, & desinente minas. quod in Georgicis probaui.

3. HIC LOCVS EST PARTES, &c.] Locus apertè Platonis in Gorgia, vbi de his locis scribens, ita ait: ἐν τῇ τριόδῳ, ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδώ, ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς Τάρταρον. *in triuio, ex quo geminæ tendunt viæ, altera quidem ad insulas beatorum, altera autem ad Tartarum.* Pertinent etiam ad illustrationem huius loci, quæ idem Plato scripsit in Phædone, vbi ait, hoc iter σχίσεις τε, καὶ τριόδους πολλὰς ἔχειν: *habere multos anfractus, & multos tramites.* Quod inde elicit, nam opus est ducibus, &, si vna tantùm esset via (ait ille) nemo erraret. Inde suprà de Ænea, *ille vadentem ducem sequitur*. & Æneas ipse petit ad Sibyllam, *doceas iter, & sacra ostia pandas*. Hãc duplicem viã Tibullus attigit lib.1. eleg.3.

Sed me qui facilis tenero sum semper amori,

Ipsa Venus campos ducet ad Elysios. & deinde:

At scelerata iacet sedes in nocte profunda

Abdita, quam circum flumina nigra sonant.

& Horatius lib.2. Od.13. *Sedésq; discretas piorum.* Discretionem verò harum viarum Propertius constituit, non hoc loco, quo Poëta, sed ab initio tranati amnis inferorum. Sic enim loquitur lib.4. eleg.7.

Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,

Turbaq; diuersa remigat omnis aqua.

4. NE SÆVI] Homerus χαλεπαίνειν. Plautus Epid. *si quid sæuiat senex.*

5. EXPLEBO NVMERVM] Explicatio Macrobij lib.1. de somn. Scipion. cap.13. quam approbat Cælius lib.22. cap.6. & quam Beroaldus in Annot. contra Seruium, vocat subtilem, elegãtem, eruditam; quámque etiam arripit vt optimam Ioannes Meyenus, nescio quî placere mihi nullatenus potest. Nam non video, quomodò ratio illa numerorum, quam adducit, aptari Deiphobo possit. Non enim docet Macrobius, quis sit terminus ille numerorum, quos explere debeant abrepti violenta morte. Ideo aliter explicui, Platoni hærens, constituenti purgatorias quasdam pœnas, quæ finiuntur post numerum denarium, aut decennarium, aut centenarium, aut millenarium. Quibus exactis, iuxta id, quod cuique magis, aut minùs luẽndum est, fit reuersio ad vitam. Ex hac itaque doctrina, *explebo numerum*, signans videlicet per *numerum* tempus ipsum, quod restabat. Nam, vt ait Plutarchus ἐν Ῥωμ. ὅλως ἀριθμός τις ὁ χρόνος: *omnino tempus, quidam est numerus.* Sed Seruius Virgilium ita explicat: *explebo numerum*, id est, minuam numerum. & Seruium ita Modicius cap.35. Deiphobus cum Sibylla & Ænea constituebat numerum ternarium, qui numerus vt gratus est Superis, ita Inferis tristis. Ergo, abiens ego minuam ternarium numerum, quem constitui in inferno nefas est. Hæc explicatio ita displicet, vt penè obominer. Ceterùm vatis forma dixit Fabius declam.319. *implet numerum.* Expletio numeri in inferno.

6. IN VERBO VESTIGIA TORSIT] Est hoc, quod Catull. de Nupt. Pelei: *pedem reflexit.*

[a] Respicit Aeneas subitò, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquétque sonantia saxa.
Porta aduersa ingens, solidóque adamante columnæ,
Vis vt nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras:
Tisiphonéque sedens palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis seruat noctésque diésque.
[b] Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæq; catenæ.

ARGVMENTVM.

Describitur munimen Tartari.

EXPLICATIO.

[a] LAtet hîc concinnitas quædam, quam ego satis nequeo explicare, sed illa me commouet. Deiphobus subitò *torsit vestigia*: Æneas *subitò respicit*. Fiũt omnia puncto temporis. ita fatalia sunt. Neque ille potest plura loqui, neque hic abeuntem prosequi, adeò nec intueri, sed ab amico diuulsus cogitur Tartari carnificinam spectare. Hoc habito, considera, imò obstupesce, qua ratione describat munimen Tartari, vbi sunt noxij. inptimis, *videt mœnia lata*, ad explican-D dum infinitum pene nocentium numerum, qui capaci loco continentur: mœnia ista, *circumdata* sunt *muro*, non vno, aut duplici, sed *triplici*. Quis inde exitus? sed pergit. Mœnia ista, *Phlegethon ambit amnis tartareus*, non aquis, sed *flammis torrentibus*. Et vide concinnitatem. ideo *Phlegethon*, quia *flammis*: ideo; *amnis*, quia *ambit*. amnis quippe ab ambiendo dictus: ideo *rapidus*, quia cum flammis *torrentibus*, inerat in hoc flumine incredibilis strepitus, non à flammis solùm crepitantibus, sed quia secum *torquet* conuoluítque *saxa sonantia*. Innuit rapidissimum præcipitium aquarum. Quæ ista species? Suffecerant ista ad terrorem poëtæ alicui, sed non huic vati. Erat his mœnibus *porta*, sed ea *ingens*, & circa illam *columnæ* factæ ex *adamante*, adeo,

adeò *solido, vt nulla vis virûm, non ipsi cælicolæ valeant ferro exscindere.* Nam quî ferro exscinderent adamanta firmiorem materiam? vulgaris poëta nihil cogitans, diceret, columnas esse ex ferro, nec posse exscindi adamante, contra naturam rerum. Non sic hîc Argos. Præcessit adamas, in quē nihil faciet ferrum, nam infirmius. Quid præterea? *turris*, & hæc *ferrea*, *stat*, educta *ad auras*, ad custodiam portarum. Neque verò satis sunt hæc munimina; adest enim custos & satelles, *Tisiphone* dirissima Furiarum, *sedens* ad portam, & *succincta*, quo expeditior sit, *palla cruenta*, *seruat vestibulum noctésque diésque*, semper peruigil, semper *insomnis*. Et rectè, quæ à cæde dicta Tisiphone habet pallam concolorem cædibus, id est, cruentam. Nihil potuit amplius aut dici hac scriptione, aut excogitari. Non autem dubium, quin eminentissimus Poëta adumbret habitum ciuitatis munitissimæ, vt doceat qualis ea esse debeat.

b Quid verò intra hanc vrbem miserrimam? Exaudiebantur *gemitus* punitorum, sonabant *sæua* Furiarum *verbera*, quibus miseri dissecabantur: *tum*, id est, deinde, *stridor ferri, catenæ tractæ.* vide imaginem humani carceris. Sunt *catenæ*, in recto plurali, in his versibus sunt causa, & affectus. Exaudiebantur gemitus, quia ibi verbera; stridor ferri, quia tractæ catenæ.

NOTÆ.

1. RVPE] Rupem hanc, quæ est ad Tartarum, Homerus vocat petram. 10. Odyss. ad quam ille constituit Phlegethontis & Cocyti in Acherontem influxum. Scias hîc tam à Virgilio quàm ab Homero discriminari Tartarum ab inferno. De Homero satis multa Spondanus; de Virgilio id certum. Nam Æneam facit infernos adeuntem, nunquam tamen Tartarum. Ex quo enim Æneas Charontis fluuium transmisit, pedem in inferno posuit: iam hîc tantùm videt Tartarum, nunquam ad illum aduertit, docetur solùm à Sibylla, de rebus quæ intus essent. Porro locum nocentium Virgilius nominat Tartarum, Plutarchus in opere, λάθε βιώσας, appellat ἔρεβος, & βάραθρον, *Erebum, & barathrum*. distinguítque hanc partem ab Elysiis, & de Consol. ad Apollonium vocat Tartarum, δίκης & τίσεως δεσμωτήριον: *iustitiæ carcerem, atque vltionis.* Quæ verba sumpsit à Platone, qui in Gorgia: τὸ τῆς τίσεως τε & δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσι. vbi ait, vocari Tartarum iustitiæ atque vltionis carcerem. Obserua, rupem hanc dici, *sinistram*, ex doctrina eiusdem Platonis lib. 10. de Rep. qui ἀδίκους, id est, *iniustos*, constituit εἰς ἀριστερὰν, *ad læuam*. Sic sup.

Tartarus diuersus ab inferno.

—at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

2. MVRO] Hesiodus etiam in Theog. muro Tartarum cingit.

3. QVÆ RAPIDVS, &c.] Silius, & Claudianus Poëtam imitantur. Prior lib. 13.

—latè exundantibus vrit
Ripas sæuus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum, resonans saxosa incendia torquet.

& infra:

Ardenti Phlegethonte natat, feruoribus atris
Fons rapidus furit, atque vstas sub gurgite cautes
Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.

Posterior. 2. Rap.

—dominis intrantibus ingens
Assurgit Phlegethon, flagrantibus hispida riuis
Barba madet, totoq́; fluunt incendia vultu.

Plutarchus loquens de his locis, ποταμῶν φλεγομένων,

A *ardentium fluuiorum*. in opere de aud. Poëtis.

4. SOLIDO] Ex Theocrito haud dubiè, qui in Ptol. στεροῖς ἐξ ἀδάμαντος. Sic Statius 3. Theb.

—solidoq́; datos adamante lacertos.

5. ADAMANTE] Dictum hoc κατ᾽ ἐξοχὴν, & prouerbiali quadam specie, qua dura omnia dicuntur esse adamantina. Statius lib. 7. de regia Martis;

Adamantina pro duris adagialiter.

—clausæq́; adamante perenni
Dissiluēre fores.

Apud eundem lib. 3. equi Martis, *mandunt adamanta*. & Mars ipse apud Horat. inducitur *tunica adamantina.* apud Manilium lib. 1. Discordia vincitur *catenis adamanteis*. Idē sermo crebertimus Græcis. Apud Hesiodum in Theog. quispiam dicitur habere, θυμὸν ἀδάμαντος. apud Platonem. 10. Polit. ἀδαμαντίνως ἔχειν
B dicitur, qui se habet firmiter. apud Athenæum lib. 13. ex Pindaro, qui amore non vincitur, dicitur habere cor ἐξ ἀδάμαντος, ἢ σιδάρου. Prometheus in Æschylo alligatur ἀδαμαντίναις πέδαισιν, &, ἀδαμαντίνῳ σφηνός. Pindarus Od. 4. Pyth. ἀδαμάντινον ἄροτρον. Oppian. 3. venat. ἀδαμάντινον ἄορ. Æschines contra Ctesiphontem loquens de Demosthene merè prouerbialiter: Χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν, ὡς αὐτός φησι, τὴν χώραν ἡμῶν ἐτείχισε: *æreis muris, & adamantinis, vt ipse ait, regionem nostram muniuit.* Cedrenus etiam prouerbialiter pag. 524. ἀδαμαντίνοις δὲ, ὡς ᾤετο, δεσμοῖς τὴν βασιλείαν ἀσφαλισάμενος: *adamantinis uinculis, vt ipse putabat, regnum communiens.* Vsurpat iterum pag. 655. Mitto Pindarum apud Plutarchum, de facie Lunæ, Calabrum
C lib. 12. Aristidem in prima Platonica, Cyrillum in Amos, & in Micheam: Ioannem Chrysostomum, qui sæpe, & vnum Paulum non semel vocat ἀδάμαντα. Philostratum in Heroicis, Philonem li. de Abraham, Nazianzenum in Apologetico, Eunapium in vita Chrysanthij. Sed signatè inuenio hanc vocem datam rebus infernis. Nam hîc in Virgilio columnæ Tartari sunt ex adamante. Ouidius 4. Met. Inferni fores facit *clausas adamante.* & viæ ipsæ inferorum in Propertio lib. 4. eleg. 12. nam ait:

Adamas in inferno.

Non exorato stant adamante viæ.

Theocritus quoque in Pharmaceut. & τὸν ἐν ᾅδᾳ κινήσεις ἀδάμαντα. Sunt qui aliter capiant Theocritum. *etiam ipsum apud inferos moueres adamanta.* Sed quid, si Virgilius locutus propriè, & columnæ istæ adamantinæ erant? Nam adamas igne non liquescit, quod scribit
D Clemens lib. 7. Strom. cap. 6. Certè materiam aliam Phlegethontis ignis aut absumeret, aut dētereret. Cyrillus quoque in Amos de adamante: τῆς τοῦ πυρὸς ἀκμῆς ἀλογεῖν εἰθισμένος: *ignis vigorē contemnere suetus.*

6. FERREA TVRRIS] Hoc quoque dictum κατ᾽ ἐξοχὴν. sed alibi firmo. Ab Homero 8. Il. portæ inferni dicuntur ferreæ, & pauimentum æreum.

Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, & χάλκεος οὐδός.

Ita & Statius. 7. Theb. communit ferro Martis regiam:

Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.

Ioan. Chrysost. homil. de Morte prouerbialiter: εἰ καὶ λίθος ἦν, εἰ καὶ σίδηρος.

7. PALLA] De hac veste dixi alibi. Ad imitationem
E Virgilij Ouidius quoque de Tisiphone,

Palla Furiarum.

—fluidoq́; cruore rubentem
Induitur pallam, tortoq́; incingitur angue.

8. SONARE] Aduerti hoc verbo signari furorem Eumenidum. Seneca Oedip.

Sono de Furiis.

Tum torua Erynnis sonuit.

Statius. 2. Theb.

—sæpe Eumenidum vocesq́; manusq́;
In medium sonuēre diem.

& 8.

Addit acerba sonum Theumesi è vertice crinem

Tisiphone. In 11. vni Furiarum dat sonum, ex quo alteri innotuit, *Accipit illa sonum.* Cyrillus in Nahum dixit, φωνὴ μαστίγων: *sonitus verberum.*

9. STRIDOR FERRI, TRACTÆQVE CATENÆ] Dixi repræsentari in toto hoc tractu humanum carcerem. Huius descriptionem adducam ex Calpurnio Flacco declamat. 4. quò videas Poëtam verè instituisse humano carceri: *video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti, robur Tullianum prospiciunt:*

Carceris humani descriptio.

A *& quoties iacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium exspectando, suum discunt. Sonant verbera, cibus recusantibus spurca manu carnificis ingeritur. Sedet ianitor inexorabili pectore: qui matre flente siccos teneat oculos: illuuies corpus exasperat: manum catenæ premunt.* In quibus agnoscis multa, quæ Virgilius de tartaro. Ioannes Chrysost. homil. de futuro iudicio humanum carcerem triplici nota signat. Constituit enim ibi homines αὐχμῶντας, σιδηραῖς ἁλύσεσι δεδεμένους, σκότῳ κατακεκλεισμένους: *squallidos, vinctos ferreis catenis, conclusos in tenebris.*

[a] Constitit Æneas, strepitúmque exterritus hausit.
[b] Quæ scelerum facies ô virgo effare, quibúsve
Vrgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?
[c] Tunc vates sic orsa loqui. Dux inclyte Teucrûm,
NVLLI FAS casto sceleratum insistere limen.
Sed me cùm lucis Hecate præfecit Auernis,
Ipsa Deûm pœnas docuit, pérque omnia duxit.
[d] Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigátque, audítque dolos, subigítque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
[e] Continuò sontes vltrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, toruósque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæua sororum.
[f] Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ, cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina seruet?
[g] Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sæuior intus habet sedem, tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tendítque sub vmbras,
Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum.

ARGVMENTVM.

Aperit Sibylla Æneæ quæpiam de Tartaro.

EXPLICATIO.

a VErbo *constitit*, exprimitur habitus hominis tendentis vltra, sed re aliqua graui rardati, inde *exterritus* est, postquam videlicet, *hausit strepitum.*

b Tria rogat, de specie & qualitate scelerum, de pœnis, de plangore.

c Respondet Sibylla præoccupans per πρόληψιν. quasi dicat, ô Ænea, si nemo castus accedere ad hoc limen potest, quî ego scire possum? Sed Proserpina, cùm me huic luco præfecit, ipsamet docuit pœnas Deorum, id est, quas Dij exigunt à sceleratis. *Insistere limen* est, sistere ad limen. Illud, *perq; omnia duxit*, est tmesis, pro, perduxit omnia, videlicet, ad me. Sic videtur necessariò capiendus locus, non, duxit me per omnia. Nam cùm nemini pio illuc ingressus sit, illa se ait scire, docente omnia perferentéque Proserpina.

d Ab hac præfatione narrat iam, quæ scit, incipiens à Rhadamantho, qui regio nomine præest Tartaro. Ille itaque, *castigat*, id est, increpitat atrociter nocentes, *auditq; dolos*, illorum, siqui deferant: si verò desint delatores criminum, tunc ipse, *subigit*, id est, cogit, *fateri piacula, quæ quisq; commissa apud superos* (homines)

B *distulit in seram mortem, lætatus furto inani.* Dicta hîc omnia cum respectu ad Romana iudicia, vbi Prætor, vbi iudex quæstionis, vbi quæstiones ipsæ ad extorquendam veritatem. Sed hîc quæpiam necessariò explicanda. Vocat *furtum*, crimen quodlibet clam factum, & corde tacito: absit enim, vt speciem intelligas. Ait *inani*, nam inaniter celatum est, quicquid detegendum fuit apud Inferos. Cùm ait, *distulit piacula in seram mortem*, non est sententia, dilatam pœnitentiã ad tempus instantis mortis, vt sæpe fit: sed, dilatam eò vsque, donec differendo moriantur. Roges, nonne *piacula* sunt sacra, quæ expiant crimina? Satisfacit tibi Turnebus, qui hîc accipit, *commissa piacula*, pro facto illo, cuius causa adhibendum piaculum. Ergo hîc *piacula* sunt fraudes, noxæ, adulteria, crimina re-

C liqua.

e Post auditos dolos, post veritatem quæstionibus & tormentis erutam, traduntur miseri à Rhadamantho tortoribus infernorum. Tortores isti sunt Furiæ. Ergo, *continuò*, id est, statim, *Tisiphone accincta*, quo expeditior sit, *quatit flagello*, miseros *sontes*, vtpote, *vltrix* magnorum scelerum, & hanc carnificinam exercet insultabunda in miseros. Neque verò satis, vti illam flagello, quod est in dextera; nam etiam, *sinistra* manũ intentat *toruos angues.* Quid præterea? Cùm videat se non parem tantæ carnificinæ, *vocat agmina sæua sororum.*

f Hæc

f Hæc cùm loqueretur Sibylla, portæ ipsæ Tartari patuerunt,& cum ingenti stridore. Hæc mihi verior visa est sententia, quam tamen posteriore loco Seruius proponit. Atque iam apertis foribus narrationem prosequitur. Sed quid illud? *Cernis custodia qualis Vestibulo sedeat.* Diuinant interpretes. Placent præ aliis, qui capiunt Megæram, aut Alecto. Nam Tisiphone clausis etiam portis visebatur in vestibulo, hæc autem custodia patefactis portis denuo apparet. alia ergo, à Tisiphone. Dices, cur necessariò, aut Megæra, aut Alecto? nonne alia monstra in Tartaro? Si aliud hoc monstrum, quàm Alecto, aut Megæra, nominasset profectò Poëta: cùm nullum nominet, & aliunde constet Furias insidere limina & vestibulum Tartari, efficitur inde quod dixi. Sed pro his tamen rebus cum nemine pugnabo.

g Pergit hunc in modum. *Hydra*, quæ *sæuior*, Furiis, *sedem habet*, in interiore parte: est hæc *immanis*, videlicet, *hiatibus quinquaginta*. Noluit dicere *oribus*, sed *hiatibus*, ad maiorem αὔξησιν. addidit etiam *atris*, ad explicandam profunditatem cuiusque oris. Sequitur, *tum Tartarus ipse*, &c. Quibus exaggerat profunditatem Tartari, quæ duplo sit maior spatio illo, quod est à terra in cælum. vel, spatio illo, quod est à Tartaro ipso in cælum. vtroque modo explicari hic locus potest. In hoc tractu tantùm explicui Poëtam, non expendi, tum vitandæ causa longitudinis, tum quia verè assequi nequeo, neque satis repræsentare terrores istos, formidinem, immanitatem, angues, flagella, Furiarum minas.

NOTÆ.

1. SCELERUM] Vt explicui, ita omnes. Sed fortassis, *scelerum*, posuit pro, *sceleratis*, vt Terent. *vbi est scelus, qui me perdidit*, pro, sceleratus. Quæ enim sequuntur in Poëta, videntur hoc facere, vt sit sententia. Quæ est facies sceleratorum? quibus vrgentur pœnis? quis illorum plangor? Nam verbi illius *vrgentur*, nullum est aliud suppositum.

Castus, quid 2. CASTO] Castus Latinis, Græcis ἁγνός, non solùm dicuntur, vt opponuntur Venereis, sed significant etiam pium, mundum, purum, intemeratum.

Sceleratum limen inferorum. 3. SCELERATUM] Ideo limen sceleratum, quia est sedes Furiarum, sunt enim illæ in limine, in vestibulo. Dicente Ouidio 4. Met.

Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Deq; suis atros pectebant crinibus angues.
Quam simul agnorunt inter caliginis vmbras,
Surrexêre Deæ: sedes scelerata vocatur.

Fortasse, Lector, limina infamiam suam contraxerunt à Furiis. Offensio pedis ad limina inauspicatissima fuit. Pharmaca magarum & incantamina sæpissime ad domorum limina constituebantur, vt iam habes. 8. Ecl. quem locum adiuuò verbis Hieronymi in vita Hilarionis: Apud quem adolescens, *subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum & portentosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit.* Lege reliqua. Cur obsecro limina istis malis subdita, nisi quia illa Furiis inferorum dicata? Ita probabiliter putare possum. Fuerunt enim limina obnoxia magiæ malo. Plinius lib. 28. cap. 4. *Cardinibus ostiorum aceto affusis lutum fronti illitum capitis dolorem sedare.* Sed de hac infamia liminum alibi latiùs loquor.

Limina vnde infamia. 4. HECATE] Scias hîc obiter, ab Hecate dictas more Gentilium fœminas aliquas Hecaterinas. Ita dicta ante baptismum magna illa Caterina Ecclesiæ lux quæ facta Christiana, nomen mutauit. Vide Cæsarem Baron. lib. 3. Annal. Ecclesiast.

A 5. RHADAMANTHUS] Ex doctrina, vt credi potest, Platonis, qui in Minoë, potestatem Minois & Rhadamanthi ita discriminat: *Rhadamanthus vir quidam bonus exstitit, à Minoë siquidem instructus erat: nec tamen regiam disciplinam omnem, sed regi tantùm ministrare in iudicijs didicit. Vnde iudex bonus appellatus est: Eo planè veluti legum custode per vrbem vsus est Minos.* Hinc ergo fortasse Poëta Minoi suprà maiorem potestatem tribuit, Rhadamanthum ad Tartarum destinat, tanquam à Minoë huc mittatur, vt nocentum carnificinam exerceat. Et suprà dixerat Plato, loquens de Homero, οὐ Ῥαδάμανθον πεποίηκε δικάζοντα: *Rhadamanthum non fecit iudicantem.* Itaque iudex tantùm est Minos, Rhadamanthus vt eius administer quæstiones exercet, culpas audit, cogit ad confessionem. & in B Gorgia Rhadamanthum facit inferiorem Minoë, cùm ait Asiaticos iudicari ab Rhadamantho, Europæos ab Æaco: Minois verò esse munus iniunctum, vt iudicaret supra illos; ait enim, ἐπιδιακρίνειν, siquid illi ambiguum reliquissent. Verum est, ab eodem Platone Rhadamanthum induci iudicem lib. 12. Leg. dat enim illi, κρίσιν τῶν δικῶν, *iudicium causarum.* Quin lib. 1. Leg. maiore adhuc dignitate illum afficit, facit enim illum dicentem, & distribuentem ius, διανέμειν τὰς δίκας ὀρθῶς. Est autem longè aliud iudicare, ac ius dicere. Quod contra Budæum iam monui. & in Apologet. ex æquo facit iudices Minoëm, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum. Pindarus Od. 2. Olymp. Rhadamanthum vocat Saturni πάρεδρον *assessorem.* & Od. 2. Pyth. ait, illum non delectari ἀπάταισι, *dolis.* Plato 1. Leg. δικαιότατον, *iustissimum.* Aristides in 2. Platonica dat huic viro εὐσέβειαν, καὶ δικαιοσύνην, *pietatem, & iustitiam.* Aristides laudans Antoninum philosophum, dixit ad αὔξησιν. τίς γὰρ Ῥαδάμανθυς, ἢ τίς Αἰακὸς οὕτω δίκαιον ἑαυτὸν πρὸς ἅπαντας δικαστὴν διεφύλαξε; *Quis Rhadamanthus, quis Æacus iustiorem se in omnibus (Antonino) iudicem præbuit?* Demosthenes in ἐρωτικῷ ait, Æacum & Rhadamanthum amatos à Diis διὰ σωφροσύνην, *propter moderationum*, non minùs quàm propter fortitudinem, Herculem, Castorem, Pollucem: propter pulchritudinem Ganymedem & Adonin. Fuit verò Rhadamanthus Cretensis (scio in hoc variari ab nonnullis) ideo Poëta Gnosius, à Gnoso vrbe Cretæ. Certè Plato. 1. Leg. Minoëm & Rhadamanthum facit fratres. Atqui Minos Cretensis fuit. Idem D scribit in Minoë, & vtrique assignat patrem Iouem, matrem Europam.

Rhadamanthus.

Iudices inferorum.

C

6. DISTULIT IN SERAM, &c.] Lege Erasm. adagio, *tempus omnia reuelat.* Vide vt explicui hanc seram pœnitentiam, & adiunge ita locutum Hieronymum in epistola ad Lætam: *seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus.* vbi, non est sententia, Prætextatam (nam de hac loquitur) serò pœnituisse, sed nunquam pœnituisse.

7. VLTRIX] Tametsi Furiæ omnes vltrices dicantur, vt alibi dixi, sed peculiariter hoc nomen conuenit Tisiphonæ. τίσις enim Græcis vltio est. Statius. 8. Theb. Tisiphone vnde dicta.

Sed quid ego hac ita? Tartareas vlciscere sedes
Tisiphone.

E iterum,

——plus erigit vltrix
Tisiphone.

Eodem spectar, vindicem dici ab eodem hanc Furiã lib. 1. Atque adeo credi potest, ab hac vna Furias reliquas dici vltrices.

8. FLAGELLO] Hoc armantur Furiæ. Stat. 11. Theb. de vna Furiarum, Furiarum flagella.

Diua ter admoto tetigit thoraca flagello.

Valer. Flacc. lib. 8.

 ——torto

—torto Furiarum erecta flagello
Prosilit.

Verberationis genus tripl. Et nota ex triplici genere verberationis, assumptum deterius, quod omnino seruile, relictis videlicet fustuario, & virgis. Omnis enim verberatio fiebat aut fuste, aut virgis, aut flagello. Extrema hæc turpissima, inhonestissima, crudelissima, ac præterea seruilis. *Ex quibus caussis*, inquit Marcellus I.C.L. seruor. ff. de pœnis, *liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cadi, & domino reddi iubetur*. Ab hac pœna Horatius signat Menam seruum, Od. 4. Epod. *Sectus flagellis hic triumuiralibus*. Meritò ergo res plenissima dedecoris assignata à Poëta ad carnificinam nocentium. Addunt Poëtæ, flagella ista esse viperea. Statius 7. Theb.

Has vbi vipereo tactas ter vtramque flagello
Eumenis in furias, &c.

Ideo Valer. 7. Arg.

Ipsum (Orestem) *angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli.*

Sed de his dico iam in Nota sequenti.

Angues. 9. TORVÓSQVE SINISTRA INTENTANS ANGVES] Ita omnes Furiæ inducuntur. Nunc de Tisiphone. Dantur illi angues in capite, in manibus. De capite Tibull. lib. 1.

Tisiphonéque implexa (alij legunt, *impexa*) *feros pro crinibus angues.*

De eadem Statius 1. Theb.

Centum illi astantes vmbrabant ora cerastæ
Turba minor diri capitis.

Mitto Senecam in Furente, Claudianum 1. Raptus. Prior dat illi *serpentes* in capite, posterior *hydros*. De manu produco Ouidium, & Statium, loquentes de Tisiphone. Prior 4. Met.

Nexaq; vipereis distendens brachia nodis.

Posterior 1. Theb.

Tum geminas quatit illa manus, hæc igne rogali
Fulgurat, hæc viuo manus aëra verberat hydro.

Ideo autem dantur Furiis angues, quia hi semper furoris insigne. Inde est, vt Bacchanalia celebrantes anguibus se incingerent. Arnobius lib. 5. *Bacchanalia etiam prætermittemus inania, quibus nomen Omophagijs Græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei numine ac maiestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.*

Intento. 10. INTENTANS] Commodissimè. Nam in hoc verbo insunt minæ, & peculiaris quidam furor, quod monuit Dousa lib. 1. Præcidan. cap. 5. Hac enim phrasi vsi Tacitus, Hirtius, Liuius, Cicero, & Petronius ipse sæpe, vt cùm ait: *intentaui in oculos Ascylti manus*. Pete reliqua ab illo. Huc trahit quoque *digitorum intentationem* apud Senecam. Inde & Virg. *intentant omnia mortem*. Eodem verbo vsus Seneca in Furiis, nam in Medea,

Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat.

& Philosoph. ep. 14. *Nihil habent, quod intentent*. & ep. 71. *In oculos nunc mihi manus intentat ille.*

Agmen de Furiis. 11. AGMINA SÆVA SORORVM] Nescio qua consensione poëtarum dictum est agmen de Furiis, etiamsi tantùm sint tres. Credo, ad signandas illarum iras. Valer. Flacc. 2. Arg.

—velut agmina certant
Eumenidum.

Seneca in Thyeste, *dira Furiarum agmina*. & in Furent.

—agmen horrendum anguibus
Megæra ducat.

Omitto multos. Statius vocem mutauit, nam pro *agmine* dixit *aciem* 1. Theb.

—quis funera Cadmi
Nesciat? & toties excitam à sedibus imis
Eumenidum bellasse aciem?

Seneca *turbam* nominat, cùm ait in Medea,

Quónam ista tendit turba Furiarum impotens?

Nondum reperi *exercitum*. Possit illo vti, qui velit. Malè itaque quidam interpretes per *agmina* intelligunt Harpyias. Nam cur non Virgilius loquatur, vt poëtæ alij? Quid, quòd nomen *sororum* de Furiis dicitur, vt patet ex Statio 2. 11. & 12. Theb. quæ tu vide.

12. HYDRA] Seruius hîc, & cum eo alij, capiunt Virgilium non de vera serpente Hydra, sed de alia Furiarum. Credo eos decipi. vide vt contra illos Nascimb. Lege etiam de hoc monstro Natalem, Lilium, & signatè nostrum Delrium in Senecæ Furentem vers. 240. nouis Comment. Ego pro argumento affero imitationem Propertij lib. 3. eleg. 11. qui de Medea ita ait:

Custodísque feros clausit serpentis hiatus,

vbi videntur mihi dari serpenti Colchico *hiatus*, vt à Virgilio serpenti Hydræ. Istæ enim res affines sunt.

13. BIS PATET, &c.] Duplam hanc dimensionem Virgilius videtur addidisse ad αὔξησιν. nam Homerus & Hesiodus æqualem constituunt. Prior 8. Il. loquens enim de Tartaro, Spatium inferni ad cælum fabulosè.

Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης:
Tantum sub inferno, quantum cælum est à terra.

Posterior in Theogon.

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης:
Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα:
Tantum sub terra est, quantum cælum distat à terra:
Par enim spacium à terra in Tartarum caliginosum.

Et adducit argumentum, nam si incus ferrea è cælo in terram cadat, decimo die perueniet: mox è terra in Tartarum, decimo itidem die. Et ex gentilibus assumpta doctrina Ioan. Chrysost. hom. de futuro iudicio. φασὶ στυγὸς ὕδωρ, καὶ τάρταρον, τοσοῦτον ἀπέχοντα τῆς γῆς, ὅσον αὐτὴ τοῦ οὐρανοῦ: *Commemorant, Stygis aquas, ac tartarum, tantum à terra distantes, quantum hæc à cælo*. Porro à forma huius locutionis non abludit illa Valerij Flacci 1. Arg.

Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera surgit
Molibus, infernas totidem demissa sub vndas.

Tale etiam quidpiam Lucret. lib. 4.

Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus.

Porro Tartarum videtur signare Plutarchus, de sera vindicta, cùm dicat esse in inferno locum ἄρρητον, καὶ ἀόρατον, *qui neque explicari queat, neque cerni*: nam videlicet ibi constituit τοὺς πάμπαν ἀνιάτους, *omnino insanabiles*. Eundem locum indicat Cicero in oratione post exilium, cùm ait de Clodio, *Spiritu dumtaxat viuere, re quidem infra omnes mortuos amandatum esse*. Nam, qui in Tartaro, infra omnes sunt mortuos.

[a] Hîc genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.
Hîc & Aloidas geminos immania vidi

Corpo

Corpora: qui manibus magnum rescindere cælum
Aggressi, superisq; Iouem detrudere regnis.
[b] Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
[c] Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, Diuûmque sibi poscebat honorem;
[d] Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Ære, & cornipedum cursu simularat equorum.
[e] At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitémque immani turbine adegit.

ARGVMENTVM.

Recenset illos, qui sunt in Tartaro.

EXPLICATIO.

[a] INcipit narrationem eorum, qui cruciantur in Tartaro; eámque ab Titanibus, qui bellum Superis intulerunt, sed domiti Iouis fulmine, contrusi sunt in Tartari partem imam. His adiungit Otum & Ephialtem filios vel Aloëi, vel verè Neptuni, sed putatos Aloëi. Fuit istis corpus immane, facinus verò, voluisse expugnare cælum, & Iouem inde detrudere.

[b] Reliquum sermonem consumit in Salmoneo, & eius explicando facinore. Dabat (inquit) pœnas, quòd Iouis flammas imitaretur, & sonitus Olympi, id est, fulmen Iouis, cæli tonitrua.

[c] Quæ pressè dixit in superiori versu de fulmine & tonitruo, explicatiùs hîc exhibet. vehebatur equis, vt fingeret tonitrua; gestabat lampada, vt fulmen. Sed vbi terrarum hæc tanta Salmonei insania? Non in recondito aliquo loco, sed *per Graiûm populos*, & signatè *per vrbem mediæ Elidis*, id est, per mediam vrbem Elidis; est enim sermo figuratus & poëticus. Inde verò Iouis indignatio (inquit Seruius) nam in ea ciuitate imitabatur Iouem, in qua hic specialiùs colebatur. Addit, *Diuûmque sibi poscebat honorem.* Propriè hoc; nam, notante in Terent. And. Donato, petimus precariò, poscimus imperiosè, postulamus iure.

[d] Pergit. Sed *demens* erat, vt qui *simularat nimbos*, id est, tonitrua, & *fulmen non imitabile*: fulmen *ære*, tonitrua *cursu equorum cornipedum.* Roges, quî fulmen ære? Nam æs candens fortasse & ignitum, & hoc artificio aliquo præfixum gestabat, vt fulmen videretur.

[e] Quid verò Iuppiter? Non faculas tantùm, vt Salmoneus, nec lumina tædis tantùm fumea, ac sine viribus, sed vt *omnipotens* inter veros nimbos ac tonitrua *contorsit* verum *telum*, verum fulmen: atque ita *adegit* illum *præcipitem immani turbine.*

NOTÆ.

1. TITANIA PVBES] Dicuntur Titanes fuisse filij Terræ, fratres Gigantum, vel ipsimet Gigantes nati è Cælo, & Titea, inde dicti Titanes, ait Diodorus. Fuerunt septemdecim. Hæc omnia

A fabulamentis deformata sunt, ideo nos parcè, quod sæpe monuimus: vberiores quippe in explicandis moribus, nam hanc partem eruditionis potiorem ducimus. Et in hac quidem errantium fabularum deformitate, putamus Virgilium hæsisse illis fabulatoribus, qui dicunt, hos fuisse Terræ & Titanis filios, nam hoc indicat suo versu, adhibens matrem & patrem, ait enim *genus Terræ, pubes Titania.* Porro Virgilius Hesiodo hæsit in Theogon. qui, Titanes.

Ἔνθα οἱ Τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
Κεκρύφαται.

Reddidit Virgilius Hesiodum illis *fundo voluuntur in imo.* Aristides in orat. quæ est ad Romanos, ait, *Τιτᾶνας εἰς τοὺς κατωτάτους μυχοὺς τῆς γῆς ἀπελθεῖν, Titanas* (ab Ioue) *ad infima terræ loca peruenisse.*

B 2. FVNDO] Pindarus apud Plutarchum de consol. Apoll. *Ταρτάρου πυθμένα ἀφανοῦς, Tartari obscuri fundum.* Aloïdæ.

3. ALOIDAS] Facit hos Hyginus filios verè Aloëi, & Iphimediæ filiæ Neptuni. Omitto reliqua illius, & quæ Phornutus, & quæ Homerus, 1. Odyss. & quæ Plutarchus lib. de exsilio, & quæ Philostratus in Heroicis. Adduco tantùm verba Apollodori lib. 1. *Aloëus Iphimediam Triopis filiam, quæ Neptunum exarsit, vxorem habuit: ea continenter ad mare se conferens, haustos manibus fluctus intra sinum ferebat, compreßáque à Neptuno geminos peperit, Otum & Ephialtem, quos Aloïdas appellarunt. Hi quotannis latitudine cubitum, longitudine vlnam crescebant: qui* C *vbi nonum expleuère annum, latitudinem cubitorum nouem, & vlnarum totidem magnitudinem adepti, Ioui bellum inferre non erubuerunt. Proinde Olympo Ossam imposuerunt, Peliáque super Ossam imposito, eum in modum cælum conscensum ire minitati. Ingestis ita montibus, de mari continentem, déque terra rursus maria se reddituros dictitabant. Quin etiam Ephialtes Iunonem, Otus autem Dianam sibi coniugem deposcebant: Martem insuper in vincula coniecère, quem Mercurius furto eripuit. Diana interim Aloïdas per dolum de curru peremit, nam in ceruam mutata per eorum medium exsiluit. Tum hi velut inferam collimaturi alter alterum telis coniectis occiderunt.* Institi versioni Ægij. Calaber lib. 1. Achillem & Aiacem comparat Aloidis. Affertque aliqua, quæ iam ego ex Apollodoro. Digni D sunt versus Claudiani de Bel. Getico, qui vbique legantur:

Quid mirum si regna labor mortalia vexat?
Cùm gemini fratres, genuit quos asper Aloeus,
Martem subdiderint vinclis, & in astra negatas

Tentarint munire vias, steteritque reuulsis
Pene tribus scopulis, cælesti machina bello.

Quamuis autem prætermiserim versus Homeri de his duobus, nō certè volo comparationem illius cum Virgilio, eámque filo Scaligeri, nam plena bonæ frugis. Facit Homerus hos Gigantes latitudine ἐννεαπήχεας, *nouem cubitorum*: longitudine ἐννεοργύιες, *nouem vlnarum*. Quanto simplicius, grauius, breuius, *immania vidi Corpora*. Est enim Virgilius eruditionis professor maximus, sed minimus ostentator. Homerus nihil putat dicere, nisi claré omnia scribat: Virgilio satis est insinuare. Deinde Homerus dat his tantum ἀπειλὰς minas quasdam. ἀθανάτοισιν (ait) ἀπειλήτην. Quod frigidum ad tantam molem corporum. Virgilius autem,

Virgilius superat Homerum.

— qui manibus magnum rescindere cælum
Aggressi, superisq́; Iouem detrudere regnis.

Vide audaciam, furorem, temeritatem, amentiam, non frigidas solùm minas. Præterea ex symmetriæ ratione ridiculus est Homerus, nam qui latitudine sunt ἐννεαπήχεες, longitudine ἐννεόργυιοι, malè admodum, & deformiter constituti erunt. Addo etiam operæ Scaligeri, meliores esse Calabri versus, quos prætermisi. Amputauit enim Homeri nugas, & reliquit minas, & virtutem. Porro cum respectu ad mensuram illam cubitorum, quam isti excrescebant, adagij formam elicit Ammian. lib. 22. cùm ait: *grandiaq́; incedens tanquam Othus, & Ephialtes.* Vide Iunium Cent. 4. adag. 22. Producit Iunius nullum alium testem huius formæ adagialis, sed posset quoque Plutarchum in opere de Luna, qui ad adagium contendens, ita ait: *Ego hîc renidens, bene tu (inquam) Apollonide, qui talem nobis inueneris demonstrationem, qua & me, & te euincas maiores esse Aloidis istis, non quidem quouis diei tempore, sed mane potissimùm, ac vesperi.* Græca, quæ ad rem, τῶν Ἀλωάδων ἐκείνων μείζονας εἶ. Cæterùm de Pane, qui dictus ἐφιάλτης, id est, incubo, alia est notio. Lege Artemid. lib. 2. cap. 42. & Glossasten. & de Ephialte pro vapore noxio, qui ex cruditate in caput recurrit, Christianum in vespas Aristophanias, & Scholiastem.

Tanquam Othus, & Ephialtes, adagium.

Ephialtes de Pane, & Vapore.

4. SALMONEA] Virgilius hunc impium agnoscit, & ita fere omnes. Nam Didymus in Homerum, δυσσεβῆ vocat, *impium* Hesiodus, ἄδικον, *iniustum*. & ὑπέρθυμον *superbissimum*. Galenus, quod vidi in Iunio, παραπλῆγα *vacordem*. Suidas eodem filo impium nominat, & dedisse pœnas impietatis. Quin ipse Salmoneus sibi furorem dat lib. 2. epigramm. ait enim, ἀντεμάνην. Aliter Homerus de illo sentit, nam vocat ἀμύμονα *inculpatum*. Quo epitheto solet ille excellentes duces ornare. & filiam eius Tyro εὐπατέρειαν appellat, id est, *bono patre natam*. Aítque Eustathius, Salmoneum expressisse fulmina, nō vt esset in Iouem impius, sed vt artifex egregius: quemadmodum Archimedes finxit vrentia fulgura ex speculis. & alius quidam terræ motus est æmulatus. Ferunt fabulæ fuisse Salmoneum filium Æoli, & fratrem Sisyphi. Et in his adhuc est diffidium. Sed quid hoc persequar?

Salmoneus.

5. DVM FLAMMAS IOVIS, &c.] Insaniam istam Salmonei quis non attigit? Suidas de illo: *machina quadam fulgurabat, tonabat, populi animos conturbabat.* Valerius 1. Arg.

Salmonei tonitrua.

Salmoneus nondum ille furens, cùm fingeret alti
Quadrifida trabe tela Iouis.

Ipse de se in epig. βρονταῖς ὃς Διὸς ἀντεμάνην, *qui per furorem Iouis fulmina eludebam.* Didymus illum facit, ἀντιβροντῶντα τὸν Δίι, καὶ ἀντιαστράπτοντα: *intonantem fulgurantémq́; cōtrario conatu à Ioue.* Eunapius in Chronographia loquens de Eutropio eunucho, contra A quem scripsit Claudianus, alludens ad Salmoneum, ait: κατέσεισεν ἅπαντα, καὶ κατεβρόντησεν: *concussit omnia, & tonitru perculit.* Sed quoniam bis mentionem feci Græci epigrammatis, illud tibi vertam. Loquitur statua Salmonei, percussa fulmine à Ioue. & illa, vt credo, saxea, nam istæ in maiore pretio, quàm ligneæ. Ergo illa,

Sum labor, ô Polyclete, tuus, lusiq́; per auras
Salmoneus magni tela trisulca Iouis.
Is mea non fessus diro simulacra petiuit
Fulmine: adhuc barathro nec datur vlla quies.
Parce Pater Diuûm, quid cædis inutile saxum?
Ἀψύχοις non te belligerare decet.

Sed cùm dicat Maro, tonitrua hæc fuisse simulata ære, scias, alios esse, qui tympanis id dicant factum, quæ B ex siccis coriis consuens Salmoneus, sonos quosdam edebat. Ideo Nazianzenus orat. 2. contra Iulianum, καὶ Σαλμωνεὺς εἶναί τις ἐξ βύρσης βροντῶν: *Salmoneus quispiam è corio tonans.* Salmoneo adnecti porest historia Anthemij apud Agathiam lib. 5. Hist. qui fulgura & tonitrua effingebat, ex cogitatis quibusdam collisionibus complosionibúsque rerum, quæ valde essent sonoræ, atque ita immanes quosdam fragores edebat, percellendo sensui aptissimos. Inde Zenonis iocosa querimonia ad Imperatorem Iustinianum; se, homo cùm esset, non posse pugnare πρὸς Δία τὸν ἀστεροπητ[illegible] ἐρίγδουπον. *contra Iouem fulminantem, & tonantem.* Simillima Chosroes apud Cedrenum. Parauerat ille quasdam machinas, quæ σταγόνας στάζειν ὡς ὑετὸ[illegible] ἤχους ὡς βροντὰς ἐξηχεῖσθαι, *guttas demitterent, tanquam* C *pluuiam, & tonitrui sonitus resonarent.* Simillima etiam Alladius apud Dionys. lib. 1. Antiquit. verba Interpretis sunt: *Alladius res quædam tyrannica, & cum Diis inimicitias gerens. Nam ab eo despiciente numina apparata sunt fulgurum imitationes, & fragores tonitruis similes, quibus terreri homines, tanquam esset Deus,* [illegible] Plutarchus de tranquillitate, ait, Reges esse Deorum imitatores, μονονουχὶ βροντᾶν καὶ ἀστράπτειν ἐθέ[illegible] malè ad hos fragores, & ficta tonitrua, referas, [illegible] bardæ inuentum, qua machina vsum primò, [illegible] digum, Teutonici cuiusdam ingenio, auctor est Platina in historia Vrbani Sexti. de qua re adeundi [illegible] Volaterranus, & Blondus. Qui hoc inuentum referunt ad Archimedem (hi sunt Robertus Valturius & Franciscus Petrarcha) videntur omnino decipi. Po- D tiore iure referrem ego ad Salmoneum Virgilianum. De hac re lege Hieron. Magium lib. 1. Miscell. cap. 1. Quæ sint porro *Claudiana tonitrua*, in Festo inuenies. De tonitruis spectaculorum in Romana scena, obuia sunt auctorum loca. Nunc mihi ante oculos Plutarchus lib. 4. Symp. quæst. 2.

Anthemij fulgura.

Chosrois tonitrua.

Alladij fulgura.

Claudiana tonitrua.

6. LAMPADA QVASSANS] Præclatè, nam ignis motu accenditur. Sed hæc nota ascribatur Passeratio in Catullum, ita illustranti. Catullus ipse de face nuptiali, *manu quate.* Ouidius:

Ignis agitatione augetur.

Vidi ego languentes mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Propert. lib. 1. eleg. 3.

Et quaterent sera nocte facem pueri.

Seneca in Medea:

E *Excute sollemnem digitis marcentibus ignem.*

Statius in epithal. Stellæ:

——quatiuntq́; nouena
Lampade sollemnem thalamis coëuntibus ignem.

Est hoc, quod Propertius flexu alio dixit lib. 4. eleg. 3.

Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipsa facem.

lib. 3. eleg. 14.

Ipse amor accensas perculit antè faces.

7. ELIDIS] Fuit quippe Salmoneus filius Æoli, Elidis

dis reguli, ex Laodice, filia Aloëi, quod & Iunius notauit, Adag. 1. Centur. 1. vt hinc videas concinnitatem Poëtæ, qui post Aloidas posuit Salmoneum.

Diuinos honores qui ambierint.

8. DIVUMQVE SIBI POSCEBAT HONOREM] Similis insania multorum, Alexandri, Caligulæ, Annonis, nuper in insulis Iaponiis Nobunangæ & Taycosamæ. Auctores primi, Curtius sæpe, Arrianus, Plutarchus, Iustinus lib. 12. apud quem Alexander, *non salutari, sed adorari se iubet.* Alterius, Suetonius c. 22. & Romani alij Scriptores. Tertij, Ælianus lib. 1. Var. hist. c. 30. vsus quippe Anno hoc commento. Coëmit aues plures ex his, quæ discunt cantiones, quas in tenebris & obscuro loco aluit, hanc illas cantilenam docens, θεὸς ὁ Ἄννων: *Deus est Anno.* Vt inde egressæ vocem hanc spargerent, & pro miraculo haberentur apud vulgus imperitum. Duorum, qui extremi, pater Ludouicus Gusmanius è nostra Societate in Historia Iaponica. Cuius viri recordationem grata memoria amplector, vt in quo fuit egregia sanctitas, singularis pietas, humilitas ad stuporem, animi candor incredibilis, propagandæ fidei inter barbaros ardor eximius: quæ res illum impulit ad scribendam historiam pietate plenam, & zelo fidei. Nolui viri huius elogium præterire, qui me in Christo genuit.

B

Ludouici Gusmanij elogium.

9. DEMENS] De hoc affectu locutus sum in Miseno, vbi par locus. Hîc subiungam verba Æliani, qui lib. 2. Var. hist. c. 19. loquens de Alexandro affectante diuinitatem, pari est vsus affectu: ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν αὐτὸν ψηφίσασθαι, γελοίως γε: *Scripsit ad Græcos, vt se Deum facerent. Stultè.* Eandem vim apud Græcos (Latini tibi sæpe occurrent) habet vox ἡδύς, etiamsi longè alio significato, vt cùm Plutarchus, de orbe Lunæ, dixit, ὁ δὲ μὴ τοῦ παντὸς, ἀλλὰ τοῦ κόσμου μέσην εἶναι τὴν γῆν ἀποφαινόμενος, ἡδύς ἐστι, εἰ μὴ καὶ: *qui non vniuersi, sed mundi medium putat terram, iucundus est, nisi etiam,* &c. Id est, stultus, vtique νήπιος. Affinis in hoc significato vox βέλτιστος. solet enim simili Ironia proferri. Exemplum inuenies in Plutarcho, opere de Stoicorum repugnantiis.

C

10. TELVM CONTORSIT] Fortasse hæsit versibus Pindari Od. 10. Nemeor.

Ζεὺς δ᾽ ἐπ᾽ Ἴδᾳ πυρφόρον
Πλᾶξε ψολόεντα κεραυνόν·
Ἅμα δ᾽ καίοντ᾽ ἐρῆμοι.
Χαλεπὰ δ᾽ ἔρις ἀνθρώ-
ποισιν ὁμιλεῖν κρεσσόνων.

D

Iuppiter autem in Idam fulmen igniferum contorsit fuliginosum. Simul autem comburuntur deserti. Adeo graue est versari in contentione aduersus potentiores. Ad rem Poëtæ pertinent verba hæc Plutarchi in Amatorio, νεμεσᾷ

A γὰρ ὁ θεὸς τοῖς ἀπομιμουμένοις βροντὰς καὶ κεραυνούς: *vlciscitur Deus imitantes tonitrua & fulmina.* Vide satis longum excursum Nonni lib. 2. Dionys. vbi per plures versus inducit Iouem emittentem fulmina in Typhœum inuasorem cæli.

11. NON ILLE FACES, NEC FVMEA, &c. Lepidè perstringit ficta Salmonei fulmina: adnotat quippe Seruius dictum hoc ad discrimen ignis terreni, quo in suis fulminibus vtebatur Salmoneus: nam æthereus ignis caret fumo, splendore tantùm vigens. Itaque tam Virgilius in suis versibus, quàm Seruius in sua explicatione, videntur hærere versibus Lucretij lib. 2. istis:

Ignis fulminei ad nostrum, discrimen.

Per facile est animi ratione exsoluere nobis,
Quare fulmineus multo penetralius ignis,
Quàm noster fluat è tædis terrestribus ortus.
Dicere enim possis, cælestem fulminis ignem
Subtilem magis è paruis constare figuris.
Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic è lignis ortus, tædaq; creatus.

Hęc etiam si vera sint, fortassis locutus Poëta alia sententia. Præmitto verba Plutarchi, vbi loquitur de Luna: *fulmina, quæ splendoris expertia, & fuliginosa poëtæ dicunt.* Græca sunt, κεραυνοὺς ἀλαμπεῖς καὶ ψολόεντας. Vides vt agnoscat genus fulminis tantùm fumigeri, & id dicat celebrari à Poëtis. Vates itaque locutus fortasse cum discrimine ad hæc fulmina, hac sententia. iecit in Salmoneum non poëtica, & fumigera fulmina: sed vera. vel si mauis adhuc, locutus cum irrisione, quæ enim inania sunt, fumi nomine vocamus. Sic apud Lampridium in vita Alexandri, fumi venditor fumo punitur. Et apud Aristophanem in Ranis Philocleon ridens Iouis fulmina:

Fulmina poëtica.

Fumi nomē habent quæ sunt inania.

—— με
Ποίησον καπνὸν ἐξαίφνης:
Fac me subitò fumum.

Sic Æschines quidam magnus & vanus iactator dictus est prouerbialiter καπνὸς *fumus.* vt & quidam Theagenes. Vtriusque meminit ex Scholiaste Flor. Christianus: prioris, in Vespis Aristoph. posterioris, in Irena. Prouerbialiter dixit Philostratus in Heroicis, διαφεύγει σε καπνοῦ δίκην: *fugit te fumi more.* & Hieronymus contra Ruffinum: *Tu alter Salmoneus omnia, per quæ incedis, illustras, & nos fumosos arguis.* & de Manichæorum multitudine Cedrenus, ὡσεὶ καπνὸς διελύθη, *soluta est, vt fumus.* Cyrillus in Oseam. ποία γὰρ ὑπόστασις τῆς ἐκ καπνοῦ συνισταμένης ἀτμίδος; *Qualis substantia vaporis constantis ex fumo?*

12. PRÆCIPITEM ADEGIT] Est hoc quod Aristophanes in Irena, κάτω κάρα ῥίψας.

[a] Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: rostróque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.
[b] Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoúmque?
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadenti
Imminet assimilis. lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgítque facem attollens, atque intonat ore.

ARGV

ARGVMENTVM.

Proſequitur catalogum.

EXPLICATIO.

a PErgit ad Tityum, qui etiam in Tartaro. Deſcribit huius genus, magnitudinem corporis, cruciatum miſerum, & in hoc ſiſtit, mirè amplificans. Genus, nam vocat, *alumnum Terræ*, id eſt, filium. Magnitudinem, nam illi, *corpus porrigitur per tota nouem iugera.* Cruciatum, nam *vultur immanis*, (vide qualis ſatelles) *tundens roſtro obunco* (vide carnificinam) *iecur immortale, viſceraq́ue fœcunda pœnis*, (vide miſeriam, quæ eſt maxima, ſi tantùm ad æternum cruciatum ſis immortalis.) Quæ ſequitur αὔξησις, extra omnem eſt aleam, videlicet, *rimatur epulis*, vt cognoſcas auiditatem alitis. & quia auidus, ideo *habitat ſub alto pectore*, non contentus parte extima. In verbo etiam, *habitat*, cognoſce æternas moras monſtri excarnificantis. Demum, *nulla eſt requies renatis fibris.* Sunt *fibræ*, eminentiæ iecoris, ait Seruius. Certè hi ſex verſus quouis ſunt digni pretio.

b An hæc ſententia? Quid memorem Lapithas, & Ixionem, & Pirithoum? An verò hæc? Quid memorem duos illos Lapithas fama notiſſimos, Ixionem, & Pirithoum? Hi enim duo Lapithæ fuerunt. Imò Ixion Lapitharum Rex: & Pirithous, etiamſi Iouis filius, tamen Ixionis creditus. De quo iam ego alibi ex Homero. Sunt Lapithæ Theſſaliæ populi. In poſteriorem explicationem doctos video inclinare. Sed quæ horum pœna? duplex. Prima, *Quos ſuper atra ſilex*, &c. Altera, *lucent genialibus*, &c. extremam mirè amplificat. Itaque lapis eſt ingens ſupra illos penè lapſurus, vt æterno metu crucientur. Deinde, habent coram ſe menſas exſtructiſſimas, ſed Megæra *Furiarum maxima iuxta illos accubat*, neque ſinit *contingere manibus menſas*, nam *prohibet, exſurgit, intonat.* Hæc ſententia; expende illam. Summæ voluptati horrorem ſummum opponit. Audis, *fulcra*, & hæc aurea, in *toris genialibus*, id eſt, voluptuoſis, & hæc lucentia: deinde epulas, & has paratas, quo inuitentur; & *ante ora*, quo irritentur: demum luxum planè regium. Magnifica hæc omnia, delicioſa, ſplendida. His quid opponit? Furiam non quamuis, ſed maximam, accubantem iuxta illos, prohibentem, attollentem faces, ora intonantem.

NOTÆ.

Virgilius ſuperat Homerum.

1. NEc non et Tityon, &c.] Prima nota occupet comparationem Virgilij cum Homero, imò victoriã. Verſus ſunt. 11. Odyſſ. quos nolo hîc dare, tantùm q̃uæ pertinent ad collationẽ. Quod ille, Τίτυον εἶδον: hic grandiùs, *cernere erat.* Quod ille, γαίης ἐρικυδέος: hic, *Terræ omniparentis.* Quod ille, υἱὸν: hic, *alumnum.* In his fermè pares, reliqua quàm longo diſcrimine? Quod ille vulgatiter κείμενον, & iterum inculcans, ἐννέα κεῖτο πέλεθρα: hic ſemel, *per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur.* Quod ille ἔκειρον: hic *tundens.* ille tantùm ἧπαρ: hic *immortale iecur, fœcundaq́ue pœnis Viſcera.* ille, γῦπε: hic, *immanis vultur, & roſtro obunco.* Quod ille δέρτρον ἔσω δύνοντες: hic, *rimaturq́ue epulis, habitatque ſub alto Pectore.* illud, ὁ δ᾽ οὐκ ἀπαμύνετο χερσί, *ille autem non abigebat manibus*, quia frigidum, ideo telictum à Poëta. Addita verò multa, quæ vidiſti in excurſu collationis: ac demum additum veluti quoddam epiphonema,

— nec fibris requies datur vlla renatis.

A Verum eſt, pro Homero facere, depingi ab illo duos vultures vni homini ſuperſtantes, quod genus carnificinæ crudele eſt. Sed hoc certè non eſt tanti, vt illi debeat aſſignari victoria. Similem porro deſcriptionem in Promethei aquila inducit Achilles Alexandrinus, verbis iſtis Interpretis: *Aquila Promethei pectus depaſcebatur, quippe in aperiendo illo iam aperto perſtabat, roſtrúmque in vulnus demittebat, infodereq́ue, ac iecur quærere videbatur, cuius pars tanta ſeſe oſtendebat, quantam pictor per vulnus patere voluerat.* Poterant & in hunc locum conferri, quæ de Prometheo Æſchylus, & Lucianus; vterque non ſemel. Cauſam tacet Virgilius, cur hic detruſus fuerit in Tartarum: eſt verò hæc: interfectus eſt ſagittis ab Apolline, quòd Latonæ vim paraſſet, vt ait Apollonius, lib. 1. Arg. vel Dianæ, quod credit Euphor. quod monuit in Senecam

B Delrius.

2. Terræ omniparentis alvmnnvm] Iupiter Elarã filiam Orchomeni, quam compreſſerat, zelotypæ Iunonis metu in terra occultauit, inde natus Tityus, creditus eſt eſſe Terræ filius. Notarũt hoc Homeri interpretes ex Phrecyde, vt hinc videas, cur Virgilius, qui nihil fruſtra, Homeri υἱὸν, mutauerit in *alumnum.* Non enim tam dici filius Terræ, quàm alumnus & nutritius debet. *Tityj fabula.*

3. Omniparentis] Ex Lucretio, qui libr. 6. de Terra,

Omniparens, eadem rerum commune ſepulcrum.

Græci pari forma vocant Terram παμμήτορα, πάντροφον, παμφόρον, πολύθρεπτον, παμμήτειραν, ζείδωρον, πολυ-

C βότειραν, πανδώτειραν, τελεσφόρον, παντελέτειραν. Integra pete à Germano in hunc locum, & ab Hieronymo Columna in Ennium, & aliqua ab Lilio. Ab Ouidio 2. Met. *omnitenens* dicitur, eo verſu,

Suſtulit omnitenens collo tenus arida vultus.

Sic enim legendum ex libro vetere, non, *omniferos.*

4. Rostro] Notatum reliquit Athen. lib. 3. propriè hoc dici de ſuibus, & inde transferri ad alia animalia. Quin notat ex poëta quodam dici etiam ῥύγχος de Diis.

5. Vvltvr] Virgilius vnum tantùm adhibet, Homerus duos. Claudianus, Horatius, Seneca, Virgilio hærent. Primus 2. Rap. *Tityj vultur.*

—laterisq́ue piger ſulcator opaci.

Alter Od. 4. lib. 3.

D *Incontinentis nec Tityi iecur*
Reliquit ales.

Tertius in Furente:

Præbet volucri Tityus æternas dapes.

Idem tamen in Thyeſte Homero inſtitit,

Aut pœna Tityj ſemper accreſcens iecur,
Viſceribus atras paſcit effoſſis aues.

Tibullus quoque lib. 1.

Porrectúſque nouem Tityus per iugera terræ
Aſſiduas atro viſcere paſcit aues.

Lucretius itidem lib. 3.

Nec Tityum volucres ineunt Acheronte iacentem.

vidiſti obiter, vt aliqui horum ſuos verſus exornauerint Virgiliana Muſa. De natura vulturis appetentis

E carnes, multa hîc conferri poterant. De vulturio lege Columnam in Ennium. vide Plutarchum opuſculo, λάθε βιώσας, circa finem, vbi aperit quid mythologicè ſignet hæc vulturum carnificina.

6. Porrigitvr] Ouidius 4. Met. ita extulit,

Iugeribus diſtractus erat.

Lucretius lib. 3.

—nouem diſperſus iugera membris.

Sic legit Giſan. non, *diſperſis.* Ex noſtro Tibull. *porrectus.* verſum iam attuli. Lucretius quoque *proiectu corporis,*

poris,eodem libro,

Quamlibet immani proiectu corporis extet.

Tityi magni[tudo?] p. Scribit Pausanias in Phocicis,magnitudinem nouem iugerum, quam Homerus dedit Tityo, capiendam non de ipso corpore,sed iuxta aliquos de area, vbi ille sepultus est,quæ erat nouem iugerum. Potuit profectò fabula ista inde ducere originem.

[Iecu]r sedes [libi]dinis. 7. IECVR]In iecore sedem amoris constituunt Physici, ex qua fortasse proprietate Virgilius Tityum in ea parte cruciatum esse ait,in qua hæsit turpis amor. Certè eo ipso Eustathius Homerum laudat Odyss.11. Nam,sicut,ait, καρδία θυμȣ̃ τιςεῖα, ϗ λογιςικȣ̃ κεφαλὴ, ὅτω ϗ ἧπαρ ἐπιθυμίας: *cor domicilium est vitæ,caput rationis,ita & iecur cupiditatis.* Ideo Horatius Od. 4.libro.3.

Incontinentis nec Tityj iecur.

& lib.1.epist.

Non ancilla tuum iecur vlceret vlla,puérve.

& Od.25.lib.1.loquens de libidine,

Sæuiet circa iecur vlcerosum.

Claudianus in 4.Consu.Honor.loqués de Cupidine.

In iecur,& tractus imos compulsa recessit.

Maternus de prof.relig. cap. 5. *Tertia pars constituitur in iecore, vnde libido nascitur, & voluptas.* Horatij loca quæpiam, qui iecori non satis aptè attribuit iras, alij adnotarunt.Horatianis locis adiunge Iuuenalem, qui Sat.1. *iecur ardeat ira.*

8. TVNDENS] Hoc retinui,quia grauius, & quia ita hæret in multis libris, atque etiam quia sic exprimitur gestus auis rostro impetentis & exercentis carnificinam. Aliis placuit, *tondens.* Potest defendi hæc lectio. Nam Homerus de suis vulturibus ἔκειρον, *tondebant.*& apud Plutarchum de vitando ære, ἀποκείρȣσιν. Deinde Virgilius metaphoram sumit à plantis repullulantibus, vt apparet in illis,*fœcunda viscera*, & *fibris renatis.*Cum quibus quadrat,*tondent.* Tertiò,quia Seneca in Agamem.ad imitationem Virgilij:

Vbi tondet ales auida fœcundum iecur.

Quartò,quia de aquila Promethei ita Æschylus:ἧπαρ ἐκθοινήσεται: *iecur depascetur.* Ita videlicet Mercurius minatur Prometheo. Calaber quoque lib. 10. de aquila,κεῖρε ἧπαρ.

9. FOECVNDA VISCERA]Dio Chrysost.cum respectu ad Prometheum orat. 8. οἰδȣ̃ντος, ϗ αὐξοντος τȣ̃ ἥπατος:*tumente & crescente hepate.*

D 10. RIMATVR]Multis in locis Prudentius imitatus est Virgilium in Peristep.hym. 10.

Non rupta sulcis dissecatis viscera?

Animam nec intus abditam rimamini?

&in Apotheosi:*rimatur exta.*iterum:

Rimantes digitos costarum in vulnera cruda

Mersimus.

Non abeunt illa eiusdem in Perist.hym.10.

Scrutare vel tu nunc latebras faucium.

& hym.11.

——cauis costarum cratibus altos

Pandere secessus.

11. EPVLIS]Seneca *pabulum* dixit in Thyeste,

Plenum recenti pabulum monstro iacet.

Præcessit Tityus. Adducã in fine locum Accij in Prometheo,quem nolui diuellere,in quo multa sunt simillima Virgilianæ narrationi,& affectibus:

Iam tertio me quoque funesta die

Tristi aduolatu aduncis lacerans vnguibus

Iouis satelles pastu dilaniat fero.

Tum iecore opimo farta & satiata affatim

Clangorem fundit vastum, & sublime aduolans

Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.

Cùm verò adesum inflatu renouatum est iecur,

Tum rursus tetros auida se ad pastus refert.

A *Sic hunc custodem mœsti cruciatus alo,*

Qui me perenni viuum fœdat miseria.

12. IXIONA] Dictum de hoc alibi. Eius tormenti causas duas commemorat Pindarus Odyss. 2. Pyth. Prior, Ixionis fabula.

——ὅτι τ' ἐμφύλιον αἷμα πρώ-

τιςος ἐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς·

quòd cognatum sanguinem non sine fraude miscuit inter homines. Posterior,quòd Διὸς ἀκοίτιν ἐπειρᾶτο:*vxorem Iouis tentauerit.* Cur Pirithous in Tartaro sit,iam suprà vates ore Charontis.

13. QVOS SVPER ATRA SILEX] Hanc pœnam alij dant Tantalo.In his Euripides in Oreste, & Pindarus Od.1. Olymp.nam loquens de Tantalo,

———οἱ πατὴρ ὑπερκρέμα-

B *σε καρτερὸν αὐτῷ λίθον.*

illi Pater (Iuppiter)super appendit validum lapidem. Ab his fortè sumpsit Plutarchus,qui de superstit. Tantalo etiam dat λίθον.& ab Archilocho apud eundem in Politicis,Ταντάλȣ λίθος vsurpatur prouerbialiter.Dio Chrysost. orat.6. ait, Tantalo semper imminere πέτρον.Didymus non solùm lapidem nominat, sed ait, impositum Tantalo montem Sipylum. Idem scribit Plutarchus in opere aduersus Stoicos. Contrà, rotæ volucri subiiciunt Ixionem Tibullus,atque Ouidius, præter eos alij. Prior,

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi

Versantur celeri noxia membra rota.

Posterior,4. Met.

Voluitur Ixion, & se sequiturq́; fugitq́;.

C Sed placitum Poëtæ, vt in re fabulosa (nescio enim, an alia sit ratio multis Virgilianis locis expediendis aptior) Tantali lapidem dare Ixioni, huic rotam auferre.

14. ASSIMILIS] Vt Latini,*similis,assimilis*: Ita Græci ὅμοιον, προσόμοιον. Budæus.

15. LVCENT GENIALIBVS ALTIS]Vt hîc, *lucent*, in re epularum, ita 1.Æn.in conuiuio Didonis, *domus luxu splendida.* Referunt aliqui hanc pœnam ad Tantalum,alij ad Phineum.Neutri placent.Non illi,nam Homerus 11.Odyss.Dio Chrysost.orat.64. Seneca in Thyeste, Ouidius, Tibullus,Horatius tantùm in flumine aut stagnis constituunt sitibundum,à cuius ore aqua fugiat, cùm eam appetit; Homerus, Seneca,& Ouidius addunt etiam poma desuper, quæ cùm velit capere,fugiant itidem : hæc diuersa sunt à pœna, quam hoc loco recenset Virgilius. Non isti,nam quo iure Phineus in Tartaro constituitur?verum est,illum admisisse facinus graue, cùm propriis liberis oculos eruit nouercæ consilio : sed hoc in vita expiatum est, immissis contra illum Harpyis,imo & hæ fugatæ sunt expiato iam facinore. Scio ab Seneca in Hercule Fur.dici, vbi loquitur de carnificina inferorum, Tantali pœna.

Ferretq́; mensas auida Phineas auis.

Sed hoc nihil me mouet. Ego Spondanum sequor, qui ait hoc accipiendum de Ixione, & Pirithoo; & quidem absque eius ductu,ego sensissem,secutus ductum Virgilij.Nam series orationis Virgilianæ eò me ducit. Siquis obiiciat,quæ de Tantalo, quæ de aliis scribuntur; dicam in re fabulosa potuisse Poëtam li-

E bere vagari.Inde liberè quoque Valerius Flaccus. 2. Arg.hoc genus tormenti,saltem non dissimile,Phlegyæ & Theseo assignat : quos Virgilius aliter afficit. Illius versus sunt:

——inferni qualis sub nocte barathri

Accubat attonitum Phlegyan,& Thesea iuxta

Tisiphone,sæuasq́; dapes,& pocula libat,

Tormenti genus,& nigris amplectitur hydris.

16. GENIALIBVS]Ait Festus:*Genialis lectus,qui nuptijs* Genialis lectus.

ptijs sternitur in honorem Genij, vnde & appellatur. vide in hunc locum notam Ios. Scaligeri. Iuuenal. Sat. 9.

——Tyrius genialis in hortis
Sternitur.

Horat. epist. 1. lib. 1.

Lectus genialis in aula est.

Igitur lecti hi, aut tori Virgiliani ita sunt magnifici, vt repræsentent nuptiales, ac perinde voluptuosos, & iucundos.

17. FVLCRA] Sunt hæc lectorum sustentacula & pedes. Neque hoc pugnat cum Græcorum aut Romanorum more, apud quos lecti humi sternebantur, & accumbentes cœnabant. Ita enim interdum mensæ parabantur; præsertim in epulis lautioribus, vt pedibus in altum erigerentur, ac perinde lecti quoque attollerentur. Ideo Poëta *fulcra*, ad mensas, & *toros*, id est, lectos, *altos* exhibet. Nam si illæ cum fulcris, necessariò tori quoque alti. Quod vt factum esse credamus, argumento est tam multiplex mentio pedum, sustentaculorum, & fulcrorum in re conuiuiali. Athe. lib. 2. ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι κατάκειται: *decumbit in lectis, quibus insunt pedes eburnei.* Ibidem κλίνην ἀργυρόποδα. obiter nota materiam fulcrorum iam auream ex Marone, iam argenteam ex Athenæo. Dixi de Græcis, à quibus non dissidet ritus Romanus. Varro lib. 7. de Lingua Latina. *Quòd si esset analogia sequenda in supellectili, omnes lectos haberemus ad vnam formam; &, aut cum fulcro, aut sine eo.* Plinius lib. 34. cap. 2. *Antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus, fulcrísque.* Terentius Adelph.

Lectulos in Sole iligneis pedibus faciendos dedit.

His adde, quæ Petrus Ciacon. scribit, lectorum pedes partim rotundos & tornatos, partim alia atque alia forma effictos Romæ in marmoribus videri. Hæc ideo à me firmata sunt ex Græco pariter & Romano more, ne quis sequutus Suetonium aliter putet. Ait ille in Claudio cap. 32. *Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Vbi fulcra non pro sustentaculis & pedibus videntur capi, sed pro parte mensæ, &, vt credo, ima. & fortasse hæc fulcra erunt, quæ idem in Augusto cap. 64. vocat, *imum lectum*, vbi sermo est de Augusti nepotibus, vt in Claudio de liberis. Hoc etiam si verum sit (non enim quæro, an falsus Suetonius vocans fulcrum partem mensæ, non pedes) certè consensus omnium me ducit, vt fulcra accipiam pro pedibus & sustentaculis.

Luxus de cõuiuiis.

18. LVXV] Vox mensarum, vbi illæ exstructissimæ, lautissimæ, apparatissimæ. in 1. Æn.

——regali splendida luxu.

Silius lib. 11. in re etiam conuiuiali,

— stupet inconsuetus opimæ
Sidonius mensæ miles, faciemq; superbi
Ignotam luxus oculis mirantibus haurit.

Regificus de epulis.

Sed attributum, *regifico*, ad eandem pertinet magnificentiam. ita in 1.

—regali splendida luxu.

Basilicus victus.

Et Plautus Persa: *Basilicè agite Eleutheria*, id est, regificè. & iterum: *Basilico accipere victu.* id est, regio. Cicero ex Ennio in Tuscul.

Vidi ego te constante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam regificè:

subaudi, domum, aut mensam Priami.

19. FVRIARVM MAXIMA] Megæram accepi: in hoc animus inclinat, quamuis sciam certi nihil statui posse. Agitauit nemo hanc quæstionem, ideo subiiciam quæ reperi. Accepi (inquam) Megæram, primo, quia illa sic dicta quasi μεγάλη ἔρις. Illa ergo princeps reliquatum. Nam etymologia Natalis nemini docto probatur, Delrio in primis. Deinde Seneca in Furente huic præbet ducatum, cùm ait,

Megæra maxima furiarum.

—agmen horrendum anguibus
Megæra ducat, atque luctifica manus
Vastam rogo flagrantem corripiat trabem.

Tertiò, apud Statium 11. Theb. Tisiphone inducitur opem à Megæra postulans, tanquam à principe,

—Tisiphone fraterna claudere quærit
Bella tuba, nec se tanta in certamina fidit
Sufficere, inferna comitem ni sede Megæram,
Et consanguineos in prælia suscitet angues.

Quartò Poëtæ Megæram ad res magnas solent educere; si quæ non ita magnæ sunt, tunc Tisiphonem, & Alecto. Inde Ouidius in epist. Phyllidis:

Pronuba Tisiphone thalamis vlulauit in istis,
Et cecinit mœstum deuia carmen auis.
Affuit Alecto breuibus torquata colubris,
Suntq; sepulcrali lumina mota face.

Vides, vti à Megæra abstineat in re non multi ponderis. Quintò, Orpheus in Argon. tribus Furiis illatis, & nullo honesto epitheto Tisiphone & Alectone exornatis, Megæram vocat Diam. Versus est:

Τισιφόνη τε, καὶ Ἀλληκτώ, καὶ δῖα Μέγαιρα.

Sunt ista pro Megæra. Addidi, nihil certi statui posse. Ita est: nam pro Alectone proxima sunt argumenta. Dares enim Phrygius lib. 2. de bello Troiano ex versione Cornelij Nepotis, si illius est, quæ circumfertur, ita ait, Alecto.

—videt Alecto quas fregerat arces,
Fortuna meliore frui: videt, ardet, & hydris
Irascens, circumq; genas & tempora crebris:
Méne (inquit) Reginam Erebi, mundiq; potentem,
(Atque vtinam cæli) regnum mortale lacesset?

Adiunge auctoritatem Macrob. lib. 5. Satur. cap. 17. vbi de re longè alia loquens, facit Alecto maximam Furiarum. Pro Tisiphone quoque nonnihil est: nam Statius lib. 1. Theb. hunc in modum illam compellat ore Oedipi.

—da Tartarei regina barathri,
Quod cupiam vidisse nefas.

De eadem accurrente ad Oedipi preces, sic idem,

Tristibus exiliit ripis, discedit inane
Vulgus, & occursum Dominæ pauet.

Alibi idem Statius.

Tisiphone dux pande viam.

Quibus illa vocatur, *Regina, Domina, Dux.* Quæ Seruius de fame astruit, ipsa concidunt suo frigore. Nascimbænum nihil moror, qui accipit Celæno Harpyiam.

20. PROHIBET CONTINGERE] Est hoc, quod Plutarchus dixit de Tantalo in libro de vitando ære, εἴργων γεύσασθαι τῶν ἰδίων.

21. EXSVRGITQVE FACEM ATTOLLENS] Nota verba, *exsurgit, attollens*. Certè furor Eumenidum solet per has aut similes voces exprimi, de quo in 7. Æneid.

[a] Hîc quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatúsve parens, & fraus innexa clienti.
610 Aut qui diuitiis soli incubuêre repertis,

Nec

Nec partem posuêre suis (quæ maxima turba est)
Quíque ob adulterium cæsi, quíque arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras;
Inclusi pœnam exspectant, [b] ne quære doceri,
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunáve mersit.
Saxum ingens voluunt alij, radiísque rotarum
Districti pendent. sedet, æternúmque sedebit
Infelix Theseus, Phlegyásque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras:
DISCITE IVSTITIAM moniti, & non temnere Diuos.
[c] Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem
Imposuit: fixit leges pretio, atque refixit.
Hic thalamum inuasit natæ vetitósque Hymenæos:
Ausi omnes immane nefas, ausóque potiti.
[d] Non mihi si linguæ centum sint, oráque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

ARGVMENTVM.

Subiungit alios, abstinens iam ab nominibus.

EXPLICATIO.

[a] RÉcensét multiplex genus facinorosorum, qui puniuntur in Tartaro. Ergo ait, *Hîc inclusi exspectant pœnam*, septem hominum genera, videlicet, qui habuerunt odium fraternum: qui parentes suos pulsarunt manu; caue hîc quicquam de morte intelligas: patroni, qui clientes suos per fraudem deceperunt, fuerúntque in illos duri: qui, inuentis opibus, commodo suo metiti sunt omnia, aliena neglexerunt, præsertim cognatorum, & affinium; & hi quidem multi sunt; nam latè patet auaritia: qui cæsi sunt, propter adulterium; qui ciuilia bella tractarunt, hæc enim sunt, *arma impia*, quod alibi ego explicui: demum serui, qui vereri dominos cùm debeant, illorum fidem violarunt, nam hoc est, *dextras fallere*, est enim dextra sacrata fidei, de qua re dicam alibi.

[b] A facinorosis transit ad illorum pœnas; harum quatuor cõstituit genera. Ergo, *alij voluunt* ingentem lapidem, luctantúrque semper cum hac mole: alij, *pendent* miserrimè in *radijs rotarum districti*, id est, distenti, soluti, ac diuulsi à se: sedent alij, sedebúntque in *æternum*, è quorum numero est *Theseus*, & hic *infelix*, vt qui se filij nece & parricidio contaminauit (ait Germ.) nam ita postea de Bruto, *infelix*, &c. Sunt qui in Tartaro, inusitato pœnarum genere crucientur, vt videlicet cogantur alios commonefacere, in his est Phlegyas, qui, quòd Deos ipse contempsisset, hoc, alios, ne faciant, admonet.

[c] Recurrit iterum ad nocentes, & subiicit tria alia horum genera. *Hic* (inquit) *patriam auro vendidit*, atque illi *imposuit*, tanquam graue onus, *dominum*, id est, tyrannum aliquem *potentem*. Alius *pretio* quoque *leges fixit, refixítque*, id est, condidit ad libitum, aboleuit ad libitum. Demum alius veritas & nefandas nuptias aggressus est, inuadens *thalamum natæ*. versus ille, *Ausi omnes*, &c. sapit epiphonema.

A [d] Enumeratis nocentibus, & nocentium pœnis, breui quodam epilogo ait, se non parem esse, vel ad sceleratos percurrendos, vel ad illorum pœnas, etiam si sibi sint centum linguæ, centum ora, vox ferrea.

NOTÆ.

1. HIc QVIBVS, &c.] Adnecti Virgilio potest iste complexus verborum Tertulliani in Apolog. *Illuc enim abstrudi solent impij, quique in parentes, & in sorores incesti, & maritarum adulteri, & virginum raptores, & puerorum contaminatores, & qui sæuiunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque similes sunt alicuius Dei vestri.* Necnon
B iste Platonis in Phædone, cui proculdubio Virgilius institit: *Qui verò ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediuntur.* vide eundem in Axiocho ab eo loco, ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν. &c. Seneca quoque pari filo in Furente:

—certus inclusos tenet
Locus nocentes: vtq; fert fama, impios
Supplicia vinclis sæua perpetuis domant.

Hîc scias (nescio an alibi monuerim) Platonem, Virgilium, & reliquos ex ethnicis, habuisse Tartarum eo loco, quo nos Infernum; Infernum verò eo loco quo nos Purgatorium. Itaque cruciandi in æternum ducebantur ex illorum doctrina ad Tartarum, purgandi ad infernum. Scio ab hac doctrina dissentire aliquantulum Platonem in Phædone, nam aliquos constituit in Tartaro, quibus inde nullus futurus exitus; aliquos, quibus futurus aliquando. Porro percussores fratrum Cassiod. lib. 1. epist. 18. vocat *portenta*: Virgilius tantùm locutus est de odio. Tartarus, & infernus gẽtilium.

C

2. PVLSATVSVE PARENS] Parco hîc congerere eruditionem de his qui parentes suos interfecerunt; hoc enim Virgilij locus non postulat: qui tantùm capiendus de his, qui manu parentes pulsauerint. Itaque hæreo explicationi Coleri lib. singulari parerg. Pulsare parentem, quid.

OOo Iuris

Iuris cap.36. vbi ait, pulsationem debere intelligi illam, quæ fit manu, non ferro, aut alio quouis instrumento. vnde Tribonian. libr.3. Instit. titulo de iniuriis, ait, *iniuria autem committitur, non solùm, cùm quis pugno pulsatus.* Scio verba hæc aliter ab aliis legi, tu lege Hotomanum in eum locum. Ideo aliunde explicationem, quam adhibui, probo. Suetonius in Galba cap.5. *atque etiam manu pulsata sit à matre Lepidæ.* vides, vt cum pulsatione iungatur manus pugnúsve. Inde & Seneca lib. 9. Controu.2. *Qui patrem pulsauerit, manus ei præcidantur.* Erat itaque lex, ne quis manu parentem pulsaret, & Virgilius voluit assignare in Tartaro locum his, qui fecissent contra hanc legem, alludens proculdubio ad leges Romanas. & quidem in Romanis legibus Romuli, neque in Græcis Solonis, vlla statuta est pœna in parricidas, quòd neminem hoc facturum putauerint. Quod scribit Plutarchus in vtriusque vitis. & Orosius lib.5. cap.16. Quintilianus declam. 265. & declam. 278. apertè discriminat pulsationem à cæde, quod legenti liquidum. Adduco verba loci alterius: *Num dubium est, quin si pulsasset patrem, non iniuriarum tantùm lege teneretur: si occidisset, non cædis tantùm lege pœnas daret?* Vide eundem declamat. 328. & declamat. 372. vbi pariter discriminat. Inde ego & Statium explico 3. Sylu.

—si quis pulsatæ conscius inquam
Matris, & inferna rigidum timet Æacon vrna.

& Æschinem contra Timarchum, qui expressè, τὸν πατέρα τύπτων, ἢ τὴν μητέρα: *patrem aut matrem verberans.* Quod verbum nos ducit ad pulsationem manus, non ad scelus sanguinis. Magnum etiam pondus pro hac sententia Artemidori verba lib. 4. cap. 3. ἔδοξέ τις τὴν μητέρα τύπτειν· ἦν μὲν ὂν παράνομον: *visus est sibi quidam matrem pulsare. erat hoc ipsum contra legem.* Sed esto nulla sint firmamenta, quæ attuli, quæ tamen magna sunt: certè vnus Plato satis Poëtam explicat. Ille lib. 9. Leg. non longè à fine loquens de hac re, vsurpat verba ista ἅψασθαι, πληγῶν, τύπτειν: *contingere, plagam inferre, pulsare.* Quæ omnia verba, quò nos ducant, clarum. Et quidem, contendisse ad Platonem, Virgilium, clarum quoque. Nam addit Plato, hoc qui fecerint, dignos esse extremo supplicio, & explicat extremum supplicium esse, non mortem, sed esse in inferno. Quis iam neget Virgilium ad Platonem aspirasse, ac perinde capiendum, vt ille capiendus est? Pausanias etiam in Phocicis in inferno constituit illum, qui οὐ δίκαιος ἐς πατέρα, *non iustus in patrem.* Quæ iniustitia, nihil vetat, quin de hac pulsatione accipiatur. Laudo itaque doctissimum And. Schottum, qui in adductam Controuersiam Senecæ, verba Heraclidis Pontici hæc, οἱ νομοθέται ὡς τοὺς πατροτύπτας χειροκοποῦσιν, τὸ δυσσεβῆσαν αὐτῶν μέρος ἐξαιρέτως ἀποτέμνοντες, ita reddit, *Legislatores, patris percussoribus manus amputant, illam præcipuè partem mutilantes, quæ scelus commisit.* Reprehenditque Germanicum, qui reddiderat *parricidas.* Nec me mouet dici à Polluce lib.3. esse πατροτύπτας, quos alij vocant πατροφόνους, idque ex Isæo.

Clientium iura.

3. Et fravs innexa clienti] Allusum ad legem 12. Tabular. *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Horat. 2. Carm. 18. Od. ita attigit hanc fraudem.

Quid, quòd vsque proximos
Reuellis agri terminos? & vltra
Limites clientium
Salis auarus? pellitur paternos
In sinu ferens Deos,
Et vxor, & vir, sordidósque natos.

Poterit hic locus illustrari verbis Dionysij lib. 2. Antiq. quæ, quia satis plurima, omitto. Docet ibi multis, quo iure deberent patroni suscipere causas clientum. Itaque, qui legerit Dionysium, nihil mirabitur assignatum locum in Tartaro iis qui imposuissent clientibus, violassentque clientelas.

4. Soli incvbvere] Quia *soli*, ideo cruciantur. Debet enim esse pecunia ad vsus aliorum, ideo Græcis χρῆμα. & Persius Sat. 3. monet, pecuniam elargiendam charis propinquis. & hanc inesse illi vtilitatem. Illud *incubuêre*, illustrabis ex Cicerone, qui pro Cluentio, *pecuniæ incubare.* ex Liuio, qui lib. 8. *incubantes thesauris.* Græci dicunt ἐπικειμένους, ἐγκειμένους. Tu vide, quæ ego 2. G. ad illud *defossóque incubat auro.* & adiice hîc, dictum hoc ab Horat. Od. 1. Epod. alio flexu, videlicet, *terra premam.* & ab Plutarcho in Apophth. χρυσίον κατορωρυγμένον.

5. Ob advlterivm cæsi] Nunquid hîc *cæsi* sunt, occisi? an tantùm, percussi? tu diuina. Ego primum capio. videtur enim alludere ad illos miseros, qui occiduntur à viris, quoties isti illos deprehendunt in adulterio cum vxoribus.

6. Qvique arma secvti impia] Seruius hoc refert ad Sextum Pompeium, qui collectis seruitiis vastauit Siciliam. Alij ad Spartacum, qui seruorum fugitiuorum collecta manu bellum concitauit. Turnebus libro 22. cap.1. ad vnum Menam, in quem Horatius scripsit oden quartam Epod. Nam hic, cùm esset libertus Sexti Pompeij, defecit à patrono, & ad Augustum transiit prodita classe. Atque adeo Turnebus coniungit hæc omnia,

— quíque arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.

Hoc non omnino placet Germano, nec nobis. Rationem illius tu vide. Nostra hæc est. Nam malè Poëta cum allusione ad rem Menæ nominaret *dominorum dextras.* cùm longum sit discrimen inter dominos & patronos. Et quidem Sextus Pompeius patronus erat Menæ, non dominus. Quid quòd Augusti arma Virgilius non *impia* diceret. Itaque satius est, verba disiungere, & per illa, *quíque arma secuti Impia,* intelligamus omnes aggressores bellorum ciuilium. reliqua de seruis nequam.

7. Inclvsi] Fortasse cum allusione ad Romanum morem, quo vulgo serui in custodiis erant, & ergastulis tenebantur inclusi.

8. Qvære doceri] Similes locutioni huic structuras adducit Lambinus in Od. 11. lib.1. ad illud,

Tu ne quæsieris scire, &c.

Lege illum.

9. Saxvm ingens volvvnt alii] Signari hîc Sisyphum, certum: sed & alios multos, certum quoque. Noluit sanè Poëta, vt sæpe visum, insistere tritis fabulis. quod etiam apparebit in sequenti nota. Saxum Sisyphi iam sublatum, iam dilabens, ἀνωθούμενον, καὶ καταφερόμενον Nazianzenus vocat orat. 2. contra Iulianum. Prouerbium porrò de saxo Sisyphi, quod paucis admodum illustrat Erasmus, locupletabis ex Philone lib. de Cherubin. qui prouerbialiter Σισύφειον τιμωρίαν ἀναδέξεται: *Sisyphiam pœnam sustinebit.* Vide Senecam in Furente, vbi catalogum punitorum inducit ad imitationem Virgilij, ab loco illo, *Saxum Sisyphi.*

Rapitur volucri tortus Ixion rota, &c.

10. Radiis

Ixionis supplicium.

10. RADIISQVE ROTARVM] Omnes alligant Ixionem huic carnificinæ: in his Seneca, Claudianus, Tibullus. Primus,

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Alter,

Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.

Tertius,

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

Mitto alios. Virgilius tamen non hoc sequitur: nam iam Ixionem alij tormento exposuit. Hic ergo vagè capiendus. cùm autem dicat Turnebus allusum à Poëta ad genus supplicij antiquis Græcis vsitatum, non erit præter rem meam tormenti huius formam explicare, cùm præsertim nonnulla attingat Poëta, quæ satis nequeunt intelligi, nisi cognita hac forma. Obiter mores multi & auctorum loca capientur. Itaque compensanda longitudo vtilitate erit. Præsertim cùm videam de hac re neminem locutum exactè, erit fortasse aliquis. Inprimis rota hæc (atrox quidem tormenti genus, sic enim Apelles, nam Græci de illa, τροχὸς βασανιστικὸν ὄργανον. & Aristophan. in Pluto, ἐπὶ τοῦ τροχοῦ στρεβλούμενον) erat in loco alto. Signat hoc Cicero, cùm ait 5. Tuscul. *in rotam beatam vitam non ascendere.* & Pindarus Od. 2. Pyth. loquens de Ixione, ἐν πτερόεντι τροχῷ: quibus verbis intellige locum præruptum, altum, saxosum. Clarè Philostratus lib. 7. de vita Apollon. loquens de Ixione, & de hoc tormento, μετέωρος dixit, *sublimis.* Tacitè Thucydides, apud quem Nicias lib. 7. calamitatem suam deplorans, ἐν τῷ αὐτῷ κινδύνῳ τοῖς φαυλοτάτοις αἰωροῦμαι: *versor in eodem periculo cum miserrimis*: vbi verbum αἰωροῦμαι indicat supplicium rotæ: est enim *attollor.* Inde scienter quidam vertit, *in eodem periculo pendens versor.* Huc pertinet sententia Cynici, nihil curantis humine an sublime putresceret. Loquitur enim cum respectu ad rotam. Possit aliquis capere cum respectu ad crucem. Pergo. Cruciandi hac machina illigabantur radiis ipsius. Virgilius clarè, *radiisque rotarum Districti.* Interpres Pindari, δεδεμένος τῷ τροχῷ. Plutarchus, de garrulitate: καταλιπόντες ἐν τῷ τροχῷ τὸν ἄθλιον ἐνδεδεμένον: *relinquentes miserum illigatum rota.* Et in opere de orbe Lunæ, ὥσπερ Ἰξίονας ἐνδεδεμένους. Iosephus loquens de Maccabæo: *erat affixus rota.* & de Machir tertio fratre: *Rota postmodum affigitur.* Propertius lib. 2. eleg. 18. *vincula infernæ rotæ.* Hæc illigatio, aut affixio, ita fiebat in radiis, vt esset axi proxima. Tertullianus apertè in Apologet. *licèt nunc sarmentitios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti tormentorum ambitu exurimur.* Est hoc credo, quod dixit Iosephus loquens de Iuda quarto fratre: *alligatur trunco iuuenis.* Inde necessariò magis flectendum corpus, quod non sine summo cruciatu. Hoc explicuit Iosephus loquens de Maccabæo: *in gyrum circuli porrectus.* Nota, hos miseros dici à Tertulliano *semaxios*, quia ad medium axem essent ligati. Malè Crinitus lib. 1. cap. 13. mutauit in *Semissios.* Hanc illigationem fieri funibus satis explicat idem scriptor: sequitur enim post verba nupera, de quarto fratre: *quem solido fune lacertis retrorsum congyratis tortor versat.* in hac illigatione tria inerant ad cruciatum. Primũ, ita nocens illigabatur, vt innecteretur radiis, qui cruciatus summus, cùm miserum corpus vt aptaretur, deberet necessariò frangi, exossari, excertebrari. Iosephus de Maccabæo: *illigari, & innecti rotæ iubetur.* Adduco semper Iosephi interpretem, carens nunc Græco codice.

Rotæ supplicij tractatio. — Rota in loco alto. — Illigatio ad rotam. — Ad axem. — In gyrum illigatio. Semaxij. — Innexio ad rotam.

A ce. Alterum, corpus in hac illigatione, tendebatur quantum poterat. Plutarchus de garrulitate, ἐκομίσθη τροχός, κατετάθη ὁ ἄνθρωπος: *adducta est rota, distentus homo.* Iosephus loquens de Maccabæo: *tendentibus corpus radijs.* & de tertio fratre, *nec tendi magis iam poterat.* Inde hæc machina Græcis dicta ὄργανον διατεῖνον τὰ σώματα τῶν βασανιζομένων: *instrumentum extendens corpora illorum, qui torquentur.* Quæ duo verba Philo coniunxit in opere, Quòd Deus sit immutabilis. ἐπὶ τροχοῦ κατατείνει, καὶ βασανίζει. Hanc fortem illigationem Virgilius exprimit verbo *districti.* Tertium, non corpus tantùm, id est, truncus ipse, ligabatur, sed etiam manus, & pedes. Euripides in Phœniss.

Distentio. — Manus & pedes illigabantur.

B Χεῖρες δὲ καὶ κῶλ' ὡς κύκλωμ' Ἰξίονος
Ἑλίσσετ':
Manus verò, & pedes, vt rota Ixionis
Voluebantur.

Pindari interpres in Od. 2. Pyth. τροχῷ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας τοῦ Ἰξίονος ὁ Ζεὺς ἐδέσμευσε: *vinxit Iuppiter rotæ manus pedésque Ixionis.* & quidem partes istæ primæ omnium expositæ lacerationi; inde Iosephus de tertio fratre: *cùm iam cruoris nimia defluentis vacuitate defectus, orbatus manibus & pedibus, proximam sibi mortem adesse cerneret.* Transeo ab illigatione, in qua hactenus moratus sum, ad reliquam carnificinam. In primis corpus pendebat misero quodam spectaculo. Iosephus de quarto fratre: *partes & frusta corporis horrendissimo pependere aspectu.* Claudianus:

Pendebat corpus.

C *Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.*

Deinde corpus sic pendens rotabatur in gyrum. Nazianzenus orat. 2. contra Iulianum, loquens de Ixione τροχῷ συγκυκλούμενος. Philostratus loco adducto, μετέωρος ἐπὶ τροχοῦ κάμπτεται: *sublimis circumferatur in rota.* Aristoteles lib. 2. de Cælo cap. 1. probans contra Platonem; cælum non moueri ab anima, ait, animam, si hoc fecisset, essetque in perpetuo motu, in currere in fatum simile Ixionis. Ab hac rotatione Græca vox τροχίζεσθαι. Rotabatur verò velocissimè. Seneca in Furente:

Rotabatur in gyrum. — Velocitas Rotæ.

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Tibullus lib. 1. eleg. 3.

D *Versantur celeri noxia membra rota.*

Ingeniosus Poëta,

Voluitur Ixion, & se sequiturq́; fugitq́;

Dio Chrysost. orat. 4. loquens de Ixione, τροχοῦ κύκλῳ κινουμένου, καὶ φερομένου. Ouidius in Ibin:

Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ.

Ab hac volubilitate interpres Pindari rotam vocat ἀειδίνητον. Innuit Pindarus quiddam miserrimum in hac rotatione, & dignum quod consideres. Non enim rota in vnam solùm partem vertebatur, sed ita erat artificiata, vt iam in vnam partem versaretur, iam conuersim in aliam mutato motu. Verba Pindari sunt loquentis de Ixione, τροχῷ παντᾷ κυλινδόμενον: *Rota in omnem partem volutatum.* Eandem E rem satis indicat Plautus in Captiu.

Conuersim in vtranque partem.

—pro rota vti me licet.
Vel ego huc, vel illuc vortar, quò imperabitis.

Si quis Plautum non ad tormentum referat, sed ad curulem rotam, videat posse, ex præcedente Pindaro, ad tormentum. In ista conuersione circumactæ machinæ, effundebantur, id quod necesse erat, viscera, ac membra omnia, miserum in modum diuellebantur. Eurip. in Phœniss.

Viscerum effusio. Membrorũ diuulsio.

Ἐσφενδονᾶτο χωρὶς ἀλλήλων μέλη:

Membra alia ab aliis disiiciebantur, tanquam si mitterentur è funda.

Iosephus de Maccabæo: *Solutis hinc inde visceribus, venisque distentis.* Statius 8. Theb.

——Ixiona frango
Vorticibus.

Saxum ad pedes. Sequitur, vt dicam comites tantę carnificinæ: quatuor præcipuè inuenio. Primò pedibus illigati hominis appendebatur saxum, quo corpus mole illa magis premeretur. Hoc satis indicat Iosephus, cùm ait de primo fratre: *Mole pedibus appensa.* Deinde ista carnificina non fiebat sine igne. Ignis in rota. Apuleius lib. 3. *Nec mora cùm ritu Græciensi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Euripides alludens ad rotam:

——εἰς γῆν δ' ἔμπυρον πίπτει νεκρός:
——ignitum verò in terram cadit cadauer.

Testimonium Tertulliani ad rem aliam iam suprà adduxi, in quo vidisti Christianos dici *Sarmentitios*, non certè alia ratione, quàm à sarmentis congestis ad cremationem, cùm erant in rota. alludit idem ad rem eandem, cùm ait lib. de pudicitia non longè à fine: *In axe iam incendio adstricto.* Rationem, cur ignis illis subiiceretur, hanc subiicit Iosephus: *Præparatur incendium, &, vt erat affixus rotæ, igni in catasta obiicitur, atque ita tendentibus corpus radiis, & contrahentibus flammis, costis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur.* Ergo, illud Senecæ 3. de Ir. cap. 3. *& cruces, & circumdati defixis corporibus ignes*, etiamsi trahi ad crucem possit, nam huic quoque malo comes vstio, sed non video cur non æquè ad rotam, vt duplicis supplicii fiat mentio. & quidem vox *circumdati*, propior est ad rotam. Tertiò, comitabatur flagellatio hanc miseriam. Flagellatio. Aristophanes in Irena:

Ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος:
In rota trahatur flagellandus.

Quem in locum ita Scholiastes: οἱ γὰρ δοῦλοι σφαλλόμενοι ἐπὶ τοῦ τροχοῦ δεσμεύμενοι, καὶ συρόμενοι, ἐτύπτοντο ἀνακλώμενοι ἐν αὐτῷ: Dicit seruos nequam alligari solitos rotæ, trahi, verberarique cum ingenti laceratione. Testimonium Apulei iam attuli ad rem aliam. Quò etiam pertinere potest istud eiusdem lib. 10. *Nec rota vel equuleus more Græcorum tormentis eius apparata iam deerant, sed obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Quartò demum comitabatur hoc malum mutilatio membrorum. Mutilatio mēbrorum. Cuius rei exempla Iosephus suppeditat. Nam Iudæ quarto fratri *eripitur cultro lingua.* & de primo fratre, ait: *Inter perorandum, vt brutum animal excoriatur, lingua extrahitur, sartagini ipse iniicitur.* Sed extremum de mutilatione, ex insita Antiochi sæuitia natum crediderim potiùs, quàm ex gentilium more, sicuti etiam illud de lapide. Nam harum mentionem hactenus in gentilibus nullam reperi, cùm tamen de igne & flagris frequens sit in illis mentio. Hæc dicta sint de hoc supplicii genere, & pro nostra quidem tenuitate: erit alius, qui mores istos luculentiùs exornet, addat etiam alios à me relictos in hac carnificina. Ego laborem istum volui suscipere, quod in suppliciis Martyrum crebra sit mentio rotarum. Quod quidem tormentum longè est aliud ab eo, quòd nunc Germanis in vsu est, qui rota solent nocentes cruciare. Rota Germanorum. Aliqui vetus rotæ tormentum confundunt cum isto Germanorum, sed nescio an possint. Proferam verba Æmonii Monachi lib. 5. cap. 50. qui nequissimum quendam Burchardum ita affectum scribit: *Regis imperio, exquisito mortis genere, alta rota superligatus, coruorum & alitum rapacitati expositus, desuper oculis defossus, & tota facie dilaceratus, infernis sagittis, & lanceis, & iaculis millies perforatus, miserrimè interfectus, in cloacam proiectus est.* In hoc supplicio aliqua affinia cum rota veterum, sed non eadem. Non omittam rotam illam veterum, de qua iam latè dixi, vsurpatam κατ' ἐξοχὴν, & primariò, vt aiunt, ad seruorum carnificinam, deinde ad nocentes alios traductam. docet me hoc Aristophanis Scholiastes in Pluto. τροχός τις ἦν ἐν ᾧ δεσμεύμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο: *Erat rota, in qua illigati serui puniebantur.*

11. SEDET, ÆTERNVMQVE SEDEBIT INFELIX THESEVS] Thesei pœna apud inferos. Vix credas, quàm diuersè hic locus tractetur. Interpres Apollonii in lib. 1. Arg. narrat, Theseum vnà cum Pirithoo descendisse ad inferos, vt Proserpinam raperet, addictúmque propter hoc huic pœnæ, vt in petra hæreret. A qua tamen pœna liberatus est ab Hercule. Hoc si ita est, non sedet, sedebítve in æternum. Pergit porro fabula, & addit; Theseum, cùm inde liberatus est ab Hercule, reliquisse natium partem affixam rupi. Cùm igitur ea pars, quæ sedendi munere fungitur, affixa ibi semper sit, rectè dicetur Theseus in æternum sedere. Hæc explicatio mirè probatur Roberto Titio lib. 1. Locor. cap. 11. Irridet Titium Villiomarus lib. 1. Animaduers. in illum cap. 14. Mihi in hac re placitum, quod viris doctis, nimirum Virgilium loqui de Theseo, non cùm iuit viuens ad rapinam (nam tunc liberatus est ab Hercule) sed cùm mortuus est. Nam hîc Poëta de mortuis loquitur. Itaque, quemadmodum Pirithoüs liberatus est ab Hercule, & tamen de illo Horatius 3. Carm.

——amatorem trecentæ
Pirithoüm cohibent catenæ:

Ita intelligendum de Theseo. Hac doctrina facilè soluuntur, quæ inuenies contra Virgilium in Agellio lib. 10. cap. 16. vt explicui explicant viri docti. Virgilius defenditur. Sed nemo aperit cur hac pœna damnatus Theseus. Potuit Virgilius sequi Hesiodum in Theogonia, vbi scribit, eos, qui fidem violauerint (quod fecisse Theseum, perspicuum est, cùm iuit ad rapinam Proserpinæ) torqueri apud inferos sessione quadam. Sessionis pœna. ait enim, κεῖται στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, *iacet in stratis lectis.* Cui sessioni reliqua accommodat, nam periurum inducit, ἀνάπνευστον, ἄναυδον, *non spirantem, mutum.* addítque hunc malo quodam veterno obsitum. Sed signatior est locus Pausaniæ, à quo in Phocicis Theseus, & Pirithoüs inducuntur ἐπὶ θρόνων καθεζόμενοι, *sedentes in solio.* & loquitur quidem de pictura repræsentata ab Homero in descensu Vlyssis ad inferos. Hæc explicatio, si tibi non probatur, Læuinum sequere, in vita Iulii cap. 4. explicantem *sedet, æternúmque sedebit*, sic, *luget, æternúmque lugebit*, ex nota significatione verbi *sedeo*, Sedeo, pro lugeo. quod ponitur pro lugeo, & pœnitentiam ago. Sic apud Plinium libro 34. cap. 14. *residentis pœnitentiam*, est agentis pœnitentiam. Vide reliqua in Læuino.

12. PHLEGYASQVE MISERRIMVS OMNES ADMONET] Ambigua est sententia hunc in modum: vel, Theseus miserrimus admonet omnes Phlegyas: vel, Phlegyas miserrimus omnes admonet. vt malis. Nam Phlegyas populos insigni impietate exstitisse, & Phlegyę impii. fuisse ὑβριστάς, memorat Auctor hymni in Apollinem. id est, iniuriosos & proteruos. Pausanias quoque in Bœotic. sic scribit: *Phlegyarum genus prope omne crebris fulminibus, & telluris vehementissimis motibus Deus funditus aboleuit: qui reliqui fuêre, eos pestilentia absumpsit, præter paucos, qui in Phocidem effugerunt.* Ab Philostrato etiam lib. 2. Icon. Phlegyæ dicuntur proprio attributo βάρβαροι. Ex parte alia, fuisse quoque Phle

Phlegyam impium, certum est. Atque adeo vtraque explicatio defendi potest: ego tamen inclinarim, vt Phlegyas sit rectus singularis. Fuit verò Phlegyas pater Ixionis (plures sequor, nam aliqui fratrem faciunt, in his, nisi fallor, est Eustathius) qui ob iniuriam stupri filiæ suæ ab Apolline illati, huius Dei templum incendit, à quo sagittis confixus est, deiectúsque ad inferos, dicente Statio,

Phlegyas eis.

— Phlegyam subter caua saxa iacentem
Æterno premit accubitu.

Philostratus 2. Icon. non Phlegyam, sed Phorbantem, Phlegyarum regem, contra Apollinem inducit pugnantem. vocátque illum ὠμόϐατον τοῦ ἔθνους, totius gentis Phlegyarum sæuissimum. Ab his fabulis Græci vsurpant verbum φλεγυᾶν, pro, agere impiè, proteruè, contumeliosè. De Phlegya vide quæ latè Pausanias in Corinth.

Sapere oportet aliorum exemplo.

13. DISCITE IVSTITIAM MONITI] Ad huius sententiæ illustrationem pertinent, quæ coniunxit Chiliastes adag. *malo accepto stultus sapit.* & *optimum aliena insania frui.* Poëta omnino hæsit Pindaro, apud quem Od. 2. Pyth. Ixion in inferni rota constitutus, & volutatus, iubetur dicere mortalibus,

Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιϐαῖς
Ἐποιχομένους τίνεσθαι.

Vt gratiam persoluant pari remuneratione, qui habuerunt benefactorem. Sententiam posui, verba non reddidi. Plato quoque lib. 10. de Republ. ait, Aridæum, aliósque tyrannos excarnificatos in Tartaro, ac tunc ministros huius carnificinæ indicare prætereuntibus, quam ob causam illi miseri tam dira mala paterentur, καὶ τοῖς ἀεὶ παριοῦσι σημαίνοντες ὧν ἕνεκά τε ταῦτα ὑπομένοιεν. Ad hanc rem pertinet sententia Plutarchi, in opere De vitioso pudore, asserentis, viatores & nautas diligenter cauere loca, in quæ semel offenderunt, admonitos primo incommodo. Sed insigniter facit historia Herodoti lib. 2. de rege Sanacharibo, qui cùm in templum armatis copiis irruisset, victúsque esset à sacerdotibus cælesti prodigio (mures enim immissi è cælo exercitum deuastarunt) Sanacharibi statua posita est in templo, murem manu habens, cùm hac inscriptione, ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεϐὴς ἔστω: *in me quis intuens, pius esto.* Non abeunt verba Nazianzeni orat. 17. σωφρόνων ἀνδρῶν οἵτινες παιδεύονται ταῖς συμφοραῖς: *prudentes viri calamitatibus erudiuntur.* Alibi:

Αὐτὴ μὲν οὔπω ναὸς εἰσέϐην σκάφος:
Γραφῇ δ' ἰδοῦσα τῶν λόγων ἐπίσταμαι:
Nunquam carinam sum nauis ingressa, tamen
Picta ex tabella edocta, verbisq; id scio.

Habentur ij versus ἐν χρισ. πασχ. Iustinianus apud Cedrenum monet Tiberium, quem designat Cæsarem, vt sui exemplo caueat. Seneca epist. 8. *Rectum iter, quod serò cognoui, & lassus errando, alijs monstro.* Scribit quidam, in agro Parauino puellam fanaticam, Græcè & Latinè (cùm rudis ante insaniam fuisset) optimè loquentem, hanc apud Virgilium præstantissimam omnium illius sententiarum ter clara voce rogatam respondisse.

Curio patriæ venditor.

14. VENDIDIT HIC AVRO PATRIAM] Neminem cùm nominet, credunt plerique viri docti, signatum Curionem illum, qui partes Cæsaris secutus est in bello ciuili, qui patriam auro vendidit, & illi imposuit potentissimum dominum Cæsarem. Atque iccirco leges precio fixisse ac refixisse dicitur. De hoc Lucanus lib. 4.

Momentúmque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spolijs & Cæsaris auro.

A Seruius hîc duos adducit, & Lasthenem, qui Olynthum Philippo vendidit; & Curionem, qui Romam Cæsari, acceptis viginti septem millibus sestertiis. De primo auctor est Demosthenes in orat. pro Corona. Verba eius sunt: μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου: ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον. De altero, præter Lucanum, insinuat Paterculus, cùm air: *Curio pro Cæsare stetit, id gratis, an accepto centies H. S. fuerit, vt accepimus, in medio relinquemus.* Plutarchus in Pompeio, & Cæsare; Appianus, & Dio tantùm aiunt, illum fuisse liberatum ære alieno. Hinc lux datur Ciceroni in oratore ad Brutum, qui loquens de Curione, ait: *Qui si me audire voluisset, vt cœperat, honores quàm opes consequi maluisset.* Tu hîc prudentiam Virgilij nota, qui, ne animum Augusti læderet, à Curione & Cæsare abstinuit. Et hæc fortassis est causa, cur simili quoque ductu aliorum flagitia & scelera attigerit, neminem nominans: ne, si alios nominasset, & de Curione tacuisset, animum patefaceret.

Lasthenes Olynthum vendidit.

B

Virgilij prudentia.

15. FIXIT LEGES PRETIO, ATQVE REFIXIT] Figere & refigere leges, concepta est verborum forma, pro, leges condere, & conditas abolere. Propriè tamen, figere, est, eas in æs incidere: refigere verò, illas auellere. Lege Turnebum lib. 25. cap. 30. Vatius, obseruante Macrobio, lib. 6. cap. 1. ante Nostrum dixit:

Vendidit hic Latium populis, agrosq; Quiritum
Eripuit; fixit leges pretio, atque refixit.

C Leges refigere dixit Dio Chrysost. orat. 20. μεταγράψαι τοὺς παλαιοὺς νόμους. Ammianus lib. 28. *fixis refixisque stilis.* Venuleius ad legem Iuliam peculatus: *Qui tabulam æneam, legem, formámve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde mutauerit, lege Iulia peculatus tenetur.*

16. NON MIHI SI LINGVÆ CENTVM, &c.] Ex Homero, sed cum victoria, vt solet. Ait Græcus,

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.
Neque si mihi decem quidem linguæ, decem & ora essent,
Vox & infrangibilis, æreum & mihi cor inesset.

Virgilius superat Homerum.

Dices, vbi victoria? Quadruplex hæc. Primò pro δέκα, substituit *centum*, maiore incremento. Deinde, D magno iudicio corrigens, vt solet, Græcum, ademit illud de corde æreo. Nam ad loquendum nihil hoc pertinet, tantùm linguæ, ora, vox. Neque vlla Græci defensio satis ad gustum. Tertio, meliùs Virgilius vsus est ad finem hac ἐκφωνήσει, quàm Græcus, qui rem hanc intulit ad inchoandum catalogum nauium. Docet hoc conceptus communis hominum. Quartò (hæc iam nota Scaligeri est) meliùs optatur res ferrea ad rem atrocem, & tartarea supplicia, quàm ad catalogum nauium. Quid quòd Virgilius pro Homeri φωνὴ ἄρρηκτος, ipse *ferrea vox*, alludens ad Stentorem, de quo idem Homerus 5. Il.

Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ:
Stentori magnanimo similis, æream vocem habenti.

E Vnde & Iuuenalis Sat. 13. forma prouerbij,

Tu miser exclamas, vt Stentora vincere possis.

Homeri lapsus in philosophia.

Optimè (inquam) hoc substituit Virgilius, & reliquit infrangibilem vocem Homeri, qui sæpe lapsus est in philosophia, & hîc fortassis: nam videtur alludere ad falsam Stoicorum doctrinam, qui existimabant (vt refert Plutarchus de placit. philosophorum, libro 4. capite 20. vocem esse corpus, quia corporum sit τὸ ῥήγνυσθαι, *frangi.* Certè Pythagoras, Plato, atque etiam ipse Aristoteles, dicunt, vocem

esse incorpoream, quod ibidem scribit Plutarchus. A Sed subiiciendæ aliæ imitationes. Plutarchus, de audiendis Poëtis, adducit Empedoclem, qui,

Οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐπακουστὰ
Οὔτε νόῳ περιληπτά.
Non oculis possunt homines, non auribus ista,
Non comprendere mente.

Aduocat & Xenophanem idem fere dicentem. vide etiam, vt Aristides vtatur ad rem suam Homeri loco in oratione ad Serapin, ab eo loco, ἀλλ' Ὅμηρος. Philo lib. de Temulentia. γῆρυς πολύηχος, *vox multisonans, magnè resonans.* & μυρίοις στόμασι, καὶ γλώτταις: *mille oribus, mille linguis.* Sed pergo ad Latinos. Silius lib. 4. amputans illud de corde æreo, tantùm

Non mihi Mæoniæ redeat si gloria linguæ,
Centenásque pater det Phœbus rumpere voces.

Hæsit proculdubio Silius Ouidio, qui 2. Fast.

Nunc mihi mille sonos, quoq́; est memoratus Achilles,
Vellem Mæonidæ pectus inesse mihi.

Ouidius verò ipse lib. 1. Trist. eleg. 4. Homero, nam,

Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære,
Pluráque, cum linguis pluribus, ora forent.

Non omittendum, Hostium lib. 2. belli Histrici ita cecinisse apud Macrobium lib. 6. cap. 3.

—non si mihi linguæ
Centum, atque ora sient totidem, voces q́; liquatæ.

Claudian. Paneg. in Olib. Prob. ita:

Non mihi centenis resonent si vocibus ora,
Multifidúsque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta Probi narrare queam.

Sedulius lib. 1.

Nam centum licèt ora mouens vox ferrea clamet,
Centenos q́; sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet?

Apollonius lib. 4. Excid.

Non mihi centeno si vox emissa sonaret
Gutture, tot cædes hominum, tot funera plenè
Expediam.

Cæcilius in Comœdia, cui titulus Notonicasio:

Si linguas decem habeã, vix habeam satis te qui laudem.

Persius Sat. 5. dixit.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.

Pindarus & Anacreon simpliciùs dixerunt. Prior Od. 1. Nem.

Βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθ':
Breue mihi os ad recensendum omnia.

Posterior,

Οὐ γὰρ σθένω τοσούτους
Ἔρωτας ἐκβοῆσαι:
Nequeo eloqui tot amores.

B Neminem tam ingrati gustus fuisse existimo, quem non ista Poëtarum collatio recreauerit. Discétque à tot poëtis poëta esse.

17. FERREA VOX] Hoc κατ' ἐξοχήν. & prouerbialiter. Opp. 3. ἁλιευτ. σιδήρεον νόημα. σιδήρειον νόον. σιδηρείας ὀδύνας. Calaber lib. 5. σιδήρεον ἦτορ. & lib. 12. σιδήρεον κῆρ. Homerus Odyss. 5. & Il. 10. σιδήρεος θυμός. & Il. 23. σιδήρεον μένος. Vocantur his ferrea, cogitatio, mens, dolores, cor, fatum, animus, robur. Æschylus in Prometh. flexu isto dixit. σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος: *Animo ferreo, atque ex petris compactus.* Ab hac forma non abit alia, qua ἀντὶ τοῦ σιδήρου infertur χαλκός. ita Homerus 2. Il. χάλκεον ἦτορ. & Pind. Od. 6. Nem. χάλκεος οὐρανός: *cor, cælum æreum.* & vocibus compositis, sic Homer. 1. Il. χαλκοβατὲς δῶ: *domus nixa æreis fundamentis.* & Pind. Od. 7. Isthm. Ferreũ prouerbialiter.

C

Χαλκόπεδον θεῶν ἕδραν,
Sedem Deorum, cui æreum pauimentum.

Latini vtrique formæ hæserunt. Ouid. in Phæd.

Scribe, dabit victas ferreus ille manus.

Lucretius quoque *æream vocem* dixit. Omitto infinitos, nam hi tibi facilè occurrent.

[a] Hæc vbi dicta dedit Phœbi longæua sacerdos,
Sed iam age, carpe viam, & SVSCEPTVM perfice munus,
Acceleremus, ait, Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque aduerso fornice portas:
Hæc vbi nos præcepta iubent deponere dona.
[b] Dixerat, & pariter gressi per opaca viarum,
Corripiunt spacium medium, foribúsque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpúsque recenti
Spargit aqua, ramúmque aduerso in limine figit.

ARGVMENTVM.

Viso Tartaro, auditis pœnis, pergunt ad regiam Plutonis, vbi ramum figunt.

EXPLICATIO.

[a] HÆc vbi locuta est Sibylla, statim ad Æneam, *carpe viam*, quippe stupens substiterat iuxta Tartarum. *susceptum perfice munus*, Interpretes in id abeunt, vt Æneas moneatur de reddendo ramo aureo. Sed cur *acceleremus*? quia, *Cyclopum educta*, &c. id est, conspicio mœnia Cyclopum *educta*, id est, in altum ducta, & veluti exstantia Cyclopum opera, vnà cum caminis. Clarius. Mœnia, caminósque conspicio, fabricata omnia, ductáque in altum Cyclopum opera. Quid præterea? *atque aduerso fornice portas*, quibus aut fornicibus, aut portis, *iubent præcepta nos deponere dona.* id est, ramum.

D

[b] Post hæc inde egressi, & ingressi per opacitatem viarum, *corripiunt* (innuit celeritatem) *medium spatium*, medium (inquam) inter Tartarum, atque Elysium. nam suprà,

Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit, &c. at *læua malorum*, &c. ac tandem *propinquant foribus* Regiæ Plutonicæ. *Occupat Æneas aditum.* Regiæ istius, atque vt purior sit ad offerendum donum, ad eundum in Elysium, *spargit* (nam leuiter) *corpus aqua recenti*, id est, viua & fluida. ac tandem, *figit ramum aduerso in limine.*

NOTÆ.

1. LONGÆVA] De hac re iam suprà.
2. CYCLOPVM] Aurea est Turnebi nota lib. 28. c. 46. Cyclopum inuenta.

28.cap.46. Duas artes Cyclopes invenêre, ferrariam, & vrbium turres & munimina. Vtrumque attingit Plinius lib.7.cap.56.& alterum ex Aristotele. Firmari ista multis possunt, sed omitto, quia alij loca coniunxerunt, partim interpretes hîc in Virgilium, partim Delrius in Thyest. Senecæ versu, 406. in nouis comment. Quin adagium, vt quicquid sit firmum & validum, dicatur structum Cyclopum manibus & labore, alij quoque iam adnotarunt. Ergo Poëta, ferrariam Cyclopum signat *caminis*; turres per *mœnia*.

Camini.

3. CAMINIS] Sunt spiracula & emissaria vaporis ignei. Tertullian. lib. de pœn. vocat *fumariola*. Lucret. lib. 6. *crateras, fauces, ora*, cùm ait,

In summo sunt vertice item crateres, vt ipsi
Nominitant, nos quas fauces perhibemus, & ora.

Pauperem Notam dito parergo digno, quod sciatur. Scribit Pollux lib. 7. In caminis olim suspendi solita à fabris quædam ridicula, quæ βασκάνια appellabant, ad auertendum fascinum. Huius rei testem adducit Aristophanem. Adiicies hoc illorum eruditioni, qui morem hunc tantùm in ianuis ædium agnoscunt.

Sparsio in sacris inferorum.

4. SPARGIT AQVA] Dictum *spargit* ex ritu Deorum inferorum. Qui cælestibus litabant, abluebantur; qui inferis, satis erat si leuiter abluerentur, potiùs spargerentur. Dido in 4. sacrum factura Hecatæ;

Dic corpus properet fluuiali spargere lympha.

Suprà in sacris funeralibus Miseni:

Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui.

Nihil ad hunc morem signatius. Expende, *spargens*, & *rore*, & *leui*. Festus quoque signatè nominat *respersum* *vinum*. Ait enim: *Respersum vinum dixerunt, quia vino sepulcrum spargebatur.* Seruio placet, hanc sparsionem referri ad inquinationem, quam Æneas contraxerat ex aspectu Tartari. Sed hoc nihil est contra me. Nam inquinatus atroci aspectu, respergitur ex more, quem aperui, fixurus ramum in fornice, & Elysios ingressurus. Hoc certè ipso morem alium attingit, quo sacra adituri, non priùs adibant, quàm se spargerent lustrali aqua. Morem istum firmaui suprà in hoc libro ex Aristide, Plutarcho, aliis. Nunc aduoco ad eundem morem verba signatissima Hippocratis in libro de morbo sacro (si illius est hic liber, hærent enim docti) ait itaque interpres: *Terminos templorum ac delubrorum designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat. Et ingressuri respergimur, non velut, qui inquinemur: sed, si quod etiam prius scelus habemus, vt purificemur.* Quis iam dubitet Ecclesiæ morem sumptum ab gentibus, de aqua lustrali posita in aditibus templorum? Græca Hippocratis signatiota sunt, εἰσιόντε τε περιρραινόμεθα, οὐχ ὡς μιαινόμενοι, ἀλλ' εἴ τι καὶ πρότερον ἔχομεν μῦσος, τοῦτο ἀπαγνιούμενοι. Pollux quoque lib. 1. ait adeuntem Deos debere esse καθαρὸν ὄντα, περιρρανάμενον, ἀπορρυψάμενον, &c. *expiatum, aspersum, mundatum.*

Vinum spersum.

Lustralis aqua.

5. RAMVMQVE ADVERSO IN LIMINE FIGIT] De munere hoc, quo gaudebat Proserpina, iam suprà. Fortassis hac mente scriptum est à Propertio lib. 2. eleg. 13.

Sat mea, sat magna est, si tres sint, pompa, libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

vt dicat hos libellos pro ramo sibi futuros, quos offerat Proserpinæ.

[a] His demum exactis, perfecto munere Diuæ,
Deuenêre locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedésque beatas.
[b] Largior hîc campos æther, & lumine vestit
Purpureo, Solémque suum sua sidera norunt.
[c] Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.
[d] Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

ARGVMENTVM.

Perueniunt ad sedes beatorũ, describuntur illæ, atque isti.

EXPLICATIO.

[a] Posito iam ramo in foribus, ad Elysios veniunt. Ait *perfecto munere*, quia suprà, *susceptum perfice munus*. vocat Elysios, *locos lætos, vireta amœna, nemora fortunata, sedes beatas.*

[b] Discriminat, quæ sint in his locis, videlicet, *æther largior*, id est, exuberantior, purior, nitidior, quàm in nostro orbe, *vestit campos* illos, *lumine purpureo*. En prima voluptas. Deinde beati *norunt solem suum, sua sidera*, alia à nostris, & diuersa, atque vtique puriora.

[c] Qui incolunt has sedes beati, *pars* illorum *exercent membra in palæstris gramineis*. signat loca herbida. Pergit, *contendunt ludo*, &c. Neque generatim hanc vocem accipio, neque versum diuido in duplicem sententiam, sed ita explico. Contendunt ludo luctæ, vt illud, *pateris libamus, & auro*, pro, aureis pateris. Nam Poëta omnino alludit ad vocem superiorem palæstræ. πάλη enim lucta est. quasi dicat, exercent membra in palæstris, proprio palæstritarum ludo, nimirum lucta.

[d] Pars alia beatorum ducunt choreas pedum complosione, &, *dicunt carmina.* Intérque omnes insignis est, *vates Threïcius*, id est, Orpheus, qui, *cum longa veste obloquitur septem vocum discrimina*, numerosè admodum, id est, ita est in pulsando peritus, vt citharam faciat loqui. Puto enim hoc non referendum ad vocem Orphei, sed ad numeros & sonos citharæ, vt integra sententia sit, Orpheus pulsabat citharam, ad cuius numerum beati ducebant choreas, & dicebant modulabantúrque carmina. Absoluit, *Iámque eadem digitis*, &c. Id est, canit intus, canit foris. Explicabo in Notis.

NOTÆ.

1. LOCOS LÆTOS, ET AMOENA VIRETA] Nihil frequentius in mentione Elysij, quàm flores, rosæ, amœna omnia. Pindarus Od. 2. Olymp.

Flores Elysiorum.

Ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει.

Micant flores aurei.

Plutarchus ex eodem Pindaro in opusculo λάθε βιώσας, loquens de Elysijs,

Φοινικορόδοις ἐν λειμώνεσσι:

In pratis (consitis) *rosis purpureis.*

Plato in Axiocho. παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαριζόμενοι: *varijs floribus omnimoda vernant prata.* Quæ idem Plato in Phædone scribit de amœnitate horum locorum, vt multa omitto. Dio Chrysost. orat. 35. describens in Indis Elysios, εἰσὶ δὲ λειμῶνες αὐτόθι πάγκαλοι: *sunt illic prata pulcherrima.* Lege reliqua, excutrit enim luculenter, & graphicè. Sed nemo meliùs Platone exsequitur has amœnitates. vide illum in Phædone, vbi amœnissimè. Nazianzenus orat. 20. loquēs ex doctrina gentilium, his locis signatè dat herbam asphodelum, ἀσφοδελῶν λειμώνων, ait ille. Ioannes etiā Chrysostomus persequens eandem gentilium doctrinam in homil. de futuro iudicio, ita ait: φασὶ ἠλύσιον πεδίον, καὶ μακάρων νήσους, καὶ λειμῶνας ἀνθεῖς, καὶ εὐωδίαν πολλὴν, καὶ αὔραν λεπτὴν, καὶ χοροὺς ἐκεῖ διατρίβοντας, καὶ λευκὴν περιβεβλημένους στολὴν, καὶ ᾄδοντας ὕμνους τινάς: *Commemorant Elysium campum, beatorum insulas, prata florida, magnam odoris suauitatem, leniter spirantem auram, choros etiam ibi exercentes, indutos veste candida, hymnos cantantes,* Sidonius Panegyr. Anthemij ita hæc loca describit:

Est locus Oceani, longæuis proximus Indis,
Axe sub Eoo, Nabathæum tensus in Eurum:
Ver ibi continuum est, interpellata nec vllis
Frigoribus pallescit humus: sed flore perenni
Picta peregrinos ignorant arua rigores.
Halant rura rosis: indescriptosq; per agros
Fragrat odor.

Lege reliqua. Prudentius quoque hymno 5. Cathem. ita de his locis consentaneè ad Maronem:

Illic purpureis tecta rosarijs
Omnis fragrat humus, chaltaque pinguia,
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Subiicit multa alia. Claudianus 2. Rapt. Ita de his locis:

——nec mollia desunt
Prata tibi, Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos non tua protulit Ætna.

Propertius lib. 4. eleg. 7.

Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.

vide etiam quæ ex Pindaro latè adducit Plutarchus de Consolat. ad Apollonium, vbi hi loci describuntur.

Amœnum, vnde dicatur. 2. AMOENA] Loca hæc ita definit Seruius in lib. 5. Æn. *Amœna sunt loca solius voluptatis plena, quasi amuniæ, vnde nullus fructus exsoluitur. Vnde etiam nihil præstantes, immunes vocamus.* Repetit eadem in hunc locum ex Varrone, & Carminio. Sed fortasse aliud est etymon, & *amœna* dicuntur, quia absque mœnibus. Loca enim extra mœnia, vt plurimùm, destinantur viroti, hortis, amœnitati. Indicat Apul. 4. Florid. *De nostris* (inquit) *magnis, atque amœnis mœnibus.*

Elysiū, vbi. 3. SEDESQVE BEATAS] Vbi terrarum sint istæ, vbi Elysium, quæsitum à multis magno conatu. Lege Natalem lib. 3. cap. 19. & Delrium in Hercul. Furen. nouis Comment. versu 743. Vterque enim opiniones recenset. Præterea commentatores Tibulli eleg. 3. lib. 1. & Virgilianos in hunc locum, atque etiam Propertianos in eleg. 7. lib. 4. Si legas, quæ latissimè scribit Dio Chrysost. orat. 35. putabis loca hæc reiicienda ad Indos. Non defuerunt, qui signent Bethicam partem

Bethicæ elogium. Hispaniæ. Possunt iure. Quæ enim pars terrarum certare cum ea potest pulchritudine camporū, vbertate agrorum, vernantium semper fertilitate nemorum, aquarum abundantia, omnigena luxuriantis naturæ varietate?

Vestio de luce. 4. LVMINE VESTIT] Sic Apuleius lib. de Mundo: *Sinceriore interdum luce vestitur.* ita emendat Coluius. vulgo legitur, *vescitur.* Defendi potest. Sic enim dici quit *vescitur luce,* vt à Virgilio, *vescitur aura.* Redeo: Cicero in Phæn.

Quam cùm perpetuo vestiuit lumine Titan.

De lumine Elysiorum signatè scribit Plutarchus de sera vindicta. vbi ait, beatos, τῷ φωτὶ διαφέρεσθαι ὥσπερ ἐν γαλήνῃ: *vagari in lumine tanquam in tranquillitate.* De hoc lumine Elysiorum multa Plato in Phædone.

Purpureum de luce. 5. PVRPVREO] Dat hunc colorem lumini, vt Valer. 1. Arg. de face crinita:

——lumenq; innoxia fudit
Purpureum.

Virgilius ipse 1. Æn. *lumenq; iuuenta Purpureum.* Hoc attributum luci dat Catullus de Nupt. Pel.

Purpureæq; procul nantes à luce refulgent.

Ouidius & Seneca, diei, credo ab luce, qua dies splēdet. Ille 3. Fast.

Purpureum rapido qui vehit axe diem.

Hic in Herc. Oet.

————quaq; purpureus dies
Vtrumque clara spectat Oceanum rota.

Neque abit illud Petronij in fragm.

Indica purpureo genuit me littore tellus,
Candidus accenso quà redit orbe dies.

Ad hanc rem pertinet nota Scaligeri in Coniectan. dicentis Græcum ἀγλαὸν, id est, *candidum, fulgens, splendidum,* reddi à Latinis poëtis, *purpureum.* Nam Anacreon, vt videtur Æliano, ab hac mente vocauit Venerem πορφυρῆν. Hinc habes *purpureum lumen* Virgilij, esse, splendidum, proprio lucis epitheto. Ita etiam nix Ouidij purpurea, & olores Horatij purpurei sunt ἀγλαοί. Sed signatus est Plutarchi locus de sera vindicta: vbi loquens de his locis, ait ibi esse flumina, quæ referrent cælestis arcus ἀλουργὸν, *purpuram.* Pindarus apud eundem de Consolat. ad Apollon. describens loca beatorum: φοινικοροδίαι λειμῶνες: *prata cum rosis puniceis.* In Cyrillo commentante Ioëlem, & loquente de Sole, vidi, καλλιερυθραίνει βουνὸς, quasi Sol vestiat purpura montium iuga.

Purpurea nix. Purpurei olores.

Sol, & astra Elysiorum. 6. SOLEMQVE SVVM, SVA SIDERA NORVNT] Fuerunt hoc errore imbuti gentiles, vt putarent, in Elysijs alium esse Solem, alia astra. Plato in Phædone. Καὶ τόν γε ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι: *Solē quoque, & Lunam, & astra ab illis, qualia reuera sunt, videri: atque aliam his rebus congruam beatitudinem.* vbi etiamsi vocem ἄλλην coniunxerit tantùm ad εὐδαιμονίαν, sed illam in rebus aliis vsurpandam, interpretes Platonis docent. & poëtæ, qui à Platone doctrinam suam hauserunt, vt hic Virgilius: & Claudian. 2. Rapt. cùm ait,

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alij, lumenq; videbis
Purius, Elysiosq; magis mirabere campos,
Cultoresq; pios: illic preciosior ætas,
Aurea progenies habitat, semperq; tenemus,
Quod Superi meruêre semel.

Plutarchus ex Pindaro in opusculo λάθε βιώσας, non alium Solem agnoscit; tantùm ait: τοῖσι λάμπει μένος ἀελίου: *Lucet his vigor solis.* Est hoc quod Plato dixit, videri astra, qualia sunt: in suo vtique vigore. In libro tamen de sera vindicta, constituit in his locis idem Plutarchus ἄστρα παμμεγέθη: *ingentia astra,* & statim, αὐγὴν τῇ χροιᾷ θαυμαστὴν ἀφιέντα: *quæ emittunt splendorem admirandi coloris.* Qui videat Plutarchum, clarè intelli

intelliget loqui illum de aliis astris, quàm de nostris. Aliter explicat Virgilium & Claudianum Erasmus, Chil.1.cent.2.cap.97. lege illum. Sed mihi mea explicatio, quæ & multorum est, placet, sed non, vt à me, firmata. Ad hanc opinionem videtur aspiraſſe Sen. in 1.Suasor. cùm scribit: *Fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rursus alia littora, alium nasci orbem, nec vsquam naturam rerum desinere,* &c. Aspirat (inquam) nam plerique Gentilium vltra Oceanum constituunt Elysia loca, & beatas insulas. Aspirat quoque ad eandem doctrinam Hippocrat. in Epist. vbi constituens locum sapientis & sapientiæ, ait: Καὶ ὁ μέγας πόλος ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ τοὺς πολυκινήτους ἀστέρας κατεστεμμένος: *In illaq́; regione magnus polus stellis plurimùm se mouentibus tanquam corona cinctus est.* A

Palæstra pro loco.

B 7. PALÆSTRIS] Palæstra multa significat, intérque alia, imò propriè locum exercendis corporibus idoneum. Sic Cicero Arpinatem describens, palæstram nominat. & Terentius in Phorm. *eccum à sua palæstra exit foras.* De loco etiam capiendus Plautus Bacchid. *ante solem orientem nisi in palæstram veneras.* Malè itaque aliqui in Virgilio explicant, *palestris, id est, luctis.* Nam quidem Plautus dicto loco statim inter alios ludos, luctam quoque nominat. Addo auctoritatem Turnebi, & Mercurialis, explicantium hîc non luctam, sed locum luctæ. Ille lib.28.cap.46. hic lib.1. Gymn.cap.9. Scio, à Polluce, & à Budæo (qui à Polluce accepit) palæstram, generale eſſe nomen, ita vt παλαισταὶ, id est, *luctatores,* significent quoque δρομεῖς, πύκται, δισκοβόλοι, ἁλτικοὶ, id est, *cursores, pugiles, iaculantes disco, contendentes saltu.* Sed hîc tantùm abest, vt pro his capiam, vt neque pro ipsa lucta: sed pro loco, vt dixi, luctæ. In voce *gramineis,* respicit morem, quo, vt plurimùm, veteres exercebant luctas in locis gramine consitis, vt victi inde gramen euellerent, victoríque præberent, quod insigne, gloriosum. Tamen hîc *gramineis* explicari simpliciter potest, id est, herbosis.

Palæstritæ generale nomen.

8. LVCTA] Erat hæc vnum è certaminibus pentathli. Erant ludi isti, saltus, cursus, discus, iaculum, lucta. illos continet versiculus Græcus Simonidis lib.1. epigr.

Pentathlũ.

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Inde Græcis *pentathlum,* & Latinis, *quinquertium:* & *pentathli* ipsi dicti sunt quinquertiones.

Quinquertium.

9. PARS PEDIBVS PLAVDVNT CHOREAS] Hanc voluptatem non omisere, qui de Elysiorum voluptatibus. A Platone in Axiocho inducuntur, θέατρα ποιητῶν, καὶ κύκλιοι χοροὶ, καὶ μουσικὰ ἀκούσματα. *poëtarum theatra, chori in circum ducti, concentus musici.* Pindarus apud Plutarch. de loco beatorum, inter alios constituit quoque illos, qui φορμίγξι τέρπονται, *oblectantur citharis.* Et in opere de sera vindicta: εἶχε δὲ τὸν τόπον ἐν κύκλῳ κατέχειν βακχεία, καὶ γέλως, καὶ πᾶσα μοῦσα παιζόντων, καὶ τερπομένων: *Erat in eo loco bacchatio in orbem, risus, omnisq́; ludentium & lætantium musa.* Et in opere contra Epicuros loquens de his locis: ἐν ᾅδου παίζοντες, καὶ χορεύοντες. Dio Chrysost. orat. 35. similes his beatos describens, ita ait: κατακλινέντες ἐν τοῖς λειμῶσιν ᾄδουσι, καὶ μινυρίζουσι: *recumbentes in pratis canunt, & argutantur.* Tibullus lib.1. eleg. 3. etiamsi alias voluptates inducat, sed hanc potissimùm: adducam locum integrum, ne diuellam. D E

Choreæ Elysiorum.

Sed me, quòd facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic chorea cantúsq́; vigent, passimq́; vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aues.
Fert casiam non culta seges, totósq́; per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Ac iuuenum series teneris immista puellis
Ludit: & assiduè prælia miscet amor.

Propertius quoque de hac Elysiorum voluptate, lib. 4.eleg.7.

Qua numerosa fides, quaq́; æra rotunda Cybelles,
Mitratisq́; sonant Lydia plectra choris.

10. LONGA CVM VESTE] Habitus musicus fuit olim demissus ad pedes, ideo notanter *longa veste.* Apuleius.2.Florid. *Eiq́; prorsus citharœdicus status, deam conspiciens canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsum ad pedes deiectus ipsos,* &c. Vide vti locum istum legat Lipsius 2.Elect.cap.21. Redeo. Inde Horatius ad Pisones,

Citharœdorum vestis demissa ad pedes.

—traxitq́; vagus per pulpita vestem.

& Martialis lib.4.

Musa nec insano syrmate nostra tumet.

Callistratus de statua ipsiusmet Orphei, χιτὼν δὲ ἐξ ὤμων ἀπαγόμενος εἰς πόδας: *tunica ab humeris deducta ad pedes.* Huc spectant Tibullus & Propertius, qui in descriptionibus Phœbi patris musicæ illi hunc habitum assignant. Ait ille lib.3.eleg.4.

Ima videbatur talis illudere palla.

Hic lib.2.eleg.31.

Pythius in longa carmina veste sonat.

Vtrique adiungo Valerium lib.1.Arg. qui ministrum Phœbi pari habitu ornat, ita inquiens:

Hîc vates, Phœbiq́; fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes.

& Ouidium 6.Fast.

—& vt hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus ire iubet.

C His non solùm firmatus mos de veste longa citharœdorum; sed habitum quoque, vestem hanc longam fuiſſe pallam, ídque ex Tibullo, & Valerio. Quibus consonant ista Cornificij ad Herenn. lib.4. *vti citharœdus cùm prodierit optimè vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore distinctam.* Volui plura ex Cornificio subiicere, quia apprime signat habitum citharœdorum. Ouidius quoque canenti Arioni pallam dat. 2.Fast.

Palla vestis citharœdorum.

Induerat Tyrio distinctam murice pallam.

Poſſit suspicari aliquis stolam eandem eſſe cum palla. Primò, quia vtraque demiſſa ad pedes, quod clarum. Deinde, quia Ælianus lib.3. Var.hist.cap.43. Κιθαρῳδὸς σὺν αὐτῇ στολῇ κατέφυγεν εἰς τὸν τῆς Ἥρας βωμόν: *Citharœdus cum ipsa stola confugit ad aram Iunonis.* & Nazianzenus epistola ad Glycerium musicum, ἐκπέσῃ μετὰ τῶν μελῶν σου, καὶ τῆς στολῆς: *excides vnà cum tuis cantilenis, & stola.* Obiicies, palla virorum fuit, stola fœminarum, vt ex multis liquidum, non ergo eadem. Nihil hoc. nam stola quoque virorum fuit. In promptu Cedrenus, apud quem Magistratus volens monachos à proposito abducere, ita ait: Ὁ βουλόμενος τῷ βασιλεῖ, καὶ ἡμῖν πειθαρχεῖν ἐνδυσάσθω στολὴν, καὶ λαβέτω γυναῖκα: *Qui vult parere Imperatori, & nobis, stolam induat, & vxorem ducat.* Sed hæc tantùm suspicio est. Nam validè Horatius pugnat, qui Sat.2.lib.1. apertè discriminat versu isto:

Stola an eadem cum palla.

Ad talos stola demiſſa, & circumdata palla.

vbi palla stolam circumdat, non ergo eadem. Roges, quis color musicorum? vt plurimùm purpureus, vt visum ex Valerio, Cornificio, Ouidio. Apuleius quoque 1.Florid. Apollini contendenti cum Marsya de re musica, vestem dat, *purpura radiantem.* Athenæus lib. 5. de cantatrice quadam, ἐνδῦσα τὴν πορφυρᾶν ἐσθῆτα: *purpuream vestem induta.* & lib. 9. de quopiam alio, καὶ ἐφόρει ἁλουργίδα. Vnus Valerius pallam suam *albam* fecit. In his vestibus variam fuiſſe picturam colorum ex testimoniis adductis liquidum. Atque etiam ex Philo

Musicorum vestis purpurea.

Picturata vestis.

Philostrato lib. 1. Icon. vbi loquens de chlamyde, qua exornatus citharœdus Amphion, ita ait: οὐ γὰρ ἀφ' ἑνὸς φέρει χρώματος, ἀλλὰ τρέπεται, καὶ κατὰ τὴν ἶριν μεταβάλλει: *neque enim vno constat colore, sed mutat, ac iuxta Irin, variat.* Tria in hac nota examinaui, de veste longa musicorum, an hæc palla, an hæc purpurea. Adijce ἐκ παρέργου, huiusmodi vestes antiquis Græcis fuisse notam superbiæ & arrogantiæ. Demosthenes de falsa legat. loquens de Æschine, διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν τὰς γνάθους φυσῶν: *Per forum ambulat, veste ad talos vsque demissa, buccas inflans.*

Lõga vestis, superbiæ nota.

Loquor, de instrumentis musicis.

11. OBLOQVITVR] Explicui non de ipso loquente, sed de loquente cithara. Ita Lucretius lib. 4.

Et citharæ liquidum carmen, chordasq; loquentes.

Si quis capiat de Orpheo pulsante pariter & canente, firmabit sententiam suam Tibulliano illo.

Sed postquam digiti fuerant cum voce locuti.

& illo Propertiano lib. 3. eleg. 3. *carmina neruis aptat.* In quibus non canitur aut assa voce, aut assa lyra: sed voce pariter & lyra ad eum modum, quo pastores Virgiliani:

Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Lyra heptachordos.

12. SEPTEM DISCRIMINA] Heptachordon fuisse veteribus lyram, citharámque, notum. Græcum enim epigramma citharam vocat ἑπτάμιτον. Pindarus Od. 2. Pyth. ἑπτάφθογγον. & in Nem. ἑπτάγλωσσον, *septem fidium, sonorum, vocum.* Callimachus in Deli hymno auctor est, Apollinem numero septenario chordas citharæ definiuisse, quòd septies cycni Latonæ in nixu accinuissent. Eustathius 11. Odyss. meminit etiam lyræ ἑπταχόρδου. Fulgentius Maronis hunc locum refert ad musicæ genera septem, diastemata, systemata, phthongos, tonos, metabolas, melopœias. Desiderari aliquid in Fulgentio, clarum. Redeo. Plinius lib. 7. c. 56. ait, Terpandrum chordas septem ad citharam inuenisse. Varro Atacinus apud Macrob.

Et septem æternis sonitum dare vocibus orbem.

A Isidorus lib. 3. *Ideo septem quòd septem motibus sonat cælum.* Lucius Varius:

Primùm huic neruis septem est intenta fides,
Variique additi vocum modi,
Ad quos mundi resonat tenor
Sua se voluentis in vestigia.

Lege præterea Iulium Scal. lib. 1. Poet. cap. 48. atque etiam Paulinum cap. 7. lib. 2. Hebd. qui satis fusè persequitur mysteria huius versus. *Discrimina* (ait Isidorus lib. 3. Orig.) *ideo, quòd nulla chorda vicinæ chordæ similem vocem reddat.* In Philostrato aliquid ad hanc rem reperi, locus omnino excidit.

13. VOCVM] Aristoteles lib. 2. de Anima cap. 8. tibiæ B & lyræ dat φωνήν, *vocem.* Sed hæc metaphora alibi iam à me exornata.

14. IAMQVE EADEM DIGITIS] Vt explicui explicat Turn. lib. 28. cap. 46. digitos refert ad sinistram manum, quæ dicitur intus canere, nam tum sibi soli artifex canit; pectinem ad dextram, quæ foris dicitur canere, nam tunc alij audiunt. Philostratus in Iconibus simili fere ratione vtramque manum discriminat, loquens de Orpheo: αἱ χεῖρες δὲ, ἡ μὲν δεξιὰ ξυνέχεται τὸ πλῆκτρον. & post pauca, λαιὰ δὲ ὀρθοῖς πλήττει τοῖς δακτύλοις τὰς μίτους. In his dextræ dat plectrum, & sinistram, ait, rectis digitis chordas ferire. Itaque, etiamsi sinistra tantùm intus canat, dicitur tamen ab Virgilio pulsare chordas, sicut ab Philostrato πλήττειν.

Canere intus.

15. PECTINE] Propriè capiendus pecten, si credimus C Nascimbæno, qui scribit, tempore Iulij III. Pontificis Max. inuentam fuisse statuam ex marmore, quæ sinistra manu citharam, dextra pectinem tenebat. Inde, ait, liquere, antiquos musicos verè vsos pectine ad feriendam citharam: neque, cùm à poëtis fit mentio pectinis, debere intelligi plectrum, id est, arcum illum, quo nunc lyrici feriunt musicum instrumentum. Cæterùm de Orpheo, déque eius miraculis satis iam lib. 4. G. Præter auctores ibi à me adductos, satis multa vterque Philostratus variis in locis.

Pecten musicorum.

[a] Hîc genus antiquum Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi Heroes, nati melioribus annis,
Ilusq;, Assaracusq;, & Troiæ Dardanus auctor.
[b] Arma procul, currusq; virûm miratur inanes,
Stant terræ defixæ hastæ, passimq; soluti
Per campos pascuntur equi. [c] quæ gratia currûm,
Armorumq; fuit viuis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
[d] Conspicit ecce alios dextra læuaq; per herbam
Vescentes, lætúmque choro pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus: vnde supernè
Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis.

ARGVMENTVM.

Narrat multos, qui visi in aruis illis.

EXPLICATIO.

[a] Ad Descriptione Elysiorum transit ad eos, qui sunt in Elysiis, & lenocinans Æneæ, illius progenitores adducit. Ergo erant hîc *Ilus, Assaracus, Dardanus auctor Troiæ.* Sed cur isti tres inducti præ aliis? Dardanus quidem, quia Iouis filius, auctor

D Troiæ, caput totius generis (de huius, & aliorum genere dixi vberiùs in 3.) Ilus verò, atque Assaracus quia hi duo fuerunt fratres, filij Troïs, à quo gens vna diuisa est in duplicem familiam. Nam Ilus genuit Laomedontem, hic Priamum: Assaracus Capyn, hic Anchisen. Itaque complexus est genus Æneæ, & Priami. Commendantur autem Ilus, Assaracus, Dardanus, à rebus quinque. Ab generis antiquitate, nam *genus antiquum Teucri*: à pulchritudine, *pulcherrima proles*: Græci quidem Heroas κάλλιστον γένος indigetant: à virtute militari, nam *magnanimi*: à cognatione cum Diis, nam *heroës*: sunt enim heroës, qui

habent

habent alterum è parentibus aut Deum, aut ex Deorum genere: demum à sæculo, in quo nati, nam *melioribus annis*, in quibus virtus, iustitia, temperantia locum habebant. Cur faciat Teucrum progenitorem aliorum, liquidum ex his, quæ dicta in 3. & alibi sæpe.

b Erat in Elysiis pax summa. Huius pacis notæ quinque, videlicet, *arma procul, currus inanes* bellatoribus, *hasta defixa terra, soluti equi*, ac libere pascentes per campos.

c Credebant veteres, eadem studia, curas, cupiditates, cogitationes, quæ viuis fuissent, in mortuis etiam perseuerare. Ergo, qui viui fuerunt dediti curribus, armis, equis; eodem studio mortui tenebantur. Dicit, *currûm*, pro, curruum. *equos nitentes*, id est pingues.

d Sequitur voluptas alia vescentium in loco herbido, atque in omnem partem, nam hoc est, *dextra læuáque*. Erant etiam ibi *canentes lætum pæana*, idque *choro*, atque *inter nemus lauri odoratum*. Signantur poëtæ, qui olim lauro coronati. Sed vbi hoc nemus? ibi videlicet, *vnde amnis Eridani plurimus*, id est, magnus abundánsque, *supernè voluitur per syluam*. Innuit præcipitium amnis ex parte superiore in Elysios. Est enim *supernè* quasi è sublimi & edito loco. Vide verò vt omnia sint Apollinis, pæan, laurus, Eridanus: nam ob Phaëthontem in hoc amne submersum, putabatur ipse esse sacer Apollini.

NOTÆ.

1. HIC GENVS] Videtur mihi hic versus factus cum oppositione ad illum, vbi nocentium catalogus,

Hic genus antiquum terræ Titania pubes.

vt pari modulo incipiat catalogus felicium.

2. NATI MELIORIBVS ANNIS] Ex Catullo, quod multi vidêre, præsertim Muretus:

O nimis optato seclorum tempore nati,
Heroës salucte, Deûm genus.

3. STANT TERRÆ DEFIXÆ HASTÆ] Quem morem hîc attingat, seruo ad lib. 12. ad illud, *Defigunt tellure hastas.*

4. QVÆ GRATIA CVRRVM] Attingit sæpe Poëta hanc doctrinam veterum, credentium affectus viuorum transire cum mortuis. Inde Homeri interpretes obseruant, animam Agamemnonis induci. 11. Odyss. ἀχνυμένην: quasi in ea remaneat adhuc tristitia ob indignam mortem. Anima quoque Aiacis viso Vlysse in eadem est ira, qua cùm erat in corpore. Anima Orionis venatur per floridum pratum, repræsentans studium quod in vita habuit. Pindarus apud Plutarchum, de loco beatorum. καὶ τοὶ μὲν ἵπποις, γυμνασίοις, τοὶ δὲ πεσσοῖς τέρπονται: *alij quidem equestribus exercitationibus, alij tesseris oblectantur.* Plutarchus ipse in opere, Latenter esse viuendum, loquens de beatis: διατριβὰς ἔχουσι ἐν μνήμαις, καὶ λόγοις τῶν γεγονότων: *versant memoriam ac sermonem rerum præteritarum.* Plato in Gorgia. ἔνδηλα πάντα ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπειδὰν γυμνωθῇ τοῦ σώματος, τά τε τῆς φύσεως, καὶ τὰ παθήματα, ἃ διὰ τὴν ἐπιτήδευσιν ἑκάστου πράγματος ἔσχεν ἐν τῇ ψυχῇ ὁ ἄνθρωπος. *Cuncta enim apparent in anima, cùm corpus exsuerit, tam quæ ex natura, quàm quæ ex affectibus incrant, quæ ob rei cuiusque studium viuens homo contraxit.* Inde in hoc libro Dido mœsta est viso Ænea, Anchises lætus viso nato, Græci trepidi viso hoste. Ouid. lib. 4. Met. loquens de vmbris inferorum,

Pars aliquas artes, antiquæ imitamina vitæ
Exercent.

5. QVÆ CVRA, &c.] De studio veterum circa ἱπποτροφίαν, coniunxi locum, & auctores lib. 3. G.

6. NITENTES] Vt per hanc vocem notetur pinguedo, dixi in Georgicis.

7. TELLVRE REPOSTOS] Propriè, iuxta multorum discrimen, quibus terra est superficies ipsa, à terendo: tellus verò pars interior & penitior. Igitur *repositi tellure* sunt, qui in ventre ipso & visceribus terræ.

8. VESCENTES] Plato in Axiocho de his locis: συμπόσιά τε εὐμελῆ, καὶ εἰλαπίναι αὐτοχορήγητοι, καὶ ἀκήρατος ἀλυπία, καὶ ἡδεῖα δίαιτα: *instructa diligenter conuiuia, & ipsa sese suppeditans affluentia victus, immortalis hilaritas, vitæ ratio iucunda.* Et lib. 2. de Republ. loquens etiam de his locis, ait esse in illis συμπόσιον τῶν ὁσίων: *conuiuium sanctorum.* Additque, esse ibi, æternam quandam ebrietatem veluti præmium præteritæ virtutis. κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον. Alludit Aristides in 2. Platonica. εἰ μὴ ἄρα ἐν τῷ Ἠλυσίῳ πεδίῳ τὸ συμπόσιον συνεκρότει: *nisi fortè in Elysio celebratum est conuiuium.* Impostor turpissimus Mahoma paradisos tres constituebat, ἕνα μέλιτος, καὶ ἕτερον γάλακτος, καὶ ἕτερον οἴνου: verba sunt Cedreni, *vnum mellis, alterum lactis, tertium vini.*

9. PÆANA] Est Pæan rhythmus, sed hîc quidem duplex: primus sacer Marti, alter Apollini: ille ante congressum, hic adepta victoria solebat cani. Suidas clarè distinguit: Παιᾶνες δύο ἦσαν, ἐνυάλιος, ὅτε ἤρχον, ὃς καὶ πρὸ τῆς μάχης ἐγένετο· καὶ ἕτερος ὅτε ἐνίκων. & iterum. δύο Παιᾶνας ᾖδον οἱ παλαιοί, πρὸ μὲν τοῦ πολέμου τῷ Ἄρει· μετὰ δὲ τὸν πόλεμον, τῷ Ἀπόλλωνι. Nihil aliud dicit, quàm quæ ego initio huius notæ: ideo non explico. Accepit hæc Suidas ab Scholiaste Thucydidis, vbi enim Græcus scriptor lib. 1. dicit, ἐπεπαιάνιστο αὐτοῖς ὡς ἐπέπλευν: *Paan his clamatus ad naualem congressum.* Scholiastes sic subdit: δύο Παιᾶνας ᾖδον οἱ Ἕλληνες, πρὸ μὲν τοῦ πολέμου, τῷ Ἄρει: μετὰ δὲ τὸν πόλεμον, τῷ Ἀπόλλωνι. Non opus versio ex præhabitis. Attingit idem scriptor libro 4. καὶ παιωνίσαντος, ἐπέκειντο αὖθις: *cùm pæanem cecinissent, rursus inuaserunt.* Primum illum ἐμβατήριον Παιᾶνα, *Pæanem congreßiuum*, Plutarchus dixit in Lycurgo: alterum ἐπινίκιον Παιᾶνα, *victorialem*, in vita Romuli. De primo etiam Diodorus loquitur, ἐν δὲ τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμοὺς ἐμβαίνουσι, καὶ Παιᾶνας ᾄδουσιν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις: *In prælijs ad rhythmos incedunt, & pæanas cantant, cùm ituri sunt in oppositos.* & Aristides in Priore, & Posteriore Sicula, vbi ait cantatum Pæana, soluente ad bellum classe. Verba eius in priore loco: τὰς ναῦς ἀπεστέλλομεν Παιᾶνας ᾄδοντες. In posteriore: μετὰ Παιάνων ἐξεπλεύσαμεν: *dimisimus naues cum pæanibus. soluimus cum pæanibus.* Atque etiam Ado in Chronico ætate 6. loquens de Sancto Germano episcopo Altisiodorensi, quo loci meminit Παιᾶνος, qui cantatus ante initium belli, quo fusi Saxones & Pictones, cuius in locum ait successisse Christianum Alleluia. De altero Agathias libro 2. Nam Romanos inducit parta victoria παιωνίζοντάς τε, καὶ στεφανηφοροῦντας, καὶ στρατηγὸν ἐν κόσμῳ παραπεμπομένους: *canentes pæana, coronis ornatos, ac ducem cum honore deducentes.* & Scholiastes Aristophanis, in Vespis, vbi ad verba illa, ἰὴ Παιάν, ita scribit: ὡς ἐπὶ κακῶν λύσει τὸν παιᾶνα ὕμνον ᾄδουσι: *canunt Pæanem, tanquam functi iam malis.* Adduxi, vt vidisti, testimonia, iam de vtroque coniuncta, iam de vno & altero separata. Poëta igitur de hoc altero, qui sacer Apollini, qui victorialis, proculdubio loquitur. Infert enim, duces peractis iam bellis quiescentes, & cum nota pacis quadruplici; mox etiam ait:

Hîc manus ob patriam pugnando vulnera passi.

Sed scias tamen, postea quodcunque carmen Diis vel hominibus cantari solitum, dictum fuisse Pæana, nam (vt scribit Athenæus) Hermippus Cyzicenus condidit pæanas in Antigonum, & Demetrium, & ex

Viuorũ studia transeũt cũ mortuis.

Terra, & Tellus vti distinguantur.

Conuiuia Elysiorum.

Pœanes duo.

Alleluia vnde ortum.

Pæan vox generalis.

ex Horatij interpretibus liquet, Pindarum pæanas suos destinasse in varios.

Elysiorum sporas.

10. INTER ODORATVM LAVRI NEMVS] Ita etiam de his locis Tibullus lib.1.eleg.3.

Floret odoratis terra benigna rosis.

Virgilius infrà inducit,

Riparúmque toros, & prata recentia.

Plutarchus de sera vindicta constituit partem istam, ὕλῃ καὶ χλωρότητι, καὶ χλόαις ἀνθέων ἁπαλαῖς διαπεποικιλμένον: *Sylua, viriditate, & omnigenis floribus ornatam.* Addítque: ἐξέπνει δὲ μαλακὴν, καὶ πραεῖαν αὔραν, ὀσμὰς ἀναφέρουσαν ἡδονῆς θαυμασίας: *exhalabat autem lenem auram & mollem; quæ odorem exhibebat suauitatis maximæ.* Pergit pluribus Plutarchus. In opere etiam de orbe Lunæ adumbrans partem istam beatorum, ait: καὶ τὴν νῆσον εὐωδίᾳ κατέχεσθαι πᾶσαν: *totam insulam occupari suaui fragrantia.* Libat Propertius has voluptates lib.4.eleg.7.

Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.

Consonant ista cum doctrina Epicuri, qui dicebat, τέλος τῶν ἀγαθῶν, καὶ σοφῶν ἀνδρῶν τὴν ἡδονὴν εἶναι. Verba sunt Cedreni: *finem bonorum & sapientium esse voluptatem.*

Eridanus cur fluuius Elysiorum.

11. ERIDANI] Aptissimè Poëta, vt aptius nihil, Eridanum in inferno constituit. Sequar in hac nota ductum Goropij libro 9. Orig. Pars multa Eridani terra absorbetur in profundum barathrum præcipitata, & occulto meatu defertur, ac prorsus ignoratur, quamnam in partem exoriatur. Æquum ergo, vt hic fluuius potiùs quàm alius sit in inferno, cùm sciatur, plurimam eius partem terra absorberi, & nunquam rursus erumpere. Inde ergo apparet, cur Poëta signatè *plurimus amnis Eridani*, non simpliciter, Eridanus: quia non totus Eridanus absorbetur, sed plurima eius pars. Vnde etiam *supernè* propter præcipitatas aquas in profundum barathrum. Sed certè, quæ ait Goropius de aquis rursum non emergentibus, dissident à Plinio lib. 3. cap. 16. qui de hoc amne, *condénsque sese cuniculo, & in Forouibiensi agro iterum exoriens.* Sed alludit fortè Strabo ad ea quæ scribit Gorop. nam lib.5. Geographiæ, vbi de Pado, διαχεόμενος δ᾽ εἰς πολλὰ μέρη κατὰ τὰς ἐκβολὰς τυφλὸν στόμα ποιεῖ: *diffusus in multas partes, eruptionibus occultum efficit ostium.* Mihi, cui non contigit videre hæc loca, satis scribere, quæ alij tradiderunt.

Hîc manus OB patriam pugnando vulnera passi:
Quíque SACERDOTES CASTI, dum vita manebat:
Quíque PII VATES, & Phœbo digna locuti:
Inuentas aut qui vitam excoluêre per artes:
Quíque SVI MEMORES alios fecêre merendo:
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

ARGVMENTVM.

Pergit narrando ad alios.

EXPLICATIO.

SEquitur catalogus illorum, qui sunt in Elysiis; quos opponit his, qui puniuntur in Tartaro. Nihil frustra hic vates. Vt suprà, post numeratos aliquos, videlicet Salmoneum, Tityum, &c. adhibitus est catalogus indistinctus, in illis, *Hîc quibus inuisi fratres*, &c. Ita hîc post Ilum, Assaracum, Dardanum, adhibetur quoque indistinctus ordo, cum oppositione mira ad illum locum. Sunt enim hîc viri præclari, est *manus*, id est, exercitus illorum, *qui ob patriam pugnando vulnera passi*: ibi, *quíque arma secuti Impia*, id est, in patriam. Hîc *quíque sacerdotes casti*: ibi, *quíque ob adulterium cæsi*. Hîc, *pij vates, & Phœbo digna locuti*, quod referendum est ad veritatem: ibi est illorum numerus, à quibus *fraus est innexa clienti*. Hîc sunt viri proficui in mortalium genus, ij scilicet, *qui inuentas vitam excoluêre per artes*: ibi, qui artes inuenêre in despectum Deorum, atque in ludibrium; vt Salmoneus, qui fulmina, qui tonitrua. Hîc, qui de vniuersis mortalibus, *bene merendo, fecêre alios memores sui*. ibi, *qui diuitijs soli incubuêre repertis*. Possem plura examinare, sed omitto, ne videar superstitiosus scrutator. Sed quod præmium horum, qui patriæ vtiles acceptis vulneribus, qui casti, qui veri, qui artium opifices, qui bene meriti de aliis? ait:

Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

Nam scilicet color candidus diuinitatis insigne est: hi ergo, qui beati, hoc colore honestantur: præsertim cùm multi illorum vtiles fuerint humano generi; veteres autem diuinitatem his dabant, quòd putarent Deorum esse proprium benefacere. De qua re ego satis in 1. Ecl.

NOTÆ.

1. HIc MANVS OB PATRIAM, &c.] Locum communem eorum, qui dicti φιλοπόλεις, & φιλοπολῖται, plures coniunxerunt. Erasmus variis in locis, Rittershusius in Oppianum, & in Homerum Spondanus, Brusonius lib. & cap.5. Auctor πολυανθ. Pierius in Hieroglyp. Andreas Eborensis, interpretes aliqui hîc in Virgilium. Ideo abstineo, res enim ista facilè parabilis. Non omittam tamen verba Tullij, qui cadentes pro patria in Elysiis constituit, vt hîc Virgilius. Loquens de legione Marria, quæ cecidit dimicans contra Antonium, ait: *Vos verò, qui extremum spiritum effudistis, piorum estis sedem & locum consequuti.* Reliquorum exemplis adiice, quæ de Chæremone narrat Agathias lib.2.

Casti qui apud ethnicos.

2. SACERDOTES CASTI] Ignorata veteribus castitatis Christianæ virtus, aliò torquendus Poëta, videlicet ad ritus ceremoniarum, quibus illi eximij fuerunt; ad cultum, puritatem, mundiciem sacrificiorum. Argumento est Latinum nomen *castus*, respondens Græco ἁγνὸς. quod propriè mundus, purúsque. Inde sacerdotes Isidis frequenter sibi vestem radere, linea vti veste, excrementa omnia auersari, ouillam suillámque non amare, excrementorum copiam creantes; salem nolle, efficientem cibi potúsque appetitionem; putare obesos, impuros; amare corpora graciliora. Hæc, & plura alia, quæ omitto de castitate sacerdotum gentilium, inuenies in Plutarcho lib. de Isid. & Osirid. Aristides etiam Orat. 3. sacrorum serm. ita ait de se: ἐδόκει μοὶ σμίλιν τιν᾽ ἔχων ὁ Σάραπις, ὥσπερ κάθηται τῷ σχήματι περιτέμνειν μου τὰ κύκλῳ τοῦ προσώπου ὑπ᾽ αὐτό πως τὸ ὀρίζηλον, οἷον λύματ᾽ ἀφαιρῶν, καὶ καθαίρων, καὶ μεταβάλλων εἰς τὸ προσῆκον. *Visus est mihi Sarapis cum scalpello, pro vt est eius sedentis figura, faciem vndique circumcidere, quasi eam sordibus ablatis purgaret,*

ret, & in integrum restitueret. Placent itaque commentatores, qui de hac puritate capiunt Poetam; nam putare, illos verè castos fuisse, somnio simile. Hoc planè sensu Horatius in carmine sæculari,

Castus Æneas patriæ superstes.

Hoc Plutarchus lib. 5. Symp. quæst. 10. τοὺς Αἰγυπτίους ἱερέας ἁγνούς: *Ægyptiorum sacerdotes castos.* Hoc sensu scribit idem Plutarchus περὶ τοῦ εἶ per Phœbum significari casta omnia & pura. & sacerdotes ab Thessalis dici φοιβονομεῖσθαι, quòd essent puri.

Phœbo casta significatur.

3. INVENTAS AVT QVI, &c.] Vidi in Isocrate (locus excidit) qui aliquam artem inuenissent de nouo, qua humanam vitam tanquam dono aliquo auxissent, simillimos Diis putandos esse. Facit hoc ad mentem Virgilij, qui hos ponit in numero beatorum. Certè Hippocr. in epist. artes vocat θεῶν χάριτας, *Deorum munera.*

Inuentores artium.

4. QVIQVE SVI MEMORES ALIOS FECERE MERENDO] Vide vt locum istum tractet, explicet, expendat Sanctus Augustinus, Virgilium admiratus lib. 21. de Ciuit. cap. vltimo. vbi versum istum comparat cum doctrina Euangelica.

[a] Quos circumfusos sic est affata Sibylla,
(Musæum ante omnes, medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis)
Dicite felices animæ, túque optime vates,
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergô
Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.
[b] Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparúmque toros, & prata recentia riuis
Incolimus. Sed vos (si fert ita corde voluntas)
Hoc superate iugum, & facili vos tramite sistam:
Dixit: & antetulit gressum, camposq; nitentes
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt.

ARGVMENTVM.

Rogat Sibylla Musæum, vbi sit Anchises; præbet se Musæus ducem ad illum.

EXPLICATIO.

a VT beati Æneam ac Sibyllam viderunt, circa illos funduntur. Sibylla omnes affatur (in primis Musæum, qui medius inter plurimos, qui exstantior eminentiórque cæteris toto capite & humeris) dicant, vbi sit Anchises, quando illius videndi causa difficillimum iter susceperint. In vocibus *felices, optime*, captatio est beneuolentiæ.

b Musæus statim ita paucis. *Nulli certa*, & propria est *domus*, communis omnibus est voluptas, nam *habitamus in opacis lucis*, *incolimus toros riparum* (per toros capio στιβάδας, sunt enim tori propriè herbæ intortæ, vnde lecti dicti sunt tori) *incolimus prata recentia riuis*, id est, semper vernantia riuorum causa. Pergit Musæus. sed videre Anchisen si vultis, *superate hoc iugum*, *sistam vos facili tramite.* (innuit aliam esse viam per planum, sed per iugum illud esse itineris compendium.) Cùm hæc dixisset, *tulit gressum ante* illos vt viæ dux. ac *desuper*, id est, à iugo montis *ostentat campos nitentes* herbidósque, ac fertiles, & pinguedine exuberantes; *linquunt* deinde *summa* iugi illius *cacumina*, quo recta pergant ad Anchisen.

NOTÆ.

1. MVSÆVM ANTE OMNES] Possit aliquis suspicari, Virgilium liuore aliquo Homerum præteriisse, facta de Musæo tantùm honorifica mentione. Sed potius est, vt dicamus, virum iudicio summo, non liuore aliquo tactum, dedisse principem locum in re poëtica, non Homero, sed Musæo. Est hoc iudicium Scaligeri libro 5. poët. cap. 2. Lege illum, in quo inuenies grande Musæi præconium cum summa Homeri contemptione. Est etiam in Cassiodoro libro 2. epist. 40. Musæi elogium istud: *Musæum etiam, & artis Orphei filium & Naturæ, Maronis præpotens lingua concelebrat, dicens, apud inferos in summa beatitudine constitutum, quòd per Elysios campos felices animas septem chordarum pulsibus amœnabat: significans summo præmio perfrui, cui disciplinæ huius contigerit suauitatibus epulari.* Vis Lector aliud Musæi elogium, vt ne mireris, prætermissum Homerum, illum substitutum? Certè à præstantia huius vatis credi possunt dicta *Musæa* loca Musis sacra, non fortassè à Musis, quod vulgus credit. Mouet me Pausaniæ auctoritas, qui lib. 1. celeberrimum Atticum Musæum, & ad cuius imaginem reliqua omnia dicta, ad hunc virum refert, non ad Musas: ait enim: *Demetrius præsidio & munitionibus eum locum firmauit, quem Musæum appellant. Est autem intra vetus pomœrium è regione arcis, collis; in quo Musæum vatem canere solitum, atque ibidem senectute consumptum, humatum ferunt.* In eodem Pausania multa est mentio Musæi, & semper honorifica, vt cùm ait, πέτεσθαι Μουσαῖον ὑπὸ Βορέου δῶρον: *Musæum Boreæ dono volitasse.* Tu reliqua loca. Est etiam honesta illius mentio in Protagora Platonis, & in Apologetico eiusdem: & in Eleusinia Aristidis.

Musæi elogium.

Musæa, vnde dicta.

2. MEDIVM NAM PLVRIMA TVRBA HVNC HABET] Locus huic similis est apud Aristidem in oratione funebri Alexandri Poëtæ præceptoris sui, vbi ait, hunc in inferno circumdari ab choris poëtarum & historicorum, conantium enixè vt ad se Alexander diuertat. ποιητῶν χορὸς ἵστασθαι περὶ ἐκεῖνον. Qui attentè legerit Aristidem, inueniet Græcum hunc multis in rebus Virgilio hæsisse.

3. HVMERIS EXSTANTEM] Philostratus in Icon. ὑπεραίροντα ἀνθρώπους. Dabant veteres defunctis cor-

poris proceritatem ad terrorem viuentium. de quo alibi.

4. QVÆ REGIO] Allusum fortasse ad Romanam vrbem, quæ diuisa in regiones.

5. ERGO]Causa.Cato de re Rust. *Mars pater te precor, quæsóque, vti sies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, cuius rei ergo, agrum, terram, fundúmque meum solitaurilia circumagi iußi.*

Heroës in lucis colebãtur.

6. LVCIS HABITAMVS OPACIS]Respectum ad heroas. notat enim Seruius heroum animas in lucis coli solitas. Cum quo facit consuetudo veterum, quam obseruauit Lilius syntag.17.Solebant enim luci consecrari apud Deorum templa, & inde fortasse luci dicti à lucendo, quòd ibi accenderentur lumina religionis causa.Isidorus lib.14.cap.8.loquens de etymo luci, ita ait: *Potest & à collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem gentilium cultúmque fiebant.* Quæ enim de antiphrasi tam idem Isidorus, quàm Seruius scribunt, falsissima sunt. Fulcio hanc mentem versibus Prudentij lib.2.in Symm.

Lucorum etymon.

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici succisa bipenni.

Ab his lucernis luci dicti proculdubio. Eôdem pertinent verba Afranij apud Varronem de *Putilucis*, quæ iam aliis agitata, & ideo omitto. Sed redeo ad Heroas.Luci quidem colendis Heroibus destinabantur, sicut templa Deis. Quò pertinet locus Platonis lib.5.Leg. qui τεμένη, id est, *lucos*, infert cum respectu ad heroës.Et locus Tullij 2.leg.*Lucos in agris habendo, & Larium sedes.* Itaque inde copia lucernarum in lucis ad peragenda sacra.Nam, vt scribit Seruius in lib. 1. Æn. *vbicunque à Virgilio ponitur lucus, sequitur consecratio.* Et in 3. Æn.ita ait: *Lucus nunquam ab eo ponitur sine religione, quia ibi habitant Lares viales, animæ heroũ, & piorum.* Antonius verò Clarus lib.singulari in leges ait, adumbratum hîc à Virgilio morem, quo olim sepulcra mortuorum in lucis condebantur. Nam &

Sepulcra in lucis.

A Cicero pro Mil. Albanos tumulos lucósque obtestatur, eundem morem insinuans, quasi ibi essent tumuli, vbi luci. Pro quo adduco Platonem, qui lib.12.Leg. loquens de honore defunctorum insignium, πέριξ δένδρων ἄλσος περιφυτεύουσι: *lucum arborum in circuitu plãtant.* Vtcunque luci in summa erant religione. Ideo Horatius illorum vindicem Iouem facit Odyss. 12. lib.1.

Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Reprehendit Gentiles Sanctus August. Serm.241.de tempore.*Quicunque in agro suo, aut villa, aut iuxta villam, aliquas arbores, aut aras, vel qualibet fana habuerit, vbi miseri homines solent aliqua vota reddere, &c.* Vides vota arboribus reddita. Sed ad hanc rem in primis

B pertinent verba Senecæ ep.41. *Si tibi occurrerit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egreßis, frequens lucus, & conspectum cæli densitate ramorum aliorum alios protegentium summouens; illa proceritas syluæ, & secretum loci, & admiratio vmbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi Numinis facit.* Pollux lib. 1. constituens loca consecrata Diis, ἄλση, ait, καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη.

Iugum mõtium, quid.

7. IVGVM] Cùm hîc præmittat, *hoc superate iugum*, deinde subiiciat, *dein summa cacumina linquunt*, sciat lector, locum hunc notandum. Est enim iugum montium diuersum à cacumine. Nam iugum est porrectio ipsa & accliuitas, qua itur ad verticem, vbi est cacumen. Itaque *superate hoc iugum* erit, superate hanc accliuitatem, vt eatis ad cacumen. Huius discriminis

C indicia sunt aliqua. Nam Seruius in hunc locum: *Diuiduntur montes in radices, latera, iuga, vertices pro locorum qualitate.* Facit etiam validè locus Ouidij 4.Met. vbi enim sermo est de Atlante conuerso in montem, ita ait:

——iuga sunt humerique manúsque:
Quod caput antè fuit, summum est in monte cacumen.

Quæ verba Seruio patrocinantur.

a At pater Anchises penitus conualle virenti
Inclusas animas, superúmque ad limen ituras,
Lustrabat STVDIO recolens: omnémque suorum
Fortè recensebat numerum, carósque nepotes,
Fatáque, fortunásque virûm, morésque, manúsque.
b Isq; , vbi tendentem aduersum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas vtrasque tetendit,
Effusæq; genis lacrymæ, & vox excidit ore.
c Venisti tandem, tuáque exspectata parenti
VICIT ITER durum pietas: datur ora tueri
Nate tua, & notas audire, & reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans, NEC ME mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio? quantis iactatum nate periclis?
Quàm metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent.

ARGVMENTVM.

Occurrunt sibi Æneas, atque Anchises: loquitur prior pater.

EXPLICATIO.

a Fit præcipua mentio de Anchise, vt ad quem inuisendum, susceptum est iter difficile. Erat

D verò ille in interiore parte amœnissimi loci: vt autem is, qui futurus *pater* tantæ posteritatis, recolebat lustrabátque ingenti *studio*, suorum *animas* ibi *inclusas*, venturásque aliquando *ad limen superum*, id est, ad vitam hanc: *recensebátque forte numerum omnem suorum, nepotes caros, fata, fortunas, mores, manus.* Per *fata* potes capere variam multiplicémque rationem, aut vitæ, aut mortis, quam habituri posteri Anchisæ: Per fortu

fortunas, opes, gloriam, triumphos: per *mores*, aut quos habuit Romanus populus, aut quos quisque, aut iura data vniuerso terrarum orbi: per *manus*, res gestas, imperij magnitudinem, quæ comparatur virtute. Hęc nisi placeant, tu finge explicationem aliam. Nota diligenter, reliquis animabus datas alias voluptates, vni Anchisæ, vt qui parens Romani populi, lustrationem magnorum nepotum.

b Vt Anchises natum vidit venientem è regione, nā hoc est, *tendere aduersum*, primùm *tetendit alacris vtrasque palmas*, quasi natū complexurus, quasi Dijs acturus pro viso filio gratias: deinde præ gaudio & affectu paternæ pietatis *effusæ* sunt *lacrymæ genis*: tertiò, *vox ore excidit*. vsus est apto verbo ad signandam lætitiam non se continentem, sed gestientem in verba erumpere.

c Oratio hæc admodum est pathetica, in qua senex ex præterito desiderio, & præsentia nati erumpit in varios affectus. Non multo antè tempore Anchises obierat, & quasi anni multi elapsi, *venisti tandem*. Deinde laudat filium à pietate, qua non est passus frustrari patrem exspectantem; quod ne faceret *vicit iter durum*. Tertiò, quasi vix credat, quod videt,

Datur ora tueri
Nate tua, & notas audire, & reddere voces?

Placet enim, vt hîc notam interrogationis adiungas, nam maior affectus. Pergit adnectens sequentia superioribus. Dixerat, exspectaui te diu, ergo, *sic equidem ducebam animo*, &c. Dixerat interrogans, & vix credens, *datur ora tueri*, &c. ergo, *Quas ego te terras*, &c. etiam interrogans, & vix credens. Sic ego explico hunc locum: aliis sua erit sententia. Demum absoluit, *Quàm metui*, &c. notans modestè filij consuetudinem cum Didone, obliuionémque regni Italici, quod illi fata decreuerant.

NOTÆ.

1. AT PATER ANCHISES] Lassant se interpretes, & ego aliquando (fateor ingenuè) in quærenda imitatione Homeri. Sed si fatenda est veritas, vna (pene dicam) tantùm est imitatio in hoc libro, videlicet ita Æneam descendisse viuum ad inferos, vt Vlysses apud Homerum. Nam reliqua longè dispaira. Rem istam aperiet locus, in quo sum. Vlysses descendit, vt Tiresiam adeat; Æneas, vt Anchisen. D Viso ergo & audito Tiresia videbatur Vlysses reuersurus, quando hic tantùm finis itineris, nullus alius. Vide verò, vti postea longissimè euagetur Homerus. Consultiùs multò Virgilius, qui reliqua præmittit, & ad exitum Anchisen seruat, à quo doctus & instructus Æneas, statim recedit. Pergo. Quid tanto apparatu & molimine Homerus quærit? cur sacra mortuorum fiunt? cur Vlysses descendit? tantùm vt cognoscat quæpiam de irato Neptuno, propter excæcatum Polyphemum; de bobus Solis, quas non debet interficere; de procis, quos domi inuenturus; de itinere, quod suscepturus; de sacro, quod facturus; de morte, quam obiturus. Hæc enim summa est responsi Tiresiæ. Quid suo descensu Virgilius quærit? quid à E patre Æneas discit? Rerum omnium principium, cæli, terrarum, maris, siderum, animarum, affectus qualitor quibus istæ subditæ, æternum numen se rebus omnibus admiscens, purgationem peccatorum post mortem, impiorum supplicia, piorū præmia: ad hæc, Romani imperij (quo nullum maius) originem, Romanæ vrbis, (qua nulla item maior) conditorem; eiusdem tam imperij, quàm vrbis restauratorem Augustum, qui vnus è posteris ipsius Æneæ: demum varios duces, qui nunc æternis literarum monumentis

Virgilius superat Homerum.

A consecrati sunt. Quid boues Solis cum istis? quid reliqua farrago Homeri? Adduxi duplicem comparationem, procedo ad tertiam. Quid facit Tiresias, cùm aditur? audi. Tenet sceptrum in manu, loquitur cum Vlysse: *Infelix cur huc venisti relinquens Solem, gladium remoue, vt bibam sanguinem, ac tecum loquar.* Affectus si quæras, nullos inuenies. Quid pro his Virgilius? Pro sceptro Tiresiæ, quod nulla proprietate datur vati, Anchises satis propriè recenset genus suum, studiosè recolit suos nepotes, meditatur illorum fata, fortunas, mores, virtutem. Pro illis, *infelix* δύςηνε (vide qua salutatione acceperit hominē, qui difficillimum iter susceperit, vt se adiret) Virgilius, *venisti tandem*, &c. Lege septem versus, quos ego ita soleo celebrare, vt dignos putem, quos Adamus primus parens vsurparet, B illisque vteretur ad Christum Seruatorē maximum, cùm is infernos confregit post supplicium crucis. Iam verò, quis affectus? *Effusæq; genis lacrymæ*, &c. Multa alia exquiri poterant, quæ omitto.

2. LIMEN] Sequor hanc lectionem, nam inclusæ animæ exire volunt ad limen vitæ. Potest quoque legi *lumen*, cū pari fermè oppositione; nam animæ quæ in tenebris, lumen vitæ optant. Sed priorum præfero, propter illa, quæ satis in Georg.

3. ISQVE VBI TENDENTEM] Hîc quoque Homerus superatur 11. Odyss. vbi Vlysses & mater sibi occurrunt. Æneas enim ad patrem tendit, quod æquius, quàm filium exspectare, donec mater veniat. Tu reliqua κῷ λεπτόν. Illud ego non omittam, me non satis posse intelligere (vtinam alius) qua ratione mater C Vlyssem non agnoscat, nisi bibito sanguine, agnoscat verò Tiresias illo non bibito. Egent ista lectione Homerica, qui adierit, discrepantiam inueniet.

Virgilius superat Homerum.

4. EFFVSÆQVE GENIS LACRYMÆ] Fortasse ex Sophocle in Electra, vbi propter aduentum Orestis sub persona Chori.

Γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο:
Læta serpunt lacrymæ ex oculis.

Iterum Electra ipsa.

Κἀπεί σ' ἐσεῖδον, οὔποτ' ἐκλήξω χαρᾶς
Δακρυῤῥοοῦσα.
Quando te iam vidi, non desinam præ lætitia
Lacrymas fundere.

5. VENISTI TANDEM] Inuenio imitationem Euripidis in Phœniss.

Ἔβας, ἔβας, ὦ χρόνῳ γᾶν πατρῴαν:
Venisti, venisti tandem ad terram patriam.

Et Sophoclis in Electra. ὦ φθέγμ', ἀφίκου: *O vox, venisti.* Cùm videlicet adfuit Orestes, qui mortuus putabatur. Sunt ibi varij affectus, quos videtur ad locum istum explorasse Virgilius. Vide etiam quos affectus Plautus excitet Captiu. sub persona senis Hegionis ad cognitos filios, alterum foris aduenientem, alterum domi inuentum, qui latebat sub persona serui. Hos affectus ita tractat Paulinus Natali 9. Felicis.

Noctes atque dies animo tabente pependi,
Venisti tandem quarto mihi redditus anno.
Quàm metui ne te medijs regionibus hostis
Disclusum opposita bellorum nube teneret:
Vicisti duros tenera pietate labores.

E Ademi aliqua.

6. EXSPECTATA] Sic legi, & explicui cum oppositione ad illud,

Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.

Hoc enim exspectantis est. Alij legunt, *spectata*, hac sententia: Probata est mihi tua pietas per labores, ac dura itinera. Ad eum modum, quo Ouidius dixit,

——*spectatur in ignibus aurum*,

id est, probatur. Quod Græci δοκιμάζεται, ἐξαγωνίζεται.

ta. Lectionem hanc sequitur Passeratius, quem Germanus aduocat: & Germ. ipse, pro laro in Paralip. vetere codice, in quo est *spectata*. Sequitur Ios. Scal. in Catull. & addit tralationem duci à probationibus operũ, quæ dicuntur *spectationes*, ab Agellio, & aliis. Sequitur Seruius: nam tametsi in illo semper legatur *exspectata*: sed eius verba aliud indicant: sunt verò hæc: *exspectata, probata. vt rebus spectata iuuentus. hoc autem dicit: Tua pietas, mihi semper probata, nunc etiam iter durum vi*-

Spectationes.

A *cit, scilicet inferorum*. Potes hos sequi. Ego in primum inclino, nam ita hîc videtur assumi vox ista, vt 2. Æn.

— quibus Hector ab oris
Exspectate venis.

7. Avdire et reddere] Ex Catullo de nupt. Pel.

Nec missas audire queunt, & reddere voces.

Vsurpauit quoque 1. Æn.

[a] Ille autem: Tua me genitor, tua tristis imago
Sæpius occurrens hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. da iungere dextram,
Da genitor: Teqve amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
[b] Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibvs ventis, volucríque simillima somno.

ARGVMENTVM.

Respondet filius, vultq; patrem complecti, sed nequit.

EXPLICATIO.

[a] Pari affectu filius respondet patri. Dixerat pater. *Tua pietas vicit iter durum*. Respondet Filius. ita est, nam *tua ô genitor, tua imago*, mihi *tristis sæpe occurrens*, *adegit* me *tendere* ad *hæc limina*, nulla res alia. Dixerat pater:

Quàm metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent.

Respondet filius: Pone hanc curam, non expuli animo Italiam, non me Carthago, non Dido auertit, sum iam in aditu Italiæ, nam *classes stant in Tyrrheno sale*, id est, mari. Tetenderat pater *alacris vtrasque palmas*. Quid filius? *da iungere dextram, da genitor: neque subtrahe te* ab *nostro amplexu*. (Potest etiam hîc esse *amplexu*, pro amplexui.) Demum patri *effusæ genis lacrymæ*. Filius *rigabat ora largo fletu*. Non erumpit in gemitus, non ciet singultus, nulla hîc eiulatio: nam fletus in amore lenissimus est, & pacatissimus.

[b] Non contentus verbis, non lacrymis, ruit in paternos amplexus: sed frustratur ab amplexu, nam nullum ibi Anchisæ corpus, tantùm vmbra, simulacrum, imago. Ergo, *conatus ibi circumdare ter brachia*, paterno collo, *ter imago frustra comprensa effugit manus* filij: idque *par ventis leuibus, simillima somno volucri*. Nam quis ventos amplectatur, quis formam apparentem in somnis?

Notæ.

Virgilius superat Homerum.

1. Tva me genitor, &c.] Diuersa ista ab Homericis in sententia, & affectu. In sententia, nam Æneas patrem constituit finem itineris asperi suscepti: nihil tale Homerus loquens cum matre. In affectu, nam hîc multi: ibi ieiuna satis, & sicca oratio.

2. Occvrrens] Respicit ad illud 5.

— Auerna per alta
Congressus pete nate meos.

Cùm addit *sæpius*, intelligendum κατὰ σιωπήν. Nam semel apparuisse Anchises legitur.

3. Ter conatvs, &c.] In hac sententia poëtæ vires ingenij exercuerunt, certantes inter se de laude. Proponam principe loco Homerum, deinde alios. Ille. 11. Odyss.

B Τρὶς μὲν ἐφορμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἄνωγε,
Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ ἴκελον, ἢ καὶ ὀνείρῳ
Ἔπτατ'.

Ter quidem irrui, amplectíque me animus inuitabat,
Ter autem mihi è manibus instar vmbræ, similis etiam somno
Auolabat.

Audi iudicium magni Scaligeri: *Conclusit rotundius, & comprehendit tribus versibus commodissimis; neque præcidit sententiam versu mutilo. Ad hæc Homerus impetum tantùm dicit; hic conatum, & brachia, & apposuit frustra. Vmbram verò vertit in ventos, non vt addictus interpres, sed vt liber iudex*. Idem Homerus lib. 23. Il. ita.

Virgilius superat Homerum.

C Ὣς ἄρα φωνήσας ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν,
Οὐδ' ἔλαβεν, ψυχὴ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
Ὤχετο τετριγυῖα.

Sic fatus extendit manus amicas,
Neque prehendit, anima enim sub terram tanquam fumus
Abijt murmure stridens.

Pergo ad alios. Ouid. 5. Fast. loquens de vmbra Remi:

Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt:
Ludicra prensantes effugit vmbra manus.

& 11. Metam. loquens de Alcyone,

— corpusq; petens amplectitur auras.

Propertius lib. 4. eleg. 7.

Hæc postquam querula mecum sub voce peregit,
Inter complexus excidit vmbra meos.

D Silius lib. 13.

His alacer colla amplexu materna petebat,
Vmbraq; ter frustra per inane petita fefellit.
Succedunt simulacra virûm concordia patris
Vnanimiq; simul patrui. ruit ipse per vmbras,
Oscula vana petens iuuenis, fumoq; volucri,
Et nebulis similes animas apprendere certat.

Valerius Flaccus 4. Arg. de Hercule, cui Hylas apparuit.

Talibus orantem dictis, visúque fruentem,
Ille vltro petit, & vacuis amplexibus instat,
Languentisq; mouet frustra conamina dextræ,
Corpus hebet somno, refugaq; eluditur vmbra.

Seneca in Troadib.

Oblita nati misera quæsiui Hectorem,
Fallax per ipsos vmbra complexus abit.

Lucanus lib. 3. de vmbra Iuliæ apparentis Pompeio:

— sic fata refugit
Vmbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.

Sed

Sed cur in hac locorum comparatione omitto Virgilium ipsum 4. Georg. vbi loquitur de Orpheo, & Eurydice?

Dixit:& ex oculis subitò ceu fumus in auras
Commistus tenues fugit diuersa, neque illum
Prensantem nequicquam vmbras,& multa volentem
Dicere, præterea vidit.

Semper esse magnus apparet Virgilius. Plutarchus, de animis beatorum in Elysijs, ait, πᾶσαν ὄψιν ἀποφεύγουσας καὶ ἁφὴν, *fugere illas omnem conspectum & tactum.*

[a] Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, & virgulta sonantia syluis,
Lethæúmque, domos placidas qui prænatat, amnem.
[b] Hunc circum innumeræ gentes populiq; volabant.
Ac velvti in pratis, vbi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.
[c] Horrescit visu subito, causásque requirit
Inscius Aeneas, quæ sint ea flumina porro,
Quíve viri tanto complerint agmine ripas.

ARGVMENTVM.

Videt Æneas amnem Lethæum, multosq; auidè volentes inde bibere: rogat patrem, quid hæc velint.

EXPLICATIO.

a Optimè excogitauit Poëta. visa enim re noua, & admirabili, imponitur modus blandissimis affectibus inter patrem & filium. Alius poëta se inde expedire nesciret. *interea itaque Æneas videt in reducta valle nemus* quoddam *seclusum* ab aliis, *& virgulta sonantia syluis.* Explico. videt nemus seclusum virgultorum sonantium inter illas syluas. videt etiam *amnem Lethæum, qui prænatat domos* (habitacula) Elysiorum *placidas*, vtique amœna vireta.

b Quid præterea? *Circum* amnem *hunc volabant gentes innumeræ, populique.* Illustrat concursum istum animarum, comparatione apum, quæ *in pratis* (notat locum) atque in *serena æstate* (notat tempus) *funduntur*, (notat frequentiam,) *circum lilia candida*, hoc κατ' ἐξοχὴν, posset enim flores alios adhibere. ac tunc *omnis campus strepit* illarum *murmure*, & susurro.

c Quid tum Æneas? *horrescit* ad subitum spectaculum, *requirit causas*, vt qui *inscius*. Sed signatè quærit, *quæ sint ea flumina*, quæ apparent ante oculos, nam hoc est, *porrò*, qui sint illi *viri, qui complerint ripas tanto agmine?*

NOTÆ.

1. Interea videt, &c.] Rectè monent interpretes iam hinc adhiberi parasceuem ad Socraticam Philosophiam, quæ de animarum transmigratione, & immortalitate, de rerum conditore Deo exstat apud Platonem variis in locis, præsertim in Phædone.

2. Valle redvcta] Is locus dicitur reductus, qui habet vias non rectà continuò tendentes, sed eiusmodi, vt tibi in lustrando redeundum recurrendúmque sit. Sic Mæander flexus habet reductos, sic multi horti reductas vias, sic Horatius bis dixit, *reductam vallem* ad imitationem Nostri, videlicet lib. 1. Od. 17. & in Epod. Od. 2. Sed de hac re dictum iam & in Georg. & 1. Æn. — *Reductum, quid.*

3. Seclvsvm nemvs] Vide, vt explicui. Finge, te videre spaciosissimam partem campi vacuam horrore syluarum, in qua sit tantùm verè nemus, id est, locus pascuus, ἀπὸ τοῦ νέμεσθαι, viridis, herbidus, amœnus, vbi virgultula, vbi herbulæ, & mille amœnitates; quémq; & fluuius præterfluat, & syluæ in modum coronæ longo inde spatio incingant: talem hîc Virgilius describit. Etenim, vt videretur frequentissimus ille animarum concursus, locus debuit esse non impeditus arboribus, sed ab illis seclusus: neque hîc virgulta sonant, in ipsis verè syluis, sed inter syluas, quæ distabant longo spatio à parte illa sita in medio. Hîc te moneo à nonnullis legi, nō *syluis*, sed *syluæ*. Si accederet auctoritas codicum, libenter legerem *ripis*.

4. Lethævm] Non dubium, quin Poëta discriminet fluuium istum à reliquis inferorum, sicuti & Eridanum. Itaque in doctrina Poëtæ tria tantùm sunt flumina subtus terram, Eridanus, Lethe, Acheron: nam extremus idem est cum Phlegethonte, cum Cocyto, cum Styge. vt probaui suprà. Alij Lethen cum aliis confundunt, in his Seneca in Furente, vbi quæ Virgilius dixit, *multam accepit rimosa paludem*, ille reddidit, *Vtrinq; Lethen latere titubante bibit.* — *Lethe inferorum.*

5. Prænatat] Figurata locutio (obseruáte Seruio) non enim natant aquæ, sed natantur. Ita Ennius, *fluctúsq; natantes.* & Lucretius bis, *campósque natantes.*

6. Circvm] Signatè, non *circa*. quia hîc non solùm proximitas indicatur. Ita statim, *circum lilia*. vt notet, animas & apes in globum commeantes ad flumen, ad flores. ita etiam. 1. Georg. de Zonis, — *Circa, & circum, vti distinguantur.*

Hanc circum extremæ dextra læuaq; trahuntur.

vt notet, non proximitatem, sed vertiginem.

7. Volabant] Dictum hoc ex natura animarum, quæ vt vacuæ corpore, dicuntur volare. Plutarchus de sera vindicta loquens de animis, συνειλούμεναι γὰρ ὥσπερ αἱ ὄρνιθες, καὶ καταφερόμεναι. & lib. 4. Symp. q. 2. τῆς ψυχῆς ὄρνιθος δίκην ἀποπταμένης τοῦ σώματος: *anima, instar auis, volāte è corpore.* & in opere de orbe Lunę ex poëta. — *Volatus de anima.*

Ψυχὴ δ', ἠΰτ' ὄνειρος, ἀποπταμένη πεπότηται:

Ast anima, vt somnus, pernicibus euolat alis. Quin Plato, teste eodem Plutarcho, in Platonicis Quæst. animam vocauit πτερὸν, *alam*. Artemidorus lib. 2. c. 73. animas egressas è corpore dicit esse πτηνοῖς ὁμοίας.

8. Ac velvt, &c.] Illustrabitur hic locus illis, quæ dixi. 1. Æn. ad illud:

Qualis apes æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor.

Cur dicat *æstate*, satis illustratum, imò explicatū 4. G. vbi quæsiui, quo tempore apes sedent ad laborem suum. Cur *serena*; ibi quoque: nam apes non se credunt cælo nubilo.

9. Candida lilia] Arripuit à Nostro Propertius lib. 1. eleg. 20. De variis liliorum generibus non solùm candidorum, lege Plinium, qui docet, qua arte ex candidis fiant purpurea.

10. Porro] Cùm πόῤῥω Græcorum respondeat Latino *procul*: & hoc (vt alibi doceo) abstrahat à longinquitate — *Porro, quid.*

quitate & proximitate, & signet tantùm id, quod est ante oculos, aut pro oculis; rectè videor hîc explicuisse. Non enim placet Seruianum, *flumina porro, id est, longè remota*, ex infinitis, in quibus tam πόῤῥω, quàm procul dicunt non remotum aut valde distantem locum, sed expositum oculis. Sed, vt dixi, de hac re alibi.

[a] Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.
[b] Has equidem memorare tibi, atque ostendere coram,
Iam pridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia tandem lætêre reperta.
[c] O pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?

ARGVMENTVM.

Accingit se Anchises ad longam narrationem, quam habiturus ex doctrina Pythagoræ, de animarum transmigratione in alia corpora,

EXPLICATIO.

[a] Respondet Anchises Æneæ. Quæsiuerat enim hic:

Quiue viri tanto complerint agmine ripas.

Respondet, sunt *animæ, quibus fato debentur altera corpora*. Quæsiuerat, *quæ sint ea flumina*. Respondet, esse Lethæum. Quæsiuerat *causas* illius concursus. Respondet, accedunt vt *potent securos latices, & longa obliuia*. Obserua totidem versibus datum responsum quæsito.

[b] Occasione huius rei gestit Anchises adducere nato in memoriam, imo *ostendere* ante ipsos oculos futuram posteritatem Romanorum, quos Anchises, iure optimo vocat suos. Redditque causam, cur hoc faciat, videlicet, quò Æneas lætetur magis reperta Italia.

[c] Admiratur Æneas, fieri posse, animas illas euasuras ex illis tenebris in hanc vitam; reuersurásque ad corpus. Ostendítque per exclamationem, ineptam esse harum animarum cupiditatem, & verè esse miseras, quæ hanc ament lucem, & tarditatem corporum, cùm de illis dictum iam sit *volabant*. Neque verò vacat *iterum reuerti*, quia sæpius redeunt.

NOTÆ.

Animarum Pythagorica transmigratio.

1. ANIMÆ, &c.] Sequitur Poëta sententiam Pythagoræ, qui animarum μετεμψύχωσιν, id est, transmigrationem, agnouit, putans illas ex vnis corporibus migrare in alia, hac ratione, vt, defuncto homine, anima iret in infernum, ibique purgaret, quæ essent purganda, mox biberet aquas Lethæas, quæ sic dictæ ἀπὸ τῆς λήθης, *ab obliuione*; vt sic rerum omnium oblita anima nouum corpus informaret. Hæc in omnibus sunt, sed hinc abesse non debuerunt. Videtur autem Poëta insinuare, non omnibus id contingere, sed certas tantùm esse animas, quibus debeantur altera corpora, idque peculiari fato. Ideo signatè mox Æneas, *aliquas* dixit, non, omnes. Nihil autem Poëta potuit aptiùs inducere, quàm opinionem Pythagoræ ad celebranda gesta Cæsarum, & posterorum Æneæ. Scias hîc, hanc animarum transmigrationem Empedocli attribui à Clemente lib. 6. Strom. citat enim illius versus istos, qui etiam leguntur apud Chalcidium:

Ἤδη γὰρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε, κόρη τε.
Θάμνός τ', οἰωνός τ', καὶ εἰν ἁλὶ ἔλλοπος ἰχθῦς:
Ipse ego namque fui puer olim, deinde puella,
Arbustum, & volueris, mutus queque in æquore piscis.

Sed fere omnes Pythagoræ attribuunt, in his Aristoteles lib. 1. de anima c. 3. vocans hanc animarum transmigrationem Πυθαγορικοὺς μύθους, *Pythagoricas fabulas*. Pythagoras ipse apud Ouid. 15. Met.

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
Sede, nouis domibus viuúntque habitantq; receptæ.

Olympiodorus illam ex æquo dat Pythagoræ & Orpheo. παλαιὸς λόγος Ὀρφικός τε, καὶ Πυθαγόρειος, ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα, καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, καὶ τοῦτο κύκλῳ πολλάκις: *vetus est Orphei & Pythagoræ sermo, animas ferens in corpus, & rursus à corpore referens, & id sæpe in circulum.* Minutius, Pythagoræ & Platoni. verba eius: *conditionem renascendi sapientium clariores Pythagoras primus, & præcipuus Plato, corrupta & dimidiata fide tradiderunt: nam corporibus dissolutis solas animas volunt & perpetuò manere, & in alia noua corpora sæpius commeare.* Theophilus patriarcha Antiochenus lib. 3. ad Autolycum, Pythagoræ & Euimaro, quem philosophum vocat impurissimum. Herodotus lib. 2. Ægyptiis attribuit. Cedrenus Origeni, idem loco alio etiam Pythagoræ, loco item alio Stoicis. Vide verò vti Plato in Menone agnoscat reditum istum animarum. Ait ille: *Ferunt enim hominis animum immortalem esse, eúmque tum decedere. quod mori vocant, tum iterum redire, interire verò nunquam. Quam ob causam, vitam quàm sanctissimè agere monent. Quicunque enim pœnas antiquæ miseriæ Proserpinæ iam dederunt, ijs illa ad supremum solem nono anno rursus animam reddit, quousque in reges gloria, sagacitate, sapientiáque præstantes euadant.* Lege etiam eundem in Phædro, & Philostratum lib. 6. de vita Apollon. cap. 11. & 18. extremo loco quæpiam de anima Telephi ad fabulas poëtarum non pœnitenda. Plutarchum de sera vindicta, vbi agnoscit τὰς ἐπὶ δευτέραν γένεσιν τρεπομένας ψυχὰς: *animas conuersas in ortum alterum.* videlicet, εἰς ζῶα παντοδαπά, *in varia animalia*. Idem ipsum ex Gentilium doctrina docet Minutius. *in pecudes, aues, belluas, hominum animas redire.* Hãc varietatem Plato docet in Phædone. Nam qui ventri & gulæ dediti fuerunt, assument formas asinorum, brutorúmque similium: qui rem ciuilem, & mitem tractarunt, in apes aut formicas transibunt. Sic existimandum de aliis. Eadem fermè scribit lib. 10. de Rep. ad finem. Ægyptij, vt est apud Herodotum lib. 2. id peculiare de hac transmigratione senserunt, vt videlicet, anima, postquam se circumtulisset per terrestria, marina, volucria, rursus in hominis corpus introiret.

2. SECVROS LATICES] Metonymia: ideo enim securi

curi latices, quia reddunt ſecuras animas. Excogita, an meliùs id potuerit dici. frigerent alia attributa. Quid illud? *longa obliuia* & *potant*. Iam pene ſordebunt tibi poëtæ, qui loquentes de Lethe, dicunt, *ducere, trahere, gignere, facere obliuia*. Potuiſſet quoque Poëta dicere, *& longa obliuia ducunt*. Sed in illius ore ſemper eſſe exquiſitum debet, non vulgare. Conſentit verò cum hoc argumento (ait Germanus) Romana antiquitas; fuit enim Romæ templum, vbi amor & facem vndæ immergebat, & Lethæos latices propinare videbatur, hoc emblemate ἀντέρως. Nam videlicet hac rerum obliuione credebatur ſanare ægras mentes. Huc reſpectum ab Ouidio eſt 2. Remed.

Amoris templum.

Eſt prope Collinam templum venerabile portam,
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.
Eſt illic Lethæus amor, qui pectora ſanat,
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & iuuenes votis obliuia poſcunt,
Et ſi qua eſt duro capta puella viro.

3. IAMPRIDEM] Reſpicit ad illud 5. Æn.

Congreſſus pete nate meos.

Iam enim dudum nato apparuerat Anchiſes, monuerátque, vt deſcenderet ad ſe ad inferos: nunc aperit, cur hoc voluerit, *Iampridem* (inquit) *cupio prolem enumerare meorum.*

4. O PATER, &c.] Lege verſum integrum, & admirare Virgilium, qui ipſa carminis difficultate exprimit Æneæ ſenſum, vix credentis animas inde euaſuras. Eſt A hîc *cælum* mortalis vita; vt mortales, ipſi *ſuperi*, reſpectu inferorum. Ita ſuprà,

Superi de hominibus.

———*ſuperaſq; euadere ad auras.*

Cum alluſione ad hoc ſignificatum dixit Plautus Aulul. *ſuperi incœnati ſint, & cœnati inferi*. In Seneca Tragico reperies multa exempla.

5. SVBLIMES ANIMAS] An, illuſtres & nobiles, vt plerique. an hæc eſt ſententia? Fieríne poteſt, vt animæ, quæ nunc ſunt in inferno, iterum ſupernæ & ſublimes reddantur?

6. QVÆ LVCIS MISERIS TAM DIRA CVPIDO] Vt cupido ſumatur pro cupiditate, natum credo, à Deo Cupidine, qui impotens eſt, ac ſibi non temperans. Ducor: nam & Venus Dea pro cupiditate ſumitur, &, vt credi poteſt, non aliunde, quàm ab hac B intemperantia. Euripides in Iphigenia,

Cupido pro cupiditate.

Venus pro cupiditate.

Μέμηνε δ᾽ Ἀφροδίτη τις Ἑλλήνων στρατῷ
Πλεῖν, &c.

Tenuit Græcorum exercitum Venus quædam nauigandi. Id eſt, cupiditas. Natum hoc ex more veterum. qui vti Mineruam pro lanificio vſurpabant, Vulcanum pro igne, Martem pro bello (de qua gentium locutione, vide quæ ego 2. G. per initia) ita, pro cupiditate Cupidinem. Hinc eſt, vt frequentiſſimè vox iſta ſumatur maſculo genere, adhuc pro cupiditate. Horatius:

At bona pars hominum decepta cupidine falſo.

Quod nos *Cupido*, Græci eodem ſenſu ἔρως, & πόθος.

[a] Dicam equidem, nec te ſuſpenſum nate tenebo,
Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
[b] Principio cælum, ac terras, campoſq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
[c] Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
[d] Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.
[e] Hinc metuunt cupiúntque; dolent gaudéntque: nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

ARGVMENTVM.

Aperit nato pater primam rerum omnium conſtitutionem, animarumq; originem, quatuorq; affectus, qui illis ſubſunt.

EXPLICATIO.

a ADmiranti Æneæ pater ſatisfacit, neque vult vt ille ſuſpenſus diu perſiſtat, & ſingula aperit, ſeruato ordine, nam videlicet incipit à primæua rerum conſtitutione.

b Verſus iſti difficiles ſunt, eruditionem in multis inuenies, explicatū Poëtam in paucis. Ergo dicturus vates de prima origine rerum omnium, ita illam digerit, vt quatuor elementa cōſtituat, ex quibus ſummus opifex Deus vniuerſa produxerit. *Terras*, clarè audis: aquam, cùm ait, *campos liquentes*: per *cælum* intelligit ignem, atque aërem. Meminit quoque Lunæ, & Solis, qui duo planetæ potentiſſimi in omni rerum generatione. Fingit verò Deum (quem hîc ſpiritum, & C mentem nominat) tanquam plaſten, & ſummum architectum, omnia ex elementis velut ex materia educentem, agitantem hanc molem, vt qui intus ſit, vt qui infuſus veluti anima per mundi artus (ſic enim vocat elementa) & cum magno hoc vniuerſarum rerum corpore admiſtus.

c Operante Deo, *inde*, id eſt, ex elementis, exſiſtunt homines, pecudes, volucres, piſces. Poſtremum exornat vocans *monſtra*, propter ſpecies diuerſiſſimas, & verè monſtroſas, quæ ſunt ſub aquis.

d Quamuis dixerit vniuerſa animantia exſiſtere ex elementis, iam ita narrationem diſponit, vt de hominibus tantùm loquatur. Aitque, animam hominum eſſe naturæ igneæ, & originis cæleſtis. Caue verò putes *ollis*, & *ſeminibus*, ſecum concordare. Non enim dicit, illis ſeminibus eſt igneus vigor, ſed, illis animabus (hoc enim ſubaudiendum) eſt igneus vigor, origo cæleſtis. & mox cauſaliter addit, *ſeminibus*, id eſt, *por la ſemilla de fuego que tienen en ſi*. Addit Poëta. Animabus quidem innatum eſt, eſſe igneas, nocent tamen illis corpora. Eſt enim anima natura ſua agilis,

perſpicax, viuida. Contra hæc tria Poëta aptè infert, *tardant, hebetant, moribunda membra*. Integra ſententia eſt. Ita ſemina animarum excellētiſſima ſunt, ſi ignem & aërem conſideres, vt ex igne ſit ignea, ex aëre cæleſtis: illis tamen ex terra & aqua adiuncta ſunt corpora, quæ vt noxia & ægra illas tardant, artus vt terreni illas hebetant, & membra prorſus morti ſunt obnoxia, cùm illæ tamen in æternum durent.

e Ex terreſtri natura corporum contrahunt animi quatuor illos affectus notiſſimos, metum, ſpem, dolorem, voluptatem. Metus, & ſpes, ſiue cupiditas naſcuntur ex opinione aut mali, aut boni abſentis: dolor, & voluptas, ſiue gaudium, ex opinione aut mali, aut boni præſentis. Addit Poëta, *nec auras Reſpiciūt*, id eſt, animæ cùm hærent ſuo corpori, ex huius contagione contrahunt hanc noxam, vt pene obliuiſcantur ſubtiliſſimæ ſuæ naturæ. Hîc enim naturam animæ appellat *auras*, conſentientibus fere interpretibus. Cur autem non reſpiciunt naturam ſuam? quia *incluſæ tenebris, & carcere cæco*, id eſt, incluſæ in corporibus, tanquam in tenebris & carcere.

N o t æ.

a Dicam eqvidem] Fortaſſe ex Lucretio, qui lib. 6.

Expediam, neque te in promiſſis plura morabor.

2. Svspensvm] Notant aliqui, hoc verbum ſumptum ab oratoribus, qui nolunt diutius ſuſpenſos tenere auditores.

3. Nate] Apparet in minimis vatis huius diligentia. Æneas ad illum,

O pater, anne aliquas, &c.

Anchiſes ergo, *Dicam nate*. Alibi hoc vberiùs explico.

4. Principio] Firmabo in hac nota & in ſequentibus explicationem meam. Duplex eſt ratio explicandi Poëtæ. Prima, vniuerſum hoc tanquam animal perfectiſſimum viuere, & anima ſua regi, atque agitari, Philoſophi tradiderunt, ac multa quidē illi de mundi anima theologizarunt, de qua re adeundus eſt Macrobius lib. 1. in Som. vbi per ſpiritum intus alentem, mundi animam intelligit; quam, ait, mentem quoque à Poëta vocatam, vt huius animæ puritas ſignificaretur. Eôdem pertinet Platonis ſententia in Philebo, qui mentem regem eſſe cæli & terræ ex priorum ſapientium auctoritate ſcribit. Græca, quæ ad rem, νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. Nec non Thaletis, ex cuius ſententia ſcribit Ariſtot. lib. 1. de Anim. καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν ψυχὴν μεμῖχθαί φασιν: *dicunt quidem in vniuerſo animam ipſam miſceri.* Huc videntur pertinere verba Fabij declamat. 314. *ille fuſus per omnes rerum naturæ partes ſpiritus.* Altera explicandi ratio, quámque ego ſecutus ſum, accipit per *ſpiritum* Deum ipſum, ex ſententia Platonis, qui dicebat, Deum eſſe animam mundi ex omnium Stoicorum dogmate: qui, vt ſcribit Clemens lib. 5. Strom. aſſerebant, Deum vniuerſam eſſentiam peruadere, adducítque Clemēs verſus Euripidis, Æſchyli, Orphei, Pindari, quorum teſtimoniis id probat. Nam Deus vniuerſa complet, mouet, agitat, & ſine eo obire munus ſuum nihil poteſt. Socrates quoque, & Plato apud Plutarchum lib. 1. de Placitis, cap. 3. ὁ δὲ θεὸς νοῦς ἐστι τοῦ κόσμου: *Deus eſt mens mundi.* Quod iterum firmat Plutarchus cap. 7. eiuſdem libri. Sed & Plato ipſe lib. 10. Legum, ait, θεῶν εἶναι πλήρη πάντα: *omnia eſſe Deorum plena.* Cælius etiã Rhodig. lib. 10. cap. 10. eodem pacto verſus Poëtæ explicat. Ait enim, vniuerſam Platonis ſcholam per mundi animam intellexiſſe Iouem ipſum: certum eſt au-

Mundi anima.

A tem, à veteribus, Deum rerum omnium creatorem atque opificem Iouis nomine nuncupatum. Sed his omiſſis explicationem meam fulcio imitatione. Primò, auctoritate Manilij lib. 1. qui proculdubio hærens Maroni, illúmque interpretans, de Deo accipit, quæ ille de ſpiritu & mente. Verſus illius ſunt.

Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi,
Membraq; naturæ diuerſa condita forma
Aëris, atque ignis, Terræ, Pelagiq; iacentis
Vis animæ diuina regit, ſacróque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Secundò, hoc efficit imitatio Virgilij, qui reddidit verſus Orphicos, quos & Græcos & Latinè redditos inuenies in Lilio Syntag. 1. Alios quoque eiuſdem Orphei in Natali inuenies libro 2. Itaque, cùm clarè

B Orpheus de Deo loquatur, & Poëta illum reddiderit, liquet quod conor. Tertiò, Minutius in Octauio apertè Virgilium de Deo explicat. Verba eius, quia multa, nolui ſubiicere. Quartò, Paulinus epiſt. 36. ita ſcribit: *Quis enim non videt, mundum iſtum corporeum vi incorporea gubernari, totamq; molem infuſam atque permiſtam magno vniuerſitatis corpori diuini ſpiritus mente, qua facta eſt, agitari ad vitam?* Quintò demum ſit Poëta ſui interpres. Hic 4. Georg. clarè Deum nominat, proferens eandem, quam hîc, ſententiam:

— Deum namque ire per omnes
Terraſq; tractuſq; maris, cælumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quémque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

C Adde ipſe, quæ de hac re ſcribit Seneca de Conſolat. ad Heluiam cap. 8. Sed adduco eiuſdem verba lib. 4. Benef. cap. 7. *Quid enim aliud eſt natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inſerta?*

5. Cælvm ac terras, &c.] Enumerat quatuor elementa, ex quibus, atque vnà ex Deo artifice vniuerſa exſiſtunt. Hoc poſito, quod certè in ſententia Poëtæ clarum eſt, non facilè verſus iſti explicantur. Terras enim, & Aquas clarè ponit: ſed vbi Aër, vbi Ignis? Seruius per *cælum* aërem, & ignem intelligit, quem ipſe ætherem nominat. Admittunt hoc Manutius, & Henr. Stephanus in oris ſuorum librorum, itémque alij. Ridet Pomponius Sabinus, & per *cælum* tantùm capit aërem, nam Virgilius naturæ membra in tria ſolet diuidere, *maria, ac terras, cælúmque pro-*

D *fundum*, Ennium ſecutus, qui ait: *Qui tuo lumine mare, terram, cælum contines.* Et quidem cælum ſæpe ſumi in Poëta pro aëre, certum eſt: ſicuti etiam in Lucretio, cùm ait,

— in hoc cælo, qui dicitur aër.

Vbi ergo, ex mente Sabini, Ignis? Nititur ille auctoritate Probi, qui dicebat, ignem à Virgilio intelligi per *Titania aſtra*. Nam iſta igneæ ſunt naturæ adhuc ex mente Poëtæ, in illis, *Stellis ardentibus*. &,

—quoties aſtra ignea ſurgunt.

atque etiam, *nam neque erant aſtrorum ignes.* Quibus ego adiungo Empedoclem apud Plutarchum lib. 1. de Placitis cap. 13. qui aſtra vocat πύρεια, *ignea.* Alij ſunt, qui per *cælum* ignem intelligant: per *ſpiritum alentem* aërem, & ſatis cenſent Deum *mentem* dici. Alias

E aliorum ſententias nihil moror. Ego nihil habeo, quod interponam, tantùm inclino in ſententiam Seruij, vt per *cælum* intelligantur ignis, atque aër, ductus hac ratione. Nam Virgilius veluti ſe explicans, vnà cum igne coniungit auras, cùm ait:

—atque auraï ſimplicis ignem.

quaſi diſſoluens verbo duplici, quæ vno inuoluerat. Itaque videtur Poeta vnica voce voluiſſe efferre duplex elementum, ex quo anima conſtaret: ac mox duo diſertim elementa, ex quibus corpus. Equidem aquam (nam de terra id clarum) vim materiæ habere in rerum

rum compositione, satis explicat Plutarchus ἐν Ρωμ. per initia, quem leges. Vt explicui, videtur pene necessariò capiendus Poëta. Nam difficile est intelligere, non factam mentionem quatuor elementorum in hac prima rerum constitutione. Ergo, cùm clarè ponantur aqua, & terra; vbi est ignis, vbi est aër, nisi in voce *cæli*? Quæ vox capax est vtriusque elementi. Dicitur enim cælum pro aëre, vt iam probaui, & id clarum; atque etiam pro igne, nam vox ista *æther* æquè signat & cælum, & ignem.

6. CAMPÓSQVE LIQVENTES] Illustro hoc lib. 10. ad illud,

——campos salis ære secabant.

Globus de luna.

7. GLOBVM LVNÆ] Lucret. lib. 5. *Lunáique globum.* Claudian. 2. Rap. *lunari globo.* Prudentius in Peristeph. hym. 10. de Sole, & Luna: *Globos dierum noctiúmque præsides.* Huic voci affinis *rota*, qua vsus Ennius in Annalib. Varro Atacinus in Chorographia, Lucretius lib. 5. & Prudentius, millies. Nunc mihi ante oculos locus in Apotheosi, & hymno 10. in Peristeph. & hymno 12. Cathem.

Astra cur Titania.

8. TITANIAQVE ASTRA] Per hæc verba Seruius intelligit Solem, qui fuit vnus è Titanibus. Reprehenditur à multis, à Beroaldo in primis, qui ex Diodoro lib. 6. adducit Hyperionem, vnum ex Titanibus, principem in indagandis Solis, Lunæ, ac Stellarum cursibus. A primo igitur indagatore stellarum, qui fuit è numero Titanum, astra dicuntur Titania. Sic fermè ille. Sed profectò, multo est probabilius sic dicta ab eo, qui verè dictus est Titan. Quæ explicatio innititur verbis istis Pausaniæ in Corinth. *Fuit Titan in obseruandis anni opportunitatibus admodum solers: Vnúsque optimè omnium norat, quibus quæ semina, quásque stirpes temporibus, quos item fructus sol facilè augeret, & coqueret: quocirca solis illum fuisse fratrem commenti homines sunt.* Huius historiæ ex Pausania cùm meminerit Cælius lib. 24. c. 17. ita concludit: *Vnde coniectatio euidens, cur astra Titania dixerit Maro.* Inde etiam fit, vt simpliciter sumatur pro sole, vt in 4.

Titan pro Sole.

——vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan.

Hæc etiam si vera sint, non tamen temere quispiam inclinet in sententiam Seruij. Nam difficile profectò est, Poëtam in hac rerum omnium generatione Solis non meminisse, præsertim præcedente sermone de Luna. Ergo, *astra* dixit, & hæc non quæcunque, sed *Titania*, quo solem circumscriberet. Quæ locutio non debet videri insolens, cùm Plutarchus in opere de orbe Lunæ, dicat, ex quorundam opinione Lunam esse ἄστρον. Si quis aliter capiat, non pugnem.

Anima ex igne, & aëre, doctrina [gent]ilium.

9 IGNEVS EST OLLIS VIGOR, &c.] Explicui, referens igneum vigorem ad ignem, cælestem originem ad aërem. De igne Phornutus, αἱ ἡμέτεραι ψυχαὶ πῦρ εἰσί. & Ennius ex Epicharmo, *Terra corpus est, ac mentes ignis est.* Cicero etiam 1. Tuscul. ait, ex sententia Zenonis, nihil esse aliud animum, quàm ignem. Heraclitus apud Plutarchum in vita Romuli circa finem, ψυχὴ ὥσπερ ἀστραπὴ νέφους διϊπταμένη τοῦ σώματος: *anima ex corpore, vt ex nube fulgur exilit.* Est hoc, quod idem Plutarchus dixi, de defectu oraculorum, πνεῦμα αἰθερῶδες, καὶ καθαρὸν: *æthereum, & purum spiritum.* & in Ρωμ. ait loquens de igne, ἀρχὰς κινήσεως εἶναι: *suppetit principium motionis*, indicans animam. & lib. 4. de Placitis cap. 3. dicit ex sententia Stoicorum animam esse πνεῦμα θερμὸν: *spiritum calidum.* & ex Democriti, πυρῶδες σύγκριμα, *igneam compagem.* Ab eodem Plutarcho, de orbe Lunæ, anima dicitur πυρώδης, *ignea.* Cicero

A etiam lib. 3. de Republ. cuius verba aduocat Sanctus Augustinus lib. 4. contra Pelagium, loquens de animo, ait, *in quo tamen inest tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij & mentis.* & in Somno: *animus datus est* (hominibus) *ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellas vocatis.* De aëre præter notionem vocis *cælestis*, quam & alibi, & hîc probaui dici de aëre, est magnum pondus vates ipse, qui statim insinuans animas esse aërias, ait, *nec auras Respiciunt.* & infrà,

——auraï simplicis ignem.

Vbi cum igne auram coniungit, alludens ad naturam animæ, quæ ex sententia gentilium philosophorum constabat ex igne, & aëre; sicut corpus ex aqua, & terra. Inde Horatius lib. 2. Sat. 2. animam indi-

B cans:

Atque affligit humi diuinæ particulam auræ.

Quod nihil est aliud, quàm Platonicum τὸ θεῖον. Vide Henr. Steph. libro 1. Schediasm. cap. 4. & qui in Virgilianis versibus mundi animam capiunt, illam aiunt intelligi per *spiritum intus alentem*, quæ vox tota ad aërem pertinet. Anaximenes etiam apud Plutarchum lib. 1. de Placitis Philosophorum cap. 3. ita ait: ἡ ψυχὴ ἡ ἡμετέρα, ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς: *anima nostra, aër cùm sit, nos temperat.* Apud eundem Anaxagorei lib. 4. c. 3. dicunt animam esse ἀεροειδῆ, *natura aëria.*

10. SEMINIBVS] Causaliter, vt admonui. quasi dicat. Est animis vigor igneus, est origo cælestis propter semina, ex quibus illa conflatur, id est, pro-

C pter ignem, & aërem. Nequit enim fieri, vt *seminibus* concordet cum *illis.* Nam cùm sermo sit de anima, impropriè, imò ineptè, anima vocabitur semen: sicut in rebus aliis; arbores enim coalescunt ex semine, sed ipsæ non sunt semen: Deinde nulla sententiæ mutatione ait *clausæ*, & postea, *suspensæ.* quæ voces nequeunt attribui seminibus, sine incommodo Latinitatis. Existimo itaque, ita dictum *seminibus*, vt Græci dicunt, ἐπὶ τούτῳ. Ita Horatius Od. 17. epod.

Ingrata misero vita ducenda est in hoc.

vbi, *misero*, & *hoc*, non concordant. &, *in hoc*, est ἐπὶ τούτῳ.

11. HINC METVVNT, &c.] Has quatuor affectiones animi Plutarchus de Homeri poëmate, ita indi- Affectus animę quatuor.

D getat. λύπας τε, καὶ χαρὰς, καὶ φόβους, καὶ ἐπιθυμίας. & in opere de virtute morali, ita: αἱρετὸν, φευκτὸν, ἡδὺ, ἀλγεινόν. Artemid. lib. 1. cap. 1. χαίρειν, λυπεῖσθαι, φόβον, ἐλπίδα. Dio Chrysost. orat. 1. λύπαις, φόβοις, ἡδοναῖς, ἐπιθυμίαις. Quæ verba sumpsit ex Platone in Phædone, nam hic etiam ἡδονῶν, ἐπιθυμιῶν, λυπῶν, φόβων. Philo in opere, Quòd deterius soleat potiori insidiari, φόβον, ἐλπίδα, λύπην, χαράν. & adiicit, quod nemo alius, φόβῳ annexum esse τρέμειν: λύπῃ, στένειν. Iisdem vocibus vsus Aristoteles lib. 1. de Anima, cap. 4. nisi quòd loco ἐλπίδος, inducit verbum θαῤῥεῖν, quod signat confidentiam. Illustrat autem Poëtam Plutarchus de genio Socratis, vbi ait, animam voluptatibus istis, doloribus, passionibus, affectionibus desciscere εἰς τὸ ἄλογον, id est, ad brutam naturam. Poëta verò, vt vides, has passiones animæ

E attribuit ex consortio corporis. Par locus est in opere de orbe Lunæ, vbi animæ μιασμοὺς, id est, *inquinamenta*, ait proficisci ἀπὸ τοῦ σώματος, ὥσπερ αἰτίας πονηρᾶς: *à corpore, tanquam à causa mala.* & in opere contra Epicuros, ait, animam communicare sibi affectus corporis. Idem scribit Cicero lib. 3. de Rep. cuius verba vide apud Sanctum Augustinum libro 4. contra Pelagium. Versum Virgilij nobilitat Sanctus Hieronymus, sæpissime illum aduocans,

aduocans, & cum magno ſemper elogio. Nunc mihi ante oculos epiſtola ad Cteſiphontem, & caput primum Cõmentariorum in Ioël, & caput primum libri primi Commentariorum in Zachariam. Horatius epiſt.6.lib.1. pari cum Noſtro breuitate:

Gaudeat, an doleat; cupiat, metuátne, quid ad rem?

12. CARCERE CÆCO] Reſpectum forſan (ait Germ.) ad illud Platonis σῶμα ἡμῖν σῆμα: *corpus nobis ſepulcrum.* volunt etiam aliqui, corpus dici Græcis δέμας, ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ, *à vinculis.* Certè Latinis trita ſunt iſta: Latere animam in corpore, tanquam in cuſtodia, vt apparet ex Tullio in Somnio Scipionis, & de morientibus dicitur, euolare ex vinculis, & carcere corporis. Damaſcen. de Transfigurat. σαρκὸς δέσμια dixit, *carnis vincula.* & homines vocat πεφορτισμένους, B tanquam premantur carnis pondere. Sententia etiam Pythagoræ, quæ circumfertur, ad hoc poteſt pertinere. Hic, cùm cerneret quendam in curando corpore maximè ſollicitum, dixiſſe fertur: *Non deſinis carcerem tibi moleſtiorem ſtatuere?* Quia videlicet, quo corpus meliùs haberet, animo eſſet peiùs. Cùm Paulus cupiebat *diſſolui* de corpore, tanquam de carcere loquebatur. Ad quam rem conſentaneè Ambroſius lib.2. in Lucam, *corporeæ vinculis fragilitatis exſolui.* Loquitur de Simeone ſene. Seneca ad Marciam ita loquitur. *Hæc, quæ vides, oſſa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumq́ue, & miniſtras manus, & cetera, quibus inuoluti ſumus, vincula animorum tenebræq́ue ſunt.* Ob- A *ruitur his animus, infuſcatur, inficitur, arcetur à veris & ſuis in falſa coniectus: omne illi cum hac carne graui certamen eſt,* &c. Vide eundem de Benef. lib.3. c.20. In Ep.14. corpus vocat *ſarcinam,* qua animus eliditur. & ep.58. *ædificium putridum ac ruens.* Quem in locum vide Notam Lipſij. & ep.65. *animi pondus ac pœnam.* Ibid. *triſte, obſcurum, obnoxium domicilium.* & ep.88. *caueam.* & ep. 102. *onus.* Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum, alia comparatione rem explicans, ait, animam abditam eſſe in corpore ὥσπερ ἐν μύλωνι, *tanquam in piſtrino.* Et in opere de orbe Lunæ, cum clara alluſione ad carcerem: ψυχὴ (inquit) τῷ σώματι συνείρκται βραδεῖ: *tenetur incluſa anima in tardo corpore.* Plato in Phædro, ἀσήμαντοι τούτου ὃ νῦν δὴ σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν ὀστρέου τρόπον: *Soluti ab hoc, quod nunc circumferentes, corpus vocamus, in modum oſtreæ huic illigati.* Idem in Phædone, ad rem eandem ſignandam infert φρουρὰν, quæ etiam vox cuſtodiam ſignat. ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι: *tanquam in cuſtodia quadam ſumus homines.* Ibidem corpus βαρὺ vocat, & γεῶδες: *ponderoſum, terrenum.* & ideo de illo βαρύνεται, quòd anima illo grauetur. ac poſt pauca apertè carcerem nominat, cùm ait, animam ex ipſo ſpeculari ὥσπερ διʼ εἱργμοῦ, *tanquam ex carcere.* Baſilius oratione de legendis libris gentilium, corpus clarè vocat δεσμωτήριον, *carcerem.* Cedrenus ſententiam Platonis explicans nouam vocem vſurpat. ψυχῆς ἐν τούτῳ (σώματι) τεθαμμένης, quaſi corpus ſepulcrum ſit animæ. explicat ſcilicet Platonicum σῆμα.

Corpus ſepulcrum animæ, & carcer.

[a] Quin & ſupremo cùm lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penitúſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
[b] Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
[c] QVISQVE SVOS patimur manes. exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purúmque reliquit
Ætherium ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
[d] Has omnes, vbi mille rotam voluêre per annos
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno;
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

ARGVMENTVM.

Proſequitur narrationem, abſoluitque illam, donec perueniat ad tranſitum animarum.

EXPLICATIO.

[a] ADdit Anchiſes, labes contractas animæ in vita ex contagione corporis, elui purgaríque poſt mortem. Perinde ac ſi diceret: Non iccirco animæ puræ remanent, quòd corpus exſuerint: eſt enim neceſſe vt multa illis concreta fuerint, atque inolita ex diuturna corporis coniunctione.

[b] Inde ſequitur, vt poſt ſolutionem à corpore exer- C ceantur pœnis, & luant ſupplicia, ac purgentur. Conſtituit verò triplex genus purgationis, vento, aqua, igni. Innuit certa quædam genera ſuppliciorum, quibus animæ aut ſuſpenduntur ad ventos, quos hîc *inanes* vocat, rationem ſæpe attuli; aut immerguntur in aquarum gurgitibus profundiſſimis: aut igni exuruntur.

[c] Ait, omnes ſuam quemque pœnam ſubire (cur dicat *manes* poſtea explicabo) vt ita purgati ad Elyſium mittantur. ſed addit, paucos peruenire ad læta arua, cùm multi ad Elyſium. Quia videlicet non perueniunt ad arua hæc, donec, exacto mille annorum curriculo, eximatur labes concreta, (id eſt, quam anima contraxit ex conſuetudine corporis.) illud,

—*purúmque reliquit*

Æthe

Ætherium sensum, atque auraï simplicis ignem,
est: Dies longa emaculauit purificauítque animam, quæ tota constat ex cælesti igne, & particulis simplicissimis aëris. Per *longam diem* intelligit annos mille. d Sententia est. Mercurius has animas ad Lethen amnem euocat magno agmine, vbi rotam voluêre per mille annos, id est, vbi spatium volubilitatémque mille annorum expleuerunt. Est hoc, quod dixerat, *perfecto temporis orbe.* Sequitur, *Scilicet immemores*, &c. Hîc iam Anchises Æneæ satisfacit, quem longa narratione detinuit. Rogauerat filius, cur animæ ad Lethæum amnem accederent concursu magno: pater ab initio exorsus, in eo tandem sistit, in quo nunc est. Vt autem adolescentes sententiam Poëtæ meliùs percipiant, placitum hîc integrum locum subtexere, ab ea parte,

Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, &c.

hoc verborum complexu. Æneas interim vallem cernit, in ea nemus, ibíque Lethen amnem, quem circum animæ plures volabant, instar apum. Horret ille, causas requirit, quæ animæ? quid velint? Cui Anchises ex Pythagoræ doctrina. Hæ sunt illæ animæ, quibus ex fato debentur corpora altera; Vt autem rerum omnium obliuiscantur, quas gesserunt in prioribus corporibus, Lethen potant obliuionis fluuium. Iámque animus mihi æstuat recensere tibi longam seriem nepotum meorum, qui iterum visuri sunt auras vitales. Stupuit hîc Æneas, &, O pater (ait) credibile ne, has animas iterum redituras ad corpus? Credibile, ô nate, audi ab initio. Scias, ante omne rerum exordium, esse Numen, quod vniuersa moderatur ac regit, quódque ex elementis ipsis cuncta creat, in his homines, quorum animas coniungit (aduerte, Lector, loqui me ex doctrina Virgilij, & ethnicorum, quos interpretor) ex igne & aëre; corpora ex terra & aqua fabricatur. Inde est, vt animis vigor sit cælestis, & corporibus tarditas quædam. Inde etiam animæ ex hoc consortio terreni corporis subditæ sunt quatuor affectibus, videlicet timori, cupiditati, dolori, gaudio, quamdiu in eo latent, tanquam in carcere. Quin etiam, cùm separantur à corpore, non iccirco sordes exsuunt, quas contraxerunt ex diuturna illius coniunctione: inde est, vt pœnis exerceantur, purgentúrque aëre, aqua, igni: neque aliquis tã pius fuit, quãdiu vixit, qui non suos manes tortorésque patiatur, vt purgetur; nam aliter aditus ad Elysium patere non potest. Purgati igitur ad Elysium omnes mittimur, ex Elysio pauci ad læta arua. In his aruis sunt pij per mille annos, quo cursu temporis animæ tandem restituuntur suæ puritati, & cælesti igni, vnde priùs sumptæ fuerant. Restat solùm, vt obliuiscantur rerum omnium, quas gesserunt, passæque sunt, quàm diu fuerunt in corporibus: huic rei medetur Lethe, amnis obliuionis: hunc auidè potant animæ, quo potato iam iterum incipiunt velle redire in altera corpora. Ignoscant nobis, qui non egebant hac diligentia.

NOTÆ.

1. ALIÆ PANDVNTVR, &c.] Ait Seruius alludi hîc ad oscillationem Liberi, sic scribens: *aut tæda purgantur, aut sulphure, aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hoc enim est, quod dicit in 2. G.* (Purgatio animarũ per elementa.)

———tibíque
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu:

nam genus erat purgationis. Hæc ille. Firmat Seruij sententiam noster Delrius loco Martiani lib. 2. Philolog. Agens enim ibi Philologia gratias Athanasiæ,
A quòd se compendiaria via in cælum perduxerit, ita ait: *Quòd nec Vedium cum vxore conspexerit, sicut suadebat Etruria; nec Eumenidas, ac Chaldæa miracula formidarit, nec igne vsserit; nec lympha subluerit, nec anima simulacrum Syri cuiusdam dogmate verberarit.* His Martianus & Virgilium explicat, & innuit hanc rem manasse ex doctrina Pherecydæ Syri. Etenim per verberationem illam intelligitur oscillatio Seruij, & suspensio ad ventos Virgilij. Adducit idem Delrius locum Sancti Augustini ad Virgilij illustrationem ex lib. 21. Ciuit. c. 13. vbi, postquam Sanctus doctor Maronis versus præmisit, quos nunc explico, subdit ex Platonicorum sententia: *Qui hoc opinantur, nullas pœnas esse, nisi purgatorias, volunt, post mortem. Vt quoniam*
B *terris superiora sunt elementa, aqua, aër, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena cõtagione contractum est. Aër quippe accipitur in eo, quod ait, suspensæ ad ventos: aqua in eo, sub gurgite vasto: ignis autem suo nomine expressus est, cùm dixit, aut exuritur igni.* Hæc Augustinus, quæ eo attuli, quia in illis est ratio, cur vates à terra abstinuerit, nominatis tribus reliquis elementis. De ventis, quos hîc Poëta nominat, illustris est locus apud Plutarchum ἐν Ῥωμ. vbi ait, καθαρμοὺς πάντας, *omnes expiationes* agi solitas ἐν ὑπαίθρῳ, *sub dio.* & illustrior adhuc in eodem, in opere de orbe Lunæ. vbi sic ait: *Piæ animæ certum tempus, quantum ad lustrandas maculas profectas à corpore, vt à mala causa, sufficit: in aëris purissima parte degunt, quam appellant prata Ditis.* Græca signata ἐν τῷ πραοτάτῳ τοῦ ἀέρος. Ait Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. ad Autolycum,
C quæ Poëtę gentiles scripserunt de pœnis infernorum, sumpsisse ex sacris litteris, cùm aliunde nescire potuerint. Habes ex dictis purgari animas triplici elemento aëre, aqua, igni. Sed quid si Poëta innuit supplicium crucis? Ait enim, *panduntur suspensæ ad ventos.* Nonne crucifixi toti expansi & porrecti sunt? Itaque fortasse de crucifixione, non de oscillatione capiendus Poëta. Nam oscillatio tota ad suspensionem pertinebat, non ad expansionem: crucifixio verò & ad suspensionem, & ad expansionem. & vtrunque coniungit vates. Roges, an sicut crucifixi dicuntur commodè expansi, ita etiam dici queant suspensi? Optimè (inquam.) Sed hoc iam Lipsius lib. 1. de Cruce, cap. 4. Nam quod Arrhianus de Musicano lib. 6. τοῦτον κρεμάσαι Ἀλέξανδρος κελεύει: de eodem ait Curtius *in crucem*
D *sublatum.* & quod idem Curtius post captam Tyron ait, *Duo millia crucibus affixa per ingens littoris spatium pependerunt.* Hoc idem narrans Diodorus lib. 13. ait, ἐκρέμασεν, *suspendit.* Itaque *suspendo* sumptum iam pro crucifigo. Firmat pluribus Lipsius. Adi illum.

2. QVISQVE SVOS PATIMVR MANES] Vt Turnebus explicet lib. 22. c. 1. in promptu est, ille non mihi probatur: sicuti neque Seruius, quem multi sequũtur. refert enim hos manes ad Genios. Mihi placitum, dici *pati manes*, vt, pati furias. Nam Ælius Stilo (citat hunc Lilius 6. syntag.) ait, nihil esse aliud manes, quàm Deos inferos. Patimur igitur manes, erit, patimur Deos inferos tortorésque. Plutarchus de ira dixit, τὸ γὰρ κολαστικὸν, ἐριννυῶδες, καὶ δαιμονικὸν· οὐ θεῖον δὲ, οὐδὲ Ὀλύμπιον: *punitio furiarum est, & dæmonum: non Deo-* (Manes sunt Dij inferni.)
E *rum, non cælestium.* Obiiciet aliquis, cùr dictum: *Quisque suos patimur manes?* nonne potius, *Quisque nostros patimur manes?* vel, *Quisque suos patitur manes?* Ego Poëtam laudo, qui tres orationes in vnam inclusit. Has scilicet, *omnes patimur nostros manes, ego meos, quisque suos.* Ergo ita verba coniunxit, vt sententia ad tres illas referri queat. Porro Poëtæ verba pro adagio esse possint, ad explicandum, omnes mortales, suo quemque incommodo, esse obnoxios. Obserua imitationem Ausonij: (Adagium.)

—tormentaq; saua gehenna
Anticipat,patiturq; suos mens conscia manes.

3. PAVCI LÆTA ARVA TENEMVS] Difficilis locus.Nam quid est,omnes animas post purgationem mitti in Elysios, paucos in læta arua? Videtur Seruius hoc referre ad apotheosin:sed quid hoc sit, non satis explicat: neque scio,an possit explicare. Nam in his aruis lætis multi postea constituuntur, qui nunquam relati in Deos sunt. Imo, præter Romulum, Iulium, Augustum , nemo fere alius consequutus est apotheosin:& contrà,in Elysijs posuerat Dardanum,qui adeptus est diuinitatem ab gentilibus. Ego aliter locum capio,nullo alio interprete,quàm ipso Virgilio. Verè Poëta discriminat Elysios à parte quadam,quæ etiam in locis illis amœnissima est.Eo enim loci,quo ait Poëta,

Deuenêre locos lætos,& amœna vireta
Fortunatorum nemorum,sedésque beatas,
Largior hic campos æther,&c.

Ab hoc (inquam) loco Elysij describuntur. Ibi sunt Ilus, Assaracus, Dardanus , Musæus, & multi alij;ibi arma,inanes currus,defixæ hastæ,equi soluti,præterea, omnes, qui passi vulneta ob patriam , sacerdotes casti, vates pij,&c. Est demum in Elysio Eridanus,ad cuius ripas sunt vescentes, & canentes pæana. Progredior. Ab his Elysijs disiungit partem quandam ab illis versibus,

Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus,& virgulta sonantia syluis, &c.

In hoc secluso nemore non iam Eridanum, sed Lethæum constituit:non vescentes, non canrantes:tantùm animas, *Quibus altera fato Corpora debentur.* Istæ non armis,non curribus,non equis delectantur,tantùm festinant ad bibendum Lethen,

Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Vt autem ex Poëta hunc duplicem locum colligo, scilicet Elysium , & seclusum nemus : ita ex eodem colligo duplicem animarum statum , nam quæ sunt in Elysio,diuersis voluptatibus distinentur, nondum vitam alteram appetentes; sunt verò in Elysio per annos mille : quæ autem sunt in secluso nemore , omnino futuræ vitæ inhiant. Inde, vt, absoluam, Anchises ait : Animæ omnes purgatæ mittuntur in Elysium, sed ex Elysio *pauci tenemus læta arua*.vbi per *læta arua*,intelligo *nemus seclusum*. Sed cur *pauci*? quia tandem post mille annos , quo longissimi temporis spacio necesse est paucos migrare. Obiicies, nonne suprà,

Hunc circum innumeræ gentes populíque volabant?

Dico, multas esse has animas ; sed respectu illarum, quæ per annos mille in Elysijs sunt , paucas admodum. Cùm verò ait , mille annos voluendos, intelligit in Elysio,nam hoc expleto numero iam purgatæ omnino censentur animæ, ac dignæ quæ transeant ad læta arua nemoris seclusi,vt bibentes Lethen obliuionis,velint redire in altera corpora. Si cui explicatio ista non placeat , nec distinctio locorum, quam adhibui, coniungat Elysium cum aruis lætis, hac sententia , omnes patimur manes ac purgamur, exinde pauci mittimur in Elysium : appositiuè, læta arua. Sed me animus ducit ad distinctionem adhibitam : in qua video esse aliqua deuoranda , sed parui quidem momenti , & quæ facilem habent exitum. Hæc mihi dicta pro explicatione loci huius difficillimi.

Millenarius numerus Elysiorum. 4. MILLE ROTAM VOLVERE PER ANNOS] An in voce *rota* lateat aliud ab eo,quod explicui,me latet.De spacio mille annorum loquitur Plato lib.10.

A de Rep.& ex Platone multa Cælius. Poëtæ sententiam adumbrauit Silius lib. 13.

Hac animæ cælum repetunt,ac mille peractis
Oblitæ Ditem redeunt in corpora lustris.

Cicero in Somn. loquens de hac re,non certum numerum posuit , tantùm dixit : *corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur , nec in hunc locum , nisi multis exagitati seclis, reuertuntur.* Itaque millenarius numerus Poëtæ videtur capiendus pro multiplici. Præsertim cùm in Phædro Platonis loquentis de hac re,inferatur mentio non solùm χιλιοστοῦ , sed etiam τριχιλιοστοῦ ἔτους, *millium annorum* , sed etiam *trium millium.* Quin ibidem mentio fit decem millium. & Aristophanes de re alia loquens in Vesp. πόλεις χίλιαι, *vrbes* B *mille.* vbi Scholiastes, ἀντὶ τοῦ πολλαί.

5. LETHÆVM AD FLVVIVM] Sunt qui putent Hispaniæ fluuium *Guadalete* , dictum quasi fluuium obliuionis ex voce Arabica , & Græca. *Guadal* enim Arabibus flumen est. Inde *Guadalquiuir*, fluuius magnus. *Guadiana*, quasi Guadalana,fluuius Ana. Vt igitur Arabes cum voce *Ana* , coniunxerunt suum *Guadal*, cur non etiam cum Lethe ? ad signandam internecionem illam , quæ res Hispaniæ obliuioni dedit iuxta hunc amnem , Roderico victo, & Gotthis deletis. Lethe fluuius Hispaniæ.

6. DEVS] Seruius Mercurium accipit propter illud, 4.Æn.

—animas ille euocat orco
Pallentes,alias sub tristia Tartara mittit.

C Placet hoc Magio lib.4.Miscell.cap.11.ad hanc Mercurij potestatem allusit Aristophanes in Irena ; nam loquens cum illo : ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον οὗπέρ ἐστ' εἶναι κάτω : *Quin ab inferis virum hunc ne quæso turbassis situm.* Ab hac potestate , qua Mercurius putabatur præesse mortuis , factum vt huic Deo sacra quæpiam fierent post dies triginta à mortuo homine. Mercurij sacrum.

7. EVOCAT]Sumpta metaphora ab militibus euocatis. ideo signatè *agmine*. Qui isti sint,obuium vbique, & in Lipsio non semel. Sed quoniam vocem hanc Mercurio attribuit Poëta , eò spectat , Deum hunc dici πομπαῖον, & πομπέα,à potestate, quam illi Maro hoc loci attribuit. Voces istę vbique passim obuiæ. Nunc mihi de priore ante oculos Sophocles in D Aiace,de posteriore Laertius in vita Pythagoræ. Hâc Mercurij potestatem fusiùs attigi lib.4.Æn.

8. RVRSVS ET INCIPIANT IN, &c.] Putant docti plerique illa Persij

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini,vt sic repente poëta prodirem,

capienda de hac animarum transmigratione , cum allusione ad historiam & somnium Ennij. Quasi dicat Persius : Non mihi in somnis transfusa est poësis, vti Ennio accidit. Dicunt videlicet,Ennium somniasse , transfusam in se Homeri animam , inde exstitisse magnum vatem. Huc videtur alludere Horatius 2. E epist.

Ennius & sapiens,& fortis, & alter Homerus.

Quem in locum ita Porphyrio: *Ennius in principio Annalium somniasse scripsit , admonitus , quòd secundùm Pythagoræ dogma , anima Homeri in suum corpus venisset.* Huc etiam credunt allusisse Lucretium lib.1.

In pecudes alias diuinitus insinuet se,
Ennius vt noster cecinit.

Ista Ennij, Lucretij , Horatij, Persij consensio digna est,quæ notetur.

a Dixe

a Dixerat Anchiſes:natúmque vnáque Sibyllam
Conuentus trahit in medios,turbámque ſonantem:
Et tumulum capit, vnde omnes longo ordine poſſit
Aduerſos legere,& venientum diſcere vultus.
b Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes;
Illuſtres animas,noſtrúmque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.

ARGVMENTVM.

Hoc facto ducit Anchiſes Æneam ad locum, vbi poſſit videre atque agnoſcere futuram ſobolem.

EXPLICATIO.

a CAptata tandem poſt longum ſermonem occaſione, Anchiſes ad recenſendam ſuorum poſteriorum ſeriem, ad id ſe accingit, natum Sibyllámque trahit ad mediam turbam, mutat locum,capit tumulum. Exiſtimemus autem fuiſſe hunc tumulum iuxta fluuium Lethen, nam ita poterat *legere aduerſos, & diſcere vultus venientum*. Ibant quippe ad bibendum Lethen.ita dictum hîc *legere*, vt ſuprà,*perlegerent oculis*.

b Locus attentionis: nam, & magna proponit; & coniuncta cum eo, apud quem agit,id eſt,coniuncta cum Ænea. Magna,in illis,*quæ gloria ſequatur Dardaniam prolem*.&c, *illuſtres animas*. Coniuncta,in illis,*noſtrúmque in nomen ituras*.&c, *te tua fata docebo*. Aduertit præclarè Naſcimbænus mirum perſonarum decorum. Nam cùm Poëta velit extollere Romanorum genus, præſertim Auguſti, tribuit narrationem Anchiſæ, qui ſenex, qui parens Cæſarum, qui Troianorum nobiliſſimus. Facit auditores Æneam, & Sibyllam:illo nemo excellentior,iſta nemo ſacratior.Quid ſi adiungas locum Elyſiorum,vbi fit narratio?quo loco nemo in humanis maior.

NOTÆ.

1. TVRBAMQVE SONANTEM] Cur *ſonantem*? vel, quia ibi multus populus, vbi frequens murmur, præſertim cum alluſione ad apes ſuſurrantes,quibus comparauit hos populos: ipſa etiam feſtinatio feruórque euntium ad Lethen,neceſſariò coniuncta cum ſonitu. Ab Homero etiam animæ inducuntur τρίζουσαι, *ſtridentes*. & de iiſdem, ἐφοίτων ἰαχῇ, *veniebant cum clamore*. vel exiſtimemus,tã Virgilium, quàm Homerum alluſiſſe ad naturam animarum,

A quæ vt carentes corpore, tantùm ſtrident voce non formata:nam ſuprà, *clamor fruſtratur hiantes*. Et quidem *ſtridorem* proprium eſſe animarum iam notauit Delrius ex Accio, Lucano,Statio. Ait primus in Alceſtide, *cùm ſtrideret retracta rurſus inferis*, Alter lib.6. Stridor animarum eſt.

Auribus incertum feralis ſtrideat vmbra.

Tertius 9.Theb.

Stridebit veſtros Tydeus inhumatus ad ignes.

Inde illuſtrabam Prudentium, qui in Apotheoſi loquens de manibus inferorum:

Nil agit arcanum murmur.

& poſtea:

Qui Zoroaſtræos turbaſſet fronte ſuſurros.

Nam ſuſurramina iſta, & arcana murmura, quibus B vſi magi,petuntur ab ſuſurro infernorum.Magna laude dixit de Deciano Martialis lib. 1.

Et nihil arcano qui roget ore Deos.

Eodem planè modo explicat Læuin.illud Horat.Sat. 8.lib.1.

Vmbræ cum Sagana reſonarent triſte & acutum.

Cum reſpectu ad hanc rem locutus credo eſt Perſius Sat.2.

Haud cuiuis promptum eſt murmúrque humileſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.

2. DISCERE] Notat Germanus, ſic quoque dictum ab Euripide μαθεῖν,in Phœniſſ. cùm Antigone inuitatur à pædagogo ad ſpectandum è muro exercitum Polynicis.

C 3. NOMEN] Notat Achilles Statius in Catullum,*nomen*,pro familia hîc ſumi.Ita ipſe Catullus, Nomen pro familia.

———non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe.

& Liuius lib.1.

Per ſeipſum nomen Ceninum impetum facit.

4. ET TE TVA FATA DOCEBO] Cùm hoc loquatur Anchiſes, faciunt ad rem verſus Ennij iſti, quos Probus citat: Anchiſes vates fuit.

Atque Anchiſes doctus, Venus quem pulcra Dearum
Fari donauit,diuinum pectus habere.

a Ille(vides?)pura iuuenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca:primus ad auras
Aetherias Italo commiſtus ſanguine ſurget
Syluius,Albanum nomen,tua poſthuma proles:
b Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſyluis Regem,Regúmque parentem:
Vnde genus longa noſtrum dominabitur Alba.

D

ARGVMENTVM.

Incipit à Syluio primo poſt Aſcanium Rege.

EXPLICATIO.

a SEriem hanc optimè incipit à Syluio Albaniæ Rege, Æneæ filio ex Lauinia,à quo ſeries Re-

 gum

gum Albanorum manauit post Ascanium. Ergo describit Syluium, nitentem *pura hasta*, id est, sceptro: tenentem *proxima lucis loca*, quia nimirum iam imminebat vitæ, & accessurus erat ad potandum Lethen: commistum *Italo sanguine*, quia Lauiniæ filius: dicitur *proles posthuma* Æneæ, quia postremò, & post omnes filios natus: illud, *Albanum nomen*, est, vir aut homo Albanus. Sunt qui adimant hemistichium, *tua posthuma proles*, credo, quia negotium facessit.

b. Reddit rationem dictorum suprà. Cur Posthumus, id est, postremus? quia serus omnium filiorum natus Æneæ iam longæuo. Cur dictus Syluius? quia natus nutritúsque in syluis. Cur cum sceptro? quia non solùm Rex, sed parens Regum Albanorum. Cur commistus Italo sanguine? quia illum Lauinia educet. Cur Albanus? quia ab illo genus nostrum longa dominabitur Alba. Multa in hoc tractu notatione digna sunt, quæ iam explico.

NOTÆ.

1. PVRA IVVENIS QVI NITITVR HASTA] Omnes, non solùm interpretes, sed qui varios auctorum locos explicuerunt, intelligunt Virgilij locum de hasta sine ferro, nam hæc absque dubio dicta est pura. Græci vocant δόρατα ἀσίδηρα. Vni Germano placet significari hîc hastam ἄναιμον & ἀναίμακτον, *incruentam innoxiámque*. quod fortasse in idem recidit. Hastam enim sine ferro, incruentam perinde atque innoxiam esse necesse est. Ego horum sententias non improbans, vehemẽter inclino vt putẽ, hîc sceptrum periphrasticè à Virgilio signari, quod ante me dixit nemo. Primò, quia cùm hasta sine ferro militũ fuerit insigne, sæpissime etiam tironum, quid magnum est, Regem cum illa induci? Deinde, quia congruentiùs Regi, & Regum parenti sceptrum, quàm hasta datur. Petit ergo hic locus, vt probem, per *hastam puram* intelligi sceptrum. Quod sic efficio. Pausanias in Bœoticis de sceptro Regum Argiuorum, ita ad finem: τοῦ ἐν τὸ σκῆπτρον σέβουσιν, δόρυ ὀνομάζοντες: *Venerantur hoc sceptrum, hastam nominantes.* Euripides in Hecuba loquens de Polymestore,

Λαὸν δ' ἰθύνων δορί: *Regens populum hasta*,

Quod de sceptro intelligi quis neget? verba Iustini libro 43. hæc sunt: *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixêre. Nam & ab origine rerum pro Dijs immortalibus veteres hastas coluêre: ob cuius religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.* Tridentem Neptuni, esse illius sceptrum, sciunt omnes. atqui Leonidas lib. 6. epigram.

Τρηχὺν τριόδοντα Ποσειδάωνιον ἔγχος:
Asperum tridentem Neptuni hastam.

& Valer. 1. Argon.

—trifida Neptunus in hasta.

Hoc etiam insigniter firmatur versu illo 1. Æn.

Hæc vbi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit.

Sceptrum enim Æolo priùs vates dederat, non hastam: sed quia sceptrum dicitur hasta, ideo extrema pars sceptri, cuspis. Quo loci apertè Hortensius, per cuspidem intelligit partem sceptri extremam. Cùm Achilles 1. Il. iurat, ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, *certè per hoc sceptrum*: ait ibi Spondanus: *hasta nihil aliud est quàm sceptrum.* Itaque Achilles hastam tenebat manu, cùm iurauit per sceptrum. Omitto hîc auctoritatem Lilij. 1. Deorum syntag. Alexandri Neapolit. 1. Genial. c. 28. Dalecampij in lib. 7. Plin. c. 28. Qui omnes dicunt sceptra nuncupari hastas. Tametsi nemo illorum firmet, vt ego hîc. Redeo. Hinc est, vt sceptrum etiam quadam vicissitudine pro aliis quoque rebus sumatur. Nam Hesiodus in Theog. lauri ramum, quem à Nymphis accepit, vocat σκῆπτρον, & Anacreon baculum vocat sceptrum, cùm ait σκῆπτον ἔχω τὸν ἀσκόν, *vtrem pro sceptro gero.* Significat videlicet, se loco baculi vti in senectute vino largiore. Dices: satis tibi probatum, hastam pro sceptro sumi: sed sceptrum *purum* quis dixit? in promptu mihi est Pindarus, qui Od. 6. Olymp. sceptrum καθαρὸν, dixit:

Ἱέρων (ait) καθαρῷ σκάπτῳ διέπων:
Hieron puro sceptro gubernans.

Deinde, cùm puritas & mundicies ad sacra pertineant, & reges olim sacri & religiosi haberentur, quis neget hoc attributum posse accommodari illorum sceptro? Roges, satisne propriè dicatur, *niti sceptro*? Cur non? Ouidius in Metam.

Celsior ipse loco, sceptroq; innixus eburno.

Liuius lib. 28. *steterunt innixi scutis.* vt autem, inniti scuto, cur non sceptro?

2. ALBANVM NOMEN] Vt explicui explicat Canterus lib. 1. cap. 10. Nam Ausonius *nomen Iberum* dixit pro Emerita. & se ipsum *nomen Latium* vocauit. & apud Horatium 3. Carmin. *relictum filiæ nomen.* nihil est aliud, quàm, filia ipsa relicta. Ita & Aristides, ὄνομα δημοκρατία. Sed verior fortasse est explicatio Seruij, referentis hoc ad reliquos Albanos Reges, qui ab hoc Syluio dicti sunt Syluij, quod expressè scribit Liuius lib. 1. nam præcedente Syluij huius mentione, subiicit: *mansit Syluius postea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt.*

3. TVA POSTHVMA PROLES] Triplex hîc explicatio. Sunt qui scribant *Postumus*, non, *Posthumus.* Dicúntque *postumum* propriè dici, qui postremo loco nascitur, modò viuo adhuc patre, modò humato. Nam à post fiunt postremus, & postumus; vt ab extra extremus, extimus, extumus: & à citra citimus, & citumus: sic sentiunt viri docti non pauci, nunc mihi ante oculos, Turnebus, Germanus, Canterus, Cuiacius. Primus, lib. 18. Adu. c. 1. Alter, in hunc locũ. Tertius, lib. 2. Nouarũ Lect. c. 10. Quartus, lib. 3. Obseruat. c. 4. Virgilij verba hoc videntur conuincere: qui enim longæuo & seni filius nascitur, is viuo patre nascitur, non mortuo. Eadem scribit Cesellius apud Agell. lib. 2. cap. 16. Fauet huic opinioni Tertullian. qui contra Gnosticos dixit, loquens de scorpio: *Cauda erat, quodcunque de postumo corpore propagatur, & verberat.* Vbi postumum idem est, quod postremum: fauet Apuleius, qui in Apolog. *postumam doctrinam*, dixit, pro, postrema; inde *postumare* pro subsequi: fauent Pandectæ Florentini, in quibus semper *postumus* scribitur absq; aspiratione, quod Cuiacius monuit; & id etiam in Liuio ex veteribus libris & lapidibus emendauit Sigonius: fauent libri manu scripti Horatij, quos profert Canterus, in quibus Od. 14. lib. 2. legitur sine aspiratione *Postumus.* Græci etiam πόσθμον dicunt, non πόσθυμον. Quia verò postumus est, qui postremus nascitur, accidit, vt accidentaliter (vt dicunt) sumatur pro eo qui nascitur humato patre: nam qui sic nascitur, necessariò postremus est. Quòd si qui aduersum explicationem hanc adducant historiæ veritatem, nam Syluius reuera natus est post mortem Æneæ, *meminerint hi*, (ait Canterus) *historiæ fidei poëticam libertatem fortiter opponi posse.* Secunda explicatio huic opposita est, in Poëta scribendum *posthuma proles.* & illum capiendum de eo, qui natus est mortuo iam Ænea. Astruitur ista explicatio & fide historiæ: nam Syluius natus est post mortuum Æneam: & communi acceptione mortalium, nam, tametsi posthumum in aliis rebus, sit idem quod postremum; sed cùm sermo est de liberis, nemo vnquam appellauit posthumum, nisi illum, qui natus est mortuo patre. Inde Plautus in Aulul. dixit:

Qui

Marginalia: Pura hasta pro sceptro. — Sceptrũ polysemum. — Purum de sceptro. — Syluij Reges Albani. — Postumus pro postremo. — Posthumus de eo, qui nascitur mortuo patre.

Qui post mediam ætatem ducit vxorem domum,
Si eam senex intra annum prægnantem fortuitò fecerit.
Quid dubitas, quin siet paratum nomen puero, posthumus?

Versum alterum Plauti alij sic legunt,

Si eam senex anum prægnantem,&c.

non placent. Redeo. Qui hanc explicationem sequatur, explicet vocem *longæuo*, non de sene, & de eo, qui annis processit; sed de immortali, perpetuo, atque in æternum æuum duraturo. Verba Apollinaris apud Agellium dicto loco, hæc sunt: *Anchises, qui hæc dicit ad filium, sciebat, eum, cùm ex hominum vita discessisset, immortalem indigetem futurum, & longo perpetuóque æuo potiturum.* Quam argutiam etiam si ibi reprehendat Agellius, nam Dij (inquit) non longæui appellantur, sed immortales: sed fortissimè contra Agellium pugnat testimonium Æschyli in fabula, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, vbi ait: δαίμοσιν ἐχθρὸν εἴκασμα βροτοῖσί τε, δαροβίοισι θεοῖσιν: *Inuisum manibus signum, mortalibúsque, & longæuis Dijs.* Hoc testimonio vtitur Ianus Parrhasius epist. 34. quo innixus, Apollinaris explicationem amplectitur, Agellium contemnit, defendit Virgilium, & ridet Criticos, qui tam acerbè in Virgilium inuehũtur. Eodem modo explicat Virgilium Seruius, qui ait: *posthuma proles, posthumus est post humationem patris creatus.* & statim. *Longæuo, id est, Deo. Æuum enim propriè æternitatis est, quæ non nisi in Deos venit.* Profertque Ennium, qui dixit:

Longæuus de immortali.

Æuum de Diis.

Romulus in cælo cum Dijs genitalibus æuum
Degit.

Et quidem, si de humano æuo capiendus sit vates, non mortuus est Æneas longæuus, sed ante diem, sequuto euentu prædictionis Didonis: *sed cadat ante diem.* Tertia explicatio est Francisci Luysini lib. 1. Parer. cap. 4. scribentis, Poëtam alludere ad gentem Posthumiorum. Itaque per Synæresin dictum est, *proles Posthuma*, pro, *Posthumia.* Posthumij enim originem duxere à Syluio. Sextus Ruffus in Commentario ad Cæsarem Valentinianum, ita scribit: *Ascanius in longam Albam, quam condiderat, regnum transtulit, vbi regnatum est annis quadringentis triginta & duobus, ab Ascanio triginta octo, ab Ascanio Posthumio viginti nouem.* Dices. Hîc Ascanium vocat Posthumium, non Syluium. Soluit Luysinus. Nam Æneæ filium susceptum à Lauinia alij Syluium vocant, vt Virgilius: alij Ascanium; Ruffus, & Liuius lib. 1. sed is, siue Syluius, siue Ascanius, dictus est Posthumius. Ergo, vt Virgilius dixit:

Posthumia gens.

—Scyllaque Cloanthus
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti:

& iterum:

Sergestúsque, domus tenet à quo Sergia nomen.

ita hîc, *tua Posthuma proles.* Id est, à quo Posthumij Romani tui oriundos sese iactabunt. Quæ de Liuio dixit Luysinus, aliter in Liuio habentur. Ecce tibi Lector triplicem explicationem, tu, in quam voles, inclina: me in primam animus ducit, tum propter illa, quæ iam à me allata; tum propter auctoritatem Ausonij ita Virgilium explicantis: ait enim epist. 17.

Vt quondam in Albæ montibus
Postremus Ænea satus.

Vbi, quod Virgilius *postumus*; Ausonius, *postremus.* Produxi ista in longum, nam locus verè est difficilis: & multi maiore, quàm ego, volumine; non tanta fortasse fruge.

4. Servum] De hac voce, cùm ad filios pertinet, dicam lib. 8.

5. Educet Sylvis] Ouidius 4. Fast.

Posthumus hinc: qui, quòd Syluis est natus in altis,
Syluius in Latia gente vocatus erat.

Syluius Posthumus.

Dionys. lib. 1. Antiq. loquens de hoc Syluio, ὃν φασὶν ἐν τοῖς ὄρεσιν ὑπὸ τῶν νομέων ἐκτραφῆναι: *quem dicunt nutritum in montibus à pastoribus.* Liuius: *Syluius deinde regnat Ascanij filius casu quodam in syluis natus.* Quo testimonio vides, Syluium hunc fuisse filium Ascanij, non Æneæ.

[a] Proximus ille Procas Troianæ gloria gentis,
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Syluius Aeneas, pariter pietate, vel armis
Egregius, si vnquam regnandam acceperit Albam.
Qui iuuenes quantas ostentent, aspice, vires.
[b] At, qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemq; Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pometios, Castrúmque Inüi, Bolamq;, Corámque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

ARGVMENTVM.

Transit ad Reges alios Albanorum, & ad alios principes viros.

EXPLICATIO.

[a] Reges alios Albanos infert, non omnes, neque eo ordine, quo fuerunt. Nam Procas non post Syluium. ergo *proximus* non tempore, sed loco. Pergit. Erant ibi etiam, *& Capys, & Numitor.* Meminit Capyos Regis Albani (credo) consilio hoc, quòd Capys Assaraci filius, pater fuerit ipsius, atque Æneæ auus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam. Meminit Numitoris, quia hic pater Rheæ Syluiæ matris Romuli. Progreditur. *& qui te nomine reddet Syluius Æneas.* Fuit hic filius Syluij illius, qui natus est syluis, si Liuio, & aliis credimus. Hunc cum Ænea tribus comparat, *nomine, pietate, armis.* Ait de hoc extremo, *si vnquam regnandam acceperit Albam.* quia hic Albam accepit à tutore, qui imperium inuaserat, ac vix tandem anno quinquagesimo tertio restituit. Absoluit memoriam Procæ, Capyos, Numitoris, Æneæ Syluij, versu pleno maiestatis hoc,

Qui iuuenes quantas ostentent, aspice, vires.

[b] Connumerat ciuitates aliquas, quas dicit ædificandas à posteris Æneæ: nullum nominans conditorem, quia huius rei incerta est & obscura fama. Ait, hos conditores gerere, *tempora vmbrata ciuili quercu*, intelli

telligens coronam ciuicam, tum ex materia, nam ex quercu: tum, quia, qui ædificant vrbes, videntur quodammodo ciues seruare; seruant certè ab hostium incursibus. De vrbibus, quas hîc attingit, dicã in Notis.

NOTÆ.

1. PROXIMVS ILLE, &c.] Dionysius 1. Antiq. Regum Albanorum ordinem referr, & nomina: diuersiùs paululum ab eo Ouidius 4. Fast. per initia: itémq; Liuius lib. 1. quos adi. Cur Virgilius nec omnes numeret, neque ordinem habeat in numerando, rationem hanc esse deprehendo. Opus hoc in laudem Augusti conficit, quem infrà post Romulum statim infert. Deinde redit ad successorẽ Romuli, Numam. res itaque Cæsarum alternat, desinens in Marcellum, in gratiam eiusdem Augusti. Igitur, qui in sequẽtibus nullum habiturus est ordinem propter Augustum, voluit initio abrumpere, & poëticè cõfundere, vt qui non historicum, sed poëtam agat. Etenim, si omnes vsque ad Augustum vellet persequi, quàm molesta esset narratio? Debuit itaque aliquando historiæ ordinem rumpere, & maluit ipse, excellenti iudicio, statim in initio; post Syluium nominans Procam patrem Amulij & Numitoris, auum Rheæ matris Romuli: & ideo fortasse: *Troianæ gloria gentis*, vt qui isto gradu contingeret Romulum. Nam de Proca nihil peculiare narrant Dionysius, Ouidius, Liuius. *Virgilius defenditur.*

2. OSTENTANT VIRES] Imitatione (ait Germ.) Græcorum, qui militari verbo, δύναμιν δεῖξαι.

3. VMBRATA] Ab hoc Statius 6. Theb. *Vmbro, de coronis.*

Nuper Olympiacis vmbratus tempora ramis.

Cum sapore ad Virgilium Claudian. Paneg. in Olib. describens Romam:

Flaua cruentarum prætenditur vmbra iubarum.

Itaque, quod Virgilius de corona, Claudianus de iubis galeæ. Ego de Ioãne Austriaco filio Caroli Quinti, fratre Philippi Secundi, iuuene maris victore, & Turcarum. *Ioannes Austriacus.*

Ille genas leuis toto spectante Senatu
Prodijt, insigni rostrorum vmbrante corona,
Non minor Augusto, postquam freta cærula classe
Placauit, diues spolijs orientis, & auro.

Latini quidem ab Lucret. qui lib. 3.

—& inumbrant ora coronis.

4. CIVILI QVERCV] Variatum est in materia coronæ ciuicæ. Nam facta è quercu. Agellius lib. 5. cap. 6. *fit è fronde querna.* Plutarchus ἐν Ῥωμ. δρύϊνον στέφανον. & Claudianus de laudibus Stilicon. Paneg. 3. *Ciuica corona.*

Mos erat in veterum castris, vt tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste,
Casurum potuit morti subducere ciuem.

Facta quoque est ex ilice, quæ materia primæ proxima. Testimonium Cæcilij hoc adducit Agellius: *Aduehuntur cum ilignea corona, & chlamyde.* Plinius lib. 16. 14. addit ex esculo: *Ciuica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Ioui sacra.* Sidonius in Paneg. Maioriani, ex lauro, nam sic carmen absoluit: *Ciuica laurus.* Martiali placuit ex hedera, lib. 8. epig. 82.

Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

Cæterùm corona ciuica in maximo pretio fuit habita, quod Plinius loco adducto scribit, dicit enim huic murales, vallarésque, & aureas cedere, quanquam pretio antecedant, sed & rostratas. Inde Augustus, cùm Agrippæ rostratam dedisset, *ciuicam* (ait Plin.) *à genere humano accepit ipse.* Quæ verba explicant hîc

A Virgilium, qui in honorem (credo) Augusti, coronæ huius præ aliis perhonorificam mentionem fecit: & Valerium lib. 2. c. 3. ita scribentem, *Ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi ob ciues seruatos corona danda est, qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.* Porro loca quædam Ouidij obscura de duplici corona, quæ erat ad postes Augusti, alibi iam producta. Vide Plutarchum dicto loco.

5. NOMENTVM] Νώμεντον. Est hæc mediterranea Latinorum vrbs apud Liuium, & Ptolemæum. Lege Ortellium. *Nomẽtum*

6. GABIOS] De Gabiis oppido ita Strabo lib. 5. Γάβιοι μὲν ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ: *Gabij siti in via Prænestina.* scribit Solinus, *Gabios à Galatio & Bio, Siculis fratribus,* conditos. & inde fortasse nomen pluralis numeri. *Gabij.*

B 7. VRBEMQVE FIDENAM] Latinorum colonia. Fidenæ sunt Liuio, Ptolemæo Φιδῆναι, Straboni Φιδῆναι, Liuio Plinióque Fidenates populi. Vrbem hanc deleuit M. Æmilius Dictator. Strabo lib. 5. Fidenas, & Collatiam numerat inter πολίχνια oppidula: deinde inter κώμας, vicos. Ait que distare à Roma stadia triginta. *Fidenæ.*

8. COLLATINAS] Festus: *Conlatia oppidum fuit prope Romam, eo quòd ibi opes aliarum ciuitatum fuerint conlatæ: à qua porta Romæ Conlatina dicta est.* Seruius ait, Collatiam constitutam à Tarquinio Superbo, vel potiùs à regibus Albanis, & tãtùm à Tarquinio auctam. Porro versus, qui post hunc legi solet in nonnullis codicibus, quémque se in veteri libro reperisse ait Iunius, Virgilij non est, purgatæ aures hoc discernunt. Is *Conlatia.*

C ita habet:

Laude pudicitiæ celebres, addentq́ue superbos
Pometios.

Putauit impostor posse se doctis imponere cum allusione illa ad Lucretiam.

9. POMETIOS] Sic scribendum non Pomerios. Nam tragœdia est Næuij (citant aliqui) Militum Pometinensium. Seruius etiam per, t, scribit. Hortensius Pometiam agnoscit, atque etiam Ortellius ex Plinio, Tacito, Dionysio. In Strabone etiam lib. 5. Πωμεντῖα lego, & Πωμεντῖνον πεδίον. Addit Ortell. fuisse Volscorum in Campania caput. Certè Plinius inter Latij clara oppida constituit lib. 2. c. 5. *Pometij.*

10. CASTRVMQVE INVI] Ciuitas est Thusciæ, dicta Inüi, id est, Panos. Nam, qui Græcis est Pan, Latinis est *Pan dicitur Inuus.*

D Inuüs. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 22. *Pan ipse, quem vocant Inuum.* Ad eandem rem Lilius adducit Liuium. Seruius: *Inuus autem Latinè appellatur, Græcè* Πᾶν: *item* Ἐφιάλτης *Græcè, Latinè, incubo.* & post pauca: *dicitur autem Inuüs ab ineundo passim cum omnibus animalibus, vnde & incubo dicitur.* Addit Seruius hoc oppidum vocari *castrum nouum.* Quod etiam ex Ptolemæo, Blondo, Plinio, Mela, notat Orrellius.

11. BOLAM] Vrbem hanc in Samnitibus constituit Ortellius. De populis Bolanis mentionem facit Plinius lib. 2. c. 5. Inter Latij oppida. Expugnauit Martius Coriolanus in gratiam Volscorum contra Romanos Romanus ipse, sed exul. vide Dionysium lib. 8. Antiq. *Bola vrbs.*

12. CORAM] Coræ vrbis Strabo meminit lib. 5. Plinius lib. 2. c. 5. dicit Coranos ortos à Dardano Troiano: id ipsum Solinus. Inde fortassis mentio poëtica. Tacitus 2. Annal. Coræ mentionem facit, promontorij in Etruria. Propertius lib. 4. eleg. 11. & Nomenti, & Coræ, cùm ait: *Cora vrbs.*

Nec dum vltra Tiberim belli sonus, vltima præda
Nomentum, & parua iugera parua Coræ.

* Quin & auo comitem sese Mauortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater

Educet.

Educet. viden' vt geminæ ſtent vertice criſtæ?
Et pater ipſe ſuo ſuperûm iam ſignat honore?
[b] En huius, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo:
Septemq; vna ſibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm: qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.

ARGVMENTVM.

Poſt illos inducit Romulum, & ex occaſione Romam laudat.

EXPLICATIO.

a Poſt aliquot Albanos reges, Romulum Romámque infert magna verborum exornatione. *Auo*, id eſt, Numitori: *Mauortius*, quia filius Martis Romulus: *addet*, quia reſtituens Romulus regnum auo Numitori, cum ipſo aliquando regnauit. Dicitur Ilia eſſe *ſanguinis Aſſaraci*, in gratiam Æneæ, quia ab Aſſaraco ſciſſa eſt familia Æneæ à familia Priami. Dantur Romulo in *vertice* galeæ *criſtæ geminæ*, cum alluſione ad rem militarem. verbo *ſtent* notat habitum criſtarum, quæ ſurrectæ. Illud *& Pater ipſe ſuo Superûm iam ſignat honore*, commodiùs refertur ad Iouem, quàm ad Martem, hac ſententia. Iuppiter pater Superûm ſignat iam Romulum honore ſuo, id eſt, cæleſtem iam facit, iam hinc deſtinat in numerum immortalium.

b A Romulo pergit ad Romam, quæ *inclyta*: quæ condita *auſpicijs* Romuli: quæ totum terrarum orbem imperio ſuo complexura, hoc enim eſt, *imperium æquabit terris*: quæ habitura imperatores, viros, ciues magni animi, & ideo, *animos æquabit Olympo*: quæ vna cùm ſit, *circumdabit* muro vnico *arces ſeptem*: quæ denique *felix prole* magnorum *virorum*. Vt verò ſummam laudum ponat, comparat illam cum Cybele Deorum matre, quæ & *turrita*, & in *curru inuehitur per vrbes Phrygias*, vbi hæc Dea præcipuè culta: quæ *læta partu* magnorum *Deorum*: quæ *complexa centum nepotes*, plurimos intelligit; hos verò *omnes cælicolas, omnes tenentes ſupera alta*, id eſt, cælorum domicilia.

NOTÆ.

1. Edvcet] Phraſis propria Virgilij, ita ſuprà:
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſyluis Regem.

2. Viden' vt] Ita Tibullus:
Si vereare precor, viden', vt felicibus extis?
& Statius:
—Viden', vt iugulo conſumpſerit enſem?
Notauit Erythræus.

3. Geminæ cristæ] Non ſolùm vnica criſta ducibus, ſed ſæpe duplex, interdum triplex, de qua re alibi. Itaque ad morem hunc alluſum puto potiùs, quàm ad Seruianum commentum de Romulo vtente ſemper duplicibus, cum reſpectu ad Remum fratrem, ne videretur parricidij reus. Hoc (inquam) non placet. Nam & Græci duces, quibus duplex criſta, vocant δικορύφους, διλόφους.

4. Svpervm iam signat honore] Attingi- A tur Romuli apotheoſis, qui in concione quadam cùm eſſet, ſubitò inter nimbos diſparuit, ac tum creditus eſt fuiſſe in cælum raptus. Vide iſta copioſè in Liuio. Plutarchus etiam ait, vulgo creditum Romulum in procella ἀνηρπασμένον εἰς θεοὺς, *raptum ad ſuperos*, & inde vt Deum cultum. Aliqui (in his Seruius) ſententiam referunt ad Martem, vt dixi, conceptu iſto. Pater Mars ſuo honore, id eſt, diuinitate, filium Romulum ſignat eſſe Superum. Non placet vt vox *ſuperum*, ſit accuſatiuus ſingularis: tametſi, quod dicunt de Marte, defendi queat. Nam Dionyſius libro 2. raptum Romuli ad Martem refert, atque etiam Ouidius 2. Faſtor. *Romuli apotheoſis.*

Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther:
Fit fuga, Rex patrijs aſtra petebat equis.

B Vbi *patrijs equis* accipio de equis Martis, tum ex Dionyſio, qui clarè Martem nominat, tum ex Horatio, qui de apotheoſi Romuli ita canit lib. 3. Od. 3. ore Iunonis:

Noſtriſq; ductum ſeditionibus
Bellum reſedit: protinus & graues
Iras, & inuiſum nepotem,
Troïca quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo, illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

5. En hvivs, &c.] Integer fere hic verſus Ennij eſt, lib. 1. Ann. & de Romulo quoque pronunciatus.

6. Avspiciis] Vel propriè ſume cum relatione ad vultures, quos vidit Romulus. Vel erunt auſpicia, ductus bellorum, quibus præclarè geſtis ab Romulo Romana potentia excreuit. Nam auſpicia pro ductibus etiam ſumi, alibi probo. *Auſpicia pro ductu bellorum.*

C

7. Illa inclyta roma, &c.] Cùm ſæpe alibi, tum hoc loco, attingat Poëta Romanæ vrbis elogia; mihi, quæ repeti, in hunc locum obſeruanda erunt: promiſi enim, & ſæpe in hanc partem diſtuli, qua nulla commodior. Neque verò vagari volo, tantùm attingam, quæ Poëta. Laudat illam, quòd inclyta, quòd imperium ſuum æquet cum ipſis terris, cum cælo animos, quòd ſeptem munita ſit arcibus, quòd abundet felici virorum prole: demum comparat illam cum Cybele. Totidem fermè notis ego rem abſoluam. Nec me terret, qui de Romana magnitudine admitandum opus ſcripſit: nam ego, neque quæ ille, neque D tantùm vnde ille, niſi fortuitò, & raro: ducor enim tantùm poëtico filo. Eſt ergo Roma *inclyta*, quia *terrarum, & mundi caput*, quo elogio illam afficiunt Plinius lib. 3. c. 5. Iuſtinus lib. 43. Gregor. Turonenſ. lib. 5. Caſſiodorus lib. 9. Var. c. 17. Quia rerum omnium *domina*. Ita illam appellant Martialis lib. 1. & 10. Horatius Od. 14. lib. 4. Dionyſius lib. 1. Claudianus paneg. 2. Stilic. Arnobius lib. 2. Leo Papa in ſermone Apoſtolorum. Quia, *princeps vrbium*, vt ait Horatius Od. 3. lib. 4. imo illam ſolam appellatam eſſe vrbem, non aliam *Roma caput mundi, Rerum domina, Princeps vrbium,*

aliam, ex scriptoribus gentilium adducit Hieronymus in acta Apostolorum. *Vrbem vrbium* vocat Greg. Turonens. lib. 5. per initia. Quia rerum *regina*, vt vult Claudianus paneg. Olib. & Frontinus de aquæ ductibus, atque etiam Nazarius paneg. Constantini: vocat enim illam, *arcem gentium, terrarum reginam*. Quia instar *miraculi*, dicente Cassiodoro lib. 7. c. 15. *Nunc autem potest esse veridicum, si vniuersa Roma dicatur esse miraculum.* Quamobrem Propertius lib. 3. eleg. 21.

Regina,

Miraculosa,

Omnia Romanæ cedent miracula terræ:
Natura hîc posuit quicquid vbique fuit.

Officina cõmunis rerũ omnium.

Cum quo Propertij præconio consonant verba ista Aristidis in oratione, quæ tota est de laudibus Romæ, ὡς ἐοικέναι τὴν πόλιν κοινῷ τινι τῆς γῆς ἐργαστηρίῳ. Dicit videri Romam, communem quandam totius orbis officinam. & postea pulcherrimè. ὅ, τι δ᾽ ἂν μὴ ἐνταῦθα ἴδοι τις, οὐκ ἔστι τῶν γενομένων, ἢ γιγνομένων: *etenim quicquid hîc non reperitur, id nec exstitisse, nec exstare posse creditur.* ideo Cassiodorus lib. 6. c. 4. ait, in hac vrbe contineri vniuersa. & statim: *Roma omnia possederat.* Omitto illud tritum de Roma dicta terrarum epitome, quod probat Athenæus lib. 1. & ex Polemone rhetore adducit Galenus comment. 1. in Hippocr. de articulis. & Sidonium lib. 1. qui *mundi verticem* vocat. Pergo. Est *inclyta*, quia *domicilium clarissimi imperij*, ait Augustinus epist. 45. vnde & Corippus *altricem imperij* nominat: quia contriuit terrarum regna omnia, & *multis aucta victorijs*, ait Leo Papa. & Claudian. paneg. 3. Stilicon. *Armorum, legumq; parens.* & Cicero in Catil. *Lux orbis terrarum, arx omnium gentium.* & Augustinus 4. Ciuit. c. 29. *gens Martia.* Quia parens vrbium: Dionysius enim in Periegesi. μητέρα πασάων πολίων. à qua laude non absimilia Cassiodorus, & Claudianus. Quia regum parens, Imperatorum, ducum, principum. Idem Dionysius

Imperij domicilium,

Parens vrbium,

Parens Regum,

— μέγαν οἶκον ἀνάκτων.

Parens Deorum.

Addo & Deorum. Rutilius ad illam:

Exaudi genitrix hominum, genitrixq; Deorum,
Non procul à cælo per tua templa sumus.

& Claudianus,

———*aut si quos Roma recepit,*
Aut dedit ipsa Deos.

Ioann. Chrysost. homilia 66. ad populum, de Romano senatu, etiam si irridens, *hic enim hanc habebat potestatem Deos creandi, & decernendi.* Huc etiam traho Virgilij illud,

——*centum complexa nepotes,*
Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes.

Romæ elogia.

Nam etiamsi de Cybele, sed certè cum allusione ad Romam. A tantis ergo præconiis (ego hæc paucula collegi, multis omissis) iure Martialis lib. 12.

Terrarum Dea, gentiumq; Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Iure Horat. lib. 3. Od. 29. *beatam* nominat. Iure Claudian. paneg. 3. de laudibus Stilic.

Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit.

Iure Cassiod. lib. 1. c. 32. *mater omnium dignitatum.* Iure Liuius lib. 38. *magna fortuna populi Romani est, magnum & terribile nomen.* & Porphyrius lib. 2. de discrimine adulatoris, μεγάλην πόλιν. Maiore incremento Eunapius in vita Porphyrij, μεγίστην Ῥώμην. & pari prope Cedrenus. Ῥώμη παντὶ τῷ κόσμῳ προλάμποντος. Iure Aristides dubitat, *vtrùm vrbs hæc reliquas vrbes, an imperia, quæ fuerunt olim, hoc imperium maiore superat interuallo?* Iure Ammianus lib. 14. Romam vocat virtutum omniũ domicilium, & Sidonius lib. 1. epist. 6. legum domicilium, gymnasium litterarum, curiam dignitatum, &c. Iure Epictetus rogatus, quid sibi visum de hac vrbe, respondit, visam sibi templum. Adeo religioso quodam cultu habita semper Roma. Iure Horatius loquens cum Sole, ait:

A

—*possis nihil vrbe Roma*
Visere maius.

Iure Ammianus *venerabilem* vocat lib. 22. & *sacratissimam*, lib. 27. Iure demum Aristides cum mari comparat: quod vt fluuiorum accessione non crescit, ita neque in Romana vrbe, præ eius magnitudine, aliquid conspicuum est, adeo ipsa sensus omnes occupat.

8. IMPERIVM TERRIS] Magnum præconiũ: quicquid terrarum est, id totum Romanæ vrbis potestati subditum. Conferam elogia honoris huius. Tibullus lib. 2. eleg. 5. Romæ vniuersa subdita.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cælo prospicit arua Ceres.
Quaq; patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

B

Plus dixit Virgilius, nam non solùm ortu & occasu, sed terris omnibus Romanum terminauit imperium. Pari incremento Ouidius 4. Fast.

Vrbs oritur (quis tunc hoc illi credere posset?)
Victorem terris impositura pedem.

Pari Horatius Od. 3. lib. 3. nam omnes terras inducit:

Horrenda (Roma) latè nomen in vltimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arua Nilus.

& post pauca:

C

Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluuijq; rores.

Sicut & Dionysius, ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς: *Romana ciuitas imperat vniuersæ terræ.* & Cedrenus. πᾶσαν δουλωσαμένη τὴν οἰκουμένην: *adegit in seruitutem vniuersum orbem.* Ideo fortasse Aristid. hanc vrbem vocat totius imperij ἀκρόπολιν, *arcem.* Ammianus lib. 14. *Per omnes, quotquot sunt, partes terrarum, vt domina suspicitur & Regina.* Minutius de Romanis: *Eorum potestas, & auctoritas totius orbis ambitus occupauit.* Adduxi illos, qui imperium Romæ cum terris æquant. Addunt aliqui vna cum terris etiam mare, aquas, Oceanum: quod elogium iam prælibatum in præcedentibus, nã Tibullus, & Horatius, aquarum meminêre. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

D

——*omne quod ambit*
Oceanus, domui.

Loquitur porrò Roma ipsa. Eadem apud eundem de bell. Gildon.

Ast ego, quæ terras armis, pontumq; subegi.

Dionysius, πάσης δὲ κρατεῖ θαλάσσης: *toti autem mari imperat.* & addit explicans se: *non solùm mari huic intra columnas Herculeas, sed ipsi Oceano, quacunque est nauigabilis.* Clandianus vltra Oceanum vagatur,

Nec stetit Oceano, remisque ingressa profundum,
Vincendos alio quæsiuit in orbe Britannos.

Simili incremento Philo de legatione ad Caium, loquens de imperio Augusti, διὰ γῆς καὶ θαλάττης ἄχρι τῶν τοῦ κόσμου περάτων: *per terram, per maria vsque ad extremos orbis terminos.* & Minutius, *vltra Oceani limites.* Neque verò satis terræ, aut mare; sed ecce tibi sol, sidera, cælum, ad hanc magnitudinem explicandam. Horatius Od. 15. lib. 4.

E

Porrecta maiestas ad ortum
Solis, ab Hesperio cubili.

Claudianus paneg. 3. Stil.

Hæc est, exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaq; à sede profecta

Disper

Disperſit cum Sole manus.
Idem de bel. Gildon.

——domui terras, hominesq́ reuinxi
Legibus, ad Solem victrix vtrunque cucurri.

Eſt hoc quod Dionyſius dixit: πρώτη, καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας: *prima, & ſola ab omni æui memoria terminos ſibi potentiæ fecit orientẽ & occaſum.* Sed Claudianus poëticè *vtrunque ſolem.* Ariſtides vſus quoque eſt hoc ſermone, cùm ſcripſit: τὴν ἴσην τὸν ἥλιον πορείαν εἶναι κτῆσιν ὑμετέραν: *curſum Solis æqualem eſſe veſtro imperio.* Loquitur cum Romanis. Adiicit, (vide incrementum laudis) καὶ τὸν ἥλιον διὰ τῆς ὑμετέρας πόλεως πορεύεσθαι: *veſtram vrbem ſol peragrat.* Laus mira. quaſi dicat: Terrarum orbem ita huic vrbi parere, vt potiùs dicendus ſit vrbs vnica, quàm multæ vrbes in vno imperio. ita enim ipſe Ariſtides alibi loquitur. Neque verò ſatis ſol, ſed extra ſolem Romana potentia. Minutius enim de Roma, *imperium ſuum vltra ſolis vias propagauit.* Laudo itaque Ennium, qui lib. 1. Annal. ita naſcituram Romam affatur:

Naſcere quæ populos terraq́ mariq́ laceſſes.

& adde à me:

Naſcere quæ cælo caput inſertura ſub aſtris.

Romanorũ animi.

9. Animos æqvabit Olympo] Noluit Poëta hoc elogium relinquere: nam qui hiſtorias Romanas legerit, videbit, imo ſtupebit magnitudinem animi, quæ fuit pene ſupra mortales in viris mortalibus. Nam quæ illos calamitas fregit? quod non malum peruicere? quādo illi deiecti ſunt animo? Audi Claudianum paneg. 3. Stilicon.

Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere poſt Cannas maior, Trebiamq́, fremebat.
Et, cùm iam premerent flammæ, murumq́ feriret
Hoſtis, in extremos aciem mittebat Iberos.

Plutarchus in Marcello Romanos laudat ἐκ τοῦ φρονήματος καὶ μεγαλοψυχίας, *à magnitudine, & conſtantia animi.* quia poſt cladem Cannenſem, qua nulla maior, noluerunt captiuos redimere, cùm poſſent paruo pretio. Tantum enim abfuit, vt cladi ſuccumberent; vt etiam ignauos, qui cladi ſuperfuerant, nollent recipere. Huius rei argumenta aliquot ducit Liuius. Nunquam enim tam graui bello oppreſſi Romani fuère, vt animo caderent. Lib. 22. ita ait: *Adeo, etſi bellum ingens in ceruicibus erat, nullius vſquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat.* Inde iudicium illud Annibalis de Marcello li. 27. vix enim Marcellus victus eſt, cùm iterum prælium inſtaurauerit. Verba Annibalis ſunt: *Cum eo hoſte res eſt, qui nec bonam, nec malam fortunam ferre poteſt: ſeu vicit, ferociter inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen.* Adducit idem Liuius lib. 26. argumentum duplex de animis Romanorum ſemper inuictis, & nunquam fractis. Primum eſt, ſedebat Annibal armatus ad Romana mœnia, & tunc tamen ita contemptus eſt, vt ex eadem vrbe milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ proficiſcerentur. Alterum eſt: Habebat idem Annibal caſtra prope Romam in agro quodam, quem ipſe bello occupauerat. ac tum ager ille in ipſa vrbe ſubiectus haſtæ eſt, emptorémque inuenit nullo diminuto precio. Hæc ita vehementer Annibalem perculere, vt ſtatim capiendæ vrbis ſpem abiiceret, & referret caſtra. Quis non ſtupeat hos animos Romanorum? verè ergo Poëta, *animos æquabit olympo.* Valer. Max. lib. 7. c. 2. *Imperium noſtrum non tam robore corporum, quàm animorum vigore incrementum ac tutelam ſui comprehendit.* Præconium hoc etiam inuenies in oraculis Sibyllinis lib. 7. vbi poſtquam Romam vocauit καρτερόθυμον, *animi inuicti, fortis, ingentis,* ſubiicit, loquens ad illam, ἀστράψεις εἰς Ὄλυμπον, *continges cælum fulgentiſſima.* Inde verba Iouis ad Venerem. 1. Æn.

——ſublimemq́, feres ad ſidera cæli
Magnanimum Ænean.

Quaſi dicat: Magnanimi, vbi niſi in cælo? Ideo hîc,

——animos æquabit olympo.

Et quidem cùm hæc animi magnitudo ad cælum vſque, tota referenda ſit ad militarem virtutem, cur non huc traham etymon ἀρετῆς indicatum à Philone in lib. Quis ſit rerum diuinarum hæres? Vbi ait, non ſolùm dici παρὰ τὴν αἵρεσιν ab electione: ſed etiam παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quòd attollatur, feraturque in ſublime.

Septem mõtes Romæ.

10. Septemqve vna sibi mvro circvmdabit arces] Ideo Roma Græcis dicitur ἑπτάλοφος. in hoc elogio quid immorer? Tantum noto altum Poëtæ ſpiritum. Nam, quos fere omnes, & Martialis lib. 4. vocat montes,

Hinc ſeptem dominos videre montes.

Quæ Propertius lib. 3. eleg. 11. iuga,

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præſidet orbi.

quos Claudianus paneg. 3. Stilic. ſcopulos,

Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur olympi.

quos Tertullian. in Apolog. colles, *ſeptem collium plebem;* Ac demum quod Papinius Sylu. dixit,

Quis ſeptem geminæ poſuiſſet mœnia Romæ,

ipſe altiùs, grandiùs, ſublimiùs *arces* nominat. Ad cuius imitationem Claudianus de bel. Get.

Securas iam Roma leuat tranquillior arces.

Sed de hac Poëtæ locutione locutus iam ſum 4. G. Deinde nota, celebritatem fuiſſe Romanis, quæ dicta *Septimontium,* à ſeptem montibus: eius meminit Tertullianus de Idolola. Feſtus, Varro, Plutarchus ἐν Ῥωμ. Incidebat ea celebritas in menſem Decembrem, vide Ioſ. Scaligerum in Feſtum. Suetonius in Domitia. c. 4. meminit dici *Septimontialis.* Vide etiam in Feſto, quid ſcripſerit Labeo de hoc feſto. Porto ab his mõtibus cuſi nummi Veſpaſiani, in quibus erat Roma parazonio cincta, ſedens ſupra ſeptem vertices, Tibrim habens ad pedes. Sed qui demum hi montes? Diſcrepant auctores. Communi ſermone iſti narrantur, *Palatinus, Quirinalis, Auentinus, Cælius, Viminalis, Eſquilinus, Ianiculus.* Caius Sempronius de diuiſione Italiæ diſcrepat adimens *Ianiculum,* & ſubſtituens *Capitolinum.* Fabius pictor de orig. Italiæ lib. 2. in tribus diſcrepat, primo ipſe quoque *Capitolij* meminit, adimens *Ianiculum.* Deinde, *Viminalem* quoque adimit, & ſubſtituit *Cæliolum.* Eſt enim in eo non ſolùm mons *Cælius,* ſed *Cæliolus.* Tertio ait, *Auentinum,* vocari quoque *Rumurium.* Feſtus octo facit hos montes, & aliter, duobus exceptis, reliquos indigetat: videlicet; *Palatium, Veliam, Fagutalem, Suburam, Cermalum, Cælium, Oppium, Ciſpium.* Sed ſcias in Exquilino fuiſſe duos vertices, qui dicti Oppius & Ciſpius. Sed & Cælius dictus quoq; eſt, Querculanus, à quercubus, quibus ſeptus: Capitolinus, etiam dictus eſt Saturnius, & Tarpeius: Fagutalis creditus idem, qui & Viminalis, à ſacello Iouis, in quo fuit fagus. Poſſent iſta firmari, ſed omitto, quia res hæc non eſt Virgilij.

Septimontium.

Romanorũ elogia.

11. Felix prole virvm] Ventum ad viros Romanos. Quis hos laudet? ex vno Tullio infinita peti poſſunt. Omitto. Ex aliis ſubiiciam paucula de Romanorum virtutibus. Paucula quidem præ argumenti feracitate. Audi Liuium in Præfat. Hiſtoriæ: *Nulla vnquam Reſpublica nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam ſeræ auaritia luxuriáque immigrauerint: nec vbi tantus, aut tamdiu paupertati, ac parcimoniæ honos fuerit.* Magnæ iſtæ ſunt virtutes. Caſſiodorus lib. 4. Var. cap. 6. magno elogio: *illa virtutum omnium latiſſimum templum.* Auguſtinus 3. Ciuit.

uit cap. 10. narrat virtutes, quibus Romani ad fastigium honoris ascenderint, hoc verborum complexu: *Romani domi militiaq; intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obuiam ire: libertatem, patriam, parentésque armis tegere. Post vbi pericula virtute propulerant, socijs atque amicis auxilia portabant, magisq; dandis, quàm accipiendis beneficijs amicitias parabant. Decenter his artibus Roma creuit.* Possem ista ex alio adducere, à quo Augustinus accepit, sed malui ipsum testem producere. Et lib. 5. cap. 12. *Laudis auidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, diuitias honestas volebant.* Audi & Saluianum li. 1. de Prouidentia: *Cura imperij propagandi, contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant.* Vis scire humanitatem huius populi, & benignitatem? Audi Plutarchum in Polit. Ῥωμαῖοι προθυμότατοι τοῖς φίλοις: *sunt Romani promptissimi ad subleuandos amicos.* Loquitur videlicet de ope, quam præstant aliis gentibus. Pulcherrimè de eodem argumento Claudianus paneg. 3. Stilic.

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanúmque genus communi nomine fouit,
Matris, non dominæ ritu: ciuésque vocauit,
Quos domuit, nexúque pio longinqua reuinxit.

Nefas sit præterire Aristidem, cuius hæc sunt, ἐγὼ μὲν πάντα ἔφορων ἥλιος οὐδὲν οἶδεν ἐφ' ὑμῶν βίαιον, οὐδ' ἄδικον, οὐδ' οἷα πολλὰ ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις. ὥστε εἰκότως ἥδιστα ἐφορᾷ τὴν ὑμετέραν ἀρχήν: *Qui omnia conspicit Sol, cùm nihil apud vos iniquum & violentum, qualia priùs multa, videat, meritò iucundissimè vestrum intuetur imperium.* Idem Romanos comparat cum imperio Iouis. Nam cùm omnia ante Iouem fuissent tumultibus & seditione concitata, ipse victis Titanibus omnia composuit; eodem modo, Romanis terrarum orbi dominantibus, νόμοι τε ἐξεφάνησαν, καὶ θεῶν βωμοὶ πίστιν ἔλαβον: *& leges exstiterunt, & Deorum aræ fidem habere cœperunt.* Iosephus lib. 2. contra Appionem, modestiam Romanorum hoc argumento ducit, *quoniam subiectos non cogunt patria iura transcendere: sed suscipiunt honores, sicut dare offerentes, pium & legitimum est.* Sed cesso, virtutes Romanorum, & testes harum virtutum adducere: nam ad illas opus est integro Romano scriptore, nó commentatore ex vno in aliud leuiter transcurrente. Quoniam verò Poëta non tam alias virtutes, quàm [illegible] militarem vult signare, audiendus est Plutarchus de Fortuna Romanorum ita scribens: *victorias non interfectorum & spoliorum multitudine numerant, sed captis regnis, subactis gentibus, insulísque & continentibus ad magnitudinem imperij accedentibus.* Alio loco eiusdé operis, sese viri fortes ita ostentant: *Fabricij sumus, Camilli, Lucij, Cincinnati, Maximi, Fabij, Claudij, Marcelli, & Scipiones.* Mox aliorum chorum inducit. Bene ergo Poëta à tot & tantis viris, *felix prole virûm.* vis scire an fortissimi Romani: *Vna pugna* (ait idem) *Philippus Macedoniam amisit. Vna accepta plaga Antiochus Asia excessit. Semel victi Carthaginienses Libyam perdiderunt. Vnus vir* (Pompeium intelligit) *vnius expeditionis impetu in potestatem Populi Rom. redegit Armeniam, Pontum, Syriam, Arabiam, Albanos, Iberos, & quæ vsque ad Caucasum sunt, atque Hyrcanos, térque eum orbi terrarum circumfusus Oceanus victorem vidit.* Plura alia Plutarchus de argumento hoc fecit.

Romanorũ militaris virtus.

12. QVALIS BERECYNTHIA MATER] De Berecynthia dicam in 9. Nec enim volo vrbis elogia abrumpere, dicámque de Romæ diuinitate, quæ exstet vestigia: nam certè Poëta comparans illam cum Dea, satis clarè innuit eius apotheosin, & consecrationé. Inprimis Claudianus paneg. Olib. illam in cælo constituit;

Romæ apotheosis.

Ipsa triumphatis, quæ possidet æthera, regnis.

Ibidem Romæ dat, *Numen*, vt & Lucanus lib. 1.

—summiq; ô numinis instar
Roma faue cœptis.

Redeo ad Claudianũ, qui illam vocat *Diuam*, & lib. 1. in Eutropium de Roma: *Diua potens.* Sed non iam *Diua*, imò & *Dea*, quod propiùs ad diuinitatem accedit. Martial. clarè lib. 12.

Terrarum Dea, gentiumq; Roma.

Roma Dea.

Et in nummis antiquis, ῥώμη θεά. Diuinitati annexum nomen sacrum, atqui Ammianus lib. 27. *vrbs sacratissima.* Hinc est, vt templum in vrbe habuerit, cuius templi fit mentio ab Spartiano in vita Hadriani: ita enim ait: *in quo nunc templum vrbis est ingenti molimine.* & lib. 4. Sibyllinorum carminum,

Romæ Deæ templum.

Πολλοὶ δ' ἀμφ' ἱερὸν Ῥώμης πέδον αἱμάξουσι:
Multi solum cruentabunt circa templum Romæ.

Prudentius Clarius lib. 1. contra Symmachum de hac Romæ consecratione ita loquitur:

Iamq; domo egrediens, vt publica festa, diésque,
Et ludos stupuit, celsa & Capitolia vidit,
Laurigerósque Deûm templis adstare ministros,
Ac sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ, colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, noménque loci ceu Numen habetur.

Sed vbi situm hoc templum? Audiatur Claudianus paneg. 2. Stilic.

Conueniunt ad templa Deæ (id est, Romæ) *quæ candida lucent Monte Palatino.* vnde etiam Panegyri Olib. de Roma quoque loquens,

—consors adiuncta Tonanti.

quia videlicet in Palatio fuit quoque Iouis templum. Adiungo ad reliquam notitiam, vnà cum Venere cultam Romam. Prudentius post adductos versus,

Roma culta vnà cum Venere.

Atque Vrbis Venerísque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Xiphilinus etiam in Hadriano meminit, τό τε τῆς Ἀφροδίτης, τῆς τε Ῥώμης ναὸν: *templi & Veneris & Romæ.* Quem locum interpres fœdat. Addo demum huic doctrinę, in gratiam, potiùs adulationem, Augusti, factum, vt templum vnà Romæ & ipsi sacraretur. Lucem præbet duplex inscriptio, vna Polæ in Illyrico cũ hoc titulo, ROMÆ, ET AVG. CÆSAR. DIVI F. Altera Lugduni in Gallia, cum hoc: SERVILIO MARCIANO ARVERNO C. SERVILII DOMIT. FILIO SACERDOTI, AD TEMPLVM ROMÆ, ET AVGVSTORVM TRES PROVINCIÆ GALLIÆ, &c. In nemine fortasse Lector inuenies hanc Romæ apotheosin, vt in me, illustratã. Porrò de statua Romæ posita ab Herode in vrbe Cæsarea, auctor est Iosephus lib. 15. Antiq. c. 13.

Et Augusto.

13. INVEHITVR CVRRV, &c.] Omitto hîc quoque Cybelem, quæ curru ferebatur, & loquor de Roma, ad cuius respectum ista dicuntur de Cybele, & ego vrbis huius elogia persequi destinaui ad filum Maronianum. Ergo Claudianus paneg. Olibr. Romæ currum bellissimè describit, ministros eius, equos qui illam vehunt, ornatum eius vectæ. Adiungam versus, etiam si multi sint, nam nullus illustrior locus ad Romæ currus. Itaque ille:

Romæ currus describitur.

—famuli currum iunxêre volantem,
Impetus, horribilisq; Metus, qui semper agentes
Prælia cum fremitu Romam comitantur anhelo,
Siue petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.
Hic ligat axe rotas, hic sub iuga ferrea mittit
Cornipedes, rigidísque docet seruire lupatis.
Ipsa triumphatis quæ possidet æthera regnis
Assilit: innuptæ ritus imitata Mineruæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto,
Dextrum nuda latus, niueos exerta lacertos,

Audacem retegit mammam, laxúmque coercens
Mordet gemma sinum, nodus qui subleuat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherq́ue seuero
Armatur terrore pudor, galeæq́ue minaci
Flaua cruentarum prætenditur vmbra iubarum:
Et formidato Clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mauortis amor, fœtusq́ue notantur
Romulei: post amnis inest, & bellua nutrix:
Electro Tiberis, pueri formantur in auro,
Fingunt æra lupam, Mauors adamante coruscat.

Quis non altã hanc Musam admiretur? Nullus poëtarum conferendus (Virgilium excipio) ad imitationem cum Claudiano: nescio enim quos aut lectus, aut auditus sublimes ingenerat spiritus; quod non A Statio, non Silio, non Lucano, non aliis contingit. Sed esto hîc finis elogiorum Romæ.

14. PHRYGIAS] Huius Deæ initia fuêre in Phrygia, quò lapsam è cælo scribunt. De quo alibi.

15. TVRRITA] Propertius Cybelem lib.3.eleg. 16. vocat *Turrigeram*. Ouidius in Fastis, *Turriferam*. Sic dicta est, ait Arnobius lib. 5. contra gent. quia cùm Midæ ciuitas clausa esset, capite muros subleuauit, & ita ingressa est. vel, quia, vt ait Ouidius in Fast. Cybele turrita.

—primis turres vrbibus illa dedit.

A quo non abludit illud Lucret. lib. 2. de hac Dea,

Muraliq́ue caput summum cinxêre corona,
Eximijs munita locis quòd sustinet vrbes.

16. OMNES SVPERA ALTA TENENTES] Homerus sæpe de Diis, ὑπέρτατα δώματ' ἔχοντες.

[a] Huc geminas, huc flecte acies, hanc aspice gentem,
Romanósque tuos. hic Cæsar, & omnis Iüli
Progenies, magnum cæli ventura sub axem.
[b] Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis
Augustus Cæsar, Diuûm genus: aurea condet
Secula, qui rursus Latio, regnata per arua
Saturno quondam: super & Garamantas, & Indos
Proferet imperium. [c] iacet extra sidera tellus
Extra anni, Solísque vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
[d] Huius in aduentum iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent Diuûm, & Mæotica tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.
[e] Nec verò Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit æripedem ceruam licèt, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu:
[f] Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
[g] ET DVBITAMVS adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

ARGVMENTVM.

Peruenit ad Augustum, qui totius narrationis scopus, quem mirè laudat comparans cum Hercule, & Baccho.

EXPLICATIO.

[a] EXcellenti iudicio post Romulum infert Augustum, quasi alterum conditorem vrbis. Legendum autem, *Huc geminas, huc.* Non: *Huc geminas nunc.* Est enim affectus maior. Cùm ait, *Romanosq́ue tuos,* blanditur Æneæ. τὸ *Cæsar,* signat Iulium Cæsarem. Ita multi. Sed ego Augustum capio, nam de Iulio mentio alibi in hoc libro, nec debuit Poëta recurrere. *Iüli,* id est, Ascanij. in illis *magnum cæli ventura sub axem,* an innuitur Cæsarum apotheosis? an simpliciter capiendum, pro, viuent tandem, emergéntque in lucem?

[b] Iam hîc digito Augustum signat. Dicit autem, *Hic vir, hic est,* vt suprà, *Huc geminas, huc.* Vocat autem Augustum *Diuûm genus*, non solùm propter patrem Iulium, qui Diuus: sed propter ipsum Æneam, aliósque ex progenitoribus Augusti, qui assecuti sunt diuinos honores. atque adeo, propter ipsum Iouem, qui pater Dardani, à quo Troiani. Prædicat verò duo de Augu- B sto, primum, *condet rursus aurea secula in Latio,* ídque, *per arua illa quondam regnata à Saturno.* id est, in aruis à Saturno regnatis. Hæc commoda est explicatio, sed alij aliter explicant. Alterum, quod prædicat, est: *super & Garamantas & Indos Proferet imperium.* Pulcra hæc sunt. Garamantes in Africa sunt, Indi in Asia. Innuitur ergo, imperium Augusti maximum fore, vt qui non contentus Europa, vbi est Latium, Africam etiã omnem, & omnem Asiam additurus esset imperio suo. Et quidem omnem Africam, & omnem Asiam designari, liquet; nam extremos Africæ Garamantas, & extremos Asiæ Indos assumpsit, iuxta opinionem mortalium tum temporis.

[c] Sequitur mira exornatio ad res Augusti, qui prolaturus esset imperium *extra cæli sidera.* Quid intelligat, se ipse statim explicat, addens, *extra anni Solísque vias.* C viæ Solis κέλευθοι ἠελίου sunt à Cancro ad Capricornum. Signat itaque Poëta partem Africæ, vbi est mons Atlas, quæ pars terrarum est extra signiferum, & ideo esse extra Solis vias dicitur, ac perinde extra sidera, nimirum Zodiaci. Aliter poëta nequit intelligi: nulla enim tellus extra sidera vniuersa est. Illud:

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum,

satis explicui. 4. Æn.

d Probat magnitudinem Imperij Augusti, ex responsis Deorum, anticipans poëticè tempus præsagiorum, ideo *iam nunc* Ergo, *iam nunc* Asia, Europa, Africa, *horrent responsis Diuûm*, id est, Incipiunt iam timere admoniti oraculis, cùm intelligant tempus fore, in quo seruitutem ab Augusto patiantur. Asiam signat per *regna Caspia*, Europam per *tellurem Mæoticam*, Africam per *Nilum*. Vides, vt sibi Poëta mirè consonet. Sicut enim suprà meminit Europæ in Latio; Africæ in Garamantibus; Asiæ in Indis: ita nunc flexu alio ad easdem partes recurrit. sed adhuc quidpiam nota, & disce esse Poëta. Tres enim orbis partes supra à tribus prouinciis duxit perpetuo filo, & nunc ab aquis perpetuo etiam filo. Nam Caspia regna dicta sunt cum relatione ad Caspium mare, Europa ad Mæotidem paludem, Africa ad Nilum. Vulgaris poëta à se degeneraret, & vnam orbis partem per fluuium aliquem signaret, alteram per montem nulla constantia. In his minimis apparet qualis esse debeat poëta. His non solùm Poëtam explicui, sed amputaui plures difficultates obiectas à nonnullis contra vatem de his locis, turbidè (vt videbantur) & nullo ordine illatis à Virgilio. Vocat porro Nilum *septem geminum* à septem ostiis. *Turbant* est, turbant se, explicatore Budæo.

e Comparat Augustum, eiúsque gesta cum gestis Herculis, & Bacchi: nec solùm comparat, sed victoriam dat, cùm plures orbis partes Romano imperio subiugauerit, quàm illi peragrauerint. Quid hîc attingat, dicam in Notis.

f Per *pampineas habenas* intelligit thyrsum Bacchi. de quo in Eclogis. Quid sit *Nysæ de vertice* subobscurum est. Possis capere montem, vnde egressus sit Bacchus: nam Nysa mons est Baccho sacer: vel etiam templum Nysæ vrbis, nam Nysa quoque vrbs fuit eidem Deo sacra. Templa autem olim in vrbium verticibus ædificari solita alibi dicimus.

g Exhortatio stimulorum plena ad acuendam Æneæ virtutem. Sententia est. Dubitamúsne Troiani (se enim admiscet, vt liberiùs agat) cùm sciamus Augustum à nobis originem ducturum, virtutem & gloriam factis extendere? aut aliquis metus erit, qui nos prohibeat pedem in Italia ponere, etiamsi gerendum sit bellum cum fortissimis viris? omnia ducenda sunt nihili, spe tanti nepotis.

NOTÆ.

Augustus Iulij filius dictus.

1. DIVVM GENVS] Sunt qui hîc scribant, *Diui genus*, cum relatione tantùm ad Iulium Cæsarem. Nam in nummis Augusti olim ita cusum: *Augustus Diui F.* Nam Romæ ad pontem Æliam marmor ita inscriptum: IMP. CÆSAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIT. POTEST. XVII. Nam (teste Piero) in antiquissimis codicibus Romanę bibliothecę habetur, AVGVSTVS CÆSAR DIVI GENVS. Hîc ἐκ παρέργου scias, hemistichium Pauli, quo vtitur Actor. 17. *ipsius enim & genus sumus*: Arati esse: τοῦ γὰρ Διὸς καὶ γένος ἐσμέν. Vide, quæ doctè Rittersh. congessit ad Oppian. 5. Hal. ad illud, ἀντωπὸν μακάρεσσι γένος. Longum porro sit persequi Augusti elogia, de quibus hîc Poëta. Ab Philone de Legatione dicitur, αὐτοκρατόρων ἄριστος: *optimus principum*. Sed non hoc Philo ipse, sed Herodes apud illum: ille (inquam) Herodes, qui regnauit sub Caio.

Augusti elogia.

2. REGNATA] Huius locutionis exempla alibi adiungo.

3. SVPER ET, &c.] Non dubium, quin Silius cum

A respectu ad locum istum Virgilij Ciceronem laudauerit, lib. 8.

Ille super Gangem, super exauditus & Indos,
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquij cuiquam sperare nepotum.

4. GARAMANTAS] Sunt qui in his, & aliis populis, quos Poëta inducit, allusum putent ad peculiares victorias. Has tibi exhibet Ioan. Meyenus. Omitto. De Garamantum gente Herodotus lib. 4. πάντα ἄνθρωπον φεύγουσι, καὶ παντὸς ὁμιλίην: *Fugiunt aspectum commerciúmque hominum*. Sed de his iam in Eclogis. Garamãtes.

Est verò poëtico excursui simillimus locus Plutarchi, apud quem Alexander. 2. de huius fortuna, ait: ἐμὲ γὰρ ὁ Καύκασος δείξει, καὶ τὰ Ἠμωδὰ, καὶ Τάναϊς, καὶ τὸ Κάσπιον

B πέλαγος· αὗται τῶν ἐμῶν ἔργων εἰκόνες: *me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Tanaïs, & Caspium mare. Hæ sunt meorum factorum imagines.* Ergo, Poëta ab isto domitarum terrarum complexu Augusti virtutem indicat. De situ Garamantum ita loquitur Sanctus Cyrillus Alexand. Commen. in Nahum prophetam. Γαράμαντες κατόπιν τῆς Ἄφρων κεῖμενοι γῆς: *Garamantes siti post Afros sunt.*

5. PROFERET IMPERIVM] Phrasin hanc à Virgilio arreptam, Ouidio & Tacito alij iam adnotarunt.

6. EXTRA ANNI SOLISQVE VIAS] Explicatio, quam adhibui, Seruij est. Firmat illam isto Lucani loco:

Æthiopúmque solum, quod non premeretur ab vlla
C *Signiferi regione poli, nisi poplite lapso*
Vltima curuati procederet vngula tauri.

Sed cùm hic locus, vt in quo nulla Atlantis mentio, satis explicationem non firmet, sunt qui variè Poëtam explicent. inter quos sunt, qui putent, imaginariam tantùm fieri Atlantis mentionem, nec de illo esse sermonem, qui nobis notus in Africa, sed sub huius Atlantis nomine imaginarium alium induci Atlantem, & nouum omnino orbem intelligi, in quo esse posset mons similis. Ita vt tellus ista extra sidera, extra anni Solísque vias, sit nouus orbis, qui apparuit patrum nostrorum memoria. Nam veteribus fama quædam, etiam si tenuis, videtur fuisse orbis huius. Possunt isti, quod non faciunt, sententiam suam firmare versibus Senecæ in Medea, in quibus apertum Noui orbis vaticinium.

D est vaticinium noui orbis. Ait ille,

———venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque nouos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule.

Mihi tamen visum, verè Poëtam debere capi de Atlante illo, qui est in Africa, & sententiam Seruij defendi posse versu Lucani, si tantùm addas hæc mea. Virgilius proculdubio, cùm in animo habuerit res Augusti amplificare, Atlantem (mitto hîc duplicem Atlantem, Maiorem, & Minorem à nonnullis discriminari, de quo vide Ortellium) in ea parte Africæ fingit, quæ est extra Capricornum. Media

E sanè Africa intra vtrunque tropicum continetur, extremitates hinc inde vltra Cancrum, & Capricornum excurrunt. Si loqueretur Poëta de ea parte Africæ, quæ excurrit extra Cancrum, nihil diceret, cùm remotior adhuc à signifero sit Italia, & tota Europa. Intelligit igitur de ea parte, quæ est extra Capricornum, modò ibi sit mons Atlas, modò alibi. Nam cùm hic mons fabulosus sit poëtis, fabulosè quoque de illo loquendum est. Itaque rectè potuit Poëta monte isto, qui multis nominibus clarus, signare

gnare

gnare partem extra signiferum, modò extra illum A sit, vt dixi, modò esse fingatur. Præsertim ad signandum locum remotum, cùm Hesiodus in sua Theogonia, dicat sustineri cælum ab Atlante πείρασιν ἐν γαίης: *in terræ finibus*. Mihi nulla ratio visa est commodior expediẽdo nostro Virgilio. Est verò sententiæ Poëtæ similis illa Æschinis contra Ctesiphontem, vbi ait: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου, καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει: *Alexander vltra septemtrionem, & orbem pene terrarum habitabilem excesserat*. & locus Senecæ in Oetæo, vbi ipse Hercules ita loquitur:

Te clare Titan testor, occurri tibi
Quacunque fulges: nec meos lux prosequi
Potuit triumphos, Solis excessi vices,
Infraq; nostras substitit metas dies. B

& Minutius de Roma: *imperium suum vltra solis vias propagauit*. Albinouanus apud Senecam in Suasoriis:

Iam pridem post terga diem, solemq; relictum,
Iam pridem notis extorres finibus orbis
Per non concessas audaces ire tenebras
Hesperij metas, extremaq; littora mundi.

Legendum fortasse in Seneca, *solis excessi vias*, non *vices*.

Atlantis altitudo.

7. CÆLIFER ATLAS] Ferre cælum hic mons dicitur propter altitudinem, dicente Herodoto libro 4. *Atlas exilis, & vndique teres, &, vt fertur, adeo celsus, vt eius cacumen nequeat cerni, quòd à nubibus nunquam relinquatur, neque hyeme, neque æstate. Columnam cæli illum esse indigenæ aiunt.* Sunt qui fabulam referant ad Atlantem astrologum. Sed de hac re adeundi Mythologici. Fabulæ huius meminit Aristot. lib. 2. de cælo cap. 1. cùm ait, aliquos dixisse, cælum Ἄτλαντός τινος προσδεῖσθαι, *indigere Atlante quodam*.

8. TORQVET] Id est, versat. Nam Ennius apud Macrob. 6. Sat.

Qui cælum versat stellis ardentibus aptum.

& credendus est Poëta dixisse idem, quod Ennius. Reliqua huius versus explicata in 4. inde huc transferenda.

Augusti nascituri oraculum.

9. HVIVS IN ADVENTVM, &c.] Multis oraculis prædicta olim est Augusti felicitas. Adi cap. 94. Suetonij in Augusto, vbi multa reperies. è quibus ad mentem Poëtæ hoc potissimum: *Auctor est Iulius Marathus, ante paucos, quàm nasceretur, menses, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur, Regem populo Romano naturam parturire. Senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur.* Plurima alia per orbem terrarum fuerunt præsagia. Virgilius rem poëticè exornans, illa attribuit Caspiis, Mæoticis, Ægyptiis; signans, vt explicui, Asiam, Europam, Africam. De Caspiis, de Mæotide, nihil dico. Obuia vbicunque est notitia. D

Nili ora septem.

10. SEPTEMGEMINI] Ita vulgatum de Nilo. Dicam locutiones poëticas. A Virgilio hîc, Catullo, Statio 3. Sylu. dicitur *septemgeminus*. Ab Ouidio 1. & 5. Metam. *septemfluus, septemplex*. Ab Silio lib. 1. Claudiano 1. in Ruff. Lucano 8. *septeno gurgite*. Ouidius 5. Met. Virgilius hîc, & turba Geographorum *ostia* nominat. Mela lib. 1. & Manilius 3. *ora*. Atque etiam Dionysius Afer, nam, E

Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἱλιγμένος εἰς ἅλα πίπτει.

Valerius lib. 8.

——septem proiectus in amnes.

Claudianus de nupt. Hon. & Mar. *septem cornua*. Manilius lib. 3. *per septem fauces*. Ouidius in epist.

Per septem Nilus portus effusus in æquor.

Bellissimè, & satis nouè Papin. 8. Theb. *hyemes* nominat cùm ait:

——septemq; patentibus aruis
In mare fert hyemes.

Demum sunt, qui abstineant à voce *septem*, & rem explicent per magnum numerum. Sic Claudianus in epig. *numerosis ripis*. & Oppianus 2. Cyn. πολυσχιδής. & Herodotus πολύστομος. Disce esse poëta à tot magistris. Sed quæ demum hæc septem ostia? Mela his nominibus effert, Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Mendesium, Pathmiticum, Tanicum, Pelusiacum. Eadem fermè alij. Lege Herodotum lib. 2. & Geographos.

11. TVRBANT] Magno poëtarum consensu, Virgilij hîc, Terentij in Phormione, Plauti in Bacchidibus, Lucretij lib. 2. 5. 6. hoc verbum absolutè ponitur nullo casu. Quin ab scriptoribus, nam Tacitus lib. 3. *Neque decorum principibus, si vna alterave ciuitas turbet*. & Cælius ad Marcum Tullium: *Marcus Seruilius postquam, vt cœperat, in rebus omnibus turbarat.* Ductum hoc à Græcis, qui suum ταράττω absolutè. ita Plutarchus de tuenda sanit. loquens de natura. ἐξίστησι, καὶ ταράττει διὰ τὴν ἀνωμαλίαν. Turbo absolutè ponitur.

12. TREPIDI OSTIA NILI] Est qui putet legendum, *tumidi*, non *trepidi*. tum propter incrementum Nili, cum quo quadrat tumor: tum etiam, quia Horatius eo epitheto Nilum ornat, lib. 3. Od. 3.

Qua tumidus rigat arua Nilus.

Sed nihil tamen muto, nam cum turbatione egregiè trepidatio.

13. TANTVM TELLVRIS OBIVIT] Ideo à Græcis Hercules πολύπλαγκτος. & ab Horatio lib. 3. Od. 3. C *vagus*.

14. FIXERIT] Nihil certum in fabulis, vt sæpe monui. Itaque, sunt qui asserant hanc ceruam ab Hercule neque occisam, neque sagittis vulneratam, quòd ea esset Dianæ sacra; tantùm cursu comprehensam ab Hercule; alij, non cursu, sed retibus: alij, nec cursu, nec retibus, sed dormientem ab illo captam. Poëta ab omnibus recedit, & necem, saltem vulnera, indicat verbo isto *fixerit*. Tu vide Natalem lib. 7. & Lilium in vita Herculis.

15. ÆRIPEDEM] Sic vocat, vel respiciens ad Græcorum fabulas, qui hanc ceruam χαλκοπόδην, id est, *æreis pedibus*, vocant. Quia talem reuera Poëtæ illam fingebant. Non placet hoc Scaligero in Ausonium, imò ait, perpetuum hoc esse ceruorum epithetum: nam Ausonius absque vllo perfugio fabulæ dixit, Cerua æripes.

Vincunt æripedes ter terno Nestore cerui.

Additque, his omnibus dari hoc epithetum, quibus celeritas attribuitur, vnde & Hesychius χαλκόποδας rectè interpretatur ἰσχυρόποδας. Grammatici nequaquam placent, qui ab aëre deducunt, & velocem significari aiunt, quasi habentem pedes aëris, vtique ἀελλοπόδην. cùm constet à Græcis illam vocari χαλκοπόδην. quæ vox æri respondet, non aëri. Itaque tantùm firmitas innuitur, esse omnino στερεάν. Sic Homerus (ait Germ.) equos vocat χαλκόποδας, vt & Apollonius tauros Colchicos: quibus & Pindarus dedit ὁπλὰς χαλκείας, *æreas vngulas*. Sic Aristophanes in Equitib. equos χαλκοκρότους, *sonantes ære*. Sic Sophocles in Elect. Erinnyn χαλκόποδα. Quibus apparet non intelligi à Poëta ταχεῖαν ἔλαφον, sed χαλκοπόδην. In quam explicationem inclinant docti omnes, intérque hos etiam Vrsinus, & Brodæus lib. 2. Miscell. cap. 29.

16. ERYMANTHI] Aprum montis Erymanthi in Arcadia viuum cepit, attulitque ad Eurystheum. Inde hic aper dictus Erymantheus, Mænalus, Arcadius. Huius dentes apud Cumanos populos in Apollinis templo diu suspensos fuisse, Græci prodiderunt. Lege Lilium in vita Herculis. Erymanthi aper.

17. LER

17. LERNAM] Hanc fabulam, vt vbique obuiam, prætermitto.

18. VICTOR] De victoria Indorum Bacchica satis multa Nonnus in Dionys. Attigit Ouid. 4. Met.

—oriens tibi victus, adusque
Decolor extremo qua cingitur India Gange.

19. LIBER] Cur Bacchus dicatur liber, vide Lilium; quid illi addam, nihil nunc occurrit. Lege Plutarchum lib. 1. & 3. Symp. Ad amplificandum Alexandri imperium similiter ad Bacchum decurrit Sen. in 1. Suas. *Vltra Liberi patris trophæa constitimus*, &c.

20. NYSÆ] Scimus Nysam fuisse Arabiæ vrbem, vbi traditus à Ioue Nysæis nymphis educandus Bacchus, vnde fortasse dictus *Dionysius*, quasi à Ioue, & Nysa, Διὸς, καὶ Νύσης. Scimus, Nysam fuisse montem in Græcia: & vrbem aliam supra Ægyptum in Æthiopia, quò, auctore Herodoto, lib. 2. portatus Bacchus, vt primùm editus est. Scimus ab Stephano colligi decem vrbes huius nominis. Hæc etiam si vera sint, rectè tamen docti admonent, in his Delrius in Senecam, & quidem consentiunt cum Curtio, Philostrato, Mela, per Nysam sine addito aliquo, intelligendam vrbem Indiæ, præsertim in sermone Bacchi. Poro de etymologia Dionysij (quæ doctrina confinis cognitioni Nysæ) vide multa apud Lilium, & Macrobium. Sed non omittenda, quam adducunt aliqui, præter illas Lilij, & Macrobij, sic dictum quasi Διόνυσος, à Νύσῃ vrbe, & δεῦνος, quæ vox Indorum lingua Regem significat. Ita vt Dionysius sit Rex Nysæ.

Nysa Indiæ vrbs.

Dionysij etymologia.

21. TIGRES] De Bacchi tigribus, lyncibus, pantheris, tum alibi à me dictum, tum in promptu sunt loca Ouidij 1. Art. & in epist. Nemesiani 3. ecl. Martialis lib. 8. epigram. 26. Senecæ in Medea. Sidonij in Burgo. Extremi solùm versus adduco:

Forte sagittiferas Euan populatus Erythras,
Vite capistratas cogebat ad esseda tigres.

Tigres Bacchi.

Itaque his missis, hîc tantùm adnoto, scribi à Plutarcho in præceptis Coniug. tigres sonitu tympanorum ἐκμαίνεσθαι παντάπασι, καὶ διασπᾷν ἑαυτάς: *furere, ac se ipsas dilacerare.* non aliter atque elephanti furunt colore splendido, tauri puniceo. Idem repetit lib. de superstitione. Ista ergo fortasse causa, cur dati Baccho furoris Deo, in cuius semper comitatu erant tympana: vt videlicet furor Bacchi feræ huius furoribus iuuaretur.

[a] Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? [b] nosco crines, incanaq; menta
Regis Romani, primus, qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum. [c] cui deinde subibit
Otia qui rumpet patriæ, residésque mouebit
Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina. [d] quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimiùm gaudens popularibus auris.

ARGVMENTVM.

Ab Augusto transit ad Numam, Tullum, Ancum.

EXPLICATIO.

[a] Redit ab Augusto ad seriem Regum Romanorum, vtique ad Numam, qui post Romulum. Fingit Anchises, se illum non nosse, quia videlicet Numa nō Romanus, sed Sabinus. Ideo autem *ramis insignis oliuæ*, quia sub Numa summa pax floruit. Ideo *sacra ferens*, quia hic rex totus fuit in constituenda religione.

[b] Sed noscit tandem illum à crinibus, & mento, quæ albida. Cùm ait, *primus qui legibus vrbem Fundabit*, attingit (notat hoc Seruius) Numæ etymon, qui dictus ἀπὸ τῶν νόμων, *à legibus*. Est hic egressus à *Curibus* ciuitate Sabinorum, & quidem à *paupere* illa *terra missus* est in regnum Romanum, quod ad αὔξησιν *imperium magnum* vocat.

[c] Numæ *subibit* (succedet) *Tullus*, qui Romanos longa Numæ pace armorum oblitos, ac pene desides, iterùm in arma concitabit, mouebitque *agmina desueta iam triumphis* partis à Romulo.

[d] Regnat post Tullum Ancus Martius Numæ ex filia nepos, Tullo quidem tum propter hanc generis nobilitatem *iactantior*, tum quia adeptus est regnum populari fauore, & aura, qua *iam nunc gaudet*. Vides enim illum elatum supra cæteros.

NOTÆ.

1. QVIS PROCVL, &c.] Non abludit hic locus ab Euripidis loco in Phœniss. imo fortasse inde expressus:

Τίς οὗτος ὁ λευκολόφας
Πρόπαρ ὃς ἄγει στρατοῦ:
Quis hic est, qui albam cristam in casside habet,
Qui anteit exercitum?

2. OLIVÆ] De hac nota pacis loquor alibi:

3. INCANAQVE MENTA] Numam à prima ætate canum fuisse, interpretes hîc & alij asserunt. vide, si placet, quæ de hoc hominum genere scripsit Delrius lib. 2. Prolog. c. 1. & Cælius lib. 24 cap. 5. Crinitus lib. 4. cap. 15. Sed me nescio quod blandimentum inuitat, vt ad senectutem canicies ista referatur, & ad obsitam Numæ sapientiam, qua imperium firmauit. Nam illud de vera canicie in prima ætate quî firmetur de Numa, non video. Regis huius elogium, vt Romanos omittam scriptores, hoc exstat apud Dionem Chrysost. orat. 25. *Numa Romam accipiens paruam, & ignobilem, insuper & in aliena regione constitutam, ciuésque habentem mistos & prauos, & vicinis omnibus hostes & pauperes, & agrestes, & periculosè viuentes propter Romuli sæuitiam, ipse eos terram firmiter retinere fecit, & amicos esse vicinis, legésque, Deos, & Remp. constituit, & omnis auctor fuit eius, quæ postea consecuta est, felicitatis.*

Numæ elogium.

4. OTIA QVI RVMPET, &c] Ingenium hoc Tulli allucet ex verbis istis Liuij: *Hic non solùm proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viresque,*

Tullus Rex.

resque, tum auita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur ciuitatem otio ratus, vndique materiam excitandi belli quærebat. De eodem Eutropius lib. 1. *Hic bella reparauit, Albanos vicit.* Ab hoc ingenio dictus renouasse bellum, & rupisse otium Romæ, quod longa Numæ pace inueterauerat. otio enim feroces etiam emolliuntur. Tacitus 2. Hist. *Longa pax ad omne seruitium fregerat.* Regis huius elogium hoc est in Plutarcho περὶ τύχης. vnde illius ingenium maximè intelligitur: *Seruius Tullus omnium Regum maximè, & potentiam auxit populi, & Remp. ornauit, ordinémque census, ordinem militiæ instituit, primúsque censor, & inspector vitæ ac modestiæ ciuium fuit, creditúsque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus.*

5. RESIDES VIROS] Ociosos, pigros. Liuius lib. 3. *sedemus desides domi mulierum ritu.* Sed huius rei exempla in Georg. contuli ex Demosthene.

Ancus Rex. 6. IACTANTIOR ANCVS] Ingenium Anci quale fuerit, satis indicat Liuius. Nam de illo: *auitæ gloriæ memor.* & : *medium erat in Anco ingenium, & Numæ & Romuli memor.* & : *Cuilibet superiorum regum belli pacisq; & artibus & gloria par.* Plutarchus ait περὶ τύχης, conditum fortunæ templum ab hoc rege arrogante sibi Romanas victorias. Quæ res satis etiam declarat illius iactantiam.

7. AVRIS] Pulchrè Seruius: *auris, fauoribus: inde & aurarij dicuntur fauitores.* & Ancus quidem populi & patrum fauore regnum habuit, quod expressè Liuius. Porro *popularis aura* pro fauore plebis, parœmiam sapit. ita enim dictum Liuio lib. 24. *Perseus leui aura spei obiecta.* Horatio Od. 2. lib. 3. Aurarij pro fauitoribus.

Arbitrio popularis auræ.

Tullio, *ventus popularis, venti concionum.* Hieronymo ad Nepotianum, *ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis*: Cypriano epist. 2. *caducis atque inanibus votis popularis aura quæsita est.* Parco exemplis, nam congesta ab aliis. Græci dicunt istos δημαγωγοὺς. Adagium.

[a] Vis & Tarquinios Reges, animamq; superbam
Vltoris Bruti, fascésque videre receptos?
Consulis imperium hic primus, sæuasq; secures
Accipiet: gnatosq; pater noua bella mouentes
AD POENAM pulchra pro libertate vocabit
Infelix: vtcunque ferent ea fata minores,
VINCET AMOR patriæ, laudúmque immensa cupido.
[b] Quin Decios, Drusosq; procul, sæuumq; securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

ARGVMENTVM.

Post hos, ad Tarquinios, & Brutum primum consulem, & ad duces alios.

EXPLICATIO.

[a] POst Ancum regnat Priscus Tarquinius, post hunc Seruius Tullius (alij, Tullus) ac demum Tarquinius Superbus. Poëta, omisso Tullo, Tarquiniorum tantùm meminit, vt qui rem poëticè tractet, non historicè. Et fortasse hîc Tullum prætermittit, quia eius casum, & Tulliæ filiæ facinus in 8. attingit, in fabrica scuti Æneæ. Pergit ad Brutum, qui primus iniit consulatum. Vocat illum *vltorem*, quia vltus Lucretiam; eius *animam superbam*, id est, gloriosam, ac præstantem. Quia verò *hic primus accipiet imperium consulis* exactis regibus, ideo duplex Consulum adducit insigne, *fasces*, & *secures.* illos vocat *receptos*, quia accepti à regibus, & translati ad Consules: illas *sæuas*, propter filiorum necem, quam statim attingit, cùm ait, *gnatósque pater*, &c. Coniurarunt nobiles adolescentes de regibus iterum admittendis; intérque illos liberi ipsius Bruti Consulis, de quibus pater pœnas publicas sumpsit. Cur verò *infelix*? quia in eam calamitatem pater venit, vt filios necare cogeretur. Et est veluti epiphonema commouens miserationem. Sequitur, *vtcunque ferent*, &c. Sententia est: vtcunque posteri iudicent de hoc facto Bruti, vincet tamen semper ratio duplex, videlicet amor patriæ, & laudis comparandæ auiditas. Perinde ac si dicat: vtcunque iudicent: semper tamen in defensionem Bruti inclinabunt posteri, illiúsque factum defendent duplici illa ratione. Itaque non crudelis habebitur, sed amator patriæ, & gloriæ solius auidus.

[b] Longum sermonem in Bruto consumpsit, vt qui caput Consulum, & duobus versibus haurit Decios, Drusos, Torquatum, Camillum. Dicam hîc de illis. Decij se pro salute patriæ deuouerunt, pater bello Latino, (sic appellant Orosius libro 3. cap. 9. & Liuius. Plutarchus in Parall. mauult vocare bellum Albanum) filius Gallico: vterque dictus est Publius. Patris facinus narrat Liuius lib. 8. filij lib. 10. & Plutarchus in Parall. comparans vtrunque cum Codro. Vterque armatus in medios hostes concitato equo insiluit, vbi interfectus est, & parta Romanis exercitibus victoria. Peculiares in vtroque facinore successus Liuius narrat dictis locis. Dixi, filium bello Gallico, eo nimirum bello, quod ex Samnitibus simul & Gallis conflatum est: sed ita acies est disposita, vt Decius Gallis, Samnitibus Fabius essent oppositi. Pergo ad Drusos. Intelligit Poëta consensione interpretum duos Drusos, & illum, qui Asdrubalem vicit; & alterum Augusti priuignum, qui Germanos bello domuit. Sequitur Torquatus, quem *sæuum securi* appellat, quòd filium suum T. Manlium cædi securi iusserit *atroci imperio*, ait Liuius libro 8. quòd extra imperium paternum prouocatus, singulari certamine pugnauerit. Nec profuit misero vicisse, & spoliis patris ouantem rediisse ad patrem. Restat Camillus. Galli duce Brenno in Italiam irrumpunt, Romanos vincunt ad fluuium Alliam, inde Romam infesti petunt, & Romani in hostium potestatem (excepto Capitolio) perueniunt. Sed Romani se pretio redimunt. Furius Camillus, qui absens Dicta-

tor creatus fuerat, forte interuenit, priusquam A merces persolueretur, nondum auro per altercationem appenso: iubet aurum auferri, summoueri Gallos, renituntur hi, negat ille ratam pactionem, iniussu suo factam. Eò demum res deuenit, vt cum illis acie confligat, fundátque, ac recuperet omnia, quæ prius Galli abstulerant, cum triumpho etiam reuertatur, referátque secum omnia decora, signa, monumenta, quæ fuerant in potestate hostium. Et hoc est, *referentem signa Camillum.* & quod Eutropius dixit lib. 1. *militaria signa reuocaret.*

NOTÆ.

1. **VIS ET TARQVINIOS**, &c.] Ex B hoc Virgiliano colorem traxit Silius libro 13.

Si studium, & sæuam cognoscere Amilcaris vmbram,
Illa est, cerne procul, cui frons nec morte remissa,
Irarum seruat rabiem.

Brutus. 2. ANIMAMQVE SVPERBAM] Ingenium Iunij Bruti, de quo hîc sermo, allucet satis ex verbis Plutarchi in vita Marci Bruti. vbi de Iunio, σκληρὸν ἐκ φύσεως, καὶ οὐ μαλακὸν ἔχων ὑπὸ λόγου τὸ ἦθος: *habuit duros mores, quos nulla litterarum cultura emolliuit.* Non dissimilia de illo reliqui scriptores. Quid si Poëta Tarquinio ademit, vt Bruto daret? Quasi dicat: veriùs hoc nomen conuenit vastatori Tarquiniorum Bruto, quã ipsismet.

3. FASCES] Sunt hi bacilli aliquot teretes loro colligati in modum fascis, vnde & nomen habuerunt. De his doctè Lipsius lib. 1. Elect. cap. 23. sed peccat in vno tantùm, quod ego hic aperiam, studio indagandæ veritatis, non pugnandi. Dat Lipsius duplex insigne lictoribus, fasces, & virgas: fasces cædendis maleficis; virgas submouendæ turbæ, & pulsandis ianuis, quoties alienam domum intraturus esset magistratus. Itaque discriminat duo hæc insignia. Sed videndum, an confundi debeant, ita vt idem insigne iam fasces vocetur, iam virgæ. Hanc rem efficio argumentis sequentibus. Primo, impeditus admodum lictor esset, si vna manu fasces, altera virgas gestaret. Cùm præsertim Plutarchus, discriminet situm fascium à situ securium, cùm ait ἐν Ῥωμ. fasces geri colligatos, secures appensas. Quid ergo faceret Lictor cum fascibus manu vna, cum virga in altera, cum appensis securibus? Deinde videntur multæ tenebræ offundi auctoribus, Lipsiana sententia. Statius in nuptiis Stellæ:

Fasces an confundi cũ virga debeant.

—dum feruent agmine postes,
Atriáque, & multa pulsantur limina virga.

Quis non dicat, *multam virgam* fasces esse? imo nihil aliud fasces, quàm multæ virgæ. Nam solutio de multis magistratibus, effugium erit: non enim multi magistratus Romæ, cum eo insigni. In easdem tenebras incurrent auctores, qui fasces sæpe indigetant virgarum nomine. Plinius lib. 16. cap. 18. de betula arbore, vnde virgæ ad fasces sumebantur, ita ait: *Gallica hæc arbor mirabili candore, atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis.* apertè fasces signat. Et id liquidum ex Silio, qui ait:

Mæoniaq; decus quondam Betulonia gentis;
Bis senos prima illa dedit præcedere fasces.

Vides, vt quas Plinius *virgas* nominat, loquens de arbore Betula, Silius dicat *fasces*, loquens de Betulonia, vbi arbor illa. Cicero etiam pro C. Rabir. *Porcia lex* A *virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit.* Sed clarissimè Sen. de Tranq. *Placet honores fascésque, nõ purpura aut aureis virgis adductũ capessere.* Vbi explicans quæ dixerat, purpuram refert ad honorem, virgas ad fasces. Alij tibi occurrẽt. Tertiò, cùm dicat Lipsius, lictorẽ à virga, quam gestabat, dici ῥαβδοῦχον, nõ video, & nemo videat, cur nõ etiã à gestandis fascibus. Nam & apud Plutarchum in Poplicola, & Herodianum lib. 7. demum apud omnes Græcos ῥάβδοι, fasces sunt, & lictores ῥαβδοῦχοι dicuntur, non minùs à fascibus, quàm à virgis. Quartò, facit vehementer typus Lictoris chlamydati, quem tantùm cum fascibus, & absq; virga Lazius exhibet lib. 1. Comment. expressum è marmoribus. & credibile quidem eundem morem seruatum in pace. Quintò, apertè pro me Plinius, qui B in præfatione sui operis ad Vespasianum Imperatorem: *& longiùs etiam summoues ingenij fascibus.* Innuit illum cultum reuerenter, & obiter alludit ad summotionem plebis, quam fascibus attribuit, non virgę. Remoueo duo, quę obstant. Primùm, Auctores sæpe, cùm sermo est de virgis, recurrunt ad singularem numerum, & virgam dicunt; quod si de fascibus intelligas, improprium videtur: diuersa ergo virga à fascibus. Dico recurri posse ad tropum. Inde est, vt poëtæ, frequentiùs virgam; non poëtæ, virgas dicant. &, si aliquando, non poëtæ virgam dicunt, id credo faciunt affectatione poëtica, vt apparet in Liuio lib. 6. qui & *forem*, & *virgam* dixit, pro, fores & virgas, cùm ait: *Lictor Sulpitij, cùm is de foro se domum reciperet, forem, vt mos est, virga percuteret.* Et quidem Appianus, de C quo statim, lictori ῥάβδους dedit, & ξύλα, vtrunque in plurali. Et Lipsius ipse testimonium adducit Plauti, quod de virga accipit, non de fascibus: in quo sanè testimonio *virgæ* in plurali inuenies. Cui subiicio Apulei locum in 1. Milesiaca, *Lixas, & virgas, & habitum prorsus magistratui conuenientem, in te video.* Alterum est, quo Lipsius multùm nititur, Appianum lib. 1. Ciuil. videri distinguere fasces à virgis, nam & ῥάβδους, & ξύλα dicit. Sed explico Appianum. ῥάβδους dixit, id est, fasces, respectu habito ad conuolutionem illam illigationémque virgarum, nam id propriè fasces: ξύλα autem, id est, ligna, cum respectu ad virgas, quæ illigatæ. Si aliud dicit, à vero abit: cuius etiam errorem in his, quæ pertinent ad lictores, in eodem capite idem Lipsius deprehendit. atque adeo non est, cur illi D in hoc adhærescat. Reliqua, quibus sententiam suam Lipsius firmat, si bene examinentur, nihil pugnant contrà ea quæ dixi.

4. GNATOSQVE PATER] De hoc Bruti facto loquuntur Plutarchus, Dionys. 5. Antiq. & Valerius Max. lib. 5. cap. 8. Sed inter omnes elegi verba Liuij lib. 2. quæ mihi admirationem iniiciunt. Ait ille: *Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt: cùm inter omne tempus pater, vultúsque, & os eius spectaculo esset, eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium.* Notanda verba Tullij pro Roscio: *Magna oportet esse vitia atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret, vt amorem illum penitus insitum eijceret ex animo, vt denique se patrem esse obliuisceretur.*

E 5. FACTA] Sic legendum, non fata. in id inclinat docti, & sententia hoc indicat.

6. DECIOS] Elogium Deciorum (omitto nunc Romanos scriptores, & Tullium 1. Diuinat.) hoc extat luculentum apud Cassiodorum lib. 9. cap. 22. *Antiquos in te Decios Roma cognouit. Decios (inquam) priscis seculis honoratam prosapiam, libertatis auxilium, Curiæ decus, Romani nominis singulare præconium. Cui specialiter ad scriptum est, quòd immanissimum hostem statu Reipublicæ periclitante cæsit, & in tanta virorum fortium multitudine*

Deciorum elogium.

Deuotio, quid sit.

dine, solus inuentus est, qui patriam plus amasset. Si quis quærat, quæ sit ista militaris deuotio, quæ olim frequentissima, & qua tantopere laudati Decij, sciat nihil esse aliud, quàm impetum quendam obstinatum ad mortem, quo vir se deuouens, nolebat superstes esse, quod fieri in desperatione solet. In historia Hispanica Marianæ lib. 9. cap. 4. leges: *Garsiæ pædagogus paucitate, imbecillitate, & alienatione suorum perspecta, cùm de victoria desperasset, neque patriæ exitio superesse vellet, deuouit se: & inermis, arreptis tantùm gladio & lancea militari, in aciem hostium irrupit, præliánsque occidit.* Fuit ille Garsias rex Vasconum, qui cum Ferdinando rege Castellæ fraternas inimicitias exercuit.

7. SÆVVMQVE SECVRI] Nescio quid velit Seruius, cùm scribit: *Pater filium, vt dicit Liuius, fustuario supplicio necauit. Ergo sæuum securi, sæuum iure occidendi, non ferri genere, nam securi non animaduertit in filium.* An Liuium legit? Tu lege, & quàm aliena hæc videbis. Securi verè cæsus est à lictore, non fuste.

Torquati historia.

8. TORQVATVM] Vnde Torquati nomen, sciunt omnes. Res abundè est in Liuio, lib. 7. attigit Plutarchus in Parall. & Eutropius lib. 2. Eam quoque Quadrigarius scripsit lib. 1. Annal. Summa est, Gallum quendam prouocatorem, torque atque armillis decorum, victum fuisse à T. Manlio, singulari certamine, ac detracta torque, victori Romano Torquati nomen mansisse. Huius historiæ occasione quidpiam moneo. Ait Quadrigarius de Gallo isto prouocatore, *irridere cœpit, atque linguam exsertare*, in contumeliam videlicet Romanorum, quos prouocabat. Quæ verba Lipsius lib. 1. Elect. cap. 7. corrigit, *atque lingua*

A *exerrare*, referens sententiam ad notam ebriorum, qui exertant pedibus, lingua, oculis, manibus, toto corpore. Sed quid si melior antiqua lectio? Hoc efficit historia ipsa. Gallus prouocabat Romanos, horum nemo audebat illi obuiam ire, & ille linguam exsertabat, irridebátque illos. Quis hic locus ebrietati? potiùs contumeliæ, quæ fieri solet naso, ore, lingua, dentibus, oculis. Adde, Romanos non tantopere perpungendos, si notæ illæ profectæ essent ab ebrio; nec tantam fuisse Torquati gloriam, si ebrium vicisset. Sed esto, contumelia illa profecta esset ab ebrio, vt vult Lipsius; quid lectionem mutat? Certè non minùs est gulonum atque ebriorum exserta lingua, quàm exerrans. Nam Athenæus lib. 1. ait, Theophrastum exsertasse linguam (Græca B sunt, ἐξάραντα τὴν γλῶσσαν) vt imitaretur quendam ὀψοφάγον, *gulonem*.

Lingua exserta de ebriis.

Camillus vnde dictus.

9. CAMILLVM] Tzetzes in Chiliadibus Camilli, aut Cadmilli, nomen refert ad Cadmum, & Græcum κάζειν quod est *ornare*. vnde & κόσμος, & κοσμέω litterarum commutatione. Goropius lib. 1. Hieroglyph. ait, vocis huius originem esse *malum reuelo*. Et sic olim generatim omnes ingenuos pueros vocatos, quòd puerili quadam simplicitate citra ambages, omnia reuelent. Est itaque Camillus, qui mala detegit. Non ineptè quispiam referat hoc etymon ad Camilli facinus, quod in explicatione recensui. Huius viri elogium est hoc in Plutarcho lib. de exsilio. Κάμιλλος Ῥώμης δεύτερος κτίστης, *Camillus Romæ alter conditor*.

[a] Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragémque ciebunt!
[b] Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci
Descendens: gener, aduersis instructus Eois.
[c] Ne pueri, NE TANTA animis assuescite bella:
NEV PATRIÆ validas in viscera vertice vires.
[d] Túque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Proiice tela manu, sanguis meus.

ARGVMENTVM.

Fit præcipua mentio Pompeij, & Cæsaris.

EXPLICATIO.

[a] LOquiiur de Cæsare & Pompeio; quos nefas fuisset præterire in hac narratione. *Paribus armis*, id est, Romanis. Ait horum animas *concordes* esse ante vitam, & *dum nocte premuntur*. Quem in locum Seruius: *bene allusit nam concordiam in humilitate tenuerunt, cum nobilitate verò in bella venerunt.* Sequitur, *Heu quantum inter se bellum*, pulchre, nam nullum deploratius, infestius, calamitosius: illo enim Resp. libertatem amisit, in imperium transijt. Ideo amplificans addit, *quantas acies stragémque ciebunt!*

[b] Habuit Pompeius vxorem Iuliam filiam Iulij Cæsaris. Itaque Iulius socer fuit, Pompeius gener. Descendit contra Italiam Iulius ab Alpibus (quos hîc vocat aggeres, nam Alpibus Italia munitur, tanquam aggeribus) per eam partem, qua Alpes vicini sunt C Monœco portui Liguriæ: Pompeius verò Orientalibus valuit opibus.

[c] Sequitur admonitio Anchisæ, qua conatur retrahere ab armis Iulium & Pompeium. vocat illos *pueros* ex decoro senis Anchisæ, & est præterea vox blanditiarum: monet verò, vt abstineant à ciuili bello, neque conuertant vires patriæ in propria viscera. Est enim nihil aliud ciuile bellum, quàm si vires ipsæ corporis perdant viscera, & vitalia: nam his sublatis, perire quoque vires necesse est.

[d] Affectus Anchisæ elucet præsertim erga Cæsarem, vt in suum, atque ex suo semine posterum, ideo, *sanguis meus*. Addit, *genus qui ducis Olympo*, propter Venerem. Itaque iam tum Iulium, heroëm vocat, vt qui ex mortali Anchisa, ex immortali Venere ducturus esset originem: voluit enim hac re indicare, Iulium il- D lustriorem fore Pompeio.

NOTÆ.

1. PARIBVS] Ita etiam I. G. ad signanda bella ciuilia,

—paribus concurrere telis.
& Lucanus, *pares aquilas.*

2. Fvlgere] Lege Senecam lib. 1. Nat. Quæst. capit. 56.

3. Lvmina vitæ] Sic videtur legendum, non *limina vitæ*, quia cum oppositione ad noctem. Sic etiã 2.G. & 7.Æn. *luminis oras* dixit, vitam intelligens, idq; ad imitationem Lucretij, qui lib. 1. *lumina vitæ* dixit. vt etiam Cicero de Diuinat.

Luce serenati vitai lumina liquit:

quem versum ita legit Gifanius. Hæc etiamsi vera sint, & in loco Virgiliano necessaria, propter oppositionem noctis, quam dixi; tamen non dubium, quin in Lucretio lib. 1. legi debeat,

Ipse Epicurus obit decurso limine vitæ,

nam impropriè decurri lumen diceretur. Quod exẽplum trahi posset ad alia loca.

4. Aggeribvs socer Alpinis, &c.] Ipsa Anchisæ verba omen habent, & veluti oraculum, adeo nihil est, quod Poëta non attingat. Cùm enim dat Iulio Alpinum & Septentrionalẽ militem, Pompeio Orientalem, innuit omnino victoriam fore Iulij. Hoc quoties in historiis deprehensum? Iulius, Alexander, Seuerus, Arctico milite stipati, Pompeium vicerunt, Darium, Nigrum, Eoo milite instructos. Et quidem de Alexandro & Seuero notauit Herodianus lib. 3. his verbis, ὑπὸ τῶν Ἀρκτῴων ἀνδρῶν, καὶ τότε τοὺς Ἀνατολικοὺς νενικηκότων. Excurre in historias, & id sæpe inuenies. Quin Vegetius lib. 1. cap. 2. hac nota distinguit Orientales milites à Septentrionalibus, vt illi vehementer metuant vulnera, isti promptissimi sint ad bella. & adhibet rationem, quia Orientales minùs habent sanguinis, Septentrionales redundant largo sanguine. Hippocrates quoq; in libro de aëre, locis, & aquis, comparans Europæos cum Asiaticis, dat istis ἀθυμίαν καὶ ἀνανδρείαν: *ignauiam, & molliciem.* Atque ἀπολεμώτεροι εἰσὶν τῶν Εὐρωπαίων οἱ Ἀσιηνοί: *Sunt Asiatici minùs bellicosi Europæis.* Ibidem ita absoluit longam disputationem: διότι εὐψυχοτέρους νομίζω τοὺς Εὐρώπην οἰκέοντας εἶ(ναι) ἢ τοὺς τὴν Ἀσίην: *Quamobrem illos, qui Europam incolunt, plus animi quàm Asiaticos, habere censeo.* Inde Lucanus lib. 8.

Quicquid ad Eoos tractus mundiq; teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli.

Sanctus Hieronymus epist. ad Heliodorum Septemtrionales, ab hac ferocitate, luporum nomine afficit, exterminans malum hoc ab Arabibus, qui Orientales. Verba eius sunt: *Ecce tibi anno præterito ex vltimis Caucasi rupibus immissi in nos, non Arabiæ, sed Septemtrionales lupi.*

Septentrionales præstant Orientalibus virtute.

5. Monoeci] In hoc Liguriæ portu fuit etiam Hercules dictus Monœcus Μόνοικος. vel quòd pulsis omnibus ille solus habitaret; vel quòd solus ipse, nemo alius Deorum, ibi coleretur. Sic fermè Seruius, & ab eo alij. Monœci Herculis in Liguria Strabo meminit lib. 4. Plin. lib. 3. c. 5. Tacitus 19. Annal.

Hercules Monœcus.

6. Ne pveri] Hic versus Vrsino expressus videtur ab illo Homerico,

Μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε, μηδὲ μ.
Ne pueri dilecti bellum gerite, ne pugnate.

7. Viscera] Ita etiam Lucanus de bellis ciuilibus,

—populúmque potentem
In sua victrici conuersum viscera ferro.

Pari metaphora bella ciuilia dicuntur *intestina.* Non abeunt verba Sen. patris Controu. 9. *Quæ tanta vos fert ira, cùm vna stirps, idémque sanguis sitis? vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere?* Non dubium, quin intestina hæc clades ortum habuerit ab ambitione Pompeij & Cæsaris. in promptu est Lucanus id asserens. Cui adiunge verba grauissimi scriptoris Marianæ lib. 9. cap. 1. Hist. Hisp. *Pulcherrima opinio, & rebus humanis maximè salutaris, potestatis naturam esse incommunicabilem: ambitionem regnandi impotens malum esse, impium, suspiciosum, inquietum, fallax: nullo neque amicitiæ, neque propinquitatis respectu frænari, quominus omnia permisceat, atque pessumdet.* Huius sententiæ quod clarius exemplum, quàm Pompeij generi, Iulij soceri? Adiungamus Cedrenum, qui ait, à duobus regnum vnũ administrari feliciter non posse, quemadmodum neque vnum arbustum duos alit erithacos, δύο ἐριθάκους μία λόχμη οὐ τρέφει. Habes hinc quid addas Erasmianæ operæ.

Imperium incõmunicabile.

8. Sangvis mevs] Ad hanc rem pertinent verba Aristotelis ex lib. 8. ethic. ad Nicomachum, ὅθεν (inquit) φασὶ ταὐτὸν αἷμα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Loquitur videlicet de amore, quo se fratres diligunt: id est: *quãobrem dicunt, meum eundem sanguinem, meam radicem, & similia.* Inde etiam Horatius de Augusto in carmine sæculari:

Clarus Anchisæ, Venerisq; sanguis.

Iuppiter apud Silium lib. tertio loquens ad Venerẽ:

—tenet, longumq; tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus.

Clarius Thyestes apud Senecam dixit *sanguinis mei*, pro, liberis meis. Et Statius 3. Theb. qui Virgilio hærens:

—vos ô superi meus ordine sanguis,
Ne pugnate odijs.

Virgilius etiam in 7. *tu sanguinis vltimus auctor.* Potest in hunc locum aptari nota illa, quam ego 1. Æn. ad illud,

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat.

Potro non placet, qui ex Rufiniano admonet legendum in Virgilio *sanguis pius*, pro *sanguis meus.* Et quidẽ vulgarem lectionem defendit locus Statij.

Sanguis, de his, quos caros habemus.

[a] Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis.
[b] Eruet ille Argos, Agamemnoniásque Mycenas,
Ipsúmque Æacidem, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.
[c] Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? paruóque potentem
Fabricium, vel te sulco Serrane serentem?
[d] Quò fessum rapitis Fabij? tu maximus ille es
Vnus, Qvi nobis cunctando restituis rem.

ARGVMENTVM.

Hic iam multi confertim nominantur, qui Romanis rebus maximum ornamentum attulêre.

EXPLICATIO.

a Alios duces affert nullo seruato ordine, qui rebus Romanis dignitatem essent allaturi. Duobus primis versibus L. Mummium intelligit, qui Consul Achæos vicit, vnde & Achaicus est appellatus, & Corinthum deleuit, ac triumphauit, ideo *victor aget currum ad alta Capitolia*, nam triumphantes ibant ad Iouem Capitolinum.

b Diuersum iam indicat à Mummio, & Paulum Æmilium intelligit: per *Æacidem* autem Persen Regem Macedoniæ, ab genere Achillis, quem Persen vicit Paulus, & insuper regnum omne Græcorum subuertit, ideo *eruet Argos, Mycenas Agamemnonis, ipsum Æaciden*. id verò faciet *vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ*. Quod interpretes referunt ad facinus Aiacis Oilei, qui in templo Palladis Cassandræ stuprum obtulit.

c Iam confertim multos adducit, videlicet Catonem Maiorem dictum Censorium; Cornelium Cossum; duos fratres Caium & Tiberium, Gracchos; duos Scipiones Africanos, Maiorem & Minorem, hos appellat *belli fulmina*, *Libyæ cladem*. Pergit ad Fabricium, & Setranum, quorum elogia adducit, illum vocat *paruo potentem*, quia cùm summa esset frugalitate, tamen insignis admodum fuit rebus gestis: istum honestat à sulcis. Fuit verò Serranus hic C. Attilius, de quo Plinius lib. 18. cap. 3. *serentem inuenere dati honores Serranum, vnde cognomen.*

d Dolet se fessum iam, & post longam narrationem venire ad Fabios, cùm hi integram requirant: & in quibus cunctandum sit. Ex tota verò Fabiorum gente oculos coniicit in Q. Fabium Maximum, qui vnus sua cunctatione (vnde & cunctator dictus) rem perditam Romanis restituit. Modulus ipse carminis rem apprime, & cunctationem signat.

NOTÆ.

Mummius deleuit Corinthum.

1. Ille triumphata, &c.] Sententiam, quam sequor de L. Mummio, sequuntur fere omnes interpretes, alij etiam, videlicet Seruius, Nascimbænus, Hortensius, Germanus, Corradus in Comment. ad Brutum, Iouianus in Antonio, quem vide, nam & egregiè Poëtam explicat, & defendit à calumniis Agellij, & Higyni. Non bene Alciatus 5. Parerg. cap. 21. Q. Cæcilium Metellũ accipit: neque alij, qui alium à Mummio, vt patebit adeunti Liuium lib 51. & 52. Iustinum lib. 34. Orosium lib. 5. c. 2. Eutropium lib. 4. c. 3. Florum lib. 2. Paterculum lib. 1. Hi enim omnes, alij etiam ita de Mummio, Achæis, & Corintho loquuntur, vt veluti digito monstrent, de Mummio accipiendum Poëtam: neque parum ad id ipsum cõducunt, quæ scribuntur à Pausania in Eliacis prioribus, atque in Achaicis.

Perses victus à Paulo Æmilio.

2. Eruet ille Argos] Mira hîc est varietas interpretum, sed ego principibus hæsi, & præter hos etiam Iouiano, & Turnebo, qui hîc per *Æaciden* non Pyrrhum Epirotarum Regem intelligunt, sed Persen: qui cùm ab Achille originem duceret, rectè dici potest Æacides: nam & Propertius, cui plurimùm explicatio ista innititur, sic ait:

Et Perses proaui simulantem pectus Achilli,
A *Quique tuas proauus fregit Achille domos.*

Perse itaque superato, adducto in triumphum, regnóque Æacidarum deleto populus Romanus videri potuit vltus fuisse Troiæ ruinas. Pyrrhus profectò à Poëta intelligi nequit, cùm neque is victus fuerit à Romano populo; neque eo viuente Epirotarum regnum captum, redactúmve in prouinciam. Siquis obiiciat, neque Argos, neque Mycenas euersas à Paulo Æmilio, sciat hoc ab Anchise dictum, vt Æneam soletur, cuius ipsius posteri euersuri essent Argos, & Mycenas: victa enim Macedonia, & rege Perse, tam Thessalia Achillis patria, quæ tum Macedonibus parebat, quàm vniuersa Græcia venisse in ditionem Romanorum dici potest. Etenim tunc ita opulentæ erant res Macedonum vt his victis victa quoque B omnis Græcia dici posset; inde Argorum, & Mycenarum illata mentio. Sic etiam 1. Æn.

—veniet lustris labentibus ætas,
Cùm domus Assaraci Phthiam, clarásque Mycenas
Imperio premet, ac victis dominabitur Argis.

Quæ verba de Paulo Æmilio Turnebus accipit, præsensione nimirum illa, qua captis Macedonia & Thessalia, deletóque vniuerso regno Æacidarum, vniuersa quoque Græcia deleri existimabatur. Hactenus defendi Poëtam, vt alij etiam ante me defenderunt, sed quoniam pertinaciter aliqui hætent iam Mummio, existimantes hanc partem annectendam cum superiore sermone de Corintho euersa: iam Cæcilio Metello, qui superauit Andriscum, è C quorum numero est Alciatus: iam M. Fuluio Nobiliori, inter quos est Corradus, nam Fuluius Ambraciam superauit, vbi fuit Pyrrhi regia; visum partem Pauli firmare historiæ luce. Liuius lib. 45. de victoria Æmilij ita ait: *Tanta præda fuit, vt in equitem CCCC. denarij, peditibus duceni diuiderentur; centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum vrbium diruti sunt: ea fuere oppida circa LCC.* Quæ verba omnimodam vastitatem indicant. Itaque signatè *eruet*, quo omnia significantur vastata. Libro etiam 44. vbi victoria narratur, dicuntur *cæsa ad viginti millia hominum*, cùm *ex victoribus ciciderint non plus centum*. Quæ victoria prodigio similis. imo, si Plutarchum audias, de fortuna Romanorum, plusquam prodigiosa. Ait enim, Paulum, victo Perseo & Mace- D donibus, retulisse ἄτρωτον στρατὸν, καὶ νίκην ἄδακρυν: *exercitum sine vulnere, victoriámque nullo fœdatam fletu.* Quis hoc credat? Facit etiam locus Plinij lib. 4. cap. 10. vbi post magna Macedoniæ præconia, ita subiungit: *hæc eadem est Macedonia, cuius vno die Paulus Æmilius Imperator noster septuaginta duas vrbes direptas vendidit.* Eadem verba sunt in Strabone lib. 7. eáque adducit ex Polybio. Sed redeo ad Plinium, qui eo loco Paulum Alexandro, Romanam potentiam Græcæ opponit, victricem faciens Romanam, Græcam victam. Atque adeo noua luce Poëtam explico, vt intelligat, non hanc, aut illam vrbem; non hanc, aut illam prouinciam: sed Græcam omnem potentiam, quam Paulus Græcis ademit, & Romam transtulit; etiam si in nominando Græco imperio decurrerit E ad Argos, ad Mycenas, ad genus Achillis, habito videlicet respectu ad antiquos hostes Troiæ. Græcum autem imperium nemo eruit, nemo euertit, nisi Paulus. Ideo Liuius lib. 45. pleno ore vocat Paulum *domitorem Græciæ*. Quod præconium non leges de Mummio, Metello, Fuluio. His videor pene necessariò effecisse, Virgilij verba capienda de Paulo Æmilio.

Pauli Æmilij victoria.

Cato Maior.

3. Magne Cato] Censorium, & Maiorem capio, non Minorem Vticensem. tum quia vox ipsa me ad Maiorem ducit: nam sic etiam ab Romanis scripto-

ribus Scipio Maior dici solet, Magnus Africanus. tum quia in gratiam Cæsaris Vticensem detestabitur Virgilius. & certè illum inducere neque ex decoro esset, neque ex iudicio. Maioris præconia legi in Liuio lib. 39. ab eo loco, *in hoc viro tanta vis*, &c. & in Plinio lib. 14. c. 4. vterque enim scriptor, sed præcipuè Liuius, in eius laudes excurrit. Etenim qui Liuium legerit, non dubitabit Poëtam de illo capiendum. Est enim dignus Marcus Porcius Cato vt in magnorum ducum nomenclatura sit. Lege etiam quæ de illo Plutarchus in Apophthegm. Vegetius lib. 2. cap. 3. de illo *armis inuictus*.

Cossus. 4. COSSE] Hic ille est, qui victo Larte Tolumnio Veientum rege opima spolia Ioui Feretrio tulit.

Gracchi. 5. GRACCHI GENVS] Nobilissimum hoc Romæ, coniunctum etiam affinitate cum Scipionibus, vnde à Poëta hîc etiam cõiunguntur: minor enim Cornelia Africani filia nupsit T. Sempronio Graccho (nã Maior Nasicæ nupserat) ex qua Sempronius duodecim filios reliquit superstites, & cæteris amissis tres tantùm superfuere Tib. & C. Gracchi adolescentes ingeniis seditiosis, & filia vna Sempronia, quæ nupsit minori Africano. Hinc apparet, non omnino respuendum Seruium, qui per *genus Gracchi* Scipiones signari ait. Ego libenter intellexerim per *genus*, Tiberium & Caium Gracchos: per *Gracchi* Sempronium ipsum.

Scipiones. 6. GEMINOS SCIPIADAS] Aliqui hîc capiunt duos illos Scipiones fratres, Publium & Cneum, qui in Hispania obierunt. His non deest ratio aliqua, cùm dicat Cicero pro Balbo: *Et cùm duo fulmina nostri imperij subitò in Hispania Cn. & P. Scipiones exstincti occidissent.* Sed certius est, debere accipi vtrunque Africanum, cùm addat, *cladem Libyæ*. Id etiam perspicuum fit ex imitatione Lucretij, qui lib. 3. dicit,

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Cui versui Virgilius institit. Manilius etiam,

Scipiadæq; duces, fatum Carthaginis vnum.

Fulmen de viris fortibus. 7. FVLMINA BELLI] Præconium hoc vsurpatum ab aliis in mentione virorum militarium. Testimoniis Ciceronis, & Lucretij adductis, adiunge Silium lib. 7.

—aut vbi sunt nunc fulmina gentis
Scipiadæ.

Apud Pausaniam in Atticis Ptolemæus appellatus est cognomento fulmen κεραυνός, propter eximiam in bellicis rebus gerendis alacritatem. Principes illi, qui comitati Alexandrum, inter arrogantissima nomina, hoc etiam sibi sumpserunt, appellabant enim se, vt auctor est Dio Chrysost. orat. 64. κεραυνοὺς, πολιορκητὰς, ἀετοὺς, θεοὺς, *fulmina, vrbium expugnatores, aquilas, Deos.* Parasitus quidam apud Antiphanem gloriatur, se ab omnibus fulmen vocari, quòd alios egregiè cæderet. Hæc, & similia in Athenæo inuenies lib. 6. Antipater in epigram. Philippum vocat κεραύνιον, *fulmineum.* Sed quæ ratio? Est fulmen insigne virorum fortium. Inde est, vt Apelles Alexandri effigiem pinxerit manu fulmen tenentem, Auctor est Plutarchus 2. de fortuna Alexandri. ibidem Clearchus filiorum vnum vocat κεραυνόν. Cum hoc adludit, Bisaltas apud Valer. Flaccum libro 6. fulmen pro insigni gestasse in scutis. ait enim,

Cuncta phalanx insigne Iouis, cælataq; gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.

Legio quoque duodecima apud Romanos dicta fuit fulminatrix, ab impetu, credo, quo rueret. Tametsi aliqui dictam sic putent, quòd ea legio sub Marco imperatore fulmina & nimbos impetrauerit. Sed primum certius, nam ea legio ante Marcum ita cognominata est. Non abludit à fulmine vocari ab

Mucro de viro forti. Iustino libro 6. Epaminondam *teli mucronem* ob mi-

A litarem virtutem. Notetur obiter adagij forma vsurpata Hieronymo aduersus Ruffinum; traducit enim fulmen ad eloquentiam. vt cùm ait, *Tu videlicet flammeus, imo fulmineus, qui in loquendo fulminas*, &c. & suprà dixerat: *fulmen eloquentiæ.* & lib. 1. contra Iouinianum, *Demosthenis Philippicæ tonant.* Prudentius in Apotheosi *fulmina verbi.* Sed huius notæ seges magna in libris gentilium. Nam Ammianus libro 30. *Cicero orationis imperiosæ fulminibus.* Alij tibi obuij erunt. Fulmen de eloquentia.

8. PARVÓQVE POTENTEM FABRICIVM] Adnecto hîc verba Maximi lib. 4. cap. 3. de Fabricio: *continentiæ suæ beneficio sine pecunia præ diues, sine vsu familiæ abundè comitatus: quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus eius, quemadmodum ære, & argento, & mancipijs* B *Samnitum vacua; ita gloriâ ex his contemptis partâ, referta fuit.* Fabius declam. 268. Fabriciis & Curiis proprio & signato elogio dat abstinentiam. Fabricius.

9. SVLCO] Putat Turnebus lib. 19. Aduers. c. 17. legendum *sulcos.* Nam rectè & eleganter sulci dicuntur seri.

10. SERRANE] Saluianus lib. 1. de Prouidentia scribens de priscis moribus Romanorum: *Non despiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cùm vestem hirtam ac breuem sumerent: cùm ab aratro arcesserentur ad fasces.* Manilius lib. 4. Serranus.

Serranos, Curiósque tulit, fascésque per arua
Tradidit, éque suo Dictator venit aratro.

Allusit Sidonius lib. 8. Epist. *Quid Serranorum æmulus,* C *& Camillorum, cùm regas stiuam, dissimulas optare palmatam?* Seruius nulla historiæ fide scribit, Serranum vocatum ex aratro ad dictaturam: dicere debuisset, ad Consulatum. Hoc idem parum cautè suis marginibus addiderunt Manutius, aliíque. Fortasse hi omnes decepti sunt μνημονικῷ ἁμαρτήματι. Nam Serrano attribuunt, quæ Romani scriptores dant Cincinnato. Hic enim ex aratro primùm vocatus est ad Consulatum, deinde ad Dictaturam. Lege Dionysium lib. 10. Antiq. & Senecam de Breuit. vitæ: & Orosium lib. 2. cap. 12. & Eutropium lib. 1. Serranus tantùm, ad Consulatum. Simili errore Cedrenus inuoluitur, apud quem L. Quinctius Cincinnatus vocatur ex aratro ad Consulatum: & addit id factum, Nerone imperante, quod falsum. Si quis enim D dicat hunc alium fuisse Cincinnatum, vix credam, tacentibus aliis Romanis Scriptoribus. Cæterùm occasione huius possem excurrere ad loquendum de hac rerum frugalitate, vocante me occasione, cùm olim agros honestissimus quisque coleret. Sed tu lege aurea Plinij verba lib. 18. c. 3. Columellam lib. 1. rei rusticæ in præfatione. Symmachum lib. 7. epist. 15. Quibus adiunge locum Sidonij iam indicatum, & versus istos Lucani lib. 1.

—quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones,
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

11. QVÒ FESSVM RAPITIS FABII] Plautus Menæch. *Quò rapitis me? quò fertis me?*

E 12. TV MAXIMVS] Hoc cognomen Q. Fabio prudentia peperit, non victoriæ, etiam si magnæ & multæ. Lege Liuium libro 9. ad finem. vti verò apparet ex eodem Liuio lib. 30. non primus ex gente ea habuit hoc cognomen, sed ante illum alij. Verba Liuij sunt: *Vir certè dignus fuit tanto cognomine, vel si nouum ab eo inciperet. Superauit paternos honores, auitos æquauit. Pluribus victorijs, & maioribus prælijs auus insignis Rullus: sed omnia æquare vnus hostis Annibal potest.* His clarè ait, non incepisse à Quinto hoc Fabius Maximus.

to hoc cognomen: & indicat, illo priùs honestatum Rullum.

13. Cvnctando restitvit rem] Q. Fabius missus est aduersum Annibalem in summa rerum trepidatione, cùm videlicet iam crederent ad vrbem ipsam hostem venturum infestis signis, post duplicem victoriam ad Trebiam & Thrasymenum, quibus cæsi & fusi Romani. Cùm verò Fabius nollet cum hoste acie confligere, ne feroci Annibali, & tot victoriis exultanti territum militem obiiceret, tantùm se opponens, illius conatus elusit. vnde & cunctator dictus, & cunctando Romanam rem restituisse. Scribit hoc latè Liuius, & Romani Scriptores. vetus inscriptio Florentiæ, qua continentur Fabij res gestæ: ANNIBALEM COMPLVRIBVS VICTORIIS FEROCEM SVBSEQVENDO COERCVIT. Ouidius: (Fabius cunctator.)

Scilicet vt posses olim tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Manilius lib.1. *inuictúsque mora Fabius.* Claudianus de bel. Getic.

—lento lustramine Pœnum
Compressit Fabius.

Silius lib.7. pari fermè modulo,

—lento Pœnum moderamine lusit.

Auctor de viris illustribus: *Fabius Annibalem mora fregit.* Pulchrè Valer. Max. cap.7. *Fabius Maximus, cuius non dimicare, vincere fuit.* Cæterùm versus Virgilianus ad verbum expressus est ab Ennio lib. 12. Annal. quem Ennij versum citant Cicero in Catone, & Liuius lib.30. idem exitus carminis placuit Q. Sereno,

Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæsit,
Qui solus patriæ cunctando restituit rem.

Vnus ergo in Ennio, & Virgilio, quia *solus*, explicatore

A Sereno. Tria tandem adnoto. Primum, adagium adductum à Varrone lib.1. Rust. c.2. videlicet, *vultis igitur interea vetus prouerbium, quod est, Romanus sedendo vincit, vsurpemus, dum ille venit?* habere ortum à Fabio Maximo, quò allusit Silius lib.16. (Romanus sedēdo vincit, adag.)

—peperítque sedendo
Omnia cunctator nobis.

Ad quam sententiam pertinent verba hæc Taciti 2. Hist. *Multa bella impetu valida, per tædia & moras euanuisse.* & de duce Suetonio Paulino paulo antè: *Cunctator natura, & cui cauta potiùs consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placerent.* Lege etiam Vegetium lib.3. c.9. de Iuliano Cæsare. Ammianus lib.16. *Erat prouidus & cunctator, quod præcipuum bonum in magnis ductoribus opem ferre solet exercitibus & salutem.* B Alterum, hanc Maximi cunctationem videri fuisse non tam ex ipsius quàm ex vniuersæ Fabiorum gentis genio, atque ingenio. Hoc intelliget, qui legat, quæ scribit Liuius lib.2. vbi Consul Fabius retinendo Romanos, & cunctatione ipsa fortiores acrioresque ad bellum reddidit. Signata verba Liuij inter alia sunt, *matura res erat, tergiuersatur tamen Fabius.* Inde Orosius lib.2. c.5. vocat generalitèr Fabios omnes *clarissima Romani status lumina.* Tertium, verbum *restituo* datum Fabio non tantùm, quòd ipse verè rem restituerit, sed etiam ex generali Dictatorum omnium gloria. Nam, cùm hi semper crearentur, rebus accisis, & pene perditis, dicebantur salutem restituere. Indicat hoc satis Liuius lib.3. *Nautium Consulem accersunt, in quo cùm parum præsidij videretur, Dictatorémque dici placeret, qui rem perculsam restitueret,* &c. C Non dissimile illud eiusdem lib.4. *Mœsta ciuitas fuit, vinci insueta, odisse tribunos, poscere Dictatorem, in eo verti spes ciuitatis.* (Fabij cunctatores.) (Restituo, de dictatoribus.)

[a] Excudent alij spirantia molliùs æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
[b] Orabunt causas meliùs: cæliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent:
[c] Tu regere imperio populos Romane memento
(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

D

ARGVMENTVM.

Comparans cum aliis gentibus Romanos, dat his peritiam imperandi.

EXPLICATIO.

a Pvlchre ex tot ducibus dilabitur ad militarem virtutem Romani populi prædicandam, quasi is omnes artes contemnat præ arte imperandi, atque in illis vinci se patiatur, non in hac. Ergo: Tanta arte ab nonnullis cudendum est æs, tanta peritia ducendum marmor; vt & æra spirare mollicie quadam, & vultus in marmore viuere videantur.

b Dat hîc aliis gentibus principatum in agendis causis, in Mathematicis doctrinis, (nam has intelligit, illis *cæliq; meatus Describent radio*) in Astrologia, ideo *& surgentia sidera dicent.* E

c Arrogat Romanis artem imperandi, pacificandi vniuersa, parcendi subiectis, superbos debellandi. Quod proculdubio fecit suo adulans Augusto, qui claruit his artibus; non quòd re vera gentes aliæ in aliis artibus superarent Romanos.

NOTÆ.

1. Excvdent alii] Dictum hoc propter Corinthios facilè credat, qui legat Strabonem lib.8. & Plinium lib.34. c.8. vbi loquens de nobilitate operum ex ære, principe loco affert Corinthios, quod firmat exemplis magnorum principum. (Corinthij æris cudēdi artifices.)

2. Spirantia] Ammianus lib.22. *Spirantibus signorum figmentis.* Poëta statim *viuos vultus.* Ita Ausonius: (Viuum de statuis.)

Viua tibi species vacca Myronis erit.

Propertius lib.2. eleg.31.

Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artificis viuida signa boues.

& lib.3. eleg. 8.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa.

id est, animata. Æs illud, quo facta Myronis vacca, *ἔμπνουν* dicitur lib. 4. Anth. quod Ausonius reddidit, *aspirans.* Huiusmodi æs τροχίαν, & χυτὸν appellat Pollux lib.7. quasi rotile, & fusile. Sed de hoc in sequentibus duabus Notis.

3. Mollivs] Aptissimè dat æri humanam mollitudinem & flexibilitatem. Ita Horatius ad Pisones: *molles imitabitur ære capillos.* Callistratus, quem Turnebus aduocat, εἶδες ἂν ὄντα καὶ στερεὸς ὢν εἰς τὴν τοῦ θή- (Mollicies de arte cudendi æris.)

λι𝜃ος εἰκουσίαν ἐμαλάττετο: *Vides, vti durus cùm esset, instar fœminæ factus est mollis.* Vbi in vocibus, στερεὸς, & ἐμαλάττετο, allusum ad artem ducendi æris. In eodem Callistrato sæpe ego paria. vt cùm ait, τρίχὸς λεπτότητι, λίθος ὤν, ἐπείθετο: *capillus verè marmor existens tenuitati parebat.* & de marmore ipso, ζωτικὸν εἶχεν: *vitalem vim habebat.* Et in Statua Cupidinis. εἶδες ἂν τὸν χαλκὸν θρυπτόμενον, & ἁβρότητι ἀμηχάνως χλιδῶντα: *Videas æs delicijs diffluens, & mirum in modum carnis teneritudine mollescens.* Statuæ etiam Occasionis dat, ἁπαλὸν ἐρύθημα: *tenerum ruborem*, ac sæpe aliàs. ex hac proprietate Martialis versum Iunius explicat,

Nec Triuiæ templo molles laudentur honores.

Sed ex quo Raderum legi, qui *honores* mutat in *Iones*, Radero assensi. Contrariam vocem mollitiei facit Horatius *duritatem*, Cicero *rigiditatem*. Ait prior Sat. 3. lib. 2.

Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.

Posterior in Bruto: *Canachi statuarij signa rigidiora quàm vt veritatem exprimant.*

Duco de marmoribus.

4. DVCENT] Translatum hîc esse hoc verbum, tractúmque à marmoribus aut metallis, quæ propriè dicuntur duci, Turnebus admonet lib. 18. c. 11. Probat, nam laminæ Græcis dicuntur ἐλάσματα, quòd malleis ducantur, formentúrque in effigiem. Cui addo Aristophanem, qui in Pluto, Apollinis tripodem vocat χρυσήλατον, id est, ex auro ductili: quasi dicat, χρυσοῦ ἐληλατμένον, videlicet ab χρυσὸς, & ἐλαύνω. & Philostratum 2. Icon. qui σφυρήλατα, recensens habitudinem picti Herculis. & Cedrenum, qui auream platanum, leones aureos, vultures aureos, Imperatorum Græciæ σφυρηλάτες quoque dicit, quasi malleis ductos. & Apuleium lib. 1. Florid. apud quem Alexander iussit, ne quis effigiem suam *temere assimilaret ære, colore, cælamine; quin solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet.* Possim etiã vti testimonio Callixeni Rhodij apud Athenæum lib. 11. vbi loquens de vase, πυνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς: *molliter cedens ad medium.* Possim (inquam) hoc vti, nam quod Grecis est ἄγω, Latinis est *duco*. Cæterùm, vt Poëta in arte æris Corinthios intellexit, ita in marmorea fortasse Cretenses, aut Parios.

5. ORABVNT CAVSAS MELIVS] Vt verum est, gratiam Principum valere plurimùm apud subditos! Certè Maro hoc scripsit suo lenocinans Principi Augusto, qui artibus militaribus præstitit, quas illi vt daret vnicè, non dubitauit artes alias Romanis adimere. In arte certè eloquentiæ Romani Græcis præstiterunt, Demostheni Cicero. Ita hic ad Brutum: *Quo enim vno vincebamur à victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certè nobis cum illis communicatum.* Ita etiam 1. Leg. *Putant, te historiam tractante, effici posse, vt in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus.* Itaque potiùs crediderim quæ dixi de lenocinio Augusti, quàm quæ alij volunt de Poëta volente præferre Demosthenem Tullio, suggillatione quadam.

Romani Græcis præstiterunt in eloquentia.

6. CÆLIQVE MEATVS] Fortasse Chaldæos intelligit, Ægyptios, aut Babylonios, apud quos primùm natæ istæ artes, vt primi nominis scriptores volunt, cum his Plato in Epinomid. & Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum; & Tatianus orat. contra Græcos, Clemens Alex. libro 1. Strom. qui in hunc numerum Cares quoque inducit. Possis etiam intelligere Bactrianos, propter illorum Regem Zoroastrem (hunc Agathias lib. 2. Zaradem vocat) de quo lege Iustinum lib. 1. Vel Plinium sequere, qui cap. 56. lib. 7. has artes ad Atlantem refert: Vel turbam illorum, qui ad Prometheum, & Caucaseam rupem. Demum potes quoque ipsissimos Græcos intelligere. Ducet te in hanc mentem Apuleius lib. 4. Florid. vbi de Thalete

A vno è septem sapientibus mira & multa. Cicero lib. 1. Diuinat. principe loco Assyrios memorat, deinde Chaldæos, tertio Ægyptios. & Arnobius lib. 2. ex Ægyptiis Theutatem quendam. De vnis Chaldæis, qui potissimùm huic arti dediti, vide Notam Læuini in Od. 11. Horat. lib. 1. Quid si Poëta dans hanc artem aliis, quàm Romanis, alludit ad id, quod sæpe factum Romæ, à qua vrbe sæpe ablegati sunt astrologi, quasi hi essent præstigiatores? Quin sequenti æuo id factum à Vitellio Cedrenus narrat.

7. RADIO] Dictum iam 1. Ecl.

Romani imperandi arte floruerunt.

8. TV REGERE IMPERIO] Quot præcones huius artis Romanorum! Ex oratione Aristidis habita in laudem Romanorum, libabo aliqua. Ille itaque magno elogio, ἦν πω πρὸ ὑμῶν ἦν τὸ ἄρχειν εἰδέναι: *nulla fuit*
B *ante vos ars imperandi.* & addit de Imperatoria arte, τοῦτο ὑμέτερόν ἐστιν εὕρημα: *hoc inuentum est vestrum.* & post multa, ἐπὶ τὸ ἄρχειν γενόμενοι: *nati estis ad imperandum*: comparánsque Græcos cum Romanis, vocat illos ἄρχειν ἀπαιδεύτους, *Imperij ignaros*: iterúmque dat illis ad imperium, ἀπειρίαν τε, & ἀδυναμίαν. Tibullus etiam lib. 2. eleg. 5.

Roma tuum nomen terris fatale regendis
Quà sua de cælo prospicit arua Ceres.

Meritò itaque Romano imperio aptari potest illud Aristotelis lib. 7. Polit. παρ' ἐνίοις δὲ & τῆς πολιτείας ὅρος οὗτος τῶν νόμων, ὅπως δεσπόζωσι τῶν πέλας: *apud nonnullos autem, Reipublica hic terminus legum est, vt dominentur vicinis.*

C 9. PACISQVE IMPONERE MOREM] Sulpicia illa, quæ floruit sub Domitiano, in suo Satyrico,

———duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, Virtus belli, & sapientia pacis.

Romanorũ virtus & clementia.

10. PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS] Deficiet me tempus memorantem testes huius præconij, te legentem. Aliquos subiicere è re erit, iam de clementia in victos, iam de virtute in superbos, iam de vtroque simul, vt se auctores obtulerint, qui mihi hanc notam suppeditant. Gordianus in nummis exprimi fecit Romam, inter taurum & leonem, immanem vtranque bestiam, ad significandum, Romanam vrbem ferocissimas gentes atque immanissimas subiecisse. Idem voluerunt significare Seuerus Imperator, & Antoninus, cùm fœminam excudi fecerunt in auersa nummorum parte leoni insiden-
D tem. De Tiberio prædicat Tacitus 2. Annal. *victis graues pœnas, in deditionem venienti paratam clementiam.* Legati Carthaginiẽsium apud Liuium lib. 30. de Romano populo dicunt: *Plus pene parcendo victis, quàm vincendo imperium auxisse.* Imperator Traianus de seipso apud Cæsarem Iulianum in sermone Cæsarum, πρᾷος μὲν πρὸς τοὺς ὑπηκόους, φοβερὸς δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους διαφερόντως γενόμενος: *subiectis mansuetus, hostibus formidolosus præ cæteris exstiti.* De Augusto Horatius in carmine sæculari,

Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

Id est, est superior pugnacissimis, est lenis in humiles & iacentes. Sulpicia illa poëtria quæ suprà,

E *—duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Propertius pari sententia lib. 2. eleg. 16.

Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est,
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Vbi prædicat virtutem, qua vicit Cæsar: & gloriam, qua arma condidit. A Tacito 1. Annal. *Romana clementia* vsurpatur, vt maxima, & à Curtio libro 4. *Romana mansuetudo.* Propertius lib. 3. eleg. 21. de Romanis:

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes

Sta

Stamus, victrices temperat illa manus.

Sic legendum in Propertio, quod censuit iam chorus doctorum: Non, *temperat ira manus*, nam ira quem temperat? Iuuat hanc lectionem Propertianus versus, quem iam præmisi, ex lib. 2. eleg. 16. sicut enim ibi,

Illa, qua vicit, condidit arma, manu:

Ita hîc,

Victrices temperat illa manus.

Sed redeo à diuerticulo. Videtur certè mihi Poëta A hanc laudem voluisse Græcis eripere, qui illam præ se ferebant, vti apparet ex verbis Demosthenis orat. 12. vbi ait, patrium esse & singulare Atheniensium, μηδενὸς ὑπακούειν: *parere nemini*, potiùs, ἁπάντων κρατεῖν τοῖς πολέμοις: *omnes bello vincere*. De iisdem Aristides in oratione, posteriore de Pace: ἀνδρῶν γάρ ἐστι καθ' ὑμᾶς τὴν φύσιν, τοὺς μὲν ἀνθεστηκότας κατείργειν τοῖς ὅπλοις· τοὺς ὑποπεσόντας ἠπίως μεταχειρίζεσθαι: *est enim vestri ingenij hominum, vt resistentes armis cohibere, ita subiectos leniter tractare.*

a Sic Pater Anchises: atque hæc mirantibus addit:
Aspice vt insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, Victórque viros supereminet omnes?
b Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallúmque rebellem:
Tertiáque, arma patri suspendet capta Quirino.
c Atque hîc Aeneas (vnà namque ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu)
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? QVANTVM instar in ipso est!
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

ARGVMENTVM.

Coniungit extremo loco duos Marcellos; Claudium, domitorem Annibalis; & illum, qui filius Octauiæ sororis Augusti.

EXPLICATIO.

a SEruat ad libri exitum Claudium Marcellum, vt cum altero Marcello coniungat, quo absoluit Catalogum virorum fortium. Ergo de Claudio, *ingreditur*, militari verbo, & *insignis spolijs opimis*, quæ detraxit Viridomato Gallorum duci, quem vicit singulari certamine, & magno elogio: *Victorq́ viros supereminet omnes.*

b Cùm multa præclara sint Claudij Marcelli, illud C in primis, rem gessisse contra Annibalem equitatu, quo videbat hostem valere, cùm priùs Romani peditatu, vt plurimùm, vterentur. Ideo *eques sistet rem Romanam*, id est, fulciet firmabítque penè labens imperium. Nec solùm *sistet*, sed cum ingenti Pœnorum occidione, ideo *sternet Pœnos*. Adiicit *Gallúmque rebellem*. Nam Gallos vicit, victoriam insignem adeptus. Extremus versus, qui difficilis, explicabitur in Notis.

c Post Claudium Marcellum vidit fortè Æneas Marcellum alium Octauiæ, Sororis Augusti, filium, qui etiam dictus Claudius Marcellus, vt clarè Tacitus. 1. Annal. Erat hic iuuenis egregia forma, armis apprime splendentibus: sed cui frons parum læta, parum læti oculi in deiecto vultu. Miratur Æneas hinc fulgorem iuuenis, inde mœstitiam. Rogátque patrem, quis ille est iuuenis, qui comitatur virum euntem? id est, Claudium Marcellum. Est ne eius filius? an magnus aliquis nostrorum nepotum? Ita verò hoc rogat Æneas, quasi iam illectus forma iuuenis, exoptet illum fore nepotem suum, non filium Claudij. Pergit Æneas. Quis circa illum strepitus & multitudo comitum? *quantum instar in ipso est?* id est: Quàm magna est ô Pater, dignitas huius iuuenis? Quæ similitudo! sed B cur ita tristis in tanto splendore, & comitatu? Rectè verò Poëta Marcellum istum innectit, superiori faciens comitem, nam Marcelli omnes ab illo Claudio originem se ducere gloriabantur. Sed præsertim quæsitum hîc lenocinium Augusti, qui quantùm Marcellum hunc dilexerit, satis notum.

NOTÆ.

1. MARCELLVS] Opima spolia tres tantùm retulêre. Plutarchus in Marcello: *Primus Romulus spolia ab Acrone detracta retulit, secundus Cornelius Cossus à Tolumno Hetrusco: Post hos Marcellus à Gallorum Rege Britomato, post quem nemo alius.* Manilius lib. 1.

—& tertia palma
Marcellus, Cossúsque prior.

In Rege Gallo multum video variari; Alij Britomatum appellant, alij Britomartem, alij Viridomarum. Propertius li. 4. eleg. 11. *Viridomarum* vocat, vt & Orosius lib. 4. cap. 13.

2. SPOLIIS OPIMIS] Quæ sint hæc aperit Liuius lib. 4. loquens de Cornelio Cosso: *ea rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxerit.* Addit Plutarchus in Marcello, ea esse spolia opima (ille τίμια vocat) quæ detrahantur, παρατάξεως οὔσης, καὶ πρῶτα: *in acie, & prima.* Itaque, si extra aciem, non opima: si non prima, non opima. Mox tertio loco, adhibet conditionem Liuij, καὶ στρατηγοῦ στρατηγὸν ἀνελόντος: *quæ dux duci detraxerit.* Adiicit Liuius libro 1. quartam conditionem: *Opima spolia sunt, quæ feruntur Ioui ab duce, qui hostium Regem ducémve cecîdit.* Petunt verba ista Liuij, vt sciat lector, quis sit Iuppiter Feretrius. Is est, ad quem opima ferebantur. sic dictus, vel quòd spolia ista ferrentur curru, quod dictum Feretrum: Vel, quòd Iuppiter feriat fulmine: Vel, quòd in bello soleat feriri: nam & nunc quoque in persequêdis hostibus, cùm se milites exhortantur, frequenter iubent ferire.

Opima spolia, quæ.

Iuppiter Feretrius.

ferire. Hæc ex Plutarcho. Non abhorrent multùm à Plutarcho versus Propertij lib. 4. eleg. 11.

Nunc spolia in templo tria condita, causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Aut quia victa suis humeris hæc arma ferebant:
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

Extrema ratio Propertij adsonat verbis Liuij istis: *Iuppiter Feretri hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero.* Quasi inde dictus Feretrius, quòd ea arma ferrentur ad templum ipsius Iouis. Lege integram elegiam Propertij:

Res Romana pro imperio. 3. REM ROMANAM] Ab Ennio 1. Annal.

Qui rem Romanam, Latiúmque augescere vultis.

Alibi:

Moribus antiquis res stat Romana virísque.

Ouid. 15. Met.

—Fundamine magno
Res Romana valet.

Symmachus lib. 9. epist. 25. *Ob rem Romanam sæpe litteras mittens.* Cape Poetam signatè cum respectu ad bellum, nam de bello etiam Cicero pro leg. Manil. *res à L. Lucullo summo viro est administrata.*

Tumultus de quo. 4. TVMVLTV] Doctè, vt omnia; nam hîc sermo est de Gallis: & tumultus propriè est, aut domesticus, id est, Italicus: aut Gallicus. Verba Festi ita legit Scaliger: *Tumultũ dici, ait Verrius, quia is non aliter, quàm ab Italicis & Gallicis hostibus immineat Italiæ. Itaque non aliũ quàm Gallicum, aut domesticum timebant.* Quam lectionem ibi defendit Scaliger. Seruius in hunc locũ: *ideo tumultu, quia res in Italia aduersus Gallos geritur.* Sed quid his opus, vbi est Tullius, cuius hæc sunt. 8. Philipp. *Maiores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus; tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant.*

Cl. Marcelli virtus. 5. STERNET POENOS.] Rectè, si quicquam aliud. Nam Marcelli victoriæ Poenos, non vtcumque, sed maxima strage attriuêre. Ait Liuius lib. 23. Marcellum cum Annibale conflixisse; &, cùm vnus tantùm Romanorum esset amissus, duo millia, & trecentos Pœnorum cæsos esse. Quod quia penè incredibile, nec Liuius ipse audet affirmare. Inde Annibal solebat Marcellum appellare gladium suum. Et apud Liuium lib. 27. hoc est Annibalis de Marcello iudicium: *Cum eo hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest: seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.* Quod non de vniuersis Romanis capiendum, sed de vno Marcello. Nam Plutarchus in eius vita: *Dij boni, quisnam hunc tractauit hominem, qui nec secundam, nec aduersam ferre fortunam sciat? solus hic otium nec vincendo præstat, nec succumbendo suscipit.* Marcelli elogia multa sunt in Liuio & Plutarcho. Lege etiam Orosium libr. 4. cap. 16.

6. GALLVMQVE REBELLEM.] De hoc bello, victoria, triumpho, trophæo Marcelli, cùm Gallos vicit, & singulari certamine eorum ducem, lege, præter alios, quæ in vita ipsius per initia latè commemorat Plutarchus. Vbi etiam ait scriptor, Marcellum contendisse ad hostes cum equitatu, peditatu relicto, ac ceteris grauioris armaturæ. Atq; ideo signatè vates: *sistet eques*: Lege etiam Orosium lib. 4. cap. 13. vbi ait deleta à Marcello in hoc bello gessatorum triginta millia, capta multa oppida Insubrium, intérque illa Mediolanum. Propertius de hac victoria loco adducto:

Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cùm vasti parma relata ducis
Virdomari: genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis.

7. TERTIAQVE ARMA] id est, opima spolia. Quæ

A Plutarchus vocat iam τίμια, iam κάλλιστα, in vita Marcelli, iam λάφυρα.

8. PATRI SVSPENDET CAPTA QVIRINO.] Locus satis difficilis, & nescio quî intellectus. Interpretes alios tu videris. Ego ne tempus teram illis confutandis, quæ sentio dicam. In primis nequit negari arma hæc Ioui fuisse dicata. Nam Plutarchus apertè votum Marcelli narrans, ait, vouisse illum arma τῷ Φερετρίῳ Διΐ: *Ioui Feretrio.* Et, postea victo hoste, ait Marcellus ipse: Φερέτρειε Ζεῦ — σοὶ καθιερῶ τὰ πρῶτα, καὶ κάλλιστα τῶν λαφύρων *Iupiter Feretri tibi consecro prima, & præstantissima spolia.* Demum, παρελθὼν εἰς τὸν νεὼν τοῦ Φερετρίου Διὸς, ἀνέστησε, καὶ καθιέρωσε τρίτος, καὶ τελευταῖος ἄχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς αἰῶνος: *Ingressus templum Iouis Feretrij, donum statuit; dedicauitque tertius & vltimus vsque ad*
B *nostram memoriam.* Festus etiam loquens de tribus, qui spolia opima retulerunt, ita absoluit: *tertia, quæ M. Marcellus Ioui Feretrio, de Viridomaro fixerunt.* Labitur vocans Marcum pro Claudio. Redeo. Itaque contra claram historiæ lucem nihil potuit Poëta dicere. Sed ecce contra me turbo. Nam poëta Quirino ait suspensa: atqui Quirinus est aut Mars, aut Romulus, non Iuppiter. Addo etiam nodum difficillimum ex lege Numæ, quam in eodem Marcello his verbis refert Plutarchus: *eúmque scribere, vt prima capta Ioui Feretrio consecrentur, Marti altera, tertia Quirino.* Qui in hac lege Numæ (vt obiter dicam) per Quirinum capiunt Martem pacificum, nihil dicũt. Redeo. En difficultas. Quid Virgilij interpretes? alij per Quirinum, Martem aiũt accipiendum; alij Romulum, & omnes
C nihil. Vnus Nascimbænus mediam viam quæsiuit, & ex hoc fluctu emersit, separans vtramque vocem. Nã patri in datiuo constituit, *Quirino* in auferendi, hac sententia, Suspendit patri Ioui arma capta Quirino, id est, Marte, & bello. Nam Quirinum pro Marte sumi certum: ac perinde pro bello, quod primo annexum. Sed hoc, vt apparet, effugium est. Idem censendum de explicatione Seruij. Poëtam igitur sic explico. Poëta non negat arma hæc dicata fuisse Ioui, esset enim hoc cõtra fidem historię, sed hoc iam supponens, ait: suspensa fuisse Patri Quirino, id est, Romulo. Quia Marcellus secutus est autorem Romulũ. Inde cauit Poëta, ne diceret, *dedico*, aut *consecro*, sed signatè *suspendo*. Perinde ac si dicat: Suspendit arma sua Marcellus Quirino, id est, adiũxit arma sua, armis Ro-
D muli; suspendens sua, vbi suspensa erãt arma Romuli. Hanc explicationẽ mihi indicat Liuius, apud quẽ Romulus dedicans Ioui sua opima, ita ait: *Iuppiter Feretri hæc tibi Victor Romulus Rex regia arma fero, templúmque his regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico: sedem opimis spolijs, quæ regibus ducibúsque hostiũ cæsis me autorẽ sequẽtes posteri ferent.* Nota extrema verba. Itaque Marcellus auctorem secutus Romulum, illi sua appendit. Obiicies tu quoque contra legem Numæ, si hæc suspensa sunt Ioui. Expedio me, & legem sic explico. Numa tantùm statuit, vt siquis fortasse ter caperet opima, dicaret illis Numinibus suo ordine. Itaque locutus est, non respectu diuersotum, sed vnius tantùm. Aliter Plutarchus sibi esset contrarius; nam priùs præmiserat, Marcellum dicasse opima sua Ioui; cum quo pugnat, quod addit afferens legem Numæ, [illegible]rtia Q[illegible]-
E *rino consecrari iussit.* Et ideo Marcellus, qui terti[illegible] [illegible]ima dicauit, ait, πρῶτα καθιερῶ: *prima dedico*, videl[illegible] et Ioui: qui, si secunda caperet, Marti dicaret. Sic, vt [illegible]xi, capienda esse verba Numæ, videtur clarè es[illegible] Nam, cùm iam prima arma dicata fuissent Ioui à Romulo, quid de his iubere Numa poterat? Legislatores quidem futuris cauent, non prærreritis. Idem dicendum, imò potiore iure, si verba Numæ legantur, vti scripta sunt ab Iosepho Scalig in Fest. Quiuis enim,

Num[illegible] de opi[illegible] explicata.

Vt

vel minimè oculatus, intelliget legem illam, non de multis, sed de vno. Quod vt videas, tantùm afferam initium: *Quo ius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur Ioui Feretrio bouem cædito*, &c. Hæc de Romulo intelligi quî possunt, qui iam præterierat? Romulo Numa, vt bouem cæderet, iubebat? Nugæ.

9. ATQVE HIC ÆNEAS, &c.] A versibus istis Virgilij colorem traxit Silius lib. 13. insistens enim huic loco, ita cecinit:

Atque hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem iuuenis casti, cui vitta ligabat
Purpurea, effusos per colla nitentia crines:
Dic, ait, hic quinam virgo? nam luce refulget
Præcipua frons sacra viro, multaq; sequuntur
Mirantes animæ, & læto clamore frequentant.
Qui vultus? quem, si Stygia non esset in vmbra,
Dixissem facile esse Deum.

Instar. 10. INSTAR] Symposius Poëta *mediocre instar* dixit faciens omen, versu isto,

Nec mediocre fuit magni certaminis instar.

Erythræus explicat, *instar, id est, similitudo*, & ait esse

A nomen, & variari, *instar, instaris*. Firmari hoc potest, tum versu Symposij iam adducto; tum isto Claudiani lib. 1. Raptus:

Hastaq;, terribili surgens per nubila gyro,
Instar habet syluæ.

Non displicent tamen, qui hanc vocem referunt ad superiorem Claudium Marcellum. vt dicat Poëta, magnam esse similitudinem, magnum instar huic Marcello Octauiæ cum illo Marcello Claudio.

11. SED NOX ATRA CAPVT, &c.] Græcos, quos æmulatur Virgilius, adducit Germanus: adiiciam ego comparationem Virgilij cum illis. Ergo Euripid. in Hippol. σκότος ἀμπίσχον κρύπτει νεφέλαις. Æschylus, στυγία γὰρ ἐπ' ἀχλύς τις πεπότηται. libro 3. epigrammatum:

Κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος. Nicander, νὺξ

B ἡ περὶ κροτάφοις. Calaber lib. 8. ὀλοὴ δέ μιν ἀμφεχύθη νύξ. In quibus Virgilio est *nox*, quæ illis *caligo, tenebræ, nubes*; etiam si extremi duo, *noctem* quoque dixerint. Virgilius *circumuolat* quod illi, *volo, amplector, circumdo, occulto*. Virgilius *caput*, Nicander *tempora*. Virgilius *atra*, illi κυάνεον, στυγία, ὀλοὴ.

[a] Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
[b] O nate, ingentem luctum ne quære tuorum.
OSTENDENT terris hunc tantùm fata, neque vltra
Esse sinent. Nimiùm vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
[c] Quantos ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus? vel quæ Tiberine videbis
Funera cùm tumulum præterlabere recentem?
[d] Nec puer iliaca quisquam de gente Latinos
IN TANTVM spe tollet auos, nec Romula quondam
Vllo se tantùm tellus iactabit alumno.
[e] HEV PIETAS, heu prisca fides, inuictáque bello
Dextera. non illi quisquam se impune tulisset
Obuius armato, seu cùm pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
[f] Heu miserande puer, SI QVA fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animámque nepotis
His saltem accumulem donis, ET FVNGAR inani
Munere.

C

ARGVMENTVM.

Habetur sermo longissimus de altero Marcello.

EXPLICATIO.

a SEquens Marcelli funus ex decoro præcedunt lacry[illegible]e Anchisæ.

b [illegible]id me nate pertrahis ad tuorum nepotum luctus [illegible]rrandos? *hunc*, quem vides Iuuenem, *fata tantùm* [illegible]*endent terris*, *neque esse sinent vltra*. Dicit hoc, qui[illegible]arum vixit Marcellus. Sequitur, *nimiùm vobis*, &[illegible]st sententia plena indignationis. O Superi inui[illegible]stis Romanæ potentiæ, Marcello ablato: timebatis enim eo viuo, dona, quæ tam multa in imperium congessistis, fore *propria*, id est, perpetua, æterna; vnde fieret, vt Romana gloria esset maior vestrâ, & illustrior. Sic ferè interpretes, & cum illis Nann. lib. 4. Miscell. Tu hîc poëtam cautissimum considera, qui, inuidiam cùm innuat, tamen non nominat, ne offendat Deos, cum quibus loquitur. Debuisset enim dicere, inuidi fuistis Dij: abstinet, & tantùm, Itáne visa vobis potens Roma?

c Describit pompam funeream Marcelli cum magnis affectibus. Fuit Marcellus crematus sepultúsque in campo Martio, inde, *quantos virorum gemitus aget campus*. Agnosce metonymiam. Pergit pari affectu; *vel quæ Tiberine*, &c. Quibus nihil dici potuit magnificentius ad hoc funus deplorandum. Cur dicat in plurali *funera*, postea aperiam.

d Nemo tantam de se mortalibus spem iniiciet, de nemine ita gloriabitur Roma. Præclarè *spe*, nam in adolescentibus potissimùm spes laudatur. *quondam* hîc est futuri temporis.

e Laudat Marcellum à triplici virtute; pietate, fide, forti

fortitudine, quæ essent in illo maximæ, si perueniret ad virilem ætatem. Addit notam doloris *heu*. Est *fides prisca* non æui illius, in quo victurus esset Marcellus; sed prisci, & antiqui. Cùm verò laudauerit illum à triplici virtute, sistit in extrema fortitudine, cùm ait, *non illi quisquam*, &c. Est verò sententia. Nemo se illi armato obuius daret *impunè*, id est, citra noxam: modò res gereretur pedestri certamine, modò equestri. Dicit, fore ista, si perueniret Marcellus ad ætatem integram. Hîc ego admiror, qua carminum iactantia hoc dixerit Poëta. Nam quid aut plenius, aut magnificentius versu isto?

Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

Vbi agnoscis furentem equum, audacem sessorem.

f Erumpit tandem in nomen pueri, satis iam post tot lacrymas, post tot virtutes exspectatum lectori. Præcedit nomen exclamatio ista. *Heu miserande puer*, doloris & affectus plena, quòd videat Marcellum priùs interiturum, quàm possit tantarum virtutum specimen edere. *Si qua* est, si qua via, aut ratione. Sequitur post nomen *manibus date lilia*, &c. ex more, quo veteres sepulcra ornabant floribus, sertisque. Quæ cùm omnibus ex vsu darentur, nullis tamen magis propriè, quàm pueris: quo admonemur momentanei vigoris & breuitatis vitæ. Est *nepotis* posteri mei, sed vox illa quæsita ad dolorem. Magis enim excitatur dolor, si audias nepotem interijsse, quàm si posterum. In voce *inani munere*, allusit ad genus sepulturæ, quæ fiebat cadauere non præsente, & hic Anchises celebrat funus Marcelli nondum defuncti, imò necdum nati.

Notæ.

Virgilij versus aurei.

1. O NATE, &c.] Incipiunt hinc versus illi, quos vocant aureos. Vide notam Budæi lib. 3. de Asse pag. 341. de pecunia persoluta Virgilio ab Octauia propter hos versus. Excurrit enim summa supra aureos quinque mille. De versu etiam sequenti, *ostendent terris*, &c. Vide Spartianum in vita Ælij Veri non longè ab initio. Ista & similia citasse sit satis; noras integras compingere, otiosum.

Ostendo, de arborib.

2. OSTENDENT] Metaphora ducta ab arboribus & re rustica: ideo postea signatè *propago* pari consecutione. Cicero in Catone: *adolescentia significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, aut percipiendis accommodata sunt.* Dicuntur enim arbores ostendere, cùm spes est in illis futuræ vbertatis. Inde illustrabis infinita auctorum loca, quæ ego hîc nolo, in quibus semper hoc verbum cum respectu ad arbores. Versus Virgilij habere potest formam prouerbij. Vti illo poterimus, quoties de puero aliquo ominamur breui illum vitam finiturum. Gordianum Augustum patrem eo versu vsum scimus tanquam prouerbio aliquo in auguranda Gordiani filij immatura & acerba morte. Sed obsecro lector, an fallitur Virgilius? qui solùm,

Marcelli ætas, quæ.

Ostendent terris hunc tantùm fata, nec vltra
Esse sinent;

quo innuit breuem admodum vitam. An (inquam) fallitur? Nam Propertius lib. 3. eleg. 18. quæ tota est de hoc Marcello, ita scribit:

Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam paruo clausit in orbe dies.

Certè neque Dio, neque Plutarchus Marcelli annos attingunt, qui tamen de ipso. Tacitus de illo li. 1. Annal. per initia ait, donatum ab Augusto Pontificatu, & Ædilitate, *admodum adolescentem*. Post quæ verba innuit illum statim obiisse. & lib. 2. de eodem Marcello, ita: *flagrantibus plebis studijs ereptum, breues & infaustos Pop. Rom. amores.* Alij legunt: *flagrantibus plebis studijs, intra iuuentam ereptum*, &c. Certè Virgilius satis duxit affectus excitare, & ideo noluit vllam annorum supputationem, quæ est historiæ; sed tantùm animum mouere, vt Poëtam decebat. Sed quidem, cùm dicat *ostendent fata*, metaphora, vt dixi, sumpta ab arboribus, satis innuit illum esse iuuenem, nam arbores non in infantia, aut pueritia indiciû dant fructus. Habuit Virgilius Horatium imitatorem, potiùs explicatorem. Nam de hoc Marcello (vt bonis coniecturis astruit Læuinus) ita ait:

Crescit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli.

Proprium pro perpetuo.

3. PROPRIA] Id est, perpetua & æterna. sic omnes explicant, & vnus instar omnium Iulius Scal. lib. 4. Poët. c. 16. Quasi proprium sit, in quo nemo alius quidpiam habet iuris, & quod affert domino perpetuam possessionem. inde. 1. Æn.

—*Propriámque dicabo:*

& 3. Æn.

Da propriam Thymbrææ domum.

vtrobique est, *perpetuam*. Horatius Sat. 6. lib. 2.

—*Nil amplius oro*
Maia nate, nisi vt propria hæc mihi munera faxis.

Afranius in Vopisco: *Dij tibi dent propria, quæcunque exoptes bona.* Accius in armorum iudicio: *Nam non facilè sine Deûm opera propria humana sunt bona.* Liuius veluti explicans, vtranque vocem intulit lib. 22. apud quem, cùm legati à Hierone socio Populi Romani coronam auream attulissent, ita precati sunt: *acciperent eam, tenerentque, & haberent propriam & perpetuam.* Hoc etiam satis indicat Probi oppositio, qui in Thrasybulo: *parua munera, diutina: locupletia, non propria esse consueuerunt.* Id est, non diutina.

Tori in pompa funebri.

4. FVNERA] Non funus, quia, vt tradunt auctores, Marcelli funus ornatum curatúmque est sexcentis lectis. Inde, ait Germ. sæpe in funebri pompa mentionem fieri tororum: in funere quidem Syllæ Plutarchus narrat producta φορήματα δέκα, καὶ διακόσια: pheretra ducenta & decem.

Sepulcra ad ripas fluminum.

5. CVM TVMVLVM PRÆTERLABERE RECENTEM] Fuit hoc è more veterum, vt constituerent sepulcra ad amnium ripas. Hecubæ tumulus (quem Græci κυνὸς σῆμα appellant, & Plinius lib. 4. c. 11. Cynossema) statuitur ab Strabone lib. 13. ad amnem Rhodium. Pelopis à Pindaro Od. 1. Olymp. ad Alpheum: Ἀλφεῷ (inquit) πόρῳ κλιθεὶς τύμβον ἔχον. Aryadis ab Philostrato in Heroicis, ad Orontan. Ceyx apud Hesiodum in scuto sepelit filium Cygnum ad Anauri ripas. Valerius. 5. Arg. loquens de Phaside fluuio,

Ac dum prima graui ductor subit ostia pulsu,
Populeos flexus, tumulúmque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phryxi.

Aristoteles in Peplo (si illius est liber hic) Peneleum tumulat ad Cephissum amnem. Versus Aristotelis ita vertit Canterus.

Hunc ad Cephissi rapida abscondere gementes
Fortem Bœoti flumina Peneleum.

Hic idem mos attingitur 3. Æn. Vbi vxor Hectoris inducitur ferians manibus coniugis ad ripas fluuij.

Ante vrbem in luco falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Pausaniam omisi, in quo vidi morem istum millies videlicet, in Atticis: in Achaicis, vbi loquitur de Andræmone: in Bœotiis, vbi de Asphodico: in Phocicis, vbi de Tityo, & sæpe alibi. Neque ad ripas tantùm fluminum sepeliri olim mos fuit, sed in ipsis alueis flumi-

Sepulcra in alueis fluuiorum.

fluminum. Cuius rei duplex nunc historia occurrit, & Attilæ ferocissimi Hunnorum, quem tumulatum in medio flumine produnt æui illius scriptores fidi; & Orontis ex gente Indorum, qui sepultus est in Oronte amne cognomine, quod scribit in Arcadicis Pausanias.

In tantum. 6. IN TANTVM] Notarunt iam alij, hanc esse vnicam vocem. Ita & Propertius lib. 3. eleg. 5.

Nunc maris in tantum ventis iactamur.

Marcelli elogium. 7. HEV PIETAS, HEV PRISCA FIDES] Elogium Marcelli huius hoc habet Velleius lib. 2. *Sanè, vt aiunt, ingenuarum virtutum, lætúsque animi, & ingenij, fortunæq́ue, in quam alebatur, capax.* Seneca ad Marciam c.2. hoc: *Adolescentem animo alacrem, ingenio potentem; sed & frugalitatis continentiæq́ue in illis aut annis, aut opibus non mediocriter admirandum, patientem laboris, voluptatibus alienum; quantumcunque imponere illi auunculus, & (vt ita dicam) inædificare voluisset, laturum.*

Impune. 8. QVISQVAM SE IMPVNE TVLISSET] Ennius 1. Ann. *Nec pol homo quisquam faciet impune.* Horat. Od. 17. Epod.

Impune vt vrbem nomine impleris meo?

9. SEV CVM PEDES IRET] Inclusit hoc hemisticho, & versu altero, Homeri item hemistichum, & versum alterum. Sed quod discrimen? Ergo Græcus Odyss. 9.

—ἐπιστάμενοι μὲν ἀφ' ἵππων
Ἀνδράσι μάρνασθαι, καὶ ὅθι χρὴ πεζὸν ἐόντα:
—*Docti quidem ab equis*
Cum hominibus pugnare, & cùm opus, peditem esse.

10. MARCELLVS] Lege Suetonium in Augusto c. 63. Senecam in consolatione ad Martiam cap. 2. Velleium lib. altero, Tacitum lib. 1.

Sepulcra coronis & floribus ornabantur. 11. DATE LILIA] Receptissimus mos. Antoninus apud Herodianum lib. 4. ornat sepulcrum Achillis στεφάνοις τε, καὶ ἄνθεσι: *coronis, & floribus.* Vetus inscriptio in tumulo Seruiliæ:

—cineres quoque flore tegantur.

Iuuenal. Sat. 7.

Spirantésque crocos, & in vrna perpetuum ver.

Propertius lib. 1. eleg. 17.

—— & tenera poneret ossa rosa.

A Statius in Syl.

Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floresque Sabæi.

Prudentius in Cathem. hymno. 7.

Nos tecta fouebimus ossa
Violis, & fronde frequenti:
Titulúmque & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Marcus Aurelius apud Capitolinum tantum honoris detulit suis magistris, vt illorum sepulcra *floribus semper ornaret.* Pindarus Od. 4. Nem. loquens de tumulo Amphitruonis,

Ἄνθεσι μίγνυον:
Conspergant floribus.

Thessali apud Philostratum in Heroicis dabant sepulcro Achillis B στεφάνους ἀμαραντίνους: *coronas amaranti.* Attigit & morem hunc sacer scriptor Hieronymus epist. 26. ad Pammachium: *ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos.* Omitto multa; est enim hic mos passim obuius. Adiicio solum Lucianum περὶ πένθους, qui hos flores ipsi dat cadaueri. χρίσαντες τὸ σῶμα, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται: *vngunt cadauer, & speciosis floribus coronatum producunt.* Huius moris rationes cùm multæ esse possint, illud præ aliis placet, factum hoc ad indicandam mortalis vitæ fragilitatem.

Dona & munera de mortuis. 12. HIS SALTEM ACCVMVLEM DONIS] Obseruauit in Catullum Achilles Statius dici dona, & munera de his, quæ dabantur mortuis. Nam Catul- C lus ipse:

Vt te postremo donarem munere mortis.

iterum:

Tradita sunt tristes munera ad exsequias.

& Virg. 11. Æn.

—decorate supremis
Muneribus.

Ouidius,

—in cineres vltima dona dedit.

& in epist.

Iam dabis in cineres vltima dona meos.

Vetus inscriptio: *C. Iul. Fabian. anno XIX. Fabia. Paula amita. munus supremum.*

a ——Sic passim tota regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
b Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incendítque animum FAMÆ venientis amore:
c Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurentésque docet populos, vrbémque Latini:
ET QVO QVEMQVE modo fugiátque ferátque laborem.
a Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.
His vbi tum natum Anchises vnáque Sibyllam
Prosequitur dictis, portáque emittit eburna:
Ille viam secat ad naues, sociósque reuisit:
Tum se ad Caietæ recto fert littore portum:
Anchora de prora iacitur; stant littore puppes.

D

ARGVMENTVM.

Libri exitus, in quo sunt portæ Somniorum.

EXPLICATIO.

a ANchises, Æneas, Sibylla vagantur per spaciosas illas latásque regiones aëris, omnia oculis collustrantes.

b Consulit

b Consulit hîc Poëta & Anchisæ narratori, & Æneæ auditori, ac pariter omnibus lectoribus, qui, ne fatigentur longa narratione, reliqua confert in compendium, ideo *duxit natum per singula*, ne singula narrare cogatur, atque eius *animam incendit amore* futuræ *famæ*.

c Optimè, incipiunt enim ab sequente libro bella Latij, ideo in huius exitu illorum meminit, docens futura bella, docens Laurentes populos Æneæ hostes futuros, docens vrbem Latini, iuxta quam præcipuè gestum bellum illud: ac tandem rationem, qua possit labores omnes aut honestè fugere, aut patienter ferre. *exin* est exinde, deinde.

d En epilogus totius libri, in quo dicit duplicem esse portam somniorum, corneam vnam, qua vera exeunt somnia; eburneam alteram, qua falsa: atque Æneam Sibyllámque ab Anchise dimissos per eburneam; hoc facto, Æneas ad naues & socios rediit, qui tunc erant in Cumano portu. Quò vbi peruenit, statim breui cursu, à Cumis ad Caietam traiecit; vbi, iactis anchoris, conquieuit. Signatè *somnia* nominaui explicans. Non enim Virgilius portas Somni scribit, sed Somnij: in illo tamen *Somni* pro *Somnij* scriptum est, poëtico schemate.

NOTÆ.

Aërij campi in Elysio.

1. AERIS IN CAMPIS] Cur campi isti dicantur aërij, duplex est explicatio, Turnebi vna; nostra altera. Ille, quòd inanis tota illa sit plaga, diffusa tantùm, atque obsessa vacuo aëre, habénsque vice corporum vmbras aërias. Ego: quòd veteres chaos vocarint aërem, quod alij ante me notarunt, sed nemo Maronis locum. Ergo, si chaos ponitur pro aëre, quid mirum, ponatur aër vicissim pro chao? Euripides in Cadmo apud Probum. τὸ δ' ἐν μέσῳ οὐρανοῦ τε, καὶ χθονὸς οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος: *quod medium est inter cælum & terram, hi vocant chaos*. Apertè signat aërem. Sed præfero tamen explicationem Turnebi meæ, cùm præsertim ille addat, vias illas euntes ad Orcum, dici veteribus ἠερόεντα κέλευθα, *vias aërias*, & in Phædone Platonis loquentis de his locis, reperi, caua ista inferorum, ὕδατός τε καὶ ἀέρος ἔμπλεα ὄντα: *plena esse aqua & aëre*, & postea insulas quasdam exhibet iisdem locis, ἃς περιρρεῖν τὸν ἀέρα: *quas aër ambiat*. Roges nonne id necesse? quæ hæc nota? lege Platonem, & videbis longè aliter aërem in his locis exhiberi, quàm in nostris. Ait enim, ita in his inferorum cauitatibus aërem esse, vt splendida quædam species iam auri puri, iam niuis cādidæ, consurgat, sempérque varietas quædam colorum affulgeat. Videtur mihi Plato indicare, aërem ibi speciem quandam Iridis repræsentare. Erāt quippe errore hoc imbuti veteres. Demum ait Plato, his, qui habitant loca illa, aërem esse ad eum vsum, quo nobis est aqua. Multa alia subiicit Plato, vnde apparet, cur Poëta peculiari voce, campos istos vocet *aërios*. Volo etiam audias versus Papinij in Epicedio patris S. Sylu. de Elysiis:

Et monstrate nemus, quò nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies, cælóque simillimus aër.

Ad Virgilium quoque pertinet nota Isidori lib. 1. *Heroës appellantur viri quasi aërij & cælo digni propter sapientiam & fortitudinem*. Atqui in his locis Virgilius heroës suos constituit. Aspirasse quoque ad hanc scientiam videtur Lucanus lib. 9. loquens de loco, in quem abiêre Pompeij manes:

——sequitur conuexa Tonantis
Qua niger astriferis connectitur axibus aër.

Tametsi Lucanus, vt apparet ex sequentibus, eat in

A opinionem illam, quæ Elysios ponit in cauo lunaris globi. Adi Viuem in caput vltimum lib. 21. de Ciuit. Ioannes Chrysost. hom. de futuro iudicio, arripiens doctrinam à Gentilibus, dat Elysio αὔραν λεπτὴν, lenem quandam & tenuem auram.

2. INCENDITQVE ANIMVM, &c.] Videtur fieri allusio ad superius illud:

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Sōni portæ.

3. SVNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ, &c.] Locus Homeri Odyss. 19. quem, vt longum, non adduco integrum, tantùm quæpiam ad comparationem. Quod Græcus,

Δοιαὶ πύλαι εἰσὶν ὀνείρων, Latinus,
Sunt geminæ Somni portæ. Quod ille,
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται. hic,
B *Quarum altera fertur Cornea.* quod ille,
Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, hic,
Qua veris facilis datur exitus vmbris. quod ille,
——αἱ δ' ἐλέφαντι, hic,
Altera candenti perfecta nitens elephanto. quod ille,
Τῶν οἱ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
Οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται, hic,
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.

Hæc satis fuerunt Virgilio, ademit multa Homerica, & quæ posuit, reddidit nitidiora. Ausonius loquens de supplicio Cupidinis, ita æmulatur Virgilium:

Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido.
Effugit, pulsa tandem caligine somni,
Euolat ad superos, portáque euadit eburna.

Quibus innuit, inania fuisse omnia, quæ dixerat de C cruciatu Amoris. Notarunt verò alij, sed in primis Muretus lib. 11. Var. c. 7. tam Homerum quàm Virgilium tecta quadam vrbanitate voluisse significare, aniles esse fabulas, quæ de inferis scribuntur: Virgilium, cùm fingit Æneam eadem egressum porta, qua exeunt falsa insomnia: Homerum, cùm facit matrem monentem, Vlyssē, vt quæ vidit apud inferos, narret vxori; nam videlicet, quæ mulierculis narrantur ad focum, fabulamenta esse solent. Iuuo Muretum sententia Agathiæ lib. 1. qui fabulas iusto volens attributo afficere, dicit esse illas, quæ in cœtibus muliebribus in lanificio decātantur, τῶν ἐν τῇ γυναικωνίτιδι παρὰ τὴν ταλασίαν ᾀδομένων μυθολογημάτων. Ad hanc rem pertinet sententia veterum, qui putabant, nullos esse inferos, nullos manes, mera esse insomnia, quæ de locis

Inferi veteribus habiti inter fabulas.

D illis dicerentur. Seneca de Consolat. ad Martiam cap. 19. *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulæ. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia & reos, & libertate rerum tam laxa vllos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtæ.* Eodem spectant versus Iuuenal. Sat. 2.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna tranare vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt; nisi qui nondum ære lauantur.

Vide etiam Ouidium lib. 15. Met. idem asserentem ore Pythagoræ, ab eo versu:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis, &c.

Si quis sensus post m[orte].

Ex hac opinione nata trita illa apud veteres loquendi forma, *si quis est sensus post mortē*, qua vsi (indicabo tan- E tùm loca) Albinouanus, de Consolat. ad Liuiam, Ouidius 1. de Ponto, Cicero pro Sextio, Isocrates in Ægenetico, εἴ τις ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι. Aristides in Platonicis, Quintilianus declam. 332. Nazianzenus oratione. 1. cōtra Iulianum, ἄκουε καὶ ἡ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου ψυχὴ, εἴ τις αἴσθησις: *Audi & tu Constātini magni anima, si quis mortuis sensus est.* Iustinus lib. 16. Seneca sæpissime, nunc mihi ante oculos liber de Breuitat. vitæ c. 18. & de Consol. ad Polybium c. 24. & 27. idem sensit & Seneca Tragicus:

Quæris.

Quæris, quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.

Sunt qui huius fabulamenti aliam reddant rationem. Nam per corneam portam intelligũt oculos, qui sunt coloris cornei: per eburneam, dentes, qui suo candore ebur imitantur. Inde igitur fieri, vt Poëta dixerit, per corneam exire vera somnia, inest enim in hoc sensu falsitas nulla: falsa per eburneam, quia quæ ore efferuntur, sæpissime sunt falsa. In his est Seruius, & in Homerum Didymus, à quibus desumpsêre interpretes reliqui Virgiliani, & Homerici. Adi etiã Erasmum in adag. *oculis magis habenda fides quàm auribus*, & Alciatum libro 6. paretg. c. 8. sed in primis Rittershusium in Oppian. lib. 3. Cyneg. Vbi locum communem de hac re coniungit. Vtcunque hoc sit, illud est certè verum, figmentum hoc de portis Somniorum, tam ab Homero, quàm ab Marone confictum esse ex veterum opinione, qui credebant ab inferis mitti somnia, quod notauit Turnebus. Inde terra ab Euripide in Hecuba dicitur, μῆτερ ὀνείρων. Cæterùm figmentum istud de portis, est etiam in Horatio lib. 3. Od. 27.

——ludit imago
Vana: quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit, &c. Stat. 5. Syl. epicedio patris:
Inde tamen venias melior, quà porta malignum
Cornea vincit ebur. In Coluthо de raptu Helenæ, vbi corneam vocat portam ἀληθείης, *veritatis*: eburneam, δολοφροσύνης, κενεῶν θρέπτειραν ὀνείρων, *deceptionis, altricemq; vanorum somniorum.* in Aristide περὶ τοῦ παραφθέγματος, vbi ait, hoc fabulamentum totum esse poëtarum: *Atque hæc sunt sacræ noctis, vt poëtæ vocant, monumenta; quæ, quamuis per cornu venerint, omni tamen sunt ebore clariora.* In Propertio lib. 4. eleg. 7.

Nec tu sperne pijs venientia somnia portis;
Cùm pia venerunt somnia, pondus habent.

Atque etiam in Ephemeride Ausonij, quem, vt longum, omitto. Scias demum, doctrinam Virgilij, atque Homeri, qui aliqua somnia vera esse dicunt, aliqua falsa, consentaneam esse cum litteris inspiratis, in quibus iam somnia damnantur, iam pro veris ducuntur; Itaque errarunt Epicurei; qui omnia somnia contẽpserunt: errarunt Stoici, qui nullum neglexerunt.

4. ELEPHANTO] Soleo ego Poëtam laudare (& hoc volo mecum expendas) quòd sæpissime abstineat à vocibus in quibus scit diffidere litterarum principes. Est enim magna controuersia, an pars illa ossea, quæ hinc inde procedit ex ore elephanti, quæ verè ebur dicitur, dicenda sit, elephanti dens, an elephanti cornu. Ideo itaque Poëta, quoties occasio ista occurrit semper vsurpat aut *ebur*, aut *elephantum*, quod tutò potest: nunquam *dentem*, nunquam *cornu*: quod tutò nequit. Et quia quæstionem hanc exploraui, non ingratum sit audire, quæ de illa reperi. Oppianus lib. 2. Cyneg. cornu vocat, non dentem, & ait, vulgus errare, cùm dentem nominat. Firmat duplici argumento, tum quòd è capite, & cranio oriatur, quod proprium est cornuum: tum, quòd se flectendum poliendúmq; præbeat; quod non contingit dentibus. Varro li. 6. de ling. Lat. de hac re loquẽs, ita ait, *quos dentes multi dicunt, sunt cornua.* Acerrimè etiam in hanc sententiam incumbit Pausanias in priorib. Eliac. Probans cornua esse, non dentes, tum quòd illa elephas sæpe reponat, & sæpe renascantur, quod etiam ceruis contingit; dẽs autem nemini animalium iam adulto, cùm semel decidit, renascitur: tum etiam, quòd cornua ista domentur igne, & quamuis figuram accipiant, planam, rotũdam, rectam, circularem; quod nullis bestiarum dentibus potest accidere. Transeo ad auctores alterius sententiæ. Princeps Aristoteles dentem semper vocat, nunquam cornu. Nunc occurrit locus è lib. 2. histor. Animal. c. 5. Plin. lib. 8. c. 3. quæstionem tractat, & Iubam reprehendit secus sentientem. verba eius sunt: *Prædam sciunt solam esse in armis suis, quæ Iuba cornua appellat: Herodotus tanto antiquior, & consuetudo, meliùs dentes.* Vides, vt pro se Plinius consuetudinem afferat. Inde est, vt ille, quoties se offert occasio, semper *dentem* nominet, nunquam *cornu*, vt c. 5. & 10. eiusdem libri, & sæpe alibi. Philostratus de vita Apollonij cap. 6. validè etiam impugnat eundem Iubam, & dentes nominandos, non cornua, multis rationibus ostendit. Hi quæstionem versant. si verò illos consulas, qui non agitata quæstione, vocem vsurpant, plures pro dentibus inuenies, paucos admodum pro cornibus. Nam Plutarchus de solertia animalium, Dio Chrysost. orat. 79. Arnob. lib. 6. Claudian. lib. 3. de laudib. Stilicon. Iuuen. Sat. 2. Symposius loquens de ebore, Petronius, Alcimus lib. 1. Thomas Morus Anglus in epigramm. demum plures alij, quoties de hac re loquuntur, nũquam cornua, semper dentes dicunt. Quibus adiungo Orum Niliacum (alij Apollodorum nominant) qui in Capite, quomodo Ægyptij depingerent hominem sollicitum de sua sepultura, *dentes* vocat. Et obseruabis in eo loco bis legi ceruum pro elephanto, cũ magno errore. Martialis nihil cutauit: nam lib. 1. *cornu*, lib. 5. *dentẽ.* Parce Lector, si quid hîc extra Virgiliũ, certè non citra illius laudem, quod initio huius Notæ aperui.

5. CÆLVM] Regionem viuorum accipe, quæ cælum dicitur respectu inferorum. Sic. 2. Æn. *superis concessit ab oris.* Monuit Macrobius lib. 1. Somn. c. 3.

6. INSOMNIA] Propriè hæc esse, quæ falsa sunt, Macrobius eodem loco docet.

7. ILLE VIAM, &c. Eadem ratione Homer. absoluit lib. 11. Odyss. vbi perlustrati quoque inferi: atque etiam Silius librum. 13. quo libro versatur in eadem inferorum lustratione. Versus Homerici sunt:

Αὐτίκ' ἔπειτ' ἐπὶ νῆα κιὼν, ἐκέλευον ἑταίρους
Αὐτούς τ' ἀμβαίνειν, ἀνά τε πρυμνήσια λῦσαι:
Statim deinde ad naues profectus, iussi socios
Et ipsos ascendere, oramq; soluere. Siliani:
Hæc vates, Erebique cauis se rettulit vmbris,
Tum latos socios iuuenis, portúmque reuisit.

8. SECAT] Ita Græci τέμνειν ὁδὸν dicunt, *viam secare*, quod Galeni & Platonis testimonio Budæus indicat in Comment. Et Turnebus lib. 19. c. 17. ex Euripide in Phœniss. Incidi & ego in loca eiusdem Euripidis, atq; Aristophanis, qui dicunt τέμνειν κέλευθον. In Græco etiam epigram. τέμνειν πόρον. Aristides quoque περὶ τοῦ παραφθέγματος dixit, σχίζειν ἀέρα, καὶ θάλατταν: *secare, findere aërem, mare.*

9. ANCHORA DE PRORA IACITVR] Pari verbo Calaber lib. 12. εὐνὰς δ' ἐκ νηὸς ἔβαλον κατὰ βένθος: *ibi Anchoras in profundum iecerunt.* Xenoph. 3. ἀνασπάσαντες ἀγκύρας.

Cor. Ebur. porta

Somnia & vera, & falsa.

Virgilij cautio.

Elephanti cornu, dicẽdúmne sit,

Cælum pro mũdo hoc.

Secare viã.

FINIS LIBRI VI. ÆNEIDOS.

TYPO

Typographus Lectori.

PAVCVLA HÆC SERIVS AD NOS ab authore transmissa suis locis interserat Lector.

PAG. 64. in lib.1. Æn.ad tractum illum,vers.318. *Cui mater media*, pete Notam.6. ad cuius finem adde:

Non dubium autem quin Poëta dederit Veneri fusam comam,& liberam:quia videlicet fingit illam esse virginem. Est autem nota hæc maxima virginitatis, dicente Claudiano lib.2.Rapt.

—— libertatémque comarum
Iniecta voluit tandem frænare corona.

id est, voluit è virginitate transire ad castra coniugij.

Pag. 451. in lib.4. Æn. ad tractum illum,vers. 416. *Anna vides toto*, &c. vide Notam primam, in qua post duos versus Virgilij, qui ibi adducuntur ex lib.1. Georg. interpone : Ouidius lib. 15. Metam. loquens de appulsu Troianorum in Italiam, ita ait:

Æneadæ gaudent, cæsóque in littore tauro
Torta coronatæ soluunt retinacula nauis:

id est,coronatæ in ipso appulsu,non antè : sic enim interpretor ex dictis. vt etiam Silium lib.11.

—— lauro redimita subibat
Optatos puppis portus,pelagóque micabant
Captiua arma procul,celsa fulgentia prora.

id est,cùm subibat portus,tum coronata est lauro.

NONNVLLA QVÆ IN ALIQVOT EXCIDERVNT exemplaribus, sic Lectoris restituet æquitas; & si quæ alia leuiuscula, pariter condonabit.

Pag.6.col.2.lit. B. lege,Præclarè.Hom.
Pag.10.col.2.lit. E. lege,Mite quid vnquam
Pag.11.col.2.lit. D. lege,allusisse
Pag.59.col.2. in margine lege, pro saluo conductu
Pag.64.in versu Virgiliano 318. lege,tulit obuia.

INDEX




INDEX
PRIMVS VOCVM GRÆCARVM:
PRIMVS NVMERVS INDICAT LIBRVM
Poëtæ: Secundus, eiusdem versum: Tertius, notas nostras.

A

B

SSs Βλιτ…

Finis Indicis primi vocum Græcarum.



INDEX SECVNDVS RERVM, ET VERBORVM.

B

C


Ca[illegible]


Consan

D[illegible]

Fulgur[illegible]

FINIS.






IHS